
Jacobus de Vitriaco (ok. 1160/70 – 1240),

# Reverendissimi D[omini] Iacobi De Vitiraco S. R. E. cardinalis, episcopi Tusculani, theologi et concionatoris, cum eruditissimi tum disertissimi, sermons in Epistolas et Evangelia Dominicalia totius anni ab ipso Authore trecentis quinquaginta et amplius annis, conscripti: nunc autem primum summa diligentia in lucem editi. Ecclesiastici 20. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus: quae utilitas in utriusque?

Amtverpiae, In aedibus Viduae et haeredum Ioannis Stelsij, 1575

Biblioteka Archidiecezjalnego Wyższego Seminarium Duchownego
w Białymstoku, sygn. S-654

Dofinansowano ze środków Ministra Kultury i Dziedzictwa Narodowego.



REVERENDISSIMI

# D. IACOBI DE VITRIACO S.R.E. CARDINALIS, EPISCOPI TVSCVLANI,

THEOLOGI ET CONCIONATORIS, CVM ERVDITISSIMI, tum diſertiſsimi, Sermones in Epiſtolas & Euangelia Dominicalia totius anni, ab ipſo Authore à trecentis quinquaginta & amplius annis, conſcripti: nunc autem primùm ſumma diligentia in lucem editi.

Eccleſiaſtici 20.

*Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus: quæ vtilitas in vtriſque?*




ANTVERPIÆ,
In Ædibus Viduæ & Hæredum Ioannis Stelſij.
1575.

*Cum Gratia & Priuilegio.*

# PRIVILEGII SENTENTIA.

REGIO *Edicto cautum est, ne quis proximo Sexennio, præter Viduam & Hæredes Ioannis Stelsij,* Sermones Reuerendiss. Domini Iacobi de Vitriaco in Epistoles & Euangelia Dominicalia, *in vniuerso Regiæ Maiestatis dominio imprimat, vel alibi impressos importet, venalésve habeat, sub pœnis in Regio diplomate contentis.*

*Concess. Bruxellis 23. Septembris Anno* 1573.

*Subsignatis*

I. de Perre.

BIBLIOTHECA SEMINARII ARCH. IN BIALYSTOK
Nr. S-654

# REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, PRINCIPIQVE ILLVSTRISSIMO D. GERARDO A GROESBEECK, EPISCOPO LEODIENSI, DVCI BVLLONENSI, COMITI LOSSENSI, MARCHIONI FRANCI-MONTANO, &c.

F. Damianus à Ligno Dominicanus & S. T. Magister. S. P. D.

Ex Bibliotheca Joannis Capistranensis Abbat. Sanct. Laurentii Leodiensis Societatis Jesu

SALOMON dilectus ille Domini, quo & sapientiorem & ditiorem Regem nulla vnquam protulit ætas Reuerendissime Domine, Christi sanctæque Ecclesiæ fidelium vniuersorum matris atque magistræ, dulce in Canticis modulans Epitalamium, castos inter sese depingens amores, nec non vxorios amplexus. (Siquidem magnum coniugii Sacramentum in Christo & Ecclesia commendat Apostolus.) sic eandem affatur: *Ephes. 5.* *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* *Cant. 4.* Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Quæ verba penitius introspecta, latentem allegoriarum contegunt penum, atq; sub cortice verborum (nõ secus vt sub nuce nucleus, aut semine fructus) abstrusi, diuinique delitescunt sensus rerum. Quamobrem quid sanctus Spiritus tali locutionis proprietate adumbratum voluerit, reserandum est claue Dauidica, quæ aperit, & nemo claudit: *Apoc. 3.* claudit & nemo aperit. Sicut nanque thymiamata (authore Chrysostomo) quantò magis digitis seu manibus confricantur, hoc maiorem naturâ sua suauis odoris fragrantiam diffundunt. Ita & scripturis sanctis vsu venit, quantò quis illis familiarior est, eò amplius videre potest reconditos in ipsis thesauros, pluresq; percipere indicibilium diuitiarum fructus. *In Gen. Homil. 13.*

Munitionem Ciuitatis pendere in altum surgentibus turribus, validis propugnaculis, mœnibus, portisque nullo vel ariete, vel id genus instrumentorum expugnabilibus machinis, nemini est incognitum. Porrò quid Ciuitas, describit succinctè elegantérve Cicero. Nihil est (ait) illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod vtiq; in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cœtusq; hominum, iure, legibus, moribusque sociati, quæ Ciuitates appellantur. Nam si Quintiliano oratori creditur: Quemadmodum corpora nostra sine mente, ita Ciuitas absque legibus, suis partibus aut officiis, vt neruis ac sanguine, corpus consistere nequit. Hinc Marcellinus clarissimus vir diuo Augustino scribens, sic loquitur: Quidnám est Respublica, nisi res communis? Res ergo communis, res vtique Ciuitatis. Quid verò Ciuitas, nisi multitudo hominũ in quoddam vinculum redacta concordiæ? Apud Romanos enim ita legitur: Breui multitudo diuersa atq; vaga, concordia Ciuitas facta est. Cæterum nomenclaturam atq; rem Ciuitatis præsertim Hierosolymæ periphrasi turris Dauid, nihil germanius delineat, nihil expressius quasique ad viuum præfigurat, quàm *De Somnio Scip.* *Lib. 5. cap. 11.* *Epistola 5.* *Isa. 1.* *Psal. 48.* *Matth. 5.*

quàm sancta orthodoxa Christi Ecclesia, Prophetícis & Euangelicis literis vndique vrbis, montis aut arcis Sion vocem sortita.

*Lib.18. cap.26.* Diuus Gregorius commentans illud Iob: De ciuitatibus fecerunt viros gemere. Quia Ciuitates (inquit) à conuenientibus populis nuncupantur, veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ, quæ in singulis mundi partibus positæ, vnam Catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes, concorditer viuunt. Hanc itaque in Euangelio Dominus conuiuentium populorum, etiam per locorum distinctionem, concordiam demonstrauit, quum satiaturus de quinque panibus populum, quinquagenos per turmas vel centenos discumbere præcepit, vt videlicet turba fidelium escam suam, & locis disiuncta & moribus, fideque religionis coniuncta perciperet. Constituerant olim filii Adam, (erat quippe terra labii vnius, & sermonum eorundem) ædificare ciuitatem, extruere turrim, cuius culmen ad vsque cœlorum cardines protenderetur, hoc pacto nomen suum immortalitati consecraturi, dicentes cum Propheta: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Veruntamen excelsus Dominus, qui nouit parcere subiectis, & debellare superbos, è sursum descendit, superborum astus & consilia subuertit, atque μονογλώττους in ictu oculi effecit πολυγλώττους, vt non audiret vnusquisque vocem proximi loquentis. Quos prius colligarat fœdere inseparabili cordium vnitas, hos dispersit idiomatum varietas. Quorum res paruæ feliciter concordia creuerant, horum discordia maximæ dilabuntur. Denique quos conglutinarat glutinum charitatis, ferruminaratque in alterutrum ignis amoris, hos fœdè dirimit & separat liuor æmulationis. Ciues enim Babylonis in Principibus mundi, in sua gloria exaltant caput, imitantes suum Ducem ac Regem, qui obambulans in aula Babylonis, dicebat: Nónne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in gloria decoris mei? E diuerso autem Ciues vrbis Hierusalem, filii aut incolæ turris Dauidicæ, quæ est ECCLESIA DEI VIVI, vni & solo seruiunt Deo, illi gloriam dantes, mittentes coronas suas ante thronum. Sibi mutuo quoque deseruiunt atque deferunt charitate ordinatissima, Præpositi nimirum subiectis, mandando, consulendo, quæ sancta, quæ iusta, quæ pudica sunt: subditi itidem obtemperando, ac quæ præcepta sunt, non tam sollicitè quàm deuotè adimplendo. Ciuitas ergo DEI, Ecclesia CHRISTI, sicut turris Dauid ædificata est. Multitudo est non brutorum pecorum (hoc anteà & nomine & re dicebatur Synagoga) sed hominum est ratione & intellectu vtentium, quorum est potius conuocari quàm congregari. In vinculum vnum redacta concordiæ. Vinculum vnius Dei, vnius Fidei, vnius & Baptismi. Vinculum Sacramentorum, rituum & ceremoniarum earundem. Siquidem in nullum nomen (teste diuo Augustino) religionis coadunari possunt homines, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur. Nouissimè in vinculum colligata est & symbolum pacis

*Salustius.*

*Dan.4.*

*Augustin.14. de Ciuit. Dei, cap.13.*

*Augustin. Psal.81.*

*Ephes.4.*

*Cõtra Faust. lib.19.cap.11.*

atque

*Matth.14. Marc.6. Luc.9. Ioan.6.*

*Gen.11.*

atque dilectionis, quo Author & Amator pacis CHRISTVS, sub ipsam passionis horam vinciebat, totusque suos discipulos vniebat. Pacem (inquiens) relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quinimo nedum commendabat, sed & Patrem oculis in cœlum subleuatis, supplex pro hac mutui amoris vnione exorabat. Pater (ait) sancte, serua eos quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Porro quàm non cassa fuerit hæc oratio, qua semper (vt talem oportebat filium) exauditus fuit pro sua reuerentia: ilicò comprobauit rei euentus: cùm nedum duodecim Apostolorum, sed multitudinis omnium credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisque eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Atque sic diuersitas Gentium dissipatarum per cultum variorum Deorum, tandem in confessione nominis CHRISTI, æternæque TRINITATIS rursùm & adunebatur, ac congregabatur: vt sic renatis fonte Baptismatis, vna esset Fides mentium, & Pietas actionum, forentque Christiani omnes in fide stabiles, & in opere efficaces. Hoc quippe modo consummabantur longè antè prænunciata Prophetarum oracula. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum. Et in Psalmo, Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.

Ioan.14. Ioan.17. Act.4. Isa.51. Psal.121.

Sed de turre Dauid hactenus: nunc ad propugnacula.

Collum (ait diuus Gregorius) sanctæ Ecclesiæ ædificatum sicut turris Dauid cum propugnaculis, Prædicatores dicuntur, quia procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur & fortiter resistunt, si qui in Ecclesia lædere moliuntur, & liberè terrena conculcantes ac despicientes, cœlestia contemplantur. Mœnia ergo Ecclesiæ, Muri, Propugnacula turris Dauid, Fidei πανοπλία, Disputationum munimenta, virtutum culmina sunt. Loquente iam olim CHRISTO in Isaia ad Ecclesiam: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua. Tecta sunt verba hæc, plena quæstionibus, grauida Sacramentis. Sequamur ergo & audiamus Magistrum Ecclesiæ diuum Hieronymum, ex his obscuris aliquid aperientem. Sapphyrus, qui ponitur in fundamentis, cœli habet similitudinem, & supra nos aëris. Talis est qui potest Aristophanium illud dicere cum Socrate: διαβαίνω καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον. quod nos in Latinum sermonem conuertere possumus: *Scando aërem, Solemque despicio*. Siue cum Paulo Apostolo: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Ezechiëlis quoque scriptura commemorat: quod locus in quo thronus DEI sit, Sapphyri habeat similitudinem: & gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercœlestis. Sed & propugnacula Vrbis Dominicæ, hoc est, murorum mœnia Iaspide roborantur, qui possunt omnem altitudinem eleuantem se contra scientiam DEI, destruere atque conuincere, & mendacium subiicere veritati.

Isa.54. Super Isaiã. Philippen.3. Ezech.1.

Qui ergo in disputando fortissimus est (ait Hieronymus) & sanctarum

Super Isaiã.

ctarum Scripturarum teſtimoniis roboratus, iſte propugnaculum Eccleſiæ eſt.

Porro non infimum propugnaculum Eccleſiæ his noſtris nouiſsimis temporibus exiſtimo Authorum & claſsicorum veterum monumenta in lucem producere, atque ſuper Eccleſiæ candelabrum, quaſi in proſcœnium ponere, quorum teſtimoniis vera dogmata confirmantur. Impia ac nouitia peſſundantur. Rectè enim habet Vincentius Lirinenſis: Prophana nouitas, ſacrata eſt vetuſtas. Noua placent, vetera docent.

Qua de cauſa Sereniſsimus Rex noſter PHILIPPVS maximis impenſis, incomparabili ſtudio, iampridem Antuerpiæ imprimi curauit Biblia quatuor linguarum, tanto certè decore, tantoque ſplendore illuſtrata, vt à ſeculo nec auditum, aut viſum exemplar libri cuiuſque ſit quod condignius ſingulari prærogatiua diceretur atque eſſet τὸ Βιβλίον βασιλικόν.

Conſiderauit namque ſua pientiſsima Maieſtas cum Iuſtiniano Auguſto, Imperatoriam aut Regiam Maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportere eſſe ornatam, vt vtrunque tempus, & bellorum & pacis, rectè poſsit gubernari: & fiat Imperator Romanus aut Rex Catholicus, tam iuris religioſiſsimus, quàm victis hoſtibus Triumphator magnificus.

At quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, Sanctiſsimus Pius quintus ex ordine Prædicatorum ad ſummum Pontificatum cooptatus, recordatus quantum etiam ſit Eccleſiæ CHRISTI propugnaculum Theologica Scholaſtica, potiſsimum Sancti Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis, ſingulas difficultates & ſtudioſiſsimè, & ordinatiſsimè excutientis, Romæ edi voluit præfati Doctoris opera omnia, voluminibus comprehenſa duodecim. Quo ſanè Magiſtro diuo Thoma tota gaudet Eccleſia, fulget ordo beati Dominici peculiari gloria. His iam acceſsit funiculus triplex R. P. Frater Laurentius Surius Carthuſianus, cuius vigiles, improbiq́ue labores nunc ad vmbilicum, ſeu maturitatem peruenerunt (Deo feliciter finem operis coronante) compoſitis vtique ſex eruditiſsimis tomis in probatas ſanctorum Eccleſiæ hiſtorias, vnde nullo negotio, diuinorum heroicæ virtutes, præclara geſta, miracula, quæ per ipſos operatus eſt Dominus, aduerſus hæreticorum venenatos ſibilos, execrandas blaſphemias, doctiſsimè propugnantur, atque deuotiſsimè enarrantur. Iſtorum ergo exemplo & ego commonitus, cupiens cum vidua paupercula aliquid de penuria, ac tenuitate mea in gazophylacium Domini mittere, Cardinalem Sacræ Romanæ Eccleſiæ & Epiſcopum Tuſculanum, hunc Magiſtrum Iacobum de Vitriaco, è noſtra Antuerpienſi bibliotheca erutum, vbi abſcondebatur, à blattis corroſus, ſituq́ue multo ſqualidus, in publicum totius Eccleſiæ vſum atque ſtudium, pro viribus euulgare contendi.

Miraberis autem Illuſtriſsime Princeps ac Reuerendiſsime Domine, quòd non ſolùm tibi ſcribere, ſed & Librum iſtum mea qualicunque opera impreſſum, nomini tuo dicare auſim, homo & nomine

mine & facie ignotus. Sed audi obsecro paucis, quid ad hoc agendum consilium & suasum mihi subministrauerit, spero pro tua singulari humanitate, prudentia, candore animi, & cæteris dignis viro Principe virtutibus, non futurum tibi animum meum ingratum, etsi opus ipsum, quantum sis probaturus, promittere mihi non audeam.

Postquam (vt solet) à grauioribus studiis feriatus, horis succisiuis animi leuandi gratia Chronica Brabantiæ nostræ perlego, heus incido in huius Iacobi de Vitriaco lectionem, atque intelligo fuisse florem in agro Leodiensi valde suaueolentem. Sic quippe narrant: Fuit venerabilis Magister Iacobus de Vitriaco, qui antè fuerat in villa prope Lutetiam Parisiorum Argentolium Presbiter curatus. Hic audita celebritate famæ virginis deuotissimæ Mariæ de Oignies, progenitæ ex ciuitate Niuella, valedictis studiis Theologicis, ad ipsam accessit. Quæ illum benignè excepit, summisque ab eo precibus obtinuit, vt fratribus ibidem religiosè viuentibus, commanere ac cohabitare non detrectaret. Quo facto, seculoque abnegato, in Monasterio Oigniacensi factus est Canonicus Regularis. Cuius itidem Parochiæ cura cùm ei commissa esset, eidem Mariæ in eadem Parochia conuersanti, propter vitæ ipsius sanctitatem, valde familiaris effectus est. Reliqua vt breuis sim, succingo. Interim vnum non est silentio præmendum. Te narrante (loquitur Iacobus ad Fulconem Episcopum Tolosanum in vitam Mariæ) memini me audisse, in tua regione reliquisse te Aegyptum, ac transeuntem per desertum, terram promissionis, in ditione Leodiensi inuenisse. Audieras enim, quinimo videras, non sine summa admiratione, fœminas quasdam apud nos acerbiùs deflere vnum peccatum, quod aiunt, veniale, quàm vestrates homines, vel mille (vt vocant) mortalia. Quarum etiam non poteras satis mirari fidem atque deuotionem, cùm eas videres summo & honore & reuerentia Ecclesiam CHRISTI, sacrosancta Sacramenta venerari, quæ in tui Episcopatus Tolosani territorio, ab omnibus ferè vel omninò reiicebantur, vel saltem paruipendebantur.

Habes iam Reuerendissime Domine, facti mei (existimo) non friuolam aut leuem excusationem. Accedat quamobrem mente deuota Iacobus de Vitriaco Leodiensis, ad Reuerendissimum, Illustrissimumque Principem Episcopum Leodiensem, locuturus nunc illic mutus Magister libro & scripto, vbi olim viuus tanta labiorum grana, tam inaudito dono prædicauerat verbo ac exemplo.

Accipiat placidè Reuerendissimus Dominus Episcopus, Coëpiscopum eximium turris Dauid, Sacræ Romanæ Ecclesiæ hyperaspisten, propugnatoremque acerrimum. Exosculetur Præsul Dignissimus, & omnium literatorum Mecœnas vnicus, Sanctum Præsulem atque cum Apostolo διδακτικὸν, tam largè, tamque vbertim Ecclesiam DEI, cœlestem Philosophiam addocentem, vt nullum ex plurimis comperias, rectius tractantem, & quod Græcè significantius sonat, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, id est, rectè secantem vel diuidentem verbum veritatis. 1. Timoth. 3. 2. Timoth. 2.

Dignaberis ergo Illustrissime ac Reuerendissime Domine æqui boniqúe consulere, quod confidentiùs (timeo) quàm prudentiùs sum molitus. Siquidem magnum mihi calcar addidit operis: Catholicus atque honestus noster Bibliopola Petrus Bellerus Leodius, huius libri promotor officiosissimus, T. D. studiosissimus. Qui etiam (Domino largiente) cætera viri monumenta in lucem prodire curabit, modò ista primitiarum munera V. D. non intelligantur displicuisse bonæ voluntati. Dominus IESVS, cuius est totum quod est optimum, Illustris. V. D. R. Pater, ad decus Ecclesiæ Leodiensis te seruet, confirmetque in vtroque homine benè valentem, atque decurso vitæ præsentis stadio, transferat in perennem suam gloriam, vbi cum Patre in vnitate Spiritus sancti viuit, & regnat in secula seculorum, Amen. Vale Domine Amplissime.

Datum Antuerpiæ è Cœnobio Prædicatorum pridie Ascensionis Dominicæ, Anno 1575.

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ V. C.
Cliens deditissimus

*F. Damianus à Ligno Dominicanus.*

LECTO-

# LECTORI BENEVOLO
## S. P.

PRODIT *in publicũ Lector Theophile, magno futurus decori ac vsui Eccleſiæ (ſi modò nõ fallat exiſtimatio) quondam S.R.E. Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus, Iacobus de Vitriaco, Doctor in ſcribẽdis ſermonibus exactus, ſed viua voce (quæ D. Hieronymo teſte, magis afficit, hia betq́, neſcio quid latẽtis energiæ) longo interuallo præſtãtior: adeovt omne encomiũ, omnis commendatio ſit infra viri precium, ac dignitatem. Nullus ſiquidem eſt inter tot poſtillarum aut ſermonum myriades, qui ordinem iſtum, vel aliis præmonſtrarit, vel aliundè excogitatum ſit amplexus. Singulis Dominicis totius anni exorditur ab introitu Miſſæ, quem quàm luculenter, quàm ſolidè verſet, ruminet, & trutina iuſta trutinet, dictu eſt ineffabile. Dicas Chriſtianum, alterúmve Ciceronem, tanto nimirum diſcurſu, tanto amplificationis campo ſingula quæque expendit. Quod an verum ſit, vt ab vnguibus (penes prouerbium, leonem digitoſcas, tu ipſe oculatus teſtis magis, quã auritus experimẽtum atq; guſtum ſumito in Dominica. 50. ſpeciatim ad illud Dux mihi eris & enutries me. Sed vereor, ne offendat nimia prolixitas, iuxta Horatianũ illud.* Quicquid præcipies, eſto breuis. Gaudent nanque breuitate moderni. *Demum coactè nonnulla, quaſique obtorto collo, alienius à ſcopo interpretata. Cui reſponſum eſto: Minus culpæ meſſe protractiori, quàm contractiori orationi, (tametſi modus in rebus omnibus ſit optimus). Quis enim neſciat veſtimento humum verrenti, leuius adimi commiſſuram aliquam veterẽ, quàm breuiori aſſui nouam? Prout faciendi plures libros nullus eſt finis.* Scribimus enim indocti, doctiq́; poëmata paſsim: *atque facilè eſt inuentis addere, ſed inuenire, arduũ: ita quoq; facilius eſt inuentis ſubducere, & quod prolixius eſt, ſuccingere. Varij ſunt hominum mores, diuerſa ſtudia, diſcreta ingenia.* Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto viuitur vno, *ſcribit Perſius. Qua propter Concionatorem oportet ſermonem ſuum ſale, gratiaq́, conditum ita inſtituere, quo perſonis, loco, tempori ve ad amuſim quadret. Aliàs ille quidẽ benè dicit, ſed auditor minimè ædificatur. Accedit ad hæc authorem iſtum ingenij ſui acuti exuberantiam eruditionis κυκλοπαιδίας, quibus quàm expeditus, quámve diſertus fuerit, de quouis oblato themate diſſerere, verbáque facere, hac via liquidò manifeſtaſſe. Parum enim proficit Orator (ait quidam) niſi creſcat declamando. Si verò te remorabitur ſubinde, aut moleſtior fiet mendorum occurſus, audi, admitteq́, (obſecro) quam huius ad te profero rationem, ſeu excuſationem. Vnicum ad manum fuit exemplar papyro deſcriptum, à centum triginta amplius annis, tam rude, tam impolitum & ſuccinctum, vt ad ſenſum eruendum nonnunquam coniectura, ſeu Delio natatore prorſus opus fuerit. Communicaut quidem, non grauatè binos tomos, quos theſauri non minimi loco (nec iniuria) ſibi habet membrana ſcriptos: Religioſum Canonicorum Regularium monaſterium Rubeæ Vallis, prope Zoniam, quibus non modicum labor leuatus fuit. Cæterùm vt meus codex aliud continebat ab illo, ſic vice verſa, ille aliud dicebat à meo, non tam verbis, quàm ipſis aliquando mediis, aut integris ſententiis. Ideóque veniam dato offenſis, recordatus illius celebrati dicti :* Quandoque bonus dormitat Homerus, Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnũ : *quod haud dubiũ ſi vſpiã cõmodè iſthic locum obtinet atq; veritatem. Hoc ſi effeceris (vti non diffido) ſecunda editio diligentiori ſtudio & vigilantia recoquetur, curatúmve dabitur, vt quæ*

*prima experientia parum feliciter succesſerant, altera commodius eueniant, & prioris conſilij erratum poſteriore conſilio reſarciatur. Planè iuxta Græcanicam paræmiam* δευτέροις ἀμείνοσι, *quod eſt, Alteris melioribus.*

*Sunt eiuſdem Magiſtri Iacobi ſermones de omnibus Sanctis, etiam illorum quæ non feſtiuè ab omni populo, ſed ſolùm à clero ſeu deuoto fideli populo intra Eccleſiæ parietes celebrantur. Item ſermones communes ac quotidiani omnibus Dominicis, quibus explicatur initium Geneſis prototypum apud me eſt ſcriptum, ſed manus hæreticorum conculcantium, contaminantiumque olim omnia ſancta Domini, finem eorum euulſerunt. Sunt poſtremò ſermones ſpeciales ſecundum diuerſitatem perſonarum, à ſeinuicem officiis, gradibus ac moribus diſcrepantium. Quæ omnia (Domino opem conferente) breui in profectum, & rem ſtudioſorum proſtare ſedulò maturabit Catholicus imprimis atque induſtrius Bibliopola D. Petrus Bellerus, qui nec ſumptum grauem diffugit, nec operæ indefeſſæ pepercit, tantum ne præſens author minus digeſtè vel concinnè, in tuas manus verſaretur. Accedat igitur vtriuſque noſtrum deſideratiſſimis votis, æqui bonique animi, Candide Lector, ingenuus fauor, ſicque meritis vel ſudoribus amborum, condignum ſatis cenſebimus retributum viciſſitudinis præmium: Nam* ſine amore, iociſque, *Authore Horatio,*

Nil eſt iucundum: viuas in amore, iocisque.
Viue, vale: ſi quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

*Datum Antuerpiæ apud Prædicatorum Cœnobium*
*Vigilia Aſcenſionis Domini.*
1575.

# IOANNES TRITHEMIVS
## DE ECCLESIASTICIS SCRIPTORIBVS.

IACOBVS *de Vitriaco Episcopus Achonensis, & posteà Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, Episcopus Tusculanus, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, moribus & vita spectabilis, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit, & crucem contra Albigenses hæreticos glorioſe prædicans, multos fideles in eos Apostolica authoritate signauit.*

*Scripsit non spernendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum posteris notificauit:*

| | |
|---|---|
| Historiam Orientalem | Lib. I. |
| Contra Saracenos | Lib. I. |
| Epistolarum ad diuersos | Lib. I. |
| Vitam Mariæ de Oignies | Lib. III. |
| De sanctis mulieribus Leodien. | Lib. I. |

*Alia insuper nonnulla composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Frederico Imperatore secundo, Anno Domini M. CC. XX.*

Hoc Homiliarum opus, quo scripturæ sacræ doctissimè & clarissimè exponuntur, & vtilissimum & dignissimum est vt imprimatur & legatur.

Ita est, Henricus Zebertus Dunghen
Canonicus Antuerp. S. T. D.

Liber iste nihil continet Catholicæ Romanæ Ecclesiæ contrarium, quin doctus est & vtilis, dignusque qui multorum teratur manibus.

Simon Moors Canonicus Antuerp.
Theol. Licentiatus.

# IOANNES TRITHEMIVS
## DE ECCLESIASTICIS
## SCRIPTORIBVS.

# Incipit Proëmium D. Iacobi de Vitriaco in Sermones Dominicarum totius anni.

## DE EXERCITIO ANTIQVORVM ET STVDIO EORVM IN DIVINIS SCRIPTVRIS.

MVLTI cibi in noualibus Patrum, qui non sibi soli laborauerunt, sed & nobis, qui introiuimus in labores eorum. Patres enim thesaurizant filiis: ipsi verò de thesauris suis noua & vetera proferentes, fontes suos foras deriuare diligenter studuerunt, & aquas suas diuiserunt in plateis. Aurum suum & argentum igne Spiritus sancti conflantes, & verbis suis facientes statera, dum benè viuendo dictis suis pondus adiicientes musicam non impedierunt, sed corde, ore, & opere, idipsum sapientes, & in vnam harmoniam cõuenientes, dulces modulos & suaue Epithalamium sponso & sponsæ cecinerunt. Facientes ipsi spõsæ murenulas aureas vermiculatas argento, id est, scripturarum sententias auro diuinæ sapientiæ, & argento cœlestis eloquij splendentes ministrantes ei. Operantes autem iuxta Domini consilium, cibum, qui non perit, ex arboribus, quarum radices in cœlo plantatæ sunt: quarum fructus sunt in cibum, & folia in medicinam. Multorum animas ipsi à Domino satiati, satiauerunt, sicut scriptum est: Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Et quoniam ipsi docti in populos plurimos docuerunt, secundum prophetiam Danielis: Fulgent coram Domino quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates: eò quod ad iustitiam erudierunt multos, & talentum sibi commissum, Domino reportauerunt cum vsuris. Et quoniam scriptum est: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, ex his quæ de pascuis, & noualibus eorũ pascendo, & assiduè ruminando congregare potuimus, velut Ruth, post messores Boos spicas colligendo, velut Apostolus sarmenta, quibus ignem succendentes, calefiamus, in vnum congregando: sicut sine fictione didicimus, ita paruulis sine inuidia communicauimus. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes, sicut scriptum est: Congregationi pauperum affabilem te facito: & quoniam melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis: sermonem nostrum à lectione simplicium fratrũ alienum facere non procurauimus, simplici & humili stylo ad ædificationem paruulorum scribentes, non verborum phaleris, nec sermonibus imperitis sententias inuoluentes: malentes instruere simplices & infirmos, quàm delectare curiosos. Scimus enim quod ægroti Medicos eloquentes non quærunt: sed prudentes, benignos, & curare scientes. Verbum enim veritatis non à fabrica procedit, sed à natura. Verba cœlestis Philosophiæ non ornatum quærunt, sed profectum. Musica enim in luctu, importuna narratio. Econtrà verba sapientiæ secularis velut meretrix ornata & improba non sibi sufficiunt, nisi coloribus adulterinis depingantur. Nos autem ita simplicibus & mediocriter literatis condescendimus, quod idiotis, quibus prædicare non expedit, sermones nostros aliquantum signando & claudendo non permisimus. Melior est enim humilis auditor, quàm imperitus prædicator. Et quoniam dulcis est bonorum commixtio, & erit salus vbi multa consilia, secundum quod scriptum est: Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis: ex quatuor speciebus aromaticis, velut electuarium animarum, & spirituale antidotum, non sicut debuimus, sed prout potuimus studuimus conficere: scilicet, ex authoritatibus scripturarum noui & veteris testamenti, ex sanctorum Doctorum & expositorum variis ac moralibus sententiis, ex sanctorum Patrum vita & exemplis, ex rationibus & similitudinibus secundum naturas animalium & proprietates inanimatorum, diuinis sententiis propter laicos & simplices adaptatis. Ex his autem ferculis, quantum satis est, cum omni sobrietate manducare oportet. Dives enim & liberalis paterfamilias hospitibus inuitatis, plerunque plura fercula copiosè apponit. Qui autem sapiens est & sobrius, non omnia sibi apposita deuorat, sed quantum sibi sufficit manducat, iuxta Sapientis cõsilium: Mel inueneris, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud. Attendat igitur prudens Lector, & cautus Prædicator, ne fortè quæcunque inuenerit scripta in vno sermone, velit vno die maximè laicis prædicare. Melius est enim quod in appetitu audiendi adhuc dimittantur, quàm prolixitate grauentur. Totum enim spiritum suum profert stultus: sapiens autem differt, & reseruat in posterum. Ob hoc enim plerunque in vno sermone plura collegimus, vt copiosum, & non superfluum redderemus prædicatorem. Qui secundum qualitatem temporis, & circunstantias personarum, quæ necessaria sunt, debet eligere, & alia quæ relinquit, alteri tempori reseruare: vt sciat declinare ex hoc in hoc, prout viderit expedire. Verba enim prudentium, statera ponderabuntur, iuxta illud quod Sapiens ait: Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo melior. Et Philosophus ait: Cùm legere non possis, quantum habueris: satis est habere, quantum legas. Quando verò in conuentu & congregatione sapientum Latino idiomate loquimur, tunc plura dicere possumus, eò quòd ad singularia non oportet descendere: laicis autem oportet quasi ad oculum, & sensibiliter omnia demonstrare, vt sit verbum prædicatoris apertum, & lucidum, velut gemmula

*Parab.13.* *Parab.5.* *Eccles.30.* *Cant.1.* *Parab.11.* *Daniël.12.* *Iob 1.* *Ruth.2.* *Parab.25.* *Parab.20.* *Eccles.21.* *Eccles.30.*

*Quod de scripturis tã antiquorũ quàm nouorum doctorum Author hoc opus excerpsit.*

*Quod stylo mediocri & humili propter simplices vti voluit scriptor.*

*Quod verbũ veritatis superfluum non quærit ornatum, sicut verba secularia.*

*Quod aliquantũ clausit sermones propter idiotas.*

*Quod aliter clericis, aliter laicis est prædicandum.*

Eccles.39. Eccles.44. mula carbunculi in ornamento auri. Scriptum est enim: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Sicut autem vitiosi doctoris est manifesta exponere: ita sapientis est obscurè dicta paucis declarare, & locis idoneis singula adaptare. Mala enim aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Econtrà autem de stulto prædicatore dicitur: Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.

Parab.24. Eccles.20.

*Quod totum opus distinguitur secundum varietatem diuini officii.*

Distinximus autem hoc opus præsens, secundum distinctionem Ecclesiastici officij, quod diuiditur in quinque partes: Quarum prima pertinet ad tempus reuocationis, quod est Prophetiæ & doctrinæ, à principio Aduentus Domini vsque ad Natiuitatem. Secunda ad tempus deuiationis, quod est culpæ & pœnæ: à Septuagesima vsque ad Octauas Paschæ.

Tertia ad tempus reconciliationis, quod est dilectionis: à Pascha vsque ad Octauas Pentecostes. Quarta ad tempus peregrinationis, quod est luctæ & pugnæ: ab Octauis Pentecostes vsque ad Aduentum Domini. Quinta pars ad Sanctorum solemnitates pertinet, qui nobis sunt exempla iustitiæ.

*De tẽporibus deuiationis, reuocationis, reconciliationis, & peregrinationis.*

Tempus deuiationis fuit ab Adam vsque ad Moysen, quod comparatur Hyemi, propter frigus infidelitatis: & nocti, propter tenebras ignorantiæ & peccati. Tempus reuocationis fuit à Moyse vsque ad Christum: & comparatur Veri & manè, quia tunc cœpit peccatum aperiri & apparere. Tempus reconciliationis fuit à Natiuitate Domini vsque ad Ascensionem eius, in quo Christus visibiliter apparuit mundo, & erat Deus in Christo mundum reconcilians: comparatur Æstati & meridiei, propter Christi feruentem dilectionem. Tempus peregrinationis fuit ab Ascensione vsque in finem mundi: & comparatur Autumno & vesperæ, propter plenitudinem, & quia in fine eius ventilator areæ granum à paleis separabit. Tempus deuiationis comparatur homini deuianti in peccato. Tempus reuocationis, homini reuocato in Baptismo. Tempus reconciliationis, homini progredienti in opere bono. Tempus peregrinationis, homini egredienti in morte. Addito igitur his quatuor, quinto scilicet, de festiuitate Sanctorum, patet quod officium Ecclesiæ, secundum cursum totius anni, est Quinquepartitum.

Matth.3. Luc.3.

*Quod in sex partes totũ opus diuiditur.*

Nos autem ad maiorem operis perfectionem, sextam in Sermonibus nostris addidimus partem, secundum diuersitatem personarum à seinuicem diuersis officiis, & moribus differentium, proprios & speciales Sermones subiungendo: Ad Prælatos, ad Sacerdotes in Synodo, ad Monachos & Moniales, & alias Regulares personas, ad Scholares, ad Peregrinos, & Cruce-signatos, ad Milites, ad Mercatores, ad Agricolas, & Mercenarios, ad Seruos & Ancillas, ad Virgines, & Viduas, & Coniugatas. Secundum enim varietatem personarum oportet non solùm variare Sermones, sed & sententias, & plerunque loquendi modum & scribendi stylum. Non enim competit omnibus morbis vnum emplastrum.

*Quod in qualibet Dominica tres apposita sunt sermones.*

Et quoniam identitas generat fastidium, & aliqua placent vni, & alia alij, in officio cuiuslibet Dominicæ tria themata ponentes, & tertium plerunque prolixius exponentes, diuersis hominum generibus satisfacere curauimus, paruos, mediocres, & maiores contexendo sermones: vt ad imitationem mensę Domini, non solùm ex cyathis potum parcius ministremus, sed insuper ex phialis latioris prædicationis poculum largius propinemus. Quandoque enim quasi roris guttas stillare debent Doctores, quandoq; pluuiam doctrinæ copiosius effundere, iuxta qualitates temporũ, & capacitatem auditorũ, vt in eis impleatur quod scriptũ est: Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel. Et iterum: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. Quidam autẽ non multũ possunt vacare studio aut lectioni: quibus quędam themata breuiter exposuimus, materiam eisdem ministrantes, iuxta illud: Da sapienti occasionem, & reddetur ei sapientia. Gloria enim Regum inuestigare sermonem. Alij magis vacare possunt studio, & intendere lectioni, qui tamen magis mediocritate sermonum delectantur, & prolixis sermonibus plerunque tædio afficiuntur. Sunt alij ab omni occupatione seculari remoti, quieti, contemplationi & studio scripturarum dediti, quorum omnis narratio in præceptis altissimi, pedem suum iniicientes in compedes sapientiæ, & in torquem illius collum suum, exquirentes eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effodientes, qui tanquam vectes supersunt in annulis arcæ, qui rotam in medio rotæ, & librum scriptum intus & foris semper gaudent inspicere: quibus volumen diuinæ scripturæ non solùm in ore, sed velut mel dulce est in corde, dum in lege Domini meditantur die ac nocte. In quibus impletur illud, quod de sapientia dicitur: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. In quorum persona Ecclesiasticus de sapientia dicit: Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. non enim habet amaritudinẽ conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium. Illis diligentius & plenius copiosæ prædicationis doctrinam in maioribus sermonibus curauimus ministrare. Audiens enim sapiens, sapientior erit: & intelligens gubernacula possidebit. Si quis autem compendio delectatur, pluribus prætermissis authoritatibus, quibus morales sententias multipliciter confirmamus, & vna sola retenta, omnes sermones nostros ad compendium poterit reducere. In his autem sermonibus, quos plenius & perfectius prosequimur, principia ad incitationem & instructionem auditorum præponentes, triplici varietate ea distinximus. Primò ad commendationem diuinæ scripturæ,

*Quod quidam sermones breuiores, alii prolixiores, propter diuersitatẽ lectorũ, auditorum.*

Parab.20. Parab.25. Eccles.6. Prouerb.2. Ezech.1. Apoc.5.

Sapie.8.

*Quod dimissis pluribus cõcordatis, & paucis retẽtis, breuiari possunt sermones.*

& cœle-

& cœlestis sapientiæ virtutem & efficaciam verbi Dei, per comparationem diuersarum rerum ostendentes. Secundò quales esse debeant, quàm cauti & diligentes qui verbum Dei prædicant, in ipsis principiis declarantes. Tertiò qualiter & à quibus audienda sit cœlestis doctrinæ prædicatio subiungentes.

*Prouerb.24.* Et quoniam in Prouerbiis scriptum legimus: Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt posteà ædifices domum tuam: non solùm ne dispersa perirent, sed vt ea parata, & quasi ad manum facilè reperirentur, in vno volumine compegi: & specialiter ad vtilitatem eorum, qui diuersis scripturarum voluminibus carent, & sanctorum Doctorum expositiones, quæ variis continentur codicibus, non habent. Sapientis autem vsus consilio, qui ait: In multitudine prudentium Presbyterorum sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere. Et iterum: Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis.

*Quod cũ magna diligentia, & longo stylo scriptor materiã sermonum cõgregauit eis qui librorũ copiã non habẽt.*

*Eccles.6.*

*Eccles.8.*

A pluribus Magistris, & sapientibus audiui, & multorum expositorum volumina reuolui, quæ ad vtilitatem legentium, ad fidei, scilicet, institutionem, & morum informationem in vnam redegi seriem voluminis: Vt prædicatio eruditionis, exhortationis, increpationis, & correctionis, excitationis, & consolationis, ignorantiam in auditoribus illuminet, marcentia excitet, tumida domet, fluida coërceat, soluta constringat, cupiditates exstirpet, & demùm omnia vitiorum monstra eliminet.

*De diuersitate prædicandi, & multiplici prædicatione, & varios effectu prædicationis.*

Nec dubium esse potest, quin verbum Domini hæc omnia facere possit, si quis virtutem & efficaciam eius considerat, & aduertit. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Verbum enim Domini in virtute, verbum Domini in magnificentia.

*De virtute et multipliti efficacia verbi Dei.*

*Hebr.4.*

VERBVM enim Domini non solùm mortuos in corpore suscitabit in iudicio, sed nunc mortuos in anima resuscitat. Vnde & in Euãgelio: Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.

*Viginti tres virtutes verbi diuini enumerantur.*

*Ioan.5.*

Infirmos in anima sanat. Vnde in libro Sapientiæ: Non herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat vniuersa.

*Sapien.16.*

Languentes & remissos viuificat, & tædio affectos ne deficiant, confirmat, & corroborat. Vnde Psalmus: Secundum eloquium tuum viuifica me. Et iterum: Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.

*Psal.118.*

Inuidos & sordidos mundat. Vnde in Euangelio: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.

*Ioan.14.*

Animas conuertit, & ad pœnitentiam prouocat. Vnde in Psalmo: Lex Domini immaculata, conuertens animas. Et in cantico Abacuc: Audiui, & conturbatus est venter meus. Et in Apocalypsi: Cùm deuorassem eum librum, amaricatus est venter meus: quia qui addit scientiam, addit dolorem.

*Psal.118. Abacuc 3. Apoc.10. Eccles.1.*

Errantes corrigit, & gressus hominis dirigit. Vnde in Psalmo: In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos. Et iterum: Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.

*Psal.118.*

Animam à peccato custodit. Vnde in Psalmo: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

*Psal.118.*

Tentationum ardorem refrigerat. Vnde in Psalmo: Vox Domini intercidentis flammam ignis.

*Psal.28.*

Carnalem tollit delectationem. Vnde Moyses in Cantico: Gladius meus deuorabit carnes. Et Hieronymus: Ama scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis.

*Deut.32.*

Terrenam tollit cupiditatem. Vnde Iob: Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terram, id est, terrenitatem.

*Iob 12.*

Illuminat oculos. Vnde in Psalmo: Præceptum Domini illuminans oculos. Et iterum: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

*Psal.118.*

Corda frigida calefacit. Vnde in Euangelio: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret scripturas? Et in Psalmo: Ignitum eloquium tuum vehementer.

*Luc.24. Psal.118.*

Corda arida rigat, & fructificare facit. Vnde Apostolus ad Hebræos: Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam oportunam illis à quibus colitur: accipit benedictionem à Deo. Et in Psalmo: In stillicidiis eius lætabitur germinans.

*Hebr.6. Psal.64.*

Muros penetrat. Vnde Apostolus: Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.

*Hebr.4.*

Pigros stimulat & excitat. Vnde Salomon in Ecclesiaste: Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.

*Eccles.12.*

Animam emollit & liquefacit. Vnde in Canticis: Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est. Et in Psalmo: Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.

*Cant.5. Psal.147.*

Contra sagittas inimici animam protegit, & munit. Vnde in Parabolis: Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se.

*Parab.30.*

Militan-

*Isa.58.* Militantes in castris Domini ad pugnandum animat. Vnde Isaias: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.

*Matth.4.* Esurientes pascit & satiat. Vnde Dominus in Euangelio: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

*Ioan.4.* Sitientibus potum propinat, & sitim extinguit, & sedat. Vnde Dominus in Euangelio: Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum. Aquæ putei Iacob, sunt aquæ diuinæ scripturæ.

*Ezech.1.* Superbos humiliat. Vnde in Ezechiële: Cùm fieret vox super firmamentum, quod erat super caput animalium, stabant, & submittebant alas suas.

*Psal.32.* Mentes spiritualium confirmat. Vnde in Psalmo: Verbo Domini cœli firmati sunt.

*Ezech.2. Ioël.3.* Mentes audientium dulcedine spirituali reficit, & recreat. Vnde in Ezechiële: Et comedi illud, scilicet, volumen, & factum est in ore meo quasi mel dulce. Et Propheta Ioël: Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.

*Iacob.1.* Animam saluat, & æternam beatitudinem præstat. Vnde Iacobus in Epistola canonica: Cum mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Et

*Luc.11.* Dominus in Euangelio: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

*Conclusio proëmii.* Orate igitur Dominum Fratres, vt virtus verbi Domini, & lex
eius immaculata animas nostras conuertat,
& in bono corroboret
& confirmet.
Amen.

DOMINICA

# DOMINICA PRIMA
## IN ADVENTV DOMINI.
### THEMA DE INTROITV MISSÆ,
### SVMPTVM EX PSALMO.

*Ad te leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Neque irrideant me inimici: etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur.* Psalm.24.

BREVIS in volatilibus apis: sed initium dulcoris habet fructus eius, sicut in Ecclesiastico dicitur. Huius apis mellifluum in carne aduentum omnes antiqui Patres multis suspiriis & desideriis, multis gemitibus & lachrymis præuenerũt. Initium enim dulcoris fructus eius: initialis dulcedo, fructus incarnationis ipsius. Depositus enim apis, id est, Christus aculeum, veniens in misericordia, & suauitate: quem resumpturus est in fine, quando veniet cum iustitia, & districtione. In aduentu igitur ipsius, per quem innouata sunt omnia, hodiè renouatur officium Ecclesiæ: in quo supprimuntur quædam cantica lætitiæ, scilicet, Gloria in excelsis: Te Deum laudamus: retinet autem Ecclesia Alleluya. Sancti enim ante Christi aduentum partim erant in gaudio propter certam spem liberationis: partim in tristitia propter tædium longæ expectationis. Vnde Dauid ait: Dormitauit anima mea præ tædio. Et Dominus in Euangelio: Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Ex hoc autem antiquorum Patrum tam feruenti desiderio reprehenditur ignauia, & negligentia nostra, & languor tæpiditatis nostræ, qui de eius præsentia parum gaudemus: cùm antiqui Patres tantùm desiderarent absentem, delectati sunt odore, & nos non delectamur sapore: currebant post odorem vnguẽtorum eius, & nos gustu præsentiæ eius non allicimur, fastidientes manna cum Iudæis reprobis, & gratiam oblatam respuentes. De quibus Propheta ait: Omnem escam abominata est anima eorum: pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Sancti autem ante Christi aduentũ attendentes defectus suos, & infirmitates desiderabant ægroti Medicum, naufragi portum, famelici cibum. Aspirabant exules ad patriam, fessi ad requiem, exclusi ad ostium, lugentes ad solatium, venundati ad redemptionem, captiui ad liberationem: animas suas, quæ ex peccato, & corruptione primorum parentum quasi languidæ longo tempore depressæ iacuerant, spe & desiderio liberationis suæ leuantes ad Dominum, & maximè postquam dictum fuit Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Vnde chorus Patriarcharum & Prophetarum dicebat: Ad te leuaui animam meam, Deus meus, spirituali, scilicet, desiderio, quæ depressa fuit in casu primi parentis, iuxta illud: Filij hominum vsquequo graui corde. Sed releuata est, spe futuræ liberationis. Ad te leuaui animam meam: ne sicut granum in terra conculcetur, & computrescat. Leuaui, terrena despiciens, & ad supernam beatitudinem aspirans. Facilè autem terrena, & ima despicit, qui ad diuina & excelsa aspicienda se erigit. Vnde sancti leuabant animas per desiderium ad amplexandum: leuabant oculos, rationem, scilicet, & intellectum ad contemplandum, sicut scriptum est: Ad te leuaui oculos, qui habitas in cœlis. Leuabant capita spiritualiter ad exultandum, sicut scriptum est: Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. Leuabant cor ad diligendum, sursum habentes corda ad Dominum, sicut scriptum est: Accedet homo ad cor altum. Et iterum: Ascensus eius in corde suo disposuit. Leuabant manus ad operandum pro æternis, & genua ad sustinendum patienter aduersa, sicut ait Apostolus: Manus remissas, & genua debilia erigite. Et Ieremias ait: Leuemus animas nostras cum manibus ad Deum. Leuabant pedes affectuum ad ambulandum obuiam Domino, sicut scriptum est: Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Dicit ergo vniuersitas sanctorum ante Christi aduentum: Ad te leuaui animam meam, Deus meus: ad aduentum tuum suspiro, aspiro, & respiro, dum te venturum ad me liberandum spero certissimè. In te confido, non erubescam, aufer opprobrium meum, tolle ignominiam, dele iniquitatem meam, iam non imputa mihi peccatum, redde mihi vestem innocentiæ, vt operiatur nuditas mea, quam contraxi ex patre meo Adam: aufer opprobrium meum. Gratis enim venundatus sum sub peccato, quasi pro nihilo, pro modica, scilicet, voluptate tradidi me diabolo. Neque irrideant me inimici mei. Iam de cætero non præualeant aduersum me, neque improperent aliquid dignum irrisione, irrideantur ipsi, non irridear ego: paueant ipsi, & non paueam ego: confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego. Etenim vniuersi qui te expectant, patienter ferendo pondus diei, & æstus, non confundentur. Ego autem expecto te, desidero te, quæro te. Dulcis es Domine quærenti te: quantò magis inuenienti te? Ecce fratres charissimi, quanto desiderio flagrabant Patres antiqui tempore tempestatis, expectantes serenitatem, & quasi auiculæ clausæ, petentes, & clamantes:

Eccl.11. De desiderio expectantium Christi aduentum in carne. Psalm.118 Matth.13. Luc.10. Cant.2. Num.21. Gene.22. De multiplici eleuatione. Psalm.4. Luc.8. Psalm.122. Luc.21. 1.Thes.4. Hebr.12. Thren.3. Breuis expositio thematis. Isaiæ 52. Rom.7. Mat.20.

*Variæ ponuntur authoritates, & prophetiæ, quibus prænunciatus est Christus.*
*Aggei. 2.*
*Genes. 2.*
*Isaiæ. 7.*
*Matthæi 1.*
*1. Corint. 6.*
*Genesi. 8.*
*Isaiæ 28.*
*Ephe. 2.*
*Daniel. 9.*
*Ieremiæ 23.*
*Nume. 23.*
*Genesis 14.*
*Genesis 9.*

Educ de carcere animam meam: rogantes, & obsecrantes, & postulantes, quæ ad pacem sunt Hierusalem, vt veniret desideratus cunctis Gentibus, os ex ossibus nostris, & caro ex carne nostra: vt fieret secundus Adam, sicut vnus ex nobis, Emanuël, nobiscum Deus, non solùm per gratiam, sed per naturæ conformitatem, vt essent duo in carne vna: vt in vespere mundi contra diluuium peccatorum columba nobis afferret ramum olyuæ, pacem annuncians his qui propè, & his qui longè erant: vt lapis angularis in se duos parietes coniungeret, consummaretur præuaricatio, & finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna, & impleretur visio, & prophetia, & inungeretur sanctus sanctorum (sicut prædixerat Daniël): Vt regnaret Rex sapiens, & faceret iudicium & iustitiam in terra (sicut prædixerat Ieremias): vt (secundum vaticinium Balaam) oriretur stella ex Iacob, & exurgeret homo ex Israël, in cuius diebus oriretur iustitia, & abuntia pacis, donec auferatur Luna: vt inclinaret cœlos, & descenderet, & caligo, id est, caliginosus diabolus sub pedibus eius conculcaretur: vt respiceret Dominus, super castra Ægyptiorum per columnam ignis diuinitatis, & nubis humanitatis & castra Pharaonis destrueret: vt poneret Dominus arcum suum in nubibus in signum fœderis inter ipsum, & terram, in quo esset color igneus, quo ad diuinitatem, aqueus verò, quo ad humanitatem: vt visa humanitate recordaretur fragilitatis nostræ, sicut scriptum est: Respice in faciem Christi tui. Vt egrederetur Isaac in vespere mundi ad meditandum in agro, ad operandum studiosè salutem nostram in medio terræ, & coniungeret sibi Rebeccam, id est, Ecclesiam acciperet sibi vxorem. Vt veniret Ioseph ad fratres suos in Dothaim, quæ interpretatur defectus, id est, in defectum huius miseri exilij. Vt descenderet verus Moyses videre fratres suos, & percuteret Ægyptium, id est, diabolum, & vxorem duceret Æthiopissam, id est, vocatam de Gentibus Ecclesiam. Vt mitteretur Dauid videre fratres suos, & percuteret Goliam. Vt sederet Salomon noster Rex pacificus super thronum patris sui, iudicans populum in sapientia. Vt faceret Iacob filio suo Ioseph tunicam polymitam, variis virtutum coloribus depictam. Vt veniret verus Helizæus, deambulans huc atque illuc prædicando, & aptaret se paruo generi, scilicet, humano per conformitatem incuruando se, & exinaniendo clauso ostio cœnaculi, quia virgo non amisit virginitatem: & ita puer mortuus suscitaretur ab eo. Vt veniret vir indutus lineis, id est, carne mundissima, habens atramentarium scriptoris ad renes: quia in humanitate sua veniet scribere, & iudicare peccata, quæ non fuerunt per pœnitentiam deleta, sicut Ezechiëli Dominus ostendit. Vt lapis præcisus de monte sine manibus, id est, Christus de gente Iudæorum sine humana operatione confringeret multiformem statuam Nabugodonosor, id est, vniuersam mundi huius gloriam, quæ est imago, vmbra, fumus, vapor, & somnus. Vt veniret verus Ionas in ciuitatem Niniuæ, id est, in hunc mundum prædicare verbum pœnitentiæ: vt diceret his qui vincti sunt, (secundum quod prædixerat Isaias) exite: & qui in tenebris, reuelamini: vt mederetur contritos corde, & prædicatet captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, & prædicaret annum placabilem Domino, cuius hyems in lachrymis pœnitentium. Ver in cognitione bonorum operum: Æstas in ardore perfectionis: Autumnus in remuneratione boni operis. Vt viderent omnes fines terræ salutare Dei nostri. Vt veniret quasi ignis conflans, & quasi herba fullonis peccatorum sordes emundans. Vt oscularetur sponsus sponsam osculo oris sui, & reconciliaretur nobis, mittendo filium per incarnationem, & præsens ore suo loqueretur, qui loqui solebat absens per Prophetas. Vt osculatetur sponsam sponsus speciosus forma præ filiis hominum, cuius thalamus virginitas, cuius thorus castitas, cuius visus contemplatio, alloquium oratio, contactus interna dulcedo, osculum mentis tranquillitas, amplexus æterna iucunditas. Oscularetur non quasi dentibus mordendo, & increpando seruos, sed dulciter visitando & consolando filios. Oscularetur osculo diuinitatis ad humanitatem per incarnationem, osculo Dei ad hominem per charitatem & concordiam: osculo hominis ad Angelum, vt suppleret ruinam lapsorum: osculo hominis ad hominem, faciendo vtraque vnum. Duo labia sponsi, remissio culpæ & promissio vitæ: duo labia sponsæ, confessio peccatorum, & confessio laudis, seu gratiarum actio. Vt conuerteret praua in directa, & aspera in vias planas: vt poneret desertum Gentium in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum, sicut prædixerat Isaias: Vt daret in solitudinem huius exilij, (sicut idem Isaias ait) cedrum, id est, sanctos boni odoris, & imputrescibiles, & spinam, id est, sanctos verbis prædicationis corda audientium pungentes, & myrtum, quæ temperatæ naturæ est, id est, sanctos in ardore tribulationis positos consolarentur, & eorum dolores vitiorum medicamine temperarent, & oliuam, per opera misericordiæ, & abietem per contemplationis celsitudinem, & vlmum, quæ sustentat vites fructiferas, id est, eos qui recipiunt Propheram in nomine Prophetæ, qui, scilicet, viros spirituales sustentant, & cœlestium bonorum botros, quos gignendo ferre non valent, sustinendo ferunt, & buxum, hos, scilicet, qui viriditate boni exempli mentium oculos clarificant, & confortant. Vt veniret verus Samaritanus, & fauciati vulnera vinum & oleum infundens, alligaret. Vt veniret pastor pius, & ouem errantem humeris propriis ad ouile cœleste reportaret. Hoc ergo sanctorum Patrum desiderium his diebus repræsentat Ecclesia, & maximè in fine aduentus per septem Antipho-

*Genesis 24. Quod Isaac & Iacob, & Moyses, & Dauid, & Hëlyseo, viro induto lineis, & lapide præcisso de monte sine manibus, & Iona præfiguratus est Christi aduentus: & multipliciter ostenditur ad quid venerit.*
*Genesis 27.*
*Exodi 2.*
*1. Regum 17.*
*Genesis 38.*
*4. Regum 4.*
*Ezechias 9.*
*Daniel 2.*
*Ionas 3.*
*Isaiæ 49.*
*Isaiæ 61.*
*De quatuor partibus anni placabilis Domino.*
*Malach. 3.*
*Isaiæ 52.*
*De osculo sponsi & sponsæ.*
*Cantic. 1.*

*Ephes. 2.*

*Isaiæ 40.*

*Matthæi 10.*

*Lucæ 10.*
*Lucæ 15.*
*De Samaritano vulnera alligante, & pio pastore ouem reportante.*

nas, quæ

nas, quæ cantantur voce alta ad exprimendum intensum desiderium, quod habebant Patres antiqui, petentes aperiri septem signacula, quæ nemo aperire potuit, nisi Leo de tribu Iuda. Prima enim, scilicet, O sapientia, quæ ex ore altissimi prodisti: pertinet ad missionem filij, propter mysterium incarnationis, & ipsius natiuitatem. Secunda, O Adonay, & dux domus Israël, pertinet ad baptismum, in quo per aquas maris rubri educimur de carcere Pharaonis in columna ignis diuinitatis, & nubis humanitatis. Tertia, scilicet, O radix Iesse, quæ stas in signum populorum: pertinet ad crucem & passionem eius, quando positus fuit tanquam signum ad sagittam, in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum cui contradixerunt. Quarta, scilicet, O clauis Dauid, & sceptrum domus Israël veni, & educ vinctum de domo carceris: pertinet ad descensum eius in infernum. Quinta, scilicet, O oriens, splendor lucis æternæ, & Sol iustitiæ: pertinet ad resurrectionem, in qua splendor lucis æternæ cordibus credentium illuxit. Sexta, scilicet, O Rex Gentium, & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis vtraque vnum: pertinet ad ascensionem, per quam Christus vtrunque parietem iunxit in se lapidem angularem. Septima, scilicet, O Emanuël, Rex & Legifer noster: pertinet ad confessum ad dexteram, vbi regnat cum Patre in æterna beatitudine. Hæ sunt septem corrigiæ, quibus colligatum erat calceamentum diuinæ potentiæ, quod Ioannes se indignum soluere professus est. Dominus autem has corrigias soluit: hæc septem signacula aperuit, dum in se prædicta sacramenta completa ostendit. Circa hæc & alia, quæ Christus in carne completurus erat, antiquorum Patrum versabatur desiderium, qui diligenter inquisierunt, & in scriptis suis memoriale posteris reliquerunt de salute humani generis per mediatorem Dei & hominum futura. Vnde Petrus in Epistola canonica: De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetarunt, scrutantes quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi. Hæc sunt verba Petri. Non solùm autem de salute & redemptione nostra, sed de modo & ordine liberationis nostræ diligenter prænunciantes, quis, & quantus esset qui ad redemptionem nostram mitti deberet: vnde, & quomodo, & quibus viis, qualiter, & ad quid, & ad quos, & quot modis venturus esset. Intueamur & nos cum ipsis quis, & quantus sit iste, qui ingressus est ad saluandas Gentes. Ipse quidem altissimi filius, eiusdem cum patre dignitatis, & nobilitatis. Nam & filij Regum Reges sunt, & filij Principum Principes. Vnde Isaias: Videbunt Gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclitum tuum. Ille qui erat Alpha & Ω in se, creator in mundo & rector, in Angelis decor & sapor, in reprobis terror & horror: factus est in electis redemptor & adiutor. Ipse admirabilis Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, omnipotens omnium Creator, immensus sine quantitate, æternus sine tempore, incomprehensibilis sine loco: cui seruiunt omnis populus, tribus, & linguæ. Hic est Deus noster: non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël electo suo. Post hæc in terris visus est, cum hominibus cõuersatus est: aperta est enim terra, & germinauit Saluatorem. Hortus, scilicet, conclusus sine sui corruptione fructum protulit, sed virginitatem non amisit. Innouauit Dominus signa, & immutauit mirabilia. Primus enim Adam fuit de virgine terra: secũdus Adã de Virgine fœmina. Primus Adam fuit vir in ipsa creatione: secundus Adam fuit vir in ipsa conceptione, sicut scriptum est in Ieremia: Nouum faciet Dominus super terram, mulier in vtero circundabit virum. Ecce quis, & quantus venit. Sed vnde venit? A summo cœlo egressio eius. Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter: à cœlo empyreo vsq; ad infernum, ad quem consummata redemptione nostra, postquam omnia media suauiter disposuit, descendit. Visitauit nos oriens ex alto. Venit enim nomen Domini de longinquo de sinu Patris in vterum Virginis, de cœlesti patria in exilium nostræ mortalitatis. Dedit nobis Dominus sedium suarum assistricem sapientiam, sibi, scilicet, coëqualem. Inclinauit cœlos, & descendit: dirupit cœlos, & venit. Omnipotens sermo Patris à regalibus sedibus venit, misericordia & benignitate sua sursum impellente, miseria nostra deorsum trahente, sicut scriptum est: Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. De cœlo in terram prospexit, vt audiret gemitus compeditorum. Vnde Psalmista ait: Emitte manum tuam de alto. Nunc verò quibus viis venerit, videamus. Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Vnde Psalmista: Deus meus, impolluta via eius. Venit ergo Dominus ad nos per viam pulchritudinis & castitatis, per viam mansuetudinis & pacis, per viam misericordiæ & veritatis, per viam iustitiæ & æquitatis, per viam afflictionis & laboris, per viam humilitatis & paupertatis. Et nos eisdem viis occurramus obuiam illi, per viam, scilicet, pulchritudinis & castitatis contra luxuriam, per viam mansuetudinis & pacis contra inuidiam & iram, per viam misericordiæ & veritatis contra auaritiam, & fraudem, per viam iustitiæ & æquitatis contra rapinam & violentiam, per viam afflictionis & laboris contra gulam, & quamlibet carnis voluptatem, per viam humilitatis & paupertatis contra superbiam & mundi huius vanitatem. Propterea ait: Vias tuas Domine demonstra mihi. Et iterum: Docebit mites vias suas. Vt, scilicet, patemus viam Domino ad corda nostra, & rectas faciamus semitas Dei nostri: vt per eas non nisi ad cœlestem patriam tendamus, corrigendo vias nostras, ne sint prauæ: dirigendo, ne sint distortæ. Principalis autem via per quam Dominus venit ad nos fuit beata Virgo,

*Apocalyp. 5.*
*Ecclesiast. 24.*
*Exodi 13.*
*Isaiæ 11.*
*Thren. 3.*
*Luc. 2.*
*Apocalyp. 3.*
*Isaiæ 22.*
*Zach. 3. & 6.*
*Aggei 2.*
*Ieremiæ 10.*
*Isaiæ 28.*
*Ephes. 2.*
*Isaiæ 7.*
*Ioan. 1.*
*1. Timoth. 2.*
*1. Petri 1.*
*Quis, quantus dignatus est ad nos descendere.*
*Hebr. 7.*
*Isaiæ 62.*
*Apocal. 22.*
*Isaiæ 9.*
*Daniel. 7.*
*Baruch. 3.*
*Isaiæ 45.*
*Cantic. 4.*
*Eccles. 24.*
*Ieremiæ 5.*
*Vnde venerit.*
*Psalm. 18.*
*Luc. 1.*
*Isaiæ 30.*
*Sapien. 9.*
*Isaiæ 44.*
*Sapien. 18.*
*Quibus viis venerit.*
*Parab. 3.*
*Isaiæ 40.*
*Quod principalis via venit beata virgo Maria.*

3. Regum 10. in qua fecit Salomon noſter thronum grandem de ebore, carnem ex ea aſſumendo. Elegit enim virginem incorruptam, ne vinũ nouum mitteret in vtrem veterem. Hæc fuit illa virgo

3. Regum 1. Cantic. 5. Gene. 28. quæ quæſita eſt, vt calefaceret Dauid ſine ſui corruptione. Non enim Synagoga poterat eum calefacere, licèt operiretur pellibus abſque æſtimatione & numero, id eſt, ſacrificiorum multitudine. Hæc fuit oſtiolum humilitatis, per quod Dominus ad nos intrauit. Hæc fuit ſcala Iacob per quam Dominus ad nos deſcendit, & nos per eam aſcendimus, per quam terrena cœleſtibus coniunguntur, per quam Chriſto obuiam pergimus, & ei occurrimus. Infelix anima quæ ſe malis operibus cruentauit, auaritiæ nigredine obſcurauit, iracundiæ igne combuſsit, aſsidua luxuria ſordidauit, ſuperbiæ tyrannide deuaſtauit, curis huius ſeculi aggrauauit: vt prædictis viis Chriſto non valeat occurrere, nec ipſum in hoſpicio ſuo recipere. Videamus præterea quando Dominus ad nos venire voluerit. Quis autem poterit cogitare dignè diem aduentus eius, cuius egreſſus ab initio, à diebus æternitatis? Generationem ſiue aduentum eius quis enarrabit? Genitus eſt à patre ſine matre, genitus à matre ſine patre.

*De impedimentis viarum Domini.* *Luc. 21.* *De tempore aduẽtus, quando ſcilicet venit.* *Malach. 3.* *Micheæ. 5.* *Iſaiæ 53.* *Gala. 4.* Quando autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, in tempore, ſcilicet, plenitudinis: quaſi in Autumno maturitatis, & in veſpere mundi. Ver enim fuit tempore Patriarcharum, quando promiſit Deus Abrahæ, quod in ſemine eius benedicerentur omnes Gentes. Æſtas verò ſub lege & Prophetis, appropinquante iam Chriſti incarnatione. Autumnus verò tempore incarnationis, in quo colligimus fructum noſtræ ſalutis. Hyems

*Gene. 22.* *Sapien. 18.* erit tempore Antichriſti. Venit enim Dominus dum medium ſilentium tenerent omnia. *De triplici ſilentio.* Primum ſilentium fuit ante legem, quando ferè omnes erant muti, nec erat qui bona prædicaret, vel Deum laudaret. Vltimum ſilentium erit in tempore Antichriſti, quando omnes ferè erunt muti, & ſurdi. Imminente autem Chriſti aduentu, erant homines ſurdi, nolentes audire mandata Dei. Fuerunt ergo in primo ſilentio, muti: in ſecundo, ſurdi: in tertio verò erunt muti & ſurdi. Quoniam autem grata eſt pluuia tempore ſiccitatis, & gratior

*Exodi. 35.* eſt Medicus in deſperatione ægritudinis: venit Dominus quaſi in veſpere mundi, vt ſuccurreret mundo ſeneſcenti, & iam penè ruenti. Qualiter autem venerit ſubiungamus.

*Qualiter venerit.* *Quod ſapienter venerit.* *Iere. 23.* *Iſaiæ 11.* *Iſaiæ. 7.* Venit ſapienter, potenter, humiliter, occultè, ſuauiter, alacriter. Venit ſapienter, ſicut ſcriptum eſt: Regnabit Rex, & ſapiens erit. Et Iſaias ait: Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet. Butyrum & mel comedit, vt ſciret reprobare malum, & eligere bonum. Suaues enim & dulces ſibi incorporauit, vt ſcire faceret ſe reprobare malos & eligere bonos. Butyrum enim comedit ſine caſeo, quia ex oue generis humani naturam noſtram aſſumpſit ſine peccato. Mel comedit, quia omni carens amaritudine tanquam apis in cordibus fidelium mellificauit, & ea dulcedine ſua adimpleuit. Pinguedine autem internæ dilectionis tanquam butyro & melle diuinæ ſcripturæ ſcimus reprobare malum, & eligere bonum. Butyrum inſuper Dominus comedit, id eſt, Eccleſiam de Iudæis, qui erant quaſi boues ſub iugo legis. Mel comedit, dum Eccleſiam de Gentibus (cuius dulcedine delectatur) incorporauit. Venit potenter, vnde dictum eſt Achaz: Pete tibi ſignum in profundum inferni, id eſt, incomprehenſibilis, & profundæ ſcientiæ, vel ſapientiæ: ſiue in excelſum ſupra, ſcilicet, poteſtatis excelſæ. Poſitus eſt enim in vrbe fortitudinis noſtræ Syon: Saluator noſter murus ſecundum humanitatem, & antemurale ſecundum diuinitatem. Ædificauit ſibi ſapientia Patris domum in fortitudine ſeptem columnarum. Vnde Dominus per Prophetam: Ponam in ſalutari, id eſt, in exemplo ponam plenitudinem chariſmatum, quæ per ſeptem columnas deſignantur: fiducialiter agãm in eo. Alij enim peccatores ſunt & fragiles. Chriſtus autem potenter venit, qui peccato cedere non potuit, qui diabolum in carne ſuperauit. Vnde Iſaias: Præcipitabit Dominus faciem vinculi colligati, deſtruendo, ſcilicet, colligationem peccatorum, & telam quam orditus eſt à principio, & præcipitabit mortem in ſempiternum. Diabolus à principio orditus eſt telam, peccata peccatis addendo: qui tot habet textores, quot ſunt peccatores. Et in Eccleſiaſtico dicitur: Attolle aduerſarium peccatores conuertendo: & affli ge inimicum, id eſt, diabolum ipſum confundendo. Aſpiciebant enim Sancti à longè, videntes in ſpiritu hanc Chriſti de diabolo victoriam. Aſpicibant à longè videntes in ſpiritu Dei potentiam venientem, & nebulam totam terram tegentem. Nebulam, id eſt, Chriſtum incarnatum terram tegentem & refrigerantem contra tentationum ardorem. Nebula autem deſcendens terram impinguat, & eſt ſignum ſerenitatis, quod pertinet ad primum Chriſti aduentum. Aſcendens verò, ſignum eſt tempeſtatis, quod pertinet ad ſecundum aduentum. Poſtquam enim in cœlum aſcendit, expectamus eum cum tempeſtate & terrore venturum. Venit propterea Dominus noſter humiliter, quaſi non habens ſpeciem, neque decorem, vt deſtrueret mundi ſuperbiam, & vanam gloriam. Vnde in libro Regum dicitur: Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari. Chriſtus ſecundum carnis humilitatem nubecula parua dicitur, ex qua in primo aduentu pluuia benedictionis emanauit, quæ ventum diaboli extinxit. Ex qua venit nobis imber temporaneus, & ſerotinus: gratia, ſcilicet, præueniens, & ſubſequens. Vnde Iob ait: Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: ſi emiſerit eas ſuper incarnationem, ſubuertent terram, id eſt, terrenitatem in electis.

*Quod potenter venerit.* *Iſaiæ 7.* *Iſaiæ. 10.* *Parab. 9.* *Iſaiæ. 25.* *Eccliaſt. 36.* *Hebræ. 11.* *Eccle. 24.* *Quod Chriſtus comparatur nebulæ.* *Iſaiæ. 53.* *Quod humiliter venit.* *3. Regum 18.* *Quod Chriſtus nubeculæ cõparatur.* *Oſeæ. 6.* *Iob. 37.*

In ſecundo autem aduentu ex hac nubecula procedit fulgur, quando Dominus ſicut fulgur

gladium

gladium exacuet in iudicio: dum fulgur iudiciariæ poteſtatis franget ſuperbos, cremabit auaros, fœtoribus cruciabit luxurioſos. Fulgur enim frangit, cremat, & fœtet, ſubitò & inopinatè cadit. Sic fiet in ſecundo aduentu. In primo autem aduentu humiliter venit, vt nos ad humilitatem inuitaret, ſicut ipſe ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ipſe enim reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ: ſi tamen cor noſtrum humilitati eius prius fuerit conformatum. Venit inſuper occultè & latenter, vt diaboli aſtutiam deciperet. Venit quaſi fur, vt animas noſtras latenter furaretur diabolo: quaſi in laguncula ſeu laterna corporis ſe abſcondit, vt infirmis oculis ſuam temperaret claritatem, & diabolo ſuam abſconderet potentiam. Virga enim neque radicata plantatione, nec defoſſa ſarculo, nec animata ſucco, nec fœcundata ſeminario, nuces contra naturam produxit: ſic & Virgo præter curſum naturæ, diabolo ignorante, filium genuit. Virgo Dei genitrix virga eſt proferens ſine ſui corruptione florem, id eſt, Chriſtum, qui fons eſt, & principium cuiuſlibet fructus. Venit ſuauiter etiam, dulciter deſcendens ſicut pluuia in vellus irrigans, & fœcundans, ſed vellus non corrumpens: ſicut pluuia ſuauis ſine ſtrepitu deſcendit, & ſicut ros latenter, quaſi inuiſibiliter terram fœcundauit. Vnde per Ozeam dicit: Ego ros, & Iſraël quaſi lilium germinabit. Fuit imber temporaneus incipientibus: ſerotinus perfectis. Ipſe enim fabricatus eſt auroram & Solem, id eſt, initium & perfectionem attulit nobis, & contulit irriguum ſuperius ſecundum diuinitatem, & inferius ſecundum humanitatem. Vnde Iſaias ait: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Poſtulat rorem de cœlo, pluuiam de nubibus, germen de terra. Per cœlos Angeli, per nubes Prophetæ, per terram Virgo Maria, intelliguntur. Rorate cœli, dum Gabriël Virginem ſalutat: pluant nubes, dum ſtillant montes dulcedinem, & colles fluunt lac & mel: aperitur, & germinat terra, dum Maria per fidem & deuotionem aperitur, vt germinet Saluatorem ſine alterius contactu: ſicut granum frumenti germinat, licèt aliud granum non tangat. Venit igitur Dominus tanquam ros & pluuia affluenter & ſuauiter, non cum ſtrepitu nec cum tumultu. Vnde Iſaias: Non clamabit, nec audietur vox eius foras, calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. Venit præterea Dominus alacriter. Exultauit vt gygas ad currendam viam. Non remiſſe, non ſegniter, ſed ſtudioſe, diligenter, & alacriter operatus eſt ſalutem noſtram. Venit more curſoris, qui leuem habet veſtem. Et Dominus aſcendit ſuper nubem leuem, aſſumens carnem ab omni peccato immunem. Curſor præcedit, vt præparet hoſpitium. Et Dominus ait: Vado vobis parare locum. Curſor ſuccingi ſolet, vt ſit expeditus. Et de Domino dicitur: Erit iuſtitia cingulum lumborum eius. Curſor mobilis eſt, & leuis. Et omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia. Curſor præ leuitate ſaltum facit: & Dominus de cœlo maieſtatis in vterum Virginis ſaltum fecit. Conſequens eſt, vt videamus ad quid venerit Dominus. Venit, vt illuminaret, contra ignorantiam: vt adiuuaret, contra debilitatem: vt ſuſtentaret & præſidium ferret, contra lapſum & fragilitatem: vt redimeret, remouendo captiuitatem: vt aperiret introducendo ad patriam. Nam & faciles eramus ad ſeducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad reſiſtendum, ſub diabolo captiui, & à Paradiſo excluſi. Venit vt illuminaret, vnde Pſalmus ait: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, id eſt, verbum tuum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sicut autem intellectus exprimitur per verbum, ita pater innotuit per filium. Venit, vt adiuuaret & ſuſtentaret. Vnde Jeremias ait: Iam non erit timor in finibus noſtris, quoniam ipſe eſt Saluator noſter. Et iterum: In diebus illis ſaluabitur Iuda, id eſt, verè confitens: & Iſraël habitabit confidenter. Contra infirmitatem & fragilitatem miſit Helizeus noſter ſal in vaſe nouo, vt ſanarentur aquæ in Hierico. Sal, ſcilicet, diuinæ ſapientiæ per incarnationem vas nouum, Chriſti humanitas: & ita aquæ ſteriles ſanatæ ſunt, id eſt, genus humanum. Deſcendit Angelus magni conſilij, turbauit piſcinam, & ſanatus eſt infirmus: ſicut ſcriptum eſt: Conturbaſti terram, & commouiſti eam: ſana contritiones eius, quia commota eſt. Egreſſus eſt fons de domo Domini, vt iuxta illum recrearentur feſsi, & peregrini: Fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ: ex quo riuulus miſericordiæ irrigauit, & fœcundauit ſterilitatem vniuerſæ terræ. Hic eſt fons pietatis, de quo exiunt omnia flumina, id eſt, ſpiritualia dona: & ad quem reuertentur, vt iterum fluant, id eſt, cui aſſcribuntur, ne fluere ceſſent. Diabolus enim retro quaſi poſt tergum manus bonæ operationis nobis ligauerat, & velut per capillos cogitationum ad terram homines pertrahebat. Chriſtus autem incarnatus opem tulit illi ſuper lectum doloris eius. Lex enim per Moyſen data eſt, quæ mandabat, ſed non iuuabat: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, id eſt, remiſsio peccatorum, & adimpletio promiſſorum. Vnde Iſaias ait, Ecce Deus noſter veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures ſurdorũ patebũt. Cæci erãt, quia Deũ ignorabant: ſurdi, quia verba illius negligebant: claudi, quia per bona opera non incedebant: muti, quia peccata ſua tacebant, neque Deum laudabant. Venit ad redimendum: ſicut ſcriptum eſt in libro Regum, quòd conuenerunt ad Dauid omnes qui erant amaro animo, & obligati ære alieno. Venit Propheta magnus, & ipſe renouauit Hieruſalem, auferendo vetuſtatem culpæ & pœnæ, & liberando ab vtraque captiuitate, relaxans facinora plebis ſuæ

*Deut.32.*

*Matth.11.*
*Philip.3.*
*Quod occultè venit.*
*1.Theſſ.5.*
*1.Pet.3.*
*Num.17.*

*Quod virgo Maria virga, Chriſtus flori comparantur.*
*Quod ſuauiter venit, & cum māſuetudine.*
*Iudic.6.*
*Oſee 4.*
*Oſee 7.*
*Iudic.1.*
*Iſa. 45.*

*Lucæ 1. Iofl 3.*

*Iſaiæ 42.*
*Quòd alacriter venit.*

*Iſa.19.*
*Ioan.14.*
*Iſa.11.*
*Sap.7.*

*Ad quid Dominus venerit.*

*Ioan.1.*

*Ierem.23.*

*4.Reg.2.*

*Quòd ſanatæ ſunt aquæ Hierico, & quod Angelus deſcendit in piſcinam.*
*Ioan.5.*
*Ioël 3.*
*Zacha.13.*
*Quòd Chriſtus comparatur fonti.*
*Eccle.1.*

*Ioan.1.*
*Iſa.35.*
*De curatione cæcorum, ſurdorum, claudorum, & mutorum.*
*1.Regum 22.*

*Michæ 7.*

*Isaiæ 9.*

bis suæ Israël: deponẽs omnes iniquitates nostras, & proiiciens à nobis omnia peccata nostra. Vestimentũ enim concretum sanguine fuit in combustionẽ, & cibum ignis. Benedixit terram, quæ maledicta erat in Adam, & auertit captiuitatẽ Iacob. Venit vt aperiret inducendo in gloriam. Ipse enim est qui aperit, & nemo claudit. Ipse est clauis domus Dauid: in qua claue tria sunt, materia, scilicet, & formæ distinctio, & vsus. Materia ferri, diuinitas Christi, formę distinctio, distinctiones gratiarum in Christo: vsus clauis, apertio. Christus enim aperuit ianuam cœlorum, abscondita cordium, secreta scripturarum. Clauis autem aperit per sapientiam artificis, non per potẽtiam: ita Christus per sapientiã nos redemit, & vitæ ianuas aperuit. Restat videre ad quos & quot modis venerit Dominus. Venit excelsus ad infimos, beatus ad miseros, Medicus ad infirmos, liber ad captiuos, Dominus ad seruos, nauta ad naufragos, via ad deuios, veritas ad erroneos, vita ad mortuos, consolator ad lugentes, panis viuus ad famelicos, fons viuus ad sitientes. Legimus autem in diuinis scripturis septem Christi aduentus. Primus in carne, ad redemptionem: secundus in mente, ad illuminandum per gratiam: tertius in morte cuiusliber, ad repetendum depositum, & de talento cõmisso postulandum rationem: quartus in inferno, ad captiuorum liberationem: quintus post resurrectionem, quando venit apparens discipulis ad consolationem, & fidei confirmationem: sextus quotidie fit in sacramento altaris, ad refectionem: septimus in iudicio, ad malorum condemnationẽ, & bonorum remunerationem. De primo dicitur in Genesi: Non auferetur septrũ de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse est expectatio Gentiũ. De secundo dicitur in Euangelio: Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. De tertio similiter in Euangelio dicit Dominus: Sic eum volo manere, donec veniã, scilicet, in morte. Et iterum: Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantem. De quarto dicitur: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? De quinto dicit Dominus: Vado & venio ad vos. Et iterum: Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. De sexto dicitur: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. De septimo dicitur: Cùm venerit filius hominis in sede maiestatis suæ. In hoc vltimo veniet Dominus reparare corpora nostra, sicut in primo venit reparare animas. In primo aduẽtu venit mansuetus & humilis ad redemptionem, benignus & dulcis ad consolationem. In secundo veniet districtus & terribilis ad discussionem, iratus & inflexibilis ad punitionem. In primo venit tanquã agnus mãsuetus, qui portatur ad victimam: In secundo veniet tanquam leo fortissimus animalium, & non est, qui resistat ei. In primo aduentu Angelus magni consilij accepit thuribulum aureum, & impleuit illud igne altaris, id est, corpus humanum ab omni peccato mundum, quod fabricatũ est igne Spiritus sancti in vtero Virginis, polytum per varias tribulationes, elimatum in cruce, vt splenderet in resurrectione. Hoc thuribulo mundum fœtidum incensauit: ignis autem altaris, feruor charitatis. In vltimo aduentu Angelus effundet phyalam plenam iracundia Dei, in aërem, id est, in aëreas potestates, & fient fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus: sicut in Apocalypsi dicitur: Sicut enim in principio venit cum pluuia & rore: ita in secundo veniet cum fulgure & tempestate. Inter hos duos aduentus velut inter medios cleros sancti dormiunt, & requiescunt gaudentes de primo, secundum autem desiderantes: sicut scriptum est: Leuate capita vestra. Quod enim mali maximè formidant, hoc sancti maximè desiderant, habentes vitam in patientia, & tam mortẽ, quàm aduentum Domini ad iudiciũ in desiderio. Dormiamus & nos inter medios cleros attendentes, quanta nobis Dominus contulerit in primo aduentu, quàm maiora collaturus sit in secundo. Sint deargentatæ pennæ nostræ argento humanitatis Christi, vt omnia faciamus ad imitationem conuersationis ipsius. Deargentemus pennas virtutum in eius conuersatione, quemadmodum martyres lauerunt stolas suas in sanguine Agni: Oculi enim Domini super iustos quorum opera semper intuetur, & de profectu nostro gaudet, & delectatur: sicut ipse Dominus ait: Descendi ad hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & respicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Verba sunt filij Dei in Canticis, qui descendit ad nos in primo aduentu humiliando se per incarnationem, & visitando per gratiam. Descendit ad hortum nucum, id est, ad Ecclesiã, cuius amaritudo patet exterius, sed dulcedo mentis, quasi nucleus, latet interius. Sed quasi fracta testa apparebit in iudicio. Sancti dicuntur nuces, quibus mundus amarus est, corpus aridum, mens deuota: amari in pœnitentia, firmi in actione, sapidi in deuotione. Hi sunt Lazarus, Martha, & Maria in vna domo Ecclesiæ. Ecclesia autem comparatur nucibus, quia habet amaritudinem in carne tanquam in cortice, duram testam per fidei constantiam, nucleum dulcem propter spem æternæ remunerationis. Vt viderem poma conuallium, id est, fructus eorum, qui humiles sunt intus & exterius. Et inspicerem si floruisset vinea. Sancti nuces sunt & contemptibiles in hyeme huius præsentis vitæ: sed pulchri apparebunt in æstate vitæ futuræ. Idcircò comparantur vineæ: semper autem videri debet iusto, vt sit in flore, id est, in initio benè viuendi, vt semper sit recens ad bene operandum. Comparantur & sancti malo punico, quia rigidi sunt exterius mundo per carnis mortificationem: interius candidi per vitæ munditiam, rubei per martyrium, vel per charitatis feruorem: inserti sibi inuicem per fraternam concordiam, qui germinant in hac vita, vt fructificent in alia.

*Apoc. 3. Quod Christus assimilatur claui.*

*Ad quos venerit.*

*Quot modis venit, & de septemplici eius aduẽtu. Matth. 25.*

*Gen. 49. Ioan. 14. Ioan. 21. Matth. 24. Matth. 11. Ioan. 14.*

*Ioan. 16. Matth 28.*

*Matth. 25. De comparatione primi aduentus in mundum.*

*Paral. 30. Apoc. 8. De thuribulo & igne altaris, & phyala & fulgure, et tonitruis, & terræmotu. Apocaly. 15. & 16.*

*Lucæ 21.*

*Apocal. 7.*

*Cantic. 7.*

*De descensu Christi in hortum Ecclesiæ.*

*Quod ecclesiastici comparantur, & de proprietatibus nucis.*

*Sancti comparantur vineæ & malo punico.*

EADEM

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM ex Epistola ad Romanos 13.

*Scientes quia hora est iam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.* Rom.13.

QVAM condensa & tetra tenebrarum obscuritate, & noctis profunditate, atque peccatorum caligine ante Christi aduentum in carne totus penè mundus inuolueretur, non ignorant qui statum illius temporis attendunt, & considerant. Tenebræ enim erant super faciem abyssо, scilicet, cordis humani, quod prauum est, & inscrutabile, priusquam diceret Dominus: Fiat lux, & facta est lux Christo adueniente, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui reuelauit condensa, & tanquam Lucifer atque stella matutina noctis tenebras effugauit. Nox enim præcessit à principio, ex quo post peccatum primi parentis, Dominus radios suæ cognitionis abscondidit. Dies autem appropinquauit, dum visitauit nos oriens ex alto. Lumen ad reuelationem Gentium, dies diem illuminans, dies diei verbum eructuans, dies die, lumẽ de lumine: dies cuius duodecim sunt horæ, scilicet, duodecim Apostoli. Hunc diem quam fecit Dominus secundũ humanitatem, longo tempore desideraverunt Patres antiqui sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, postulãtes à Domino sediũ illius assistricem sapientiã: vt mecũ sit (ait Sapiens) & mecũ laborer, vt sciam quid acceptũ sit coram te. Assistricem tibi coæqualem, vt mecũ sit in eadẽ natura, in incarnatione: mecũ laboret, id est, ad vtilitatẽ & salutem meã in passione. Vt sciam quid acceptũ sit coram te in Spiritussancti missione. Tunc enim farina missa est in ollam filiorũ Prophetarũ, scilicet, Spiritussancti gratia, & legis Euangelicæ suauitas, legis amaritudinẽ in dulcedinem cõuertit, & spiritualem intelligentiam ostendit. Rogabant igitur S. Patres, vt inclinaret cœlos, effundens de plenitudine gratiæ suæ, & veniret, vt nemus infructuosum cõuerteret in hortũ deliciarum. Ostende (inquit Propheta) faciem tuã, & salui erimus: faciem primi aduentus, vt eam imitemur: faciẽ secundi aduentus, vt timeamus. Noluit tamẽ Dominus citò venire: permisit sanctos antiquos diu clamare. Distulit Medicus ægrotũ visitare multiplici ratione, scilicet, vt ex dilatione cresceret desiderium, & vt veniens libẽtius reciperetur, & diligentius custodiretur. Quæ enim cum maiori labore acquiruntur, cũ maiori dolore amittuntur. Terna igitur ratione distulit Dominus venire in mundũ: ne si festinus veniret, putaret ægrotus se nõ Medici virtute, sed naturę vigore, vel infirmitatis leuitate sanatũ, & sic vilipenderet Medicũ, & paruipenderet ægritudinẽ. Præsumebat enim peccator de suis viribus, dicens: Non deest, qui faciat: sed deest, qui iubeat. Vt ergo de sua virtute non præsumeret, vt magnitudinẽ infirmitatis agnosceret, vt Medici gratiã postularet, vt humiliatus experimẽto cognosceret, quod nõ deest, qui iubeat, sed quod deest, qui faciat: distulit Saluator venire, donec infirmus frequẽter clamaret, & diceret: Veni ad liberandũ nos Domine Deus virtutũ. Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebi tuę Israël. Domine, inclina cœlos, & descende. Vtinã dirumperes cœlos, & venires. Quando veniet? Putas durabo? Putas me inueniet illa natiuitas? Si igitur sancti ante Christi aduentũ quasi in nocte ad lucẽ venturam tanto desiderio, tantaq; diligentia vigilabãt: quanto magis luce præsente, & die gratiæ illucescente vigilare debemus, & ambulare dum lucẽ habemus? Vnde Apost. ait: Hora est iam nos de somno surgere, id est, oportunũ est & cõgruum, vt hoc tempore gratię vigilemus, & ad lucem supernã mentis oculos apertos habeamus. Vt nõ dormiamus somno culpę, de quo Apost. ait: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Neq; somno ignorãtiæ cum Petro in tenebroso carcere, de quo Psal. ait: Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiã in morte. Neq; somno torporis & negligẽtię: sicut paralyticus in grabato. De quo Salomõ ait: Vsquequo piger dormis? quãdo cõsurges? Hoc somno, scilicet, somno ocij, & desidię suffocati sunt Sodomitę. Neq; dormiamus sicut Ionas in sentina, & sicut Sampson in gremio Dalidę, somno carnalis cõcupiscentię: & sicut Isboset, qui dormiẽs in meridie obiit, percussus in inguine. De quo somno dicitur in Iob, quod Behemoth dormit in locis humectibus, quãdo, scilicet, mẽtis oculos luxuriosis claudit, & in carnali cõcupiscentia iumẽta sua quiescere & putrescere facit. Non dormiamus in tẽporalibus, sicut lętargici somno auaritię & cupiditatis mũdanę. Malũ est enim super latus sinistrũ dormire. De quo somno Psal. ait: Dormierũt somnũ suũ, & nihil inuenerũt omnes viri diuitiarũ in manibus suis. Et Iob: Ecce nunc in puluere dormiã. Nõ dormiamus somno tenebrosę cogitationis, nec latẽtes diaboli tentationes abscõdamus in mẽte. De quo somno cogitationis dicitur in Deut. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somno, egredietur extra castra, & nõ reuertetur, priusquã ad vesperã lauetur aquã. Cũ enim tenebrosa cogitatione aliquid turpe in mẽte cõcipitur, defectũ suũ attẽdens homo ad pœnitẽtię lamẽta cõuertatur, sese cõsortio iustorũ indignũ debet æstimare: quod est extra castra ire. Non simus etiã dediti somno naturę, modũ excedẽdo, vel hora indiscreta dormiẽdo possumus delinquere. Vnde in Parabolis: Noli diligere somnũ, ne te opprimat egestas. Propterea Sapiẽs ait: *Plus vigila semper, nec somno deditus esto.* Et Dominus in Euang. Symõ dormis? Nõ potuisti vna hora vigilare mecũ? Et de Iona legimus, quod descẽdit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui depressus, & accessit ad eũ gubernator nauis, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? Surge, & inuoca Deũ tuũ. Et in actib. Apost. dicitur, quod adolescens quidam cùm mergeretur somno graui, Paulo prędicãte, cecidit

*De tempore tenebroso, quod fuit ante aduentum.* Gen.1. Ioan.1. Apocal.22. Rom.13.
*De illuminatione facta per Christum, & quod Christus die i comparatur.* Luc.1. Luc.2. Psalm. Ioan.11.
*Quod multis desideriis, & precibus sancti Christum postulauerũt.* Sap.9. 4.Reg.4. Ioan.1.
*Quòd triplici ratione distulit Christus in mundum venire.*
Apoc.13.
Isa.64.
Ioan.12. Rom.13.
*De multiplici somno male.* Ephes.5.
Act.12. Psalm. Ioan.5. Prou.6. Ionæ1. Iudic.16. 2.Reg.4. Iob.40. Ioël.1.
Ezech.4. Psalm. Iob 7.
Deut.23.
*Prou.20. Cato. Matth 24. Ionæ1.*
Act.20.

*De dormitione, dormitatione, & obdormitione.*
*Quod somno malo obsorbentur quinque sensus animæ.*
*Ioan.13.*
*De somno bono.*
*Quòd somnus gratiæ quiescere facit à malo quinque sensus.*
*Luc.21.*
*De intentione naturalium virtutum.*
*Psalm.*
*De somno contemplationis.*
*Cantic.3.*
*Matth.24.*
*Cantit.5.*

*De somno mortis æternæ.*
*Rom.11.*
*Quòd debemus à somno malo surgere & vigilare.*
*Matth.9.*
*Matth.24.*
*Matth.8.*

*Quòd citò surgere, & diligẽter vigilare & feruentes esse debemus.*
*Heb.10.*
*Abacuc.3.*
*Philip.3.*
*Rom 13.*
*Genesis 2.*
*Parab.2.*

*Psalm.*

*2.Petri 2.*
*2.Petri 3.*
*Paral 1.*
*Rom.13.*
*De multiplici somno malo.*
*Luce 21.*
*Rom.13.*
*Rom.13.*
*De multiplici nocte, & multiplici die.*

*Quod vita præsens multiplici ratione nocti comparatur.*
*Quod tempus Adæ specialiter ante Christi aduentum multiplici ratione nocti comparatur.*
*1.Thes.5.*

de cœnaculo, & mortuus est. Non ergo dormiamus, neq; dormitemus, neq; obdormiamus: nõ dormiamus per culpã, non dormitemus per fragilitatẽ, ne obdormiamus in morte per finalem impœnitentiã. Dormiunt enim peccantes, dormitãt fragiles, obdormiunt impœnitentes. Hora est iam nos à prædictis somniis surgere. Qui enim dormiunt, nec corde bonã cogitant, nec ore Deũ laudant, nec opere bono Deũ placant: nõ vident per discretionẽ, nec audiunt per obedientiam, non gustant per charitatẽ, non olfaciunt per spem, non tangunt per operationem. Somno autẽ gratiæ dormire debemus, vt supra pectus Domini cũ Ioãne quiescamus. Est autẽ somnus gratiæ, quies animaliũ virtutum cum intensione naturaliũ: quiescũt enim animales virtutes, & intenduntur naturales. Auditus quiescit, ne audiat ociosa: visus, ne videãt vana, & nociua: gustus, ne ebrietate grauetur, vel crapula: olfactus ab odorũ illicita delectatione quiescit: tactus à mala operatione. Naturales autẽ virtutes intendũtur: virtus, scilicet, appetitiua, bonũ appetendo: retentiua, bonũ retinendo: digestiua, meliora eligendo: expulsiua, mala expellendo. Debemus ergo hîc vigilare bona operando, & dormire somno gratiæ à malis quiescendo, vt tandẽ in pace inidipsum dormiamus in ęterna quiete, cũ dederit dilectis suũ somnũ in morte. Mors enim malos excitat, sed bonos soporat. Qui enim oculos clausos habent dormientes in culpa, apertos habebũt illos in pœna. De quibus Dominus ait: Arguã te, & statuã cõtra faciem tuã. De somno igitur cõtemplationis & gratiæ debemus plerunq; surgere ad fructũ actiuę vitæ. Vnde in Canticis: Ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit. Quandoq; enim anima sancta sponte à cõtemplatiua transit ad actiuam, vt det famelicis cibum in tempore oportuno. Propterea sponsa dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Dormiebat per quietem contemplationis: sed cor vigilãbat desiderio retributionis, & præcauendo sibi ab hostium insidiis. Vigilat autem, & cor eius dormit, qui foris strennuus interiora sua nõ negligit. Qui verò somno mortis æternæ dormiunt, nunquam à somno surgent, sicut scriptum est: Qui dormit, non adiiciet, vt resurgat. Tunc enim non erit hora vt quis de somno surgat. Nunc autem hora est iam nos de somno surgere. Semper enim in hac vita tẽpus est vigilãdi, nunquã dormiẽdi: quia nescimus diẽ neq; horã. Nescimus qua hora Dominus noster venturus est. Obsessi autẽ vndiq; sumus ab inimicis nostris. Obsessis autẽ maximè necessariũ est, vt comessationibus, & ebrietatibus nõ vacent, neq; somno indulgeant. Dormiẽtibus autẽ, & ebriosis solent hostes ex improuiso irruere. Dominus autẽ ad hoc venit, & illuxit nobis, vt surgamus, & iam non dormiamus. Qui autẽ ad lucẽ claritatis eius, qui ad stimulũ verbi ipsius, qui ad tonitruũ cõminationis eius, qui ad clamorẽ excitationis eius, qui ad cõpunctionem spinarũ, & clauorũ, & lanceę lateris eius nõ euigilat, nõ dormit: sed mortuus est. Non autẽ debemus tædio affici, vel negligẽter esse, quĩ enim venturus est, veniet, & nõ tardabit: citò veniet salus nostra, breuis & trãsitoria est præsens vita. Semper niti ad meliora debemus, semper ad metã cursus nostri appropinquamus. Propior est nostra salus, quã cùm credidimus. Quantò autẽ magis appropinquamus fini, tantò magis vigilare debemus, quia inimicus noster calcaneo nostro semper insidiatur: dies autẽ mortis, dies creticus est vel ad mortẽ, vel ad condemnationẽ. Sicut autẽ qui pecuniã quęrũt, & thesaurũ effodiũt, tantò magis festinãt, quãtò magis thesauro appropinquãt: ita nos semper festinare oportet. Propior est enim nostra salus, quã cũ credidimus: & magis propter opera bona nobis debetur, quàm tunc, quãdo primo tantũ modo credidimus. Vnde quia iam multũ laborauimus, nõ torpere, sed à somno surgere debemus: ne labores præteritos amittamus. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus. Non simus equi ad malũ, id est, veloces & impetuosi: neq; mulĩ ad bonũ, id est, pigri, & tardi. Si enim torpeamus & dormiamus, perditio nostra non dormitat: dies enim Domini tanquã fur veniet, dormiẽtes iugulãs, & irruet super incautos repẽtina calamitas. Surgendũ est igitur nobis de somno torporis & negligẽtiæ, quia propior est nostra salus quã cũ credidimus. De somno ebrietatis & crapulę: Nõ in ebrietatibus, & comessationibus, ne fortè grauẽtur corda nostra crapula & ebrietate, & curis huius seculi. De somno etiã carnalis cõcupiscẽtię: Non in cubilibus, & impudicitiis. De somno malitię & nequitię: Non in cõtentione & æmulatione. De somno obliuionis & ignorantiæ. Nox enim præcessit, dies autẽ appropinquauit. Nox infidelitatis præcessit, dies fidei appropinquauit, & illuxit nobis. Nox erroris, dies veritatis: nox ignorãtię, dies illuminationis & gratię: nox figurarũ & obscuritatis scripturę, dies spiritualis intelligẽtiæ: nox veteris testamẽti, vmbrę cęremonialiũ & legis Mosaicę, dies gratiæ & legis Euãgelicę: nox vetustatis, dies renouationis: nox peccati, dies iustitię. Nox, id est, timor nocturnus, mũdanus scilicet, & humanus, qui nõ est in charitate: dies autẽ charitatis in dilectione & feruore. Nox doloris & pœnitẽtię, in primordio cõuersionis: dies spiritualis lætitię in profectu boni operis. Nox cõminationis & irę: dies benignitatis & misericordię. Nox præcessit tanquam signifer, & capitaneus: dies appropinquauit Dei filius incarnatus. Nox perditionis & damnationis præcessit: dies autem æternæ beatitudinis, dies, scilicet, carens vespera, appropinquauit. Licet autem vita præsens, & conuersatio huius exilij, & peregrinationis nostræ, nox possit dici, in qua facies nostras, id est, conscientias, nondum inuicem cognoscimus, in qua nobis insidiantur hostes nostri, in qua nondum plenè cognoscimus qui sint veri, & qui ficti sint amici. In qua phantasiis, & somniis, id est, temporalibus & transitoriis rebus multi illudũtur. Specialiter tamen tempus ante Christi aduentum noctis nomine nuncupatur, in quo ferè omnes in peccatis dormiebant. Vnde Apostolus: Qui dormiunt, nocte dormiunt. In quo

posuit

posuit Deus tenebras propter peccatum primi parētis, & facta est nox: In quo turpia agebantur, & habebāt homines oportunitatē malè operandi. Vnde Dominus: Qui malè agit, odit lucem. In quo non erat tempus benè operandi, sicut in die gratiæ. Vnde Dominus: Ambulate, dum lucem habetis. Vanum est enim ante lucem surgere: In quo pedes ad offendiculum impingebantur. Vnde Dominus: Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadit. Et Psalmus: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: In quo tantum lumen habebant à luna, id est, à lege Mosaica, quæ fuit luminare minus, quod præerat nocti sicut luminare maius, id est, lex Euangelica præest diei: In quo homines inter ea, quæ contrectabant, non discernebant. Vnde Apostolus in persona eorum qui fuerunt ab Adam vsque ad Moysen: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum. Et in cāticis dicitur: Cincinni mei pleni sunt guttis noctiū, id est, cogitationes distortæ pravis sententiis ex ignorantia contractis. Dies autem dicitur specialiter tempus gratię in quo verus sol, id est, Christus nobis illuxit, illuminans oculos nostros ne vnquā obdormiamus in morte. Vnde Isaias: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Exortum est in tenebris lumen rectis corde, timētibus Deum ortus est sol iustitiæ. Sol illuminans, calefaciens, humores carnalitatis nostræ desiccans, terram liberi arbitrij fructificare faciens, guttas amaras, peccatores, scilicet, huius seculi sursum trahens, & nube humanitatis suę in dulcedinē conuertens. Dies autem gratię noctis tenebras expellens, licet nubem venialium secum patiatur. Habuit ante diluculum in Christi incarnatione vnū diem, in Spiritus sancti missione, vesperam autē habebit in fine mundi, in tempore, scilicet, Antichristi, quando refrigescet multorum charitas. De hoc die in Ecclesiastico dicitur: Non frauderis à die bona, & particula diei bonę non te prætereat. Dies prætereà dicitur vita iustorū, cuius diluculum est in eorū conuersione, meridies in charitatis feruore & perfectione: vespere autē in tēptationum consummatione, ardore temptationum iam refrigescente. Vnde in Psalmo: Vespere & mane, & meridie narrabo, & annunciabo. In die igitur gratiæ abiicere debemus opera tenebrarū, & sicut in die honestè ambulare, vt turpia non agamus & peccare erubescamus. Iam enim excusationem ignorantiæ non habemus, qui in tempore gratiæ, viam veritatis non ignoramus. Melius autem esset viam veritatis non agnouisse, quàm post agnitam retroire, & tempore messis & plenitudinis ignauia torpere. Qui igitur tempore gratiæ post receptionem sacramentorum vinum nouum in vtres veteres mittunt, qui in vetustate vitæ Christi sacramēta recipiunt: rumpuntur vtres veteres, & deteriores fiunt, dum commissuram, siue particulam à vestimento nouo panno veteri consuunt, & fit scissura maior, dum in meridie tanquam in tenebras impunguntur: dum merces congregatas in saccū pertusum mittunt. Non igitur inuacuum Christi gratiam recipiamus, nō simus ingrati tantorum beneficiorum. In die bonorum, non simus immemores malorum præteritarum, scilicet, tenebrarum. Abiiciamus igitur opera tenebrarum, opera, scilicet, mala, quæ ex tenebris ignorātiæ præcesserunt, quæ tenebras amant, ad tenebras infernalas ducunt, quæ incitante tenebrarum principe fiunt. Induamur arma lucis, virtutes scilicet, & bona opera virtutum, quibus ornari debemus ad honestatem & pulchritudinem, calefieri contra frigiditatem, muniri contra hostes inuisibiles ad exercitium & pugnā, quibus tegere debemus turpitudinē & nuditatem nostrā. Beatus enim qui custodit vestimēta sua, ne nudus ambulet. Beati quorum tecta sunt peccata. Charitas enim cum cęteris virtutibus operit multitudinem peccatorū. Hæc igitur arma lucis, quæ exigit lux fidei, quæ à luce sunt, & ad lucem ducunt, & animam lucidam reddunt, induamur, & sicut in die honestè ambulemus, id est, in operibus virtutum exerceamur, sicut decet in die fidei & gratiæ, & sicut homines in die ambulant, dum corporaliter ab hominibus videntur. Ita & nos in conspectu Dei & angelorum honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, id est, non in luxuriosis conuiuiis, & immoderatis potationibus. Crapula enim & ebrietas ventrem distendunt, stomachum confundunt, pigrum reddunt, rationem & intellectum sepeliunt, carnem ad libidinem accendunt, linguam effrenant, secreta reuelant, iurgia concitant, opes effundunt, infirmitates varias generant. Vnde in Ecclesiastico: In multis escis erit infirmitas. Et iterum: Propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam. Sic enim sumenda sunt alimenta, sicut medicamenta, scilicet, contra febrem carnalis concupiscentiæ. Venter enim plenus & mero æstuans facile despumat in libidinem. Et quia propinqua sunt venter & genitalia, dum venter distenditur, aculei libidinis incitantur. Vnde Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et in Psalmo. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorū deuorata est. Ebrietas enim sepulchrum est rationis, mentem turbat, sapientiam deuorat, stultum diaboli hominem facit, obliuionem Dei & sui in homine gignit, fœtorem in ore, languorem in corpore, insaniam in mente, libidinem in renibus, tirubationem in gressibus, & lapsum pedibus immittit. Qui autem scienter priuat se vsu rationis, & ponit se extra statū mentis, vt peccato, nec sciat, nec valeat resistere, vna sola voluntaria ebrietate videtur mortaliter peccare. In chamo igitur & freno maxillas nostras debemus constringere. Momentanea est enim cibi delectatio, spacium gulæ vix est quatuor digitorum, spacium temporis paucorū momētorum, citò autē conuertitur in fimum. Propterea beatus Hieronym. ait: Non quærendū est magnopere quàm preciosis cibis stercus conficiatur. Et iterum: Modicus & moderatus cibus carni & animę vtilis est. Et in threnis dicitur: Qui vescebantur voluptuosè, interierūt in viis.

*Ioan. 2.* *Ioan. 11.* *Psal.* *Psal.* *Gen. 1.* *Rom. 7.* *Cant. 5.* *Quod tempus gratiæ competatur diei, & Christus soli.* *Isai. 52.* *Malach. 3.* *De variis proprietatibus Solis, quæ adiiciuntur Christo.* *De diluculo et meridie, et vespere huius diei.* *Eccle. 14.* *Quod magis peccant qui in tempore gratiæ post agnitionem veritatis peccant.* *2. Pet. 2.* *Mat. 9.* *Mar. 2.* *Luc. 5.* *Aggei. 1.* *Collocen. 2.* *Eccle. 11.* *Rom. 15.* *De operibus tenebrarum & armis lucis.* *Apoc. 16.* *Iac. 5.* *De crapula & ebrietate* *Eccle. 37.* *Ephes. 5.* *Thren. 4.*

Luc.16. Parab.19. Deut.32. Num.11. Rom.13. De torpore, & libidine. 2.Reg.11. Parab.27. Iacob.5. Parab.6. Eccl.19. Ozeæ.4. De inuidia. Rom.13. Parab.14. Parab.25. Exod.16. Exod.10. Ionæ.4. 1.Reg.16. Sap.2. Rom.12. De ira, & contentione. 2.Thi.2. Mat.5. Parab.15. Iac.3. Conclusio, vbi ostenditur quomodo debemus induere Iesum Christum. Rom.13. Mat.11. 1.Pet.1. Mat.22. 2.Cor.5. Exod.40. 3.Reg.8. Apoc.12. Rom.8.

Dives autem qui epulabatur quotidie splendidè, sepultus est in inferno. Non ergo delicatè pascas seruum tuum, ne fortè inuenias eum contumacem. Impinguatus est dilectus, & recalcitrauit. Infrenes igitur equum tuum, ne sit tibi fallax ad salutem. Scriptū est enim: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Ambulemus igitur in abstinentia & sobrietate, in carnis munditia & castitate. Non in cubilibus & impudicitiis, id est, non in pigritia dormitionis, & immūdicia libidinis, quæ sese solēt comitari: Vnde Dauid, cùm dormisset in meridie, & otiosus esset, cum Bersabea adulteriū commisit. Impudicitia enim libidinis non solū animam fœdat, sed corpus coinquinat & eneruat, carnē facit debilem, & animā sterilem, absorbet rationē, hominē conuertit in pecudē, famam tollit, opes effundit, omnia bona consumit tanquā ignis deuorans, omnē virtutū virorem perimens, & marcescere faciens, tanquam vxor mala hominē de domo sua eiicit: liliū castitatis in vrticā conuertit: fœtorē, ardorē, & malæ conscientiæ vermē inducit, tanquā iumentum hominē in stercore putrescere facit, cuius appetitus plenus est anxietate, facietas plena penuria. Momētanea autē est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicationis. Precium scorti (vt ait Salomon) vix est vnius panis: mulier autem preciosam viri animā capit. Vinum enim & mulieres apostatare faciunt sapientes, sicut in Ecclesiastico dicitur. Et Ozeas ait: Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. Non solum autē à peccatis carnalibus, verùm etiam à spiritualibus abstinere nos admonet Apostolus: Non in cōtentioné (inquit) & æmulatione. Alterum concomitatur reliquum. Ex æmulatione enim, id est, ex inuidia sequūtur cōtentiones, rixæ, & rancores. Putredo enim ossium inuidia, virtutes omnes, & omnia bona animæ corrumpit. Sicut scriptū est: Et dedit ærugini fructus eorum. Ærugo enim, siue aurugo ex aura noxia segetes latenter inficit & corrūpit. Sicut autē vermis cōsumit lignū & tinea vestimentū: ita inuidia mentē hominis corrodit, & corrumpit. Persequitur enim non solum bona naturalia, sed insuper spiritualia: & ita peccat in Spiritū sanctū. Hæc est enim vermis ebulliens de manna: bruchus consumens terræ virentia, vermiculus hæderā Ionæ corrūpens: spiritus malus Saul exagitans, tormentū sine refrigerio, morbus sine remedio, pestis prius nocens sibi quā aliis: priusquā alium vulnetet, vulnera sua in se conuertit. Nihil autē inuidio miserabilius, qui toto corde confessus solatiū de alterius vulnere quærit. Inuidia autē Diaboli mors intrauit in orbē terrarū. Debemus ergo gaudere cū gaudentibus, flere cū flentibus. Bona enim quę in aliis diligimus, nostra facimus. Non est autē verū membrū, quod mēbro nō cōpatitur. Quid enim miserabilius, quā de alterius profectu deficere: de alterius felicitate miserū flere & tabescere, de proximi pinguedine macerari, de luce eius excęcari? Nō igitur ambulemus in æmulatione, nec in contentione. Seruū enim Dei non oportet contendere, vel litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Qui enim dixerit fratri, Fatue, reus erit gehēnę ignis. Ira enim (vt ait Salomon) in sinu stulti requiescit. Et iterū: Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Lingua enim modicū membrū est, & magna exaltat: sicut Beatus Iacobus ait. Ecce quantus ignis quàm magnā syluam incendit? & lingua nostra ignis est, inquietū malum, plena veneno mortifero. Simus igitur pacifici, sine cōtentione: benigni, sine æmulatione, vt induamur Dominum Iesum Christū, eius conuersationē imitādo, qui ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Faciamus nobis tunicam de vellere agni immaculati, vt in omnibus operibus nostris nihil appareat, nisi conuersatio Christi, & eius formam in nobis ostendamus. Non est enim aliquis pannus preciosior, quàm saluatoris nostri cōuersatio. Hæc est vestis nuptialis, qua qui caruerit, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores proiicietur. Induimini ergo Dominum Iesum Christum, vt omne frigus peccati à nobis expellatur, vt nuditas nostræ protegatur, vt vestiti & non nudi reperiamur: vt archa Dei, id est, anima iusti tegatur propitiatorio, id est, Christo. Induamur eum ad decus & honestatē, ad ornatū & splendorem: vt cum muliere amicta sole iustitiæ, quæ lunam, id est, mundi huius defectum & mutabilitatem habet sub pedibus (sicut in Apocalypsi legitur) Christo valeamus aduenienti in veste nuptiali occurrere, & conformes fieri ipsius claritati.

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM De Euangelio Secundum Mattheum.

*Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem oliueti, tunc misit duos discipulos, & reliqua quæ sequuntur.*

Matth.21. De virtute verbi Dei, & quod virtus est in herbis, & lapidibus pretiosis, sed maior in verbis. Sap.16. Ioan.5. Mat.11. Psal.118.

CVM Dominus in verbis, & herbis, & lapidibus preciosis virtutē posuerit, lōgè maiorē efficatiā cōtulit verbis quā lapidibus & herbis. Quantæ enim sit dignitatis & virtutis verbū Domini, ostendit ipse filius Dei, qui seipsum verbū vocari voluit. Virtute etiam verbi Domini creata sunt vniuersa. Ipse enim dixit, & facta sunt. Ad verbum Domini mortui resurgent, quando dabit voci suæ vocē virtutis. Ad prolationē etiam verbi Dei efficitur sacramentum altaris, & etiam sacramentum baptismi: vt ait Augustin. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentū. Prolatio enim verborum cum elemento aquæ exigitur ad baptismum. Ad prolationem etiam trium verborum tantū, scilicet, Lazare, veni foras: suscitatus est Lazarus. Similiter & multi ad pauca verba Dei suscitātur in spiritu. Vnde Psal. In æternū nō obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Sicut enim ad prolationem turpium verborum ad libidinē pertinentium, plerunque ad luxuriā incitantur homines: ita ad prolationē

verborum

verborum Dei ad deuotionem & pietatem incitantur audientium mentes. Multi enim accedunt ad sermonem ridentes, & recedunt flentes: Multi tepidi & frigidi, qui recedunt feruentes & calidi: multi cum voluntate peccandi mortaliter, qui, quãdo recedunt, mallent oculos amittere, quàm vnum mortale committere, iuxta illud: Vox Domini intercidentis flammã ignis, *Psal.* id est, ardorem tentationis. Nolite ergo obdurare corda vestra, neque impedire in vobis efficaciã verborũ Dei. Sed orate Dominũ, vt qui virtute verbi sui mortuos suscitabit, hodie mortuos in spiritu per verbum suum dignetur suscitare. Ad literam, Dominus noster Iesus Chri- *Quod hoc Euangelium bis legitur in anno.*
stus imminente eius passione super asinam venit in Ierusalem, & à turbis honorificè susceptus est cum ramis palmarum. Vnde hoc Euangelium legitur Dominica in ramis palmarum ad processionem, quia loquitur de aduentu eius ad passionem. Nihilominis tamen hodie legitur in Ecclesia, quia de aduentum eius in carnem, siue in mundum spiritualiter intelligitur. In quo venit ad soluendam asinam, id est, animam peccatorum pondere grauiter oneratam, & vinculis Diaboli ligatam, vt eam sibi per fidem & obedientiam subiiceret, & in cœlestem Ierusalem introduceret. Bis ergo legitur hoc Euangelium in anno propter duplicem Christi aduentum: quorum primus fuit in carne, secundus in mente. In quibusdam tamen Ecclesiis hodie legitur initium Euangelij Marci, quod sic incipit: Principium Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scri- *Marc.1.*
ptum in Isaia Propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. In quo tam de aduẽtu præcursoris Christi agitur, qui præparauit viam ante faciem Christi venturi: quàm de aduentu ipsius Domini, vbi subiungitur: Veniet fortior me, cuius non sum dignus procũbere soluere corrigiam calceamentorũ eius. Fortis quidem Ioannes fuit, qui baptismũ pœnitentiæ in *Quòd Christus Fortior Ioãne*
remissionẽ peccatorũ prædicauit: fortior Christus, qui peccata remittit. Fortis, qui Spiritũ sanctum habuit: fortior, qui tribuit. Fortis quo maior inter natos mulierũ nõ surrexit: fortior, cui *Matt.11.*
minorato paulominus ab Angelis omnia sub pedibus pater subiecit. Fortis, qui regnũ cœlorũ primus venit prædicare: fortior, qui illud potuit Dare. Vnde se indignũ asserit corrigiam calceamentorum eius soluere, id est, mirabilẽ vnionẽ diuinitatis ad humanitatẽ explicare. Nos autẽ secundum morẽ gallicanæ ecclesiæ, in qua prædictũ Euangelium secundũ Matthæum legitur *Quod multipliciter intelligitur Christus insedisse asinæ secundum spiritualem expositionem. Matt.20. Gal.6.*
de aduentu Christi in spiritualem Ierusalẽ, id est, Ecclesiam militantẽ, & de aduentu eius prosequemur. Insedit enim asinæ, id est, Ecclesiæ suæ, qua vtitur tanquam iumento, vt ferre faciat pondus diei & æstus. Iugum enim imponẽs illi, & præcipiens vt fraterna deportet onera. Sicut scriptũ est: Alter alterius onera portate. In dorso autem Christũ asina portat, dum pœnitens pro peccatis pondus satisfactionis suscipere nõ recusat. In humeris autẽ cum Symone Christũ portamus, dum ipsius crucem tollentes baiulamus. In ventre autẽ cum Maria ipsum ferimus, dum sobriè & castè viuimus. In vlnis autẽ & manibus ipsum portamus cũ Symeone, dum eleemosynas pauperibus erogamus, & alia opera misericordiæ facimus. Potest autẽ per asinam Christi *Quod multipliciter Christus à multis portetur.*
caro intelligi. Asinæ ergo spiritualiter insedit, dum carnẽ humanã assumpsit: in qua peccata nostra, id est, pœnam pro peccatis tulit in corpore, scilicet, proprio super lignum ex multitudine misericordiæ & pietatis & præeminentia charitatis, quæ per montẽ oliueti designantur. Caro *Christi caro asinæ comparatur. Ierem.14.*
prætereà Christi, asina dicitur, quia venit in carne mansuetus & abiectus, & quia natus est ad laborẽ. Venit enim ministrare, non ministrari. Venit terram Adæ maledictam excolere. Vnde Ieremias ait: Quare sicut colonus futurus es in terra? Venit more asinę fortis ad sustinendum, & quasi debilis ad resistendum. Vnde & idem Ieremias ait: Quare futurus es, id est, venturus es vt fortis, qui saluare non potest? Dicitur prætereà Dominus veniisse super pullũ, eò quòd fuerit vagus, non habens certã mansionem. Propterea in eadem authoritate Ieremias ait: Quare futurus es, quasi vir vagus? Hos igitur modos aduentus Christi prosequamur: Alia autẽ, quæ *Expositio, & prosecutio huius authoritatis Ieremiæ Quare sicut colonus, &c. Quod Dominus agricolæ comparatur.*
in Euangelio hodierno leguntur, dante Domino, in Dominica Palmarum prosequemur. Prædictos autẽ veniendi modos Ieremias expressit sub his verbis: Quare sicut colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es sicut vir vagus, & vt fortis qui saluare non potest? Venit enim Dominus sicut colonus seu agricola super asinã & quasi vir vagus super pullum. Tanquã colonus seu agricola venit Dominus, vt terram Adæ maledictã, quæ spinas & tribulos germinabat, excoleret: & sterilem, fertilẽ redderet. Sicut scriptum est: Benedices coronę anni benignitatis tuę, & campi tui replebũtur vbertate. Comparatur autem Dominus agricolę propter nouẽ ipsius proprietates: Agricola enim tẽpore hyemali & pluuioso super pulchrã tunicã sacco indutitur. Et Dominus sacco humanitatis abscõdit pretiosa vestimenta diuinitatis. Venit enim tempore hyemali, nebuloso, & pluuioso, diluuio peccatorũ mũdum submergẽte: Sicut scriptũ est. Ego autẽ cùm mihi molesti essent induebar cilicio: sacco, scilicet, cilicino humanitatis, sub quo multa aspera sustinuit. Et iterum: Tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam, id est, faciendi opus redemptionis nostræ, quia mala multiplicata sunt super terram. Pauper etiam agricola quandoque super humeros suos aratrum suum portat, & Dominus propriis humeris aratrum crucis baiulauit. Lignum huius aratri crux Domini, ferrũ clauis, quibus fossa est terra corporis Christi, de qua Isaias: Ingredere in petram, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini. In foraminibus enim huius petræ tanquam in nido debemus abscondi propter accipitres, id est, in fide passionis Christi propter dæmones. Hoc aratro Dominus tantum vnum latronem lucratus est in die passionis. Agricola magno labore spinas & radices ab agro euellit. Et Dominus vt spinas peccatorum nostrorum euelleret

*Quod Dominus agricolæ conueniunt. Prima proprietas quod agricola tempore pluuioso sacco induitur. Secunda proprietas, agricola pauper humeris fert aratrum. Tertia proprietas, agricola spinas euellit ab agro.*

vsque

vsque ad sanguinem manuum laborauit: sicut scriptum est in Isaia: In manibus meis descripsi te, id est, manifestè ostendi quantum dilexerim te, ex manibus meis laceratis propter te. Agricola terram fimo fœcundat, sicut dicitur in Euangelio: Domine sine hoc anno vt circunfodiam, & mittam stercora, vel quoddam genus terræ, quod malla vocatur. Et Dominus terra illa quam assumpsit de virgine loco mallę terram yberem reddidit. Opprobria & contumelias quæ sustinuit pro nobis, tanquam fimum super terram ecclesiæ posuit, vt pinguescerent speciosa deserti. Agricola terram scindit aratro, & euertit. Et Dominus variis flagellis, terram Ecclesiæ scindendo vertit impium & conuertit: sicut scriptum est: Verte impium, & non erit, scilicet, impius. Dū enim sensualitas (quæ prius Dominabatur) rationi subiugatur, & pars illa quæ prius erat inferior fit superior, & econuerso, quæ prius erit superior fit inferior: & ita terra fit idonea ad suscipiendum semen. Vnde Dominus conqueritur per Prophetam de Effraim, dicens: Effraim factus est quasi panis subcinericius, qui non est reuersatus, & ita cinis peccati non est ab eo excussus. Agricola semen in terram proiicit, & operit. Et Dominus, semina verbi diuini spargendo in parabolis & misteriis, ne indignis aperta derideren tur, & conculcarentur. Vnde in Euangelio: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et Salomon in parabolis: Sapientes abscondunt scientiam. Agricola propter bestias & propter transeuntes agrum claudit. Et Dominus propter bestias, id est, dæmones custodia angelorum ecclesiam muniuit lapidibus quadratis, id est, sanctorum Patrum præcedentium exemplis & doctrinis nos munit. Sicut scriptum est in Isaia: Lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus. Reprobatis enim Iudæis sancti Apostoli & doctores conuersi de gentibus fortes successerunt. Agricola terram arentem irrigat. Et Dominus sanguine suo & lachrymis terram ecclesię irrigauit. Dedit etiam nobis stillicidia doctrinę stillantia super terram. De quibus Psalmus. In stillicidiis eius lętabitur germinans. Agricola succrescentes herbas inutiles, ne bonum semen suffocent, sarculo scindit. Et Dominus suborientia vitia ne virtutes suffocent per virtutem confessionis rescindit ministerio sacerdotum, de quibus dicitur per Ieremiam: Si separaueris præciosum à vili, quasi os meum eris vt sacerdos loquens pro me ad populum. Ex hac agricultura procedit fructus, de quo dicitur in Marco: Vltro enim terra fructificat: primò herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Ex semine enim procedit germen bonæ voluntatis. De hinc herba, id est, principium bonæ operationis: tandē frumentum in consummatione operis. In spica tria sunt, haresta, id est cōpunctio pro peccatis: palea, memoria nostræ fragilitatis, & vanitatis, sub quibus cōseruatur frumentū in horreo Domini reponendum. Sequitur in Ierimia: Et quasi viator declinans ad manendum. Ipse declinauit, formam serui accipiens, paulominus minoratus est ab angelis, vt esset Emanuel, id est, nobiscum Deus: Sicut scriptum est in Baruch: Post hęc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Habuit autem in hac via inter alia tria valdè angusta hospitia, virginis vterum, præcepe, & sepulchrum. Ipse viator, via, & viaticū. Via, per quam gradimur: viaticum, quo sustentamur: viator, quo duce securè gradimur. De quo viatore dicit Psalmus: Exultauit vt gygas ad currendam viam. Ipse etiam de se dicit ad patrem: Propter verba labiorum tuorū ego custodiui vias duras, id est, vt mandatum tuum adimplerem, factus sum obediens tibi vsque ad mortem. Vię durę sunt vię paupertatis, peregrinationis, abiectionis, cōtumeliarum, irrisionis, crucis, & mortis. Viator seu peregrinus dicitur Christus, quia multos pascit ingratos, & citò traditur obliuioni: & in hac peregrinatione multa aspera & dura verba audiuit, sicut solet accidere peregrinis. Vnde ipse de se dicit: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meę, id est, Iudæis synagogæ. Sequitur quare futurus es quasi vir vagus? Ipse enim in propria venit, & sui eum non receperunt. Samaritani etiam noluerunt eum recipere, quia habebat faciem euntis in Ierusalem: sicut multi hodie, qui habent faciem & habitum euntium in supernam Ierusalem, à secularibus & reprobis hominibus abiiciuntur & contemnuntur. Vagus dicitur, quia non habuit hic certam mansionem, nec habuit vbi caput reclinaret, nō fuit ei locus in diuersorio. A Iudęa fugit in Ægyptum, de Ægypto reuersus cū esset annorum duodecim, solus remansit in Ierusalem: Cùm factus esset annorum triginta, de ciuitate in ciuitatem circuiens, & verbum salutis annuncians, varia mutabat hospitia. Adhuc quotidie circuit, quærens si quis eum hospitio recipiat, stans ad ostium & pulsans, & receptus frequenter eiicitur: & ideò vagus à Propheta dicitur. Sequitur: Et vt fortis, qui saluare nō potest. Quandoque signa potentiæ ostendit Dominus, quando scilicet, miracula faciebat: in cruce verò infirmitatem suā, quasi seipsum saluum facere non posset, ostendit. Et vt ita dicam, aliquando fuit quasi partim Deus, partim homo, scilicet, ante mortem. Esuriebat enim & sitiebat: & tamen operą, quæ nullus alius fecit, faciebat, in morte quasi totus homo: post mortē verò, quasi totus Deus. Ex hac ergo varietate diabolus variis suspitionibus confundebatur: quandoque æstimans filium Dei, quandoque purum hominem. Credibile verò est, quod iam pasione eius imminente, cùm iam animæ sanctorum in lymbo inferni de sua liberatione exultarent, tūc demum cœpit intelligere diabolus ipsum esse saluatorem venturum. Vnde voluit impedire mortem eius per vxorem Pilati, sed non potuit. Fuit igitur & fortis qui saluaret. Adolescens, tibi dico, surge. Ecce potentia. Pater, si fieri potest, trāseat à me calix iste, Ecce infirmitas. Prouidens ergo Propheta in spiritu, & admirans tantam Saluatoris humilitatem, affectu compassionis, seu admi-

*Quarta proprietas, agricola terram stercorat. Psal. 64.*

*Quinta proprietas, agricola terram aratro scindit.*

*Sexta proprietas, agricola semen spargit, & operit.*

*Septima proprietas, agricola propter bestias agrum claudit.*

*Octaua proprietas, agricola terram arentem irrigat.*

*Nona proprietas, agricola succrescentes herbas euellit. Ierem. Marc.*

*De multiplici fructu agriculturæ.*

*De proprietatibus spicæ. Ierem. 14.*

*Quod Christus viatori comparatur & de triplici eius hospicio. Baruch. Psal.*

*Quod Christus est viator, via, & viaticum.*

*De duris Christi viis, & quare dicitur Peregrinus. Ierem. 14. Ioan. 1.*

*Quod Christus quasi vagus fuit in seculo.*

*Quod Christus licet fortis, infirmitatem ostendit.*

*Recapitulatio cum breui prædictorum expositione.*

seu admirationis exclamauit, dicens: Quare sicut colonus futurus es in terra? Ac si diceret: Domine audiui auditum tuum, & timui, consideraui opera tua, & expaui. Quantus & quàm mirabilis est excessus iste, quem facturus es in Ierusalem. Absit hoc à te Domine: hoc opus alienum ætate: propitius esto tibi. Qui existens enim in cœlo solo verbo restauras vniuersa, quare venturus es laborare in terris, quasi pauper agricola? Tu qui via es vniuersorum, in quo viuunt, mouentur & sunt vniuersa, apud quem manent omnia: quare futurus es quasi viator declinans ad manendum? Tu qui vbique præsens es super omnia non elatus, infra omnia non depressus, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, stabilisque manens, das cuncta moueri: quare futurus es quasi vir vagus? Tu qui omnipotens es, cuius potentiæ nemo resistit, cuius fortitudo inuincibilis, iustitia inflexibilis, sapientia infallibilis, maiestas incomprehensibilis, magnitudo ineffabilis, qui apprehendis tribus digitis molem terræ, portasque omnia verbo virtutis tuæ, qui omnia saluas, & conseruas in esse, qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione: quare futurus es vt fortis qui saluare non potest? Desydero Domine præsentiam tuam, sed admiror humilitatem: cupio fructũ, sed stupeo modum: exulto de nostra salute, sed expauescit cor meum de tanta dignatione. Veruntamen fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Deiectio tua, sublimitas est nostra: quantò te amplius pro seruo humiliabis, tãtò glorioſius seruum honorabis. Nos ergo fratres charissimi ad imitationem huius agricolæ cuius vita, nostra doctrina, cuius actio nostra lectio: hoc tempore hyemali, quia nondum æstas ęternitatis nobis illuxit, sacco humilitatis vestimenta preciosa virtutum operiamus: aratrũ crucis Dominicæ corpus nostrum affligendo, humeris nostris portemus. Si enim cõpatimur, & conregnabimus. Terram liberi arbitrij, spinas peccatorum & pruaorum desyderiorum euellendo, colamus: memorando Christi beneficia in carne nobis exhibita, mallam superponamus: eius autem opprobria recolendo, tanquam fimo terram cordis nostri impinguemus: vomere contritionis scindamus, & euertamus: virga disciplinę in terra corporis nostri sulcos faciamus: semen operum misericordiæ, distribuendo bona nostra pauperibus, seminemus. Semen autem bonorum operum, ne per iactantiam aut vanam gloriam pereat, contra aues infernales operiamus. Agrum nostrum, quinque sensus districtè custodiendo, ne mors intret per feneſtras nostras, sæpiamus. Herbas inutiles suborientes, praua scilicet, desyderia, & motus primos antequam ad consensum procedant, resecare studeamus. Simus viatores, vias duras post Christum ambulantes. Quilibet eriam se reputet vagum, scilicet, hospitem & peregrinum. Non enim habemus hic manentem ciuitatem sed futuram inquirimus. Simus etiã vt fortis, qui saluare non potest: fortes in Christo, de nobis nihil præsumentes: vt agricola noster fructũ in nobis copiosum reperiat, vt viator noster declinare dignetur ad manẽdum in nobis Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

*Ierem. 14.*

*Conclusio, in qua proprietates agricolæ moraliter nobis adaptãtur.*

*Quod viatores, & peregrini, & fortes in Christo, at debiles in nobis esse debemus.*

## DOMINICA SECVNDA IN ADVENTV DOMINI.

### THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, ex Isaia Propheta secundum sententiam.

*Populus Syon ecce Dominus veniet ad saluandas gentes, & auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ in lætitia cordis nostri.*

CAPTIVI qui in carcere & in compedibus detinentur, valdè gaudent & magnã recipiunt consolationem, quando de liberatione & salute sua audiunt fieri mentionem. Similiter exules & peregrini, cum magno desyderio literas de patria sua recipiunt. Vnde Dominus ante incarnationem multis modis consolatus est sanctos suos qui se miseros & exules cognoscebant, & mundum istum carcerem reputabant, nullamque consolationem habebant in rebus istis transitoriis, sicut Psalmista ait: Renuit consolari anima mea, scilicet, in rebus temporalibus & transitoriis. Et iterum: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Prænunciabat igitur Dominus per omnes Prophetas, quod venturus esset ad saluandas gentes, quod captiuos liberaret, & exules ad patriam reduceret, & suam restitueret eis hæreditatem: hoc est quod quotidie postulamus dicendo: Adueniat regnũ tuum: id est, reuertatur ad nos hæreditas nostra, scilicet, regnum cœlorum. Nunciabatur ergo Dominus venturus ad suorum consolationem: & tamen differebatur, vt ex dilatione cresceret desiderium, ex desiderio meritum retributionis augeretur. Vnde Propheta Abacuc ait: Si moram fecerit, expecta eum, id est, patienter sustine, donec optata veniat sicut mercenarij dies eius, in quo requiem & lætitiam pro recompensatione laboris recepturi sunt mercenarij pro mercede retributionis æternæ, pondus diei & æstus sustinentes. Sicut enim mercenarius prestolatur finem operis sui: ita & isti præmium pro labore suo cum summo desiderio præstolabantur, lauantes pedes suos in butyro Dominicæ incarnationis, quam expectabant. Caro enim Christi venturi per meditationem degustata ita fuit sapida, quod fecit eis omnem aliam carnẽ desipere. Ipse autem venit saliens in montibus, id est, in Apostolis, qui eum præsentialiter viderunt, & transiliens colles, id est, Prophetas, qui voluerunt videre, & non viderunt corporaliter: viderunt tamen spiritualiter, sicut Dominus ait: Abraham vidit, & grauisus est. Vnde in Canticis: Similis esto capreæ hinnuloque ceruorum, vt scilicet, facias nos salutem nostram acutè

*Quod captiui libenter audiunt de liberatione sua loqui.*

*Psalm. 119.*

*Quod Dominus ad consolationem suorum multipliciter se venturum prænunciauit.*

*Matt. 6.*

*Quod sancti cum desiderio & patientia aduentum Christi expectauerunt. Abacuc.*

*Cantic.*

*Quod Christus capræ, hinnuloque comparatur.*

acutè intueri, & ad illam alacriter currere . Caprea acutè respicit, hinnulus autem celeriter currit. Prænunciatur igitur aduentus Domini in carne, non solum ad prædictorum patrum consolationem: verùm etiam ad tollandam omnem excusationem eorum, qui eum præsentialiter viderunt, & sicut prænunciatus fuerat, ipsum facilè cognoscere potuerunt. Vnde inexcusabiles sunt Iudæi reprobi, quos Dominus per Isaiam arguit, dicens: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit. Bos electi de Iudæis, qui iugum Christi receperunt, & asinus gentes, quæ ptius duræ & stolidæ Christum agnouerunt. Ad literam autem, dicitur quod inter asinum & bouem in præsepio iacuit, qui mirabiliter reueriti sunt eius maiestatem.

*Quod prænunciatus est Christus ne haberent Iudæi excusationẽ. Isaiæ 1.*

Reprobi autem Iudæi, & mundo diditi, seculares homines paupertatem fugiebant, diuitias appetebant, potentes autem honorabant, & pauperes reiiciebant. Vnde quia Dominus in paupertate & humilitate venit, non quærens gloriam suam, sed gloriam patris sui, despexerunt eum, & noluerunt recipere. Alius autem veniet in nomine suo, scilicet, in pompa & superbia, quem ipsi recipient. Potuerunt tamen ex scripturis sanctis aduertere, quod Dominus noster in paupertate & humilitate venturus esset. Dixerat enim Zacharias Propheta: Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator, ipse pauper sedens super asinam. Et Isaias prædixerat: Desyderauimus eum despectum & nouissimum virorum, quasi absconditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum. Conqueritur igitur Dominus, quia bruta animalia Dominum suum recognoscunt, & ad domos, in quibus nutriuntur & pascuntur, relictis aliis domibus, reuertuntur: Iudæi autem excæcati illum repulerunt, à quo tot beneficia receperunt, qui eorum infirmos sanabat, & mortuos suscitabat, & eis viam veritatis diligenter ostendebat. Canis cognoscit & diligit Dominum suum, Leo cognoscit & metuit magistrum suum, aues sua norunt tempora, vt iciant quando rigorem hyemis declinare debeant, ad calida festinantes loca, & Veris principio ad solitas redeunt regiones. Vnde Ieremias: Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, hyrundo, & cyconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Spiritualiter autem miluus rapax diabolum significat, qui more milui cadaueribus vescitur, immũdis enim delectatur, pullis insidiatur, & quos incautos repperit, citius necat, domesticas aues iuuadit, siluestres iuuadere non audet, sicut scriptum est: Nolite locum dare diabolo: resistite diabolo, & fugiet à vobis. Miluus enim infernalis timidus est in magnis, in minimis audax. Aliis est enim formica, aliis Leo: circa macella, & coquinas inhabitat, vt intestina, & alia quæ proiiciuntur, rapiat. Immundis enim & carnalibus desideriis delectatur, & gulosos in coquinis & macellis cogitatione & desiderio inhabitare facit. Diabolus autem in cœlo, id est, in aëre circa nos volitans, callidus est in malo, & tempus suum cognoscit. Per coniecturas enim & varias suspiciones tempus oportunum ad tentandum & præcipitandum obseruat, & attendit. Si autem solicitus est, & astutus in malitia: quantò magis nos subtiles, & studiosi esse debemus de salute nostra, vt cognoscamus Christi aduentum, & iudicium Domini futurum. Nam & milui, homines scilicet gulosi, diligenter & studiosè nituntur agnoscere cuiusmodi pisces, quibus temporibus sint sapidiores. Similiter de carnibus volucrum & pecudum, quo tempore anni meliores sunt ad edendum, cognoscere procurant. Per turturem autem, & hyrundinem & cyconiam sancti viri intelligi possunt, quorum exemplo reprobi Iudæi tempus visitationis suę debuerunt agnoscere, & dicere cum Nicodemo: Nemo potest hęc signa facere, quę tu facis: nisi fuerit Deus cum illo. Turtur quandiu maritus eius viuit, nunquam recedit ab eo: quo mortuo nunquam alij copulatur, sed solitaria incedens, siccis arborum ramis insidet, gemens & tristis. Per turturem igitur sancti, casti, & iusti designantur, qui solitarij incedunt à tumultu mundi remoti, gementes & dolentes pro morte Christi, & pro peccatis suis, & aliorum, super siccum paupertatis ramum insidentes. Absconduntur autem in hyeme: in præsenti enim seculo propter vanitatem, in æstate autem futura in cœlum volabunt. Hyrundo similiter, quæ in collo & pectore rubicunda est, sanctos significat, quibus Christi passionis fides in corde est, & in ore: dum corde credunt ad iustitiam, ore autem confitentur ad salutem. Cuius stercoribus cum Thobia excæcantur, id est, temporalibus, quæ sancti tanquam stercora reputant, sicut Apostolus ait. Fugit autem hyemem, & ad calidas regiones transit, id est, genlicidium peccatorum, & torporem ignauiæ fugiens ad Austrum Spiritus sancti tendit, vt habitet in feruore charitatis. In nidis construendis, & pullis educandis solicita est hyrundo. In fide enim Christi spem suam vir sanctus ponit; & ibi pullos bonorum operum recondit, & proximis educandis & nutriendis intendit. Hyrundo lapsura culmina deserit: & sancti præsentis sæculi ruinam fugiunt, ne cum ruente opprimantur, & ruant. Mare autem transuolat hyrundo: dum sancti mundi huius amaritudinem transeundo extra mundum Deo seruiunt. Reuertitur hyrundo post frigus hyemis, vt annunciet initium Veris: ita iustus post tentationes ad temperiẽ Domino ducente peruenit, & in seipso bonę cõuersationis exemplũ & virorũ virtutũ aliis ostẽdit. Quærit autẽ Veris initiũ: dũ in se tenet discretionis & tẽporantiæ modũ. Hyrundo cibum resídens non sumit, sed in aëre quas capit escas, edit: & vir iustus in terrenis non quiescit, nec ea diligit, sed remotus à terrenis cœlestia quærit. Hyrundo nec alias infestat aues, nec ipsa ab aliis rapitur: quia viri iusti nec alios lędunt, nec vnquã dęmonibus prędã fiunt.

*De excæcatione Iudæorum, qui Christum non agnouerunt, nec recipere voluerunt. Ioann. 8. Ioan. 5. Zach. 9. Isaiæ 53.*

*Quod bruta animalia cognoscunt benefactores suos, & tempora visitationis suæ: Iudæi autem ingrati & excæcati facti sunt. Matthæi 11. Ierem. 8.*

*De miluo & eius proprietatibus. Ephes. 4. 1. Petri 5. Iacob 4.*

*De turture, cyconia, & hyrundine, & earum proprietatibus. Ioan 3.*

*De natura turturis.*

*De natura hyrundinis. Rom. 10. Thob. 2. Phil. 3. Iob. 29.*

Cyconia

Cyconia similiter tempus aduentus sui cognoscit, & est nuncia Veris: & sancti cæteris demonstrant temperantiam compositæ mentis. Societatem diligit: & sancti societatem fraternitatis diligunt, quia bonum est, & iucundum habitare fratres in vnum. Cyconia serpentibus est inimica: & sancti dęmonibus inimicantur, & peruersos fratres pungenti inuectione reprehendunt. Cyconia trans maria volat, & in Asiam pergit: & vir sanctus spretis mundi huius tumultibus ad altiora tendit. Eximia autem est cyconiæ erga pullos pietas, vt assiduo circa illos incubitu plumas exuat: Et sancti dum subiectos nutriunt, superfluitatis & leuitatis à se plumas eiiciunt. Quantum autem tempus in educandis pullis impendunt, tantum & ipsæ adinuicem à suis pullis aluntur: quia quandiu discipulus indiget disciplina, debet eum alere Prælatus, & subditi Prælatos alere debent, vt eis ministrent necessaria si indigeant. Turtur ergo, & hyrundo & cyconia eos arguunt, qui Christi aduentum in carne non cognoscunt, & futurum iudicium non attendunt, nec pertimescunt. Vnde & Dominus in Euangelio Lucę ait: Cùm videritis nubem orientem ab Occasu, statim dicitis, nymbus venit & ita fit. Et cùm Austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & ita fit. Hypocritæ faci m cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Qui enim ex elementorum immutatione statum temporis possunt agnoscere, possent & tempus vtriusque aduentus scire, tum ex præcedentibus signis, tum ex dictis Prophetarum, tum ex magnitudine operum. Nubes oriens ab Occasu, Christi carnem à morte resurgentem designat, ex quo tempore nymbus terris infusus est, imber Euangelicæ prædicationis. Auster flans ante æstum, signat leuiores tribulationes ante iudicium. Auster etiam flauit, cùm Dominus spiritum suum in die Pentecostes discipulis immisit: sed postmodum in Ecclesia primitiua graues subsecuti sunt æstus tribulationum. Per nebulam etiam sicut per nubem aduentus Christi tempora designantur. Ascensus enim nebulæ (vt dicitur) pluuiam parit: & Christus post ascensionem Spiritus sancti pluuiam in discipulos misit. Descensus nebulę serenum adducit: & Christus incarnatus pacem mundo reddidit. In Matthæo autem Dominus ait: Facto Vespere dicitis: Serenum erit: rubicundum enim cœlum. Et mane, hodie tempestas: rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Increpat eos quòd ex qualitate elementorum discernant qualitates temporum: signa autem aduentus eius ignorant, cùm omnis lex, & Prophetę ex operum (quę fecit) magnitudine ipsum aduenisse iudicent. Rubicundum fuit cœlum in vespere, id est, ipse Christus in passione, per cuius mortem serenitas facta est mundo, dum reconciliati sumus Deo. In mane autem, id est, in initio nascentis Ecclesiæ passi sunt Apostoli, & martyres sancti, per quos iudicium futurum potuerunt agnoscere: post tribulationes enim sanctorum maiorem expectamus tempestatem impiorum. Sicut scriptum est. Si in viridi hoc faciunt, in sicco quid fiet? Moraliter autem cœli rubor ad animæ desiderium potest referri: quę si vespere rubeat bona serotina & ętema desiderans, signum est futuræ serenitatis & salutis ipsius: Si autem mane rubeat bona terrena, & temporalia desiderans, signum est futuræ tempestatis, & ipsius perditionis. Potuerunt igitur reprobi Christi aduentum cognoscere, sicut norunt de rebus aliis per signa iudicare. Dominus enim noluit improuisus venire: sed more regali nuncios suos cum literis, & intersigniis præmisit, Prophetas scilicet, cum scripturarum testimoniis, & figuris rerum sensibilium prænunciantibus eius aduentum, sicut Moysi ignis in rubo apparuit, qui ardebat, sed tamen rubum non consumebat, nec comburebat. Rubus ardebat, quia verbum vnitum carni eam inflammabat, sed non comburebatur: quia humana natura à diuina non absorbebatur. Similiter virga absque humano opere fronduit, & floruit, & amigdala pertulit: dū virgo sine humano semine fronduit in annunciatione, floruit in conceptione, fructum protulit in filij natiuitate. Multis aliis signis prænunciatus est eius aduentus, quæ longum esset enarrare. Iudæi autem malitia sua excæcati neque per scripturas, neque per signa aliqua, neque per opera mirabilia quæ fecit, ipsum agnoscere vel recipere voluerunt, quemadmodnm prædixerat Dominus per Isaiam: Quis cæcus, nisi seruus meus? Et quis surdus, nisi ad quem misi nuncios meos? Et iterum: Audite audientes, & nolite intelligere: videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Fuerunt autem non solum excæcati, vt non cognoscerent: sed insuper ingrati, vt tantis beneficiis non prouocarentur. Vnde Dominus per Iob ait. Seruum meum vocaui, & non respondit mihi: ore proprio deprecabar illum. Vocauit eos Dominus collatis muneribus, sed ei non responderunt: quia digna opera eius donis non reddiderunt: dedit eis præcepta per Prophetas antequam incarnaretur, postmodun in carne apparens ore proprio ipsos deprecabatur. Cùm autem quatuor sint ingratitudinis genera, omnibus modis ingrati extiterunt Domino venienti. Ingratus enim est, qui beneficium se negat accepisse. Ipsi autē non solum benefactorem negabant, sed insuper malefactorem asserebant, dicentes Pilato: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram. Ingratus est qui beneficium se accepisse dissimulat. Vnde post multa beneficia dixerunt ei Iudæi: Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto. Petebant ab eo manna dissimulantes alia beneficia, ac si nihil boni operatus esset, vel eis nullum aliud beneficium contulisset. Ingratus est qui se obliuiscitur accepisse. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris. Ipsi autem Christi bene-

*De naturâ cyconiæ. Psal.*

*Luc. 12.*

*De nube & austro.*

*Quod per nebulam Christus intelligitur. Matth. 16.*

*Quid signatur per rubórem cæli in vespere, & quando rubet in mane. Rom. 5. Luc. 21.*

*Quod Dominus nũcios sũ literis & intersignis ante se præmisit. Exod. 3.*

*De figuris Christi aduentum prænunciantibus. Num. 17.*

*De excæcatione & ingratitudine Iudæorum. Isaiæ. 42. Isaiæ. 6.*

*Iob. 19.*

*De quatuor generibus ingratitudinis. Luce 23. Ioan. 6.*

*Eccle. 29.*

sti beneficia obliti sunt, sicut scriptum est: Obliti sunt eum, qui saluauit eos. Ingratus est qui se accepisse cognoscit, sed nec retribuit, nec gratias agit. Vnde Dominus in Euangelio: Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo: nisi hic alienigena. Sicut autem Christo veniente in carne excæcati sunt reprobi Iudæi, & ingrati extiterunt: ita ante eius aduentũ, non ipsum desiderabant, nec de eius aduentu curabant. Vnde nec ad contemptores illos sermo dirigitur, nec populo Babyloniæ gaudium de Christi aduentu nunciatur: sed populo Syon, sanctis qui cum omni diligentia & desiderio ardenti Christi speculabantur aduentum. Syon enim specula vel speculum interpretatur. Nam & ipsi quasi in speculo & in ænigmate per signa & figuras, & obscuras prophetias Christi intuebantur aduentum, vt scilicet, Iosue noster populum Domini in terram promissionis introduceret, vt ostium regnis subuersis, populo suo cœlestem hæreditatem diuideret, vt vellus & concha Gedeonis, id est, beata virgo rore cœlesti compluretur: quod factum est in incarnatione, quãdo verus Salomon fecit sibi thronum aureum de ebore candido, nec factum est tale opus in vniuersis regnis: quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Vt Samson noster desponsata sibi vxore alienigena, id est, Ecclesia de gentibus leonem, id est, Diabolum interficeret: in cuius ore fauum mellis inuenit, sanctos scilicet, quos descendens ad inferos quasi de ore leonis extraxit. Vt mitteretur Moyses, id est, Christus à Domino in Ægyptum, id est, mundum istum, & liberaret populum Domini de manu Pharaonis, id est, diaboli. Vt Anna, id est, gratia faceret paruam tunicam Samuëli, id est, Christo per incarnationis humilitatem. Vt verus Dauid manu fortis & aspectu desiderabilis pugnaturus contra Goliam, id est, diabolum. In his & aliis variis signis & figuris, quasi in speculo Christi intuebantur aduentum. Omnia enim eis contingebant in figuram. Populo igitur Syon dicitur: Ecce Dominus veniet ad saluandas Gentes, id est, sanctis viris in eminentia vitæ, quasi in altitudine speculæ mente paradysum deambulantibus, qui noctis vigilias custodiunt præcauentes sibi ab inimicorum insidiis iusti & timorati. Hæc est enim bona animæ temperantia: nam iustitia virtus est, timor autem custos virtutum. Ascendamus & nos cum ipsis in specula, id est, in eminentia sanctæ conuersationis, canentes tuba in Syon, aspicientes vndique sicut præcepit Dominus Abrahæ dicens: Vade à loco in quo nunc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Ad Aquilonem respicimus, vt à diaboli tentationibus nobis præcaueamus: ad meridiem, dum mentis oculos leuamus ad æternæ gloriæ retributionem: Ad Orientem, natiuitatem nostram intuendo: ad Occidentem, mortem nostram ad memoriam reducendo. Et quoniam scriptum est de Diabolo in Ezechiele: Ascendam ad terram absque muro, veniam ad habitantes securè: non torpeamus securitate, sed ascendamus speculam, & præmuniamur contra timorem nocturnum, id est, falsos fratres: Per equum nigrum, quem vidit Ioannes in Apocalypsi, designantur. Contra sagittam volantem in die: hi sunt aperti persecutores, scilicet, equus rufus, quem in Apocalypsi vidit Ioannes. Contra negociũ perambulãs in tenebris: hi sunt hypocritę, equus scilicet, pallidus, quem idem Ioannes vidit. Contra dæmonium meridianũ, id est Antichristum, qui venturus est in pompa & elatione. Ascendamus igitur per meridianam plagam, sicut exploratores, quos misit Moyses, vt consideremus infirmiora terræ, infirmitatem scilicet, transitoriæ vanitates huius seculi. Vt videamus & cognoscamus, quia vita præsens nihil est nisi tentatio & labor, & afflictio spiritus, vapor ad modicum parens, terra, puluis, spuma, cinis, somnus, vmbra, fumus, aura, sibilus, & ventus, sicut tabernaculum pastorum, & sicut tugurium in cucumerario. Populos autem Babyloniæ, cuius conuersatio in infimis est, non in specula: qui non solum ex curis secularibus contrahit lippitudinem, sed ex criminalibus vitiis cæcitatem, fumo superbiæ excæcatur, ne consideret iustitiam suam: & terra cupiditatis, vt non attendat, quod non ignorat, cui congreget pecuniam: atque luto luxuriæ, vt non aduertat quanta amaritudo breuem sequatur voluptatem. De quo Isaias ait: Speculatores eius cæci omnes, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Quia diabolus dextros oculos abstulit eis, & sinistros reliquit: non intuentur nisi sinistra, id est, vana & transitoria. Ciues enim Babyloniæ qui mundum fugientem diligunt, & fugitiuum sequuntur, qui labenti inhærent, & cum cadente cadunt, & cum trahente in præcipitium pertrahuntur, capitaneum suum sequuntur. Hic est Diabolus non verè rex, sed crudelis tyrannus, qui nobiles in regno suo nititur destruere, id est, motus rationis: ignobiles autem exaltare, id est motus sensualitatis. Hi ergo nec desiderauerunt absentem, nec receperunt præsentem. De quibus Dominus per Ieremiam, iuxta aliam interpretationem. Negauerunt me & dixerunt, non est ipse. In quorum persona Isaias ait: Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis contrectauimus, impegimus in meridie, quasi in tenebris. Populus autem Syon, id est, ciues Hierusalem sub vno summo capitaneo, qui habitare facit vnius moris in domo, congregatus summè potenti regi suo exhibet obedientiam, summè sapienti fidem, summè bono amorem: qui venturum in carne desiderauit, præsentem suscepit, venturum ad iudicium patienter expectat. Propterea Dominus ad eius consolationem, sicut in officio missæ hodiernæ continetur, gaudium & vocem iocunditatis prænuncians ait: Populus Syon ecce Dominus veniet ad saluandas gentes. Hic est Ioseph frater noster, qui licet aliquando loquatur asperè fratribus suis mittendo tribula-

*Luc. 17.*

*1. Colos. 13. Quod quasi in speculo & in ænigmate ex diuersis mysteriis & figuris sancti Christi aduentum cognouerunt. Iudith. 6. 3. Reg. 10. Iudith. 14. Exod. 3. 1. Reg. 2.*

*1. Reg. 17.*

*1. Cor. 10.*

*Luc. 2.*

*Qualiter ascendendum est in specula contra hostium insidias vt simus cauti & circumspecti. Ioël. 2. Gene. 13. Ezech. 38.*

*Apoc. 6. De equo nigro, rufo, & pallido, & de timore nocturno, & sagitta volante in die, &c. Num. 13. Gene. 42.*

*De vanitate vitæ præsentis. Eccles. 1. Iaco. 4. Isaiæ 38. Isaiæ 1. De populo Babyloniæ.*

*Isaiæ 56.*

*Ierem. 5. Isaiæ 59. De populo Syon, cui prænunciatur gaudium de Christi aduentu. Psal.*

*Gene. 45.*

tribulationes: veniet tẽpus cùm iam se nõ poterit vltra cohibere, sed dicet: Ego sum Ioseph frater vester, nolite pauere: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptũ. Verus enim Ioseph missus est pro salute nostra in hũc mundũ. Venit ergo ad saluãdas Gentes, salute dexterę, salute, scilicet, gratię in pręsenti, & glorię in futuro. Venit enim filius hominis quęrere & saluũ facere q, perierat. Venit ad saluãdas Gentes, dulci verbo, fideli seruitio, summę retributionis prę-mio eas ad se trahẽs, & sibi alliciẽs: terroribus etiã & minis inuitare cõpellens. Excitauit enim illas per timorẽ, proponẽs summè terribilia, scilicet, pœnas sine fine. Incitauit eas per concupiscentiã promittẽs summè desiderabilia, gaudiũ inæstimabile: sed quia nec sic flecti potuerũt, traxit per dilectionẽ seipsum morti tradẽs pro mũdi salute. Venit ergo Dominus, & auditã fecit gloriã vocis suæ, sicut scriptũ est: Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Et Apost. ait: Multiphariè, multisq; modis olim Deus loquẽs Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est in filio. Quàm glorioſa vox & suauis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Quàm glorioſa vox: Nolite timere pusillus grex: quia cõplacuit pàtri vestro dare vobis regnũ. Quanta & q̃ grata est gloria huius vocis: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Quàm glorioſa & iucũda vox, verbũ, scilicet, bonũ & suaue: Beati pauperes spiritu, quoniã vestrũ est regnũ cœlorũ. Beati pauperes, quibus ego sum diuitiæ. Beati abiecti, quibus ego sum honor. Beati cõtempti, quibus ego sum dignitas. Beati lugẽtes, quibus ego sum cõsolatio. Beati iusti, quibus ego sum retributio. Si dixisset Dominus noster, Beati diuites: quid faceret miseri homines? Vnus forsan aliũ cõculcaret, vel interimeret: vt eius diuitias possideret. Nunc autẽ paupertatis nostræ thesaurũ nullus cõcupiscit, vel desiderat auferre nobis. Paupertas enim bonũ est sine calũnia, quod bonũ quilibet potest facilè acquirere absq; alterius detrimẽto. In terris autẽ abundabat hęc species: sed nesciebat homo preciũ eius. Hanc itaq; filius Dei cõcupiscẽs descẽdit, & nobis eam sua æstimatione precioſam fecit. Eo autẽ ipso probatur vera esse medicina, quod multi eam abominẽtur, & abhorrẽt. Rursus si dixisset Dominus, accipite de inimicis vindictã: quid facerent pauperes, diuites impotentes cõtra nobiles? Nunc autẽ quia nobis Dominus auditã fecit gloriã vocis suæ, dicens: Mihi vindictã, & ego retribuã. Nolite in corde vestro habere rancorẽ, sed dilectionis suauitatem. Diligite inimicos vestros: in magna nos possuit tranquillitate, nec oportet ad vindictã nostrã multitudinẽ hominũ conducere, vel congregare. Si dixisset Dominus, Quærite primũ vitæ vestræ necessaria, posteà venite ad me: quid facerent ægeni & inopes? Nunc autẽ quia dedit Dominus gloriã vocis suæ, dicens: Quærite primùm regnũ Dei, & hæc omnia adiicientur vobis: omnẽ à nobis sollicitudinẽ, & cordis anxietatem remouit. Si dixisset Dominus, Ostendite bona quæ facitis, vt testes plurimos habeatis: quomodo ad omnia quę facimus, testes colligere, & producere possemus? Nunc autem quia dicit, Attendite ne iustitiã vestrã faciatis coram hominibus, ne videamini ab eis: inquietudinem congregãdi testes amouit à nobis, magnamq; contulit fiduciã cùm ait: Pater vester, qui videt in abscõdito, retribuet vobis. Quàm dulcia faucibus iusti eloquia Domini, & præcepta ipsius dulciora supra mel, & fauum. Dum Dominus aurem cordis illi aperit, vt auditã faciat gloriam vocis eius in lætitia cordis illius. Vnde B. Iob ait: Nónne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem? Et in Cant. Salomon ait: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluẽs? Sancti enim nisi verborũ Dei deliciis affluerẽt, ascendere ad superiora nõ possent. Quoniã autẽ vo lũtas domini per se fit, & de facili, nec laborat, nisi qui propriã vult facere voluntatẽ: gloriã vocis Domini cũ lętitia cordis iusti audiũt, vt possit dici de illis: Cantauimus vobis, & saltastis. Verbũ enim domini sapiẽtia sacerdotis summi, velut sal sacerdotale lętitiã generat, visum animę reparat stomachũ, id est, mẽtis statũ cõfortat. Populus autẽ Babylonię, qui vuã mãducauit acerbã, & obstupescũt dẽtes eius, suauitatẽ & saporẽ verbi domini nõ percipit, neq; gloriã vocis domini audit: dũ cordis illius aurẽ turba cogitationũ strepitu suo cõcludit, & obsurdescere facit. Sicut enim qui in inferno sunt nunq̃ nisi de tormẽtis suis cogitare possunt: ita q̃ inuoluũtur peccatis, ferè semper cogitãt de ipsis. Ciues ergo Babylonię gloriã vocis Domini in lętitia cordis nõ audiũt. Qui enim terrenarũ amore vincitur, nullatenus in Deo delectatur. Quãtò enim maiori studio exercetur ad infima, tãtò maiori fastidio torpescit ad summa. Nõ enim possunt gaudere in domino, qui lętantur in mũdo. Vnde nõ est gaudere impiis ad vocẽ domini mala cõscientia eos remordẽte: sicut non est securitas vicino serpente dormire. Vnde B. Hierony. ait: Difficile, imò impossibile est, vt pręsentibus & futuris quis fruatur bonis, & vt ventrẽ hîc, illic mentẽ impleat, vt de deliciis trãseat ad delicias, vt in vtroq; seculo appareat glorioſus. Patet igitur q, nõ gaudẽt in spe ciues Babylonię: dũ appendũt argentũ suũ nõ in panibus, & labores suos nõ in saturitate, nõ in gloria vocis domini delectãtur. Et quia hîc vocẽ domini audire noluerũt, dies eis peremptoria assignabitur, in qua in anima & in corpore puniẽtur. Vnde dominus p Isa. Tota die expãdi manus meas ad populũ nõ credentẽ, sed contradicentẽ sermonibus. Nolunt enim intrare ad gaudiũ, & vocẽ symphonię, vt comedãt vitulũ saginatũ cũ fratre redeũte, & patre occurrẽte. Propterea Dominus ostẽdit Zacharię volumẽ volãs, & dixit Angelus ei: Hęc est maledictio, quę egreditur super vniuersam faciẽ terrę. Gloria enim vocis domini, & verba diuinę scripturę, quę bonos quasi volãdo sursum attollũt, in maledictionẽ cõuertũtur reprobis, qui ea audire nolũt. Prędicta aũt verba quę de primo aduẽtu exposuimus, de secũdo aduentu ad iudiciũ intelligere possumus. Nã in hac pręsenti dominica simul agitur de vtroq; aduẽtu. In secũdo aduẽtu Dominus auditã faciet

*De salutẽ multiplici. Luc. 19.*
*Quod Deus multipliter excitat nos & trahit ad se.*
*Luc. 14.*
*Isaiæ 52.*
*Heb. 1.*
*De gloria vocis Domini.*
*Matth. 11.*
*Luc. 12.*
*Luc. 11.*
*Luc. 6.*
*Quare dixit Dominus Beati pauperes.*
*Iob. 28.*
*Quod suauia & leuia sint Christi mandata.*
*Exech. 9.*
*Rom. 10.*
*Matth. 5.*
*Matth. 6.*
*Quod verbum Domini dulce est bonis, & non est dulce malis.*
*Psalm. 118.*
*Isaiæ 50.*
*Iob 12.*
*Cant. 5.*
*Luc. 7.*
*Exech. 18.*
*Quod non est gaudere impii.*
*Isaiæ 48.*
*Iere. 12.*
*Isaiæ 55.*
*Isaiæ 65.*
*Luc. 15.*
*Zach. 5.*
*Quod non fecit primo aduentu, sed in secundo aduentu Dominus auditam faciet gratiam vocis suæ bonis, & terrorem vocis suæ malis.*

gloriam vocis suæ in lætitia cordis electorum suorum, quando dicturus est eis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Veniet enim ad saluandas Gentes, id est, electos de Gente sua: vt sit eis mensis ex mense. Quibus enim est perfectio in opere, erit perfectio in requie. Veniet autem non solùm ad saluandos electos, sed ad condemnandum, & puniendum reprobos. In die enim magnæ solennitatis congregabuntur porci ad victimam, vt occidantur. quibus dicitur: Populus Babyloniæ, ecce Dominus veniet ad perdendas Gentes, & auditam faciet vocem iræ suæ, in mœstitia cordis vestri. Quando, scilicet, dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Erit ergo clamor à prima porta, & vlulatus à secunda. Prima porta oculorum, quando videbunt agnos ab hœdis separari. Secunda aurium, quando audient: Ite maledicti in ignem æternum. Tunc superueniet eis repentinus interitus, tanquam in vtero habentis, & non effugient. Sancti autem exultabunt in gloriam, lætabuntur in cubilibus suis.

*Matth.25.*
*Isaiæ 66.*
*Ierc.12.*
*Matth.25.*
*Sopho.1.*
*1.Thess.5.*
*Psalm.149.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM de Epistola ad Romanos.

*Rom.15.* *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

*Quod vtrumque aduentum debemus attendere, vt speremus & timeamus.*
*Psalm.9.*
*Psalm.*

VERBA hodiernæ Epistolæ ad vtrunque Domini aduentum possunt referri. In hac enim Dominica partim de primo aduentu Domini in carne, partim de secundo ad iudicium ait Ecclesia: vt attendentes benignitatem primi aduentus, non desperemus. Sed ne aliquis de tanta misericordia præsumat, sicut qui dicit in corde suo, non requiret, id est, non vlciscetur Dominus peccata, non requiret ad puniendum: attendere debemus seueritatem secundi aduentus, vt timeamus: & ita spe sursum attollente, timore deorsum trahente, media via tutissimi ibimus. Propterea Propheta Dauid ait: Ostende faciem tuam, & salui erimus: faciem primi aduentus, vt imitemur, & confidamus, faciem secundi aduentus, ne præsumamus, sed timeamus. Hodie enim misericordia, cras iudicium: hodie Christus agnus, cras Leo: hodie Christo reconciliari possumus, cras non reconciliaret nos totus mundus. Securis enim posita ad radicem, id est, Christus ex parte manubrij, id est, humanitatis teneri potest, & contrectari: ex parte autem ferri, id est, diuinitatis rigida est, & acutissima, vt secet, eradicet tria arborum genera. Siccas, id est, apertè malos: foliatas sine fructu, id est, steriles hypocritas: foliatas cum fructu amaro, & insipido, id est, eos qui bona opera faciunt in mortali peccato absque charitatis sapore. In primo aduentu gladius patris, id est, filius, fuit absconditus quasi in vagina humanitatis: in secundo veniet euaginatus, & elimatus. Quantò autem gladius altius eleuatur, tantò percutit vehementius. Christus autem eleuatus est ad patris dexteram æqualis illi, nec potest amplius eleuari, vnde vehementissimè percussurus est inimicos suos & plaga insanabili in die illo: vt ait Isaias: Oculi sublimes hominis humiliabuntur, & Dominus solus exaltabitur: tremebunt eum Angeli & Archangeli. Quid faciet virgula deserti, vbi contremiscet cedrus Paradisi? Si enim Dominus dum persecutoribus responderet, Ego sum, vna voce mitissimæ responsionis armatos hostes suos in terram prostrauit: quis eius toleret iram, cùm iudicaturus venerit, cuius mansuetudo, cùm iudicandus aduenit, tollerari non potuit? Propterea Propheta supplicans & expauescens, ait: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Domine. Sed ne pauore nimio in foueam desperationis incideret, de primo aduentu in carne supplicans, ait: Ostende nobis Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Sicut autem primus gradus recedendi à Deo est superbia, quæ hominem excæcat, & aufert ei suiipsius cognitionem: ita primus gradus accedendi ad Deum est humilitas, per quam homo suam cognoscit miseriam. Vnde Ieremias in Threnis: Ego vir videns paupertatem meam. De cœlo enim descendit gnotoselitos, id est, nosce teipsum. Primò ergo orandus est Deus, vt ostendat nobis nostram miseriam: secundò, vt ostendat nobis suam misericordiam. Ex cognitione enim infirmitatis & miseriæ, magis apparet magnitudo misericordiæ. Sed quoniam non prodest considerare nostram miseriam, vel eius misericordiam, nisi prius Medicus suam nobis exhibeat præsentiam: orandus est, vt salutare suum det nobis, qui salutarem afferat medicinam. Quod fecit dum venit ad nos per incarnationem, sicut scriptum est in Ecclesiastico: Medicina omnium in festinatione nebulæ. Per nebulam enim quæ terram impinguando fructificare facit, intelligitur Christi humanitas, quæ fructus vberes attulit. Orat ergo Ecclesia, vt ostendat nobis Dominus misericordiam suam, quam exhibuit in primo aduentu. Orat vt ostendat nobis faciem suam: non solùm faciem primi aduentus, sed insuper faciem secundi: non solùm faciem hominis, verùm etiam leonis. Bonum est vtranque faciem intueri, faciem, scilicet, misericordiæ, & faciem iustitiæ: vt spem simul & timorem habeamus. Vtrumque autem in diuinis scripturis inspiciunt, qui eas diligenter attendunt. Non solùm enim in sacris scripturarum eloquiis de vtroque Christi aduentu mentio fit: sed de omnibus quæ ad salutem & doctrinam nostram pertinent. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctri-

*Tren.3.* γνῶθι σεαυτὸν. *De ostensione miseriæ nostræ, & Dei misericordiæ.*
*Eccle.35.*
*De duplici facie duplicis aduentus.*
*Rom.15.*

doctrinam & institutionem, ad ædificationem & vtilitatem nostram scripta sunt: nec potest aliquid excogitari ad fidem & bonos mores pertinens, quod non reperiatur in sacris voluminibus scripturarum. Sicut scriptum est: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Hæc est enim Spiritus sancti apotheca, Paradisus omnium pomorum, mensa omnium pretiosorum ferculorum. Aliæ seculares scripturæ sunt quasi nemus infructuosum: hæ autem hortus omnium delitiarum. In aliis autem scripturis multa scripta sunt ad curiositatem & vanitatem, multa scripta sunt falsa, quæ ducunt homines in errores: quædam tamen in eis inueniuntur, quæ ad nostram retorqueri possunt vtilitatem. Quædam enim vera Gentibus Deus reuelauit. Vnde & Balaam atque Sybillæ vera de Christo prophetauerunt. Firmius enim plerunque est testimonium, quod ab aduersariis pronunciatur. Vnde licèt aliquando de libris Gentilium proferre testimonium in his quæ ad fidem pertinent, vel ad morum ædificationem: & spoliandi sunt Ægyptij, vt ditentur Hebræi. Aurum enim quandoque inuenitur in luto, & lilium inter spinas. Vnde Apostolus ad Titum, doctrinæ suæ prouerbium hominis gentilis interserit de Cretensibus, dicens: Dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventris pigri. Vnde in Deuteronomio Dominus ait: Si quis exierit ad bellum contra inimicos, & mulier decora placuerit ei, radat ei pilos, & abscindat vngues, & vestimenta mutet, & sic eam potest assumere in vxorem. Si enim in libris gentilium viderimus pulchram sententiam, possumus eam ad aliud sumere, quod est vestes mutare. Debemus etiam superflua resecare, vt non plantemus lutum iuxta altare Domini, quod in Deuteronomio Dominus prohibuit. Rarò enim debemus in talibus scripturis studere, & pauca excerpere. Nam diuinæ scripturæ ad omnia vtriusque vitæ necessaria quantum ad salutem sufficiunt. Vnde beatus Hieronymus, quia nimis in libris gentilium studebat, verberatus est à Domino, dicente illi: Tullianus es, non Christianus. In Leuitico autem præcipitur ne dormiamus cum ancilla, licèt sit nobilis, id est, ne finaliter studeamus in secularibus scientiis. Quæcunque autem scripta sunt in diuina scriptura, quam Pater testificauit, & misit in mundum, cuius vnum minimum nota præteriri non potest: ad nostram institutionem & vtilitatem scripta sunt. Aut enim præcepit, vt obediendo mereamur: aut prohibet, vt, scilicet, malum non incurramus: aut consulit ad perfectionem: aut permittit ad supportandam infirmitatem nostram: aut promittit, vt confortemur: aut minatur, vt timeamus: aut docet, vt instruamur: aut exhortatur, ne torpeamus: aut arguit, vt non negligamus: aut corripit & increpat, ne in pertinatia & cordis duritia remaneamus: aut exempla bonorum proponit, ad imitandum: malorum autem ad fugiendum. Multæque aliæ in diuinis scripturis commoditates continentur, quas non est facile enumerare. Vnde Apostolus ad Timothæum: Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum: ad docendum, scilicet, nescientes, ad arguendum negligentes, ad corripiendum, id est, duriter increpandum in malo persistentes, ad erudiendum rudes & incipientes. Apostolus Iacobus ait, quod secularis scientia, terrena est, animalis, diabolica. Terrena, id est, terrenæ gloriæ cupida: animalis non spiritualis, sed more animalium, sola quærens sensibilia: diabolica ad vesana & contentiones se conuertens, falsitatibus & erroribus plena. Quæ autem de sursum est sapientia, (vt idem Iacobus ait) primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Pudica est, quia castè intelligit & operatur. Nisi enim prius pudicitia sedeat in mente, nulla perfectio sequitur in opere. Pacifica est, non contentiosa, nec se per elationem à Deo, vel à proximorum societate disiungit: Modesta, nec infra modum, nec supra consistit. Suadibilis, non se pertinaciter defendit. Bonis consentiens: quod bonis placere videt, sibi non displicet. Plena misericordia in mente, & fructibus bonis in opere. Iudicans sine simulatione: non postulat videri iustior vel sanctior quàm sit, nec ad sui commendationem proximos lateat, quod facit contentiosa sapientia huius seculi. Beatus etiam Petrus in Epistola canonica ait: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur. Sermoni prophetico tantò firmius credimus, quantò ea quæ prædixit, completa videmus. Adhuc autem in caligine sumus in hac vita præsenti, in qua quæ futura sunt nobis, ignoramus. Lucet autem sermo propheticus in caligine, dum nos de his quæ ignoramus futura pronuntiando certificat, donec dies illucescat, & Lucifer in cordibus nostris oriatur: quod erit in æterna claritate, quando in libro vitæ legemus, & iam prophetiis vel scripturis non indigebimus.

Interim autem diuinas scripturas debemus legere, & in lege Domini die ac nocte meditari, vt vectes semper sint in annulis arcæ, sicut scriptum est: Beatus vir qui in sapientia morabitur. Et iterum: Beati qui scrutantur testimonia eius. Ocium enim sine literis mors est, & viui hominis sepultura. Vnde Salomon ait: Qui obturat aurem suam ne audiat legem, eius oratio erit execrabilis. Et Dominus in Osea: Quia repulisti scientiam, ego repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi. Teste enim Salomone, Qui euitat disciplinam, incidet in mala, scilicet, qui noluit intelligere, vt benè ageret. Vnde Psalmus: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Propterea Dominus in

*Quod diuinam scripturam ad institutionem & vtilitatem nostram tradidit nobis Deus.*
*Psalm.*
*De commendatione diuinæ scripturæ.*
*Cant.4.*
*Quod in secularibus scripturis quædã scripta sunt quæ possimus ad vtilitatem nostram retorquere.*
*Tit.1.*
*Deut.21.*
*Deut.16.*
*Quod non multum in secularibus scripturis debemus studere.*
*Leuit.19.*
*Ioan.10.*
*Matth.*
*De multiplici vtilitate sacræ scripturæ.*
*2.Tim.3.*
*Iaco.3.*
*De seculari sapientia, & cœlesti.*
*2.Pet.1.*
*Quod studendum est in sacris scripturis.*
*Exod.25.*
*Eccle.14.*
*Psal.118.*
*Para.18.*
*Osee 4.*
*Para.17.*
*Psal.35.*
*Psal.101.*

Ioan.10. Ioan.8. Cant.2. Isaiæ.21. Euangelio ait: Oues meæ vocem meam audiunt. Et iterum: Omnis qui ex Deo est, audit vocem meam. Resideat igitur columba Christi super fluenta plenissima, vt per diuinas scripturas infernalis accipitris præcaueat insidias. Vnde Isaias ait: Super speculam meam ego stans iugiter, & super custodiam meam totis noctibus. Specula enim nostra, & speculum animæ nostræ, sunt diuinæ scripturæ. Hi sunt putei, quos verus Isaac præcepit seruis suis

Gene.26. Parab.1. Deut.4. Thob.4. Psal 118. fodere, id est, profunda scripturarum penetrare. Audiens enim sapiens, sapientior erit. Patet igitur quanta sit vtilitas audire præcepta Domini, & ea in corde nostro, tanquam in libro scribere. Tunc non confundar (dicit Propheta) cùm perspexero in omnibus mandatis tuis. Lucerna enim pedibus animæ nostræ verbum Domini: quia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, & maximè ea quæ scripta sunt de Christo, & de vtroque

Quod ex diuinis scripturis patientiam, & consolationem, & spem habemus: maximè ex his quæ de Christo scripta sunt. Rom.8. eius aduentu. Christi enim vita, vitæ nostræ & morum est disciplina. Ex scripturis enim quæ de Christo sunt, patientiam habemus, dum ea quæ ipse pro nobis sustinuit, attendimus: similiter & consolationem, dum in scripturis audimus quod per ignominiam passionis peruenitur ad gloriam resurrectionis. Et nos si compatimur, conregnabimus. Similiter & spem habemus. Si enim Pater filium suum nobis dedit: quid aliud nobis dignè petentibus negabit? Et si Christus nobis peccatoribus dedit mortem suam: multò magis iustificatis vitam suam & beatitudinem suam. Per scripturas ergo quæ sunt de primo aduentu Christi, patientiam & consolationem, & spem habemus: similiter & per alias quæ de secundo eius aduentu loquuntur. Cùm enim attendimus quanta erit in fine seculi tribulatio, leuia nobis videntur quæ in hoc seculo sustinemus, & ita ad patientiam informamur. Cùm verò in scripturis audimus quanta nobis contulit in primo aduentu, & quantò maiora collaturus est in secundo, consolationem in pressuris huius seculi recipimus. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ tunc reuelabitur in nobis. Cùm autem in scripturis audimus ea quæ Dominus in iudicio dicturus est electis suis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & cætera, quæ pertinent ad opera misericordiæ: ex his spem habemus, si misericordiæ operibus in hoc seculo attendamus. Eodem modo cùm legimus, vel audimus: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: per patientiam persecutionũ spem habemus regni cœlorum. Per patientiam igitur & tollerantiam tribulationum, & per promissionem & consolationem scripturarum spem habemus: quæ de vtroque Christi aduentu multis & variis modis loquuntur nobis, aliquando apertè, quandoque occultè. Omnia enim (vt ait Apostolus) contingebant Iudæis in figuram: scripta autem sunt propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt. Apertè loquuntur scripturæ ad refectionem paruulorum, occultè ad exercitiũ maiorum. Tenebrosa est enim aqua scripturarum in nubibus aëris, id est, in sanctis Prophetis, à quibus doctrinę pluuiã habuimus. Apertè loquũtur aliquãdo scripturę de Christo, vt increduli nullam habeant excusationem, sicut in Baruch scriptum est de Christo: Post hęc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Similiter in Isaia: Paruulus natus est nobis, & vocabitur nomen eius consiliarius Deus fortis. Occultè autem aliquãdo loquuntur scripturæ, ne secreta Christi mysteria indignis aperiantur, ne à porcis margaritæ conculcentur, ne ab incredulis derideantur, ne aliquis sibi attribuat, si scripturas diuinas intelligat, sed diuinæ reuelationi. Vnde Dominus in Euangelio: Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et in Tobia dicitur: Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Occultè autem de primo aduentu loquitur scriptura in Genesi, vbi dicitur: Erunt duo in carne vna. Hoc est enim magnum sacramentum (vt ait Apostolus) in Christo & Ecclesia. Et Moyses de Christo: Dominus de Syna venit, & de Seyr ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia, in dextera eius ignea lex. Syna interpretatur lex vel mandatum: & significat in hoc loco vetus testamentum, de quo venit Dominus, id est, annunciatus est venturus, de Seyr, id est, de populo Iudæorum, hispido & piloso ortus est Christus secundum carnem, qui populus pro lenticula rufa, id est, pro temporalibus transitoriis, perdidit ius primogenituręDignitas enim illius transiit ad Iacob iuniorem, id est, ad Ecclesiam de Gentibus posterius vocatam. Apparuit autem Dominus de monte Pharan, id est, de Iudæorum ferocitate. Pharan enim ferocitas interpretatur. Quantò magis autem Iudæorum ferocitas contra Christum exarsit, tantò magis eius virtus mundo apparuit in gloria resurrectionis & ascensionis, & in aliis multis. Cum eo etiam Sanctorum millia. Multa enim millia credentium illi per fidem adhæserunt. In dextera enim eius ignea lex, id est, lex Euangelica corda auditorum inflammans. Bona dexteræ, id est, præmia æterna promittens. Similiter in Exodo dicitur, quod fecit Beseleël candelabrum ductile ex auro purissimo. Hic est Christus secundum carnem, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Spiritu sancto obumbrante conceptus. Beseleël, vmbra Dei interpretatur. Fuit autem hoc candelabrũ igne Spiritus sancti in vtero Virginis fabricatum, ductile malleis tribulationũ. Et Ezechiël ait: De medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis. Electrũ ex auro & argento Christum signat ex auro diuinitatis, & argento humanitatis. Ignis autem tribulationis signat, quibus Christus tanquam vir dolorum circundatus fuit. Similiter & de secundo aduẽtu in

Rom.8. Matth.25. Matth.5. Quod de aduentu vtroque multipliciter loquuntur scripturæ. 1.Cor.10. Psalm. Baruch.3. Isaiæ 9. Matth.7. Matth.11. Tob.9. Occultæ prophetiæ de primo aduentu. Gene.2. 1.Tim.3. Deut.33. Gen.25. Quod Christus comparatur candelabro. Exod.25. Ioan.1. Ezech.1. Quod Christus comparatur electro. Isaiæ 31.

figuris

figuris & ænigmatibus locuti sunt sancti Prophetæ. Vnde Daniël ait: Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. Throni, id est, Sancti, in quibus Deus ad iudicandum sedebit, positi sunt, id est, dispositi & ordinati. Antiquus dierum sedit, qui, scilicet, est ab æterno, carens principio & fine. Vestimentum eius candidum sicut nix, id est, Ecclesia, qua indutus est Christus: vel corpus humanitatis eius album fuit, candore virginitatis. Et capilli capitis eius quasi lana munda, Sancti, scilicet, Christo capiti adhærentes, mansueti & innocentes. Thronus eius, vt flamma ignis, vt bonos purget & malos puniat. Vestimentum enim concretum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur ab ore eius, sententia iudiciaria, vt malos inuoluens protrahat in gehennam. Similiter & Salomon in Parabolis, de secundo Christi aduentu parabolicè loquens, ait: Non est vir in domo sua, abiit via longissima: sacculum pecuniæ tulit secum, in die plenæ lunæ reuersurus. Vir, id est, Christus non est in domo sua, in Ecclesia militante, per corporalem præsentiam non apparet: abiit via longissima cœlos ascendens, postquam surrexit à mortuis: sacculum pecuniæ secum tulit, id est, gloriam resurrectionis & decus immortalitatis, quibus illius patriæ ciues lætificaret & ditaret, vel humanitatem glorificatam, in qua repositi sunt thesauri sapientiæ & scientiæ: in die plenæ lunæ reuersurus, scilicet, ad iudicium completo numero saluandorum. Siue igitur apertè, siue in signis & ænigmate de Christo, & de vtroque aduentu eius loquantur scripturæ sanctæ, quæcunque in eis scripta sunt, ad nostram doctrinam & morum ædificationem scripta sunt: si tamen secundum quod in scripturis legimus, dignis moribus impleamus, & scripturas sanctas rectè intelligamus, & non sint in nobis hæreses & errores, vel schismata & dissentiones: sed idipsum sapiamus in alterutrum, id est, inuicem secundum Iesum Christum, vt conuersatione vel intelligentia scripturarum ab illo non discordemus, vno ore honorificemus Deum. Quidam enim aquas Siloë quæ fluunt, cum silentio faciunt aquas contradictionis, diuinas scripturas ad contentionem vel errorem, & schismata conuertentes: quas addiscunt, non vt alios ædificent per charitatem, vel vt ipsi ædificentur per prudentiam: sed vt sciant tantum, id est, propter curiositatem, vel vt sciantur, id est, propter vanitatem, vel vt lucrentur, id est, propter auaritiam, vel vt sanctis contradicere possint propter malitiam, scilicet, & contentionem. Hi autem nec vnanimes sunt, nec vno ore Deum honorificant, neque verò nominis Christiani sunt. Scriptum est enim: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Et Apostolus ait: Leuemus puras manus ad Deum sine ira & dissensione. Et iterum: Non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia. Pugna siquidem vnanimiter aggressa victoriam facit: quando verò foramen discordiæ diabolus inuenit, vt intrare valeat, non iam nos reputat terribiles vt castrorum acies ordinatas. Regnum enim Dei (teste Apostolo) est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Esto igitur consentiens aduersario, dum es in via, id est, sanæ doctrinæ scripturarum, quæ nostræ carnalitati aduersantur. Beati enim qui seminant super aquas multas immittentes pedem bouis & asini, id est, fortem & stolidum conciliantes. Beati pacifici, id est, id est, discordes ad concordiam reducentes. Sicut enim & Dominus tanquam lapis angularis vtraque fecit vnum, duos parietes electos, scilicet, de Iudæis & Gentibus in vnum coniungentes. Fuit enim (vt ait Apostolus in hodierna Epistola) Iesus Christus minister circuncisionis, id est, populi Iudæorum, propter veritatem Dei ad confirmandas promissionis Patrum. Christus enim promissus fuit Iudæis, sicut dictum est Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Licèt autem non ita specialiter promissus sit Gentibus, tamen per misericordiã suam vocauit eas Dominus. Vnde Gentes super misericordia sibi exhibita Deum honorare debent. Sicut scriptum est: Laudate Dominum omnes Gentes, & magnificate eum omnes populi. Et iterum: Lætamini Gentes cum plebe eius, id est, cum populo Iudæorum, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Et Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. Iesse enim radix fuit Christi secundum carnem: Christus tamen quandoque radix Iesse & radix Dauid dicitur, quia sustentamentum & origo est omnium secundum diuinitatem. Fuit igitur quasi radix Iesse, Dauid autem arbor, Maria ramus, Christus flos & fructus recreans odore, & sapore reficiens. Vnde Isaias: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virga, id est, beata virgo Maria, gracilis humilitate, flexibilis pietate, erecta sursum desiderio & spe, plana absque omni peccatorum gibbositate. Stirps autem Iesse, virgam istam produxit, virgaque florem, & super hunc florem requiescit Spiritus Almus.

*Obscura Prophetia de Christi secundo aduentu. Dan. 7.*

*Isaiæ 9.*

*Parab. 7.*

*Coloss. 2.*

*Rom. 15.*

*1. Cor. 15. Gal. 5. Rom. 15. Isaiæ 8.*

*De schismaticis & hæreticis & his qui contentiosi sunt, & male intensione scripturas addiscunt. Actum 4. Tim. 2. 1. Cor. 1.*

*De bono concordiæ & vnitatis. Rom. 14. Matth. 5. Isaiæ 32. Matth. 5. Isaiæ 28. Ephe. 2. Rom. 15.*

*Exponit breuiter vltima verba Epistolæ. Genes. 22. Psalm. Isaiæ 54. Ioan. 10. Isaiæ 11.*

*De radice, ex qua bore, ramos flore, & fructu. Isaiæ 11.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam 21.

*Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura Gentium.*

*Luce 21.*

QVID paleis ad triticum, dicit Dominus. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis ardens, & quasi malleus conterens petram? Hæc sunt verba Hieremiæ. Verba secularia, quæ nihil grauitatis habent in se, sunt paleæ. Verbum verò Domini, tribus comparatur, grano, igni & malleo. Grano, quia sub cortice paleæ farinam continet spiritualis intelligentiæ, de quo dicit Psalmista: Ex adipe frumenti satiat te. Igni autem comparatur propter tria, quia calefacit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Surrexit Helias quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardens. Et Lucas Euangelista: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dum loqueretur nobis in via? Et quia illuminat, vnde Psalmus: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et quia materiam redigit in cinerem, id est, corda audientium in humilitatem. Vnde in Ezechiële: Cùm fieret vox super firmamentum quod erat supra caput animalium, stabant & submittebant alas suas. Quia tantò fiunt apud se humilia corda auditorum, quantò altum sonat scriptura, quæ de cœlestibus & diuinis loquitur. Vnde Ieremias, loquenti sibi Domino, se puerum denunciat. Et Abraham postquam audiuit sibi Dominum loquentem, ait: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis. Comparatur etiam verbum Domini malleo conterenti petram, id est, cordis duritiam. Vnde, Dedit vocem suam, & mota est terra. Non est ergo desperandum de peccatore, si libenter velit verbum Dei audire. Si enim habet cor ferreum, & Dominus habet ignem suum, qui ferrum emollit durum, calefacit frigidum, candescere facit nigrum. Si habet cor lapideum, & Dominus habet malleum suum. Ex frequenti autem percussione, quandoque scintilla ignis elicitur ex lapide, seu silice: ita verbum Domini ex corde duro elicit scintillas deuotionis. De quibus Ezechiël: Et scintillæ quasi æris candentis. Ex frequenti etiam percussione lapis rudis politur, & in pulchram imaginem formatur: ita corda simplicium verbo Domini erudiuntur, id est, extra ruditatem ponuntur, & in eius imago Domini reparatur. Rogate igitur Deum, vt qui sæpè paleis verborum secularium inflati fuistis, tritico verbi Dei hodie satiemini: & qui diu in tenebris peccatorum torpentes iacuistis, igne verbi Dei hodie calefacti & illuminati, cognoscatis, quia cineres estis, & in cinerem reuersuri: & qui in cordis duritia diu permansistis, malleo verbi Dei duritiam & ruditatem deponatis. Erunt signa in Sole & Luna, &c. Cor sapientum vbi tristitia, cor stultorum vbi lætitia. Verba sunt Salomonis in Ecclesiastico. Et iterum in eodem: Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Vnde cùm præcedenti Dominica sancta Ecclesia de primo aduentu Domini mentionem fecerit, & eiusdem aduentus humilitatem filiis suis ad memoriam reduxerit, vt corda eorum per spem & charitatem sursum leuaret: in hac secunda Dominica secundum aduentum & signa eius nobis ante oculos mentis ponit, vt nos reprimat per timorem, ne per præsumptionem elati euanescamus. Hæc sunt enim duæ molæ, scilicet, spes & timor, inter quas moli debeat anima Christiana, vt ex ea fiat panis corporis Christi, id est, Ecclesiæ incorporandus. Vnde in Deuteronomio præcipitur, ne superiorem, aut inferiorem molam loco pignoris accipiamus. Mola superior, spes: inferior, timor: pignus peccati, confessio, per quam peccator, qui debitor Christi est, dat nobis fiduciam, & quasi securos facit, quod reddet debitum satisfactionis. Sacerdos non debet auferre molam superiorem confitenti, id est, spem nimis asperè increpando, ne per desperationem confundantur: neq; inferiorem, id est, timorem adulando, ne per præsumptionem inaniter extollantur. Attendamus ergo quàm benignus venit in primo aduentu, & quanta pro nobis fecerit, ne desperemus: pensemus quàm districtè veniet in secundo, ne præsumamus. In primo paruus & amabilis, in secundo magnus & terribilis: in primo tanquam agnus mansuetus cui facilè resistitur, in secundo tanquam Leo fortissimus animalium, & non erit qui resistat ei. In primo venit iudicari, flagellari, & ligari: in secundo veniet iudicare, ligare, & æterno cruciatu flagellare. Vnde comparatur api, quia habuit mel in primo aduentu, sed habebit aculeum in secundo. Designatur etiam per acum in Euangelio, cùm dicitur: Facilius est camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in regnum cœlorum. Cameli, id est, diuites & superbi, deposito gibbo superbiæ & diuitiarum, intrant Ecclesiam per foramen acus, id est, per fidem passionis Christi. Hæc acus ex illa parte qua non pungit, perforata est, quia Christus in primo aduentu perforatus, in cruce neminem læsit: sed ex alia parte vsque ad sanguinem punget, quando in secundo aduentu mundum iudicare veniet. Cuius aduentus signa, vt nos præmuniat, ne securitate torpeamus, prænunciat Dominus dicens: Erunt signa in Sole & Luna, & Stellis, &c. Quadruplici autem ratione mala in fine futura prædicit, vt terreat impios, vt qui Deum placatum non diligunt, saltem offensum timeant, & qui beneficiis non flectuntur, timore conuertantur & viuant: quod si renuant, nullam iam excusationem habeant. Vt etiam præmuniat incautos. Quæ enim subitò & ex improuiso mala accidunt, magis imparatos perturbant & confundunt: iacula enim præuisa minus lædunt.

*Iere. 23. Quod verbum Dei igni, & malleo & grano cõparatur: verba secularia paleæ comparantur. De proprietatibus ignis & verbi Dei adaptantur. Eccle. 48. Luce 24. Psalm. 118. Exech. 1. Ierem. 1. Gene. 18.*

*De triplici ignis effectum. De effectu mallei in lapide. Exech. 1.*

*Gene. 3.*

*Eccle. 7. Eccle. 11.*

*De secundo aduentu & signis eius. De duabus molis spei & timoris. Deut. 24.*

*Collatio duorum aduentuum.*

*Iere. 11. Parab. 30.*

*Quòd Christus comparatur api & acui. Matth. 19.*

*Quod quatuor de causis mala futura Dominus prænuntiat.*

Vnde

Vnde in Ecclesiastico: In die bonorum non sis immemor malorum. Et vt consoletur iustos in tribulationibus, quas sustinent in præsenti, quæ quasi nullæ sunt respectu earum quæ venturæ sunt: quando arescent homines præ timore & expectatione, quæ ventura sunt vniuerso mundo. Vnde dicitur in Iob: Memento belli, & vltra non adiicias loqui, id est, vt de præsenti flagello non murmures. Memento quanto maiores in fine mundi futuræ sunt tribulationes, vt etiam perfecti qui mortem habent in desiderio, & vitam in patientia, qui desiderant dissolui & esse cum Christo, qui mundi destructionem non metuunt, quia mundum non diligunt, de quibus in Parabolis: Secura mens, quasi iuge conuiuium: de aduentu Iudicis, quem desiderant & diligunt, gaudeant. Sicut enim antiqui Patres sub lege desiderabant primum aduentum, ita Sancti in tempore gratiæ, secundum desiderant aduentum, attendentes quantum præstiterit in primo, quanto maiora promiserit in secundo. Vnde Dominus in hodierno Euangelio: His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, id est, exhilarate corda vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et iterum: Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas: ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. Quibus verbis, vt ait beatus Gregorius, ostenditur quod fructus mundi est ruina: ad hoc enim crescit, vt cadat. Sicut scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Vnde sicut ex fructu arborum vicina æstas cognoscitur: ita ex ruina mundi vicina esse cognoscitur æstas Dei. Beatus autem Hieronymus in libris Hebræorum, dicit se inuenisse quindecim signa dierum. In prima die eriget se mare quadraginta cubitus supra altitudinem montium, stans in loco suo tanquam murus. Secunda die tantùm descendet, vt vix videri possit. Tertia marinæ beluæ dabunt rugitus vsque ad cœlum. Quarta ardebunt aquæ & mare. Quinta herbæ & arbores dabunt rorem sanguineum. Sexta ruent ædificia. Septima petræ ad inuicem collidentur. Octaua generalis fiet terræmotus. Nona æquabitur terra. Decima exibunt homines de cauernis terræ, & erunt velut amentes, nec poterunt mutuo loqui. Vndecima stabunt ossa mortuorum supra sepulchra. Duodecima cadent stellæ. Tertiadecima morientur viuentes, vt cum mortuis resurgant. Quartadecima ardebunt cœlum & terra. Quintadecima fiet cœlum nouum, & terra noua: & resurgent omnes ad iudicium. Hæc sunt signa quibus iram venturam, iram implacabilem, & vindictam irreuocabilem Dominus præsignabit: his doloribus æternos dolores prænunciabit. Dabit enim timentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus. Imperfecti enim videntes hæc, timebunt, & purgabuntur: Perfecti autem à quibus charitas perfecta foras mittit omnem timorem, quibus idem velle, idem nolle cum Deo est, in omnibus his glorificabunt Deum, & exultabunt. Quibusdam etiam de malis vexatio dabit intellectum, & timore compulsi reuertentur ad Dominum & conuertentur. Sicut scriptum est: Cùm occiderent eum, quærebant eum. Ecce quanta in omnibus his in quibus vidébitur erit misericordia. Cùm enim iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. Reprobi autem timebunt, & desperabunt, dicentes montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos. Initia autem dolorũ hæc omnia erunt. Hìc enim incipit infernus malorum. Sicut scriptum est: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. Hìc enim pœna gehennæ incipiens, pœnæ infernali continuabitur, quę nullo fine claudetur. Expergiscimini igitur ebrij & flete, preuaricatores redite ad cor, miseri estote & lugete. Agitè nunc diuites, plorate, vlulãtes in miseriis quæ aduenient vobis. Æternos cruciatus cruciatibus transitoriis præuenite, gemitũ gemitibus, dolores doloribus redimite, fletu temporali æternos præoccupate, vbi lachrymæ adeò calidę erũt, quod corpora cõburent, & animas cruciabũt. Vos autẽ fratres, has miserias venturas frequẽter in mente reuoluite: dicit enim Salomõ in Parabol. Liuor vulneris absterget mala, & plagę in secretioribus ventris: liuor post percussionẽ apparet, & memoriã dolorũ significat. Plagæ etã in secretioribus ventris, id est, in arcano cordis, dum frequenti meditatione cogitãtur, absterguntur à nobis mala, quę sollicitè à nobis expellere debemus, ne aliquãdo tormenta incurramus. Iam enim propè est, & quasi in ianuis, vt veniat qui venturus est, & non tardabit. Si enim cautè & subtiliter prędicta cõsideremus, iam ex parte magna spiritualiter impleta videbimus. Iam enim apparent signa in Sole & Luna & Stellis. Nam, sicut dicitur in Matthæo, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ de cœlo cadent. Et sicut dicit Propheta Ioël, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, ita iam impletum videmus. Sol enim, id est, Prælati maiores, & Ecclesiæ cathedrales, interpositis nubibus præbendarum diuitiarum, obscuratus est. Supercecidit enim ignis ambitionis & cupiditatis, & non viderunt Solem iustitiæ. Luna versa est in sanguinem. Ecclesiæ minores exemplo maiorum peccatorũ sanguine cruentantur, non nisi carnalia sapientes. Ædificant enim Syon in sanguine, id est, consanguineis conferunt Ecclesias Dei, nõ nisi carnali affectu moti: caro autem & sanguis, regnum Dei non possidebunt. Stellæ etiam, id est, sacerdotes minores, de cœlo ceciderunt in terram. Quorum enim conuersatio debet esse in cœlis, defixi sunt in terram cupiditatis, quos deplorat Ieremias in Threnis, dicẽs: Sederunt in terra & conticuerunt senes custodes, filiæ Syon, id est, sacerdotes quibus commissa est Ecclesiæ ad custodiendum, sederunt in terra cupiditatis & conticuerunt canes muti non valentes latrare. Consurget Gens aduersus Gentem, & regnũ aduersus regnum, vbique bella, vbiq; dissensiones. Vltra

*Eccle.18.* *Luce 12.* *Iob.40.* *Philip.1.* *Parab.15.* *Quòd sancti & perfecti viri secundum aduentum desiderant.* *Luce 21.* *Apocal.11.* *1.Ioan.4.* *Isaiæ 25.* *Abac.3.* *Osee 10.* *Luce 23.* *Deute.32.* *Ioel 1.* *Isaiæ 42.* *Luce 4.* *Quod vtile est venturas miserias in mente habere.* *Paral.20.* *Matth.22.* *Marc.14.* *Abac.2.* *Quod signa prænunciata à domino spiritualiter recapitulerunt & impleta sunt.* *Luce 21.* *Matth.24.* *Ioel.2.* *De Sole Luna & Stellis spiritualiter intellectis.* *Roma.8.* *Michæ.3.* *1.Corin.15.* *Phili.4.* *Tren.2.* *Isaiæ 58*

*Quod ad literam consurgit gens aduersus gentem & maximè regnum materiale aduersus regnum spirituale. Matth.24. Item 9. Matth.10. 2.Tessa.2.*

nes. Vltra mare in Saracenis, in Hispania à Mauris, in Græcia à scismaticis, in Prouincia ab hæreticis, in Francia & Imperio à domesticis etiam vicinis: demum vbique à fratribus falsis. Refrigescit enim charitas multorum, & Dominus vix iam inuenit fidem in terra, vnusquisque à proximo suo se custodiat, & inimici hominis domestici eius. Sed fortè huiusmodi frequenter euenisse dicetis, vnde non videntur nobis signa, quia non sunt noua. Audite nouum, audite signum: Regnum consurgit aduersus regnum. Regnum materiale Christianorum, aduersus regnum spirituale sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sed adeò prævaluit spirituale, quod iam ferè facta est dissensio, de qua dicit Apostolus: Nisi prius facta fuit dissensio, vt qui tenet, teneat, donec de medio fiat. Vacante enim in magna parte ratio imperio, videtur iam inchoata esse dissentio. Audite iterum nouum, audite signum, audite abhominationem desolationis, audite tribulationem, qualis non fuit ab initio. Exurgit Gens contra Gentem, non dico de Gente Iudæorum, vel Paganorũ, seu etiam hæreticorũ contra Gentem catholicorũ, hoc enim aliquatenus tollerabile esset, si hi qui foris sunt, cõtra nos insurgerent, sicut scriptũ est: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;, &c. Sed si quis hodie faciem habet euntis in Hierusalem, si quis induitur cilicio & humiliat in ieiunio animam suam, si iuxta Apostolum conformari huic mundo rennuit, si limina Ecclesiæ frequenter terit, statim non solùm laici, sed etiam quidam Ecclesiarum Prælati, vt non dicam Pilati, in eum tanquam hæreticum consurgunt, statim hypocritam appellant, vel alio nomine nouo, quod os dæmonis nominauit. Adeò enim hodie deridetur iusti simplicitas, adeò Ægyptij abhominantur oues, quod ferè vbique meretrices & fœneratores, & latro Barrabas in pace dimittuntur, Christus autem innocens in suis membris, linguis Iudæorum baptizatorum crucifigitur. Oderunt enim impij & pomposi quidam seculares pauperes quosdam moribus dissimiles, quod est in Spiritum sanctum peccare, scilicet, fraternam gratiam ex malitia impugnare. Si autem de mundo essent, mundus quod suum erat, diligeret. Si sigillum Principis huius mundi haberent, id est, si sathanæ assimulati pompam huius mundi diligerent, tunc profectò inter peccatores impios securi incederent. Inde proueniunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Multi enim hodie relicta seculi pompa humiliter Deo seruirent, nisi pestilentes isti, & sathanæ satellites, huiusmodi persequerentur, & deriderent. Hæc autem pestis teneros flores incipientium contundit & conterit, dum infirmi & imperfecti erubescentia confusi, à bono proposito retrahuntur, & sic ad maturitatem fructus non prouehuntur. Inde fames, de qua Propheta Amos ait: Mittam famem in terra, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Adeò enim omnem escam spiritualem abhominata est anima eorum, quod ipsi derident & persequuntur, si qui in Ecclesia velint dicere vel audire verbum Dei. Hinc terræmotus. Si enim absque personarum acceptione dum verbum Dei dicitur, peccata tanguntur, ipsi mali sibi conscij confunduntur, & contra se dici putant, quicquid pro communi vtilitate dicitur, & ob hoc terra maledicta mouetur & fit ruina magna. Mouetur quidem, non ad compunctionem vel deuotionem, sed ad murmurationem, indignationem, & detractionem, & clamorem, & verbum Domini, viciis suis oppositum pro virili sua impediunt. Nos autem fratres, non sic, sed si religionem in nobis non habemus, in aliis tamen eam veneremur. Diligamus aliorum bona, & sic fient nostra. Desiderauit Zacheus videre Iesum, & Dominus eius ingressus est hospicium. Nos autem Iesum in membris suis videamus & admiremur, vt eum in nobis aliquando recipiamus. Et qui iam ex primo aduentu multa beneficia percepimus, contra secundum nos solicitè præparemus. Quantò autem mundi terminum & secundum Domini aduentum, ex iam dictis signis viciniorem æstimamus, tantò vigilantius ad destinatum nobis brauium currere studeamus, sicut qui in stadio currunt, tantò amplius festinant, quantò ad metam magis appropinquãt. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Igitur sic curramus vt comprehendamus, & ad coronam æternę beatitudinis, præstante Domino nostro, peruenire valeamus, Amen.

*De pestilẽtia, fame & terremotu spiritualiter.*

*Amos 8.*

*Conclusio vbi ostenditur quod bonum in alio deligere debemus. Lucæ 19.*

*1. Cor. 9.*

## DOMINICA TERTIA, THEMA DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM de Epistola ad Philippenses 3.

*Philip. 3.*

*Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus, propè est Dominus.*

*De multiplici causa lugendi.*

SICVT multiplicem habemus materiam lugendi & dolendi in nobis, scilicet, pro peccatis nostris, pro peccatis alienis, pro variis huius exilij miseriis, pro incertitudine vitæ & mortis nostræ, pro dilectione patriæ, ita multiplicem habemus consolationem & materiam gaudendi, non in nobis, sed in Domino. Vnde Apostolus in hodierno officio admonet omnes qui diligunt Christi aduentum, vt gaudeant filios, scilicet, non seruos, qui de domini sui præsentia non gaudent, non hostes qui Regis præsentiam odiunt & formidant. Gaudete, inquit, in Domino, non in seculo, non ad horam, sed semper, scilicet, tam in prosperis, quàm in aduersis: non semel, sed iterum, & iterum:

Vel ideò

Vel ideò dicit iterum, vt ex geminatione veram & intensam ostendat affectionem, & duplicem lętitiam, per duplicem Christi aduentum. Gaudendum est enim pro bonis gratiæ quæ nobis in primo aduentu contulit, & pro bonis gloriæ quæ nobis collaturus est in secundo. Gaudendum est de promissione, gaudendum est de exhibitione. Sicut enim Patres antiqui: Primùm desiderabant aduentum, ita Sancti in tempore gratiæ, qui dissolui cupierunt & esse cum Christo, qui vitam habent in patientia & mortem in desiderio, expectãtes beatam spem, & aduentum gloriæ summi Dei, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Secundum aduentum desiderant, imò amplius, sicut scriptum est, Rubicundiores ebore antiquo, id est, patribus antiquis spe & desiderio feruentiores, Spe gaudentes non præsumptione, sicut illi de quibus Amos Propheta ait: vę desiderãtibus dies Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini tenebrę & non Lux, multi enim licet non sint præparati ex præsumptione vel curiositate, tempus Antechristi ad finem mundi, & aduentum Christi ad iudicium desiderant, de quibus Propheta ait: Cadent à latere tuo mille, id est, multi de illis, qui se iuxta latus in iudicio sedere inani pręsumptione æstimãt, in die illa cadent. Sancti autẽ quibus spiritus dicit, quoniã sunt filij Dei, qui perfectã habent charitatẽ, quę foras mittit timorẽ, tãquam ficulnea in domo Domini fructũ dulcedinis ex se producẽtes, propinquã æternæ claritatis æstatem cum gaudio intuentur, leuantes spe retributionis æterna capita sua, quoniam redemptio eorũ appropinquat. Et quoniam scriptũ est, qui stat, videat ne cadat. Modestè gaudent sancti cum timore cautelę nunquã torpentes securitate. Sperant enim cũ timore & timẽt cum gaudio, & spe scientes, quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Propterea in Ecclesiastico Sapiens ait. In die bonorum, non sis immemor malorum. Temperant igitur gaudium timore, ne dissoluantur: Propterea Dominus ait in Euangelio: His autem fieri incipientibus, id est, malis ante iudicium imminẽtibus, respicite & leuate capita vestra, id est, in diebus malorũ, nõ sitis immemores bonorum. Apostolus autem postquã nos ad gaudendum inuitauit, subiungit. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Quasi diceret. Gaudete in Domino modestè, & exultate ei cum tremore. Hi enim qui in hoc seculo gaudent, non timentes ea quæ non vident, nisi sibi præcauentes, inani gaudio dissoluuntur, nulla modestia cohibentur. Seculi enim lętitia, vt ait beatus Augustinus, nihil aliud est, quàm impunita nequitia, scilicet, luxuriari, inebriari, spectaculis vanitatis nugari, turpitudine fętere, & nihil mali pati. Malum facere, nec castigari fame vel belli timore, vel morbo, vel aliqua aduersitate, sed omnia in rerum abundentia, in pace carnis, in securitate malæ mentis agere. Magnæ ergo misericordiæ est, nequitiam impunitam non relinquere: Quoniam igitur non possumus simul gaudere in Domino, & in seculo. Amici enim huius seculi, inimici sunt Dei, qui gloriantur, in domino glorientur, qui gaudet, gaudeat in Domino, non in seculo, in veritate, non in vanitate, in bonis ętternis, non in transitoriis, in spe retributionis æternæ, non in flore prosperitatis mũdanę. Extrema enim tẽporalis gaudij luctus occupat. Propterea Salomõ ait: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis? Decipiũtur enim, qui de malitiæ suæ impunitate gloriantur. Hæc est enim maior ira Dei, peccatoribus in hoc seculo non irasci, qui parcit eis in hoc seculo, vt magis puniat in alio. Est autem multiplex gaudium malorum, & multiplex bonorum. Gaudent enim mali de temporali prosperitate, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriãtur: De quibus in libro Machabeorum. Gloria peccatoris stercus & vermis, hodie extollitur, & cras non inuenietur. Gaudent de mundana vanitate & curiositate: vnde Iob ait. Infantes eorum exultant, lusibus tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Et Baruch, vbi sunt Principes Gẽtium, qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram, qui in auibus cœli ludunt. Gaudent de carnali voluptate. Vnde Isaias: Vocauit Dominus ad fletum & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lętitia, occidere vitulos, iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Et Iob ait: Obliuiscatur eius misericordia: dulcedo illius, vermis animam inquietat & quiescere non sinit, dum autem diabolus laqueum nobis tendit: hoc verme suppositio, tanquam esca in hamo innumeras animas capit. Gaudent præterea reprobi, de laudibus suis, & humano fauore. Vnde Iob ait: Scio quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Et Dominus in Euãgelio: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quęritis? Gaudent quinto modo reprobi de malitia, scilicet, & iupietate sua. Vnde Psalmus: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate. Et Salomon ait: Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Totidem autem modis gaudent boni. Gaudent enim in spe, pro ęternis & veris bonis. Vnde Dominus in Euangelio: Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et iterum, videbitis me & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Gaudent etiam, boni de bonis ęternis, quæ pertinent ad præmium, & de bonis spiritualibus, quæ pertinent ad meritum. Vnde Dominus: Congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat. Et iterum. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat & reuixit. Gaudent insuper boni de serenitate & puritate conscientiæ. Vnde Apostolus: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Et Psalmus ait: Conuertisti planctum meum, in gaudium mihi. Dominus enim post nubilosum tempus contritionis & pœnitentiæ, adducit serenitatem tranquillæ

*De multiplici causa gaudendi.* *Phili.1.* *Cor.2.* *Phil.4.* *Tren.4.* *Rom.12.* *Amos 5.* *De præsumptione desiderantium diem Domini.* *Roma 8.* *1.Ioan.4.* *Iudith.9.* *Luce 21.* *1.Cor.10.* *Luce 21* *De malo gaudio.* *Iaco.4.* *1.Cor.1.* *Prou.14.* *Eccle.2.* *De multiplici gaudio malorum.* *1.Mach.2.* *Iob.21.* *Iob.14.* *Iob.20.* *Ioan.5.* *De multiplici gaudio bonorum.* *Luce 10.* *Ioan.16.* *Luc 15.* *Item.* *2.Cor.1.*

conſcientiæ. Sicut ſcriptum eſt: Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Gaudent præterea boni, de tribulatione, vnde Propheta: Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala Et Iacobus ait Omne gaudium exiſtimate fratres chariſſimi, cùm in varias tribulationes incideritis. Gaudent quinto modo ſancti, de laude diuina cum cordis deuotione. Sicut ſcriptum eſt: Beatus populus qui ſcit iubilationem. Et beatus Auguſtinus dicit: Dulciores ſunt lachrymę orãtium, quàm gaudia theatrorum. Si autem gaudemus in hoc ſeculo cum luctu, quantum erit gaudium, vbi gaudebimus, cum riſu? Gaudent igitur boni prædictis quinque modis. Non ſolùm corde, ſed ore & opere: Corde gaudẽt, ſicut ſcriptum eſt, Reliquię cogitationis, diem feſtũ agent tibi. Et iterum: Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et Apoſtol. Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris. Ore gaudent, id eſt, gaudiũ exprimunt & manifeſtant. Sicut ſcriptum eſt. Exultationes Dei in gutture eorum. Et iterum. Tunc repletum eſt gaudium os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Gaudent opere. Sicut ſcriptũ eſt, Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Hilarem enim datorem diligit Deus, quia cordis hilaritas boni operis eſt condimentum: vnde in Eccleſiaſtico, In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. De hoc autem triplici gaudio dicit Pſal. Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Lætamini exterius in opere, & exultate in voce, & gratiarum actione, gloriamini in corde. Gaudere igitur debemus in Domino, non in nobis. Sicut ſcriptum eſt, Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Gaudete corã Domino, ſcilicet, in ſerenitate conſcientiæ, ſicut ſcriptum eſt in Iſaya: Lętabuntur coram te, ſicut qui lętantur in meſſe. Gaudere pro Domino, ſcilicet, de conuerſione peccatorum, pro lucro animarũ, ſicut ſcriptũ eſt. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Et iterũ Apoſtolus ait: Siue per occaſionẽ, ſiue per veritatẽ, Chriſtus annũcietur in hoc gaudeo, ſed in hoc gaudebo. Tandẽ autẽ in ęterna beatitudine, gaudebimus cum Domino, ſicut Propheta ait: Adimplebis me lętitia cum vultu tuo. Gaudent etiam plerũque iuſti ſub Domino, vt ſi quis de filiis & vxore gaudeat, quorum tamen amorem Deo non præponat. Gaudẽt aliquando imperfecti pręter Dominũ, ſoli autẽ mali cõtra Dominũ. Imperfecti enim qui de lucro tẽporali iuſtè acquiſito gaudẽt, Deũ tamẽ offendere nollent, & ſi pręter Dominum gaudẽt, non tamẽ contra Dominum. Cùm igitur multiplex ſit materia gaudendi iuſto & multiplex exultatio, Apoſtolus ingeminat verbũ gaudendi, dicens: Gaudete in Domino ſemper, iterũ dico gaudete. Gaudete in Domino interius, gaudete exterius, gaudete in ſpiritu, gaudete in corpore, dũmodo in Domino gaudeatis. Gaudete pro bonis gratiæ, gaudete pro bonis glorię, gaudete pro merito, gaudete pro prẽmio. Gaudete in Domino Chriſto, ſecundũ humanitatẽ, gaudete in Domino Chriſto ſecundũ diuinitatẽ, Gaudete in primo eius aduentu, quia prope eſt, factus pro nobis, per naturę noſtrę aſſumptionẽ. Gaudete in ſecundo eius aduentu, quia propior nobis erit, dũ videbimus eũ facie ad faciem. Gaudete de primo aduentu in quo propè fuit mundũ viſitando, ſed magis de ſecundo, in quo propior erit electos ſuos coronando. Gi enim in primo aduẽtu redemptorẽ noſtrũ lęti ſuſcipimus, venientẽ quoq; Iudicẽ, lęti & ſecuri videbimus. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, vt gaudeatis cũ temperantia & moderamine, vt exultetis ei cũ reuerentia & timore, cum grauitate morũ, abſque leuitate & diſſolutione. Bona etenim & temperata, eſt cõplexio animæ ex gaudio & timore. Modeſtia enim eſt filia diſcretionis, ſine qua nullum ſacrificiũ placet Deo. Opus etenim ſine modeſtia & diſcretione, quaſi pulmentũ ſine ſale, velut nauis ſine remige, ſicut equus ſine rectore & exercitus ſine duce. Sicut enim charitas virtutes omnes illuminat & informat, & humilitas cuſtodit & cõſeruat, ita modeſtia ipſas dirigit & gubernat, ſine qua nulla poteſt virtus ſub ſiſtere. Virtus enim eſt mediũ vitiorũ vtrinq; redactũ, vicium etenim facit plus & minus. Modeſtia autẽ media & regia incedit via, non declinans ad dexterã neque ad ſiniſtrã, non ſurſum attollitur per elacionẽ, nec deorſum deprimitur per puſillanimitatẽ, non extra vagatur per diſſolutionẽ, non indiger freno vt retardetur, nec calcaribus vt ſtimuletur, omnẽ reſecat ſuperfluitatẽ, in omnibus modũ tenet, & omnia redigit ad mẽſurã: reſtringitur, ſed non anguſtiatur, ampliatur, ſed nõ effunditur. Eadẽ manens omnibus omnia efficitur. Sicut eadẽ manus cùm in palmã extenditur, & cũ in pugnũ aſtringitur, hæc eſt in victũ ſobrietas, in veſtitu honeſtas, in coitu legitimo caſtitas, in loquendo conſonantia, in omni opere tẽperantia. Per hanc miſericordia & veritas ſibi obuiant, & ſeſe oſculantur. Per hanc vinũ & oleũ vulneribus ſauciati pariter infunduntur. Per hanc cytharę Domini, vt ſuauẽ reſonet harmoniã temperatur. Si enim in cythara corde moderatè tendantur dulcẽ ſonũ reddunt. Si pluſquo rũpuntur ſi minus ęquo raucè ſonant. In omnibus ergo modũ teneamus, ne quid minis. Qui enim nimiũ emũgit, ſanguinẽ elicit. Propterea Salomõ ait: Noli eſſe nimis iuſtus. Quaſi dicat, Si rectè offeras, & nõ rectè diuidas peccaſti. Qui enim vult turrim ędificare, prius debet ſumptus cõputare, ne dicatur ei: Hic eſt homo qui cępit ędificare & nõ potuit cõſummare. Labor enim ſtultorũ affliget eos, qui neſciunt in orbem pergere, ſicut dicitur in Eccleſiaſtico Et beatus Auguſtnus: Temperandum eſt vt ſi fieri poſſit cęptum officiũ gradatim creſcat, quàm per intemperantiam, & inconſtantiam minuatur. Honor etenim Regis iudiciũ diſcretionis & modeſtię diligit. Deum igitur inhonorat qui modeſtiã non obſeruat. Pręterea Iſaias ait: Pręparate vias Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Et iterũ. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur

& erunt

*Iaco. 1.*

*De triplici gaudio cordis, oris, & operis.*

*Ephe. 5.*

*2. Cor. 8.*

*Eccle. 35.*

*Quod debemus gaudere in domino & pro domino, vt tandem gaudeamus cum Domino.*

*Iſaiæ 9.*

*Rom. 12.*

*Phi. 1.*

*De gaudentibus ſub Domino & propter Dominum & contra Dominum.*

*Degeminatione boni gaudii.*

*2. Cor. 13.*

*Phi. 4.*

*Simile.*

*Parab. 4.*

*Simile.*

*1. Cor. 9.*

*Luc. 10.*

*Parab. 30. Eccle. 7. Gen. 4. Exod. 20. Luc. 14. Auguſtinus.*

*Iſaiæ 40.*

& erunt praua indirecta & aspera in vias planas. Vallem sordium facit carnalis concupiscentia, montem & collem, superbia & inanis gloria, tortuositatem vel prauitatem, curiositas, asperitatem verò malitia & iniquitas. Oportet igitur valles impleri per continentiam & temperantiam, montes & colles humiliari per contemptum mundi & sui abiectionem, aspera emolliri per charitatem. Tortuosa dirigi per prudẽtiam. Parare vias Domini, ad cor nostrum, & rectas semitas eius efficere per modestiam, per quam via recta inceditur, non euagando vel à semita rectitudinis deuiando. Per virtutem igitur modestiæ, misericordia iustitiæ coniungitur, vt sit rigor nõ exasperãs, & pietas nõ emolliẽs. Per hanc facies hominis faciei Leonis cõiungitur. Vnde Isaias ait: Emitte Domine agnum dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Syon. In agno mansuetudinẽ, in dominatore terræ iustitiam. In agno quasi faciem hominis. In dominatore terræ quasi facié Leonis intelligi Propheta voluit, hæc est modestia & temperantia bonæ complexionis. Christus etiã agnus dicitur secundum humanitatem, dominator terrę, secũdum diuinitatem. Ipse enim gigas gemine substantię, simul in vnum diues & pauper, vnde signatur in Ezechiële, per electrum quia in ipso palluit aurum diuinitatis & resplenduit argentum humanitatis. Audiens agnum, ne desperes: audiens dominatorem terræ, ne præsumas, nec dicas in corde tuo, Dominus nõ requiret. Dicitur etiam dominator terrę, quia ipsi soli datum est præuenire primos motus, ne aliquis motus venialis insurgeret in terra sui cordis. Petra autem deserti dicitur Ruth Moabitis, vel dura gens Iudæorum, ex quibus processit. Vel beata Virgo petra deserti dicitur, polita tribulationibus, quadrata virtutibus, grauis moribus, constãs per fidei firmitatem, & vniuersam sustinens Ecclesiam. De qua in deserto huius seculi, fons vitæ Christus emanauit. Super hanc petram via colubri, id est, diaboli non inuenitur sicut à Salomone dicitur. In puluere enim & in luto vestigia colubri relinquũtur. In huius autẽ petrę duritia non imprimuntur. Hęc petra refugium est herinaciis, id est, peccatoribus peccatorum aculeis obsitis. In hac petra lepusculus plebs inualida collocat cubile, fragiles enim & infirmi ad ipsam habẽt recurrere. Mons autem filię Syon, Ecclesia dicitur, ad quã missus est Christus agnus simul & dominator terræ, mansuetus & rigidus, misericors & iustus in omnibus, temporatus & modestus. Et nos exemplo ipsius modesti simus, & secundũ Apostoli cõsilium, modestia nostra nota sit omnibus hominibus, fidelibus vt imitentur, infidelibus vt reprehendere non possint, & aliqui exemplo nostro conuertantur. Nota sit, vt luceant opera nostra coram hominibus, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, vt simus sal terræ, carnem nostram mortificando: & lux mundi, exemplum bonum præbendo. Nota sit: vt cortina cortinam trahat, & qui audit dicat veni. Nota sit: non ad ostentationem, sed ad proximorum ędificationem, vt luceamus aliis tanquam stellæ in firmamento. Nota sit: ad Christianæ religionis commendationem, vt obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam. Nota sit, vt qui multorum perditionis causa fuerunt, multorum salutis occasio sint & exemplum, tanquam collirium oculos illuminans & stimulis pigros incitans. Nota sit, vt Christi bonus odor simus, prouidentes bona, non solum coram Domino, sed coram hominibus. Nota sit: vt non solum oleo bonæ conscientiæ, sed insuper balsamo boni odoris & bonæ famæ inungamur. Vnde beatus Iob ait: Dies mei transierunt, sicut naues poma portantes, id est, bonæ opinionis & boni exempli odorem post me reliqui. Et Salomon in parabolis: Ferrum ferro acuitur. Quod homo exacuit faciem amici sui, id est, exemplo bono, ad bonum operandum incitat & inducit. Nota sit, vt sicut sedimus in cathedra pestilentię, exemplo malo alios corrumpendo, ita sedeamus in cathedra Moysi, alios instruendo. Nemo enim accendit lucernam & ponit eam sub medio, sed super candelabrum, vt luceat his qui in domo sunt. Nota sit: vt tanquam stellæ in firmamento noctem illuminemus. Et quasi gladius elimatus, non solum scindamus, sed splendamus, vnde Ezechiël ait: Gladius exacutus est & elimatus, vt cędat victimas, exacutus est, vt splendeat: elimatus est gladius Domini quilibet vir iustus, quo contra diabolum pugnat Dominus. Exacuitur per feruorem & zelum, per malã autẽ conscientiã & per peccatum heberatur. Victimas cedit dum à carne & spiritu superflua rescindit. Elimatur dum peccati rubigo tollitur, splendet dum bonum exemplum præbet. Vnde Daniël de Christo integro, de capite, scilicet, & membris ait. Vidi & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi crisolitus, & facies eius sicut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum vsque ad pedes, quasi species eris candentis, & vox sermonum eius, vt vox multitudinis. Indutus est autem Christus lineis, dum carnem mundam absque peccato assumpsit, vel propter virginitatem & innocẽtię splendorem. Renes eius, id est, sancti qui filios spirituales illi generãt, auro charitatis rubent, & auro sapientiæ splendent, vel per renes, Christi veritas humanitatis exprimitur. Corpus autem propter virtutum splendorem crisolitum appellauit. Oculi autem eius lampas ardens dicuntur, id est, sancti in se ardentes, & alios exemplo bono illuminantes, vel eius oculi dona spiritus sancti. Brachia autem Christi dicuntur sancti, per quos ipse operatur. Similiter & pedes eius dicuntur prædicatores, quibus per vniuersum mundum portatur. Tam brachia quàm pedes æri candẽti comparantur propter sonoritatem prædicationis, & fortitudinem operationis. Quod autem facies eius sicut species fulguris, ad secundum pertinet aduentum, in quo apparebit terribilis, sicut prædicta verba pertinent ad primum aduentum. Vox sermonum eius, vt

*De vallis impletione & montis humiliatione & directione prauorum & planatione siue equatione asperorum spiritualiter.*

*Quod Christus comparatur agno & exponitur auctoritas Isaiæ Emitte Domine agnum. Ezech. 1.*

*Quare Christus dicatur spiritualiter dominator terræ.*

*Quod multipliciter dicitur petra deserti. Num. 20. Parab. 30.*

*De bono exemplo. Matth. 5. Coloss. 3. Exod. 26. Apoc. 22. Genes. 1. 1. Petri 2. Apoc. 3. 2. Cor. 2. Rom. 12. Matth. 15. Eccle. 24. Iob 9. Parab. 27.*

*Matth. 22. Luc. 8. Gen. 1. Ezech. 21.*

*De gladio exacuto & elimato.*

*Daniel 10.*

vox

Matth.25. Phil.3. vox multitudinis, hoc ad vtrumque refertur aduẽtum. Ad primum propter chorum predicatorum. Ad ſecundum propter terribilem ſonum, quando dicturus eſt Ite maledicti in ignem æternum. De vtroque autem aduẽtu intelligi poteſt, quod ait Apoſtolus: Dominus propẽ eſt.

Matth.28. Propè eſt enim poſt incarnationem per conformitatem naturæ noſtræ, propè eſt per ſacramenti perceptionem, ſicut ipſe ait: Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi. Propè eſt etiam Dominus per gratiam, ſicut ſcriptum eſt: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Propè eſt, id eſt, præſto & paratus ad adiuuandum, ſicut ſcriptum eſt in Apocalypſi: Ego ſto ad oſtium & pulſo. Et Iſaias ait: Quærite Dominum dum inuenire poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Dicitur etiam ſecundum diuinitatem propè eſſe loco, qui nuſquam deeſt, ſed vbique præſens eſt. Vnde Moyſes ait, Propè eſt verbum in ore tuo & in corde tuo. Et Dauid ait: Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Et in Iob dicitur: Excelſior cœlo eſt profundior inferno, longior terra, & latior mari. Non ſolum autem prope eſſe dicitur Dominus adiutorio & loco, ſed tempore quo venturus eſt in morte hominis vel iuditio, vnde ſcriptum eſt in Abacuc: Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et Petrus Apoſtolus ait, Vnus dies apud Deum ſicut mille anni, & mille anni ſicut vnus dies. Non tardat Dominus promiſſionem, ſicut quidam exiſtimant. Propè eſt igitur Dominus vt veniat in morte, quia breues dies hominis ſunt, neſcimus diem nec horã. Vnde beatus Iacobus ait, Quæ eſt vita noſtra niſi vapor ad modicum parens. Homo enim quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, vnde Pſalmus ait: Manè ſicut herba trãſeat. Propè eſt etiam Dominus vt veniat in iudicio. Nos enim ſumus in quos fines ſeculorum deuenerunt. Propè eſt igitur vt veniat in iuditio, ad puniendum reprobos. Sicut ſcriptum eſt: Iuxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora. Et ad remunerandum electos, ſicut ſcriptum eſt, Ieruſalem citò veniet ſalus tua. Gaudendum eſt igitur electis Dei recto modo. Hic eſt autem rectus modus ſeu modeſtia, vt gaudeant in Domino. Quæ modeſtia nota debet eſſe hominibus, vt exemplo noſtro ipſi gaudeant cum gaudentibus, vel modeſtia, id eſt, rationabilis conuerſatio nota ſit omnibus hominibus, vt & ipſi rationabili conuerſatione mereantur Dominum venientem cum gaudio in cordis hoſpitio ſuſcipere. Et quoniam ſollicitudo mentis animam perturbat, & gaudium ſpirituale impedit, & pacem pectoris tollit. Nihil ſolliciti-ſitis, Dominus enim propè eſt, id eſt, præſto & paratus dare quidquid opus eſt ſuis ſeruientibus, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, ſicut ſcriptum eſt: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Quia dedecus eſt diuiti domini & potenti, ſi ſeruis ſuis honeſtè non prouiderit neceſſaria. Quis enim vidit iuſtum derelictum, aut ſemen eius querens panem. vnde Eccleſiaſticus: Reſpicite filij nationes hominũ, & ſcitote quoniã nullus perpetrauit in Domino delictus eſt ab eo, permãſit in mãdatis eius & confuſus eſt. Et Dauid ait: Iacta ſuper Dominum curã tuam. Et iterum: Spera in Domino & fac bonitatẽ, id eſt, fac bonitatẽ & tũc poteris ſperare in Donino, alioquin præſumptio eſt ſemper in malo permanere, & de impunitate ſperare. Nihil igitur ſoliciti ſitis, nõ anxij, nõ timidi, non grauentur corda veſtra curis huius ſeculi. Sollicitudo enim & curæ huius ſeculi, velut muſca canina mentem pungunt, velut rubigo animi cõſumunt. Sicut vermis lignum, & tinea pannum, ita ſollicitudo corrumpit, & quaſi demolitur anima, vnde Pſalmus ait: Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius. Et Dominus ait. In mundo preſſuram, in me autem pacem habebitis. Quoniam igitur cuilibet diei præſenti ſufficit malitia ſua, non eſt cogitandum de craſtino. Qui dedit poſſeſſorem dabit poſſeſſionem, Qui creauit animam non negabit eſcam. Nónne anima plus eſt quã eſca, & corpus plus quam veſtimentum? Qui autem dedit tibi ſeipſum, & promiſit regnum æternum, quomodo negabit modicum cibum? Habentes igitur alimenta & veſtimenta quibus tegamur, his contenti ſimus, ne fortè dicatur de nobis ſicut de curioſis & inquietis, dicit Dominus per Prophetam Naum: Plures feciſti negotiaciones tuas, quàm ſunt ſtellæ cœli. Confidentes igitur in Domino, qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, qui ait Petite & dabitur vobis, nihil ſolliciti ſimus, ſed in omni oratione petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum. Petitiones, ſcilicet, noſtræ de rebus neceſſariis quas volumus impetrare, innoteſcant apud Deum. Ita, ſcilicet, digne fiant vt ad Deum perueniant. Ita feruentes ſint non tepide, quod Deus velit illas recipere. Non opponatur nubes peccatorum, vt tranſeat oratio ad Dominũ. Habita igitur ante oculos Dei promiſſione, & amota omni ſollicitudine, & curarum anxietate, pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, id eſt, Deus qui ſumma pax eſt, & incomprehenſibilis cogitatu, cuſtodiet corda veſtra à mala voluntate, & intelligentias veſtras ab errore, vt nihil contra ipſum appetamus vel intelligamus. Cuſtodiet affectum, & illuminabit intellectum, ſicut ſcriptũ eſt: Dominus illuminatio mea, contra ignorantiam: & ſalus mea contra malam voluntatem. Pax vero Dei, id eſt, ſilentium cordis, ſabbatum ex ſabbato, ſabbatum delicatum, exſuperat omnem ſenſum, id eſt, omnem ſenſualitatem, ne dominetur in præſenti. In futuro autem, omnem ſenſum exſuperabit, & quaſi ſepeliendo abſorbebit ſicut ſtilla aquæ infuſa mero abſorbetur. Pax igitur Dei, ſtrepitum carnis & tumultum ſeculi, & murmur conſcientiæ malæ, tempeſtatem iræ, & cuiuſlibet ſpiritualis nequitiæ, exſuperat & motibus illicitis, atque tentationibus edomitis, dominatur, & imperat & diem ſabbati ſanctificat, vnde Beatus Iob ait: Quieſce, & non erit qui exterreat, dormies & ſuauis erit ſom-

Apoc.3. Iſaiæ 55. Deut.30. Iob.10. Abac.2. 2.Petri 3. De brevitate vitæ humanæ. Iob.14. Matth.25. Iaco.4. Iob 13. 2.Cor.12. Deutro.32. Roma.12. Quòd non debemus eſſe ſolliciti. Ephe.4. Matth.6. Lucæ 12. Eccle.2. Contrà malam ſollicitudinem & curam huius ſæculi. Simile. Lucæ 21. Exod.8. Eccle.10. Para.25. Ioan.15. Matth.7. Matth.6. Lucæ 12. Tit.2. 1.Timo.6. Naum.3. Iaco.1. Lucæ 10. Phili.4. Tren.3. Phili.3. De bona pace & ſabbato cordis. Eſaiæ 66. Item 58. Exod.20. Iob 11.

erit somnus tuus. In hac igitur pace supra pectus Domini requiescit spiritus habens pacem cum Deo per obedientiam, cum proximo per beniuolentiam, cum seipso per mansuetudinem. Scriptum enim est. Beati mites quoniam ipse possidebunt terram, id est, dominabuntur corpori, & sibi subiiciēt sensualitatem. Et sicut de Salomone legitur, quod pacem dedit ei Dominus ex omni parte in circuitu, ita spiritus hominis in hac pace quæ exsuperat omnem sensum non turbatur memoria præteritorum delictorum, non inquietatur desiderio futurorum, non aduersis frangitur, nec prosperis inaniter extollitur, vt possit dicere cum Propheta. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Par. 2. Ioan. 15. 4. Reg. 4.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de epistola ad Corinthios.

*Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4.

HÆC Epistola recitatur hodie in Ecclesia, eò quòd de vtroque aduētu facit mētionem. Dominus enim in primo aduentu discipulos suos elegit vt essent ministri gratiæ eius & dispensatores ministeriorum seu mysteriorum ipsius. In secundo autem aduentu veniet vt reddat vnicuiq; secundum opera sua prout gesit in corpore, siue bonū siue malum, & tunc manifesta erūt opera singulorū, & erit vnicuiq; laus vel vituperiū à Domino. Vnde Apostolus in fine hodiernæ epistolæ ait. Nolite ante tempus iudicare quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscōdita tenebrarū, & manifestabit cōsilia cordiū. Reprehēdit autē Apostolus Corinthos speciliter in hodierna Epistola, de temerario iudicio, eò quòd de occultis ex sola suspicione iudicabāt. Non solū autē in hoc, sed in multis aliis eos reprehensibiles ostendit. Primò, quia de Baptistarū meritis se iactabāt, & vnitatē Ecclesiæ scindētes sacramentorū virtutē ex ministrorū meritis iudicabant, vnde Apostolus: Vnusquisq; vestrū dicit, Ego quidē sum Pauli, ego autē Apollo, ego verò Cephę, ego autē Christi. Diuisus igitur erat Christus quantū ad eos, multos enim Christos faciebant, id est, gratiarum datores, vel diuisus quantum ad hoc, quod credebant Christū, per vnum Baptistam plus operari quàm per alium. Baptistæ enim non sunt actores gratię, sed tantum ministri Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, diuersos gradus & ordines in Ecclesia constituentes, vel mysteriorum diuersa sacramenta dispensantes, nec propter diuersitatem ministeriorum variatur virtus sacramentorum. Vnus est enim Deus actor & dator gratiæ, vna fides, vnum baptisma, & non tot baptismi quot sunt ministri. Vnus est Christus, qui auctoritatē & potestatē baptizandi sibi retinuit, vnū ostiū per quod intrare oportet, vnum ouile & vnus pastor, vnū Ecclesiæ fundamentū, quod nemo potest mutare. Vnde Apostol. Fundamentū aliud nemo potest ponere, prēter id quod positū est, quod est Christus Iesus. Prætereà Dominus nō dicit Petro, tu es Petrus, & super te petram ædificabo Ecclesiam meā. Sed ait tu es Petrus, scilicet, à me qui sum petra sic dictus, & super hāc petram, id est, à me qui sum petra ędificabo Ecclesiā meā, vnde nō dicimur à Petro Petrini, sicut à Christo Christiani, nec dicitur baptismus Petri, sed baptismus Christi. Quoniā autē in baptismo Ioannis, nō conferebatur gratia, sed ad hoc baptizabat, vt assuefaceret pœnitētes & habilitaret ad suscipiēdum baptismum Christi, huiusmodi baptismus dicitur baptismus Ioannis. Ipse autem baptizabat exterius tanquā homo, Christus interius in spiritu tanquā Deus. Patet igitur quod Dominus ministerium & dispensationem dedit seruis suis, potestatem autem & auctoritatē baptizandi sibi retinuit, vnde Dominus in Euangelio Ioannis ait: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Dicit tamen Augustinus quod Dominus potuit hanc potestatē seruo dare, sed noluit, ne baptizati spē ponerēt in hominem, & incurrerēt maledictionem. De qua Propheta Ieremias ait. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Intelligendum est autem quod Dominus potuit ministris suis dare potestatem baptizandi, ita quod principalis actor gratiæ ipse existeret. Ipse enim dare non potuit potestatem increatam qua peccata remittit, sed potestatem creatam, vt sicut sacerdos ministerio habet exterius sanctificare, ita ministerio & non auctoritate habent interius mundare, vt in mundatione interiori seruus cum Domino operaretur, sicut in bonis operibus Dominus nobiscum & nos cum Domino cooperamur. Sed noluit Dominus, ne tot essent baptismi quot ministri, & aliis rationibus prędictis. Sibi igitur soli hanc potestatem retinuit. Neque enim qui plantat, nec qui rigat aliquid est, sed qui incremētum dat Deus: vnde valdè errabant Corinthij, quasi plura fundamenta & plura ostia ponentes, dum virtutem baptismi ex meritis baptisantiū pendere dicebāt. Vnde Augustinus: Nemo dicit meus baptismus, cùm dicat: Euangeliū meū, prudentia mea. Alius enim alio prudentior, sed alius ab alio magis, minusue baptisatus dici nō potest. Patet igitur quod nō est melior baptismus, qui per meliorē datur, nec minus bonus, qui per minus bonū. Nō enim potestate sed ministerio baptisamus: vnde B. Augustinus ait: Baptismus talis est, qualis ille in cuius potestate datur. Et iterum per ministros dispares Dei munus æquale est, qui non illorum, sed illius est. Et rursus: Non nocet tibi minister malus vbi bonus est Dominus. Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Per lapideum canalem

*Quod hæc epistola secundum diuersas partes ad vtrumque pertinet aduentum.* Apoc. 22. 2. Cor. 5. 1. Cor. 4.

*Quod in multis reprehensibiles erant Corinthij.* Ephe. 4. Ioan. 10. 1. Cor. 3. Matth. 16.

*De baptismo Ioannis.* Ioan. 1. *Augustinus.* Ierem. 17.

1. Cor. 3.

*Augustinus.*

Ioan. 15. lem transit aquà ad areolas. In carnali lapideo nihil generatur, sed ortus fructus plurimos facit. Hæc sunt verba Augustini ex quibus patet quàm culpabiles essent Corinthij, qui secúdum qualitatem sacci de pretio frumenti iudicabant, cùm idem sit granum siue in sacco veteri siue in nouo reponatur. Sed insuper contempto Apostolo qui eos simpliciter instruendo ad fidem conuerterat de sapientibns huius seculi se iactabant, quorum eloquẽtia & terrena sapientia delectabátur, qui eos palpabant & Apostolo detrahebát, dicentes, quod non esset de magnis Apostolis, nec corporaliter esset conuersatus cum Christo. Apostolus autem non ex defectu sapientię quam inter perfectos loquebatur, sed ex defectu eorum qui adhúc carnales erant, & paruuli lac eis potum dederat, non solidam escam, nec in sublimitate sermonis vel in sapientia huius seculi, sed in virtute Dei, & signis & miraculis ad Christum conuenerant, nihil iudicans se scire inter ipsos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Ipsi verò humilitatem patris sui qui velut nutrix paruulos fouens eis condescenderat, contemnebant, attollentes laudibus pseudoprædicatores qui laudibus suis delectabátur, contra quos Apostolus ait: Mihi autẽ pro minimo est vt à vobis laudar. Sancti enim non appetunt laudari, neque sua id quod sunt volunt ab aliis æstimari. Propterea Apostolus ait in secunda ad Corinthios: Parco autem, ne quis existimet supra id quod videt in me, aut audit ex me aliquid. Ipse enim non quęrens gloriam suam, sed gloriam Christi, & vt eius prædicatio non vilipenderetur, quasi compulsus fuerat quasdam reuelationes sibi factas à Deo manifestare, & postmodum de infirmitatibus suis multa subiunxit. Cùm autem multa posset de se dicere parcere se dicit, ne quis plus de illo existimaret quàm esset in veritate, vel quàm audissent ab eo, qui se infirmum confessus fuerat, & nihil boni habere ex se, sed à Deo, cuius minister erat & dispensator. Propterea ipse ait: Sic nos existimet homo tanquã ministros Christi & dispẽsatores ministeriorũ Dei, qui, scilicet, misteriũ nobis dedit, sed potestatẽ sibi retinuit. In quo etiã quosdam ex Corinthiis reprehendit, qui eũ, & illos qui cũ ipso erant, adeò cõtemnebant, quod etiã nec Christi ministros reputabát. E contrà verò Pseudoapostoli arrogantes & præsumptuosi dominantes in populo, non forma facti gregis in animo, non se tanquã seruuos & ministros, sed tanquã Dominos reputabát. Sicut scriptũ est: Reges Gentiũ dominantur eorũ, & qui potestatẽ habent super eos benefici vocantur. Isti enim nõ prodesse, sed præesse & dominari appetebant, & benefici vocabantur ab adulatoribus suis, gloriam propriam quærẽtes, & bona quæ à solo Deo sunt sibi arrogãtes. Amantes primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi, cũ tamen dicat Dominus, qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator. Quãtò maior enim est homo, tãtò magis humiliare se debet in omnibus, & quando omnia benefecerit, seruum inutilem se reputare, quia Dominus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam. Hi autem operarij sathanæ transfigurantes in Angelum lucis, elati & superbia excęcati, quia se supra se insolenter erexerunt, infra se miserabiliter corruerunt. Sicut scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Dicẽtes enim manus nostra excelsa & nõ Dominus hęc fecit omnia. Et iterũ: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est, ambulantes in magnis & in mirabilibus super se, dicentes cum Pharisęo: Non sumus sicut cęteri hominum, & vocantes nomina sua in terris suis, cum Rege suo sathana deiecti sunt à Domino, qui deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Fulmen enim excelsa percutit, & Dominus superbis resistit, quia fugauit Deus omne superbum, Dominus enim concidet ceruices peccatorum, id est, ceruicosos peccatores, & retribuet abundanter facientibus superbiam, & cornua peccatorum confringet. Propterea ipse ait per Prophetam: Non habitabit in medio domus meę qui facit superbiam. Et iterum Propheta ait: Leua manus tuas in superbiam eorum qui te oderunt. Et Isaias ait, Detracta est ad inferos superbia tua. Et Apostolus ait: Noli altum sapere, sed time. Superbia enim ventus est proiiciens eos tãquam puluerem à facie terræ promissionis. Mons interpositus qui non sinebat ad illos peruenire radios veri Solis, hic est fumus, qui quantò magis ascendit, amplius euanescit. Prætereà Dauid ait. Domine, non est exaltatum cor meum. Et beatus Iob ait. Si vidi Solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clare, & lętatum est cor meum in abscondito, & osculatus sum manum meam ore meo. Sol in fulgore, bonum opus in manifestatione. Opus igitur suum cum aliis exemplorum lucem tribueret ad præsumptionem non videt. Boni enim bona sua non vident, quæ aliis videndæ præbent. Lunam autem dicit famam boni operis, quæ lucet in nocte huius seculi. Hæc igitur luna ab eo non videtur, qui de fama sua & humano fauore non gaudet vel extollitur, & idcirco cor suum non esse lætatum in abscondito dicit. Manum autem suam osculatur ore suo qui laudet quod facit, & testimonio proprię locutionis sibi virtutem attribuit operis, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum: sicut idem Iob ait: Actoris enim sui gratiam negare conuincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Omne enim, peccatum quod ex infirmitate est, spem non perdit, quia à Deo veniam quęrit. Præsumptio verò quantò longius est ab humilitate, tantò grauior est in desperatione, & dum vires sibi tribuit, à Deo non requirit. Sancti igitur qui diem hominis non desiderant, neque felicitatem seu prosperitatem huius seculi appetunt ab humano die, id est, ab humana scientia vel iactantia laudari pro minimo habent, humanum fauorem modicum curant, scientes quod si hominibus placerent, id est, placere appeterent, Christi serui nõ essent. Confusi etenim sunt, quoniam Deus spreuit eos.

*Quod Corinthii sapientes huius seculi, Apostolo proponebant.*
*2. Cor. 2.*
*Item 4.*
*Item 2.*
*2. Tessa. 2.*
*2. Cor. 3.*
*2. Cor. 12.*
*Quod Paulus non quærebat propriam gloriam sed Christi gloriam cuius minister erat.*
*1. Cor. 4.*
*Quòd Pseudoapostoli propriam gloriam quærebant & arrogantes atq; superbi.*
*1. Petri 5.*
*Matth. 20.*
*Mar. 10.*
*Lucæ 22.*
*Matth. 20.*
*Marc. 12.*
*Lucæ 22.*
*Eccle. 3.*
*Contra superbiam.*
*Lucæ 14.*
*Iacob 4.*
*1. Petri. 4.*
*2. Cor. 11.*
*Deut. 22.*
*Lucæ 18.*
*Item 1.*
*Isaiæ 14.*
*Rom. 11.*
*Iob 31.*
*Iob 31.*
*Ierem. 17.*
*2. Cor. 4.*
*Gal. 1.*

Hi sunt

Hi sunt qui adulationibus demulcentur. Contra quos Psalmus ait: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et Salomon: Fili si te lactauerint peccatores, nō acquiescas eis. Propterea etiam Corinthij Pseudoapostolis adulabantur, quia illi laudibus suis gloriabātur. Cæci etiā duces cæcorum extiterunt, vnde ambo in foueam eciderunt. Illi, scilicet, Corinthij adulando, isti, scilicet, pseudopredicatores, laudes suas acceptando. Princeps enim qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios, sicut dicitur in Parabolis. Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Hi sunt ranę garrientes in penetralibus Regum ipsorum linum cum aqua miscentes. Sic igitur mortui mortuos suos sepeliunt, dum nociuo aggere fauoris premunt. Plus enim nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris. Propterea Dominus inhibuit ne in eius sacrificiis mel adoleatur. Quod enim pruina facit floribus, facit adulatio vel iactantia virtutibus. Primitias autem & decimas, id est, principium & finem boni operis, debemus Deo offerre, id est, ad Deum referre, non nobis arrogare, sicut Ioseph omnem pecuniam ex venditione frumenti in horrea domini sui intulit. Non solùm autem Corinthij baptistis suis adulabantur, de quibus gloriabantur, sed & alios contemnebant. Et vt sui laudibus attollerent, & aliis pręeminere ostenderent, cæteris detrahebant. Hos laudantes, illos vituperantes, cùm tamen scriptum sit in Leuitico: Non eris criminator, nec susurro in populis. Et in Ecclesiastico: Si mordeat serpens in abscondito, id est, diabolus, nihil minus eo habet qui occultè detrahit. Et in libro Sapientiæ: Parcite linguæ à detractione, quia sermo obscurus, id est, occultus in vacuum non ibit. Hi sunt qui maledicunt surdo contra mandatū legis, dum detrahunt occultè absentibus. De quibus Ieremias ait: Vnusquisque carnes amici sui comedet in obsidione, in qua concludent eos inimici eorum. Ex quo patet quod qui proximis detrahūt, à dæmonibus obsidētur. Hi sunt velut Sodomitæ palpātes ad ostium Loth, & introitum non inuenientes. De quibus beatus Gregorius ait: Sodomitę in Domo Loth ostium inuenire nequierunt, quia corruptores mentium contra vitam iustorum, nullum reprehensionis aditum inuenerūt. Hi deteriores sunt Balaam, qui ait. Quomodo maledicā, cui non maledixit Dominus. Et Isaias ait: Si desieris digitum extendere, & loqui quod non prodest. Digitum enim extēdere est proximorum suorū vitam detrahendo notare. Propterea Propheta ait: Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Qui enim opprobrium non accepit aduersus proximos, hic in tabernaculo altissimi habitabit. Non solùm autem Corinthij adulando & detrahendo peccabant, sed insuper de occultis temerariè iudicando. Hos fideles dispensatores, alios infideles iudicantes. Propter quod Apostolus ait: Hîc iam quęritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Quasi diceret. Hîc, id est, in hac pręsenti vita quæritur à vobis quis dispensator fidelis inueniatur, quod nō esset faciendum, sed in talibus diuinum iudicium esset expectandum, in quo Dominus abscondita tenebrarum reuelabit, & manifestabit consilia cordium. Tantò minus etenim debemus de occultis iudicare, quantò conscientias hominum intellectu non possumus penetrare. Ne fortè incurramus maledictionem, dicentium bonum malum, & malum bonum: vnde Dominus in Euāgelio ait, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et Apostolus, Nolite ante tempus iudicare. Et iterum, Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Inhibentur enim praue suspitiones, temeraria iudicia, & ineptę reprehensiones, si tamen suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, diffinitiuas sententias de dubiis proferre non debemus, sed ea semper in meliorem partem interpretari, quæ bono & malo animo possunt fieri. De his autem quæ non nisi malo animo fieri possunt, sicut fornicari, inebriari, blasphemare Deum, & similia: & si iudicare possumus quod sunt mala, non tamen absentibus debemus detrahere, neque proximos nostros infamare, sed eos cum omni mansuetudine & compassione exhortari vel increpare sicut, scriptum est: Corripiet me iustus in misericordia. Neminem autem debemus, quàm diu est in hac vita, condemnare, cùm nesciamus qualis futurus sit, vel quantus sit in Dei prædestinatione. Iudas enim de Apostolo factus est proditor, & Paulus de persecutore prædicator. De apertis autem criminibus non licet subditis Prelatos suos, nisi cum omni reuerentia & humilitate, arguere, & in quantum possunt, ne infamentur procurare, sicut scriptum est: Non glorieris in contumelia patris tui: vnde beatus Gregorius ait, Facta præpositorum & si reprehendenda videātur, oris tamen gladio non sunt ferienda. In libro autem Regum legimus, quod dum Saul ventrē purgaret, Dauid oram clamidis eius latēter abscidit, sed post hæc cor suum percussit. Super quo beatus Gregorius ait, Saul ventrem suum purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseri odoris extendere, quem Dauid ferire metuit, quia piè subditorum mentes ab omni pestifere detractionis abstinent. Si autē quādo contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est, vt per afflictionem pœnitentię cor prematur. Et in Genesi legitur, quod Cham nuditatem patris sui Noë, dū esset inebriatus irrisit, & patris maledictionem promeruit, sicut Sem & Japher, quia ipsum velauerunt, eius benedictionem meruerunt. Noë inebriatur & pudenda eius nudātur, dum prælatus errat, & ipsius error propalatur. Mali derident & infamant, boni autem compatiuntur & reuerentur, & inquantum possunt patris turpitudinem abscondunt, & velant ne infametur. Vnde in Exodo dicitur, Diis nō detrahes, & Principi populi tui non maledices. Maria enim soror Moysi quia cōtra Moysen murmurauit, lepra percussa est. Scriptum est enim, Nolite tangere Christos meos. In his tamen quæ sunt contra fidem catholicam, si prælatus

*Contra adulationem.* *Para.1.* *Rom.2.* *Matth.15.* *Parab.19.* *Matth.11.* *Lucæ 7.* *Exod.8.* *Matth.11.* *Lucæ 7.* *Leuit.2.* *Exod.22.* *Gene.47.* *Contra detractionem.* *Leui.19.* *Eccle.10.* *Sapi.1.* *Leui.19.* *Iere.19.* *Leui.26.* *Gregorius.* *Gene.19.* *Num.23.* *Isaiæ.* *De temerario iudicio.* *1.Cor.4.* *Isaiæ 5.* *Matth.7.* *Lucæ 6.* *Rom.14.* *Iosue.13.* *Actuum 9.* *Qualiter debeant subditi prælatos reprehendere.* *Eccle.3.* *Gregorius.* *1.Regum 24.* *Gen.9.* *Exod.23.* *Num.12.* *Ioan.20.*

*Ioan.10. De tribus generibus pastorum.*

prælatus apertè errauerit, non est ei ab aliquo deferendum. Cùm enim tria sunt genera prælatorum, quidam sunt pastores boni, qui animam suam ponunt pro ouibus suis, & isti sunt audiendi & imitandi. Alij sunt mercenarij, qui non curant nisi de lucro temporali, isti autem sunt tolerandi & audiendi: sed non imitandi. Iuxta illud. Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere. Alij sunt lupi, fures & latrones, id est, hæretici, & isti sunt abiiciendi & fugiendi. De quibus Dominus: Fur non venit nisi vt perdat & mactet. Hi enim sunt Lupi rapientes, & dispergentes oues. Si enim sal, id est, prælatus euanuerit per hæresim, ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foris, & conculcetur ab hominibus. Hæc autem de apertè malis intelligenda sunt. Oculta enim Deo reseruanda sunt, ne fortè eradicantes zizania simul eradicent & triticum. Adhuc enim in hoc seculo, penna strutionis similis est pennis herodij & accipitris, sicut dicitur in Iob. Multi enim more strutionis habent similitudinem volandi, & non volant, nec possumus plenè discernere bonos à malis, vnde necesse est in talibus expectare vsque ad messem ventilationis extremæ, in qua Dominus diuidet granum à palea, vinum à fece, & oleum ab amurca, similá à furfure, lilium à spinis, oues ab hœdis. Nõ igitur debemus ante tempus illud de ocultis iudicare, ne iudici fiat iniuria, si ante iudicium eius à seruo procedat sententia. Qui enim hoc modo alium iudicat, seipsum condemnat. Hi sunt qui festucam videre volunt in oculo fratris sui, sed trabem in oculis suis non vident, qui alienas perscrutantur conscientias, & seipsos perscrutari & discutere negligunt, qui relicto mortuo suo in domo propria, mortuos alienos deplorant. Qui igitur diem Domini nolunt expectare, sed in die suo tenebroso, in quo non plenè facies hominum discernuntur, volunt iudicare, multoties falluntur in iuditio. Propterea Apostol. ait: Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, siue ab humano die, quod idé est, id est, ab humano intellectu, homo enim falli potest in die suo, Deus autẽ in die suo falli non potest. Et Rursus ait: Sed neque metipsum iudico, qui, scilicet, melius noui me quàm alius homo. Ex quo patet quàm periculosum & temerarium sit vobis de ocultis cordis mei vel aliorum iudicare. Cùm enim vnusquisque de se aut vix aut nunquam possit veram sententiam ferre, quomodo præsumit de alio iudicare? Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et si etiam in nullo conscientia nostra nos remordeat, non ob hoc iustos nos esse debemus existimare: potest enim homo nescius culpam habere, vnde Propheta ait: Delicta quis intelligit? ab ocultis meis munda me. Quis enim gloriari potest cor mundum se habere? Qui igitur iudicat Dominus est solus qui nouit omnia, & idcirco ei relinquendum est iudicium, qui melius nouit nos quàm nos cognoscamus nosmetipsos. Ab eo etiam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur, sicut ipse ait: Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Fidelis qui diligat, prudens qui cognoscat voluntatem Domini sui, fidelis conuersatione & vita. Prudens scientia, vt det cibum in tempore doctrina, qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ. Sit igitur dispensator fidelis, vt alios informet bona conuersatione. Sit prudens, vt erudire sciat prædicatione. Coniungatur vita doctrinę vt benè viuat quantum ad ipsum, & benè doceat quantum ad proximum, & ad populum sibi subditum, vt tintinabula iungantur malogranatis in veste Pontificali, id est, prædicatio bonæ cõuersationi. Sicut scriptum est, Cœpit Iesus facere & docere. Et quoniam scriptũ est: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et iterum: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Fidelis erit minister, si fuerit sicut Dominus eius humilis & prouidus, misericors & iustus, sobrius & castus, fortis & patiens, simplex & prudens. Si igitur humilis dispensator exemplo Domini sui, qui non venit ministrari, sed ministrare. Quantò enim maior est, tantò se magis debet humiliare. Sit prouidus & solicitus, sicut scriptum est: Qui præest in sollicitudine, ne fortè dormiente pastore inimicus homo superseminet zizania, sed possit dicere sicut Iacob dixit. Labã, cuius greges cum omni diligentia custodierat, die, noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sit misericors & benignus, vt plus infundat olei quàm vini, vt misericordia superexaltet iudicium, vt dicat cum Apostolo: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Consoletur pusillamines, sustineat infirmos, recipiat hospites in hospitio cordis per compassionem, pulsanti ad ianuam, charitas aperiat, hilaritas recipiat, affabilitas retineat, collatio pascat, fesso humilitas seruiat. De benignitate autem & compassione dispensatoris Gregorius ait: Iacentem non erigit nisi qui statum suæ rectitudinis per compassionem flectit. Sit autem non solùm misericors, sed & iustus, vt vinum simul administret & oleum, seueritatem districtionis, cum mollicie pietatis, vt fiat quasi quoddam temperamentum, ne multa asperitate exulcerentur subditi, ne nimia benignitate soluantur, vt sit in archa tabernaculi, virga districtionis, cum manna dulcedinis. De his autem Gregorius ait: Plus appetat dispensator amari quàm timeri. Sic autem amorem timor comitetur, vt nec timor odium pariat, nec amor negligẽtiam, vt sit timor ex auctoritate regiminis, amor autem ex dulcedine consolationis. Sit præterea dispensator sobrius, & castus, ne fortè dicatur ei: Qui prædicas non mœchãdum, mœcharis? vt habeat manus mundas, qui tergere vult sordes alienas. Sit fortis & patiens. Fortis sine pusillanimitate, patiens sine ira & tempestate, propterea Psalmus ait: Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate, & tempestate. Sit fortis, vt opponat se murum pro domo Domini. Sit patiens, vt non deficiat in aduersis. Qui enim patiens est, possessor est sui cordis, sicut scriptum est: In patientia

*Matth.23.*

*Ioan.10. Matth.5.*

*Quod de ocultis non debemus iudicare. Matth.13. Iob 39. Matth. & Lucæ 3. Matth.25. Rom.2. Matth.7. Lucæ 6.*

*2.Cor.4.*

*Para.10. De fideli & prudente dispensatore. 2.Cor.4. Lucæ 12. Matth.5. Exod.28. Act.1. Ioan.12. Matth.10. Luc.6.*

*Quæ exigantur ad hoc quod sit fidelis minister.*

*De humilitate dispensatoris. Mat.20. Mar 10.*

*De prouidentia & sollicitudine dispensatoris. Roma.12. Matth.13. Gene.31.*

*De misericordia & benignitate pastoris. Lucæ 10. Iacob.2. 1.Tessa.5. 2.Cor.11.*

*De iustitia dispensatoris. Lucæ.10. Heb.9.*

*De sobrietate & castitate dispensatoris Rom.2.*

*De fortitudine & patientia dispensatoris. Ezech.13. Para.15.*

tientia vestra, possidebitis animas vestras. Animas suas possidere, est motus irrationales subiugare. Sit patiens, non percussor, ne clauem conuertat in clauam. Sit simplex & prudens, sicut scriptũ est: Estote prudẽtes sicut serpẽtes, & simplices sicut columbæ. Vt simplicitatẽ columbæ astutia serpẽtis instruat, ne sit fatua, simplicitas verò astutiã temperet, ne sit malitiosa. Simplex sine hyprocrisi & duplicitate, vt oculum in omnibus habeat ad Deum, nõ ad lucra temporalia, vel ad fauorem humanũ, non quærat quę sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Prudens, vt sciat discernere inter bonũ & malum, ne erret in agendis, & inter verũ & falsum, ne exorbitet in credendis, vt inter sanctum & prophanũ habeat distantiã, & sciat separare pretiosum à vili, & discernere inter lepram & lepram. Sit prudens & circunspectus, vt attendat qualitatem temporũ & circunstantias personarũ, vt distribuat cibaria familię Domini sui, & det illis cibum in tempore secundum capacitatem vniuscuiusque. Vt pascat oues Christi exemplis, verbis, & sacramentis, oratione, consolatione, & defensione: vt pascat paruulos lacte, & maiores pane. Lacte doctrinæ simplicioris, pane doctrinæ solidioris, vt minoribus apponat historialẽ intellectũ, facta Patrum antiquorũ, miracula & exempla sanctorum. Maioribus mysticum intellectum & subtilitatem mysteriorum, vtrisq; verò virtutũ informationem & dulcedinem morum. Apponat panem hordeaceũ, in exemplum cõtritionis: panem subcinericiũ, in exemplũ humilitatis: panem consperſum oleo, in exemplũ charitatis: vinum in iucunditatẽ, in exemplum feruoris & hilaritatis. Apponat sal in exemplum discretionis: apponat legumina trium puerorũ, in exemplũ sobrietatis: olera Pauli, in exemplũ infirmitatis & paupertatis: carnem agninã, in exemplũ innocentię & benignitatis: arietinã, in exemplũ fortitudinis: bouinã, in exemplũ agriculturę & prædicationis: caprinã, in exemplũ pœnitẽtiæ: columbinã, in exemplũ simplicitatis: carnẽ turturis, in exemplũ castitatis. Apponat pisces, squamas & pennulas habẽtes: squamas in asperitate conuersationis, pennulas in altitudine cõtemplationis. De hac ciborũ dispensatione & ferculorum abundantia & varietate dicit Moyses: Constituit eum super excelsam terrã, id est, super Ecclesiã in virtutũ præeminentia constitutã, vt comederet fructus agrorũ, id est, verba sanctarũ scripturarũ, vt sugeret mel de petra, quę est Christus, id est, dulcedinẽ doctrinę Christi, & operũ atq; miraculorũ, quæ fecit in mundo adhuc mortalis & passibilis. Post mortẽ verò factus est quasi saxũ durissimũ in resurrectione per immortalitatẽ & impassibilitatẽ: de quo saxo durissimo oleũ suxerũt, id est, spiritus sancti vnctionẽ, quod spiritualiter factũ est in die Pentecostes. Sequitur: Butyrũ de armento, id est, pinguedinẽ fidei & charitatis, & doctrinæ spiritualis de Patriarchis & Prophetis. Et lac de ouibus, id est, doctrinã facilẽ & simplicẽ, & cordis innocentiã, sicut scriptũ est: Pauit eos in innocẽtia cordis sui: cũ adipe agnorũ & arietũ filiorũ Basan, id est, cum charitate, & spirituali desiderio Apostolorũ, & filiorũ ipsorũ Doctorũ spiritualiũ & subditorum. Per agnos, subditi: per arietes, Apostoli & Doctores, gregis duces & spirituales intelliguntur: tam hi quã illi filij Basan, id est, pinguedinis spiritus sancti fuerũt. Basan enim pinguedo interpretatur. Et hircos cũ medulla tritici, id est, opera pœnitẽtiæ cum corpore Christi vel exempla pœnitentiũ cum pinguedine veteris & noui testamẽti. Et sanguinẽ vuæ biberẽt meracissimũ, Christi sanguinẽ glorificatũ: vel sanguinẽ vuę meracissimũ bibere, est Christi passionem imitari in veritate absq; simulationis & corruptionis admixtione. Hæc sunt cibaria quæ fidelis dispẽsator distribuit familiæ Domini sui. Ecõtrà, mali ministri & dispensatores reprobi, cuiusmodi erãt Pseudoapostoli, qui quosdã Corinthios peruerterãt, ollas carniũ Ægypti allia & cepæ, & porros ministrabãt. Ægyptiacę carnes, mũdanę delectationes: allia, cepę, & porri, grauiter inflant, ventositatẽ generãt, cerebrũ turbãt, oculos grauãt. Inflant per elationẽ: ventositatẽ generãt per verborũ abundantiã, quia qui verbis multis vtitur, lædit animã: Cerebrũ turbãt per iracundiã: oculos grauant per acidiã, lachrymas insuper prouocãt per mundanã sollicitudinẽ & spiritus anxietatẽ. Meritò igitur à Deo requiritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. A nobis autẽ nõ est inquirendũ, quãdiu nõ sunt manifesta vitia dispensatorũ, sed obediendũ est eis in his quæ non sunt cõtra Deũ. Omnis enim potestas à Deo est: qui igitur potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vnde Dominus: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et in Ecclesiastico: In tota anima tua time Deum, & sacerdotes illius sanctifica. Et in Threnis: Facies sacerdotum non erubuerunt. Propterea Apostolus ait: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. In primo aduentu Dominus reuelauit abscondita figurarum, abscondita scripturarum, aperiens discipulis suis sensum vt intelligerent scripturas. Abscondita etiam vitiorum, dum ait: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eã, iam mœchatus est eam in corde suo. Et qui dixerit fratri suo racha, dignus est iudicio. Et iterum cùm ait, quod de omni verbo otioso reddituri sumus rationem. Multa enim putabantur nõ esse peccata, quæ ostendit peccata esse. In secundo aduentu reuelabit abscondita tenebrarum, id est, conscientiarum hominum. Tunc enim nihil occultum quod non reueletur: vnde Isaias ait: Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobriũ tuum. Et Psalmus ait: Arguam te & statuam contra faciem tuam, damnatos autem accusabunt peccata sua: vnde Ieremias Propheta ait, Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Et in libro Sapientiæ: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & corripietur à superueniente iniquitate. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis manifestus

*Luce 21.* *1. Tim. 3.* *De simplicitate & prudentia dispensatoris.* *Matth. 10.* *Phil. 2.* *Leuit. 10.* *Ezech. 22.* *Ieremi. 15.* *Deut. 17.* *De pastu multiplici.* *Matth. 24.* *Ieremi. 22.* *1. Cor. 3.* *Ieremi. 6.* *3. Regum. 3.* *Leuit. 2.* *Eccle. 31.* *Dan. 1.* *Rem. 14.* *Exod. 12.* *Par. 30.* *Leui 4.* *Lucæ 2.* *Leui. 15.* *Item 11.* *Deut. 32.* *De malo pastu.* *Matth. 24.* *Exod. 16.* *Num. 11.* *Eccle. 20.* *1. Cor. 4.* *Rom. 13.* *Lucæ 10.* *Eccle. 7.* *Tren. 4.* *1. Cor. 4.* *De multiplici reuelatione.* *Lucæ 24.* *Matth. 5.* *Matth. 12.* *De abscondito tenebrarum id est, de peccatis in secundo aduentu reuelandis.* *Lucæ 10.* *Isa. 47.* *Ieremi. 2.* *Sap. 5.*

& clarus inter nubila huius seculi. Non enim occultus erit, sed in toto orbe manifestabitur.

*Qualiter primo aduentu venit, & qualiter venturus sit in secundo.*

In primo siquidem aduentu cum silentio descendit sicut ros. In secundo aduentu velut inundatio pluuiæ cum strepitu descendet. Veniet enim cum igne, & tempestate, & choruscatione, & strepitu, & tumultu. Vnde Dominus per Isaiam: Tacui semper, silui, patiens fui sicut parturiens loquar. Et Psalmista ait: Excita potentiam tuam & veni, id est, filium, per quem potenter operaris, & veni ad iudicandum. Excita, quia dormire videbatur dum silebat, & patienter expectabat. Cognoscetur enim Dominus iudicia faciens, quia non fuit cognitus iniuriam patiens. Dies enim Domini reuelabitur in igne, quando scrutabitur Hierusalem in lucernis, & visitabit super viros defixos in fœcibus suis. Aduocabit enim cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Cœlum, id est, Angelos: Terram, id est, homines sanctos. Vnde Iob: Reuelabunt cœli iniquitatem malorum, & terra aduersus eos consurget in die furoris Domini. Tunc enim patebunt conscientiæ singulorum. Vnde Daniël ait: Iudicium sedit, & libri aperti sunt, id est, conscientiæ singulorum. Et Ioannes in Apocalypsi: Vidi Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columna ignis, & habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem super terram, & clamauit voce magna, quemadmodũ cùm leo rugit. Angelus fortis, Christus nuncius paternæ voluntatis, qui fortem armatũ, id est, diabolũ, superauit, qui de cœlo descendit, dum in primo aduentu mundo visibiliter apparuit. In secundo etiam aduentu descendet, dum veniet ad iudicandũ baiulis nubibus, quemadmodum viderunt eum discipuli ascendentem in cœlum. Amictus nube fuit in primo aduentu, quia Sol sub nube latuit, diuinitas sub humanitate. Nube etiam carnis amictus apparebit in iudicio, quia in humanitate mundum iudicabit. Vnde Daniël: Aspiciebam, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat. Per iridem autem propiciatio & reconciliatio humani generis intelligitur. Deus enim erat in Christo capite, recõcilians sibi mundum in primo aduentu. Rubeus autem color in arcu, iudiciũ per ignem venturũ significat, sicut ceruleus iudicium præteritum per aquam. Vnde & iris in capite Christo in secundo aduentu erit, quia pater omne iudicium dedit filio, qui venturus est iudicare seculum per ignem. Facies eius vt Sol, id est, sancti in quibus relucet imago Dei, quod intelligitur de vtroque aduentu. Ipse etiam glorioſus in iudicio apparebit, qui in primo aduentu visus est non habens speciem neq; decorem. Pedes eius tanquam columna ignis, id est, sancti prædicatores Christum per orbem vniuersum circumferentes, & alios tanquam columnæ sustentantes, accensi igne spiritus sancti: hoc patet de primo aduentu, vel pedes Christi, eius inferior natura, scilicet, humanitas, sicut caput eius dicitur diuinitas. Veniet enim in secundo aduentu velut ignis ardens, terribilis reprobis, iustos autem illuminabit, & qui prius venit in infirmitate carnis, veniet tanquam columna in fortitudine maiestatis. Habuit autem libellum apertum in manu in primo aduentu: in manu operationis suæ, complendo ea quæ de ipso scripta erant. In secundo autem aduentu, liber conscientiarum aperietur, & reuelabuntur consilia cordium. Pedem autem dextrum supra mare posuit, quia in primo aduẽtu fortiores prædicatores misit ad eos, qui fluxiores erant in amaritudine peccatorum suorum. Sinistrum autem super terram, id est, minus fortes misit ad alios peccatores, terrena sapientes. In secundo etiam aduentu conculcabit dæmones qui per mare intelliguntur dextro pede, quia vehementius torquebuntur. Terrenos autem homines, id est, reprobos, qui non adeò comprimentur, quasi pede sinistro conculcabit. Clamauit autem voce magna, quemadmodum cùm leo rugit. In primo autem aduentu, tam per se quàm per prædicatores suos, clamauit comminando reprobis, & terrendo, nõ solùm bestias, id est, bestiales homines, rugitu suo, sed insuper & dæmones. In secundo autẽ aduentu, terribiliter clamabit: Ite maledicti in ignem æternũ. Apparebit autẽ sicut leo reprobis, iratus, scilicet, & terribilis; blandus autẽ & placatus electis suis. Propterea Salomõ ait: Egredimini filiæ Syon, & videte Regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit eũ mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. In diademate enim, id est, in carne humana, in qua de malignis spiritibus glorioſe triumphauit, apparebit in iudicio, hac autẽ carne coronauit eum mater sua, quia illã assumpsit ex B. Virgine. Vel in corona spinea, qua coronauit eũ mater sua synagoga, ex qua secundũ carnẽ processit, apparebit in iudicio. Mala fuit mater ista, quę facta est ei quasi nouerca. De primo etiã aduẽtu prędicta verba Salomonis possunt intelligi. Egredimini igitur filiæ Syõ, per desideriũ & contemplationẽ, vt videatis oculis fidei & charitatis Regẽ Salomonẽ, qui vobis pacẽ attulit, & Deo patri in humanitate quam assumpsit à matre, reconciliauit. Quæ dicitur diadema, quia in illa pugnãs, non solũ sibi, sed & nobis coronã æternã promeruit. Egredimini nihilominus ab ignorãtia infidelitatis, ô vos Iudæi, à carnali intellectu vos hæretici, à tenebris peccati vos falsi Christiani. Egredimini omnes cũ Abrahã de terra vestra, ne curã carnis faciatis in desideriis: de cognatione vestra, ne cognatos seu consanguineos inordinatè, & contra Deum diligatis, de domo patris vestri, id est, de amore huius seculi, cuius Princeps diabolus est, quantũ ad eos qui seculariter viuunt, quorũ pater dicitur, sicut scriptum est: Vos ex patre diabolo estis. Egredimini à cœno luxuriæ, à fumo superbiæ, à terra cupiditatis, à fouea duplicitatis, à spineto iracũdiæ, à nubilo tristitię & acidiæ. Egredimini, vt sitis filiæ Syon integrè, incorruptè & innouatè in speculo cautelę vobis à malis prouidẽtes, in speculo scripturæ inspiciẽtes, videte Regẽ Salomonem.

*Exposito auctoritatis quantum ad vtrumque aduentum.*

*Matth. 12. Luc. 11. Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21. Act. 1. Dan. 7. 2. Cor. 5. Ioan. 5.*

*Isai. 53.*

*Dan. 7. 2. Cor. 4.*

*Matth. 25.*

*Cant. 3.*

*Gene 12. Rom. 13.*

*Ioan. 12. Ioan. 8.*

Salomonem. Vbi enim amor, ibi oculus: vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. In diademate, id est, in carne, quam sine peccato contraxit ex matre, in qua debellauit æreas potestates. In die gratiæ, in quo desponsauit Ecclesiam, lætus de eius salute, vel in die lætitiæ cordis eorum, qui eum diligebant, vt tandem ipsum videre mereamini in corona gloriæ, qua coronauit eum pater suus in die lætitiæ cordis illius, id est, in die resurrectionis & ascensionis. *Matth.8. Lucæ 12.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Matthæum 12.

*Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* *Matth.11.*

LVCERNA Domini spiraculum hominis, quoniam inuestigat omnia secreta ventris. Verba sunt Salomonis in Parabolis. Verbum autem Domini dicitur lucerna, quia lucet & ardet. Quædam verba ardent, sed nõ lucent, imò fœtent, scilicet, verba ad luxuriam pertinentia. Similiter verba rixæ & contumeliæ in proximum, & blasphemiæ in Deum. Quædam autem lucent, sed non ardent, cuiusmodi sunt verba adulationis. Quædam autem ardent & lucent, vt verba sacræ scripturæ, quæ etiam dicuntur lucerna, quia sunt quasi lumen in testa: Nam sub cortice literæ clauditur spiritualis intelligentia. Non manducabis morticinum vel captum à bestia: Ecce testa. Non recipies munera vel eleemosynas à fœneratore de iniustis acquisitis: Ecce lumen. Dicitur etiam verbum Domini spiraculũ hominis: nam sicut viuimus & spiramus aërem attrahendo vel emittendo, sic anima viuit & respirat dum verbum Domini attrahit audiendo, & emittit operando. Qui enim attrahit, sed non emittit, id est, qui audit, sed non operatur: non viuit, sed suffocatur. Non enim auditores verbi tantùm, sed factores iustificabuntur. Sermo enim Domini intellectus bonus est tantùm omnibus faciẽtibus eum. Dicitur etiã q, lucerna verbi Domini inuestigat ventris secreta, id est, occulta cordiũ, & secretas tentationes dæmonũ. Debemus enim exenterare piscẽ cũ Thobia, id est, marinã beluã, scilicet, diabolũ qui deuorat pisces huius maris, id est, peccatores huius seculi: aperire debemus, id est, fraudes eius manifestare. Legimus enim in Thobia q, ex felle piscis & epate recuperauit visum Thobias senex. Per epar quod dulce est, significãtur tentationes, quæ pertinent ad illecebras carnis: per fel, tentationes amaritudinis, scilicet, iræ, inuidię, & cupiditatis, & huiusmodi, quas debemus ante mentis oculos diligẽter ponere, vt ex subtili discussione expulsis mẽtis tenebris illuminemur ad cognitionẽ. Fundite igitur preces ad Dominũ, vt verbũ Dei hodie vegetet & viuificet animas vestras, nam ipsum est spiraculũ vitę. Illuminet oculos vestros, vt possitis comprehendere occultos sathanæ laqueos, nam ipsum verbum Dei est lucerna inuestigans omnia secreta ventris. Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? &c. In hac dominica tertia agitur in Euangelio de tertio aduentu Domini, quo descendit & visitauit eos qui detinebantur in limbo inferni, captiuã educens captiuitatẽ. Omnes enim ante Christi mortẽ quãtumlibet iusti, in tenebris strauerunt lectulũ suũ, quia nondũ amota erat rumphea, nec patebat aditus ad sancta sanctorum, nõ enim aperta erat ianua Paradisi. Descendebãt autẽ in infernũ superiorẽ, non in illo in quo torquentur animæ. De quo dicitur: Eruisti animam meam ex inferno inferiori, id est, ne descenderet ad locum pœnarum, in quo diues cruciabatur, sed in quendam qui dicebatur limbus inferni, siue sinus Abrahæ, in quo Lazarus pauper cum aliis sanctis quiescebat, de quo Abrahã ad diuitem ait: Chaos magnũ positum est inter nos & vos. Licèt autẽ in loco illo non sustinerent pœnas sensibiles, tamen in tenebris erant, & liberari desiderabant, & Saluatorem qui liberaret eos, certissimè expectabant. Sancti autem descendentes post mortem ad eos, liberationem suam futuram eis nunciare desiderabant. Captiui enim & incarcerati gaudent quando nuncios de sua liberatione recipiunt, & inde libenter loqui audiunt, sicut scriptum est in Parabolis: Aqua frigida animæ sitienti bonus nuncius de terra longinqua. Primus autem nuncius fortè fuit pater noster Adam, qui filium suum Abel ibi inueniens, dixit: Gratis venundati sumus fili mi, sine argẽto redimemur. Venturus est enim in mundũ qui nos liberet. Os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Erunt enim duo in carne vna, ipse, scilicet, cum Ecclesia sua. Dixit enim Dominus ad proditorem nostrum: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum. Vox Abel: Mater mea vxor tua captiuauit nos, mater misericordiæ reparabit nos. Benedicta filia ista à Domino, per quam fructum vitæ communicabimus. Timeo autem ne differat Dominus Christum suum, mala enim multiplicata sunt super terram, & adhuc sanguis meus de terra clamat. Alius nuncius fuit Noë, dicẽs: Ego sum qui inueni gratiã coram Deo aliis pereuntibus in diluuio. Dixit autẽ Dominus mihi, quòd poneret arcũ suũ inter ipsum & terram, & recordaretur fœderis sempiterni nobiscũ. Corda huius arcus est misericordia, quæ flectit ligni duritiã, id est, diuinę iustitię rigorẽ, qua tenemur exules & liberabimur. vox Patrũ, Ipse Dominus est, quod bonũ est in oculis suis faciat, vtinã citò veniret, sed in longũ differentur dies. Alius nuncius fuit Iob, dicẽs: Ego sum qui disciplinã domini patiẽter sustinui, & vos exemplo mei patiẽter expectate. Scio enim quod Redẽptor noster viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturi sumus, & rursum circũdabimur pelle nostra, & in carne nostra videbimus Deũ saluatorẽ nostrũ. Alius nuncius fuit Abrahã, dicẽs: Pax vobis, nolite timere, ego sum, cui repromisit Dominus, q, in semine meo benedicerẽtur omnes gentes, & q, ex me nasceretur qui redimeret

*Lucæ 7. Parab.20. Quod verbum Domini Lucernæ comparatur. Lucæ 15. Leuit.17. Quod verbum Dei spiraculo vitæ comparatur. Iaco.1. Rom.2. Thob.5. Item 6. De felle & epate piscis. Gene.2. De tertio aduentu. Ephe.4. Iob.7. Gene.3. Lucæ 16. Iudit.3. Parab.25. De diuersis nuncijs in Limbo inferni descendentibus. Primus nuncius Adam & quid annunciauerit. Esaiæ 52. Gene.2. Gene.3. Ruth.3. 1.Mach.2. Gene.4. Alius nuncius fuit Noe & quid annunciauerit. Gen.6. Gen. 9. 1.Regum 3. Alius nuncius fuit Iob & quid annunciauerit. Iob.19. Alius nuncius fuit Abraham & quid annunciauerit. Gene.18.*

Gene.18. nos. Ego enim Dominum in hospitio recepi, & locutus sum ei: Vox Patrum magnus es, qui tantum hospitem recepisti, iam nunc de cætero hospitalitatis authoritatem inter nos habeas, vt omnes ad nos venientes, & de naufragio seculi euadentes in portum tranquillitatis recipias, & in sinu tuo foueas, & locus iste de cætero vocetur sinus Abrahæ. Alius nuncius fuit Iacob, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Scio enim quod nō deficiet Princeps de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio nostra. Alius nuncius fuit Moyses, dicens: Ego sum qui quadraginta diebus cum Domino locutus sum in monte Synai. Ipse autē Propheram suscitabit de fratribus nostris, omnis anima quę non audierit Prophetā istum, exterminabitur de populo suo. Ipse enim educet nos de loco isto. Hæc enim dicit Dominus: Ego Dominus qui educā vos de ergastulo hoc, & eruā de captiuitate, ac redimā in brachio extento & iudiciis magnis, & assumā vos mihi in populū, & ero vester Deus. Alius nuncius fuit Dauid Propheta, dicēs: Expectate Dominū, viriliter agite, & cōfortetur cor vestrū, de fructu ventris mei ponet Dominus super sedē meā. Ipse erit mihi filius secundū carnē, qui cōteret portas æreas, & vectes ferreos cōfringet, ascendensq; in altū captiuā educet captiuitatē nostrā. Alius nūcius fuit Isaias, dicēs: Consolamini, cōsolamini populę meus, dicit Dominus Deus vester. Ecce enim Virgo cōcipiet & pariet filium, & vocabitur nomē eius Emanuel, ipse enim erit nobiscū Deus. Ecce Dominus ipse veniet & saluabit nos. Alius nūcius fuit Ieremias, dicens: Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. In terris enim videbitur, & cū hominibus conuersabitur, qui nos induat decore & honore, & ab eo nobis erit sempiterna gloria. Hæc enim dicit Dominus: Sanctus ego sum, & non irascar in perpetuum. Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda & Israël habitabit cōfidenter. In no uissimis autē diebus intelligetis consiliū eius. Alius nuncius fuit Ezechiël, dicens: Facite vobis cor nouum & spiritum nouū. Hæc enim dicit Dominus: Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, quod confractum alligabo, & quod infirmum fuerat, cōsolidabo, & quod pingue & forte custodiā. Aperiam enim tumulos vestros & educā vos de sepulchris vestris, & adducam vos in ciuitatem meam, & erit nomen ciuitatis Dominus ibidem. Alius nuncius fuit Daniël, dicens: Suscitabit Deus cœli regnū quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri non tradetur, consummabitur prævaricatio, & finem accipiet peccatum, & delebitur iniquitas, & adducetur iustitia sempiterna, & inungetur sanctus sanctorū. In tempore illo saluabitur populus Domini, qui inuentus fuerit scriptus in libro, & multi de his qui inuenti fuerint in puluere terræ, euigilabunt alij in vitam æternā, alij in opprobriū sempiternū. Alius nuncius fuit Oseæ, dicens, Hæc dicit Dominus: De manu mortis liberabo vos, & de morte redimā vos. Ero mors tua, ô mors, & morsus tuus inferne. Alius nuncius fuit Iohel Propheta, dicens: Propè est dies Domini, & vastitas veniet à potēte, spoliabitur & vastabitur infernus potenti manu Saluatoris. Quasi ortus voluptas terram coram eo, si quando ingredietur ad nos, & in eius præsentia in inferno inueniemus Paradisum, & post eum solitudo deserti, postquam spoliauerit locum istum. Lætamini igitur in Domino Deo vestro, quia dabit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & serotinum: Christum, scilicet, qui vos refrigerabit liberando & glorificando, & laudabitis nomen Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia, & non confundetur populus meus in sempiternum, dicit Dominus. Alius nuncius fuit Amos Propheta, dicens: Consolamini in verbis fratrum vestrorum Prophetarum, qui vobis annunciant bonum. Non faciet enim Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Pars enim vna ciuitatis cōpluetur, & pars super quam nō pluet Dominus, exaresçet. Pars, scilicet, inferioris inferni in qua relinquentur reprobi. Præparare igitur in occursum Dei tui Israël, ipse enim veniens ad liberationem tuam, depopulationem super potentem asseret: depopulabitur enim diabolum fortem aduersarium nostrum. Qui enim ædificauit in cœlo ascensionem suam, fasciculum suum super terram fundauit, colligendo & coadiuuando suos, & secū in cœlo deferēdo. Si enim descenderint vsq; ad infernū, inde manus tua educet eos Domine. In die illo dicit Dominus: Suscitabo tabernaculū Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorū eius, & ea quę corruerūt, instaurabo: implendo, scilicet, ruinas Angelorū, qui corruerūt, & vos in sedibus eorum collocando. Alius nuncius fuit Abdias Propheta, dicens: Auditum audiuimus à Domino, Legatum ad Gentes misit, scilicet, Redemptorem, qui ex vobis & Gentibus, quasi duobus parietibus, vnum facit ædificium, & erit Domino regnum. Alius nuncius fuit Ionas, dicens: Hæc dicit Dominus, Sicut tribus diebus in ventre ceti fui, ita tribus diebus Saluator noster erit in corde terræ, & sicut tertia die euomitus sum à ventre ceti, ita Redemptor noster tertia die resurgens de ventre inferi, liderabit nos. Sicut enim proiectus fui in mari, & cessauit tempestas, ita filius Dei in mūdum venturus est, vt pacem & gaudium nobis reddat. Alius nuncius fuit Micheas, dicens: Ego ad Dominū aspiciam, & expectabo Deū saluatorē meum, audiet me Dominus Deus meus, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est, & educet me in lucem, non mittet vltrà furorē suum, quoniā volens misericordiam, etiā reuertetur & miserebitur nostri. Alius nuncius fuit Naum Propheta, dicens: Consolamini in spe diuinæ bonitatis & clementiæ, quia bonus Dominus & cōfortans in die tribulationis, & sciens sperātes in se. Alius nuncius fuit Abacuc, dicēs: Cùm iratus fuerit Dominus, misericordiæ recordabitur.

*Alius nuncius fuit Iacob & quid annunciauerit dicitur.*
*Gene. 32.*
*Item 49.*
*Alius nuncius fuit Moyses & quid annunciauerit dicitur.*
*Exod 24. 33.*
*Exod 6.*
*Alius nuncius Dauid.*
*Isaiæ 45.*
*Hebr 3.*
*Alius nuncius Isaias.*
*Isaiæ 40.*
*Item 7.*
*Item 35.*
*Alius nuncius Ieremias.*
*Tre. 3.*
*Baruch. 3.*
*Item 4.*
*Ierem. 3.*
*Item 23.*
*Alius Ezechiel.*
*Ezech. 18.*
*Idem 34.*
*Idem 37.*
*Item 48.*
*Alius Daniel.*
*Daniel 2.*
*Daniel 9.*
*Item 12.*
*Alius nuncius fuit Oseæ.*
*Oseæ 13.*
*Alius nuncius fuit Iohel.*
*Iohel. 1.*
*Item 2.*
*Alius nuncius fuit Amos.*
*Amos 3.*
*Item 4.*
*Item 5.*
*Item 9.*
*Alius nuncius fuit Abdias.*
*Abdiæ 1.*
*Alius nuncius fuit Ionas.*
*Ione. 2.*
*Alius nuncius fuit Micheas.*
*Mich. 7.*
*Alius nuncius fuit Naum.*
*Naum 1.*
*Alius nuncius fuit Abacuc.*

recordabitur. Ipse enim veniet habēs cornua in manibus suis, si moram fecerit, expectate eum, quia veniens veniet & non tardabit. Alius nuncius fuit Zophonias Propheta, dicens: Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà. In tempore enim illo quo adducam vos, in tempore quo congregabo vos, dabo vos in nomen & laudem populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram. Alius nuncius fuit Aggæus Propheta, dicens: Adhuc modicum est, dicit Dominus, & ego mouebo cœlum & terram, mare & aridam, & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus, & subuertam solium regnorū, & conteram fortitudinē Gentiū regni, scilicet, diaboli & suorū. Alius nuncius fuit Zacharias Propheta, dicens: Ecce vir oriens nomē eius, & in sanguine testamenti sui educet vinctos de lacu, in quo non est aqua. Alius nuncius fuit Malachias, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meā, & statim veniet ad templum sanctū suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Et orietur vobis, timētibus nomen meū, Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, egrediemini & salietis sicut vitulus de armēto. Alius nuncius fuit Symeon, dicēs: Constātes estote, videbitis auxiliū Domini super vos, viderūt oculi mei salutare Dei nostri. Lumē ad reuelationē Gentiū & gloriā plebis Israël. Venit enim ad templū sanctū suum Saluator, quem vos quęritis, & Angelus, quē vos vultis. His auditis facta est lætitia magna inter eos, & quasi de graui somno euigilantes, benedixerunt Deum dicentes: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionē plebis suæ. Alius nuntius fuit sanctus Ioānes Baptista, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, cuius præcursor ego sum, quem etiam baptizaui, cùm iam esset triginta annorum. Gaudete in Domino, quoniam appropinquat regnum cœlorum. Vox Patrum, Nunquid hic est de quo dixit Isaias? Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Hic est absque dubio, respondit Isaias, de quo prophetaui ego. Iste est etiam, respondit Malachias Propheta, de quo Dominus per me dixit, Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viā ante faciem meā. Impleta est prophetia, iam propè est vt veniat salus nostra. Vltimus & præ omnibus aliis lætabundus & laudans pulsauit latro ille qui à dextris Domini pependit in cruce, dicens: Aperite portas, quia Dominus nobiscum est, qui fecit virtutem in Israël. Cras egrediemini à carcere isto tenebroso, & Dominus erit vobiscum. Cras erit vobis salus cùm incaluerit Sol. Ego enim iuxta Dominum pependi in cruce, & dixit mihi: Hodie mecum eris in Paradiso. Vox Patrum: Nunquid iste est de quo dixit frater noster Isaias: Et cùm iniquis deputatus est? Vtique ait latro. Ego sum qui prius impius & iniquus, de impio factus sum iustus, de latrone martyr. Vbi enim abundauit iniquitas, superabundauit gratia per viscera misericordiæ Dei nostri, qui non venit vocare iustos, sed peccatores. Et ego omnibus aliis fugientibus, solus cum eo perstiti, & misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis. Vox Patrum: Benedictus sermo eris tui, & beatus venter qui te portauit. Alij enim dicebant nobis, Pax, pax, & non erat pax: tu autē animas nostras lætificasti, quasi præsentem annūcians quem alij venturum prædixerunt. Hæc sunt fratres, & his similia, quæ sancti Patres in lymbo inferni diu expectantes, & mutuis collocutionibus semetipsos cōsolantes, dixerunt, vel dicere potuerunt. Non enim credendum est eos tanquam lapideos ibi stare, & nullam inter se collationem vel colloquutionem habere. Vnde sanctus Ioannes cupiens lætificare sanctos Patres aduentum Christi expectantes in inferno, misit nuntios ad Dominum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ac si apertè diceret: Sicut pro hominibus dignatus es nasci, an pro hominibus digneris mori insinua, vt venturū te inferno nunciem, quem iam venisse mundo nunciaui. Et Dominus se moriturū significans, respondit: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Ac si diceret: Cauendum est hominibus ne mortem meam despiciant, qui miracula venerantur. Et ne Ioannes inconstans videretur, qui eum venisse iam dixerat, & pòst vtrum venturus esset, quærebat, cōmendat Ioannem à tribus. A mentis cōstantia, à vitæ austeritate, & à vērbi Dei dispensatione. Nos autem charissimi, caueamus ne simus quasi arundo leues, & inconstantes, non circumferamur omni vento doctrinæ. Si spiritus potestatis super nos ascendat, non deseramus citò locum nostrum, sicut scriptum est in Ecclesiaste: Ne attollamur prosperis, non deprimamur aduersis, non aura fauoris & laudis humanæ nos hilarescere faciat, vel flatus detractionis in iram inclinet. Solidemus animum inter auras linguarum positum. Stet inflexibilis status mentis. Scriptum est enim: Sapiens permanet vt Sol, stultus vt Luna mutatur. Et Salomon in Parabolis: Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum. Non simus sicut arundo exterius lucidi per hypocrisim, interius verò vacui. Non in luto transeuntium rerum radicem cordis figamus, quibus deficientibus more baculi arundinei citò frangeremur. Non baculo arundineo Ægypto, id est, huic mundo imitamur, ne dum quotidie frangitur, perforet manum nostram. Qui enim labenti mundi innititur, necesse est vt cum labente labatur. Non vestiamur mollibus, præsentis vitæ mollitiē fugiamus. Altare enim de lapidibus non politis, præcepit Dominus sibi fieri, nec Ioannē de asperitate vestiū laudaret, nisi in voluptate mollium vestiū culpā esse agnosceret. Vnde primos parētes nostros nō mollibus nec preciosis vestibus Dominus induit, sed pellibus mortuorum animaliū. Vnde beatus Petrus de mulieribus ait: Quarum sit non extrinsecus capillatura aut circundatio auri, aut induméti vestimentorū cultus.

*Abacuc.3.*
*Item 2.*
*Alius nuntius fuit Zophonias*
*Zepho.3.*
*Alius nuncius fuit Aggæus.*
*Aggei 2.*
*Alius Zacharias.*
*Zach.7.*
*Item 9.*
*Alius Malachias.*
*Malach.3.*
*Item 3.*
*Alius fuit Symeon.*
*2. Paral.10.*
*Luc. 2.*
*Mala.3.*
*1. Mach.10.*
*Gene.45.*
*Luc. 1.*
*Alius nuncius fuit Ioannes Baptista.*
*Ioan.1.*
*Luc. 3.*
*Matth.3.*
*Isaie 40.*
*Malach.3.*
*Alius nuncius fuit Latro.*
*Luc. 23.*
*Iudith.6.*
*2. Paral.10.*
*1. Regum 21.*
*Luc. 23.*
*Isaie 53.*
*Rom.5.*
*Malach.2.*
*Luc. 1.*
*1. ad Tim.5.*
*Luc. 11.*
*Ezech.13.*
*Matth.11.*
*Luc. 5.*
*Quare Ioannes ad Christum discipulos miserit.*
*Matth.11.*
*Luc. 7.*
*Ephe.4.*
*De arundine & inconstantia.*
*Eccle.10.*
*De mollicie vestium.*
*Esaie 3.*
*Deut.22.*
*Gene.3.*
*1. Petri 3.*

Matth.11. Lucæ 8. Quod præparare debemus viam ante faciem Domini & bona nunciare. Ezech.13. Mala.3. Matth.11. Lucæ 7. Parab.11. Dan.11. Exod.26.34. Apoc.22.

Mollibus etiam veſtiuntur, qui vitam peccantium non vigore aſperę correptionis increpant, ſed blandimentis adulationis fouent, conſuentes puluillos ſub cubito vniuerſæ ætatis. Simus etiam Angeli verbi Domini fideles nuncij, vt pręparemus viam ante faciem Domini. Qui enim ad iuſtitiam erudierint multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, ſicut ſcriptum eſt in Daniële. Econtrà Salomon: Qui abſcondunt frumentum, maledicentur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium. Et iterum in Parabolis: Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe inebriabitur. Plus enim eſt animam in æternum victuram pane verbi Dei reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare. Igitur cortina cortinam trahat. Et qui audit dicat veni. Simus igitur hic Angeli per prædicationis officium, vt in æterna beatitudine cum ſanctis Angelis recipiamus præmiũ ſempiternũ, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorũ, Amen.

## DOMINICA QVARTA, THEMA DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM ex Pſalmo 105.

*Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum in lætitia Gentis tuæ, vt laudetis cum hæreditate tua.*

Verba ex Pſalmo ſumpta de vtroque aduentu intelliguntur. Roma.3. 1. Petri 2. Iſaiæ 54. Ephe.2.

HÆC verba tam de primo quàm de ſecundo intelliguntur aduentu. Secundum quod exponitur de primo aduentu, loquitur Propheta in perſona Patrũ ante tempus gratiæ, qui memoriã ſui, & viſitationem à Deo poſtulabãt, dicentes: Memento noſtri Domine, in beneplacito populi tui, id eſt, in Chriſto, qui ſolus in populo tuo beneplacuit tibi. Omnes enim alij peccauerũt, & egent gloria Dei: nec etiam puer vnius diei mundus eſt à peccato, ſaltem originali. Solus Chriſtus fuit qui peccato caruit. Peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Omnes enim alij concepti ſunt in peccatis, & nati ſunt filij iræ, exceptis paucis in vtero matris ſuæ ſanctificatis: ſicut B. Virgo, Ieremias, & Ioannes Baptiſta, qui tamen in peccatis originalibus concepti ſunt, iuxta illud: In peccatis cõcepit me mater mea. Solus igitur Chriſtus fuit, qui plenè & per omnia Patri complacuit. Vnde de illo ſolo Pater ait: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Alij autem non niſi per Chriſtum Patri placuerunt. Ipſe autem volauit ſuper pennas ventorum, tranſcendens virtutes omnium animarum. Vnde Amos Propheta ait: Præparare in occurſum Domini Dei tui Iſraël, quia ecce formans montes, & creans ventũ, & annuncians homini eloquium ſuum, faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ: format montes, id eſt, ſanctos virtutibus informat, & exornat. Ventum creat, id eſt, animam hominis, vel flatum aëris. Annuncians homini eloquium per ſe, & per Prophetas, & Apoſtolos ſuos. Faciens matutinam nebulam, aſſumens carnem humanam, per quam nobis obumbrauit, & refrigerium præſtans, terrã Eccleſiæ ſuæ impinguauit. Gradiens ſuper excelſa terræ, quia omnibus ſanctis præfertur. Non enim eſt ſanctus, vt eſt Dominus. Nebula matutina, dicitur Chriſti incarnatio, per quam expulſis tenebris, dies illuxit ſedentibus in tenebris & in regione vmbræ mortis habitantibus. Vnde Oſeæ: Quaſi diluculũ prępараtus eſt egreſſus eius. Et Iob ait: Viſitans eum diluculo, hoc eſt in primo aduẽtu. Petebãt igitur ſancti memoriã ſui in beneplacito populi Domini, id eſt, in Chriſto. Videbatur enim dominus quaſi obliuioni dediſſe genus humanũ, eò quòd omnes deſcenderent in infernũ, & differebat ſubuenire. Vnde idem Propheta ait: Excita Domine, potentiam tuam, id eſt, filiũ tuum, qui eſt brachiũ tuum, per quem tu operaris. Omnia enim in ſapientia, id eſt, in filio feciſti, & veni. Ipſe enim in ſinu Patris, quaſi dormiebat æterna pace, & quiete, ſed excitatus eſt factus homo, natus ad laborẽ, & noſtræ ſaluti inuigilando. Videbatur prætereà dormire in cordibus hominũ, per fidei torporẽ, ſed veniens excitatus eſt, vt vigilaret in nobis per feruorẽ. Et ita viſitauit nos Dominus in ſalutari ſuo, peccata per Chriſtũ remittendo, gratiã & dilectionis feruorẽ conferendo. Viſitauit autẽ Medicus infirmos, liber exules & captiuos. Viſitauit verus Ioſeph genus humanũ, miſſus à Patre ad fratres ſuos. Vnde Abdias Propheta ait: Auditũ audiuimus à Domino, legatum ad Gentes miſit. Ipſe enim qui ſcripſerat legẽ naturæ in corde, & legẽ literæ, id eſt, legem Moſaicã in lapide, atq; in codice: venit vt ſcriberet legẽ Euangelij, id eſt, legẽ gratię in carne, vt auferret cor lapideum, & daret nobis cor carneum. Viſitauit exules & captiuos: in carcere eramus, & ipſe venit ad nos. Sicut ipſe in Exodo ait: Vidi afflictionẽ populi mei, qui eſt in Ægypto, & deſcendi liberare eum. Et Dominus per Iſaiam: In Ægyptum deſcendit, populus vt colonus eſſet ibi, id eſt, peregrinus & exul in hac valle miſeriæ, ſedẽs in tenebris, & in vmbra mortis, in ſeruitute Pharaonis, ædificãs ei ciuitates, ſcilicet, Phiton, id eſt, os abyſsi, per auaritiã: Rameſſen, id eſt, cõmotionem tineę, per carnalẽ voluptatẽ: Cliopolim, id eſt, ciuitatẽ Solis, per ſuperbiã, & vanam huius ſeculi lætitiã, per hypocriſim, & inanem gloriã. Ægyptus autẽ terra paludoſa eſt & aquoſa, nõ habet lapides, quibus ædificetur domus Dei, ſed arundinibus abundat. Hic eſt mundus iſte tenebroſus, in quo detinebatur Domini populus, captiuus antequã viſitaret nos oriens ex alto. Aſſur ſine cauſa calumniatus eſt illi, id eſt, diabolus. Aſſur enim deprimẽs, vel elatus interpretatur. Viſitauit igitur ſedẽtes in tenebris & in vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. Sedẽtes in tenebris ignorãtię. Vmbra autem

Matth.4. Mar.1. Lucæ 4. 2. Petri.1. Amos 4.

Iſaiæ 9. Chriſti incarnatio nebulæ matutinæ comparatur. Oſeæ 6. Iob.7.

Ioan.1.

Iob 5.

De diuina viſitatione. Quod viſitauit nos & meſſus eſt ad nos tanquam legatus. Gene.37. Abdiæ.1. Ierem.49.

De viſitatione captiuorum. Ezech.30. Matth.25. Exod.3. Iſaiæ.52. Exod.1.

De trium malarum ciuitatum ædificatione. Lucæ 1. Iſaiæ 32.

autem mortis æternę sunt tribulationes huius seculi, quę sunt velut vmbra, & imago pœnę æternę, vel quia corpus vmbrā sequi videtur. Vmbrā mortis dicit peccata, quia imaginē vitiosæ vitæ sequitur mors ęterna. Mendici autē sunt, qui res alienas quas habere nō possunt, affectu cōcupiscunt. In hac igitur mendicitate & ferro vinciūtur, qui duris & opprimētibus culpis per cōcupiscentiā aggrauātur. Graues enim sunt carnales voluptates, quæ dicūtur ab Apostolo, carnis seu desiderij passiones, quia patitur corpus quod inquinatur, anima quæ corrūpitur, fama quæ lædi-tur, bursa quæ spoliatur. Graues sunt huius seculi diuitiæ. Vnde in Deutero. Non multiplicabis auri & argēti pondera, quæ, scilicet, animā in infernū demergūt. Visitauit igitur Dominus captiuos & incarceratos: vnde Psal. Dominus soluit cōpeditos, Dominus illuminat cæcos. Et iterū: Dominus de cœlo in terrā aspexit, vt audiret gemitus cōpeditorum, & solueret filios interemptorū: soluit asinā & pullū, id est, carnē, & carnis metus, vincula carnalis cōcupiscentię, alligatos & astrictos. Non solū autem tanquā Legatus, ferens literas paternę voluntatis, missus est, vt visitaret fratres suos, vel tanquā redemptor visitauit, & liberauit captiuos, sed insuper tanquā Medicus visitauit infirmos. Altissimus enim de terra, id est, de carne Virginis creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam: sicut scriptum est in Ecclesiastico. Dies enim diei, id est, pater misericordiarum de sinu suo, in vterum Virginis verbum eructauit, dum filium in mundum misit, vt sanaret contritos corde, infundens vulneribus sauciati vinum & oleum. Inuenerunt enim, sicut in libro Regum legitur, serui Dauid Ægyptium in agro, quem reliquerat dominus suus Amalechita, & adduxerunt eum ad Dauid, dederuntque ei panem vt comederet, & aquam vt biberet, sed & fragmen' massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Aegyptius enim, id est, peccator, à Domino suo derelictus, id est, à mundo, per prædicatores adducitur à Dauid, id est, ad Christum, dant ei panem diuinæ scripturæ, qui cor hominis confortat, & aquam verbi Dei, quæ animam abluit, & emundat, quæ potus aquæ dicitur, vbi facilior est ad intelligendum massa caricarū refectio est, & cōsolatio infirmorum. Fragmen autem massæ datur infirmo, quia non habemus hic plenam consolationem. Vua passa partim dulcem, partim acetosum habet saporem. Hæc est pœnitentia quæ dulcis est in deuotione, sed aspera in carnis & spiritus afflictione. Duę autē ligaturę dantur, vt satisfaciat de prēteritis, & caueat de futuris. Sic igitur infirmus sanatur à vero Dauid, vel ab eius vicario Prælato, qui dicitur Dauid, quia manu fortis per bonā operationem, & aspectu desiderabilis per bonam famam. Infirmus autem erat mundus ante Christi incarnationē, quatriduanus erat, & fœtebat per malā cogitationē, locutionē, operationē, & consuetudinē. Grauibus torquebatur fœtoribus, nunc calescēs per cupiditatē & carnalē cōcupiscentiā, nunc frigescens per auaritiā, & mentis torporem. Febri cōtinua laborabāt, qui in peccatis perseuerabāt, alij interpolata, qui quādoq; pœnitētes postmodum ad vomitū redibāt. Variis autē peccatorū vlceribus plenus erat, de peccato in peccatū corruebat. Vnde Isaias: Mittam te vt pilā in terrā spatiosam, de vno, scilicet, vitio in aliud corruēdo: de manu vnius dæmonis, sicut fit in ludo pilæ, ad manus alterius proiiciēs. Vnde Isaias: Clamabit pilosus, alter ad alterū. Pilosus dicitur, qui ludit ad pilam. Clamant pilosi, vt ab vno ad alium proiiciātur. Multi enim sunt, qui dū quasi quibusdā vitiis renunciāt, nō ad virtutes se cōferunt, sed de vno vicio ad aliud migrant. Cùm luxuriam abdicant, de castitate inanem gloriā captant. Quod si hāc expulerint, ventris voluptatibus libēter se subiungāt. Quarū tamē si iugū excusserint, iracundię turbine cōsumuntur. Vnde Ioēl Propheta ait: Residuū erucę comedit locusta, residuū locustę comedit bruchus, residuū bruchi comedit rubigo. Eruca quę toto corpore repit, est luxuria. Locusta quę saltū habet desiduū, est inanis gloria. Bruchus cuius totū corpus est in ventre, & terræ virētia dente nefando cōsumit, est gastrimargia. Rubigo quę ferrū cōsumit, est iracūdia. Sic igitur variis erroribus, & ęgritudinibus captabatur miser mūdus, & velut in rota voluebatur. Deus enim formauerat hominē ad imaginē & similitudinē suā: diabolus autē deformauerat, inficiendo eum ad imaginē & turpitudinē suam. Totam autē substantiā suā expenderat in Medicos, sed ei nō proderāt. Quicquid enim laborabat & operabatur, à peccato absorbebatur, peccatū est puteus sine fundo, ædificiū sine fundamēto. Vnde ante aduentū summi Medici, curari nō poterāt: qui venit visitare infirmū, abscōdens se quasi in laterna corporis, vt infirmis oculis suā temperaret claritatē: faciem enim diuinitatis eius mundus videre non poterat. Vnde posteriora eius, infirmioribus, scilicet, naturā, ostendit illi. Introduxit infirmū in piscinā quinque porticus habentem, vt sanaretur. Nam de quinq; vulneribus corporis eius, ad restaurationem sanitatis sanguis effluxit. Hæc sunt illa quinque verba, de quibus Apostolus ait: Volo quinque verba sensu meo loqui, vt alios instruam, quàm decem milia verborum lingua. Quinque verba, id est, quinque Christi vulnera, bonum est loqui, non solùm ore prædicando, sed & corde sentiendo. Virga de radice Iesse, amigdala protulit, vt esset cibus infirmorum, & fructus sui suauitate, totum redeunt amaritudinem radicis antiquæ. Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, dedit fructum in tempore suo. Lignum vitæ plantatum in medio Paradisi, vitam reddidit mūdo, & sanitatē infirmo. Panem Angelorū manducauit homo, & curatus est à morbo. Manna, scilicet, quod nobis Dominus pluit de cœlo. Gustus autem eius, teste Moysi, erat quasi similæ cum melle. In Christo enim fuit similia puræ humanitatis, cum melle diuinitatis. Erat autem, vt idem Moyses ait, minutum album, & quasi pilo tusum in similitudinē pruinæ. Christus enim minutus fuit per humiliatem, albus per innocentiam, quasi pilo tusus.

1. Tessa. 4.
Sapien. 9.
Deut. 17.
Matth. 10. Mar. 11. Luce 19.
Quod tāquam medicus visitauit ægrotos.
Eccle. 38.
Ioan. 3. Gal. 4. Luce 10.
1. Reg. 30.
De varia & multiplici mundi ægritudine.
Ioan. 11. Matth. 8. Matth. 1. Luce 4.
De multiplici febri.
2. Petri 2. Luce 16. Esaie 21.
Quod de peccato in peccatum ruebat.
Esaie 34. Ioēl. 1.
Gene. 1. Matth. 8. Luce 2. Iob 15.
De domo cauationis infirmi.
Exod. 33. Ioan. 1.
1. Cor. 14.
Esaie 11. Nume. 28. Gene.
Exod. 16.
De Manna & sapore eius & aliis proprietatibus ipsius assimilatis Christo.

*Quod per filium potius quàm per aliam personam debuit pater visitare mundum.*

per passionem, similis pruinæ per refrigerium gratiæ. Visitauit igitur Deus pater mundum in salutari suo, id est, in filio: Propter me, ait, filius, perdidit pater meus Angelos multos, homines cunctos, ego dedi occasionem, dum enim desiderauerunt esse similes, vel æquales patri, meipsum desiderauerunt, qui sum similitudo patris. Ego feci, & ego feram. Adam concupiuit patris mei sapientiã, ego sum sapientia patris, descendã & meipsum exhibebo omnibus imitabilem. Omnes enim mihi inuident, desiderantes gloriam meam, revera sicut in patre est vnitas, ita in filio æqualitas. Lucifer desiderauit esse æqualis Deo, & ita æqualitatẽ concupiuit, quæ est filius Dei. Sed quia reparari per aliũ non debuit, qui nullo alio instigãte cecidit, venit filius vt repararet hominẽ, vt per aliũ restauraretur, qui per aliũ ceciderat. Assumpsit paupertatẽ nostrã, vt nos amplexaremur eam, & nobis eam redderet pretiosam, nam quos morũ infirmitas vulnerat, medicina paupertatis sanat. Quæ verè medicina dicitur, quia ferè omnes eam abominantur. Hæc est quasi nouacula, quę nobis à Domino datur vt radamus, & abiiciamus à nobis omnia superflua. Multi tamẽ dum in paupertate murmurãt, & datorẽ paupertatis offendũt, seipsos hac nouacula interficiũt. Paupertas igitur & humilitas, inter alias medicinas efficaciores sunt cõtra superbiam & pompã huius seculi, & idcircò cum his pillulis Dominus ægrum visitare voluit, qui diu languidus iacuerat, & clamauerat in sanctis Patriarchis & Prophetis: Memento nostri Domine, in beneplacito populi tui, & visita nos in salutari tuo, id est, in Christo, cuius nomen, id est, saluator, siue Iesus, longè ante incarnationem prænuntiatũ est & præfiguratum. Nam Iosue, qui populum Israël in typũ Domini nostri in terram promissionis introduxit, vocatus est Iesus. Pari modo Iesus magnus sacerdos, qui templum Domini cum Zorobabel reædificauit, hoc nomine Christum præsignauit. Prætereà Salomon in Ecclesiaste ait: Quis futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur quod homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio cõtendere. Quis futurus, id est, quãtus, & quàm fortis. Iam vocatum est nomen eius à Prophetis, id est, ab Angelo, scilicet, priusquã cõciperetur in vtero. Scitur quod homo sit, nõ phantasma, sicut dicũt Manichæi. Et ideò secundũ quod homo minor est patre, & nõ potest cõtra eum cõtendere, nec illi in natura inferiori parificari. Hic est igitur salutaris siue Iesus, quem postulabant Patres antiqui, vt visitaremur ab eo, dicẽtes: Veni Domine, visitare nos in pace, vt lætemur corã te corde perfecto. Hęc erat vox turturis, vox gemitus, & supplicationis, quę audita est in terra nostra, & à Deo exaudita, dum tempus visitationis, & præsentationis aduenit: tempus, scilicet, gratiæ, in quo mũdus cœpit amputare superfluas cogitationes, inordinatas operationes, praua colloquia, illicita desideria. Propterea Isaias ait: Propter Syõ nõ tacebo, & propter Ierusalẽ non quiescã, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius, vt lampas accendatur. Non tacebo, sed clamabo propter Syon, scilicet, pro Ecclesia, donec per meam prophetiam Christi aduentus veniat in notitiam hominũ, donec ad clamorem meum & aliorum mittat Deus filium suum. Iustus autem eius qui egreditur à patre, vt splendor ab igne egressus est, à matre vt splendor à Sole, qui vitream fenestram nõ corrumpit, sed illuminat, & accendit. Egressus est vt splendor, id est, vt radios Solis ad illuminationem mentium, vt illuminaret intellectum, & accenderet affectum. Accensus est vt lampas, fragilis ex humilitate, interius autem resplendens ex diuinitate. Humana enim natura ante Christi incarnationem, erat quasi lampas sine lumine. Lampas autem accensa est, quando humana natura à Christo assumpta est, infuso oleo diuinæ gratiæ, & resplendente flamma diuinæ naturæ. Similiter Propheta Dauid propter Syon non tacebat, sed cum aliis clamabat, dicẽs: Memento nostri in beneplacito populi tui, id est, in Christo, vel memento vt scimus in eis, in quibus beneplacitũ est tibi, vt simus de numero sanctorum tuorum, vt simus de Ecclesia numero, & merito, nomine, & numine. Et visita nos ad videndũ in bonitate electorũ tuorum, vt videamur à te in bonitate electorũ tuorum, vt, scilicet, inter eos, & de illis simus, vt simus in lætitia Gentis tuæ, & cum illis lætemur, sicut scriptũ est. Et plebs tua lætabitur in te. In te, nõ in mundo lætemur, in veritate, non in vanitate. Sicut hi de quibus Isaias ait, Cythara & lyra in cõuiuiis vestris. Hi autem tanquã Delphini saliunt, & ludunt cõtra tempestatem, vt lauderis à nobis cum hæreditate tua, id est, cum sanctis tuis, à quibns laudaris, & qui laudantur in te. Vnde Isaias: Gaudete, & laudate simul, deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populũ suum. Sancti autem dicuntur hæreditas Christi. Sicut scriptũ est: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Dominus cuius est hæreditas, excolit illam, & hæreditas suũ pascit possessorem. Ita Christus venit excolere terrã Ecclesiæ, sanctos, scilicet, & electos, qui in membris suis pascunt eam. Hanc autẽ hęreditatẽ diu possiderat diabolus, ipse autem acquisiuit eam sanguine suo. Sanson enim noster extraxit fauũ de ore leonis, id est, hęreditatẽ suã, de potestate diaboli pugnãs cõtra ipsum in cruce, habẽs pro ocreis, pedes cruci affixos, pro lancea, arundinẽ in manu, clauos in manibus affixos pro gladio, crucẽ pro scuto, sanguinẽ toto corpore fluentẽ pro lorica, coccineã chlamidem pro militari tunica, spineã coronã pro galea. Similiter & Christus hæreditas sanctorum dicitur, quia pascit eos, & est possessio ipsorum. Vnde Psalmista: Dominus pars hæreditatis meæ. Et iterũ: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ. Hæc autem prædicta de secundo aduentu intelligi possunt, in persona sanctorũ, qui sunt in tempore gratiæ. Sancti enim ante incarnationem, postulabãt aduentũ Christi in carne. Apostoli autẽ post resurrectionem, aduentũ spiritus sancti desiderabãt. Post Pentecosten verò aduentũ Christi in morte, cupientes dissolui & esse cum Christo. Post mortem verò, aduentum Christi

*Isaiæ 40. Item 14.*

*De Medicina paupertatis. Nume. 8.*

*De nomine saluatoris. Iosue 1. Aggei. 2. Eccle. 6.*

*Matth. 5.*

*Luce 2.*

*Apocal. 22. Cant. 2.*

*Isaiæ 62.*

*Ioan. 3. Galat. 4.*

*Quod Christus lampadi comparatur. Alia expositio.*

*Isaiæ 5. De his qui lætantur in vanitate. Isaiæ 32.*

*Quare sancti dicuntur hæreditas Dei.*

*Iudic. 14. Quibus armis Christus hæreditatem suam recuperauit. Matth. 24. Mar. 13. Quare Christus dicatur hæreditas sanctorum. Phil. 1.*

Christi ad iudicium desiderant, vt corpora glorificata recipiant: Similiter & illi, qui adhuc viuunt, qui perfecti sunt, quorum perfecta charitas foras mittit timorem. Aduentum Christi ad iudicium desiderant, vt sint in beneplacito populi Domini, quando sedebit nobis in portis cum Senatoribus terrę. Tunc enim beneplacebũt ei sancti sui, cùm fuerint purgati in igne, tanquam aurum, & nihil inuenietur in eis, quod Domino displiceat, vel oculos maiestatis eius offendat. Reprobi autem non purgabuntur, sed tanquam spinę igne cremabuntur. Tunc enim dicetur bonis: Cœlum es, & in cœlum ibis. Malis autem, terra es, & in terram ibis. Introibunt enim in inferioribus terrę, dicentes præ angustia montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. Vnde beatus Augustinus ait, Desuper erit iratus iudex, inferius chaos patentis inferni, retro mundus ardẽs, ante peccata accusantia, & horrens iudicium, intus vrens cõscientia. Quò se vertet impius? Econtrà autem, iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum, & videbuntur in bonitate electorum Dei. Propterea Psalmista ait: Visita nos ad videndum, id est, vt videamur à te, vel vt videamus te in illa bonitate, quam præstas electis tuis, ad lætandum, id est, vt lætemur in lætitia Gentis tuæ, vel vt læteris alia litera, id est, vt lætari facias Gẽtem tuam, quando, scilicet, videbunt Deum facie ad faciem, & laudabunt eum in secula seculorum, quando erit omnia in omnibus, qui nunc est pars in singulis. In Salomone sapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Daniële cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus, in Ioanne virginitas, & alia in aliis. Petit igitur Propheta visitationem gloriæ in futuro, cùm ait: Visita nos in salutari tuo. Petit etiam visitationem gratiæ in præsenti, per eius aduentum in carnem, in quo refrigerati sumus per gratiæ ipsius rorem, contra tentationum ardorem. Ros autem iste super montes Gelboë, id est, super elatos, & super bos, non descendit. De quo rore Isaias ait. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Cœli dicuntur sancti, igitur sunt virtutibus celati, id est, sculpti, & quia celãt in se secreta Dei. Cœlum enim interpretatur casa elyos, id est, domus Solis. Sancti autem sunt domus veri Solis. Hi cœli desuper rorauerunt, id est, superno desiderio accensi, multis lachrymis aduentum Christi in carnem præuenerunt. Tandem ros cœlestis, id est, Christus, descendit ad nos, refrigerans ardorem vitiorum, terram irrigans, & fructificare faciens, sicut scriptum est in Ozee: Ero quasi ros, & Israël germinabit, quasi lilium. Et Dominus in Iob: Et in messione mea morabitur ros. Nubes, id est, Prædicatores tonantes minis, pluentes doctrinis, choruscantes miraculis, pluunt iustum, prędicantes Christum. Vnde Iohel. Descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & serotinum. Christus imber matutinus, primam gratiam infundens. Serotinus virtutem multiplicans. Ipse pluuia, nubes implens, & fœcundans. Aperiatur terra. De qua dicitur: Et erit fructus terræ sublimis. Et iterum: Terra dedit fructum suum, scilicet, beata Virgo, quæ dilatata per charitatẽ, aperta per fidem in conceptione germinauit, in partu florem protulit, cuius odore mundus suum amisit fœtorem, hęc terra non arabilis, absque humano opere florem protulit, qui dicit de se: Ego flos campi, & lilium conuallium.

*1. Ioan. 4.*
*Prædicta vera de secundo aduentu exponuntur.*
*Para. 31.*
*Sapien. 3.*
*Gen. 3.*
*Augustinus.*
*Sapien. 4.*
*Luce 23.*
*Osee 10.*
*Apoc. 6.*
*Matth. 13.*
*Gene. 32.*
*1. Cor. 13.*
*Item 15.*
*1. Regum 1.*
*De multiplici rore.*
*Isaie 45.*
*Quod sancti dicuntur cœli multiplici ratione.*
*Osee 14.*
*Iob 29.*
*De nubibus & imbre.*
*Iohel. 2.*
*De aperitione terræ.*
*Isaie 4.*
*Cantic. 2.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM
### De Epistola ad Philippenses.

*Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus propè est.* *Ad Philip. 4.*

REX Salomon, sicut in Ecclesiaste dicitur, fecit sibi cantores, & cantrices, & delicias filiorũ hominũ. Et Rex pacificus multiplicẽ cantandi exultandi materiã nobis præbet, & maximè ex multiplici ipsius aduentu ad filios hominum. Venit enim filius hominis multipliciter quærere & saluum facere quod perierat. Venit cum nube & fumo, venit cum purpura & sacco, venit cum vino & oleo, venit cum virga & baculo, venit cum turbine & tempestate. Tandem venturus cum gladio & igne. Venit cum nube & fumo per spiritum Prophetiæ multifariè, multisque modis loquens patribus in Prophetis, in ænigmate & obscuritate, apparẽs eis in figuris variis, & aliena specie, sicut Moysi in igne, Ezechiëli in specie electri, & Zachariæ Prophetę in specie candelabri aurei. Venit cum purpura & sacco, visibiliter apparens mundo, per assumptam humanitatem, quæ per saccum intelligitur, sicut diuinitas eius per purpuram. Partitus est nobis vestimẽta sua in signum dilectionis. Saccũ nostræ mortalitatis assumpsit, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suę diuinitatis purpuram, habebat Dominus gloriam & sanctitatem, habebat homo pœnam & culpam. Medietatem vestimentorum suorum nobis contulit, sanctitatem, scilicet, & innocentiam. Medietatem nostrorum assumsit, pœnam, scilicet, sed non culpam. Venit quotidie cum vino & oleo, descendens in animam per gratiam, iustificando impium & curando infirmum, vino contritionis & compunctionis, atque oleo charitatis, sanans vulnera peccatorũ nostrorum. Cum virga autem & baculo venit, dum ad inferos descendens portas æreas contriuit, & vectes ferreos confregit, & victor ab inferis cum suis remeauit. Clauus enim penetrans factus est illis clauus reserans, spiritibus autem malignis claua conterens. Venit cũ turbine & tempestate in angustia mortis & afflictione. Vnde ipse in Euangelio ait. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

*Eccle. 2.*
*Luce 10.*
*De aduentu cum nube & fumo.*
*De aduentu cum purpura & sacco.*
*De aduentu in vino & oleo, &c.*
*Exod. 3. & Ezech. 1.*
*Zach. 4.*
*Luce 10.*
*Mat. 24.*
*Luc. 12.*

Deut.32. Venturus est tandem in iudicio cum gladio & igne. Vnde ipse per Prophetam ait: Et gladius
Isaiæ 9. meus deuorabit carnes, id est, carnaliter viuentes. Vestimentum enim concretum sanguine
Exod.15. peccatorum erit in cōbustionem, & cibus ignis gehennalis. Sancti autem & electi Dei lętabun
tur cùm viderint vindictam, postquam Dominus equum & ascensorem, id est, diabolum cum
Malach.4. omni equitatu suo proiicerit in mare, in lacū, scilicet, amaritudinis æternę. Vnde Malachias ait:
Egrediemini & salietis sicut vitulus de armēto, & calcabitis impios cùm fuerint cinis sub plan
Isaiæ 24. ta pedum vestrorum. Et Isaias ait: Leuabunt vocem suam atque laudabunt cùm glorificatus
fuerit Dominus, hinnient de mari, id est, de amaritudine impiorum, gaudebūt enim & lauda-
bunt iustitiam Domini. Vnde non tantùm in prædictis Christi aduentibus gaudent sancti, sed
& in secundo Christi aduentu, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ summi Dei, pro
Ad Titum 1. ptereà Apostolus ait: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, id est, gaudium itera-
te, lętitiā multiplicate. Gaudete in Domino nō in seculo: Qui gloriatur, in Domino glorietur.
Quod in Do mino non in seculo gau dendum est. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Vnde in Euangelio: Væ vobis diuiti-
1. ad Cor.1. bus qui habetis consolationē vestrā. Econtrà Isaias ait: Pauperes in sancto Israël exultabunt.
Luæ 6. Secularia enim gaudia, sequuntur perpetua lamenta, vnde non legimus filios Israël cantasse in
Isaiæ 29. Ægypto, sed in deserto, submersis Ægyptiis, postquā mare transierūt. Quomodo enim cantaret
Exod.15. canticū Domini in terra aliena? In receptione enim filij prodigi audita est vox symphoniæ &
Luæ 15. chori. Hoc enim canticum non est strepitus oris, sed iubilus cordis, non potest cantari nisi ab-
his qui sunt in via Dei. Sicut scriptum est: Vt cantent in viis Domini, quoniam magna est glo
ria Domini. Et iterum: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in
corde meo. Exultant enim sancti in corde pro magnitudine gloriæ. In Ægypto enim cantant,
qui lętantur cùm malefecerint, & gaudent in vanitate huius seculi. Hi autem non suauiter ca-
Parab.2. nunt, neque sapienter psallūt, sed tumultuantur, & auribus Domini strepitum faciunt. Vnde
Amos 5. Dominus per Prophetam Amos: Aufer à me tumultum carminum tuorum. Sapienter psallit,
qui plus diligenda magis appetit. Vnde Psalmista ait: Psallite sapienter. Dulciter autem &
De modo gau dendi & Psallendi. alta cantat, qui tantùm in Domino gaudens cœlestia & superna bona desiderat: Hoc est enim
canticum nouum de quo scriptum est: Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo
nostro, hoc est canticum quod audiuit Ioannes tanquam citharœdorum citharizantium in ci-
tharis suis. Hi sunt qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis mortificando, mundi cor-
Apoc.14. de, & corpore Deū laudant, & in Domino gaudent. Aliter enim nō placet Domino, nisi sit de-
ad Gal.5. cora, iocundaque laudatior. Laudandus est enim Dominus in tympano, & choro. In tympano
cantant, qui carnem mortificant. In choro cantant, qui gaudium in corde & concordiam
in moribus seruant. Sicut autem secularis lætitia in diuinis scripturis reprobatur, ita gaudium
spirituale commendatur. Vox, scilicet, exultationis, & confessionis, in tabernaculis iustorum.
Canticum in Domino gaudendum, & cum ipso epulandum, sicut scriptum est: In voce
Tren.4. exultationis, & cōfessionis, sonus epulantis: Et in Threnis dicit Ieremias: Rubicūdiores ebore
antiquo. Ebur primò est album, postmodum quantò antiquius, tantò rubicundius: Ita sancti
Parab.15. in gaudio & desiderio semper proficiunt. Propterea in Parabolis Salomon ait: Cor gaudens
exhilarat faciem, in mœrore autem animæ deicitur spiritus. Hæc est tristitia seculi, quæ mortem
2. Cor.7. operatur. De qua idem Salomon: Non contristabit iustum quicquid ei accidet. Sicut enim
Parab.25. tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia nocet cordi viri. Et item in Parabolis: Animus
gaudens ętatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Iocunditas cordis, hæc est vita ho-
minis. Et iterum: Tristitiam longè expelle à te. Multos enim occidit tristitia, & non est vtili-
Eccle.3. tas in illa. Et Salomon in Ecclesiaste ait: Cognoui quod non esset melius, nisi lætari, & facere
bona in vita sua. Et iterum: Comede in lætitia panem tuum, & bibe in gaudio vinum tuum,
quia Deo placent opera tua. In omni tempore vestimenta tua sint candida, & oleum de
capite tuo non deficiat. Candor vestimentorum, castitas corporum, vel innocentia mo-
rum. Oleum in capite, serenitas conscientiæ, & gaudium exultationis in mente, vt exhilare-
Matth.6. tur facies interioris hominis in oleo. Sicut scriptum est: Cùm ieiunas, vnge caput tuum, &
2. Cor.9. faciem tuam laua, vt opera bona fiant in gaudio spirituali, & munditia cordis. Hilarem enim
Exod.15. datorem diligit Deus. Non ex tristitia, & quasi ex necessitate debent fieri opera nostra
Quod mode stia habenda est in lætitia ruinæ subia cemus & tade re possimus. bona, non enim coacta seruitia placent Deo. Vnde in Exodo dicitur: Ab homine qui vlteroneus offert, accipietis. Et in Ecclesiastico: In omni dato, hilarem fac vultum tuum, & in
exultatione sanctifica decimas tuas. Qui enim cum tristitia & murmuratione bonum
agit, & rem & meritum perdit. Et quoniam gaudium nostrum nondum plenum est in
Phil.4. hoc seculo, gaudere debemus in Domino cum modestia & discretione, & exultatione,
Eccle.11. & cum tremore. Vnde Apostolus ait: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Et in
1. Cor.10. Esdra legitur, quod mixta erat vox clamoris lætantium, & vox fletus populi, in die enim
Luæ 14. bonorum, memores esse debemus malorum, & qui stat, videat ne cadat. Vnde & de quo-
Ezech.1. dam Sapiente dicitur: Grauitatem morum, hilaritate frontis temperabat. Teneat igitur
Quod in omni bus seruandus est modus & discretio & constantia in Dei seruitio. homo modestiam, & discretionem in omnibus, vt sic incipiat ædificare, vt valeat con-
summare. De sanctis enim animalibus in Ezechiële dicitur: Pedes eorum pedes recti,
multi enim in exordio suæ conuersationis sunt humiles, sed in fine arrogantes. Primò ducunt
castam vitam, postmodum luxuriosam. Primò benigni, & obedientes, postmodum maligni,

& con-

& contemptores. Primò in abstinentia & lamẽtatione, postmodum in crapula, & ebrietate, in risu & cachinnatione. Quibus meliusesset viá veritatis nõ agnouisse, quàm post agnitam retroire. De his Ioannes in epistola canonica ait: Ex vobis exierunt, sed non erant ex vobis. Modesti igitur simus plani, & æquales in omnibus mediocritatem obseruantes, & modum non excedentes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Non sapiamus alta per elationem, non ima per auaritiam, non latebrosa per dolositatem, non obscœna per carnis voluptatem, non insana per iram, non maligna per inuidiam, non obscura per mundi huius tristitiam. Sed gaudeamus omnes in Domino modestè absque dissolutione, & ipsum in hospitio nostro recipiamus cum hilaritate, quoniam super omnia vultus accessere boni, vnde de Zachæo legimus, quod excepit dominum gaudens. Nunquam enim Dominus ad ipsum intrasset, nisi cum gaudio & desiderio eum recepisset. Hilaritas enim cordis condimentum est hospitalitatis. Quantũ autem emolumentum Zachæus ex tãto hospite consecutus sit, qui Dominum non solùm hospitio materiali, & intus spirituali suscepit, manifestum est ex hoc, quod Dominus ait, hodie salus facta est domui huic. Et ipse Zachæus ait, Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ecce quàm bonum & quàm iocundum est Dominum in hospitio recipere, qui dat niuem sicut lunam, nebulam, sicut cinerem spargit, mittit crystallum suum sicut buccellas: Niuem dedit sicut lanam, quando publicanus iste, qui prius frigidus erat per auaritiam, de niue mutatus est in lanam, mitis & suauis, per spiritum pietatis, calidus autem per ignem superni amoris. Nebulam autem peccatorum eius, Deus sparsit dissipando, & factus est velut cinis se humiliando. Mittit autem chrystallum suam sicut buccellas, dum de duris & obstinatis Doctores efficit, vt alios pascant, & buxella verbi Dei reficiant. Bonum est igitur hunc hospitem cum gaudio suscipere, qui sic nouit hospites suos remunerare. Vnde Domino in Ægyptum ingrediẽte, simulachra Ægypti corruisse dicũtur, quemadmodum prædixerat Esaias. Ascẽdet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur simulachra Ægypti. Nubes leuis caro Christi sine pondere peccati. Ascendit, quia carnis suæ dominium habuit, quæ voluntati suæ repugnare non potuit. Ascendere etiam dicitur in nobis, licèt in se descenderit, quia naturam nostram exaltauit, vnde Apostolus: Quis est qui descendit: ille est qui ascẽdit. Nubes autem leuis dicitur caro Christi à peccato immunis, quia media fuit inter cœlum & terram, inter Deum, scilicet, & hominem, quia terram Ecclesiæ fertilem reddidit, quia oppositа soli diuinitatis eius, claritatem nobis temperauit, & vmbram refrigerij nobis præstitit. Ingressus est autem Dominus in Ægyptum, id est, mundum tenebrosum. Ad cuius ingressum corruerunt idola peccatorum, & destructus est cultus idolorum. Peccata autem idola dicuntur siue simulachra, quibus assimulamur diabolo per imitationem imagine Christi in anima ipsius deleta. Ad literam autẽ dicitur quod Christo paruulo ingrediente in Ægyptum, de quolibet templo vnum corruit simulachrum. Pari modo si nos Christo venienti cordis hospitium præparare studeamus, vt ipsum cum gaudio recipiamus, omnia peccatorum simulachra corruent in nobis, & fiet cor nostrum templũ sanctę trinitatis, quod prius erat spelunca spirituum immundorum, & templum idolorum. Sicut enim patres antiqui eius desiderabant aduentum, ita & nos cum desiderio & spirituali gaudio aduentus ipsius repræsentationem celebrare debemus & solemnitati proximè nos mundos, & immaculatos præparare. Præparemus igitur tanto hospiti hospitium, quod eius congruat maiestati. Cuius fundamentum sit fidei stabilitas, vt ædificetur domus nostra supra firmam petram, & supra fidei soliditatem, sine qua nullum consistere potest ędificium virtutum, vel bonorum operum. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Qui autẽ super hanc petrã domũ suam ædificauerit, ruere non poterit, siue descendat pluuia, id est, prosperitas mulcens, siue veniant flumina fluctus, scilicet, & inundationes, id est, aduersitas deprimẽs; siue ruant venti tẽptationis, & diabolicę suggestionis, vt autem quadratum sit ædificiũ & stabile, quatuor parietes super hoc ædificium erigamus. Sit spes à sinistris, ne corruat homo in aduersis, timor à dexteris, ne securus sit in prosperis. Habeat igitur timorem, & spem, contra præsumptionem, & desperationem, vt antiqui serpentis caput conculcet, & caudã. Caput elationis, & caudam desperationis. Sit contemptus mundanæ felicitatis, quasi paries ã parte anteriori, contra mundi vanitatem. Sit contemptus sui ipsius à parte posteriori, contra carnis voluptatem, vt imminentia & transitoria bona non curet, & peccata præterita detestetur. Tectum autem huius domus, est celsitudo cœlestis desiderij, vel culmen perfectionis. Septem autem columnæ huius spiritualis ędificij, septem sunt dona spiritus sancti. De quibus scriptum est in Salomone. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, quæ dicuntur excidi ratione ipsius subiecti. Sancti enim, qui prædictis septem columnis sustentantur, variis tribulationibus exciduntur, & poliuntur, vt sint æquales, non elati, plani & mites, non asperi. Prima columna spiritus timoris, contra superbiam. Secunda columna pietatis, contra inuidiam. Tertia spiritus scientiæ, contra iram, quæ in sinu stulti requiescit. Quarta spiritus fortitudinis, contra acidiam, quæ pigris accidit & remissis. Quinta spiritus consilij, contra auaritiam, quo consulitur terrena contemnere, & cœlestia diligere, quo dicitur: Date & dabitur vobis. Sexta spiritus intellectus, contra gulam, venter enim pinguis tenuem sensum, & subtilem intelligentiam non gignunt. Septima spiritus sapientiæ, contra luxuriam, per quam insipientibus iumentis comparamur. Gustato autem

*Lucæ 11. 2. Petri 2. 1. Ioan. 2.*

*De qualitate viuendi & mediocritatẽ obseruanda. Roma. 12.*

*Quod Dominus recipiendus est cum hilari corde.*

*Lucæ 19. Item 19.*

*De conuersione peccatorum.*

*Esaiæ 19. De nube & ingressu Domini in Ægyptum & ruina simulacrorum. Ephe. 4.*

*Quæ domino venturo præparandum hospitium. De fundamento hospitii. Matth. 7. Lucæ 6. Hebre. 11. De quadratura ædificii & quatuor parietibus.*

*De tecto ædificii & de columnis. Para. 9. Isaiæ 11. Eccle. 7.*

*Quod septem columnæ. septem donis spiritus adplantur.*

Luc.6. De Basibus columnarum.

autem spiritu sapientiæ, desipit omnis caro, & carnalis libidinis affectus. Bases columnarum, sunt patientia in aduersis, & tolerantia tribulationum. Epistilia seu capitella superponimus, dum contemplationi vacamus. Pauimentum autem domus est humilitatis virtus, quæ se calcandam posternit. De qua Propheta ait: Adhæsit pauimento anima mea. Sit autem in pauimento æqualitas, ne per tumorem superbiæ, vel asperitatem iræ, alicui offendiculum ponat. Lapis autem super lapidem, in ædificio muri ponitur, dum bonum opus, bono operi supponitur, dum mens de virtute in virtutem ad perfectionis culmen subleuatur. Sit igitur quadratum ædificium, cuius fundamentum sit fidei stabilitas, longitudo, longanimitas, latitudo, charitas, altitudo, cœlestis desiderij sublimitas, vt sit homo in fide stabilis, in opere longaminis, in charitate largus, in cœlesti desiderio celsus. Fenestræ autem huius domus, sunt ratio & intellectus, per quas lumen cognitionis & veritatis, Dominus in animam introducit. Fenestræ etiam dici possunt exhortationes & documenta doctorum, quibus mediantibus tot radiis illustramur, quot moralibus & spiritualibus sententiis ab ipsis instruimur. Septem autem huius spiritualis ædificij ostia, sunt septem ecclesiæ sacramenta. Fossato autem cingitur per contritionem, quæ fodit vsque ad aquam lachrymarum. Ponte tornatili, munitur per eleëmosynam, quę nos ab inimicis defendit, & ad cœleste habitaculum nobis viam facit. Ex marmoreis autē, & quadratis lapidibus, & linguis cedrinis, atque auro puro, construere debemus in nobis domum Domino, sicut Salomon ex hac triplici materia templum Domino construxit. In fortitudine marmoris, fides. In altitudine cedri, spes. In pretiositate & rubore auri, charitas designatur, vel in marmore, candor munditiæ, & in cedro, odor bonæ famæ: in auro, splendor bonæ conscientiæ intelligitur. In quadratura autem lapidum, stabilitas morum, & constantia sanctarum animarum signatur. Lapis enim quadratus, in quocunquæ latere cadat, firmiter stat. Lapis quadratus fuit beatus Paulus, qui de se ait ad Philippenses: Scio humiliari, & abundare vbiq;, & in omnibus institutus sum, satiari & esurire, penuriam pati & abundare. Quod beatus Gregorius sic exponit: Qui acceptis rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanę gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc misericorditer indigentibus diuidit, hic profectò abundare scit. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit quàm necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus aliquid agit, vnde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem in abundantia superbia non eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit & penuriam pati. Cùm autem diceret, omnia possum, ne per elationis tumorem excederet, æqualitatem statim subiunxit, in eo qui me confortat. Qui enim quod faciunt, Deo ascribunt, humiliter sentientes, de se non præsumunt, talibus non euanescit fructus sui laboris, quia non extollitur in auras vanę gloriæ, nec vento rapitur elationis. Hæc sunt, verba beati Gregorij de quadratura & constantia Apostoli. Lapis autem quadratus, sex habet superficies, superius & inferius, antè & retro, dextrum & sinistrum. Siue enim in prælatione, siue in subiectione constitutus fuerit, siue apertis iniuriis, siue occultis molestetur insidiis, siue prospera siue aduersa insurgant, in quocunque latere iaceat, firmiter stat. Sancti præterea quadrati dicuntur, dum inter quatuor cardinales virtutes cōstituuntur, & firmiter stabiliuntur. Per prudentiam, ne ad temeritatem: per temperantiam, ne ad voluptatem: per fortitudinem, ne ad timorem, & pusillanimitatem: per iustitiam, ne ad fauorem: vel amorem inclinemur. Latus iustitiæ respicit ad Orientem, per quam timentibus Deum oritur Sol iustitiæ in cordibus eorū. Latus fortitudinis, ad Aquilonē respicit, per quam aduersitatibus & malis, quæ ad Aquilonem panduntur, resistimus. Latus temperantiæ respicit ad Meridiem, per quam æstus concupiscentiæ coërcemus. Latus prudentiæ respicit ad Occidentem, per quam à peccatis nobis cauemus. Peccata enim occidua dicuntur, vnde in Psalmo dicitur: Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi. Super occasum, id est, post occasum, postquam, scilicet, peccata occiderunt in nobis, ad nos Dominus ascendit. Iustitia etiam antè respicere dicitur, quia non est exercenda, nisi in rebus certis. Prudentia retro, quia adhibenda est in dubiis. Temperantia à dextris, scilicet, in prosperis. Fortitudo à sinistris, qua indigemus in aduersis. Sint præterea in domo nostra ad imitationem templi Salomonis, variæ & prominentes celaturæ, & varietas picturarum oculos delectet intuentium. Sit ibi bonis imago per mansuetudinem, & laboris tolerantiam: imago leonis per districtionis rigorem, agni per benignitatem, columbæ per simplicitatem, turturis per castitatem. Sint ibi boues Abrahæ spirituales doctores, laborantes in agro ecclesiæ. Asinæ autem Iob pascantur iuxta eas, simplices, scilicet, & illiterati. Appareat ibi ouicula Ioseph in deserto, sancti, scilicet, contemplatiui & solitarij. Arietes Nabaioth, id est, defensores catholicę fidei. Vitula rufa Aaron, id est, Martyres Christi. Appareat in pictura benignitas in affectu, misericordia in effectu, humilitas in habitu, modestia in conuersatione, patientia in tribulatione, hilaritas in vultu. Hoc igitur hospitium venienti Domino cum omni studio iuuāte præparemus, vt ipsum dignè recipere valeamus. Et quoniam Dominus propè est, occurramus obuiam ei, non solùm supplicantes, sed etiam vim ei inferentes, vt apud nos hospitari dignetur, sicut scriptum est: Et coëgerunt eū. Aperiamus ei pessulū ostij nostri, vt cū sponsa dicere valeamus: Pessulū ostij mei aperui dilecto meo, id est, remotis impedimētis dilatauī mentē, vt dilectū susciperem. Caueamus

De muro & eius constructione.

De dimensionibus ædificii.

De fenestris ædificii.

De ostiis ædificii & fossato & ponte tornatili.

3. Regum 6. Item. 10.

De materia ædificii & ex quibus construēdum sit.

De quadratura lapidum.

Isaiæ 9. Philip. 4. Gregorius.

De sex superficiebus lapidis quadrati.

De quadratura quatuor cardinalium virtutum.

Malach. 3. Sapien. 5. Ierem. 1.

De celaturis domus.

4. Regum 6. 3. Regum 7.

Iob 1. Isaiæ 60. Num. 19.

Quod obseruandum est Domino & aperiendum est ei ostium.

Luc. 24. Can. 5.

mus ne aliquid in hospitio nostro reperiatur, quod oculos tanti Regis valeat offendere. Ponamus ei mensulam refectionis bonorum operum, vt cœnemus cum illo, & ipse nobiscum. Et quoniam ipse est mundus, & munditiam diligit, locum ipsius amœnitate florum exornemus. Ipse enim pascitur inter lilia. Delectatur enim castitate corporis, deuotione mētis, puritate conscientiæ, innocentia vitæ. Faciamus ei lectulum quietis in pace pectoris, & tranquillitate conscientiæ. De quo in Canticis sponsa ait: Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cipressina. Floret enim lectulus iste modicus per humilitatem in pacificis, humilibus, & quietis in quibus Christus requiescit. Tigna autem cedrina, quę domum sustinent, sunt sancti prædicatores. Cedrus enim arbor imputrescibilis est, arcens vermes. Laquearia quæ tignis adhærent, sunt boni subditi, fortes tanquam cipressus, & in Dei amore eleuati. De hoc lectulo dicitur in Isaia: Coangustatum est stratum. Et iterum per Isaiam Dominus dicit. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos. Sit igitur lectulus veri Salomonis angustus per rigorem disciplinæ. Sit pauperculus per restrictionem terrenæ substantiæ. Sic lectisternium matta, in qua fœnum marcidum contorqueatur, per carnis macerationem. Sagum vilis pretij sit voluntaria paupertas. Cooperto rium laneum, totum corpus calore fouens, sit leuitas morum, & dilectio proximorum. Capitale ex plumis volatilium, quies contemplationis, ex studiis & sententiis sanctorum doctorū. Sternat igitur mattam in contemptu sui. Sit sagum in contemptu mundi. Lana in dilectione proximi. Capitale in dilectione Dei. Caueamus ne discooperiatur tectū domus, turbine tentationum. Compescamus turbā vitiorū, ne impediant quietis somnū. Caueamus ne dum lingua dissoluta discurrit, hospitem nostrū turbemus & eū quiescere non sinamus. Ne fumus & stilli cidium, & vxor mala & litigiosa, ipsum de domo nostra expellant. Turpius enim eiicitur, quā non admittitur hospes. Ipse autem potens est, liberalis, & diues, & splendidè procurabit nos, & in omnibus prouidebit his, apud quos dignabitur hospitium. Nihil ergo solliciti simus, sed si quid nobis defuerit, petitiones nostræ & defectus innotescant apud hospitem nostrum, qui dat omnibus affluenter & non improperat. Apud Deum autē non apud diabolū petitiones nostræ innotescant, nec apud mundum. Apud diabolum petitiones innotescunt, cùm quis postulat malum inimicis suis. Apud mundum orationes innotescunt, quæ causa vanitatis vel terrenæ cupiditatis fiunt. Si igitur recipiamus Christum prædicto modo in hospitio puri cordis, & pace pectoris, ipse recipiet nos in æterno palatio suo, & pace æternitatis, vbi pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiet corda nostra, accedens affectum vt eum feruentissimè diligamus. Intelligentias enim nostras custodiet, illuminans intellectum nostrum vt eum apertissimè cognoscamus.

*De supellectili & vario ornatu domus, id est, de mensa & floribus & lectulo & his quæ pertinent ad lectū. Apoc. 3. Cant. 6. Item 1.*

*Isaiæ 28. Item 66.*

*De his quæ quietem hospitis impediunt.*

*De liberalitate hospitis. Phil. 4. Iacob. 1.*

*De petitionibus apud Deum innotescendis. Phil. 4.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM
### De Euangelio secundùm Ioannem.

*Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum. Tu quis es?*

VERBA sapientium quasi stimuli & claui in altum defixi. Verba sunt Salomonis in Ecclesiaste. Verba Domini, verba diuinæ scripturæ, verba sunt sapientis, quæ neminem palpant per adulationem, sed sine personarum acceptione, vitia reprehendunt, malos increpant, pigros incitant, duros pungunt & stimulant, vnde Salomon in Parabolis: Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Et meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Et idcircò verba sapientis dicuntur stimuli, quos vita eorum commendat, exacuit vt penetrent corda auditorum, & eliciant sanguinem peccatorum. De his stimulis dicitur in libro Regum, quod procurauerunt Philistæi, ne esset faber ferrarius in Israël, vsque ad aculeum bouis. Philistęi, id est, potione cadentes, vel duplex ruina, dicuntur dęmones, qui per inuidiam ceciderunt, & alios per inuidiam deiiciunt. Qui procurant per paganos, per hęreticos, per falsos Christianos, ne in Ecclesia sit faber ferrarius, id est, doctor arma spiritua lia fabricans, vsque ad aculeum bouis, id est, ad verba pungitiua, quibus prædicatores debent boues stimulare, ne torpeant otio. Dicuntur etiam claui in altum defixi, nam sapientes abscondunt scientiam, sicut dicitur in Parabolis. Stimulus est verbum Dei, quando pungit comminando. Claui sunt verba Domini in altum defixi, quando corda auditorum vulnerant per amorem, dum æterna promittunt, & ea per charitatem Domino copulantes connectunt. His clauis cortinæ tabernaculi, id est, fideles animę suspenduntur, dilatantur, & figuntur. Suspendūtur à terra per desiderium, dilatantur per charitatem, figuntur per constantiam. Orate igitur Dominum, vt stimulus verbi Dei hodie dormientes euigilet, pigros excitet, & claui verbi Dei vigilantes & conuersos ad Dominū per amorē vulnerēt, & Domino firmus astringat. Miserunt Iudæi à Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, &c. In hac præsenti dominica, quæ solemnitatē dominicę natiuitatis præcedit, agitur de præcursore eius Ioanne Baptista, qui Saluatorē nostrū, non solùm annuntiatione facta per angelum cōceptione & natiuitate, vnde etiam prædicando, baptisando, moriendo, & ad infernum descendendo, quasi præcurrēdo præuenit. Fit etiam mentio in hoc Euangelio de vtroque Christi aduentu, vbi dicitur: Medius vestrûm

*Eccle. 12. Quod verbā Dei stimulis & clauis comparantur. Parab. 27.*

*1. Regum 13.*

*Parab. 10.*

*Exod. 26. & 36. De cortinis tabernaculi.*

*De præcursore Domini.*

*Ioan. 1.*

strum stetit, quem vos nescitis, ipse enim est qui post me venturus est, qui ante me factus est. Cùm autẽ Ioannes tantę esset sanctitatis & opinionis, quod à plerisque ęstimaretur esse Christus, vt ex ore ipsius cognoscerent veritatem, miserunt Iudęi ad eum Phariseos quosdam in lege sapientes, qui venerunt ad eum maximè, quia audierant illum communem omnium resurrectionem prædicare. Vnde quia sectæ eorum in hoc cõcordabat, licet inuidi essent Pharisęi, & proniores ad contradictionem, quàm ad audiendum veritatem, non adeò Ioanni inuidebant. Quęsierunt igitur ab eo quis esset Ioannes. Quidã enim putabant ipsum esse Mesiam in lege & Prophetis pronunciatum. Audierant enim in Prophetis quòd Christus baptizaturus esset populũ quãdo veniret, & quod haurirent aquas in gaudio de fontibus saluatoris, & quod esset fons patens domui Dauid in ablutionẽ peccatorũ, sicut prædixerat Zacharias Propheta. Et per Ezechielem Dominus prædixerat. Effundã super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Sapientibus autem ex ipsis notũ erat, secundum scripturas tempus dominicę incarnationis iam adesse. Audierãt prętereà Ioannem miraculosè ex sterili matre fuisse natum, & quomodo in eius natiuitate apertum esset os Zachariæ, & cętera multa mirabilia quæ per omnia montana Iudææ fuerant diuulgata. Alij enim credebant de Ioãne quod esset Helias. Legerãt enim ipsum venturũ esse ante Saluatoris aduentũ antequã iudicij dies adueniret, sicut prædixerat Dominus per Malachiam. Ecce ego mittam vobis Heliã Prophetã, antequã veniat dies Domini magnus & horribilis. Et propter nimiã abstinentiam & castitatem, atque solitariam vitam, & asperrimam peccatorum increpationẽ. Et quoniam quidam ex Iudæis legisperiti figurã baptismi in Helia & Helisæo non ignorabant præcessisse, qui siccis pedibus Iordanem transierunt: nam & in aquis Iordanis & in transitu illo typus baptismi pręcesserit: nõ solũ quęrũt vtrũ Ioannes sit Christus vel Helias, sed insuper quęrunt, Prophera es tu? Quod specialiter de Helisæo intendebant, putantes quod à mortuis surrexisset. Ioannes autem humiliter respondit & prudenter. Confessus est enim humiliter quod non esset ipse Christus, nõ negauit se esse ipsius prærcursorẽ: asserens quod esset vox clamantis in deserto. Cùm autem credi posset quod ipse esset Christus: noluit falsa opinione supra se inaniter extolli. Dum enim propriam gloriam non quæsiuit, nec Christi nomen appetiit: verum Christi membrum se esse ostendit. Peruersa autem mens dum delectationi laudis proprię sese subiicit, à creatoris se societate disiungit. Dolosus enim est, qui magis diligit nomen virtutis, quàm virtutem: & quod magis pudet dici quàm esse malum. Sancti autem non solùm laudibus falsis nõ delectantur, sed insuper veris laudibus suis cruciantur. Vnde Salomõ in parabolis ait: Quomodo probatur in conflatorio argentũ: & in fornace aurũ, sic probatur homo in ore laudantis. Vnde beatus Gregorius ait. Laus sua iustos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Isti enim sua laude pascuntur, quia actoris sui gloriam non requirunt. Illi autem qui actoris sui gloriam requirunt, sua laude cruciantur. Et iterum ait: Sępè infirma mens cùm de bonis actibus aura humani fauoris excipitur, ad gaudia exteriora deriuatur, vt postponat quod intus appetit, & in hoc libenter resoluta iaceat, quod foris audit: ita vt beatum se non tam fieri quàm dici gaudeat. Et rursum ait: Sancti viri quò apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eò subtilius indignos se esse deprehendunt: nam quisquis veri Solis radiis tangitur, sua illi manifestius fortitudo monstratur. Negauit igitur Ioannes se esse Christum: negauit etiam se esse Heliam personaliter. Alioquin in spiritu Helias erat, præcesit enim ante Christum in spiritu & virtute Heliæ. Nã sicut Helias secundum aduentum præueniet, ita Ioannes primum aduentum præuenit. Negauit prętereà se Prophetam esse. Non enim in officium prophetandi missus erat: quia iam Christũ venturum non prædicebat, sed præsentem digito demonstrabat. Vnde plusquam Propheta erat: Cùm igitur ait: non sum Propheta, non contradixit Domino, qui eum Prophetam & plusquam Prophetam esse dixit. Non sum Propheta, id est, de illis Prophetis de quibus me esse creditis. Quis autẽ esset, verbis Isaię ostendit, dicens. Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. Vocem autem se Ioannes dicit, quia verbum ipse pręcesit. Sicut enim verbum mentale exteriore voce exprimitur, sic Christus à Ioanne annuntiatur. Verbum enim à verbere mentis, id est, à passione dicitur animi conceptus. Sicut autem conceptus à mente, ita filius procedit à patre. Mens gignit intellectum, & pater generat verbum. Ioannes igitur vox verbi dicitur, quia verbo viam præparat, vt recipiatur, sicut scriptum est. Paraui lucernam Christo meo. Iudex enim in præcone, rex in præcursore clamauit in deserto Iudææ, vel in deserto huius mundi, qui incultus est & sterilis. Est igitur Ioannes vox verbi, Christus autem verbum Dei. Hoc verbum clamat in humana voce, quia Christus loquitur in Ioanne. Clamauit etiam Christus per seipsum in deserto synagogæ peccatis suis exigentibus à Deo derelictæ. Clamauit per discipulos suos in huius mundi deserto. Desertum etiam dicitur mens sanctorũ, à mundi huius illecebris segregata, in qua clamat Dominus noster inspirando. Clamauit igitur Christus verbo per seipsum & per Prophetas, clamat facto per creaturas, clamat spiritu dum suos inspirando clamare facit: Sicut scriptũ est. In quo clamamus abba pater. Quid autem clamat Dominus per Ioannem, vel per seipsum in deserto, ostendit Isaias Propheta, dicens: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

*De diuersis opinionibus habitis de Ioanne.* *Esa.11.* *Zach.13.* *Ezech.36.* *Luc.1.* *Malach.3.* *4. Regum 2.*

*De responsione Ioannis.* *Ioan.1.* *Isai.40.* *Ioan.3.*

*Quod sancti homines laudibus suis cruciantur.* *Prou.17.* *Gregorius.*

*Luc.7.* *Ioan.1.* *Mat.11.*

*De voce & verbo. Simile.*

*De multiplici clamore Christi.* *Luc.3.* *Ioan.7.*

*Gala.4.* *Isa.40.*

Via Domini dicitur, per quam Dominus ad nos venit & nos ad illum. Via autem Domini paratur, & ad cor dirigitur, cùm veritatis sermo humiliter auditur, & ad præcepta seruanda vita disponitur. Sicut scriptum est. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & ad eum veniemus. Viam igitur Domino paramus, cùm mala opera abiicimus, & fidem, quæ per dilectionem operatur, in corde tenemus. Fides enim & bona opera via sunt, qua verbum patris in cor hominis descendit. Quisquis autem in superbia mentem eleuat, quisquis æstibus auaritiæ anhelat, quisquis se luxuriæ inquinationibus polluit, cordis ostium contra veritatem claudit. Mentis enim suæ clausura seris vitiorum firmat, ne Dominus ad ipsum veniat. Rectas autem semitas facimus, dum mores in melius permutamus, non pro terrenis Domino seruientes, non gloriã hominũ quærẽtes. Vnde Apostolus: Videte quomodo cautè ambuletis: recta scilicet, intẽtione, perseueranter & discretè. Rectas igitur semitas facimus, cùm bona operantes non nisi ad patriam tendimus. Parare igitur debemus Domino viam, omnia impedimenta remouẽdo: cauendo nobis in principio ab obstaculo mali timoris: in medio ab obstaculo vanæ gloriæ & elationis: in fine ab obstaculo nimiæ securitatis. Non autem solùm parare, sed corrigere & dirigere. Corrigere enim debemus vias & semitas nostras, ne sint prauæ: dirigere, ne sint distortæ: non declinando ad dexteram præsumendo, neque ad sinistram desperando. Corrigere, ne sint prauæ per malam operationem: dirigere, ne sint distortę per malam intentionem. Vt sint praua indirecta, id est, corda nostra per iniustitiam distorta, ad iustitiæ regulam dirigantur: sicut scriptum est, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & nõ dominetur me omnis iniustitia. Et aspera per malitiam in vias planas per mansuetudinem & æquitatem. Dum enim immites & iracundi suaues fiunt, ibi viam planam doctor inuenit: vbi prius propter itineris asperitatem pergere, id est, prædicationis gressum ponere non valebat. Qui igitur fidem rectam, & bona opera prædicat, venienti Domino ad corda audientium, viam parat. Vt valles impleãtur, id est, qui in imo vitiorum iacent, ad planiciem æquitatis reducantur: Montes autem & colles humilientur, id est, homines superbi & potentes huius seculi. Quod manifestè factum est in aduentu Christi. Ioannes autem in deserto clamat & prædicat. Non solum enim verbo sed & loco, veste, & victu, instruit pœnitẽtes. In deserto prædicat: vt desertũ pœnitentibus conuenire ostendat. Per vestis autem asperitatem, carnalem condemnat voluptatem, & pœnitentium innuit compunctionem, & vitæ austeritatem. In melle dulcedo prædicationis illius ostenditur. Locustę alacriter volant, sed citò decidunt. In quo significatur eius fama qua Christus esse putabatur: sed citò decidit dum Christi præco apparuit. Vnde ipse de se ait: Me oportet minui, illum autem crescere. Maior autem persona minorem absorbuit, & ad veri solis radios splendidissimos obscurata est lucerna Ioannis. Lucerna autem sole apparente necessaria non habetur. Ita non fuit necessarius baptismus Ioannis, cùm potuit haberi baptismus Saluatoris. Vnde quærẽtibus Pharisęis, quare ipse baptizaret, cùm non esset Christus, nec Helias, nec Propheta? respondit: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Ipse est qui post me vẽturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calciamenti. Ioannes nõ spiritu, sed aqua baptizabat: quia peccata soluere non valebat. Baptizaturum verò Dominum baptismo suo præuenit: vt ordinem præcursoris sui seruaret. Ioannes enim, vt Matthęus ait, baptizabat in aqua in pœnitentiam: Docens, scilicet, homines pœnitentiã agere, & se ad Baptismi Christi gratiã prępărare. Vel baptizabat in pœnitentiã, quia per pœnitentiã & nõ per baptismũ suum homines remissionẽ peccatorũ cõsequi prędicabat. Baptismo autẽ suo homines ad baptismũ Christi assuefaciẽdo præparabat: ne Christi Baptismo contradiceretur. De Baptismo enim Christi Ioãnes air, quod Dominus illi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Quia in baptismo Christi peccata remittebantur, & gratia conferebatur. Vnde ipse Ioannes ait: De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. De plenitudine autem charismatũ eius omnes accepimus, gratiam æternę retributionis: pro gratia fidei per dilectionem operantis, vel Euangelium pro lege, completionem pro promissione: vel gratiam pro gratia, vt qui iustus est, iustificetur adhuc. Quod autem air, ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, sic intelligendũ est, vt notetur dignitas, per hoc quod air, antè, & nõ Christi temporis natiuitas. Ante ipsum dicitur factus, id est, quantum ad dignitatem præpositus, eique prælatus. Post Ioannẽ autẽ dicitur venturus, id est, prædicaturus, baptisaturus, & moriturus. Medius autem dicitur stare Christus, vel quia Dei & hominũ mediator erat, vel quia vilis & cõmunis tanquã vnus de plebe à Iudæis reputabatur: vel quia quantũ in ipso erat, gratiam & misericordiã omnibus impendebat. Corrigiã autẽ calciamẽti eius indignũ se dicit soluere, id est, vnionem diuinitatis ad humanitatẽ & ineffabile mysteriũ explicare. Calciamentũ enim Christi humanitas dicitur. Iuxta illud: In idumeã extendã calciamentũ meũ, id est, assumptã humanitatem seu mortalitatem extendam in mundum. Vel calciamentum nuptiale euangelica prædicatio, qua calciati sunt Apostoli ex officio, quorum fuit officium per totum mundum prædicare incarnationis mysterium. Ad hoc autem Ioannes indignum se dicit, quia ex officio ad hoc missus non fuit. Vel secundum legis mandatum, quo calciamenta de pedibus proximi sui tollebat, qui desponsare volebat illam quam discalciatus recusabat. Soluere corrigiam calia-

*Qualiter præparatur via Domino.* *Ioan. 14.* *Gala. 5.*

*De rectitudine viæ.* *Ioan. 3.* *Ephe. 5.*

*De impedimentis viæ.* *De contradictione & correctione viæ.* *Num. 20.* *Prou. 4.* *Isaiæ 40.*

*Item 40.*

*De plena via*

*De impletione vallium, & humiliatione montium.*

*De loco in quo prædicat Ioannes & habitu & victu eius.*

*Ioan. 3.*

*Ioan. 1.*

*De baptismo Ioannis.* *Matth. 3.*

*De baptismo Christi.* *Ioan. 1.*

*Ioan. 1.*

*Gal. 5.*

*Apoc. 22.* *Ioan. 5.*

*1. Timot. 2.*

*Quare Christus dicatur medius.* *Ioan. 1.*

*De calceamento Christi.*

*Deut. 25.*

menti

menti se indignũ dicit, quia se nonesse spõsum, sed sponsi amicum asserit. Qui enim habet spõsam, sponsus est, id est, Christus, ac si apertè diceret. Ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi non vsurpo. In Matthęo autem sic habetur. Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare. Ipse vos Baptizabit in spiritu sancto & igni, cuius ventilabrũ in manu eius: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum suum, paleam autem comburet igni inextinguibili. Ecce quanta humilitas Ioannis, qui Christi calceos partare se indignum asserit. Teste enim beato Gregorio. Sancti viri cum fortia agunt, de semetipsis vilia sentiunt. Quid igitur in sua excusatione dicturi sunt, qui sine opere virtutis intumescunt? Et iterum ait: In cunctis quæ agitis fratres, radicem boni operis humilitatem tenete, nec quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite. Vnde dum meliorum vobis exempla proponitis, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeatis. In spiritu autem sancto & igni Christus baptizauit, id est, in spiritu sancto, qui est ignis peccata consumens, vel in spiritu sancto aquam Baptismalem significante peccata remittit, & post Baptismum igne contritionis & pœnitentiæ. In igne etiam purgatorij dicitur Baptizare, id est, animam emundare & purgare. Ventilabrum autem in manu eius dicitur examen iusti iudicij, quod pater posuit in eius potestate. In discussione autem districti iudicij purgabit aream Ecclesiæ, quæ etiam in præsenti purgatur, dum ob manifesta peccata, peruersus de Ecclesia per excommunicationem eiicitur. Triticum in horreum congregatur, dum electi Dei in æterna beatitudine collocantur. Palea autem quæ de eodem semine oritur, de quo & triticum, reprobi in Ecclesia dicuntur, contra quos fiet discussio, & in ignem æternum mittentur. Zizania autem, id est, infideles iam iudicati sunt. Non enim contra eos discussio aliqua fiet, neque hoc ventilabro remouebuntur. Qui enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Oportet igitur nos cum omni circunspectione & diligentia contra districtum eius aduentum præparare quo venturus est in igne. Contra etiam quemlibet eius aduentum debemus domum nostram præparare & exornare & saluatori nostro obuiam procedere. Sicut ait Amos Propheta: Præparare in occursum Dei tui Israël. Venit enim Dominus in nube in primo aduentu per incarnationem. Hæc est nubes quæ ostendebat viam filiis Israël in deserto: Christus enim incarnatus nobis ostendit viam in hoc mundo, & ardorem vitiorum nobis temperat, sicut nubes ardorem solis. Veniet in igne in secundo, sicut scriptum est: Ignis in conspectu eius exardescet. Et Malachias ait: Ecce dies Domini veniet, succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatẽ, stipula & inflamabit eos. Venit etiam in turbine, scilicet, in morte cuiuslibet, vt eum remuneret vel condemnet, vel si quid ad huc purgandũ est, in ignem purgatorium mittat. De quo aduentu in Euangelio dicitur. Sic eum volo manere donec veniã, id est, vt nõ transeat per martyrium, sed maneat donec veniam in morte ad eum. Venit in rore. Vnde in Daniële legitur, quod factum est medium fornacis quasi ventus roris flans. Ventus roris siue auster, est gratia spiritus sancti refrigerans. Contra quemlibet istorum aduentum debet parari Israël, id est, anima videns Deum per fidem, vt eã postea videat per speciẽ. Contra primũ aduentũ cuius solemnitatẽ faciemus in natiuitate debemus præparari limina Ecclesiæ frequẽtius solito visitãdo, attentius & diutius orãdo, eleëmosynas largius dãdo, corpus ieiuniis macerãdo, animas nostras per confessionem purgando, vt contra natiuitatem parui, & quasi pueri effecti renouemur. Contra secundum aduentum debemus præparati timorem districti iudicis ante oculos semper habendo nosmetipsos hic iudicando, vt illuc non iudicemur, accusando vt ibi excusemur, peccata hic detegendo vt ibi tegantur. Sicut scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Si enim hic tegis, Deus tunc detegit. Si excusat, Deus accusat. Faciamus etiam hic amicos de mammona iniquitatis, vt illic habeamus pauperes aduocatos in causa nostra, qui nos recipi faciant in æterna tabernacula. Scriptum est enim. Iucundus homo qui miseretur & commodat. Potius enim pauperibus accommodamus quam damus, quia nobis reddent in iudicio. Sic enim disponimus hic sermones nostros, quos pro nobis loquentur in iudicio. Præparemus animas nostras contra tertium aduentum, scilicet, quando veniet in morte, Diem illum extremum semper præ oculis ponentes. Malitia enim vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximè, sicut in Ecclesiastico legitur. Necesse est enim vt iam se reputet mortuum, qui se frequenter cogitat moriturum. Vnde Sapiens ait: Fili memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Præparemus etiam nos contra quartum aduentum in hunc modum. Cùm duæ sint partes hominis, corpus videlicet & anima, vtrumque est habitaculum spiritus sancti. Corpus tanquam aula regis, anima tanquam thalamus sponsi. In aula quinque sunt feneſtræ, scilicet, quinque sensus. De quibus Isaias. Qui sunt isti qui vt nubes volãt, & sicut columbæ ad feneſtras suas, scilicet, quinque sensuum vt eos cohibeant & diligenter custodiant, ne mors intret per feneſtras. Quæ debent esse quasi vitreæ vt lumen recipiant, ventum autem & pluuiam, & puluerem non admittant. Nisi enim sensus custodiantur in corpore, nunquam Deus requiescet in corde. Impossibile est enim sub lasciuo corpore animum purum habere. Custodiamus igitur oculos nostros ne videant vanitatem. Non enim licet intueri, quod non licet concupisci, sicut dicit beatus Gregorius. Vnde Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine. Et Ieremias. Oculus meus depræ-

datus est

*Ioan. 1.*

*Matth. 3. & Luc. 3.*

*De humilitate Ioannis. Gregorius.*

*De baptismo ignis.*

*De ventilabro, tritico & palea. Augustinus.*

*Matth. 13. Ioan. 3.*

*Rom. 2.*

*Qualiter contra quemlibet Christi aduentum præparare nos debemus.*

*De aduentu in nube. Amos 4. Exod. 14. Num. 10.*

*De aduentu in turbine. Mala. 3. Ioan. 21.*

*Daniël. 3. De aduentu in rore.*

*De præparatione contra primum aduentum.*

*De præparatione contra secundum aduentum. 1. Cor. 11.*

*Luc. 16.*

*De præparatione contra tertium aduentum. Eccle. 11. Item 7.*

*De præparatione contra quartum aduentum.*

*De feneſtris quinque sensuum. Isaiæ 9. Ierem. 9.*

*De custodia oculorum. Iob. 31. Item 3.*

datus est animã meã. Custodiamus igitur fenestras auriũ, ne audiamus vana per curiositatẽ vel lasciuia, quæ nos incitẽt ad libidinẽ, vel verba detractionis. Prohibitus est enim esus sanguinis, id est, vt nõ delectemur in aliorũ peccatis. Sicut scriptũ est de iusto: Et opprobriũ nõ accepit aduersus proximos suos, id est, nõ accepta habuit proximorũ obprobria, vnde in Eccles. Sepi aures tuas spinis, scilicet, vt non de facili admittas verba detractionis, sed magis pungas detractorem eũ redarguẽdo, quia si deesset auditor, nõ esset tractor. Custodiamus etiã gustũ, ne à crapula & ebrietate grauentur corda nostra, ne simus similes his, de quibus dicit Isaias: Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumq;, vt non esset vltra locus, id est, vt locum in se Domino non relinquerent. Non igitur effundamus animã nostrã super omnẽ cibum sicut gastrimargi, sed si man ducat homo, nõ totus mãducet. Imò sicut reficitur corpus exterius cibo corporali, reficiatur anima aliquid meditando cibo spirituali. Custodiamus etiã odoratũ, ne in vnguentis & speciebus aromaticis superfluè expẽdamus: vnde multi pauperes sustẽtari possent, ne cibi odore delectati ad gustum more canum per olfactum alliciamur. Erit enim, vt ait Isaias, pro suaui odore fœtor: Quot etiam cadauera in inferno proiiciẽtur, tot fœtoribus cruciabuntur. Custodiamus etiam diligẽtius omnibus aliis tactũ, quia efficatior est ad impugnandũ: nihil penitus tangamus, vnde ad libidinem incitari valeamus. Ait enim Salomon in Parabolis: Nunquid homo abscondere potest ignem in sinu suo, vt vestimẽta eius nõ ardeant? Aut ambulare super prunas, vt nõ comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad vxorẽ proximi sui, nõ erit mundus cùm tetigerit eam. Non delectemur etiã voluptuose balneis, vel mollibus vestimentis, quæ corpus emolliũt & eneruant, & animã ad libidinẽ prouocant. Vt autẽ glorificemus & portemus Christũ in corpore nostro, diligenter & studiose prouideamus, vt à corpore nostro omnia superflua resecemus, attendentes quanto cibo & potu sustentari possumus, & semper de appetitu aliquid resecemus. Retrahere enim debent de necessariis qui deliquerunt in superfluis: abstinere etiam debet à licitis, qui peccauit in illicitis. Pensemus etiam quanto somno, quantisq; vigiliis, quantis & qualibus vestimẽtis, quãto labore, vel quãta quiete cõmodius Domino seruire valeamus, & semper de necessariis aliquantulũ retrahamus: discretè tamẽ, quia honor Regis iudiciũ diligit. Sic enim debemus habere corpus nostrũ, sicut ægrũ cõmendatum: cui etiã multũ volenti inutilia sunt neganda, vtilia etiã nolenti ingerenda. Sic enim de eo debemus agere sicut de non nostro: non enim nostra sunt corpora, vt inde voluntatem nostram faciamus, sed eius potius, qui precioso sanguine suo nos redemit. Ad contemnenda enim cætera debemus prius à contemptu corporis nostri incipere. Nam quantò amplius delectamur in corporalibus, tantò minus delectamur in spiritualibus. Et econtrariò, quantò voluptatem sensibilium à nobis rescindimus, tantò magis circa spiritualia afficimur, delectationes enim non perdimus, sed mutamus à corpore in animam. Sicut enim corpus, ita anima suos habet sensus, quos etiam prępparare debemus, vt per eos in thalamo cordis nostri, Dominum recipiamus. Habet enim visum suum: de quo Dominus Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Et iterum: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, scilicet, visu fidei. Nam multi ex Iudæis visu corporis eum viderunt, qui tamen maledicti fuerunt. Hos oculos, ne vanitates hauriant, custodiamus, ne tenebris assueti diuino splendore retundantur. Habet etiam anima auditum suum, vnde Propheta: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Habet etiam aures suas, de quibus Dominus: Qui habet aures audiendi, audiat. Has aures ad tumultum mundi claudere debemus, ne ad vocem Domini obsurdescamus. Habet etiam gustum suum, de quo dicitur: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Et iterum: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Editur Dominus, quando primo cum quadam difficultate, sicut Iacob cum Domino luctamur. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Bibitur quando vltro se offert, & sine difficultate corde per charitatem dilatato percipitur. Purgemus igitur cordis palatũ à sapore terrenorũ. Non enim potest esse dulcis Christus, cui adhuc dulcis est mũdus. Econtrà gustato spiritu desipit omnis caro. Habet etiã anima suum odoratum, vnde Apostolus: Christi bonus odor sumus. Et in Canticis: In odore vnguentorum tuorũ curremus. Odor vnguentorum, fama virtutũ miraculorũ miserationũ, quibus sanat, roborat, & oblectat infirmum, laborantẽ, vacantem, id est, Lazarum, Martham, & Mariam. Hoc olfactu, sentiamus hîc fœtorem peccatorum vt ea fugiamus. Qui autem in præsenti fœtorem inferni non percipit vt eum caueat, proculdubiò in futuro sentiet. Habet præterea anima suum tactum, vnde Dominus in Euangelio, cùm multæ turbæ comprimerent eum, dicit se esse tactum à muliere, quæ per fidem & deuotionem tetigerat eum. In Canticis etiam dicit sponsa, quod venter eius contremuit ad tactum sponsi, id est, infirmi, quando tanguntur virtute verbi Dei. Destruamus igitur maceriam peccatorũ: auferamus sartaginem ferream, quam vidit Ezechiël inter se & Hierusalem, id est, mentis duritiam, & carnalis voluptatis frixuram, vt immediatè tangamus & cognoscamus, quoniam suauis est Dominus. Non solùm autem prædictas sensuum fenestras præparemus, sed domum nostram scopis confessionis mundemus, vt nihil penitus remaneat, quod tantũ hospitem offendere queat. Aquam lachrymarum effundamus, vt etiam puluis venialium auferatur & pereat. Debemus spergere iuncos virentes sanctarũ meditationũ, vt in nobis oriatur viror calami & iunci: debemus etiã desuper spergere flores odoriferos virtutum, vt in nobis nõ habeat locum fœtor vitiorum. Debemus præterea

*De custodia auriũ.* *Gene. 9.* *Leui. 14.* *Eccle. 28.*

*De custodia gustus.* *Luce 21.* *Isaiæ 28.* *Eccle. 37.*

*De custodia odoratus.* *Isaiæ 3.*

*De custodia tactus.* *Parab. 6.* *Ibidem.* *1. Cor. 6.*

*De superfluis resecandis.* *Simile.* *Roma. 8.*

*De præparatione quinque sensuum animæ.* *De visu animæ.* *Ioan. 8.* *Lucæ 10.*

*De auditu animæ.* *Lucæ 8. & Apoc. 2. 3.* *Eccle. 24.*

*De gustu animæ.* *Gene. 32.* *Matth. 11.*

*De odoratu animæ.* *2. Cor. 2.* *Cant. 1.*

*De tactu animæ.* *Matth. 5.* *Lucæ 8.* *Cant. 5.* *Ezech. 4.*

*De multiplici ornatu domus interioris.* *Isaiæ 35*

*Qualiter occurrere debeamus obuiam Domino. Tob. 8.*

thalamum nostrum ornare cortinis & pannis sericis bonorum operum. Præparato hospitio occurramus Domino venienti. Ascendamus montis supercilium, id est, eminentiâ virtutum, & intueamur diligenter cum matre Tobiæ, per quam viam verus Tobias, id est, Christus venire debeat, per viam, scilicet, paupertatis & humilitatis, per viam laboris & doloris, per viam iustitiæ & decoris. Ingrediamur eandem viam, vt ei obuiare valeamus. Caueamus diligenter ne vento superbiæ retardemur, ne spinis auaritiæ confixis pedibus mentis claudicemus, ne luto luxurię inhęreamus, ne sarcina inutilium & prætereuntium rerum aggrauemur, ne sollicitudinibus, & curis huius seculi, tanquam ramis densis iuxta viam consitis retardemur, ne fluxis nimis, & laxis vestibus impediamur, sed omnibus superfluis resecatis, & lumbis tuis præcinctis, paratus esto Israël, vt expeditè occurras Deo tuo. Adorna thalamũ tuũ Syon, & recipe Deũ tuũ in puro cordis hospitio, vt citò veniat tibi salus ab eo, & contrito graui peccatorũ & molestiarũ huius seculi iugo, ipse te recipiat in æterno cœli Palatio. Præstãte domino nostro, &c.

*De impedimentis viæ.*

*Luc. 7.*

*Amos 4.*

*Isaiæ 51.*

## IN VIGILIA NATALIS DOMINI,

### THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Matthæum.

*Matth. 1.*

*Cùm esset desponsata mater Iesu Maria, Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto.*

*De vigilia & crastinæ diei expectatione.*

TEMPVS est, fratres charissimi, vt in hac sancta vigilia natiuitatis Dominicæ tota mentis intentione vigilemus, & ad proximæ lucis fulgorem cordis oculos habeamus apertos. Cras enim reuelabitur gloria Domini, vt videat omnis caro salutare Dei nostri: cras enim erit vobis salus cùm incaluerit Sol, sicut in 1. Regum legitur. Sol iustitiæ per feruorem charitatis incaluit, quando dignatus est nasci pro nobis, qui radiis suis carnales & noxios viciorum humores desiccauit, & nebulam peccatorũ nostrorum effugauit, sicut per Isaiam Prophetam ait: Delebo vt nubem iniquitatem tuam. Crastina enim die delebitur iniquitas terræ, & regnabit super nos mundi Saluator. Oportet igitur vt vigilemus cum pastoribus quos Angelus vigilantes inuenit, non ignauos, nec torpentes, & idcircò gaudium magnũ annunciauit illis. Vigilemus igitur animo, in proximo est Dominus Deus noster. Vigilemus supra gregem cogitationum & actionum nostrarum, & non sinamus perfodi domum conscientiæ nostræ. Vos igitur qui in puluere estis, expergiscimini & laudate. Solus enim puluerem à vobis potest excutere, cuius manus cáruit puluere. Oportet igitur præuenire Solem ad benedictionẽ, & ad ortum lucis adorare: nõ enim sine copiosa benedictione venturus est Sol iste, qui cras nasciturus est, de stella Christus, scilicet, de Maria. Cras enim egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentẽ spinarũ, & Ægyptus in desolationem erit, & Idumęa in desertũ perditionis, sicut in Iohele Propheta dicitur. Fons sanctificationis & ablutionis, fons irrigationis & fœcunditatis est Dominus noster Iesus Christus, fons aquæ salientis in vitam æternam ardorem refrigerans, & sitim extinguens, harenulas, id est, pauperes & humiles scaturiẽdo sursum leuans: fons, iuxta quẽ peregrini requiescunt & fessi recreantur, sicut Esaias ait: Non est inuestigatio sapientiæ eius, qui dat lasso virtutem. De hoc fonte Psalmista ait ad Patrem: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Sonus huius fontis scaturientis, lachrymæ sunt pueri vagientis. Domus autem Domini quam sibi sapientia cum septem columnis, id est, septem donis Spiritus sancti, ædificauit, est mater Domini, cella custos vnguentorum, cella pigmentaria, cella aromatum, asylum & refugium pauperum, ad quam pauperes & infirmi confugiunt tanquam ad hospitale constitutum in introitu ciuitatis. De hac domo fons egrediens, irrigat torrentem spinarum, spinosos, scilicet, peccatores, qui torrenti comparantur propter inundationem peccatorum. De qua Osee dicit: Maledictum & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. De his autem spinis Sophonias ait: Moab vt Sodoma erit, & filij Amon vt Gomorra. Siccitas spinarũ & acerrus salis & desertum vsque in æternum. Moab, id est, peccatores ex patre diabolo, qui muti sunt à laude Dei, & Deum exasperantes. Nam Sodoma mutus, & Gomorra asper interpretatur. Dicuntur siccitas spinarũ in morte succendentes ignem gehennæ, post mortem verò acerrus salis. Quia dum viuentes considerant quòd sudores mortuorum delitiæ sunt viuorum, sale sapientiæ condiuntur, lauantes manus suas in sanguine peccatorũ. Memoria enim eorum condit cibos operum nostrorum: in inferno autem erunt desertum vsque in æternum, quia sine fine à Deo deserentur. Ægyptus autem in desolationem erit: Ægyptus tenebræ & mœror interpretatur. Primum, id est, tenebras peccatorum, in primo aduentu Dominus destruxit. Secundum, id est, mœrorem pœnæ destruet in secundo. Idumea autem terrena interpretatur. Quando autem caro à spiritu conculcatur & subiugatur, Idumæa in defectu perditionis esse dicitur. De hoc iterum fonte legimus in libro Hester, quòd Mardochæus in visione videns paruum fontem, qui creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit. Fons iste Christus est, qui populum suum consilio Aman, id est, diaboli condemnatum, à morte liberauit. Paruus fuit fons iste in natiuitate Domini quando de aquis ipsius Maria tantũ & Ioseph hauserũt. Postea pastores inuenientes puerum in præsepio reclinatũ.

*Iohel. 3.*

*Ioan. 4.*

*Quod Christus comparatur fonti.*

*Isaiæ 40.*

*Parab. 9. De domo domini.*

*Iohel. 3. De torrente, spina & eius irrigatione.*

*Oseæ 4.*

*Sopho. 2.*

*Ioan. 8.*

*Iohel. 3.*

*Hester 0.*

Postmo-

Postmodũ tres Reges cum muneribus natũ Regẽ adorãtes. Tandẽ verò fons iste in fluuiũ redundauit, dũ totus mũdus ex ipso hausit. In luce autẽ & Solẽ cõuersus est, vbiq; notus & mũdum vniuersum illuminãs. Ita fuit fons patens domui Dauid, & habitãtibus Hierusalẽ, in ablutionẽ peccatoris & menstruatæ, sicut Zachar. prædixerat. Patẽs enim fuit dum se omnibus obtulit, abluẽs peccatorũ sanguinẽ. Habuit autẽ occultã originẽ, sicut fontes per occultos meatus scaturiũt. Vnde Isaias ait: Generationẽ eius quis enarrabit? Fons iste calidus est in hyeme, vt calefaciat frigidos & torpentes: frigidus autem in æstate, vt præstet refrigeriũ cõtra incentiua vitiorũ. Fons igitur iste cras egredietur de domo Domini. Hodie igitur scietis, quia veniet Dominus, & manè videbitis gloriã eius. Gloriã, scilicet incarnationis, per quã Dominus glorificetur, & laudatur, de qua ipse ait per Isa. Gloriã meã alteri nõ dabo. Hodie enim vigilare debemus ad aduentũ ipsius, & de ipso iugiter meditari. Si enim hodie sciamus cogitãdo & desiderãdo, quia veniet Dominus manè, & videbimus gloriam eius. Præsens etiã vita quasi dies hodierna est in promissione, crastina autẽ dies erit in exhibitione. Hodierna enim dies, præsens tẽpus intelligitur, quæ est quasi vigilia magnæ solemnitatis quasi illuscẽte manè claritatis æternæ videbimus gloriã Dei. Propterea in libro Paralip. dicitur: O Iuda & Hierusalẽ, nolite timere, nec paueatis, cras egrediemini, & Dominus erit vobiscũ. Iudæ enim, id est, veris cõfessoribus, quorũ omnia interiora cõfitentur Domino, quorũ ossa dicunt, Domine quis similis tibi. Et Hierusalẽ, id est, videntibus & desiderantibus veram pacẽ, super quã Hierusalẽ orietur Dominus, & gloria eius in ea videbitur, annuntiatur futura cõsolatio. Aliis autẽ non annuntiatur, quia nõ egrediuntur, sed magis cõpedibus suis delectantur, cõpedes necessitatis aggrauãdo & superãdo cõpedes curiositatis, & vanitatis, & voluptatis. Hi igitur non egrediuntur de lacu miserię, & de luto fecis, quia non lucem diligunt, sed tenebras. Iudas & Hierusalem cras egredientur, currentes ad nuptias Agni, qui crastina die tanquam sponsus procedet de thalamo suo, & ita Dominus erit cum eis, verus Emanuel, qui interpretatur nobiscum Deus. Cras etiam, id est, in proximo, egrediemini de carcere corporis, & Dominus erit vobiscum, & vos cum illo sine fine. Ipse enim venit prædicare clausis apertionem, sicut in Isaia dicitur. Egrediamur igitur corde per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem. Egrediamur per oculos, de ipso cogitando, per aures ipsum audiendo, per odoratum ipsius corde memoriam recolendo, per gustum contemplationis gustando, quoniam suauis est Dominus, per tactum brachiis desiderij ipsum amplexando. Sanctificamini igitur hodie & estote parati, quia die crastina videbitis maiestatem Dei in vobis. Cras enim Rex noster aduenier Christus, quem Ioannes prædicauit Agnum esse venturum, qui omnia peccata nostra proiiciet in profundum maris, qui sanabit omnes infirmitates nostras, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui redimet de interitu vitam nostram, qui replet nos misericordia & miserationibus, vt renouetur sicut aquilæ iuuentus nostra. Non igitur fugiamus à facie Domini, quia venit, quoniam non venit iudicare, sed saluare terram. Quò igitur ibis à spiritu eius, & quò à facie eius fugies? Canite igitur tuba in Syon, quia propè est dies Domini. Et idcircò tuba prædicationis & diuinæ laudis hodie canendũ est in Syõ, id est, in Ecclesia. Sanctificamini igitur vt dies sanctificatus illucescat vobis, vt videre mereamini sanctum sanctorũ. Non enim Sol glorię orietur vobis, nisi prius in cordibus vestris oriatur Sol iustitię. Ecce venit Rex, occurramus obuiã Saluatori nostro. Præparemus nos, vt cũ veste nuptiali ad nuptias Agni ingredi mereamur. Nulla nos luxuria inquinet, nulla turpis cogitatio accusẽt, nulla malitia mentẽ mordeat, nõ inuidię rubiso cõsumat, nõ elatio inflet, nõ ambitio per terrena oblectamẽta dilaniet. Nihil prorsus in nobis turpitudinis relinquamus, ne à solemnitate & nuptiis regalibus excludamur, sed cũ spõso splẽdide epulãtes gaudeamus. Si enim Abrahã à longè vidit diẽ istum, & gauisus est, quãtò magis nos qui de propinquo quasi præsentẽ videmus, gaudere debemus & laudare, vt vbicunq; cõgregentur aquilæ, vt ita ad nos intrare dignetur nuntios suos, quos ante faciẽ suam prę̃mittit, cum omni reuerẽtia & deuotione in hospitio nostro recipiamus. Scriptũ est enim de ipso: Iustitia ante eũ ambulabit. Iustitia enim & iudicium prę̃paratio sedis eius. Et iterũ Dauid ait: Misericordia & veritas prę̃cedent faciẽ tuam. Iustitiam igitur & iudicium, misericordiã & veritatẽ, tanquã nuntios aduentus sui prę̃mittit Dominus ante faciẽ suam. Iudicium siue discretio, est quasi ianitor hospitij ipsius, discernens quales admittendi sunt, & quales repellendi. Iustitia verò tanquã præpositus indignos eiicit, & dignos introducit. Misericordia autẽ tanquã eleẽmosynaria Regis, esuriẽtibus cibum, sitientibus potũ, nudis ministrat vestimentũ, & alia misericordiæ opera, Domino præciente exercet: veritas autẽ facta diligenti cõputatione pretium reddit expensarũ, & promissa Domini sui sine fraude & diminutione persoluit. Recipiamus igitur in hospitio cordis nostri iustitiã & iudiciũ, quibus sedes Domino prę̃paretur in nobis. Mala quæ cõmisimus in nobis, puniamus per iustitiã, eiiciendo lapides de plateis, id est, peccata de cordibus nostris, sicut in Isaia prę̃cepit Dominus. Per iudiciũ autẽ nosmetipsos districtè discutiamus. Si enim hic nosmetipsos diiudicamus, à Domino nõ iudicabimur. Misericordiã autẽ per cõpassionẽ cordis & eleẽmosynarum largitionẽ in nobis recipiamus. Nec fiant opera nostra in vanitate, sed in veritate, vt ad Deũ oculũ habeamus, & ita veritatẽ simul cũ misericordia recipiemus. Non solũ autẽ prę̃dictos nuntios, sed & Gabriẽlem & Ioannem præmisit Deus ante faciem suam. Recipiamus igitur Ioannem, id est, Dei gratiam, vt à peccatis purgemur. Hic est enim nuntius, per quem remissio

*Matth. 2.* *Zach. 13.* *Isaiæ 53.* *Iohel. 2.* *Exod. 16.* *Isaiæ 42.* *Exod. 16.* *2. Paral. 20.* *Isaiæ 60.* *De multiplicati egressu & de his qui non egrediuntur.* *Matth. 1. & Isaiæ 7.* *2. Paral. 30.* *Exod. 19.* *Ioan. 1.* *Iohel. 2.* *Dan. 9.* *Sapien. 5.* *Apoc. 19.* *Qualiter præparare debemus.* *Matth. 24.* *Luc. 17.* *De receptione nuntiorum & qui sint nuntii.* *De iudicio & iustitia.* *De misericordia & veritate.* *Isaiæ 51.* *Exod. 30.* *1. Cor. 11.* *Mala. 3.* *Matth. 11.* *Luc. 7.*

fit peccatorum. Recipiamus etiam Gabriëlem,id eſt,Dei fortitudinem, vt in ſeruitio Domini fortiter perſeueremus. Gabriël autem non ſolùm præmiſſus eſt ad Mariam,ſed inſuper ad Ioſeph virum Mariæ,ſicut in hodierno Euangelio habemus. Cùm enim deſponſata eſſet mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent,inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto.

*Matth.1. Expoſitio dubitabilium quæ dicuntur in Euangelio.*

Inuenta,ſcilicet,à Ioſeph,habens in vtero, ſed non ſtatim cognouit vtrum eſſet à Spiritu ſancto,donec per Angelum in ſomnis certificatus fuit. Cùm enim Maria deſponſata eſſet Ioſeph, ſed nondum in domum eius traducta ad cohabitandum,nec ſolemnitas nuptiarum eſſet celebrata,cõmiſit eam Ioſeph aliquanto tempore parentibus eius ad cuſtodiendam. Poſt deſponſationem ſiquidem virgines in cuſtodia ſponſorũ erãt, licèt eas nondũ traduxiſſent. Quia igitur Ioſeph curam Mariæ gerebat,eam parentibus ſuis cõmiſit cuſtodiendam. Interim autem dum in hac cuſtodia eſſet,ſalutata ab Angelo,de ſpiritu ſancto concepit. Audiens autem quòd Elizabeth cognata eius concepiſſet, abiit in montana cum feſtinatione,vt miniſtraret cognatæ ſuæ. Cumq; nato Ioãne poſt tres menſes reuerſa fuiſſet,viſitauit eam vir eius,& inuenit eam vtero tumeſcente prægnantẽ. Cœpit autẽ mirari & cogitare intra ſe vnde hoc eſſet,& animo fluctuare: videbatur enim ei quòd ſi concepiſſet, cum viro concubuiſſet, ſed iterum de ſanctitate & innocentia Mariæ tantum præſumebat, quòd ipſam de facili adulterium cõmiſiſſe credere non poterat. Cùm igitur eſſet vir bonus,iuſtus,& timoratus,cogitabat intra ſe quòd eam non traduceret ad cohabitandũ,ne fortè cõtra legem faceret,quæ grauidam & non à viro ſuo,eiiciendam eſſe, & lapidandam dicit. Timebat igitur ne ſi teneret grauidam,cum ignoraret, à quo grauida eſſet,contra legem & Deũ peccaret,& quaſi conſcius eſſet peccati,ſi retineret neſciens euentum rei. Ex alia autem parte nullam in Maria ſciebat notã infamiæ,& illam inculpabilem vehemẽter opinabatur. Sciebat enim quòd eam virginem deſpõſauerat,& eam diligentiſsimè tam per ſeipſum quàm per religioſos parentes eius ſeruauerat. Cœpit igitur cogitare & deliberare diu intra ſe. In qua re inſtruimur diu deliberandũ eſſe in incertis,ne peccemus temeritate leuitatis. In hac igitur dubietate mediã & ſecuram viam elegit,ſcilicet, vt eam non traduceret, ne rei incognitę cõſentiendo reũ ſe faceret corã Deo: & quòd eam occultè dimitteret,ne innocentem diffamaret. Nam ſi dimitteret crimen incognitũ publicando,peccaret. In dubiis igitur noluit prępcipitare ſententiã: ſciebat enim quòd ſi apertè eam dimitteret,tanquam rea infamaretur,& lapidaretur tanquam adultera. Occultè verò eam dimittere poterat,quia occultè & non ſolenniter cum illa contraxerat. Fuit igitur in hoc facto non ſolùm iuſtus,ſed & miſericors. Iuſtus erat, quia contra legem agere metuebat: miſericors,quia famam Mariæ integram conſeruare ſatagebat. Sed inſuper prudens fuit,dum ſecum diu deliberans, mediam & quaſi ſecuriorem viam elegit. In hac igitur mentis anguſtia conſtituto,apparuit ei Angelus,ne vlterius premeret dubietas,quem commendabat æquitas. Viſum eſt tamen aliquibus ſacræ paginæ expoſitoribus,quòd de virginitate Mariæ Ioſeph nunquam dubitauerit. Sciebat enim quod deſponſauerat virginem & ſeruauerat intactam. Audierat etiam ex Iſaiæ prophetia,quòd Meſſias venturus de Virgine naſciturus eſſet,de tribu,ſcilicet,Iudæ,& de familia Dauid,de qua Mariam eſſe non ignorabat. Ipſe autem iuſtus erat ex fide, nec ſanctis ſcripturis incredulus erat. Sciebat prætereà Virginis intentionẽ,quæ votũ fecerat virginitatis, ſicut & ipſe Ioſeph virgo erat,vt dicunt, & in virginitate viuere propoſuerat,& idcirco ex humilitate ſe reputabat indignũ tam B. Virginis cohabitatione,& timebat ipſam traducere in domũ ſuã,vel etiã propalare, ſiue manifeſtare: nã pro traducere, Gręci habẽt propalare: Non enim crederetur ei ſi diceret intactã quã videret prægnantẽ,& idcirco voluit occultè dimittere eam: maximè,quia poſtquã in vtero habuit vſq; ad horã qua Chriſtus natus eſt,ex ea quidam ſplendor exibat (vt dicũt) à facie eius,nec poterat à Ioſeph videri in facie prę nimia claritate: ſicut etiã legimus de Moyſe,vnde cõfortio eius ſe reputabat indignũ,quę frequẽtabatur obſequio Angelorũ. Hęc autẽ eo cogitante,Angelus cõfortauit eum ne timeret accipere Mariam coniugẽ ſuam ad cohabitandũ,non ad cõmiſcendum,vel carnaliter cognoſcendũ. Oſtẽdit etiã illi quòd de ſpiritu ſancto cõceperat, id eſt, opere ſpiritus ſancti. Licèt enim tota Trinitas incarnationem illam & conceptionem operata ſit ſpecialiter,tamẽ ſpiritui ſancto attribuitur,ſicut & alia opera intimæ charitatis. Sola enim dilectio & charitas inæſtimabilis Deum incarnari fecit. Dixit autẽ Angelus quòd nõ timeret accipere Mariã coniugem ſuã. Et Lucas ſimiliter Mariã appellat vxorẽ Ioſeph. Ait enim quòd Ioſeph iuit in Bethleem, vt profiteretur,cum Maria deſpõſata ſibi vxore prægnante. Non ſolùm enim per verba de futuro cõtracta erãt ſponſalia inter Ioſeph & Mariã, ſed per verba de præſenti in ipſam cõſentiendo cõtraxerant matrimoniũ: vnde in rei veritate Maria cõiunx ipſius erat & vxor,quod idem eſt,& verum erat matrimoniũ inter Mariã & Ioſeph. Teſte enim beato Ambroſio,non defloratio virginalis facit matrimoniũ,ſed pactio coniugalis. Non ſolùm igitur fuit initiatũ matrimonium per ſponſalia,ſed fuit conſummatum per mutuũ conſenſum, non tamen fuit ratũ per carnalem cõmixtionem. Erat igitur coniunx non cõcubitu,ſed affectu, non cõmixtione corporũ,ſed cõmixtione animorũ, vt in eis ſeruaretur affectus animi & dignitas ſacramenti,quod eſt verũ coniugiũ,& in ea ſine coitu eſt fructus nuptiarũ. Vouerat autem B. Virgo virginitatẽ,id eſt,in animo firmiter propoſuerat ſe virũ nõ cognituram,niſi Deus aliter diſponere vellet: vnde beatus Gregorius ait,quòd beata Virgo propoſuit ſe ſeruaturam virginitatem in corde,ſed ipſum votum non expreſsit ore. Conſenſerat nihilominus ſe cohabitare cum

*Luc.1.*

*De dubitatione Ioſeph priuſquam ab Angelo certificaretur. Item 2.*

*Matth.1.*

*De pia quorundam opinione,quod Ioſeph non dubitauit de virginitate Mariæ. Iſaiæ 7. Abacuc. 2.*

*Exod.4.*

*Matth.1.*

*Luc 2.*

*Quod verum matrimonium fuit inter Mariam & Ioſeph. Ambroſius.*

*De voto beatæ Virginis. Gregorius.*

cum Ioseph sicut cum marito suo: nam sine mutuo consensu nullum est matrimonium. Consensit igitur in Ioseph, vt indiuiduam vitæ consuetudinem cum illo retineret & societatem coniugalem. Vnde beatus Augustinus ait: Beata Virgo committens virginitatem suam diuinæ dispensationi, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo. Patet igitur quod vtrumque, scilicet, votum virginitatis & consensum in carnalem copulam, non simpliciter, sed sub conditione fecit, scilicet, si Deo placeret. Licèt enim simpliciter consenserit in maritalem societatem, sub conditione tamen consensit in carnalem copulam. Nesciebat enim vtrum magis placeret Deo, & idcirco vtrumque diuino reliquit arbitrio. Legerat enim in lege: Maledicta sterilis quæ non relinquit semen in Israël. Et iterum: Crescite & multiplicamini. Legerat enim ex altera parte, quòd parientes erant sub maledictione, ex quo dictum est Euæ: In dolore paries filios. Legerat etiam quòd ex viri commixtione, non fit conceptio absq; peccato & carnali delectatione, maximè dicente Propheta: In peccatis concepit me mater mea. Quia igitur nesciebat vtrum magis Deo placebat, vtrumq; suspendit, donec edocta ab Angelo & certificata quòd cõciperet sine peccato, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbũ tuũ. Ex tunc absq; vlla retractatione in virginitatem simpliciter cõsensit, & ex tunc non solũ illi, sed & aliis virginibus dicitur: Crescite & multiplicamini, & replete cœlos. Neutrã autem maledictionẽ Christi mater incurrit, sed per omnia benedixit Dominus terrã suã. Concepit enim sine culpa, & peperit sine pœna. Attulit enim filius fœcunditatẽ, nõ abstulit integritatẽ. Ecce, inquit Dominus, noua facio omnia, mutata est maledictio Euę in benedictionẽ Mariæ: sola à generali maledictione fuit liberata, quia à dolore partus fuit aliena. Duo enim sunt quæ timet humana fragilitas, pudor, scilicet, & dolor. Hæc duo à matre sua Christus remouit, vt nec in cõceptione pudorẽ, nec in partu haberet dolorẽ, nec in mente vel corpore corruptionẽ: à seculo non est auditũ. Fœcũditas enim & virginitas in sola Maria obuiauerunt sibi, quia nec primã similẽ visa est, nec habere sequentẽ. Apes pariunt, & cõmixtionem nesciunt: Phœnix sine coitu procreatur: vermiculus de terra sine carnali semine producitur: Radius de stella, flos de virga, fructus ex arbore, absq; aliqua corruptione prodeũt & oriuntur. Ros de vellere sine læsione cõprimitur, & Christus de Virgine sine matris corruptione nascitur. Rubus accenditur, illuminatur, sed nõ cõburitur: ex cristallo aqua cõsperso ad radios Solis scintilla ignis educitur. Maria aqua spiritus sancti perfusa, peperit saluatorẽ, nõ amisit integritatẽ, Spiritussanctus obũbrauit illi, vt in cõceptione nõ sentiret libidinis ardorẽ, Deus in medio eius, id est, in ipsius vtero, & idcirco nõ cõmouebitur, nec dolorẽ sentiet pariẽdo: vnde Isa. ait: Anteq̃ parturiret, peperit. Maria enim peperit nõ parturiẽdo, quia dolorẽ nõ sensit in pariẽdo. Sicut autẽ peperit sine dolore, ita prẽgnãs fuit & grauida sine magna grauitate. Portabat enim à quo portabatur, vnde nõ retardata aliquo põdere, abiit cũ festinatione ad mõtana Galilææ. Sicut enim radix procedit de arbore, & tamẽ nihil virtutis habet arbor sine radice, ita Christus nõ solũ tanq̃ flos & fructus, sed insuper tanquã radix processit de Virgine, & quidquid habuit boni, processit ab hac radice. Vnde Isa. de Christo ait: Ascẽdet sicut virgultũ corã Domino, & sicut radix de terra sitienti, id est, de B. Virgine, quę fontẽ vitę sitiuit Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Vnde Sapientia, id est, Christus, de se ait in Eccles. In Syon firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, id est, in virgine Maria. De qua ciuitate Psalm. ait: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Et iterũ: Homo natus est in ea, id est, in Maria, quæ fuit ciuitas eius, & ipse altissimus fundauit eã, scilicet, secundũ quod altissimus, id est, secundũ diuinitatẽ, qui tamẽ natus est in ea, secundũ humanitatẽ. Ascẽdit autẽ Dominus noster sicut virgultũ, quia eleuatus est & exaltatus vsq; ad soliũ Maiestatis. Gracilis autẽ fuit paupertate, flexibilis pietate, rectus bona volũtate, virẽs in se & virorẽ præstãs Ecclesiæ. Non solũ tanquã virgultũ de terra sitiẽti, sed tanquã flos amœnissimus de prato Virginis absq; cultu humano processit. Pratũ autẽ Virginis tanquã terra nõ arabilis, nõ sulcata aratro, nõ defossa sarculo, cum honore & integritate, procreauit ex se florem candidũ & rubicundũ, florẽ odoriferũ, immarcessibilẽ, pulcherrimũ, & suauẽ, in quẽ desiderãt Angeli cõspicere qui solatiũ est ægris, ad cuius odorẽ mortui reuiuiscunt. Fuit igitur Virgo beata tanquã pratũ floridũ, delectabilis & amœna, quæ placuit Angelis castitate, hominibus fœcunditate, Deo humilitate, fuit inuiolata & intacta. Sicut cinamomũ & balsamũ aromatizãs dedit suauitatẽ odoris. Cinamomũ autẽ & balsamũ odorẽ spirãt, sine sui corruptione. Et Virgo beata Christũ peperit cũ integritate: vnde & Matth. de Ioseph ait, Accepit coniugẽ suã, & nõ cognoscebat eã, donec peperit filiũ suũ primogenitũ, id est, nõ cognouit eam ante partũ. Multò fortiùs post partũ, visis tot signis & miraculis, nõ cognouit eã. Accepit autẽ eam ad cohabitandũ, vt matri & puero ministraret, nõ vt eam cognosceret. Ponitur igitur hoc aduerbiũ, donec, pro æterno: & est sensus: Non cognoscebat eam donec peperit, id est, nunquã eã cognoscebat & peperit. Sicut dicitur: Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ. Non quia posteà nõ sedebit à dextris, nam & ante & pòst & vsq; in æternũ à dextris Patris Christus sedebit. Nõ igitur cõueniens est vt eã postquã peperit, cognouisset, si nõ cognouit eã donec peperit. Sicut cùm dicitur: Oculi nostri semper ad Dominũ donec misereatur nostri. Non sequitur, postquã miserebitur Dominus, quòd ad Dominũ nõ sint oculi nostri. Pari modo cùm dicitur: Iste non manducabit donec habeat cibum: non sequitur necessariò quod postquã habuerit cibum comesturus sit, nam tunc poterit mori vel mutare voluntatem.

*Augustinus.*

*Gen. 1. & 9. Gene. 3.*

*Luce 1.*

*Quod maledictio Euæ conuersa est Mariæ in benedictionem. Apoc. 21.*

*Ioan. 2.*

*Isaie 66.*

*Luce 1.*

*Simile.*

*Isaie 53.*

*Eccle. 24.*

*Quod Christus comparatur virgulto & flori; Maria prato.*

*Cant. 5. 1. Petri 1.*

*Eccle. 24.*

*Matth. 1. Expositio eius quod dicitur quod non cognouit eam, &c.*

Quidam autem sic intelligunt, quòd Euangelista ait quòd Ioseph non poterat cognoscere Mariam, id est, intueri in faciem eius, quamdiu Christus in vtero Virginis fuit, propter radios qui de vultu Mariæ procedebant. Similiter in hodierno Euangelio idem ait: Antequã conuenirent inuenta est in vtero habẽs de spiritu sancto. Nec ob hoc sequitur, quòd posteà cõuenirent carnaliter: sicut cùm dicitur: Iste homo antequã pœnituerit, morte præuẽtus est, nõ sequitur quòd posteà pœnituerit. Vel potest intelligi, quòd antequã cõueniissent ad cohabitandũ per nuptiarũ solennitatem, inuenta est habens in vtero de spiritu sancto. Non enim vt eam cognosceret, accepit Ioseph in vxorẽ eam: sed voluit Dominus vt despõsaretur Maria Ioseph, multiplici ratione, vt Ioseph iustus esset testis castitatis Mariæ, defendẽs eam ab infamia suspitionis, & vt Virgo viri solatio sustentaretur, vt puero ministraret, & eius nutritius esset, vt Mariã, ne tanquam adultera lapidaretur, nomine mariti excusaret, vt per ipsum Ioseph Mariæ origo ostenderetur, quia de eadẽ tribu fuit de qua & Maria, scilicet, de tribu Iuda: Et ne virginibus esset excusatio infamię, quòd mater Christi infamata esset, & vt matrimonio Marię expresse significaretur matrimoniũ Christi & Ecclesiæ, quæ virgo est & sponsa, & sine corruptione sui à Christo fœcundata. In matrimonio etiã Ioseph & Marię, signatur matrimoniũ Prælati & Ecclesię, quę ab vno despõsatur, & ab alio, scilicet, à spiritu sancto fœcundatur. Noua autẽ causa fuit vt partus occultaretur diabolo, qui nesciuit discernere an esset ex semine viri natus, an ex virgine. Cùm enim quatuor sint natiuitates hominis: prima in vtero, dum cõcipitur: secũda ex vtero, dũ in lucẽ per partũ producitur: tertia in baptismo, dũ per gratiã renascitur: quarta in resurrectione, cùm sederit filius hominis in regeneratione. Has omnes Christus in se mutauit, innouãs signa & immutãs mirabilia, & ita diabolũ decepit. Prima enim semper fieri solebat cum culpa, secũda cum pœna, tertia cũ peccatorũ remissione, quarta autẽ fiet in mundi fine. Christus autẽ natus est in vtero sine culpa, ex vtero sine pœna, baptizatus est sine peccatorũ quibus caruit remissione, resurrexit autẽ post mortẽ, nõ expectata generali resurrectione, & ita solitũ naturæ cursum mutauit, & astutũ serpentẽ sapientia sua decepit. Cùm igitur prædictis rationibus despõsata esset mater Iesu Maria Ioseph, inuẽta est prægnãs simul & virgo. Inuẽta est habẽs in vtero de spiritu sancto, mater simul & filia: mater sancta, mater immaculata, mater inuiolata & intacta. Virga Iesse, columba ferens ramũ oliuæ, fiscella Moysi intus, & exterius bituminata, vt ad eam nõ intraret aqua luxuriæ. Arca intus & foris deaurata, cõtinens in se cœleste manna: vellus veri Gedeonis, thronus veri Salomonis, porta clausa in templo Ezechiẽlis, via viris inuia, cella pigmentaria, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata, templum Domini, sacrarium spiritus sancti, vitis fructificans suauitatem odoris, mater pulchrę dilectionis & sanctitatis: vnde & Angelus ait illi: Quod enim ex te nascetur sanctũ, vocabitur filius Dei. Hoc autẽ sanctũ non dabit ipsa canibus, nec ante porcos sparget margaritas. Ecce enim veniet Dominus Princeps Regũ terrę, beati qui parati fuerint occurrere illi. Oportet igitur nos hodie sanctificari, & mentis nostræ thalamũ exornare, hospitiũ cordis cũ gaudio dilatare, Regemq; venturũ bonis pręuenire operibus. Propter quod Propheta Ezech. ait: Montes Israël ramos vestros germinetis, & fructum vestrũ afferatis populo meo, propè est enim vt veniat ad vos. Montes enim, id est, solidi & sublimes terrã excedentes, vt veri Solis radios in se recipiãt virtutibus, & bonis operibus fructificare debẽt, non solũ sibi, sed & aliis germinãtes flores virtutũ, & ramos exempli boni ad proximos expandentes, & fructus bonorũ operũ. Apis autẽ quæ pascit inter lilia, quæ florigerã inhabitat regionẽ, id est, Christus, qui de se ait per Psalmistam: Pulchritudo agri mecũ est, sicut ad florẽ virginitatis aduolauit, ita in cordis eius hospitio requiescet, si flores virtutum in illo reperiat, & ramos virẽtes cum fructibus bonorũ operũ. Delitię enim eius sunt, esse cum filiis hominũ. Rogemus ergo beatã ipsius matrem, vt nos cõmendet apud filiũ suũ, & loquatur pro nobis bonum, & vt auertat indignationem suam à nobis: eius humilitas vanitatem & elationẽ nostram excusẽt apud Dominũ, eius virginitas corruptioni nostræ veniã impetret, eius charitas nostrorũ operiat multitudinẽ peccatorum, eius fœcunditas nobis fœcunditatem conferat meritorũ, vt per eam nos recipiat, qui per eam ad nos venit in mundum, & qui ea mediante particeps fieri dignatus est infirmitatis nostræ, ipsa intercedente participes nos faciat beatitudinis suæ Dominus noster Iesus Christus. Qui cum Patre, &c.

*Matt. 1. Expositio illius verbi antequam conuenirent.*

*Multiplici ratione despõsata est Maria Ioseph.*

*De quadruplici natiuitate hominum & qualiter deceptus est diabolus à Christo. Matth. 20. Eccle. 30.*

*Matth. 1. Quod multipliciter præfigurata est hæc mirabilis conceptio & multipliciter commendatur Maria. Gene 8. Isaiæ 11. Exod. 2. Idem. 25. Iudi. 6. 3. Regum 10. Ezech. 44. Isaiæ 39. Cant. 6. Eccle. 24. Lucæ 1. Matth. 7. Exod. 19. Ezech. 36. De montibus Israël. Cant. 2. Prou. 3.*

## IN NATIVITATE DOMINI THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE EX PROPHETA Isaia secundum aliam translationem.

*Puer natus est nobis & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij Angelus.* Isaiæ 9.

*Breuis expositio thematis. De quinque ferculis hodiernæ festiuitatis.*

PVER, vt puri & pueri efficiamur: natus est nobis, vt renascamur: Filius datus est nobis, vt redimamur: cuius imperiũ super humerum eius, vt sustentemur: & vocabitur nomen eius magni consilij Angelus, vt illuminemur. Hodiernæ igitur solennitatis sancta & præclara lætitia in his quinque principaliter consistit, quibus quasi quinque ferculis quæ in prædictis Isaiæ verbis continentur, anima Christiana reficitur. Primum ferculum est, quòd Deus factus est puer, vt paruos & humiles consola-

retur,

retur, & inueterati in peccatis ad puritiam inuitarentur. Secundum, vt nati in peccatis per baptismum renascerentur. Tertium, vt captiui redimerentur. Quartum, vt debiles & infirmi sustentarentur. Quintum, vt hi qui in tenebris & in vmbra mortis erant, illuminarẽtur. Vnde *Luce 1.*
ipse de seipso per Isaiam ait: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me ad annuntiandum *Isaiæ 61.*
mansuetis, misit me vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vnxit me vt essem mansuetus & suauis tanquam puer, ad annuntiandum mansuetis misit me, vt humiles & mansueti verbo & exemplo meo consolationem reciperent: vt mederer contritis corde, vt, scilicet, medicamento contritionis & baptismi sanarentur: vt prædicarem captiuis indulgentiam, scilicet, quod per me redimerentur: & clausis apertionem, vt, scilicet, quòd per me illuminarentur. Primo ferculo non solùm nos qui sumus in tempore gratiæ, reficimur per gustum, sed sancti Patres omnes ante natiuitatem refocillati sunt quasi per odoratum. Non solùm enim Abraham in spiritu vidit, & gauisus est, diem natiuitatis pueri, sed Patriarchæ & Prophetæ, & alij sancti, hanc sanctam solennitatem sicut & nos celebrauerunt. Adam dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Apertè ostendens veram Christi natiuitatem, & quòd de semine eius nasceretur. In diebus verò Noë, columba ad vesperam emissa, ferens in ore ramum oliuæ virentem cum foliis, ad arcam reuersa est. In vespere enim mundi cùm esset diluuium peccatorum, nec iam essent ripæ, id est, aliqui fortes, nisi valdè pauci, qui fluxum carnalium desideriorum reprimerent, columba in ore ramum oliuæ ferens, venit ad arcam, id est, Christus visibiliter mundo apparuit, offerens pacem, quia in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Oliua signum est pacis. Ipse autem reformauit pacem hominis ad Deum, hominis ad seipsum, vt iam non esset diuisus, quia diuisa mens non impetrat. Fecit etiam pacem inter Angelum & hominem, & inter hominem & hominem, tanquam lapis angularis, faciens vtraque vnum. Oliua est fructuosa, & ab ea procedit oleum. Et Christus nobis attulit plenitudinem charismatum, & ab eo procedit Spiritus sanctus, qui ad modum olei illuminat, pascit, sanat, penetrat, superenatat. Illuminat cæcos, pascit famelicos, sanat ægrotos, penetrat duros, superenatat, quia ad superiora nos eleuat. Præfigurata est autem huius nati pueri solennitas in Helisæo, qui filio viduæ mortuo se coaptans, quem famulus eius per baculum suscitare non potuit, suscitauit. Lex enim data per Moysen, terrorem tanquam baculus incutiebat, sed neminem ad perfectionem ducebat. Verus autem Helisæus, id est, Christus, factus puer per incarnationem & humilitatem, se puero coaptans, eundem suscitauit. Puer autem, id est, genus humanum, septies oscitans per septiformem spiritus reuixit. Hic est puer de quo dixit Isaias: Vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos, id est, qui se per contritionem Deo immolat: & is qui alios cruciat, & is qui in innocentiæ simplicitate perdurat, intra caulas sanctæ Ecclesiæ conuenient sub ducatu pueri, id est, Christi, qui minabit eos. Et iterum: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Quia qui prius fuerat raptor, quiescet in pace cum mansueto, & pardus, id est, peccatorum suorum maculis varius, cum eo qui se despicit & peccatorem fatetur, humiliabitur. Diabolus siquidem quosdam iam absorbuerat, sed Dominus armilla, id est, humanitate assumpta, perforauit maxillam eius, sicut dicitur in Iob, vt eos extraheret. Alios autem vt absorberet, ore dilatato, quasi in cocleari posuerat diabolus. Sed quoniam sicut in vulgari dicitur, Inter os & coclear multa sunt impedimenta: puer effuso cochleari ab ore diaboli, nos liberauit. Et hoc est quod dicitur in Iob: Obstetricante manu sapientiæ, eductus est coluber tortuosus, id est, mediante gratia incarnatæ veritatis, expulsus est diabolus à cauernosis cordibus impiorum. Tortuosus dicitur, quia in rectitudine veritatis non stetit: Lubricus, quia nisi in initio suggestionis ei resistitur, repentè totus ad interiora, dum non sentitur, illabitur. Hoc idem de hoc puero dicit Isaias: Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidum, & in cauerna reguli, cùm fuerit ablactatus manum suam mittet. Non nocebunt neque occident in vniuerso monte meo sancto. Quasi diceret, Christus in corda iniquorum vbi habitat diabolus, qui aspis dicitur, quia occultè sæuit, & regulus, quia apertè ferit, manum, id est, diuinam potentiam mittens, ipsum captiuum extrahet, vt non noceat in monte eius, id est, in Ecclesia. Conformemur igitur huic puero, vt simus paruuli & humiles sine superbia, dulces & benigni sine inuidia, mites & pacifici sine odio & ira: diligentes Patrem Deum, & matrem Ecclesiam sanctam, atque deuoti erga parentes nostros sine acidia. Non cupidi, non nimis anxij aut soliciti, sine auaritia, paucis cõtenti, sine gastrimargia mundi, & cõtinentes sine luxuria. Hęc enim supradicta septem vitiis opposita, quę puer habet per naturã, oportet quod habeamus per gratiã. Nisi enim efficiamur vt pueri, regnũ cœlorũ non intrabimus: nõ fugiamus ab eo seruili timore. Puer enim dulcis & amabilis nõ diu retinet iram, non rennuit modicã satisfactionem. Si autem eum non diligamus tanquã puerũ, aliquando videbimus & timebimus eum tanquã leonẽ & iratum. Licèt autem dulcis sit in patibulo, dulcis in sepulchro, ipse dulcissimus est in præsepio. Vnde cuidam Hæremita dum quęreret de quo cogitare deberet, responsum est diuinitus, Ego sum dulcis in præsepio, dulcis in patibulo, dulcis in sepulchro, dulcis in cœlo. Ipse autem valdè dulcis est & amabilis, dum tanquam puer cogitatur. Vnde in Ecclesiastico: Breuis in volatilibus apis, *Ioan. 2.* *Multipliciter Christi natiuitas prænuntiata est.* *Genes. 1.* *Item 8.* *Item 8.* *Baruch. 3.* *Ephe. 2.* *Isaiæ 27.* *Ephe. 2.* *4. Regum 4.* *De Helisæo & filio viduæ suscitato.* *Ioan. 1.* *Heb. 7.* *4. Regum 4.* *Isaiæ 11.* *De vitulo, leone & ouc.* *Item 11.* *De lupo, & agno, pardo, & hœdo.* *De foratione maxillæ & cochleari effuso.* *Iob 15.* *Item 26.* *Isaiæ 11.* *De propriet. tibus pueri.* *Eccle. 11.*

*De api & dulcedine fructus eius. Matth.13. Mar.4. Lucæ 14. Iob.5. Matth.25. Lucæ 19.*

& initium dulcoris habet fructus eius. Initialis dulcedo cordis est natiuitas huius pueri. Apis autem modica est, & Christus paruulus secundum quod homo : vnde comparat se grano synapis in Euangelio. Hæc apis in aluearibus nouis mellificat, quia corda per gratiam innouata dulcedine sua, replet & satiat. Apis laboriosa est, & otiosa animalia propellendo fugat: & Christus natus ad laborem, seruum à bono opere torpentem damnat. Apis floribus pascitur, & Christus qui pascitur inter lilia virtutum flagrantia delectatur. Apis secundum regulam, & ordinatè cuncta peragit, & Christus Ecclesiam suam regulariter ordinauit. Puer iste natus est non contra nos, sed nobis. Hanc autem cantilenam, hoc canticum nouum, non possunt

*Quod puer non est natus reprobis, sed contra eos natus est. Lucæ 2. 2. Cor. 2.*

verè cantare Iudæi, nec infideles alij : qui dum Christum pro humano genere natum non credunt, & ei de tanto beneficio ingrati existunt, non eis, sed contra eos natus est Christus. Ipse enim positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum. Hanc etiam cantilenam huius, scilicet, Missæ introitum, non possunt verè cantare quidam mali Christiani, qui licèt credant, tamen fidem operibus huic puero negant. Ipse enim qui iustis est odor vitæ in vitam, iniquis Christianis est odor mortis in mortem, quia in bono odore serpentes necantur, & homines recreantur. Sicut autem nato Regis filio, inimici Regis contristantur, amici verò lætantur: serui autem non diligentes dominum, pro nihilo habentes, nec gaudent, nec contristantur: ita de Christi solennitatibus Iudæi & alij incredulj, inuidia tabescentes, contristantur. Mali autem Christiani quasi ex vsu, & quadam atida consuetudine, vel fortè ne hæretici reputentur

*Simile.*

feriantes, potius exultant in ventris repletione, quàm in pueri natiuitate. Amici autem Regis, gaudent in natiuitate noui domini sui. Ipse enim est amor, nec sentitur nisi palato purgati cordis, quia non potest dulcis esse Christus, cui adhuc dulcis est mundus. Hi igitur soli possunt

*Quod huic puero conformari debemus.*

cantare : Puer natus est nobis. Et quoniam puer puerorum diligit consortium, humiliemur pueri, efficiamur vt ei, secundum quod licèt humanæ fragilitati coaptemur. Nos enim cùm ad imaginem Dei facti simus, ei quasi sigillo coaptari debemus, vt in ipso reformemur. Si autem alicuius sigilli imago alij applicetur, semper plus vel minus habens inuenitur, & ita prima imago destruitur. Non igitur mundi vanitatibus vel carnis voluptatibus applicemur, ne imago prima deleatur, vt autem cum puero hoc aliquis puer efficiatur, oportet quod prius concipiatur. Secundò, secretis quibusdam pabulis in vtero nutriatur. Tertiò, in lucem emittatur. Quartò, lactis alimento foueatur, vt sic tandem ad mensam patris accedens cibis solidis vescatur. Sic fidelis quisque in catheciſmo cõcipitur, & de quibusdam quæ ad sui reformationem & redemptionem pertinent, quasi secretis pabulis instruitur : deinde per baptismum nascitur. Postea lac debet sugere de duobus vberibus Ecclesiæ, id est, de duobus testamentis teneram

*Simile. Heb.5.*

*De triplici Christi natiuitate.*

doctrinam, vt tandem ad mensam patris cibum validum valeat sumere. Est autem triplex filij natiuitas: ex patre sine matre nascitur Deus æternaliter: de matre sine patre nascitur homo temporaliter: de mente etiã iusti nascitur spiritualiter. In mente enim concipitur per affectum, nascitur per effectũ, nutritur per profectum: de patre nascitur Deus creator: de matre nascitur Deus redemptor: de mente nascitur Deus iustificator : de patre nascitur sublimitas: de matre nascitur humilitas : de mente nascitur misericordia & veritas: Verbũ æternũ nascitur ex patre: verbum supernum ex matre : verbum in æternum ex mente. Prima natiuitas ex patre mirabilis & incomprehensibilis, sicut scriptum est : Generationem eius quis enarrabit? Vnde prima Missa cantatur nocte, in qua agitur de hac occulta generatione, scilicet, Dominus dixit ad me. Apertè autem est natus ex matre, licèt mirabiliter & miraculosè. Pastoribus enim & multis aliis manifestata est eius natiuitas: vnde Missa tertia quę de hac natiuitate inchoatur, scilicet, Puer natus est nobis, cantatur aperta & clara die. Natiuitas autẽ illa qua nascitur spiritualiter in mente vel ex mente, non est ita occultata sicut prima, nec ita aperta sicut corporalis natiuitas ex matre, vnde secunda Missa, scilicet, Lux fulgebit, quæ agit de mentis illumi-

*Esaiæ 53. De mysterio trium missarum.*

*Mala.3.*

natione per gratiam, in diluculo decantatur. De qua scriptum est: Vobis timentibus Deum, orietur Sol iustitiæ. Sequitur. Filius datus est nobis, igitur diuites facti sumus. Qui enim possessorem omnium habet, in illo cuncta possidet. Auarus autem cui omnium possessor non sufficit, nunquam alia possessione contentus erit. Quid autem nobis negabit, qui seipsum nobis dedit? Hoc est admirabile commertium : Mirabilis mercator accepit paupertatem humanitatis nostræ, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem. Omnia igitur in possessore omnium nostra sunt, omnia nobis seruiunt, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Filius datus est nobis in precium, datus est nobis in cibum siue viaticum, datus est nobis in præmium, vt qui erat principium nostræ creationis, esset precium nostræ redemptionis, viaticum nostræ peregrinationis, præmium nostræ retributionis. Datus est nobis filius, vt superbos humiliaret, inimicos reconciliaret, seruos redimeret, amicos nutriret, filios remuneraret. Est autem natus in Bethleem, nutritus in Nazareth, mortuus in Hierusalem : vt nos in Bethleem, in domo, scilicet, veri panis, id est, in Ecclesia, per gratiam nascamur : in Nazareth, id est, in flore virtutum nutriamur, & sic in Hierusalem, id est, in visione pacis moriamur. Natus autem in præsepio, ponitur tanquam hordeum iumentis. Hordeum parua seges est, tunicata paleis, exasperata aristis. Paruitas significat eius humilitatem: palea nostri defectus necessitatem, quem voluntariè suscepit : aristæ punctiones Iudaicæ persecutionis, quas pro nobis sustinuit.

*De filio dato & multiplici eius datione. Rom 8. Item 8. Esai.9. ex 70. Ad quid datus sit. De locis natiuitatis, nutritæ & mortis. Matth.2. Lucæ 2. Ioan.19. Lucæ 23. Matth.27. Mar.15. De præsepio & ordeo.*

Licèt

Licèt autem in se sit frumentum, nobis tamen est ordeum, qui non possumus plenè gustare eius dulcedinem. Sicut autem per cibum mors intrauit in orbem, ita per hunc cibum mundus recuperauit vitam. Sicut enim corporalis vita sine corporali cibo non potest subsistere, ita nec spiritualis sine spirituali. Nisi enim manducauerimus carnem filij hominis & biberimus eius sanguinem, nō habebimus vitam in nobis. Cibus igitur Angelorum secūdum diuinitatem factus est cibus hominum secundum humanitatem, & ita panem angelorum manducauit homo omne delectamentum in se habentem & omnem saporis suauitatem, sicut in libro Sapientiæ dicitur. Est autem fauus secundum quod cibus hominum: Mel purum secundum quod cibus Angelorum, vinum angelis secūdum quod Deus. Lac hominibus secundum quod homo: vnde in Canticis. Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo. Sequitur: Cuius imperium super humerum eius. Non contemnas puerum, quia paruus & humilis. Ipse enim nihilominus immensus & fortis gigas geminæ substantiæ, portansque omnia verbo virtutis suæ, cuius imperium super humerum eius. Qui appendit molem terræ tribus digitis. Iacet in præsepio, sed fulget in cœlo. In terris plorat, sed in nubibus tonat. Sub matre pannos induit, sed cū patre cœlos condidit. In terris esurit, qui angelos in cœlo pascit, paruoque lacte pastus est, per quē nec ales esurit. Nō habuit, vbi caput suū reclinaret in terris, cuius cœlū sedes est, terra autem scabellum pedum eius. Subditus est matri in terris, cui angeli seruiunt in cœlis. Factus est autē pro nobis panis esuriens, aqua sitiens, vita moriēs, virtus deficiēs, risus plorans. Quā dulces lachrimę pueri vagiētis, quę nobis extinxerūt ignē pœnę infernalis. Quàm dulces panni, qui sanguinē peccatorū nostrorum exterserunt, quàm dulcis fascia, quàm dulcia vincula, quę dæmones, ne nobis nocerent, ligauerunt. Hęc est mulier illa euangelica, quę accensa lucerna inclinauit se in terram, vt dragmam amissam reperiret, sicut nutrix contrahit se & versus puerum se inclinat, & verba sua quasi balbutiendo mutat, vnde ipse dicit per Ozeam Prophetam. Ego nutritius Effraim in brachiis meis portabo illum. Effraim fructificans interpretatur. Est igitur nutritius Effraim, id est, illorum, qui fructificāt in spiritualibus. Ama igitur puerum, time immensum. Cùm ergo audis, puer natus est nobis, confide & spera. Cùm audis, filius datus est nobis, cautus esto, & datum conserua. Cùm audis, cuius imperium super humerum eius, time & adora. Ipse etiam imperium sanguine suo redemptum super se in cruce portauit. Sicut scriptum est: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Pius enim pastor ouem errantem in humeris suis reportauit. Sceptrum etiam imperiale, id est, crucem portauit super humerum eius, de quibus non est modò dicendum. Prohibitum est enim ne coquamus hœdum in lacte matris suę. Puer enim noster adhuc est in lacte, adhuc vbera sugit, non est modò coquendus igne passionis. Iam autem ad aliud ferculum quod aliis delicatius est, vt animæ nostræ plenè saginentur, ne accedamus. Non solum enim humilis & benignus, non solum fortis & immēsus, sed prudens & consiliarius est, vocabitur enim nomē eius magni consilij angelus. Ipse enim de seipso ait: Ego sapientia in consiliis habito, & eruditis interfum cogitationibus. Consuluit enim nobis temporalia contemnere, cœlestia quærere, transitoriis non inhęrere, æterna & vera bona diligere, relinquere miseriam, consequi beatitudinem, commutare ea quæ non possumus retinere pro his quæ non valebimus amittere. Thesaurizate, inquit, vobis thesauros in cœlo, vbi nec tinea, nec ęrugo demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Da, inquit, aquę frigidę calicem: recipe vitam æternam. Da lutum, accipe thesaurum. Da terram, recipe cœlum. Relinque mortem, suscipe vitam. Fuge infernum, intra paradisum. Dimitte laborem, trāsi ad requiem. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ecce quàm magni consilij fuit angelus iste muncius paternæ voluntatis. Non solum autem magni consilij, sed maximi & à seculo absconditi & soli Deo ab æterno prægogniti, fuit angelus consilij, quod fuit vnum de archanis & secretioribus chusi. Cùm enim Deus summè bonus ex summa charitate quam habet, gloriam suam solus habere noller, sed aliis cōmunicare voluisset: Est enim charitas virtus, quæ vult idem bonū aliis quod sibi, prout potest & decet, Deus vt cōmunicaret aliquibus summum bonū, quod ipse est, cùm haberet posse & scire, habuit pariter & velle. Creauit igitur angelicos spiritus multiplices, vt eius beatitudinis essent participes. Et quoniam charitas Dei & benignitas summè ampla absque mēsura & ad omnia protenditur, voluit protendere charitatē suā nō solū ad angelū, sed ad aliā creaturā, quę cōmunē cum omni re haberet vbiq; naturā. Et quoniā summa est in Deo humilitas, vt minima maximis æquarentur, fecit creaturam illam de humillima materia, scilicet, de limo terræ, cui suam cōmunicaret gloriam. Cùm autem angelus nullo instigante, nulla etiā corporis fragilitate excusante, peccaret, peccatū eius prorsus fuit irremediabile. Homo autem luteum habens habitaculum, pronior fuit ad peccandum, & alio instigante, peccans aliquam videbatur habere excusationem. Et quoniam summa in Deo est misericordia, videbatur quod homo, si pœniteret, aliqua satisfactione ad gloriam propter quam percipiendam factus fuerat, reparandus erat. Indignum enim videbatur quod tam digna creatura ad imaginem Dei facta tota periret, ne Deus frauderetur suo proposito, qui propterea fecerat hominem, vt eum cognosceret, cognitum diligeret, & tandem dilecto frueretur. Cùm etiam tota angelica natura non perisset, maximè cùm scriptum sit. Filius non portabit iniquitatem patris. Et iterum: Deus

*Sicut autem per cibum mors, ita per cibum vita. Simile. Ioan. 6.*

*Sap. 16. De fauo & melle vitæ & lacte Cant. 5. Esaiæ 19. De fortitudine & infirmitate. Heb. 1. Esaiæ 40. Matth. 8. Lucæ 2. Esaiæ 66.*

*Lucæ 15. Simile. Oseæ 11. De muliere inclinante se vt dragmam reperiret.*

*Lucæ 15.*

*Exod. 23.*

*Esaiæ. cap. 9. Parab. 8. De angelo magni consilii & eius consilio.*

*Matth. 6. Lucæ 12. Matth. 16. Mar. 8. Lucæ. 9. Matth. 11. Marc. 9. Matth. 11. 2. Regum. 15. De archano & profundo consilio redemtionis nostræ.*

*Quod peccatum angeli fuit irremediabile sed non peccatum hominis. Multiplex ratio pro parte misericordiæ. Genes. 1. Ezec. 18.*

nihil odit eorum quæ fecit, nec vult mortem peccatorum, quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet: nec obliuiscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Quia quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum suarum non recordabitur, quia venit tempus miserendi eius. Ipse enim dicit de se. Sanctus sum non irascar in perpetuum, tu autem scito peccata tua. Et iterum: Si mater oblita fuerit pueri sui, ego non obliuiscar vestri. Præsertim cum misericordia superexaltet iudicium, & iustitia sine misericordia nō virtus esse videatur, sed crudelitas. Homo autē acceperat de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. A planta enim pedes vsque ad verticem non erat in eo sanitas. Et quoniā Deus iam ostēderat potentiā suam in rerum creatione & sapientiam inordinatione & dispositione, debuit ostēdere bonitatē suā in perditorū reparatione. His & cōsimilibus rationibus misericordia superni regis filia vehementer infligabat patrē suum, patrē misericordiarū, & Deum totius consolationis obsecrauit, vt genus humanum restauraret & seruum fugitiuum ad propria reuertentem reciperet. Sed altera eius filia iustitia, scilicet, quasi inflexibilis & erecta, aduersus sororē suā stabat in magna cōstantia, rationibus insuperabilibus patēter ostēdens seruum inobedientem, ingratum, transgressorem, & contumacem, cùm tam facile posset obseruare tam leue mandatum, cum tota eius posteritate, exilio perpetuo fore damnandum. Quantò enim maior est cui infertur iniuria, tantò iniuriosus maiori dignus est pœna. Cùm ergo in infinitum magnus sit Deus, infinita pœna erat homo puniendus, & ita quamliber faceret satisfactionem nondum erat absolutus. Si enim rex temporalis offensus punit temporaliter non iniustū videtur, si rex æternus puniat æternaliter. Prętereà cùm satisfactio sit factū quo non nisi pro reatu tenetur homo, & iuxta dignitatem eius quem reus offendit, debet satisfactio compensari. Deus autem in infinitum dignus sit quidquid homo facere potest, digna satisfactio non est. Et quoniam omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: qui enim facit peccatum, seruus est peccati, non esset digna recompensatio, si seruus restitueretur pro libero. Præterea licet nunquā peccasset homo, tamen & se & quicquid poterat, debebat Deo. Nihil ergo poterat facere, vnde vel se vel aliū posset redimere. Homo enim cùm omnia benefeceris seruus inutilis erit, quod debuit facere, fecit. Qui autem soluit debitum, propter hoc non redimit amissum. Licet autē per pœnitentiam culpa deleretur, perfecta tamē innocentia nō restitueretur. Maximè cū fomes peccati semper remaneat. Et ita quāuis per pœnitentiā culpa posset auferri, tamen propter hoc æternā gloriam non posset promereri. Cùm igitur omnes immundi essent, de immundo concepti semine, & apposuerunt adhuc peccare ei, indignū videbatur, quod Deus ianuam Paradisi, quā per peccatum primi parentis clauserat, reseraret indignis, ne sanctū daret canibus, aut margaritas proiiceret porcis. Quin potius iustitia exigebat, vt redderet vnicuiq; iuxta opera sua, reddēs retributionē superbis. Anima enim quę peccauerit, ipsa morietur. Dominus enim enutriuerat filios, & exaltauerat, ipsi autem spreuerunt eū, & maximè Adā, qui maluit acquiescere volūtati vxoris, quā diuinæ voluntati. Homo enim cùm in honore esset, non intellexit. Et quia cōparatus est iumentis insipientibus, nec voluit in pace manducare panem angelorum: iustū fuit vt in labore & sudore vultus sui manducaret panē doloris, maximè cùm data sit sententia contra eum. Apud Deū verò non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: Vnde semel data sententia, videbatur nō debere mutari propter aliquam hominis miseriam vel pauperitatem, cùm scriptum sit. Non miserearis pauperis in iudicio. Et quia homo in veritate non stetit, ab initio scriptum est autē. Perdes omnes qui loquuntur mendacium, dignus erat homo perditione, maxime qui cùm Deum cognouisset, non tanquā Deum & Dominū glorificauit, sed euanuit in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor illius. Cùm enim nullam haberet in Paradiso cibi penuriam, omnibus aliis cibis sibi concessis, nec corpus haberet corruptibile, quod aggrauaret ipsius animā, quantò cum maiori facilitate peccauit, tanto grauius transgressus est mandatum, & maior in eo contemptus fuit. His & cōsimilibus allegationibus cōsilio veritatis quā secū vocauerat freta iustitia sororis suæ misericordię maximè videbatur resistere. Quid igitur dulcis & benigna pietatis visceribus affluēs, virgo summi regis filia facere poterat misericordiā. Allegationibus superare nō poterat, miseris tamen compatiens eos liberare vehementer cupiebat. Et iam ferè vrgente iustitia à causa decíderat, cum eius comes insperabilis pax, scilicet, quā sibi in auxiliū adiunxerat, pium patrē incitauit vt inter duas sorores non de rigore, sed de æquitate tanquam medius arbiter amicabiliter componeret, ita tamen quod vtrique satisfaceret. Pater autem cum filio suo sapientissimo magni consilij angelo conuocato tertio exigente misericordia, scilicet, spiritu sancto de concordia & compositione tractauit. Nulla autem rationalis creatura poterat inueniri per quam dānum rationalis hominis & ad imaginem Dei facti iuxta recompensationem posset reparari, sed nec aliqua creatura rationalis, vix enim alicui sua sufficiebat iustitia nedum sufficeret vniuersis. Quid enim potest alij mereri, qui quidquid possit, debet suo creatori. Propriè enim quis apud aliquem mereri dicitur cum spontanee pro eo facit quod facere non tenetur. Si enim reddimus quod debemus, absoluimur, sed non nobis, nedum aliis meremur. Prætereà cùm Deus fecerit Adam liberum & nulli, nisi sibi subiectum, si eū Angelus vel alia creatura redemisset, oportet quod redemptori suo subiectus esset. Et ita non cōpetenter satisfactū esset Domino, si seruus alterius redderetur pro libero: maximè cū scriptum sit. Gloriā meam alteri non

Item 3. Esaiæ 49. Iacob. 2. Esaiæ 49. Item 1. Sap. 5. Multiplex ratio & allegoria pro parte iustitiæ. Similc. Ioan. 8. Luc. 17. Iob 14. Matth. 7. Rom. 2. Ezech. 17. Esaiæ 1. Gene. 3. Gene. 3. Iacob. 1. Exod. 23. Ioan 8. Rom. 1. Sap. 9. Qualiter tractatum est de concordia inter iustitiam & misericordiam. Quod nullus potuit redimere genus humanum nisi Deus & homo. Gene. 1. Esaiæ 42.

alteri nõ dabo: Videbatur autem oportunum, si fieri posset, vt homo pro homine satisfaceret, & sicut homo victus fuit, ita homo reuinceret, vt hominis culpam homo deleret. Ratio enim exigit vt frater fratrem adiuuet, & quod alter eiusdem naturæ alteri compatiatur. Præostensum est autem, quod per purum hominem totum genus humanum reparari nõ potuit. Ad hoc autem quod aliquis propriè mereatur, oportet quod sit maior apud quem mereatur. Vnde nec purè Deus potest mereri. Oportet prætereà quod sit actor actionis ad hoc quod propriè mereatur, sicut primus homo propriè demeruit, quia fuit actor peccati. Sed nullus nisi Deus aliquid potest creare. Oportuit igitur quod esset Deus & homo qui damnum restauraret & precium pro vniuersis redderet vel solueret: vt quantumlibet preciosa hostia, quantumlibet sufficiens precium pro vniuersis esset, & sicut per vnius hominis inobedientiã & iniustitiam mors intrauit in omnes: ita per vnius obedientiam & iustitiam vita rediret. Filius igitur sapiens videns quod iustitia læderetur nisi precium sufficiens pro omnibus traderetur, & nisi pœna competens pro peccatis solueretur. Sed iterum misericordiæ non satisfaceret nisi seruum reuerti volentem susciperet, & de condigna pœna aliquid relaxaret pio patre prouidente, spiritu sancto consulente, modum inuenit per quem vtrique sorori satisfecit. Carnem passibilem assumpsit, vt in se pœnam susciperet, & se pro omnibus precium daret. Vt autem veritas Domini manet in æternum, qui ait: Quacunque hora comedes, morte morieris: voluit hominem corporaliter mori, & ita satisfactum est iustitiæ. Seruum verò liberando ad beatitudinem reparauit, & sic misericordiæ satisfecit. Non solum autem inter has duas sorores amicabiliter composuit, sed inter ipsas & earum socias. Misericordia enim & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Quoniam autem pater omnia in sapientia fecit per sapientiam suam, id est, per filium mundum redimere voluit. Nullus enim alius dignus est aperire ianuam Paradisi, nisi leo de tribu Iuda, qui claudit, & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Primi enim parentes propter sapientiam quam concupierunt: mandatum transgressi sunt. Qui autem occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. Vnde nec pater, nec spiritus sanctus, sed solus filius incarnatus est. Ego, inquit, feci, & ego feram. Si propter me orta est tempestas, ait verus Ionas, mittite me in mare. Ipse igitur qui filius erat per naturam, æternaliter factus est filius per gratiam temporaliter. Primus enim homo factus est nec de masculo nec de fœmina. Secũdus, scilicet, Eua de masculo & non de fœmina. Tertius de masculo & de fœmina. Restabat ergo quartus modus vt fieret homo de fœmina, non de masculo: Deus simul & homo: Vt sicut tres sunt personæ in vnitate essentiæ, ita tres essent substantiæ in vnitate personæ, scilicet, corpus, anima & diuinitas: Verus existens mediator inter Deum & hominem, conuenientiã habens cum vtroque extremorũ, vtriusque gerens in vna persona naturam vt neutri parti suspectus esset. Cùm autem ipse sit forma & imago patris & ab ipso sit omnis forma: sicut enim materia cuiuslibet rei aptatur patri & compositio formæ ad materiam spiritui sancto, ita forma specialiter adaptatur filio, competens fuit vt hominem per culpam deformem reformaret. Vicium autem superbiæ per humilitatis virtutem oportuit expiari. Homo enim fieri voluit quasi Deus per superbiam: & Deus factus est homo per humilitatẽ, vt sicut humiliatus est Deus pro homine, creator pro creatura, Dominus pro seruo, ita homo pro Deo, creatura pro creatore, seruus pro Domino humiliaretur. Cũ autẽ homo penitus per se esset insufficiens: præuenit eum Deus per misericordiã, dans homini gratis quod homo ex debito redderet Deo. Et his rationibus vocatũ est nomen eius magni consilij angelus. Nos ergo fratres nouo regi nouum seruitium exhibeamus: humili puero humile hospitium in humilis cordis præsepio præparemus. In compuncti cordis alueolo balneum lachrymarum ei faciamus. In pannis mundis puræ conscientiæ eundem inuoluamus. Brachiis ardentis desiderij puerum amplectentes astringamus: vbera misericordiæ & compassionis ei præbeamus. Deosculemur eum vt reconsiliati ipsi, pacem cum illo habeamus, & in mentis tranquillitate ei seruiamus. Pro filio dato largitori gratias referamus. Innitentes ei, ab humeris eius nunquam recedamus. Si enim nos in ipso proiiciamus, non est ita crudelis vt se subtrahat. Qui enim confidunt in eo, non confundentur. Angelo magni consilij credamus, & eius consiliis penitus acquiescamus, vt spretis fallacibus & transitoriis bonis, ad vera & permansura bona festinemus. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia seculorum secula.

*Quod per filium facta est concordia inter duas sorores.*

*Genes. 2.*

*Quod nec pater nec spiritus sanctus incarnari debuit sed solus filius.*

*Esaiæ 22. Apoc. 3. Esaiæ 45. Ionæ 1.*

*De quatuor modis creationis.*

*De Christo mediatore & eius humilitate & priorum parentum elatione.*

*Luce 15.*

## EODEM DIE, THEMA SVMPTVM de Epistola ad Hebræos,

*Multipharie, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio.* *Heb. 1.*

SICVT audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum. Sicut olim à sanctis Prophetis prænuntiatum in scripturis audiuimus, sic in hodierna die completum videmus in ciuitate Dei, id est, in Maria & in sancta Ecclesia. Lux enim de cœlo refulsit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus. Apparuit hodie benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei. Ex sola enim benignitate incarnatus est Dominus, & factus homo visibilis apparuit mundo

*Tit. 3. De ostensione benignitatis & humanitatis Christi. Apoc. 1. Tit. 2.*

mundo non noſtris meritis, nec ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos. In quo enim poterat magis commendare benignitatem ſuam, quàm ſuſcipiendo carnem noſtram? In quo magis potuit commendare miſericordiam ſuam quàm ſuſcipiendo miſeriam noſtram? Ipſe enim prior dilexit nos, & ex ſola gratia in mundum venit. Maiorem enim nobis gratiam fecit, dum Deus factus eſt homo, & creator factus eſt creatura, vt hominem ſaluaret, quàm ſi homo fieret vermis, vt vermiculum à morte liberaret, ſi iſtud poſsibili homini eſſet. Vnde Apoſtolus in eadem epiſtola ad Titum de hac gratia ſic ait: Apparuit gratia Dei & ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſeculatia deſideria ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo. Gratis enim hodie apparuit Dominus tanquam ſponſus procedens de thalamo, beatæ Virginis deſponſata ſibi humana natura. Niſi enim eſſet verus Deus, non afferret remedium, niſi eſſet verus homo, non præberet exemplum. Ad hoc igitur apparuit vt erudiret nos doctrina & exemplo, & extra ruditatem culpæ & ignorantiæ poneret reformando nos & reparãdo ad imaginẽ ſuã, qui prius impij eramus contra Deũ & iniqui contra proximos noſtros, & ſecularibus deſideriis dediti cõtra noſmetipſos. Ipſe autem ad hoc venit, vt ſobriè quo ad nos, contra carnis voluptatem & iuſtè quo ad proximos reddendo, ſcilicet, vnicuiq; quod ſuũ eſt cõtra iniquitatẽ, & piè quo ad Deũ cõtra impietatẽ viuamus in hoc ſeculo. Hodie igitur apparuit ſimul benignitas & humanitas in Chriſto. Butyrũ enim & mel comedet, quia naturã humanã aſſumpſit & dulcedinẽ benignitatis ſuæ nobis exhibuit ſine caſeo corruptionis & aculeo diſtrictionis. Ex oue enim centeſima, quæ perierat, quã humeris ſuis paſtor pius reportauit, id eſt, ex natura noſtra partem lactis aſſumpſit, id eſt, butyrum partem reliquit, id eſt, caſeum. Bene enim elegit ſeparans pretioſum à vili: ſciens reprobare malum & eligere bonum. Butyrum enim ſine caſeo comedit, quia naturam noſtram ſine peccati corruptione aſſumpſit. Quia igitur non ſolum butyrum, ſed inſuper & mel comedit, dum humanam naturam & diuinam in ſe coniunxit: Vocatum eſt nomen eius non ſolum Chriſtus ſed & Ieſus. Neque enim Chriſtus ſine vnctione, nec Ieſus ſine ſalute hodie nobis apparuit. Cum butyro, ſcilicet, & melle ad nos venit. Veritas enim de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Butyrum de terra naſcitur. Hæc eſt veritas quæ naſcitur de Maria ſecundum humanitatem, & iuſtitia, id eſt, diuinitas iuſtificans peccatores, de cœlo proſpexit. Hoc eſt mel quod de ſurſum venit. Proſpexit enim Dominus de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cœlo in terram aſpexit vt audiret gemitus compeditorum. Deſiderium enim pauperum hodie exaudiuit Dominus ſicut ipſe ait: Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, id eſt, apparebo in carne. Apparuerat ab initio potentia ſaluatoris noſtri in rerum creatione, ſapientia in rerum ordinatione. Apparuit hodie benignitas & humanitas in pueri natiuitate. Ex Deo enim & homine fecit quaſi electuarium, vt ſanaret infirmitates noſtras. Et opem ferret infirmo ſuper lectum doloris eius. Altiſsimus enim hodie de terra beatæ Virginis nobis creauit medicinam. Ex ſaliua & ſputo fecit lutum, vt illuminaret tenebras noſtras. Gloria angelorum factus eſt conſolatio miſerorum. Sicut ipſe per Iob ait: Cùm ſederem quaſi rex circunſtante exercitu, eram tamen merentium conſolator. Sedens enim ad dexteram patris angelorum, exercitu circunſtante, factus eſt merentiũ conſolator, veniens in humilitate & paupertate, ro nabat in cœlis & vagiebat in cunabulis. Sugebat vbera, qui creauit fidera, paſcebatur lacte, qui angelos refecit cęleſti pane. Infans ętate, ſed ęternus deitate. Plorans paruulus ex compaſsione, cùm alij plorent ex paſsione. Lachrymas fundens pro nobis paruulus, tandem fuſurus ſanguinem adultus, pro nobis contra diabolum pugnaturus. Ipſe enim quaſi loricam ad pugnandum induit, dum carnem, in qua ſuperauit diabolũ, aſſumpſit. Ros enim benignitatis & incarnationis eius obuians ardori delectionis eius aquilonem, id eſt, diabolũ humiliauit ſicut in Eccleſiaſtico dicitur: Inclinata eſt igitur ſublimitas, vt noſtra ſublimaretur humilitas. Paruulus datus eſt paruulis, vt magnus aliquando detur magnis. Ortus eſt nobis ſol iuſtitiæ, vt aliquando oriatur nobis ſol gloriæ. Quos enim iuſtificat paruulus, glorificabit excelſus. Natus eſt in ſtabulo, in domo ſtercorum & hoſpitio iumentorum: vt de ſtercore pauperẽ erigeret & non ſolũ homines, ſed inſuper iumenta ſaluaret. Homo enim cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus. Et ideo factus eſt caro vt eſſet fœnum iumentorum: Scriptum eſt enim in Eſaia: Omnis caro fœnum, factus eſt olus infirmorum. Sicut ſcripum eſt in Apoſtolo. Qui infirmus eſt, olus manducet. Factus eſt frumentum hominum, fœnum carnis noſtrę conuertens in frumentum: Sicut ſcriptum eſt. Niſi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Humiliatus eſt igitur vt nos exaltaret: Pauper factus eſt vt nos ditaret, humanatus eſt, vt nos deificaret. Antiquus dierum factus eſt puer, verbum infans. Riſus plorans. Æternus factus eſt temporalis, quem totus non capit orbis, factus eſt localis. Impaſsibilis factus eſt mortalis. Omnipotens infirmus: Immenſus paruulus: Deus noſter factus eſt frater noſter. Suſcipitur enim à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, à diuinitate humanitas, Deus pariter & homo, vt mori poſsit ex vno & reſurgere ex alio: Factus eſt infantulus, vt nos perfecti ſimus, vilibus induitur, vt nos ſtolam immortalitatis recipiamus. Manus & pedes faſcia cõſtringuntur, vt manus noſtrę ad bene operandum & pedes noſtri in viam pacis dirigantur. Mox natus cenſui ſubditur, vt nos ab exactore liberaret. Non fuit ei locus in diuerſorio, vt nobis in domo patris ſui plures manſiones conferret.

*1 Ioan. 1.*

*Tit. 2.*

*Tit. 2.*

*De butyro & melle. Eſaiæ 7. Lucæ 15.*

*Iere. 15. Eſaiæ 7.*

*Bernardus. De comunctione diuinitatis & humanitatis. Eccle. 38. Ioan. 9. Iob. 29. Heb. 1.*

*Collatio virtutis & infirmitatis in Chriſto. Eccle. 18. Sap. 5. Matth. 3.*

*Quomodo ſibi reſpondeat ea quæ Chriſtus in ſe ſuſcepit his quæ nobis cõtulit. Eſaiæ 40. Rom. 14. Ioan. 12.*

*Oppoſita & contraria oſtenduntur eſſe in Chriſto ſecundum diuerſas naturas. Leo Papa. Iterum alia collatio oppoſitorum in Chriſto & in nobis. Lucæ 1. Item 2. Ioan. 14.*

ferret. Peregrè nasci voluit, & in viæ transitu, vt nos per viam veritatis ad patriam nostram reduceret. Pannis inuolutus est, vt nos à laqueis mortis absolueret. Reclinatus in præsepio, vt nos collocaret in cœlo. Viuens temporaliter, vt nos viuamus æternaliter. Nouem autem mensibus in vtero virginis clausus fuit, vt clausos & incarceratos liberaret, & nouē angelorū ordinibus sociaret. Natus est in enim nocte, vt nos à nocte erroris & ignorātiæ eriperet. Infirmatus est vt nos ab infirmitatibus liberaret. In sterquilinio infirmitatis nostrę natus, in stabulo verus Iob sedit, vt testa humanitatis & fragilitatis suę saniem peccatorū nostrorum raderet. Cùm dines esset, factus est propter nos pauper, vt nos inopia sua ditaret. Illius paupertas nostrum est patrimonium. Eius infirmitas nostra virtus est & nostrum munimentum. Infantiæ illius vagientis fletus, sordes nostras abluerunt. Lachrymæ eius delicta nostra lauerunt. A Domino facta sunt ista, & mirabilia sunt in oculis omnium. Ne autem essent incredibilia, multipharie multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: hæc omnia sicut impleta cernimus, prenunciauit. Vnde per Oseā Dominus ait: Ego visionem multiplicaui & in manu Prophetarum assimulatus sum. Multipharie enim, id est, multiplici modo locutionis, multisque modis, id est, multis mysteriis Dominus per Prophetas, quæ futura erant, de filio suo præsignauit, vel multipharie, id est, multis locutionibus multisque modis, id est, multis qualitatibus, quandoque apertè, quādoque occultè. Apertè, vt per Angelum Abrahæ locutus est, dicens: Veniam ad te tempore isto vita comite, & Sara vxor tua habebit filium. Similiter & Moysi præcepta legalia dando. Aliquando verò obscurè vt Moysi locutus est, apparens in igne rubi dixitque illi, ego sum qui sum. Aliquando per somnia, sicut Ioseph in Ægypto, & Danielli in Babilonia. Aliquando per internam inspirationem, sicut Dauid, vt ipse ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Aliquando etiā locutus est apparens in habitu militis, sicut Iosue: Esaiæ verò apparuit quasi in speciem summi regis, sedens super solium excelsum. Et Ezechieli in specie quadruplici, scilicet, hominis, propter natiuitatem vituli, propter passionem & immolationem leonis, propter resurrectionem aquilę, propter ascensionem. In manu etiam Prophetarum, id est, in opere & factis eorū assimilatus est, sicut legimus de Moyse, quod duxit Æthiopissam: & Christus ecclesiam de gentibus peccatis denigratam sibi iunxit. Multipharie igitur multisque modis prenunciauerunt sancti Prophetæ ea quæ de Christo futura erant. Christi enim cōuersatio quasi pictura est & illuminatio sacræ scripturę, quę fere vbique Christū annuntiat, apertè vel obscurè. Vnde & quinq; cortinę in tabernaculo Moysi opere plumario, id est, cū acu factę, fuisse dicūtur. Christus enim acus dicitur, quia in primo aduētu perforatus, in secūdo quasi ex altero capite punget, scilicet, in iudicio. Depinguntur igitur acu, id est, Christo quinque cortinę, per quas quinque libri Moysi designātur. Videamus igitur ex scripturis Prophetarū & reuelationibus sanctorū de natiuitate Domini nostri, de tribu & stirpe, de tēpore & loco & modo natiuitatis eius, & de aliis quæ ad præsentē pertinent natiuitatē, qualiter multipharie multisque modis de his omnibus olim locutus sit Dominus in Prophetis, vt confortemus seras portarum nostrarum. Portæ enim dicuntur exhortationes doctorum. Seras autem portarum confortat, qui quod docet, auctoritatibus confirmat. Vt in ore duorum vel trium testium stet ipsius verbum. Duo testes vetus & nouum testamentum. Tres testes, Lex, Psalmi & Prophetæ. Vnde Dominus in euāgelio Lucę ait: Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Ecce testimoniū in ore triū. Triplex autē funiculus difficile rumpitur. In lege autē, scilicet, in Deuteronomio ait Moyses, Prophetā de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Et paulò post. Ponā verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autē verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existā. Hic est Propheta ille de quo dixit Moyses ad Dominū in Exodo. Mitte Domine quē missurus es. Qui dicitur Propheta, de quo turbę dicebāt. Hic est verè Propheta, qui vēturus est in mundū. In Psalmo autē scriptū est de eo. De fructu vētris tui ponā super sedē tuā. Et iterū: Si Dauid mentiar, semē eius in æternū manebit, id est, Christus. Nā de Salomone intelligi nō potest. Ipse enim recessit à Domino, ergo de illo nō intelligitur, cùm ipse Dominus dicat. Ego primogenitū ponā illū excelsum prę regibus terrę in, ęternum seruabo illi misericordiam meam. Et iterum, & dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, id est, illi in quibus sedet, fulgebunt in regno meo, sicut sol. Et in libro Regum dicit Dominus per Nathan ad Dauid. Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te: quod egredietur de vtero tuo & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum eius regni vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et paulò post: Fidelis erit domus tua & regnum tuum vsque in sempiternum. Hæc de Salomone intelligi non possunt. Salomon enim non post mortem patris, sed ipso viuente regnare cœpit. Regnum Salomonis non est dilatatum. De Christo ergo intelligitur, de quo idem Propheta ait: Distulisti Christum tuum. Quis enim est iste cuius domus fidelis est & regnum eius vsque in æternum, nisi Christus? Domus enim Salomonis plena fuit mulieribus alienigenis, & ipse ab eis seductus in peccatum idolatrię deiectus est. Non solum autem in lege & Psalmis, sed in omnibus Prophetis, de Christo & eius natiuitate prænuntiauit spiritus sanctus. Esaias enim ait: Propterea dabit Dominus vo-

*Iob. 2.* *2. Cor. 8.*

*Heb. 1.* *Osee 12.* *De multiplici Dei locutione.*

*Gene. 18.*

*Exod. 3.* *Gene. 40.* *Dan. 10.* *Iosue 5.* *Esaiæ 6.* *Ezech. 1.*

*Osee 12.*

*Exod. 2.*

*Item 28.*

*Deut. 18.*

*Luce 24.* *Eccle. 4.* *Deut. 18.* *Testimonia de natiuitate ex diuersis scripturis.* *Exod. 4.* *Ioan. 6.*

*3. Regum 11.*

*Matth. 13.*

*2. Regum 7.*

*Apoc. 22.* *Heb. 1.*

*3. Reg. 11.*

*Esaiæ 7.*

nus vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Nisi manens virgo peperisset, nō esset
*Isre.31.* signū nec nouū. Et Ieremias ait: Nouū faciet Dominus super terrā, femina circundabit virū gre
mio vteri sui. Solus Christus fuit vir in matris vtero vsum habēs rationis. Aliter nō esset nouū.
*Baruch.2.* Ieremias autē in libro qui dicitur, Baruch sic ait: Hic est Deus noster, non ęstimabitur alius ab
eo. Et paulo post. Post hęc in terris visus est, & cū hominibus cōuersatus est. Et Zacharias: Ecce
*Zach.6.* vir oriēs nomē eius, & subter eū orietur, & ędificabitur templū Domino & ipse portabit gloriā,
*Gene.22.* & sedebit & dominabitur super solio suo. Quod autē ex semine Abrahę nasciturus esset Chri-
*Quod de stirpe Abrahæ natus est Christus.* stus patet ex eo quòd dictū est Abrahę. In semine tuo benedicētur omnes gentes. Propterea &
*Item 49.* Dauid ait, benedicētur in ipso omnes tribus terrę. Quod vero de tribu Iuda patet ex eo quod
*De tribu Iuda ortus est Christus.* Iacob in benedictionibus filiorū suorū ait: Nō auferetur sceptrū de Iuda & dux de femore eius
*Dan.10.* donec veniat qui mittēdus est, & ipse est expectatio gentiū vsque ad transmigrationē Babylo-
nis: fuerunt reges de Iuda, & inde duces de tribu Iuda vsq; ad hircanū, & statim post circa Chri
sti tēpora defecerūt vtrique, & tūc regnauit Herodes alienigena, quia iam venerat qui mittēdus
erat, id est, Christus. Quemadmodū Daniēl prædixerat. Cùm venerit sanctus sanctorum, cessa-
bit vnctio vestra. Si igitur Christus non venit, demonstrent Iudęi vnctionem suam. Ipsi au-
tem mendaciter dicunt nescio quem regem de tribu Iuda in extremis partibus orientis reg-
num tenere, quod est manifestè contra Prophetiam Oseæ, qui ait: Dies multos sedebunt filij
*Oseæ 3.* Israēl sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.
Post hæc reuertentur filij Israēl & quærent Dominum Deum suum & Dauid regem suum,
& pauebunt ad Dominum & ad bonum eius in nouissimo dierum, hoc est in fine quando
*Dan.9.* filij Israēl conuertentur ad Dominum. Sed dicunt Iudęi quod ea quæ superius de Christo di-
*Probatur auctoritate Danielis Messiam venisse & 70. ebdomadæ abbreuiatæ completæ sunt.* cta sunt nondum impleta sunt. Audiant ergo Danielem dicentem. Septuaginta ebdomadę
abbreuiatę sunt super populū tuum & super vrbem tuam sanctā, vt consumetur præuaricatio
& finē accipiat peccatū & deleatur iniquitas & adducatur iustitia sempiterna & impleatur visio
& Prophetes & vngatur sanctus sanctorum. Quæ, scilicet, septuaginta ebdomadæ si à tēpore
Danielis enumerētur, & proculdubio sanctus sanctorū qui est Christus olim venisse cognosci-
tur. Ebdomadę enim sacris eloquiis septem annis terminantur testante domino ad Moysem.
*Leuit.25.* Numerabitis septem tempora ebdomadas annorum. Septuagnita autem ebdomadę abbreuia-
*Quod de semine Dauid ortus est Christus.* tę dicuntur anni duodecim mensiū lunarū quadringenti nonaginta. Longe autem plures anni
*Iere.23.* iam fluxerunt à tempore Danielis. Patet igitur quod Christus iam venit & omnia prædicta de
*De loco vbi natus est Dominus.* Christo sunt impleta. Quod autem de semine Dauid ortus sit Christus patet ex verbis Iere-
*Mich.5.* miæ dicentis. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum & regna-
bit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. De loco autē natiuitatis eius
dicit Micheas Propheta. Et tu Bethleem Effrata, paruulus es in milibus Iuda: ex te enim egre-
dietur qui sit dominator in Israēl, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Bene autem
*Matth.2.* in Bethleem nascitur verus panis qui de cœlo descendit, qui in visceribus virginis igne spiritus
*De Nazareth vbi nutritus est.* sancti coctus fuit. Bethleem domus enim panis interpretatur. In viculo autem Iudææ nasci-
*Esaiæ 11.* tur vt ex humilitate loci ostenderet humilitatem propriæ infirmitatis. Nutritus autem fuit in
*Simile.* Nazareth sicut prædictum erat per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur, hoc tamen in
nostra translatione nusquam reperitur, sed in translatione septuaginta dicit Esaias: Exiet vir-
go de radice Iesse, & Nazareus de radice eius ascendet. Nazareth autem germen vel flos in-
terpretatur: Christus enim fons est, & origo totius boni, sicut flos vel germen principium est
fructus. Et quoniam flos delectat, panis confortat, pax tranquillitatem parat, bene natus est in
*De præsepio & diuersorio.* Bethleem, nutritus in Nazareth, mortuus in Ierusalem, qui delectationem, confortationem &
*Esaiæ 1.* pacem siue contemplationis somnum fidelibus suis tribuit. Natus autem reclinatus est in præ-
*Abac.3.* sepio inter bouem & asinum, vt adimpleretur quod scriptum est. Cognouit bos possessorem
suum, & asinus præsepe Domini sui. Et Abacuc ait secundum septuaginta. In medio duorum
animalium cognosceris. Spiritualiter autem in medio duorum animalium cognitus est Chri-
stus, id est, in medio duorum testamentorū, aut etiam ad literā, in medio duorū latronū, aut in
*Heb.13.* medio Moysi & Heliæ in transfiguratione. Diuersorium autem dicebatur domus publica,
quæ inter duos muros duas habebat ianuas. In via autem, & peregre nasci voluit Dominus,
vt ostenderet quod non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. In
duro præsepio tenella eius membra posita sunt, vt carnis delectationem condemnaret. Nasci-
tur in stabulo, cuius est terra & plenitudo eius, vt tu in palatiis non delecteris. Si enim
Rex angelorum semetipsum exinaniens in angusto præsepio reclinari voluit, quomo-
*Lucæ 2.* do tu vermiculus inflaris & intumescis & ingentia palatia in superfluitate & vanitate
metiris? In præsepio etiam reclinatus est, vt fœnum esset siue esca iumentis. Sicut scrip-
tum est. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Pulli cor-
uorum post Baptismum rore cęlesti nutriuntur, donec cadaueribus vitiorum alliciantur.
In præsepio reclinatus est, quia non erat ei locus in diuersorio. Nec alium locum habuit fi-
*De diuersis hospitiis Christi.* lius hominis, vbi caput reclinaret, vt commendaret paupertatem & vituperaret ædificiorum
*De vilitate pannorum.* superfluitatem. Primum autem eius hospitium fuit virginitas, & primum reclinatorium vir-
ginis humilitas. Post tumultum enim angelorum in cœlo, & hominum in terra fecit sibi Do-
minus reclinatorium, vt requiesceret in virgine paupercula. Secundum fuit vile præsepium.

Tertium

Tertium crucis patibulum. Quartum sepulchrum alienum. Pannis etiam vilibus inuolui voluit, nō purpura vel sericis, vt nobis ostenderet exemplum humilitatis. Panni enim paupertatem & vilitatem insinuant: Vnde & pauperes pannosi dicuntur. Vnde & angeli ad pastores dixerunt. Hoc erit vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum. In signum enim pau pertatis positi sunt panni infantis, sed in signum cui à multis hodie contradicitur. In signum etiam salutis nostræ, positi sunt panni, vt qui per superbiam cecidimus, per aliam viam, scilicet, per humilitatem, reuertamur, Christi enim panniculi non prosunt superbis in purpura & sericis ambulantibus, sicut nec eius præsepe prodest amantibus primas cathedras in synagogis, nec eius lachrymę cachinnantibus, nec eius infantia garrulis, nec ipsius cunabula, lasciuientibus in stratis mollibus & lectis eburneis. Inuoluamur igitur & nos panniculis, nam in sacco vili plerumque securius conseruatur pecunia, quàm in panno pretioso. Adornemus thalamum nostrū humilitate & paupertate, his enim panniculis, plusquā sericis delectatur puer Christus inuolui. De tempore etiam natiuitatis pueri, non siluerunt sancti Prophetæ. Natus est enim media nocte sicut in libro Sapientiæ dicitur. Dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo patris, id est, verbum Dei de cœlo venit. Et Dominus per Dauid ait: Ex vtero ante luciferum genui te. Ex vtero enim Virginis Dominus eum genuit, id est, nasci fecit, de nocte antequam de stella matutina oriatur. Propterea Psalmista ad literam ait: Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Idcirco autem de nocte nasci voluit, vt ostenderet quod venerat illuminare sedentes in tenebris & in vmbra mortis. Vnde & nox illa ab angelo dies appellatur: Euangelizo, inquit, vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator. Hodie dicit, nō hac nocte, quia nox, teste Psalmista, sicut dies illuminabitur. Illuxit enim nobis dies redemptionis nostræ, reparationis antiquæ fęlicitatis ęternæ. Vnde Psalmista ait: Benedictus qui venit in nomine domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Vnde & cum claritate magna angelus apparuit, cum ante Christi natiuitatem nusquam angelos cum claritate legimus apparuisse, vt non solum voce sermonis, sed & diuinæ lucis claritate ortus veri solis ostenderetur. Pastoribus autem vigilantibus supra gregem, Angelus apparuit simplicibus, scilicet, & humilibus, non diuitibus & superbis, vigilantibus, non torpentibus & pigris. Vnde & ipsi statim fidem adhibentes dictis angeli, perrexerunt festinanter. Qui Iesum vult inuenire, non torpeat, sed ad ipsum quærendum cum omni diligentia festinet. Pastoribus autem & regibus, Rex & sacerdos nunciatur istis per angelum, illis per stellam. Nunciatur autem Christi natiuitas pauperibus & humilibus. Dominus enim maluit eligere idiotas quàm sapientes, pauperes quàm diuites, piscatores quàm Imperatores. Si enim Dominus ab initio Philosophis & literatis & oratoribus verbum fidei committeret, potius asscriberetur eloquentiæ eorum, quàm gratiæ diuinæ, & ita euacuaretur humilitas crucis Christi. Summi verò pastoris natiuitas, pastoribus nunciatur, vt per hoc quales esse debeant Ecclesiæ pastores insinuetur. Per noctem enim præsens seculum, per pastores, sacerdotes, & Prælati intelliguntur, qui supra gregem ouium sibi commissarum vigilare debent, vt gloriam Dei mereantur intueri. Et nos quinque oues sensuum nostrorum vigilanter & studiosè conseruemus, & super gregem cogitationum & actionum nostrarum vigilemus, vt in Christi natiuitate gaudeamus. Non solum autem nocte, sed etiam in hyeme & frigoris asperitate nasci voluit Dominus. Mundus enim frigidus & obscurus, igne pariter & lumine indigebat. Vt autem ostenderet quod ad laborem nasceretur, contra carnis suauitatem elegit hyemis asperitatem, huiusmodi enim tempus pauperibus est importunum. Natus est noctibus incipiētibus decrescere, quia per eius natiuitatem crescit lux cognitionis, decrescunt tenebrę ignorantię & obscuritatis. Natus est autem Dominus nocte dominica, conceptus enim fuit feria sexta octauo calendas Aprilis. Quotiens enim annuntiatio Domini est feria sexta, natiuitas est die dominica. In huius autem rei significatione nocte descendebat manna de cœlo in deserto. Vnde in libro Numeri dicitur. Cùm descenderet super castra nocte ros, descēdebat pariter & manna. Manna autem quod erat in similitudine roris vel pruinæ, Christum significat, qui refrigerauit & fęcundauit terram Ecclesiæ. Vnde Salomon ait: In hilaritate vultus regis, vita & clementia illius quasi imber serotinus. Hilarem enim vultum ostendit Dominus humano generi in natiuitate, & affectum clementiæ suæ. Bonum enim & hilarem vultum nobis ostendit, dum seipsum nobis tribuit. Clementia autem eius qui pro nobis dignatus est nasci, dicitur imber serotinus, qui scilicet, perducit segetes ad maturitatem. Et Dominus in vespere mundi venit, & bona serotina contulit. Matura autem fuit messis ęternæ retributionis, quia statim eam colligimus. Antiqui autem Patres quasi imbrem temperaneum habuerunt, & non serotinum, qui diu in limbo inferni expectauerunt. Ipsi enim prius seminauerunt, sed vsque ad tempus plenitudinis in quo Christus tanquam imber serotinus messem ad maturitatem perduxit, metere non potuerunt, vel dicitur temperaneus imber conferens gratiam, serotinus verò conferens gloriam. Quod autem nocte nasciturus esset Dominus, innuit Esaias: dicens se propter Syon nō tacere, donec accendatur vt lampas saluator noster. Nocte enim lampades accendere solemus. Christus autem lampadi cō paratur, in quo fuit vitrum fragilitatis nostræ secundum carnem. Iuncus autem accēsus est, seu lychnum anima eius, oleum charitatis, ignis diuinitatis. Nasci enim voluit Augusto imperāte, Herode autem in Iudea regnante. In die enim crudelitatis nascitur pietas, temporibus tyranni nas-

*Item 2. Bernardus.*

*Matth. 2. Item 23. Luc. 11.*

*Amos 6.*

*Quando natus sit Dominus. Sap. 18.*

*Luc. 2.*

*Ambrosius.*

*Quod nocte diei dominicæ & hyeme nasci voluit. Iob 5.*

*Exod. 16. Num. 11.*

*Prou. 16.*

*De imbre serotino & temperaneo.*

*Esaiæ 62. Quod Christus lampas dicitur.*

*Quare imperante Augusto & regnante Herode nasci voluit.*

ni nascitur charitas, lumen in obscuro, verbum in silentio. Imperante Augusto, verus Augustus nasci voluit, qui rempublicam vniuersalis Ecclesiæ auxit & ampliauit. Magnificauit enim Dominus facere nobiscum, facti sumus lętantes. Ipse enim augendo, rempublicā crescit in mēbris suis, donec completis & formatis omnibus membris offerat regnum Deo & patri. Vnde & per Ioseph intelligitur in scripturis, qui interpretatur augmētum. Auxit enim gaudiū Angelis, ruinam lapsorum reparando. Auxit gaudium hominibus eos tanquam verus mediator reconcilians Deo. Auxit gaudium matri ipsam sine corruptione fœcundando, quæ gaudia matris habens cum virginitatis honore, ipsum regem angelorum lactabat vbere de cœlo pleno. Auxit gaudium mundo pane cœlesti nos reficiens, sicut Ioseph gaudium auxit Ægypto, illam à fame liberans. Cùm autem pax esset in vniuersō mundo sub vno Imperatore Augusto, & describeretur vniuersus orbis: Christus nasci voluit. Ac si diceret. Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua Deum nemo videbit, vt asscribi mereamur in æterna beatitudine. Ipse enim natus pacem mundo attulit. Recedens verò more peregrini, osculatus est suos, dum eis pacem reliquit. Pacem meam, inquit, do vobis, pacem meam relinquo vobis. Attulit enim pacem reconciliationis, reliquit pacem pectoris, quæ est tranquillitas mentis in conscientia bona, tandem daturus pacem æternitatis. Vnde Propheta Micheas ait: Pax erit in terra nostra cùm venerit. In natiuitate enim iustitia & pax, id est, iustificatio nostra & pax qua sumus recōciliati Deo, sese osculatę sunt in nobis. In natiuitate enim eius exiit edictum à Cęsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. Ad literā autē voluit scire Augustus quot essent in mundo prouinciæ, & quot essent ciuitates in qualibet prouincia, & quot essent in qualibet ciuitate capita, & vnusquisq; profitebatur in Metropoli ciuitate sua persoluens denariū argenteū pro capite suo. Vnde quia Bethleem Metropolis erat in tribu Iuda, ascendit in illam Ioseph cum Maria. Spiritualiter autem & magis proprie ista descriptio totius mūdi conuenit Christo. Nam Augustus nunquam dominatus est vniuersaliter toti mūdo. Profiteri verò debemus in ciuitate nostra, quia non est locus cōfessionis extra ecclesiam. Sicut autē Cæsari soluebatur denarius, qui decem nummos vsuales habebat, in quo impressa erat imago Cęsaris. Ita & nos decalogum Deo soluere debemus, & ipsius imaginem in nobis retinere impressam. Nato autem Domino, mundus describitur, quia electi per ipsum asscribendi erant in æterna beatitudine. Econtra verò de reprobis dicitur. Deleantur de libro viuentium & cum iustis non scribantur. Nos igitur censum deuoti officij æterno regi persoluamus, vt in libro vitæ asscribi mereamur. Non solum autem de loco & tempore natiuitatis Christi, sed insuper de modo mirabili multipharię multisque modis locuti sunt Prophetæ sancti. Esaias enim ait: Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? Quasi dicat, Istud inauditum est nouum & mirabile. Parturitio enim solet prędcedere partum. Tunc enim mulier parturire dicitur, quando infans paulatim & successiuè egredi cum dolore matris nititur. Maria verò antequam parturiret, peperit subitò, scilicet, & sine dolore, antequam veniret partus, id est, parturitio eius, peperit masculū, id est, Christum, nihil fęmineæ fragilitatis habētem. Vel ipse pater antè peperit, id est, filium genuit quem Maria parturiret. Et secundum hoc parturire sumitur pro parere. Pater enim ab æterno peperit filium, quem Maria peperit temporaliter, quod autem pater pariat filium æternaliter, & eundem pariat, id est, parere faciat temporaliter patet ex verbis Esaiæ dicentis in persona patris. Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? Si ego qui aliis generationem tribuo, sterilis ero? Ipse enim pater parit ex se, & parere dicitur ex Maria Virgine, quia partus ille mirabilis opus fuit totius trinitatis. Vnde alibi Esa. ait. Accessi ad Prophetissam, id est, ad Mariam ipsam visitādo, accessit filius illam, ipsam fœcundando, accessit spiritus sanctus ad illā, ipsam sanctificando & ipsi obumbrando. Accessit angelus ad illam, ipsam salutando. Accessit Propheta ad eam partum eius mirabilem in spiritu prævidendo. Concepit autem filium credendo, & dictis angeli consentiendo. Propter hoc de Christo dicitur. Introiuit per aurem Virginis in regionem nostram. Auris Virginis, auditus fidei eius dicitur, & exiuit per auream portam, id est, per Mariam, quę porta fuit per quam Christus ad nos venit, de qua Ezeghiël ait. Hæc porta clausa erit & non aperietur: & vir non trāsiet per eam, quoniā Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi. Clausa siquidem fuit quæ sine viri contactu concepit. Clausa fuit quæ in publicū nō processit. Vnde angelus solā illam inuenit: Dominus autē Deus Israël ingressus est per portam illam quę clausa fuit & reseruata principi Christo, qui per eā introiuit ad nos, vt pugnaret contra diabolum. Cuius Christi nomen vocatum est, Accelera, velociter enim currit sermo eius. Modico enim tempore vniuersum mundū repleuit prædicatione. Vocatum est etiā spolia detrahere, festina prædari. Ascendens enim in altum captiuā duxit captiuitatē, & deprædatus est infernum. Cùm ergo fructu veniente flores soleant decidere: in sola Maria flos virginitatis cum fructu fœcunditatis permansit. Pulchra in flore virginitatis, pulchior in fructu fœcunditatis, pulcherrima in partu Dei & hominis. In flore placens Deo per virginitatem, in fructu reficiens animas per saturitatem, in partu subueniens mundo per fœcunditatem. Gloria enim Libani, id est, candoris & virginitatis, data est ei cum fructu fœcunditatis. Irriguum superius & inferius, pater eius illi dedit, dum Deum paruit & hominem genuit. De rore enim cœli & pinguedine terræ ipsius benedictio fuit: Facta est enim quasi nauis institoris de

longè

*1. Cor. 5.*

*Heb. 12. De multiplice pace.*

*Micheæ 5. Lucæ 2.*

*Simile.*

*De mirabili modo natiuitatis. Esaiæ 66.*

*Esaiæ 66.*

*Item 8.*

*Lucæ 1.*

*De porta auria. Ezech. 44.*

*Esaiæ. 8 De flore & fructu in Maria. Item 35. Ioelis 1. Iudic 1. Parab. 31. Quod Maria naui institoris comparatur.*

longè portãs panẽ suũ, sicut Salomõ ait. Eua quasi nauis cõfracta & submersa fuit. Beata autem Virgo nauis integra fuit, cum velo charitatis, & anchora spei, & gubernaculo discretionis & humilitatis, transiens mare huius seculi. Vidit Deus Pater seruũ suũ quasi freneticum & insanum sese præcipitasse in profundũ, misericordia motus, misit filiũ suũ, vt cum integra & secura naue maris fluctus ingrediens, hominẽ naufragũ ad portũ salutis perduceret. Fuit igitur Maria quasi nauis institoris, id est, Christi, qui tanquã mercator lucrum desiderãs, multis se periculis exposuit. De longè autem panem suum portauit, quia de cœlo panem Angelorum in vtero suscepit. Natus est igitur Dei filius ex Maria absque humano semine, & sine vlla corruptione, tanquam vermiculus ex terra, odor ex nuce, scintilla ignis ex silice, fructus ex arbore, radius ex Sole. Vnde Psalmista ait: In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Beata siquidem Virgo non solùm Stella, per quam dirigimus cursum in hoc mari, non solùm Luna, vt ad eam currant peccatores, qui sunt in nocte, & peccatorum obscuritate, non solùm aurora illuminans, incipientes post noctem, sed etiam Sol dicitur, perfectos illuminans, qui feruent in meridie charitatis: pariens radiũ, id est, filium, sine sui corruptione: modicas maris guttas dulcorando attrahens, id est, humiles peccatores sursum leuans, omnem rationalem & puram creaturam transcendens, sicut Sol super omnem irrationabilem creaturam obtinet præeminentiam, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. In calore Solis, attende Virginis charitatem: in rotunditate, integritatis illius perfectionem. Sol per loca polluta impollutus transit: & beata Maria virgo, pollutum mundum impolluto calle pertransiit. Sol iste passus est eclipsim doloris in morte filij sui. In hoc Sole posuit Dominus tabernaculum suum in incarnatione, & ipse tanquam sponsus processit de thalamo suo in natiuitate. Beata Virgo tabernaculũ veri dicitur Moysi, habens in se vrnã auream, id est, filium, in quo fuerunt manna refectionis, virga correptionis & directionis, & tabulæ testamenti cum Deuteronomio, quia vtriusq; testamenti habuit scientiã. Cortinę pictę tabernaculi, Virginis castitas, & virtutum varietas: saga cilicina, vitæ eius asperitas. Pelles rubricatæ, quia dictum ei: Tuam ipsius animã pertransibit gladius: quando, scilicet, in morte filij Luna versa est in sanguinem: gladius enim mortis filij eius, reputatus est ei in martyriũ. Pellis autem hiacinctinæ in hoc tabernaculo fuerunt per contemplationem & cœleste desiderium. In ea igitur fuit omnis plenitudo virtutũ. Multæ enim filiæ cõgregauerunt diuitias, hęc autẽ supergressa est vniuersas. Fuit enim Sara maturior, Rebecca sapientior, Lya fœcundior, Rachele gratiosior, Anna deuotior, & castior Susanna. In qua cedrus alta cum ysopo, leo cum agno seu oue, diuinitas cum humanitate pariter habitauit. Hæc est mulier illa amicta Sole, quam in Apocalypsi vidit Ioannes, architecta & protecta propitiatorio, quæ Luna plena fuit in conceptione, sed in Solem conuersa est, in filij natiuitate. Ecce quàm mirabilis & ineffabilis modus natiuitatis Christi, cui Pater testimoniũ perhibuit, non solũ per scripturas sanctorũ Prophetarũ, sed insuper per scripturas Gentilium, vt irrationabiles & infideles homines, qui sanctis scripturis non credũt, saltem per suorum scripturas conuerterentur. Balaam enim Ariolus de Christi natiuitate dicit: Orietur Stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab: principatus, scilicet, & potestates, affigens eas cruci. Sibylla etiam inter alia multa, quæ de Christo prophetauit, ait: Iudicij signum, tellus sudore madescet. E cœlo Rex veniet per secula futurus, scilicet, in carne præsens, vt iudicet orbem. Et Poëta doctissimus Virgilius, imminente Christi natiuitate, ait: *Iam noua progenies cœlo dimittitur alto.*

*Quod Mariæ soli, lunæ, & stellæ atque auroræ comparatur.*

*Quod Mariæ dicitur tabernaculum & de his quæ in tabernaculo continentur atque ornamentis eius.*

*Ad Heb. 9.*
*Idem 9.*
*Exod. 26.*
*Luc. 2.*
*Exod. 25.*
*Parab. 31.*
*Apoc. 12.*

*De testimonio gentilium & signis præcedentibus Christi natiuitatem.*

*Num. 24.*
*Virgilius.*

Viderat enim Augustus Cæsar stellã in cœlo, in similitudinẽ virginis partũ gestantis. Templum etiã pacis Romæ corruit, de quo prædictũ erat Romanis, quòd permaneret donec Virgo filium pareret. Fons etiam olei, vt dicitur, in die natiuitatis Christi emanauit in vrbe: ibi enim Dominus hęc signa ostẽdere voluit, vbi caput fidei Christianæ fore disposuit. Nõ solùm autẽ à veteri testamento, sed à nouo Dominus noster voluit habere testimoniũ. Ante natiuitatẽ ab Angelo dicente: Concipies & paries filium, & vocabis nomẽ eius Iesum, id est, Saluatorem: quasi diceret: Non purus erit homo, sed & Deus. Et ab Elizabeth, quæ beatæ Virgini dixit: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Et à viro eius sancto Zacharia, qui ait: Et tu puer, Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini. Et iterũ: Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. In natiuitate verò testimoniũ habuit ab Angelo, dicente pastoribus: Annuntio vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus, in ciuitate Dauid. A pastoribus etiã testimonium habuit: Omnes enim qui audierunt mirati sunt de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, donec tempus esset, quo Deus hæc diuulgari vellet. Conferebat autem in corde hæc, quæ acta viderat, his quæ agenda legerat. Multas enim de Christo legerat prophetias, quas impletas in se cognouerat. Cuiusmodi est ista: Ecce Virgo concipiet & pariet filium. Et iterum: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Quid flore mundius? quid virga nitidius? Virga sine macula procedit, flos de virga sine corruptione prorumpit. Hæc omnia beata Virgo in se completa cognouit. Habuit autem postmodum testimonium à tribus Magis dicentibus: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Habuit testimonium à stella, quæ illis apparuit. Habuit testimonium à Symeone & Anna. Habuit testimonium à Ioanne, dicente:

*De testimoniis noui testamenti.*

*Matth. 1.*
*Mar. 2.*
*Item 1.*
*Luc. 2.*
*Esaiæ 7.*
*Esaiæ 11.*
*Matth. 2.*

*Ioan 1.* Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Habuit testimoniũ à spiritu sancto descendente super eũ in specie columbæ. Deinde testimoniũ habuit ab ipso patre, dicẽte: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipsum audite: Quasi diceret: Nõ iam pœnitet me fecisse hominem. Vnde beatus Petrus in epistola canonica: Accipiens enim à Deo patre honorem & gloriam, ad eum voce delapsa huiusmodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Habuit igitur testimonium à Patre in baptismo, & in transfiguratione, & imminente passione cũm oraret, venit enim vox de cœlo, dicens: Et clarificaui & clarificabo, sicut legimus in Ioanne. Multipharie igitur, multisque modis testimonium perhibuit Pater de filio, tam in veteri quàm in nouo testamento, vt in ore horum duorum testium, staret omne verbum. Sed & filius secundum quod Deus, testimonium perhibuit de se, secundum quod homo: propterea ipse ait: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater. Vnde Apostolus in hodierna epistola dicit: Multipharie, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis, locutus est nobis in filio: sicut scriptũ est: Deus Deorum locutus est, & vocauit terram. Et per Esaiam ait: Quia ego qui loquebar, ecce adsum. Quantus autem sit testis iste, multipliciter ostendit, præferens ipsum Angelis & omni puræ creaturæ, ostendens ipsum esse filium Dei, & consubstantialem Patri, qui dignatus est homo fieri, & nasci pro nobis, vt quãtò pro nobis qui tantus est, humiliare se voluit, tantò illum amplius diligamus, ne tanti beneficij ingrati simus. Quem cõstituit, inquit, hęredẽ vniuersorũ, id est, Dominũ omniũ. Sicut scriptum est: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Et iterum: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Per quem fecit & sęcula. Omnia enim per ipsum facta sunt. Et Dauid ait: Verbo Domini cœli firmati sunt. Et iterũ: Omnia in sapiẽtia fecisti. Et in Parabolis dicitur de sapientia: Quando appendebat fundamẽta terræ, cum eo eram cuncta componẽs. Sequitur in Apostolo de vtraq; eius natura: Qui cũm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, purgationẽ peccatorum faciens, sedet ad dexterá Maiestatis in excelsis. Filius splendor gloriæ, id est, Patris appellatur. Per splendorem enim filius, per gloriam pater designatur, quia per filium suum tanquam per splendorem dignatus est semetipsum pater ostendere. Sicut autem splendor coæuus est igni, sic filius coæternus est patri. Qui filius candor est lucis æternæ, lumen de lumine, imago patris & speculum. Figura autẽ substantiæ eius dicitur, quia per ipsum pater manifestatur. Dicitur autẽ figura substantiæ, quia æqualis est patri, & eiusdẽ cum eo substantiæ siue naturæ. Portãs omnia verbo virtutis suę, id est, verbo potentię, & iussionis suę omnia gubernãs. Portãs verbo, id est, seipso, vel facile suo imperio. Sicut enim ex nihilo creauit omnia solo verbo, ita solo verbo continet & gubernat, ne in nihilum redigantur. Magna enim virtus est repugnantia in concordia conseruare. Et cùm tantus sit, mortuus est pro te. Purgationem peccatorum faciens, hoc ad eius humanitatem refertur. Vnde Ioannes ait: Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Posteà verò ascendens in cœlum, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, quia super omnem Angelicam naturam constitutus est in gloria patris, & in potioribus eius bonis. Confessus autem ad dexteram, intelligi potest honor æqualitatis & æqualitas honoris: purgationem peccatorum faciens. Ecce humanitas, vtilitas, & benignitas. Sedens ad dexteram. Ecce diuinitas & maiestas. Posteà verò prœeminentiam eius ad Angelos multipliciter ostẽdit Apostolus. Quanta enim est differentia inter nomen filij & serui, tantò maioris est dignitatis præ Angelis. Illi enim ministri, iste proprius filius & hæres. De isto dicit Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et iterum in libro Regum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, id est, ad honorem meum. De Angelis autem dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Spiritus enim facit Angelos, id est, nuntios & ministros, & flammam ignis, id est, præcipuè hos qui sunt de ordine Seraphin, qui interpretatur ardens, facit ministros suos, vel ministros suos, scilicet, Angelos, facit flammam ignis, quando ad vindictam exercendam mittuntur, sicut contra Sodomitas. Ostendit iterum Apostolus aliam præeminentiam, dicens: Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Introducit primogenitũ, id est, introducendũ dicit Christũ venturum, scilicet, in mũdum. Prius enim erat in mundo, secundũ diuinitatẽ. Dicitur autẽ iterũ introductus, quia visibiliter apparuit mundo secundũ humanitatẽ. Si autẽ Angeli adorãt eum, eius iussioni obtemperãres, profecto maior est Angelis & Dominus eorũ, qui sedet super Cherubin, & præsidet Angelicis potestatibus sine fine. Thronus enim eius in seculum seculi, vel thronus, id est, iudiciaria & regalis potestas, quia quicquid constituit, non immutatur, sicut ostendit Apostolus per diuinam scripturã, quæ Regem & Sacerdotẽ, & Deum appellat ipsum. Regem, vbi ait: Virga æquitatis virga regni tui. Siue virga directionis, id est, sceptrũ & gubernatio regni tui, est virga æquitatis, quæ iustos regit, & iniquos percutit: virga directionis, quæ distortos dirigit. Deum appellat, vbi ait: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. In quo pariter & Regẽ & Sacerdotẽ eũ ostendit. In cuius figura Reges & Sacerdotes in veteri testamẽto vngebantur. Vnctus est autẽ Christus, secundum quod homo, vngens secundum quod Deus, vnctus oleo lætitiæ, puritate conscientiæ & plenitudine gratiæ, præ consortibus tuis, id est, Apostolis & aliis sanctis. Spiritus enim non est datus ei ad mensuram, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & de plenitudine

*Expositio literæ.*
*Esaiæ 52.*
*Ad Heb.1.*
*Psal.2.*
*Matth.24.*
*Ioan.1.*
*Para.9.*
*Ad Heb.1.*
*Quod filius splendor dicitur & figura patris.*
*Simile.*
*2.ad Cor.4.*
*Apoc.1.*
*ad Heb.1.*
*2.Regum 7.*
*ad Heb.1.*
*Apoc.21.*
*De vnctione Christi.*
*Ioan. 1.*

nitudine eius nos omnes accepimus. Ostendit præterea Apostolus aliam præeminentiã Christi ad Angelos, Christus enim creator est omnium creaturarum, vnde & creator est Angelorum. Ante Luciferum enim, & ante omnes creaturas genitus est à patre, & cum eo cuncta creauit. Quod ostendit Apostolus per auctoritatẽ Psalmistæ dicẽtis: Et tu in principio Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. In principio, quia æternitate omnia præcedit, per terram omnia corporalia, per cœlum omnia spiritualia intelligimus. Angeli igitur sancti adorãt eum tanquã Dominum & Creatorẽ suum, ascendentes & descendentes super filium hominis. Ascendentes ad diuinitatis contemplationẽ: descendentes ministrantes Christo homini, & eius natiuitatem cum gaudio annunciantes. Antequã Christus fieret homo, Abrahã, Loth, & Iosue, Angelos adorant, nec prohibentur: Christo autẽ incarnato, Ioannes Angelũ voluit adorare, & prohibetur ab Angelo, dicẽte: Vide ne feceris, cõseruus tuus enim sum, & fratrũ tuorũ. Naturam enim nostrã quam priùs despexerãt, postquã supra se assumptã & eleuatã conspiciunt, prostratum videre pertimescunt, nec habere dedignantur hominẽ socium, qui supra se adorant hominem Deum. Adoremus igitur & nos cum Angelis sanctis puerum natum, qui cùm esset Dominus Angelorum, fieri dignatus est pro nobis frater & socius hominum. Transierunt pastores vsque Bethleem: transeamus & nos mentis desiderio vsque in domum superni panis, non manufactam. Viderunt eum in præsepio vagientem: videamus & nos in patris solio regnantem, vt inebriemur ab vbertate domus Domini, id est, à fœcunditate misericordiæ. Hodie enim beata Virgo clamat ad nos: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Vbi enim nubes stat, id est, in ipsius natiuitate debemus castra & tentoria nostra figere. Buccinate igitur in neomœnia tuba, in insigni die solẽnitatis nostræ. Hodie enim in natiuitate pueri Luna renouatur, id est, Ecclesia, quę à Sole iustitiæ illuminatur. Multum enim gaudere debet humilitas hominum, cùm tantùm gaudeat sublimitas Angelorum. Hodie enim simul in vnum diues & pauper, Deus & homo cõfœderati sunt per Christum. Qui Solem sputo, aurum luto, vermiculum carni, Deum vniuit homini.

*Ioan.1.*

*Gene.18. Iosue.5. Apoc.22.*

*Conclusio cum breui epilogo. Luce 2.*

*Eccle.24.*

*Gregorius.*

## EADEM DIE, THEMA SVMPTVM ex Euangelio secundum Ioannem.

*Ioan.1.*

*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.*

LEGIMVS in libro Numeri, quod Dominus præcepit Moysi & filiis Israël, vt facerent tubas argenteas ad conuocandum populum, quibus vterentur in conuiuiis, & in bellis, & in magnis solemnitatibus. Tubæ argenteæ, quæ dulcem habent sonum, sunt sancti prædicatores, quorum est conuocare populum, & inuitare ad conuiuium verbi Dei & sacramentorum Ecclesiæ. Debent etiam incitare populum ad pugnandum contra carnem, mundum, & diabolum. Quia militia est vita hominis super terram. Debent & vocare ad solemnitatem supernę Hierusalem, vt qui audit, dicat veni, & cortina cortinam trahat. Vel per tubas argenteas, diuina eloquia possunt designari. Argentum enim diuini eloquij, igne spiritus sancti probatum est, & purgatum septuplum à terra, id est, à terrena & carnali intelligentia. Per septiformem spiritum tria habet in se, dulcedinem, scilicet. Est enim verbum Dei melos in aure, mel in ore, iubilus in corde. Hanc dulcedinem sentiebat Propheta, cùm dicebat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Habet etiam claritatem, vt in eo tanquam in speculo vultum nostrum valeamus intueri. Quod significatum est per luterem æneum, qui factus erat de speculis mulierum, in quo abluebantur sacerdotes. Argentum præterea potest extendi & dilatari, & diuersas impressiones suscipere. Ita verbum Dei secundũ diuersos intellectus, varias recipit expositiones. Hodie igitur his tubis argẽteis debemus clangere, triplici ratione. Debemus enim conuocare vos ad prandiũ, vt hodie epulemini cũ Christo. Iam enim sedetis ad mensam Domini, qui ad verbum eius audiendum conuenistis. Quot verba de Deo hodie audietis, tot fercula vobis in mensã sua Dominus ministrabit. Hanc enim mensam ponit Dominus, in qua reperiatis multiplices consolationes aduersus omnes tribulationes: sicut scriptũ est: Posuisti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Debemus etiã hodie exhortari vos ad pugnandũ, vt volucres cœli, id est, dęmones circumuolantes à vobis, ne semen verbi Dei auferant, abiicatis. Quoties enim ad audiendum verbum Dei vos præparatis, dæmones contra vos ad pugnandũ incitatis. Scriptũ est enim in Iob de Behemoth, procul odoratur bellũ. Nullum bellum maius damnũ facit ei quàm verbũ Dei. Quot enim verba Dei, de ore prædicatoris proferũtur, quasi tot sagittis diabolus vulneratur. Sicut scriptũ est: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Debemus etiam hodie clangere tubis, quibus clangebant filij Israël in præcipuis solemnitatibus, cùm de hodierna solemnitate lætentur cœli & exultet terra. Non solùm enim homines hodie lætantur in terris, sed Angeli exultant in cœlis, Gloria in excelsis Deo canentes, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis nuntiantes. Nisi enim in omnibus gloriam ad Deum referamus, si gloriam nostram quærimus, nunquam pacem in nobis habebimus. De his autem tubis dicit Dominus, quod quando cõcisus clangor increpuerit, mouebũtur

*Num.10. Quod prædicatores tubæ comparantur & eodem modo diuinum eloquium tuba dicitur. Iob.7. Apoc.12. Exod.26.*

*De dulcedine verbi Dei & quod comparatur argento. Iacobi 1. 3. Regum 7. Exodi.38.*

*De triplici vsu tubarum.*

*Luce 2.*

*Iob 29.*

*Esaie 40. Luce 2.*

castra. Quia prædicationis sermo cùm subtilius agitur, auditorum corda contra tentationum certamina ardentius incitantur. Quando autem populus congregabitur, simplex clangor erit. Simplici enim populo non sunt proponenda nimis subtilia. Orate igitur Dominum, vt ad sonum neomeniæ tubæ, id est, prædicationis, quæ fiet hodie in renouatione Lunæ siue sanctę Ecclesiæ, ad mensam suam nostras animas reficiat, ad pugnam nobis vires subministret, ad solemnisandum cum Angelis, exhilarando nos adiuuet, vt gaudeamus & exultemus in eius sacra solennitate. In principio erat verbum, &c. Verbum bonum & suaue, verbū in quo omnia condita sunt, & permanent vniuersa, verbum Domini quo cœli firmati sunt, verbum quod nō desinit prolatum, sed permanet natū, verbum quod misit Deus in Iacob, & cecidit in Israël, quia carnaliter Israël conculcauit, & illud non recepit: verbum virtutis, quo Deus pater omnia portat, sicut ait Apostolus: Portans omnia verbo virtutis suæ. Verbum Domini quod permanet in æternum. Omnipotēs sermo, qui de regalibus sedibus venit, & in mediā exterminij terrā prosiliit, quasi vinctis duobus pedibus diuinitatis, qua omnia sustentātur & humanitatis, naturę, scilicet, inferioris. De quo Dauid ait: Velociter currit sermo eius, quia citò & quasi subitò vniuersam terrā per prædicatores impleuit. Verbū de quo pastores loquebātur ad inuicē: Transeamus vsq; Bethleem, & videamus hoc verbū quod factū est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Verbū quod erat in principio apud Deū, caro factū est hodie, & habitauit in nobis. Verbū abbreuiatū quod fecit Dominus sūper terrā, cuius cœlū sedes est, terra autē scabellū pedum eius, quod ait: Cęlū & terrā ego impleo, seipsum exinaniēs, & quasi abbreuiās, formā serui accipiēdo, & in claustro vteri virginalis seipsum includēdo, in angusto reclinatū pręsepio: hodie factū caro in terris visum est, & cum hominibus cōuersatum est. Factum est verbum caro, vt carnales reficeret, qui nō nisi carnē sapiebāt. Hæc autē caro adeò sapida fuit, quod omnē aliam carnem desipere fecit. Propterea Dominus ait: Quis præparat coruo escam suā, quando pulli eius clamant ad eum? Esca corui qua pascit nos, caro eius est: hanc escā in vtero virginali præparauit Dominus, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorū inuocantibus eum. Reclinatus in præsepio, factus est fęnum iumentis, factus est caro, pullos coruorum carnibus pauit, id est, filios peccatorum, scilicet, Ecclesiā de Gentibus congregarā, vel Iudæos filios Patriarcharū, vt coruus sumatur in bonū. Iuxta illud: Nigra sum, sed formosa filię Hierusalē. Vnde & Christus coruus dicitur, qui in vespere mundi carnes nobis attulit, non quia peccator sit, sed propter similitudinem carnis peccati, & quia pullos non pascit, nisi quando incipiunt nigrescere, mundo mortui & despecti. Cùm enim esset candor lucis æternę, humiliauit se vsq; ad mortis nigredinē. Cuius vox coruina est, ad futura bona nos inuitans, & bona futura promittens. Factum est verbum, quasi lac, vt inde paruuli nutrirentur, quibus dentes nō erant vt solido cibo & pane Angelorū vescerētur. Verbū supernū prodiēs, à patre olim, id est, exiens æternaliter, scilicet, altissimus Dei filius factus est lac fluuidus passibilitate, albus virginitate, purus sine peccati sorde, habens in se tres substantias, in vnitate personæ, sicut lac serum habet in se butyrum pariter & caseum. De hoc lacte in Canticis dicitur: Comedi fauū cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo. Fauus cum melle, humanitas cum diuinitate: vinum cum lacte, diuinitas cum humanitate. Sublimis factus est, humilis, immensus, paruus, æternus, temporalis: verbum caro, panis Angelorum: lac coagulatum, Deus vermis. Ego, inquit, sum vermis & non homo, id est, non purus homo, non sicut alius homo, qui nascitur de semine viri. Christus autē vermis dicitur, quia sine coitu nascitur de matre integra, sicut vermiculus de terra. Spiritualiter autē vermiculis cōparatur, ex quibus sericum procreatur. Foliis enim virentibus vescitur, id est, sanctorum orationibus delectatur, emittens sericum ex ore, id est, vestimenta virtutum, sua nobis præbens prædicatione. Tandem more prædicti vermiculi assumpsit alas immortalitatis & agilitatis, & aduolauit in ascensione. Dicitur autem filius verbum mentale secundum diuinitatem: sicut enim verbum mentalē gignitur à mente, nec ab ea recedit, sic filius à patre procedit per æternam diuinitatem, & cum eo permanet per essentiæ vnitatem. Vnde beatus Augustinus: Quando cogitaui quid vobis dicerē, iam in corde meo verbū erat, & in corde vestro est vocis vehiculo, & vos habere cœpistis, & ego non perdidi. Filius autem Dei secundum quod homo, dici potest verbum vocale, quia transiit, & patrem nobis notiuicauit, sicut in Euangelio Ioānes ait: Deum nemo vidit vnquam, viuens, scilicet, in carne. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse narrauit, id est, annunciauit nobis & declarauit, sicut vocale verbū declarat inuisibilem mentis cōceptum. Verbum igitur ex corde, Christus Deus: verbū ex ore, Christus homo: verbū cōceptum, filius ex patre genitus: verbum prolatum, filius ex matre natus. Huius igitur verbo maiestatem & præeminentiā, primò ostendit Ioannes in hodierno Euāgelio, cùm ait, In principio erat verbū. Posteà descēdit ad eius humanitatē & humilitatē, vt inspecta illius maiestate, gratias referamus de tanta dignatione & humilitate. Quantò enim se magis pro nobis humiliauit, tantò amplius nos honorauit. Ascendit igitur & descendit Aquila cœlestis super filium hominis. Ascendit & eleuatur, non dico vsque ad tertium cœlum, sed super omnes cœlos, cùm ait: In principio erat verbum. Descendit autem vsque ad escam carnis, cùm ait: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Adeò autem ascendit, quod si paulò altiùs ascendisset, totus eum mundus intueri non valeret. Si paulò altius intonuisset, totus eum mundus non caperet. Ipse enim qui de fonte Dominici pectoris tanq̄ de plenitudine fluēta potauit cæteris omnibus sublimius

*Pluribus ostēditur auctoritatibus quod filius dicitur verbum. Esaiæ 19. ad Heb. 1. Esaiæ 40.*

*Sapien. 18. Lucæ 2.*

*Esaiæ 10. ad Rom. 9. Esaiæ 66. ad Phil. 2. Iere. 23. Barach. 3. De verbo quod factum est caro & de præeminentia huius carnis. ad Rom. 8. Iob 38.*

*Cant. 1. Quod Christus comparatur coruo. ad Rom. 8. Sapien. 7. ad Phil. 2.*

*Cant. 5. Discordia concors.*

*Quod Christus vermi comparatur.*

*Quare & quibus modis filius dicatur verbum. Simile. Ioan. 1.*

*Ioan. 1. 2. Cor. 12. De ascensu & descensu Ioannis.*

sublimius,fœcundius,& subtilius locutus est de altitudine Maiestatis. Vnde Ezech.ait:Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.Ioannes enim inter alios Euãgelistas præeminentiã obtinuit. Cæteri enim Euangelistæ,temporalem Christi natiuitatẽ, & temporalia eius facta, quæ gessit in homine,sufficienter exponunt: pauca autẽ de eius deitate dicẽtes,quasi animalia gressibilia, cum Domino ambulant in terra. Ioannes verò pauca de temporalibus gestis eius edisserens, sed magis diuinitatis eius præcellentiã cõtemplans,super cœlorum altitudinem cum Domino volat,& quasi aquila grãdis plena plumis,& varietatibus diuinarum sententiarum,vsq; ad medullam cedri,id est,à diuinitatis arcana conscendit.Primò de Creatore agens,cùm ait: In principio erat verbum.Secundò de operibus creationis,cùm ait:Omnia per ipsum facta sunt.Tertiò de operibus recreationis,dicẽs:Fuit homo missus à Deo,cui nomen erat Ioannes. In principio,inquit,erat verbum.Ecce in quo erat: & verbum erat apud Deum.Ecce quomodo erat: & Deus erat verbũ.Ecce quid erat.Hoc erat in principio apud Deum.Ecce quãdo erat.Omnia per ipsum facta sunt.Ecce quid egerat. Erat lux vera,quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mundum.Ecce quid agebat.In mundo erat. Ecce vbi erat.In propria venit.Ecce quò venerit.Verbum caro factũ est.Ecce quomodo venerit. Quotquot autẽ receperunt eum,dedit eis potestatẽ filios Dei fieri.Ecce ad quid venerit.In principio,inquit,erat verbũ,id est,filius in patre,patri coæternus.Pater enim principium est sine principio,filius principium de principio, vel in principio omnium creaturarum : erat verbum ante omnes creaturas,in quibus est tanquam causa in effectu. Ergo mentiuntur hæretici,qui dicunt Christum ita natum in tempore, quod non semper fuerit. Pater enim per Psalmistam ait:Ante Luciferum genui te,id est,ante Angelicã naturam,& omnem creaturam. In principio erat verbum,id est,in patre subsistit filius.Non enim pro tempore,sed pro substantia ponitur verbum substantiuum: Christus enim à patre est,velut splendor à Sole,velut sapientia à corde,quæ extra exit,& à corde non recedit. Et verbum erat apud Deum,tanquam alius apud alium. Præpositio enim transitiua est & distinctiua personarum. Ergo mentitur hæreticus,qui ait eundem in persona esse filium,qui & pater & spiritus sanctus, dicens quod eadem persona quando vult est pater, quando vult est filius,quando vult est spiritus sanctus. In sola enim distinctione nominum huiusmodi hæretici Trinitatem assignant, vnde & Patripassiani dicti sunt. Secundum hoc enim oporter eos concedere,quod pater passus est. Alij hæretici concedebant semper fuisse,& alium esse à patre, sed non esse Deum.Contra quos ait:Et Deus erat verbũ. Et similiter cõtra illos,qui purum hominẽ Christum affirmãt.Hoc erat in principio apud Deum:hoc,scilicet,verbũ erat apud Deum in principio,id est,ante omnia natus ex Deo,consubstantialis eidem. Filius enim in principio, id est,in patre esse dicitur,quia eiusdem cum illo substantiæ est. Ergo mentitur hæreticus,qui ait Christum fuisse Deum tantùm,adoptiuum,dicẽs: Non inuideo Christo facto Deo,quia & ego si volo possum fieri Deus.His igitur quatuor clausulis,quatuor hęreses Apostolus destruxit, Quarum prima asserit Christum ex tempore cœpisse,& non esse patri coæternum, contra quam scriptum est in Parabolis:Dominus possedit me ab initio viarum suarum antequã quidquam faceret,à principio ab æterno ordinata sum.Alij Trinitatem personarum negant: contra quos scriptum est: Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinẽ nostram.Dicens,faciamus, & nostram,pluralitatem insinuat personarum. Alij Christum esse purum hominem asserunt, negantes ipsum esse Deum. Contra quos in Euangelio Ioannis Thomas ait : Dominus meus & Deus meus. Et Esaias ait: Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius,quia excelsus reputatus est ipse.Si spiritus in naribus eius,ergo est homo: si excelsus,ergo Deus est.Et in Parabolis dicitur : Quis ascendet in cœlum & quis descendit? Et paulò pòst : Quis suscitauit omnes terminos terræ,quod est nomen eius,& quod nomen filij eius,si nosti? Et Esaias ait: Tu es Deus,& in te est Deus . Quis est Deus in Deo, nisi filius in patre,vel pater in filio ? Et Zacharias ait : Lætare & lauda filia Syon, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et paulò pòst : Et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Ergo Dominus à Domino exercituum missus est, sicut Deus à Deo vnctus est, teste Psalmista : Vnxit te Deus, Deus tuus. Et Esaias ait : Vocabitur nomen eius admirabilis,consiliarius Deus fortis. Alij Christum non esse verum Dei filium secundum substantiam , sed tantùm secundum adoptionem,asserunt . Contra quos ipse Dominus in Euangelio ait : Ego & pater vnum sumus. Et Apostolus : Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ . Et Ioannes in epistola canonica : Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum , & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Consequenter subiungit Euangelista de operibus creationis, dicens: Omnia per ipsum facta sunt . Ergo mentitur Manichæus hæreticus, & Paterini nostri temporis,sequaces eius , qui dicunt,omnia visibilia & inuisibilia creata esse nescio à quo Deo & Principe tenebrarũ.Contra quos Apost.ad Colloss.ait:In ipso cõdita sunt vniuersa,in cœlis & in terra,visibilia & inuisibilia . Et rursum ex auctoritate Psal.ait sic:Et tu in principio,Domine,terrã fundasti,& opera manuum tuarũ sunt cœli.Ipsi peribunt,tu autẽ permanebis.Omnia per ipsum facta sunt.Omnis substãtia,omnis forma,omnis cõpago,omnis cõcordia partiũ, omnis creatura. Ergo mẽtitur Arrius,qui dicit Christũ purã esse creaturã : nõ est enim creatura per quẽ facta est omnis creatura.Sine ipso autẽ factũ est nihil,quia indiuidua sunt opera Trinitatis: vel sine ipso factũ est nihil,id est,peccatũ,quod nihil est:nõ est substãtia,nõ forma,sed tantũ

*Ezech.1. De præeminentia Ioannis ad alios Euangelistas.*

*De ordine & modo agendi.*

*De diuersis modis exponendi, In principio erat verbum. Confunduntur diuersæ hæreses.*

*Obiectio contra hæreticos.*

*Para.8.*

*Gene.1.*

*Ioan.1. & 8. Esaiæ 2.*

*Para.30.*

*Esaiæ 45.*

*Zach.2.*

*Esaiæ 9.*

*Ioan.10. Heb.1. Ioan.1.*

*De operibus eius creationis contra Manichæos. Coloss.1.*

debiti finis priuatio, vel fine ipſo, id eſt, dum declinat ab ipſo, id quod factũ eſt, nihil eſt, quia verã amittit eſſentiã dum recedit ab eo qui verè eſt. Ne autẽ eius voluntas mutabilis videretur, ſicut & creaturę mutabiles ſunt, ait: Quod factũ eſt in ipſo, vita erat, id eſt, quod factũ eſt in tempore, erat viuẽs in ipſo, & permanet in eius æterna voluntate, licèt variabile ſit in ſe. Sicut arca prius eſt in mente architecti quàm in opere, licèt autẽ arca pereat in ſe, manet tamẽ in mente artificis. Ars enim & ſapiẽtia, & ratio ex qua fiunt mirabilia, non mutatur, ſed eſt Deo coæterna. Ergo mentiũtur hæretici, qui dicunt Chriſtũ cœpiſſe aliquid velle, quod nõ voluit antè. Voluntas enim eius inuariabilis eſt, apud quẽ nõ eſt trãſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Non igitur ſubitò velle cœpit. Quod autẽ in ſapiẽtia immutabili eſt, tranſire nõ poteſt. Igitur quod factũ eſt, in ipſo vita erat, quia in ſpirituali factoris ratione ſemper viuebat: vel, quod factũ eſt, erat in ipſo vita, id eſt, in ipſo, qui eſt vita: vel in ipſo quod factũ eſt, in qualibet, ſcilicet, creatura, erat vita, id eſt, Deus, qui eſt in omnibus creaturis tanquã cauſa in effectu: vel quod factũ eſt in ipſo, id eſt, in Chriſto, ſcilicet, natiuitas, paſsio, reſurrectio, aſcẽſio, erat vita per cauſam, id eſt, ſalus & redemptio noſtra. Et vita erat lux hominũ, id eſt, Chriſtus, tanquã verus Sol viuificãs calore & illuminãs ſplẽdore. Ergo mentiũtur Appollinaris & Manichęus, qui dicũt Chriſtũ aſſumpſiſſe corpus phantaſticũ. Ipſe enim vita erat, id eſt, verè viuẽs in anima, neq; nobis illuſit, ſed in veritate eſuriit & ſitiit, ſicut Euãgeliſtę dicũt: Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit, verè etiã comedit, ſicut Lucas in Actib. Apoſt. ait: Et cõuerſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederẽt. Quod autẽ verũ corpus & nõ phantaſticũ habuit, manifeſtũ eſt ex hoc quod ipſe Dominus ait, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere. Fuit igitur vita & lux verè viuens, & alios quantũ in ſe eſt illuminans, licèt à malis nõ videatur. Sicut enim Solis radius ſuper cæcos lucet, tamẽ cæci non vident claritatem, ita Chriſtus vera lux in tenebris lucebat. Ipſe enim ad mundos & immũdos radios ſuos expãdebat: & tenebrę, id eſt, tenebroſi homines eum nõ cõprehenderunt malitia ſua excæcati, vt autẽ cõprehendere poſſent homines Solẽ iuſtitiæ nube carnis obumbratũ: Fuit homo miſſus à Deo cui nomẽ erat Ioãnes, vt eius teſtimonio lux vera agnoſceretur, & omnes prædeſtinati crederẽt per illũ. Sicut autẽ per Angelũ malũ & mulierẽ incurrimus mortẽ: ita per bonũ Angelũ & Mariã recuperauimus vitã. Ioãnes enim tanq̃ Lucifer, Maria tanquã Luna, alij ſancti tanquã ſtellæ, Chriſtus tanq̃ Sol, mundũ illuminauerũt. Si autẽ Ioãnes miſſus fuit à Deo, ergo intrauit per oſtiũ. Mentiũtur igitur Paterini, qui dicũt Ioannẽ nõ fuiſſe ſanctũ, ſed à Deo reprobatũ. Mentiuntur etiã alij hæretici, qui dicũt Ioannẽ nõ fuiſſe hominẽ, ſed Angelũ. Fuit enim homo in teſtimoniũ miſſus à Deo. Ipſe tamẽ non erat lux in ſe, lux, ſcilicet, illuminãs ex ſe, ſed erat lux illuminata. Erat enim Ioãnes, vt Chriſtus ait, Lucerna lucens & ardens. Vera autẽ lux ex ſe illuminãs, dicitur Chriſtus: Erat enim lux vera quæ illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mundũ, omnem, ſcilicet, qui illuminatur, quia ſine ipſo nullus illuminatur: vel illuminat omnẽ hominẽ, id eſt, de omnibus generibus hominũ aliquẽ. Oleum enim effuſum, nomẽ eius per vniuerſum mundũ effuſum, vt à Chriſto Chriſtiani dicãtur, vt nomen eius vbiq; admirẽtur & annuncietur, vt ad quos peruenit fama eius, afficiantur odore, deliniantur & ſanẽtur vnctione, reficiantur ſapore, & illuminẽtur ſplendore. Qui autẽ ab ipſo illuminari deſiderat, oportet cor mundũ habere, oportet illicitis charorũ affectibus, carnis voluptatibus & mundi vanitatibus renuntiare. Vt autẽ illuminaret nos, inclinauit ſe, lucernã accendit, lumen diuinitatis inteſta poſuit humanitatis, & domũ, id eſt, mundũ, euertit, id eſt, in melius cõmutauit. Propterea Pſalmiſta ait: Exortũ eſt in tenebris lumen rectis, miſericors & miſerator, & iuſtus. Miſericors fuit, quia ſine meritis noſtris ad nos venit. Iuſtus fuit, quia hominẽ qui per inobedientiã ceciderat, quem Deus cõſtituerat Dominũ domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſsionis ſuæ, liberauit per obedientiã hominis, cui in cœlo & in terra omnẽ poteſtatẽ dedit. Exortũ eſt igitur in tenebris lumen rectis, ſicut ſcriptum eſt: Oculus fui cæco & pes claudo. Fuit igitur Chriſtus lux vera, lumẽ de lumine, Sol de Sole, Sol mundus & immaculatus per loca immunda tranſiẽs. Ex mundo enim ſordes non contraxit, ſed magis illas deſiccauit. Vnde in libro Sapientiæ de ipſo dicitur: Vapor eſt enim virtutis Dei & emanatio quędam & claritas omnipotẽtis Dei, & ideò nihil inquinatum in illa incurrit. Fuit igitur Chriſtus Sol illuminans mundũ, doctrina clarus, vita candidus, perfectione rotundus, illuminãs mũdum ad fidẽ, ſurſum guttas matis trahẽs ad ſpem, calefaciens ad charitatẽ. Fuit dies cuius aurora in natiuitate, meridies in eius cõuerſatione & prædicatione, veſpera in morte. Qui primo ortu ſuo exiit de Virginis vtero: ſecundo verò ortu renaſcẽs exiit de ſepulchro: vnde & ſtellioni cõparatur, quia vermis ille nocte lucet. Et Chriſtus illuminauit ſedẽtes in tenebris & in vmbra mortis, vnde Salomõ de ipſo ait: Stellio manibus nititur, & in ædibus Regum commoratur. Chriſtus enim incarnatus tanquã vermiculus lucens, manibus niti dicitur, quia natus eſt ad laborem, & in ædibus Regum moratur, ſedens ad Patris dextram. Luxit igitur Chriſtus in tenebris ſicut ſtellio, & noctem noſtram illuminauit. Vnde Pſalmiſta ait: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. Tenebras poſuit, quando hominem peccare permiſit, & facta eſt nox ignorantiæ & erroris, nox culpæ & pœnæ in qua nocte pertranſiunt & perambulant omnes beſtiæ ſiluæ, id eſt, maligni ſpiritus in ſiluoſis & opacis & ſpinoſis cordibus peccatorum habitantes, tam maiores, ſcilicet, dæmonum Principes quàm minores & infirmiores, De quibus ait: Catuli leonum rugientes vt rapiant animas, ſcilicet,

*Multiplex expoſitio illius verbi quod dicitur quod factũ eſt in ipſo, vita erat. Simile. Iacobi 1.*

*Quod Chriſtus dicitur vita & lux.*

*Matth. 4. Marc 1. Lucæ 4. Actum 1.*

*Lucæ 24. Simile.*

*De operibus creationis. Simile.*

*Ioan. 10.*

*Ioan. 5.*

*Cant. 1.*

*Lucæ 15.*

*Matth. 28.*

*Iob 29.*

*Sap. 7. Solis proprietates Chriſto adaptantur. Chriſtus diei comparatur.*

*Chriſtus ſtellio dicitur. Lucæ 2. Parab. 30.*

scilicet, peccatorum, & quærant à Deo escam sibi, quia nihil possunt nisi permissi. Ita erat vbiq; ante Christi natiuitatem: sed ortus est Sol iustitiæ, & congregati sunt, qui vbiq; dispersi erant, atque à cordibus credentium segregati, & in cubilibus suis, id est, in cordibus infidelium collocãtur. Et quia nox erat, in qua nõ licebat operari, orto verò Sole exibit homo ad opus suũ, surgẽs de somno dicẽte Christo: His qui clausi erãt, exite: & qui in tenebris erant, reuelamini. Erat igitur lux vera, quę illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hũc mundũ, id est, in tenebris huius mundi habitantẽ. In mundo erat & mũdus per ipsum factus est, & mundus eũ nõ cognouit. In mũdo semper fuit, secundũ diuinitatẽ, & mundus per ipsum factus est, id est, mũdana machina, & omnia quę in mũdo sunt. Pater enim omnia creauit per filiũ. In principio enim, id est, in filio creauit Deus cœlũ & terrã: propterea ipse filius in Psal. ait: In capite libri scriptũ est de me, id est, in principio sacræ scripturæ, vbi dicitur: In principio creauit Deus cœlũ & terrã. Mundus autẽ eum nõ cognouit ante incarnationẽ, quia plenè cognosci non potuit, qui omnem sensum excedit secundũ diuinitatẽ: vel mundus, id est, amator mũdi, eum nõ cognouit, nec cognoscere voluit etiã post incarnationẽ. Ipse enim in propria venit, & sui eum nõ receperunt. Non venit quò aberat, quia vbiq; præsens erat: sed venisse dicitur in mundo, quia apparuit qui latebat, & quia lucẽ habitãs inaccessibilẽ, humanã, in qua videretur, induit formã. In propria venit, id est, in mundo, quẽ fecerat: vel in gente Iudæa, ad quã specialiter missus fuerat. Et sui per creationẽ nõ receperunt eum per fidẽ, qui tamen nullã habent excusationẽ. Cœlum enim cognouit, qui Angelos canentes & laudantes misit. Stella cognouit, quia tribus Magis apparuit. Mare cognouit, quia calcabile se præbuit. Terra cognouit, quia in eius passione tremuit. Sol cognouit, quia radios suos abscondit: miser autẽ homo non cognouit. In propria venit & sui eum nõ receperunt, nec agnoscere voluerunt. Propterea Esaias ait: Educ foras populũ cæcũ & oculos habentẽ, surdum & aures ei sunt. Et iterũ: Propterea ductus est populus meus in captiuitatẽ, quia nõ habent scientiã. Oculos corporales habuerunt reprobi, vt prouiderẽt pedibus, sed oculos spirituales non habuerunt, vt prouiderent affectibus, sed offenderunt ad lapidẽ scandali, & inciderunt in laqueum erroris, & velut hi qui super glaciem ambulant, retro corruerunt. Propterea beatus Iob ait: Palpabunt quasi in tenebris & non in lucem, & errare eos faciet quasi ebrios. Et iterũ de excæcatione Iudæorum ait: Non videat riuulos fluminis torrentis mellis & butyri. Fluuius siue torrens mellis, Christus Deus: fluuius butyri, Christus homo. Hunc fluuium Iudæi non viderunt, quia Christum Deum & hominem non crediderunt. Ipsi enim fuerunt rebelles lumini, sicut dicitur in Iob, & clauserunt oculos suos ne viderẽt. Adhuc enim Iacob, id est, populus Iudaicus, luctatur cum Angelo magni consilij, & ei contradicere nititur. Propterea dicitur in Iob: Semitam ignorauit auis, id est, Christi: qualiter, scilicet, de sinu patris venit in vterum Virginis, de vtero in præsepio, de præsepio in mundũ, de mundo in patibulũ, de paribulo in sepulchrũ, de sepulchro in infernũ, de inferno iterum in mundũ, de mundo in cœlum. Nato enim Ioanne, Zacharias obmutescit, & Elizabeth se occultat & abscõdit. Quia aduenientẽ gratia & nato Christo, lex silet, & amisso sacerdotio, Synagoga excęcata latebras quęrit, & Christum recipere renuit. Non tamen omnes repulerunt, sed multi ex illis crediderunt. Quotquot autem receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Mira potestas, vt filij diaboli, fierent filij Dei, vt qui prius captiui tenebantur à diabolo, iam habeant potestatẽ, nõ solùm resistendi illi, sed vt conculcent sathanam sub pedibus suis. Dedit igitur Deus illis potestatem per gratiã adoptionis, vt fierẽt filij Dei. Ad hoc enim venit vt fratres in mundo acquireret hæredes Dei, cohæredes autẽ Christi. Carnalis autẽ generatio ex sanguinibus per cõmixtionem seminũ habet fieri, spiritualis autẽ generatio per gratiã Dei. Quod enim natũ est ex carne, caro est, & quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Facta sunt igitur sancti filij Dei per gratiã & spiritũ adoptionis. Non enim ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, id est, mulieris, quę sexus est fragilis, nec ex voluntate viri, quantũcunq; legittima sit copula, licèt cognoscat vxorẽ tantũ causa prolis educandæ ad cultũ Dei, sed per gratiã regenerationis filij Dei fierẽt. Verbũ caro factũ est, & habitauit in nobis: factũ est caro, id est, homo mortalis à parte totum, & habitauit in nobis, id est, inter nos habitum humanitatis assumens à nobis, & habitu inuẽtus vt homo, verã habẽs humanitatẽ, similis nobis passibilis & mortalis. Si igitur verbũ caro factum est, carnẽ tuã ne despexeris, sed eã cum omni munditia & honestate custodi, quia Christus eam in se sanctificauit. Impleta est enim scriptura quę ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hoc specialiter impletũ est in Maria. A Domino factũ est istud, & est mirabile, nõ solũ in oculis hominũ, sed etiã in oculis Angelorũ. Admirãtur enim & stupẽt, vidẽtes infra se quẽ supra se adorant. Ascendẽtes & descendẽtes super filiũ hominis, gaudẽtes & gratias agẽtes de salute humani generis. Nõ enim dedignãtur de vermiculis istis & puluere isto muros cęlestis Hierusalẽ reparari, & ruinas lapsorũ restaurari, vt simus eorũ socij, qui facti sunt iam ministri nostri. Omnes enim administratorij sunt spiritus, in ministeriũ missi propter eos qui hęreditatẽ capiũt salutis, quemadmodũ Apost. ait: Vidit enim Dominus afflictionẽ populi sui in Ægypto, id est, in hoc mũdo, & descẽdit per incarnationẽ liberare illum. Non solũ autẽ liberare nos voluit, sed ad diligendũ arctare, & idcircò ad carcerẽ nostrũ descẽdit. Vnde Esa. in persona patris ait: Propter vos misi in Babylonẽ, & detraxi vectes vniuersos, & Caldæos in nauibus gloriãtes. Misi, scilicet, filiũ meũ in mundũ; cuius portæ sunt peccata, vectes portarum timor aduersitatis & amor prosperitatis.

*Ioan. 9.* *Esaiæ 49.*

*Gene. 1.*

*1. Timot. 6.*

*De excæcatione Iudæorum.*

*Esaiæ 43.* *Item 5.* *Esaiæ 8.* *Item 14.*

*Iob 11.* *Item 20.*

*Iob. 24.* *Gene. 12.* *Iob 28.*

*De semita Christi & multiplici via.*

*Ioan. 1.* *Luc. 10.* *Rom. 15.*

*Ioan. 1.*

*Philip. 2.* *Iac. 4.* *Esaiæ 58.*

*Ioan. 1.* *Heb. 2.*

*Exod. 4.*

*Esaiæ 47.*

Caldæi autẽ interpretãtur feroces. Hi sunt maligni spiritus aëreæ potestates, qui in nauibus gloriantur. In his, scilicet, qui omni vento suggestionũ & tentationũ in mare, id est, in amaritudinem peccatorũ feruntur. Et in libro Numeri Balaam ait: Orietur stella ex Iacob, & percutiet Principes Moab, id est, spirituales nequitias, & vastabit omnes filios Seth in eo, scilicet, quòd mali sunt, destruet eos, id est, eorum malitiam. Omnes qui de Noë filij fuerunt, Seth dicuntur. In diluuio autem perierunt omnes filij Caim. Vastabit igitur omnes filios Seth, id est, de omni hominum genere aliquos subtrahet diabolo, & erit Idumæa possessio eius. Quod fit dum caro spiritui subiicitur. Vnde Psalmista ait: Benedixisti Domine terrã tuam: terrã, scilicet, corporis tui, in qua nõ cõtradixit spiritui, & terrã Ecclesiæ tuæ, quę iam nõ fert spinas & tribulos, sicut terra Adæ maledicta. Benedixit etiã terrã suam, id est, beatã Virginẽ: vnde & Angelus, ait ad eam: Benedicta tu in mulieribus. Licèt autẽ verbum factũ sit caro, & habitauerit in nobis mortalis & passibilis in humanitate: vidimus tamen gloriam eius ex diuinitate in miraculis & transfiguratione, in resurrectione & ascensione, gloriam quasi vnigeniti, id est, verè geniti à patre. Aduerbium enim quasi veritatis est expressiuum, vidimus gloriã eius, quam antequam verbum fieret, caro videre non poteramus. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Plenum gratiæ, secũdum humanitatẽ, id est, charismatis: de cuius plenitudine omnes accepimus, quia vnguentũ descendit à capite in barbam, & vsq; in oram vestimenti eius. Et plenum veritatis secũdum diuinitatẽ, verus enim Deus fuit, in quo habitauit corporaliter plenitudo diuinitatis. Plenus gratia fuit, quia nullis præcedentibus meritis à cõceptione sua plenitudinẽ charismatũ habuit. Plenus veritatis, quia sicut promissum est, in eo exhibitũ est & cõpletum. Plenus gratia, peccata remittendo & veritatis promissa cõplendo. Vidimus igitur gloriã eius, maiestatẽ, scilicet, per humanitatẽ, in qua docuit & miracula fecit, in qua matri fœcunditatem attulit, & virginitatẽ non abstulit, quæ quasi Libanus non incisus habitationẽ suã hodie vaporauit, & quasi balsamum nõ mixtũ, sine sui corruptione odorẽ suauitatis emisit, & quasi terebintus guttã medicinalem nostris infirmitatibus adhibuit, guttã terebintinã boni odoris, & ex pixide eburnea virginitatis vnguentũ nobis exhibuit. De quo Salomõ ait: Vnguento & variis odoribus delectatur cor. Delectari igitur hodie debemus, & gaudere in Domino, & memoriã abundãtię suauitatis huius sanctæ diei eructare. Hodie enim per totũ mundũ melliflui facti sunt cœli, id est, animæ sanctorũ cœlesti desiderio flagrantiũ. Non igitur absq; cordis dulcedine & deuotione debemus dies istos, sicut homines seculares faciũt, arida quadã cõsuetudine pertransire, sed magis dilatare cordis hospitiũ, vt tantum hospitem dignè recipere valeamus. Sicut scriptum est in Esaia: Dilata locum tentorij tui. Dilatemus igitur saccũ cordis, vt copiã frumenti, & copiosam benedictionẽ hodie à Domino recipiamus. Aperiamus portas iustitiæ, vt hodie introeat ad nos Rex gloriæ. Si enim surgente aurora canunt aues, & nos in Christi natiuitate gaudeamus & exultemus in eius sacra solemnitate, ne tanti beneficij ingrati simus. Sicut enim nata muliere virgine de viro perditus est mundus, ita hodie nato viro de muliere Virgine, est recuperatus. Non igitur ingratitudinis vitiũ pessimũ de liberatione nostra incurramus, sed ei qui liberauit nos per admirabilem sapientiam suam gratias agamus, quemadmodum Salomon in Ecclesiastico ait: Hanc quoque vidi sub Sole sapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusq; est vir in ea pauper & sapiẽs, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est illius hominis pauperis. Rex ille magnus, Rex superbus, princeps mundi huius, id est, diligentium mundum, Rex superborum, cuius vexilla sequuntur omnes superbi, est diabolus. De quo Dominus in Iob: Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret, omne sublime videt, ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ. Ciuitas parua quam obsederat, est totus mundus, quem quasi pro nihilo reputabat. Vnde Dominus in Iob: Absorbebit fluuium & non mirabitur. Quasi enim pro nihilo habebat fluxũ humanę mortalitatis absorbere, vel paruus dicitur mundus despectiuè, sicut Dominus vocat Ierusalem castellũ, dicens: Ite in castellũ quod cõtra vos est. Pauci enim erãt in eo viri, & multæ fœminę, quia Pharao Rex Ægypti, id est, diabolus, viros, id est, robustos viriliter agentes, non sinebat multiplicari, sed fœminas, id est, molles & effœminatos reseruare volebat. Paruus enim dicitur mundus, quantum ad illam partem, quam obsederat, scilicet, terram, respectu supernorum, cùm sol longè maior sit, quàm tota terra. Hæc est ciuitas Dei, de qua dicitur: Quis deducet me in ciuitatem munitam? Multas enim machinas falsitatis erexerat diabolus contra Deum, adeò autem vallauerat diabolus hanc ciuitatem, quòd nullus poterat introire, nisi per angustum foramen & per manus eius. Omnes enim nascimur filij iræ, omnesque mulieres in dolore & miseria pariunt filios. Hoc est primũ foramen. Nullus etiam poterat exire, nisi per vnum strictum foramen, scilicet, per dolorem mortis, cui foramini semper insidiabatur diabolus, iuxta illud: Tu insidiaberis calcaneo eius. Parua etiam ciuitas fuit Ecclesia ante incarnationem, quia pauci iusti in ea, respectu malorum. Ampla autem est in medio. Et iterum parua erit in fine ad modum nauis & Lunæ. Parua enim dicitur propter humilitatem. Cùm autem fortis armatus custodiret in pace atrium suum, inuentus est in mundo vir pauper & sapiens, id est, Christus: Pauper, quia nostram assumpsit infirmitatem: Sapiens, quia non amisit diuinitatem, simul in vnum diues & pauper, qui per sapientiam suam liberauit ciuitatem,

*Num. 24.*

*Gene. 3.*

*Para. 27.*

*De gaudio tantæ solemnitatis.*

*Esaiæ 54.*

*Simile.*

*Eccle. 9.*

*De liberatione ciuitatis obsessæ & de paupere qui eam liberauit.*

*Iob 41.*

*Matth. 21. Mar. 11. Lucæ 19.*

*Ephes. 2. Gene. 3.*

*Item 3.*

*Lucæ 11.*

tatem, & nullus deinceps recordatus est illius hominis pauperis, id est, pauci valdè gratias ei retulerunt. Ecce quanta ingratitudo obliuiſci eum, qui ſaluauit eos. Nos autem fratres ſaluatori noſtro, gratias referamus, cantantes & pſallentes in cordibus noſtris. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Notũ enim fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit miſericordiam ſuam. Emiſit lucem ſuam, & veritatem ſuam, dum cibus angelorum factus eſt lac paruulorum, dum verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et nos in ipſo habitemus hîc per gratiam, vt tandem ipſe nobiſcum, & nos cum ipſo habitemus per gloriam. Ipſo præſtante, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum.

*Concluſio. Epiſt. 5. Colo. 3. 1. Cor. 3. Hebr. 1. Ioan. 1.*

## DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS,

### Thema ſumptum ex libro Sapientiæ.

*Dum Medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter habere, tomnipotens ſermo tuus Domine de cœlis à regalibus ſedibus venit.* *Sap. 18.*

IN noſtra autem tranſlatione ſic habetur: Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu mediũ iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus ſedibus venit, durus bellator in mediã exterminij terrã proſiliuit. Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis, ſtultus autẽ glutit illũ: Verba ſunt Salomonis in tranſlatione 70. Theſaurus iſte deſiderabilis eſt Chriſtus, in quẽ deſiderant angeli conſpicere, de quo in libro Sapientiæ dicitur. Si diuitiæ appetuntur in vita, quid Sapientia locupletius? Et iterum de Sapientia, id eſt, de filio Dei in eodẽ libro Sapientiæ dicitur: Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Verè theſaurus deſiderabilis, quia omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius, ſicut ibidem dicitur. Hic autem theſaurus qui abſconditus fuerat in agro florido & fructifero, de quo Dominus ait. Pulchritudo agri mecum eſt in agro, ſcilicet, Paradiſi cœleſtis, vel in orto virginalis vteri, poſtquam in ſacco noſtræ mortalitatis apparuit, boni negotiatores omnia vendiderunt, vt agrum illum emerent, & theſaurum poſſiderent: Qui theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Non ſolum in ore corporis, dum ipſum laudat, & de ipſo frequẽter loquitur, & omnis eius narratio in præceptis altiſſimi, ſed inſuper in ore cordis, dum de ipſo frequenter cogitat, & à memoria eius nõ excidit. Vnde poſt ſolẽnitates beatorũ Stephani, Ioannis & Innocentiũ, iterum reuertitur eccleſia ad natiuitatis dominicæ iucunditatẽ & gaudium. Interſeruntur autem prædictę feſtiuitates martyrum, quorum primus fuit martyr voluntate & opere, ſcilicet, beatus Stephanus. Secũdus, id eſt, beatus Ioannes martyr fuit voluntate, ſed non opere. Tertij, ſcilicet, Innocentes martyres fuerunt opere, ſed non voluntate. In his ergo ſignificantur omnia genera martyrum, quorum natalitia Chriſti natiuitati merito conſia ad theſaurũ deſiderabilẽ, & gaudium natiuitatis dominicæ, oſtendens ex prędictis verbis libri Sapiẽtię, quis eſt & quãtus, qui venerit, & natus ſit pro nobis, ſcilicet omnipotens ſermo patris. Vnde venerit à cœleſtibus, & regalibus ſedibus. Quò venerit, ſcilicet, in terrã exterminij. Quomodo venerit, ſaliẽdo. In mediã, inquit, terrã exterminij proſilit. Ad quid venerit, ſcilicet, ad pugnandũ pro nobis cõtra diabolũ, durus, ſcilicet, debellator. Quãdo venerit in medio, ſcilicet, ſilentio & media nocte, dum mediũ ſilentiũ tenerẽt omnia, & nox in ſuo curſu mediũ iter haberet. Venit igitur omnipotẽs ſermo verbũ patris Dei, ſapientia per quem pater locutus eſt mundo. Omnipotẽs eſt, cõfidant amici, & timeant inimici. Omnipotens cui nõ reſiſtitur vt timeatur. Sermo vt audiatur. Puer tamen factus eſt, vt diligatur. Omnipotẽs, cui nihil eſt impoſſibile. Sermo, cui nihil difficile. Dixit enim & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. Sermo mentalis ex corde patris exiens, & ad hominum corda procedens: patrem tamen non deſerens. Sermo quaſi ex mente ſecundum diuinitatem, quaſi ex ore, ſecundum humanitatem. Sermo genitus, ſermo conceptus, ſermo prolatus, ſermo ſcriptus. Genitus ex patre, conceptus in mente, prolatus ex matre, ſcriptus in corde. Sermo patris, per quem pater innotuit mundo, per quem loquitur pater interius & exterius. Interius loquitur ſermo iſte. Vnde Propheta Dauid ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Non audiã quid loquatur mũdus perſtrepens, caro blandiens, diabolus ſuggerens. Non audiã quid mũdi fallacia moueat, quid carnis illecebra ſuggerat, quid ſerpens antiquus inſibilet. Exterius loquitur, ſicut ſcriptum eſt in Salomone: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. Auditur enim aure cordis: ſicut ſcriptum eſt. Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit. Et in libro Sapientiæ. In maleuolam animam nõ introibit ſapiẽtia. Auditur aure corporis, ſicut ſcriptũ eſt. Si nõ veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatũ non haberent. Auditur interius per inſpirationem, & deuotionem, & obedientiam. Videtur in mente per meditationem, guſtatur per contemplationis iucunditatem. Olfactu percipitur per deſiderium iucunditatis æternæ. Tangitur per experientiam beatitudinis ſine fine, ſicut ſcriptum eſt. Læua eius ſub capite meo, Chriſtus; ſcilicet, natus & paſſus, & dextra eius amplexabitur me. Chriſtus, ſcilicet, glorioſus. Venit igitur omnipotens ſermo, & locutus eſt mundo. Non enim ferro, ſed verbo mundum ſibi voluit Deus ſubiugare, verbum mundum reparauit, qui

*Para. 21. Quod Chriſtus theſauro deſiderabili comparatur. 1. Petri 1. Sap. 8. Sap. 7. Matth. 13.*

*De diuerſitate martyrum.*

*De omnipotentia.*

*Parab. 1. Ioan. 8. Sapien. 1. Iohan. 15. Quod ſermo iſte multipliciter auditur & quolibet ſenſu ſpirituali percipitur. Cant. 8. Sap. 18. Vnde venerit.*

verbo mundum creauit. Ecce quis venerit, sed videamus vnde venerit. Venit, inquit, de cœlo à regalibus sedibus. A summo enim cœlo egressio eius, à patre, scilicet, excelso: de sinu patris prosiliit in vterum matris: de cœlo ad incarnationem, de carne ad crucem, de cruce ad mortem, de morte ad gloriã: venit à sede maiestatis, à summo cœlo, ab æqualitate patris. Ex vtero (inquit pater) ante Luciferũ genui te, id est, ex secreta substantia mea ante Luciferum, & omnia quæ sunt in cœlo & in terra, ab æterno genitus es à me. Eructauit enim cor patris verbum bonum, id est, Christum, ex diuino paterni pectoris arcano. Hic est fluuius egrediẽs de loco voluptatis, id est, Christus de corde Patris, vel de vtero Virginis. Omnipotẽs igitur sermo qui super omnia est præsidendo, infra omnia sustinẽdo, intra omnia implẽdo, extra omnia cõtinendo, quia nusquã deest, sed vbiq; præsens est: à regalibus sedibus venit. Inclinauit cœlos & descendit: dum visibiliter factus caro, mundo apparuit. Aperta est enim terra, & germinauit Saluatorem. Aperta est terra vteri virginalis, dũ Deus homo cõcipitur. Aperta est terra cordis humani, dum Deus homo creditur. Aperta est terra assumptæ humanitatis, dum Deus homo cognoscitur. Aperta est terra Ecclesiæ, dum Deus homo recipitur. Venit autẽ omnipotens sermo à regalibus sedibus, à cœlestibus mãsionibus, ad quas nõ ascendunt nisi Reges: de quibus scriptum est: In domo patris mei, mãsiones multæ sunt. Egressus enim eius à principio, à diebus æternitatis: vel à regalibus sedibus, id est, à sede regali, plurale pro singulari. Ab excelso, scilicet, solio & sinu patris: venit à regalibus sedibus ad terram, vt terrã in regnum regale collocaret: vel sedes regalis Maria dicitur, regali ex prosapia exorta, à qua Dominus venit, dum de ipsa nasci voluit. Regales etiã sedes dicũtur angelicæ potestates, in quibus regnat Dominus & sedet. Vnde Isaias ait: Vidi Dominum sedentẽ super solium excelsum. In habitu, scilicet, regnãtis, angelicis potestatibus præsidentẽ. Et Psalmus ait: Qui sedes super Cherubin, manifestare corã Effraim, Beniamin, & Manasse, id est, qui Angelis notus es, in quibus resides, manifestare in carne, apparens & hominibus innotescens: vt sint Effraim, sanctificãtes in bono opere: & Beniamin filij dexteræ, & Manasses, posteriorum obliti in anteriora se extendentes. Effraim enim fructificãs, Beniamin filius dexteræ, & Manasses obliuio interpretatur. Manifestare, vt te cognoscam: ostende faciem tuam, vt in præsentia Regis mei audacius pugnem. Excita potentiã tuam, & veni, eripiens inopem de manu fortioris eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Veni à regalibus sedibus, veni tanquam Rex ad reprimendum superbos, ad dirigendum deuios, ad erigendum lapsos, ad remunerandum tuos. Reprimit enim superbos, sicut scriptum est: Deposuit potẽtes de sede. Dirigit deuios, sicut scriptum est: Dirige me in veritate tua. Erigit lapsos, sicut scriptum est, Dominus erigit elisos. Remunerat suos, sicut scriptum est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Nunc autem quò venerit, videamus. Venit in terram exterminij, in terrã exilij nostri. Exterminati enim & exules facti sumus, ex quo extra terminos nostros & solium Paradisi peccatis nostris eiecti sumus. Quia enim transgressi sunt patres nostri terminos à Domino sibi præfixos, meritò exterminati sunt, & filij eorum cum ipsis, quia ex seruis nascuntur serui: & exules sunt, quia nascuntur in terra exilij. Cadente enim homine quem constituerat Deus dominum domus suæ, omnes nos simul in illo cecidimus, nec plenè reparabitur hæreditas, donec plenè reparentur hæredes. Tunc enim noua fient omnia, eritque nouum cœlum, & terra noua. Anima enim mea quæ prius cecidit, Christo subleuante prius surrexit. Et quæ prius in Adam fuit corrupta, ante corporis reparationem fuit reparanda. Primò enim venit Mediator noster reparare animam ad imaginem Dei. Postmodum verò reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Venit igitur in terram exterminij, vt reprobos exterminaret, & electos suos ab angelo exterminatore liberaret, qui primogenita Ægyptiorum occidit, dum fidem, charitatemque in reprobis interimit, vel potentes huius seculi in perditionem trahit. Misit enim in eos Dominus iram indignationis suæ, per angelos exterminatores, per aëreas & iniquas potestates: sicut scriptum est: Immissiones per angelos malos. Meritò igitur Ægyptus, id est, mundus iste, dicitur terra exterminij, in qua exterminantur reprobi ab æterna patria. Sicut scriptum est: Exterminauit eam aper de silua, id est, crudelitas diaboli, qui in siluis, id est, in rudibus, & incultis, & spinosis hominibus inhabitat. Est igitur terra exterminij & vastitatis mundus iste miserabilis, qui vndique ab inimicis vastatur, & multiplici vitiorum igne succenditur & crematur. Et sicut fieri solet in vastitate hostili, ea quæ inimici non possunt prorsus tollere & destruere, subuertere & corrumpere nituntur. Tollunt enim & destruunt bona gratuita, & subuertendo, corrumpunt naturalia rationem, scilicet, & intellectum, quæ corrumpuntur, & inficiuntur, & sensualitati substernuntur. Propterea mundus iste non solùm terra exterminij, sed & desertum vocatur: sicut legimus in Iob: Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, id est, diabolus qui discurrit per mundi desertum, circuiens quasi leo, quærens quem deuoret, concutiens quatuor partes mundi. Mundus igitur incultus, malis herbis repletus, sterilis & aridus, plenus bestiis & serpentibus, in quo reptilia, quorum non est numerus, terra exterminij & desertum appellatur, in quo peregrinamur à Domino. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, in quantum nati sumus ad laborem, & in paupertate atque æstate, tanquam exules viuimus. In hanc autem terram exterminij, in hoc desertum Dominus venit, vt

pinguesce-

*Gene. 2.*

*De multiplici terra & eius apertione.*

*Sapien. 18.*

*De multiplici sede regali.*

*Ioan. 14.*

*Micheæ 5.*

*Isaiæ 6.*

*Lucæ 1.*

*Matth. 25.*

*Quo venerit.*

*De exterminio seu exilio.*

*Isaiæ 40.*

*Ad Phil. 3.*

*Sapien. 3.*

*Exod. 12.*

*Quod mundus iste desertio comparatur.*

*Isaiæ 1.*

*Iob 1.*

*1. Petri 5.*

*Ad Heb. 13.*

*Iob 5.*

pingueſcere faceret ſpecioſa deſerti. Vnde Iſaias: Lętabitur deſerta & inuia, id eſt, mundus iſte ſiue gentilitas, adeo prius derelicta. Poſuit enim Dominus deſertum in ſtagna aquarum: & plures ſunt filij deſertę, quàm eius quæ habebat virum, id eſt, plures filij gentilitatis, quàm ſynagogæ. Petra etiam deſerti, id eſt, mundi dicta eſt gentilitas, quia petras colebat, & à Deo derelicta erat. Proſilit etiã Dominus in terram exterminij, dum in beatam Virginem deſcendit, quæ dicitur in bono terra exterminij & deſertũ, qui omnia à ſe vitia eliminauit & exterminauit. Terra inuia hominibus, & à viris inculta & inaquoſa, ſine fluxu carnalis voluptatis, fontem vitæ ſitiens Ieſum Chriſtum, & remota à ſtrepitu ſecularium. Vnde Oſee: Adducet Dominus ventum vrentem de deſerto, id eſt, Chriſtum, de Virginis vtero. Qui dicitur ventus vrens, igne, ſcilicet, ſpiritus ſancti, vitiorum humorem deſiccans, & corda hominum inflammans. Venit autem Dominus ſaliẽdo, de cœlo in terrã, de ſinu patris in vterũ Virginis, proſilit autem in terram exterminij ipſum eleuando & diuinitatem in ſe oſtendendo, per miracula & opera maieſtatis. Et rurſum ſeipſum ſubmittendo, per opera humanitatis & infirmitatis. Saltum faciebat dum ſe per contemplationem eleuans, rurſus miſeriis noſtris condeſcendebat. Fuit enim quaſi piſcis habens ſquamas & pennulas. Squamas per virtutis rigorem. Pennulas per contemplationis celſitudinem. Squamas per carnis aſperitatem. Pennulas per diuinitatis pręeminentiam. Squamas habuit, id eſt, virtutes ſibi inuicem cohęrentes. Pennulas autem habuit per deſiderium & dilectionem. Venit igitur ſaliendo aſsimilatus capreæ hinnuloque ceruorum, ſicut in Canticis dicitur. Capreę in qua eſt perſpicacitas viſus, hinnulo in quo eſt alacritas ſaltus. Venit ſaliens in montibus, & tranſiliens colles. Sanctis, ſcilicet, maioribus veſtigia ſua imprimendo, & minoribus vmbram refrigerij pręſtando. Iunxit pedes, vt ſaltum faceret. Iunxit pedem diuinitatis, quo omnia ſuſtentantur, pedi huminitatis, id eſt naturę inferiori. Proſiliit autem, id eſt, pro ſalute noſtra ſaliit, vt ſcilicet, ſalire faceret, ſicut ceruum claudum, & daret nobis flumina aquæ viuæ ſalientis in vitam ęternam, id eſt, ſalire facientis. Nunc autem ad quid venerit, videamus. Venit tanquam durus debellator, vt poteſtates aëreas expugnaret, & vt duris vinculis fortem armatum, ipſe fortior alligaret: Durus debellator potẽtes potenter expugnans, & dura atque incurabilia vulnera infligens æternis cruciatibus eos deputans. Sicut ſcriptum eſt in libro Sapientiæ: Potentes potenter tormenta patientur, & maioribus maior inſtat cruciatus. Et Apoſtolus ait: Durum eſt incidere in manus Dei viuentis. Venit durus debellator, quia cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, armabuntur contra impios in vltionem, quando aduocabit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Venit durus debellator, quia qui ceciderit ſuper hunc lapidem, confringetur. Super quem autem ceciderit, conteret & comminuet illum. Durus etiam dicitur, quia inſuperabilis fuit & indiſſolubilis, ſecundum coniunctionem diuinitatis & humanitatis. Fuit enim Chriſtus quaſi triplex funiculus, ex diuinitate, & anima, & carne, quẽ impoſsibile eſt rumpi vel diſſolui. Nun quam enim à corpore & anima ſeparari potuit diuinitas. Eſt igitur omnipotens ſermo Dei durus debellator, non mollis, non remiſſus, ſed viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Viuus facto, quia quęcunque, vult operatur, & efficax promiſsio, quia quod promittit in veritate, ſuis largitur. Penetrabilis iudicio, quia illi nihil occultatur. Vnde in Parabol. Salomon ait: Sapiens ſibi videtur vir diues, ſed pauper ſapiẽs ſcrutabitur eum, id eſt, Chriſtus in iudicio, durus autem in prælio, quia manu affixa cruci, poteſtates aëreas expugnauit, & nos de manu inimici potẽter eripuit. Sicut in Cant. dicitur. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſsimilaui te. Quaſi diceret: Sicut Iſraëliticũ populũ Pharaonem impugnando liberaui, ita liberaui te de ſeruitute & manibus diabolo. Venit igitur durus debellator vindictã in malefactores exercẽs. Hęc eſt iuſtitia, pacẽ generans. Vnde Pſal. ait: Iuſtitia & pax oſculatę ſunt. Durus ergo debellator quantũ ad ſeipſum fuit qui ſibi non parcẽs pro nobis in hoc bello, multa dura ſuſtinuit, vt oſtenderet quàm grauia eſſent vulnera noſtra, pro quibus ſanandis ipſum vulnerari oportuit. Vnde Ioannes in Apocal. ait: Quod venit ſuper equum album, id eſt, in carne munda & oculi eius ſicut flamma ignis, id eſt, dona ſpiritus ſancti, & indutus erat veſte aſpera ſanguine, id eſt, carne paſſa, & vulnerata in cruce vel eccleſia ſua, quæ ſtolã ſuam lauit in ſanguine agni. Durus etiam fuit diabolo capiens leuiathã quaſi hamo ferreo, vt ipſum extraheret à cordibus peccatorum. Diabolus enim vt animas caperet in hamo deceptionis, poſuerat eſcã illicitę voluptatis. Chriſtus autem in hamo diuinitatis appoſuit eſcam carnis, vt caperet leuiathã hamo, & de faucibus eius prædam extraheret. Linea autem fuit Chriſti genealogia. Linea igitur fuit funiculus triplex, qui difficile rumpitur ex lege & Prophetis, & doctrina Euangelica, per quem à cordibus peccatorum extractus eſt diabolus. Pugnauit igitur Dominus contra mundum, pugnauit etiam contra diabolum. Contra mundum pugnauit. Vnde ipſe ait: Confidite, quia vici mundum. Damnauit mundi auaritiam, dum in ſe conſeruauit paupertatem. Deſtruxit ſuperbiam, dum in ſe oſtendit humilitatem. Voluptatem reprobauit, dum in ſe multa aſpera ſuſtinuit. Vanam etiam gloriam condemnauit, dum in occulto & ſecreto ſilentio, non in pompa venire voluit. Pugnauit contra diabolum, & humiliauit tanquam vulneratum ſuperbum, manum trahentem illi ab ſcindens & flagellantem debilitans. Diabolus enim antequam veniret Chriſtus tanquam princeps dominabatur mundo, & quaſi tyrannus genus humanum crudeliter flagellabat incarcerans, excorians, iugulans, & deuorans filios Adam. In mundo enim

*Iſaiæ 35. Item 54.*

*Quod beata Virgo terra exterminii & deſertum ſpiritualiter dicitur.*

*Oſee 13.*

*De ſalta Domini.*

*Leuit. 11. Simile.*

*Cant. 2.*

*Iſaiæ 35. Ioan. 4. Ad quid venerit Dominus & quare durus debellator dicatur.*

*Matth. 12. Mar. 3. Sapien. 6. Ad Heb. 10.*

*Matth. 22. Eccle. 4. Sapien. 18. Ad Heb. 3.*

*Parab. 28.*

*Cantic. 1. Simile.*

*Apoc. 19. Item 7. Iob. 40.*

*De bono hamo, & malo & piſcatione diaboli atque piſcatione Chriſti.*

*De pugna Chriſti contra mundum & diabolum. Ioan. 16. Ioan. 13.*

quaſi

quasi in carcere premebantur variis miseriis & angustiis excoriabantur, morte iugulabantur, Ab inferno absorpti deuorabantur: Abscidit autem Dominus ei manum occidentem quantum ad electos, sed tamē reliquit ei manum flagellantem ad suorum probationem. Nondum enim cessat impugnare & flagellare genus humanum, emittens spiritum ignis in persecutione Martyrum, spiritum sulphuris in persecutione hæreticorum, spiritum caliginis in persecutione falsorum fratrum & hypocritarum: Spiritum autem tempestatis emittet in persecutione Antichristi, sed non est multum timendus, quia nihil potest, nisi permissus. Venit enim omnipotens sermo, durus debellator, vt inimici destruetet duritiam, & confunderet eius superbiam, & obstinatam malitiam. Vnde ipse per Prophetam Zachariam ait: Dispergam quadrigam de Effraim, id est, quadrigam multitudinis dæmonum: nam Effraim fructificatio interpretatur. Huius autem quadrigæ quatuor rotæ, sunt quatuor prædictæ diaboli tentationes, Dominus enim quadrigis suis, prædictas quadrigas destruxit, de quibus dicitur: Et quadrigæ tuæ saluatio. Et in Canticis: Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab, qui fuit de tribu Iuda, & interpretatur spontaneus, Christum significat, qui spontè mortem sustinuit, cuius qnadragæ, id est, quatuor Euangelia animas Sanctorum conturbant ad compunctionem. Restat videre quando Dominus venerit. Venit mediator noster medio silentio, venit media nocte: Nascitur in medio, moritur in medio, id est, inter cœlum & terram in aëre, operatur salutem in medio terræ, vbique & in omnibus se verè mediatorem ostendens. Vnde Abacuc Propheta ait: Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, opus, scilicet, redemptionis humanæ. Venit sermo in silentio. Gratior autem est aduentus dum sermo in silentio, lux in tenebris, pluuia in siccitate, medicus in ægritudine venit. Venit sermo ad silentes, Deus Deorum Dominus locutus est, & omnes alij siluerunt, loquente Domino, maiores personæ siluerunt & ei cesserunt. Venit igitur Dominus in medio silentio, quasi inter duos gallorum cantus. Prius enim Prophetæ cecinerunt, posteà Apostoli, tanquam galli dormientes, euigilauerunt, quorum vnus ait: Euigilate iusti, & nolite peccare. Et iterum: Hora est iam nos de somno surgere. Cùm igitur medium esset silentium, inter præcedentes & subsecutores clamores, venit Dominus & dormientes euigilauit, sicut prænuntiauerat Propheta, dicens: Deus noster manifestè veniet, & non silebit. Medium etiam silentium dicitur, quod fuit inter primum & vltimum silētium. Primum silentium fuit legis naturæ ante legem Moysi, quando vix inueniebatur, qui faceret alij, quæcunque vellet sibi fieri. Vltimum autem silētium legis, scilicet, euangelicæ, erit tempore Antichristi, quando vix inuenietur, qui Christi nomen audeat confiteri. Medium autem silentium fuit legis Mosaicæ, imminente aduentu Christi, quia à paucis obseruabatur, sicut debuit obseruari. Venit igitur Dominus in medio silentio, quemadmodum Psalmista ait: Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legē tuam: Tempus faciendi opus tuum, id est, redimendi genus humanum, quia iam, scilicet, lex quæ à paucis vel nullis custoditur, iam non placet tibi obseruantia legalium, Holocaustum pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio: Fuit igitur primum silentium sub lege naturæ, in quo homines ignorabant morbum: Secundum silentium sub lege scripturæ, quando non quærebant remedium: Tertium, tēpore Antichristi, quando despicient Medicum. Primum silentium, transgressio legis naturæ: Secundum silentium, transgressio legis scriptæ: Tertium, præuaricatio legis Euangelicæ. Silentium enim dicitur quando tacet homo à Dei laude. In primo silentio fuerunt muti, Deum nō laudantes, sed idolis seruientes. In secundo, surdi, Prophetis auditum prębere nolentes. In tertio erunt muti & surdi, nec Deum laudantes, neque eius verbum audientes. Primum silentium rupit Moyses: Secundum silentium rupit Christus: Tertium rumpent Helias & Enoch in fine mundi. Dicitur prætereà medium silentium, inter malum silentium quod præcesit, & bonum, quod subsecutum est. Primum silentium malum fuit, sub lege naturæ ex ignorantia erroris: Secundum silentium peruersum, sub lege Mosaica, ex desperatione curationis, quia grauabamur vi morbi & mole peccatorum: Tertium silentium bonum, sub lege Euangelica fuit pro adeptione sanitatis, sicut silet puer quando habet id quod petit: Vnde & cum silentio audimus Euangelium, quia quod petebamus, videmus iam impletum. Per primum silentium peccauit homo in filium: Per secundum, in spiritum sanctum: In tertio autem silentio facta est exhibitio promissionum: Quarta ratione dictum est, medium silentium, id est, cōmune. Omnes enim ferè silebant in vniuerso mundo: Silebant enim à Deo, dum ipsum, nec corde, nec ore laudabant: Silebant à seculo, dum eius malitiam, nec verbo, nec opere damnabant: Silebant à seipsis, dum peccata sua per confessionem non aperiebant. Venit præterea Dominus media nocte, dum nox in suo cursu medium iter haberet: Ad literam, media nocte natus est Dominus, vt ostenderet quòd tenebras nostras illuminare veniret, sicut scriptum est: Et lux in tenebris lucet: Vnde & nocte illa missa celebratur. Sicut scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur. Nocte enim media Dominus ad nos venit, quasi ros nocte, & de supernis descendit. Nocte media virga Aaron floruit: Media nocte Dominus de cœlo Manna descendere fecit: Media nocte Sampson portas Gazæ tulit: Media nocte ab angelo exterminatore Dominus filios Israël liberauit: Media nocte Dominus Victor ab inferis remeauit: Media nocte clamor fiet, Ecce spōsus venit. Spiritualiter autem, dum nox culpę & infidelis vita peccatorū medium iter haberet, dum densissimis peccatorum tenebris mundus inuolueretur, omnipotens sermo venit,

*De multiplici spiritu malo.*

*Zach. 9. De quadriga diaboli & quatuor rotis eius & de quadrigis Domini. Abac. 3. Cantic. 6.*

*Quando venerit Dominus & de multiplici silentio. Abac. 3.*

*Quod medium silentium multipliciter dicitur. 1. Cor. 15. Ad Rom. 13.*

*Sapien. 18. Quod media nocte natus est Dominus. Ioan. 1. Num. 17. Exodi. 16. Iudic. 16. Exodi 12. Matth. 25. Sapien. 18.*

venit, vt illuminaret sedentes in tenebris, & in vmbra mortis: Huius autem noctis culpæ primum iter est, peccati perpetratio: Medium iter, peccati consuetudo: Tertium iter, desperatio. De hac nocte dicitur: Per totam noctem laborates, nihil cœpimus. In nocte enim peccatorum laborantes, sui laboris præmio priuantur, quia modicum fermenti totam massam corrumpit. Qui autem in hac nocte ambulat, nescit quò vadat, nunc offendens pedes suos ad scandalum, nunc cadens in lutum, aliquando labitur in præcipitium, aliquãdo cadit in lacum seu laqueum: In scandalum & montem superbiæ: In lutum luxuriæ: In præcipitium Gulæ: In lacum vel laqueum auaritiæ. Ambulandum est igitur in die honestatis & bonæ operationis, vt tãdem perueniamus ad diem æternitatis. Nox igitur, id est, nocturnus diabolus in suo cursu medium iter agebat, quia pro libitu suo communiter vbiq; discurrebat: Sicut scriptum est in Iob. Circuiui terram & perambulaui eam. Licitè enim per mundum laxis habenis discurrebat, donec Christus venit, & in maxillis eius frenum posuit: Secundum quod Propheta postulat, dicens: In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Noctis etiam nomine mors appellatur, sicut scriptum est: Veniet nox, quando nemo poterit operari. Hæc nox in cursu suo ante Christi aduentum medium iter habebat, quia communiter omnes ad infernum mittebat. Nox etiam ignorantiæ medium iter habebat, quia ferè omnes homines inuoluebat: Hanc noctem Dominus veniens illuminauit: sicut scriptum est, Deus meus, illumina tenebras meas. Dominus enim fuit nobis columna ignis per noctem contra ignorantiam, & columna nubis per diem contra tentationum feruorem. Virga enim Iesse nucẽ protulit, quæ trinum gerens nucleum tria cõfert, vnctionem, lumen & edulium. Vita etiam præsens noctis nomine nuncupatur, in qua conscientias nostras inuicem non cognoscimus. Vnde Isaias: Custos qui de nocte, id est, qui de nocte vigilas, quia non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Et Propheta ait: Memor fui nocte nominis tui Domine, id est, in hac vita præsenti tui memoriam habui. Dicitur autem vita huius seculi nox, propter ignorantiam. Vnde Euangelista: Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadit, propter culpam. Vnde Apostolus: Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Et Iob: Pereat nox, in qua dictum est, conceptus est homo. In nocte enim originalis peccati omnes cõcipimur: quæ destruitur die gratiæ in baptismo. Propter aduersitates & miserias. Vnde Psalmista: Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem: Sol dicitur æstus maioris tribulationis, Luna verò minor tribulatio, quæ non nocet Sanctis in nocte aduersitatis: Ipsi enim noctem verterunt in diem, quia aduersa prospera reputãt. Sicut Psalmista ait: Probasti cor meum, & visitasti nocte. Et beatus Gregorius ait: Cùm omnis fortuna timenda sit: magis timenda est prospera, quàm aduersa: Quia hæc erudit, illa excęcat: ista consolidat, illa corrumpit. Dicitur etiam vita præsens, nox, propter timorem. Beatus enim homo, qui semper in hac vita est pauidus: Et propter obscuritatem, Quia videmus nunc per speculum & in ænigmate: Et propter frigiditatem, quia refrigescit caritas multorum: Et propter torporem, Vnde Salomon ait: Propter frigus piger arare noluit: Et propter silentium. Vnde Psalmista ait: Silui à bonis. Et iterum: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Canticum enim Domini cantatur à Sanctis in patria, quod non potest cantari in præsenti vita. Dicitur etiam nox propter incertitudinem mortis, vel aduentus Iudicis. Vnde media nocte clamor factus est. Et propter pœnitentiam, & pœnitentium dolorem, Vnde Psalmista ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi: Et in Cantico, In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea. Et propter lucis expectationem: Vnde Petrus in epistola Canonica: Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attẽdentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Dicitur etiam vita præsens, nox, propter minorem scientiam, & cognitionem. Vnde Psalmista: Nox nocti indicat scientiam. Et Daniël ait: Aspiciebam in visu noctis. Habet autem nox huius vitæ præsentis quatuor vigilias, quas super gregem nostrum custodire debemus, ne dominus, qui nocte venit, & nocte venturus est, inueniat nos dormientes. Multa autem sunt, quæ nos à somno excitant, ne dormiamus domino veniente, Solis ortus Christo illucescente. Gallicantus Christo prædicante. Timor furis, diabolo insidiante. Sollicitudo rei familiaris ne spoliemur propria possessione. Claui & spinæ Christi, quæ pungunt ex compassione. Memoria vitæ præteritæ. Recordatio mortis vicinæ. Considerario suppliciorum. Contemplatio præmiorum. De his autem vigiliis Marcus ait: Vigilate, nescitis enim quando dominus domus veniet, serò, an media nocte, an gallicantu, an manè. Prima noctis vigilia dicitur conticinium, quam in hoc loco pro sero intelligimus. Secunda dicitur intempestum, quam per noctem mediam intelligimus. Tertia dicitur gallicinium, quæ in Euangelio gallicantus appellatur. Quarta dicitur antelucanum, siue diluculum, quam Marcus manè appellat. Et nos vitam nostram, quasi in quatuor horas & vigilias distinguamus. Vt sit prima vigilia contemptus mundi, quæ habet tres horas, scilicet, contemptum honorum, diuitiarum, & voluptatum. Quæ non debemus hìc quærere, sed vbi verè diuitiæ, & honores, & voluptates possidentur. Quod enim decet, expedit, & delectat, id est, honestatem, vtilitatem, & iucunditatem ibi quærere debemus, vbi verè ea recipere valeamus. Secunda vigilia, Castigatio carnis, quæ tres horas habere debet. Frequens ieiunium, & assiduitatem vigiliarum, atque laborem manuum. Tertia vigilia est appetitus virtutum, quæ tres habet horas, largitionem eleemosynarum,

*De multiplici itinere noctis culpæ, & de nocte multiplici.* *Lucæ 5.* *1. Ad Cor. 5.* *Ad Gal. 5.* *Ioan. 12.* *Iob 1.* *Psal. 31.* *Ioan. 9.* *Exodi 14.* *Isaiæ 21.* *Item 21.* *Quod vita præsens dicatur nox.* *Ioan. 12.* *1. Ad Thessa. 5.* *Iob 3.* *Item 17.* *Gregorius.* *Prou. 28.* *1. Ad Cor. 13.* *Matth. 24.* *Prou. 20.* *Matth. 25.* *Cantic. 3.* *2. Petri 1.* *Daniel 7.* *De quatuor vigiliis noctis.* *Lucæ 2.* *Matth. 13.* *Quod multiplici ter à somno excitari debemus.* *Mar. 14.* *De prima noctis vigilia & tribus horis eius.* *De secunda noctis vigilia & tribus horis eius.* *De tertia vigilia, &c.* *De quarta vigilia & horis eius.*

narum, effusionem lachrymarum, & frequẽtiam orationum. Quarta vigilia, quæ magis ęternæ luci appropinquat est desiderium æternorum: quę tres habet horas, obliuionem temporalium, contemplationem spiritualium, expectationem pręmiorum: Et ita totalis nox nostræ præsentis vitæ & conuersationis distinguitur duodecim horis. Hæc autem nox præsentis vitæ medium iter in cursu suo peragit, quia ad alterum extremorum ad cœlum sursum, vel ad infernum

*Para. 25.* deorsum animas perducit. Illuxit autem dies mundo, Christo adueniente, cuius aurora fuit in eius natiuitate, meridies in prædicatione, vespera in morte. Venit igitur omnipotens sermo Patris, dum medium silentium tenerent omnia. Venit etiam dum nox in suo cursu medium

*Conclusio cum morali prædictorum epilogo.* iter ageret, venit in terrã exterminij. Vt igitur ad nos venire dignetur filius Dei, studeamus, vt simus terra exterminij, omnium vitiorum monstra à nobis exterminantes. Sit terra nostra spirituale desertum, à vitiis derelicta, arida sine malo humore vitiorum carnalium. Aspera per afflictionem, & vitæ austeritatem. Sit solitaria, vt à nobis abiiciamus curas & sollicitudines huius seculi, & turbarum frequentiam. Simus in nocte doloris & pœnitentiæ, sicut scriptum

*Iacobi 3. Cantico.* est: Miseri estote & lugete, vt lauemus per singulas noctes contritionis & pœnitentiæ lectum conscientiæ nostræ: vt veniens ad nos Dominus in hac nocte, tandem nobiscum cubet in meridie, id est, in feruoris charitate, vel in otio misericordiæ. Et quia in pace factus est locus eius,

*De multiplici silentio & pace spirituali.* vt omnipotens sermo veniat in silẽtio. Habeamus in nobis spirituale silentium, pacem pectoris, & tranquillitatem serenæ conscientiæ. Teneamus silentium in corde, in ore, & in opere. Vbi enim tumultuatur in carne concupiscentia, vociferatur in ore fallacia, in spiritu perstrepit & garrit superbia, & malitia, omnipotẽs sermo nõ venit, quia silentiũ, quod diligit, nõ reperit.

*De silentio cordis,* Habeamus igitur silentium cordis, vt in lecto tranquillæ conscientiæ dormiamus & requiescamus, somno pacis in dormitorio tranquillitatis. Ordinemus lectulum quietis, vt fruamur pace pectoris, & in munditia conscientiæ, tanquam in albis limtheis quiescamus. Substernamus autem fœnum carnis, vt animalitas subiaceat rationi, & caro non cõtradicat spiritui. Dormiamus

*Ezech. 4.* autem cum Propheta Ezechiele super sinistrum latus, omnia aduersantia æquanimiter & sine murmure portando, vt tandem super latus dextrum cum eodẽ Prophera dormire mereamur. Dum enim vitia succumbunt, & virtutes obediunt, tũc animus securius & trãquillius dormit,

*De silentio oris. Parab. 10. Item 13.* & de sinistro latere in dextrum se conuertit. Teneamus etiam oris silentium, quia in multiloquio nõ deerit peccatum. Qui autem custodit os suum, custodit animam suam. Cultus autem iustitiæ est silentium. Caueamus autẽ ne dormitorij nostri tectum discooperiat, ventus & turbo tentationum, ne somnum nostrum hostis, id est, diabolus seruus, id est, mundus, vxor,

*De impedimentis spiritualis somni.* id est, sensualitas, vicinus, id est, proximus noster impediat. Diabolus igitur eiiciatur, mundus subiiciatur, caro castigetur, proximus diligatur, ne somnus noster interrumpatur. Omnis insuper secularium curarũ strepitus abiiciatur, vt fabulanti mundo non præbeamus auditum. Vn

*Gregorius.* de beatus Gregorius ait. Si interna contẽplari volumus, necesse est vt ab omni exteriori occupatione dormiamus. Aurem enim cordis terrenarũ cogitationum turba dũ perstregit, claudit. Et iterum: Omnes qui vel illicita appetũt, vel in hoc mundo aliquid videre volunt, densissimis cogitationũ tumultibus in corde prænuntur: dumq; desideriorũ turbas cõtra se excitant, prostratã mentẽ pede miseræ frequentationis calcant. Econtra verò sancti homines sicut dicitur in

*Iob. 3.* Iob, ędificant sibi solitudines, quia nihil huius mundi appetunt, & transitoria cuncta despiciũt.

*Simile.* Vnde nascentes ex his cogitationum insolentias nõ patiuntur, nec illi quibus in corde tumultibus cõpremuntur, quia vno affectu ad supernæ patriæ amœnitatẽ anhelant. Non igitur omnĩ transeunti diuaricemus pedes nostros, quia mens diuisa non impetrat, & fluuius qui in multos riuulos diuiditur, à suo fonte citò siccatur. Teneamus ergo primum silentium patienter tollerando aduersa. Teneamus medium silentium, licèt in hac vita nequaquam possit esse perfectum, quia silentium factum est in cœlo, id est, in anima contemplante cœlestia. Vix dimidia

*Apoc. 8. ad Phil. 3.* hora sicut in Apocalypsi dicitur, vt tandem ad vltimum & perfectum silentium, & ad pacem quæ exuperat omnem sensum, in cœlesti patria peruenire mereamur.

## EADEM DIE, THEMA SVMPTVM de Epistola ad Galatas.

*Galat. 4.* *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre:*

*Quod semper in melius proficere debemus.* HORTATVR nos Apostolus in hodierna epistola, vt semper proficiamus in melius, tendentes de virtute in virtutem, ad statum perfectionis, vt posteriorum obliti, in anteriora nos extendamus. Charitas enim non potest esse otiosa, aut enim proficit, aut

*ad Ephe. 2.* deficit. Iustus enim vt palma florebit, modestè inchoans, & ad ampliora vsque ad robur perfectionis se semper extendens. Non enim semper debemus esse paruuli vel carnales, sed

*Lucæ 2.* crescere in Christo, & effici spirituales. In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Vnde Christus cùm esset annorum duodecim, relicta matre, remansit in templo, quia in his quæ patris eius sunt, oportebat eum esse. Debemus igitur

*Isaiæ 65.* sicut ætate proficimus in corpore, ita spiritualiter multiplicari in gratia & charitate. Scriptum est in Isaia: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledi-

maledictus erit. Et Paulus ait ad Corinthios: Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabã vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Propterea Apostolus in hodierna epistola inducit exemplum de puero, qui nõ semper est sub pædagogo, sed quandoq; liber & sui iuris efficitur. Paruulus est, qui non est à terra eleuatus, sed in terra scriptus: sicut hi, de quibus dicit Ieremias: Qui recedunt à te, in terra scribentur. Quia sicut pergameno adhæret incaustum, ita ipsi terrenis adhærent. Puer verba semiplena loquitur, quod faciunt illi qui duobus dominis seruire volunt, & diuisi sunt. Operibus enim Deo loquimur. Quidam autẽ sunt qui more Iudæorũ, seruili timore & nõ filiali amore, bonum operantur, & semper carnaliter sapiunt. Sunt aliqui qui tanquam serui præmium suum hîc habere volunt: cùm scriptum sit, Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Qui, scilicet, volunt colligere fructum ante maturitatem, & ita totum amittunt. Scriptum est enim: Qui crediderit, non festinet. Vnde diuiti epuloni respõdit Abraham: Recepisti bona in vita tua. Alij autem sub lege licèt charitatem haberent, semper tamẽ paruuli & quasi sub pædagogo, nunquam plenitudine gratiæ adulti, nunquam de libertate plenè confidebant. Cùm scriptum sit: Perfecta charitas foras mittit timorem. Nos autem qui sumus in tempore plenitudinis, tanquam filij & cohæredes Christi ei debemus amore coniungi, de libertate confidentes. Vt enim nos liberos efficeret, cùm esset hæres & dominus omnium, factus est paruulus sub matre sua & Ioseph, & erat subditus illis, tanquam sub tutoribus, nihil differens à seruo, quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Factus sub lege scripturæ, vt redimeret eos qui erant sub lege culpæ, id est, reparans legem naturæ per legem gratiæ. Tempus enim gratiæ dicitur plenitudo temporis, id est, tempus plenitudinis, quia quod in aliis temporalibus est promissum, in isto est completum. Alij habuerunt folia & flores, nos autem fructum. Quasi hyems fuit ab Adam vsque ad Moysen. Sub lege verò scripturæ, cùm iam mundus aliquantulum cœpit illuminari, & quasi virescere in parte, vsq; ad Christi incarnationem, fuit Ver. Extunc incœpit Æstas, cùm iam fructus appropinquaret ad maturitatem. Vnde Dominus: Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. Post passionem verò amota rumphea, & aperta Paradisi ianua, fuit Autumnus & plenitudo temporis. Vt igitur secundum mutationem temporum, fiat in nobis in melius mutatio morum, & iuxta plenitudinem temporis, habeamus plenitudinem charitatis, & semper tendamus ad cumulum perfectionis. Assignat Apostolus in hodierna epistola differẽtiam inter tempus legis scriptæ, & tempus Euãgelicæ gratiæ, sumens similitudinẽ ex humana consuetudine, quia paruulis quàm diu sunt minoris ætatis, dantur tutores, qui eos defendant, & auctores, qui pro eis causas agant, & mores eorum informent. Illo autem tempore, & in illa ætate, nihil à seruis differunt, quantum ad hoc quod timore coguntur, & à malo flagellis & verberibus compescuntur, nec vllam habent potestatem, quamuis futuri sint domini hæreditatis & totius possessionis. Pari modo lex data fuit rudi populo loco tutoris, contra malignorum spirituum impugnationes, & Gentilium persuasiones, qui Iudæos ad Idololatriam pertrahere conabãtur. Lex autem admonendo, comminando, puniendo, Iudæis timorem incutiebat, & pluribus illorum hæreditatem conseruauit, quoniam ex illis Christus multos ab inferis liberauit. Fuit igitur illis lex loco auctoris, quia causam eorum apud Deum benè egit, dum non solùm per præcepta decalogi, sed per sacrificia & varia expiationis genera suo tempore obseruata, Deum illis placatum reddidit, vsque ad tempus præfinitum, quo constituit Dominus, vt euacuarent quę sunt paruuli, & fierent liberi & perfecti, alioquin hæreditate priuarentur. Quamdiu igitur paruuli fuerunt, sub elementis mundi erant seruientes. Sicut enim ab elementis primũ vsum discendi paruuli sumunt, & postmodũ ad maiora se transferunt: ita Iudæi à lege, tanquam ab elementis, primam institutionem habuerunt, sed posteà veniente tempore plenitudinis, ad maiora transire debuerũt. Erant igitur sub elementis, id est, sub lege & Prophetis: vel sub elementis erant, quia neomœnias & sabbata obseruabant. Multi etiam ex illis cursum Solis, & ætatem Lunæ, atque annos, & tempora, more Gentilium attendebant elementis huius mundi seruientes. Vt autem ab huiusmodi seruitute Deus eos liberaret, vbi venit plenitudo temporis, in quo plena dona spiritus sancti conferuntur, & mundus plenius illuminatur, misit Deus filium suum, vt de seruis filios faceret, vt multos fratres & cohæredes acquireret. Natus est enim ex muliere, factus mulieris filius per naturam, vt nos filij essemus, & adoptionem filiorum reciperemus per gratiam. Primus enim homo, id est, Adam, fuit filius terræ. Secundus, id est, Eua, filius costæ, omnes alij præter Christum, filij hominum ex matre & fœmina procreati. Solus Christus filius hominis fuit, & non hominum filius, scilicet, virginis quam hic mulierem appellat, id est, fœminam, tatione sexus. Sicut Eua cùm adhuc virgo esset, mulier appellatur, vbi dicitur: Formauit eam in mulierem. Non solùm autem ex muliere nasci, sed insuper sub lege fieri voluit, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Ipse enim expiatione legis non indigebat, qui immunis à peccato, & Dominus legis erat. Quia igitur qui pro nobis sese humiliauit, soluẽs quod nõ debuit, à debito & graui legis iugo, quo deprimebamur, nos redemit. Non tantùm autem filium, sed insuper spiritum filij misit. Duos habebat, & duos nobis dedit. Misit filiũ suum, vt nos redimeret: misit spiritum suum, vt nos sanctificaret, clamantem in cordibus nostris, id est, clamare facientem: Abba pater. Idem est Abba quod Pater, vnum Græcum, aliud Latinum: hæ autem duæ linguæ

1. ad Cor. 13. De paruulo & eius proprietatibus.
Ierem. 17.
Matth. 5. Lucæ 16. De seruiliter timentibus.
Prou. 20. Isaiæ 28. Lucæ 16. De imperfectis qui non tendunt ad perfectionem.
1. Ioan. 4. ad Rom. 8. Lucæ 2. ad Gal. 4. Matth. 20. Marc. 10. De multiplici lege & de tempore plenitudinis & quatuor partibus ipsius.
Ioan. 4. Matth. 4. Marc. 1.
1. ad Cor. 13. ad Gal. 4. Simile.
ad Gal. 4. De multiplici filiatione.
Gene. 2. Quod sub lege factus est Christus.
ad Gal. 4.

Deum

Deum laudant. Tertia lingua, id est, Hebræa adhuc filéte. Itaque iam non est seruus, id est, non debet esse seruus, sed filius, vt sit hæres non meritis suis, sed per Deum, per spiritum, scilicet, adoptionis & gratiam Dei. Seruus autem non est hæres, quia non manet in domo in æternum. Lex enim per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum. Hæc est lex Domini immaculata conuertens animas, quæ nō de mōte Synai, sed de Syon exiuit. Sicut scriptum est: De Syon exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem: De qua lege Propheta ait: Pax multa diligentibus legem tuam. Hæc est lex fraternitatis, charitatis & iustitiæ. De qua Apostolus ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Hæc est lex gratiæ, quæ liberat à lege culpę, de qua Apostolus ait: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hæc est lex spiritus, quæ scribitur non in lapideis tabulis, sed in corde molli, tractabili & carneo, De qua Dominus per Iohelem ait: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et Dauid ait: Benedictionem dabit legislator. Hæc lex à seruitute legis mosaicæ, & ab omni seruitute culpæ liberat. Vnde Dominus: Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Et Apostolus de hac lege ait: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Sub lege autem Mosaica cùm essent paruuli, non differebant à seruo. Seruiebant enim timore pœnæ in angaria, seruiebant tanquam mercenarij in auaritia pro remuneratione temporali, sicut scriptum est. Confitebitur tibi cùm bene feceris ei. Seruiebant tanquam hypocritę in apparentia: sicut scriptum est. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Seruiebant in nequitia & tristitia. Sicut Salomon ait: Præcordia fatui tanquam rota plaustri fœnum, scilicet, portans, sed murmurans. Nunc autem cum tempus gratiæ & plenitudinis, tempus suauitatis, & veritatis aduenit, conuertenda sunt praua in directa, & aspera in vias planas, vt quæ aspera erant sub lege, plana sint & suauia sub gratia. Non iam igitur sub lege quæ data est duris in flagellū, mediocribus in pædagogum, perfectis in signū esse debemus, nō duri & rebelles, sed obedientes, & tractabiles, non serui sed liberi. Non paruuli sub pędagogo, sed magni & perfecti, nō sub figura, sed sub veritate, nō sub vmbra sed sub luce. Lex enim inchoabat, quia neminē duxit ad perfectū, gratia perficit & consummat. Prætereà à lege ad gratiam, velut qui transit ab elemētis ad syllabas, à syllabis ad dictiones, à dictionibus ad perfectas constructiones transire studeamus. Hoc est quod in Euangelio dicitur: Vltro enim terra fructificat. Primò herbam, deinde spicas, deinde frumentum plenum in spica. Per herbam status incipientium, per spicam status proficientium, per frumentum plenum in spica, status perfectorum intelligitur. Tunc autem vt ait beatus Augustinus homo perfectus est, quando charitate plenus est. Amore igitur non timore seruili, sicut Iudęi sub lege, quę comprimebat manum non animum: Domino seruiamus. Perfecta autem charitas foras mittit timorem, id est, timorē pœnam. Nam sine timore cautelæ nunquam debet homo esse. Beatus enim homo qui semper est pauidus. Sancti enim semper sibi timent in hac vita, propter imminentia pericula. Vnde Apostolus ait: Qui stat, videat ne cadat: propter occulta peccata. Vnde Psalmus: Delicta quis intelliget? Et propter insufficientiam meritorum. Omnis enim perfectio vię respectu perfectionis patriæ imperfectio est. Vnde Dauid ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Et beatus Gregorius ait: Nemo est qui tantum virtutis apprehendat quantum desiderat: vt ex hoc quod apprehendere conatur & non valet, in illis se non eleuet, quæ valet. Dicitur tamen homo perfectus in respectu & comparatione aliorum, sicut de Noë dicitur: quod perfectus fuit in generationibus suis. Est enim multiplex perfectio, vna sufficientiæ, quæ sufficit cuilibet ad salutem. Hæc autē dicitur perfectio iustitiæ. De qua Dauid ait: Perfice gressus meos in semitis tuis. Hāc habet quilibet iustus qui Deū diligit plusquā se, & proximū sicut seipsum. Alię perfectiones dicūtur supererogātiæ. Est enim perfectio intelligētię de qua Apostolus: Sapientiā loquimur inter perfectos. Et iterum. Perfectorum solidus est cibus: Est perfectio continentiæ in his qui in carne præter carnem viuunt. De qua Dominus: Non omnes capiunt verbum hoc. Et iterum: Qui potest capere, capiat. Est perfectio serenitatis & securitatis bonæ conscientiæ. Vnde Apostolus. Nihil mihi conscius sum. Et iterū: Gloria nostra hæc est testimoniū conscientiæ nostrę. Est perfectio paupertatis voluntariæ. Vnde Dominus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus. Est perfectio in diligendo inimicum, & in reddendo pro malo bonum. Vnde Dominus: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui est in cœlis, qui facit solē suū oriri super bonos & malos. Et subiungit. Estote igitur perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Et in Euangelio dicitur: Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius, id est, Christus in tollerando, scilicet, non in vlciscendo iniurias, & in reddendo bonum pro malo. Est perfectio in ponendo animam pro Christo, & pro salute proximorum. Vnde Dominus: Maiorem charitatem nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis. Est perfectio in nō metuendo pœnā temporalem. Vnde Dominus: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Est perfectio desiderij in his qui habent vitam in patientia: & mortem in desiderio. Vnde in Canticis: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, tanquā virgula fumi ex aromatibus? Ad istas igitur perfectiones tendere debemus, vt non semper paruuli simus: sed tandem ad perfectionē gloriæ peruenire valeamus. De qua Apostolus ait: Cùm venerit quod perfectū est, euacuabitur quod ex parte est. Et Psalmus ait: Omnis cōsummationis vidi finē. Cuiuslibet enim perfectionis viæ, finis est perfectio patriæ, perfectio, scilicet, vitæ beatæ. Cresce-

*Ioan. 8.*
*Item 1. De lege gratiæ.*
*Isaiæ 2.*
*Michæ. 4.*
*De lege gratiæ.*
*Ad Gal. 5.*
*Ad Rom. 7.*
*Ezech. 11.*
*Iohel. 4.*
*Ioan. 15.*
*Ad Rom. 7.*
*De multiplici seruitute.*
*Isaiæ 29.*
*Eccle. 33.*
*Isaiæ 40.*
*Ad Heb. 7.*
*Matth. 4.*
*Augustinus.*
*Ioan. 4.*
*Parab. 28.*
*1. Ad Cor. 10.*
*Gregorius.*
*Gene. 6.*
*De perfectione multiplici.*
*Luce 10.*
*1. Ad Cor. 2.*
*Ad Heb. 5.*
*Matth. 19.*
*2. Ad Cor. 4.*
*Matth. 19.*
*Matth. 5.*
*Luce 6.*
*Matth. 5.*
*Luce 6.*
*Ioan. 15.*
*Matth. 10.*
*Luce 12.*
*Cant. 3.*
*2. Ad Cor. 13.*

Creſcamus igitur & proficiamus ſemper in melius, cantantes Domino canticũ graduum. Non ſimus paruuli, ſed perfecti: non ſerui, ſed filij. Non quidem filij diaboli per imitationem: ſicut illi de quibus Dominus ait: Vos ex patre diabolo eſtis. Non filij Belial, id eſt, ſine iugo, per inobedientiã: non filij diffidentiæ, de quibus diffiditur, & qui diffidunt de Deo. De quibus Apoſtolus ad Epheſios ait: Spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Non filij iræ, de quibus idem Apoſtolus ad Epheſ. ait: Eramus natura filij iræ. Poſt peccatum enim primi parentis natura, id eſt, vitio quod pro natura inoleuit, omnes naſcimur filij iræ, filij, ſcilicet, vindictæ, filij gehennæ, debitores pœnæ æternæ. Neque ſimus filij ſerpentum, per venenum malitiæ: de quibus in Euangelio Matthæi dicitur: Progenies viperarũ, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Neque filij hominum, id eſt, terrena ſapientes. De quibus in Pſalmo dicitur: Filij hominum vſquequo graui corde? Neque filij alieni, per apoſtaſiam: de quibus dicitur: Filij alieni, id eſt, à Deo recedentes, & alienati inueterati ſunt. Neque filij Edom, id eſt, carnales. De quibus dicitur: Memor eſto Domine, filiorũ Edom, in die Hieruſalẽ. Edom enim ſiue Eſau, perſecutus eſt Iacob: ita & carnales perſequuntur ſpirituales in die reædificationis Hieruſalem. Neque ſimus filia Babylonis miſera, filij, ſcilicet, confuſionis. Filij Babylonis, per amorem mundi. Neque filij iniquitatis, ſicut Iudas. Neq; filij perditionis, ſicut Antichriſtus: ſed ſimus verè filij Dei, per adoptionem, per gratiam, per imitationem, per fidem, per inſtructiõnem, per fortitudinem. De filiis adoptionis quibus cœleſtia promittuntur, & pro quibus Chriſti ſanguis effuſus eſt, dicitur: Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi, omnes. De filiis gratię dicitur: Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri. Et iterũ: Afferte Domino filij Dei, affette Domino filios arietũ, id eſt, voſmetipſos offerte Deo, quos genuerũt Apoſtoli duces gregũ. De filiis imitationis dicitur in Euãgelio: Vt filij ſitis patris mei, qui eſt in cœlis. Et iterũ: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. De filiis fidei dicitur: Iuſtificata eſt ſapiẽtia à filiis ſuis: qui, ſcilicet, in eũ credũt, & ipſum honorãt. Et in Euang. Confide filia, fides tua te ſaluã fecit. De filiis inſtructionis, qui per doctrinã generati ſunt, dicit Apoſt. Filioli mei, quos iterũ parturio. De filiis fortitudinis dicitur in Apocal. quod mulier amicta Sole, peperit filiũ maſculũ: quod principaliter de Maria & Chriſto intelligitur, & inſuper de Eccleſia, & quolibet filio eius robuſto cõtra diabolũ, & cõtra peccata. Et in Exodo dicitur, quod Pharao præcepit maſculos in flumẽ ſubmergi, & fœminas reſeruari. Simus igitur filij prædictis modis, generãtes Deo filios benè operãdo. De quibus dicitur in Pſal. Filij tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ tuæ, id eſt, bona opera virẽtia, & oleo charitatis inuncta, animã tuã reficiunt: & per ea pane cœleſti reficieris. Et in Iob dicitur: Siue ñobiles, ſiue ignobiles fuerint filij eius, nõ intelligit, id eſt, ſiue placeãt opera eius Deo, ſiue diſpliceant. Filij autẽ ignobiles dicũtur opera mala. Vnde in Apocal. Filios eius interficiã morte. Quoties autem in oratione Dominica dicimus: Sanctificetur nomen tuũ, exoramus Dominũ, vt nomen patris ita cõfirmetur in nobis, vt nunquã deſinamus eſſe filij Dei, ſed ipſe ſemper ſit nobis in patrem, & nos ei in filios, vt ita ſimus filij eius in hac vita, quod tandẽ ſimus filij hęreditatis & beatitudinis æternæ. De quibus Dominus in Euang. ait: Beati pacifici, quoniã ipſi filij Dei vocabũtur. Sicut igitur ſumus filij Dei, conditione naturæ, ipſe enim fecit nos, & nõ ipſi nos, & bonorum temporalium collatione, ſicut ſcriptum eſt: Primogenitus meus Iſraël, & præterea filij nutritiones, ita ſimus filij dilectionis & gratiæ, ne fortè dicatur de nobis, ſicut ait Dominus de Iudæis: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Tanquam filij Regis honeſtè nos habeamus, nõ ſimum vel lutum peccatorum humeris noſtris, tanquã viles & ignobiles perſonæ, portemus, ne tanto patri dedecus faciamus. Si enim verè filij fuerimus, hæreditate non priuabimur. Vnde Apoſtolus ait: Quod ſi filius & hæres per Deum: hæredes, ſcilicet, Dei, cohæredes autem Chriſti, qui frater noſter eſt primogenitus, & nobis hæreditatem diuiſurus. Sicut ſcriptum eſt: Tu es qui reſtitues hæreditatẽ meam mihi. Iuſti enim hæreditabunt terrã ætetnæ beatitudinis, & hæreditatẽ acquirent eam, quibus funes ceciderunt in præclaris, id eſt, limites poſſeſſionis in regno æternę claritatis. Hæc enim hęreditas paſcet nos, ſicut in Apocal. dicitur: Vincenti dabo edere de ligno vitę. Ipſe enim Deus erit nobis, hęreditas immobilis & poſſeſsio. Sicut ſcriptũ eſt: Portio mea Domine, in terra viuentiũ. Et iterũ: Dominus pars hęreditatis meæ, & nos ſimus hęreditas & poſſeſsio illius, ſicut Pater in Pſalmo ait: Poſtula à me, & dabo tibi Gentẽ hęreditatem tuã. Meritò aurẽ illius ſumus, quia non corruptibilibus auro & argento, ſed ſanguine proprio ipſius redempti ſumus. Vnde Apoſt. de Eccleſia ait: Quã acquiſiuit ſanguine ſuo, mundans eam lauacro aquę. Et iterum ex Propheta Oſee: Vocabo non plebem meã, plebem meam. Et Petrus ex eodem: Qui aliquando non populus Dei, nunc autẽ populus Dei. Simus igitur filij & hæredes Dei, & non hęredes gehennę vel diaboli, vt non poſsideamus agrũ inferni de mercede iniquitatis, de qua peſsima hęreditate in Eccleſiaſtico dicitur: Cùm morietur homo, hęreditabit ſerpentes & beſtias, & vermes. Qui autem filij & hęredes ſunt, verè liberi ſunt. Vnde in Euangelio: Si filius vos liberauit, verè liberi eritis. Eſt enim libertas non vera, quæ dicitur libertas culpæ, de qua Apoſtolus: Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Hi ſunt qui peccant ſine rubore, & quicquid libet vel placet eis, credunt licere ſibi. De quibus Ieremias ait: Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Et iterum: Quare non eſt obducta cicatrix populi mei? Quaſi diceret: Aperta ſunt eius vulnera, & peccatum ſuum, ſicut Sodoma, prædicauerunt: Sepulchrum patens eſt guttur eorum,

*De malis filiis.* *Ioan. 8.* *Ephe. 5.* *Item 2.* *Matth. 3.* *Luc. 3.* *Gene. 27.* *1. Eſdræ 3.* *De bonis filiis.* *2. Theſſ. 2.* *Ioan. 1.* *Matth. 5.* *Matth. 5.* *Ioan. 8.* *Matth. 11.* *Luc. 7.* *Matth. 22.* *Gal. 4.* *Apoc. 11.* *Exod. 1.* *Iob 14.* *Apoc. 22.* *Matth. 6.* *Luc. 11.* *Heb. 1.* *Rom. 8.* *Matth. 5.* *Exod. 4.* *Iſaiæ 1.* *Gal. 4.* *Rom. 8.* *Apoc. 1.* *Apoc. 2.* *1. Petri 1.* *Ephe. 5.* *Oſee 1.* *1. Petri 2.* *Aſſumit de Eccle. 10.* *Ioan. 8.* *De mala libertate.* *Rom. 6.* *Ierem. 3.* *Item 8.* *Iſaiæ 3.*

*Ezech.23.* fœtore enim mali exempli alios corrumpunt. Vnde Ezechiël ait: Sanguis eius in medio eius, super limpidissimam petram effundit illum, non effudit illũ super terram, vt posset operiri puluere, id est, humilitate pœnitentiæ. Quatriduani enim sunt & fœtent. Non est timor Dei ante oculos eorũ. Impius enim cùm venerit in profundum peccatorũ, contemnet, sicut in Parabolis dicitur. Et de his Ieremias ait: Omnes cõuersi sunt ad cursum suũ, quasi equus impetu vadens ad prælium. Ipsi enim nullo fræno erubescentiæ retinentur, dum vtuntur pessima libertate, dum lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, dum bibunt quasi aquã iniquitatem: sicut dicitur in Iob: Hac detestabili libertate vsus est Absalon, qui coram omni populo non erubuit ingredi ad concubinas patris sui. Et Zambri, qui coram omnibus ingressus est ad Corbi filiam Ducis Madian. Est autem libertas bona, de qua Apostolus ait: Vbi spiritus Dei, ibi libertas. Quæ multiplex est. Vna à pœna temporali, de qua dicitur: Liberasti nos de affligentibus nos. Alia à culpa, de qua Isaias: Veni ad liberandũ nos Domine Deus virtutũ. Et in Euãgelio: Si filius vos liberauerit, veri liberi estis. Tertia à pœna æterna, de qua dicitur: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. In prima liberatur corpus, in secunda anima, in tertia liberabitur corpus simul & anima ab omni pœna & culpa. Vnde Apostolus: Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Hæc erit libertas gloriæ. Aliæ autem in hoc seculo sunt libertates gratiæ. Sicut enim libertatem arbitrij amissam per peccatũ, & libertatẽ ab omni culpa recuperamus hîc per gratiam: ita libertatẽ ab omni pœna recuperabimus per gloriam. Est autẽ triplex libertas gratiæ. Prima libertas cordis, dum dilatatur per charitatẽ, & confidit per bonã conscientiam. De qua in Parabolis dicitur: Iustus, vt leo confidens, absq; terrore erit. Econtrà de his qui serui sunt peccati dicitur: Fugit impius nemine persequente. Secunda libertas oris est confidentia benè loquendi. De qua in Ozee: In gutture tuo sit tuba, id est, prædicatio aperta. Econtra de timidis, quos remordet seruitus cõscientiæ dicitur in Isa. Canes muti nõ valentes latrare. Tertia est libertas operis, id est, cõfidentia benè agendi. Vnde Paulus ait in Actibus Apost. Ego non solũ ligari, sed & mori in Hierusalẽ paratus sum pro nomine Domini Iesu. Econtrà de timidis & diffidentibus dicit Propheta Zacharias: O pastor & idolũ derelinquens gregẽ. Hi sunt qui viso lupo veniente, fugiunt. De quibus Dominus per Ezech. ait: Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis vos murũ pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Habeamus igitur libertatẽ cordis in cõfidentia Dei. Scriptũ est enim in Parab. Secura mens quasi iuge conuiuiũ. Et iterũ: Non cõtristabit iustũ quicquid ei acciderit, vt posimus dicere cum Propheta: Viam mandatorũ tuorũ cucurri, cùm dilatasti cor meũ. Et iterũ: Perambulabam in inocentia cordis mei, in medio domus meæ, id est, in latitudine & libertate bonæ conscientiæ. Hęc sunt deambulatoria in templo Ezechiëlis latitudo, scilicet, & libertas charitatis, de qua Psalmus ait: Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Et Isaias ait: Dilata locũ tentorij tui. Et iterũ: Tunc videbis, & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuũ. Et Apostolus ad Corinth. Os nostrũ patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrũ dilatatũ est. Et iterũ ad Corinth. In omnibus tribulationẽ patimur, sed non angustiamur. Et iterũ: Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, poterit nos separare à charitate Christi. Hoc est quod in Canticis dicitur: Fortis est vt mors dilectio, aquæ multæ nõ poterunt extinguere charitatẽ. Habẽt prẽterea sancti cum libertate cordis, libertatẽ oris. Liberè enim prædicant, & vitia reprehẽdunt, qui nihil sibi cõscij sunt. Vnde in Deuter. præcepit Dominus Leuitis, vt alta voce dicerẽt maledictiones, sicut scriptum est in Isaia: Exalta in fortitudine vocem tuã, tu qui euangelizas Hierusalẽ, exalta, noli timere eos qui occidũt corpus. Et Apost. ait: Peccantẽ coram omnibus argue. Qui enim publicè & corã omnibus peccat, publicè arguẽdus est. Et in Actibus Apost. Petrus & Ioannes liberè & confidenter corã Principibus & senioribus Iudæorũ, dixerunt: Non possumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui? Hanc autẽ libertatẽ dedit Dominus Ezechiëli, dicens ei: Dedi faciem tuam valentiorẽ faciebus eorũ, & frontem tuã duriorẽ frontibus eorũ, vt adamantẽ & silicem dedi faciem tuã. Et iterũ: filij hominis, ne timeas eos, neq; sermones eorũ metuas, quoniã increduli & subuersores sunt tecum. Et ad Ieremiã Dominus ait: Ecce constitui te hodie super Gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & dispersas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Et in Euãgelio: Dabo vobis os & sapientiã, cui nõ poterunt resistere, & cõtradicere omnes aduersarij vestri. Liberè igitur loquuntur sancti, sicut Ioannes absq; timore Herodi ait: Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui. Et iterũ Iudæis ait: Genimina viperarũ, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Et paulò pòst: Iam securis posita est ad radicẽ arboris. Omnis arbor nõ faciẽs fructum bonũ, excidetur & in ignem mittetur. Et Dominus in Euangelio: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ. Et Nathan ad Dauid Regem liberè ait: Quare cõtempsisti verbũ Domini, vt faceres mala? Vriam Ethæum percusisti gladio, & vxorem illius accepisti tibi vxorem, & interfecisti cum gladio filiorum Ammon: quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum. Et in tertio Regum, cùm diceret Achab Heliæ: Tu ne es ille qui conturbas Israël? Respondit Helias in spiritu libertatis: Non ego, sed tu & domus patris tui, qui relinquentes Dominum, secuti estis Baal. Et de Paulo Dominus ait: Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël. Propterea Isaias ait: Cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari, id est, fortiter prædicabunt sancti in hoc mundo. Maledictus enim qui prohibet gladium suum à sanguine, sicut Ieremias ait. Et Moyses in Exodo: ponat

*Ioan.11.* *Parab.18.* *Ierem.8.* *Parab.2.*

*Iob 15.* *2.Regum 18.* *Num.25.* *2.Cor.3.*

*De bona libertate.* *Ioan.8.* *Rom.8.*

*De libertate Cordis.* *Parab.28.*

*De libertate oris.* *Osee.8.*

*De libertate operis.* *Isaiæ 56.* *Actuum 21.* *Zach.11.* *Ioan 10.* *Ezech.13.*

*Parab.15.* *Item 12.*

*Isaiæ 54.*

*2 Cor.6.* *Item 4.* *Rom.8.* *Cant.8.*

*De libertate prædicationis.* *2. Corint 4.* *Deut.25.* *Isaiæ 40.* *Matth.10.* *Lucæ 12.* *1.Timo.5.* *Actuum 4.*

*Item 2.* *Ierem.1.*

*Lucæ 22.* *Mar.6.* *Lucæ 3.* *Matth.3.* *Lucæ 3.* *Matth. & Lucæ.3.* *Matth.23.* *2.Regum 12.*

*3.Regum 18.*

*Actuum 9.* *Isaiæ 24.*

*Item 48.* *Exod 32.*

Ponat vir gladium suum super femur suum: ite & redite à porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisq; fratrem suum, amicũ & proximum. Gladius enim verbi Dei absq; personarum acceptione peccatores debet occidere. Vnde Ieremias ait: Nolite tacere super iniquitates Babylonis, quoniam tempus vltionis Domino. De timidis, qui nõ audent arguere, Ieremias in Trenis ait: Prophetę tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebãt iniquitatẽ tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarẽt. Et in Ecclesiaste dicitur: Qui obseruat ventum, non seminat: qui considerat nubes, non metet. Habent insuper viri sancti libertatem, non solùm in loquendo, sed & in agendo. Vnde Dominus in Euangelio: Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones. Et Paulus ait: Parati vlcisci omnem inobedientiam, erigentem se aduersus Ecclesiam Dei. Et Moyses filiis Leui, qui vindicauerunt transgressionem vituli conflatilis, ait: Consecrastis hodie manus vestras Deo. Et Phinees, accepto pugione, transfixit Zambri coëuntem cum meretrice. Vnde beatus Iob, de libertate & audacia sanctorum sub specie equi, ait: Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Et in libro Machab. dicitur, quod Mathathias clamauit voce magna, dicens: Omnis qui zelum legis habet, exeat post me. Et Paulus de se ait: Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans. Ex hac autem triplici libertate consequuntur sancti libertatem gloriæ, postquam enim mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile incorruptionem. Postquam Dominus abstulerit omnem lachrymam ab oculis sanctorum, fulgebunt iusti, & tanquã scintillæ in arundineto discurrent, & sedebit vnusquisque sub ficu sua, & sub ficu sua sedebunt, & non erit qui exterreat. Non esurient, neque sitient amplius. Absorpta enim morte in victoria, amodò iam dicet spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Postquam noua Dominus faciet omnia, & renouabitur, vt aquilæ iuuentus eorum. Ascendent enim tanquam virgula fumi ex aromatibus, sequentes agnum quocunque ierit. Vbicunque enim fuerit corpus, congregabuntur aquilæ, & per vicos Hierusalem cantabitur Alleluya. Festinemus igitur ingredi in illam requiem, præcessit enim Dominus præparare nobis locũ, & confortauit seras portarũ Hierusalẽ, vt non transeat per illam incircuncisus & immundus. Ipse autem qui liberauit nos à libertate culpæ, & dedit nobis libertatem gratiæ, dabit nobis libertatem gloriæ, vt simus filij & hæredes, liberi Reges sedentes in throno eius, sicut scriptum est: Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo. Et regnabit ipse in nobis, & nos cum ipso, per infinita seculorum secula, Amen.

*Actuum 9.*
*Ephe. 6.*
*Treno. 2.*
*Eccle. 11.*
*Lucæ 10.*
*De libertate & confidentia iustorum in agendo.*
*2. Cor. 10.*
*Exod. 32.*
*Num. 25.*
*Iob 39.*
*1. Mach. 2.*
*1. Cor. 9.*
*De libertate gloriæ.*
*1. Cor. 15.*
*Apoc. 21.*
*Sap. 3.*
*Zach. 3.*
*1. Cor. 15.*
*Apoc. 14.*
*Apoc. 21.*
*Cant. 3.*
*Matth. 24.*
*Lucæ 17.*
*Tob. 13.*
*Heb. 4.*
*Ioan. 14.*
*Isaiæ 52.*
*Rom. 8.*
*Apoc. 3.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Lucam.

*Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Symeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur:*

*Lucæ 2.*

LEGIMVS in libro Regum, dum esset siccitas magna & fames tempore Heliæ, quod ad preces Heliæ nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari, quæ terram irrigauit, & cessauit sterilitas. Hæc fames erat in terra ante aduentum Domini. De qua dicit Amos Propheta: Mittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Per nubem CHRISTVS incarnatus designatur, qui mundum pluuia doctrinæ irrigauit. Verbum enim Domini pluuiæ comparatur. Vnde Apostolus Paulus ad Hebræos: Terra sæpè venientem super se imbrem bibens, & generans herbam oportunã illis, à quibus colitur, accipit benedictionẽ à Deo, proferẽs enim spinas ac tribulos est maledicto proxima. Hæ sunt aquæ Siloë, quæ fluunt cum silentio. Hæ sunt aquæ de quibus habemus in Ezech. quod egrediuntur de sanctuario, per quas ductus est Propheta, primò vsq; ad talos, quod fit quando affectus mentis per verbum Dei sanctificantur: posteà ductus est vsque ad genua, quod fit quando homo ad benefaciendum perfectè roboratur: posteà ductus est vsque ad renes, quod fit quando gustata dulcedine verbi Dei, desipit omnis caro, & per virtutem verbi Dei, dum homo inebriatur, omnis delectatio carnalis absorbetur. Hæc aqua sitim cupiditatis extinguit. Vnde dicitur: Qui biberit ex hac aqua, nõ sitiet in æternũ. Terrã liberi arbitrij irrigat, & fertilem reddit, sicut stillicidia stillantia super terram. Vnde Propheta Ioël ait: Egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum. Terra enim cordis, germinat nobis tribulos & spinas, & dicitur tortens, propter fluxus carnalis voluptatis. Hæc aqua extinguit ignem, & ardorem vitiorum, vnde in Ecclesiastico: Nónne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quàm datum, nullum enim munus preciosius est verbo Dei, quod refrigerat animam, sicut ros ardorem. Hæc aqua sordes abluit. Vnde Dominus ad Apostolos: Iam mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. De his aquis dicitur in Iob: Si cõtinuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertẽt terrã, id est terrenitatẽ in cordibus auditorũ. Orate ergo Dominũ, vt aquæ istę irrigãdo terrã cordis nostri

*1. Regum 18.*
*Amos 8.*
*De verbo Dei quod comparatur pluuiæ.*
*Hebr. 1.*
*De multiplici aqua verbi Dei.*
*Isaiæ 3.*
*Ezech. 47.*
*De multiplici virtute huius aquæ.*
*Ioan. 4.*
*Ioel. 3.*
*Eccle. 18.*
*Simile.*
*Ioan. 15.*
*Iob. 12.*

*Lucæ 2.*

extinguant in nobis hodie calorem noxium, & mentes noſtras fructificare faciant. Erant Ioſeph & Maria mater Ieſu mirãtes ſuper his, quæ dicebãtur de illo, &c. In Luca, ex quo ſumptũ eſt hoc Euangelium, appellatur Ioſeph pater Chriſti. Sic enim Lucas ait: Erant pater eius & mater mirantes ſuper his, quæ dicebãtur de illo. Dicitur autẽ Ioſeph pater Chriſti, id eſt, nutritius, ſicut & nutrices matres appellantur, vel pater putatiuus, ſcilicet, ſecundum hominũ opinionem. Vnde Lucas alibi dicit: Vt putabatur filius Ioſeph. Mirabantur autem admirabile & profundum incarnationis myſterium, quod & Angeli reuerentes admirantur. Vnde Iſaias ait: Vocabitur nomen eius admirabilis. Admirabile autẽ eſt nomẽ Dei Emanuël, id eſt, nobiſcum Deus, eiuſdem, ſcilicet, naturæ cuius & nos. Ieſus enim dicitur ſecundum diuinitatem: & Chriſtus, id eſt, vnctus, ſecundum humanitatem: Emanuël autem ſecundum vtranq; naturam. Mirabantur ergo Ioſeph & Maria, non dubitando, ſed reuerendo & gaudendo: mirabantur ſuper his, quæ dicebãtur de illo, ſcilicet, ab Angelis, à paſtoribus, à Magis, à Symeone, & Anna: mirabatur Maria, conferens omnia verba hæc in corde ſuo, & conſeruans & retinens, non ſtatim diuulgans tam mirabile myſterium, donec tempore oportuno, ſecundum Dei voluntatem deberet reuelari: nõ enim impetuoſa erat, vel incauta, neq; ad loquendum promptula, ſed omnia diuinæ voluntati reſeruabat. Symeoni autem reuelatũ erat, nam reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto per inſpirationem, vel fortè per Angelum reuelantem. Similiter & Annæ Dominus per ſpiritum prophetiæ reuelauerat. Et quoniam per virum & mulierem vitam perdidimus, voluit Dominus virum & mulierem teſtes eſſe vitæ recuperatæ. Symeon autem & Anna prouectæ ætatis, Ieſum poſt multam expectationem cum gaudio & laude ſuſcipientes, ſignificabãt fidelem Synagogam, quæ poſt longam promiſſionum expectationem, Chriſtum cum gaudio fideliter recepit. Benedixit autem eis Symeon, id eſt, benedictionem optauit, vel beatos eos dixit. Dominus enim multipliciter benedixit matrem ſuam, ſicut ſcriptum eſt: Benedixiſti Domine terram tuam. Benedixit eam per Angelum, qui dixit ei: Benedicta tu in mulieribus. Benedixit per Symeonem, benedicitur hodie per vniuerſam Eccleſiam, ſicut ipſa præuidit in ſpiritu, dicens, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et dixit ad MARIAM matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël. Propheticè autem prædicit CHRISTVM fore in ruinam infidelium, & reſiſtentium doctrinæ Euangelij, in reſurrectionem autem & ſalutem credentium. Ipſe enim quibuſdam factus eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali. Aliis autem factus eſt odor vitæ in vitam, & gloriam ſempiternam. Facta enim luce, ſicut legimus in Geneſi, diuiſit Deus lucem à tenebris, id eſt, Chriſto in mundo apparente, diuiſi ſunt boni à malis. Ipſe enim de ſe ait: Ego occidam, & ego viuere faciam. Vnde de ipſo Chriſto in Ieremia dicitur: Ecce conſtitui te ſuper Gentes, & ſuper regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. Ipſe enim, more hortulani, herbas inutiles eradicando, & arbores ſteriles & fructũ non ferentes abſcidendo, in ignem æternũ miſit: bonas autẽ herbas & arbores fructiferas, ad vitam æternã reſeruauit. Poſitus eſt etiã in ruinam vitiorũ, & in reſurrectionẽ virtutum, vt euellat peccata prauæ cogitationis & deſtruat peccata indebitæ locutionis, diſperdat peccata illiciti operis, diſsipet vitia prauæ cõſuetudinis: ædificet fidei fundamentum, plantet decorem virtutum: euellat aſperè increpando: deſtruat exemplo vitæ contrarium oſtendendo: diſperdat æternum ſupplicium comminando: diſsiper aduerſitatibus flagellando, ædificet inſtruendo, & docendo: plantet vitam æternam promittendo. Sed quoniam difficilius eſt mala deſtruere, quàm bona plantare: pluribus verbis vſus eſt in his quæ pertinent ad deſtructionem, quàm ad conſtructionem ſeu reparationem. Dominus autẽ offert gratiã ſuam, ſed ſicut quidam Solis ſplendore illuminãtur: alij autem ſine culpa Solis, qui prauos habent oculos, vitio ſuo excæcantur, ſicut aliqui medicina curantur: alij autem abutentes beneficio medicinæ interimuntur, ſicut eodem cultello panis ſcinditur, & homines iugulantur, ſic reprobi medicinalem Chriſti prædicationem vitio ſuo ſibi conuertunt in mortem. Alij autem recuperauerunt ſanitatem, quibus poſitus eſt CHRISTVS in reſurrectionem. Prædictis verò in ruinam, qui tanquam ſerpentes bono odore moriebantur, & de verbis Domini ſcandalizabantur. Sed licèt quædam media bona cum quibus & ſine quibus poteſt eſſe ſalus, propter ſcandalum infirmorum ſint omittenda, ſicut ait Apoſtolus: Non manducabo carnes in æternum, vt non ſcandalizetur frater meus. Quidam tamen ſunt ita malitioſi, quod ſemper ex malitia quæ benè fiunt, in partem malam interpretantur. De quibus dicit Iſaias: Væ his quæ dicunt bonum malum, & malum bonum. Tales erant Phariſæi, quibus dicebat Dominus: Venit Ioannes Baptiſta non manducans, neque bibens, & dicitis, quia dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: quia potator eſt, & vorator. De taliũ ſcandalo non multum eſt curandum. Vnde Dominus: Sinite eos, cæci enim ſunt, & duces cæcorũ. De his autem, qui nõ ex malitia, ſed ex puſillanimitate, vel aliqua coniectura probabili ſcandalizantur, dicit Dominus, Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis minimis, qui in me credũt, expedit ei, vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in collo eius, vnde Dominus, ne ſcandalizaret eos, qui petebãt ab eo tributũ, miſit Petrũ ad mare, qui in ore piſcis inueniret ſtaterem, & ſoluit Dominus pro ſe & pro Petro, licèt nõ teneretur. Sunt autẽ tria quæ nunquam omittenda ſunt pro alicuius ſcandalo, ſcilicet, veritas doctrinæ, veritas iuſtitiæ, veritas vitæ.

*Quare Ioſeph dicatur pater Chriſti.*
*Lucæ 3.*
*Iſaiæ 9.*
*Actuum 1.*

*De admiratione Mariæ & Ioſeph.*

*Lucæ 2.*

*Item 2.*

*De multiplici benedictione Mariæ.*
*Lucæ 1.*
*Item 2.*

*Quod Chriſtus multipliciter poſitus eſt quibuſdam in ruinam, in reſurrectionem & ſalutem.*
*Iſaiæ 8.*
*1. Corint. 2.*
*Gene. 1.*
*Deut. 32.*
*Ierem. 1.*
*Lucæ 3.*
*Matth. 3.*

*Simile.*
*Quod Dominus offert gratiam quæ autem pereunt vitio ſuo, pereunt.*
*Quæ ſunt omittenda propter ſcandalum & quæ non.*
*1. Corint. 8.*

*Iſaiæ 5.*
*Mat. h. 11.*
*Lucæ 7.*

*Matth. 15.*
*Item 18.*
*Marc 9.*
*Matth 17.*

Vnde

Vnde licèt multi ex discipulis Domini abirent retrorsum, Dominus tamẽ de sacramẽto corporis sui, quin doceret, noluit omittere. Propter scandalũ autem aliquorũ, non debemus omittere, quin iustitiã faciamus, vel secundum Deum viuamus. Quædam etiam bona sine quibus potest esse salus, non sunt omittenda propter scandalũ. Si enim parentes mei scandalizantur, quia religionẽ intro, vel virginitatem custodio, vel signũ crucis accipio, propter hoc bona perfectionis & priuilegiata relinquere non debeo. Vnde B. Hieronymus ait: Licèt mater sparso crine vbera quibus te lactauerat, ostendat, licèt pater in limine iaceat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solùm pietatis genus est, in hac re te esse crudelem, facilè rumpit hæc vinculà amor Christi, & timor gehennæ. Et iterum: Gladium tenet hostis, & ego de matris lachrymis cogitabo. Idem ait: Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Euangelij retundendus est muro: mater mea, & fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem patris mei qui in cœlis est. Si Christo credunt, faueant mihi pro eius nomine pugnaturo. Si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. Et Dominus: Sinite mortuos sepelire mortuos suos, tu autem annuntia regnum Dei. Positus est ergo in ruinam, non credentium per occasionem: & in resurrectionem credentium, per causam. Hic est enim lapis offensionis & petra scandali, quem reprobauerunt ædificantes. Et factus est in ruinam & in resurrectionem, non solùm in se, sed in prædicatoribus ab eo missis. Vnde Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Bono enim odore Euangelij Christi, multi tanquam serpentes perierunt. Positus est etiam in ruinam eorum, qui stabãt, id est, Iudæorum: & in resurrectionem eorum, qui iacebant, id est, Gentilium. Sicut scriptum est: Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: quia de oleastro factæ sunt oliuæ. Regnum enim cœlorum vim patitur, & à Iudæis ad Gentes rapitur. Vnde Dominus in Euangelio Ioannis ait: In iudicium veni in mundum, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Positus est etiam Dominus in ruinam & in resurrectionem multorum, vt tam ruina quàm resurrectio intelligatur in bono. Ipse enim percutit & sanat, occidit & viuificat. Corruit enim homo vetus, vt resurgat homo nouus: corruit superbia, & resurgit humilitas: corruit inuidia, & surgit benignitas: corruit ira, & surgit patientia: corruit luxuria, & surgit continentia: auaritia corruit, & contemptus mundi surgit. Sic ergo Dominus ponitur in resurrectionem à vitiis ad virtutes, ab infidelitate ad fidem, à morte ad vitam, à miseria ad gloriam. Sicut ipse ait: Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Alio etiam modo ponitur Dominus in ruinam & resurrectionem multorum: facit enim hominem ruere & cadere per humiliratem, & surgere per sanctæ conuersationis sublimitatem. Sicut scriptum est: Qui se humiliat, exaltabitur. Et iterum: Surgite postquam sederitis, vos pœnitentes, qui manducatis panem doloris. Positus autem fuit Dominus in signum cui contradicetur: vnde probaui te ad aquas contradictionis, quæ sunt aquæ pluuiales, id est, torrens præsentis tribulationis, citò transiens. De quo torrente Dominus in via bibit: multos enim habuit contradictores, quibus dicit Dominus per Prophetam: Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio. Quia malitia vestra exigẽte, talibus vos tradam dœmonibus, qui à vobis exhortatione prædicationis meæ vel alicuius prædicatoris, quasi incantatoris, non excutientur. Signum ergo dicitur Christus tanquam signum ad sagittam positus, cuius diuinitas in carne velut sigillum in cera fuit impressa. Ipse enim dicitur sigillum siue signaculum, quia est imago patris, & quia cordibus fidelium imprimitur. Vnde in Canticis: Pone me vt signaculum super cor tuum: hoc signo signantur qui Christum imitantur. Signum etiam cui contradicebant fuit Euangelium, in quo dicitur: Veni separare filium aduersum patrem. Signum præterea dicitur nouitas miraculorum. Ipse autem innouauit signa, & immutauit mirabilia. Vnde in Euangelio: Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur, Iudæi signa quærebant. Omnia autem quæ de ipso narrantur, signa sunt, & mirabilia, scilicet, quod Sol obscuratus est, quod resurrexit, quod ianuis clausis ad discipulos intrauit, quod in cœlum ascendit, quibus omnibus infideles contradicunt. Specialiter autem signum est dominicæ crucis fides, quæ multam vbique habet contradictionem. Vnde in Exodo dicitur: Erit vobis sanguis in signum in cunctis ædibus vestris. Et in Apocalypsi: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et in Psalmo: Fac mecum signum in bono. Dominus autem positus est in cruce tanquã signum ad sagittã. Adhuc enim hodie multis verbis blasphemiæ, quasi sagittis, Dominus impetitur, & linguis eorum qui contumelioſe in opprobrium iurant per eius membra, vulneratur. De quibus ipse ait: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Vulneratus fuit à Iudæis, & de nouo vulneratur à pessimis & iniquis Christianis: magis enim contemnunt qui glorificatum blasphemando offendunt, quàm qui passibilem crucifixerunt: magis peccant aliqui, qui offendunt regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. Blasphemia autem est peccatum in spiritum sanctum: maius peccatum est blasphemare, quàm carnes feria sexta manducare: magnum dedecus est Christiano, quod audet de Deo dicere, quod Iudæus non auderet audire. Si autem aliquis Saracenus Mahometum blasphemaret, ab aliis lapidaretur. Sicut autem positus est Dominus in signũ contradictionis reprobis, ita positus est in signũ imitationis iustis, vt

*Hieronimus ad Heliodorum epistola.*

*Matth. 12. Mar. 3. Luc. 7. Matth. 8. Luc. 9. Isaiæ 8.*

*2. Corint. 2.*

*Matth. 3. Luc. 3. Rom. 11. Matth. 15. Ioan. 9.*

*Iob 5.*

*Ioan. 11.*

*Matth. 23. Luc. 18.*

*De multiplici signo et contradictione.*

*Ierem. 8. Coloss. 1.*

*Cant. 8. Matth. 10.*

*Eccle. 35. Matth 16. 1. Cor. 1. Matth. 28. Mar. 15. Ioan. 19. Actum 1. Exod. 12. Apoc 7.*

*De peccato blasphemiæ.*

*Matth. 12. Marc. 3.*

*De bono exemplo & imitatione.*

*Simile.* iustis, vt ad ipsum & per ipsum tanquam ad signum cursum nostrum dirigamus. Sicut autem is qui ad signum mittit sagittam, vt rectius emittat, vnum oculum claudit, ita debemus claudere sinistrum, ne ad transitoria respiciamus, vt Christum tanquam signum oculo dextro intuentes, ad ipsum recto itinere gradiamur. Sicut enim signum crucis, vel aliud secus viam ponitur, vt per ipsum viatores recto itinere dirigantur: sic Dominus nobis in signum positus est, ne in hac via tortuose incedendo, erremus. Eius enim vita, nostra doctrina: eius actio, nostra est lectio. Vnde ipse per Prophetam Isaiam ait: In manibus meis descripsi te, id est, in operibus meis formam viuendi tibi descripsi. Quod me videbitis facere, hoc faciatis, dicit verus Gedeon sociis suis. Vnde in Ecclesiastico: In brachio suo formabit lutum, id est, subditos in operibus suis informabit. Ideò præceptum est Sacerdoti in lege, vt ferret laminam auream in fronte, in qua scriptum erat nomen Dei, Tetragrammaton, id est, quatuor literarum, quod dicitur ineffabile, propter ineffabile mysterium. Prima litera erat Iod, quæ sonat principium. Secunda He, id est, vitæ. Tertia Vaf, quod est passionis. Quarta Heth, quod sonat iste. Et est sensus: Iste, id est, cuius figuram gerebat Sacerdos legalis, est principium vitæ, passionis, id est, acquisitæ per passionem. Hanc ergo laminam semper ante oculos habeamus, vt CHRISTVM pro nobis passum imitemur, qui nobis reliquit exemplum, vt eius vestigia sequamur. Sicut autem qui transit mare, si aliquod signum respiciat immobile, nauis velociter videtur transire, ita si ad Christi immobilitatem & æternitatem respiciamus, omnia temporalia quasi velociter transeuntia, tanquam stercora reputabimus, vt CHRISTVM lucrifaciamus. Qui autem, dum est in naui, mare respicit, nauis videtur ei quasi immobilis: sic miseri seculares dum mentis oculos in mundo figunt, quàm citò transeunt hæc temporalia, non attendunt. Quilibet autem Prælatus dum Ecclesiæ præficitur, quasi in signum ponitur. Sed quidam miseri non ponuntur in signum contradictionis, quia nec malis contradicunt, nec contradictionem pro CHRISTO sustinere volunt, nec se murum pro domo Domini ponunt, sed viso lupo veniente, fugiunt. Vel quod deterius est, cum lupis pacem faciunt. Quandò autem lupi & canes, Pilatus & Herodes amici efficiuntur, oues in magno periculo remanent, & facilè deuorantur. Vtinam autem quidam essent tantum in signum, sicut crux quæ ponitur super viam, & non mouetur, ita quod nec benè nec malè operarentur. Alij autem semper minantur & nunquam feriunt, similes idolis in horto positis, vt aues terreantur. Quod autem subiungit Symeon loquens ad Mariam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, innuit dolorem, quem sustinuit mater pro morte filij, quod fuit grauius martyrium, quàm interfectio corporalis plurimorum Martyrum. Vnde beata Virgo corona Martyrij non caruit, maximè quia patienter & voluntariè voluntate rationis, hunc dolorem sustinuit. Licèt enim eius filius prædiceret quod crucifigeretur, nunquam inhibuit, nunquam murmurauit, non dixit sicut Petrus, Absit hoc à te, propitius esto tibi. Sed pro salute omnium filium suum morti tradi voluit: quod signatum est in libro Regum per quandam mulierem, quæ tempore famis filio proprio non pepercit, vt occideretur & manducaretur, sed eum tradidit. Altera verò mulier, quæ ex pacto filium suum debebat tradere, non tradidit. Quod est contra quasdam miseras mulieres, quæ sic carnaliter filios suos diligunt, quod ipsis crucem pro CHRISTO baiulare non permittunt, cùm beata Virgo tempore famis, vt mundus satiaretur, tradi & mori filium suum permisit: vel per gladium Christi, eius prædicatio potest intelligi. Vnde in Euangelio: Qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium. Vitam enim quietis debemus relinquere pro labore prædicationis: vnde legimus in libro Regum, quod Ionathas Dauid dedit vestes suas vsque ad arcum, gladium, & baltheum. Gladium enim verbi Dei, & arcum comminationum, & baltheum continentiæ, ad verum Dauid debemus reportare. Gladius iste tetigit cor beatæ Mariæ, & animam eius pertransiuit. Ipsa enim conseruabat verba filij, conferens in corde suo. Vnde in Canticis: Anima mea cõturbata est propter quadrigas Ami-nadab, id est, propter Euãgelia, quibus subleuamur ad superna: quæ dicuntur Ami-nadab, id est, Christi, qui se sponte obtulit. Ami-nadab enim spontaneus interpretatur. Quidam autem per verba Dei non conturbantur, nec penitrantur, quia insensibiles & lapidei sunt. Quod autem sequitur: Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Idcirco dicit, quia priùs erat incertum, qui reciperent eum, & qui respuerent eum, quod postea fuit manifestũ. Reuelatæ sunt cordium cogitationes, cùm zizania germinare cœperunt, vbi Christus bonum semen seminauit. Ex multis etiam cordibus reuelatæ sunt cogitationes, cùm peccatores ad pœnitentiam moti, peccata sua per confessionem, vt sanarentur, publicauerunt, veritas enim confessionis, orta est de terra cordis peccatoris, & iustitia de cœlo prospexit, radios emittens, & peccatores per confessionem illuminans. Reuelatæ sunt etiam cogitationes Prophetarum, qui multa obscurè & in ænigmate de Christo prædixerant, quia velum templi scissum est, id est, obscuræ scripturæ in eius morte patuerunt. Agnus enim qui occisus est, solùm aperire librum scripturæ dignus inuentus est. Ipse enim est clauis Dauid, qui aperit, & nemo claudit. In morte autem eius apertæ sunt scripturæ, & obscuritas Prophetarum reuelata est. Vnde in Psalmo: Factum est cor meum tanquam cera liquescens, id est, sancta scriptura, patens, lucida, & facilis ad intelligendum. Attendatis ergo fratres, vt Christus vobis positus sit in ruinam vitiorum, & resurrectionem virtutum, & in signum

*Isaiæ 49.* *Iudic. 7.*
*Eccle. 38.* *Exod. 28.*
*Simile.*
*1. Petri 2.* *Phil. 3.*
*Ezech. 13.*
*Ioan. 10.* *Lucæ 23.*
*De multiplici gladio pertranseunte animam Mariæ.* *Lucæ 2.* *Matth. 16.* *Marc. 8.*
*Lucæ 22.*
*1. Reg. 18.*
*Lucæ 2.* *Cant. 6.*
*Lucæ 2.* *De multiplici reuelatione cogitationum.*
*Lucæ 23.* *Apoc. 5.* *Isaiæ 22.* *Apoc. 3.*
*Conclusio cum morali epilogo.*

signum, quod semper intueamini, & ante oculos habeatis, & quod gladius eius anceps, id est, sermo eius viuus, & efficax, animas vestras pertranseat, vt ad eius verbum contriti reuelentur per confessionem cordis vestri cogitationes. Cùm autem ipse venerit in iudicio, tunc ponetur manifestè in resurrectionem iustorum, & in ruinam reproborum, quando corruent impij in infernum. Tunc enim confundet linguas gigantium, qui in hoc seculo turrem Babel contra ipsum ædificauerunt, & ipsum cognoscere noluerunt, qui suam non cognouerunt miseriam, & ideò non agnouerunt consolationem, quibus diabolus in hoc seculo positus est in ruinâ, & in resurrectionẽ: dum eos quasi in rota voluit, nunc eleuans prosperis, nunc deprimens aduersis. Ludunt enim dæmones de ipsis, sicut scriptum est in Abacuc: Et erunt tyranni ridiculi eius. Propterea Psalmista ait: Non irrideant me inimici mei. Cum Anna autem vidua à templo non recedatis, sed corpus vestrum mundum & castum, vt sit templum Domini, attentè custodiatis. Verba otiosa & scurrilia, quæ ad rem non pertinent, de ore vestro non procedant, sed cum Anna de Christo frequenter loquimini, & Domino confiteamini, ieiuniis, & obsecrationibus, seruientes ei die ac nocte, vt post noctem huius exilij, & miseri incolatus, ad æterna gaudia peruenire valeatis. Ipso præstante qui viuit & regnat per omnia secula seculorum.

*Hebr.4.*

*Genes.11.*

*Abacuc.1.*

*Ephe.5. Luce.2.*

## IN OCTAVA NATALIS DOMINI, IN DIE, SCILICET, CIRCVNCISIONIS, Thema repetitum de introitu Missæ, sumptum ex Isaia 9.

*Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij Angelus.*

*Isaiæ 9.*

ADHVC in cunabulis vagit Rex noster paruulus, adhuc puer noster ex vberibus maternis lactis desiderat nutrimentum, ex vberibus cordis, lac innocentiæ, simplicitatis, & bonæ voluntatis. Quicunque enim simplici corde & pura voluntate fecerit voluntatem Patris eius, qui est in cœlis, non solùm frater, & soror, sed & mater ipsius erit, sicut ipse in Euangelio dicit. Quàm bonum est, & quàm iucundum, quantus honor, quanta dignitas, talis pueri matrem esse? Cui seruiunt Angeli in cœlis, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, qui pascit à quo pascitur, qui nutrit à quo nutritur, qui portat à quo portatur. Humilis & sublimis, vagiens & tonans, Verbum caro, Deus & homo. Si ergo mater eius sumus, eius infantiam visitemus. Scriptum est enim: Visitans speciem tuam, non peccabis. Visitemus igitur & frequenter cordis oculis, intueamur Dei filium, eiusdem speciei, & eiusdem naturæ cuius sumus, & quantum pro nobis fecerit, diligenter recolamus. Propterea Isaias cùm dixisset: Plena est omnis terra gloria eius: subiunxit, Domus repleta est fumo. Qui enim attentè considerat gloriam nostræ redemptionis, & quod lacte matris & lachrymis paruuli vagientis extinctus est nobis ignis infernalis. Domus cordis eius repletur fumo compunctionis ex igne charitatis. Egrediamur ergo & videamus Regem nostrum Salomonem in corona, qua coronauit eum mater sua, dum ex ea carnem assumpsit, in qua de diabolo triumphauit. Quando autem Rex nouus de nouo coronatus in suam venit ciuitatem, cum gaudio & honore recipitur, sordes à ciuitate eiiciuntur, parietes domorum exornantur, cortinis & sericis pannis viæ sternuntur, floribus & iuncis. Et nos omnes peccatorum sordes proiiciamus à nobis, exornemus mentes nostras cortinis bonorum operum, & iuncis atque floribus virtutum. Et sicut in Isaia dicitur: Oriatur in nobis viror calami & iunci, vt nos velut arundinem fragiles reputemus, & tanquam iunci per obedientiam & compassionem flexibiles simus, non obstinati, non elati, sed in oculis nostris paruuli. Propterea enim ipse est factus paruulus, vt nos in oculis nostris paruuli simus, & non apponat vltra magnificare se homo super terram. Excelsa enim periculosius stant, & facilius corruunt. Tantò enim in oculis Dei homo est preciosior, quantò in oculis suis est vilior. Qui enim per humilitatem sibi displicent, Deo placent, & quantùm humilitas inclinatur ad ima, tantùm proficit ad excelsa. Simus ergo pueri cum puero, paruuli cum paruulo. Simus paruuli in oculis nostris, vt magni simus in oculis eius. Simus ergo paruuli, vt paruulo conformemur: humiles, mites, simplices, non multiplices, non onerati superfluis, non implicati secularibus curis. Qui enim secularibus curis se implicant, à Deo se elongant, & requiem mentis non seruant. Homo enim pluralis non benè coniungitur Deo singulari, quia non est ibi conformitas constructionis. Ad hoc autem datus est paruulus paruulis, vt magnus aliquando detur magnis. De hoc puero Salomon ait: Melior est pauper sapiens, Rege sene & stulto, id est, diabolo, qui est Rex super omnes filios superbiæ. Hic est Moyses paruulus, qui à matre Synagoga, & fratribus, id est, Iudæis, expositus & eiectus à filia Pharaonis, id est, Ecclesia de Gentibus, recipitur

*Iob 5. Quod frequenter more materno visitare debemus puerum nobis datum ac cogitare & loqui de illo. Isaiæ 6. Cantico.3. Qualiter recipiendus sit Rex noster.*

*Simile. Isaiæ 35.*

*Quod debemus esse paruulum paruulo. 1. Regum 15.*

*1. Ad Timoth.*

*Eccle.4. Iob 41. Exod.2.*

*Expositio ibe: matis secundum translationem nostram.*

& nutritur. Dicitur autem puer, non solùm propter ætatem, sed propter puritatem, paruulus autem propter humilitatem: vbi autem septuaginta Interpretes in alia translatione dixerunt: Puer natus est nobis: Isaias in nostra translatione dicit: Paruulus natus est nobis. Vbi dixerunt: cuius imperium super humerum eius: dicitur in nostra translatione, factus est principatus super humerum eius, id est, sceptrum regalis principatus, scilicet, crux ipsius per quam triumphauit de diabolo, ne contra nos præualeret: de mundo, ne nos per amorem detineret: de peccato, ne in nobis regnaret: de morte, ne in æternum permaneret: de veteri homine, ne contra nos insurgens, præualeret. Crucem ergo humeris suis portauit, per quam principatum promeruit. Propter hoc enim Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Vbi autem in alia translatione habetur: Magni consilij Angelus, in nostra dicitur: Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Septuaginta enim Interpretes nominum Maiestate perterriti, non ausi sunt de puero apertè dicere, quod Deus appellandus esset, ideò pro prædictis sex nominibus posuerunt: Magni consilij Angelus. Admirabilis fuit, quia Deus & homo, quod inauditum est à seculo. Consiliarius, quia magni consilij Angelus, qui de se ait: Ego in consiliis habito. Deus, quia Patri æqualis, per quem omnia creauit. Fortis, cuius potentiæ nulla potest resistere creatura. Pater futuri seculi, quia sine fine Deus beneuolus, dator futuri seculi, & regni cœlorum. Princeps pacis, quia fecit vtraque vnum, reconcilians nos Deo & Angelis. Multiplicabitur eius imperium per prædicationem Apostolorum & Doctorum spiritualium, & pacis sanctorum eius non erit finis. Licèt enim in hoc seculo varias habeant tribulationes in pace Dei, quæ exuperat omnem sensum, sine fine requiescunt. Ad mirabilis in natiuitate, Consiliarius in prædicatione, Deus in miraculorum coruscatione, Fortis in passione, Pater futuri seculi in resurrectione, Princeps pacis in ascensione, & æterna beatitudine. Cùm ergo in Ecclesia cantamus: Puer natus est nobis, caueamus nobis ne Domino mentiamur. Nolite errare, ait Apostolus, Deus non irridetur. Caueamus ne puer iste contra nos natus sit, & non nobis. Ipse enim positus est in ruinam & in resurrectionem multorum. Puer natus est nobis, ait Propheta, nobis, scilicet, saluandis, nisi per nos steterit: nobis, scilicet, corde credentibus, ore confitentibus, operibus bonis fidem nostram atteſtantibus. Fides enim dicitur, vt fiant dicta, vt, scilicet, quod corde dicimus, credendo, & ore confitendo, opere ostendamus, quia fides sine operibus, mortua est. Natus est autem contra infideles, qui non credunt: contra hæreticos, qui de eius natiuitate malè sentiunt, sicut illi qui purum hominem eum asserunt, & alij qui non corpus verum, sed phantasticum eum assumpsisse dicunt. Natus est contra reprobos Christianos, qui licèt credant quod credit Ecclesia, operibus tamen contradicunt. Natus est contra ingratos tanti beneficij. Natus est contra tepidos, quos Dominus ex ore suo incipit euomere, qui natiuitatem eius non ex deuotione celebrant, sed ex quadam arida consuetudine. Natus est contra blasphemos, qui dum eius membra iurando dilaniant, ea quæ pro nobis fecit, illi improperant. Contra quos Isaias ait Propheta: Tantum in te recordabimur nominis tui. Blasphemi autem non in ipso, sed contra ipsum nominis eius per os suum pollutum recordantur, dum ab ipsis Christi nomen blasphematur. Natus est contra luxriosos & immundos, qui carnem humanam non verentur polluere, quam Christus in se sanctificauit, postquam naturam nostram sibi coniunxit. Tollens, inquit Apostolus, membra Christi, facis membra meretricis. Membra nostra specialiter dicuntur membra Christi, postquam eiusdem naturæ corpus humanum assumpsit. De eodem enim panno nos & ipse vestiti sumus: magnus autem honor est seruo, quando eodem panno vestitur cum domino suo: non ergo contemni debet hæc vestis, vel luxuria inquinari quam Deus in se sanctificauit. Propterea Apostolus ait: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore. Postquam enim Dominus carnem humanam assumpsit, specialiter humani generis memoriam habuit. Vnde frequenter cantamus in Ecclesia, Memento salutis Auctor, quod nostri quondam corporis ex illibata Virgine nascendo formam sumpseris. Hoc autem non potuerunt dicere Patres antiqui, sed dicebant, Memento Domine Abraham, Isaac & Iacob: Nos autem dicere possumus, memento quia caro nostra, & sanguis noster es, quia frater noster fieri dignatus es. Sicut enim propter memoriam nodus in corrigia solet fieri, ita Dominus noster, in vtero beatæ Virginis quasi nodũ fecit, dum in ipsa corpus assumpsit, vt specialem haberet nostri memoriam. In quo igitur maius dilectionis signum nobis ostendere potuit? Ipse enim dilexit nos dulciter, sapienter, & fortiter. Dulciter, dum carnem nostram factus paruulus induit. Sapienter, dum eam sine omni peccato sibi coniunxit. Fortiter, dum eam pro nobis morti tradidit. Amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Desponsauit ergo humanam naturam, vnde vt supereminentem ostenderet dilectionem suam, & se sponsum, & illam dignatus est vocare sponsam. Sponsi enim & sponsæ vna caro, vna possessio, vna domus, vnus thorus, vna hæreditas, vna mensa, vnus cibus. Omnia communia, nihil proprium, nihil diuisum. Propter hanc relinquit homo patrem & matrem, propter sponsum obliuiscitur sponsa populum suum & domum patris sui. Dicitur præterea sponsus propter multas & varias sponsiones, id est, promissiones, quas facit

*Isaiæ 9. Expositio sex nominum quæ posuit Isaias. Parab. 9. Ioan. 1. Ad Ephe. 2.*

*Ad Phil. 4.*

*Ad Gal. 5.*

*Lucæ 2. Quibus natus sit puer iste & contra quos. Iacob 2.*

*Apoc. 3.*

*Isaiæ 26.*

*1. Ad Cor. 6.*

*Quod honora re debemus humanam naturam, quia assumpta est à Christo. 1. Ad Thes. 4.*

*Exodi. 32. Gene. 37. Simile.*

*Quibus modis Christus dilexit nos.*

*De sponso & sponsa. Actuum 4. Gene. 2.*

suis. Sponsa autem dicitur anima casto amore Christo sociata, donis gratiarum subarata, prole virtutum fęcundata. Processit autem tanquam sponsus de thalamo suo, tanquam rex de throno, tãquam paterfamilias de cœnaculo, tanquã hortulanus de horto, tãquam Dominus de propria domo, tanquam sacerdos de templo. Beata enim virgo thalamus quietis, thronus veri Salomonis, cœnaculum refectionis, hortus delitiarum, domus habitationis, templum sanctitatis appellatur. De hoc thalamo dicitur in Psalmo. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. De throno dicitur in libro Regum, quod rex Salomon fecit sibi thronum de ebore grandẽ, non inuentum est tale opus in vniuersis regnis, quia beata Virgo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. De cœnaculo refectionis dicitur in Cãticis. Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, reficitur inter lilia virginitatis. De horto similiter dicitur in Cant. hortus cõclusus, fons signatus: De domo habitationis dicitur in Psalmo. Deus in medio eius non cõmouebitur. Et in Parabolis. Sapientia ędificauit sibi domum. De hoc templo dicit Malachias: Veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis. Et in Psalmo, exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, quia precibus & meritis illius exaudit nos Dominus. Ecce quanta materia laudis & exultationis? ipse enim sponsus est filios adoptionis generans, ipse rex deuios regens, & milites suos remunerans. Ipse paterfamilias familiam suã pascens. Ipse hortulanus inculros excolens. Ipse Dominus suos gubernans. Ipse sacerdos suos sanctificans. Ipse paruulus paruulis se conformans. Ipse verus panis, gaudeant esurientes vt reficiantur. Ipse fons egrediens de domo Domini, gaudeant sitientes vt refrigerentur. Ipse fluuius egrediens de loco voluptatis: gaudeant immundi, vt abluantur. Ipse lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, gaudeant sedentes in tenebris, vt illuminentur. Ipse Medicus, de quo in Ecclesiastico dicitur: Honora Medicum propter necessitatem, gaudeant ægroti vt sanentur. Ipse filius datus nobis gratis à Patre, & cum ipso nobis omnia dedit, gaudeant pauperes vt ditentur. Currant ad verum Dauid, qui amaro sunt animo, & obligati ære alieno, vt ab inopia liberentur. Factus est principatus super humerum eius: accedat ouis, quæ periit, vt in humeris pastoris ad caulas Ecclesiæ reportetur. Ipse admirabilis, accedamus ad reuerentiam: Ipse Consiliarius, accedamus ad sapiẽtiam: Ipse Deus, accedamus ad peccatorum remissionem: Ipse fortis, curramus ad ipsius defensionem: Ipse Pater futuri seculi, reuertamur exules ad patriam: Ipse Princeps pacis, recurrant discordes ad reconsiliationem. Vocabitur, ait Isaias, nomẽ eius admirabilis. Ipse enim innouauit signa, & immutauit mirabilia, admirabilis in conceptione, ingrediens sine macula & conceptus sine humano semine, perfectus vir in vtero matris suæ: omnia potens, omnia sapiens, omnia corporis lineamenta à principio habens. Propterea Ieremias ait. Nouum, id est, mirabile & inauditum faciet Dominus super terram, fœmina in vtero circundabit virum, ipse admirabilis in natiuitate, quia dolorem matri non intulit, nec ei virginitatem abstulit: vnde Dauid. Cantate Domino canticũ nouum, quia mirabilia fecit. Admirabilis in prædicatione, nunquam enim sic locutus est homo. Admirabilis in operatione, cæcos illuminans, leprosos mundans, mortuos resuscitans. Si opera, inquit, non fecissem, quæ nullus alius fecit: peccatum non haberent. Admirabilis in Baptismo, quia cœlũ super eum apertum est, & vox patris audita est. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Admirabilis in transfiguratione, quia facies eius resplenduit sicut Sol. Admirabilis in passione, quia petrę scissę sunt, sol obscuratus est, monumenta mortuorũ aperta sunt. Admirabilis in resurrectione, quia clauso sepulchro exiit. Angelus domini de cęlo descendit, & mulieribus apparuit. Custodes autem facti sunt tanquam mortui. Admirabilis in ascensione, quia videntibus discipulis eleuatus est, & propria virtute baiulis nubibus ascendit. Admirabilis in spiritus sancti missione, quia factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & locuti sunt Discipuli variis linguis magnalia Dei. Admirabilis in iudicio, quando de puluere terræ omnibus resurgentibus separabit, agnos ab hœdis. Patet ergo quod admirabilis est Dominus in consiliis super filiis hominum. Qui enim mirabiliter nos creauit, mirabilius nos redemit. Quid enim magis mirabile, quàm facere mundum de immundo conceptum semine? quàm de calceis veteribus & attritis, nouos calceos facere? Quid admirabilius, quàm verbum caro, Deus homo, mater virgo, excelsus humilis, immẽsus localis, ęternus tẽporalis? Tu es Deus qui facis mirabilia. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Vocabitur autẽ nomẽ eius non solũ admirabilis, sed insuper cõsiliarius, quia magni consilij angelus, cogitans cogitationes pacis & nõ afflictionis, arcanum autem eius, consilium fuit humilitas incarnationis, per quam humano generi consuluit. De quo consilio Psalmus ait: Consilium autem Domini manet in ęternum. Et iterum: qui sedes super cherubin, excita potentiam tuam, & veni. Cherubin interpretatur sciens. In aduentu autem eius, in carne apparuit ipsius admirabilis sapientia, & consilij profunditas. Vnde super cherubin sedere dicitur. Plenitudo autem scientiæ est charitas, per quam voluit incarnari. Alto autem consilio prouidit, vt sicut per hominem intrauit culpa, ita per hominem rediret gratia, & sicut in ligno transgressio, ita in ligno redẽptio. Beatus autem ille vir, qui nõ abiit in consilio impiorum, sed Christum habens consiliariũ cõtra timores nocturnos, id est, huius vitæ pericula eius salutaribus consiliis acquieuit. Consulit autem nobis per scripturas, sicut ait Isaias: Audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & de caligine oculi cœcorum videbunt. Quid autem consulit

*Quibus medijs Christus à Maria processerit.*

*3. Regum 10.*

*Cantic. 2.*
*Item 4.*

*Parab. 9.*
*Malach. 3.*

*De multiplici materia laudis & exultationis.*

*Iobel. 3.*
*Gene. 2.*
*Ioan. 7.*
*Eccle. 38.*
*Ad Rom. 8.*
*1. Regum 22.*
*Lucæ 15.*

*Quare dicatur admirabilis.*
*Isaiæ 9.*

*Ieremi. 31.*

*Ioan. 7.*
*Matth. 11.*
*Lucæ 7.*
*Ioan. 15.*
*Matth. 3.*
*Marc. 1.*
*Lucæ 3.*
*Ioan. 1.*
*Matth. 17.*
*Mar. 8.*
*Lucæ 10.*
*2. Petri. 1.*
*Lucæ 2.*
*Mar. 2.*
*Mar. 14.*
*Actuum 1.*
*Matth. 27.*
*Mar. 15.*
*Lucæ 24.*
*Actuum 2.*
*Matth. 25.*
*Ioh. 14.*
*Iere. 29.*

*Quare dicatur consiliarius & de multiplici consilio.*

*Isaiæ 29.*

nobis consiliarius iste angelus magni cōsilij, qui tanquā aqua frigida animæ sitiēti venit ad nos
*Paral.25.* de terra longinqua, id est, de cęlo & de sinu patris. Cōsulit trāsitoria relinquere, vera & perma-
*Matth.13.* nētia possidere bona. Inuenta vna preciosa margarita vendere omnia quę habemus, vt illā com-
*Apoc.3.* paremus. Vnde in Apoc. Suadeo tibi emere aurū ignitū & probatū, vt locuplex fias. Aurū ignitū
igne charitatis, & probatū igne passionis, id est, Christū benè operando & tam nos, quā nostr
*Matth.19.* tribuēdo debemus emere, abrenuntiando omnibus quæ possidemus. Ipse enim cōsulendo ait:
*Isaiæ 30.* Si vis perfectus esse, vade vēde omnia quæ habes, & da pauperibus. Nutrimēta enim ignis ligna
multa, sicut ait Isa. Quia multa pecunia nutrit ignem cupiditatis. Consulit autem, vt odio ha-
*Iob 20.* beamus mala præterita, id est, peccata, vt contemnamus bona præsentia, vt desiderēmus vera
& æterna bona: vt possimus cū B. Iob dicere: Lux vultus mei nō cadebat in terra, quia ea quæ
*Exodi.13.* terrena sunt & transitoria, per concupiscentiam non aspexit. Consulit autem non solum per
scripturas, sed per creaturas, non solum verbo sed exemplo: Dum enim potentes huius seculi
*Iob 31.* subito moriūtur, non solum inuitant nos ad fugiendum Ægypti sordes, sed insuper exire cōpellunt. Velox enim fuga mundanorum, persuadet non debere multū appeti, quod tā citò oportet amitti, sed magis cùm simus in maris tēpestate, superflua onera ne submergamur debemus proiicere. Propter hoc enim permittit Dominus mare turbari, & suos in hoc mūdo flagellari, vt
*Simile.* fugientes naufragium, tendant ad portū tranquilitatis. Sicut autem esurienti suauior est panis, & magis illum appetit, si ęger magis desiderat sanitatem, & fessus quietem, ita homo in tribulatiōne magis desiderat veram cōsolationem, & in tempestate tranquilitatem. Sicut autem nauis sine rectore non potest cursum suū ad portū dirigere, ita sine diuino cōsilio ad portū salutis
*Eccle.32.* nullo modo possumus peruenire. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Omnia fac cū consilio, & post
*Parab.27.* factum non pœnitebis. Et in Parabolis: Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis
*2. Cor.15.* amici consiliis anima dulcoratur. Econtra autem prauorum consilia fugienda sunt. Corrumpūt
*Matth.5.* enim bonos mores consilia praua: Vnde in Euangelio dicitur, quod mulier quædā fluxū sāni-
*Lucæ 8.* guinis patiēs, totā substantiā suā expenderat in Medicos, & curari nō poterat, sed deterius habe-
*De tribus malis medicis.* bat. Tres medici, scilicet, caro, mundus, dœmones, promittūt sanitatē, sed aggrauāt infirmitā-
*Isaiæ 22.* tē, mali consiliarij sunt isti, nā cū eis acquiescimus, longius à sanitate recedamus. Caro cōsulit
*Sapien.2.* suauia, mundus inania, diabolus iniqua. Dicit caro, comedamus & bibamus, cras enim mo-
riemur, nō prętereat nos flos tēporis, coronemus nos rosis, antequā marcescant, nō sit pratum
quod nō trāseat luxuria nostra, comede & bibe vt posses viuere, si corpus nō custodis, anima
*Lucæ 21.* fugit & recedit. Ad esum Deus cibaria creauit, qui satiari cibo respuit, quid aliud, quā muneri cō-
cesso cōtradicit? Ecōtra cōsiliarius noster magni cōsilij Angelus ait: Videte ne corda vestra grā-
*1. Corint. 6.* uentur crapula & ebrietate. Et per Apostolum ait: Esca ventri, & venter escis: Deus autē hunc
*Ezech.16.* & has destruet. Saturitate Sodoma periit, sicut per Prophetam Ezechielem Dominus ait: Hæc
*Philip.3.* fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis. Et Apostolus ait: Inimici Crucis Christi,
quorū Deus venter est. Rursus autem caro dicit. Cur te in voluptate tua nō dilatas, cū quid re-
sequatur agnoras? Acceptū tēpus, in desideriis non debes perdere, quia nescis quàm citò debeat
trāsire. Si enim misceri Deus hominē in voluptate coitus nollet, in ipso generis humani exor-
*Gene.1.* dio masculum & fœminam non fecisset. Econtra consiliarius noster ait: Qui viderit mulierem
*Matth.5.* ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et per Apostolum. Neque adul-
*1. Cor.6.* teri, neque fornicarij regnum Dei possidebunt. Secūdus medicus, sophysticus, mundus, scilicet,
ait: Congrega diuitias, ne indigias, vt magnus fias: pauperes enim viles sunt, miseri & abiectis
*Lucæ 14.* diuites autem felices, honorabiles & glorioſi. Medicus autem respondet, nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et iterum: Beati pauperes spiritu,
*Matth.5.* quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Econtra autem de diuitibus ait: Væ vobis diuitibus,
*Lucæ 6.* qui habetis hîc consolationē vestram. Et per Apostolum ait: Qui volunt diuites fieri, incidūt in
*1. Timot.6.* tentationes, & in laqueos diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergūt homi-
*Rom.5.* minē in interitum & perditionem. Radix enim omniū malorū est cupiditas. Tertius medicus
seu cōsiliarius iniquus & fraudulentus ait: Magna est Dei misericordia, adhuc poteris pœnitere,
multi enim peccauerunt, & postmodum vbi abundauit iniquitas, superabundauit & gratia.
Iuuenis es, adhuc diu poteris viuere & in morte pœnitere, quia nō iudicatur homo nisi in fine.
*3. Regum 11.* Nónne Dauid homicidium & adulterium perpetrauit, & propter hoc non periit? Quomodo
æquanimiter & absque vltione sufferre posses. Hæc quæ aguntur cōtra te: nisi enim inimicis
tuis viriliter restiteris, semper eos tibi contrarios habebis. Absit à te vt illū ames, quē in omni-
*Matth.25.* bus contrariū habes, qui tibi derogat, qui tibi insultat, qui te iniuriis exasperat. Consiliarius
*Hebræ.10.* autē noster ad primū respondet. Vigilate, quia nescitis diem, neque horā. Et per Apostolū ait:
*1. Cor.10.* Horrendū est incidere in manus Dei viuentis. Et iterū: Qui stat, videat ne cadat. Ad alia autē
*Matth.5.* respondet Dominus dicens. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt vos. Et Apo-
*Lucæ 6.* stolus ait: Noli vinci à malo, sed vince in bono malū. Et Ioannes in epistola canonica. Qui odit
*Rom.12.* fratrem suum, homicida est. Ecce quàm contraria sunt consilia Christi consiliis diaboli. Con-
*1. Ioan.3.* silium enim Christi est, vt homo voluntatem Dei proponat suæ propriæ voluntati, dicens sicut
*Matth.26.* ipse Christus ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Consiliū diaboli est, vt homo volūtatem
*Marc.14.* *Lucæ.22.* suam diuinæ volūtati præponat. Vt terrena diligat, æterna & vera bona conteṅat. In consilio
*Gene.49.* *Iob.12.* prędictorū medicorū non veniat anima nostra. De quibus beatus Iob ait: Adducit consiliarios

in stultum

in ſtultũ finẽ. Nũc autẽ de tertio pueri nomine ſubiũgamus, vocabitur enim nomẽ eius, nõ ſolũ mirabilis & cõſiliarius, ſed inſuper vocabitur Deus. Ipſe enim eſt dilectus ex dilecto, filius ex patre, lumen de lumine, Deus de Deo, hoc eſt nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen. De quo Apoſtolus ait: Donauit illi, id eſt, Chriſto, Deus pater nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Cùm enim aliquis dicatur Deus adoptiuè. Iuxta illud, Ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes, vel nuncupatiuè tantum, ſicut ſcriptum eſt, omnes dij gentium dæmonia: vel prælationis, & regiminis poteſtate. Vnde in Exodo, diis nõ detrahes, & principem populi tui, non maledices, vel mirabilium operatione. Sicut in Exodo dicit Dominus ad Moyſen: Conſtitui te deum Pharaonis, id eſt, potentem facere ſigna & mirabilia in terra eius vel cultu, & veneratione. Vnde Apoſtolus: Quorũ Deus venter eſt. Solus Chriſtus dicitur Deus naturaliter & ſubſtantialiter. Sicut ſcriptũ eſt, non eſt ſimilis tui in diis Domine. Ipſe enim propriè Deus dicitur, quia omnipotẽs & ęternus, per quẽ creata ſunt vniuerſa. Omnia enim per ipſum facta ſunt. Vnde Ieremias: Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant. Et Apoſtolus ad Philippenſes: Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Et ad Hebræos ait: Qui cùm ſit ſplẽdor gloriæ, & figura ſubſtãitię eius. Cùm ergo nulla forma cadat in Deum, manifeſtum eſt quod figura patris, id eſt, Chriſtus Deus eſt. Vnde Thomas in Euangelio: Dominus meus, & Deus meus. Et Ioannes in epiſtola canonica. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Et Ieremias ait: Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius præter ipſum, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt. Et Abacuc Propheta dicit: Ego autẽ in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Et Dauid ait: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi. Et paulò poſt: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lętitiæ præ conſortibus tuis. Quis eſt Deus vnctus, à Deo, cuius ſedes in ſeculum ſeculi, niſi Chriſtus? Et in Geneſi dicitur. Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Et ſubiungitur: Creauit Deus hominẽ ad imaginẽ ſuam, ad imaginẽ Dei creauit illum. Quis Deus creauit hominem: & ad cuius Dei imaginem creauit illum: vel cui loquitur dicens ad imaginem noſtrã, ſi Chriſtus nõ eſt Deus. In Geneſi autẽ dicitur: quod Dominus pluit ſuper Sodomã & Gomorrã ſulphur & ignẽ à Dǫmino de cęlo. Quis eſt iſte Dominus à Domino, filius, ſcilicet, à patre, ſi Chriſtus non eſt Deus? Et in Zacharia dicitur: Lauda & lętare filia Syon, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et paulò poſt. Et ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te. Quis eſt iſte Deus à Domino exercituum miſſus: ſi Chriſtus non eſt Deus? Vnde Iſaias ad patrem ait: Tu es Deus, & in te eſt Deus, filius enim eſt in patre qui eſt Deus, ſicut ipſe pater eſt Deus. Eiuſdem enim naturæ ſunt pater & filius, hæc autem dicta ſufficiant contra Iudæos & quoſdam impios hæreticos, qui Chriſtum negant eſſe Deum. De quibus Dauid ait: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Et Iſaias: Vocabitur nomen eius Deus. Vocabitur prætereà nomẽ eius fortis, Hic eſt enim verus Dauid manu fortis qui proſtrauit Goliã, quia deuicit diabolum, & humiliauit ſicut vulneratum ſuperbum. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Qui fortem armatum ipſe fortior ſuperueniens ſuperauit. Qui ſune coccineo, id eſt, paſſionis ſuę ſacramento, forte armatum alligauit. Vnde Iob ait: Si fortitudo quęritur, robuſtiſſimus eſt. Hic eſt Sampſon, qui maxilla aſini mille viros proſtrauit, Gigas geminæ ſubſtãtiæ. Exaltauit enim vt gigas ad currendã viam fortis, & patiẽs, cuius patiẽtiæ loricã nec totus mũdus quotidie peccatis valet penetrare. Ipſe autẽ eſt fortis ad adiuuandum, ad defendendũ, & ad puniendũ. Vnde Apo. Omnia poſſum in eo qui me confortat. Et ait Pſal. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutẽ. Fortis ad defendendũ, vnde Iob. Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet cõtra te. Et in Pſal. Ipſe liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Fortis ad puniendũ. Vnde Iob: nolo multa fortitudine cõtendas mecum. Simus igitur fortes in illo, qui debiles in nobis ſumus. Ipſe enim verè fortis eſt, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, non ſolum autem potens, ſed & potentiſſimus: De quo ſcriptum eſt. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè. Ab eo autẽ eſt omnis fortitudo, vnde ipſe diſcipulis ſuis ait: Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. Ad ipſum ergo referre debemus fortitudinem noſtram, vt cùm Propheta dicamus: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Dominus enim fortitudo plebis ſuæ eſt. Vnde Apoſtolus ait: Cùm infirmor, tunc potens ſum: Quaſi diceret: Cùm infirmor in me, attendens fragilitatem propriam, tunc potens ſuum in Deo, vel cùm infirmor in carne, tunc potens ſum in ſpiritu. Ecõtra reprobi & præſumptuoſi, quanto fortiores ſunt in ſe, tanto debeliores ſunt in Deo, quãto fortiores ſunt in malo, tãto debiliores in bono: niſi enim quis obediens fuerit ſuo ſuperiori, nunquam inferiora ſua obedient illi: vt ea refrænare poſſit virtute continentiæ. De his autem Apoſtol. ait: Infirma mundi elegit Deus, vt fortia confundat. Eſt enim fortitudo culpæ & arrogantię. De qua ſcriptũ eſt: Ibi cõfregit potentias. Eſt etiã fortitudo obſtinationis, & inflexibilitatis, de qua dicitur in Iob, nec ſortitudo lapidum ſortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. Hanc fortitudinẽ habebat Pharao, ſicut dicitur in Exodo. Induratũ eſt cor Pharaonis, nõ vult dimittere populũ meũ. Eſt prętereà tertia fortitudo mala, ſcilicet, fortitudo inſenſibilitatis. Hęc eſt fortitudo Phrenetici, hi ſunt quos violẽtia ęgritudinis fortes reddit in malo, multi enim more Phrenetici & inſani credunt eſſe virtutis, quod eſt ægritudinis, in malo potentes, in bono debiles. De quibus Iſaias. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum,

*Cant.5.*
*Ad Phil.2.*
*Ad Phil.3.*
*Ioan.1.*
*Ierem.10.*
*Phil.2.*
*Ad Heb.1.*
*Ioan.10.*
*1. Ioan.5.*
*Ierem.3.*
*Abacuc.3.*
*Gene.1.*
*Gene.19.*
*Isaiæ 45.*
*Isaiæ.9.*
*1. Regum.17.*
*Matth.12.*
*Mar.3.*
*Lucæ.11.*
*Iob.9.*
*Iudicũ.15.*
*Ad Phil.4.*
*Iob 17.*
*Item 11.*
*Matth.28.*
*Lucæ 10.*
*2. Cor.12.*
*De fortitudine malorum.*
*1. Cor.1.*
*Iob 6.*
*Exod.7.*
*Simile.*
*Isaiæ 5.*

viri for-

Sapient.8. viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Et in libro Sapiẽtiæ dicitur: Potentes potenter tormenta patientur. Sanato autem phrenetico per contritionem & pœnitentiam, tunc apparet eius debilitas & ſuam incipit ſentire infirmitatem. Tunc enim agnoſcit quod fortitudo Ægypti

Iſaiæ 36. eſt baculus arundineus, cui ſi quis innixus fuerit, frangitur, & manus innitentis perforatur. Qui enim temporalibus innituntur, cum labentibus labuntur, & ſubtracto appodiamento retrò corruunt, & non vident vbi cadunt. Tunc incipit dicere cum ſponſa. Anima mea liquefacta eſt, quæ prius, ſcilicet, pinguis erat & fortis ad portandum ſarcinam peccatorum, & onus ſecularium negotiorum, nunc tenuis facta eſt & debilis vt vix modicum veniale ſine magno grauamine valeat ſuſtinere. Quantò autẽ magis languet amore & debilitatur in ſe, tantò amplius

1. Regum 17. conualeſcit in Deo, vt iam exẽplo Dauid abiiciat arma Saulis, nõ confidens de potentia vel diuinitate vel ſeculari ſcientia: ſed totum præſumens de diuina miſericordia, vt dicere poſſit cum Propheta: Deficit in ſalutare tuum anima mea: Defecit à ſe, tendens in te, defecit ab appetitu mundanæ vanitatis, languens circa tranſitoria & temporalia, vt ardenter deſideret cœleſtia. Sic ergo de mala fortitudine tranſit in bonam fortitudinem: quemadmodum Iſaias ait:

Iſaiæ 40. Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Et beatus Iob ait: Ferrum de terra tollitur,

Iob 28. & lapis ſolutus calore in æs vertitur. Cor enim durum & frigidum ſicut ferrum de terra, id eſt, de terrenorum amore tollitur, & lapis, id eſt, cor lapideum calore ſpiritus ſancti ſolutum in æs vertitur à mala fortitudine in bonam. Simus ergo fortes in Domino, fortes in fide, fortes in ſpe, fortes in Charitate, fortes in opere, fortes in prædicatione, fortes in aduerſitate, fortes in proſperitate: quemadmodum Dominus ait: Eſtote fortes in tello & pugnate cum antiquo ſerpente. Ipſe enim vt ait beatus Gregorius, aliis eſt leo, aliis formica, quia crudelitatem eius carnales mẽtes vix tolerant, ſpirituales verò infirmitatẽ eius pede virtutis conculcant. Si autẽ aliquando fatigantur in bello, clamant ad Dominum: Domine vim patior, reſponde pro me, appre-

Iſaiæ 38. Eccle. 35. Iudic. 5. hende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, quia non eſt alius qui pugnat pro me, nisi tu Deus noſter. Vnde in Cantico Delbore dicitur. Qui ſpontè obtuliſtis vos diſcrimini benedicite Dominum, qui, ſcilicet, aggreſſi eſtis pugnam contra carnem & mundum, & diabolum, Benedicite Dominum, quia ſine ipſo nihil poteſtis facere. Benedicite Dominum, principium & finem ad ipſum referentes & dicẽtes, fortitudo mea & laus mea Dominus. Et iterum

Ioan. 1. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Benedicite Dominum, ſine quo nihil validum, nihil firmũ. Omne enim datũ optimũ, & omne donũ perfectũ deſurſum eſt. Et in

Iacob. 1. eodem Cantico ſubiungitur. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, motus ſenſualitatis edo mantes,

Iudic. 5. & ſedetis in iudicio nutrientes corpus, ne deficiat, affligentes ne laſciuiat, & ambulatis in via dirigentes greſſus veſtros ſecundum eloquium Dei, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram exorbitantes. Vos, inquam, tales loquimini, ne taceatis, ſed benedicite Dominum. Verè autem in Domino fortis eſt, qui poteſt vincere fortem armatum, id eſt, diabolum. Verè fortis eſt, qui vtitur amico ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad beneuolentiam quibuſcunque poteſt ad beneficentiam. Verè fortis eſt cuius animum non emolliunt blandimenta bonorum neque frangunt tentamenta malorum. Nunquam enim mala mundi cor frangit quod ſpes cœleſtium corroborat. Fortitudo enim murus eſt à dextris & à ſiniſtris filiis Iſraël, mare huius ſeculi tranſeuntibus. Fortem enim animum neque ſublimitas neque profunditas ſeparat à charitate Dei: multę enim aquæ non poterunt extinguere charitatem, quę fortitudinem habet adiutricem. Fortis eſt enim vt mors dilectio. Membra Martyrum ſecabãtur, charitas in eis ſecari non poterat. Viſcera comburebantur, & vincula non ſoluebantur. Quantò autem fortius amara ſuperãtur in terris per fortitudinẽ, tantò dulciora guſtantur in cœlis per charitatem. Eſt ergo Dominus fortis in ſe, & fortis in ſuis, non ſolùm autem fortis per potentiam, ſed inſuper pater futuri ſeculi per benignitatẽ & charitatem. Semper enim ſuis erat beneuolus in futuro ſeculo tanquam gallina pullos ſuos fouens, & tanquam pater pius pueros ſuos in cubili ſuo circa ſe congregans & amplectens. Dicitur etiam pater futuri ſeculi, quia ab illo, eius, ſcilicet, miniſterio eſt futurum ſeculum, vt per eum ad immortalitatẽ reſurgere valeamus. Ipſo enim mediante regnum veniet ad regnum, regnum militans, ad regnum triumphans, quemadmodum in oratione Dominica petimus, cùm dicimus: adueniat regnum tuum. Eſt ergo pater & dator futuri ſeculi, & præſentis ſeculi reparator. Vnde in Parabolis. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Per dexteram æterna vita, per ſiniſtrum vita præſens deſignatur. In dextra ergo illius eſt lõgitudo dierum, quia pater eſt futuri ſeculi, & dator æternę beatitudinis. In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Diuitiæ virtutis, ſcilicet, & bona opera, hæ ſunt veræ diuitiæ, quæ non relinquunt hominem in morte. De quibus dicitur in Parabolis. Redemptio animę viri propriæ diuitiæ. Gloria autem dicitur teſtimonium bonę cõſcientiæ: Hoc idem in Canticis Salomon ait: Læua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Per ſiniſtram bonæ gratiæ quæ dantur in præſenti vita per dextram bona gloriæ, bona, ſcilicet, futuri ſeculi: quæ dantur in æterna vita, deſignantur. Per caput autem mens intellgitur, quæ per bona gratiæ in præſenti ſuſtentatur. Dextra autem protegendo amplexabitur, quando per experientiam & fruitionem attingimus ad diuinitatem. Tunc enim nos amplexabitur, vt non ab amplexibus Chriſti de cætero auellamur. Per Lęuam etiam bona tranſitoria poſſunt intelle-

De quinto nomine quod eſt pater futuri ſeculi. Matth. 23. Lucæ 13. Lucæ 11. Matth. 6. Lucæ 11. Parab. 3. Parab. 13. 2. Cor. 11. Cant. 2.

intelligi, quæ nobis in hac peregrinatione dantur ad consolationem, tanquam puluinar sub capite, non super caput, ne mentem nostram transitoria deprimant. Per læuam etiam timor gehennæ intelligitur, durum ceruical sed solidum, quod non patitur caput adhærere terræ. Læua sursum pellit, dextera sursum trahit: Vel læua, passio Christi sub capite, ceruical potius solidũ quàm suaue, eleuans mentem à terrenis. Dextera autem eius amplexabitur nos, quando erũt omnia in omnibus, & dator æterni regni. Dicitur prætereà pater futuri seculi, quia per gratiam generat fideles, qui ad futurum seculum pertinent. Vnde per Isaiam ait: nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem cunctis tribuo, sterilis ero? Postquam enim verus Isaac coniunxit sibi Rebeccam, id est, Ecclesiam de gentibus, multi ab Oriente & Occidente venerunt vt recumberent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Vnde Isaias ait: Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Nunc autem de sexto & vltimo nomine videamus, vocabitur enim nomẽ eius, vt prædictum est, princeps pacis. Ipse enim verè princeps, qui habet in vestimento suo & in fœmore suo scriptum. Rex regum & Dominus dominantium, sicut dicitur in Apocalypsi. In vestimento enim eius & in fœmore, id est, in ipsius humanitate, omnibus præfertur & dominatur. Dicitur igitur princeps pacis, propter excellentiam & auctoritatem. Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum lapis angularis, in quo iuncti sunt duo parietes. Ab eo autẽ est omnis pax & cõcordia. Amouit enim, velum inter hominem & Deum, inter hominem & Angelum, & coniunxit sancta sanctis sanctorum, pacificans in se, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terra, parietem inimicitiarum soluens inter nos & Deum: princeps pacis, id est, auctor reconciliationis nostræ ad Patrẽ. Rex enim pacificus magnificatus est, cuius vultũ desiderat vniuersa terra. De quo Esaias ait: Pertransibit in pace, semita nõ apparebit in pedibus eius, id est, lutum mortalis culpę vel puluis venialis. Ecce plusquam Salomon hic, non solum pacificus, sed pax nostra, quæ exuperat omnem sensum, omnem, scilicet, sepeliens sensualitatem. Vnde de ipso Psalmus ait: In pace factus est locus eius, ibi confregit potẽtias arcuum, scutum, gladium & bellum. Pax enim Dei & fraterna concordia, terribilis vt castrorum acies ordinata, omnia diabolica arma frangit & destruit. Qui autem in discordia est, ciuis est Babyloniæ, nec particeps supernæ Ierusalem esse potest, cuius participatio in idipsum, id est, in concordia & pace. Dicitur igitur princeps & auctor pacis, conferens pacem temporis tranquillitatem, scilicet, à bellorum conflictu, & pacem conscientiæ, id est, tranquillitatem à peccato non remordente, & pacem pectoris, scilicet, tranquillitatem à tentationibus & malis cogitationibus, tandem collaturus plenam & perfectam pacem, id est, omnimodam tranquillitatem, quemadmodum de superiori Ierusalem Propheta ait: Qui posuit fines tuos pacem. Nulla enim alia pax stabilis est, sed frequenter interrumpitur. Non solum pax temporis sicut scriptum est. Dixerunt pax, pax & non est pax, sed insuper pax pectoris, & tranquillitas mentis. Vix enim fit silẽtium pacis & contemplationis in cœlo, id est, in spirituali viro, dimidia hora sicut in Apocal. dicitur. Nos enim quasi mediũ silentium, & non perfectam pacem habemus in hoc mundo, non plenam pacem, sed quasi pacis reliquias. vnde Dominus in Euangelio. Pacem relinquo vobis, id est, pacis reliquias in hoc mundo, pacem meam do vobis, id est, integrã & verã pacẽ in futuro. Hæc est reclinatoriũ in throno Salomonis summitas, scilicet, rotunda carens principio & fine. Per rotunditatem autem cui nihil deest, perfecta quies intelligitur. Huius autem pacis, nõ erit finis. Pro nihilo enim reputatur, quicquid fine clauditur. De hac pace Propheta ait: In pace in id ipsum dormiam & requiescam, id est, in pace pectoris dormiam in præsenti in idipsum, scilicet, in pace incommutabili requiescam in futuro. Interim autem laborandum est nobis pro virili nostra, vt habeamus pacem cum Deo, pacẽ cum angelo, pacẽ nobiscũ, & pacẽ cum proximo. Pacem cum Deo, per obedientiam. Iuxta illud: Vos amici mei estis, si feceritis quę ego præcipio vobis. Pacem cũ angelo, qui nobis deputatus est ad custodiã, dum ei acquiescimus: & peccando eum non offendimus. Pacem nobiscum, dũ caro spiritui subiicitur, quod fit maximè per mansuetudinẽ. Mansueti enim hęreditabũt & possidebunt corporis sui terram. Pacem cum proximo, per beneuolentiam, vt alij non faciamus, quod nobis fieri non volumus. Habeamus prætereà pacem in nobis, per quietem & mentis constantiã, vt omni transeunti non diuaricemus pedes nostros, pedes, scilicet affectuum per varia desideria non diuidamus. Non enim pax esse potest, nisi hominibus bonę voluntatis, sicut scriptum est. Pax multa diligentibus legem tuam: Beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Econtra maledicti litigiosi, quia filij diaboli dicentur. Et quoniam in pace factus est locus eius, abscondamur in ficella bytuminata cum Moyse, faciamus nobis arcam de lignis leuigatis, & bitumynatis, contra varias tempestates huius maris: In quo quatuor sunt impedimenta, pacis, ventus instabilis, vnda labilis, intolerabilis fluctuum sonitus, & scopuli vndique prominentes, ventus instabilis, vicis situdo varię temptationis, vnda labilis, vanitas mũdialis, sonitus fluctuum, inquietudo secularium negotiorum. Scopuli, malitia induratæ mentis. Hæc ommia pacem perturbant, & tranquillitatem nobis auferre conantur. Exeuntes enim de Ægypto, tria persequuntur. Pharao, id est, diabolus, multitudo Ægyptiorum, turba, scilicet, carnalium amicorum, periculum maris, id est, perturbatio mundialis. Vt igitur sub eo, qui princeps pacis est, militare valeamus, simus pacifici & mites, super omnia cauentes, ne aliquem habeamus inimicum, nisi diabolum. Turbatus enim & iratus animus, nec iudicium rectæ discretionis

*Simile.*
*Isaiæ 66.*
*Gene. 14.*
*Matth. 8.*
*Esaiæ 60.*
*De sexto nomine quod est princeps pacis & de multiplici pace.*
*Apoc. 19.*
*Ephe. 2.*
*Item 3.*
*Esaiæ 41.*
*Matth. 12.*
*Lucæ 11.*
*Phil. 4.*
*Cant. 6.*
*Item 8.*
*Apoc. 8.*
*Sapien. 18.*
*Ioan. 14.*
*Cant. 1.*
*Ioan. 15.*
*Quod debemus habere pacem cũ Deo, cum Angelo, nobiscum & cum proximo.*
*Matth. 5.*
*Lucæ 5.*
*Exod. 16.*
*Lucæ 2.*
*Matth. 5.*
*Exod. 2.*
*Gene. 7.*
*De impedimentis pacis.*
*Exod. 14.*

cretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilij potest
*Prou.4. Matth.12. Mar.3. Luc.11. Cant.5.* possidere. Omni igitur custodia cor nostrum conseruemus. Cùm enim fortis armatus diligenter custodit atrium pectoris sui, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior, id est, diabolus vicerit eũ, omnia arma virtutũ, & vasa gratiarũ diripiet. Propterea sponsa in Cãticis ait: Ego dormio & cor meũ vigilat. Nisi enim cõtra diaboli insidias vigilaret, cor eius nõ quiesceret. Sancta verò mens vt ait beatus Gregorius, quò se à strepitu temporalis concupiscentiæ
*Gregorius.* comprimit, eò verius interna cognoscit. Est autem pax diabolica, quam omnibus modis vitare
*Luc.23. Osee 12.* debemus. De qua dicitur in Euangelio. Facti sunt amici Herodes & Pilatus in die illa. Hoc fit dum mali conueniunt de vanitate in idipsum. De qua Osee Propheta ait: Effraim pacem iniit cum Assyriis, id est, diuites huius seculi cum diabolo societatem contrahunt, qui
*Iob.30. Item 24. Gregorius.* eius operibus participes sunt. Homines autem seculares inquietudinem reputant pacem, & esse sub sentibus, delicias reputant: sicut dicitur in Iob. Et iterum: Dulcedo illius vermis. Peruersa enim mens, vt ait beatus Gregorius, inde delectabiliter pascitur, vnde per inquietudinem incessanter agitatur, valdè fatigatur, si desit cura seculi, qua fatigetur. Est igitur pax diabolica multiplex, consensus, scilicet, hominum impiorum, in iniquitatem. De qua Dominus
*Matth.10. Luc.12.* ait: Non veni mittere pacem, sed gladium. Et Psalmus ait: Zelaui in peccatoribus pacem, peccatorum videns consensus spiritus & carnis in voluptatem. Vnde in Euangelio: Anima
*Luc.12. Parab.28. Conclusio cum breui epilogo. Esaiæ 9.* mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede & bibe. Consensus inter hominem & dæmonem: vnde Apostolus: Cùm dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Multipliciter igitur malæ pacis Princeps est diabolus, sicut multipliciter bonæ pacis Princeps est Christus. Prædictis igitur sex nominibus ipsius perfectionem Esaias ostendere voluit, eò quòd senarius numerus sit perfectionis. Est igitur admirabilis hominem perditum mirabiliter reparando: Consiliarius vitam nostram ordinando: Deus, vt possit peccata remittere: Fortis, vt impugnantes nos possit expugnare: Pater futuri seculi, vt per eum in æternum valeamus regnare. Princeps pacis, vt cum ipso possimus requiescere. Multiplicabitur eius imperium, quia multos saluabit. Et vera salute quæ nullum timeat defectũ, quia pax non habebit terminũ, & pacis eius non erit finis. Quia igitur admirabilis est ipsum venerare. Quia consiliarius, ei crede & acquiesce. Quia Deus, ipsum super omnia dilige. Quia fortis, in ipso confide & ei innitere. Quia pater futuri seculi tanto remuneratori studeas seruire. Quia princeps pacis, in ipso quiesce. Qui est requies post laborem, portus post naufragium, præmium post pugnam, beatitudo post miseriam.

## EODEM DIE, THEMA SVMPTVM de Epistola ad Titum.

*Titum 2.* *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo.*

APPARVIT gratia Saluatoris nostri, id est, spiritualis dilectionis & beneficij prærogatiua non solum in natiuitate, quando pro nobis in carcerem huius mundi descendit, sed insuper in circuncisione, quando cathenis & vinculis nostris ligari voluit, dum sub le-
*Luc.21. Esaiæ 53. 1. Petri 2.* ge factus est qui legem dedit. Summus enim sacerdos qui non est contaminatus super patre vel matre, qui ex generatione peccatum originale non contraxit, qui peccatum actuale non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hodierna die quasi pro totius corporis putredine cauterium circũcisionis sibi infixit, sicut plerunque membrum sanum minuitur, vt infirmum liberetur. Capiti sano cauterium infigitur, vt infirma membra curentur. Qui enim vulnus non
*Quod apparuit igitur Domini in eius circũcisione & quare circũcidi voluit.* habuit, alligaturam non recusauit, vt qui vulnerati sunt, & medicina indigent, vulnerum suorum alligaturam non renuant. Si enim qui peccatum non fecit, non dedignatus est peccatorem se reputari, quanta elatio si nos cùm peccatores simus, peccatores reputari nõ velimus, & medicinam vulnerum nostrorum erubescamus? Circuncisus est igitur Dominus, non quia hoc medicamine indigeret, sed vt nobis exemplũ præberet. Sicut enim nõ pro se natus est, sed propter nos ita nõ propter se, sed propter nos est circũcisus. Vnde merito dũ circunciditur Iesus, id est, saluator nominatur, quia ex tunc iam incepit operari salutẽ nostrã, effundendo sanguinẽ pro nobis. Circuncisus est etiã ne contra eũ Iudæi haberent occasionẽ, & dicerent, nõ es circun-
*Exod.35. Esaiæ 33.* cisus, transgressor legises, non es audiendus. Omnis enim incircuncisus perire debet de populo suo. Factus est igitur sub lege legifer noster, nõ causa necessitatis, sed causa exẽpli & humilitatis, vt virtutẽ obedientiæ suo nobis exẽplo cõmendaret, & vt suo tẽpore circunsionẽ saluberrimã fuisse ostenderet, & vt legẽ bonã esse demonstraret, si quis ea legittimè vtatur suo tẽpore, legi
*1. Tim.1. Gala.4.* igitur subdi voluit, qui legẽ condidit, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Hęc est perfecta humilitas cũ maior subditur minori. Factus est sub lege, vt nos ab omni onere legis liberaret, & à peccatis nostris eriperet. Sicut ipse per Esaiã ait: Seruire me fecistis in peccatis vestris. Qui enim
*Esaiæ 43. De multiplici circuncisione.* onus alterius portat, ipsum alleuat. Propterea Dominus legis onus potare voluit, vt hoc onus depelleret ab humeris nostris. Circuncisus est, vt nos circũcideret, in præsenti à culpa, in futuro à culpa simul & pęna. Circuncisus est, vt circũcideret animas nostras, à spiritualibus vitiis, corpora à carnalibus desideriis, sensus ab appetitu terrenorũ, corda à desiderio illicitorũ, oculos ab aspectu

aspectu lasciuorum aures à delectatione fabularum, olfactum à superfluo, & sumptuoso odore, gustū à gastrimargia, tactum à libidine. Resecans ab anima nostra turpes cogitatus, lasciuos affectus, inordinatos motus. Resecans à corde malitiam, ab ore iactantiam, ab opere inanem gloriam. Resecans in nobis bestiales motus voluptatis, vagos motus curiositatis, ceruicosos motus elationis. Veterē enim hominem spirituali circuncisione renouans, Saluator mundauit nos ab omni inquinamēto carnis & spiritus, vt renouetur sicut aquilę iuuētus nostra. Ecce, inquit Dominus, noua facio omnia. Et Malachias Propheta ait: Ipse enim quasi ignis conflās, & quasi herba fullonum, & sedebit cōflans, & emundans quasi argentum, & purgabit filios Leui. Et in Euāgelio Ioannes ait: Omnē palmitē ferentē fructū, purgabit eū, vt fructū plus afferat. Apparuit igitur gratia saluatoris nostri in circuncisione sua, & in purgatione nostra gratia promissa apparuit exhibita. Quod enim prius apparuit auditui, apparet nūc visui. Ipse verò in sole posuit tabernaculum suum, vt omnibus esset manifestum. Non solum enim voluit nasci, sed & agnosci. Apparuit humanitas & benignitas. Prius enim quàm appareret humanitas, latebat benignitas. Circuncisus est vt se verum hominem ostēderet. Vocatus est Iesus, id est, saluator, vt se verum Deum demōstraret, vocatus est Emanuël, vt vtramque naturam in se exprimeret: Emanuël enim nobiscum Deus interpretatur, id est, Deus homo eiusdem, scilicet, naturæ nobiscum, apparuit gratia saluatoris, posita est lucerna super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Oleum enim effusum in vniuerso mundo nomē eius. Nox pręcesit, dies appropinquauit. Dies gratiæ apparuit & illuxit nobis vt dirigeret deuiantes, illuminaret nescientes, calefaceret torpentes. Apparuit gratia saluatoris. Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei nostri, viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri. Parauit Dominus brachium sanctum suum in conspectu omnium gentium, gaudet exercitus Angelorum, quia salus æterna humano generi apparuit, & per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Apparuit igitur gratia gratis data, & gratum faciens, & glorificauit nos pater in filio suo, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, gratiā vitę ęternę, pro hac gratia quā fecit nobis. Apparuit gratia gratis data sine meritis nostris, quia non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Gratis enim venundati sumus, & gratis sumus redempti. Apparuit igitur quæ parius latebat & rara erat, gratia operans & præueniēs, qua de impio facit pium. Gratia cooperans, qua iuuat ad bene operandū, gratia consummans qua perseuerare facit in bono, incassum enim bonum agitur, si ante vitę terminum deseratur gratia remunerans, qua nobis præmiū redditurus est in cœlo. Sicut scriptū est: Reddet Deus mercedē laborū sanctorum suorū, lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christū facta est. Gratia, id est, remissio peccatorum, veritas, id est, exhibitio promissorū. Ipse enim superbis resistit, humilibus autē dat gratiā, id est, seipsum gratis. Hāc igitur gratiam amplectamur, de hac confidamus, in hac gratia spem ponamus. Non in scientia diabolica, non in maleficiis & sortilegiis, non in magica arte, & dœmonum illusione. Hodie enim consuetudine pessima, rituque paganorum in renouatione anni plures Christiani faciunt, quod abhorret fides catholica varias sortes mittentes, & de futuris experimenta quęrentes, sese etiam mutuis muneribus estrenantes, quasi in hoc anno propter huiusmodi strenas prosperè eis debeat accidere. Contra quos Apostolus ait: Obseruatis dies & annos, timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Et Dominus in Euangelio ait: In viam gentium ne abieritis, id est, in errorem gentilium. Si autem hodie renouatur annus, renouari debemus per gratiā & spiritualem circuncisionē, & non reuerti ad gentilium veterē & diabolicum errorem. Beatus enim homo cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas, vt possimus dicere cum Propheta: Tu in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, nomen glorioſum, nomen nouū, quod os Domini nominauit. Nomen enim Christi, non nomina dœmoniorum super nos inuocare debemus. In Deo enim faciemns virtutem, non in sortilegiis & auguriis & maleficiis, quæ nocere nō possunt, nisi his qui fidem eis adhibent & spem in eis ponunt. Hos enim merito suæ infidelitatis permittit Dominus illudi à dœmoniis. Propterea Psalmus ait: In adinuētionibus tuis exercebor, nō in adinuētionibus diabolicis, vel in traditionibus sapientum huius mundi. Vnde Dominus in Euangelio ait: Irritum feciſtis præceptum Domini propter traditiones vestras. Dominus enim præcepit in Deuteronomib, ne obseruemus somnia vel auguria, & ne quæramus à mortuis veritatem. Et in Exodo ait: Maleficos non patieris viuere. Et per Esaiam ait: Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum, irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in furorem vertēs. Qui enim intendunt sortilegiis & auguriis seruientes, creaturæ potius quàm creatori, peccatum idolatriæ incurrūt, & morte digni sunt. Vnde Dominus in Deuteronomio ait: Propheta qui voluerit loqui, quæ ego non præcepi, interficietur. Et iterum si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, & prędixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Deus Dominus noster. Ex quo patet quod quandoque permittit Deus diabolo quædam ventura prænunciare, & vera falsis immiscere ad fidei nostræ probationem. Non igitur debemus talibus fidem adhibere, sed semper ad consilium scripturarum recurrere. Non debemus etiam in carminationibus spem ponere, licet

*De circuncisione cordis, oris, & operis.*

*2. Cor. 6. Esaiæ 43. Apoc. 21. Malach. 4. Ioan. 15. Tit. 2.*

*De multiplici manifestatione gratiæ.*

*De his nominibus Iesus Emanuel. Lucæ 2. Esaiæ 6. Lucæ 2. Matth. 1. Lucæ 8. Cant. 1. Rom. 15. Tit. 2. Esaiæ 52. Ephe. 1. Ioan. 1.*

*Esaiæ 52.*

*De multiplici gratia.*

*Gratia præueniens.*

*Gratia cooperans.*

*Gratia consummans.*

*Gratia remunerans.*

*Sap. 9. Ioan. 1. Iacob 1. 1. Petri 4.*

*Contra sortilegos & maleficos. Gal. 4. Matth. 10.*

*Iere. 14. Esaiæ 62.*

*Matth. 15. Mar. 7. Deut. 18. Exod. 22. Esaiæ 44.*

*Quod somnia & auguria non sunt obseruanda. Rom. 1. Deut. 13. & 18.*

1. Thes. 5. Quod carminationes, & iudicium aquæ frigidæ, & ferri candentis ab ecclesia Dei non recipiuntur.

licet Deus inuocetur vel bona verba in eis dicantur, propter speciem malam. Vnde Apostolus: Ab omni specie mala abstinete vos. Si enim dicerentur nomine orationis, non carminationis, tunc non esset malum in eis ex Dei virtute confidere. Vnde & iudicium aquæ frigidæ in ecclesia est prohibitum, licet bona verba dicantur in benedictione aquæ. Prohibitum est etiam sacerdotibus, ne aquam huiusmodi benedicant, quia non debemus Deum temtare, præsertim cum huiusmodi iudicium frequenter fallat, ita vt innocentes condemnentur & rei absoluantur. Similiter & iudicium ferri calidi prohibetur & omnia huiusmodi. In libro tamē Numeri, propter duritiam cordis Iudæorū permisit Dominus ad tempus fieri sacrificium zelotypiæ, & aquas maledictionis in iudicium bibere, quas cùm biberet adulter, venter eius tumescebat, & femur computrescebat. Si autem innocenserat, aquę maledictionis ei nihil nocebant. Similiter & in primitiua ecclesia vsi sunt Apostoli sorte in electione Mathiæ. Sed hæc non sunt trahenda in consuetudinem. Priuilegia enim paucorum, nō faciunt legem cōmunem. Licèt enim Dominus miraculosè per sortem Mathiam eligendum ostenderet, non tamen semper in sortibus miracula operatur, sed per eas frequenter homines decipiuntur. Qui enim facile credit, leuis est corde. Vnde vetulæ & mulieres huiusmodi sortilegiis fidem ādhibentes, multa faciunt turpia & abominabilia, & frequenter à dęmonibus illuduntur. Hæc enim non solum vana sunt & friuola, sed nociua & mortalia. Vnde Dominus in Leuitico ait: Super mortuo nō incidetis carnem vestrā. Hinc est quod Moyses ad regem Edom & regem Amorræorum mittens nuncios, ait: Non ibimus per agros, nec per vineas vestras, non bibemus aquas de puteis vestris, sed gradiemur via publica & regia, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes. Regia via est Christus, & via publica fides catholica & diuina scriptura. Per hanc viam euntes non declinant ad dexteram elationis, neque ad sinistram depressionis & confusionis. Non declinant ad dexteram, nomen Dei in vanum accipiendo, ipsum Deum in auguriis inuocando. Non declinant ad sinistram, nomina dęmoniorum inuocando, nec dæmoniis sacrificando. Per agros & vineas Idumæorum vadunt, qui gentilium errores sequentes, eorum malis operibus cōmunicant. Sicut scriptum est. Commixti sunt inter gentes & didicerūt opera eorum. Aquas de puteis Idumæorum & Amorræorū bibūt, qui errore secularis & diabolicę scientiæ seducuntur. Apparuit autem gratia Dei saluatoris nostri, erudiens nos & instruens ne huiusmodi illusionibus seducamur, & omnem talem impietatem, quę contra Deum est & contra religionem catholicam abnegemus. Ad hoc enim apparuit erudiens nos vt abnegantes impietatem & sęcularia desideria sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo. Sic enim eruditi debemus vt omnem impietatem abnegemus. Aliter enim non prodest instrui vel erudiri, nisi memores simus mandatorum Dei ad faciendum ea, quia non auditores legis, sed factores iustificabuntur. Gratia igitur Dei erudit nos, quia vnctio docet de omnibus, erudit nos & instruit contra cęcitatem ignorantiæ. Hæc est fumus eiiciens hominem de domo, vt abnegamus impietatem, hęc est stillicidium suggestionis prauæ per infideles & hæreticos, vt abnegemus sęcularia desideria. Hæc est mala vxor quæ cum fumo & stillicidio eiicit hominem de hospitio suo. Erudite igitur nos gratia Dei, id est, extra ruditatem ponit, vt simus discreti & sapientes. Hæc autem sapientia per gratiam inspirata facit in fide stabiles & in opere efficaces, in verbo veraces, in eloquio dulces, in dato hilares, in misericordia benignos, in respondendo suaues, in differendo sagaces, in prosperitate humiles, in aduersitate securos, in sensu acutos, in conflictu fortes. Quę autē gratia Dei eruditus est corde in sapientia, discretus & prouidus in agendis, & in omnibus operibus suis subtiliter attēdens & pēsans: vt ait B. Gregorius, ne ab his quæ agēda sunt formido præpediat, ne in his quæ differēda sunt præcipitatio impellat, ne praua per concupiscentiam aperto bello superent, ne recta per inanē gloriā insidiando supplātent. Hæc est sapiētia quæ ex Deo est, quæ pudica est & pacifica. Sapiētia enim carnis nō est pudica, sed voluptuosa. Sapiētia mundi nō est pacifica, sed tumultuosa. Gratia igitur Dei erudit nos vt abnegātes impietatē & sęcularia desideria sobriè & iustè & piè viuamus, id est, vt declinemus à malo & faciamus bonum. Hæ sunt enim duæ partes vniuersālis iustitiæ de quibus Dauid ait. Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam. Et beatus Iacobus ait: Religio pura & immaculata apud Deum hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Impietatem autem abnegantes, qui non abiit in consilio impiorum & in via peccatorū non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedet. In primo siquidem leuitas inconstantię. In secundo obstinationis duritia. In tertio præsumptionis superbia designatur. Secularia autem desideria abnegat, qui omnibus quæ possidet, abtenunciat, vt seipsum benè possideat. Impietatem autem & sęcularia desideria abnegauimus cùm sathanæ & omnibus pompis eius in Baptismo renunciauimus. Charitas autem Dei vincit desideria huius seculi, quæ nos separat à mundo & coniungit Deo. Vt igitur sęcularia desideria abnegemus, sincero corde Deum diligamus. Ex toto corde, vt omnes cogitationes nostras, ad ipsum referamus, ex tota anima, vt omnes affectiones nostras in ipsum dirigamus ex tota mente, vt omni motu rationis, & intellectus in ipsum tendamus. Sicut autē ignis, consumit stupam, sic Dei charitas carnis & animi superfluitatem. Nisi autem terra cordis nostri appareat arida à fluxu carnalium desideriorum fructificare nō potest. Non igitur post cōcupiscentias nostras eamus, sed carnis suggestionibus surdam aurem faciamus. Abnegemus igitur sęcularia desideria, ne pro croceis amplexemur stere

Actuum 1. Quod sortibus non est adhibenda fides. Eccle. 19.

Deut. 19. Num. 20.

Titum 2.

De multiplici eruditione,

Rom. 2. 1. Ioan. 2. Para 27. Titum 2.

De effectu eruditionis & sapientiæ.

De sapientia mala. Iaco. 3. Titum 2.

Iacob. 1.

De abnegatione impietatis & secularis desiderii.

Simile. Gene. 1.

cora.

cora. Qui fuerit in tecto perfectionis, non descendat tollere aliquid eorum, quæ renuntians mundo reliquit, sed sicut vitulus nouellus, per gratiam innouatus cornua producēs, & vngulas cornibus duorum testamentorum pugnet cōtra vitia & secularia desideria, & vngulis cōculcet terrena. Sicut autē quando pugnamus, quosdā interficimus, alios fugamus, alios verò incarceramus: ita nos amorē mundi debemus interficere, dæmones fugare, corpus in carcerē pœnitētiæ retrudere. Vt igitur secularia desideria abnegare valeamus, frequēter illud quod Salomō ait ad memoriā reducamus: Vanitas vanitatū, & omnia vanitas: vanitas in hominis natiuitate, vanitas vanitatū in huius exilij tribulatione, in vita hominis & cōuersatione. Omnia vanitas in morte: vanitati enim, vt ait Apost. subiecta est omnis creatura. Cùm igitur mundus in se areat, in nostris cordibus nō floreat, sed fugiamus fugiēntē, & relinquamus labentē. Qui autē trāsitoria desiderare vel cōgregare nō cessat, vastitatē & mendaciū multiplicat, sicut dicitur in Osee. Teste autē Sapiēte, operarius ebriosus nō ditabitur. Qui enim ebrij sunt mūdi gloria, & mūsto pompaticę vanitatis, nō sentiētes laborē, quē pro vana gloria tolerant, nō ditabūtur bonis spiritualibus, omnia enim opera sua perdūt. Nō igitur huic seculo cōformemur, sed ab eius forma ipsum cōtemnendo deformemur. Amatores enim huius seculi, vt ait Apost. Iacobus, inimici Dei cōstituuntur. Qui autē per secularia desideria Deū à se excludit, diabolū in se includit. Hospes maligNus ingreditur, hospes benignus egreditur. Abnegātes igitur impietatē, & secularia desideria, sobriè, quo ad nos: iustè, quo ad proximos: piè, quo ad Deū, viuamus in hoc seculo. Simus sobrij nobis, & modesti in cibo & potu & vestitu: simus iusti ad proximos diligēdo, benefaciēdo, & pro ipsis orādo: simus pij in cultu diuino, rectè credēdo, cautè timēdo, diligēdo dulciter, deuotè orādo & laudādo Deū. Viuamus igitur sobriè & modestè, qui enim carnē domāt, spiritū roborant: venter autē cui coquorū multitudo seruit, ędificia virtutū ad solū redigit. Hęc est autē vera sobrietas, si escas quas sumere sustētandi corporis causa cogimur, adhuc in appetitu earū positi temperemus, vt qui per illicita defluēdo cecidimus à licitis nosmetipsos restringēdo surgamus. Vnde B. Greg. ait: Solus in illicitis nō cadit, qui se aliquādo à licitis cautè restringit. Gula enim corpus inquinat, animā maculat, cōficit stercora, auget sterquilinia, gignit crapulā, incitat libidinem, implet stomachū nō animā, implet ventrē nō mentē. Mel autē carnalis voluptatis, à Dei sacrificio abiicitur. Duę enim filię Loth, quę inebriāt patrē suū, sunt carnalis voluptas & mūdi vanitas, quarū filij Ecclesiā Dei nō ingrediuntur. Sicut autē vermiculus flori aufert odorē, colorē, & substantiā, sic gula & luxuria auferūt odorē bonæ famę, colorē honestæ vitæ, substantiā beatitudinis æternę. Qui autē luxuriatur, toti corpori suo iniuriatur. Hoc est enim symbolū diaboli, in quo omnia membra dissoluuntur, & aliquid de suo ponūt. Sicut ecōtrario in symbolo Dei, id est, in ieiunio omnia membra macerātur, & de suo aliquid reddūt, quod tamē sobriè & modestè facere debemus. Necessaria enim corpori auferre, est sacrificiū de rapina facere. Viuamus autē nō solū sobriè, sed & iustè ad proximos nostros, reddentes vnicuiq; quod suū est. Iustus enim Dominus, & iustitias dilexit. Nullū faciamus miserū verbo, facto, vel exemplo. Nullum quantū in nobis est miserū relinquētes, sed quęcunq; volimus vt faciāt nobis homines, eadē eis faciamus. Nulli faciamus quod nobis fieri nō volumus. Nemini quicquā debeamus, nisi vt inuicē diligamus. Superiori reuerentiā & obedientiā reddamus, pari verò consiliū & auxiliū. Consiliū cōtra ignorantiā erudiendo: auxiliū cōtra infirmitatē iuuando. Inferiori custodiā & disciplinā. Custodiā, vt caueant peccatū: disciplinā, vt puniamus quòd non est emendatū. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiā. Iusti enim hæreditabūt terrā. Fulgebūt enim iusti sicut Sol in regno patris eorū. Simus igitur isti corde, sine malitia & duplicitate. Iusti ore sine fallacia & falsitate. Iusti opere, sine iniuria & iniquitate. Iustitia siquidē mensura est, qua debemus metiri pœnas, & ponderare merita. Hęc est gladius qui vtramq; partem hominis defendit, corpus ab exteribus iniuriis, animā ab interioribus molestiis. Iustè autē viuere est nulli obesse, omnibus prodesse, rectè cōuersari inter homines prauæ nationis, amicū diligere in Deo, inimicū propter Deum. Charitas enim principalis pars est iustitiæ. De qua dicitur: Iustitia eius manet in seculū seculi. Quia charitas nunquā excidit. Similiter humilitas est pars iustitiæ: de qua dicitur in Euāgelio: Sic oportet nos implere omnem iustitiā, id est, perfectā humilitatem. Prima enim humilitas sufficiēs est, quādo minor subdit se maiori. Secunda & maior humilitas, quando par subiicit se pari. Maxima autē & perfecta, quando maior sponte subditur minori. Debemus præterea piè viuere ad Deū, ipsum pura mente colēdo. Pietas enim specialiter in hoc loco dicitur theosedia, id est, cultus diuinus, qui cōsistit in seruitio cordis, oris, & operis. Colere enim debemus Deū, corde de ipso meditādo, ipsi per contemplationē inhærēdo, in ipso gaudendo. Sicut scriptū est: Delectare in domino. Et iterū: Gustate & videte, quoniā suauis est dominus. In ipsum credēdo, spē nostrā in ipso solo ponēdo, ipsum super omnia diligēdo tanq patrē, timēdo tanq dominū, honorādo tanq Regē summū, & nos in cōspectu eius humiliādo, eius obediendo mādatis, & omne peccatū detestādo, ipsius flagella patiēter sustinēdo. In his & cōsimilibus consistit pietas cordis ad Deū. Debemus etiā ipsum colere ore, vt reddamus Deo vitulos labiorū nostrorū, sicut dicitur in Ozee, laudando ipsum tanquā summe bonum, gratias ei agēdo tanq benefactori nostro, orādo tanq illum à quo bona cuncta procedunt, diuinas scripturas legēdo, in quibus perpendimus eius voluntatē, cantādo & offerēdo illi hostiā vociferationis, prędicādo, vt ab omnibus cognoscatur & diligatur, vouēdo, promittēdo: promittēdo & reddēdo, sicut scriptum est:

*Matth.16.*

*Simile.*

*Eccle.1.*

*De multiplici vanitate seculari.*

*Rom.8.*

*Osee 12.*

*Eccle.19.*

*Rom.12.*

*Iaco.4.*

*Titum 2.*

*Quod sobriè & piè, & iustè, viuendum est.*

*De sobrietate.*

*Leui.2.*

*Gene.19.*

*Simile.*

*Simile.*

*Eccle.13.*

*De iustitia ad proximum.*

*Matth.7.*

*Luce 6.*

*Rom.13.*

*Matth.5.*

*Item 13.*

*De multiplici iustitia.*

*Phil.2.*

*Nota.*

*De triplici humilitate.*

*De pietate ad Deum.*

*De multiplici cultu Dei & primò quod colendus est corde.*

*De cultu oris.*

*Osee 14.*

Vouete & reddite, Accusando nos corã ipso & peccata nostra illi cõfitendo, sicut scriptum est. Deus vitã meã annũtiaui tibi. In his & cõsimilibus cõsistit pietas siue cultus oris ad Deũ. Debemus prẽterea ipsum colere opere, mãdata eius opere adimplẽdo nos, & nostra ei tribuẽdo, omnia mẽbra corporis nostri eius seruitio mancipãdo, oculis nostris crucifixi imaginẽ, & alia quę non ad deuotionẽ excitãt, intuendo, auribus verbũ eius & officiũ ecclesiasticũ audiendo, eius Ecclesias & loca sanctorũ pedibus nostris visitãdo. Manibus autẽ debemus vel ecclesias cõstruere, vel ornamẽta ecclesiastica cõponere & munda reseruare, vel sacrificia offerre, vel quęcunq; alia ad ipsum & eius sacramenta pertinentia exercere, vel dignè cõrectare, vel signo crucis nos munire. Munera & oblationes nostras illi debemus offerre, decimas & alia quæ eius sunt, sine diminutione reddere, sanctos eius honorare, & solẽnitates obseruare. In his & similibus cõsistit pietas siue cultus Dei in opere. Sobriè igitur & piè & iustè debemus viuere in hoc seculo, sobrietatem nostrã, & pietatẽ, & iustitiã, & omnia opera nostra, recta intentione & debito fine ad ipsum referendo. Qui enim opera sua sibi attribuit tanquã faciat illa, quę Deus facit, similis est Lucifero, qui se æquiparare Deo voluit. Non igitur causa vanitatis vel cupiditatis, sed intuitu æternę remunerationis cuncta faciamus, quemadmodũ subiungit Apost. Expectantes beatã spem & aduentũ glorię summi Dei. Nõ enim mercedẽ nostrã hîc expectare debemus. Teste etiã Salomone: Væ terræ, cuius Principes manè comedunt, id est, in præsenti mercedẽ suã recipiunt, nõ expectantes extremã retributionẽ. Sancti autem tanquã homines silueſtres, & mundũ fugientes, tempore tempestatis, expectant serenũ æternæ claritatis. Sicut autẽ manna reseruatũ ad alium diem quã ad Sabbatum, putrescebat, ita quicquid ad aliud quàm ad Deum, & ad æternã requiẽ refertur, putrescit & corrumpitur. Cùm enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æternæ retributione res digna, vili pretio venundatur. Vnde Iob ait: Donec optata veniat, sicut mercenarij dies eius. Tunc namq; homini optata sicut mercenarij dies venit, quãdo requiem pro recõpensatione laboris acceperit. Tunc enim in octaua resurrectionis, quasi die octauo plenè circuncidemur ab omni peccato, & corruptione, & pœna, quãdo renouabitur sicut aquilæ iuuentus nostra, si tamẽ interim sobriè, & iustè, & piè viuendo circuncidamur à culpa, gladio bis acuto vitia carnis & spiritus à nobis resecãdo, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Deponamus igitur omnem vetustatẽ, quia Dominus in vtres veteres non mittit nouũ vinum gratię innouantis. Reiiciamus omnẽ superfluitatem nouacula voluntariæ paupertatis: sic enim docet nos circuncidi Apost. cùm ait: Habẽtes alimenta & quibus tegamur, his cõtenti simus. Exuentes igitur veterem hominẽ, & nouũ induentes, qui secundũ Deũ creatus est, renouemur spiritu mentis nostrę, & homo noster interior renouetur de die in diem, vt recedant vetera de ore nostro, & loquamur nouis linguis magnalia Dei, vt relicto cantico veteri post transitũ maris rubri, cãtemus canticũ nouitatis, & tandem in terra promissionis cantabimus canticũ iubilationis. Circuncidamur autẽ nõ solum à maioribus vitiis, sed à minoribus, de quibus B. Gregorius ait: Altos gurgites fluminũ paruę, sed innumeræ replent guttæ pluuiarũ, & hoc agit sentina latenter crescens, quod procella patenter saeuiens. Cùm autẽ à planta pedũ nostrorũ vsq; ad verticẽ nõ sit in nobis sanitas, circuncidere debemus omnia membra nostra. Circuncidamus igitur cor, sicut Propheta Ierem. ait: Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorũ, id est, omnẽ superfluitatẽ à corde resecãdite, gladio, scilicet, verbi Dei, quod attingit vsq; ad diuisionẽ animæ ac spiritus. Circũcidimini Domino nõ mundo, sicut hypocritæ. Et in Deut. dicitur: Circuncidite pręputium cordis vestri. Et Apost. de hac spirituali circunciſione ad Rom. ait: Non enim qui in manifesto, Iudæus est, neq; quę in manifesto, in carne, est circunciſio: sed qui in abscõdito, Iudęus est: & circũcisio cordis in spiritu, nõ in litera. Hæc enim interior circunciſio placet Deo, sed nõ exterior, sicut scriptũ est: Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Circũcidamus igitur cor à malis cogitationibus, sicut scriptũ est: Omni custodia serua cor tuũ. Oportet enim prius nos mundare, iuxta sententiã Domini, id quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat mundũ id quod foris est. Sicut enim nõ potest aliquis videre faciẽ suã in aqua turbida, sic anima nisi purgata fuerit à malis & vanis cogitationibus, nõ potest videre Deũ. Beati enim mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbũt. Pro his igitur quæ dicitis in cordibus vestris & in cubilibus vestris, id est, in arcanis cogitationibus cõpungimini, Compunctio enim nouacula est circunciſionis. Circuncidamus os nostrũ à mendatio, & inutili locutione, sicut aquila allidẽtes rostrũ nostrũ ad petrã, quia qui moderatur labia sua prudentissimus est. Qui autẽ mentitur, diabolũ imitatur. Ipse enim mendax est, & pater eius. Mendaces verò faciunt, vt nec vera dicẽtibus credatur. Propterea Salomõ ait: Qui custodit os suum, custodit animã suã. Et iterum: Mors & vita in manibus linguæ. Vnde B. Greg. ait: Praui homines sicut in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites, & quod leuis cõscientia cõcipit, leuior protinus lingua prodit. Qui autẽ os suum nõ custodit, tentandi diabolo materiã tribuit. Vnde Salomõ: Sicut vrbs patẽs absq; murorum ambitu, ita vir qui nõ potest in loquẽdo cohibere spiritum suum. Circuncidamus oculos nostros ne videant vanitatẽ, ne mors ascẽdat per fenestras nostras, vt possimus dicere cum Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nõ cogitarẽ de virgine, ne, scilicet, viderem mulierẽ ad cõcupiscendum. Vxor enim Puthipharis postquã iniecit oculos in Ioseph, ait: Dormi mecum. Vnde Isaias ait: Qui claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit. Et Dauid in Psalmo: Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc nõ edebã.

Circun-

*De cultu operis consimilibus.*

*Quod in omnibus quæ agimus æternam retributionem expectare debemus.*
*Eccle. 10.*
*Exod. 16.*
*Simile.*
*Iob. 14.*
*Luc. 2.*

*De spirituali renouatione.*
*Rom. 6.*
*Matth. 9.*
*Mar. 2.*
*Luc. 5.*
*1. Tim. 6.*
*Ephe. 4.*
*Coloss. 3.*
*2. Cor. 4.*
*Alium 1.*
*1. Regum 2.*
*De peccatis venialibus.*
*Esaiæ 1.*
*Ierem. 4.*
*De circunciſione cordis.*
*Deut. 11.*
*Rom. 2.*
*Prou. 4.*
*Matth. 23.*
*Simile.*
*Matth. 5.*
*De circunciſione oris.*
*Prou. 10.*
*Item 14.*
*Ioan 8.*
*Prou. 13.*
*Item 18.*

*De circũcisione oculorum.*
*Ierem. 9.*
*Iob 31.*
*Matth 5.*
*Gene. 41.*
*Esaiæ 33.*

Circuncidere etiã debemus aures, sepiendo eas spinis, ne audiant detractionẽ, vel mala verba & nociua: quia corrumpũt bonos mores colloquia praua. Vnde Salomon: Remoue à te os prauũ. Circuncidebat aures, qui dicebat: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua. Et Salomon ait: Ventus Aquilo dissipat pluuiam, & facies tristis linguã detrahẽtem. Sagitta enim nõ figitur in lapide, id est, in forti homine, sed resiliẽs percutit dirigentẽ. Qui igitur omni custodia seruãt cor suũ, qui auertunt oculos suos ne videãt vanitatẽ, qui sepiũt aures suas spinis ne audiant linguã detrahentem, qui gustant & vident quàm suauis est Dominus, qui custodiunt vias suas, vt non delinquant in lingua sua, qui leuãt manus suas ad mãdata Dei quæ diligunt, qui ab omni via mala custodiũt pedes suos, hi cultro petrino sensus suos circuncidunt. Petra autẽ erat Christus, cuius fide, spe, charitate, corda nostra purificantur, & sensus nostri circunciduntur. Incircuncisi autẽ sunt corde, qui loquuntur pacẽ cum proximo suo, mala autẽ in cordibus eorũ. Incircuncisi lingua, quorũ os locutũ est vanitatẽ. Incircuncisi oculis, qui vident mulierẽ ad concupiscendã eam. Incircuncisi auribus, qui declinãt aurẽ suã ne audiant legẽ Dei, cythara autẽ & lyra in cõuiuiis eorũ. Incircuncisi gustu, qui potentes sunt ad bibendum vinum, viri fortes ad miscendam ebrietatẽ. Incircuncisi manibus, quorũ dextera repleta est muneribus. Incircuncisi gressu, quorum pedes veloces ad effundendũ sanguinẽ: cõtritio autẽ & infelicitas in viis eorũ. Incircuncisi ventre, quorum Deus venter est, qui epulantur quotidie splendidè, quorum corda grauantur crapula & ebrietate, qui carnis curã faciunt in desideriis. Incircuncisi renibus, quorum nõ est præcisus vmbilicus, qui defluunt luxuria, & tanquã iumenta in stercoribus suis cõputrescunt. De quibus Dominus per Sophoniam ait: Visitabo super viros defixos in fœcibus suis. Incircuncisi sunt à vana gloria, qui amant ab hominibus vocari, Rabbi. De quibus in libro Regum dicitur: Verumtamen excelsã non abstulit. Et in Leuitico præcipitur vt auferamus præputia lignorum pomiferorum, id est, non approbemus, neque inaniter laudemus initia operum nostrorum. Et subditur: Poma quæ germinant immunda erunt vobis: nec edetis ex eis, id est, non pascetur animus, cum primordia laudantur boni operis. Viuamus igitur sobriè, circuncidentes carnem nostram ab omni gastrimargia & luxuria. Iustè, circuncidentes manus & opera nostra ab omni proximorum iniuria. Piè, circuncidentes corda, ora, & omnia membra nostra, ne aliquod malum & impium contra Deum cogitemus, loquamur, vel operemur: vt impleatur in nobis quod de sancta Ecclesia ex Gentibus collecta ait: Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. Libanus candidatio interpretatur, Carmelus circuncisio, Saron principatus. Candidatio autem virtutum, data est Ecclesiæ, & circuncisio spiritualis à vitiis, & principatus: vt possit dominari vitiis & dæmonibus.

*De circunsione auriũ. Eccle. 28. 1. Cor. 15. Parab. 4. Item 25. De plena & perfecta circunsione. Iosue 5. 1. Cor. 10. Psalm 13. De incircunsis. Matth. 5. Parab. 28. Isaiæ 5. Item. Ephe. 5. Luc. 16. Item. 22. Rom. 13. Ezech. 16. Iobel 1. Sopho. 1. Matth. 23. Mar. 12. 3. Regum 15. Leuit. 19. Conclusio cum breui epilogo. Esaiæ 35.*

## EODEM DIE, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* *Luc. 2.*

PRAECEPIT Dominus filiis Israël, cùm exirent de terra Ægypti, quod secum ferrent farinam aqua cõspersam in palliis ligatã super humeros. Nos autẽ cùm eximus de Ægypto tenebrarũ in desertũ nostræ peregrinationis, debemus deferre farinã diuinæ prædicationis, aspersam aqua lachrymarũ & deuotionis. Vnde Iob: Antequã comedã, suspiro. Quia verbũ Dei cum lachrymis & contritione debemus suscipere, & in palliis memoriæ astringere, & firmiter retinere. Sicut enim beati, qui audiunt verbũ Dei & custodiunt illud, ita maledicti, qui audiunt & nõ custodiunt, quia immundũ & reprobũ est animal in lege quod nõ ruminat. Hanc farinã debemus portare super humeros, vt verba vertamus in opera. Post farinã tribuit Dominus mãna gratiæ & cõsolationis suæ: sicut filij Israël postquã panẽ ex farina comederunt, manna diuinitus receperunt. Quidã autẽ more cibri hanc farinã nõ cõseruant, furfur tamẽ libẽter retinẽt, vana & inutilia verba, cantilenas ad lasciuiã pertinẽtes, memoriter custodiunt: verbũ autẽ Dei facilè amittunt. Quando verò Dominus farinã cõfert, diabolus saccũ aufert. Saccus res humilis est, & ad pauperes pertinet. Superbi autem quia sacco humilitatis carent, vel verbũ Dei dedignantur audire, vel si audiunt, sine fructu recedunt, quia tumor infusa repellit. Vnde Dominus: Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, id est, superbis, qui sapientes sunt in oculis suis, & reuelasti ea paruulis. Quia esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Granũ verò ex quo prouenit farina, est verbũ Dei, filius, scilicet, Dei, qui de se dicit: Nisi granum frumẽti cadẽs in terra, mortuũ fuerit, ipsum solũ manet. Prædicator qui verba & scripturas, quę de Christo sunt, fidelibus exponit, est quasi molendinũ. Inferior mola sensus literalis, sensus spiritualis superior: fluuius sine quo inutile est molendinũ, est spiritus sanctus. De quo Dominus dicit: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluẽt aquę viuę. Molẽdinarius aquas dimittẽs & granũ ministrãs est pater, cuius moderamine regitur molendinũ. Hęc est farina de qua Helias dixit ad viduã: Hydria farinę nõ deficiet, nec lecythus olei minuetur. Per farinã D. Scriptura: per oleũ, crismatis vnctio, vel feruẽs dilectio, designatur: quę nõ deficiũt in ecclesia, sed distributa recipiũt incrementũ. Orate igitur Deũ, vt de hac farina cũ aqua lachrymarũ & igne spiritus sancti, in clibano cordis ardẽtis hodie panis efficiatur: vnde animę vestrę satientur. Postq̃ cõsummati

*Quod verbum Dei farinæ comparatur. Iob. 3. Quod verba conuertenda sunt in opera. Leuit. 11. Exod. 16. Quod in fatuo cordis humilis conseruanda est farina. Matth. 11. Luc. 10. Luc. 1. De grano & molendino & aqua & molendinario. Ioan. 12. 3. Regum 17. Luc. 2.*

Gal.4. sunt dies octo,& c. Vbi venit plenitudo temporis,misit Deus filiũ suũ factũ ex muliere,factum sub lege,vt eos,qui sub lege erant,redimeret. Circunciſus eſt Dominus nõ propter ſe,ſed propter nos,vt nos à vitiis circuncidi doceret. Subiectus eſt legi,factus eſt ſub lege,vt nos ab onere legis liberaret. Ipſe enim ſoluit quod nõ debebat,ſicut ipſe dixit: Quæ nõ rapui,tunc exſoluebã,vt nos ab eo quod debebamus,abſolueret. Si enim ſolueret debitũ quod deberet,ſe tantũ & nõ alium liberaret. Alij laborauerunt,& nos in eorum labores introiuimus:alij ſeminauerunt,& nos meſſuimus:alij habuerunt vmbrã,& nos lucẽ:habuerunt figuras,& nos veritatẽ. Folia habuerunt in promiſsione,& nos fructũ in ſolutione. Vnde plenitudo temporis,id eſt, tempus plenitudinis,dicitur tempus gratiæ: factus autẽ eſt ex muliere,factus ſub lege,humiliauit ſe,vt nos exaltaret. Seruituti ſe ſubiecit,vt nos liberi efficeremur,& nos adoptionẽ filiorum reciperemus. Quãtò autẽ dominus humiliora & abiectiora pro ſeruo ſuſtinuit,tãto abundantius ſeruũ honorauit,& maius ſignũ dilectionis ei oſtendit. Factus ex muliere,vt peccatum mulieris purgaret. Factus paruus,vt nos magnos efficeret,ad ſtabulũ deſcendit,vt viſitaret ſanciatũ quẽ ſtabulario cõmiſit. Indutus vilibus pãnis,vt nos pretioſis veſtibus immortalitatis indueret. Poſitus in præſepio,vt nos tanquã pia animalia loris diſciplinę ad eius præſepiũ religaremur:& poſt hęc ſolutis vinculis à præſepio ad cœli Palatia trãſiremus. Sicut autẽ natiuitate ſua vitiũ noſtræ natiuitatis purgauit,& vita ſua vitã noſtrã corruptã reparauit,& morte ſua mortẽ æternã in nobis deſtruxit,& mortẽ temporalẽ nobis ſecurã reddidit,ita legis ſeruituti ſe ſubdidit,vt legis tranſgreſsionẽ in nobis purgaret,& à legis onere nos liberaret,quod erat onus inportabile,quod nec nos nec patres noſtri portare potuimus. Ipſe autẽ dicit de ſe: Non veni ſoluere legẽ,ſed adimplere. Impleuit autẽ legẽ,quatuor modis. Primo modo ad literã,dũ legalibus ſe ſubdidit. Nõ enim legalia tã citò ceſſauerũt. Cũ honore enim mater noſtra ſepeliri debuit,& ad tumulũ deduci. Impleuit ſecundo modo quantũ ad efficatiã:lex enim neminẽ ducere poterat ad perfectũ. Ipſe autẽ addidit gratiã,vt q, in ſe ſentiebat homo per legẽ naturę,& nouerat per legẽ ſcripturæ,adimpleret per legẽ gratię. Tertio modo impleuit quantũ ad ſufficientiã & perfectionẽ,addendo quædã,ſicut ipſe dicit: Audiſtis quia dictũ eſt antiquis: nõ fornicaberis. Ego autẽ dico vobis,qui viderit mulierẽ ad concupiſcendũ eã,iam mœchatus eſt eã in corde ſuo,& alia huiuſmodi. Quarto modo legẽ impleuit,& ſpiritualiter intelligendã & implendã docuit. Sicut legitur in Eſa. In diebus illis attenuabitur gloria Iacob,id eſt,diuina ſcriptura,ſubtiliabitur,id eſt,ſubtiliter & ſpiritualiter intelligetur,& pingues eius carnes marceſcẽt. Quia carnalis obſeruatię ceſſabũt,& carnalis intellectus tanq̃ vmbra aduenięte luce deſtruetur. Sicut formalitea ad cuius diſpoſitionẽ cãpana efficitur,perfecta cãpana deſtruitur,& flores marceſcũt & decidũt,fructu aduenięte. Lege igitur adhuc in ſtatu ſuo permanẽte nõ dedignatur Dominus legislator,legi ſuę ſubiacere. Ipſe enim legẽ circunciſionis dederat Abrahę & ſemini eius,& hoc multiplici de cauſa. Prima ratio,vt Abrahã per obedientiã placeret Deo,ſicut primus homo per inobedientiã diſplicuit. Secũda ratio in ſignũ fidei Abrahę. Credidit enim Abrahã Deo,& reputatum eſt ei ad iuſtitiã. Prima autẽ mulier peccauit per incredulitatẽ,& reputatũ eſt ei ad mortẽ. Si enim firmiter credidiſſet q, per eſum fructus mori debuiſſet,nunq̃ manducaſſet. Tertia ratio circuncidendi fuit,vt populus ille de quo Chriſtus erat naſciturus, hoc ſigno quaſi cauterio ab aliis diſcerneretur. Sicut enim fimbriis palliorũ diſcernebatur in veſte,ita ſigno circũciſionis ſtinguebatur in carne. Quarta ratio fuit propter exemplũ pudicitię. In hac enim parte maxime apparet vitiũ concupiſcentiæ,quã cõtraximus à primis parẽtibus. Sicut enim ſuo ſuperiori inobedientes extiterunt, ita in pœnã acceperunt, q, inferiora ſibi nequaquã obedirẽt. Et idcirco in illa parte circũciſio fiebat,in qua pœna nobis inflicta magis apparebat. Quia enim in illa parte culpã inobedientiæ prius ſenſit homo,decuit vt ibi ſignũ obedientiæ acciperet. Licèt autem omnia membra noſtra corrupta ſint,& quaſi veneno perfuſa,quia omniũ membrorũ abſciſionem infirmitas humana nõ ſuſtineret,facta eſt in illo membro,vt in ea potiſsimũ parte cõcupiſcentia caſtigaretur,in qua vehemẽtius ſæuit,& violẽtius malignatur. In baptiſmo autẽ omnia membra abluuntur,quia omnia ſunt veneno infecta. Nullũ autẽ aliud membrũ ita cõpetenter deſignare potuit purgationẽ peccati quod ex libidine cõtrahitur. Quinta ratio fuit ad purgationẽ originalis peccati in paruulis. Vnde B. Greg. ait: Quod apud nos valet aqua baptiſmi, valuit apud veteres circũciſio pro paruulis. Beda etiã dicit: Idẽ ſalutiferæ curationis auxiliũ cõferebat circunciſio, q, tẽpore gratiæ baptiſmus,excepto q, ianuã Paradiſi nõ intrabãt,ſed in ſinu Abrahę ſancta requie cõſolati ingreſsũ Paradiſi ſpe beata expectabãt. Sexta ratio propter myſterium,vt nos ſpiritualiter circuncidẽdos eſſe ſignificaret. Septima ratio data eſt,ſcilicet,in prophetiã & futurorũ ſignificationẽ,vt deſignaretur quod de hoc populo naſciturus eſſet,qui non in preſenti à culpa,& in futuro à pœna circunciderẽt. Succeſsit autem circunciſioni baptiſmus multiplici ratione. Prima,quia ſacramentũ baptiſmi cõmunius eſt,conuenit enim tam maribus quàm fœminis. Secũda,quia ſuauius,quod deſignatur gratiæ ſuauitas,ſicut per circunciſionem legis aſperitas. Tertia ratione,quia perfectius eſt,& pleniori gratia accumulatũ. In circunciſione enim ſolummodo peccatũ originale dimittebatur,& actualia in adultis,ſed nec gratia ad bene operandũ adiutrix,nec virtutũ poſſeſsio vel augmentum cõferebatur,ſicut in baptiſmo,vbi nõ ſolummodo abolentur peccata,ſed & gratia adiutrix cõfertur,& virtutes infunduntur vel augentur. Delet autẽ baptiſmus nõ ſolùm originale,ſed omnia peccata actualia,remittitur inſuper pœna,&

*Quare circuncisus est Dominus.*

*Ioan.4.*

*Quanta nobis contulit Dominus contraria contrariis adhibens.*

*Luc. 10.*

*Actuum 15.*

*Matth.5.*

*Quadrifariam Christus legem impleuit.*

*Heb.7.*

*Matth.5.*

*Esaiæ 17.*

*Simile.*

*Multiplex ratio quare data sit circunciſio.*

*Gene.15.*

*Num.15.*

*Simile.*

*Quod baptiſmus multipliciter præeminet circunciſioni.*

pœna, & exterior satisfactio confertur robur baptisato, cumulus gratię prestatur, fomes debilitatur, Paradisi ianua baptisatis aperitur. Sicut igitur mortuus est Moyses & succesit Iosue, qui & dictus est Iesus, & populũ in terrã promissionis introduxit, ita mortuis legalibus in morte Christi, sacramẽta nouę legis successerunt, quę ex virtute passionis suũ cõsecuta sunt effectũ, vt nos in verã terrã promissionis introducerẽt. Post mortẽ verò Christi circuncisio suo effectu caruit, nec profuit, sed magis obfuit. Vnde Apost. ait: Si circuncidimini, Christus nihil vobis prodest. Et iterũ: Nec circũcisio aliquid est, id est, alicuius momẽti, nec præputiũ, sed sola fides quæ per dilectionẽ operatur. A tempore autẽ Abrahæ vsq; ad passionẽ, profuit circuncisio maribus, qui die octaua circuncidebãtur, & purgabantur à peccato originali. Et fortè in necessitate ante diẽ octauũ aliqui circuncidebãtur, sicut paruuli in periculo mortis, in domibus parentũ quãdoq; à laicis baptisantur. Fœminę autẽ nõ circuncidebãtur, sed per fidẽ & operationẽ bonã, vel suã si adultę erãt, vel parentũ suorũ si erãt paruulę, purgabãtur. Ante circuncisionẽ verò paruuli in fide parentũ, parẽtes verò per virtutẽ sacrificiorũ purgabãtur. Vnde B. Greg. ait: Quod apud nos valet vnda baptismi, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui de stirpe Abrahę prodierunt mysteriũ circuncisionis. Semper autẽ per pœnitentiã in adultis dimissa sunt peccata, quãdo autẽ nõ poterant habere prędicta, quãdo autẽ suis temporibus haberi potuerunt, cõtemni nõ debuerunt. Nam Deus per hęc purgationẽ fieri voluit cõtra hominũ præsumptionẽ, qui se ex libero arbitrio, & nõ ex gratia iustificari posse, æstimabãt. Vnde Dominus ait: Masculus cuius præputij caro circuncisa nõ fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactũ meũ irritũ fecit, id est, pactũ in Paradiso mandatũ Adã pręuaricãte transgressa est, in quo omnes peccauerũt, & ita peribit de cetu sanctorũ originali peccato obligata. In circũcisione autẽ carnali designabatur q, effundẽdus esset sanguis peccati, vt circuncidamur hîc à culpa, & tandẽ à pœna. Sicut autẽ dilata est circuncisio filiorũ Israël in deserto vsq; ad terrã promissionis, ita differtur circuncisio à pœna, donec post desertũ huius seculi veniamus ad terrã promissionis. Est enim triplex circuncisio. Prima in carne tantũ: secunda in anima à culpa: tertia erit in futuro à pœna & à culpa, quãdo mortale hoc induet immortalitatẽ, & corruptibile hoc incorruptionẽ, quę fiet in generali resurrectione, scilicet, in octaua ætate. Propter q, octaua die cultello petrino fiebat carnalis circuncisio, quia per Christũ, qui dicitur petra, fit in præsenti, & fiet in futuro omnis purgatio. Sicut scriptũ est de eo: Sedebit cõflans & emundãs argentũ, & purgabit filios Leui. Et ipse de se ait: Omnẽ palmitẽ ferentẽ fructũ, purgabit eum, vt fructũ plus afferat. Dominus igitur vt hoc mysteriũ in se ostẽderet, octaua die circuncidi voluit, & hac prima vice cùm adhuc esset puer, pro nobis sanguinẽ suũ fudit. Secũdò quãdo factus in agonia sanguineũ pro nobis sudorẽ emisit. Tertiò, quãdo ad stipitẽ ligatus & flagellatus fuit. Quartò quãdo coronã spineã habuit. Quintò quãdo in cruce positus in quinq; locis vulneratus fuit. Nos autẽ ꝑ ipso spiritualiter circũcidamur cultello, cuius manubriũ sit de ligno crucis, ferrũ de clauis eius, calibs de lancea qua apertũ est latus eius, vt omnẽ peccati sanguinẽ ab anima nostra abstrahamus, pugione illo quo Phinees trãsfixit in locis genitalibus Zambri coëuntẽ cũ Corbi filia Ducis Madiã. Pugione enim crucis debemus sensualitatẽ nostrã transfigere, vt crucifigamur cũ vitiis & cõcupiscentiis. Verè autẽ circũcidimur cùm omnẽ à nobis superfluitatẽ pro virili nostra resecamus, ne simus pilosi cum Esau. Dominus enim Esau, id est, pilosos & superfluos odio habuit. Vnde legimus in 1. Regũ, quod Samuël Agag Regẽ pinguissimũ in frusta diuisit. In quo facto ostẽditur quod malã pinguedinẽ superfluitatis debemus in nobis destruere, & penitus abscidere, & peccata nostra sigillatim confitendo, quasi per frusta diuidere, sicut dicit Dominus per Esa. Dissolue colligationes iniquitatis, solue fasciculos deprimẽtes. Vnde in Deut. pręcepit Dominus, q, mulieri alienigenę captę in bello, mutatis vestibus pili radãtur & vngues resecentur. Ab anima enim quã per ꝑdicationẽ ad Deũ cõuertimus, mutata vita ptiori, omnẽ superfluitatẽ resecare debemus. Dominus autẽ pręcepit Abrahę, vt circũcideret se & omnes masculos domus suæ. Nos autẽ nõ solum animã nostrã, sed omnia membra, & omnes sensus corporis, & omnia opera bona quę facimus, & omnẽ familiã nostrã circuncidere debemus. Pauci autẽ sunt hodie qui ita domui suę benè pręsint, vt omnẽ familiã suã habeãt circuncisãm. Auferamus igitur prę putia cordis nostri, vt seperemus pretiosum à vili, id est, animã nostrã nõ solum à criminalibus culpis, sed à secularibus curis, quoniã qui criminalibus curis inuoluitur, cęcus est, qui secularibus curis irretitur, lippus est. Iob postquã à Domino flagellatus est, seipsum totundit, per quod abscienda esse superflua intelligimus, ne capillorũ multitudine cum Absolõ pereamus. Vnde clerici tondẽtur & capita eorũ raduntur, per quod tẽporalium abiectio & superfluorũ designatur resecatio, & q, purè & immediatè Deo debẽt adhęrere. Nolite ergo, ô clerici, errare, Deus nõ irridetur, quales vos exterius ostẽditis in corpore, tales sitis interius in mẽte. Ne dicatur de vobis: Vox quidẽ vox Iacob est, manus autẽ manus Esau. Deus autẽ oues ab hœdis optimè scit discernere. Si quis autẽ Regis insignia ferẽs vexilla Regis sequeretur, si sub Regis inimico militaret, meritò proditionis argueretur. Vt autẽ per verã cordis circuncisionẽ limpidè cęlestia cõtemplari valeamus, à sex modis cogitationum nobis cauere studeamus. Quarum aliæ sunt onerosæ, sicut S. Bernardus ait, aliæ affectuosæ, aliæ obscœnæ, aliæ otiosæ, aliæ curiosæ, aliæ suspitiosæ. Onerosas cogitationes in anima iusti illas accipe, quibus vult, sed non valet resistere, sed velit nolit, irruit in oculos mentis muscarum Ægypti pestilẽtia, & perstrepunt ranę in penetralibus

*Quod baptismus succesit circumcisioni. Deut. 33.*

*Galat. 5.*

*Quanto tempore valuit circuncisio.*

*Exod. 17.*

*Iosue. 5.*

*De triplici circuncisione. 1. Cor. 15.*

*Quare die octauo & cultello petrino fiebat circuncisio. 2. Cor. 10. Malach. 3. Ioan. 15.*

*Quod quinquies Dominus sanguinem pro nobis effudit. Luc. 2. Item 22. Ioan. 19. Matth. 26. Mar. 15. Luc. 22. Ioan. 19.*

*Cuiusmodi cultello debemus circũcidi. Num. 25.*

*Quod resecanda sint superflua. Gene. 25. 1. Reg. 15. Esaiæ 58. Deut. 21. 1. Tim. 3. Iere. 17.*

*De circuncisione cordis. Iob. 1. 2. Reg. 14.*

*Quare clerici tondentur & capita eorum raduntur. Gene. 27. Matth. 25. Simile.*

*Bernardus.*

*Exod. 8.*

cordis eius. Cogitat plerunque terribilia de Deo & fide. Horribilia de diuinitate,& quanto
*Rom.6.* districtius,non exhibet membra sua arma iniquitatis peccato, tantò astrictius plerunque hu-
*Parab.1.* iusmodi spiritu quatitur & pulsatur. Cùm enim insatiabilis homicida ab exteriori sensualitate
se videt excluſum,interiora collectis viribus aggreditur,vt anima in tristitiam vel desperatio-
*Luce 10.* nem labatur,sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorũ.Spiritualis enim homo,& si latrantẽ
*Rom 14.* canis sustinet,morsum canis non timet. Sunt etiam onerosę, cùm ex officio Marthę suscepto,
sollicitus est homo,& turbatur erga plurima. Affectuosę sunt,quando circa carnis suę curam
afficitur, sicut in victu & vestitu, vel quãdo propinquorum secundũ carnem affectione tangi-
tur.Obscœnę sunt,quãdo carnali cogitatione titillãte pungitur.Vanę sunt,quãdo nec delectã-
tur,nec afficitur, vt si equũ currentẽ vel auẽ volantẽ imaginetur.Curiosę sunt,quãdo proximo-
*Parab.7.* rum secreta proponit explorare, & anima quę seipsam scrutari debuerat,oblita sui,aliena curat,
*Exod.8.* nunc intus,nunc foris vaga,& quietis impatiens, vel quãdo circa cyniphes Aegypti,scilicet,cu-
*Eccle.1.* riosas & inutiles disputationes occupatur,quam pessimã occupationẽ dedit Deus filiis hóminũ.
*Lenit.21.* Vnde Hieronymus: Stultũ est sollicitum esse de eo quod sine periculo nescitur. Hinc est quod
*Hieronymus.* sacerdos paruo vel grandi naso ad ministerium cum aliis nõ recipiebatur. Paruo naso est qui bo-
na à malis discernere non sufficit. Magno naso,qui secreta mysteria & cœlestia supra vires suas
inuestigare præsumit. Suspiciosæ sunt,quãdo nullũ certum argumentũ homo habens, malè de
proximo suo suspicatur,& ea quæ in vtramlibet partẽ inclinari possunt,in deteriorẽ interpre-
*Gene.3.* tatur. Vagus & profugus super terrã,& cum Cain caput habẽs tremulũ.De his cogitationibus
*De primis motibus reprimendis.* dicit Propheta:Amputa opprobriũ meum quod suspicatus sum.Vt autẽ perfecta sit cordis cir-
*Cant.5.* cuncisio,primos motus pro nostra virili reprimamus. Capiamus vulpeculas,ne demoliãtur vi-
*Eccle.10.* neas nostras.Si spiritus potestatẽ habẽs super nos ascenderit,locũ nostrũ nõ dimittamus,nõ fa-
*De septem criminalibus.* cilè tentationi cedamus, nõ tantum sinamus crescere primos motus,vt superbia nos reddat tu-
*Exod.32.* midos,vel inuidia liuidos,non ira turbidos,nõ accidia pigros,nõ auaritia tenaces,nõ porcũ lu-
xuria,nõ lupũ aut canẽ gastrimagia. Vnde Moyses in Exodo ait:Ponat vir gladiũ super fœmur
*Gene.32.* suum,ite & redite à porta vsq; ad portã. Gladiũ super fœmur ponimus,dum gladio verbi Dei
carnalia vitia resecamus,vt marcescat neruus fœmoris nostri,sicut legimus de Iacob: & pręcin-
*Ezech.19.* datur vmbilicus noster,id est,carnalis voluptas penitus abiiciatur,ne dicat nobis dominus,quod
*Ierem.9.* legimus in Ezech.de anima peccatrice: In die ortus tui nõ est pręcisus vmbilicus tuus. Eamus
*De quinque sensibus custodiendis.* & redeamus de porta ad portã, de porta cordis ad portã corporis, quod quinq; habet ostiola
*Leui.21.* quinq; sensuũ,quę debemus spiritualiter circuncidere & diligẽter custodire,ne mors intret per
fenestras nostras. Sit igitur oculus pudicus,auris casta,olfactus modestus,gustus sobrius,tactus
*De spirituali renouatione.* sincerus. Abiiciamus igitur à nobis sarcinas inutiles,cum quibus nemo enatat. Gibbosus enim
*Simile.* in lege Domini,Domino panes offerre prohibetur,nec etiã ad ministeriũ recipiebatur.Sicut au-
*1.Tes.4.* tem coluber in foramine petræ exuit veterẽ pellẽ,& sicut ceruus hausto serpẽte renouatur ad
*Ierem.4.* fontẽ,ita ad petrã Christũ,& ad fluẽta spirtusſancti spirituali circunciſione debemus renouari.
Hæc est enim voluntas Dei,sanctificatio vestra,id est,spiritualis circũcisio. Vnde Ierem.ait:No-
uate vobis nouale,& nolite serere super spinas,circuncidimini viri Iuda,& habitatores Hieru-
salẽ. Quoniã verò talis circũcisio,pręcipuè per nouaculã cõfessionis habet fieri:dicit Propheta:
*Gene.17.* Circuncidimini viri Iuda.Iudas enim cõfitens interpretatur.Viri autẽ circuncidẽdi sunt nõ mu-
*Isaiæ 04.* lieres,masculi nõ fœminę,sicut pręceptũ fuit in lege: Fortia enim virtutũ opera indigẽt purga-
*Quod masculi spiritualiter sunt circuncidendi non fœminæ.* tione,quia omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.Bona enim nostra nõ sunt purè bo-
*Leuit.9.* na,sed mala nostra purè sunt mala: vnde fœminæ,id est,fluxus carnaliũ vitiorũ nõ sunt circunci-
dendę,sed penitus destruẽdę,sicut in lege pręcipitur,quod vas æneũ immundũ ex cõtactu mor-
ticini radatur. Vas autẽ luteũ immundũ cõfringatur,quia fortes purgãdi sunt,lutei autẽ cõfrin-
gendi.Et quia nõ est locus circuncisionis extra Ecclesiã,nec locus sacrificij extra Hierusalẽ,cir-
cuncidimini habitatores Hierusalẽ.Opera enim licèt sint de genere bonorũ extra Hierusalẽ,id
est, S.Ecclesiã,facta mortua sunt.Vnde nõ sunt purgãda,sed penitus reprobãda. Vnde in libro
*Num.33.* Numeri pręcipitur filiis Israël,vt disperdãt & destruãt omnes habitatores Chanaã. Nam si qui
*Deut.7.* remãserint,ait Dominus,erũt vobis quasi claui in oculis. Et in Deut.dicitur: Percuties eas vsq;
ad internecionẽ.Septẽ enim criminalia debemus penitus expellere cũ suis circunstãtiis.Et quo-
*Sap.16.* niã opera mortui mortua sunt, & quãdiu ferrũ mortalis peccati est in vulnere,nõ est malagma
*Ierem.4.* apponere,ne seminemus inter spinas:nouare debemus nouale,more,scilicet,agricolę,spinas pec-
*Gene.4.* catorũ penitus euellere.Terra enim Adę maledicta,fert spinas,& tribulos.Spinę quę molles sunt
*De spinis & vepribus.* in principio quãdo germinãt,& postea pungũt,sunt peccata quę prius habẽt aliquã delectatio-
nem,sed postea pungũt per malã conscientiã,& pungẽt per pœnã æternã.Has penitus debemus
extirpare.Tribulos autẽ,id est,malas cogitationes & primos motus,nõ prorsus valemus effu-
gere,nec possumus euellere,quia semper remanet radix fomitis & sensualitatis,sed pro virili no
*Num.2.* stra debemus resecare. Vnde in lib.Numeri pręcipitur Leuitis,vt radãt omnes pilos carnis suę,
nõ pręcipiuntur euelli.Superfluę enim cogitationes amputãdę sunt,sed funditus euelli nõ pos-
*Isaiæ 32.* sunt. Vnde Isaias: Super humũ populi mei ascendũt spinæ & vepres,quãtò magis super omnes
*Sapien.9.* domos ciuitatis exultãtis? Spinæ & vepres,id est,punctiones vitiorũ,& inutiles cogitationes.
*De his nominibus Iesus & Christus.* Tunc autẽ vera & perfecta erit circũcisio,quãdo corpus quod corrũpitur,nõ aggrauabit animã,
nec terrena habitatio deprimet sensum multa cogitantẽ. Quod autẽ vocatũ est nomẽ eius Iesũ,
quod

quod interpretatur Saluator, hoc pertinet ad diuinitatē. Hoc autē nomē Christus, id est, vnctus, pertinet ad humanitatē. Ipse enim secundū quod homo, vnctus est à patre oleo nō materiali, sed oleo spirituali, oleo lætitię prę consortibus suis, sicut ipse per Isaiā dicit: Spiritus Domini super me, eò q; vnxit me. Vnde & Christiani vnguntur crismate, in quo est balsamum, propter boni exempli odorē, & perseuerātię incorruptionē. Balsamū enim carnē cōseruat incorruptā, & oleū oliuarum, quod pertinet ad opera misericordiæ, quibus Christianus debet abundare. Duę enim personę in lege vngebātur, scilicet, Reges & Sacerdotes, in signū illius qui fuit Rex & Sacerdos, scilicet, Iesus, Rex secundum diuinitatē, & Sacerdos secundū humanitatē, seipsum offerēs. Vnde in lege Sacerdotis pars erat pectusculū eleuationis, in quo designatur Christi diuinitas, & armus separationis, per quē eius humanitas intelligitur separata à cōmuni lege cōceptionis. Vocatū est autē nomē eius Iesus, id est, Saluator. Alij Reges nō possunt saluare à febre modica, hic potest populū suum saluare, nō solū à corporalibus malis, sed à peccatis: nō solū à culpa, sed pœna temporali & æterna. Hoc igitur est nomen sanctū & gloriosum, quod inuocatū est super nos, quod os Domini nominauit, nec est aliud nomē sub cęlo in quo nos oporteat saluos fieri. Vnde Abacuc ait: Exultabo in Deo Iesu meo. Vocatū est nomē eius Iesus, nō impositū, quia ab æterno cōuenit illi secundū diuinitatē. De hoc nomine in Cantic. dicitur, Oleū effusum nomē tuū. Homines enim & iumēta saluabit Dominus per vniuersum mundum, & salus Christi vsq; ad extremū terræ. Nos igitur fratres, spiritualiter circuncidamur, vt nomen salutis accipiamus. In hoc seculo ita circuncidamur à culpa, quod in futuro sub Iesu magno Sacerdote, sub quo reædificatum est templum Domino, sub illo Iesu, qui veram terram promissionis funiculo distributionis diuidit veris Israëlitis, circuncidamur ab omni corruptione & pœna. Ipso præstante, qui viuit & regnat per infinita seculorum secula, Amen.

*Isaiæ 61.*
*Leuit. 7.*
*Luc. 2.*
*Matth. 5.*
*Ierem. 14.*
*Isaiæ 12.*
*Actuum 4.*
*Abac. 3.*
*Luc. 2.*
*Cant. 1.*
*Isaiæ 49.*
*Conclusio cum breui epilogo.*
*Zach. 6.*
*Iosue. 13.*

## IN DIE EPIPHANIÆ THEMA DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM EX ISAIA ET DANIELE, secundum sensum non expresse secundum literam.

*Ecce aduenit dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas & imperium.*

*Isaiæ 9.*
*Dan. 7.*

DOMINATOR Dominus, Rex regū, & Dominus dominantium, Dominus ab æterno, Dominator verò ab ipso mundi exordio, Dominus in natura, Dominator actu & effectu in creatura, Dominus æternaliter, Dominator temporaliter, cui data est omnis potestas in cęlo & in terra, in cuius nomine omne genu flectitur, cęlestium, terrestrium, & infernorū, qui imperat fluctibus maris, quia mare & venti obediunt ei. Qui dominatur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum, qui dixit & facta sunt, mādauit & creata sunt, qui omnia quęcunq; voluit fecit, in cęlo & in terra, in mari & omnibus abyssis, qui dominatur in virtute sua in ętternū, cui seruiunt omnes populi, tribus, & linguę, cuius potestas æterna, quę nō auferetur, & regnū quod nō corrūpetur. Ecce aduenit, id est, prędestinaliter mundo visibilis apparuit. Inclinauit cęlos & descēdit, seipsum exinaniēs, & formā serui accipiēs, liquefacta est maiestas, vt sicut adipe & pinguedine repleatur terra. Nubē carnis Soli diuinitatis opposuit, & seipsum ostēdit mūdo. Vnde de triplici gaudio hodie lętatur Ecclesia, propterea triplici vocabulo prędens solēnitas nuncupatur. Dicitur enim Epiphania, Theophania & Bethphania. Epiphania dicitur ab epi, q, est supra, & phanes, q, est apparitio, quia supra domū in qua erat puer, noua stella stetit, & nouū Regē magis declarauit. Dicitur Theophania, id est, diuinitatis apparitio, ἀπὸ θεὸς, q, est Deus. Tota enim diuinitas, scilicet, tota Trinitas, eodē vel cōsimili die 30. Christi anno in baptismo apparuit pater, in voce de cęlo facta: Hic est filius meus dilectus. Spiritus in colūba, Filius in carne. Dicitur Bethphania, id est, apparitio in domo. Beth enim idē est q, domus. Et Dominus in eodē seu cōsimili die, anno reuoluto, post baptismū, aquā in vinū cōuertit, & virtutē diuinitatis suę discipulis suis in domo Architriclini manifestauit. Quartā etiā apparitionē testatur Beda, eodē die reuoluto anno factā fuisse in deserto, iuxta mare Galilææ, vbi satiauit quinq; milia hominū ex quinq; panibus, & in multiplicatione panum, virtutē suæ diuinitatis ostendit. Et hanc apparitionē appellāt quidem. φάγεαρ enim idē est quod comedere. Fuit igitur Epiphania terciodecimo die post natiuitatem Christi. Theophania anno ipsius trigesimo, Bethphania anno ipsius trigesimoprimo, Phagiphania anno trigesimosecundo. Vnde solemnitas ista dicitur nō solū festū apparitionis, sed apparitionū. In qualibet autē illatū aduenit dominator Dominus, id est, ad nos venit apparēs mūdo, & ostendēs q, ipse esset dominator Dominus & Rex omnipotēs, dum stella illi obediuit, dum columba super ipsum in baptismo descendit, & pater filium suum illum vocauit, dum aquā in vinum cōuertit, dum paucos panes virtute diuina multiplicauit. Habemus igitur hodie multiplicem materiā exultādi in Domino. Est enim festum vocationis Gentium, siue festum primitiarum, festū sanctificationis, festū spiritualis cōuersionis, festum spiritualis refectionis. Repræsentatur enim vocatio Gentium ad Dominum, quæ significata est per Magos, qui fuerunt primitię illarum, vocatæ sunt Gentes nō suis meritis, sed stella diuinæ gratiæ eos præueniēte. In baptismo autem sunt sanctificatæ. Cùm autem essent carnales, frigidæ & torpentes, factæ sunt spirituales, & CHRISTI dilectione feruentes, & ita conuersa est aqua in vinum.

*De triplici apparitione & triplici vocabulo.*
*Matth. 3.*
*Mar. 1.*
*Luc. 3.*
*Ioan. 1.*
*Ioan. 2.*
*Item 4.*
*De quarta apparitione. Beda.*
*De vocatione gentium.*

Et quæ prius erant inanes & vacuæ, diuina scriptura refectæ sunt, & sacramento corporis Christi saciatæ. Cùm igitur Deus peccatis earũ exigentibus à manu sua illas proiecisset, sola misericordia motus, eas resumpsit, & factus est regnũ Gentiũ in manu eius, & factę sunt ipsę Gentes, sicut ait Apostolus Petrus: Genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Vnde Dominus per Oseam ait: Erit in loco vbi dicitur eis, Non populus meus vos, dicentur eis, Filij Dei viuentis. Et iterum per Isaiam ait: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Dereliquit enim Dominus illas à principio, vsq; ad tempus incarnationis & gratiæ, quod tempus quasi punctum est & momentum, respectu vitæ æternæ, ad quam per gratiam & misericordiam diuinam sunt vocatæ. Et beatus Iob de Domino ait, Qui multiplicat Gentes & perdit eas, & subuèrsas in integrum restituit. Gentes enim per fecunditatem, sobolis Dominus ab initio multiplicauit, & in propria infidelitate dereliquit, quas tamen posteà ad fidẽ reduxit. De hac autẽ gratuita Gentiũ vocatione, iterũ Isaias ait: In die illa sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminũ Ægypti, & api quæ est in terra Assur, & venient & requiescẽt in torrentibus valliũ, & in cauernis petrarũ, & in omnibus foraminibus, & in vniuersis frutetis. Sibilauit igitur Dominus muscæ, id est, gentilitati, dum illã inspirando cõuertit, quæ meritò secundũ priorem statũ, muscæ assimulatur, quę est animal inquietũ, importunum, sordidũ, & lasciuũ, pungitiuum, cunctis animalibus molestũ & exosum, locũ cui insidet, fœdat, & cibos coinquinat. Gentes enim inquietæ erant, per curiositatẽ: importunæ & impetuosæ, per indiscretionem: sordidę, per gulam & luxuriam: lasciuę, per dissolutionẽ: pungitiuæ, per detractionẽ & iram: sibi inuicem molestæ & exosæ, per discordias, rixas, & pugnas. Locũ cui insidebãt, fœdãtes, scilicet, alios ad peccandũ inducẽtes. Cibos mũdos inquinabãt, quia cùm multa vera de Deo & de rerum creaturis cognoscerẽt, admixtione falsitatis doctrinã suam maculabant. Hęc autem musca in extremo fluminũ Ægypti cõuersabatur. Sunt enim septẽ flumina Babylonis siue Ægypti, id est, huius mundi, scilicet, septem principalia vitia, quę ex vno fonte superbię procedunt: Initium enim omnis peccati superbia. Primũ autem turgidum est & elatũ, sed quodã falso nitore seductoriũ & attractiuum, hoc est inanis gloria. Secundum autem liuidum, & veluti quadam profunditate occulta suspectũ, hoc est inuidia. Tertium feruidum, impetuosum & turbulentũ, hoc est ira. Quartum tetrũ, nubilosum & pigrũ, habens aquas poderosas & mortiferas, hoc est tristitia siue acidia. Quintũ quasi abyssus profundissima, & stilla rapax, vertigine omnia trahit ad se & absorbet, hoc est auaritia & cupiditas. Sextum quasi vorago quędã & barathrũ, ex seipso fœdas & corruptas generat exhalationes, hoc est gastrimargia. Septimũ luteũ & viscosum, hoc est luxuria, vltimũ, scilicet Ægypti flumen, in quo musca prę cęteris fluminibus capiebatur & detinebatur. Cùm enim denuò ad aliud volitaret, hoc vltimo implicabatur, delectabatur, & mergebatur. Non solũ autẽ musca, sed & apis dicta est gentilitas, propter mel carnalis voluptatis, adulationis & seductionis, & aculeũ iniquitatis. Habebant hypocritæ & Philosophi illius Gentis mel in ore, sed aculeũ in cauda. Hęc autẽ apis morabatur in terra Assur, id est, diaboli. Assur enim elatus interpretatur. Huic igitur api Dominus sibilauit, dum illi, vt ad fidem veniret, inspirauit: venerunt igitur ad Dominum passibus fidei, spei & charitatis, & requieuerunt in torrentibus valliũ, id est, in humilibus mentibus prędicatorum, affluentia sanctę prędicationis, velut torrentes inundantium, & in cauernis petrarũ, id est, in viscęribus misericordię & charitatis sanctorum constantiũ & robustorum. In quorum cordibus quasi in sinu materno fouebantur, abscõdebantur, & protegebantur quasi in vmbraculo diei ab æstu, & quasi in securitate & absconsione à turbine & à pluuia. Requiescebant etiam in foraminibus, id est, in eis qui sapientiæ & aliorum charismatum sunt capaces, qui possunt dicere cum Prophera: Paratum cor meum Deus, paratũ cor meũ, vel in foraminibus, id est, in Christi vulneribus, per fidem & memoriam Gentes conuersę requiescunt, tanquã columba in foraminibus petrę & in cauernis macerię, & in omnibus frutetis. Dicuntur autem fruteta, quando in vno cespite oriuntur multi ramuli, & ex eadem radice procedunt multi surculi. Per hęc ergo intelligitur congregatio sanctorum, qũi sunt in charitate radicati & fundati, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, quorum est cor vnum & anima vna. In his Gentes quieuerunt postquam diuinitus inspiratæ cognouerunt quàm bonum est & quàm iucundum habitare fratres. Septem etiam flumina Ægypti, siue septem riuuli, possunt dici mala cogitatio, peruersa locutio, praua actio, peccati defensio, in peccatis gloriatio, mali exempli corruptio, & perseuerantia in peccato: vnde idẽ Isaias ait: Percutiet Dominus fluuiũ Aegypti in septẽ riuos, vt transeãt per eũ calciati. Fluuius Aegypti, fluxus est pręsentis seculi. Per hunc sancti transeũt calciati pedes in pręparatione Euangelij pacis, nec prędictis riuulis submerguntur. Venerunt igitur ad Dominum, quemadmodum Propheta prædixerat: Reminiscentur & cõuertentur ad Dominum vniuersę fines terrę. Et ita regnum fuit in manu eius, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur Gentium. Vocauit autem quosdam per inspirationem: spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum. Vnde Dominus in Euangelio: Spiritus vbi vult spirat. Alios per prædicationem. Misit enim verbũ suum, & sanauit eos, sicut scriptũ est: Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Alios per miraculorũ admirationẽ. Ipsi enim videntes admirati sunt, cõturbati sunt, cõmoti sunt, tremor apprehendit eos. Alios prosperitate, iuxta illud: Dedit eis regiones Gentium, & labores populorũ possiderunt. Alios aduersitate, sicut scriptum est.

1. Petri 2. Osee 1.

Isaiæ 54.

Iob 11.

Isaiæ 7.

*De muſca & proprietatibus eius.*

*De ſeptem fluminibus Babylonis. Eccle. 10.*

*De api cui aſſimulatur gentilitas.*

Isaiæ 4.

Cant. 2.

Ephe. 3.

Actuum 4.

*Aliter de ſeptem fluminibus Ægypti. Isaiæ 11.*

Ephe. 6.

Dan. 7. *De multiplici gentium vocatione.* Sapien. 1. Ioan. 3.

ptum est. Imple facies eorũ ignominia, & quærẽt nomẽ tuũ Domine. Hoc est quod Dominus in Apocalypsi ait: Ego sto ante ostium & pulso. Pulsat enim Dominus inspirãdo, pulsat prædicando, pulsat prosperis, pulsat aduersis, pulsat minis, pulsat promisſis, pulsat desiderio & amore dum aliquis cogitat de æterna beatitudine, pulsat timore, dum quis cogitat de æterna damnatione. Non solum autem pulsat, sed etiam compellit intrare. Multis modis dicitur regnum esse in manu eius. Regnum enim quandoq; dicitur beatitudo cœlestis siue ecclesia triumphãs, de quo dicitur: Adueniat regnum tuum. Hoc regnum est in manu eius ad conferendum iuxta illud: Percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi. In hoc regno fulgebunt iusti sicut sol, cùm dederit regnum Deo & patri. Regnum etiam dicitur ecclesia militãs, in qua Dominus regnat per fidem, quam regit & dirigit, defendit & protegit, scilicet, congregatio fidelium. De quo ipse ait: Regnum meum non est de hoc mundo, id est, sancti in quibus regno licet sint in mundo, non sunt de mundo. Hoc regnum in manu Dei esse dicitur. Quæ enim in manu tenemus nõ facile obliuiscimur. Nõ solũ autem in manu potẽtię eius est hoc regnũ sicut omnia regna & omnis creatura illi subiicitur, sed spiritualiter ecclesia in manu protectionis & defensionis eius cõsistit. Sicut ipse Dominus per Iob ait: Et nõ est qui de manu mea possit eruere. Omne enim quod dedit ei pater non perdet ex eo quicquam. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis. Hoc igitur regnum in manu eius. Vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore, vt manus peccatoris non moueat nos. Cùm enim ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Hoc igitur regnum in manu protectionis eius. Vnde Isaias: Sub vmbra manus suæ protexit me. Regnum etiam dicitur ecclesia præsens congregatio bonorum & malorum Christianorum. De quo dicitur in euangelio. Simile est regnum cœlorum sagenę missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Hoc regnum in manu Dei est, vt bonos sibi assumat & malos foras proiiciat, quando colligent omnia scandala de regno eius. Multi enim sunt de Ecclesia numero, sed non merito, mali simul cum bonis, palea cum granis. Vnde in tertio Regum dicitur, quod Rex Salomon mittebat classem suam vt deferrent ei aurum, argentũ, dentes Elephantorum & simias & pauos. Aurum, id est, sapientes, argẽtum, id est, eloquentes, dentes Elephantorum sacræ scripturæ expositores. Sed cum his ad ecclesiam intrant simiæ, id est, hypocritę vel falsi prædicatores. Quilibet etiam falsus Christianus simia potest dici, quia Christianus videtur nomine, sed factis Deum negat. Pauones autem sunt homines superbi, & mulieres superfluo habitu exornatę. Hos homines habet Christus in manu sua ad remunerandum vel puniendum. Regnum etiam dicitur sacra scriptura, per cuius obseruationẽ Dominus regnat in nobis. Vnde in Euãgelio: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Gentibus facientibus fructus eius. Hoc regnũ in manu Dei est vt aliis scripturas aperiat, aliis abscondat, sicut dicitur in Iob. In manibus abscondit lumen. Regnum præterea huius mundi de quo dicitur. Reges gentium dominantur eorum, est enim in manu potentiæ ipsius, ad conuertendum vel abiiciendum. Cor enim Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit, vertet illud. In manu enim eius omnia regna & omnes fines terræ. Vnde in Parabolis. Per me reges regnãt. Et in Daniële dicitur: Excelsus dominatur in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Regnum etiam diaboli est in manu eius, De quo Apostolus ad Ephesios ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus huius mũdi rectores tenebrarum harum. Regnum igitur tenebrarum est in manu potentiæ eius, sicut scriptum est. Si descẽdero in infernum, ades. Hoc autem regnum est in manu eius ad conterendum & puniendum, regnum Ecclesiæ ad dilatandum. Regnum animę in manu eius ad dirigendum. Regnum scripturæ in manu eius ad aperiendum. Regnum cœlorum in manu eius ad conferendum. Quibusdam autem gratis confertur, vt paruulis baptizatis, alij intrare compelluntur, de quibus in Euangelio dicitur. Exi in vias & sepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Alij autẽ mercantur illud, scilicet, beneficij. Alij furantur, scilicet, contemplatiui. Alij rapiunt, hi, scilicet, qui sibimet violentiam inferunt. Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Non solum autem regnum, sed & potestas in manu eius est. vnde in Daniële dicitur: Dedit ei potestatem & honorem & regnum. Et ipse Dominus de se ait: Data est mihi omnis potestas in cę lo & in terra. Vnde in Psalmo: Accingere gladio tuo super fœmur tuum potẽtissime. Et quoniam non est potestas nisi à Deo. Quadruplex potestas sub eo est & in manu eius. Potestas, scilicet, Angelorũ, vnde Daniël ait: Milia milium ministrabant ei. Potestas bonorum hominũ, quibus dedit potestatẽ filios Dei fieri. Vnde in Euãgelio: Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi super serpentes & scorpiones. Et Paulus ait: Omnia possum in eo, qui me cõfortat. Potestas etiã reproborũ. Potentes enim potenter torquet: vnde in libro Sapientiæ. Potentes potenter torment patiẽtur. Potestas etiã diaboli sub eo est. Ipse enim Dominatur potestati maris, ipse libe rat pauperẽ à potente. Vnde in Psalmo: Ibi confregit potẽtias arcũ, scutum, gladiũ, & bellum. Est igitur potestas diaboli in manu eius ad refrenandum. Sicut enim vrsus ad palum ligatus pede terram terit, nec tamen fune cohibitus metas expedit, ita diabolus circuit quęrens quem deuoret, sed nihil potest nisi permissus. Omnis enim voluntas diaboli iniusta est, & tamen omnis potestas eius permittente Deo iusta est. Imperium insuper est in manu eius. Ipse enim imperat, & non est qui resistat. Dixit enim & facta sunt, mandauit & creata sunt. Vnde manus

*Apoc. 3.* *Quot modis Dominus ad ostium pulsat.* *Lucæ 14.* *De multiplici regno & quod multipliciter est in manu Domini.* *Matth. 6.* *Lucæ 11.* *Matth. 25.* *Item 13.* *1. Corint. 15.* *Ioan. 18.* *Iob 10.* *Ioan. 18.* *Sapien. 3.* *Rom. 6.* *Isaiæ 49.* *Matth. 13.* *1. Regum 11.* *De simia & pauone. Titum 1.* *Matth. 21.* *Iob 37.* *Lucæ 22.* *Parab. 20.* *Item 9.* *Dan. 4.* *Ephe. 6.* *Lucæ 14.* *Matth. 11.* *Dan. 8.* *De quadruplici potestate quæ est in manu Domini.* *Matth. 28.* *Rom. 15.* *Dan. 8.* *Ioan. 1.* *Lucæ 10.* *Phili. 4.* *Sap. 6.* *Simile.* *1. Petri. 5.* *De imperio quod est in manu Domini.* *Cant. 5.*

potentiæ eius dicuntur tornatiles, habiles, id est, expeditę ad operandum. Imperando enim operari dicitur, qui solo verbo restaurat vniuersa. Imperatoris autem est, leges condere, conditas interpretari: & pro suo arbitrio addere, vel commutare. Hanc autem imperatoriam præcellentiã in mundo ostendit, dum legẽ Euangelij cõdidit. Dominus enim Rex noster, legifer noster, Dominus Iudex noster. Interpretatus est autẽ legẽ Mosaicã, dum eam spiritualiter intelligẽdam esse docuit. Addidit etiam legi Mosaicæ dum ait: Audistis quia dictum est, antiquis oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo, & cætera quæ ibidem in Matthæo dicuntur. Mutauit etiam legem quantũ ad cerimonialia, nõ quantũ ad moralia. Vnde in Matthęo dicitur. Erat enim docẽs eos sicut potestatẽ habens, & nõ sicut Scribæ & Pharisæi. Vt igitur securè in viam huius mundi transeamus tanti Imperatoris sigillũ & literas nobiscum deferamus, crucis, scilicet, signum & scientiam scripturarum. Est etiam regnum in manu eius, & potestas & imperium. Regnum in hoc seculo ad dirigendum, potestas in iudicio apparebit ad puniẽdum. Imperium in æterno regno manifestabitur vbi obtinebit monarchiã, & erit omnia in omnibus ad glorificandũ. Vel regnũ est in manu eius vt suos regat & dirigat, potestas, vt suos defendat, imperium, vt salutaria mandata nobis tribuat. Aduenit igitur dominator Dominus, id est, ad nos venit, dum corda nostra per gratiam adimpleuit. Aduenit dum naturã nostram assumens nobis appropinquauit. Aduenit, id est, gẽtes visitauit. Peccatis enim exigentibus longè recesserat, & gentes ab initio dereliquerat. Per viscera autem misericordiæ suæ pius pastor venit & ouem quæ perierat, propriis humeris reportauit. Dominus enim de cœlo prospexit, vt audiret gemitus compeditorũ, vt solueret filios interẽptorum. Vnde Dominus in Ezechiele ait: Dixi tibi cùm esses in sanguine tuo viue. Et paulò pòst. Laui te aqua & emundaui sanguinem tuum ex te: & vnxi te oleo, vestiui te discoloribus, calciaui te hyacincto, cinxi te byssо, indui te subtilibus. Cùm enim in sanguine peccatorum coinquinata iaceret gentilitas. Dominus viue illi dixit, id est, vt viueret, inspirauit. Aqua lauit eam in baptismo, & oleo gratiæ vnxit illam, & superuenienti misericordia vocauit, & sibi desponsauit. Vestiuit eam discoloribus, id est, diuersis virtutibus, & charismatum donis exornauit. Hyacincto eam calciauit, id est, exemplis sanctorum, quorum conuersatio est in cœlis. Byssо, id est, mũditia carnis eam cinxit. Induit eã subtilibus, id est, desiderio æternorum, vel spirituali intelligentia scripturarum. Sic igitur Dominus gratuita pietate gentes vocauit. Absoluit vinctos, illuminauit cęcos, reduxit erroneos, reconciliauit reos. Vt autem qualiter ad Christum venire deberẽt, omnibus ostenderet, trium Magorum nobis exemplum proposuit. Ostendit enim per hos Reges qui primitiæ fuerunt gentium, & primò conuersi sunt ad Dominum, qualiter alij sequentes eum quęrere & inuenire deberent. Oportet enim quod stellam cognitionis & gratiæ præuiam habeant, quia vanum est ante lucem surgere, & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadit. Oportet quod exeãt de terra sua, id est, de mundi facultatibus, & de cognatione sua, id est, de vitiis & concupiscentiis carnalibus, quæ cognata sunt sensualitati nostræ, & de domo patris sui, id est, de omni amore huius mundi. Propter hos tres gradus Salomon tres libros composuit. Primus, id est, Prouerbia, docet vitia resecare. Secundus, id est, Ecclesiastes, terrena contemnere. Tertius, id est, Cantica Canticorum, spiritualibus inhiare. Absque stella autem gratiæ non potest homo illuminari ad contemplandam multiplici futuri seculi pulchritudinem. Oportet prætereà quod sint tres, id est, in fide trinitatis trinum Deum colentes. Hoc est fundamentum ædificij, sine quo non potest surgere paries boni operis, quia sine hac fide impossibile est placere Deo. Oportet quod sint reges, scilicet, filij Dei adoptiui & cohæredes Christi oleo spirituali inuncti, & quod regant terram suam custodientes introitus & munientes infirmiora terræ, vt scilicet, custodiant quinque sensus suos, & teneant iustitiam in terra sua, occidentes latrunculos, ne multiplicentur & prævaleant & occidant incautos. Vnde Isaias: Quia non fecimus iustitiam, non ceciderunt habitatores terræ, id est, praui motus dominantes nostro corpore. Si ergo te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, id est, primis motibus ne consentias. Simus etiam Magi vt incantemus antiquos serpentes orationibus, Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus. Sic enim cantando rumpitur anguis per inuidiam, & virtutem suam amittit per psalmodiam. Oportet prætereà quod thesauros suos non aperiant coram Herode, nec in via, sed coram Christo tantum. Non enim bona nostra debemus aperire per iactantiam, neque Babyloniis thesauros domus Domini ostendere. Non enim secreta mysteria debemus indignis aperire. Simile enim est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et de Domino legimus quod occultè ascendit ad diem festum, relinquens nobis exemplum, vt dextera nostra ita faciat eleëmosynam, quod nesciat sinistra. Magis enim placet Deo de malis operibus humilis confessio, quàm de bonis operibus superba gloriatio. Melior est enim canis viuus leone mortuo, peccator, scilicet, humiliter pœnitens, leone mortuo, eo, scilicet, qui de bonis operibus inaniter attollitur. Melior est iniquitas viri quàm mulier benefaciens. Qui enim laudibus humanis de bonis suis vana gloria resoluitur & delectatur, mulier benefaciens dicitur. Debemus prætereà recedere ab Herode, id est, à diabolo. Quamdiu enim Magi cum Herode fuerunt, stellam amiserunt. Et ideò debemus malorum consortia vitare, quia à conuictu mores formantur. Vnde diligenter debemus interrogare: Rabbi, vbi habitas? vt inter illos

*Sap. 16.* *Isaiæ 33.* *Matth. 5.* *Matth. 8.* *Ephe. 4.* *De multiplici aduentu Christi.* *Lucæ 15.* *Ezech 16.* *De multiplici ornatu animæ.* *Phil. 4.* *Isaiæ 61.* *Quomodo veniendum sit ad Dominum.* *Gene. 12.* *Gala. 5.* *De tribus gradibus & tribus libris salutionibus.* *Heb. 11.* *Roma. 8.* *Isaiæ 26.* *Parab. 1.* *Ephe. 5.* *De bonis operibus occultandis.* *Isaiæ 39.* *Matth. 13.* *Ioan. 7.* *Matth. 6.* *Eccle. 9.* *Eccle. 42.* *Recedendum est à diabolo.*

illos commoremur, in quibus Deum habitare nouerimus. Non igitur cum Herode diu commoremur, sed perficiamus viam nostram donec Christum inueniamus in Betheleem. Frustra enim velociter currit, qui priusquam veniat ad metam, deficit. Recedamus igitur ab Herode. Nulla enim est securitas vicino serpente dormire. Bonum est autem citò ab illo recedere, ne nos per præscriptionem velit possidere. Ipse enim velut is qui in aquis suffocatur, alios secũ pertrahere & submergere conatur. Herodes enim, id est, diabolus viã nostrã multipliciter impedire & corrũpere conatur. Teste enim beato Gregorio bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur. Aliquando in bono opere intentionem polluit, sicut scriptum est. Facti sunt hostes eius in capite. Aliquando inittum vitiare non prævalet, sed in ipsa actione, quasi in itinere se opponit, vt dum per mentis propositum securior quisque ingreditur, subiuncto latenter vitio quasi ex insidiis perimatur. Vnde Psalmus: In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Aliquando bonum opus in fine illaqueat, quantoque vel à domo cordis, vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tantò ad decipiendum bonæ actionis terminum astutius expectat, & quo incautum quemque quasi recedendo reddidit, eo illum repentino vulnere insanabilius transfigit, vnde serpenti dicitur. Tu calcaneũ eius obseruabis. Recedentes igitur ab Herode, in simplicitate cordis quæramus Dominum. Herodes enim simulauit se velle ipsum adorare. Et quia in duplicitate cordis inquirere proposuit, nunquam inuenire promeruit. Si autem stellam gratiæ vel Euangelicæ doctrinæ Dominus nobis ostenderit, gaudeamus gaudio magno, valde vt in nobis impleatur quod scriptũ est. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Veniamus in Bethleem & intremus domum Ecclesiæ, vt inueniamus Christum in domo conscientiæ nostræ, & in domo sacræ scripturæ. Inueniamus Christum cum Maria matre eius, vnus enim sine alio reperiri non potest. Vnde Isaias: Habitabit iuuenis cũ virgine. Tredecim aute dietis Magi laborantes & procidẽtes Christũ inuenerunt. Et nos tredecim dietis spiritualiter progrediamur, vt Christũ plenè inuenire & possidere valeamus, quæ sunt fides, spes, charitas, cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Cuius partes sunt ieiunium, oratio, eleëmosyna, vigilia, labor manuũ, aspera vestis, lectus durus, & peregrinatio. Procidentes autem Christũ adoremus. Procidamus in faciem per humilitatem. Cadamus antè, vt videamus quò cadamus: non sicut ministri Iudæorum, retrocadamus, de quibus in Euangelio dicitur. Abeuntes retrò ceciderunt in terram. Qui enim retrò cadit, nescit quò corruit. De thesauris autem cordis, oris, & operis offeramus Christo aurum, thus & mirram, corde credentes & ore confitẽtes, ipsum esse verum regem, verum Deum, & verum hominem. Offeramus prætereà illi aurum charitatis & largitatis contra auaritiam. Thus deuotę orationis contra superbiam, mirram mortificationis carnis contra luxuriam. Quidquid enim est in mundo, vel est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ. Auaritia trahit hominem extra se, superbia eleuat supra se, luxuria deprimit infra se. Prima per euagationem. Secunda per elationem. Tertia per pollutionem: Omnibus autem modis caueamus, ne per Herodem reuertamur, quia regnum eius carcer est & exilium, & via reuertendi ad eum tenebræ & lubricum. Capti sumus reti Apostolorum, & de mari gentilitatis extracti, non iterũ fluctibus immergamur. Ne autem computrescamus: sale abstinentię & continentiæ condiamur. Non respiciamus retrò cum vxore Loth, & qui sumus in tecto, non redeamus tollere vasa in domo. Reuertamur igitur per aliam viam ad supernam patriam nostram. Viæ enim Domini viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Ipse enim est via per quam, veritas cum qua, vita ad quam, incedere debemus: vt sic ad regionem nostram ad supernam Ierusalem ipso ducente reuerti valeamus.

*Ioan.1.*

*Eccle.21.*

*De triplici bonorum impedimento.*

*Matth.2.*

*Isaie 62.*

*De tredecim dietis Magorum.*

*Ioan.13.*

*De triplici thesauro & de auro & thure & mirra.*

*1.Ioan.2.*

*Non est per Herodem reuertendum.*

*Gene.19. Matth.24. Mar.13. Luc.17. Parab.3.*

*De via, veritate & vita.*

## EODEM DIE, THEMA SVMPTVM
### Ex prophetia Isaiæ Prophetæ.

*Surge illuminare Ierusalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini supra te orta est. Isaiæ 60.*

*Iacob.1. 1.Tim.6. Luc.2. Gene.32. Ioan.1. Item 12.*

AD festum luminis luminosa mente stellę radiantis lumine pręuio accedamus, vt mentis oculos ad superni luminis radios lucidos aperiẽtes, à patre luminum, apud quem nõ est transmutatio, nec vlla obumbratio, qui lucem habitat inaccessibilem plenius illumine mur, & in eius lumine verum lumen ad illuminationem gentium facie ad faciem videre mereamur. Hodie enim Dominus emisit lucem suam & veritatem suam. Hodie exortum est in tenebris gentium lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ambulate igitur fratres dum lucem habetis. Currunt Magi cum muneribus ad regales nuptias, stella præcedente, curramus & nos cum illis, Christo nos vocante, vt hodie cum ipso epulemur, in hac tã præclara solẽnitate. Hodie enim Ecclesia de gẽtibus coniuncta est Christo. Hodie magnus ille paterfamilias facit nuptias filio suo. Hodie coniuncta est Rebecca Isaac. Æthyopissa Moysi. Sampson alienigenæ mulieri. Salmon Raab meretrici. Boos Ruth Moabitidi. Ozeę fornicarię, Christus gẽtilitati: Hodie Dominus fluxum Emorroissę cohibuit, mulierem incuruatam erexit. Socrum Petri à febribus liberauit. Filiam Chananeæ à dæmonio eripuit; Cæci nati oculos aperuit, Lunaticum curauit, Paraliticum in grabato iacentem sanauit, manum

*De multiplici mysterio huius solemnitatis. Matth.22. Deut.24. Exod.2. Iudic.14. Ruth.1. Osee 1, Matth.9. Luc.14. Matth.8. Matth.15. Ioan.4. Item.5.*

manum aridam sanitati restituit. Leprosum mundauit, aures surdi, linguam muti, resolu-
*Item 11. Isaiæ 2.* Quatriduanum fœtidum, id est, mortuam in peccatis gentilitatē suscitauit. Liuor, & vulnus, &
plaga tumens circumligata est præceptis Euangelicis, & curata medicamine sacramentorum
nouæ legis, & effota oleo gratiæ, & diuinæ misericordiæ. Commouit enim Dominus terram,
& conturbauit eam per salutarē compunctionem, sanatæ sunt cōtritiones eius, quia commo-
*Cant. 2.* est. Hyems infidelitatis recessit, & torporis flores virtutum apparuerūt in terra nostra. Ascen-
dit hodie gentilitas de deserto idolatriæ, ad amplexus Christi, tanquā virgula fumi recta & ho-
*Item 3.* milis, ex aromatibus boni odoris, myrrę per carnis mortificationem, & thuris per desiderium
& deuotionem, & vniuersi pulueris pigmentarij per virtutum & omnium charismatum pul-
nitudinem, & subtilem bonorum operum retractationem. Factus est enim odor filij Dei,
*De multiplici odore agri.* sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ager plenus Ecclesia vocata de gentibus,
in qua redolet vua, rosa, lilium, viola, & oliua, vua continens vinum diuini amoris. Rosa
redolens ex martyrij cruore, lilium ex virginitatis integritate. Viola locum modicum ex hu-
militate occupans, & cœlestis regni purpuram interius seruans. Oliua operibus misericordiæ
*Osee 2. Variæ auctoritates de gentium vocatione. Iudi. 9.* more olei fouens, pascens, & lucens. Percussit hodie Dominus fœdus cum bestia agri, & volu-
cri cœli, & reptili terræ, sicut prædixerat Ozee. Vocauit & reconciliauit sibi bestias agri, rudes
& crudeles, & bestiales homines, & volucres cœli, superbos, & elatos, & reptilia terrę, auaros &
luxuriosos. Postquam enim spinæ gentilium intellexerunt ramnū, id est, diaboli nequitiam, &
asperitatem, & Christi suauitatē perceperunt, post odorem vnguentorū eius currere cęperunt,
*Cant. 1. Isaiæ 1. Gene. 49. Exod. 1. Matth. 12. Lucæ 15.* sicut prædixerat Propheta. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ.
Et Isaias ait: Radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Omnes
enim gentes benedicent illi, & ipse erit expectatio gentium. Æthyopia enim præuenit manus
suas dare Deo. Et filia Pharaonis suscepit Moysen paruulum, adhuc in cunabulis vagientem.
Mater autem eius, & fratres, id est, synagoga & Iudęi, foris steterunt. Et frater maior noluit in-
trare cum minore fratre, vt comederet vitulum saginatum. Quidam tamen de Iudęis intrave-
*Parab. 30.* runt, sicut Salomon ait: Pauper & creditor obuiauerunt sibi, gentilitas, scilicet, & Apostoli,
credentes & committentes illi verbum Dei, & vtriusque illuminator est Dominus. Liquefa-
*Simile.* cta est terra, id est, terrena gentilium corda. Sicut enim radius solis glaciem remolliendo dissol-
uit, sic gratia Dei corda gentilium gelicidio peccatorum indurata, igne spiritus Sancti resolui-
*Amos 10.* Propterea Propheta Amos ait: Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terrę, Dom-
nus nomen illi. Peccatores enim de amaritudine & fructibus huius seculi extrahit, & in dulce-
*Matth. 13. Mar. 4. Lucæ 13. De ticonia.* dinem vertit, vt alios valeant irrigare. Granum enim sinapis, quod in horto virginis manibus
Dei patris seminatum minus fuit, & humilius omnibus oleribus terræ, in tantam altitudinem
excreuit, vt veniant volucres cœli, & habitent sub ramis eius, Dominus enim more ciconiæ,
quæ post pullorum aduolatum terra replet nidum suum, post ruinam angelorum sedes eorum
implere voluit, & idcirco de vniuerso mundo gentes ad fidem vocauit, mittens ad exitus via-
*Matth. 22.* rum & sepes, vt compelleret intrare. Inter quos tres Magos à remotis partibus Orientis cum
comitatu non modico, tanquam gentium primitias, paucis diebus, id est, tredecim, ad se voca-
*Isaiæ 60. Matth. 24. Isaiæ 63. De fide & feruore Magorum. Gene. 43. 2. Cor. 11.* uit. Qui sunt isti qui vt nubes volant, vt vbicunque fuerit corpus, congregentur aquilæ? qui
tam citò venerunt de Edom? non solum tinctis vestibus virtutum, imo charitatis, & ardo-
tis desiderij, sed insuper sumentes in vasis suis de optimis terræ fructibus, detulerunt viro mu-
nera, vnde & duplicem pecuniam reportare meruerūt, gratiam, scilicet, in præsenti, & gloriam
in futuro. Ipsi enim nunquam regem natum viderunt. In vmbra tantum & figura, & in ob-
scuritate prophetiæ Balaam, ipsum cognouerunt, & tam longo tractu terrarum periculis fla-
minum, periculis latronum, periculis ex itinere, periculis ex insidiis fraudis Herodianæ, in ex-
tremo mortis discrimine paruulum vagientem ad vbera matris paupercule adhuc pendē-
tem, cum muneribus mysticis festinant adorare. Cùm autem homines diuites, & potentes de
thesauris suis auri copiam regi obtulissent, mater eius non diu thesaurum sibi reserva-
uit. Nam paulò pòst cùm in die purificationis in Ierusalem ascendit, quia secundum le-
gem agnum habere non potuit, columbam & turturem more pauperum obtulit. Si igitur cum
tanto labore & desiderio reges isti de remotis partibus ita festinanter venerunt, & paruulum
in infirmitate sua cū tanta reuerentia & deuotione adorauerunt, quid erit de nobis miseris &
obstinatis, qui Christum natum, passum, resuscitatum, ad patris dexteram eleuatū, agnouimus,
*Iosuet. 3. Regum 11. De Regina austri quæ ad Salomonem venit.* non tamen cum tanto studio ipsum inquirimus. Hi igitur velut exploratores Ierico terram
promissionis intrauerunt. Et sicut regina Austri quæ venit ab extremis terræ finibus, audire
sapientiā Salomonis. Legimus enim in libro Regū quod regina Saba, quę ciuitas est in Æthio-
pia audita fama Salomonis, venit ad eum in Ierusalem cum comitatu magno, & dedit ei aro-
mata & aurum multum & gemmas pretiosas. Salomon autem dedit illi omnia quæ voluit,
& quęcunque petiuit ab illo. Quæ cùm vidisset Salomonem & audisset eius admirabilem sa-
pientiam, & vidisset domum quam ædificauerat & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum,
& ordines ministrantium, vestesque eorum & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in do-
mo Domini, iam præ admiratione non habebat vltra spiritum: dixitque ad Salomonem. Ve-
rus est sermo quem audiui de te in terra mea. Maior est sapientia tua & opera tua, quàm ru-
mor quem audiui. Et dedit ei aromata & aurum & gemmas. Salomon qui interpretatur
pacificus,

pacificus, Christum significat, non solũ ratione nominis, sed quia in figuram Christi templum Domino ædificauit, & multas habuit vxores reginas, sicut Christus multas Ecclesias principales, & adolescentularum non erat numerus, quia multæ sunt particulares Ecclesiæ & animæ Christo desponsatę quasi sine numero. Multas etiam habet concubinas. Multi enim seruiunt ei quorum filij, id est, opera non hęreditabunt patriam æternæ beatitudinis, sed dicetur eis, nescio vos. Saba interpretatur captiua: In captiuitate enim diaboli, & in feruore vitiorum, quasi sub Austro erat gentilitas, quãdo venit ad verum Salomonem. Per gemmas, quas dedit Salomoni, intelligimus virtutes, quas Christus nobis prius dat: & nos illi reddimus ad ipsum reportãdo. Ipse autem bona nostra sua reputat, lapides pretiosi à paucis cognoscuntur, ab his autem qui eos non cognoscunt parui ęstimantur. Ita seculares vitam sanctorum & virtutes quasi pro nihilo reputant. Gemmæ à partibus remotis veniunt. Et virtutes non in nobis oriuntur, sed tantum spinas & tribulos profert terra nostra, aliundè autem nobis adueniunt. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, varias naturas lapidum distinguit diuersitas virtutum. Sicut Smaragdus viridis primã gratiã significat quę terrã liberi arbitrij germinare facit. Crysolitus aurei coloris charitatem. Saphirus aërei coloris contemplationem. Carbunculus splendidus fidei cognitionem, & sic de aliis. Aromata quę dedit Salomoni, significant bonam famam, & bonorum operum fragrantiam. Vnde in Exodo præcipitur filiis Israël quod facerent sibi aromata, quibus vngerent tabernaculum, & vasa tabernaculi. Omnes enim animæ fideles hoc vnguento debent vngi, quod ex quinque speciebus conficiebatur quæ ad salutem cuiuslibet exiguntur, scilicet, ex myrra per quam amaritudo contritionis, & calamo boni odoris, per quem oris confessio, quæ valde dulcis est in conspectu Domini, vel meditatio sanctarum scripturarum intelligitur. Tertia species erat cinamomum cinerei coloris, per quod humilitas & obedientia designatur satisfactionis. Quarta species est casia herba modica, quę in locis aquosis nascitur, per quam fides designatur, quam recipimus in aquis Baptismi, & sub aquis lachrymarum nutritur. Oleum oliuarum quod cum prædictis ponebatur opera misericordię signat. Caro hominis dicit Dominus non vnguetur ex eo, id est, carnaliter viuentes. Prohibetur in Exodo ne talis vnctio fiat in nostros vsus, quia charitas non quęrit quæ sua sunt, & quia bona prædicta ad nos referre non debemus: Aurum verò quod dedit regina Salomoni, sapientiam significat vel charitatem, quæ pretiosior est omnibus aliis donis spiritualibus. Salomon siquidem dedit reginę quęcũque petiit. Iuxta illud: Petite & dabitur vobis, obstupuit regina in pręsentia Salomonis, dicẽs: Maior est sapientia tua & opera tua quàm rumor quem audiui de te. Quia non possunt sancti tantũ dicere de Christo, vel tantum audire quantũ sentiũt. Vnde Isaias Propheta: Secretũ meũ mihi. Hic est iubilus: Hoc est gaudiũ cordis gustantis & vidẽtis, quoniam suauis est Dominus, quod nec potest penitus exprimi, nec ex toto abscondi. Admirata est regina domũ quam ędificauerunt Salomon, quod tam de pręsenti Ecclesia quàm de domo cœlisti potest intelligi. Cibi mensæ, diuinarum scripturarum sententiæ, vel fercula beatitudinis æternæ. Habitacula seruorum, diuersi status fidelium coniugatorum, continentium, & rectorum, vel diuersæ mansiones in regno cœlorum. Per ordines ministrorum & vestes eorum, distinctionem graduum in Prælatis intelligimus & diuersitates gratiarum. Pincernæ sunt sancti doctores vinum scripturarum nobis propinantes. Holocausta sunt qui seculo renuntiantes, se & sua Domino offerunt. Hanc igitur veri Salomonis gloriam regina Saba, id est, Ecclesia de gentibus conuersa admiratur, stupet, veneratur, & reueretur. Vnde Isaias alloquitur eam, dicens: Surge & illuminare Ierusalem. Surge in gentibus quæ cecidisti in gentibus. Surge in ecclesiis quæ cecidisti in synagogis. Surge in fide, quæ cæcidisti in infidelitate. Surge per confessionem, quæ cecidisti per negationem. Surge per pœnitentiam, quæ cecidisti per culpam. Surge per virtutes, quæ cecidisti per diuersa vitia, & innumeras iniquitates. Surge & assurge saluatori tuo vt iam cum illo valeas ambulare. Surge & assurge illi vt resurgas à mortuis. Surge, quæ iacuisti super latus dextrum resoluta prosperitate, quæ iacuisti super latus sinistrum depressa aduersitate, quæ iacuisti super ventrem & faciem tuam, nullum respectum habens ad cœlum in luxuria & turpitudine, quæ iacuisti supina super dorsum tuum in superbia & in elatione, quasi in cœlum per hypocrisim oculos habens, & in terra computrescens. Surge & illuminare fide Christi, & lumen fidei, gratiæ, ac spiritualis doctrinæ, in corde suscipe, quia vanum est tibi ante lucem surgere. Surgendo igitur illuminare. Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus. Illuminare vt velut mulier amicta sole, lunam, id est, mundi mutabilitatem habeas sub pedibus. Illumĩare, Deus enim lucem diuidit à tenebris, id est, bonos à malis, vt videat opera tua bona & glorificetur in eis. Venit enim lumen tuum, Dei filius in mundo apparuit, Deus Dominus & illuxit nobis, venit lumen tuum, longè ante tibi promissum ad redemptionem tuam venturum à quo illuminaberis si fidem susceperis. Ipse enim mundo refulsit, quasi stella matutina in medio nebulæ. Surge & illuminare luce gratiæ contra tenebras culpæ, luce sapientiæ contra tenebras ignorantiæ, luce veritatis contra tenebras erroris & falsitatis: venit lumen tuum, aperi fenestram cordis, & non sis rebellis lumini vt ingrediatur splendor veri solis amicti lumine sicut vestimento. Illuminare quia lucerna posita est super candelabrũ, vt qui ingrediuntur lumen videant, illuminare vt qui aliquando fuistis tenebrę, nunc autẽ lux in domino. Illuminare vt placeas corã Deo in lumine viuen-

Matth. 25.

De gemmis.

Gene. 3. Iacob. 1.

De aromatibus.

Exod. 30.

1. Cor. 13. 3. Regum 11.

Matth 7. Luc. 11. 3. Regum. 11. Isaiæ 24.

De domo Salomonis & ordine ministrorum. Ioan. 14.

1. Cor 12. Luc. 14.

Isaiæ 40.

Quod multipliciter surgendum est.

Quod multipliciter iacent homines in peccatis.

De multiplici illuminatione & multiplici lumine. Ephe 5. Apoc. 12. Gene. 1. Matth. 5. Eccle. 50. Iob. 24. Matth. 5. Mar. 11. Ephe. 5.

viuentium. Illuminare quia stella solem iustitiæ peperit, & mulier Euãgelica vt dragmam per-
Lucæ 15. diram reperiat, lucernam accendit. Illuminare ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum, ne ca-
das in lutum libidinis, ne corruas in foueam auaritiæ & cupiditatis, ne inuoluaris fumo superbiæ & elationis. Et quoniam via huius seculi tenebræ & lubricum, illuminare vt videas vbi
Isaiæ 62. ponas pedem tuum. Illuminare quia egressus est vt splendor iustus tuus & saluator tuus vt
Lucæ 1. lampas accensus est. Venit enim lumen tuum, lumen ad reuelationem gentium, candor lucis
Sap. 7. æternæ. Sol verus qui intuentibus admirationem parit, splendore tenebras fugat, calore fouet
De sole & cereo. & viuificat. Cereus verus, in quo coniuncta est cera humanitatis, igni diuinitatis. Confumpta autem stupa mortalitatis totum mundum post resurrectionem illuminauit. Illuminat autem Dominus per seipsum interius inspirando, sicut dicitur in Psalmo: Dominus illuminatio mea & salus mea. Et iterum: Accedite ad eum & illuminamini. Illuminat per doctrinam. Præceptum enim Domini lucidum illuminans oculos. Declaratio sermonum eius illuminat & intellectum dat paruulis. Illuminat exemplo conuersationis sanctę. Vnde ipse ait in Euangelio: Qui
Ioan. 8. sequitur me, non ambulat in tenebris. Illuminat per gratiam sicut dicitur in Psal. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Illuminat per miraculorũ admirationẽ, sicut scriptũ est in Psal. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, id est, à sanctis per quos mirabiliter operaris. Et iterum: Illuxerunt coruscationes tuę orbi terræ. Illuminat per incarnationem & manifestationis notitiã. Sicut scriptũ est: Illuminare his qui in tenebris sunt & in vmbra mortis sedent. Illuminat per æternã gloriam, sicut sciptũ est, In lumine tuo videbimus lumẽ. Illumina-
Lucæ 2. re igitur, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est. Filius Dei glorioſus & glo-
De multiplici gloria. ria miraculorũ, & mirabilium quæ fecit Dominus, qui cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit. Et gaudebat omnis populus super his quæ glorioſe fiebant ab eo: Gloria
Lucæ 13. Domini super te orta est. Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. Surge igitur vt illam
Rom. 3. possis attingere, curre vt illã possis apprehendere, vt coronet te gloria & honore. Si enim dilegis veram gloriã, non amabis inanem gloriam, vera enim gloria Christus est, cui pater ait: Exte-
2. Cor. 11. ge gloria mea. In ipso igitur debes gloriari, sicut scriptum est. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non igitur glorieris in malitia, nec in trãsitoria felicitate, ne gloriam tuam in puluerem deducat. Diues enim cùm interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria domus eius. Gloria verò Domini super te orta est, sicut scriptum: Et super omnes cœlos gloria eius, id est,
Ioan. 8. super sanctos cælesti conuersatione perspicuos & virtutibus celatos. Hi sunt cœli, qui enarant gloriam Dei, qui propriam gloriam non quęrunt, quorum lingua confitetur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. Et idcirco exultabũt sancti in gloria, qui possunt dicere cum Paulo. Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ. Hæc gloria hic
Phil. 2.
2. Cor. 1. inchoatur in pace pectoris & serenitate conscientiæ, sed perficietur in æterna beatitudine, quando mensuram bonam & conferram & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum
Lucæ 6. electorum. Sicut enim aceruus excedit granum, thesaurus obolum, mons lapillum, fluuius
Simile. stillam, abyssus riuulum, ita nulla est comparatio huius gloriæ temporalis, ad futuram glo-
Rom. 8. riam quæ reuelabitur in nobis. Hic enim gustus, ibi inebriatio, hic modica stella, ibi plenitudo, plena satietas, & omnium bonorum affluens fertilitas. Qui autem mundi gloriam appetunt, & non nisi terrena diligunt, nec surgunt, nec illuminantur, nec super eos gloria Domini ori-
Isaiæ 60. tur, de quibus Isaias subiungit: Quia ecce tenebræ operient terram, id est, synagogam, non sa-
Phil. 3. terrena sapientem, quorum oculi languerunt præ inopia bonorum spiritualium, & caligo po-
De tenebris & caligine & mala terra. pulos infideles, scilicet, de gentibus, qui Christi fidem recipere noluerunt, sed in tenebris infidelitatis & erroris remanserunt. Terra igitur tenebrosa & operta mortis caligine, terra inanis & vacua. De qua dicitur. Tenebræ erant super faciem abysi, id est, cordis tenebrosi. De qua
Iob. 10. dictum est etiam serpenti. Terram cõmedes omnibus diebus vitæ tuæ. Terra maledicta & re-
Gene. 1. proba, quia veri solis radios recipere noluit, id est tenebris peccatorum suorum excęcata remansit, & obscuratum insipiens cor eius, quemadmodum prædixerat Isaias: Excęca cor populi
Item 3. Rom. 1. Isaiæ 6. huius. Et Psalmus ait: Obscurentur oculi eorum ne videant, licet enim transitoriæ felicitatis
1. Petri 2. lumen habere videantur, perpetuis tenebris inuoluuntur. Ictum enim fulminis momentanea
Ioan. 1. coruscatio præcedit. Super te autem ô Ierusalem, ô Ecclesia de gentilitatis tenebris ad fidem conuersa, quæ ad supernę pacis visionem anhelas, orietur Dominus, qui de tenebris vocauit te in admirabile lumen suum. Super te illuminandam orietur dominus sol verus, & tu eris subdita illi, & gloria eius in te videbitur, vt videas gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre.
Isaiæ 60. Populus enim qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Propterea Isaias ait: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Gentes enim quæ prius erant
Item 55. in tenebris, in lumine fidei Christi ambulauerunt, quemadmodum Isaias ait: Ecce gentes quas nesciebas, vocabis, & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current. Quas nesciebas, id est, non approbabas propter idolatriam. Et Dominus per os Dauid ait: Mihi alienigenæ amici facti sunt. Et iterum in persona patris ad filium: Postula à me & dabo tibi gentes hęreditatem tuam. Et rursus ait: Omnes gentes quascunque feciſti venient & adorabunt coram te
Parab. 21. Domine. Reges autem, id est, sancti se & alios bene regentes, de quibus dicitur. Cor regis in manu Dei, & quocunque voluerit, vertet illud. Vel reges, id est, huius seculi potentes, sicut Constantinus, Heraclius, Theodosius, & alij multi ambulauerunt in splendore ortus

Ecclesiæ

Ecclesiæ, quo ex aqua & spiritu sancto renata est. Eandē enim fidem habemus, & eodē baptismo renascimur, quo sancti in primitiua Ecclesia. Istud tamē specialiter referri potest ad reges illos, qui primò vocati sunt, & splendore stellæ præcedentis eos in Bethleē venerūt. Tunc enim ortum habuit Ecclesia de gentibus. Splendor autem ortus eius dicitur gratia Dei, quæ per stellam designatur. Stellæ autem comparatur gratia, quia lucet de nocte his, scilicet, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, & absconditse in die prosperitatis transitoriæ. Licet autem parua reputetur ab indoctis, maxima tamen est sapientum æstimatione. Illa verò stella quæ Magis apparuit in aëre, mouebatur sub firmamento, & fuit propinquior terræ quàm alię stellæ. Gratia enim Dei in Christi ortu mundo appropinquauit. Stella autem illa fuit cometa, quæ regnorū mutationē solet portēdere. In qua signatū est quod regnū Dei à Iudęis ad Gentes transferendum esset. Sicut Dominus in Euangelio dicit. Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius. Translatum est præterea regnum à principe mundi huius & transiit ad Christum. Manifestatio igitur stellæ manifestationem significat diuinæ gratiæ. Hæc est facies illa de qua Psalmus ait: Ostende faciem tuam & salui erimus. Faciem naturę ab initio ostēderat in rerum creatione. Faciem gratiæ ostendit in natiuitate. Faciem vindictæ ostendet in extrema iudicij ventilatione. Faciem verò glorię in æterna beatitudine. In hac autem stella ignea & splendida impletum est quod dictum est in Psalmo. Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit inimicos eius. Ignis enim gratiæ inimicos, id est, motus prauos inflammat, comburit & destruit in nobis. Similiter Herodes & alij Christi inimici audiēres à Magis: Vidimus stellam eius in Oriente & venimus adorare eum. Inflammati sunt ira & iniquitate sua. Herodes enim violentia Romanorum regnum iniustè possidebat, & idcirco timet sibi auferri quod alij abstulerat. Teste enim beato Gregorio, Mens prauorum semper est in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne sibi ab aliis inferantur. Quidquid enim contra proximos cogitat, hæc excogitari contra se à proximis formidat. Semper enim pauidus mala ab aliis pati metuit, quæ se aliis fecisse meminit. Et sicut beatus Iob ait: Cùm sit pax, ille insidias suspicatur. Molie-batur igitur Herodes Christum interficere, sed Dominus, qui adducit consiliarios in stultum finem, illusoribus illusit & ad regnum suum non solum à Iudæa, sed ab omnibus mundi partibus sibi fideles congregauit. Vnde Isaias ad primitiuam Ecclesiam sermonem dirigēs, ait: Leua in circuitui oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Leuà in circuitu mūdi oculos mentis, & vide regiones, quia albæ sunt ad messem. Omnes isti congregati sunt non solum Iudæi in die Pentecostes, ex omni natione quæ sub cœlo est, sed ex omnibus partibus mundi gentes congregatæ sunt ad fidem, sicut scriptum est: Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et Isaias ait: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, id est, Christus qui omnes sanctos excedit, & eleuabitur super colles, id est, sanctos minores, & fluent ad eum omnes gentes. Propterea Isaias in hodierna Epistola subiungit. Filij tui de lōgè venient, & filię tuę de latere surgent. Filij tui quos in fide genuisti. Vnde Paulus per Euangelium: Ego genui vos. De longe venerūt. Longe enim per idolatriam recesserant. In regione dissimilitudinis filius prodigus porcos pascebat. Vnde Isaias alibi dicit: Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos sancti, scilicet, doctores, qui de gentibus venerūt, muros ecclesię ędificauerunt, ne hostes intrare possent. Et iterum: Filij peregrinorum agricolæ & vinitores vestri erunt, Doctores, scilicet, de gentibus cultores Ecclesiæ, & vineam Domini sabaoth custodientes & excolentes. De qua cultura idem ait: Pro saliuncula ascendet abies, & pro vrtica crescet mirtus, id est, pro vitiis orientur virtutes. Saliuncula sterilis est & abiecta: Abies alta est & procera pice medicinali fœcūda, fabricandis domibus apta. Pro saliuncula igitur abies nascitur, id est, pro abiectione terrenæ cogitationis altitudo supernæ contemplationis. Pro vrtica verò mirtus, quæ temperatæ est naturæ, crescit, cùm mētes iustorum ab ardore & prurigine vitiorum ad temperiem & tranquillitatē perueniunt. Et rursus Dominus per Isaiam ait: Gloria libani ad te veniet: abies & buxus & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ. Arborum diuersitas, diuersos in Ecclesia ordines designat, ex quibus constructa est ecclesia, & miro decore distincta. Gloria libani mundi sublimitas reges, scilicet, & principes, quia mamilla regum lactata est ecclesia, & fuerunt, reges eius nutritij. Abietes autem dicuntur Phylosophi & alij in hoc seculo superbi & elati, vel ipsi sancti contemplatiui, quorum cōuersatio in cęlis fuit, postquam ad Dominū sunt conuersi, qui etiā buxus & pinus dicuntur fide & virtutibus virentes. De longè igitur venerunt ad Dominum, sicut de vero Ioseph in Genesi spiritualiter intelligitur, quod dixerunt fratres eius patri suo: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti, id est, in vniuerso mūdo. Sicut enim lapis cùm in medio aquæ proiicitur, circumquaq; vsq; ad vtāque ripam fit motus aquæ, ita prædicatio fidei à centro mundi, id est, à Ierusalem inchoata vsque ad omnes mundi fines peruenit. Apostoli enim de Ierusalem fugati quasi ligna ardentia totam mundi machinā incenderunt. Filij igitur ecclesiæ de longè venient, id est, in fide fortiores, & filiæ, id est, infirmiores de latere surgent, paruuli, scilicet, in Christo, quibus Apostolus ait: Lac dedi vobis potum, non escam. Et Petrus ait: Quasi modo geniti infantes. De his etiam Esaias ait: Ad vbera portabimini & super genua blandietur vobis. Ad vbera, scilicet, duorum testamentorum, vel ad dona spiritus sancti, duorum testamentorum etiam vbera habet ecclesia, quæ sunt gaudere cum

*De stella & gratia diuinà. Matth. 2.*

*Item ii.*

*De malitia Herodis & iis fidiis eius. Matth. 2.*

*Gregorius.*

*Iob. 15.*

*Isaiæ 60. Ioan. 4.*

*De congregatione gentium.*

*Isaiæ 2. Mich. 4.*

*1. Cor. 5.*

*Isaiæ 60.*

*Item 61.*

*Item. 55. Pro saliuncula, abiete, vrtica & mirto.*

*Item 60. Quid signatur per abietem buxum & pinum.*

*Ad Phil. 3.*

*Gene. 45.*

*Simile.*

*1. Ad Cor. 3. 1. Petri 2. Isaiæ 66. De vberibus*

cum gaudentibus, flere cum flentibus. Super genua verò fortiũ prælatorum tanquam lactentes, sustentantur, sicut idē Isaias ait: Suges lac gentiũ & mamilla regũ lactaberis. Sugit Ecclesia in paruulis simplicem doctrinam doctorum de gētibus venientium: & mamilla regum, id est, doctrina Apostolorum lactamur. De mamilla autē congratulationis lac exhortationis effunditur. Et iterũ ait in persona patris: Ecce ego leuabo manũ meam ad gentes, id est, filium, & exaltabo ad populos signum meum, signũ, scilicet, viuificę crucis, & afferēt filios tuos in vlnis instruendo, scilicet, bene operando, & bonum exemplum præstando, & filios tuos super humeros portabũt, supportando, scilicet, infirmitates aliorum, & erunt reges nutritij tui reges, scilicet, spirituales & reginæ nutrices tuæ, id est, sancti, qui dicuntur nutrices, propter affectum maternũ. Idem tamen possunt dici filij & filię. Filij propter fortitudinem, filiæ propter compassionem. Filiæ igitur de latere, id est, de terrenorum amore surrexerunt. Lateres enim ceciderunt, & conuersi sunt in lapides quadros. De luto autē sordidę cogitationis, & palea vanę volũtatis, dum cogitationi cõsentit, per ignem malę actionis efficitur later obstinationis & terrenæ cupiditatis. Vnde in Genesi gigantes dixisse leguntur. Venite faciamus lateres & decoquamus eos igni, & faciamus turrim. Venite faciamus lateres, ego cõcupiscentia carnis & decoquamus eos igni, ego concupiscentiā oculorum & faciamus turrim, ego superbia vitæ. Potest etiā intelligi quod filię de latere Christi in cruce perforato surgēt. Ex illo enim sanguis & aqua effluxerunt quibus viuificati sumus, vel de latere surgent, quia sacramenta quæ de latere Christi manauerunt, cum magno desiderio fideles recipiũt. Quanto gaudio exultauit primitiua ecclesia de conuersione gentium ostendit Isaias cum subiungit: Tunc videbis & affluues & mirabitur & dilatabitur cor tuũ, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris. Quasi dicat: Cùm leuaueris in circuitu oculos tuos, tunc videbis multitudinē infideliũ & affluues filiis, quasi fluuius subitò redundans aquis, & mirabitur præ tanta multitudine, & dilatabitur præ gaudio, cor tuũ dilatabitur, vt suscipiat hospitē Christũ, quando conuersa fuerit ad te per fidē multitudo maris, omnes, scilicet, nationes mundi. De hoc gaudio Isaias alibi ait: Lauda sterilis quæ nõ paris, decāta laudē & hymnum, quæ non pariebas, quoniam multæ filiæ desertæ, id est, gentilitatis à Deo quondam derelictæ, magis quàm eius quæ habebat virum, id est, synagogæ, quæ putabat se habere Deum sponsum. Et iterum: Lętabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit sicut lilium. Et rursus ait: Montes & colles cantabunt coram vobis laudē, & omnia regionis ligna plaudent manu. Montes Apostoli: Colles alij prælati cantabunt læti de salute vestra. Ligna regionis gentes ad fidem conuersæ plaudent manu bene operando, cum hilaritate, vel ligna plantata secus decursus aquarum primitiui fideles. Dilatabitur præterea à primitiua Ecclesia cor tuum, quādo fortitudo gentium venerit tibi, inūdatio camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha. Fortitudo gentium reges & principes fide tibi sociandi, vel prælati in Ecclesia robusti. Vnde alibi Isaias ait: Paupercula tempestate conuulsa absque vlla consolatione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Paupercula fuit gentilitas carens omnibus spiritualibus diuitiis. Conuulsa & dilacerata tempestate, id est, variis erroribus dæmonum, vel conuulsa à tempestate postquam ad Dominum fuit conuersa, quæ prius erat absque consolatione spiritualium doctorum. Dominus autem strauit per ordinem Prælatorum continentium, & coniugatorum lapides eius, lapides, scilicet, pretiosos, quibus constructa est Ecclesia. Fundauit eam in sapphiris, qui aërei seu cœlestis sunt coloris, id est, in sanctis contemplatiuis: quorum conuersatio est in cœlis. Hi fuerunt primitiui sancti, qui quasi in fundamento Ecclesiæ constituti sunt. Posuit Iaspidem propugnacula, id est, defensores Ecclesiæ. Iaspis enim virorem fidei designat, quia viridis coloris est. Absque hoc virore omnis arbor sterilis est & arida. Posuit portas in lapides sculptos. Hi sunt sancti prædicatores sculpti & ornati vita & doctrina qui alios introducunt. De quibus Isaias: Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, id est, prosperitate & aduersitate, sed semper parati erunt alios introducere. Posuit etiam Dominus terminos Ecclesiæ in lapides desiderabiles. Hi fuerunt sancti Apostoli, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, qui fuerunt termini constituti, quasi in confinio fidelium & infidelium tanquam principes, marchiones, vt insultus sustinerent & alios defenderent, desiderabiles: de quibus dicitur: Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis. Cuiusmodi autem prius fuerint gentes ad Dominum conuersæ, & vnde venerint ostendit cùm subiungit. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes & laudem Domino annunciantes. Inundatio camelorum, id est, abundantia diuitum, onus diuitiarum & peccatorum gibbum prius portantium. Qui deposito gibbo peccatorum & inutiliũ sarcinarum intrauerunt per foramen acus, & mutauerunt fortitudinem, vt iam onera fraterna & Christi iugum suaue portent. Propter hanc inundationem & copiosam fortitudinem ait Dominus per Isaiam. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos & clauos tuos consolida. Ad dextram enim & ad læuam penetrabit, & semen tuum gentes hæreditabit & ciuitates desertas inhabitabit. Per quod innuit quod Ecclesia non coartaretur infra terminos Iudææ, sed extenderetur vsque ad extremum terræ. Dilata locum tentorij, quia non habe-

*Isaias 60.*

*Item 49.*

*De lateribus.*

*Gene. 11. 1. Ioan. 2.*

*De exultatione primitiuæ ecclesiæ.*

*Isaiæ 54.*

*Item 35. Item 54.*

*Item 54.*

*De fundatione & structa ecclesiæ. De Sapphiris & Iaspide. Phil. 3. De portis ecclesiæ & terminis eius. Isaiæ 45.*

*Item 60. De camelis & Dromedariis. Matth. 19. Mar. 10.*

*Isaiæ 40. Matth. 11. Isaias 54.*

mus hic manentem ciuitatem. Dilata per totum mundum, non in Iudæa tantùm. Pelles tabernaculorum, sunt Prædicatores, Ecclesiam protegẽtes. Pelles rubricatę, Martyres: pelles Hyacinthinæ, Contemplatiui. Funiculi quibus ligamur & astringimur, sunt præcepta diuina. Hos autem funiculos longos facimus, dum præceptis consilia addimus. Claui ratio & intellectus, quibus præcepta consistunt: vel claui constantia & fortitudo sanctorum. Ad dextram & ad læuam penetrabit, id est, ad omnia loca mundi, nec elata prosperis, nec fracta aduersis. Et semen tuum Gentes hæreditabit, id est, verbum Euangelij vel Apostoli, de quibus dicitur: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Et ciuitates desertas inhabitabit Gentes, scilicet, à Deo priùs derelictas. De quibus dicitur: Ædificabuntur in te deserta seculorum. Non solùm autem cameli operient te, sed & dromedarij Madian & Effa, operient te muneribus exornantes. Dromedarius animal est camelo minus, sed velocius. Per quos significãtur minores conuersi de Gentibus, qui citius ad fidem cucurrerunt, quàm diuites. Madian iniquitas interpretatur: Effa resolutus vel effundens. Gentes enim resolutis vinculis iniquitatum, animas suas Domino effuderunt. Ad literam regiones illæ camelis & dromedariis abundant. Saba autem captiuitas interpretatur. Omnes enim, id est, de omnibus generibus hominum, aliqui de captiuitate diaboli venientes ad Christum, aurũ fidei, charitatis, & sapientiæ, & thus orationum detulerunt, & insuper myrrham, id est, mortificationem iniquitatis per pœnitentiam, mortificationem carnis per abstinentiam, mortificationem voluntatis per obedientiam. Vnde Isaias ait: In tempore illo munus deferetur Domino exercituum à populo diuulso & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius. Quod spiritualiter intelligi potest de tribus Magis, qui de robustissima Gente Persarum dicuntur aduenisse. Non solùm autem ipsi, sed & alij Philosophi Gentium, apertis thesauris, id est, literarum peritia, obtulerunt tria munera, scilicet, Physicam, Ethicam, & Logicam. Sancti etiam Doctores obtulerunt munera, Historiam, Tripologiam, & Allegoriam, vel tria munera fidem Trinitatis. Munera clausa, fides cordis: Munera aperta, confessio oris. Propterea Propheta ait: Et laudem Domini annuntiantes filium, scilicet, per quem laudatur pater: vel opera filij annuntiantes aliis salute sua non contenti & Domino gratias referentes, qui de stercore erigens pauperes, collocauit eos cum Principibus populi sui, vt solium gloriæ teneant, & cum Christo & Angelis eius sine fine regnent, in secula seculorum, Amen.

*Heb.13. Exod.26. De pellibus & funibus, & clauis tabernaculi.*

*Isaiæ 1.*

*Item 54. Item 61.*

*De auro, thure, et myrrha.*

*Item 18.*

## EODEM DIE, THEMA SCRIPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM feliciter incipit.

*Cùm natus esset Iesus in Beth-lehem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*

*Matth.2.*

LEGIMVS in libro Regum, quòd Saul propter superbiam suam reprobatus est, & quia crepuit in corde, diabolus inuenit rimam, per quam in ipsum intrauit, & vexabat eum valde. Dauid autem adductus cum cithara coram ipso, & pulsans citharam mitigabat eius dolorem, & non poterat spiritus malignus vexare eum. Omnia autem eis contingebant in figuram. Dauid interpretatur manu fortis vel aspectu desiderabilis. Et significat Christum, qui fortis fuit quantum ad actiuam, aspectu desiderabilis quantum ad contemplatiuam. Manu fortis, quia manu affixa cruci, debellabat aëreas potestates. Aspectu desiderabilis, in quem desiderant Angeli conspicere. Cithara eius est diuina scriptura, in qua tot sunt cordæ, quot sunt in ea sententiæ. Quædam autem cordæ sonant acutius, quæ locuntur de diuinis & cœlestibus: quædam remissius, quæ loquuntur de humanis & inferioribus. Omnes autem sibi inuicem concordant, quia nulla est contrarietas in scripturis diuinis, quæ omnes sunt vno spiritu inspiratæ scriptoribus, & in eodem spiritu reuelatæ expositoribus. Rota enim est in medio rotæ, sicut ostensum est in Ezechiële, id est, nouum testamentum inclusum est infra vetus, tanquam mel infra ceram, velut nucleus infra testam. Quod significatum est in lege per duo Cherubin, quæ mutuo respiciebant se versis vultibus in propitiatorium, quia duo testamenta sibi concordant, & ad Christum, de quo omnis ferè scriptura loquitur, respiciunt. In hac autem cithara sunt quatuor cordarum varietates. Quædã enim remissius sonant, scilicet, quando scriptura historialiter intelligitur & ad literam, sicut cùm dicitur in Genesi, quod fons egreditur de voluptatis loco, qui diuiditur in quatuor flumina, superficiem terræ irrigantia. Hoc verum est ad literam. Tripologicè verò siue moraliter exponitur de anima iusti, quæ est locus voluptatis, in qua Deus habitat. Ex fonte autem charitatis oriuntur quatuor flumina, scilicet, quatuor virtutes cardinales, Iustitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia. Hæc corda acutius sonat quàm prima. Allegoricè autem exponitur de Ecclesia militante, in qua ex fonte totius boni, scilicet, Christo emanant quatuor Euangelia vniuersam terram irrigantia. Hæc autem corda acutius & subtilius sonat primis duabus. Anagogicè verò potest exponi de Ecclesia

*1. Reguũ 16. 1. Cor. 11. 1. Petri 2. Quod verbum Dei citharæ comparatur & de diuersis cordis citharæ. Ezech. 1. Exod. 25. De quatuor cordarum varietatibus. Gene. 2.*

triumphãte, vbi ex loco voluptatis, ſcilicet, patre & filio, egreditur fons ſpirituſſancti, qui vniuerſam Eccleſiã illá quatuor irrigat fluminibus, quę ſunt cognitio Dei, & dilectio, & fruitio, & gratiarũ actio: hæc quarta corda altius ſonat prædictis. Omnes autẽ cõcordant & cõueniunt in vnam melodiã, qua diabolus ab his quos vexat, frequẽter effugatur. Dominus autẽ hac cõſonantia delectatur. Vnde in Canticis dicit prædicatori: Oſtende mihi faciẽ tuã, ſonet vox tua in auribus meis. Prius enim debet prædicator oſtẽdere faciẽ Deo, vt Deus agnoſcat, & approbet eum benè operando, poſteà debet pulſare citharã prædicãdo. Quidã autem libẽter audiũt verbum Dei, ſed cõculcant illud malè viuẽdo, ſicut aſinus ad lyrã, qui poſtquã citharã libẽter audierit, pedibus eam cõculcat. Orate igitur Deũ, vt hodie, mediante cithara verbi Dei, ſi quis à diabolo tentatur & vexatur, per miſericordiã Dei liberetur. Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, &c. Hodiernæ diei ſolemnitas valde dulcis eſt animæ diligenti Deum. Memoria eius ſuper mel & fauum. In qua recolitur quomodo Chriſtus, ſtella duce, vocauit primitias Gentium. Quomodo populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnã: quomodo Gentilitas primùm ſterilis, peperit plurimos, & quę multos habebat filios, ſcilicet, ſynagoga, infirmata eſt, ſicut ipſe prædixerat per os Dauid: Populus quẽ nõ cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, ſcilicet, Iudæi, qui dixerãt: Quæcunque præceperit nobis Dominus, faciemus. Iſaias autẽ dicit in perſona patris de Chriſto: Parũ eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitãdas tribus Iacob, & fęces Iſraël cõuertendas. Ecce dedi te in lucẽ Gentiũ, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremũ terræ. De hac luce prædixerat Balaam: Orietur ſtella ex Iacob. Vnde Magi iſti, qui inſpexerãt libros Balaam, & erãt diſcipuli eius, videntes ſtellã, nõ ſolũ propter cõiecturas doctrinæ Balaam, ſed diuinitus inſpirati, venerunt adorare Deũ, ſicut prædixerat Dominus per Iſaiã: Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtrutiones, id eſt, Gentiles. Et iterũ: Ponam deſertũ quaſi delitias, & ſolitudinẽ quaſi ortũ Domini. Gaudiũ & lætitia inuenietur in terra, gratiarũ actio, & vox laudis. Deſertũ erat Gentilitas derelicta à Domino, imò ipſa ſeipſam dereliquerat, ſterilis, ſicca, ſine humore gratiæ, feruore vitiorũ aduſta, herbis inutilibus plena. Sicubi fructus inueniebatur, ſilueſter erat & inſipidus, ſcilicet, ſine charitate & gratia. Plena ſerpentibus & malis beſtiis, id eſt, dęmonibus. Deſertũ etiã dicitur locus ab hoſtibus vaſtatus, dum bona quæ ipſi poſſunt aſportare, auferunt: & quæ non poſſunt tollere, ſubuertunt. Talis erat Gentilitas, cui diabolus bona gratuita abſtulerat, bona verò naturalia, ingenium & rationem ſubuerterat, vt ratio ſubiaceret ſenſualitati. Erat igitur ſpoliata gratuitis, & vulnerata à latronibus, quantum ad naturalia, ſicut homo qui deſcẽdebat à Hieruſalem in Iericho. Hoc deſertum cõuertit Dominus in delitias, ſicut dicit Iſaias: In cubilibus, in quibus habitabant leones, orietur viror calami & iunci. In iuncis vtentes calamo pro penna ſcribebant antiqui. Viror calami & iunci, id eſt, viror diuinæ ſcripturę, vt intelligatur ſpiritualiter. Deſertũ Gentilitatis cõuerſum eſt in delitias Domini, quia delitiæ eius eſſe cũ filiis hominũ, id eſt, cum iuſtis, rationabiliter viuentibus. Delitiæ Eccleſiæ ſunt, ſpendor illuminationis, ſuauitas deuotionis, feruor dilectionis, ſerenitas cõſcientiæ, exſpectatio præmij, pax pectoris, gaudiũ in ſpiritu ſancto, gratiarũ actio & vox laudis. Hodie igitur ad vnũ lapidem angularẽ, duo parietes ex Gentibus & Iudæis cõuenerunt, quemadmodũ Ozeas Propheta prædixerat: Congregabũtur, inquit, filij Iuda & filij Iſraël pariter, & ponẽt ſibimet caput vnũ, & aſcendẽt de terra, quia magnus dies Iezrahel. Filij Iuda fideles, de Iudęis venientes: Filij Iſraël multitudo Gentiũ, Deũ per fidẽ videntiũ, cõgregabũtur pariter, vt fiat vnũ ouile & vnus paſtor. Congregabũtur, quia bonum eſt & iucundũ habitare fratres in vnũ, nõ tam corpore quàm ſpiritu, nõ tam loco quàm fide & animo, quia vnus Deus, vna fides, vnũ baptiſma. Vnde Amos ait: Nunquid ambulabũt duo pariter niſi conuenerit eis? Non eſt enim cõuenientia vel recta concordia, niſi in vinculo ſpiritus ſancti. Ponent ſibimet caput vnum, id eſt, Chriſtum, qui dicitur caput Eccleſiæ, propter naturæ conformitatem, propter pereminentiam, & propter chariſmatum plenitudinem, ſicut plenitudo ſenſuum eſt in capite. Aſcendent de terra, de terrenis, ſcilicet, ſenſibus, & humilitate literæ occidentis, ad ſpiritualem intelligentiam. Aſcendent de terra, terrena deſerentes, & cœleſtibus inhiantes, aſcenſiones in corde ſuo diſponentes in hac valle lachrymarũ, & de virtute in virtutẽ aſcendentes. Quia magnus dies Iezrahel, id eſt, Chriſti. Nam Iezrahel ſemen Dei interpretatur. De quo ſemine Apoſtolus ait: Et ſemini tuo qui eſt Chriſtus. Et Iſaias: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Eſt igitur magnus dies Iezrahel, dies, ſcilicet, gratiæ, dies apparitionis ſtellæ, dies vocationis Gentium. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, dies ſolemnitatis & lætitię, quę nulla obliuione delebitur. In qua Dominus operi manuũ ſuarũ porrexit dexterã, & de profundis aquarũ filios Adã extraxit, extractos abluit, ablutos induit, indutos reportauit, reportatos confirmauit & corroborauit. Dexterã porrexit naſcendo, extraxit loquẽdo & docẽdo, abluit ſanguine ſuo moriẽdo. Induit reſurgẽdo, reportauit in cęlũ aſcẽdendo. Confirmauit ſpiritũ ſanctũ in die Pentecoſtes mittẽdo. Reuerſa eſt igitur Agar ad dominã ſuã, Dina ad matrẽ, filius prodigus ad patrẽ, ouis quæ perierat ad caulã, manus leproſa ad ſinũ, virga Moyſi ad manũ, ferrũ ſecuris quod in aquis merſum fuerat, ad manubriũ. De tanta igitur ſolẽnitate, & de magnis ac nouis rebus locuturus, Euãgeliſta natiuitatẽ & nomẽ nati Regis oſtẽdit, dicẽs: Cùm natus eſſet Ieſus. Locũ etiã, in Bethleem Iudę. Et tẽpus, In diebus, ſcilicet, Herodis Regis. Oſtendit prętera, qui & vnde venerũt Magi, ſcilicet, ab Oriẽte. Quò

*Cant. 2.*
*Matth. 2.*
*Eccle. 24.*
*Iſaiæ 9.*
*1. Regum 2.*
*Exod. 19.*
*Iſaiæ 49.*
*Num. 24.*
*Iſaiæ 43.*
*Quod gentilitas comparatur deſerto.*
*Luc. 10.*
*Iſaiæ 35.*
*Parab. 9.*
*De delitiis eccleſiæ.*
*Iſaiæ 51.*
*Item 8.*
*Ephe. 2.*
*Oſee 1.*
*Ioan. 10.*
*Ephe. 4.*
*Amos 3.*
*Quare Chriſtus dicatur caput eccleſiæ.*
*Gala. 3.*
*Iſaiæ 1.*
*Heſter 11.*
*Iob 14.*
*Quanta nobis fecerit Dominus.*
*Actuum 2.*
*Gene 16.*
*Item 33.*
*Luc. 15.*
*Matth. 18.*
*Exod. 3.*
*4. Reg. 6.*
*Expoſitio literæ.*
*Matth. 2.*

Quò venerunt, scilicet, Hierosolymam: & inde transierunt vsque Bethleem. Per quam viam venerunt, scilicet, per Herodem. Quo duce venerunt, scilicet, stella præbente iter. Ad quid venerunt, scilicet, vt nouum Regem adorarent. Quid obtulerunt, scilicet, aurum, thus, & myrrham. Quà redierunt, scilicet, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Spiritualiter, siquidem Iesus, id est, Saluator, per gratiam nascitur in cordibus fidelium, & in Ecclesia, quæ domus est veri panis, qui de cœlo descēdit. Bethleem enim domus panis interpretatur, quæ etiam dicta est Effrata, id est, frugifera, vel speculum, vel furorem videns. Frugifera est Ecclesia, quæ colit agrum vitæ, & cœleste pabulum nobis ministrat. Speculum est præsens Ecclesia, in qua gloriam Dei in speculo & in ænigmate speculamur. Dicitur etiam furorem videns, eò quòd insaniam Herodis præmonstrauit. Dominus autem in modica ciuitate nasci voluit, & in modica nutriri, vt nobis exemplum daret humilitatis: vera enim humilitas latere potius appetit, quàm apparere. In magna autē & populosa ciuitate, corā multis in die festo, mortis opprobriū sustinuit, quia mundi gloriam non quæsiuit. Nascitur igitur in Bethleem Iudæ infirmitas, in Chaldæa autem apparet & adoratur maiestas. Apud Iudæos vagiebat, sed apud Chaldæos iam regnabat. Non solum autem locum, sed & tempus determinat, dicens: In diebus Herodis Regis. Hic Herodes alienigena erat, ex patre Idumęo & ex matre Philistęa. Et idcirco de ipso mentionem facit, vt intelligatur impleta esse prophetia, quam prædixit Iacob Patriarcha: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Siquidem vsque ad tempora Herodis fuerunt Reges vel Duces de Iuda: Christo autem nato, iam non erant, sed regnabat Herodes alienigena. Venerunt autem Magi, non post annum, quia tunc non inuenissent eum in Bethleem, sed in Ægypto, sed die tertiodecimo post eius natiuitatem. Eodem etiam die anno trigesimo, baptizatus est Dominus. Et similiter eodem die anno trigesimoprimo vocatus ad nuptias, aquam in vinum conuertit. Vnde de his tribus solemnitatibus hodie exultat Ecclesia, principaliter tamen de aduentu Magorum, & vocatione Gentium. Dum autem fidem sanctæ Trinitatis tenemus, & Decalogi mandata adimplemus, quasi tredecim diebus ad Hierusalē venimus, quem non nisi in Bethleem, id est, in Ecclesia, reperire valemus. Nunc autem videamus qui venerūt, & vnde venerunt, vtique Magi non malefici, sed Philosophi, non à malitia, vel magica arte, sed à magnitudine scientiæ sic vocati, naturali Philosophia edocti, diuina gratia inspirati, stella noua excitati. Quos autē Græci Philosophos per se, & Chaldęi Magos appellant. Fuerunt autem, vt dicitur, de genere Balaam, & successores doctrinæ eius. In his fides Gentiū & primitiæ Deo consecrantur: non solùm enim propter coniecturas doctrinæ Balaam, sed diuinitus inspirati venerunt adorare Dominum. Tenet autem Ecclesia quod fuerunt tres: vnde & eorum tria corpora in ciuitate Coloniæ hodie ostenduntur. Probabile autem est, quod in comitatu suo multos secum adduxerunt. Potentes enim fuerunt & Reges, vt dicitur: vnde & de his longè antè prædixerat Dauid: Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et Isaias ait: Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore oris tui. De his tamen Magis fit mentio, & non de aliis qui cum eis venerunt, propter mysterij declarationem. Per eos enim Gentes, quæ ex tribus filiis Noë natæ sunt, & ex tribus mundi partibus, ad fidem venturæ præfigurantur, à quibus Trinitas fuerat adoranda, & recepturæ erāt fidem Trinitatis. Tres insuper qui virtutē fidei, spei & charitatis, moribus ostendunt, qui etiam spiritualiter Reges dicuntur. Iuxta illud Petri Apostoli: Vos estis genus electum regale sacerdotium. Dominus enim de stercore peccatorum erexit pauperem, scilicet, populum Gentilem, vt sedeat cum Principibus, & soliū gloriæ teneat. Reges autē spirituales dicūtur sancti, qui se & alios benè regunt, quorū quidam regnū cœlorū acquirunt rapiendo, alij furādo, alij negociādo. Rapiunt violenti, furantur contemplatiui, mercantur benefici: verè autem Reges sunt, qui cor suum ita muniunt, vt nec peccent in actu, nec delinquāt in affectu, qui corpus suū freno moderantiæ regunt. Sicut enim equis imponuntur frena, ita parcitatis & ieiunij freno cōstringenda sunt corpora nostra, ne si frenum nimis relaxemus, cum his in præcipitium feramur. Oportet igitur vt homo sit peritus auriga corpori suo, vt recto tramite valeat pergere, nō declinādo ad dexterā vel ad sinistram. Omnes igitur Reges sunt, qui Deo seruiunt, cui seruire regnare est. Et præcipuè Prælati Reges dicuntur animarū. Sicut scriptū est: Dum discernit cœlestis Reges super eam, id est, super Ecclesiā. Et iterū: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, id est, qui alios regitis, & in vobis terrenitatem siue sensualitatem cum iudicio cōprimitis. Sunt igitur Reges spirituales, & se & alios, ne exorbitent, media & regia via deducentes. Sicut enim ex elatione vel depressione planetarum, contingit inæqualitas in inferioribus, ita ex eleuatione vel pusillanimitate Prælatorum, accidit exorbitatio subditorū. Nunc autē vnde venerunt Reges siue Magi, videamus. Venerunt ab Oriēte, vt testatur Euangelista. Sed quomodo à tam remotis partibus tredecim diebus venire potuerunt? Dicunt quidam quod ab vltimis & remotis Persæ finibus super dromedarios cursores venire potuerunt, quod tamen aliquibus non videtur. Nam & si huiusmodi dromedarij veloces sunt, tamen tantum spatium tam paruo tempore transire nequierunt, nisi dicatur quod miraculosè Deus longam viam abbreuiauit, sicut filiis Israël, peccatis suis exigentibus, viam breuem ab Ægypto in terram promissionis quadraginta annis prolongauit. Competentius igitur sentiendū est quod à Chaldæa venerunt,

*De nomine Bethleem. Ioan. 6. 1. Cor. 13.*

*De tempore aduentus Magorum. Matth. 2. Gene. 49.*

*De Magis.*

*Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3. Ioan. 1. Ioan. 2.*

*De trinario Magorum.*

*1. Petri 2. 1. Regum 2.*

*De Regibus.*

*Quibus modis obtinetur regnum cælorum. Simile.*

*Pro. 4.*

*Vnde Magi venerunt.*

iuxta quam est Arabia, nec multum distat à Iudæa. Et quia Persarum terra vsq; ad Chaldæam protenditur, à finibus citerioribus Persarum venisse dicuntur, vbi est Saba fluuius, à quo & regio nominatur. Sicut scriptum est: Omnes de Saba venient, aurũ & thus deferentes. Terra autem Ammonitarũ, in qua habitat Balaam, nõ multũ distat à Hierusalẽ, & est sita à parte Orientali. Vnde & si dicatur, quòd ab illa terra venerint, nihilominus verũ est quod Euangelista ait, scilicet, ipsos venisse ab Oriente, id est, ab Orientali regione respectu Hierusalẽ. Sed nunc quæstiones literæ transeuntes, ad sensum spiritualẽ accedamus. Ab Oriente enim ad verũ Orientem peruenerũt. Nemo venit ad Orientẽ nisi ab Oriente, quia nemo venit ad Christũ, nisi ab ipso & per ipsum. Vnde de se ipse ait: Ego sum via, veritas, & vita. Via, ne erretis: veritas, ne decipiamini: vita, ne moriamini. Venerũt autẽ Hierosolymã, vt ibi de Rege nato inquireret, quia Metropolis erat Iudææ, & ibi habitabãt Scribę, scilicet, & Pharisęi & Sacerdotes. Primò autẽ Melchisedech in ea habitauit, qui etiã dictus est Salem, & nomine suo vocauit ciuitatẽ Salem. Deinde Iebusæi habitãtes in ea, vocauerunt eam Iebus. Postmodũ ex his duobus nominibus dicta est Ierusalẽ, quasi Iebusalẽ, b mutata in r. Post hęc verò Salomõ à nomine suo vocauit eam Ierosolymã, quasi Ierusalomiã. Deinde Helius Adrianus, quia eam post destructionẽ à Romanis factã, restaurauit, nomine suo Heliam appellauit. In hac igitur ciuitate Magi venientes, dixerunt: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Verum hominem ostendunt, dum dicunt: Vbi est qui natus est. Verum Regem, cùm dicunt: Rex Iudæorum. Verum Deum, cùm subiungunt: Venimus adorare eum. Venerũt autem per Herodem, qui alienigena erat, & per potentiam Romanorũ regnũ iniustè possidebat: vnde audiés quòd natus erat cui regnũ Iudæorũ Deus repromiserat, turbatus est, metuens ne ipse amitteret regnum, timens insuper iram Romanorum si Rex nouus susciperetur, qui decreuerant, ne quis Rex vel Deus sine eorum consilio vel authoritate diceretur. Turbatus est igitur Herodes & omnis Hierosolyma cum illo. A parte totum. Maior enim pars Iudæorũ, tum propter Romanorũ timorem, tum propter Regis turbationẽ, vt ei placerent, & cõformarentur illi, turbata est audiens nouum Regẽ natũ: vel omnes, tam boni quàm mali turbati sunt. Mali, quia malè sibi conscij erant, vnde Regis iustitiæ aduentũ timebãt. Sicut scriptum est: Dominũ formidabunt aduersarij eius. Boni verò & simplices populi, propter admirationẽ & nouitatẽ facti, cõturbati sunt, id est, cõmoti. Nato Rege cœli, Rex terræ turbatus est. Quia teste B. Gregorio: Terrena altitudo cõfunditur, cùm cœlestis altitudo aperitur. Finxit autẽ Herodes vultu & verbis se illum adorare velle, quem tamen inuida mente cogitabat occidere. Deuotionẽ promittit, sed gladium exacuit, malitiã mentis depingens colore humilitatis. Cuius personam repræsentant hypocritæ, qui dum fictè Deum quærunt, nunquam mœrentur inuenire. Renuntiate, inquit, mihi, vt ego veniens adorem eum. Ecce carduus aculeos malitiæ suæ tegit, lanugine blandi sermonis. Herodes autem qui interpretatur pellitius, diabolum significat, qui primos parentes stola immortalitatis exuit, & vestibus pelliceis eos indui fecit. Diabolus siquidem quærentibus Dominum se opponit, aliquando blanditiis Christi seruos occultè seducere tentans, aliquando apertè sæuiens. Iudæi autem testimonio Prophetæ, Christum indicauerunt, quem ipsi non inuenerunt, nec quærere voluerunt, sicut lapides miliarij viam ostendunt, & ipsi in via non procedunt. Sicut hi qui arcam Noë fabricauerunt aliis præstiterunt vt euaderent, & ipsi diluuio perierunt. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam: Filiis sceleratis, Genti peccatrici in Ægypto, Populo graui iniquitate in deserto, Semini nequam in terra promissionis, Filiis sceleratis, tam in ortu quàm in morte Saluatoris. Studium autem Magorum, negligentiam condemnat Iudæorum: nam illi venerunt ex longinquo, isti remanserunt ex vicino. Illi Regem alienum quæsierunt, isti Regem proprium reliquerunt & contempserunt. Locum autem natiuitatis exprimunt, vt eorum scientia nobis fieret in adiutorium fidei, illis autem in testimonium damnationis, qui recipere noluerũt, quem ex scripturis cognouerunt. Magi autem dum humanum quærunt auxiliũ, diuino auxilio deseruntur; dum diuertunt ad Herodem & Iudæos, stellam amittunt. Quia dum à malis consilium quærunt, veram illuminationem perdunt. Stella enim bonam exhortationem & illuminationem fidei, quæ ad Christum ducunt, significat. Quam merito perdit qui ad Herodem, id est, diabolũ, diuertit. Dum autem ab Herode recesserunt, Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Existentes in Oriente viderunt stellam super Iudæã, vt adimpleretur quod longè antè prædixerat Isaias: Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Et Balaam similiter dixerat: Orietur stella ex Iacob. Noua stella, noui Regis ortum designat. Hæc enim stella Dominicæ natiuitatis nuntia, nunquã prius apparuerat, sed eam de nouo puer creauit, & magis præuiam deputauit. Quæ mox peracto officio, vt dicunt, esse desiit: sicut columba illa, quæ super Christum apparuit in baptismo. Et quoniam talis homo natus est, qualis nec anteà nec posteà fuit, ideò talis stella apparere debuit, qualis nec anteà nec posteà apparuit, vt ab aliis stellis facilè discerni potuit. Erat enim tanquam flamma chorusçans & scintillans, non fixa in firmamento, sed in aëre mouebatur, præcedens eos donec staret supra domum vbi erat puer. Lux autem Solis eam non obumbrabat in die, sicut alias stellas, sed de die apparebat. Pastoribus tanquam rationabilibus locutus est Angelus. Magis verò per quos Gentes irrationabiles intelliguntur, per creaturam non rationabilem loquitur. Vtrisque tamen loquitur lingua cœlorum, quia iam cessabat lingua Prophetarũ. Stella stellam ostendebat.

*Isaiæ 60.*

*De oriente. Ioan. 13.*

*De via, veritate & vita.*

*Matth. 2.*

*De turbatione Herodis & eius fraude.*

*1. Regum 2.*

*Gregorius.*

*Genes. 2.*

*Item 6. Simile. Isaiæ 1.*

*De amissione stellæ.*

*Isaiæ 60. Num. 24.*

*De stella & quid per eam significetur. Matth. 3. Marc. 1.*

*Matth. 2. Luc. 2.*

Stella

Stella enim gratiam vel ipsum Christum significat, quem sequi & imitari debemus, qui nisi in cordibus oriatur, Rex Iudæorum in Oriente non quæritur. Stella etiam cum luce, fides est cum exemplo & bono opere. Videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè. Quandoq; ad tempus gratia subtrahitur, vt recuperata cum maiori gaudio suscipiatur, & cum maiori cautela seruetur. Apertis autem thesauris suis, obtulerunt puero munera. Scriptum est enim: Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus. Consuetudo autem fuit antiquorum, & maximè Persarum & Caldæorum, vt dicitur, semper cum muneribus adorare. Aperuerunt thesauros suos corã Christo, non in via, neque corã Herode. In quo nobis exemplũ reliquerunt, quod bona nostra non sunt incautè publicãda. Spoliari enim desiderat, qui thesauros suos in via apertè portat, & qui latronibus diuitias suas exponit & ostẽtat. Vnde reprehẽsus est Ezechias, qui thesauros domus Domini Babylonis ostendit. Non igitur aperiamus thesauros nostros in via, non exteriorum phantasmatum turbæ tranquillitatẽ turbent conscientiæ, sed soli Deo ex arcano cordis offeramus, si quid boni in nobis habemus, vt ei gratias referamus. Claudendi enim sunt thesauri bonorum operum, vt iactantiã vitemus: & aliquando aperiendi pro Christo & coram Christo, vt bonũ exemplum præbeamus. Vnde Salomõ ait: Deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide. Ecce apertio thesaurorũ ad vtilitatẽ proximorum habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Ecce thesaurorũ occultatio cõtra insidias inimicorũ. Vnde in lib. Regum dicitur, quod fenestræ templi exterius erant angustæ, interius latæ, vt reciperent lumen, & excluderẽt furem. Lumen spirituſsancti gratia, fur inanis gloriæ, quę furtiuè subrepit, quãdo homo incautè thesaurũ aperit. Neophitis autẽ & de nouo cõuersis expedit, vt opera sua cum omni diligentia occultent, donec igne spiritus sancti plenius fuerint solidata. Sicut enim farina, quæ in ventum portatur, à vento dispergitur: si verò calore ignis inde panis confectus fuerit, flatum ventorum non metuit: ita virtutes, nisi corroboratæ fuerint vento humani fauoris, citò exsufflantur. Triticum non rapit ventus, nec arborem alta radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur: Inualidæ arbores turbinis impulsu euertuntur: Flos expansus & Soli expositus citò decidit & arescit. Et bonum incautè publicatum, citò perit. Vnde Dauid ait: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Laborat & non manducat, qui pro vana gloria laborat. Et beatus Gregorius ait: Prius enim conualescere debet mens, atque ad vtilitatem proximorum postmodum demonstrari, cùm iam nec per laudem eleuata corruit, nec vituperatione percussa contabescit. Quousque enim infirmi sumus, occultare nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus. Quia & arbusta plantata, si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt. At si semel radicem fixerint, manus tangit, & tamen nihil officit, venti impellunt, non tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impellantur, euertuntur, nisi prius à suo humore fuerint exsiccati. Mens itaque quousque ab humore prauitatis suæ perfectè fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne impulsa corruat, & per iactantiam bona nondum radicata, amittat.

Apertis itaq; thesauris suis, non in via, sed corã Domino, obtulerunt Magi munera Christo, aurum, thus, & myrrhã. Mysticis muneribus Magi diuinitus inspirati, fidẽ suã ostenderunt. Vnde licèt nõ exprimatur in Euangelio, vtrũ à quolibet vnũ, vel à quolibet tria oblata fuerint, magis tamen mysterio cõpetit, quod singuli omnia, & non singuli singula obtulerunt. Vnusquisque enim tribus muneribus oblatis, fidem suã plenè ostendit. Aurũ enim ad regale tributum, thus ad diuinum sacrificium, myrrha ad sepulturã pertinet mortuorum. Per hæc igitur tria, in Christo designatur regia potestas, diuina maiestas, humana mortalitas. Auro enim Regem, thure Deum & Sacerdotem, hominem mortalem myrrha significant. In thure igitur & myrrha, duplex in Christo designatur natura, simul in vnum diues & pauper, velut electrum auro diuinitatis & argẽto humanitatis cõpactum. In auro autẽ regia potestas ostenditur, quæ ad vtramq; pertinet naturam. Quidam autem offerunt myrrhã sine thure, sicut Arrius, qui Christum asserunt esse puram creaturam, & Iudæi qui dicebant ipsum esse filium fabri. Contra quos ipse ait: Antequam Abraham fieret, ego sum. Hi sunt qui ossa Regis Idumæi redigunt in cinerem. Cùm tamen in lege scriptum sit: Non accipies nomen Dei tui in vanum. Omnis enim pura creatura cinis est, & vanitati subiecta. Ossa Regis Idumæi fortitudo quam habuit Christus ex diuinitate coniuncta humanitati. Dauid autem dicit: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Quod facit, qui propter paupertatem humanitatis in Christo, intelligit diuinitatis virtutem. Ignis enim non consumpsit rubum. Ignis diuinitatis non consumpsit rubum humanitatis, sed simul in Christo fuerunt diuinitas & humanitas. Alij offerunt thus sine myrrha, sicut Manichæus, qui dicit Christum non verè passum, nec verè mortuum, nec verè assumpsisse humanitatem. Contra huiusmodi hæreticos Dominus per Moysen ait: Non considerès personã pauperis, nec honores vultum potentis. Nimis honorat vultum potentis, qui Christum purum Deum fuisse asserit. Ipse enim fuit infirmus & omnipotens, paruus & immensus, temporalis & æternus, localis & incircumscriptus, passibilis & incommutabilis, homo & Deus, infans & verbum, pauper & diues, innocens & in similitudinem carnis peccati apparens, candidus & rubicundus. Candidus, quia candor est lucis æternæ. Rubicundus, quia sua cruentatus passione. In thure igitur confunditur Arrius, qui soli Patri sacrificandum dicit. In myrrha Manichæus, qui Christum mortuum non credit. In auro vterque, quia Manichæus

*Matth. 2.*
*Exod. 23. De apertione thesaurorum & quod bona nostra non sunt incautè publicanda. Isaiæ 39. Parab. 4.*
*3. Regum 6.*
*Simile.*
*Simile.*
*Gregorius.*
*De mysticis muneribus.*
*Ezech. 1.*
*Quod vnum ex tribus muneribus sine aliis non est offerendum. Matth. 13. Mar. 6. Ioan. 5. Amos 1. Exod. 20. Rom. 8. Exod. 2.*
*Leui. 19.*
*Roma. 8. Eccle. 5. Sap. 8.*

de semine Dauid Regem natum non credit, & Arrius solam ei seruitutem ascribit. Per numerum etiam ternarium, tres in Christo substantiæ designatur. Diuinitas, scilicet, & corpus atque anima. Per Trinitatem verò offerentium, tres ordines fidelium in Ecclesia designantur, Noë, Daniël, & Iob, id est, Prælati, continentes & coniugati. Hi omnes trino Deo tria munera offerunt, aurum, thus, & myrrhã. Debemus autẽ & nos quadruplex aurum, siue quatuor auri species, Regi nostro offerre. Princeps enim prouinciarum, id est, Ecclesia, liberata est à tributo diaboli, & facta est tributaria Regis summi. Primum aurum dicitur prudentia, seu morum disciplina, qua homo vitam suam nouit componere, ordinare, & regere. Qua etiam seipsum agnoscit, & propriam attendit miseriam. Vnde Moyses dicit in Genesi, quod in terra Heuilath, id est, lugentium, inuenitur aurum optimum. Quantò enim maiorem habemus de nobis cognitionem, tantò magis compungimur & dolemus. Qui autem addit hanc scientiam, addit & dolorem. Vnde Ezechël: Postquam deuorauit volumen, abiit amarus indignatione spiritus sui. Qui enim ex volumine sacræ scripturæ suam cognoscit miseriam, amaritudinem habet, & de prauis actibus indignationem. Hoc est aurum pretiosum. Melius est enim scire infirmitatem suam, quàm naturas rerum. Hæc est sapientia, quæ non inuenitur in terra suauiter viuentium, sed id terra Heuilath, id est, lugentium peccata sua, inuenitur istud aurum. Inuenitur etiam in terra parturientium. Nam Heuilath, parturiens interpretatur. Dolor autem parturientis grauis est, breuis & fructuosus. Tales sunt tribulationes iustorum. Huius autem sapientiæ initium, est timor Domini. Qui enim puniri timet, hic profectò de commissis dolet. De hac autem sapientia dicitur in Iob: Non inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus, dicit, non est in me, & loquitur, mare non est mecum. Qui enim suauiter viuunt, curam carnis perficientes in desideriis, hac sapientia carent. Nam si verè saperent, in hoc exilio potius lugerent. Per abyssum, cor auari intelligitur fluidum, tenebrosum, & profundum, quod impleri non potest, quia aurus non implebitur pecunia. Hi igitur qui mundo sapientes sunt, & non nisi terrena sapiunt, stultos se apud Deum ostendunt. Per mare, superbi, & elati, & inflati, intelliguntur, variis perturbationibus fluctuantes, in quibus non est sapientia Dei, quæ quærit vtilia: sed magis sapientia diaboli, quæ quærit iniqua. Sapientia autem mundi quærit quæ vana sunt: Sapientia carnis suauia. In sapientia enim carnis, est voluptas: In sapientia mundi, vanitas: In sapientia diaboli, inquitas: In sapientia Dei, charitas & vtilitas. Malum igitur & reprobum aurum, est sapientia carnis, mundi, & diaboli. De quo Ezechiël ait: Argentum eorum foras proiicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum autem appellat eloquentiam secularium, & maximè hæreticorum. De quo argento Ozee dicit: Argentum eorum vrtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum. Vrtica ardor gehennæ. Lappa perpetuitas pœnæ. De hoc triplici auro reprobo, quod in thesauris luxuriæ, auaritiæ, & superbiæ, reponitur, ait Dominus in Euangelio: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt & furantur. Per æruginem quæ metalla consumit, & obfuscat, auaritia intelligitur. Vnde Ieremias ait: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Tinea verò carnis, est luxuria: Fur autem dicitur inanis gloria, quæ latenter subintrat: vel fures ipsi dæmones, qui latenter penetrant corda hominum, qui producunt ventos elationis & turbinis, & scientiæ secularis. De prædictis thesauris, de auro siquidem sapientiæ secularis, fabricat diabolus sibi idola, id est, vana & inutilia studia in cordibus reproborum, quod tamen possent expendere in fabricam tabernaculi & ad commodum Ecclesiæ Dei, aurum scientiæ suæ conuertere. De his Salomon ait: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Quia per sapientiam suam non nisi temporalia quærunt, & in infimis demerguntur. Offeramus igitur Domino aurum optimum de terra Heuilath, aperientes ei thesaurum cordis per contritionem, thesaurum oris per confessionem, thesaurum operis per satisfactionem. De thesauro cordis offeramus ei aurum compunctionis. De thesauro oris offeramus ei thus confessionis. De thesauro operis offeramus ei myrrhã satisfactionis. Offeramus ei non solùm aurum prudentiæ & scientiæ moralis, sed insuper aurum feruentis charitatis, quæ pretiosior est omnibus virtutibus, sicut aurum metallis omnibus. Sicut enim mensa vilis est sine pane, ita nulla prodest virtus sine charitate. Si enim habuerit homo fidem, ita quod montes transferat, & si tradiderit corpus suum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuerit, nihil ei prodest. Charitas autem ad omnia valet, & omnia bona animæ informat & illuminat, sicut ex auro diuersa vasorum genera cum variis celaturis fieri possunt, quod quantò magis percutitur, tantò amplius dilatatur & extenditur. Ita charitas in tribulationibus crescit & augmentatur, sicut scriptum est: In tribulatione dilatasti mihi. Vnde beatus Iob ait: Auro locus est in quo conflatur. Sancta, scilicet, Ecclesia, extra quam, qui patitur, non probatur vel purgatur. Vel fornax tribulationis locus est auro, in qua charitas sanctorum conflatur & examinatur, vt fiant Sancti vasa electionis & Martyres Christi. Vnde idem ait: Glebæ illius, id est, terræ sanctæ sunt aurum. Sancti enim glebarum more, humore gratiæ coadunati & conglobati in vnum glebæ aureæ, propter charitatem appellantur. Et Psalmus de columba argentea, id est, de anima sancta, vel de Ecclesia, ait: Posteriora dorsi eius in pallore auri. Quia post tribulationes, quas in hac vita pro Christo sustinent sancti, dum supra dorsum eorum fabricant

*Ezech.14.* *De multiplici auro.* *Treno.1.* *De primo auro.* *Gene.2.* *Eccle.1.* *Ezech.2.* *Iob 28.* *Eccle.1.* *Iob 28.* *Rema.13.* *Eccle.3.* *Phil.3.* *1.Cor.3.* *Iaco.3.* *De malo auro.* *Ezech.7.* *Osee.8.* *Matth.6.* *Treno.4.* *Parab.11.* *Simile.* *1.Cor.13.* *Simile.* *Iob 28.* *Item 23.*

bricant peccatores, splendebunt in gloria in pallore auri fului, id est, in fulgore charitatis. Hoc igitur aurum venit ab Aquilone, id est, agentibus postquam conuersæ sunt ad Dominum. *Iob 28.*

Vnde Isaias: Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, id est, de captiuitate diaboli. Saba enim captiuitas interpretatur. Dominus enim de Basan, id est, ex confusione conuertit eos, qui erant in profundum maris. Et Dauid de Christo ait: Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ. Arabia humilis vel campestris interpretatur. Gentes enim ad Deum conuersæ, humiles corde & planè æquitate aurum charitatis, Domino obtulerunt: quemadmodum prædicti Magi, depositio fastu regio, cum muneribus inclinatur ad pedes Virginis pauperculæ & paruuli vagientis, succincti ad mamillas seu ad pectus, zona aurea charitatis. Tertium auri frustū quod offerre debemus, est aurum diuinæ sapientiæ, quæ inter dona spiritualia pretiosissima est, sicut aurum inter metalla. Auro enim non solùm charitas propter rubeum colorem, sed insuper sapientia cœlestis propter splendorem designatur. Vnde in Canticis dicitur: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argēto, id est, scientias scripturarū, auro sapientiæ & argento cœlestis eloquij splendentes. Murenulæ dicūtur ornamēta auriū, per quas intelligūtur sententię scripturarum. Et iterū de sponso: Caput eius aurū optimū, id est, Christus, qui caput est Ecclesiæ. Aurū bonū, est sapientia sanctorū: Aurū melius, sapientia Angelorū: Aurū optimū, sapientia patris, scilicet, filius Dei. Et in throno Salomonis reclinatoriū aureū fuit, id est, splēdida cōtemplatio sanctorū, quæ est superior pars cœlestis sapiētię. De thesauro igitur cordis nostri offeramus Domino noua & vetera, id est, vtriusq; testamēti sapientiā diuinā, gustando cœleste gaudiū per contemplationē. Iuxta illud: Reges Tharsis & Insulæ munera offerēt: Reges Arabū & Saba dona adducent. Tharsis enim exploratio gaudij interpretatur. Reges igitur Tharsis, id est, exploratores veri gaudij, seipsos munera Deo offerūt: hi sunt exploratores terrę promissionis. De his autē qui gaudiū huius mundi & terrenā felicitatē insequuntur & explorāt, dicitur in Psal. In spiritu vehemēti cōteres naues Tharsis. Insulę etiā munera offerūt, qui, scilicet, mūdi vitia circunfluētia à se excludūt. Hi sunt de quibus B. Iob ait: Dabit pro terra silicē, & pro silice torrētes aureos, quia Deus pro infirma & terrena actione, fortitudinē robusti operis Gentibus tribuit, & pro robusto opere sapientiā redundantē, & copiosam doctrinā sanctæ prædicationis. De hoc auro sapiētię dicitur à Salomone in alia translatione: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autē glutit illū. Non enim multū curāt fatui de auro huiusmodi, quod obtulerūt filij Israēl ad ædificationē tabernaculi. Vnde in Eccles. dicitur: Sicut domus exterminij dissipata est, & perforata: ita cor fatui ventis cōturbatur, & velut in vase confracto nullum bonum in corde ipsius retinetur. Hoc autem aurum facilè est reperire quærentibus, nec est qui de ignorantia possit se excusare. Transitus enim temporaliū & velox fuga mundanorū, docēt nos nō multum debere appeti, quod tam citò oportet amitti. Vnde in Parabolis Salomō ait: Nunquid non sapientia clamitat, & prudētia dat vocē suam? Offeramus igitur Domino aurū purū sine admixtione vitiorū, alioquin nō placet Domino oblatio nostra, sed aurū nostrū in cōspectu eius fit reprobum. De quo B. Iob ait: Aurum quasi lutum sternet. Aurum, vt ait B. Gregorius, quasi lutum sternitur, in multis namque latet superbia, sed castitas innotescit. Alius eleēmosynis vacat, & propria distribuit, sed tamen luxuriæ, multisque immunditiis seruit. Alius patientiæ studet, sed inuidere aliis, & seruare malitiam in corde non cauet. Rectè ergo de talibus dicitur: Aurum quasi lutum sternit, quia occultis peccatis exigentibus etiā virtus quæ publicè claruerat, & ante Deum nulla reputatur, & ante homines plerunque dissipatur. Ostensa diu castitas, circa finem vitæ perditur, quia cooperata superbia vsque ad finem incorrepta retinetur. Offeramus præterea Domino quartum auri talentum morum grauitatem, & in sancto proposito constantiam, vt simus firmi in bono, & non rapiamur qualibet aura tentationis. Sicut enim auro significatur charitas propter colorem, & sapientia propter splendorem, ita grauitas & constantia sanctorum, propter auri pondus & soliditatem. Vnde B. Iob ait: Qui facit ventis pondus. Quod fit dū animas electorū Dominus maturitate graues reddit. Non igitur simus leues & incōstantes, sicut stipula quæ vento rapitur, sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Variabiles enim & incōstantes homines stipulæ cōparantur, quæ leuis est, vacua, arida, & sonora, fructum fert, sed nō sibi, nam fructu sublato, exponitur incēdio. Palea enim nō reponetur cum grano in horreo regni cœlorū. Canes enim nō intrabūt in ciuitatem quam vidit Ioannes in Apocalypsi. Canes, scilicet, ad vomitum reuertentes, qui non sunt constantes in proposito, nec perseuerantes in bono. Hi enim tanquam pluma & vesicula auium in infernum proiicientur. Sicut enim pila rotunda & volubilis in decliuum descendit, ita huiusmodi homines reprobi per abrupta vitiorum, quasi per decliuum labuntur in infernum. Sicut autem aperto cordis thesauro prædicta quatuor auri talenta Domino offeruntur, ita ex thesauro oris, thus deuotæ orationis offerre debemus in thuribulo cordis nostri, quod superius debet esse apertum, respiciendo cœlestia, inferius verò clausum, abiiciendo terrena. Sicut autem thus sine igne fumi virgula, vel odoris suauitatem ex se non emittit, ita oratio sine charitate, in conspectu Domini non ascendit. Si autem fiat oratio causa cupiditatis, vel vanæ gloriæ, thus nostrum igne gehennali succensum fumum tetrum & fœtidum emittit, qui non ascendit superius ad Dominum, sed descendit inferius in abyssum. De huiusmodi oratione Dominus per Isaiam ait: Incensum abominatio est mihi. Offeramus igitur thus lucidissimum Domino, vt ascen-

*Isaiæ 60.*

*Apoc. 3.*

*Cantic. 1.*

*Cant. 5.*

*3. Reg. 11. Cant. 3.*

*Matth. 13.*

*Iob 22.*

*Ex 70. Parab. 21. Exod. 35. Eccle. 21.*

*Parab. 8.*

*Iob 41. Gregorius.*

*De quarta specie auri.*

*Iob 29. Item 14. Item 21.*

*Matth. 3. Luce 3. Simile. Apoc. 22. 2. Petri 2. Simile. Leuit. 1. Isaiæ 22.*

*De oblatione thur. 1. Simile.*

*Cantic. 4.*

*Isaiæ 1.*

*Apoc.8. Cant.4.* vt ascendat oratio nostra sicut incensum in conspectu Domini, vt serpens venenosus & tortuosus, orationibus nostris ne nobis nocere valeat, incantetur. Adoleamus thus puræ orationis in ara cordis, vt sit odor vestimentorum nostrorum sicut odor thuris, vt corda nostra manibus leuemus ad Dominum, & orationes nostras bonorum operum vestimẽtis sociemus. Cor enim manibus ad dominũ leuat, qui orationes suas bonis operibus roborat. Vadã (inquit Dominus) ad montẽ myrrhæ & ad collẽ thuris, id est, ad illos, qui carnẽ suã macerãt, & orationibus vacãt.

*De septem granis thuris. Thessa.5.* Vt autẽ Dominum nobis placatum reddamus ex thesauro oris nostri, quasi septẽ grana thuris Domino offeramus. Primum granum Confessionis, vt humiliter peccata confiteamur. Secundum Orationis, vt Deum deuotè deprecemur. Tertium piæ consolationis, vt pusillanimes & mœrentes consolemur. Quartum Concilij, vt indigẽtibus cõsilio, secundũ quod Deus inspirauerit, libẽter cõsulamus. Quintum granũ quod valde placet Deo, vt discordes ad concordiã reuocemus.

*Matth.5.* Beati enim pacifici, id est, illi qui in se pacẽ habent, & inter alios pacẽ reformant. Sextum granum est sinceræ prædicationis, vt doceamus indoctos, exhortemur pigros, corripiamus negligentes, increpemus contumaces & rebelles, admoneamus deuotos & obedientes. Septimum granum est gratiarum actionis & laudis, vt in omnibus tam prosperis quàm aduersis, gratias agamus. Sicut scriptum est: Benedicã Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Non solùm autẽ thesauros cordis & oris, sed insuper thesaurũ boni operis Domino debemus aperire, vt & Domino offeramus quatuor myrrhæ species. Quarũ prima est mortificatio carnis, vt curã carnis nõ faciamus in desideriis, vt membra nostra mortificemus super terrã. Tunc enim myrrhã Domino offerimus, si carnis vitia per abstinentiã mortificamus. Per myrrham enim agitur ne caro mortua putrefiat. Mortuã verò carnẽ putrescere, est hoc mortale corpus fluxu luxurię deseruire. Sicut enim scarabęus in fimo volutatur, sic immũdus homo sterc*ore luxurię delectatur. Spurcus autẽ homo tanquã porcus, cœlum nõ respicit, quia obscęnis voluptatibus tanquã stercoribus delectatur, Deum non attendit, nec eius Maiestatem reueretur. Necesse est igitur offerre myrrhæ amaritudinem cõtra carnis voluptatem. Libido enim ferreas mentes domat. Sicut enim sanguis hircinus adamantem dissipat & rumpit, ita calor venereus corda fortia, quæ cæteræ passiones scindere non possunt, secat & resoluit. Qui enim innititur super parietem corporis, coluber, id est, diabolus eum mordebit. Offeramus igitur Domino myrrham, carnem mortificando per abstinentiam, vt quos saturitas de Paradiso expulit, reducat esuries. Myrrha autem amara est, fœtorem tollit, vermes perimit, corpora absq; corruptione & putredine custodit. Cuius arbor quinque cubitis in altum crescit. Ira & carnis mortificatio amaritudine sua fœtorem luxuriæ tollit à nobis. Vnde in Ecclesiastico: Malitia vnius horæ obliuionem facit, maximè luxuriæ. Myrrha vermes perimit, quos dulcedo carnalis emittit. Vnde Iob ait: Obliuiscetur eius misericordia, quia dulcedo illius, vermis, id est, misericordiam non consequetur, quia in verme & putredine, carnalis voluptatis delectatur. Myrrha verò perimit vermes luxuriæ, qui renes corrodunt: vermes auaritiæ, qui mentem lacerant, & pungunt vermes curiositatis & sollicitudinis, qui mentem suffocãt, & spiritum extinguunt: vermem gulæ, id est, gurguliones, qui palatum incitant, & ad illicita compellunt. Myrrha carnem mundam conseruat, & à corruptione & putredine custodit. Caro autem putrida, caro leprosa, caro coram Deo, & sanctis eius abominábilis & fœtida, est caro luxuriosa. Arbor myrrhæ quinque cubitis in altum crescendo erigitur. Et castas corporalis quinque sensibus corporeis obseruatur. Est autem quędam myrrha probata, quędam probatissima, quędam verò reproba. Vnde in Canticis: Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. Myrrham probatam stillant manus sponsæ, id est, actiui, carnem suam simpliciter & mediocriter macerantes. Myrrha autem probatissima pleni sunt digiti, id est, sancti contemplatiui, attenuati, graciliores, atque seipsos magis macerantes. Vnde in Canticis: Vadam ad montem myrrhæ. Hunc autem ascendunt, qui magnam carnis suæ mortificationem assumunt. Hi siquidem digiti recti sunt per bonam intentionem, graciles per carnis macerationem, flexibiles per obedientiam, articulati & distincti per discretionem. Discretè enim carnem suam macerant sancti, quia honor Regis iudicium diligit discretionis. Vanæ autem gloriæ amatores ante mortem, mortis suppliciis se atterunt. Hi sunt hypocritæ, quorũ myrrha à Domino reprobatur, dum ad oculos hominum pro inani gloria macerantur. Hæc est myrrha de qua in Parabolis Salomon ait sub specie meretricis: Aspersi cubile meum myrrha & aloë. Quædam autem myrrha spõte & sine incisione ab arbore stillat, quę dicitur prima myrrha & probatissima. Vnde in Canticis dicitur: Labia eius stillantia myrrhã primam. Hi sunt sancti Doctores inuitantes ad spontaneam carnis mortificationem. Hilariter enim pro Christo tribulationes sustinere debemus, & gaudere, quia Christus in nobis dignatur pati, qui in Petro voluit crucifigi. Coacta enim seruitia nõ placent Deo. Vnde Dominus vinum myrrhatum bibere noluit, quia angariatam pœnitentiam renuit. Qui autem metu mortis in ægritudine religioni se tradunt: vel in magnis periculis Deo vota faciũt, licèt hæc myrrha per incisionem stillare videatur, ex quo tamen consentiunt, & quasi de necessitate virtutem faciunt, à Domino non reprobatur, sed reputatur myrrha probata, licèt non sit prima & probatissima. Secunda autem myrrhæ species est memoria passionis CHRISTI. Hanc igitur myrrham offerimus, quando cum myrrha & aloë CHRISTVM in cordibus nostris sepelientes passionem eius recolimus. Vnde in Can-

*Cant.5.*

*Item 4.*

*Parab.7.*

*Cantic.5. Matth.27.*

*De secũda specie myrrhæ. Ioan.19.*

in Cãticis ait spõsa: Fasciculus myrrhę dilectus meus mihi inter vbera mea cõmorabitur. Passio enim tam Christi quàm membrorum eius myrrha dicitur. Vnde in Canticis dicitur: Messui myrrham cum aromatibus meis. Messui falce martyrij myrrham in martyribus, falce autẽ simplicis mortis aromata in cõfessoribus. Tertia species myrrhę est memoria mortis nostræ & simplicis miseriæ quæ arcet à nobis vermes mali desiderij, & operatur in nobis contemptum mundi. Teste enim beato Hieronymo: Facile contemnit omnia qui se cogitat moriturum. Generat etiam in homine contemptum sui. Nam teste beato Gregorio: Pœnę se mortuum considerat, qui se moriturum minimè ignorat & solum sibi supersse sepulchrum attentè pensat. Vnde beatus Iob ait: homo putredo & filius hominis vermis. Putredo quando tegitur, non apparet, quando detegitur fœtet. Putredinem detegit, qui se citò in putredinem reuersurum meminit. Quartã mirrhę speciem Domino offerimus, dum pro peccatis nostris conterimur. Sic enim nõ solum myrrha, sed insuper aloë interius perungimur. Lignum enim aloë, odoriferum est, cuius succus amarus & vtilis ad medendum pro thymiamate adoletur, quia cor contritũ & amarum Deus non despiciet. Offeramus etiam myrrhã compassionis. Nisi enim mittamus radices deorsum per compassionem, non faciemus fructum sursum in vitam æternam. Si autem proximis opere subuenire exterius non valemus, ipsis nihilominus corde compatiamur. Non est enim manus vacua munere vbi arca pectoris est repleta bona voluntate, bonum est autem offerre myrrhã compassionis & interioris amaritudinis, quàm mel adulationis, quod in sacrificio Domini offerri prohibetur. Nullus enim denarius suauior est falso, qui tamen postquam agnoscitur ab omnibus reprobatur. Expedit autẽ nobis thus & myrrham diligenter conterere, & quasi in puluerẽ pigmẽtarij redigere vt bona nostra subtiliter discutiamus & studiosè in corde retractemus. Scriptum est enim: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Rectè offertur cum recta intentione quid agitur. Sed non rectè diuiditur, si non hoc quod piè agitur, etiã subtiliter discernatur. Quidam autẽ aurum sine thure & myrrha Domino offerunt, sicut plerique literati, qui diuinas scripturas docent absque thure deuotionis & myrrha mortificationis, dicunt enim & non faciunt. Qui autem orationes & Psalmos multiplicant, sed addiscere negligunt, & carnem mortificare nolunt, hi profectò absq; auro & myrrha thus offerunt. Ieiunia est enim oratio quam macies corporis non pascit. Illa verò oratio pinguescit, quam macies corporis reficit. Alij autem sine thure & auro myrrhã offerunt, sicut hypocritæ, qui insipienter & indeuotè seipsos pro fauore humano exterius affligunt. Quidam autem multum orant & seipsos sine discretione macerant. Hi siquidem thus & myrrham offerunt, sed quia aurum sapientiæ & discretionis non habent. Vnde Deo placere credunt, plerunque Deum offendunt. Teste enim beato Hieronymo nõ multum distat in vitio vel decipere posse vel decipi Christianum. Offeramus igitur simul Domino aurum, thus & myrrhã. Aurum sapientię & discretionis, thus orationis, myrrhã bonę operationis & mortificationis carnis. Offeramus prætereà aurum charitatis, thus cœlestis desiderij & deuotionis, myrrhã memoriæ mortis. Offeramus ex triplici thesauro cordis, oris & operis, aurum, thus, & myrrhã. Vt corde credamus, ore cõfiteamur, operibus fidei nostræ testimonium perhibeamus. Hæc enim tria ad salutẽ exiguntur. Cum his autem muneribus stella gratię pręuia ad Christũ & ad matrem eius fiducialiter accedamus. Flexibilis est puer: Flexibilis est mater. In matre pietas immẽsa: In filio pietas infinita: Clamemus ad Dominũ cum Magis pio affectu in cordis silentio vt diuino respõso accepto per aliã viam reuertamur in regionem nostrã. Qui relicto Herode, id est, diabolo, venit ad Iesum, non reuertatur ad diabolum. Qui ingressus est per superbiam, reuertatur per humilitatis viam. Qui cecidit, contemnendo resurgat & redeat obediendo. Qui ingressus est ad Herodem per inuidiam, reuertatur per benignitatem & compassionem. Qui per odium & iram, reuertatur per charitatem & patientiam. Qui per accidiam, reuertatur per feruorem spiritus & diligentiam. Qui per auaritiam, reuertatur per liberalitatem & largitatem. Qui per gastrimargiam, reuertatur per sobrietatem. Qui per luxuriam, reuertatur per continentiam. Et quoniam contraria contrariis curantur, pœna voluptatẽ redimat, sitis ebrietatem, paupertas luxum, labor otia, passio fluxum, vt sic per viam virtutum reuertamur ad patriam supernorum ciuium. Ipso præstante & ducente, qui viuit & regnat per infinita seculorum secula Amen.

Cant. 5.

Item 5. De tertia specie myrrhæ. Hieronymus.

Iob 17. Item 25.

De quarta specie myrrhæ.

Isaiæ 27.

Leuit. 2.

Cantic. 3. Genes. 4.

Matth. 24.

Hieronymus. Iterum de auro, thure, & myrrha, multiplex fit oblatio.

Item 2.

Quod per aliam viam reuertendum est.

## DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIÆ, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE EX VARIIS auctoritatibus Isaiæ, scilicet, & Danielis compositum.

*In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo angelorum psallentes in vnum. Ecce cuius imperij * numen est in æternum.*

Isaiæ 6.

* vel nomen, sicut in aliquibus codicibus reperitur.

TEMPORE Natiuitatis Christi vsq; ad hũc diẽ, quasi in imo & humili præsepio vidimus Christum iacentem. Hodie autem intuetur illum ecclesia mater nostra in excelso trono sedẽtem. Vidimus eum secundum infirmitatem, nũc autem tempus est vt videamus ipsum secundum maiestatem, dicẽtes cum Apostolo: Etsi cognouimus secundum carnem Christum, id est, mortalem & passibilem, sed nunc iam non nouimus, dum ipsum, scilicet, glorificatum & ad patris dexterã sedentem intuemur.

De Christi sublimitate. 2. Corint. 5.

Vidimus eum paruulũ quẽ adorat deuotio Magorum, videamus iam immensum quem adorat multitudo Angelorũ. Expedit enim non solum cõsiderare paruulũ & amabilem, verùm etiam magnum & terribilem. Nõ solum enim faciem hominis aut vituli, sed etiã faciem aquilæ & leonis oportet nos intueri. Vidimus eum paruulũ & infirmũ vt cõfidamus, videamus excelsum & potentẽ ne præsumamus. Considerare enim debemus humanitatis humilitatẽ contra desperationem, & diuinitatis celsitudinẽ contra præsumptionem. Vt sicut ex humilitate humanitatis diligitur, ita ex potentia diuinitatis timeatur. Propterea in introitu Missę psallit hodie Ecclesia:

*Ezech.1.*

*De excelso throno & quod diuersis modis apparuit Christus. Matth.20. Mar.10. Actuum 8.*

In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum. In excelso throno sedere videtur, dum in habitu regnãtis inspicitur. Qui enim attendit qualiter cœlestia & diuina dispensat, in excelso throno ipsum sedere cõsiderat. Qui verò recolit, quod pro nostra salute incarnatus fuerit, & descenderit ad terras thronum eius, quasi submissum, & terræ proximum intuetur. Et nõ solùm per humilitatẽ sedere, sed insuper videt illũ stare & ambulare. Quia filius hominis nõ venit ministrari, sed ministrare. Vidit eum Stephanus stantẽ à dextris virtutis Dei, tanquam pro illo & cum illo pugnãtem. Vidit eum Petrus ambulantem, cùm ait illi: Domine, quò vadis? tanquã cum illo ad crucifigendum processurum. Videtur igitur Christus aliquando sedens, in habitu quiescentis: aliquando stans, in specie pugnantis: aliquando ambulans, in similitudine proficientis: aliquãdo iacens, in specie infirmitatis, quemadmodũ viderunt eum pastores in præsepio: aliquãdo etiã dormiens, in specie dissimulãtis: sic enim visus est ab his quorum nauicula fluctibus iactabatur: & quotidie ab his qui tentationibus variis fluctuantes iactantur, & in eius seruitio torpentes, quasi dormire videatur. In specie autem sedentis, iudicantis, & regnãtis, vidit eum Isaias, qui ait, Anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatũ, & plena erat domus à Maiestate eius, & ea quæ sub ipso erant replebant templũ. Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciẽ eius, & duabus velabãt pedes eius, & duabus volabãt, & clamabant alter ad alterũ. Ex hoc loco Prophetę sumptũ videtur prędictũ thema, quod cantatur in introitu Missę.

*Luce 2. Isaiæ 6.*

Idem enim est videre virũ in excelso throno sedentẽ, & videre Dominũ super soliũ excelsum & eleuatum, id est, Christum in æqualitate Patris regnantem. Sedet igitur Christus in excelso throno, quia filius in patre est, & pater in illo. De hoc autẽ throno in Apocalypsi Christus ait: Ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius: in eadem, scilicet, Maiestate æqualis illi. Vnde in templo Salomonis tria erant tabulata, siue solium triplex. Per primum, quod erat aliis excelsius, potest intelligi diuina Maiestas, siue sanctæ Trinitatis sublimitas. Per medium solium, Angelicæ virtutes, in quibus Dominus sedet, & quiescit, & per eos iudicia sua discernit. Eius enim sedere, est singulorum merita diiudicare: per solium inferius intelligũtur homines sancti. Sicut scriptum est: Anima iusti, sedes est Dei. Quod autem sancti Angeli dicantur thronus Dei, patet ex hoc, quod Ezech. Dominus in visione ostẽdit. Vidit enim super capita animalium firmamenti, in specie crystalli, & super firmamentũ similitudinẽ throni in specie lapidis sapphyri: & super thronũ aspectũ hominis, quasi in similitudine electri. Teste enim B. Greg. super sanctos adhuc in carne viuẽtes, qui per animalia intelliguntur, sunt Angeli, qui per firmamentũ crystallinũ designãtur. A principio enim quasi aqua in quãliber partẽ boni ac mali per liberũ arbitriũ poterãt flecti. Posteà verò aliis cadẽtibus, qui perstiterũt quasi de aqua in crystallũ cõuersi omninò cõfirmati sunt. Et quoniã super minores Angelos maiores cõstituti sunt super firmamentũ thronus sapphyrinus cęlestis, scilicet, coloris esse dicitur, id est, inferiores angeli, qui cõparãtur sapphyro propter pręeminentiã cõtemplationis. Et super thronũ Christus homo cõstitutus est in specie electri, propter coniunctionẽ duarũ naturarũ, diuinę, scilicet, & humanę. In electro enim aurũ, argẽtumq; miscẽtur. Per argentũ auri claritas tẽperatur, & per auri claritatẽ, species clarescit argẽti. Sic in redẽptore nostro diuinitas per humanitatẽ nostris oculis tẽperatur, & per diuinitatẽ humana natura clarescit. Sancti etiã dicũtur thronus Dei, suscipiẽtes in se Deũ per fidẽ & bonã operationẽ: plani per mansuetudinẽ, subiecti per obedientiã. De throno hoc in Apocal. dicitur: Ecce sedes posita erat in cęlo, & super sedẽ sedẽs, & qui sedebat similis erat aspectu lapidis iaspidis & sardinis, & iris erat in circuitu sedis, similis visionis smaragdine, & de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & septem lampades ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Dominus autem qui sedet & requiescit in Ecclesia sua, & in sanctis animabus delectatur, similis lapidi dicitur, firmus in se, & stabile fundamentum Ecclesiæ suæ, inimicos cõterens, & duritiã cordis humani cõfringens, qui virorem gratiæ confert suis in pręsenti, & coronã immarcessibilẽ in futuro, & idcirco iaspidi cõparatur, qui viridis est coloris. Sardini etiam cõparatur qui rubei est coloris, quia malis & reprobis æternum incendium comminatur. Vel propter ardorẽ charitatis & ruborẽ passionis notetur eius diuinitas per rubrũ ipsius diuinitas. Iris autẽ in circuitu sedes esse dicitur, id est, pax & propitiatio Dei qui Ecclesiã suã vndiq; munit & protegit, & maximè per Baptismũ qui per colores Iris designatur. Nã per virídem colorem, qui quasi aquaticus est, designatur aqua Baptismi per ruborem dona spiritus sancti in Baptismo collata, quibus peccata cõburuntur. Hoc idem per smaragdum intelligitur, vel per irim iudicium Domini duplex intelligitur. Iudicium, scilicet, aquæ præteritum, & iudicium ignis futurum. Dicitur autem esse in circuitu à dextris, scilicet, & à sinistris, quantum ad bonos & malos. De throno autẽ, id est, de Ecclesia procedunt fulgura, id est, miracula quæ illumi-

*Ioan 13. Expositio plena auctoritatis Isaiæ. Apoc.3. 3. Regum 6. De tribus tabulatis templi Salomonis.*

*Ezech.1.*

*Gregorius.*

*Simile.*

*Apoc.4.*

*De throno ecclesiæ ex his quæ procedunt de throno.*

illuminat & terrent & voces, id est, admonitiones & tonitrua, id est, cõminationes. Septẽ autẽ lãpades ardentes ante thronũ, septẽ sunt dona spiritus sancti, quæ illuminãt & accedunt corda fideliũ, qui dicuntur thronus Dei siue sedes, cuius delicię sunt esse cũ filiis hominũ. Noster enim Salomõ, vt dicitur in Cãticis: Fecit sibi ferculũ, id est, thronũ ad discumbendũ vel iudicandũ, ex lignis Lybani, id est, ex sanctis, fortibus, excelsis, cãdidis, speciosis, odoriferis & in æternũ mansuris. Hæc enim ligna robusta sunt, alta, candida, speciosa & odorifera & imputribilia. Columnas fecit argenteas, id est, prælatos & sanctos prædicatores splendentes eloquio diuino, subtiles, rectos, & firmos, vt contra seculi fallacias, blanditias & molestias, quod iustum & subtiliter intelligant, sinceriter diligant, firmiter teneant. Reclinatorium fecit aureum. Hi sunt contemplatiui diuina sapientia splendidi, ascensu purpurei. Hi sunt sancti martyres sanguine suo pro Christo effuso rubicundi. Quid igitur facient filiæ Hierusalem, infirmi in ecclesia, qui nullum prædictorum trium habent, nec fortiter portantes Ecclesiam, nec iugiter aspirantes ad veram requiẽ, nec pro Christo fundentes sanguinem, erunt ne ab hoc ferculo seu throno Salomonis alieni? Nequaquam, quia media charitate constrauit propter filias Hierusalem: media, scilicet, ferculi constrauit charitate, quæ omnibus est communis. Est igitur ecclesia thronus veri Salomonis. Vnde Ioannes in Apocalypsi ait: Vidi thronum magnum & candidum & sedentem super eum, Christus enim super ecclesiam residet, quæ magna est fidelium multitudine, candida est munditia & virtutũ decore. De hoc etiam throno in tertio Regum dicitur: Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et 12. leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in vniuersis regnis. Hæc autem specialiter de beata virgine, generaliter autem de Ecclesia intelligi possunt. Ebur huius throni candor est castitatis, aurum splendor charitatis. Summitas rotunda cœlestis conuersatio seu diuina contemplatio. Sex gradus, Cogitatio mũda, Consensus seu voluntas bona, Locutio deuota, Operatio sancta, Assiduitas boni operis, & Perseuerantia finalis. Duę manus hinc inde, duplex gratia præueniens & cooperans, duo leones, duplex fortitudo, seu resistentia. Vna, ne malum facias: altera, ne bonum omittas. Duodecim leunculi, ordo prædicatorum Apostolicã doctrinam sequẽtium. Non est factum tale opus in vniuersis regnis, quia B. Virgo, nec primã similem visa est habere, nec sequentem. Et de Ecclesia dicitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Vident igitur sancti oculis spiritualibus virum, id est, Christũ sedere in excelso throno, in æqualitate patris regnantem in cœlo. Vident eum in excelso throno sedentem, id est, angelicis potestatibus præsidentẽ, vident eum in excelso throno sedere, id est, in ecclesia sua vel in beata virgine. Omnes hi throni excelsi sunt, licèt vnus alio sit excelsior. Videt vir sanctus Isaias Dominum sedentem super solium excelsum. In anno, inquit, quo mortuus est Rex Ozaias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Mortuo Rege leproso, id est, diabolo, qui vera falsis admiscet, vt decipiat, sicut in leproso caro sana maculis variis respergitur, videtur Deus corde mundo, sicut scriptum est. Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Dum Rex iste leprosus in nobis regnat, nec Deum in sua maiestate videre, nec trinitatis mysteria possumus agnoscere. Sic filij Israël mortuo Pharaone, potuerunt ad Dominũ clamare sed nõ ipso viuẽte. Licèt autẽ Deum nemo, viuẽs in carne, viderit vnquam, certa & cõprehensiua visione, Sicut scriptũ est: Non videbit me homo & viuet. Videtur tamen hic à sanctis fide & quadam ænigmatica & obscura visione sicut Apostolus ait: Videmus nunc per speculum & in ænigmate, scilicet, meditando, legendo, contemplando, & gustando, quoniam suauis est Dominus. Vnde Iacob ait: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Vidi facie ad faciem, id est, expresse cognoui, more tamen viatoris, non more comprehensoris. Similiter & Isaias ait: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & plena erat domus maiestate eius. Idem est domus quod solium excelsum. In solio tanquã Rex excelsus sedet. In domo tanquam magnus pater familias habitat & manet, & corda sanctorum sicue ecclesiam suam maiestate sua replet. Vbi autem Deus non habitat, terra cordis humani inanis est, & vacua & tenebrę peccatorum super faciem abysi, id est, caligosę mentis. Specialiter autem de domo superiori, id est, de ecclesia triumphante intelligitur, quæ diuina maiestate repletur, dum bonis omnibus affluenter satiatur. Et ea quæ sub ipso erãt, replebant templũ. Repleta est Ecclesia sanctis Angelis nobis ad custodiã deputatis. Repleta est spiritualibus diuitiis, repletus est vniuersus mundus mirabilibus diuinis. Hæc autem sub Domino sunt, quia Domini est terra, & plenitudo eius. Potest tamen intelligi de inferiori natura Christi, scilicet, de eius carne assumpta, per quam templum Ecclesię bonis spiritualibus repletum est. Vnde in tertio Regum legimus, quod nebula impleuit domum Domini, id est, Christi humanitas, quæ terrã Ecclesię fœcũdauit. Et in Ecclesia st. de Christi carne dicitur: Et thronus meus in columna nubis. Seraphin stabant super illud, id est, super templũ, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Seraphin interpretatur incendium. Angeli enim in se ardentes & nos ad amorem Dei accendentes stare super templum dicuntur, quia Ecclesiam Dei muniunt & tuentur. Vnde & senas alas habere dicuntur, quia ministerio illorum sex modis ad superna eleuamur. Ipsi enim deputati sunt nobis vt nos doceant, & nobis consulant, vt à malignis spiritibus nos defendant, vt pro nobis orent,

*De compositione Salomonis throni. Parab. 9. Cant. 3.*

*3. Reg. 11. Apoc. 20.*

*1. Reg. 10.*

*De sex gradibus & duabus manibus & duobus leonibus & 12. leunculis. Parab. 31.*

*Isaiæ 6.*

*1. Paral. 26.*

*Matth. 5.*

*Exod. 1.*

*Ioan. 1. Exod. 33. 1. Cor. 13.*

*Isaiæ 6.*

*Gene. 1. Isaiæ 6. Matth. 13.*

*3. Reg. 8.*

*Isaiæ 6.*

*De Seraphin & senis alis. De multiplici habitu Angelorum.*

vt ora-

*De multiplici habitu angelorum. Hebr.1. Ioan.1.*

vt orationes nostras Domino repręsentent: vt animas nostras ante Deum post mortem deferant: vt pro salute nostra Deum laudent, & ei gratias agant. Volare autem dicũtur Angeli, propter velocem discursum, & quia in superioribus commorantur. Stare dicuntur, quia semper assistunt Domino. Ambulare dicuntur, quia ad ministerium nostrum mittuntur & quasi nobiscum pergunt, dum de bono in melius nos prouehunt. Ascendere & descendere etiam dicuntur. *Gene.28.* Vnde Iacob: scalam vidit & Angelos Dei ascendentes & descendentes per illam. Ascendunt enim per cõtemplationem, descẽdunt ad nos per compassionem. Vel in nobis ascendunt, dum nos in bono proficere faciunt. Descendunt, dum post opera bona, vt humiliemur nos, admonent & instruunt. Sedere etiam dicuntur Angeli, sicut legimus de his, qui sedebant ad sepulchrum Domini, postquam à mortuis resurrexit. *Matth.28. Mar.15. Luc. 24. Ioan.20.* In quo notatur quod humana natura in Christo glorificata super Angelos fuerat exaltata. Dicuntur autem habere quasi duas alas capitales, quibus Dei faciem velant: & quasi duas pedales, quibus pedes Domini velant: & duas quasi laterales, quibus volant. *Isaiæ 6.* Dicuntur autem volare dum nobis Deum manifestant. Nudant meditatem & volando aperiunt, dum de his quæ à principio mundi facta sunt vsque ad finem nos instruunt. Duabus verò alis faciem Dei velare dicuntur & duabus pedes ipsius, quia quid fuerit ante mundi constitutionem, nobis non demonstrant, & similiter quid post hunc mundũ futurum sit, ignoramus. Ex his autem quæ sunt in hoc mundo Deum intelligimus: sed quę ante vel post fuerint vel futura sint, nescimus. *Isaiæ 41.* Vnde Isaias ait: Priora quæ fuerunt nuntiate nobis, *Gene.1.* & quæ ventura sunt, indicate nobis, & sciemus quia dij estis vos. Nemo enim hæc nouit, sed soli Domino manifesta sunt. Quia verò de præsenti mundo tantum notitiam habemus, quæ sex ætatibus dispensatur, & de his quæ sex diebus operatus est Dominus, sex alas Angeli nobis ista demonstrantes habere dicuntur. *De duobus testamentis & eorum alis.* Sicut autem prædicta de Angelis exposuimus, ita de duobus testamentis exponere possumus, quæ Seraphin nuncupantur. Quia in sacris scripturis salutare reperimus incendium quo peccata nostra purgantur. Volare autem dicuntur, quia per ea ad superna prouehimur. Senas alas dicuntur habere, quia perfectam scientiam in se continent. Senarius enim numerus est perfectionis. Et quia de his quæ sex ætatibus in hoc mundo fiunt nos instruunt. Dicuntur velare faciem & pedes Domini sub eodem sensu, quo de sanctis Angelis exposuimus, quia in diuinis scripturis non docemur quid fuerit ante mundi principium, nec plenè instruimur de his quæ postea futura sunt. Sicut autem in Angelis sex alas distinximus secundum diuersitatẽ ministeriorum, ita in vtroque testamento sex alæ distingui possunt secundum diuersitatem temporum. *De sex distinctionibus veteris testamenti.* Vetus enim testamẽtum sex habet distinctiones. Loquitur enim & instruit nos de his quæ sex temporibus quondam acciderunt. Primò, de his quæ facta sunt in creatione rerum ante peccatum primorum parentum. Secundò, de his quæ post peccatum vsque ad diluuium facta sunt. Tertiò, de his quę post diluuium vsque ad Moysen & legem scriptam. Quartò, de his quæ à Moyse vsque ad iudices. Quintò, de his quæ à iudicibus vsque ad reges. Sextò, de his quæ facta sunt sub regibus vsque ad Christũ. Similiter & nouum testamẽtum sex variis temporibus quasi sex alis distinguitur. *De sex distinctionibus noui testamenti.* Cuius primum tempus fuit à Christi natiuitate vsque ad eius mortem & resurrectionem. Secundum sub Apostolis & martyribus. Tertiò fuerunt sancti doctores & sanctarum scripturarum expositores contra peruersitatem hęreticorum. Quartò diebus nostris falsi Christiani multiplicati sunt in ecclesia Dei. Qui licet *Titum 1. Matth.24. 2.Tes.2.* in Deum se credere fateantur, fidem tamen operibus negant. Quintò refrigescente multorum charitate, abundabit iniquitas, dum venerit filius perditionis, quem Dominus Iesus interficiet *Isaiæ 10.* spiritu oris sui. Quo perempto, quasi vltimo tempore, multi reuertẽtur ad Dominũ, & reliquię Israël sałuę erunt. Et non multo post finis mũdi & iudicium. Possunt prætereà sex alæ assignari duobus testamentis & integritati totius diuinæ scripturæ. *De sex alis totius diuinæ scripturæ.* Prima ala lex naturæ. Secunda lex Mosaica siue lex literæ. Tertia lectio Prophetica. Quarta lex Euangelica. Quinta institutiones & Epistolę sanctorũ Apostolorũ. Sexta institutiones & canones sanctorũ patrũ. *Moraliter per Seraphin prælati intelliguntur. Isaiæ 6.* Moraliter autem per seraphin sancti prælati intelliguntur. Seraphin enim ardens vel incendens, vel initium oris interpretatur. Hæ enim tres interpretationes prælatis conueniunt. Prælati enim in se debent ardere per bonam vitam, alios incendere per doctrinam, debent etiam habere scientiam. Hęc est quasi initium oris. A qua doctrina habet principium. Seraphin stabant super templum, quia prælati præsunt subditis suis, & sunt super ecclesiam, muniendo, regendo, & defendendo illam. *Item.62. Phil.3.* Sicut scriptum est. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. Alati autem *De sex alis prælatorum. 1.Tes.5. Ioan.21. 2.Tim.4.* dicuntur esse quorum conuersatio est in cęlis, & alios sursum habent trahere. Senas autem alas habere dicuntur propter vitæ & scientiæ perfectionem, & quia subditos instruere debent, qualiter cõuersari rectè habeãt in hac vita, quæ sex diebus agitur, & quia eorum officium principaliter circa sex attenditur vt sit vna ala. Corripere inquietos: Secunda, Consolari pusillanimes. Tertia, susscipere infirmos & eorum defectus portare. Quarta, pascere exemplo bonę vitę & verbo sanę doctrinę. Quinta, sacramenta ministrare. Sexta, nõ solum sua gregi suo erogare, sed animam suam pro Christo ponere. Velare autem Christi faciem debent, cuius caput est diuinitas, ne profunda & arcana diuinitatis mysteria incautè reuelent. Pedes etiam Christi debent velare, id est, naturam inferiorem, ne ineffabile incarnationis mysterium curiosè inuestigent. *Ioan 10. Item 1. Exod.21.* Sed dicant cum Ioanne: Non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius. Claudere enim debent os cisternę, ne bos vel asinus, id est, animalis homo cadat in ipsam. Puteus enim

ad quem

ad quem venit Iacob vt requieſceret dum pergeret ad Laban, grandi lapide tegebatur, ex quo tamen pecora adaquabantur. Hic eſt profunditas ſcripturarum, ex quibus fideles adaquari debent ad ſufficientiam, non ad curioſitatem, vel nimiam inquiſitionem, quia perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Duabus autem alis mediis dicuntur volare ſerapin, quia circa media, id eſt, fidem virtutes & bona opera verbo & exemplo debent prælati ſubditos ſurſum leuare. Dicuntur autē ſeraphin ſtare & volare: quia prælati ſancti ſtabiles debent eſſe per conſtantiam, & volare per deſiderium ęternorū & ſupernorū contemplationem. Dicit præterea Iſaias quod ſeraphin clamabant alter ad alterū. In quo notatur quod Angeli concorditer laudant Dominum & concordiā duorū teſtamentorum, quia rota eſt in medio rotæ. Oſtendit etiā concordiam & vnitatem prælatorum clamātium alter ad alterum. Vt qui audit, dicat, veni: & cortina cortinam trahat. Sic enim accidet quod plena erit omnis terra, id eſt, vniuerſalis Eccleſia gloria Dei, & commouebuntur ad pœnitentiam ſuperliminaria cardinum, id eſt, corda ſubditorum à voce clamantis, id eſt, per doctrinam & prædicationem prælati. Domus autem eſt conſcientia ſiue mens hominis, cuius oſtium eſt liberum arbitrium. Duo autem cardines huic oſtio affixi ſunt, electio boni & deteſtatio mali. Superliminaria verò ſunt ratio & intellectus, quę quā doque mouentur ſuper ſe, ſcilicet, deſiderio patriæ. Iuxta illud: Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus. Quandoque infra ſe, ſcilicet, pro incolatu huius miſeriæ, vt dicat cum Propheta. Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus eſt. Quandoq; intra ſe dum recolit peccata ſua, vt dicat cum Propheta: In me turbatū eſt cor meum. Sic igitur eueniet quod domus, id eſt, corda tā prę latorum quàm ſubditorū replebūtur fumo cōpunctionis. Dominus enim tanget montes & fumigabunt & videbunt cum Iſaia Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Sedet enim Dominus non ſolum ſuper primum & inferius ſolium, per quod deſignatur vita inchoantium, ſed etiam ſuper medium, per quod vita proficientium, & ſuper tertium, quod eſt aliis anguſtius & ſublimius: hæc eſt vita perfectorum. Per tria enim tabulata in tēplo Salomonis tres ordines fidelium deſignantur. Videamus & nos fratres Dominum non iuxta terram more reproborum, qui non niſi terrena cogitant, & Deo pro terrenis ſeruiunt, ſed in excelſo trono videamus ſedere virum quem adorat multitudo Angelorum. Et quoniam non niſi mundo corde videri poteſt, ſtudeamus mundare cor noſtrum ſcopis contritionis, confeſſionis, orationis, eleēmoſynarum, & ieiuniorum. Mundemus cor noſtrum nō ſolum à criminalibus culpis, ſed inſuper à ſecularibus curis. Omni cuſtodia cor noſtrum à malis & vanis cogitationibus ſeruemus: & frequenter cum Propheta oremus: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Vnde beatus Auguſtinus ait: In tam excellēti luce oculus rationis non figitur niſi per munditiam fidei prius purgetur. Et in actibus Apoſtolorum dicitur. Fide purgās corda eorum. Munditiam enim cordis fides inchoat, ſpes & charitas conſummat. Animalis autem homo, vt ait Apoſtolus, non præcepit ea quæ Dei ſunt. Oculus enim tenebris aſſuetus lumen refugit, quia qui malè agit, odit lucem. Et quia ſcriptum eſt. Mundami ni qui ferris vaſa Domini, ſemper debemus mūditiæ cordis intendere: & orare cum Propheta: amplius laua me ab iniquitate. Abſolon autem reconſiliatus Dauid non ſtatim eum videre potuit. Non enim fit repente homo perfectus, vel ita mundus vt Deum per contemplationem in excelſo trono valeat intueri. Vnde qui curatus fuit in Euangelio, primò dixit ſe homines videre tanquam arbores ambulantes. Et Ioannes in Euangelio ait: Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat. Oportet igitur vt videamus in excelſo throno Chriſtum ſedere, cordis oculum mundare & oculos ſurſum erigere. Propterea Dominus os homini ſublime dedit, cùm cætera animalia ipſo corporis habitu pronos & decliuos oculos ad terram habeant. Non igitur comparemur iumentis inſipiētibus, nec oculos noſtros ſtatuamus declinare in terram, ſicut mulier illa Euangelica, quę incuruata fuerat annis octodecim, & non poterat oculos ſurſum leuare, quam Dominus curauit & erexit. Neque ſicut boues craſſę quas vidit Pharao in paludibus habitemus, ſed ſuſpendium eligat anima noſtra, & conuerſatio noſtra in cęlis ſit. Si enim conſurreximus cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærere debemus, non quæ ſuper terram, vt videamus bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ noſtræ. Oculi enim ſapientis vt ait Salomon in capite eius: Oculi ſtultorum in finibus terræ. Et iterum: Cor ſapientis in dextera eius, cor ſtulti in ſiniſtra, vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Leuemus igitur corda noſtra cum manibus ad dominum & pauimento terrenorum nō adhęreat anima noſtra. Excutere de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua filia Syon, ſicut Iſaias ait: Excutere de puluere terrenorum affectuum, conſurge bene operando, ſede poſt bona opera te humiliando, ſolue vincula colli tui, proiice à te faſciculos deprimentes iugum diaboli, qui ait: Incuruare anima, vt tranſeamus, vt poſſumus dicere cum Propheta: Lætifica animam ſerui tui, quia ad te animam meam leuaui, beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde diſpoſuit. Vnde beatus Iob de aquila dicit: Oculus eius de longè contemplatur eſcam. Et de onagro ait: Circunſpicit montes paſcuæ ſuæ, virentia quæque perquirit. Corda igitur ſurſum habeamus ad Dominum, vt in excelſo throno videamus ſedere virum, quem adorat multitudo Angelorum. Quia milia milium miniſtrant ei, & decies centena milia aſſiſtunt ei, ſicut in Danièle dicitur. Et Pſalmus ait: Benedicite Domino omnes Angeli eius. Benedicitur igitur Dominus, & laudatur à multitudine Angelo-

*Gene.29.*
*Prouer.25.*
*Iſaiæ 6.*
*Quod Seraphin clamant alter ad alterum.*
*Ezech.1.*
*Apoc.22.*
*Exod.26.*
*De domo & ſuperliminaribus & cardinibus.*
*3.Regum 8.*
*De munditia cordis.*
*Matth.5.*
*Prou.4.*
*Auguſtinus.*
*Actuum 15.*
*1.Cor.2.*
*Item 2.*
*Iſaiæ 52.*
*2.Regum 14.*
*Mar.8.*
*Ioan.15.*
*Quod oculos ſurſum erigere debemus.*
*Luc.14*
*Gene.41.*
*Iob.8.*
*Ad Phil.3.*
*Colo.3*
*Eccleſ.2.*
*Prou.17.*
*Eccleſ.10.*
*Matth.6.*
*Treno.3.*
*Iſaiæ.52.*
*Item.58*
*Item.31.*
*Iob.39.*
*De adoratione Angelorum.*
*Daniel.7.*
*Ad Hebr.1.*

Angelorum & adorant eum omnes Angeli eius, nō solum eius diuinitatem, sed & ipsius humanitatem, quam super se vident ad patris dexteram exaltatam. Vnde Psalmus ait: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Pes Christi diuinitas est, per quam totum corpus ecclesiæ sustentatur. Scabellum pedum eius est humanitas, quæ subiecta est humanitati. Quam humanitatem adorant, non solum homines, sed etiam Angeli psallentes in vnum, vnanimiter illi seruientes, & concorditer illi cōcinentes. Glutino enim charitatis, quasi cemento indissolubili coniunguntur, lapides pretiosi in ædificiis supernæ ciuitatis. Dulcis autem resonat armonia in illa cœlesti cythara. Corde inferiores Angeli, scilicet, minores superioribus consonant, & concordant, & obediunt absque vlla contradictione. Clamant enim concorditer & suauiter Seraphin alter ad alterum, laudantes & benedicentes illum, cuius imperij numen est in æternum, cuius diuinum imperium dignitas, scilicet, & auctoritas imperādi, nullo fine terminatur, cuius regni non erit finis. Vnde Daniël ait: Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Imperij etiam eius nomen est in æternum. Nulla enim obliuione deleri potest, nec excidere à memoria fidelium. Sancti præterea quibus imperat, & in quibus regnat, dicuntur eius imperium, qui cum illo sine fine in æterna gloria permanebunt. Sed & mundana machina, quę subiicitur illi, & eius obtemperat iussioni in melius commutata, non commouebitur in æternum. Postquam noua omnia fecerit & renouauerit elementa. Erit enim nouum cœlum & terra noua. Nos igitur ad imitationem angelorum sanctorum & supernorum ciuium, pro modulo nostro, adoremus virum in excelso throno, ad patris dexteram collocatum. Non solum secundum diuinitatem, veneratione illa, quę dicitur latria, & soli debetur creatori, sicut scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, sed insuper secundum humanitatem, veneratione illa, quæ dicitur dulia, qua non solum Christi humanitatem adoramus & veneramur, sed insuper quibusdam aliis creaturis propter Deum honorem impendimus & reuerentiam. Latria enim adoramus creatorem super omnia. Dulia verò creaturas inter omnia honoramus. Sic enim altaria consecrata, & imagines crucifixi & sanctorum Dei veneramur propter Deum, & coram ipsis inclinamur, non propter imaginem, quæ per se nihil potest, sed propter imaginatum. Magis enim propriè adoramus Deum coram imaginibus, quam imagines coram Deo. Non enim in illis spem salutis nostræ constituimus, sed vt Dei & sanctorum memoriam per illas habeamus, cordis nostri deuotionem coram illis ostendimus. Non enim nos qui ad imaginem Dei facti sumus, minores reputare debemus imaginibus quæ factæ sunt ad imaginem nostram. Adoremus igitur Christi diuinitatem, veneratione latriæ, adoremus eius humanitatem, digniori parte duliæ. Adoremus ipsum corde diligendo, ore laudando, opere venerando, & ei famulando psallentes in vnum, & illi vno corde, vno ore, vno humero seruientes, quia bonum est & iucūdum habitare fratres in vnum, & vni Domino in vnitate seruire, cuius imperij numen est in æternum, qui seruos suos facit Reges, & Imperatores, & in illis regnat in perpetuum: Amen.

*Simile.*

*De æterna potestate & regno sine fine. Ex 70. Isaiæ 9. Dan. 7. Hester 10.*

*Isaiæ 43. Apoc. 21. Conclusio cum morali recapitulatione vbi agitur de duplici adoratione. Matth. 4. Lucæ 4. Deut. 6.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD ROMANOS.

*Rom. 12.* *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum, & nolite conformari huic seculo.*

*Parab. 27.* VNguento & variis odoribus delectatur cor, & consilio boni amici dulcorarur spiritus, sicut Salomon in Parab. ait: Consilium bonū & saluberrimum dat nobis bonus amicus noster Apostolus in hodierna epistola, quasi vnguentū suauitatis & sanitatis vulneribus nostris exhibens. Bonum est enim & necessarium contra vulnera luxuriæ, corpora nostra hostiam domino exhibere, contra indiscretionem, & impetuosæ mentis intemperantiam, vt rationabile sit obsequium nostrum contra tumorem superbię, & secularis vanitatis, non conformari huic seculo, contra vetustatem peruersæ consuetudinis, reformari in nouitate sensus nostri. Contra errorem & ignorantiæ caliginem probare quę sit voluntas Dei, bona, & beneplacens, & perfecta. Contra prę sumtionem & curiositatem, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Contra malitiam & inuidiam, & discensionem, tenere fraternam concordiam, & mutuam dilectionem, vt inuicem nobis seruiamus, & alter alterius onera portemus. Propter quod Apostolus ait, Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi sumus vnum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Ex hodierna igitur epistola, & paucis sed fœcundis Apostoli verbis multam possumus elicere animarum nostrarum informationem, sicut in Parabolis scriptum est. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Instruit enim nos primò, qualiter corpora nostra domino sacrificare debemus, vbi ait: Vt exhibeatis corpora vestra hostiam. Secundò, qualiter animas nostras sacrificium Deo offerre debemus, vbi ait: Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. Cum enim anima nostra igne diuini amoris accensa formam secularis concupiscentiæ amittit, & formæ incommutabili adhęrens atque sigillo trinitatis

*Breuis expositio thematis.*

*Gala. 6. Rom. 12.*

*Parab. 9. Rom. 12.*

trinitatis impressa reformatur, & in ea Dei imago renouatur, tunc creatori suo in sacrificium offertur, cuius bonus & rectus vsus ad ipsum refertur. Non solùm autem sacrificium corporum & animarum, sed insuper operum nos offerre admonet, cùm nobis inuicem ministrare & mutuis obsequiis fraternam concordiam conseruare docet, dicens: Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei, id est, secundum quod Deus dedit vnicuique dona & gratiarum carismata, mensurata secundum mensuram fidei, vel secũdum fidem, quam Deus mensuratè diuidit aliis, scilicet, maiorem, aliis minorem. Primò igitur obsecrat & exhortatur Apostolus, vt offeramus corpora nostra hostiam, scilicet, per mortificationem carnalium desideriorum, & viuentem per bona opera, vt mortui peccato, viuamus Deo. Alioquin nisi viuamus per gratiam, hostia nostra mortua est, nec recipietur à Domino. Opera enim mortuorum, mortua sunt: propter quod Moyses noluit sacrificare in Ægypto, quia in peccato mortali non placent Deo sacrificia nostra. Dominus enim, sicut dicitur in Genesi, respexit ad Abel & ad munera eius. Priùs ad Abel, posteà ad munera. Non enim offerens ex munere, sed munus ex offerẽte placitum est Domino, qui non curat nostra, nisi priùs demus ei nosmetipsos. Non igitur offeramus morticinum, vel suffocatũ, vel captum à bestia. Morticinum dicitur, qui per se peccat: Captum à bestia, qui peccat alio instigante: Suffocatum autem dicitur, cuius sanguis peccati per confessionem non effunditur. Hostiam præterea viuentem offerre debemus, non mortuam, quod faciunt illi, qui corpora sua nimis affligendo, inutilia reddunt diuino seruitio. Castiganda enim sunt corpora, non interimenda. Offeramus igitur Domino, non solùm animas, sed & corpora, id est, nosmetipsos Deo, non iam boues vel hircos mortuos, sicut sub lege Mosaica, cùm adhuc offerentes causa peccati addicti essent æternæ morti. Postquam verò per Christi mortẽ absorpta est mors in victoria, & viuificatus est mundus per gratiam, iam non hostiam mortuam, sed viuentem offerre Domino præcipimur. Exeamus igitur ad eũ extra castra, quemadmodũ ad Hebræos ait Apostolus, id est, extra carnis voluptatẽ, vt abominationes Ægyptiorũ immolemus Domino, id est, afflictiones corporum, quas abominantur Ægyptij, id est, homines seculares. Operiamus tabernaculũ sagis cilicinis per asperitatem pœnitentiæ, vt fractis corporis lagunculis, cum Gedeone hostes nostros, id est, praua desiderta carnis, perimere valeamus. Sic enim non solùm hostiam offerimus, quæ fit pro hostibus debellandis, sed insuper victimam, quæ offertur pro hostibus deuictis. Hostias igitur pacificas, quæ fiunt pro pace conseruanda vel impetranda, offeramus, vt carnẽ mortificando, spiritus noster pacificè Domino seruiat, & caro nostra gressu composito, suum ferat sessorem. Deuictis autem tentationibus, & vitiis carnalibus superatis, hostias votiuas, quæ fiunt ex voto & promissione, vel pro gratiarum actione, illi à quo est omnis victoria, debemus immolare. Vt autem secundum legis mandatum hostiam nostram Domino dignè immolemus, offeramus nosmetipsos masculum immaculatum ad ostium tabernaculi, vt nihil fœmineæ fragilitatis, nec maculam mortalis peccati habeamus, oculum mentis nostræ ad introitum vitæ æternæ habendo, & sacrificium nostrum referendo ad Deum. Ponamus autem manum super caput hostiæ, vt bonæ voluntati & rectæ intentioni bonam operationem addamus. Fundamus insuper sanguinem per circuitum altaris: sanguinem sacrificando fundit, qui animam suam pro Christo odit, & omnem à se carnalitatem abiicit. Per circuitũ altaris attendendo, scilicet, & circuiendo opera Christi, cuius vita nostra doctrina. Christus enim altare ad quod debemus omnia sacrificia nostra referre. Vel altare cor humanum, iuxta illud: In me sunt Deus, vota tua. Quod debemus circuire, & omnes angulos conscientiæ nostræ perscrutare, vt omnem peccatorum sanguinem cum omnibus circunstantiis, altare mentis nostrę circuiendo penitus effundamus. Detracta etiam pelle hostiæ nostræ artus in frusta præcipimur concidere. Non enim superficialiter & inaniter corpus nostrum castigare debemus. Pellem detrahimus, dum peccata nostra per confessionem detegimus, vel quando temporalia & exteriora bona pro Christo erogamus. Artus autem in frusta concidimus, cùm singulas actiones nostras diligenter discutimus, vt discretè & ordinatè bonum operemur, attendentes nõ solùm actionem, sed circunstantias actionis, tempus, scilicet, locum, & modum, & finem, & alia huiusmodi, quę concomitantur actionem. Omnia autem membra nostra Domino offerre debemus: vt sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeamus illa seruire iustitiæ ad sanctificationem. Corde peccauimus per malam voluntatem, corde satisfaciamus per contritionem. Ore Deum offendimus per indebitam locutionem, ore satisfaciamus per confessionem. Opere peccauimus, exhibentes corpora nostra arma iniquitatis, & omnibus membris Deum impugnantes: opere satisfaciamus, exhibentes corpora nostra arma iustitiæ, & omnibus membris Deum placantes. Satisfaciamus pedibus infirmos visitando, & loca sanctorum adeamus peregrinando, & Ecclesiarum limina frequenter terendo. Genua autem nostra Domino offerimus, dum illa coram ipso flectimus. Renibus satisfaciamus, dum in Ecclesia ad verbum Domini & diuinum officium, diu sedemus. Manus Deo offerimus, dum eas ad pauperes extendimus, dum manibus propriis laboramus, dum pedes pauperum abluimus, dum eis mensam ponimus, & lectũ præparamus. Pectore satisfacimus, frequenter ipsum tundendo. Oculis pauperes & infirmos intuendo. Auribus verbum Dei audiendo. Sic igitur ad honorem Dei membra hostiæ nostræ offeramus, corpus nostrum castigando, & redigendo in seruitutem, vt ipsum spiritui seruire cogamus. Dicitur præterea in Leuitico de prædicto sacrificio.

*De sacrificio corporis & hostia viuente. Rom. 8.*

*Exod. 8. Gene. 4.*

*Leuit. 7.*

*1. Cor. 15.*

*Heb. 13. Exod. 8. Item. 10.*

*Iudit. 7.*

*Leui. 2. De modo offerendi secundum legis mandatum.*

*Item 1.*

*Rom. 6. Quod omnia membra debemus Deo sanctificare.*

crificio. Subirent in altari ignem ſtrue lignorum antepoſita, & membra quæ ſunt cæſa deſuper ordinantes, caput, videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, inteſtinis & pedibus lotis aqua. Adolebitque ea Sacerdos ſuper altare in holocauſtum, & ſuauem odorem Domino. Per ignem charitas, per ligna diuina ſcriptura, & ſanctorum exempla deſignantur, quibus ignis charitatis nutritur. Artus autem deſuper ordinantur, quia omnia opera noſtra ſecundum diuinam ſcripturam, & ſanctorum patrum exempla ordinare debemus. Caput cremamus, dum initium actionis noſtræ ad amorem diuinum referimus. Caput non diuiditur, quia mens diuiſa non impetrat, & homo duplex à Deo non exauditur. Ea quę iecori adhærent, adolentur dum deſiderium noſtrum, & cordis appetitum ad Deum reportamus, non carnaliter, ſed ſpiritualiter illis vtendo. Proiecto autem ſimo, id eſt, fœtore luxuriæ inteſtina lauantur, dum cor à malis cogitationibus mundatur. Similiter & pedes tam affectuum, quàm actionum, aqua baptiſmali, videlicet, lachrymarum, debent ablui, & omnia prædicta adoleri, igne ſpiritus ſancti in holocauſtum & ſuauem odorem Domino. Dicitur enim holocauſtum, cùm tota hoſtia Domino offertur, & in altari crematur. Quod ſpiritualiter pertinet ad contẽplatiuos, qui omnibus pro Chriſto renuntiauerunt ſe & ſua Domino offerentes. Quando verò pars hoſtiæ crematur, & pars aliqua reſeruatur, dicitur ſimplex ſacrificium, quod pertinet ad actiuos, qui nõdum omnia pro Chriſto reliquerunt. Offeramus igitur prædicto modo, corpora noſtra hoſtã viuentem. Offeramus noſmetipſos boues per fortitudinẽ, oues per innocentiã, capras per pœnitentiam, columbas per ſimplicitatem, turtures per caſtitatem, vel columbas & turtures per contemplationem. Offeramus hoſtiam ſanctam, id eſt, puram & immaculatam. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio noſtra, vt ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Hi en im quos vidit Ioannes in Apocalypſi: habentes citharas Dei per mortificationem, ſtabant ſupra mare vitreum, per quod ſignatur vitæ puritas, & baptiſmus lachrymarum, quibus hoſtiam noſtram debemus abluere. Vel hoſtiam ſanctam, id eſt, in bono firmam offerre præcipimur, vt ſimus conſtantes, & vſque in finem perſeuerantes, vt poſſimus dicere cum beato Iob: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, & iuſtificationem quam cepi, non deſeram. Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Vnde Dominus in Apocalypſi ait: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Non igitur ſimus quaſi arundo vento agitata. Canes enim non intrabunt in ciuitatem, quam vidit Ioannes in Apocalypſi, id eſt, qui ad vomitum reuertuntur. Sancta autem animalia quæ vidit Ezechiel, non reuertebantur, cùm ambularent. Qui enim induti ſunt virtute ex alto, tota die laborant, vt in veſpere prẽmium recipiant. Nam operarius in via deficeret, niſi attenderet quantum accepturus eſſet in fine. De Ionatha autem legimus quòd hoſtes vicit, ſed poſteà mel comedens adiudicatus eſt morti. Hi ſunt qui peccata vicerunt, ſed poſteà dum recolendo in eis delectantur, retrò aſpiciunt. Melior eſt enim finis orationis quàm principium, quia finis non pugna coronat. Propterea in Exodo præcipitur, vt caputium tunicæ ſacerdotalis replicatum eſſet, ne facile rumperetur. Et quod omnia vaſa tabernaculi ex ære fierent, quod durabile eſt, & ſignat ſanctorum conſtantiam. Dominus enim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur, id eſt, eccleſiam ſuam. Vnde in Euangelio dicitur: quod Dominus fundata ſupra firmam petram, & non ſupra arenam inconſtantiæ & inſtabilitatis, cùm deſcenderet pluuia, & venirent flumina, & flarent venti, non cecidit. Econtra autem quaſi tempeſtas tranſiens, non erit impius. In miſeriis enim non ſubſiſtet. Propterea in Ezechiele dicitur. Corona tua circumligata ſit tibi, & calciamenta tua erunt ſub pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. Coronam præmij noſtri nobis circumligare debemus, vt in bono conſtantes ſimus. Et calciamenta ſub pedibus habere, id eſt, carnem noſtram mortificare. Amictu autem ora velare non debemus, quia inſtruendus eſt proximus. Cibos autem lugentium comedit, qui pauperes iniuſtè opprimit. Sit igitur hoſtia noſtra ſancta, id eſt, firma, vt ignis ſpiritus ſancti ſemper ardeat in altari cordis noſtri. Vnde in Leuitico dicitur: Hæc eſt lex holocauſti. Cremabitur in altari tota nocte vſque mane. Tota enim vita præſenti, quæ per noctem deſignatur, donec illuceſcat nobis mane alterius ſeculi, & dies æternitatis, poſt mortem in bono debemus perſeuerare. Qui enim in æterno ſuo bonum operabitur, in æterno Dei præmium æternum conſequetur. Econtra quorum vita in præſenti moritur, in culpa eorum mors in futuro viuet. Offeramus igitur non ſolum hoſtiam ſanctam per conſtantiam, ſed & Domino placentem. Per rectam intentionem ad oſtium, ſcilicet, tabernaculi, id eſt, ſpe æternæ retributionis. Non enim placens eſt hoſtia, quæ ad illum non refertur, qui Alpha & Omega, principium & finis nominatur. Vnde in Tobia dicitur: Seruite Domino in veritate. Maledictus enim homo qui opus Dei facit fraudulenter, ſicut dicitur in Ieremia, Et in Leuitico dicitur: Omnis oblatio quæ offertur Domino abſque fermento erit. Abiiciamus igitur fermentum hypocriſis & hoſtiam noſtram ad Dominum referamus, vt ſecundum Iſaiæ conſilium faciamus, rectas ſemitas Dei noſtri. De ſanctis enim animalibus Ezechiel ait: Pedes eorum pedes recti. Et in Leuitico dicitur: quod ſi in cute hominis alba vel rufa macula fuerit, lepra reputabitur, id eſt, ſi in carnis mortificatione inanis gloria vel cupiditas apparuerit, hoſtia Deo abominabilis erit. Opera igitur manuum noſtrarum dirigamus ſuper nos, vt quidquid facimus, ad ipſum referamus. Simulatores enim & callidi prouocant iram Dei, ſicut dicitur in Iob. Puriſſimum enim erat oleum tabernaculi. Et nos pura intentione hoſtiam no-

*Iob.1.*

*De holocauſto. Leui.1.*

*De diuerſis animalibus offẽrendis. De hoſtia ſancta. 1.Teſ.4. Lucæ.2. Apoc.15.*

*Iob.27. 2.Tim.2. De conſtantia in bono opere. Apoc.2. Lucæ 7. Mar.11. Apoc.22. 2.Petri 2. Ezech.1. Matth.28. Matth.20. 1.Reg.14.*

*Eccle.7. Exod.28. & 39.*

*Matth.7. & Lucæ 6. Parab.10. Ezech. 24.*

*Leuit.6.*

*2.Petri 1. De recta intentione.*

*Leuit.4. Apoc.14. Tob.13. Ieremi.48. Leuit.2.*

*Iſaiæ 40. Ezech.1. Leuit.13.*

*Iob.36. Exod.26.*

stiam nostram beneplacitam per rectam intentionem & debitum finem debemus offerre, & modis omnibus ab inani gloria nobis cauere, quæ quasi equus siluester, qui funibus retineri non potest, à bonis operibus nostris vix auellatur, sed latenter subintrat & opus nostrum inquinat, nisi cautè & diligenter repellatur. Nisi enim oculus intentionis nostræ fuerit simplex, corpus boni operis lucidum esse non poterit. Sacrificemus igitur Deo cum vera cordis humilitate, quæ non vult apparere nec laudari, sed magis appetit latere & vilipendi. Vnde Propheta Dauid ait: Vide humilitatem meam & laborē meum. Duo enim habet paupertas sequentium pauperem Christum. Laborem & humilitatis abiectionem, propterea in terra sua duplicia possidebunt. Sedebunt enim in iudicio, & iudicabūt mundum cum Christo, vt pro vilitate sit eis honor iudiciariæ potestatis, & pro labore & afflictione refrigerium, & quies pacatissimæ sessionis. Sed quoniam in offerendo corporum suorum hostiam, multi zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, subiungit Apostolus: Rationabile obsequium vestrum, ne quid nimis vel indiscretè. Cum temperantia enim corpora nostra castigare debemus, ne naturæ defectu cogantur dissolui, sed vitiis mori. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, id est, qui corpora vestra pro Christo affligitis, quod eorum est, eis reddatis, vt vitia tanquam equites perimantur, & corpora tanquam equi reseruentur. Non enim placet Deo sacrificium de rapina pauperis, nec rapere debemus pauperi carni, vnde debet in Dei seruitio sustentari, ne fortè dicatur de nobis. Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare. In omni enim sacrificio Domini sal discretionis præcipimur apponere. Animal enim non findens vngulam per discretionem reprobatur in lege, sed nec animal cœcum per indiscretionem & præcipitationem Domino offerebatur. Vnde Dominus in Leuitico ait, Facite præcepta mea, atque iudicia, id est, cum iudicio discretionis, quod vobis præcipio, faciatis. Et in Canticis sponsa ait: Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. In digitis discretio, in myrrha carnis mortificatio. In eo quod dicitur probatissima, vitæ veritas & rectitudo intentionis designatur. Si enim rectè offeramus, & non rectè per discretionē diuidamus, peccamus. Debemus enim viam trium dierum pergere, si dignè Domino volumus sacrificare. Via trium dierum discretio cogitationum, sermonum, & actionum. Vnde in Parabolis de forti mulière dicitur. Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Lana ad opera charitatis, linum ad macerationem carnis refertur, quæ consilio manuum, id est, cum discretione debet fieri. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. Vnde in Exodo: Craticula altaris in modū retis iubetur fieri, vt carnis afflictio oculata sit per discretionē & circunspectionem. Propterea ad Tim. Apost. ait: Noli adhuc aquā bibere, sed modico vtere vino propter stomachū tuum & frequētes tuas infirmitates. Teste enim B. Bernardo, qui nō vixerit vt homo, viuet vt bestia. Vnde Isaias ait: Hęc est via, ambulate in ea, nec ad dextrā, nec ad siniſtrā declinetis. Non solùm autem debemus corpora nostra hostiā offerre Deo, carnem nostrā macerando cōtra luxuriam, sed insuper debemus fugere omnē mundi huius concupiscentiā & vanitatē contra auaritiā & superbiā. Propterea Apost. ait: Nolite cōformari huic seculo, id est, formā secularis concupiscentiæ assumere, ne similes sitis secularibus, qui dediti sunt mundi vanitatibus. Non inueniat in vobis diabolus vexilla sua, nec sigillū ipsius vobis impressum feratis, vt dicere valeatis: Venit Princeps mundi huius, & in me nō habet quicquā. Licèt igitur Ægyptij, id est, seculares homines abominētur oues, id est, simplices mundū cōtemnentes, qui se Domino sacrificāt, nō ob hoc debemus illis cōformari, propterea Apost. ait: Si hominibus placerē, Christi seruus non essem. Et Dauid ait: Confusi sunt, qui hominibus placent, quoniā Deus spreuit eos. Et Dominus ait: Propterea mundus vos odit, quia de mundo nō estis. Superbi enim odiunt, & derident humiles: gulosi abstinentes, luxuriosi cōtinentes, malitiosi simplices. Vnde Isaias ait: Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Vermis, scilicet, inuidiæ, quia inuident bonis, & impugnant supernam gratiam, quod est peccatum in spiritum sanctum, & tinea malitiæ. Non igitur huic seculo cōformemur, quia non est conuentio Christi ad Belial. Sed fugiendū est de medio Babylonis, secundū consilium Prophetæ. Et sicut fur, quando ducitur ad suspendiū, si potest ad Ecclesiā fugit, vt euadat, ita vitanda sunt prauorū cōsilia, & ad bonorum consortiū fugere debemus, vt gehennæ patibulū vitare valeamus. Nolite igitur cōformari huic seculo mendaci, fallaci, vano, qui more fraudulenti hospitis blanditur præsentibus, spoliat recedentes, diuitibus obsequitur & applaudit. In recessu quod suum est tollit, recedentes à memoria, facilè expellit. Nolite conformari huic seculo, quia præterit figura huius seculi, quia vanitas vanitatum & omnia vanitas. Vanitas mutabilitatis, vanitas falsitatis, vanitas curiositatis. Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum. Omnis caro fœnum, & omnis gloria mundi, quasi flos agri. Omnis enim creatura vanitati subiecta est. Omnis terrena tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Nolite conformari huic seculo, quia quicquid est in eo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Reformamini autem in nouitate sensus vestri, qui in Adam fuistis deformati, & ex parte imaginem Dei amisistis, reformamini formæ incommutabili adhærendo, vt ab illo, à quo formata est, vestra reformetur imago. Sicut igitur portauimus imaginē terreni, ita portemus imaginē cœlestis,

*Similit.*

*Matth.6.*
*Luce.11.*

*Isaie 61.*

*Rom.12.*
*De discretione in bono opere.*
*Sap.1.*
*Eccle.34.*

*Luce 14.*
*Leuit.2.*
*Item 16.*
*Item 22.*
*Item 23.*
*Cant.5.*

*Exod.3.*

*Parab.31.*

*Item.30.*
*Exod.27.*

*1.Tim.5.*
*Bernardus.*

*Isaie 30.*

*Rom.12.*
*Quod non debemus huic seculo conformari.*
*Exod.8.*

*Gala.1.*
*Ioan.15.*

*Isaie 51.*

*2.Cor.5.*
*Ierem.50.*
*Simile.*

*De vanitate & fallacia huius seculi.*

*Rom.12.*
*1.Cor.7.*
*Eccle.1.*

*Isaie 40.*
*Rom.8.*

*1.Ioan.2.*
*De spirituali renouatione.*

*2. Cor. 15. Cantic. 1. Leuit. 8.*

imitando Pontificem nostrũ, qui nobis pontẽ fecit, vt post odoré vnguẽtorũ eius curremus, quem pater oleo lætitiæ præ cõsortibus suis vnxit, & in summũ Pontificẽ cõsecrauit. Et quoniam Dei adiutores, & cooperatores esse debemus, nostrũ est animas nostras prã parare, & mel lificare cerã, nosmetipsos reddendo habiles, vt Deus sigillũ similitudinis suæ nobis imprimat, & gratiæ suæ virtutẽ apponat. Conformari igitur debemus Domino, ipsum imitando, qui ait:

*Matth. 11. Ioël. 2.*

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Ipse enim benignus est in donãdo, misericors in cõdonando, patiẽs in expectãdo, largus in remunerãdo. Conformemur igitur illi in hoc seculo, vt ipse in alio reformet corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ. Sicut autẽ

*Phil. 3.*

*De vexillis Dei & vexillis diaboli. Simile.*

capta aliqua munitione, auferuntur vexilla hostiũ, & apponuntur vexilla victorũ, ita auferenda sunt signa diaboli, & affigenda signa seu vexilla Christi, vt in nobis loco superbiæ appareat humilitas, loco inuidiæ benignitas, loco iręponatur vexillũ patiẽtiæ, loco acidię feruor spiritus succedat, loco auaritię, spiritualis & voluntaria paupertas, loco gastrimargię sobrietas, loco luxuriæ castitas. Sic igitur reformari debemus in nouitate sensus nostri, vt renouemur ad similitudinem

*Apoc. 20.*

noui hominis, id est, Christi, qui ait in Apocal. Ecce noua facio omnia. Reformemur in nouitate sensus nostri per studiũ lectionis & meditationis, vt sensus & intellectus noster renouetur in illis, & diuinas scripturas spiritualiter intelligamus, in quibus probare poterimus & cognoscere, quę sit voluntas Dei, bona, & beneplacẽs, & perfecta. Bona in fide, beneplacens in spe futurorũ bonorũ, perfecta in charitate. Vel bona in cõiugatis, beneplacẽs in viduis, perfecta in virginibus,

*De voluntate Dei quæ bona est beneplacens & perfecta.*

& in his qui omnia pro Christo reliquerũt, & nudũ nudi secuti sunt. Bona etiã dicitur Dei voluntas in se, quia nihil vult, nisi bonũ, beneplacẽs in sanctis suis. Perfecta autẽ dicitur, quia nihil ea melius est ac sanctius. Expedit igitur diligẽter intueri & probare, quę sit voluntas diuina, & quid ei placeat, & nõ sequi propriã voluntatẽ, nec sapiẽtes esse in oculis nostris, sed voluntatem

*Heb. 9. Parab. 3. Isaiæ 5. Rom. 11.*

nostrã diuinæ voluntati cõformare, vt sit bona, id est, vt nihil velimus, nisi bonũ & beneplacẽs, ne ita bonũ velimus vel operemur, quod inde proximos scãdalizemus, sed vtilitati fratrũ intendamus, & perfecta, vt aliorũ imperfectionẽ supportemus, & nõ simus sapiẽtes in oculis nostris, nec de nostra sapiẽtia pręsumamus, nõ sapiẽtes alta, sed humilibus cõsentientes & cõdescendentes. Probare enim debemus, quæ sit volũtas Dei, & nõ sequi voluntatẽ nostrã. Aliqua enim videntur nobis bona, & in oculis nostris placẽt, quæ Deo displicẽt, & vnde credit homo mereri

*Rom. 12.*

*Item. 9.*

præmiũ æternũ, meretur plerunq; æternũ suppliciũ. Propter quod Apost. ait: Dico enim per gratiam, quę data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, nõ plus sapere q̃ oportet sapere, sed sapere ad sobrietatẽ. Dico per gratiã, id est, per sapientiã, quę gratis data est mihi: vel per gratiã Apostolatus, quę data est mihi, id est, authoritate Apostolica, nõ plus sapere q̃ oportet sapere, id est, nõ pręsumere, vel superbire de sapiẽtia nostra, sed sapere ad sobrietatẽ, nõ ad præsumptionẽ. Hoc specialiter dicit cõtra Gentiles tumẽtes, qui Iudæis insultabãt, tanquã ramis præcisis. Nõ enim

*Item 9.*

gloriandũ est de aliena iactura. Plus enim q̃ oportet sapere, sapit, qui de alterius miseria se attollit, cùm potius humiliari debeat, ne & ipse cadat. Qui enim de sapiẽtia sua attollitur, & alios

*Quod non debemus plus sapere quam oportet.*

cõtemnit, & sapientia sua malè vtẽs, infirmos scãdalizat, hic profectò plus sapit quàm oportet. Vnde Apost. ad Corinth. Si quis videtur inter vos sapiẽs esse, stultus fiat, vt sapiẽs sit, id est, stultũ se reputet, vel stultus sit seculo, vt sit sapiẽs Deo. Sapientia enim huius seculi, id est, astutia se-

*1. Corint. 3. Isaiæ 5.*

cularis, stultitia est apud Deũ. Cõtra pręsumẽtes de sapiẽtia ait Isa. Vę qui sapiẽtes estis in oculis vestris, & corã vobismetipsis prudẽtes. Qui, scilicet, sapientiã vestrã ad vtilitatẽ aliorũ nõ retorquetis, sed alios cõtemnitis. Et in Eccles. dicitur: Nõ te extollas in cogitatione animę tuę, velut

*Eccle. 6.*

taurus, ne fortè elidatur virtus tua. Quidã autẽ attolluntur propter cornua duorũ testamentorũ, sicut in Ecclesiaste Salomõ ait: Vbi multa sapiẽtia, multa est indignatio. Et iterũ: Noli esse multũm iustus, nec plus sapias quàm necesse est. Et in Parab. Qui cõfidit in corde suo, stultus est. Et

*Eccle. 1. Item. 7. Parab. 28. Ierem. 9. 1. Cor. 7.*

Ieremias: Non glorietur sapiẽs in sapiẽtia sua. Et Apost. ait: Sciẽtia inflat, charitas ædificat. Alio modo, plus sapit quàm oporteat, qui nimis profundè de mysteriis diuinis inuestigãt, quia perscrutator Maiestatis opprimetur à gloria. Non enim debemus transgredi terminos, quos posuerunt nobis Patres sancti, ne bestia cõtingens montẽ, lapidetur: sicut hæretici, qui de suo ingenio cõfidentes, falsa dogmata de sensu proprio cõponunt, & Ecclesiã Dei arrogãter impugnãt:

*De nimis profunda occultorum inquisitione. Simile. Parab. 25.*

similes pediculis, qui matrem suam, id est, carnẽ suam, ex qua nascuntur, corrodunt & infestãt. Propterea in libro Sapientiæ dicitur: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis

*Item 22. Exod. 19. Sapien. 1. Amos 1.*

quærite illum. Non enim ossa Regis Idumæi in puluerẽ debemus redigere, nec nimis subtiliter de diuina Maiestate inquirere: Iudicia enim Dei abyssus multa. Vnde in Prouerbiis dicitur: Ne

*Prouer. 23.*

irrigas oculos ad diuitias, quas habere non potes, quia facient sibi pennas vt aquilæ. Quasi dicat: Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Et iterum: Noli laborare, vt diteris, sed sapientiæ tuæ impone modum, vt, scilicet, agnoscas quæ dicas, & modum non excedas. Et in Ec-

*Item ibidem. Eccle. 3.*

clesiastico dicitur: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, ipsa semper cogita. Teste enim beato Hieronymo, Stultum est sollicitari de eo, quod

*Hieronym. Leui. 21.*

sine periculo nescitur. Vnde in Leuitico prohibetur, ne homo paruo vel grandi ac torto naso, ad sacerdotium assumatur. Paruo naso est, qui nõ sufficit bona à malis discernere. Grandi naso, qui cœlestia supra vires suas præsumit inuestigare. Torto naso, qui abutitur sua sapientia ex indiscretione. Non enim aperiendà est cisterna, ne bos aut asinus cadat in ipsã. Tertio etiam modo intelligi potest, quod ait Apostolus: Non plus sapere, quàm oportet sapere, vt referatur ad

*Exod. 21.*

secularem scientiam, & ad naturalium nimiam inquisitionem. Qui enim ingenium suum curioſe circa inutilia implicat, & inuoluit, plus sapit quàm sapere expedit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter. Melius est enim cognoscere infirmitatem & miseriam suam, quàm cursus syderum vel naturas rerum. Vnde Salomon in Ecclesiaste: Proposui animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus quæ sunt sub Sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum. In his enim non est nisi vanitas, & afflictio spiritus. Et iterum ait: Deus fecit hominem rectum, & ipse se immiscuit infinitis quæstionibus. Vnde Dominus per Abdiam Prophetam ait: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Terrestrem, scilicet, sapientiam, id est, nimiam naturalium inquisitionem, quæ stultitia est apud Deum: vel sapientiam diabolicam astutiam, scilicet decipiendi. De qua Ieremias ait: Sapientes sunt, vt faciant mala. Debemus igitur non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, id est, non de diuinis mysteriis nimis profundè inquirere, nec circa rerum naturas curioſe intendere, nec de sapientia nostra præsumere, vel abuti ea, sed ad vtilitatem proximorum referre. Propterea Apostolus ait: Vnicuique oportet sapere, prout diuisit Deus mensuram fidei, scilicet, secundum capacitatẽ suam. Sic enim, vt ait B. Augustinus, pro viribus suis alitur infans, crescit vt plus capiat. Si autem vires suæ capacitatis excedit, deficit priusquá crescat. Dominus enim ita diuidit dona sua alij plus, alij minus, quod multi vnum corpus sumus in Domino, diuersis donis & gratiarum carismatibus, velut diuersis membrorum officiis vtentes. Propterea Apostolus ait: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem habent actum, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem aliter alterius membra. Vnus enim alij debet seruire, & gratiam quam habet ad cõmodum alterius retorquere, sicut in humano corpore membra sibi inuicem seruiunt, & si vnum patitur, cæterá compatiuntur. In corpore enim Ecclesiæ, alij sunt oculi, scilicet, qui lumen spirituale toti corpore ministrant, Doctores & S. Prędicatores. Manus autẽ sunt, qui alios defendũt, sicut Reges & alij Potẽtes, & qui aliis necessaria ministrãt. Pedes sunt simplices laici, qui pro aliis sustentandis laborãt. Pedes etiã sunt, qui alios in necessitatibus visitant. Nares sunt, qui scientiã & gratiam discretionis habent. Aures sunt, discipuli boni, qui libenter verbũ Dei audiunt. Humeri sunt, qui aliorũ onera portant, & sic de aliis membris potest intelligi. Vnde B. Iob ait: Oculus fui cæco, & pes claudo. Idem enim secundũ diuersos actus, & varia officia, diuersis nominibus nuncupatur. Vnde Heliseus ad Heliam ait: Pater mi, currus Israël, & auriga eius. Currus portando & sustinendo, Auriga regendo. Sicut enim cerui dum transeunt aquam, per cornua sua sibi inuicẽ sustentant: & oues in feruore diei, sibi mutuo vmbram refrigerij præstant, ita alter alterius onera portare debemus. In cuius rei figurã præceptum est Leuitis, vt portarent arcam, & tabernaculũ cum omnibus vasis eius. Et in Genesi legimus, quod Ioseph dedit fratribus plaustra ad subuectionẽ paruulorũ. Et in Deut. Si videris asinum aut bouem fratris tui cecidisse in via sub onere, non despicies, sed subleuabis cum eo. Qui igitur vera Christi membra sunt, aliis cõpati debent. Membra autem sicca & stupida aliorum dolorem non sentiunt, sed in præsenti arescunt, vt tandem sempiternis incendiis alimẽta ministrẽt, similia feno tectorũ, quod priusquã euellatur, exaruit. Dominus autẽ multas inuenit struriones, quæ ad pullos suos indurãtur, sed paucas gallinas, quæ pullis infirmioribus cõpatiantur. Genus enim humanũ in primo parente, quasi in radice cõputruit, & in ramis ariditatẽ contraxit. Vnde fructum non potest facere, nisi per humorem gratiæ cœperit reuirescere, nec sibi inuicẽ membra cõpati possunt, nisi per gratiã & charitatem in vno corpore coniungantur: aliis seruientes, & aliis indigentes, supportantes inuicem in charitate. Sicut scriptũ est: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, id est, præcepta mutuæ charitatis.

*Quod non debemus implicari in secularibus scientiis per curiositatem.* *Eccle.1.* *Eccle.1. item 7.* *Abdias.1.* *Ierem 4.* *Rom.12.* *Item 12.* *Augustinus.* *De diuisione gratiarum & qualiter illis vti debemus.* *Rom.12.* *1.Cor.12.* *De diuersis mẽbris corporis Christi. i. ecclesiæ.* *Iob 29.* *4.Reg.2.* *De fraterna onere portando.* *Simile.* *Gala.6.* *Num.4.* *Gen.45.* *Deut.22.* *Ephe.4.* *Galat.6.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Lucæ 2.*

*Cùm esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem.*

LINGVA mea calamus scribę velociter scribentis. Scriba iste velociter scribẽs, est spiritus sanctus, qui verba prędicatorũ scribit in cordibus auditorũ. Calamus siue penna quo vtitur scriptor, est lingua Doctoris, quę penitus est inutilis & in vanum laborat, nisi sit intus spiritus sanctus præsidẽs, qui doceat. Pergamenũ huius Scribæ sunt, fideliũ animæ. Hoc pergamenũ debet esse deficcatũ, abrasum, mundũ, candidũ, regula lineatũ, deficcatũ à prauis humoribus & carnalibus affectionibus, per abstinentiã. Abrasum ab omnibus superfluitatibus per temperantiã, candidũ per continentiã, lineatũ per discretionẽ. Regula est crux Christi & eius vita, iuxta quã debemus dirigere vitã nostrã. Incaustũ, nigrũ est memoria mortis nostrę, & tormentorũ gehẽnæ. Qui enim frequẽter horũ meminit, nõ negligẽter retinet literas huius Scribæ, id est, verba sacræ scripturę. Flagella etiam & aduersitates quibus à Domino corripimur, pro incausto habere debemus, vt verba & mandata Dei in corde nostro scripta teneamus, sicut verberati pueri lectionẽ suam diligentius retinent & frequentius repetunt. Vnde scriptum est: Qui

*Quod spiritus sanctus dicitur scriba, calamus lingua prædicatoris, pergamenum cor auditoris. cuiusmodi debet esse pergamenum.*

*Num.11.* fingis laborẽ in prẽcepto. Et iterũ: Imple facies eorũ ignominia, & quærẽt nomẽ tuũ Domine. Quia onus Niniue liber eſt viſionis, id eſt, tribulatio huius mundi, admonere nos debet noſtrę lectionis, ſicut dicit Pſalmus: Cùm occideret eos, quęrebant eum. Liber iſte cuius literæ ſcriptæ ſunt in cordibus noſtris, illuminari debet minio, id eſt, tubricari ſanguine Chriſti, quẽ pro nobis effudit in morte. Aureæ literæ ſunt gloria, quã habuit in reſurrectione. Hic eſt liber ſcriptus intus & foris, quẽ deuorauit Ezechiël Propheta, & factus eſt dulcis in ore, ſed amarus in ventre. Abiit enim amarus in indignatione ſpiritus ſui. Liber enim diuinæ ſcripturæ ſcriptus eſt foris ſecundũ ſuperficiẽ literę, & intus ſecundũ ſpiritualẽ intelligentiã. Non comedes ſanguinem, ecce ſcriptura exterior. Nõ delectaberis in peccato, vel in detrahẽdo proximo, ecce ſcriptura interior. Liber iſte dulcis eſt in ore, id eſt, ad docendũ, ſed amarus in ventre, quãdo replẽtur viſcera volumine. Quia qui addit ſcientiã, addit & dolorẽ. Quãtò enim anima diuinã ſcripturã intelligit magis, tantò imperfectionẽ ſuã magis attendit. Et maiorẽ amaritudinẽ pro peccatis ſuis in mente cõcipit. Eſt autẽ quoddã pergamenũ reprobũ & maledictũ, in quo nõ poſſunt literæ diu retineri, quãdo, ſcilicet, nimis eſt humidũ per gaſtrimargiã. Hi ſunt quorũ vox eſt: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. In quorũ mentibus tanquã locis humẽtibus, vt ait ſanctus Iob, dormit Behemoth, id eſt, diabolus. Eſt aliud pergamenũ piloſum nimis, quod nõ eſt aptũ ad ſcribendũ. Hi ſunt cupidi, auari, quorũ corpora grauãtur crapula & ebrietate, & curis, & ſollicitudinibus huius ſeculi, onerati pomis ſilueſtribus, more hericij, id eſt, cupiditate & curis, & anxietatibus huius mundi, in quibus nõ poteſt inueniri caput & cauda, ſicut hericius, dum capiatur, inuoluitur, & caput cũ pedibus abſcõdit ſpinas pellis ſuæ, quibus pungat, tantũ prætendit. Hi ſunt quaſi fuſata inuoluta, & intricata, in qua nec finis inueniri poteſt, nec principium. De quibus dicit Iſaias: Ibi habuit foueam hericius, id eſt, in cordibus talium commoratur diabolus, eos pungens & inuoluens. Et iterum: Dominus miſcuit in medio eius, ſpiritum vertiginis: & errare fecit Ægyptum, in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens, & non erit opus Ægypto, quod faciat caput & caudam. Eſt aliud reprobum pergamenum nimis pingue, & carnoſum, malè excoriato animali, inutile ad ſcribendum. Hi ſunt luxuriоſi & carnis affectionibus dediti, quorum cor eſt quaſi fruſtum carnis. Eſt quartum pergamenum, durum nimis, & rigidum, in quo facilè non poteſt quis ſcribere, hi ſunt ſuperbi, & obſtinati, qui verbum Dei audire dedignantur, vel ſi audiunt, deridunt vel ſpernunt. Orate igitur fratres, vt Scriba velociter ſcribens, pergamenum cordium noſtrorum ita diſponat, & calamũ linguę meę ſic moderetur & regat, vt verbũ Dei, quod eſtis audituri in mentibus veſtris remaneat, & animas veſtras illuminet. Cùm eſſet annorũ duodecim, &c. Non imputãdum fuit negligẽtiæ Ioſeph, & neq; Mariæ, quod ipſis neſcientibus rẽmãſit Ieſus in Ieruſalem. Conſuetudo enim erat apud Iudæos, quod in tẽplo & proceſsionibus, & in itinere, dum aſcenderẽt in templum, viri abſq; cõſortio mulierũ ibant, & mulieres ſimiliter ſeorſum pergebant. Puerũ autẽ hac lege nõ tenebãtur, ſed quãdoq; cum patribus pergebãt, quãdoq; cum matribus. Vnde potuit eſſe quod putauit Ioſeph Ieſum puerum eſſe cum matre in cõſortio fœminarũ, & mater credidit quod eſſet cum Ioſeph in comitatu virorũ. Hæc cõſuetudo introducta, eſt cauſa honeſtatis & cautelæ, ne fortè darẽt locũ diabolo, vel occaſionẽ tentandi infirmos, iuxta cõſilium Sapientis in Eccleſ. dicentis: In medio mulierũ noli cõmorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Vnde B. Hieronymus ait: Si fœminæ cum viris habitẽt, viſcarium nõ deerit diaboli. Non licet enim cõtueri, quod nõ licet cõcupiſci, nec poteſt ignis in ſinu abſcondi, vt veſtimẽta nõ ardeant. Audiant hoc impudicæ & fatuæ mulieres, & etiã quædã incautæ virgines, quæ nõ ſolùm in Eccleſiis & proceſsionibus vel itinere peregrinationis, ſed in locis ſuſpectis & ſecretis, priuata colloquia cum viris habere nõ verentur. Beata autẽ Maria ad ingreſſum Angeli expauit. Exemplo autẽ ipſius nõ ſolũ ſecularium perſonarũ, ſed & aliorum quantumcunq; præemineant religione, priuata cõſortia debẽt mulieres vitare, & prudenter in animo penſare, q, huiuſmodi homines non ſint fortiores Sampſone, ſapiẽtiores Salomone, Dauid ſanctiores, qui per mulieres peccauerunt, & miſerabiliter corruerunt. Si verò ignis luxuriæ ferrum domare & emollire potuit, Dauid, videlicet Prophetam, qui Spiritum ſanctum à puericia habuerat, & fortiter in amore Dei permanſerat: de quo Dominus dixerat: Inueni virum ſecundum cor meum, quantò magis ſtipulam iuxta ſe poſitam fragilem, ſcilicet, mulierculam, ignis libidinis, niſi ſibi cautè prouiderit, facilè deuorabit? Vir enim extraneus prope mulierem, eſt velut ignis iuxta ſtupam. Flos enim virginitatis citò marceſsit, & decidit ardore tentationis. Sed dicet forſitan ſecura nimis & non timorata mulier, nec experta fallaces verſutiæ hoſtis aſtutias, nullam ex cohabitatione hominum ſentio corporis mei fragilitatem, ſed magis ſolatiũ & recreationẽ. Eſto quod inimicus, vt te ſecurã & improuidam reddat ad tempus tibi parcere ſimulet. Vnde ſcis, ô imprudẽs & præſumptuoſa mulier, quod ipſe qui ſecretè tecũ loquitur, & vultũ tuũ frequẽter intuetur, occaſione tui nõ moueatur ad opus illicitũ, & inclinetur ad peccandũ? Cùm dicat Dominus in Euang. Qui viderit mulierẽ ad concupiſcendã eã, iam mœchatus eſt eã in corde ſuo. Tu autẽ quę occaſionẽ damni das, damnũ dediſſe probaberis, & incides in foueã, quã feciſti, dicẽte Domino in Exo. Si quis aperuerit ciſternã, & foderit & nõ operuerit eam, ceciderit q; bos vel aſinus in eam, dominus ciſternę reddet pretiũ iumentorũ. Quid eſt ciſternã fodere & non operire, niſi ſeſe incautè in colloquio ſecreto, vel in tactu impudico, his qui

*De libro ſcripto intus & foris.*

*Ezech.2.*
*Item 3.*

*Leuit.6.*

*Eccle.1.*

*De malo & reprobo pergameno.*

*Iſaiæ 22.*
*Iob 40.*
*Lucæ.12.*

*Iſaiæ 34.*
*Item 19.*

*Quod non eſt imputandũ parentibus quod Ieſus ſine ipſis remanſit in Ieruſalem.*

*Ephe.4.*

*De honeſta cõſuetudine qua cauetur periculoſa cohabitatio virorum & mulierum.*

*Eccle.40.*
*Parab.6.*
*Lucæ 1.*

*De violentia libidinis & incommodis per luxuriam.*

*Actuum 12.*

*Matth.5.*

*Exod.21.*

his qui labi facilè possunt, exponere? Teste enim Salomone in Parabolis: Fouea profunda est meretrix & puteus angustus aliena. Nunquã igitur solus cum sola sine teste clericus vel laicus sedeat, cùm etiã sacerdotibus pręcipiatur, vt mulierũ cõfessiones nõ in locis secretis, sed publicis recipere debeãt. Sancti etiã Episcopi cincti obsequio clericorũ, virgines & alias mulieres in monasteriis, vel in locis aliis, quãdo expedire videbũt causa cõsolationis, vel ædificationis visitare cõsueuerunt. Patet igitur quàm rationabili & honesta causa sancti & prudẽtes viri apud Gentẽ Hebręorũ cõstituerunt, vt viri seorsum procederẽt, & mulieres per se sine virorũ cõsortio pergerent. Et idcircò ignorãtibus parẽtibus, remãsit puer Iesus in Hierusalẽ. Licèt autẽ per tres dies dolẽtes quęrerẽt eum, maluit eos quos plurimum diligebat ad tẽpus dolore affligi, quàm aliqua quæ ad ædificationẽ nostrã pertinẽt, prætermittere. Exemplum enim reliquit nobis, vt & nos faciamus similiter, & spiritualia temporalibus, æterna transitoriis pręponamus. Quæ me videritis facere, dicit verus Gedeon cõmilitonibus suis, hęc faciatis. Ipse enim ad hoc venit in mundum, vt nos exemplo informaret, verbo instrueret, passione redimeret. Ipse enim via est exemplo, veritas docẽdo, vita redimẽdo. Sicut scriptum est de ipso: In brachio suo formabit lutum, id est, homines mortales & carnales, operibus suis informabit. Mysticè autem Maria & Ioseph qui Christo & Mariæ ministrabat, id est, contemplatiua & actiua Iesum quærunt, & eum post triduum contritionis, confessionis, & satisfactionis, vel fidei, spei, & charitatis, vel sobrietatis, iustitiæ & pietatis, inueniunt. Nos autem, si Christum peccatis nostris amissimus præ turba malarum cogitationum, vel carnalium desideriorum, quæramus eum dolentes per triduum bonæ cogitationis, locutionis, & operationis, vel contritionis, confessionis, & satisfactionis. Surgamus cum sponsa, & quæramus quem diligit anima nostra. Inuenitur autem, non in vicis, & plateis ciuitatis, non in taberna, vel in foro, sed in medio Doctorum in templo, id est, inter illos, qui de Deo loquuntur, & diuinas scripturas nobis exponunt. In excelso enim throno, id est, in Ecclesia, inter Doctores & sanctos prædicatores, videbimus sedere eum. Quæsitus autẽ ante legem & sub lege Mosaica, quasi tertia die sub lege Euãgelica repertus est, dum mundo innotuit & visibiliter apparuit. Post triduum etiã passionis inuentus est, in gloria immortalitatis. Ex his autẽ quæ in hodierno Euãgelio de ipso leguntur, quadruplici nos informat exemplo. Primum est, vt postquã ratione & intellectu iam plenius vti cœperimus, ea quę sunt pueri, euacuemus. Cùm essem paruulus, ait Apostolus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabã vt paruulus, quãdo autẽ factus sum vir, euacuaui quę erant paruuli. Vt igitur doceret nos puerilia relinquere, aduenięte adulta ætate, cùm esset duodecim annorũ, remansit in templo in Hierusalẽ, vt in his quæ patris eius cœlestis erãt, intẽderet, & intẽdere alios doceret, cùm iam ad hanc ætatem peruentum esset. Vnde B. Martinus, cùm esset duodecim annorum, eremum cõcupiuit. Et B. Agnes anno decimotertio pro Christo martyriũ sustinuit. Et Daniẽl puer, senes presbyteros iudicauit. Vnde in libro Sapiẽtiæ dicitur: Senectus venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum cõputata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Et Apostolus 1. ad Corinth. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Et rursus in eadem Epistola: Priùs enim est quod animale, posteà quod spirituale. Quidam autem semper pueri sunt, & animales, fatui & imprudentes, nunquam quæ Dei sunt, sapiunt, nunquam ad maturitatem perueniunt, sicut quædam vuæ acerbæ, quæ nunquam ad dulcedinem maturitatis pẽducuntur, & quædam praua legumina, quæ quantò magis ad ignem bulliunt, tantò amplius dura efficiuntur, nec vnquam aliqua decoctione emolliuntur. Sicut quidam fructus pessimi, qui nunquam matureścunt, ne valeant manducari. De talibus Ieremias ait, se videre ficus malas, malas valde. De his autem reprobis senibus, & infatuatis, inueteratis dierum malorum, qui velut trunci veteres & putridi, aliquo flatu succendi nequiunt, sed semper fumigando inutiliter consumuntur. Dicit Isaias: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Econtrà de his qui non differunt conuerti ad Dominum, ait: Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum. Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Vnde legimus in Genesi, quod Abrahã magnum pręparauit conuiuium & magnum habuit gaudium, quando filius suus Isaac separatus fuit ab vbere, & potuit in mensa patris solidum cibum capere. Non tardet igitur adolescẽs cõuerti ad Dominum, nec differat de die in diem. Subitò enim venit mors & ira Dei, & in tempore vindictæ disperdet illos, qui promittunt furfur senectutis Deo, & similã iuuentutis dant diabolo. Vinum adolescentiæ inimico humani generis propinãt, & fæces senectutis se Deo daturos affirmant. His autem quos exemplo B. Nicolai in pueritia Domino seruire inspiciunt, improperãdo & deridendo dicunt: Qui in iuuentute sanctus fit, in senectute insanit. Econtrariò autem dicit Ecclesiastes: Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis tuæ & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Secundo exemplo in facto suo nos instruit Dominus, vt parentum nostrorum & propinquorum amorem spiritualibus exercitiis in his quæ spiritualiter ad Deum & ad salutem animarum pertinent, non præferamus. Et quoniam inimici hominis domestici eius, nõ venit Dominus pacẽ mittere, sed gladium, id est, venit separare hominẽ aduersus patrẽ suum, & filiã aduersus matrẽ suam, & nurũ aduersus socrum suam, quãdo, scilicet, in his, quę ad Deũ pertinẽt, parẽtes filios impedire nituntur. Qui enim amat patrem aut matrẽ plusquã me, dicit Dominus, nõ est me dignus. Vt autẽ doceret affectus carnales

*Paral.23.*
*Ioan.21.*
*Iudic.7.*
*Ioan.14.*
*Eccle.28.*
*Mysticè de Maria & Ioseph quærentibus Iesum & quod inuenitur post triduum.*
*Cant.2.*
*Vbi Christus inuenitur.*
*Isaiæ 6.*
*De quadruplici exemplo.*
*2. Corin.14.*
*Quod ætate adulta ea euacuanda sunt, quæ sunt paruuli.*
*Dan.14.*
*Sap.4.*
*1. Corint.14.*
*Item.15.*
*De his qui semper sunt paruuli & nunquam ad maturitatem perueniunt*
*Ierem.24.*
*Isaiæ 65.*
*Item 28.*
*De his qui citò conuertuntur ad Dominum.*
*Gene.21.*
*Eccle.5.*
*Eccle.11.*
*Secundum exemplũ contra vanis affectionem & propinquorum inordinatam amorem.*
*Matth.8.*
*Mar.10.*

Matth.12. Mar.4. parentum non debere præponi spiritualibus affectibus, extẽdens manus in discipulos, ait: Ecce mater mea, & ecce fratres mei. Quicunq; fecerit voluntatẽ patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Si enim fideles sunt parẽtes tui, & Christum diligunt, exultent & cooperentur tecum, & faueãt tibi Christo seruire volenti. Alioquin mortui sepeliant mortuos suos, tu autem discede, & vade, & annuntia regnũ Dei. Qui enim reliquerit, dicit Dominus, fratres & sorores, aut patrẽ, aut matrẽ, aut vxorẽ, aut filios, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit. Nomen eius est Iesus, id est, Saluator. Igitur propter salutem animæ, relinquendi sunt parentes: multi enim ne parentes vel cognatas offendant, Deum offendere non verentur. Vnde Dominus ait ad Adam: Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo tibi præceperam ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Légimus autem in Exodo, quod cùm diceret Moyses Pharaoni, Cum paruulis nostris & senibus pergemus cum filiis & filiabus. Respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscũ, quomodo dimittam vos, & paruulos vestros? Necessitate enim plagarum coactus, volebat dimittere parentes, vt sacrificarent in deserto, sed filios retinere volebat. Multi enim relinquentes mundum & de Ægypto exeuntes, amore propinquorũ reuertũtur in Ægyptũ. Et maximè quidã regulares, qui licèt multum vigilent & ieiunẽt, & seipsos in religione affligant, amore tamẽ propinquorũ frequẽter discurrunt, vt pro ipsis apud Principes seculares vel Prælatos intercedant, prætoria Iudicũ facti aduocati frequẽtant, nõ tantũ de salute propinquorũ, quantũ de cõmodo temporaliũ curãtes. Licèt igitur exierunt de terra sua carnẽ suã: terrã, scilicet, corporis sui per abstinentiã macerãtes, nõ exierũt cũ Abrahã de cognatione sua. Cùm tamẽ dicat Dominus: Obliuiscere populũ tuũ, & domũ patris tui, & cõcupiscet Rex decorẽ tuũ. Sicut igitur qui suffocatur in aquis, quos potest tenere secum trahẽs, submergit: sic plerunq; huiusmodi homines, dum propinquis secularibus in temporalibus incautè subuenire cupiunt, cum ipsis pereuntibus pereunt. Audiãt isti quid dicat Moyses in Deut. Qui dixerit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierũt filios suos, hi custodierũt eloquiũ tuũ, & pactũ tuũ seruauerũt. Et Dominus in Leuit. de summo sacerdote ait: Ad omnẽ mortuũ nõ ingredietur omnino, super patre suo & matre sua nõ cõtaminabitur. Multi enim miserabiles homines, ne relinquãt hęredes suos pauperes, per fas & nefas, modisq; quibus possunt, per fraudes & vsuras, vnde ditẽt eos acquirere & cõgregare pecuniã satagunt, nõ solũ seipsos cõdemnãtes, sed eos quibus fœnebrẽ pecuniã relinquunt, æternis incẽdiis obligãtes. De quibus ait Propheta: Immolauerũt filios suos & filias suas dæmoniis. Et in Ecclesiast. vir Sapiẽs ait: De patre impio queruntur filij, quoniã per illum sunt in opprobrio. Hoc maximè erit in inferno, quãdo filij exurgẽt cõtra parẽtes. Audiãt igitur huiusmodi miseri parẽtes, quid scriptũ sit in Ecclesiaste: Detestatus sum omnẽ industriã meam, qua sub Sole studiosissimè laboraui habiturus hęredẽ post me, quẽ ignoro vtrũ sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui & sollicitus fui. Et est quidquã tam vanũ? Discant igitur parẽtes filios suos cõtra Deũ nõ amare, exemplo S. Martyrũ Marci & Marcelliani, qui filiorũ & vxorũ & parentũ lachrymas pro Christo cõtemnentes, ad Dominũ martyrio feliciter transierũt. Et exemplo matris septẽ Machabęorũ, quæ filios suos mortẽ pro lege Domini fortiter sustinere hortabatur, & ad martyrij palmã virago cum filiis moritura viriliter animabat. Quidã autem reprobi parẽtes nunquã diligunt filios, nisi sibi in iniquitatibus & peruersis moribus fuerint cõsimiles. Hi sunt velut corui, qui pullos suos pascere nolũt, nisi quando illos nigrescere conspiciunt. Revera coruis sunt hi similes, quæ est auis improba, rapax, clamosa, cadaueribus amica, cuius vox maledicta & à Domino reprobata est cra. De huiusmodi coruo dicit Sophonias: Vox cantantis in fenestra, & coruus in superliminari. Boni verò & religiosi parentes sunt sicut aquila, quę pullos suos velut non suos, sed magis degeneres abiicit, qui Solem in rota nequeunt intueri, ipsi verò de filiis vel cognatis suis non curant, nisi ad verum Solem mentis oculos attollant, secundum consilium Sapientis in Eccles. dicẽtis: Ne iucunderis super filiis impiis, si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Et iterum: Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et vtile est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. Quidã autem filiorum & cõsanguineorum mortẽ vel pecuniæ amissionẽ magis plorant, quàm animæ suæ perditionẽ. Plorandi sunt qui taliter plorant. Religiosus enim tristitia, aut alienũ peccatũ plorat, aut propriũ. Tertio exẽplo informauit nos Dominus, qui in diebus adolescentiæ suæ factus scholaris, sedebat in templo audiens & interrogans, & interrogantibus se, sapienter respondens. Non quia opus ei esset, vt aliquos interrogaret, cùm ipse nihil ignoraret, qui est sapiẽtia patris, in quo reposити sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, sed vt nos exemplo suo doceret. Sedebat enim in medio Doctorum, quia sapientia in consilio habitat, & eruditis interest cogitationibus. Ad ostendendum verò quod homo erat, homines magistros humiliter audiebat. Ad comprobãdum quod esset Deus, eis interrogantibus sublimiter & profundè respondebat. Proficere autem dicitur sapientia, quantum ad manifestationẽ coram Domino ad eius honorẽ, & hominibus ad eorum vtilitatem. Exemplo igitur suo nos instruit, vt scholas sapiẽtię frequẽtemus, & aurẽ nostrã sapiẽtibus inclinemus, & de his quæ ignoramus, diligẽter interrogemus & inquiramus, quoniã ignorãs ignorabitur. Noluit enim intelligere vt benè ageret. Idcircò quia repulit scientiam, repelletur à Domino. Et quia declinauit aurẽ suã ne audiret legem, eius oratio execrabilis erit. Teste enim Salomone in Para-

Quod mali parentes coruis comparatur.

Quod boni parentes aquilis comparantur.

Tertium exemplum vt libenter addiscamus.

Matth.8. Luc.9. Matth.19. Mar.10. Luc.18.

Gene.3.

Exod.10.

Gene.12. De his qui suffocantur in aquis.

Deut.33.

Leuit.21.

Eccle.41.

Eccle.2.

2.Mach.7.

Eccle.16.

Luc.2. Colo.2. Parab.8.

1.Corint.14. Osee.4. Parab.28.

in Parab. Filius sapiẽs lætificat patrem. Et iterum: Acceptus est Regi ministeri intelligẽs. Econtra autem idem in Parabolis ait: Quid prodest habere diuitias stulto, cùm sapientiã emere non possit? Ad hoc autẽ quod aliquis verè sit scholaris in scholis veræ sapientiæ, in templo, scilicet, veri Salomonis, oportet primùm quod habeat cor mundũ, & corpus coinquinatũ. Quoniã in maleuolã animã nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Vnde in Ecclesiast. Fili cõcupiscens sapientiã, conserua iustitiã, & Deus prębebit illã tibi. Et Dauid postulans disciplinã & scientiã, præmisit bonitatẽ, sine qua nõ potest haberi vera sciẽtia, dicẽs: Bonitatem & disciplinã, & scientiã doce me. Oportet prẽterea quod à iuuẽtute sua scholaris imbuatur disciplina. Talis enim ætas sicut cera mollis & tenera, facilius suscipit impressionẽ. Vnde qui in pueritia vel in iuuentute sua aliquod idioma nõ addiscunt, nunquã illud rectè loquuntur. Pulli etiã animaliũ in iuuẽtute possunt domari & doceri, sed nunquã vel rarò in iuuẽtute sua. Prætereà quę in pueritia addiscuntur, firmius & diutius retinẽtur. Quia quod noua testa capit, inueterata sapit. Vnde Sapiẽs in Ecclesiast. ait: Quæ in iuuentute tua nõ cõgregasti, quomodo inuenies in senecture tua? Et iterũ: Fili, à iuuẽtute tua excipe doctrinã, & vsq; ad canos inuenies sapientiã. Exẽplo igitur B. Nicolai, qui à teneris annis cũ parẽtibus pergẽs ad Ecclesiã, Ecclesię sanctę frequẽtans limina sacra pectori cõdebat mãdata. Debẽt adolescẽtes scholas superni magistri frequẽtare. Sicut scriptũ est in Ecclesiaste: Manè semina semẽ tuũ. Quartũ quod exigitur in scholis Domini, est virga disciplinę. Quoniã qui parcit virgę, odit filium. Vnde Salomõ: Stultitia colligata est in corde pueri, sed virga disciplinę effugabit eã. Dominus enim quos amat, arguit, & flagellat omnẽ filiũ quẽ recipit in scholis suis. Vnde Apost. ad Heb. Quis enim filius quẽ nõ corripit pater? Quod si extra disciplinã estis, cuius participes facti estis, omnes ergo adulteri & nõ filij estis. Et Dauid ait: Apprehẽdite disciplinã, & etiã si fugiat, sequimini eã. Igitur omne gaudiũ existimet discipulus Domini, cũ in varias tẽtationes inciderit. Quintũ est quod exigitur in scholis Domini, q; sit discipulus eius mitis & humilis: sicut summus & prudẽs Magister ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Ex fonte enim dominicę doctrinę fluũt riuuli in cõuallibus, & ad loca humilia deriuãtur. Vnde scriptũ est: Valles abundabunt frumẽto, id est, verbo Dei. Vnde Psal. Bonũ mihi q, humiliasti me, vt discã iustificationes tuas. Et iterũ: Declaratio sermonũ tuorũ illuminat, & intellectũ dat paruulis, id est, humilibus: sicut dicit Dominus in Euang. Confiteor tibi pater cęli & terrę, quia abscõdisti hęc à sapiẽtibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Vnde in Marco: Quisquis nõ receperit regnũ Dei velut paruulus, nõ intrabit in illud. Regnũ Dei in hoc loco appellatur diuina scriptura, quę nõ intelligitur, nisi in humilitate suscipiatur. Paruulus autẽ nõ cõtradicit magistro, sed credit & cũ mãsuetudine verbũ suscipit. Igitur in humilitate & mãsuetudine recipiendũ est insitũ verbũ, quod potest saluare animas, nõ in disceptatione vel cõtradictione: discentẽ enim credere oportet, teste enim B. Iacobo in epist. canon. Sapientia quę desursum est, pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, bonis cõsentiens. Ecõtrà verò illa sapiẽtia, quę est in zelo & cõtentione, terrena est, animalis, & diabolica. Vnde Apost. ad Heb. Patres quidẽ carnis nostrę habuimus eruditores, & reuerebamur eos, nõ multò magis obtẽperabimus patri spirituũ, & viuemus? Quidã tamẽ tanq; canes, cõtra verbũ Dei semper oblatrãt, dicẽtes: In pelle eius scribe q, vis. Nõ enim credũt scripturis, sed obmurmurãt. De quibus dicit Dominus: Nolite sanctũ dare canibus. Teste enim Salomone in Prou. Qui erudit derisorẽ, ipse sibi iniuriã facit. Vnde Sapiẽs in Eccle. Ne despicias narrationẽ presbyterorũ sapientiũ, & in prouerbiis illorũ cõuersare. Et iterũ: Sapiẽs corde pręcepta suscipit, & stultus ceditur labiis. Vulgariter enim dicitur, q, pectinẽ odit tineosus: & equus gibbosus, quãdo tangitur in struma vel in vlcere, incipit calcitrare. Nõ enim recipit stultus verba prudẽtię, nisi ea dixeris quę versantur in corde eius. Et teste Salomone: Plus proficit correptio apud prudentẽ, q̃ mille plagę apud stultũ. Sextũ est quod exigitur in scholis Domini, quod discipulus timeat & reuereatur magistrũ suũ. Vnde Sapiẽs in Eccle. Radix sapiẽtię timor domini. Et iterũ: Presbytero humilia animã tuã, & Magnati humilia caput tuũ. Et Isa. ait: In doctrinis glorificate dominũ. Et Apost. ad Tim. Qui benè p̃sunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur. Septimũ est quod in scholis summi Magistri exigitur, vt discipulus diligat scholas, & frequẽtet eas, in studio ferueat, lectionẽ suã pluries repetẽdo diligẽter memorię cõmendet. Sicut ait Dauid: Pręuenerũt oculi mei ad te diliculo, vt meditarer eloquia tua. Et iterũ: Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, sup mel & fauũ ori meo. Et rursus: In ęternũ nõ obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Et in Eccle. In multitudine presbyterorũ prudentiũ sta, & sapiẽtię illorũ ex corde cõiungere. Et iterũ: Cogitatũ habe in p̃ceptis Dei, & in mãdatis illius maximè assiduus esto. Et iterũ: Si videris sensatũ, euigila ad eũ, & gradus ostiorũ illius exterat pes tuus. Et in eodẽ de sapiẽtia: Trãsite ad me omnes q cõcupiscitis me & à generationibus meis implemini. De his aũt qui negligẽter audiũt verbũ Dei, & nõ custodiũt illud, ait B. Iacob. in epist. can. Cõsiderauit se in speculo & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Hi autẽ discipuli qui nõ retinẽt lectiones suas, quãdo in sabbato veniẽt ante magistrũ suũ, tanq; immũda animalia, quę nõ ruminãt reprobati à Domino, verberabũtur ab eo illis virgis, de quibus Salomõ ait in Prou. Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei pcutiẽtes stultorũ corpora. Hoc est sabbatũ illud in quo nõ licet operari, scilicet, post hãc vitã: de quo dicit dominus: Videte ne fuga vestra fiat in hyeme vel sabbato. Nõ sint igitur aures scholaris tanq; cribrũ in aqua, quod plenũ videtur, sed statim quãdo extrahitur nil in eo reperitur. Octauũ est q, exigitur in scholis domini,

*Item 16. Item 17. Sapien. 1. Eccle. 2.*

*Quod in scholis Christi tordis munditiam habere oportet.*

*Quod à iuuentute scholaris debẽt imbui disciplina.*

*Eccle. 25. Item 6.*

*Parab. 14. Item 21. Quod in scelis domini virga disciplinæ necessaria est. Apoc. 3. Heb. 12. Iaco. 1.*

*Quod humiliter & cum mansuetudine suscipienda est doctrina Christi. Matth. 11.*

*Mar. 10. Iaco. 1. Heb. 11.*

*Iaco. 3.*

*Heb. 12.*

*Matth. 7. Parab. 6. Eccle. 8. Parab. 10. Item 18. Item. 17.*

*Quod discipulus timere debet magistrum & reuereri. Eccle. 1. & 4. Isaiæ 24. 1. Tim. 5.*

*Quod discipulus scholas diligere debet & frequentare. Eccle. 6. Item 24. Luca 11.*

*Iaco. 1.*

*Parab. 10. Luca 23. Matth. 24.*

*Quod discipulus nō erubescat interrogare quæ ignorat.*
*Sap.7.*
*Eccle.24.*
*Iob.29.*
*Dan.12.*
*Parab.5.*
*Item 11.*
*Quod non sit curiosus discipulus, sed vtilia addiscat & supra vires suas arcana non perscrutetur.*
*Parab.25.*
*Eccle.3.*
*Parab.24.*
*Item 25.*
*Simile.*
*Lucæ 2.*
*Quartum exemplum quo ostenditur quod secundum Deum debemus obedire parentibus.*
*Exod.20.*
*Item 21.*
*Deut.21.*
*Parab.23.*
*Eccle.3.*
*Item 7.*
*Ioan.19.*
*Item.2.*
*Parab.21.*
*1.Tim.5.*

quod discipulus, quæ ignorat, interrogare nō erubescat, ea verò quæ sit, libenter doceat, & interrogātibus diligēter & amicabiliter respōdeat, sicut in lib. Sapientię dicit vir sapiēs de ipsa sapientia: Quam sine fictione didici, & sine inuidia cōmunico, & honestatē illius nō abscondo. Et in Eccles. Qui elucidāt me, vitā æternā habebunt. Et B. Iob: Causam quā ignorabā, diligenter inuestigabā. Et Daniēl Propheta: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamēti, & qui ad iustitiā erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et in Parab. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Et iterū: Anima quę benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur. Nobilis enim thesaurus est sapiētia, quæ distributa suscipit incrementū, & auarū dedignata possessorē nisi publicetur, elabitur. Nonū est quod exigitur in scholis Domini, vt inuestiget & inquirat scholaris sapientiæ, de his, quæ ad eius vtilitatē pertinent, & nō sit curiosus inuestigator, nec supra vires ingenij sui de arcanis nimis profundè inquirat. Quia perscrutator maiestatis opprimetur à gloria. Et accedet homo ad cor altū, & exaltabitur Deus. Vnde Sapiēs in Ecclesiast. Altiora te ne quęsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quę præcepit tibi Deus, cogita illa semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Et iterū: In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter. Et Salomō in Prouerb. Ne erigas oculos ad opes, quas haberenō potes, quia faciēt pennas quasi aquilę, & euolabūt in cœlū. Et iterū: Mel inuenisti, comede quod sufficiat tibi, ne fortè satiatus, euomas illud. Sapiētia enim diuina velut Sol nimio splendore suo lędit oculos immoderatè intuentiū. Et ignis cùm nimis appropinquatur, qui aliquantulū remotus prodesse poterat, nō prodest, sed excrutiat. Quartū exemplū quod in hodierno Euāgelio & ex operibus Christi discimus, est illud quod dicitur: Et descēdit cū eis & venit Nazareth, & erat subditus illis, Marię, scilicet, & Ioseph. Subiici voluit hominibus, vt nos à diaboli subiectione liberaret. Exemplū obediētiæ nobis relinquēs, vt & nos parētes nostros secundū carnē honoremus, & in his quę cōtra Deū nō sunt, eis obediamus. Iuxta Decalogi præceptū: Honora patrē tuū & matrē tuā, vt sis longęuus super terrā. Et in Exod. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Et in Deut. præcepit Dominus, quod filius cōtumax nolēs obedire parētibus, sed vacās cōmessationibus & luxurię, à populo ciuitatis obruatur lapidibus. Et Salomon in Parabolis: Audi patrem tuum qui genuit te, & ne cōtemnas cùm senuerit mater tua. Et in Ecclesiastico: Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominus seruiet his, qui se genuerunt. Et iterum: Honora patrem tuum, & gemitus matris tuę, ne obliuiscaris. Memento, quia, nisi per illos, non fuisses. Vnde Dominus in cruce curā gerens matris suę, eā discipulo cōmendauit, & prius ad preces eius, aquā in vinū cōuertit. Et Salomō in Parabolis ait: Qui crudelis est, abiicit propinquos. Vnde Apostolus ad Timoth. Si quis suorum, & maximè domesticorū curam nō habet, fidē negauit, & est infideli deterior. Consanguineis enim nostris prouidere debemus, nō solū in spiritualibus, sed etiā in temporalibus, si valemus, nō vt diuites fiant, sed ne indigeant vel mendicent. Vnde sponsa in Canticis: Ordinauit in me charitatē. Ordinata charitas est, vt primò diligatur Deus, secūdò parētes, posteà filij, deinde domestici. Qui si boni sunt, malis filiis sunt præponēdi. Ad vltimū verò diligēdi sunt inimici. In his igitur quæ ad nos pertinēt maior sit sollicitudo in subueniendo. Digniora tamē & meliora membra præponēda sunt in affectu spirituali, & maiori charitate amplectēda. Vos igitur fratres charissimi, nō in foro, vel taberna, vel in plateis ciuitatis, sed in tēplo cum Domino reperiamini. Non inter histriones vel meretrices, sed inter Doctores. Puerilis animi leuitatē exuētes, maturitatē & morū grauitatē sectando, in his quæ patris nostri cœlestis sunt, interesse diligēter procuretis. Omnē carnalē affectū à vobis abiicientes ab vberibus transitoriæ voluptatis vosmetipsos abstinere studeatis, peccatorū vestrorū memoria, & assidua mortis meditatione, velut amaro succo fallacē carnis dulcedinē temperātes. Parētes & cōsanguineos vestros ita diligatis, quod ea quæ ad Deū pertinent, propter ipsos quātumcunq; doleāt, nullatenus omittatis. In scholis autem superni Doctoris ad pedes eius cum Maria sedendo, & in lege eius die ac nocte meditando, humiliter & deuotè lectioni sapientiæ intendatis, eius disciplinam patienter sustinēdo. Vt sic in speculo & in ænigmate scripturarū ipsum in præsenti vita ex parte cognoscere studeatis, quod in patria cœlesti, euacuato quod ex parte est, plenè & perfectè cognoscere, & ipsum facie ad faciem videre mereamur. Ipso præstante qui viuit & regnat per omnia.

*Cant.2.*
*De ordinata charitate.*

*Cōclusio cum breui & morali recapitulatione.*

*Lucæ 7.*

*2.Cor.13.*

*Gene.32.*

## IN OCTAVA EPIPHANIÆ THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE REPETITIO.

*Isaiæ 3.* *Ecce aduenit Dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas & imperium.*

*De apparitione Domini in baptismo.*

DOMINVS noster Iesus Christus cuius vita nostra est doctrina, ad exemplum humilitatis, annis triginta latere voluit, & fabri filius reputari. Anno autem trigesimo apparere cœpit, manifestās maiestatem suam in Baptismo per columbam & vocem paternam, & postmodum in prædicatione & miraculorū operatione. Per hoc autē nobis ostendit, nullū debere sacerdotē vel prædicatorē fieri, nisi virilis ætatis. Sicut Ioseph tricenarius regnū Ægypti suscepit, Dauid regnum ea ætate inchoauit, & Ezechiel prophetiā promeruit. Aduenit igitur dominator Dominus in baptismo, nō vt aquis mundaretur, sed vt aquas mūdaret, & cōtactu sanctissimæ carnis eas sanctificaret, vt in illis regeneratemur,

*Quare baptizatus est Christus.*

generaremur, qui vitiosa carnis generatione sub diabolo tenebamur astricti originali peccato. Et ita quę erat de regno diaboli, per virtutē baptismi fierēt de regno Christi, qui fecit nos Deo nostro regnū & sacerdotes, sicut in Apocal. dicitur. Et ita regnū factū est in manu eius, & potestas & imperiū. Potestatē baptizādi interius ipse sibi soli retinuit. Vnde Ioāni dictū est: Super quē videris spiritū descendentē, & manentē super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Cùm autē triplex sit potestas, scilicet, authoritatis, ministerij & elegātiæ: potestatē autē authoritatis, quę est ipse Deus, nec potuit, nec voluit alij conferre: potestatē autē ministerij cōtulit baptizātibus exterius: potestatē verò elegātię siue præeminētiæ, potuit cōferre ministris, vt per vnū fieret baptismus & nō per aliū, sicut solis sacerdotibus cōtulit potestatē cōsecrandi corpus suū. Plus etiā sanctitatis & maiorē gratiæ cumulū posset cōferre per baptismū vnius, quàm alterius. Sicut Petro maiorē cōtulit prę eminentiā faciēdi miracula, quàm aliis sanctis. Potuit igitur potestatē excellētiæ cōferre ministris, sed noluit, ne spes poneretur in ministris, & essent tot baptismi quot ministri. Solus igitur Deus benedicēdus est de fontibus Israël, & ad ipsum solū virtus baptismi refertur. Sicut igitur nullus excluditur à gratia baptismi, sed omnibus patet cōmuniter, ita nullus excluditur à ministerio baptizādi, maximè in necessitate. Alioquin propter reuerentiā sacerdotibus reseruatur. Nec est sanctior baptismus ab vno exhibitus quàm ab alio. Talis enim est baptismus qualis est ille in cuius potestate datur, vt ait B. Aug. Est igitur potestas baptizādi in manu Christi. Ex virtute autē passionis eius baptismus suū cōsecutus est effectū. Rara siquidē erat gratia ante eius aduentū, quę omnibus cōmunicata est per baptismū: Christo enim veniēte, postquā de lege naturæ & lege scripturæ cōuictus est homo, multiplicata est gratia in vniuerso mundo. Vnde Zacharias Propheta ait: In die illa exibunt aquæ viuæ de Ierusalem, id est, ad populum venientem ex circuncisione, & medium ad mare nouissimum, id est, ad populum gentium, qui nouissimè vocatus est ad fidem. Successit autem baptismus circuncisioni. Pro diuersitate enim temporum, mutata sunt sacramenta. Populo siquidem durę ceruicis cultellus necessarius fuit, & lapideis cordibus cultri lapidei congruebant. Postquam autem venit agnus mansuetus, cum lana & lacte, cum suauitate, scilicet, gratiæ, austeritatem abstulit, & gratiam multiplicauit. Et qui duritiam exhibuerat seruis, mansuetudinem exhibuit filiis. Rubiginem enim originalis peccati, cultellus radebat sub legis asperitate, nunc autem tempore gratiæ, & visitationis, facilè & leniter abluitur aqua cum vnctione. Et non solum originale tollitur, sed omnia actualia cū omni pœnitentia delētur, fomes debilitatur, gratiæ cumulus cōfertur, & omnes virtutes infunduntur, Paradisi porta aperitur: tam mares quàm fœminæ in baptismo sanctificātur. Sicut scriptum est: Omnes sitientes venite ad aquas. Hęc autem omnia nō fiebant in circuncisione, sed solummodo masculis originale peccatum dimittebatur. Et ideò quando venit temporis plenitudo, mutata est circuncisio in gratiam baptismatis. Est igitur potestas baptizandi in manu Domini, & auctoritas remittendi peccata in baptismo ad ipsum solum pertinet. Hanc autem potestatem non alligauit sacramentis suis Dominus. Nam absque sacramentorum adminiculo iustificare valet, & peccata dimittere. Voluit tamen obsequiis ministrorum, & mediantibus sacramentis interius per visibiles creaturas, inuisibiliter operari propter humiliationem exercitium, & eruditionem nostram, vt subiiciendo se sensibilibus creaturis, placet homo per obedientiam præcipienti Domino, sicut displicuit Adam per inobedientiam. Et vt vanam declinaret occupationem honestis exercitiis intendendo. Et vt forma visibili exterius ad inuisibilia interius informetur. Est enim sacramentum, vt ait beatus Augustinus: inuisibilis gratiæ, visibilis forma, seu visibile signum, secundum quod dicitur sacramentum sacrum signans. Nam plerumque dicitur sacramentum sacrum signatum, seu sacrum secretum, id est, res sacramenti. Sacramentum autem huius rei similitudinem exprimit, cuius est signum, alioquin non rectè dicitur sacramentum. Dicitur prætereà sacramentum fidei mysterium: quia aliud oculo cernitur, aliud corde creditur. Sunt autem ecclesiæ septem principalia sacramenta, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, Extrema vnctio, & Ordo. Omnia ista quantum in se est, efficiunt quod figurant, & augmentum gratiæ præstant, nisi ab indignè sumentibus impediatur, vt finem in altero non consequantur. Instituta enim sunt ad significandum & sanctificandum. Sunt autem duo sacramenta voluntatis, sicut Matrimoniū & Ordo clericorum. Alia quinque sunt necessitatis, si loco & tempore debito haberi possunt. Si enim contemnuntur, sine his non est salus. Duo tamen illorum quinque sunt, primę & arte necessitatis, scilicet, Baptismus & Pœnitentia. Sine baptismo enim non est salus paruulis, nec sine pœnitentia, his qui mortaliter peccauerunt. Et ista duo pro aliquo interdicto non possunt prohiberi. Sine aliis autem potest esse salus, dummodo ea per contemptum non omittamus. Duo igitur sacramenta voluntatis specialia sunt alia quinque generalia, quæ ab omnibus loco & tempore suscipienda sunt. Attendendum est prætereà quod quędam sacramenta, non solum ad remedium vel propter gratiæ augmentum instituta sunt, sed insuper ad distinguendum. Et illis signum siue character imprimitur animæ. Et quia signum illud non potest deleri, licet gratia per peccatum possit amitti, huiusmodi sacramenta non habent iterari, ne fiat iniuria sacramento, cuiusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Alia autem quæ non fiunt ad distinguendum, in quibus nō imprimitur characteris signaculum, iterari possunt, vt sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis & Matrimonij,

*Apoc. 1. Dan. 7.*

*Quod Christus sibi soli potestatem baptizandi reseruauit.*

*De triplici potestate.*

*Quod in necessitate quilibet potest baptizare. Augustinus.*

*Quod ex virtute passionis Christi baptismus suum consecutus est effectum. Zach. 14.*

*Quod baptismus successit circuncisioni. Exod. 32. Iosue. 5. Bernardus.*

*De multiplici effectu baptismi.*

*Isaiæ 55.*

*Quare Dominus sacramentis mediantibus animas sanctificare voluit.*

*Quid sit sacramentum.*

*De sacramentis nouæ legis quæ efficiunt id quod figurant.*

*De sacramentis voluntatis et necessitatis.*

*De sacramentis imprimentibus characterē & quæ non possunt iterari: alia autem iterari possunt.*

quæ sunt remedia quotidianę infirmitatis, contra ruinas nostrę fragilitatis. Character autem in prædictis tribus sacramentis in anima imprimitur. Iuxta illud: Ex tribu Iuda duodecim milia signati. Prius enim est anima quasi informis, quã citò autẽ homo baptizatur, quasi noua sculptura animæ imprimitur, vt huius characteris sigillo ab infidelibus distinguatur. Deinde in cõfirmatione fortitudinis sigillo, quasi characterę nouę armaturę seu militiæ roboratur. Tertiò dignioris ordinis charactere, quasi vexillo prælationis, & priuilegio dignitatis, & quasi doctor gregis insignitur. Imprimũtur igitur huiusmodi characteres, propter distinctionẽ, & propter elegantiam, & propter indelebilẽ memoriã. Sacerdos igitur discretus circa prędicta sacramẽta diligenter attẽdat cõuenientias & differentias, virtutẽ, & efficatiã, & vnumquodq; sigillatim discutiat, cõsiderans prudenter, primò circa baptismũ, qui ianua est aliorũ sacramẽtorum, quę sit eius efficatia, & alia quę ad baptismũ sunt necessaria. Baptismus igitur est character, siue signaculum Christianæ religionis ex immersione hominis, in aqua & debita forma verborũ, cũ intentione baptizãdi prouenientis. Hęc enim exiguntur ad hoc quod sit baptismus. Quandoq; ipsa immersio vel exterior ablutio, quę signũ est interioris ablutionis, baptismus appellatur. In aqua & nõ in alio liquore instituit fieri baptismũ, vt ostẽderetur interioris ablutionis mysteriũ, & vt nullus inopia se excusaret, eò quòd communiter, & facilè apud omnes nationes huiusmodi inuenitur elementũ. Si autẽ in diuersis liquoribus baptismale exhiberetur sacramẽtum, nõ ita obseruaretur vnitas, siue vniformitas, vt vnũ & idẽ esset apud omnes sacramẽtum, sed propter diuitias seu delitias varietatẽ inducerẽt. Et idcirco Dominus in baptismo suo vim regenerandi cõtactu proprię carnis aquis conferre voluit, & de latere suo in cruce aquã cum sanguine produxit, innuẽs mysteriũ baptismatis in aqua & redẽptionis in sanguine. Quandoq; tamẽ aqua cõtritionis & vnda sanguinis in martyribus locum supplet baptismi, vbi nõ est contẽptus sacramẽti, sed articulus necessitatis. Vnde quod Dominus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ cęlorũ, intelligendũ est quantũ in eius volũtate, nisi impediatur necessitate, vel nisi quis renatus fuerit ea regeneratione, quę fit ex aqua & spiritu sancto. Tales enim recipiũt rẽ sacramenti, & nõ sacramentũ, sicut ęcõtrario quidã recipiunt sacramentũ & nõ rẽ sacramẽti. Hi scilicet, qui fictè accedũt ad baptismũ, quibus tamẽ character imprimitur, sed gratia nõ infunditur. Recedẽte autẽ fictione incipit baptismus in eis suũ effectũ habere. Alij recipiũt sacramentũ & rẽ sacramẽti, sicut hi qui cõtriti accedũt: & similiter paruuli qui in fide ecclesię baptizãtur, qui nõ solũ sacramentũ, sed rẽ sacramẽti, id est, diuinã gratiã suscipiũt, cũ fide & aliis virtutibus, quæ eis in habitu à Domino conferũtur. Sicut enim filia mulieris Chananeæ in fide matris suę sanata est à Domino, sic paruuli in fide matris ecclesię per baptisma saluantur. Aliter autẽ nõ est eis vlla salus, exceptis tantũmodo innocentibus, quos pro Christo occidit Herodes, quorum spirituale priuilegium cõmunem legem nõ facit, nec ad alios extenderetur, licet hodie pro Christo paruuli Christianorum non baptizati à paganis occiderentur. Quidam tamen ex eis iam per circunciſionem, quæ tunc locum habebat, purgati erant ab originali peccato. Omnes autem martyres effecti sunt priuilegio singulari. His autem qui sanctificati sunt ex vtero, speciale indultum est priuilegium, vt vicem baptismi supleret spiritus sanctus, absque alio adminiculo, cùm tamen secundum legem communem baptizari non possit puer in vtero, nec renasci vel regenerari possit, qui nondum natus fuit. Natis autem fides ecclesiæ, cum baptismo reputatur ad salutem sine meritis suis, sicut peccatum Adæ reputatur ad mortẽ, licet nõ actualiter puer peccauerit. Sine baptismo autẽ nõ reputatur paruulo ad salutẽ fides parentũ, sed ex baptizatis qui purgati sunt, nascuntur filij cũ peccato originali, sicut ex grano & palea purgato, granum cum palea procreatur. A principio autem, scilicet, ante institutionem baptismi, quatuor modis originale peccatum purgatum est. Ante legem enim in fide parentum, vel per sacrificia & bona opera, vt in Iobitis fiebat peccati purgatio. His autem qui de stirpe Abrahę prodierunt, facta est purgatio per circuncisionem in masculis, fœminę autem per sacrificia & orationes purgabantur. Omni autem tempore, & sub omni lege, adulti per fidem & contritionem in articulo necessitatis purgabantur. Circunciſioni autem & omnibus aliis purgationis generibus, ex Christi institutione succesſit baptismus, tempore gratiæ qui communis est omni nationi, quæ sub cœlo & vtrique sexui, & omni alia purgatione efficatior. Delet enim maculam originalis peccati, sicut circuncisio & alia prædicta faciebant, & insuper omne peccatum actuale, cum exteriori satisfactione. Confert enim virtutes & gratiæ cumulum ad resistendum diabolo, efficit fortiorem fomitem, debilitat & post Christi passionem per virtutem mortis eius Paradisi ianuam aperit baptizatis. Vnde trina immersione vtimur in baptismo, non solum propter fidem trinitatis, sed propter triduanam Domini sepulturam, vt ostendamur consepulti Christo, per trinam immersionem, vt peccato mortui cum Domino resurgamus, & in nouitate vitæ ambulemus. Vnde Apostolus ad Romanos sic ait: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte eius baptizati sumus. Consepulti enim sumus per baptismum in mortẽ, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. His verbis innuit Apostolus quæliter baptismus morte Christi, & sepulturę, & resurrectioni dominicæ assimiletur vt omnia in nobis vitia mortificẽtur, & motus sensualitatis quasi sepeliẽtis in corpore nostro reprimamus, & depo-

*Apoc. 7.*

*Propter quid character imprimatur.*

*Quod sit baptismus & quæ exiguntur ad hoc quod sit baptismus.*

*Quod in aqua constitutum sit baptizare.*

*Ioan. 19.*

*De his quæ supplẽt locum baptismi. Item 2.*

*Quod quidam recipiunt sacramentum tantum, quidam rem sacramenti, quidam vtrumque. Matth. 15.*

*Quod paruulis prodest baptismus.*

*Quod sine baptismo saluati sunt innocentes & singulari priuilegio martyres effecti.*

*De his qui sanctificati sunt in vtero.*

*Quod quatuor modis purgatum est originale peccatum ante baptismum.*

*Quod baptismus omni alia purgatione efficatior est & generalior.*

*De trina immersione. Rom. 6.*

*Quod baptismus morti & sepulturæ & resurrectioni dominicæ assimilatur.*

& depoſita vetuſtate culpæ, in nouitate gratiæ reſurgamus. Si tamen dum baptizatur aquis ſemel fiat immerſio, vel cauſa neceſſitatis, vel propter aliquam particularem alicuius eccleſiæ conſuetudinem, licet aliquid de prædicto myſterio omittatur, nihilominus ſemel immerſus baptizatur. Ea verò quæ ante immerſionem vel poſt fiunt, de ſubſtantia baptiſmi non ſunt, fiunt autem ad reuerentiam & decorem, ſicut in matrimonio præter mutuum conſenſum, qui ſolus efficit matrimonium, quædam propter decorem & ſolemnitatem ſuperadduntur, & in conſecratione euchariſtiæ, quædam ante & poſt dicuntur & fiunt, quæ de ſubſtantia conſecrationis non ſunt. Paruuli autem ante baptiſmum cathecizantur, vt agnoſcãt paterni ſe obligari ad inſtruendum eos, cum habuerint vſum rationis. Qui etiam pro ipſis reſpondent, ctedo, non quia paruuli in actu fidem ſuſcipiant, ſed quia fidei ſuſcipiunt ſacramentum, & fideles efficiuntur. Reſpondent prætereà patrini, volo baptizari, non ſolum in perſona ſua, qui baptiſmo pueri conſentiunt, ſed vniuerſalis eccleſiæ, in cuius fide baptizantur, exprimunt voluntatem. Exorciſmi autem non ſolum ad decorem præmittuntur, ſed per eos virtus & malitia diaboli debilitatur, vt in baptiſmo cedat ſpiritui ſancto, & tunc plenè exorciſmus ſuum conſequetur effectum. Præparatur inſuper omnia ad recipiendum ſpiritum ſanctum, vel gratiæ cumulum, in his qui contriti accedunt ad baptiſmum. Aliquando autem neceſſitate cogente, huiuſmodi præparatoria dimittuntur, nihilominus tamen baptiſmi virtus aufert malum, quod in anima reperit, & exorciſmi ſupplet defectum. In exorciſmo igitur diabolus, ſicut Pharao adiuratur & vexatur. In mari autẽ rubro, id eſt, in aquis baptiſmi ſuffocatur. Vnctiones autem & alia quæ poſt baptiſmũ fiunt, non ſolum in ſignũ ſpiritualis vnctionis, ſed ad cumulũ gratiæ & ad robur ſubſequũtur, & in electis quod figurant, efficiunt. Non tamen inconueniẽs eſt dicere, quod quædã, quę nõ ſunt principalia ſacramẽti, ad ſignificandũ fiunt, & nõ adſanctificandũ. Sicut candela in manibus gratiæ illuminationẽ ſignat, ſed non efficit, & ſalis pabulũ diſcretionis ſeu ſapientiæ virtutẽ, & candida veſtis innocentiam, filium autem rubeum Chriſti paſſionem, ex cuius virtute baptiſmus ſuam conſequitur efficatiam, ſicut medicina operatur, per ſcamoneã vel virtutem martyrij ſignat, ſicut crux in vertice crucis Chriſti deſignat memoriam in ſcapulis patientiam, in pectore dilectionem. Forma autem debita verborum exigitur ad baptiſmum. Accedit enim verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Forma baptiſmi Ioannis fuit: Baptizo te in nomine venturi, ſcilicet, Meſſię vel Chriſti, baptiſmus eius fuit in aqua tantum, vt homines aſſueſceret & præpararet ad ſuſcipiendum Chriſti baptiſmum. Vnde & baptizati à Ioanne, poſteà baptizati ſunt baptiſmate Chriſti ex aqua & ſpiritu ſancto. Aliquibus autem videtur, quod baptizati à Ioanne, qui veram fidem habebant, nec in baptiſmo Ioannis ſpem ponebant, non rebaptizabãtur, ſed per ſolam manus impoſitiõnem recipiebant ſpiritum ſanctum. Diſcipuli Domini in principio baptizabant in nomine Chriſti, vt hoc nomen hominibus in notęſceret, & Chriſti virtus omnibus nota eſſet. In nomine enim Chriſti implicitè intelligitur trinitas. Chriſtus enim interpretatur vnctus, in quo intelligitur vngens & vnctio, & qui vngitur, id eſt, pater & ſpiritus ſanctus, & ipſe filius. Non eſt autem credendum, quod diſcipuli qui in nomine Chriſti alios baptizabant, & baptiſmum prædicabant, non baptizati remanſiſſent. Loti enim fuerunt ſacro baptiſmate, ſicut innuit Dominus in cœna. Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt totus mundus. Poſtquam verò dilatata eſt eccleſia, & Chriſti nomen, velut oleum effuſum, in notitiam multorum deuenit. Vſi ſunt diſcipuli forma illa, quam ipſe Dominus inſtituit, dicens. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, vt trinitas mundo innoteſceret, & cognoſcerent omnes virtutem baptiſmi, non ex virtute miniſtrorum, ſed ex virtute totius trinitatis prouenire. Vt non ſolum vtriuſque ſexus fideles, ſed & Sarraceni, & hæretici in neceſſitate poſſunt baptizare ſub inuocatione trinitatis, dummodo quod intendit eccleſia, ipſi intendant facere, licet ex baptiſmo nullum crederet fructum prouenire. Regulariter tamen propter ſacramenti reuerentiam à ſacerdotibus debet conferri, niſi in articulo neceſſitatis, aliter fieri oporteat. Vnde & micè ſeu ioculatoriè baptizati in forma eccleſiæ, cum intentione faciendi hoc, quod facit eccleſia, non ſunt rebaptizandi, ne fiat iniuria ſacramento, quod non dependet ex virtute miniſtrantis. Intentio autem baptizantis neceſſaria eſt. Non enim mulierem dicimus baptizare, quæ filium ſuum cauſa balneandi, mergens in aqua, dicit: In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, cùm non habeat intentionem baptizandi. Non tamen exigitur intentio baptizati, ſicut patet in puero & in morione, ſeu in fauo vel oppreſſo tanta infirmitate, quod ſe ignorat baptizari. Nihilominus tamen qui huiuſmodi ſunt, ſuſcipiunt ſacramentum baptiſmi. Formæ autem à Domino inſtitutæ nihil addendum eſt, vel ſubtrahendum, vel mutandum. Si enim aliquis homine dicat, baptizo te in nomine Chriſti, non eſt baptizatum. Similiter ſi dicat, baptizo te in nomine patris, & filij, & tertiam perſonam non pronuntiet, quod operatur, irritum habetur & vanum. Tota enim trinitatis nominanda eſt, ſicut tota in baptiſmo Chriſti apparuit, pater in voce, filius in homine, ſpiritus ſanctus in columba. Diuerſitas autem linguarum baptiſmi formam non mutat, cum idem maneat intellectus. Similiter ſi quis per imperitiam artis gramticæ verba corruptæ proferat, propter hoc baptiſmi ſubſtantia non mutatur. Vt ſi quis dicat baptizo te in nomine patria, & filia, & ſpiritus ſancta. Si quid autem in principio, vel in fine additur, vel in medio, nihilominus baptiſmus confertur, ſi cum intentione baptizandi verba proferantur

*De his quæ ante baptiſmum & poſt fieri habent.*

*De cathecimo parunlorum.*

*De reſponſione & promiſſione patrinorum.*

*De exorciſmo & virtute eius.*

*De vnctione & aliis quæ poſt baptiſmum habent fieri.*

*De triplici cruce & triplici parte & de forma verborum.*

*De baptiſmo Ioannis & forma eius.*

*De forma baptiſmi Chriſti.*

*Quod apoſtoli baptizati fuerunt. Ioan.13. Cantic.1. Matth.28.*

*Quibus in neceſſitate baptiſmus conferri poſſit & à quibus regulariter conferatur.*

*Quod intentio baptizãtis exigitur ad baptiſmum & non intentio baptizati.*

*Quod formæ baptiſmi à domino inſtitutæ nihil eſt ſubtrahendum vel addendum, vel immutandum.*

*Quod diuerſitas linguarum non variat ſacramentum.*

ferantur, vt si quis dicat: baptizo te in aqua frigida, in nomine patris, & filij, æqualis patri & spiritus sancti, vt sis Christianus. Si quid tamen interponatur vt error vel hæresis introducatur, dicunt quod non est baptismus. Vt si dicat Arrianus: baptizo te in nomine patris maioris, & filij minoris, & spiritus sancti vtrique inæqualis. Si autem verbum non proferatur, sed dicatur tantum: In nomine patris, & filij, & spiritus sancti, vel si vnus immergat, & alius verba proferat, vel si vnus incipiat, & ipso infirmitate præpedito alius suppleat: dubium est vtrum sic conferatur baptismus. Et idcirco in hoc casu puer vel adultus est rebaptizãdus. Et generaliter quotiens de aliquo sacramento rationabiliter contingit dubitari, debet iterum conferri, nec iudicatur iteratum, quod dubitatur esse collatum. Si autem laicus in necessitate mortis imminentis, puerum baptizauerit, sacerdos, si puer superuixerit, reliqua quæ ad solemnitatẽ pertinent, diligenter suppleat, & laicos diligenter instruat, de forma baptizandi & de virtute huius sacramenti, quæ ad solum Christum pertinet. Sicut enim regnum est in manu eius, quod virtute baptismi eripitur de manu diaboli, ita potestas baptizandi interius & imperium, quia dæmonibus imperat vt à baptizatis recedant. Quemadmodum autem in mari rubro submersus est Pharao, cum exercitu suo, ita Dominus contribulat & conterit caput draconis, in aquis baptismi, id est, superbiam diaboli, & ignem peccati in aquis baptismi extinguit. Vnde Dominus per Dauid: Ponam in mari manum eius, vt, scilicet, in eo submergantur Ægyptij, id est, in aquis baptismi operatione ipsius, id est, Christi. Et per Micheam Dominus ait: Secũdum diem egressionis tuæ de Ægypto, ostendam ei mirabilia submergendo, scilicet, omnes hostes in mari baptismi. Et paulò post subiungit: Quoniam volens misericordiam est, reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris, omnia peccata nostra.

*Vbi dubitatur de collatione baptismi debet iterum conferri, nec iudicatur iteratum quando dubitatur collatum.*

*Exod. 14. Quod Pharao, id est, diabolus in aquis baptismi suffocatur cum exercitu peccatorum. Mich. 7.*

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE LECTIONE ISAIAE, SECVNDVM ALIAM TRANSLATIONEM.

*Ex 70. Isaiæ 25.*

*Domine Deus meus, honorificabo te, laudem tribuam nomini tuo, qui facis mirabiles res.*

*Item 12.*

LECTIO ista ex Isaia sumpta specialiter hodie legitur in Ecclesia propter verba sequentia ad baptismum pertinentia. Ait enim Propheta: Exultet desertum, & exultent solitudines Iordanis. Et iterum: Aperiam in montibus flumina, & in mediis campis fontes dirumpam. Et rursus ait: Hauritis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, & dicetis in illa die: confitemini & inuocate nomen eius. Prænidens igitur Propheta in spiritu fonte diuinę misericordiæ & gratia baptismali totum mundum irrigandum fore, sicut alius Propheta prædixerat: erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum, gratias refert Domino de tanto & tam mirabili beneficio, de tam copiosa Dei gratia, quæ omnibus exponitur, & à qua nullus excluditur, per quam de filiis iræ fiunt filij gratiæ, de filiis perditionis filij adoptionis, de potestate diaboli transferuntur ad regnum Christi. Propterea Propheta ait: Exultet desertum, id est, gentilitas à Deo prius derelicta, & exultent solitudines Iordanis, id est, conuersi de Iudæis qui prius quasi in solitudine morabantur, dum peccatis eorum exigentibus Deus ab eis recesserat, & solitarios reliquerat. Vel solitudines Iordanis appellari possunt, baptizari à malignis spiritibus, derelicti virtute baptismi, quæ per Iordanem à quo baptismus sumpsit exordium, in hoc loco intelligitur & maximè propter nominis interpretationem. Iordanis enim descensus interpretatur, per quem humilitas seruorum Christi intelligitur. Aperuit autem Dominus flumina, id est, gratiæ baptismalis, fluent in montibus, id est, in superbis gentibus, & fontes in mediis campis disrupit, dum multiplicem baptismi gratiam humilibus aperuit, qui emittit fontes in conuallibus. Posuit enim desertum gentilitatis in stagna aquarum, dum illam aquis baptismi irrigauit, & terram inuiam in riuos aquarum. Prius enim prædicatoribus viam clauserant, sed postmodum baptismi gratiam & riuuos spiritualis doctrinæ susceperunt. Vnde Dominus per Ieremiam: Ecce ego mittam ad vos piscatores, & piscabuntur vos, id est, capient in aquis baptismi. De quibus Ezechiel ait: Et stabunt super eas piscatores, plurimæ species erunt piscium eius. Ad has autem aquas inuitat nos Dominus per Isaiam, dicens: Omnes sitientes venite ad aquas. Et iterum in hodierna lectione ait: Hauritis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Hę sunt aquæ Iericho, quæ prius steriles erant, sed verus Helizeus noster per immissionem salis in vase nouo & fictili sanauit eas, & fœcundas reddidit. Diuina sapientia quæ nomine salis designatur, assumpsit humanam naturam infirmam, sed sine peccato, quod signatum est per vas fictile nouum, & reddit aquas fœcundas, quę prius erant steriles, quia non habebant vim regeneratiuam. Hæ sunt aquæ contradictionis, quæ fluxerunt de petra percussa, id est, de latere Christi lancea perforata. Quibus aquis contradicunt Hæretici, Iudæi & Gentiles, qui non credunt virtutem baptismi, & etiam mali Christiani, qui non seruant pactum baptismi. In his etiam aquis contradicitur maligno spiritui. Has aquas haurire debemus cum gaudio spirituali, eò quòd ibi pereunt & submerguntur inimici nostri. Haustorium, quo hauriri debẽt, est fides baptizati adulti, vel fides ecclesię, in qua baptizantur paruuli. Si quis autem post has aquas coinquinauerit vestimenta sua, iam non est recursus ad eas, sed occurrit secunda tabula post naufragium,

*Item 12. 4. Region 2. De sanatione aquarum. De aquis contradictionis. Num. 20.*

*De gratia baptismali.*

*Zach. 13.*

*Ephe. 3. Expositio thematis. De aquis baptismi quibus sanctificatæ sunt gentes. Isaiæ 41.*

*Ierem. 16. Ezech. 47.*

*Isaiæ 55.*

*De haustorio fidei.*

naufragium, scilicet, secundæ aquæ, scilicet, rubri maris, quibus abluitur peccatorum sanguis, id est, amarę lachrymæ pœnitentium. Huius aquæ hausторium est contritio dolentium, quæ ex condensis nubibus interioris tristitiæ ablutionis salutiferę pluuias extorquet, mentem irrigantes & animum pascentes. Sicut scriptum est: Fuerunt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte. Sunt etiam tertiæ aquæ, quæ occurrunt post has aquas, aquæ deserti, aquæ Marach, amaræ valde sed per lignum dulcoratæ. Hæ sunt amaritudines & asperitates satisfactionis, quæ tamen valdè dulcorãtur, si reducamus ad memoriã, quanta pro nobis passus est Christus. Huius aquæ hausторium est memoria districti iudicij, & timor gehennæ. Leuia enim sunt mala transitoria respectu æternæ pœnæ. Equus enim dum nares eius instrumento constrictorio fortiter constringuntur, non multum sentit lęsionem aduſtionis, nec multum attenderet morsum pulicis, qui fortiter per nares constringeretur. Sunt prætereà quartę aquæ, quarum hausторium est humilitas aquæ putei. Iacob aquæ, scilicet, sacræ scripturæ, quæ ignem peccati extinguunt, refrigerant ardorem, sitim compescunt, irrigant & fœcundant. Has aquas nõ potest quis haurire, nisi valdè se humiliando inclinauerit. Puteus enim altus est & profundus. Sunt etiam quintę aquę, quarum hausторium est desiderium vitæ æternæ. Hæ sunt aquæ dulcis Iordanis, in confinio terræ promissionis, scilicet, irriguum superius lachrymæ desideriorum. Sunt nihilominus sextæ aquæ fluenta, scilicet, spiritus sancti, aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Aquæ enim quæ de sublimi descendunt, æquè altè salire possunt, harum aquarum hausторium est charitas, quia secundum mensuram charitatis Deus confert dona spiritus sancti. Has omnes aquas debemus haurire, gaudendo in Domino & gratias agendo, quod est confiteri Domino quoniam bonus. His aquis ablui debemus & mundari, sicut Dominus per Isaiam ait: Lauamini & mundi estote. Aquæ verò turbidæ Ægypti lutosæ sunt, & flumina Babylonis non mundant, sed coinquinant, inflãt, ponderosum reddunt & hydropiam. De quibus Ieremias ait: Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? De aquis autem baptismi Ezechiel ait: Ecce aquæ redundantes à latere dextero. De Christi enim latere, non solum fluxit sanguis redemptionis, sed pariter aqua ablutionis & purificationis. In his aquis ductus est idem Propheta. Primò vsque ad talos, quod fit dum plantæ affectuum purificantur. Secundò vsque ad genua, quod fit dum genua debilia eriguntur & confortantur, sicut scriptum est: Confortate manus remissas & genua debilia erigite. Tertiò ductus est vsque ad renes, quod fit cum carnalia desideria, & incentiua vitiorum in nobis extinguuntur. Post lumbos autem transire non potuit, quia torrente cogitationum carere in hac vita non potuit. De his aquis Isaias ait: Scissę sunt in deserto aquæ & torrentes in solitudine. In deserto, scilicet, gentilitatis, apertæ sunt aquæ gratiæ baptismalis, quæ torrenti comparantur, quia per eas omnia peccatorum obstacula & impedimenta remouentur tanquam impetu fluminis, lętificantis ciuitatem Dei. Fons enim ortorum puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano, id est, de candore diuinæ gratiæ, omnia obstacula vitiorum tollit, animas baptizatorum mundat & abluit. De his aquis Psalmista ait: Tu diruisti fontes & torrentes, id est, aperuisti fontem baptismi, & torrentem gratiæ, omnia impedimenta peccatorum tollentem: vt possint dicere baptizati, torrentem pertrãsiuit anima nostra. Hæ sunt aquæ medicinales cõtra vniuersos animæ morbos & languores, quas cum gaudio & gratiarum actione de fontibus Saluatoris debemus haurire. Vnde Apostolus ait: Christus dilexit Ecclesiam: & semetipsum tradidit pro ea, vt illã sanctificaret lauacro aquæ mũdans, vt exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam neque rugam. De his etiam aquis Ioannes in Apocalypsi ait: Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam cristallũ procedentem de sede Dei & agni. Aquæ baptismi cristallo comparantur, quia faciunt splendidos & confirmant fluidos, vt sunt constantes & stabiles. Sicut scriptũ est: Stetit vnda fluens, id est, fluxus carnalis, vt iam per varia desideria non defluat, qui baptismi gratiam conseruat. Vnde Prophęta ait: Tu confirmasti in virtute tua mare, id est, gentes in amaritudine peccatorum, prius commorantes contribulasti capita draconum, id est, superbiam dæmonum in aquis baptismi. Gentilitas enim ad Deum conuersa, tanquam firmamentum posita est in medio aquarum inferiores aquas sensualitatis & terrenorũ desideriorum habẽs sub se, superiores autem, id est, aquas baptismales, & fluenta gratiæ habens supra se. De his aquis Ioël Propheta ait: Egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentẽ spinarum, & Ægyptus in desolationẽ erit. Fons, scilicet, signatus, puteus aquarũ viuentiũ, scilicet, fons baptismi signatus sigillo trinitatis, quia oportet quod tota trinitas inuocetur. Signatus quia mysteria baptismi abscondita sunt inimicis & incredulis, & reuelata amicis. De hoc fonte dicit Zacharias Propheta: Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem sordium & menstruatę: fons patens, quia ecclesia nulli claudit gremium. Abluit autem fons baptismi peccata, & animas menstruatas purgat, abstergens maculas sanguinis. Per sanguinem qui horribilis est, & cuius macula quantò vetustior, tantò turpior intelligitur peccatum. Res autẽ infecta sanguine, facilè inficit rem quam contingit. Ita peccator sibi consentientes coinquinat. Vnde Propheta: Sanguis sanguinem tegit. Fons iste egreditur de domo Domini. Aqua enim baptismi egressa est de latere Christi, sicut dicit Ezechiel: Ecce aquæ redundantes ex latere dextro. Et iterum: Aquæ de sanctuario egredientur. Et rursus ait: Intrabunt mare & exibũt & sanabuntur aquæ, id est, populi per quas baptismi, & omnes anima viuens, quæ serpit quocunque venerit torrens viuet, & erunt pisces mul-

*De aquis maris rubri & hausторio contritionis. Exod. 15.*

*De aquis marach & hausторio earum, id est, memoria iudicii & timore gehennæ.*

*De aquis putei Iacob & hausторio humilitatis.*

*De aquis Iordanis & hausторio desiderii. Iudic. 1. Ioan. 4.*

*De aquis spiritus sancti & hausторio charitatis. Isaiæ 1.*

*De aquis Ægypti. Ierem. 2. Ezech. 47. Ioan. 19.*

*De aqui per quam ductus est Propheta & non potuit transuadare. Isaiæ 35. Ezech. 47. Isaiæ 35.*

*Quare aquæ baptismi torrenti comparantur. Cantic. 4.*

*Ephe. 5.*

*Apoc. 22.*

*Quod aqua baptismi cristallo comparatur.*

*Ioël. 4. Cant. 4.*

*De fonte signato cui comparatur baptismus.*

*De sanguine, ablutione.*

*De aquis à latere egredientibus. Ose 4. Ioël. 4. Ose 47.*

ces multi satis, postquàm venerint illuc istæ aquæ, & sanabuntur & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. Hę sunt aquę quę egrediuntur de piscina probatica, quæ quinque porticus habebat in qua sanabantur infirmi. Christus enim est fons siue piscina, habens quinque porticus quinque vulnerum. In qua piscina oportet ablui omnia sacrificia. De aquis huius fontis dicit Dominus per Ezechielem: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum in medio vistri. Torrens spinarum est sensualitas, ex qua fluunt præmij motus & mala desideria pungitiua. Torrés iste duo habet capita, vnum infirmitatis in corpore, aliud peccati in anima. De latere autē Christi egressus est riuulus, duo habens capita, vnum sanguinis & aliud aquæ. Torrens sensualitatis irrigatus aquis baptismi, quantum ad vnam partem destruitur, scilicet, quantum ad peccatum, quantum ad aliam debilitatur. Nam fomes ille siue tyrannus naturæ non habet post baptismum tantam virtutem incitandi ad malū. Caput enim serpentis conteritur in aquis baptismi. De his aquis dicit Iob: Antequā comedā, suspiro, & quasi immundantis aquę sic rugitus meus. Rugitus enim contritionis abluit crimina. Similiter aquę baptismi, velut aquę immundantes omnia asportāt obstacula, quia baptismus omnia tollit peccata. Dominus autē in aqua & non in alio liquore baptismū fieri cōstituit triplici ratione, vt, scilicet, intelligamus, quod sicut aquā sordes corporis abluit, ita baptismus maculas animæ mūdat, & extergit. Secunda ratio: Vt nullū inopia excusāre possit. Aqua enim cōmunis est omnibus nationibus. Tertia ratio, quia aqua contraria est igni. Quid est enim peccatū, nisi ignis infernalis, qui suo contrario perimitur, scilicet, aqua illa quę flammeum gladium extinxit, qui peccante Adam, positus est in introitu Paradisi. In aquis autem Iordanis baptismus initium sumpsit, quia in flumine illo multipliciter figura baptismi præcesserit. Filij enim Israël transierunt per Iordanē, sacerdotibus cū arca viam ostentibus. Ad sacerdotes enim pertinet, vt præcedant, & per aquam baptismi ad verā terram promissionis viā ostendāt. Elias ascensurus in cœlum per Iordanem transiit. Aqua enim baptismi via est ad verā beatitudinem ascensurus. Naaman prærereà præcepto Eliseus septies lauatus est in Iordane, & curatus est à lepra, quia spiritu septiformi, quem in baptismo suscepimus, à lepra peccatorum purgamur. Sicut enim aqua materiali corpus abluitur, ita spiritu sancto & igne cor mundatur. Aliis etiam pluribus mysteriis præfiguratus est baptismus. Spiritus enim Domini ab initio ferebatur super aquas, & fluuius egrediebatur de Paradiso, qui diuiditur in quatuor flumina, quia per spiritum sanctum sanctificantur aquæ baptismi, vt ablutio fiat in quatuor partibus mundi. Flumen enim Dei repletum est aquis, fluuius baptismi repletus est aquis diuersorum populorum. Et potauerunt omnes bestiæ agri gentiles, scilicet, agrestes & inculti. Vnde Ioël ait: Per omnes riuuos inde fluent aquę. Et in Genesi Moyses ait: Fons egrediebatur de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Filij etiam Israël, vt ait Apostolus in nube, & in mari baptizati sunt. In nube enim spiritus obumbrantis & refrigerantis, & in mari rubro, & in aqua fide sanguinis, & passionis Christi rubricata submersis Ægyptiis, id est, dæmonibus & peccatis mortalibus fit sanctificatio per baptismum. Homo enim ex duobus constat, corpore, scilicet, & anima, vtrumque debet mundum custodire, istud à luxuria, illa ab omni spirituali nequitia. Vnde in aqua & spiritu siue in igne, perfecta fit purgatio, vt aqua ad purgationem corporis, ignis ad purificationem animæ in mysterio referatur. In ligno etiam arcæ & arca diluuij præcesserit figura baptismi. Sicut enim Noë cum tota familia aliis pereuntibus saluatus est, vel euasit, ita per lignum crucis & aquam baptismi, fit salus & origo virtutum, & finis vitiorum. Moyses inuentus est in flumine vagiens, & Christus venit ad baptismum, pro peccatis nostris lugens. Aaron etiam in figura baptismi ablutus est aquis, eiusque filij sacerdotio paterno participes, laticis sanctificatione purgantur, quæ per luterem æneum in lege designatur. Voluit igitur Dominus innouari nos in baptismate, quia nemo mittit vinum nouum gratiæ in vteres veteres, id est, in vasa peccati corruptiona inueterata. In transitu etiam filiorum Israël per Iordanem aquæ superiores surſum ascenderunt, aquę verò inferiores in mare defluxerunt, in quo magnū baptismi designatur mysterium. Quidā enim ex baptizatis ascendunt per eminentiam virtutum & saluantur, alij in amaritudine vitiorū defluunt & damnātur. Vnde Zacharias Propheta ait: In diebus illis, exibunt aquę viuæ de Ierusalem, medium illarum ad mare orientale, & medium ibit ad mare nouissimum. Ad mare orientale pergunt sancti qui patiuntur hîc primam amaritudinem. Ad mare nouissimum defluunt reprobi, qui passuri sunt vltimam pœnæ æternæ amaritudinem. Hi sunt corui qui cadaueribus immundorum desideriorum illecti, ad arcam ecclesiæ non redeunt. Columba autem cum ramo oliuæ, id est, cum gratia spiritus sancti reuertitur, quia requiem in exterioribus & transitoriis rebus non inuenit. Vnde & aquæ diluuij super omnes montes quindecim cubitis excreuisse dicuntur, quia baptizati à Deo electi, pede mentis dignitates temporales conculcant per impletionem veteris & noui testamenti. Vetus enim testamentum per septenarium designatur, & nouum per octonariū, propter sabbatum & octauum diem resurrectionis. Sicut scriptū est. Da partes septē nec nō & octo. Hi autē numeri quindecim constituunt. Hęc autem baptizatorum à seinuicem separatio signatur in Genesi, vbi dicitur: Producāt aquæ reptile animę viuentis, & volatile super terram. Volatile sunt quorum conuersatio est in cœlis, qui sathanam sub pedibus eius conculcauerunt, abrenuntiantes illi & omnibus pompis eius, id est,

*De piscina probatica. Ioan. 5.*

*Ezech. 36. De torrente spinarum.*

*Iob. 3. Quare in aqua & non in alio aliquo liquore fiat baptismus.*

*De multiplici præfiguratione baptismi tam in aquis Iordanis quā in aliis. 4. Reg. 2. Item 5. Simile.*

*Gene. 1. Item 2.*

*Ioël. 4. Gene. 2. 1. Cor. 10.*

*Quod in aqua & spiritu recta fit purgatio. Gene. 7.*

*Exod. 2.*

*4. Reg. 4. Matth. 9. Marc. 2. Iosue 3.*

*Zach. 13.*

*Gene. 8.*

*De coruo & columba & aquis diluuii.*

*Eccle. 15. Gene. 1. Phil. 3.*

*De volatilibus & reptilibus. Rom. 15.*

id est, magnis & criminalibus peccatis, & vanitati seculari, choreis, scilicet, & cãtilenis, & pomposis ornatibus vestium, & aliis huiusmodi, quæ sunt occasiones mortalium peccatorũ, & ex consuetudine atque contemptu, dum placent, animã mortaliter illaqueant. Reptile autem, id est, pisces sub aquis temporalium, & carnalis voluptatis demersi sunt homines, cupidi, curiosi, carnis illecebris dediti, qui post susceptam baptismi gratiã sathanæ, cui renuntiauerunt seipsos, subiiciunt. Hi sunt mali pisces, & reprobi velut cancer retrogradi, qui anteriorum obliti in posteriora se extendunt, habentes cordis obstinationem pro squamis, forcipes autem acutissimos habent per vsuras fraudes & rapinas, & alios circumueniendi & nocendi modos. Alij autẽ tanquam anguillæ lubrici sunt & incontinentes, quorum conuersatio est in obscœnis voluptatibus, & luto luxuriæ. Alij quasi cœte in mari huius seculi deuorant minores, scilicet, Tyranni & potentes huius seculi, qui, imminente tempestate, more cœte & delphinorum ludunt, sed citò ludus eorum in luctum conuertitur. Nam sicut momẽtanea claritas coruscationis præcedit tonitruum & fulminis ictum, ita ipsi in bonis ducunt dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Sicut autem pisces sine aquis diu viuere non possunt, ita si prædictis reprobis hominibus diuitiæ, vel carnales voluptates subtrahuntur, deficiunt & in miseriis non subsistunt. Hi igitur non de fontibus Saluatoris, sed de mari aquas amaras & insipidas hauriunt. Nos autem sicut ceruus desiderans ad fontes aquarum, de fontibus Saluatoris aquas dulcissimas hauriamus.

*De diuersitate malorum piscium.*

*Abacuc. 1.*

*Ioan. 16.*

*Iob 21.*

*Isaiæ 12.*

Non solum de vno fonte, sed de diuersis fontibus. Habet enim multos fontes, multasque baptismatum species. Est enim baptismus fluminis, baptismus flaminis, baptismus sanguinis, baptismus pœnitentiæ, baptismus doctrinæ, baptismus eleëmosynæ, baptismus lachrymarum, baptismus charitatis, baptismus præfigurationis, baptismus gratiæ, & baptismus gloriæ. Baptismus fluminis, in aqua materiali. De quo Dominus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnum Dei. Baptismus flaminis, id est, spiritus sancti in igne. Vnde in Actibus Apostolorũ dicitur: Ioannes quidẽ baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Et in Matthæo dicitur: Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni. Baptismus sanguinis vel passionis habet fieri in sanguine martyrij. De quo Dominus ait: Baptismo habeo vos baptizari, & quomodo coartor vsq; dum perficiatur? Et in Apocalypsi Ioannes ait: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione: & lauerunt stolas suas in sanguine agni. In sanguine stolas lauant, qui Christi passionibus similia tolerando communicant. Baptismus pœnitentiæ est in cordis contritione, & peccatorum confessione. De quo Propheta ait: Amplius laua me ab iniquitate mea. Quidquid enim inquinat transgressio, abluit contritio cordis & oris confessio. Debemus igitur in vino lauare stolam nostram, sicut in benedictionibus Iacob de Iuda dicitur: In sanguine lauant stolas suas martyres. In vino autem compunctiones pœnitentes, & sancti confessores. In lacte verò munditiæ, & innocentiæ virgines. In oleo misericordes. Baptismus doctrinæ est in prædicatione. Vnde Dominus in Euangelio: Iam mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis. Et in Parabilis dicitur: Deriuentur fontes tui foras. Baptismus eleëmosynæ quæ aqua Dei interpretatur, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum, de quo Dominus ait: Date eleëmosynam, & omnia munda sunt vobis. Et in Daniële dicitur: Redime eleëmosynis peccata tua. Baptismus lachrymarum est, de quo Propheta ait: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et in Canticis dicitur: Dentes tui sicut greges tonsarum, quę ascendunt de lauacro. Hi sunt sancti qui seminant in lachrymis, vt in exultatione metant. Baptismus charitatis, quę operit & abluit multitudinem peccatorum est, de quo Dominus ait: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas enim est fons viuus, cui nõ communicat alienus. Baptismus præfigurationis est, de quo ait Apostolus. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Baptismus gratiæ est, de quo Ioël ait: Egredietur fons de domo domini. Et in Canticis dicitur. Oculi eius sicut columbę super riuos aquarum, quę lacte sunt lotæ, id est, candore diuinæ gratiæ. Baptismus gloriæ est, de quo Propheta ait: Quoniam apud te est fons vitę. Hic est fons horrorum cœlestium, & fluminis impetus, qui lętificat ciuitatem Dei, dominus noster Iesus Christus, qui torrente voluptatis suæ, potabat electos suos, qui regenerati sunt ex aqua & spiritu sancto. Quibus ipse per Isaiam ait: Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina nõ operient te, cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit te. Per aquas enim baptismi & ignem spiritus sancti transimus, & duce Dõmino ad refrigerium æternæ beatitudinis peruenimus.

*De diuersitate fontibus Saluatoris & baptismo multiplici.*

*Ioan. 3.*

*Actuum 1.*

*Matth. 3. Luc. 12. Apoc. 7.*

*De multiplici ablutione.*

*Gene. 49.*

*Ioan. 15.*

*Parab. 5. Eccle. 3. Luc. 11.*

*Dan. 4.*

*Cant. 6.*

*Iacob 4. Parab. 5.*

*1. Cor. 10. Ioël 4. Cant. 5.*

*Ioan. 1. Isaiæ 43.*

## EADEM DIE THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

*Venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab eo.*

*Matth. 3.*

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sicut enim pane corporali corpus sustẽtatur, ita pane verbi Dei anima reficitur. Hic est panis quotidianus, quem quotidie in oratione dominica, tanquam mendici & pauperes à Dõmino petimus. Hic est panis Aser præbens delitias Regibus, sicut legitur in Genesi: vbi Iacob filios

*De multiplici pane verbi Dei. Matth. 4. Gene. 49.*

filios suos benedixit. Aser, qui interpretatur latrunculus, signat illum, qui tanquam fur veniet
1. Petri 3. in iudicio, cuius panis delicatus, panis, scilicet, diuinæ scripturæ, præbet delitias regibus viris
spiritualibus, qui bene se regunt, & habent sanum palatum cordis. De hoc pane dicit Dauid:
Tren. 4. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Et Ieremias: Paruuli petierunt pa-
nem, & non erat qui frangeret eis. Hi sunt panes propositionis, qui nobis à Deo & à sanctis do
De his qui panem Dei manducare nō possunt. Tren. 3. ctoribus successiuè apponuntur, & proponuntur in mensa Domini. Quidam autem adhuc la-
ctentes sunt, nec habent dentes, quibus hunc panem manducare possint. De quibus Ieremias:
De lamiis & mammis earum. Iob 30. Isaiæ 16. Iudic. 4. Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos. Lamia, quæ vultum habent quasi hu-
manum, & finem bestialem, est diabolus, qui primò quasi quibusdam falsis rationibus seducit
hominem, & adducit ad stultum & bestialem finem. Duæ mammæ diaboli sunt, voluptas car-
nis, & vanitas mundi. Qui sugunt mammas has, panem sapientiæ diuinæ non possunt edere.
Dominus enim non docet scientiam suam, nisi ablactatos ab hoc lacte, de quo potatus, Sisara
dormiuit & interiit & auulsos ab his vberibus. De his autem qui panem hunc manducare non
Ierem. 31. De vua acerba. possunt, dicit Ieremias: Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescunt dentes eius.
Vua acerba est fructus ante tempus. Qui non expectant tempus messis, vel vindemiæ, vt re-
cipiant æternam mercedem, sed transitoria bona, tanquam vuam acerbam præoccupant, non
De his qui panem verbi Dei cōtemnit. habent dentes quibus hunc panem masticare valeant. Quidam autem, dum in oratione domi-
nica panem hunc frequenter petunt, Domino danti, manum retrahūt, & ita malo suo petunt,
Prou. 28. qui Dominum deridēt quantum in ipsis est. Hi sunt qui verbum Dei audire nolunt, & quia no
lunt benedictionem, elongabitur ab eis. De quibus dicit Salomon: Qui declinat aurem suam
ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Nunquam enim audiet te Dominus, quando lo-
queris ei, scilicet in oratione, nisi eum audieris cum tecum vult loqui, scilicet, in sermone, & ver
bi Dei prædicatione. Si enim vultis ait Dominus: vt audiam vos, quando mihi loquimini, vo-
lo vt audiatis me, quando vobis locutus fuero. Alij autem recipiunt eleëmosynam huius panis,
sed posteà pedibus conculcant, vel porcos inde pascunt. Hi sunt qui verbum Dei audiunt, sed
male viuendo conculcant, & tanquam porci in immunditia perseuerant. Hi autem sunt mali
pauperes. Minus enim malum esset eleëmosynam panis materialis in lutum proiicere, quàm
Ioan. 6. verbum Dei conculcando contemnere. Vos igitur fratres orate Deum, vt panem verbi Dei ho
die corda vestra confirmet in bono. Et qui panem materialem multiplicauit, vt inde quinq; mi
lia hominum satiaret, panem hunc quo animæ vestræ satientur hodie multiplicet. Maius est
enim animam nunquam morituram reficere, quàm ventres in proximo perituros satiare. Ve-
1. Petri 2. nit Iesus à Galilæa in Iordanem, &c. Dominus noster Iesus Christus, qui peccatum non fecit,
Multiplex assignatur causa baptismi Christi. nec inuentus est dolus in ore eius, licèt purgatione non indigeret, baptizari tamen voluit, non
Prima. pro se, sed pro nobis, multiplici ratione. Prima causa fuit, vt humiliando se solueret, quod non
debuit, & ita nos ab his quibus obligati eramus, absolueret. Secunda causa: sicut enim pro no-
Secunda causa bis est mortuus, vt nos à morte eriperet, ita pro nobis baptizatus est, vt nos ab originali pec-
cato absolueret, & ab omni actuali. Secunda causa fuit, vt baptisma Ioannis à Deo esse proba-
ret. Licet enim in illo non fieret peccatorum remissio, homines tamen vsui baptizandi præpa-
rabat, vt essent habiliores ad suscipiendum Christi baptismum, in quo fiebat remissio peccato-
rum. Baptismus autem Ioannis erat in pœnitentiam, non in remissionem, quia Ioannes bapti-
zans ad pœnitentiam vocabat, & quos baptizabat, pœnitere docebat. Dicebatur autem baptis-
mus Ioannis, licèt non dicatur baptismus Petri vel Pauli, quia operatio visibilis Ioannis ibi
erat tantum exterius lauantis, non inuisibilis Christi gratia interius operantis, sicut fuit in ba-
Quod aliqui rebaptizati sunt qui Ioannis baptismo fuerant baptizati. ptismo Christi, cuius ministri fuerunt Apostoli, nec tamen dicitur baptismus eorum. Vnde ba-
ptizati ab Apostolis non sunt rebaptizati. Baptizati autē baptismo Ioannis, qui baptizabat tan
tum in nomine venturi, rebaptizati sunt. Et illi præcipuè, qui spem in eius baptismo posuerāt,
& spiritum sanctum nesciebant, nec fidem trinitatis susceperant, dicentes. Neque si spiritus san
Actuum 19. Item 8. ctus est audiuimus. Aliis autem vt dicunt qui spem in eius baptismo non posuerunt, & in fide
trinitatis instructi erant, per manus impositionem supplebatur, quod minus factum erat in ba
ptismo Ioannis, sicut in actibus Apostolorum dicitur. Tunc imponebant manus super illos &
accipiebant spiritum sanctum. Plerique tamen ex magistris nostris sentiunt, quod rebaptizan
De institutione baptismi. Actuum 1. di fuerunt, & iterum Christi baptismo baptizati sunt, licèt in scriptura non exprimatur. Non-
dum enim aquæ sanctificatę erant, nec facta erat institutio baptismi Christi quæ facta est quan
do Christus aquas contactu proprię carnis sanctificauit, & tota trinitas apparuit. Ioannes enim
baptizabat tantum in aqua: Christus verò spiritu sancto in aqua. Spiritus enim sanctus aquas
Tertia causa. fęcundat, vt regeneretur homo ex aqua & spiritu sancto, sicut dicitur nasci homo ex fœmina,
sed de viro, id est, viri operatione fœminam fœcundante. Tertia causa fuit, quare Christus ba-
Matth. 4. ptizari voluit, propter exemplum humilitatis. Inclinauit enim sub manibus serui caput ange-
licis potestatibus reuerendum & tremendum. Vnde ipse ait: Sic enim decet nos implere om-
De perfecta iustitia. Ioan. 3. nem iustitiam. Nos, id est me & te. Me humiliando, te mihi obiiciēdo. Omnem iustitiam, quia
baptismus cōsummatio est omnis iustitiæ, nec perfectè potest iustificari homo, nisi per baptis-
mum, id est, nisi regeneratus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nisi in casu necessitatis. Pœniten-
tia enim & martyrium supplent vicem baptismi, quando ipsius mysterium nō contemptus re-
ligionis, sed articulus necessitatis excludit. Impleuit igitur omnem iustitiam, id est, omnis iu-

stitiæ im-

stitiæ implendæ exemplum dedit, quæ sine baptismo impleri minimè potest. Vnde ipse Dominus ait: Sine modo. Ac si diceret: Vita mea morum est disciplina. Impleuit præterea omnem iustitiam, id est, perfectam iustitiam, quantum ad illam partem iustitiæ, quæ dicitur humilitas, cuius omnes partes impleuit. Est enim triplex humilitas, scilicet, sufficiens, abundans, & perfecta. Sufficiens subdere se maiori, & non perfectè æquali, abundans subdere se æquali, & non perfectè minori. Plena autem & perfecta humilitas est subdere se minori inferiorem, scilicet, se exhibere ipsi inferiori, sicut summa & intolerabilis est superbia se præponere superiori. Ostendit igitur Dominus in se omnem iustitiam, id est, consummatam & perfectam humilitatem. Vnde & ipse venit à Galilæa in Iordanem, vt doceret nos à vitiis transmigrare, & per humilitatem descendere. Galilæa siquidem transmigratio, & Iordanis descensus interpretatur. Ioannes autē prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Contempsit Baptista & Regis humilitatem miles imitando prohibebat eum. Ad mādatum tamen Domini sui ipsum baptizauit, quia vera est humilitas, quam comes obedientia nō deserit. Sed quomodo ab ipso Christo se baptizari debere dicit, qui in ventre matris sanctificatus & ab originali purgatus fuit? Baptizari autē dixit pro emundari & purgari, qui venialibus non carebat, & purgatione indigebat, atq; gratiæ augmento, quæ cōfertur in Christi baptismo. Vel à te debeo baptizari, terrenus à cœlesti, id est, si ab aliquo baptizandus essem, à te potius quàm ab aliquo alio baptizari deberē. Quarta ratio fuit, quare Christus baptizari voluit, vt aquas contactu suæ sanctissimæ carnis sanctificaret, & eis vim regeneratiuā conferret. Aquas igitur Iericho, quę prius steriles erāt, sanauit & fœcundas reddidit, & aquā in vinum conuertit, dum eis vim regenerandi præstans pretiosas fecit, vt essent aquæ viuę sālientes in vitam æternam. Vnde de his aquis Ezechiēl ait: Intrabunt mare & exibunt, & sanabuntur aquæ, & omnis anima viuens quæ serpit, quocunque venerit torrens, viuet postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia ad quem venerit torrens. Aquæ enim baptismi intrauerūt mare Gentilitatis, & sanatæ sunt aquæ, id est, populi, & viuunt omnia ad quæ venit torrens baptismi, omnia peccatorū obstacula tollens. Quinta ratione Dominus baptizari voluit, vt daret exemplum baptizandis, vt nemo quantumcunque sanctus baptismi superfluam gratiam reputaret, dum ipse qui solus absque vulnere fuit, nostrorum ligaturam non recusauit. Sexta ratione Dominus baptizari voluit, scilicet, propter insinuationē magni mysterij, in cuius baptismo aperti sunt cœli, & tota Trinitas apparuit, Pater in voce, Spiritus sanctus in specie columbę, Filius in carne. Baptizatis enim cœli ianua aperitur, quæ clausa fuit omnibus propter peccatū primi parentis, & adhuc clausa est omnibus, qui sine baptismo decedunt in peccato originali. Vnde & paruuli, qui sine baptismo moriuntur, licēt ex Christianis parentibus nascantur, saluari tamen non possunt, quia non secundum spiritum, sed secundum carnem nascuntur. Quod enim nascitur ex carne, caro est. Caro autem & sanguis regnum Dei non possidebunt. Ex parētibus igitur purgatis ab originali nascitur infans cum originali, sicut ex grano sine palea, oritur granum cum palea. Et quia à palea non purgatur, æternis tenebris condemnatur, carens tantùm visione Dei, aliam tamen pœnam non sustinens. Vnde de huiusmodi paruulis credimus, quod malint esse, quàm penitus non esse. Nec enim dolent vel conqueruntur, quod carent æterna beatitudine: sciunt enim quod natura fit eis iniuria. Sicut non posset filius pauperis serui meritò conqueri si Rex non adoptaret eum in filium, vel si non daret ei regnum suum. Baptizatis autem Dominus gratis tribuit libertatem, nec ob hoc damnatis iniuriam facit, si istis confert gratiam suam. Spiritus enim vbi vult spirat, & quos vult in filios adoptat. Si enim aliquibus gratiam suam confert, propter hoc aliis nihil aufert. An non licet ei quod ipse vult facere? Dominus est, regnum suum, quibus vult absque aliorum iniuria, potest dare. Paruuli igitur baptizati, si ante tempus discretionis prius, scilicet, quàm habeant vsum liberi arbitrij, decedant, statim absq; Purgatorij pœna euolant. Vnde de talibus gaudere debemus, & non lugere, vel contristari, sicut & cęteri qui spem nō habent. Licèt autē non indigeant beneficiis nostris, vel orationibus, in morte tamen eorum pium est Missas pro defunctis celebrari, vt sint gratiarū actiones pro salute paruulorum, & nihilominus prosint his, qui in Purgatorio puniuntur. Quemadmodū enim si alicui diuiti postquā multis satiatus est ferculis, vnum ferculū afferatur, quia non indiget eo, transmittit illud indigentibus, ita beneficia quę fiunt pro saluatis, prosunt saluandis. Postquā autē paruuli ad annos discretionis perueniunt, vt iam peccare valeant, summo studio coērcendi sunt à parētibus, ne baptismalē innocentiā amittant, ne fiant tanquā cisternæ vereres & dissipatæ, quæ nō valent aquas baptismi continere, dum gratiā susceptā peccando amittunt, & pactū baptismi irritū faciunt. Melius enim esset, non solū eis, sed & parentibus quod morte subitanea corporaliter interimerent, quàm baptismalem innocentiam amitterent. Sed & parentum qui eos de fonte baptismi susciperunt, & pro ipsis fideiusserunt, quantum in ipsis est, tenentur procurare, vt fidē quę per dilectionē operatur filioli sui Domino immolatā conseruent. Hoc enim pro ipsis respōdendo Credo, vidētur promisisse. Vnde filiolos suos & de fide & moribus debent instruere. Propterea inhibetur ne monachi de sacro fonte paruulos suscipiant, qui talibus vacare non possunt, quorum officiū est plangere non docere, diuino officio vacare, non de instructione paruulorum sollicitos esse. Sed insuper summopere prouidendum est parentibus, ne filij culpa sua, vel aliqua negligentia baptismi beneficio priuentur. Quod fit plerunque

*Matth. 3.*

*De triplici humilitate.*

*Quarta causa.*
*4. Reg. 2.*
*Ioan. 2.*
*Item 4.*

*Ezech. 47.*

*Quinta causa.*

*Sexta causa.*

*Galat. 4.*
*Ioan. 1.*
*1. Cor. 15.*

*De paruulis siue baptismo decedentibus.*

*Ioan. 1.*
*Matth. 20.*

*De paruulis post baptismum decedentibus.*
*1. Thess. 4.*

*De institutione filiorum ab infantia.*
*Ierem. 1.*

*De patrinis quales esse debeant erga filiolos.*
*Gal. 3.*

*De his qui peccato parētum baptismum non recipiunt.*

ex immoderato prægnantium mulierum labore, vel ex ipsarum ira & perturbatione, vel quia à viro suo mulier cognoscitur, cùm iam vicina partui non potest virum absque sui grauamine sustinere, vel quando nato puero, dum baptismus differtur propter patrinorũ expectationem, puer interim moritur. Quorundam autem relatione audiui, quod dum maritus ebrius ad vxorem suam prægnantem accederet, ex odore vini & fœtido anhelitu viri ebriosi, mater puerum amisit. Quocunque autem modo ex culpa parentum puer baptismum amiserit, animam illam æterna beatitudine priuatam, Dominus de manu illorum requiret. Quid ergo fiet de illis qui leœnis & lupis ferotiores, infantes suos malunt necare, quàm nutrire? cùm lupæ, & leœnæ, & tigrides, & aliæ feræ, catulos suos non abiiciant, sed cum omni diligentia nutriant? Sanum autem est Ecclesiæ consilium, quod quàm citò mulier parturire incipit, in vase aliquo debeant aquam præparare, quatenus si paruulus Sacerdotis aduentum, infirmitate grauatus, non potest securè expectare, ab aliquo qui in domo est, viro vel muliere, puer in aqua trina immersione, quæ triduanam exprimit sepulturam sub inuocatione sanctæ Trinitatis, immergatur: in hunc modum: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Si enim à quocunque prędicta verba cum intentione baptizandi proferantur, baptizatus est puer, siue à Christiano, siue à Iudæo, vel Sarracæno fiat istud. Si etiam in hac necessitate à patre suo paruulus baptizetur, non ob hoc ab vxore sua, licèt eius esset commater, separaretur. Instruendi sunt igitur laici de prædicta forma baptizandi. Si enim tres personæ non inuocentur, non iudicatur baptismus, dum forma à Domino instituta, non obseruatur, qui Discipulis suis ait, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Si igitur dicat qui puerum immergit, Baptizo te in nomine Dei, vel in nomine Patris, & Filij, & tertiam personam non nominet, non iudicatur verus baptismus. Sicut in sigillo Romani Pontificis, si quis vnum punctum subtraxerit, vel apposuerit, falsarius iudicaretur. Hæc autem de baptismo paruulorum dixisse sufficiant, quibus post baptismum morientibus, cœlum aperitur. Sicut enim imputatur eis peccatum primi parentis, quantum ad originale, quod contrahunt ex carnali generatione, ita in fide Ecclesiæ saluantur, licèt nondum habeant liberi arbitrij vsum. Sicut in filia mulieris Chananeæ eius filia curata est, & à dæmonio liberata. Non solùm autem cœlum aperitur baptizatis, sed & Spiritus sanctus in animas eorum descendit, ad quod signandum in specie columbæ super Christum Spiritus sanctus aduenit. Vnde Euangelista Matthæus sic ait: Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ipse enim filius est mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Domino habitare in eo. De quo Dominus per Isaiam ait: Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea. In filiis autem Adam, non sibi bene complacuit. De quibus ait: Pœnitet me hominem fecisse. Vox igitur Domini super aquas, Christo testimonium perhibuit, dicens: In ipso mihi complacui. Id est, beneplacitum meum de redemptione generis humani in ipso constitui. Aperti sunt autem cœli visibiliter, & circumfulsit eum splendor, sicut materialiter in coruscatione fulgur videtur. Cœli autem apertio, reuelationem arcani mysterij, quæ fieri habet in baptismo, designauit, & quod baptizatis aditus cœlestis aperitur. Quia verò baptizatus confestim de aqua ascendit, formam dedit baptizandis vt post baptismi purificationem otio & negligentia non torpeant, sed statim sine mora semper in melius proficere, & de virtute in virtutem ascendere studeant. In specie autem columbæ super Christum Spiritus sanctus descendit, vt ipsius ostenderet simplicitatem, & manifestaret eius mansuetudinem & innocentiam. In specie verò ignis descendit super Apostolos, vt peccatorum in eis rubiginem consumeret, & ipsos calefaceret ad feruorem, & illuminaret ad cognitionem. His autem omnibus non indigebat CHRISTVS. Vnde non in specie ignis, sed in specie columbæ super eum Spiritus sanctus se ostendere voluit, vt per eam instruerentur homines de baptizandi potestate, & per columbæ proprietatem varia charismatum dona in CHRISTO esse monstratentur. Columba enim felle caret. Et Christus omni malitia & felle peccati caruit. Nullum rostro vel vnguibus lædit. Et Christus per omnia innocens fuit. Nec minimas auiculas inuadit, quia Christus nulli vnquam iniuriam fecit, sed omnibus benevolus fuit. Puro grano & non cadaueribus pascitur. Et CHRISTVS iustis & non peccatoribus delectatur. Alienos pullos non nutrit. In quo Christi charitas designatur, qui non quæ sua sunt, sed quæ Patris erant, quæsiuit, & Gentes alienas vocauit ad se. Gemitum habet pro cantu. Et CHRISTVS pro nobis legitur fleuisse, nunquam autem in hac miseria legitur risisse. Gregatim volant columbæ. Et Christus sibi multos congregauit pacem & concordiam, quantum in ipso fuit, cum omnibus habuit. Iuxta aquas sedent, vt prætuisa vmbra accipitrem declinent. Et Christus tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, id est, secundum fluenta gratiarum, ita à diabolo sibi cauit, quod Princeps huius mundi in ipso non habuit quidquam, nec aliquid quod suum esset, in ipso reperire potuit. Post baptismum autem Christus propter baptizatorum instructionem, in desertum perrexit vbi ieiunauit, & tentatus fuit, cum bestiis pacificè commorabatur, & omni tentatione superata, Angeli min[istrabant]

*De his qui puerum interficiunt ante baptismum.*

*Quod aqua in partu præparetur propter emergentes necessitates.*

*Quod instruendi sunt laici de forma baptismi. Matth. 28.*

*Item 25.*

*Matth. 3. De dilecto filio cui pater testimoniũ in baptismo perhibuit. Isaiæ 42. Gene. 6.*

*De apertione cælorum.*

*Actuum 2.*

*De columba super Christum descendente & proprietatibus columbæ.*

*Ioan. 14. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. Quod Christus post baptismum in deserto ieiunauit & tentatus fuit à diabolo.*

strabant ei. Et nos post baptismum & purgationem à peccatis prauorum consortium, & tumultum secularium fugere debemus, & per asperitatem pœnitentiæ desertum austerioris vitæ inhabitare, ita vt cum bestialibus hominibus, & cum his qui oderunt pacem, quantum in nobis est, pacem habeamus, & in nobis motus bestiales pacificando refrænemus ieiunando, non solum à carnalibus cibis, sed à voluptatibus & noxiis passionibus, tales nos in sancta conuersatione exhibentes, vt Angeli sancti nobis ministrantes, de nostra gaudeant promotione. Vos igitur fratres charissimi, nolite errare, Deus enim non irridetur, sicut in baptismo exterius promisistis, ita in spiritu & veritate interius obseruetis. Abrenuntiastis enim diabolo & omnibus pompis eius, id est, peccatis criminalibus & eorum circunstantiis, & mundanæ vanitati. Qui autem malis operibus baptismi pactum irritum facientes, euacuant, licèt ore Deum confiteantur, operibus negant. Melius autem esset eis gratiam Dei nunquam recepisse, & viam veritatis non agnouisse, quàm ingratos post tantum beneficium existere, & post agnitionem veritatis retroire. Circunstantia enim dignitatis peccatum aggrauat, & est causa maioris iniquitatis. Vnde Christianus post susceptam gratiam non potest facilè mediocriter esse malus, sicut Gentilis vel Iudæus. Christianus enim si bonus optimus, si malus pessimus respectu aliorum: quantò enim gradus altior, tantò casus est grauior. Sicut scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Vnde Ieremias Domino quærenti, quid tu vides? Respondit: Ficus bonas, bonas valde: ficus malas, malas valde. Ficus bonas valde, sunt boni Christiani. Ficus malas valde, sunt mali Christiani, qui Deum receperunt, & postmodum de domo sua ipsum eiecerunt. Nullus autem fructus deterior est prauis ficubus, quæ ad maturitatem non possunt peruenire, per quas reprobi Christiani intelliguntur. Custodiamus igitur vestem nuptialem immaculatam, vestem nuptialem, vestem candidam, in cordi innocentiam, & corporis castitatem, vt sciat vnusquisque vas suum custodire in sanctificatione & honore. Si enim custodimus vasa quibus bibimus munda, quantò magis corda & corpora nostra, quæ templum sunt Spiritus sancti, mũda custodire debemus? Qui enim baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit eius lauatio? Abluti sumus aqua munda, non reuertamur tanquam sus in volutabrum luti, ne similes efficiamur crassis bobus, quos vidit Pharao, pascentes in locis palustribus. Non demergamur in luto, sicut ranæ Ægypti, quæ garrulæ sunt, quietẽ tollunt, saliunt, sed citò decidunt, molles ventres habent, si supra pannũ sericum ponantur, statim relicto illo, in suo luto immerguntur. Vt autem ex visibilibus inuisibilia facilius capiamus, & de virtute baptismi per exteriora plenius instruamur ante aquæ intinctionẽ, quæ fit sub inuocatione Trinitatis, & post aquæ ablutionẽ multa habent fieri, quę non sunt de substantia baptismi, quę diligenter cõsiderare & attẽdere debemus, vt tales nos exhibeamus interius in mente, qualia fieri videmus exterius in nostro corpore. Sale enim quod in ore baptizãdorum ponitur, instruimur, vt in omni sacrificio nostro sal discretionis & sapientiæ apponamus. Insipidum enim est sacrificiũ boni operis, nec potest Deo quod habet fieri sine sale discretionis. Sal siquidem ex calore & humore fit, cibos condit, carnes à vermibus & putredine cõseruat, & eas desiccãdo consolidat, terrã sterilem reddit. In calore dilectionis feruorẽ, in humore gratiæ viriditatem intelligimus. Cibi per discretionẽ condiuntur: carnales cõcupiscentię desiccãtur & solidantur carnes, ne per luxuriã effluant. Caro autem corporis nostri maledicta in Adam sterilis redditur, ne ferat spinas & tribulos vitiorum. Oleo autẽ inungitur in pectore, vt habeat suauitatem & pietatem in corde. Oleo etiã inungitur inter scapulas, id est, in humeris, vt iugum Christi leue & suaue ferat. In pectore & in scapulis inungitur, vt habeat tutamentũ mentis & corporis, ne prauis cogitationibus diabolus cor eius corrumpat, vel opera bona subuertat. Et quia abrenuntiat operibus diaboli, quorum alia corporalia, alia spiritualia, vt spiritualia absint, inungitur in pectore, vt caueat carnalia, inungitur in scapulis, vt habilis fit portare iugum Redemptoris. Crismate etiam inungitur in vertice, vt sciat se esse genus electum regale sacerdotium, & in sublimitate regalis excellentiæ, tanquam Regem & Regis filium cõstitutum. Crisma autem ex balsamo & oleo conficitur. Odore enim boni exempli, tanquam balsamo proximos debemus recreare, & oleum bonæ & serenæ conscientiæ intrinsecus habere, & insuper operibus misericordiæ abundare, vt simus mites corde, dulces ore, suaues opere, reponentes oleum in vasis nostris, & semper præ oculis habentes veram gloriam, vt non diligamus vanam gloriam, nidificantes in summo foramine petræ, vbi non attingunt malæ bestiæ. Teste enim beato Augustino, nulla maior est tribulatio, quàm amissa bona conscientia, mala conscientia delictorum. Ibi nanque laborans, coarctatusque quò fugere valeat non habet, & ita oleo suauitatis intrinsecus caret. Omnes autem prædictæ vnctiones in modum crucis fiunt, quia signo crucis redempti sumus, cuius vexillum ferre debemus, & quia ex virtute crucis & passionis Christi spiritualiter inuncti sumus. Tribus autem locis crucis signum imprimitur. In pectore, in humeris, & in vertice. In pectore crucem habemus per cordis contritionem, & proximorum cõpassionem. In humeris per satisfactionis laborem. In vertice autem vbi sedes est memoriæ, vt semper Christi crucem tanquã signaculum super cor positum ad memoriam reducamus. In fronte autem crismate signamur, dum ab Episcopo cõfirmamur, vt crucifixum non erubescamus. Ibi etiã summus Pontifex laminã auream figebat, in qua nomẽ Domini ineffabile sculptũ erat, quod passionis ipsius misterium designabat. In fronte etiam quasi

*Matth.18. Gala.6. Ioan.4.*

*De voto & promissione in baptismo.*

*Titum 1. 2. Petri 2.*

*Ierem.23.*

*De innocentia baptismali conseruanda. 1. Thes.4.*

*1. Cor.6. Eccle.35. 2. Petri.2. Gen.41. Exod.8.*

*Leuit.2. De sale baptismali ac virtute salis ac eius proprietatibus.*

*Gene.3.*

*De multiplici olei vnctione. Matth.11.*

*De inuentione crismatis. 1. Petri 2.*

*Matth.25.*

*Item 48. Augustinus.*

*De impressione crucis in tribus locis.*

*Exod.28. Item 11.*

in ſuperliminari ſignamur, vt quando exterminator Angelus illud ſignũ viderit in frõtibus noſtris, pertrãſeat domos noſtras, & manifeſtè perpẽdat, quod nõ eius ſerui ſumus, ſed illius cuius ſignũ portamus. Candelã accẽſam baptizatus in manu recipit, quia gratiã Dei & lumẽ fidei in baptiſmo ſuſcipit. Hanc candelã diabolus extinguit & exſufflat, quãdo homo poſt baptiſmum mortaliter peccat. Non ſolùm autẽ guſtus ſale, viſus lumine, tactus vnctione, ſed inſuper auditus & odoratus ſputo ſeu ſaliua muniuntur. Per ſaliuã enim quæ deſcẽdit de capite, diuina ſapientia intelligitur. Omnis quippe ſapientia à Domino Deo eſt, & ab illo ranquã à capite noſtro deſcendit. In capite etiã corporaliter viget imaginatio, memoria, ingeniũ, ratio & intellectus, quibus ſapiẽtia procreatur. Saliua igitur aures liniuntur, vt ad diuinã ſapientiã cordis aures aperiamus. Et idcirco ſacerdos ait: Effeta, quod eſt adaperire. Nares etiã liniuntur, quibus odor bonus à fœtore diſcernitur, vt nos verũ à falſo ne erremus in credẽdis bonum à malo, nõ deuiemus in agendis diligenter & prudenter diſcernamus. Et idcirco ſacerdos nares tangẽdo, ait: In odorem ſuauitatis, vt, ſcilicet, odorem bonũ recipiamus, malum autem odorẽ reſpuamus. In capite etiã baptizati criſmale ponitur, id eſt, mitra rotunda, per quã adoptio coronæ æternæ deſignatur. Alba etiã veſtis, qua induitur ſtolã innocẽtię ſignat, quę nobis in baptiſmo redditur. Rubro autẽ filo ſuperſuitur, quia Chriſti paſſione virtus baptiſmi perficitur. Candor etiã veſtis rubori cõiungitur, vt ſit baptizatus, cãdidus & rubicũdus. Candidus per innocentiã, & rubicundus per charitatẽ, vel vt pro Chriſto, ſi neceſſe fuerit, propriũ effundat ſanguinẽ. Per filũ etiam rubeum funis coccineus, quo Raab meretrix de ſubuerſione Iericho liberata eſt, intelligitur. Hęc aurem veſtis nuptialis per dies ſeptem defertur, propter ſeptiformẽ ſpiritum, qui in baptiſmo confertur. In ſabbato autem ſancto Paſchæ, & in ſabbato Pentecoſtes, regulariter fieri habet baptiſmus. Quia in primo per Chriſti paſſionẽ redempti ſumus. In ſecundo inchoatur feſtum quo ſpiritus ſanctus datus eſt mundo, per quem fit peccatorum remiſsio. Nona etiã hora in prædictis diebus celebratur baptiſmus, vt ſciant baptizandi, quod in morte Chriſti, qui hora nona ſpiritum emiſit, opottet eos baptizari. Eadem hora Angelus venit ad Cornelium, nuntiãs ei, vt ad Petrum mitteret, qui eum baptizaret. Eadem etiã hora miſſum eſt Petro lintheum de cœlo cum animalibus immundis, ſed purificãdis. Hodie autẽ propter imminẽtiam mortis pericula, paruuli nati quibuſlibet diebus baptizantur. Licèt autẽ benedictione aquæ poſsit fieri baptiſmus, tamen niſi vrgens ſit neceſsitas & mortis periculum, aqua priùs benedicitur, vt ex his quæ ibi fiunt, virtus baptiſmi oſtendatur. Sacerdos autem ſuauiter in aqua anhelans, ſuauitatem gratiæ ſignat, per quam diabolus expellitur, & baptizatus diuinitus inſpiratur. Cereus in aquis ponitur, quoniam contactus corporis Chriſti in baptiſmate, aquas ſanctificauit, & vim regeneratiuam illi contulit. Cereus enim Chriſtum ſignat, in quo eſt cera humanitatis, & ignis diuinitatis, per quem etiam reputatur columna nubis & ignis, quæ filios Iſraël ab hoſtibus defendebat, & à Solis ardore per diem illos protegebat, de nocte verò lumẽ præparabat. Similiter & Chriſtus præcedẽs baptizatos, defendit eos ab hoſtibus, & cõtra incentiua vitiorum præſtat obumbrationem & refrigerium, & in tenebris huius ſeculi viam illuminando nobis oſtendit, ſicut ipſe ait: Ego ſum lux mũdi. Criſma autem aquis infunditur, vt cœleſtia terrenis per fidem baptiſmi coniungi intelligantur. Per hoc etiam deſignatur, quod vnctio ſpiritus ſancti in aquis baptiſmi confertur. Non enim in aqua ſola fit baptiſmus, ſed in aqua & ſpiritu ſancto. Baptiſati enim Domino cantare poſſunt: Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigerium. Quia per ignem ſpiritus purgantis & aquam ablutionis, refrigeratur fomes peccati, ſicut Pſalmiſta ait: Factus ſum ſicut vter in pruina, id eſt, caro mortalis per gratiam refrigerata. Pruina enim diuinæ gratiæ comparatur, quia deſurſum venit, terram refrigerat, & ipſam albam reddit & fertilem. Sacerdos autem benedicendo aquam, quandoque voce humili & ſubmiſſa vtitur, propter humilitatem orantium, quandoque alta voce exprimendo intenſum deſiderium & actionem gratiarum. Per hoc etiam ſignatur quod humilitas noſtra per regenerationem baptiſmi, ad alta cœlorum reducitur. Et quoniam in fide Trinitatis ſit baptiſmus, triplex fit in aqua ſubmerſio. In quo etiam triduana Chriſti ſepultura exprimitur. Prima capite verſo ad Orientem: ſecunda ad Aquilonem: tertia ad Meridiem. Ab Oriente enim radios veri Solis ſuſcipimus, quibus ab Aquilone præſentis vitæ ad Meridiem æternæ claritatis, per gratiam baptiſmi perducimur à ſiniſtra ad dextram tranſeundo, vel ab Aquilone vitiorum ad Meridiem virtutum, virtute baptiſmi pertranſimus. Baptizati autem abrenuntiant diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Abrenuntiant diabolo, quia in Adam fuit inobedientia. Abrenuntiant operibus eius, quia in Adam fuit malus actus. Abrenuntiant pompis eius, quia in Adam fuit ſuperbia & elatio. Catheciſmus autem eſt præparatio quædam ante baptiſmum, quæ magis reddit idoneum baptiſmo. Sicut politio lapidis eſt quędam prępparatio, vt ſit magis idoneus poni in ædificio. Patrini autem qui de ſacro fonte baptizatos ſuſcipiunt, quantum in eis eſt, fidei illorum fideiuſſores ſunt, vnde pro ipſis Credo reſpondent, & illos pro poſſe ſuo cuſtodire debent, ne à fide & iuſtitia deuient. Et quia filiolos ſuos Orationẽ Dominicam, & Credo in Deũ, docere tenentur, non debẽt regulariter pro his ſpondere, niſi ſciant Orationẽ Dominicã, & Symbolũ Apoſtolorũ, id eſt, Credo in Deũ. Niſi etiã cõfirmati fuerint, & in fronte cõſignati, nõ poſſunt appellari teſtes, omni exceptione maiores, nec pro aliis debent ſpondere, qui huiuſmodi ſacramentum negligunt, vel renuunt

*De candela quæ ponitur in manu baptizati.*

*De ſputo ſiue ſaliua, quo aures & nares liniuntur. Eccle. 1.*

*De criſmali & filo rubeo. Can. 5.*

*Ioſue 2.*

*Quibus diebus & qua hora regulariter fiat baptiſmus.*

*Actum 10. Item 10.*

*De benedictione aquæ & aſpiratione & vocis imitatione.*

*De cereo & eius manſione. Exod. 14.*

*Ioan. 8.*

*De infuſione criſmatis & aqua.*

*De triplici immerſione & modo immergendi.*

*De abrenunciatione diaboli & operum & pompārum eius.*

*De catecliſmo.*

*De reſponſione patrinorum & quod ſcire debent orationem dominicam & ſymbolum.*

renuunt ſuſcipere. Prædictã autem virtutem baptiſmi & multiplicẽ effectum oſtendit Dominus per Iſaiam, dicens: Ego ante te ibo, & potentes terræ humiliabo, portas æreas confringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi theſauros abſconditos. Ante te ibo, præueniens per gratiam, & tanquã columna nubis & ignis, id eſt, refrigerij & illuminationis tibi iter oſtẽdam. Potentes terræ humiliabo, id eſt, noxias paſsiones, & tyrannũ naturæ in baptiſmo debilitãdo. Portas ignorantiæ excludentes à vero lumine confringã, & vitiorũ vectes tibi reſiſtentes conteram. Aperiam tibi theſauros abſconditos, id eſt, arcana myſteria manifeſtabo. Et ianuas Paradiſi peruias faciam, vt te in theſauros cœleſtes reponam. Ponam candelam in manu tua, illuminando per gratiam, vt non reſiſtant tibi portæ æreæ, id eſt, difficultates ignorantiæ. Ponam ſal ſapientiæ in os tuum, id eſt, reuelabo arcana & abſcondita myſteriorum. Exterior enim ablutio in corpore ſacramentũ eſt interioris ablutionis in mente. Ablutio enim peccatorum pellit fœditatem, appoſitio virtutum affert decorem. Et ita conſecratur anima Deo, & efficitur homo ſpiritus ſancti templũ, qui prius erat habitaculũ immundorũ ſpirituũ. Eccleſia autem ſemel conſecrata Deo, non debet redigi ad cõmunem vſum. Et nos fratres, poſtquã Deo cõſecrati ſumus, ad vitam ſecularem & terrena deſideria non redeamus, vt cum veſte nuptiali, qua induti ſumus in baptiſmo, ad cœleſtes nuptias recipi mereamur. Ipſo præſtante qui viuit & regnat.

*Iſaiæ 45. De virtute baptiſmi quæ oſtenditur in Iſaia.*

*De exteriori & interiori ablutione.*

*Matth. 22.*

## DOMINICA POST EPIPHANIAM THEMA DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM EX PSALMO.

*Omnis terra adoret te Deus, & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo altiſsime.*

ADORANDVS eſt Dominus à terra multiplici ratione. Terra enim noſtra, ſcilicet, terra liberi arbitrij, & etiam terra ſenſualitatis, propter peccati m Adæ maledicta, germinabat ſpinas & tribulos, ſcilicet, vitiorũ punctiones, & malas cogitationes. Ipſe verò excoluit eã aratro crucis, & ita terra noſtra dedit fructũ ſuũ, & campi Eccleſię repleti ſunt vbertate, ita quod ſecundũ verbũ Iſaię, butyrũ & mel comedat, omnis qui relictus eſt in medio terrę. Terra enim corporis Chriſti foſſa, dedit fructus optimos. De qua Iſaias: Abſcõdere in foſſa humo. Ex quo factũ eſt, quod terra tenebroſa & operta mortis caligine, in vbertatẽ cõuerſa, faceret fructũ trigeſimũ, ſexageſimũ, & centeſimum, poſtquam Rex ſapiens fecit iudiciũ & iuſtitiã in terra: ſicut ait Ieremias. Et Iſaias dicit: Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi liliũ, germinãs germinabit. Et iterũ: Ponam deſertũ in ſtagna aquarũ, & terrã inuiã in riuos aquarũ. Alia ratione adorãdus eſt Deus à terra, quam ſibi deſponſauit, corpus humanũ ſuſcipiens, & humanitatẽ diuinæ naturæ coniungens. Poſtquã autẽ factus ſponſus, exiuit de thalamo ſuo, & paſſus eſt pro nobis, ipſam terram glorificauit, & ſuper omnes cœlos exaltauit, quãdo factus eſt fructus terræ ſublimis: ſicut prædixerat Iſaias: Licèt autẽ ab omni terra adorãdus ſit, quia pro omnibus liberãdis, quantũ in ipſo fuit, hoſtiã ſufficientẽ, ſemetipſum obtulit, ab his præcipuè adorandus eſt, qui ſe terrã reputant. Quemadmodũ Abrahã ad Dominum ait: Loquar ad Dominum meũ, cùm ſim puluis & cinis. Non ſolũ autẽ ipſum adorare, ſed etiã ipſi pſallere debemus, ipſum in lętitia cordis laudando, & prędicando, & bona quę prędicamus, opere adimplẽdo, vt caput turturis retorqueatur ad acellas, & cõcordet manus cum lingua, illa operetur, iſta cõfiteatur. Pſalterium ad literã, dicitur inſtrumẽtum decachordum, per cõtactum manuum à parte inferiori reddẽs ſonum. Pſalmus autem dicitur modulatio, quę fit mediãte tali inſtrumẽto: pſallere autẽ eſt cõtactu decẽ chordarũ cũ prędicto inſtrumẽto harmonicè decãtare. Tracta igitur ſimilitudine à prædicto inſtrumẽto, pſalmus dicitur bona operatio, quę fit pro ſupernis & ętternis, ſecundũ decalogi mãdata. Pſallere eſt prędicto modo benè operari cũ mẽtis exaltatione. Pſalmus prętерea dicitur tractus admonẽs ad benè operandũ pro ętternis. Solebãt autẽ pſalmi cũ prędicto inſtrumẽto decãtari. Quãta autẽ ſit virtus & efficatia pſalmorũ ſi deuotè decãtentur, ſcilicet, ſi pſallamus ſpiritu & mẽte, id eſt, ſpiritualiter & deuotè, patet ex hoc quod legitur in 4. lib. Reg. vbi dicitur, quod cùm Ioſaphat Rex Iuda Eliſeum Prophetam de futuris requireret, fecit Eliſeus pſalten in Pſalterio ante ſe decantare, vt per laudẽ pſalmodię, ſpiritus prophetię ad ſe deſcẽderet. Vnde Grego. ſuper Ezech. ait: Cùm vox pſalmodię per intentionẽ cordis agitur, per hanc omnipotẽti Deo ad cor iter præparatur, vt intentę menti vel prophetię myſteria, vel cõpunctionis gratiã largiatur. Vnde ſacrificium laudis honorificabit me, & illic eſt quo oſtendã illi ſalutare Dei. Et in 1. Reg. dicitur, quod vncto Dauid, directus eſt ſpiritus Domini in eum ab illo die. Dicit autẽ B. Hieronymus, quod extunc cœpit pſalmos decãtare, propter quod talẽ gratiã à Domino obtinuit. Et in Paralip. dicitur, quod cùm cœpiſſent filij Iſraël cantare hunc Pſalmum: Confitemini Domino, quoniã bonus, ſtatim gloria Domini domũ Dei impleuit. Per quod intelligi datur, quod quotiés puro affectu decãtantur pſalmi, præſtò eſt diuina gratia pſallẽtibus, ſicut B. Auguſtinus in gloria ſuper Pſalterium teſtatur. In expoſitione autem ſuper hunc Pſalmum: Credidi propter quod locutus ſum, dicitur quod verſus iſte, Dirupiſti vincula mea, cum quibuſdã, tantę virtutis eſſe creditur, vt peccata homini dimittantur, ſi in fine vitæ trina cõfeſsione dicatur. Pſallat igitur omnis terra Domino, & pſalmũ dicat aliis, vt per bona eius opera, alij informẽtur, & nomẽ Dei glorificetur, quod

*Gen. 3. De multiplici terra, & quare adorandus ſit Deus ab omni terra. Iſaiæ 7. Ieremi. 4. Item 2. Iob. 10. Matth. 4. Ieremi. 23. Iſaiæ 35. Item 40. Iſaiæ 4. Gen. 18. Leuit. 5. Qualiter pſallendum ſit Deo. De pſalterio & pſalmo. 1. Cor. 14. De multiplici virtute pſalmorum. Gregorius. 1. Reg. 16. 2. Paral. 2. Auguſtinus.*

quod est Psalmum dicere nomini eius. In Psalterio igitur psallimus benè operãdo per contem platiuã: In cythara quę sonũ reddit ab inferiori, psallimus benè operãdo per actiuã, vel carnem mortificãdo, & crucẽ Christi baiulando. Nam in cythara inter duo ligna chordæ extenduntur. Laudare etiã Deũ debemus in sono tubę per prędicationẽ, & in tympano, quod fit de desiccato corio, humorẽ carnalis delectationis in nobis desiccãdo. In choro præterea qui pro omni musico instrumẽto, quod sonat chordarũ extensione, ponitur, psallere debemus, id est, in cõcordia virtutũ, vel pacata societate. Spiritualiter autẽ per chorũ intelligitur cõsonantia charitatis Dei & proximi. Chorus enim duos habet calamos, superiorẽ ventũ attrahit, quẽ ad inferiorẽ transmittit, & dilectio Dei ad dilectionẽ proximi debet trãsmitti. In chordis etiã & organo laudandus est Dominus. Chordę desiccãtur & extẽduntur vt sonũ reddãt. Et nos longos faciamus funiculos nostros, vt pręceptis cõsilia addamus, sicut dicit Isa. Docebit nos vias suas, id est, pręcepta, & ambulabimus in semitis eius, id est, in cõsiliis, quę sunt arctiora, vel in chordis laudãdus est Dominus pro carne, scilicet, ab omni corruptione liberãda. Organũ diuersis fistulis fabricatur flatu folliũ consonantiã reddens. Ex diuersis autẽ vocibus, sed nõ auersis, fit modulatio suauis. Laudãdus est igitur Dominus in organo, id est, in cõcordia gratiarũ, & donorũ diuersitate. Diuisiones enim gratiarũ sunt in Ecclesia, nõ dissonantiũ, sed sibi inuicẽ concordantiũ. Est præterea Dominus laudandus in cymbalis benè sonãtibus. Cymbala sese inuicẽ tangũt, & hoc modo sonũ reddunt, & idcirco labiis adaptãtur, quę benè sonare dicũtur, quãdo cõcinna sunt cordi in laudibus Dei. Hi etiã qui se inuicẽ honore præueniunt, & ad benè agendũ mutuo se cohortãtur, in cymbalis benè sonãtibus Dominũ laudare dicuntur. Nõ solũ autẽ quibus instrumentis psallendũ sit Deo, sed insuper qualiter ipsum adorare, & ei psallere & seruire debemus, docet nos Psalmista, cùm ait: Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lętitia. His enim verbis ostẽdit nobis Propheta, qualiter Deo seruire debeamus, vt, scilicet, crucẽ Christi nõ feramus in angaria, quia coacta seruitia nõ placent Deo. Vnde in Leuit. reprobat Dominus vpupã, quæ est auis lugubris, faciẽs nidũ in stercore. Per quam intelligitur tristitia & sollicitudo temporalium. Debemus autẽ seruire Deo in iubilo cordis, & lætitia mẽtis, id est, hilaritate, habẽtes semper pręmiũ præ oculis: sicut scriptũ est in Isaia: Lætabũtur corã tẽ, sicut qui lætantur in messe, sicut exultãt victores capta præda, quãdo diuidunt spolia. Est autẽ iubilus gaudiũ mentis, quod nec penitus potest voce exprimi, nec tamen prorsus potest in mente per silentiũ cõprimi. Est enim quædã dulcis affectio desiderij cum quadã voce animi præ nimia lætitia diffusi & suauiter cõfusi affectũ quidẽ exprimentis, nõ sensum cõprehenditis. Huiusmodi gaudium dicitur ebrietas quædam mentis, quando anima oblita, non solum temporaliũ, sed etiã sui per hanc pacem Dei, quæ exuperat omnẽ sensum, id est, sepelit omnes sensus, & sopitã reddit sensualitatẽ, rota transfunditur & trãsformatur in amorẽ Dei. Vnde scriptũ est: Bibite amici, & inebriamini charissimi. Simplices amici bibunt seruientes Domino in lætitia, sed charissimi, scilicet, perfecti inebriãtur Domino, quantũ licet humanæ fragilitati iubilãdo. Vix enim facto silentio in cœlo per dimidiã horã, id est, in anima, quãdo rapitur ad cœlestia per contemplationẽ, oportet nos teuerti ad terrã. Terra enim sumus, quia more terræ terimur, more terræ luto sensualitatis inquinamur, spinas & tribulos germinamus. Hanc autẽ terrã excolere debemus, auferẽdo spinas peccatorũ, & aratro crucis euertẽdo, vt in sulcis cordis verbũ Dei tanquã semẽ recipiamus, & rore diuinæ gratiæ irrigati, ac feruore spiritus sancti, tanquã radiis Solis calefacti, cõcipiamus bonam voluntatẽ, & germinemus bonã operationẽ, quę diuturnitate temporis vertatur in maturitatẽ cõsuetudinis. De hac terra dicit Dominus in Gen. Germinet terra herbã virentẽ, & facientem semen, & lignũ pomiferũ faciens fructũ iuxta genus suũ. Herba virẽs, humilis in Ecclesia: lignũ sancti doctores, flores virtutes, folia doctrina verborũ, fructus opera virtutũ. Lignum istud radicatũ est in fide, erectũ spe, dilatatũ charitate. Iuxta genus suũ facit fructũ, qui quod sibi non vult fieri, aliis nõ facit, & quæcunq; vult vt faciant sibi homines, facit aliis. Sicut scriptũ est: Visitans speciẽ tuã, nõ peccabis. Iuxta genus suũ facit fructũ, qui luget in hoc exilio. Iuxta genus Angelorũ facit fructũ, qui luget in hoc exilio, gaudet & exultat in Domino, in omnibus gratias agens. In semetipso facit fructũ, qui nõ quærit gloriã in alio, nec propter vanã gloriã, sed propter Deũ bona operatur. Quædã autẽ arbor facit fructũ amarũ per contritionẽ, quædã dulcem per opera misericordiæ & proximorũ compassionem. Est alia terra quam diabolus excolit, qui prauæ suggestionis aratro sulcos iniquæ cogitationis in cordibus peccatorũ facit, peruersam seminando voluntatẽ, quę luto carnalis voluptatis irrigata, & igne cupiditatis calefacta, opus malum ex se producit. Hæc est terra maledicta, deserta, inuia, & inaquosa, inhabitabilis, spinosa, regio dissimilitudinis & longinqua, in qua filius prodigus habitauit, quæ si quãdo fructũ facit, quia tamen nõ eleuatur, putrescit. Hi sunt qui Deo seruiunt, non tantũ in lætitia mentis, sed in angaria: nõ in hilaritate, sed in tristitia. De talibus, qui tristes sunt & acedioſi, dicit Ecclesiasticus: Omnis plaga tristitia cordis est, id est, perfecta plaga. Et iterum: Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in ea. Econtrà idem ait: In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione decimas tuas sanctifica. Et Salomon in Parabolis ait: Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur spiritus. Et iterum: Animus gaudens, ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Idem: Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia nocet cordi viri, scilicet, vt non sit talis anima apta vestire Deum, nec lignum aptum ad ædificium templi Domini. In

*De cythara & tuba, tympano & choro, & qualiter psallẽdum sit in illis.*

*De chordis & organo & cymbalis benè sonantibus.*

*Isaiæ 54.*

*Item 2.*

*1. Cor. 12.*

*Rom. 12.*

*Matth. 27.*

*Leuit. 11.*

*Isaiæ 9.*

*De iubilo.*

*Phil. 4.*

*Cant. 5.*

*Apoc. 8.*

*De terra & cultura eius.*

*Gen. 1.*

*De ligno & herba & his quæ ligno conueniunt.*

*Mat. 7.*

*Iob 5.*

*Gen. 1.*

*De fructu multiplici.*

*De mala terra & mala cultura.*

*Lucæ 15.*

*De bona lætitia & mala tristitia.*

*Eccle. 25.*

*Item 30.*

*Item 35.*

*Parab. 15.*

*Item 17.*

*Item 25.*

lætitia

lætitia igitur debemus seruire Domino, cuius iugum suaue est, qui modico contentus est seruitio, qui sibi seruientes summo remunerat præmio. Econtrà autem diaboli iugum graue est, & durum atque intolerabile, nec aliquo contentus est seruitio, sed tanquam exactor durus, semper exigit amplius. Sibi autem seruientes pessimè remunerat, dum eos sine misericordia in æternum cruciat. Omnis igitur terra adorare debet Dominum, & illi soli seruire, diabolum autem execrare, & ab eius duro seruitio recedere. Qui autem peccatum facit, diaboli duræ seruituti se subiicit. Vnde Propheta Ieremias ait: Seruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.

*Matth.11.* *De iugo Domini & iugo diaboli.* *Eccle.40.* *Ierem.16.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola ad Romanos.

*Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes,* & quæ sequuntur. *Rom.12.*

IN hodierna epistola ad Romanos instruit nos Apostolus de officiis variis & donis à Deo nobis concessis, vt vnusquisq; talentũ à Deo sibi cõmissum, domino cum vsuris valeat reportare, vt sciat vnusquisque & diligenter attendat, quæ donata sunt sibi à Domino. Cui enim plus committitur, plus ab eo exigitur. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur, si potentia sua abutantur. Multi enim aquas conuertunt in sanguinem, malè vtentes donis à Deo sibi concessis, cùm tamen Deus aquas in vinũ conuertit, & nos aquas transeuntes bonorũ, quę nobis ad tempus in hoc seculo præstat in vinũ cõuertere docuit. Quod fit dum per debitã administrationẽ temporaliũ bona promeremur æterna. Ad hoc autem in Ecclesia Dei sunt officia diuersa, & diuisiones gratiarũ, & ordines ministrorum, vt vnus aliis seruiat per humilitatẽ, & frater fratri subueniat per charitatẽ. Sicut in humano corpore vnum membrũ alij ministrat, & si vnũ doleat, alij cõdolent, & membrũ infirmum supportant, ne lædatur oculus, manus occurrit: ne vulneretur manus, pes vt euadat, si necesse est, fugit. Si pedibus spina infigitur, manus celeriter succurrit, oculus statim inclinatur locũ doloris, visitat & intuetur. Si fortè membrum aliquod stupidum sit, vel putridum, quod dolorem aliorum non sentiat, inutile reputatur, & quandoq; ne partes sibi vicinas inficiat, consilio Medicorũ abscinditur. Membris autem infirmis ita cõdolemus, quod eorum turpitudines non facilè, nisi Medicis reuelamus, tali, scilicet, qui possit prodesse, non obesse. Vnum autẽ membrum aliud, licèt sit ignobile, non contemnit. Vnde Apostolus ad Corinth. Non potest dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut caput pedibus, non estis mihi necessarij. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt. Hæc omnia corpori Christi, & diuersis membris Ecclesiæ facilè est adaptare. Multi enim vnum corpus sumus in Domino, vno spiritu vegetati. Quia si aliquis gratia spiritus sancti careat, tanquam membrum putridum à corpore Ecclesiæ non percipit beneficium: sicut ramus arboris siccus, aliis virentibus & fructum facientibus, nullum ab humore radicis beneficium recipit. Cùm igitur in Ecclesia secundum diuersitatem personarum sint diuisiones gratiarum, mutuis sese debent præuenire obsequiis. Si autem omnes easdem gratias seu donationes haberent, velut vnum membrum corpus non efficerent. Et hoc est quod dicit Apostolus: Si totum corpus oculus, vbi auditus? Et si totum auditus, vbi odoratus? Si omnes Doctores essent, vbi charitas docentis, & humilitas discentis? Si omnes Prælati essent, periret obedientia subiectionis, & sollicitudo seu prouidentia prælationis. Si omnes diuites, vbi eleëmosynæ & alia opera misericordiæ? Patet ergo quàm necessaria sit distributio gratiarum, ad vsum & exercitium virtutum, & materiam meritorum. Ex hac enim cõcordi varietate optimè resonat harmonia Ecclesię, & colorũ varietas decentiorem reddit picturam. Vnde de Ben-iamin dicitur in figura Pauli: Vespere diuidet spolia, id est, diuersos ministros in diuersis gradibus & officiis instituet in Ecclesia. Hoc est quod dicitur in libro Regum de Regina Saba, quæ venit videre sapientiam Salomonis: Inter cætera autem admirata est ordinem ministrorum, & vestimenta eorum. Vnde Psalmus: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Donationum autem varietas absq; charitatis deauratione, non prodest habentibus, licèt quandoque prosit aliis. Sicut vlmus vites fructiferas, cùm sit ipsa sine fructu, sustentat. Qui autem charitatem habet, vel in se vel in aliis, quibus dona Dei non inuidet, sed diligit, omnia habet. Vnde Apostolus in hodierna Epistola nos informat, quod dona, quæ habemus, ita sapienter & secundũ Deum vtamur, vt aliis subueniẽtes nobis vitã æternã mereamur. Habentes enim donationes secundũ gratiã, quę data est nobis differẽtes, ita habeamus, quod alter alterius membra sumus. Siue prophetiã, id est, reuelationẽ futurorũ, vel quorũlibet occultorũ, secundũ rationẽ fidei illorũ, scilicet, quibus prophetamus, vel diuinas scripturas exponimus, eam habeamus. Multi enim vt literaturã suã inaniter ostẽdant, auditorũ capacitatẽ seu vtilitatẽ nõ pensant, cùm tamẽ dicat Dominus discipulis suis: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Et Apost. Sapientiã loquimur inter perfectos. Sæpè enim quędã necessaria prętermittẽda sunt, ne multitudine vtiliũ grauẽtur corda auditorũ. Si autẽ ministeriũ, id est, ministrandi officiũ habeamus, simus alterius membra in ministrando,

*De gratiarum diuisione & talenti multiplicatione.* *Matth.25.* *Luc.19.* *1.Cor.3.* *Sap.6.* *De his qui abutuntur donis Dei cõuertẽtes aquas in sanguinem, & de his qui aquas conuertunt in vinum.* *1.Cor.12.* *Quod vnum membrum alii seruire debet.* *Item 12.* *Rom.12.* *1.Cor.12.* *Gen.49.* *3.Regum 11.* *De charitate qua habita cætera habẽtur.* *Rom.12.* *Expositio literæ.* *Ioan.16.* *1.Cor.2.*

niſtrando. Multi enim in miniſtrando, dum alios ſcandalizant vel offendunt, & rem & meritum perdunt. Similiter qui docet, id eſt, qui gratiam habet docendi, ſit membrũ alterius in doctrina, id eſt, in exhibitione ſanæ doctrinæ, de fide, ſcilicet, & moribus, vt fontes eius deriuẽtur foras, & in plateis aquas ſuas diuidat. Scriptũ eſt enim in Danièle: Qui ad iuſtitiam erudierint multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Econtrà de his qui docere norunt & negligunt, dicitur in Eccleſiaſtico: Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtroque? Propterea Pſalmiſta ait: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Dominus autem pecuniam dat nummulariis ad multiplicandum, non ad abſcondendum. Pecuniam autem nummulariis dare, eſt eis ſcientiam prædicationis impendere, qui hanc valeant operibus exercere. Et Apoſtolus ait: Argue, obſecra, increpa oportunè, importunè. Mater enim eruditionis eſt inſtantia, nouerca negligentia, nutrix exercitatio, magiſtra humilitas. Sicut autem radius Solis atomos manifeſtat, ſic doctrina Dei & prædicatio peccata & minuta denudat. Vnde Dominus in Euangelio: Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt patrifamiliâs, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Et iterum: Qui fecerit & docuerit, maximus erit in regno cœlorum. Et Salomon ait: Labia iuſti erudiunt plurimos. Et Hieronymus ait: Sermo doctrinæ nunquam deficit, ſed quantum à doctore plus fuerit erogatus, tantò amplius duplicatur. Qualiter autem docere debeamus, docet nos idem Hieronymus, dicens: Sermo Sacerdotis ſcripturarum ſale ſit conditus. Et iterum ait: Loquente Sacerdote in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Et rurſus ait: Latratu canum, baculoque paſtorum luporum rabies deterrenda eſt. Et beatus Gregorius ait: Sit doctor diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, vt tacenda non proferat, & proferenda non reticeſcat. Et rurſus ait: Ille in ſancta Eccleſia doctus prædicator eſt, qui & noua ſit proferre de ſuauitate regni, & vetera dicere de terrore ſupplicij. Iſidorus autem ait: Qui alium de peccato arguit, ipſe à peccato debet eſſe alienus: qui negligit recta agere, deſinat recta docere. Tunc enim prædicatio vtiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Et iterum ait: Qui benè docet & malè viuit, videtur bono malum cõiungere, lucem tenebris commiſcere, veritatem mendacio ſociare. Qui ergo docet, id eſt, qui docendi officium habet, vtilis ſit aliis in doctrina. Teſte enim beato Gregorio: Quiſquis virtutibus pollens gregem Dei negligit paſcere, paſtorem ſuum conuincitur non amare: ſimiliter qui exhortatur, id eſt, qui habet gratiam exhortandi, ſit membrũ alterius debito modo exhortando. Sicut enim docere debemus neſcientes, ita exhortari debemus volentes, vt amplius velint, pigros etiam & negligẽtes ne torpeant. Propterea Salomõ ait: Verba ſapientis quaſi ſtimuli. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax ad exhortãdum. Magiſtri enim & præpoſiti operũ in templo Salomonis ad hoc inſtituti ſunt, vt docerent, nõ ſolũ qualiter portanda ſunt onera, ſed vt exhortarentur portantes, & incitarẽt torpentes. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Qui tenet aratrũ, & qui gloriatur in iaculo ſtimulo boues agitat. Prælati enim terram Eccleſiæ excolentes, & in iaculo verbi Dei gloriantes, ſtimulare debent bonos, & incitare ſubditos ad operandũ fortiter, vt in Dei ſeruitio ſint robuſti. Exhortatio autẽ fieri debet cum hilaritate & cõgratulatione. Vnde in Cant. dicitur: Meliora ſunt vbera tua vino, id eſt, cõgratulatio præbẽs lac exhortationis, & cõpaſsio prębens lac cõſolationis, efficatiora ſunt ad perfectũ vino, id eſt, legis auſteritate. Debet autẽ Prælatus more galli excitare dormiẽtes, & exhortari ad vigilandũ, ſeipſum cymbalo alarũ ſuarũ prius percutiens, vt brachia moueat ad operandũ, priuſquã linguã ad alios exhortandũ. Sic enim efficax eſt exhortatio, quãdo alios incitat exemplo. Vnde in Actibus dicitur: Cœpit Ieſus facere & docere. Nihil igitur audeat eorũ loqui, quæ per ipſum non efficit Chriſtus, ſed anticipet vocẽ opere, & ſe prius excitet quàm cæteros. Vnde B. Gregorius ait: Ad amorẽ Dei & proximi plerunque corda audientiũ plus exemplo quàm verbis excitantur. Et iterũ: Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prędicatio cõtemnatur. Et Iſidorus ait: Qui non viuit ſicut docet, ipſam, quam prædicat, veritatem contemptibilem facit. Qui igitur exhortatur, vtilis ſit fratribus in exhortando. Similiter qui tribuit in ſimplicitate, id eſt, qui eleëmoſynas erogat, tribuat non in duplicitate præſentis & futuræ gloriæ, ſed in ſimplicitate futuræ, & ita ſit membrum alterius, vt oculum habeat ad æternam remunerationem, & non ad humanum fauorem. Neſciat ſiniſtra quid faciat eius dextra. Faciat igitur opera miſericordiæ in ſimplicitate cordis, non in duplicitate hypocriſis. Non ingrediatur terram duabus viis, quia non poſſumus duobus dominis ſeruire, veritati, ſcilicet, & vanitati. Niſi enim oculus intentionis fuerit ſimplex, totũ corpus operis tenebroſum erit. Vnde B. Iacobus ait: Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Qui volunt, ſcilicet, de bono opere ſuo laudẽ à mundo & pręmiũ habere à Deo. Vnde prohibitũ eſt Apoſtolis ne duas tunicas haberẽt, id eſt, vt ſimpliciter & non dupliciter ambularent. Dominus enim illos, qui oues vendebant, de templo deiecit. Non enim miſericordes, ſed mercatores dici debent, qui eleëmoſynas pro laude humana erogant. Vnde in Euangelio fatuis virginibus dicitur: Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Propterea Angelo ſardis in Apocalypſi dicitur: Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. Et Dominus per Iſaiam ait: Iuxta me diſcooperuiſti, & recepiſti adulterum. Et in Deuteronomio dicitur: Non immolabis Deo tuo ouem aut boue in quo eſt macula. Omnis enim oblatio noſtra ſine macula, & fermẽto hypocriſis eſſe debet. Sicut ſcriptũ eſt: Si quæritis, quęrite, id eſt, ſi quęritis opere exterius, quęrite corde recta intẽtione interius. Spuria enim vitu-

lamina,

*De doctrinâ libenter proximis exhibenda & modo docendi. Parab. 5. Dan. 12. Eccle. 12. & 41. Matth. 25. Lucæ 19. 2. Tim. 3.*

*Simile, Matth. 13. Item 5.*

*Parab. 10.*

*Hieronymus.*

*Gregorius.*

*Quod prædicator debet facere et docere.*

*Gregorius. De exhortatione & modo exhortãdi. Eccle. 11. Heb. 4. 3. Reg. 5.*

*Eccle. 38.*

*Cant. 1.*

*Actuum 1.*

*Gregorius.*

*De recta intentione & operibus misericordiæ. Matth. 6. Eccle. 2. Matth. 6. Item 6. Lucæ 11. Iacob. 1. Matth. 10. Ioan. 2.*

*Matth. 26. Apoc. 3. Iſaiæ 57. Deut. 16. Leuit. 2. Iſaiæ 30. Sap. 3.*

lamina, id est, adulterinę plantationis, nō dabunt radices altas, id est, stabile fundamentum, sicut in libro Sapientiæ dicitur. Nadab enim & Abiu filij Aaron, quia ignem alienum obtulerunt, ab igne cœlitus missō consumpti sunt. Ignem enim, id est, vanæ gloriæ amorē debemus à nobis abiicere, vt qui tribuit, tribuat in simplicitate. Similiter qui præest in solicitudine. Principes enim & Prælati, qui aliis præsunt, solliciti debent esse, & vtilitati minorum diligenter intendere, vt attendāt sibi, & vniuerso gregi, ne talentum principatus & prælationis in sudario inuoluant per acediam & negligentiam, sed multiplicare studeant per sollicitudinem, & diligentiam. Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, qui ascendit ex aduerso, & opponit se murum pro domo Domini, eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus illum. Ponat igitur vir, id est, Prælatus viriliter agens, gladium super femur suum, trāseat per medium castrorum de porta ad portam, vt occidat fratrem amicū suum, & proximum. Quorum enim vitia gladio verbi Dei studet occidere, amicos debet reputare, vt vitium persequatur, non hominem. Si igitur spopondit pro amico suo, curam animarum suscipiens, illaqueatus est verbis oris sui, & captus propriis sermonibus. Discurrat secundum consilium Salomonis, festinet, suscitet amicum suum, non det somnum oculis suis, nec dormitet palpebræ eius, vt possit dicere cum Apostolo: Tanquā si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non solùm euangeliū Dei, sed & animas nostras, quoniam charissimi facti estis nobis. Memores enim estis laboris nostri, & fatigationis nostræ. Et in euāgelio dicitur, quod Iesus circuibat totam Galilęam, docens, scilicet, impigrum esse doctorem & sollicitum, vt qui præest, sit membrum alterius in sollicitudine. Similiter qui misereturin hilaritate, id est, qui habet gratiam compatiendi oppresso, hoc faciat in hilaritate, & lęto animo subueniat. Hilaritas enim cordis condimentum est boni operis. Coacta enim seruitia non placent Deo. Oleum igitur de capite tuo non deficiat, oleum hilaritatis de capite mentis. Vnde in Exod. Dominus ad Moysen ait: Ab homine omni, qui offert vltroneus, accipietis. Et in Leuitico dixit Aaron Moysi: Quomodo possumus placere Deo in mente lugubri? Offerre enim debemus Deo holocaustum cum libamento, secundum mādatum legis, id est, bonum opus cum hilaritate cordis, vt seruiamus Domino in lætitia. Farina enim & oleum viduæ Sareptenę est fructus boni operis, cum mentis exultatione, vt qui misereretur, misereatur in hilaritate. Similiter & dilectio sit sine simulatione, vt nō diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate, sicut in epistola Canonica beatus Ioannes ait: Et in Psalmo dicitur: Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo. Simulator enim ore decipit amicum suum. Ficta autem est dilectio, cum quis alium diligit, non nisi propter proprium commodum suum, sicut à quodam insipiente sapienter dictum est.

*Illud amicitiæ quondam uenerabile nomen,*
*Prostat & in quæstu, pro meretrice sedet.*
*Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos,* Et iterum:
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Propterea in Ecclesiastico dicitur: Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei te ipsum, id est, diu tentes, & probes vtrum verus, an fictus sit amicus. Et iterum: Est amicus secundum tempus suum, & nō permanet in tempore tribulationis. Est amicus, qui ingreditur ad inimicitiā, & est qui odium & rixam, & conuitia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, & non permanet in die necesitatis. Amicus secundum tempus dicitur, quam diu, scilicet, durat tempus suum. Amicus fortunę, qui cum prosperitate venit, & cum eadem recedit. Similiter fictus amicus dicitur, qui non est firmus in amicitia, sed citò conuertitur ad inimicitias, vel qui se simulat diligere, vt possit astutius decipere exploranda secreta, & postmodum denudans ea. Similiter fictè diligit amicus mensæ, qui non quęrit per simulatam amicitiam, nisi ventris impletionem. Si verò non fuerit saturatus, murmurabit. Dilectio autem quæ ex Deo est, vera est, & stabilis, sine simulatione. Multæ enim aquæ tribulationis non poterunt extinguere huiusmodi charitatem veram. Sit igitur dilectio sine simulatione, vt simus alter alterius membra, odientes malum, adhęrentes bono. Hæ sunt duæ partes iustitiæ, declinare à malo & facere bonum. Non sufficit autem odisse malum, nisi adhęreamus immobili & summo bono. Sicut scriptum est: Mihi autem adhęrere Deo bonum est. Multi enim declinant à malo, timore pœnæ, qui non adhęrent bono, amore iustitiæ. Odire igitur debemus malum, vt declinemus culpam & adhęrere bono, vt mereamur palmam, vt ingrediamur sine macula, & operemur iustitiam. Hæc est enim religio sancta & immaculata, immaculatum se custodire ab hoc sæculo, declinando à malo prauæ dilectationis, consentionis, locutionis, operis, & consuetudinis, & visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, adhærendo bono indeclinabili & inuariabili, & opera bona exercendo. Hæ sunt duæ partes legis naturæ, de qua nullus excusare se potest. Vt, scilicet, non faciamus alteri, quod nobis fieri non volemus, & quæcunque volumus vt faciant nobis homines, eadem faciamus illis. Per primum declinamus à malo: Per secundum facimus bonum. Ad hoc enim quilibet tenetur, vt nō faciat proximum miserum, nec relinquat miserum, quantum in ipso est. Odiatis igitur malum, & adhęreatis bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, vt, scilicet, diligatis & diligamini inuicem, & fraternam concordiam sectemini. Habere enim in nobis debemus charitatem, & in aliis diligere illam. Qui enim bo-

*Leuit.10.*
*De prælatorum sollicitudine.*
*Actuum 20.*
*Matth.25.*
*Ezech.13.*
*Exod.32.*
*Parab.6.*
*1.Tes.2.*
*Matth.4.*
*De hilaritate in bono opere.*
*Eccle.9.*
*Exod.25.*
*Leuit.10.*
*Item 7.*
*3.Regum 18.*
*Rom 12.*
*De charitate non ficta.*
*Ouidius.*
*Eccle.6.*
*Rom 12.*
*Eccle.8.*
*De duabus partibus iustitiæ.*
*Iacobi 1.*
*Tob.4.*
*Matth.7.*
*Ioan.15.*

num in alio diligit, eo ipso illud suum efficit. Diligamus igitur fraternam charitatem, & non seminemus inter fratres discordias. Beati enim pacifici, qui cùm in se pacem habeant, pacem & cõcordiam inter illos conciliant, mittẽtes pedem bouis & asini, vt maiores à minoribus nõ discordent, sed multitudinis credentiũ sit cor vnum & anima vna. Sicut scriptũ est: Vitulus & leo & ouis simul morabuntur. Vnde in Canticis dicitur: Vna est columba mea, id est, ecclesia non diuisa per hæreses & scismata, sed fraternam concordiam in vinculo pacis custodiens. Simus igitur charitate fraternitatis inuicẽ diligentes, & honore inuicem præuenientes. Sic enim fraternus amor cõseruatur, cùm sibi inuicem fratres seruiunt, & mutuis obsequiis sese præueniũt. Frater enim fratrẽ adiuuans quasi ciuitas firma, & munita terribilis inimicis, vt castrorũ acies ordinata. Omnes enim homines natura æquales genuit. Igitur teste B. Gregorio, contra naturam est superbire ab æquali velle timeri. Vnde Malachias ait: Nũquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare despicit vnusquisque vestrum fratrem suum? Et Amos Propheta ait: Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant. Cùm igitur omnes fratres simus, ab vno patre creati, & ex vna matre ecclesia renati, nõ nos reputare debemus superiores, sed inuicẽ honore & reuerentia præuenire. Pusillum enim & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Debemus præterea esse sollicitudine non pigri, sed spiritu feruentes, vt ait Apost. Simus igitur nõ pigri in sollicitudine nostra. Si enim solliciti sumus corde, non simus pigri opere. Maledictus enim est, sicut ait Ieremias, qui opus Dei facit negligenter. De muliere enim forti Salomon ait: Panẽ otiosa non comedit. Vnde Hieronymus ait: Semper est aliquid agendum, ne ager nostri pectoris cessante manu operationis, malarum cogitationum sentibus occupetur. Et in libro Regũ legimus, quod Dauid aliis pugnantibus otio vacans, adulteriũ simul & homicidium commisit. Et in Iudicum dicit Dominus se reliquisse Chananæos contra Israël, ne otio torperent. Praua enim desideria occidunt pigrum, & multam malitiam docuit otiositas, sicut in Ecclesiastico dicitur. Et ideò vt frigus pigritiæ pellatur, simus feruentes spiritu, id est, igne charitatis. Spiritus enim sanctus ignis est, quo feruet charitas. De quo Dominus ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Cui contrarium est, quod dicitur in Euangelio: Refrigescet charitas multorum. Non igitur tepidi simus, ne nos Dominus ab ore suo euomere incipiat, sed ignis dilectionis semper ardeat & ferueat in altari cordis nostri. Vnde de Elia in Ecclesiastico dicitur: quod surrexit quasi ignis, & verbũ illius quasi facula ardebat. Et de Ioanne baptista Dominus ait, quod erat lucerna ardens & lucens. Spiritus enim sanctus, non solum stabilis est faciens constantes, sed & mobilis faciens feruentes, sicut in libro Sapientiæ dicitur, & Psalmista ait: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Simus igitur exemplo sanctorum spiritu feruentes, & Domino seruientes, vt in his omnibus Deo, non hominibus placere quæramus. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Qui enim quidquid operatur, propter Deum agit, hic soli Deo, ad quem omnia opera sua refert, seruit. Beneficia enim, quæ proximis propter Deum impendimus, Deo in membris suis impendere reputamur. Sicut scriptum est. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. In omnibus autẽ istis simus spe gaudentes, vt non nisi æterna speremus, & inde gaudiamus. Et si in his aliqua obuiat vel occurrit aduersitas, simus in tribulationibus patientes. Et vt aduersa constanter sustinere valeamus, simus orationi instantes. Non solùm autem patiamur pro Christo, sed & patientibus compatiamur, eos adiuuantes in necessitatibus eorum, bona nostra communicantes, & eos in hospitiis nostris recipiamus, sicut Apostolus ait: Hospitalitatem sectantes exemplo, scilicet, Abrahæ & Loth, & aliorum sanctorum vt audire mereamur à Domino: Hospes fui, & collegistis me. Non solùm autem bonis & amicis nostris, sed & malis & discolis benefici debemus esse, & bonum pro malo reddere. Propter quod Apostolus subiũgit. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere, id est, bona, orate pro persecutoribus vestris, non irato animo, sed placato, nec aliquod verbum malum, aut amarum benedictionibus vestris admisceatis, propter quod Apostolus repetit, benedicite & nolite maledicere. Non solùm autem ore benedicere debetis, sed & corde gaudere cum gaudẽtibus, de profectu eorum, & flere cum flentibus de eo, scilicet, vnde flendum est, de detrimento & damno animarum, vt possitis dicere. Quis infirmatur & ego non infirmor? Et iterum. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam. De huiusmodi compassione & animorum conformitate beatus Gregorius sic ait: Ordo consolationis est, vt cùm volumus afflictum quempiam à mœrore suspendere, studiamus prius merendo eius luctui concordare. Neque enim ferrum ferro iungitur, si non vtrumque exustione ignis liquatur. Et durum mollinon adhæret, nisi prius eius duritia temperata molleſcat. Is tamen qui afflictum consolari desiderat, mensuram necesse est dolori, quem suscipit, imponat, ne non solùm dolentem non mulceat, sed intemperatè dolens afflicti animum ad pondus desperationis trahat. Sic enim dolor noster mœrentium dolori iungendus est, vt per temperamentum subleuet, nõ propter augmentũ grauet. In omnibus autẽ prædictis virtutum executionibus & ministeriis non sitis alta sapientes in corde per elationem, sed sitis humilibus consentientes per imitationem, vt cùm hæc omnia feceritis, dicatis. Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Et ita habebitis gratiam apud Deum, qui superbis resistit, humilibus dat gratiam, tandem daturus æternam beatitudinem & gloriam sempiternam.

*De fraterna concordia & mutua charitate.*
*Parab. 6.*
*Matth. 5.*
*Isaiæ 32.*
*Actuum 4.*
*Isaiæ. 11.*
*Cant. 6.*
*Ephe. 4.*
*Quod honore inuicem alter alterum præuenire debet.*
*Parab. 18.*
*Cant. 6.*
*Malach. 2.*
*Gregorius.*
*Amos 2.*
*Sap. 6.*
*Cõtra pigros.*
*Ierem. 48.*
*Parab. 31.*
*Hieronymus.*
*2. Regum 11.*
*Iudic. 3.*
*Parab. 21.*
*Eccle. 37.*
*Lucæ 12.*
*Matth. 24.*
*Apoc. 3.*
*Leuit. 6.*
*Eccle. 48.*
*Ioan. 5.*
*Sap. 7.*
*Rom. 12.*
*Deut. 6.*
*Vt Domino & non hominibus placere studeamus.*
*Matth. 25.*
*Matt. 25.*
*1. Petri 2.*
*Rom. 12.*
*2. Cor. 11.*
*1. Cor. 9.*
*Gregorius.*
*Parab. 20.*
*De humilitate in omnibus conseruanda.*
*Lucæ 17.*
*Exo 10.*
*Parab. 3.*

Eadem

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM IOANNEM.

*Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, & erat Mater Iesu ibi.* Ioan. 2.

DOMINVS regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuę, ibi me collocauit. Locus pascuæ sunt diuinæ prædicationis sermones, & prata virentia sanctarum scripturarum, in quibus oues Christi satiãtur, & sanctæ animæ tanquam apes ex variis floribus sententiarum moralium in alueis cordis mellificantes, dulcedine spirituali replentur, vt dicere possint cum Propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. Rosæ autem huius prati sunt, exempla martyrum, vel sententiæ inuitantes ad martyrium, lilia sunt exempla virginum & prædicationis verba, ad virginitatem exhortantia. Violæ verò quæ frigidæ naturæ sunt, pertinent ad exempla illorum, qui carnalem concupiscentiam per asperitatem pœnitentiæ in se extinguunt. His floribus coronas debemus facere, quibus capita nostra, id est, corda posſimus exornare. Asini autem huius prati flores conculcant, & magis carduis, id est, vanis verbis & detractionibus delectantur. Prædicti autem agri pascualis herba virens, oculos recreat. Oculi enim mentis verbis diuinæ scripturæ recreantur. Oues Christi saginat, populus enim eius & oues pascuæ eius ex hac herba in vberibus mentis concipiunt lac innocentiæ & simplicitatis. Ex hoc lacte nutriuntur agni nouelli. Huius autem prati herba vt pullulet rigatur rore cœlesti, & aqua refectionis, id est, flumine spiritus sancti. Arida enim sunt verba secularia, quæ non sunt diuinitus inspirata, nec flumine isto irrigata. Agit autem Propheta Dauid gratias pastori suo, qui ipsum velut ouem Christi in loco vberrimæ pascuæ collocauit. Collocatus erat, non transeundo, sed in eo quiescendo, quia thesaurus desiderabilis, teste Salomone requiescit in ore sapiẽtis, stultus autem diglutit illum. Immunda enim animalia huius prati, non ruminant herbam, sed statim glutiunt diuinæ sapientiæ thesaurum desiderabilem. Hæc autem pascua tantæ fertilitatis sunt, vt nihil desit his, qui cupiunt refici in eis. In hac enim mensa Domini diuersa sunt fercula, sunt ibi præcepta, prohibitiones, consilia, exhortationes, exempla, comminationes, & promissa, & alia innumera, quibus omnibus reficitur, & impinguatur fidelis anima. Præmunimur enim contra omnes, tam apertas quàm occultas tentationes, illuminamur contra omnium ignorantiarum tenebras, protegimur contra omnia peccata, & contra inimicorum spicula. Nec sunt aliquę subtiles cogitationes, ad quas non pertingant diuina eloquia. Et hoc est quod ait Apostolus ad Hebræos: Viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Viuus est sermo Domini in se, mortuus autem in illis, qui dicunt & non faciunt. Inutilis est enim gladius prædicationis, nisi teneatur manu operationis. Efficax est, quia de peccatore facit iustum, & de lupo agnum, de membro diaboli, membrum Christi. Anceps gladius dicitur, secans circumquaque, scilicet, ex vtraque parte verbum Domini, ex vtraque parte noui, scilicet, & veteris testamenti, vitia carnis & spiritus potens est resecare, diuidens animalia vitia à spiritualibus. Diuidit etiam compages & medullas, id est, perplexitates, & subtilissimas affectiones. Discernit etiam cogitationes & intentiones, id est, cogitationum fines. Orate igitur Dominum fratres, vt ex prædictis pascuis animas vestras hodie reficiat, & gressus affectuum mentis vestrę regat, ne dum verbum Dei prædicatur, vana cogitetis, sed diuinas sententias, non carnaliter sed spiritualiter, & rectè intelligatis. Nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, &c. Dominus noster qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret, voluit ex parte morẽ gerere his, cum quibus carnaliter conuersabatur, vt eos per familiaritatem & præsentiam corporalem ad eius dilectionem prouocaret, & per miraculum, quod facturus erat in fide, confirmaret, sicut in fine Euangelij dicitur: Et crediderunt discipuli eius. Beatus autem Augustinus ait: Quisquis rebus prętęriuntibus districtius vtitur, quàm habent mores eorum cum quibus viuitur, aut intemperans, aut superstitiosus est. Sapientia autem iustificata est à filiis suis. Singularis autem ferus quandoque murmur parit infirmis. Qui enim propter fratres à quadam perfectione abstinet, in hoc perfectior est. Vnde Seneca ait: Id agamus vt meliorem vitam sequamur quàm vulgus, non contrariam, alioquin, quos emendare volumus, à nobis fugamus, vt nil imitari velint, dum timent, ne imitanda sint omnia. Dominus etiam Pharisæis murmurantibus pro eo, quod cum Publicanis & peccatoribus manducaret, respondit: Non est opus benè habentibus medico, sed malè habentibus. Et Salomon ait: Noli esse nimis iustus. Tertia fuit causa quare Dominus inuitatus non recusaueritire ad nuptias, scilicet, vt matrimonij sacramentum & ordinem nuptiarum, quẽ ipse in Paradiso instituit, approbando confirmaret, & quorundam hæreticorum perfidiam, qui nuptias reprobantes matrimonij religionem condemnant, confutaret. Contra quos dicit Apostolus ad Corinthęos: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit. Si enim honorabili connubio & thoro immaculato culpa inesset, Dominus ad nuptias non intrasset, nec eas signorum suorum initiis consecrasset. Quoniam autem bona est castitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, vt horum trium graduum dignitatem & meritum approbaret, de virgine Matre natus, ore

*Quod diuina scriptura locus pascuæ dicitur.*

*De floribus huius prati, id est, diuinæ scripturæ & de herba virente.*

*De lacte eius.*

*De diuersis ferculis in mensa Domini.*

*Heb. 4.*

*De efficacia diuini sermonis.*

*1. Cor. 9.*

*Quod bis quos attrahere volumus in aliquibus consentire debemus.*

*Vna causa quare Dominus iuerit ad nuptias.*

*Ioan. 2.*

*Augustinus.*

*Matth. 11.*

*Matth. 9.*

*Mar. 2.*

*Luc. 6.*

*Eccle. 7.*

*Tertia causa vt matrimonium sacramentum approbaret.*

*1. Cor. 7.*

*De triplici gradu in ecclesia Dei.*

tus, ore prophetico Annæ viduæ annunciatus, ad nuptias venit, quas præsentia sua honorando consecrauit. Hi sunt tres status saluandorum, scilicet, Noë, Daniël, & Iob, De quibus dicitur in Ezechiele: Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniël, & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas. Qualis autem debeat esse coniugatorum ordo, quem Dominus per seipsum instituit, cum alios regularium ordines instituerit per homines, Dominus ipso facto ostendit. Coniũxit enim masculum cum fœmina in Paradiso, vt essent duo in carne vna. Formauit mulierem de latere viri, & benedixit eis, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Masculum iunxit cum fœmina, contra illegittimam coniunctionem Sodomitarum, quæ coniunctio non est in carne vna, sed auersa & contraria. Vnde Iudas in epistola Canonica: Sicut Sodoma & Gomorra, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatę, abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni. Per hoc etiam quod dicitur in Genesi: Erunt duæ in carne vna, non tres, scilicet, vel plures, & quod dicit Apostolus: Vnusquisque habeat suam, propter fornicationem, non dicit suas, remouetur vitium bigamiæ, quod primo Lamech contra Deum legitur introduxisse, & reputatum est ei ad culpam, quia plures habuit propter explendam libidinem. Posteà verò cùm fere totus mundus coleret idola, paucis in cultu vnius Dei remanentibus, concessum fuit eis ad tempus plures habere vxores, vt multiplicarentur, ne cultus Dei oblitioni traderetur. De latere viri assumpta est mulier, non de capite, vt intelligeret se non debere dominari in virum. Vnde Apostolus ait: Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum. Et beatus Petrus in epistola Canonica: Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Quædam autem mulieres, non solùm in contumeliis verborum cõtrariæ sunt viris suis, sed etiam ipsos verberare dicuntur. De quibus in eodem Ecclesiastico dicitur. Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Non est autem mulier creata de pedibus viri, ne cõculcaretur, vel despiceretur à viro. Vnde Apostolus: Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Et in Ecclesiastico: Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. De latere autem sumpta est mulier, vt esset socia marito, quæ societas seu coniunctio consistit in quatuor. Primum est, ne fiat diuortium altero viuente, pro quacunque infirmitate. Vnde Apostolus ad Romanos: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, causa tamen fornicationis possunt à thoro separari, sed aliis non possunt iungi. Et propter spiritualem fornicationem, vt si vnus conuertatur ad fidem, & alius in contemptu fidei discedat. Et quando alter vult intrare religionem ante carnalem copulam, infra duos menses. Secundum est vt quam diu viuent, in necessariis sibi prouideãt, & mutuis obsequiis sibi seruiant. Tertium vt debitum carnis suæ vtriusque consensu sibi non substrahant. Vnde Apostolus: Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier. Aliquod autem tempus est, in quo mulier petenti reddere non tenetur. De quo dicit Ezechiel: Ad mulierẽ menstruatam non accesseris. Prohibitum est enim in lege, ne coëant vir & mulier tali tempore. Tunc enim concipiuntur fœtus menstruosi, & membris damnati. In diebus autem solemnibus, licèt instantes petentibus reddere debitum debeant, consilium tamen Apostoli est, vt abstineãt. Ait enim: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ad tempus, vt vacetis orationi, & iterũ, reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathan. Abstinendum est etiam ab vxoribus temporibus ieiuniorum & afflictionis, consilio Ioëlis Prophetę dicentis. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Et idcirco in arca ingressi sunt viri per se, & mulieres seorsum, quia tempore afflictionis non est vacandum amplexibus. Propter infirmitatem verò corporalem, vel etiam propter abominabilem lepram neuter instanter petenti debitũ potest alii denegare. Ex quo patet quam difficilis sit, plusquam multi regularium ordines ordo coniugalis. Quartum est in quo societas viri & vxoris consistit, vt fidem thori inuiolabiliter conseruent. Mulier enim adultera in lege iussa est lapidari. Et Apostolus dicit: Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus, id est, condemnabit, quod est acerbius omni corporali lapidatione. Qui enim in adulterio delinquit multa crimina pariter committit, quia peccat contra sacramentum matrimonij, reus est sacrilegij, quia legem & ordinem matrimonij corrumpit, legis transgressor & apostata meritò iudicatur. Quia corpus suum, cuius potestatem nõ habebat, alij tradidit, rapinam commisit. Si verò adultera illi cui turpiter commiscetur, de bonis quæ viro & vxori communia sunt, aliquid tradit, non solùm fraudem, sed furtum committit. Nunquid proditionis merito possit adultera argui, quæ panem cribrarium & aquam vel vinum corruptum ministrat viro suo, panem verò simulagineum, & vinum pretiosum præbet adultero? Delicatas & subtiles camisias lectori tribuit, grossis autem & asperis maritum induit? Plerumque etiam accidit ex crimine adulterij, quod hæreditatem veri hæredes amittunt, qui autem ex adulterio procreantur, hæredes constituuntur. Imo quæ maior est abominatio frater sorori matrimonio coniungitur, dum maritus adulterę illum quem filium suum esse credit, filiæ adulteri matrimonio coniungit. Dominus autem noster, vt superius dictum est, primum matrimonium in paradiso instituit, vt sequentia connubia non latenter, sed apertè fierent in ecclesia. Vnde prohibita sunt clandestina matrimonia. Et qui ex tali connubio procreantur, legitimi non habentur. Debet igitur coniugatus ligare asinam suam ad vitem, sicut in benedictione Iudę Iacob ait: id est concupiscentiam suam, ita de-

*Ezech.14.* *De ordine coniugatorum.*

*Gene.2.*

*Iudæ.1.*

*Gen.2.* *1.Cor.7.* *Gen.4.* *Quod antiquis permissum fuit plures habere vxores.* *Quare de latere viri assumpta est mulier.* *1.Tim.2.* *1.Petri3.* *Eccle.25.* *Item 25.*

*Col.3.* *Eccle.26.*

*Rom.7.* *Matth.5.*

*1.Cor.7.*

*Leuit.15.* *Quod tempore menstruum mulier debitum non reddat.* *1.Cor.7.* *Quibus temporibus abstinendum est ab vxoribus.* *Ioël.1.* *Gen.7.*

*Leuit.20.* *Heb.13.* *Contra adulterium & quot peccata similiter committantur adulteri.*

*Quod clandestina matrimonia prohibentur in ecclesia Dei.* *Gene.49.*

ita debet alligare vxori, quæ dicitur vitis abundans, in lateribus domus suæ, vt alij nõ commisceatur. In Paradiso autẽ ante peccatum institutus fuit ordo matrimonij, ad officium tantũ, scilicet, causa prolis procreandæ: Post peccatum verò, non solùm ad officium, sed ad remedium, contra carnis incentiua fit matrimonium, sicut ait Apostolus: Vnusquisque suum habeat, propter fornicationem, supple vitandam. Non solùm enim propter prolem generandam, sed & propter fornicationem vitandam, & vt petenti reddatur debitum, absque peccato mortali possunt illud officium exercere. Si autem tantum causa libidinis explendę coëant, absque dubio peccant. Vnde Angelus ad Tobiam ait: In eos qui coniugia ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suę libidini ita vacant, sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus, habet super eos diabolus potestatem. Et in eodem Tobias ait: Tu scis Domine, quia non causa luxuriæ, sed posteritatis amore vxorẽ duxi. Licet autem absque feruore libidinis coire non valeãt, si prædictis tribus causis se cognoscãt, excusãntur à peccato mortali, maximè propter tria bona matrimonij, quæ sunt fides, proles, & sacramentum. Fides, ne aliis coniũgantur. Proles, vt ad cultum Dei generẽtur, & nutriãtur. Vnde Beatus Hieronymus: Lętetur pater filium genuisse Deo, non hominem mundo. Sacramentum, vt individuæ vitæ consuetudinem retineãt, ne ante mortem fiat diuortium. Fides igitur ad castitatem, proles ad fœcunditatem, sacramentum ad stabilitatem refertur, vt in matrimonio sit Iesus cum matre, id est, castitas cum fœcunditate. Per hydrias autem lapideas, potest intelligi matrimonij stabilitas, in quibus aqua mutatur in vinum, dum voluptas excusatur per matrimonij sacramentum. Res autem sacramenti, est Christi & ecclesiæ cõiunctio. Vnde Apostolus ad Ephesios: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Sic igitur spiritualiter aqua conuertitur in vinum, dum libidinis turpitudo excusatur per matrimonium, vt non reputetur in peccatum. Sed plerunque cognoscere vxorem, vel causa prolis procreandæ, vel vt vir reddat debitum, fit illi meritorium, hoc autem fit in Cana Galilææ. Cana enim interpretatur zelus, quod pertinet propriè ad dilectionem coniugum, Galilæa transmigratio. Vterque enim in potestatem alterius transit, quod fit maximè postquam matrimonium, nõ solùm est initiatum, vel ratum, sed insuper consummatum. Initiatum enim dicitur in desponsatione per verba de futuro. Ratum in consensu mutuo, per verba de præsenti. Consummatur autem in commixtione carnali. Ad literam autem Dominus aquam conuertit in vinum illa potestate, qua de aquosis humoribus, vinum procreat in vite. Sed hæc miracula non dicuntur, quia vsu viluerunt. Istud autem miraculum reputatur, quia præter solitum cursum naturæ factum est, quod ex sola virtute diuinitatis fecit. Propterea matri suæ dixit: Quid mihi & tibi mulier? Quasi diceret: Quid tibi commune cum diuinitate mea, quæ secundum carnem tantum es mater mea? Nondum venit tempus meum, quando, scilicet, secundum carnem passurus sum, quam à te contraxi, in qua mihi communicas & ego tibi. Quarta ratione Dominus ad nuptias voluit ire, & aquam in vinum conuertere, vt per hæc nuptiarum sacramentum insinuaret, & se illum ostenderet esse, de quo scriptum est. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Hæ enim nuptiæ materiales & visibiles significant. Quæ sunt quatuor, scilicet, Christi ad humanitatem in virginis vtero, Christi ad ecclesiam in baptismo, Christi ad animam in eius ad Deum conuersionis, rationis ad sensualitatem in creatione animæ. Et ita quinque sunt genera nuptiarum. Per primas, sunt duo in carne vna. Per secundas, duo in vna persona, quia Deus & homo, vnus est Christus. Per tertias, duo in vno corpore. Multi enim vnum corpus sumus in Domino. Vnde Apostolus: Vnus panis, & vnũ corpus, in Christo sumus. Per quartas, sunt duo in vno spiritu. Qui enim adhęret Deo, vnus spiritus est cum eo. Per quintas, sunt duo in anima vna. Ratio, scilicet, & sensualitas, sicut Adam cum Eua in Paradiso. Prima vnio carnalis. Secunda personalis. Tertia sacramentalis. Quarta spiritualis. Quinta naturalis. Ex primis nuptiis suscipitur proles hominis, sicut scriptum est. Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ex secundis filius virginis, Rex cœlorum sicut scriptum est: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ex tertiis proles fideliũ, sicut scriptũ est. Multi filij desertę, magis quàm eius quæ habet virum. Ex quartis proles virtutum, sicut scriptum est: Filij tui sicut nouellæ oliuarum. Ex quintis, proles discretarum cogitationum, & bonorum operum, sicut scriptum est: Generatio rectorum benedicetur. Et Iob ait: Siue nobiles, siue ignobiles fuerunt filij eius, non intelligit. In virginis vtero fecerit Deus nuptias filio suo tertio die, id est, post legem naturæ, & legem scripturæ, in tempore gratiæ. Et erat mater Iesu ibi. Harum nuptiarum sacerdos fuit spiritus sanctus: Paranymphus verò Gabriël Archangelus. De quibus in vtero matris gauisus est amicus sponsi, qui se tamen indignum iudicat corrigiam calceamenti sponsi soluere, id est, harum nuptiarum ineffabilem coniunctionem explicare. Inter os, scilicet, osculans, & os osculatum, ex quibus conflatum est illud suauissimum osculum, per quod facta est ad Deum reconciliatio peccatori, & pax in vniuerso mundo. Quod osculum dulcius super mel & fauum postulat sponsa in Canticis Canticorũ. Osculetur me, inquit, osculo oris sui. Et verus Isaac ad filium ait: Da mihi osculũ filij mi. De his nuptiis dicitur in Canticis: Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonem in diademite, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, quando scilicet, humanam naturam desponsauit. Hæ autem nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & mutata est

*De loco & causa institutionis matrimonii.*
*1. Cor. 6.*
*Tob. 8.*
*Quod tribus causis coniugalis commixtio excusatur à mortali peccato, & de tribus bonis matrimonii.*
*Hieronymus.*
*De hydriis lapideis, & de huius sacramenti.*
*Gene. 2.*
*Ephe. 5.*
*De primo modo aquam mutari in vinum.*
*Spiritualiter de Chana Galilææ.*
*De matrimonio initiato rato & consummato.*
*Ioan. 2.*
*Quarta ratio quare Dominus ire voluit ad nuptias.*
*De quatuor nuptiis spiritualibus & differentia inter nuptias & nuptias, assignatur.*
*Rom. 12.*
*1. Cor. 10.*
*De quinque vnionibus & prole multiplici.*
*Gene. 1.*
*Isaiæ 54.*
*Gala. 4.*
*Iob. 14.*
*De nuptiis diuinitatis ad humanitatem.*
*Ioan. 2.*
*Lucæ 1.*
*Ioan. 4.*
*Item 1.*
*Cant. 1.*
*Gene. 28.*
*Cant. 3.*
*Secundus modus mutandi aquam in vinum in Chana Galilææ.*

tata est aqua in vinum. Ex zelo enim & feruenti dilectione, quam habuit ad nos, qui prior dilexit nos, copulauit sibi humanã naturam, & quę prius vilis erat & abiecta, & more aquæ insipida in amaritudinem culpæ & pœnæ, velut mare defluens, supra modum ab infimo gradu ad summum transmigrando, exaltaretur à sponso. Honorauit abiectam, qui de stercore erigit pauperem. Hoc autẽ matrimonium initiatũ fuit, & quasi sponsalia contracta per verba de futuro, quãdo ait Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obũbrabit tibi. Ratum fuit ex mutuo consensu. Postquam enim dixit Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuũ, incarnatus est Dominus, & factũ est matrimoniũ. Fuit autẽ perfectum matrimonium, maximè in resurrectione. Licet enim nunquam Christus deposuerit humanitatẽ, id est, corporis & animæ naturam deposuit, tamen à corpore ipsam animã, quæ in resurrectione corpori suo inseparabiliter coniuncta, nunquam deponetur. Et hac ratione perfectum & consummatum in resurrectione dicimus fuisse matrimonium. Sponsalia etiam pręcesserunt in Patriarchis & Prophetis. Subsecuta est nuptiarum celebratio in vtero Virginis. Traductio autem in lectum æternæ quietis facta est in die Ascensionis, quando eleuata est magnificentia eius super cœlos. Aliæ nuptiæ sunt Christi & Ecclesiæ, quam ipse in baptismo desponsauit, sicut habetur in illa Antiphona: Hodie cœlesti Sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina. Ipse enim tactu propriæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis, vt in ipsis eius Sponsa regeneraretur, & ab omni macula purgaretur. Et tunc aquæ prius steriles, quæ nullam regenerandi habebant efficaciam, factæ sunt pretiosæ, & quasi in vinum per sanctificationem commutatæ. Tunc autem contracta sunt sponsalia, & fuit quasi initiatum matrimonium. In cruce verò potuit dici matrimonium ratum. Tunc enim de initiato, sicut dicit Apostolus ad Ephesios, Christus dilexit ecclesiam suam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, nec rugam. Perfectum erit matrimonium, cùm tradiderit regnum Deo & patri, quando tristitia nostra vertetur in gaudium, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis. In his igitur nuptiis aqua mutatur in vinum, dum illa, quę prius velut aqua effusa variis concupiscentiis effluebat, maritatur ad fœcunditatem, & fruitur ad iocunditatem. Quod fit in Chana Galilææ, dum sponsa feruore dilectionis, ab amore seculi migrat in amplexus CHRISTI, in voce exultationis & confessionis illud epithalamum decantans. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Fasciculus myrræ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. De his nuptiis dicitur in Apocalypsi: Veni, ostendam tibi sponsam, vxorem agni. De his etiam dicitur in Euangelio: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quamdiu enim CHRISTVS conuersatus est cum Apostolis, vino letitiæ & exultationis potati sunt. Deficit autem vinum, quando in morte eis CHRISTO ablato, tristitia impleuit corda ipsorum. Dominus autem seruauit vinum optimum vsque ad diem Pentecostes, quando aduenientę spiritu sancto inebriati sunt, & tunc aqua mutata est in vinum. De his iterum nuptiis in persona sponsi & sponsæ dicit Isaias: Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Dominus enim sponsam suam annulo fidei subarrauit, deditque ei spiritum sanctum in pignus, sicut dicit Apostolus in secunda epistola ad Corinthios: Dedit pignus spiritus sanctus in cordibus nostris. Assignauit etiam ei in cruce donationem propter nuptias, scilicet, regnum supernæ felicitatis. De his autem ornamentis, quibus sponsam suam decorauit, dicit Ezechiel: Iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecũ, & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus. Et multa de ornatu sponsæ, in eodem capitulo dicuntur, quam lauit Dominus aqua baptismi, emundans eam à sanguine peccati. Et vnxit eã oleo, vnctione, scilicet spiritus sancti, vt esset mitis proximis, & pinguis sibi. Hoc oleo paruuli fouentur, ęgri sanantur, robusti ad certamina præparantur. Vestiuit eam discoloribus, vt esset circumamicta ornamentis diuersarum virtutum. Alij sponsi, sponsis suis aurum & argentum & lapides pretiosos tribuunt. Ipse autem plus dedit sanguinem, quo genas animæ ornaret, pro spõsa effudit. Amici autem sponsi & filij nuptiarum in his nuptiis exultant, sponsæ deuotæ ministrantes, vnusquisque secundũ propriam facultatem. Alij lectulum floridum ex rosis, liliis & violis odoriferis præparant. Alij thalamum variis virtutum cortinis venustant. Alij ante ianuam consistentes, dignos admittunt, indignos expellunt, qui vestem non habent nuptialem, qui corporis sui vestem sordibus peccatorum habent coinquinatam. Alij in Hymnis, & Psalmis, & Canticis spiritualibus vitulos labiorũ suorum sponso reddentes, decantant. Iuuenculæ autem tympanistriæ in ieiuniis, & carnis maceratione tympanizant. De quibus ait Ieremias Propheta: Filia Syon adhuc ornaberis tympanis tuis, & eris in choro ludentium. Viri contemplatiui in tympano & choro. Prælati in voce tubæ, scilicet, in tubis argenteis, sicut Moyses & Iosue. Alij cum Dauid in liricis. Alij cum Ieremia in Trenis. Alij cum Salomone in Canticis sponso confitentur, laudantes, & superexultantes eum in secula. Tertiæ nuptiæ spirituales sunt Christi & animæ in baptismo, vel in eius ad Deum conuersione, & iustificatione, vt sint duo in vno spiritu, & in vna voluntate. Vnde Apostolus: Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere CHRISTO. Coniugium autem carnale, vt ait beatus

*1. Ioan. 4.*
*1. Reg. 2.*
*Luc. 1.*
*Luc. 1. De initiatione & ratihabitione, & consummatione huius matrimonii.*
*De nuptiis Christi & Ecclesiæ.*
*Tertius modus mutandi aquã in vinum & rato & consummato matrimonio.*
*Ephe. 5.*
*1. Cor. 15.*
*Ioan. 16.*
*Quartus modus mutandi aquam in vinum.*
*Cant. 2.*
*Apoc. 21.*
*Matth. 9.*
*Mar. 2.*
*Luc. 5.*
*Actuum 2.*
*Isaiæ 61.*
*2. Cor. 1.*
*De multiplici ornatu sponsæ.*
*Ezech. 16.*
*De diuersis ministris nuptiarum.*
*Cant. 1.*
*Matth. 22.*
*Ephe. 5.*
*Osee 14.*
*Ierem. 31.*
*Dan. 3.*
*De nuptiis Christi & animæ.*
*2. Cor. 11.*

beatus Hieronymus, de virgine facit corruptam. Coniugium spirituale, de corrupta facit virginem. Vnde beata Agnes de Christo ait: Quem cùm amauero casta sum, cùm tetigero, munda sum. Talibus autem dicitur: Crescite & multiplicamini & replete cœlos. Huiusmodi autem matrimonium facit consensus animorum, non in carnalem, sed spiritualem copulam. De quo Propheta in persona Christi dicit: Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide. In fide desponsatur in baptismo, & tunc matrimonium est initiatum. Cùm autē anima facit opera iustitiæ, & iudicium seipsum iudicans, vt non iudicetur à Domino, iungitur Domino in iustitia, & iudicio, & tunc matrimonium est ratum. Postquam verò ab hoc sæculo migrat in cœlum, tunc demum matrimonium est consummatum. Quidam faciunt iustitiam sine iudicio, id est, opera iustitiæ sine discretione. Quidam iudicium sine iustitia, literati, scilicet, qui sciunt inter bonum & malum discernere, sed opera iustitiæ nolunt facere. Dicunt enim, & non faciunt. In misericordia & miserationibus desponsatur. In ira enim est Regis misericordia & humilitas, quę incompatabiliter inferiorem se dignatur sibi, coniungere ancillam. Vnde ipse dixit per Prophetam Ezechielem: Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cùm esses in sanguine tuo, viue in sanguine, scilicet, peccatorum. Et paulò post ait: Eras nuda, & confusione plena, & transiui per te & vidi te, & ecce tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operuit ignominiam tuam. Ecce quanta est misericordia, tam abiectam & sordidam adamare, & sibi ex ancilla factam Reginam matrimonio copulare. Maior autem & ineffabilis est misericordia, quod postquam tantum maritum contemnens recedit, & meretrix publica efficitur, extinguens filios suos, quos in matrimonio genuit sibi vir eius, scilicet, opera charitatis mortificans, adhuc cum precibus reuocatur, & pluries recedens, quotiescunq; vult reuerti, à marito recipitur: sicut dicit Dominus per Ieremiam: Vulgò dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eum vltrà? Nunquid non polluta & contaminata est mulier ista? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamē reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Ecce quanta misericordia desponsatur, & quantis miserationibus suscipitur. Sunt autem in hoc matrimonio tria bona, quæ in aliis matrimoniis assignantur, scilicet, fides, proles, & sacramentum. Fides, ne alij coniungantur: Vt in libro Sapientiæ dicitur. Quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Non igitur iuxta sponsum recipiat adulterum, diabolum, vel mundum. Coangustatum est enim stratum, ita quod alter decidat, sicut dicit Isaias: Non enim in stratu cordis potest anima simul Christum & diabolum recipere. Pallium breue est, dicit Isaias, vtrumque operire non potest. Dilectio enim Dei non potest ad amorem mundi extendi. Non enim dulcis potest esse Christus, cui adhuc dulcis est mundus. Bonum autē prolis in hoc matrimonio attenditur. Anima enim feruore spiritus sancti accensa, & suauiter in amplexus sponsi liquefacta, & delectabiliter resoluta, concipit germen bonæ voluntatis, parit prolem bonæ operationis, quæ lacte innocentiæ & pietatis nutriēda est, vt possit prouehi quasi ad ætatem adultam perfectionis. In hoc autem delectabili partu euacuatur prima maledictio: In dolore paries filios. Sacramentum autem in hoc considerat̄ur, quod altero viuente, non debet fieri diuortium, excepta sola causa fornicationis: De qua scriptum est: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mortua enim sponsa per quodcunq; mortale peccatum, soluitur matrimonium. In Chana autem Galilææ, id est, in zelo transmigrationis fiunt prædictæ nuptiæ, & conuertitur aqua in vinum. Anima zelo charitatis succensa, de vitiis migrat ad virtutes, de malo transit in bonum, de bono in melius, de terra in cœlum. Et sic aqua frigida, vilis & pallida transit in vinum calidum, pretiosum, & coloratum. Anima enim sine diuina gratia gelicidio peccatorum constringitur. Vilis est quæ pro transitoria voluptate seipsam tradit diabolo: sicut ait Ieremias: Quàm vilis facta es, nimis iterans vias tuas. Pallida est, exanguis, & mortua, quæ colore virtutum non est colorata, nec auro charitatis deaurata. Postquam autem Christo coniungitur, feruet charitate. Pretiosa est, quæ iam non in vano accipit animam suam, sed Christo cara, & Angelis gratiosa, colorē gratiæ recipit igne charitatis, & fide passionis purpurata, vinum siquidem abundat in principio nuptiarum, quando in primordio conuersionis charitas feruescit. Deficit autem vinum, quando charitas refrigescit, vltimum autem vinum melius dicitur primo, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Aquas igitur Dominus in vinum vertit, quando aufert culpam, & confert gratiam. Aquas vertit in vinum, quādo de impio facit pium, de luxurioso facit castum, de ebrioso sobrium, de auaro largum, de superbo humilem, de crudeli benignum & mitem. Aqua sunt mali in amaritudine maris, id est, vitiorum defluentes. Vinum autem boni calētes interius per charitatem, foris alios potantes per doctrinam. Aqua igitur mutatur in vinum, maximè quando per aquam baptismi regenerati, vel per aquam lachrymarum compuncti, ad tantum feruorem perueniunt, quod pro Christo sanguinem fundunt. Vestes autem, & ornamenta huius sponsæ sunt, niuea camisia innocentiæ, tunica lanea, de vellere agni immaculati, vt sit mitis & suauis, non solùm interius, sed in exteriori conuersatione, zona bysſina castitatis & munditię, monile pudicitiæ, vt sit pectus eius contra malas cogitationes munitum, ne fortè adulter manum apponat. Pallium auro textum charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum. Lapides pretiosi virtutum. Calceamenta, quibus pedes affectuum muniat exempla sanctorum.

*Hieronymus.*

*Gene.1.*
*Ozee 2.*

*Quod matrimonium istud sit initiatum, ratum & consummatum. Matth.22.*

*Ierem.3.*

*De tribus bonis huius matrimonii.*

*Sapien.3.*

*Isaiæ 28.*

*Gene.3.*
*Matth.5.*

*Quintus modus conuertendi aquam in vinum.*

*Ierem.2.*

*Matth.10.*

*De variis animæ ornamentis.*

*Luce.5.*

Inaures

Cant.1. Inaures obedientiæ. Armillę, quibus brachia ornantur, operationes bonę. Speculum diuinę scripturæ. Murenulę aureæ, vermiculatæ argento, scilicet, scripturarum sententiæ, & sermones sapientiæ confirmati noui & veteris testamenti auctoritate. Corona aurea insuper vitæ æternæ, nunc in spe, tandē autem in re & in specie. Quid igitur retribuet Domino pro omnibus quę retribuit sibi? Retribuat cor mundum & corpus immaculatum, vt tota pulchra sit eius amica.

Item 4. Et quoniam scriptum est, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, relinquat diabolum malorum omnium patrem, & matrem carnalem concupiscentiam. Obliuiscatur populum suum, & domum patris sui, & dicat: Mihi autem adhærere Deo, bonum est. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Et quoniam zelotypus est sponsus eius, dedit ei custodem Angelum bonum, & insidiatorem Angelum malum. Super omnia autem caueat, ne vel vnum inordinatum aspectum ad adulterium faciat, ne fortè cum vxore Loth retrò aspiciat, quia reste Salomone, zelus & furor viri nō parcet in die vindictę, nec acquiescet cuiusquam precibus.

Gene.2. Cant.1. De custodibus sponsæ & quod caute debet se conseruare. Gen 19. Parab.6. De his quæ nos ab his nuptiis retrahūt. Lucæ 14. De matrimonio rationis et sensualitatis. Gene.3. Item 4. Mich.7. Gregorius. Quibus modis culpa committitur, & quod refrænare debemus vxorem nostram & primos motus comprimere. Iob 2. Parab.27. Gene.25. Eccle.25. Parab.28. Eccle.19. Item 42. Eccle.7. Parab.5. Eccle.20. Parab.30. Gen.3. Sextus modus mutandi aquā in vinum. De domo architriclini & sex hydriis. Exod.7. De multiplici implemento hydriarum & capacitate earum. De capacitate hydriarum.

Caueamus autem & nos, ne ab his nuptiis nos retrahat vxor mala per carnalem concupiscentiam. Ne villæ sollicitudo nos retardet per curiositatem. Ne iuga boum nos retineant per auaritiam. Quartum matrimonium est rationis & sensualitatis, scilicet, partis animæ & inferioris. Quas Deus ita coniunxit, vt sensualitas tanquam vxor, & quasi mulier mollis, & flexibilis subiiceretur rationi, & eius moderamine regeretur, sicut scriptum est in Genesi: Sub viri potestate eris. Et Dominus ad Caim dixit: Nónne si bene egeris, benè recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, & sub te est appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Et idcirco rationi imputatur, si vxorem suam, scilicet, sensualitatem, cuius dominatur non refræner, sicut imputatum est Adæ, quod consensit vxori. Inimici enim hominis domestici eius. Dicit enim beatus Gregorius: Tribus modis committitur culpa. Suggestione hostis, delectatione carnis, consensu rationis. Suggestione tentamur, delectatione fallimur, consensu vincimur. Debet igitur ratio reprimere Euam suam, scilicet, sensualitatem, & malè persuadenti respondere, quasi vna de stultis mulieribus locuta es mihi. Sicut enim stillicidium, ita mala vxor plerunque eiicit hominem de domo. Vnde Salomon in Parabolis: Tecta perstillantia in die frigoris, & mulier litigiosa comparantur. Licet igitur motus sensualitatis, non possint pręueniri ne insurgant, debent tamen reprimi, ne nimis procedant. Teneat igitur Iacob plantam Esau, & ratio paruulos suos ad Petram allidat, nec respiciat mulierem multiuolam, scilicet, sensualitatem, multa mala volentem, sed eam fortiter cohibeat. Non solùm enim superflua, sed aliqua de necessariis illi subtrahat. Ait enim Salomon in Parabolis: Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis. Vinum enim & mulieres, vt dicit Ecclesiasticus: Apostatare faciūt sapientes, id est, iocunditas secularis & dilectatio carnalis. Et idcirco in eodem Ecclesiastico dicitur: Super filiam luxuriosam firma custodiam, ne quando faciat te venire in opprobrium inimicis. Filia luxuriosa est mulier ista, de qua Salomon in Ecclesiaste: Inueni amariorem morte mulierem, laqueus est venatorum, id est, dęmonū. Et iterum in Parabolis: Fauus distillans labia meretricis, nitidius oleo guttur eius, nouissima autem eius amara quasi absynthium. Patet igitur in quantum præcipitium pertrahat animam stultitia malæ vxoris, scilicet, sensualitatis, nisi cohibeatur fræno rationis. Ipsa enim, vt dicit Ecclesiasticus: contra omnem sagittam aperiet pharetram suam donec deficiat. Contra omnem tentationis sagittam, aperiet insatiabilem voluptatis famem. Per odiosam autem mulierem, cùm in matrimonio assumpta fuerit, mouetur terra, vt ait Salomon in Prouerbiis. Refrænetur igitur sensualitas, vt sit subiecta viro suo. Et licet cum dolore à principio pariat filios, postquam obedire didicerit, & viro suo consentire consueuerit, tandem aqua mutabitur in vinum, vt in pace & gaudio, in generatione filiorum cooperetur marito suo, vt sit eius vxor sicut vitis abundans, & in ea implebitur, quod scriptum est: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ex prædictis igitur manifestum est, quod in omnibus memoratis nuptiis in Chana Galilææ, aqua mutatur in vinum. Hoc autem fit in domo architriclini, id est, Dei patris, qui est princeps triclinij, id est, ecclesiæ, quæ dicitur triclinium, propter tres ordines saluandorum, doctorum, continentium, & coniugatorum, & etiam dicitur triclinium, quia in se recipit trinitatem. Quoniam autem dicuntur ibi, sex hydrię fuisse, quę sunt vasa aquatica, ab hydor, quod est aqua, possumus intelligere hydrias plenas aqua, quādo fiunt opera misericordiæ, non amore sed timore. Quando verò ex charitate fiunt, aqua cōmutatur in vinum. Quando verò propter vanam gloriam opera misericordiæ exercentur, aqua in sanguinem conuertitur. Et generaliter quotiens bonis transitoriis contra Deū abutimur, plaga Ægyptiorum, qua aquæ conuersæ sunt in sanguinem percutimur. Si autem bona temporalia ad Deum conuertimus, vt de sinistra dexteram faciamus, aquas in vinum mutamus. Lapideę hydrię dicūtur, non propter duritiam, sed propter constantiam in bono, vt opera misericordiæ facientes non deficiamus. Quæ implentur vsque ad summum, dum opus misericordię ducitur ad perfectum. Ministri hydrias implent, dum liberalitas & hilaritas opera misericordiæ plenæ exercent. Positę autem erant hydrię secundum purificationem Iudæorum, id est verè confitentium, qui contritione, confessione, & satisfactione purificantur. Plenæ sunt hydriæ vino, quando opera misericordiæ fiūt ex charitate. Vacuæ sunt quādo fiūt pro carnali affectu, vel humano fauore. Plenæ autē sunt veneno, quando fiunt in mortali peccato. Hydriæ autē metretas binas vel ternas, id est, mensuras dicuntur continere, quia opera misericordiæ debent fieri corde, ore, & opere.

Debens

Debent præterea fieri in charitate, & fide. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Opera autem sine charitate mortua sunt. Tres insuper metretas capiunt, quando cibo materiali, & refectione sacramentali, & pabulo doctrinæ spiritualis proximos reficimus. Quia verò corpus & anima pascuntur, metretas binas continere dicuntur. Si autem in prædictis velimus allegoriam attendere, sex hydriæ ad sex mundi ætates referuntur. Tres metretas ad tres ordines saluandorum referimus, vel ad fidem sanctæ Trinitatis. Dicuntur etiam duas metretas continere, propter credentes ex vtroque populo, ex Gentibus, scilicet, & Iudæis. In qualibet autē sex ætatū, vino deficiēte, aqua cōuersa est in vinū, dū ea quę ad literā in figuris acciderūt, spiritualiter intellecta impleatur. Vinū deficit, quādo Scribę & Pharisæi legis sensum carnaliter exponētes, ad literā tantū legē obseruabāt. Christus aquā in vinum cōuertit, dum quæ carnalia videbātur, spiritualiter implenda ostendit. Prima ætas fuit ab Adā vsq; ad Noë: in hac Abel à fratre occiditur. Si quis Abel innocentiā imitatur, bibit vinū: in his autē qui Caim malitiā sequūtur, vinum deficit. Aqua autē mutatur in vinū, dum ea quę ad literā scripta sunt, ad Christū verū pastorem, & innocentē spiritualiter referimus, qui à fratribus suis Iudæis occisus est extra portā. Eodem modo in qualibet alia ætate facilè est exponere. Bonos enim, scilicet, Noë, Abrahā, & alios imitando, vinū bibimus, quod in illis deficit, qui malorū mores peruersos imitātur, vel ea quæ scripta sunt vitiosè, sicut hęretici exponunt. Aqua verò in qualibet ætate mutatur in vinū per spirituale intellectū. In sexta ætate Christus circunciditur & in templo offertur. Qui sacramētis diuinis humiliter subiicitur, vinum bibit. Deficit autem vinum in illis, qui sacramenta Ecclesiæ despiciunt. Si autē spiritualiter circuncidamur à vitiis, vel per carnis circunciſionē totius mortalitatis futurā esse depositionē intelligimus, quādo in templo cœlesti Domino offeremur, aquam in vinum cōuertimus. Hoc autē melius vinū quod seruatum est ad vltimū. Hæretici autem & carnales homines bonū vinum primū ponunt, & posteà deterius, dum de veris ad falsa descendunt. Hydriæ igitur vsq; ad summū implentur aqua, quia ab initio nullū tempus vacauit à salutari doctrina. Dominus autē hydrias vino impleuit, dum sensum aperuit discipulis, vt scripturas intelligerēt, & spiritū sanctum dedit eis, vt illas adimplerent. Vos igitur fratres charissimi, qui vocati estis ad nuptias sponsi, & ad cœnā agni, impleamini aqua sapientiæ salutaris, sacræ lectioni crebrius attendendo. Et quoniā scientia sine charitate inflat, rogemus Dominum, vt scientiam nostrā charitate calefaciat, & illam ad quærenda cœlestia cōuertat, quatenus spiritualiter inebriati, possumus dicere cum Propheta: Potasti nos vino cōpunctionis. Hydrias autem nostras, vasa, scilicet, aquatica, id est, corda carnea, debemus implere amaritudine pœnitentiæ vsq; ad summum. Deus autem has aquas mutat in vinum, quando fletum culpæ sequitur iucunditas gratiæ. In nuptiis enim Christi priùs ponitur vinum acerbum intolerantia laboris & multiplici tribulatione, postmodum optimū in iucunditate, & æterna retributione. Ecōtrà in nuptiis diaboli, primò ponitur vinum bonum, secundum sensum, in trāsitoria delectatione. Posteà verò id quod deterius est & pessimum, in æterna amaritudine. Nos igitur sex hydrias, id est, vasa cordis nostri & quinq; sensuum aquis pœnitentiæ impleamus, aquis lachrymarū abluamus. His enim aquis Iudęi, id est, veri cōfessores purificātur. Tres metretas hydrię nostrę capiunt, quando flemus, quæ delectatione, consensu, & opere, cōtra Deum egimus. Binas autem capiunt, quādo pro cōmissis & omissis lugemus. Si autē in nobis vinum deficit, si feruor charitatis in hydriis cordis nostri tepescit, si aquā insipidā in mentibus nostris sentimus, oremus matrem misericordiæ, vt ipsa filiū suum deprecetur, quatenus aquā in vinū deuotionis & feruētis charitatis mutare dignetur, vt corda nostra tres mensuras capiāt, per fidē, spem, & charitatem. Duas verò per rectam voluntatē, & bonam operationem. Si verò hydria sensualitatis repleta sit aquis voluptatis, relinquite hydriam, ad exemplū Samaritanæ, omnē à vobis carnalem concupiscentiā abiiciendo: implete hydriā cordis vestri vsq; ad summū aquis cōtritionis & amaritudinis, vt Deus eas cōuertat in vinū delectationis & amoris. Ad nuptias autē vestras & cōuiuia vocate Christum in membris suis, quod est ipsum vocare cum discipulis suis, non mimos, non histriones, non lecatores, non diuites, vt nos reinuitent, sed Christi pauperes. In Chana autem Galilææ, id est, in feruore transmigrādi & procedendi, semper de bono in melius transmigrate de Ægypto in desertum, de deserto in terram promissionis lacte & melle fluentem, id est, de mundo ad patrem. Ipso præstante qui viuit, &c.

*Heb. 11.*

*De sex hydr. allegoricè & earum conuenientia.*

*De defectu vini & conuersione aquæ in vinum. Gene. 4.*

*Heb. 13.*

*Luc. 2.*

*Quod in nuptiis Christi melius est vltimum vinum quā primum, econtra hæretici faciunt.*

*Luc. 24. Ioan. 20.*

*Conclusio cum moralitate pitulatione. 1. Cor. 7.*

*De duplici vino in nuptiis Christi, & de duplici vino in nuptiis diaboli.*

*De implectione sex hydriarū moraliter & de capacitate earum.*

*Ioan. 4.*

*Quod Christū ad nuptias vocare debemus.*

*Exod. 3.*

## DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

### THEMA DE INTROITV MISSAE, sumptum ex Psalmo.

*Adorate Deum omnes Angeli eius, audiuit & lætata est Syon, & exultauerunt filiæ Iudæ.*

VOx est Ecclesiæ non admonentis vel exhortātis Angelos sanctos, quia exhortatione nō indigent, sed aggratulantis & exultātis de laude & ministerio Angelorum, & de eius celsitudine quem adorāt. Ac si dicerent: Adorate Deum, id est, gaudeo quod adoratis, benefacitis, quod facitis, facite. Gaudet igitur Ecclesia de bono Angelorū, sicut ipsi de bono nostro gaudent, & negotia salutis nostrę apud Deum

*Expositio thematis.*

promouere ſtudent, vt reddat gaudium pro gaudio, & dilectionem pro dilectione. Gaudet etiam de eius honore & reuerentia, cui omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Vnde ipſe Dominus ait: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem. Et hoc eſt quod dicitur: Audiuit & lætata eſt Syon. Audit Eccleſia auribus corporis, & auribus cordis, de quibus Ezechiël propheta ait: Qui audit, audiat. Qui audit, ſcilicet, auribus corporis, audiat auribus mentis. Audit per diuinam ſcripturam, per prædicationem, per diuinam inſpirationem. Eccleſia verò dicitur Syon, propter loci ſitum & diſpoſitionem, & propter nominis interpretationem. Sicut enim mons ille ad literam in altum eleuatur, & muro cum turribus à Rege Dauid cinctus fuit & munitus, ita Dei Eccleſia, cuius conuerſatio in cœlis eſt, præeminentia ſanctæ vitæ in ſublime attollitur, & cuſtodia tam Angelorum quàm Prælatorum, velut turribus & propugnaculis munitur. Syon interpretatur ſpeculum, vnde Eccleſia dicitur Syon, eò quòd videat nunc in ſpeculo & ænigmate imaginem, ſcilicet, veritatis, quæ poſteà facie ad faciem viſura eſt veritatem imaginis. Habet autem diuinam ſcripturam pro ſpeculo, in qua conſiderat, vt ait Iacobus, vultũ natiuitatis ſuæ. In qua ſi quid in ea turpe eſt, aut deforme, debet intueri, vt maculas omnes poſsit abluere. Quod ſignatũ eſt per luterem æneum de ſpeculis mulierum factum, in quo ſacerdotes corpus ſuum abluebant, priuſquam ſacrificia ſecundum legem offerrent. Habet prætereà ſpeculum crucifixi, in quo reſpiciat velut in ſerpentem æneum, contra omnes morſus ſerpentium. Vita etiam Chriſti & exẽpla ſanctorum competenter ſpeculo comparantur. Qualem enim faciem ſpeculo oſtendis, talem tibi repræſentat & reddit. De Chriſto enim dicitur: Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris: & cum electo electus eris, & cum innocente innocens eris. Et ipſe ait: Ego diligentes me, diligo. Et in primo Regum ait: Quicunque honorificauerit me, honorificabo eum: qui autem contemſerint me, erunt ignobiles. Ipſe autem cum vigilantibus vigilare, & cum dormientibus dormire dicitur, & cum illis qui conuertuntur, conuerti. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, dicit Dominus. Sancti etiam aliorum vultibus per compaſsionem ſe conformant. Gaudent cum gaudentibus, lugent cum flentibus, infirmantur cum infirmantibus, vruntur cum ſcandalizatis. Omnibus omnia fiunt, vt omnes lucrifaciant. Mortuorum inſuper ſepulturæ, ſpeculum ſunt Eccleſiæ, in quo ſpeciem ſuam viſitans non peccet. Vnde Salomon in Eccleſiaſte: Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit. Etiam ſuiipſius agnitio, & vilitas conditionis, ſpeculum eſt vitreum, in quo homo ſeipſum agnoſcit. Arguam te, dicit Dominus in Pſalmo, & ſtatuam contra faciem tuam, ſcilicet, vt teipſum aſpicias, & cognoſcas te eſſe ſperma fœtidum, vas ſtercorũ, eſcam vermium, paulò antè nihil eras, paulò pòſt non eris.

*Nos leuis umbra ſumus, nos actus turbine fumus. Nos agri fœnum, primò caro, poſteà cœnum.*

Vanitas etiã huius mundi, & figura quæ citò præterit, & omnia quę in mũdo ſunt, ſpeculo comparantur. In quo inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quę facta ſunt, intellecta cõſpiciuntur, ſicut ait Apoſtolus ad Rom. Et B. Iob ait: Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Omnia enim opera Dei debemus inſpicere ad inſtructionẽ noſtram. Pœnæ etiã reproborum nobis ſunt pro ſpeculo, vt lauet iuſtus manus ſuas in ſanguine peccatorũ, id eſt, opera ſua purificet inſpecta pœna damnatorum. Similiter & præmia beatorum debemus frequẽter intueri, & annos æternos in mẽte habere. Vnde in Pſalmo: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominũ Deũ noſtrũ, donec miſereatur noſtri. Habet præterea Syon aliã ſignificationẽ, ſecundum quã interpretatur ſpecula. Et propter hoc Syon dicitur Eccleſia. Ad quã Ieremias: Statue tibi ſpeculum, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectã. Diabolus enim tanquam Nemroth, venator fortis coram Domino, circunquaq; laqueos tendit quibus animas capit, niſi Deus eas liberet de laqueo venantiũ. A ſuperiori parte, per ſuperbiã, ab inferiori per carnalẽ voluptatẽ, ab anteriori per rerũ temporaliũ cupiditatẽ, quas proponit ante oculos, dicẽs: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidẽs adoraueris me. A poſteriori per peccatorũ prẽteritorũ cum delectatiõne recordationẽ. A dextris per proſperitatẽ, à ſiniſtris per aduerſitatẽ: vnde oportet quod animalia plena ſint oculis antè & retrò, vt ſibi circunquaq; ab inſidiis caueãt, & in altitudinẽ ſpeculationis aſcendãt. Fruſtra enim iacitur rete ante oculos pennatorũ. Vnde Dominus ad Abrahã: Leua oculos tuos in directũ, & vide à loco in quo nunc es ad Aquilonẽ, & ad Meridiẽ, ad Orientẽ, & ad Occidentem. Syon igitur ſpecula cõtemplationis aſcendẽs, audiuit & lætata eſt, de eo quod Angeli ſemper aſsiſtunt Deo, & ipſum venerãtur & laudãt. Propriè enim dicitur adoratio debita reuerẽtia, & honor cũ mẽtis deuotione, & humiliatione exhibitus Deo, & plerunq; cũ gratiarũ actione. Sicut cùm dicitur: Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctã crucem tuã redemiſti mundũ. Deũ autẽ adorare, eſt ei cũ tota mente per humilitatẽ & deuotionem ſe ſubſternere, & ipſum principiũ & finem omnis boni credere. Secundũ hoc ſolus Deus adorãdus eſt: ſicut ſcriptũ eſt: Dominũ Deũ tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Adorare enim propriè dicitur illud, quod adoratur in prẽmiũ petere. Homines tamẽ vel Angelos adorare dicimur, dũ eos veneramur, hoc aũt impropriè dicitur, quia ſolus Deus propriè adoratur. Vnde Iſa. ait: Inclinabit ſe homo ad factorẽ ſuũ, nõ ad altaria, quę fecerũt manus eius. Licèt enim altaria & loca ſancta venerari debeamus, ꝓpter Deũ, nõ tamẽ ea adorare debemus. Nõ enim imagines, ſed Deũ coram

*Phil. 2.*

*Ioan. 14.*

*De multiplici auditu.*

*Ephe. 4.*

*Quare eccleſia nominetur Syon.*

*Phil. 3.*

*De multiplici ſpeculo eccleſiæ.*

*De ſpeculo ſcripturæ.*

*Iacobi 1.*

*Exod. 38.*

*De ſpeculo crucifixi & exemplis ſanctorum.*

*Num. 21.*

*Parab. 9.*

*1. Reg. 2.*

*Mala. 3.*

*Rom. 12.*

*2. Cor. 11.*

*1. Cor. 9.*

*De ſpeculo ſepulturæ mortuorum.*

*Eccle. 7.*

*De ſpeculo fragilitatis humanæ.*

*De ſpeculo vanitatis huius mundi.*

*1. Corint. 7.*

*Rom. 1.*

*Iob 12.*

*De ſpeculo pœnæ reproborum & præmii beatorũ.*

*De ſpeculo eccleſiæ.*

*Iere. 31.*

*De diuerſis laqueis diaboli.*

*Matth. 4.*

*Ezech. 1.*

*Apoc. 4.*

*Parab. 1.*

*Gen. 13.*

*Matth. 18.*

*De adoratiõe.*

*Deut. 6.*

*Matth 4.*

*Iſaiæ 17.*

*Quod ſolus Deus propriè ſit adorandus.*

coram imaginibus adoramus, imago autē crucifixi in Eccleſia ponitur, quia crucifixus per eā no bis ad memoriā reducitur. Signū igitur vel lignū crucis veneramur, ſed nō adoramus. Scriptū eſt enim: Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius, in loco & nō locū adorare debemus. Et iterū: Adorate Dominū in aula ſancta eius. Non aulā, ſed Dominū in aula. Et in Iſa. Corā altari hoc adorabitis: Corā altari, ſed nō altare. Adorabimus enim ad templū ſanctū tuū, nō ipſum templum, neq; templi vel reliquias ſanctorū. Adorare igitur debemus ſolū Deū, aliquādo in terra proſtrati, aliquādo flexis genibus, quādoq; ſuper pedes erecti. Qui proſtratus orat, figurā gerit illius qui dicebat: Memēto queſo quod ſicut lutū feceris me, & in puluerē reduces me. Qui flexis genibus & expāſis manibus, typū illius, qui ait: Trahe me poſt te, curremus in odore vnguentorū tuorū. Qui verò ſtando orat, aſsimulatur illi, qui dicebat: Stantes erāt pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalē. Oratio autē generaliter dicitur pius affectus animi ad Deū, qui ne pigritetur quādoq; prorumpit in vocē. Specialiter autē dicitur oratio, quę fit pro malis amouēdis, vel pro purgādis in via. Poſtulationes propriè pro bonis adipiſcēdis, vel pro purgandis in Purgatorio. Gratiarū actiones pro bonis adeptis, & maximè pro his qui ſunt in patria. Obſecrationes autē dicuntur, quæ fiunt cum adiuratione, & maximè pro cōuertendis ad Deū. Generaliter autē pro omnibus his quādoq; accipitur oratio. Aliquādo tamē inter orationē & deprecationē diſtinguitur, vt dicatur oratio pro bonis adipiſcēdis, deprecatio verò pro malis amouēdis. Angeli adorāt Deū, ſed propriè nō orāt. Dæmones orāt, ſicut rogauerunt Chriſtū, vt mitteret eos in porcos, ſed nō propriè adorār, quia nec ipſum humiliter reuerētur, nec ei gratias agunt. Boni autē homines orāt & adorāt: Angeli autē dicūtur orare impropriè. Nihil enim à Deo petūt, cuius voluntatē agnoſcūt, ſed ei penitus cōſentiūt. Cùm autē deſideriū ſuū à Deo cōpletum in nobis vel cōplendum agnoſcunt, Deo gratias referunt, & ideò dicuntur orare pro nobis, id eſt, Deū pro nobis laudare. Orationes etiā noſtras Domino offerunt, ſicut in Apocal. dicitur: Aſcēdit fumus aromatū de manu Angeli in cōſpectu Dei. Oratio autē fit quādoq; corde tantū, ſicut Suſanna tacēs exaudita eſt. Et Moyſi tacēti dixit Dominus: Quid clamas ad me? Ore etiā fit oratio, ſicut Dominus orās in cruce, cum lachrymis & clamore valido emiſit ſpiritū. Opere oramus, vnde Apoſtolus: Sine intermiſsione orate. Non enim ceſſat orare, qui nō ceſſat benefacere. Vnde eleēmoſynæ Cornelij, quæ cōmemoratę ſunt apud Deū, pro ipſo orauerunt. Verè autē orare eſt, vt ait B. Gregor. amaros ex cōpunctione gemitus nō verba cōpoſita reſonare. Et quoniā peccatores nō exaudit Deus, oportet quod oratio ſit pura, ſcilicet, ex puro corde. Iniquitatē enim ſi aſpexi in corde meo, nō exaudiet Dominus. Et quia Dominus reſpexit in orationes humiliū, non iactet merita ſua, ſicut Phariſæus. Quia oratio humiliātis ſe, penetrat nubes, teſte Eccleſiaſtico, maximè quādo duas alas habet, ieiuniū & eleēmoſynā. Illa enim oratio pingueſcit, quādo carnis maceratio paſcit, & grata Domino habetur, quę operibus miſericordiæ cōditur. Et quoniā ſcriptū eſt: Qui indeuotus orat, iudicium ſibi poſtulat. Sit deuota oratio & intēta ſupplicatio, quæ mentē dormire nō ſinat, ſed clauſo oſtio quinq; ſenſuum infra cordis trāquilli cubiculum deuotè oret, ſicut dicitur in Eccleſ. Da ſuauitatē & memoriā ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locū Medico, quoniā autē Deus ſpiritus eſt, in ſpiritu & veritate, nō in multiloquio & ſtrepitu verborū, oportet eum orare. Vnde in Euang. dicitur: Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici. Debet etiā oratio fidelis eſſe, vt oret in fide, nihil hæſitās. Talē enim habeat conſcientiā, quod confidat ſe eſſe de his de quibus dicitur: Quodcunq; petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis. Vnde in Eccleſ. Ante orationē prępara animā tuā, & noli eſſe ſicut homo, qui tentat Deum. Sit oratio pia, ne fiat in alterius detrimentū, ſicut qui orantes aliis maledicunt, dicentes: Deus tibi det diē malū. Sit oratio iuſta, ne pro temporalibus venalis fiat, nec etiā ſimpliciter temporalia petat, ſed tantum ea, quę ſunt ad ſalutē. Dicit enim B. Aug. Qui Deum petit, vt aliud aſſequatur, nō Deum quęrit, ſed quod adipiſci cōcupiſcit. Orādus eſt enim Deus in ſpiritu & veritate, id eſt, pro ſpiritualibus & veris bonis. Sit frequēs & aſsidua oratio. Vagę enim mētis eſt & inſtabilis, nō poſſe diu in oratione morari. B. Iacobus ex frequētia orationis calloſa genua dicitur habuiſſe. Et Dominus noſter in oratione pernoctauit. Et S. Bartholomęus centies in die & totiē in nocte genua ſupplicādo flectebat. Sit oratio perſeuerās, vt nō fatigemur animo, ſi ſtatim nō exaudiamur, ſed luctetur exēplo Iacob tota nocte cū Angelo. Nam vidua Euāgelica per importunitatē obtinuit apud iniquum iudicē, qui nec Deum timebat, nec hominē reuerebatur. Magna eſt efficatia orationis. Oratio enim Deū lenit, lachryma cogit, hęc vngit, iſta pungit. Orationibus B. Iacobi velut igne, dęmones ſuccendebātur: oratio Petrum eduxit de carcere, Danielē de lacu leonū, Cornelīū de infidelitate, Lazarū à monumento, filiā Cananęæ liberauit à dęmonio. Debemus igitur adorare Deū, ipſum honorādo, & eius maieſtati nos cum humilitate & reuerētia ſubſternēdo. Debemus orare ipſum pio affectu, vtriuſq; vitę neceſſaria pro nobis, & pro proximis noſtris poſtulādo. In ipſo etiā debemus gaudere, & in omnibus gratias agere, abſq; querela & murmuratione. Propterea Pſal. ait: Et exultauerunt filię Iudę propter iudicia tua domine. Animę enim per confeſsionē innouatę & purgatę, exultāt in domino, & diuina iudicia reuerētur & approbāt. Iuſtus enim dominus, & iuſtitias dilexit, ęquitatē vidit vultus eius. Et quoniā omnia nuda ſunt & aperta in oculis domini, qui ſcrutatur corda & renes, iudiciū eius nec fallere poteſt, nec falli. Siue ſit iudiciū diſcretionis, quo boni diſcernūtur à malis in prēſenti, merito & nō loco. De quo iudicio: Nūc iudiciū eſt mūdi. Et in Pſal. Iudica me Deus, & diſcerne

*Iſaiæ. 36.*

*De varia ſitu adorantium.*

*Iob 10.*
*Cant. 1.*

*De oratione.*

*Matth. 7.*
*Mar. 5.*
*Lucæ 4.*
*De multiplici oratione.*
*Apoc 8.*
*Dan. 13.*
*Exod. 14.*
*Heb. 5.*
*1. Theſ. 5.*
*Actuum 10.*
*Gregorius.*
*Ioan 9*
*Oportet quod oratio ſit pura*
*Lucæ 18.*
*Eccle. 35.*
*Quod oratio ſit humilis & quos habeat comites ieiunium & eleēmoſynam.*
*Quod ſit deuota oratio.*
*Matth 5.*
*Eccle 38.*
*Ioan 4.*
*Matth. 6.*
*Iaco. 1.*
*Ioan. 15.*
*Quod ſit oratio fidelis.*
*Eccle 18.*
*Quod ſit pia.*
*Quod ſit iuſta.*
*Auguſtinus.*
*Quod oratio ſit frequens & aſsidua.*
*Matth. 14.*
*Mar. 6.*
*Ioan. 6.*
*Lucæ 6.*
*Heb. 12.*
*Quod ſit perſeuerans.*
*Gene. 32.*
*Lucæ 18.*
*Et virtute & multiplici effectu orationis.*
*Actuum 12.*
*Dan. 14.*
*Actuum 10.*
*Ioan. 11.*
*Matth. 15.*
*Differētia inter adorationē & orationem.*
*1. Theſ. 5.*
*Heb. 4.*
*Iere. 17.*
*De multiplici iudicio, & primo de iudicio diſcretionis.*
*Ioan. 12.*

*De iudicio diffusionis & extæctationis.*
*Ioan.2.*
*Item 9.*
*1.Petri 4.*
*De iudicio correptionis & extremæ ventilationis*
*Matth.25.*
*Gene.11.*
*Iob.18.*
*Heb.13.*
*Ibidem.*
*Iacobi 2.*
*De iudicio assensionis.*
*Matth.19.*
*Rom.1.*
*Ioan.5.*
*De iudicio manifestationis.*
*De iudicio cõparationis.*
*De iudicio auctoritatis & de iudice, auctore, & reo, & aduocatis, assessoribus, testibus & tortoribus atque pœnarum instrumentis.*
*Rom.2.*
*2.Regum 1.*
*Matth.25.*
*Ioan.19.*
*Matth.5.*
*Isaiæ 3.*
*Matth.5.*
*Sap.5.*
*1.Cor.11.*
*De iudicio pœnitentiæ & exercitii.*
*De iudicio examinationis.*
*De iudicio suspitionis.*
*Sap.1.*
*Rom.14.*
*1.Cor.11.*
*De iudicio tentationis.*
*1.Tim.3.*
*Iob.39.*
*De apertis & occultis iudiciis.*
*Dan.3.*
*Quod gaudere debemus de iudiciis Dei & non murmurare in flagellis.*
*Augustinus.*
*Quod iudicium hic incipit à domo Domini.*
*1.Pet.4.*
*Ezech.9.*

causam meã de Gente nõ sancta. Siue sit iudiciũ discussionis, quo discutit merita singulorũ, de quo Propheta ait: Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo Domine. Siue sit iudiciũ exęcationis, de quo dicitur: Qui nõ credit, iam iudicatus est. Et iterũ: Ego in iudiciũ veni in mundũ, vt qui nõ vident, videãt: & qui vidẽt, cęci fiant. Siue sit iudiciũ correptionis, de quo Petrus in epist. cano. ait: Tempus est vt incipiat iudiciũ à domo Domini. Siue sit iudiciũ extremæ ventilationis. In quo Dominus quadrupliciter iudicabit, scilicet, diiudicãdo, discernẽdo, adiudicãdo, & abiudicando, siue cõdemnando. Erit igitur quadruplex iudiciũ. Primũ diiudicationis & discussionis, dicẽte Domino: Esuriui, & nõ dedistis mihi mãducare. Tunc cõfundentur linguæ gigantiũ, qui turrẽ Babel ædificauerũt, & loqui præ cõfusione nõ poterunt. Secundũ est separationis, quãdo diuidet agnos ab hœdis. Vnde B. Iob ait: Lapidẽ caliginis & vmbrã mortis diuidit torrẽs à populo peregrinãte. Lapis caliginis est diabolus obstinatus & cæcus, vmbra mortis, qui mortem, id est, diabolũ imitãtur. Hos diuidet torrens sentẽtiæ iudicij à populo peregrinãte, qui nõ habet hîc manentẽ ciuitatẽ, sed futurã inquirit. Tertiũ est adiudicationis & saluationis, sicut scriptũ est: Non damnabit eũ cùm iudicabitur illi. Et iterũ: Iudicare pupillo & humili, id est, ad honorem eorũ adiudica eis causam, cõferendo regnũ ęternũ. Quartũ iudiciũ est abiudicationis, reprobationis & cõdemnationis, sicut Apost. ait: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, id est, condemnabit. Et Apostolus Iacobus ait: Iudiciũ sine misericordia fiet illi, qui nõ fecit misericordiã. Erit præterea ibidẽ quintũ iudiciũ assessionis, scilicet, & approbationis, de quo dicitur: Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israël. Sextũ etiã iudiciũ erit ibi, scilicet, iudiciũ cõparationis, de quo in Euang. dicitur: Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & cõdemnabit eam. Erit prętęrea ibi septimũ iudiciũ attestationis in conscientiis singulorũ, testimoniũ reddẽte illis cõscientia ipsorũ, & inter se inuicẽ cogitationũ accusantium, aut etiã defendentiũ, in die cùm iudicabit Dominus occulta hominũ, sicut Apostol. ad Rom. ait. De hoc autẽ iudicio extremę ventilationis, dicit Dominus in Euang. Pater nõ iudicat quenquã, sed omne iudiciũ dedit filio. Quod intelligendũ est de iudicio manifestationis, quia solus filius apparebit in iudicio, non pater vel spiritus sanctus: alioquin iudicio authoritatis tota Trinitas iudicabit. In hoc igitur terribili iudicio Iudex est Dominus, qui falli non poterit, nec prece vel pretio à iustitia flecti, qui iudicabit absq; acceptione personarũ, à quo nõ poterit appellari, quia nõ habet superiorẽ, nec retractabitur sentẽtia postquã ab ipso profertur. Sagitta enim veri Ionathę nõ abibit retrorsum, sed penetrabit vsq; ad intima cordis, quãdo intonabit illud horribile verbũ: Ite maledicti in ignẽ æternũ. Ipse enim nõ solũ Iudex erit, sed insuper actor, dicendo: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis, arguã te, & statuã cõtra faciẽ tuam. Rei autẽ erunt illi, cõtra quos fiet disceptatio. Aduocati cõtra nos erũt, opera nostra mala, cùm dicetur: Ecce homo, & opera eius cum eo: & mandata Domini, quę transgressi sumus, arq; sermo diuinus cui cõtradiximus. De quo dicitur: Esto consentiens aduersario tuo, dum es in via. Insuper autẽ crux Christi allegabit cõtra impios, vulnera perorabũt, claui cõquerentur, cicatrices loquentur. Assessores autẽ erunt Apostoli & Apostolici viri, id est, perfecti. De quibus Isaias ait: Dominus ad iudiciũ veniet cum Senatoribus populi sui. Testes erunt cõscientiæ singulorũ: nemo enim reus, teste cõscientia, absoluitur. Tortores erunt ipsi dæmones, sicut scriptũ est: Ne fortè Iudex te tradat tortoribus siue ministris. Omnia etiã elemẽta erunt instrumenta pœnarũ, sicut in libro Sap. dicitur: Pugnabit pro eo orbis terrarũ cõtra insensatos. Vt autẽ in hoc iudiciũ nõ incidamus, iudicemus nosmetipsos in pręsenti iudicio pœnitẽtię & exercitij, de quo Apost. ait: Si nosmetipsos diiudicaremus, nõ vtiq; iudicaremur, id est, nõ cõdemnaremur. Cum omnẽ autẽ diligẽtia caueamus, ne in iudicio examinationis in causis deuiemus, de quo scriptũ est: Iustè iudicate, qui iudicatis terrã. A iudicio autẽ suspitionis, siue approbationis, vel improbationis in dubiis nobis caueamus. De quo Apost. Tu quis es qui iudicas seruũ alienũ? Vt nõ incidamus in iudiciũ mortalis peccati, de quo Apost. ait: Qui mãducat & bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit. Neq; in iudiciũ tentationis inimici, de quo Apost. ait: Vt nõ incidatis in iudiciũ diaboli. Non igitur debemus ante tempus iudicare, dum adhuc penna struthionis similis est pennæ herodij & accipitris, sicut dicitur in Iob: Nec dum enim plenè possumus bonos à malis discernere, & facilè potest homo decipi in iudicando. Iudicia autẽ Domini infallibilia sunt & iusta, & idcirco illis semper debemus cõsentire, nõ cõtradicęre, vel murmurare, sed exultare debẽt filiæ Iudæ, propter iudicia Domini, siue sint aperta, vt ea cognoscamus, siue occulta, vt ratione eorum attingere nequeamus. Iudicia enim Dei abyssus multa. Palpebrę eius interrogãt filios hominũ, id est, iudicia eius, quę aliquãdo claudũtur, vt sint occulta, aliquãdo aperiũtur, vt sint manifesta, interrogãt filios hominũ, id est, discernũt bonos à malis. Mali enim occulta blasphemãt, aperta cõtemnunt. Boni autẽ vtraq; venerãtur & exultãt in illis, sciẽtes q, iustissima sunt Dei iudicia, recta & vera, qui nõ potest falli vel errare in discernẽdo, in discutiẽdo, in corripiẽdo, in condemnãdo. Et si enim flagellat hîc iustos, nõ debemus murmurare, nec iustitiã feriẽtis accusare. Adhoc enim in pręsenti flagellat, vt in futuro parcat. Malos aũt prosperari permittit in hoc seculo, vt acerbius, peccatis eorũ exigẽtibus, puniãtur in futuro: vnde B. Aug. super hunc locũ Psal. Donec fodiatur peccatori fouea, ait: Fouea peccatorũ est felicitas peccantiũ. Qui quãtò amplius videntur ascẽdere, tãtò profundius descẽdunt. Tempus est igitur, teste B. Petro, vt incipiat iudiciũ à domo domini. Si autẽ à nobis, quis finis eorũ, qui nõ credũt Dei Euãgelio? Et si iustus vix saluabitur, impius

impius & peccator vbi parebũt? Et Dominus in Euang. ait: Si in viridi hoc faciũt, in ſicco quid fiet? Et Apoſtolus ad Theſſ. Gloriamur in perſecutionibus veſtris, quas ſuſtinetis in exemplũ iuſti iudicij Dei. Super hoc B. Auguſtin. ait: Preſſuras ſanctorũ dicit eſſe iuſtũ iudicium Dei, vt intelligaris quod nõ parcet impiis, tanquã ſarmẽtis prẽciſis ad cõbuſtionem, ſi nõ parcit electis tanquã palmitibus, electis ad probationẽ. Vnde Dominus per Ierem. ait: Ecce in ciuitate in qua inuocatũ eſt nomen meum, incipio affligere, & vos innocentes eritis. Et iterum: Ecce quibus nõ erat iudicium bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris? Flagellat igitur Dominus bonos in prẽſenti ad correptionẽ & purgationẽ. Vnde Ieremias: In manu forti erudiuit me Dominus ne irem in via populi huius. Malos autẽ ad bonorum caſtigationẽ, vt lauet iuſtus manus ſuas in ſanguine peccatorum. Vnde in Parab. dicitur: Mulctato peſtilente, ſapiẽtior erit paruulus. Sicut enim catulus verberatur cotã leone, vt leo metuat, ita plerunq; leo percutitur coram catulo, vt catulus caſtigetur. In omnibus autẽ his lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictã & iudicium Domini, ſiue ad correptionẽ ſiue ad vindictã & cõdemnationem. In quo iuſto Dei iudicio pœna reſpõdet culpæ, ſecundum quantitatẽ, quia maiori peccato maiorẽ infligit pœnam. Sicut ſcriptum eſt in libro Sapien. Iudicium durum fiet his qui prẽſunt, potentes potenter tormenta patiẽtur. Secundum qualitatẽ, vnde peccatum luxuriæ igne & ſulphure punitur, propter ardorẽ & fœtorẽ. Vnde ſcriptum eſt in Gen. Pluit Dominus ſuper Sodomã & Gomorrã ſulphur & ignẽ. Secundum modũ vnde in membris, quibus magis peccat homo, magis punitur, ſicut ſcriptũ eſt de diuite epulone in Euãgelio, quod cruciabatur ſiti, & torquebatur in lingua. Quantũ ad numerũ, quia nullũ peccatũ remanet impunitũ: oportet enim quod vniuerſum reſtituat debitũ, vſq; ad nouiſsimum quadrantẽ, vt in Euang. dicitur. Omnes enim, teſte Apoſt. aſtabimus ante tribunal Iudicis, vt recipiat vnuſquiſq; prout geſsit in corpore, ſiue bonũ, ſiue malum. Et iterum Apoſt. ait: Reuelabitur ira Dei de cœlo ſuper omnẽ impietatẽ & iniuſtitiam hominũ. Non enim ſolũ ſuper omnes impios, ſed ſuper omnẽ impietatem, quia nullũ peccatum erit inultum. Et ad Hebr. ait: Omnis præuaricatio, & inobediẽtia accipiet iuſtã retributionem mercedis. Præuaricatio, quantũ ad cõmiſſa: inobediẽtia, quantũ ad omiſſa. Iuſtã retributionem, vt nunquã careat ſupplicio, qui nunquã voluit carere peccato, & qui peccauit in ſuo æterno, in æterno Dei puniatur. Iuſtum enim eſt, vt cuius vita moritur in peccatis, eius mors viuat in pœnis. Lætabitur igitur iuſtus cùm viderit iuſtiſsimã vindictã, & exultabũt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine. Qui autẽ cõtra Dei iudicia murmurãt, quid aliud quàm eius iuſtitiã arguunt & accuſant? Propterea in Eccleſ. dicitur: Præcordia fatui quaſi rota carri. Et in libro Sap. Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt. Et Apoſt. ait: Neq; murmuraueritis, ſicut quidã ex ipſis in deſerto murmurauerunt, & à ſerpẽtibus perierunt. Qui enim cõtra Dei iudicia murmurant & obloquuntur, malignis ſpiritibus corrodẽdi traduntur. Vnde Iſa. ait: Væ qui cõtradicit factori ſuo. Et in Eccleſ. dicitur: Non iudices cõtra Iudicẽ, quoniã quod iuſtum eſt, iudicat. Nolite extollere in altũ cornu veſtrum, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatẽ. Propterea Salomõ in Eccleſiaſte ait: Ne temerè quid loquaris, nec cor tuũ velox ſit ad proferendũ ſermonẽ coram Domino, Deus enim in cælo eſt, & tu ſuper terrã. Et iterũ: In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia aues cœli portabunt vocẽ tuã, & qui habet pennas annũciabit ſententiã. Regi igitur, id eſt, Deo, nõ debemus detrahere, nec aliquid iniquũ contra eum in corde cogitare. Nec in ſecreto cubiculi noſtri, id eſt, in cõſcientia debemus maledicere diuiti, id eſt, viro ſpirituali, virtutibus & bonis ſpiritualibus ditato. Multũ enim peccãt, qui cõtra Prælatos murmurãt, & eos infamãt. Melius eſt enim nomẽ bonũ, quàm diuitiæ multæ. Quod dicitur maximè de Prælatis, propter ædificationẽ proximorũ. Aues autẽ cœli, id eſt, Angeli ſancti in ſuperioribus cõmorantes, portabunt vocẽ murmurationis tuæ ante Dominũ, vel etiã maligni ſpiritus accuſantes te. Et qui habet pennas annunciabit Domino ſententiã tuã iniquã. Angeli pennas habent virtutũ: pennati etiã dicuntur, propter velocẽ diſcurſum. Quantũ autẽ ſit vitiũ murmurationis, patet ex Maria ſorore Moyſi, quæ licẽt Prophetiſſa eſſet, quia tamen cõtra Moyſen murmurauit, lepra percuſſa eſt. Quidã enim peccatores abſcõdunt ſe à Deo, hi qui peccata ſua cõfiteri erubeſcunt. Quidã fugiunt ab eo, hi ſunt, qui quaſi deſperantes eum inuocare nolunt. Qui autẽ cõtra Deũ murmurant, & eius iudicia blaſphemãt, ipſi cõtradicunt, & eum impugnãt. Exultent igitur filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine. Animæ, ſcilicet, ſanctæ per confeſsionẽ innouatæ. Confeſsio enim & cõfeſsionis filia, pulchritudo in cõſpectu Dei ſunt, id eſt, cor mundant, vt Deum conſpiciamus, & portas eius in confeſsione introeamus. Iudas enim, id eſt, confeſsio, ſicut in Geneſi dicitur, adducit Ben-iamin ad Ioſeph, id eſt, filium dexteræ ad Chriſtum. Si enim Regina Saba, quæ captiua interpretatur vel conuerſa, dicat Salomoni quæcunque habet in corde ſuo per cõfeſsionem, verus Salomon omnibus quę dixerit reſpondebit per indulgentiam, & ſecreta iudicia ſua illi manifeſtabit, vt poſsit dicere: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, qui iudicas ſine acceptione perſonarum.

*Parab. 11.* *Luc. 23.* *2. Theſſ. 1.* *Auguſtinus.* *Ierem. 25.* *Item 49.* *Item 8.* *Parab. 22.* *Simile.* *Quod pœna multiplicitur reſpondet culpæ.* *Sap. 6.* *Genes. 19.* *Luc. 16.* *Matth. 5.* *Luc. 13.* *Rom. 14.* *Item 1.* *Heb. 2.* *De iuſtitia pœnæ æternæ.* *Contra murmurantes.* *Eccle. 33.* *Sap. 1.* *1. Cor. 10.* *Iſaiæ 45.* *Eccle. 8.* *Eccle. 5.* *Parab. 22.* *Num. 12.* *De filiabus Iudæ, id eſt, confeſsionis.* *Genes. 43.* *3. Reg. 11.* *Actuum 10.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epiſtola ad Romanos.

*Nolite ſapientes eſſe apud vosmetipſos: nulli malum pro malo reddentes.* *Rom. 12.*

*De conseruatione pacis & supportatione infirmorum.*
*Ephe.4.*
*1.Petri 2.*
*Matth.1.*
*Matth.5.*
*Apoc.22.*
*Exod.16.*
*Quod multis modis pacem obseruare debemus.*
*Rom.12.*
*Parab.25.*

IN hodierna Epistola principaliter nos intēdit Apostolus exhortari, vt seruemus vnitatē spiritus in vinculo pacis, vt infirmos supportemus, malos toleremus, cum omnibus, quantū in nobis est, pacē habēdo: nō tantum cum bonis, sed cum malis & discolis, & cum his qui oderunt pacē, simus pacifici, sicut legimus in Euang. quòd Domino ieiunāte in deserto, bestiæ erāt iuxta illum, & ipse habitabat cum illis. Nō enim sufficit homini quod sit bonus in se, sed oportet quod de proximis curā habeat, prouidēdo bona, nō tantùm corā Deo, sed etiā corā hominibus, vt si ardet, luceat: & si audit, dicat veni, & cortina cortinā trahat. Qualiter autē hanc vnitatē & pacē cōseruare poterimus, multipliciter ostēdit. Primò, vt nō simus prudētes apud nosmetipsos. Secundò, vt nulli malum pro malo reddamus. Tertiò, quod maius est, vt nosmetipsos nō defendamus. Quartò quod omnibus prędictis perfectius est, vt bonū pro malo reddamus, inimicum nostrum, si esurit, cibādo: si sitit, potum dādo. Sic enim nō vincemur à malo per impatientiā, sed in bono vincemus malum, carbones ignis & dilectionis cōgerendo super caput eius, id est, in mentē eius, quē amicum meum facio ei seruiēdo, & malum in ipso extinguēdo, quod si in malitia sua remānserit, carbones ignis ętterni cōgeruntur super caput eius. Dominus enim vltionem adducet & retribuet abundāter faciētibus superbiā. Mihi vindictā & ego retribuā, dicit Dominus. Quasi diceret: Noli turbari vel esse solicitus, ego qui maior sum & potētior in cognatione tua, vindicabo iniuriā, nō solum tibi, sed & mihi, qui pater tuus sum, illatā. Acerbius autē vindicabo quàm tu posses vel scires vindicare: esto securus, & sis in pace. Vt igitur Christi seruus vnitatē Ecclesiæ, scilicet, tunicā Domini inconsutilē nō scindat, & cum omnibus, quātum in se est, & pacē habeat, nō sit sapiens apud semetipsum, si habet sālē in se, & pacē habeat, nō alta sapiēs, sed humilibus cōsentiens. Non quærēs quæ sua sunt tantùm per sapientiā suā, sed eam ad pacē & ædificationē Ecclesię cōuertat. Sapiētia enim huius mundi, quę stultitia est apud Deum, cum aliorum scandalo vel detrimēto proprium quęrit cōmodum, quę nō propriè dici potest sapientia, sed malitia vel astutia. Tales enim homines, qui nō sapiunt nisi mundum, filij, scilicet, tenebrarum, qui in tenebris vidēt, & de die excæcātur Solis splendorē, nō valētes sustinere malitiosi & versuti, seu versipelles vero nomine appellātur: vnde & diabolus pater eorū mille-artifex appellatur, eò quòd mille habeat artes fallendi. Sapientes igitur huius seculi, qui sapiētes sunt vt faciant mala, de quibus Dominus: Perdam sapientiā sapientum, & prudentiā prudentum reprobabo. Sapientes sunt apud semetipsos, habentes mille artes fallendi, vt possint ditari, & facere diuitias non cum iudicio. Thesaurizantes in terra vbi fures effodiunt & furantur, vbi ęrugo & tinea animas eorum cum thesauris demolitur. Student autem modis quibus possunt in mundo florere, magni apparere, superiores aliis videri, dignitatibus & honoribus ampliari, vnde alios cōculcare satagunt & deprimere, vt maiores omnibus possint apparere, inuicē mordentes, & inuicē detrahētes, ad vltionem & vindictā proni, ad ignoscendum pigri. Isti pacem cum proximis nō habent, quia qui se iactat & dilatat, iurgia concitat, sicut dicitur in Parabolis. Sapientes etiā secundum carnem, nec cum iumētis suis, nec cum proximis possunt habere pacem. Iumentū corporis, quia indomitū est, calcitrat. Qui enim delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet contumacem. Teste enim Salomone in Parabolis: Per stultum cùm fuerit, cibo mouetur terra. Sapientia enim carnis mors est, & inimica Deo. Tales igitur homines, qui sapientes sunt secundum carnem, teste beato Iob, sterilem pascunt, & viduæ non benè faciunt. Carnem, scilicet, sterilem impinguant, & de anima à Christo viduata non curant. Sapientes sunt apud semetipsos corpus suum cum magno studio lautis cibariis procurantes. Medicos corporis libentius quàm Medicos animarum consulentes, non quę Dei sunt sapiunt, sed quæ carnis. Vox Domini in Euangelio, Vigilate: vox istorum, Dormite: vox Domini, ieiunate, flete: vox istorum, māducate, ridete. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Vox Domini: Surge qui dormis: vox istorum, dormi, cur surgitis? Vox Domini: Quid hic statis tota die otiosi? Vox istorum, *Ocia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.*

*Gala.5.*
*Parab.28.*
*De sapientia carnis.*
*Item 29.*
*Item 30.*
*Rom.8.*
*Iob.24.*
*1.Cor.2.*
*Mar.13.*
*Ioël 2.*
*Isaiæ 22.*
*Ephe.5.*
*Matth.20.*
*Phil.3.*

Hi enim Epicuri, inimici crucis Christi, quorū Deus venter est, quorū omnis vsus, aut in ventre aut sub ventre, qui ita contrarij sunt Christo, quomodo pacem cum membris eius habere possunt? Abominantur enim Ægyptij oues, mundani simplices, superbi humiles, gulosi abstinentes. Vnde Salomon in Parabolis ait: Detestantur stulti eos qui fugiunt mala. Et iterum Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Vbi autem saturitas fuerit & ebrietas, ibi rixæ & contentiones. Teste enim Sapiente in Ecclesiastico: Vinum multum potatum, irritationem & iram & ruinas multas facit. Sunt alij homines apud semetipsos sapientes, elati in sapientia sua, & alios cōtemnentes. De quibus Isaias Propheta: Vę qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vosmetipsis sapientes. Primus enim stultitiæ gradus est, iniri sapiētiæ suæ, & se sapientiorē aliis reputare: vnde Salomō in Parabolis: Vidisti hominē sibi sapientē videri, magis illo spem habet stultus. Ille, scilicet, stultus de quo dicit Apostolus ad Corinth. Si quis videtur apud vos sapiēs, stultus fiat, vt sapiens sit. Propterea dicit hoc, quia quod stultum est Dei in reputatione secularium, sapiētius est hominibus. Et ad Rom. aiit: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et Ieremias de talibus ait: Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis & thesauris tuis, tu quoq; capieris. Et quoniā scriptum est: Non gloriatur sapiens in sapiētia sua, isti vnicornes & elati, quos sapientia inflat & charitas nō ædificat, in quorum multa sapientia, multa est indignatio, quia inaniter gloriantur, & in sapientia apud semetipsos

*Parab.26.*
*1.Cor.3.*
*Roma.1.*
*Ieremi.48.*
*Item 9.*
*1.Cor.6.*
*Eccle.1.*

semetipsos attolluntur, quidquid cõgregare conãtur à vento elationis exsufflatur. Isti autẽ pacem cum proximis habere non possunt, quos idiotas reputantes despiciunt, & eorũ infirmitati nõ condescẽdunt, nec dicunt cum Apostolo. Nihil reputaui me scire inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Inflati sunt, vt ait Augustinus: non pleni. In carne crepant, in corde mendicant. De talibus dicitur in Iob: Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitãs, attonitos habes oculos. Teste autẽ Salomone: Qui altã facit domum suam, quærit ruinam. Hi igitur apud semetipsos prudentes quasi furiosi gladiũ in manu portantes, clauẽ scientiæ habẽtes, nec ipsi intrantes, nec alios sinentes intrare, quia sapiẽtia sua abutuntur, quos ædificare debuerãt, potius scandalizãt. De quibus Apostolus ad Corinthios: Si quis se existimat scire aliquid, nõdum cognouit, quẽadmodum oporteat eũ scire. Sunt alij homines apud semetipsos sapiẽtes, qui talentũ sapiẽtiæ suæ, dum proximis erogare cõtemnunt, in sudario inuoluũt. Et quia sapientiam suam priuatã habere volunt, iusto iudicio priuãtur ea, sicut Dominus in Euangelio dicit. Ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. Qui nõ habet, scilicet, sicut habere debet ad ędificationẽ proximorũ. Qui enim abscondit frumentũ, maledicetur in populis, benedictio autẽ super caput vendentiũ. Propter quod dicitur in Eccles. Sapiẽtia abscõdita & thesaurus inuisus, quę vtilitas in vtrisq;? Et iterũ: Bona abscõdita in ore clauso, quasi appositiones epularũ circũposito sepulchro. Anima autẽ quæ alios impinguat, ad Domino impinguabitur, sicut ait Dauid in Ps. Os meũ aperui, & attraxi spiritũ. Et Salomõ in Parab. Qui dulcis est, eloquia maiora percipiet. Et iterũ: Deriuẽtur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide. Isti autẽ canes muti nõ valentes latrare, quorũ lingua adhæsit faucibus suis, quomodo de pace proximorũ curãt, qui veritatẽ Dei in iustitia detinẽtes per sapientiã & exhortationẽ eos Domino recõciliare nõ curãt, cũ dicat Apostolus in hodier. epist. Si esurierit inimicus tuus, cibũ da illi: si sitit, da illi potũ. Maius est autẽ pascere animas in ęternũ victuras, quã vẽtres in proximo perituros. Secũdo modo pacẽ cum proximis seruare studeamus, vt nullũ malũ pro malo reddamus. Quatuor enim sunt genera hominũ à scinuicẽ differentium. Quidã malũ pro malo reddũt, & isti mediocriter mali sunt. Quidã malũ pro bono reddũt, & isti pessimi. Alij bonũ pro bono, & isti mediocriter boni. Alij bonũ pro malo, & isti perfecti. Qui autẽ malũ pro malo reddũt inimicꝰ suo, vires pręstãt, & quẽ destruere debuerũt, vt crescat & maior fiat, procurãt. Natura enim hominis quæ bona est, & à Deo creata, nõ est inimica nostra, sed nocentis malitia, quæ maior efficitur dũ malũ pro malo redditur. Si autẽ reddamus pro malo bonũ, plerunq; hostẽ nostrũ perimimus, dum malitiã in homine destruimus, quẽ ad diligendũ nos prouocamus, & hoc est optimũ genus vindictę, scilicet, inimicũ suũ destruere. Nõ igitur debes ignẽ, quo succẽditur domus vicini tui augmentare, sed magis pro posse tuo destruere. *Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.* Vnde in Eccles. dicitur: Non litiges cũ homine linguato, & nõ strues in igne illius ligna. Dum ergo furor in cursu est, & ignis iracũdię succensus est, debemus proximũ potius leui verbo placare quã verbis contumeliosis exasperare. Teste enim Salomone: Lingua mollis cõfringet duritiã. Et iterũ: Respõsio mollis frãgit irã, & sermo durus excitat furorẽ. Nõ ergo respõdendum est stulto iuxta stultitiã. Teste enim Sapiẽ. in Eccles. Verbũ dulcis multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et iterũ: Nõne ardorẽ refrigerabit ros? sic & verbũ melius quã datũ. Non ponamus igitur corã Deo offendiculũ, nec verbo nostro scandalizemus proximũ. Scriptũ est enim in Exodo: Si quis percusserit mulierẽ prægnantẽ, & abortiuum fecerit, si mulier mortua fuerit, qui percussit, reddat animam pro anima. Et bos cornupeta lapidibus obruebatur in lege. Vnde Augu. Qui vult nocere proximo, similis est illi, qui vult primũ percutere gladio, & prius seipsum trãsuerberat, & ita prius perimit seipsum, & incidit in foueã quã fecit, & Aman suspẽditur patibulo, quod parauerat Mardocheo, & Golias interficitur ptoprio gladio, sicut scriptũ est: Gladius eorũ intret in corda ipsorũ. Tertio modo debemus pacẽ cũ proximis habere, scilicet, vt nos non defendamus, sed debemus locũ irę, quod est maius quã malũ pro malo reddere, quia licẽt vim vi repellere incõtinenti cũ moderamine, tutius tamẽ & perfectius est, patiẽter sustinere, & se nõ defendere, facile enim dũ vis repellitur, modus exceditur. Et plerumq; non tã amore iustitię, quã liuore vindictę animus cõcitatur, nõ tã vt iniuriã repellat, quã vt vicẽ repẽdat. Scriptũ est autẽ in Eccles. Qui vindicari vult, à Domino inuenit vindictã. Et iterũ: Relinque proximo tuo nocẽti te, & tũc deprecãti tibi peccata soluẽtur. Homo homini seruat iram, & à Deo quęrit medelã? Qui enim ad illatã iniuriã incãdescit, similis est scorpioni, qui calcatus venenũ fundẽdo pũgit, hos autẽ à quibus nõ lędimur, liberè permittit abire. Quia igitur tripliciter cõtingit molestiã inferri nobis ab iniquis, scilicet, cõtumelia verbi, dãno rei tẽporalis, & lęsione proprij corporis cõtra triplicẽ iniuriã, triplicẽ opponamus patientiã. Plus enim debemus animam proximi diligere, quã rẽ temporalẽ, vel proprij corporis vitã. Teste enim Salomo. Qui negligit damnum propter amicum, scilicet Christum, hic iustus est. Et idem dicit: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Et rursus: Doctrina viri per patiẽtiam dinoscitur. Vnde beatus Gregorius ait: Quãti meriti vnusquisq; apud Deum existat, illati verbi contumelia probat. Quarto modo, cum proximo pacem habere debemus, scilicet, vt pro malo bonum reddamus, quod magis est omnibus prædictis, & pertinet ad summæ perfectionis. Et in hoc valdè meremur, quia naturæ nostræ quasi apertam violentiam facimus, secundum consilium Domini in Euangelio: Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram.

1. Cor. 8.

Iob. 35. Parab. 18.

Rom. 12. Matth. 24. Lucæ. 11. 1. Cor. 7.

*De his qui abs secundum sapientiam.*

Matth. 25. Lucæ 19. Item ibidem. Parab. 11. Eccle. 20. & 41. Item 30. Parab. 11. Item 16. Item 5. Isaiæ 50.

Rom. 12.

*Augustinus.*

*De non reddentibus malum pro malo.*

Eccle. 8.

Parab. 25. Item 15. Eccle. 6. Item 18. Leui. 19.

Exod. 21.

Hester 6. 1. Reg. 17.

*De tertio modo conseruandi pacem cum proximis.*

Eccle. 28. Item 28.

*De triplici patientia contra triplicem iniuriam.*

Parab. 12. Item 16. Item 19.

*De quarto modo conseruandi pacem.*

*Matth.5. Pavab.25. De pace & pacis commendatione.*

Si quis abstulerit tibi pallium, dimitte ei & tunicam. Similiter & Apostolus in hoc loco recitans verba Salomonis ait: Si esurierit inimicus tuus, cibum da illi: si sitit, da illi potum. Prædictis igitur modis vnitatē & pacem cum proximis habere debemus. Dominus enim vt ostenderet, quantum pacem diligeret, natus est, mundo existente in magna pace. Mundus autem ingressus pacē intulit. Vnde & mediator dictus est: Pacis etiam præcones Angelos sanctos fecit, dicētes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, bonę volūtatis. Moriturus pacē, quasi in testimonio reliquit. Pacem, inquit, meā do vobis, pacē relinquo vobis. Resurgens pacē discipulis retulit, dicens eis: Pax vobis. Memento igitur vt diem sabbati sanctifices. Israēl enim sabbatum accepit in munere. Ægyptus autem percussa est ranarum & muscarum multitudine.

*Luc. 2. Ioan. 14. Item 20. Exod. 20. Item 8.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Matthæum,

*Matth. 8.* *Cùm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.*

*Quod verbum Domini comparatur sagittis. Iob 40.*

SAGITTAE tuæ acutæ populi sub te cadent. Sagittæ Domini acutæ sunt verba sacræ scripturæ, quæ penetrant & vulnerant corda auditorum. Quidam tamen ita duri sunt quod his sagittis penetrari non possunt: vnde dicit Dominus in Iob de Behemoth. Corpus eius quasi scuta fusilia. Hi sunt homines reprobi, qui velut scutum fusile sagittas à se repellunt, citò transfiguntur cùm cadunt. Scutum autem ductile facilius penetratur, sed non de facili frangitur. Has sagittas acuit vita bona prædicatoris, nam cuius vita contemnitur, eius prædicatio respuitur. Et sagittæ eius tanquam obtusæ, & sine acumine repelluntur. Sit igitur prædicator potens in opere & sermone, quia sagittæ potētes acutæ. Has sagittas valdè exacuit memoria Dominicæ passionis: dum enim sermo crucis & mortis Domini inseritur, quasi calibe clauorū eius sagittæ acuuntur, vt dura corda penetrent, & igne charitatis eius accenduntur, vt frigidas calefaciāt, sicut scriptū est: Sagittas suas ardentibus effecit, id est, de ardentibus & ignitis eloquiis, sagittas suas fecit, vt accendant & vulnerent corda hominū. Sagittæ enim paruulorū, id est, humiliū Apostolorū & aliorū Doctorū, factæ sunt plagæ eorum. Hæ sagittæ indirectum volant, quando verba prædicantiū à rectitudine veritatis nō deuiant. Tunc enim, vt velociter & rectè incedant pennatæ sunt, & quasi duabus alis charitatis volant, quādo non pro questu temporali, sed pro dilectione Dei & proximi Prælati prędicant. Ferratę autē sunt, quando verbū veritatis cōstanter affirmāt, & verbis suis benè viuēdo pondus adiiciūt, sicut scriptū est in Eccles. Verbis tuis facito staterā. Et iterū: Verba prudentiū statera ponderabūtur. Qui autē dicūt & nō faciūt, sagittę eorū intrant in corda ipsorū, & fiunt eis vasa mortis, & arcus diuinę scripturę fit eis quasi arcus dolosus, qui sagittas retorquet in mittentē. De Ionata autē dicit Dauid in lib. Regū: Sagitta Ionathę nunquā abiit retrorsum, & gladius eius nō reuersus est inanis. Hi sunt veri prędicatores, qui dicūt & faciūt. Vnde Dominus in Isa. de verbo suo ait: Non reuertetur ad me vacuū, sed faciet & prosperabitur: filij autē Effrem intēdentes & mittētes arcū, cōuersi sunt in die belli, & ideò sagittæ eorū abierunt retrorsum. De sagittis autē quę nō abierūt retrorsum dicit Dominus: Inebriabo sagittas meas sanguine, quia sanguinē peccati fundūt, & gladius meus deuorabit carnes, id est, carnalitatē peccatorū, sicut in Ezech. dicitur: Gladius exacutus est & elimatus: vt scindat victimas, exacutus est: vt splēdeat, elimatus est. Exacuitur enim vt resecet ad emundationem, Elimatur vt splendeat ad illuminationem. Hæ sagittæ potentis acutæ eliciuntur ex arcu diuinę scripturę, in qua per molle flectitur durū, scilicet, rigor veteris testamēti per nouū. Cornua huius arcus, id est, cęremonialia in veteri testamēto mobilia sunt. Mediū autē quod manu operationis tenetur, immobile est, scilicet, pręcepta moralia. De hoc arcu dicit B. Iob: Arcus meus in manu mea instaurabitur. Quod fit, vt ait B. Gregorius, quādo id quod de sacro eloquio cognoscitur, benè viuendo cōpletur. Et verus Isaac dicit ad quemlibet prædicatorem: Tolle pharetrā & arcū, & egredere foras, & affer mihi de venatione tua. Arcu enim diuinę scripturę, & sagittis verborū Dei, bestię, id est, bestialiter viuētes, debēt occidi. Et in Genesi dicitur: Ponā arcū meū in nubibus cœli. Hæc est diuina scriptura, quæ fit ex radiis veri Solis, & in nubibus Prophetarū & Apostolorū variis sententiis, tanquā diuersis coloribus resplendēs. Igneus color terror est cōminationū. Aqueus blandimēta promissionū: vnde in Eccles. Vide arcū & benedic qui fecit istū, valde speciosus est in splēdore suo, scilicet, cùm spiritualiter diuina scriptura intelligitur. Orate igitur Dominū, vt sagittæ eius acutæ hodie penetrent, & salubriter vulnerēt corda auditorū. Cùm descendisset Iesus de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, &c. Dominus noster descēdit, leprosum supplicantē manu tangēs, à lepra mundauit, præcepit vt nemini diceret, sed se ostendēs sacerdoti, munus secundū legē offerret, sed ad seruū Centurionis ire voluit, qui tamen ad filiū Reguli ire recusauit. Notate verba, pensate mysteria. Ex verbis enim Euāgelicis & operibus Christi multipliciter instruūtur hi qui docti sunt à Domino, elicere nucleum de testa, butyrū de lacte, medullā de cortice, mel de petra, oleū de saxo durissimo. Cùm descēderet Iesus de mōte cœlestis altitudinis, humiliādo se per incarnationē, secutę sunt eū turbę multę, quæ priùs ad ipsum nō poterāt attingere in diuinitatis celsitudine. Postquā verò in terris visus est, & cū hominibus cōuersatus est, secutę sunt eū turbæ multę per imitationē, nō solū passibus corporis, sed passibus fidei post ipsum abeūtes. Descēderat Dominus priùs multis modis & in

*Luc. 24. De acutione sagittarum.*

*De pennis sagittarum.*

*Eccle. 27. Matth. 23.*

*2. Reg. 1.*

*Deut. 32. Ezech. 21.*

*De arcu diuinæ scripturæ. Iob. 19.*

*Gregorius.*

*Gen. 27.*

*Matth. 8. Mar. 1. Luc. 5.*

*Ioan 4. Deut. 32. De descensu Christi per incarnationem. Baruch. 3. De multiplici descensu Domini ante incarnationem.*

variis figuris, pauci tamẽ secuti sunt eum, quia nondũ descẽderat, assũmẽdo humanã naturã, vt nobis assimilaretur, vt fieret secũdus Adã quasi vnus ex nobis, nec nostras assumpserat infirmitates, vt nobis adeò cõpateretur, quod ad nos subleuãdos quasi in lutũ descẽdens, inclinaretur. Nec dum talẽ habebamus Pontificẽ, qui per experientiã sciret cõpati infirmitatibus nostris. Descenderat primò in Angelis hospitatus cũ Abrahã, & luctatus cũ Iacob. Secũdò descẽderat figuraliter in Patriarchis, in quibus ostendit, quæ postmodũ in se adimpleuit. Tertiò descenderat in igne, quãdo Moysi in rubo apparuit. Quarto descẽderat in tonitruo, & in voce tubę, & coruscatione, quãdo Iudęis in mõte Syna legẽ dedit. Quintò, in columba nubis & ignis, quãdo filios Israẽl in deserto prȩcesit. Sextò, quãdo Moyse existẽte in foramine petrę trãsiit corã ipso, & eius posteriora vidit Moyses, prȩuidẽs, scilicet, eius incarnationẽ. Septimò descẽdit trans siens coram Elia in sibilo tenuis auræ. In pace enim & tranquilla conscientia factus est locus eius. Octauo descendit & apparuit Ezechiẽli Prophetæ in specie electri ex auro, scilicet, diuinitatis, & argento humanitatis. Nonus descensus fuit, quando Isaiæ Prophetæ, sedens super solium excelsum apparuit. Decimò descendit, ostendens se in sanctis viris, sicut in Iosue per quem filios Israẽl in terram promissionis introduxit, & in iudicibus per quos populum iudicauit. In Regibus, in quibus ipse regnauit, in Prophetis, in quibus locutus est, & in quorum manibus assimilatus est, in Pontificibus in quibus eius Sacerdotium præfiguratum est. Omnia enim contingebant eis in figura. Hi autem decem descensus præfigurati sunt in horologio Achas, in quo decem gradibus descenderat vmbra, & per totidem ascendit, vt esset Regi Ezechiæ in signum. Per decem enim gradus vmbra ascendit, dum Christus prædictas figurarum vmbras in se compleuit. Nondum tamen secutæ sunt eum turbæ multæ, nec sanatus est mundus leprosus, variis, scilicet, peccatorum maculis respersus, donec vetus Elizeus incurauit se super puerum factus puer pro nobis, & ita puer mortuus, id est, genus humanum septies oscitando, scilicet, per septiformem spiritum inspiratus reuixit. Descẽdit Angelus magni consilij in piscinam, & commouit aquam, scilicet, populum ad compunctionem, & sanatus est infirmus. Iuxta illud: Commouisti terram & conturbasti eam, sana cõtritiones eius, quia commota est. Dominus noster ad literam aliquando ascendebat in montes sursum, aliquando descendebat in planitiem, vel in vallem deorsum, vt nos aliquãdo spiritualiter ascendere, aliquando descendere doceret. Sicut scriptum est: Ascendunt montes & descendunt campi. Ascendunt sancti, vt sint mõtes per eminentiã. Descendũt vt sint campi per rectitudinẽ & vitæ ęquitatem seu ęqualitatẽ. Ascẽdit Dominus in montes, vt paucos discipulos doceret. Paucis enim reuelãda sunt secreta cœlorum, & arcana scripturarum. Bestia enim quæ tetigerit montem, lapidabitur. Deorsum verò Dominus leprosum sanauit, turbas non similigineo pane, sed ordeaceo rudes instruendo pauit. Ascendit in montem, vt solus oraret, vt nos in oratione sursum corda ad Dominum habere, & à tumultu recedere doceret. Legem dedit in monte, vt nos in eminentia bonę vitę & intelligentię, remoti à strepitu seculari debeamus legẽ eius accipere. In monte transfiguratus gloriã suã ostendit, quã qui volunt videre, nõ in infimis voluptatibus iaceant, nec terrenis cupiditatibus adhęreat. Recedẽres enim à Domino teste Ieremia in terra scribentur, firmiter terræ adhæreno, sicut incaustũ pergameno. Sed cõuersatio eorũ in cœlis, sit ęternorũ desiderio, & suspendiũ eligat anima eorũ. In mõte Syon in alto cœnaculo Dominus cũ discipulis suis Pascha celebrauit, vt nos per hoc instrueret: ascensiones in corde nostro disponere, & quę sursum sunt, quærere, nõ quę super terrã, & in eminẽtia virtutũ, & sanctæ cõuersationis ad ipsum transeundo Pascha celebrate, & cum ipso spiritualiter cœnare. Sicut scriptum est: Lętifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Dominus prętereà in monte Oliueti ascendens, sursum eleuatis manibus ferebatur in cœlum. Et nos ipsum sequendo, consilio Ieremiæ corda nostra cum manibus, id est, bonis operibus leuemus in cœlum, & vbi est thesaurus noster, ibi sit & cor nostrum. Oculi enim sapientis in capite eius. Assumamus pennas sicut aquilæ, de qua Dominus in Iob ait: In arduis ponit nidum suum, in petris maner, & in præruptis silicibus commoratur, atque in accessis rupibus inde contemplatur escam. Ascendamus in montẽ Abarim, qui interpretatur mons transeuntium. De quo Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum Abarim, & contemplare terram, quam daturus est tibi Dominus. Moriamur & sepeliamur cũ Aaron, in supercilio montis Hor, & cum Moyse in vertice montis Phasga, vt videamus bona Hierusalem omnibus diebus vitę nostrę. Patet igitur quod quatuor modis ascendere debemus exemplo Domini. Primus ascensus per doctrinæ & spiritualis intelligentiæ sublimitatem. Sicut scriptum est. In montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Syon. Secundus per desiderium æternorum, & contemplationem, scilicet, vt rapiamur cum Paulo, vsque ad tertium cœlũ. Et sicut de onagro Dominus dicit in Iob: Circũspiciamus montes pascuæ nostræ, & virentia quęque perquiramus. Tertius per virtutum & sanctæ conuersationis præeminentiam, ascendendo de virtute in virtutem, sicut scriptum est: Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Quartus modò debemus ascendere contemnendo & sub pedibus conculcando, omnia transitoria & terrena, sicut diuitias, dignitates, & honores, sicut Dominus oblatum regnum respuit, qui tamen crucis ignominiam voluntariè sustinuit. Et Isaias dicit: Excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem. Et de mutare amicta sole iustitiæ, dicitur in Apocalypsi: quod habebat Lunam sub pedibus suis, id est,

Gen. 31. Item 18. Item 32. Exod 3. Item 19. Num. 9. Exod. 33. 3. Reg. 19. Ezech. 1. Isaiæ 6. Iosue 1. Iudic. 2. 1. Cor. 10. Isaiæ 38. 4. Reg. 20. 4. Reg. 4. Ioan. 3. De spirituali ascensu & descensu. Exod. 19. Ioan. 6. Matth. 14. Exod 9. De ascensu Domini in montem ad instructionem nostram. Matth. 17. Mar. 9. Luc. 10. Phil. 3. Iob 7. Matth. 14. Colo. 3. Luc. 24. Item 3. Matth. 6. Luc. 12. Eccle. 2. Isaiæ 40. Iob. 39. De spirituali ascensione per contemplationem & desiderium æternorum. Deut. 32. Num. 20. De quadruplici ascensu spirituali. Isaiæ 40. 2. Cor. 12. Iob 39. Ioan. 6. Isaiæ 52. Apoc. 12.

temporalium amorem. Ascendamus igitur hoc modo Sycomorum cum Zachæo, asinam cum Axa filia Caleb. Ascendamus in palmam, vt apprehendamus fructum eius. Mundum carnem & sathan conculcando sub pedibus nostris. Totidem etiam modis exemplum dedit Dominus nobis descendendi. Ipse enim descendit per humilitatem natus ex muliere, factus sub lege, de cœlo descendit in virginis vterum, de vtero in præsepium, factus obediens, non solùm patri vsque ad mortem, sed & Ioseph & matri suæ subiectus fuit. Caput suum sub manibus serui in baptismo reclinauit. Leprosum manu propria tetigit, qui solo verbo ipsum curare potuit. Pedes discipulorum lauit, inclinato capite in signum humilitatis spiritum emisit. Quanta debet esse humilitas in seruo, si tanta fuit in Domino, non est enim seruus maior Domino suo? Et quoniam Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiam, humiliemur sub potenti manu eius, vt nos exaltet in tempore visitationis. Teste beato Gregorio: qui virtutes sine humilitate congregat, puluerem in ventum portat. Sicut autem superbia de Angelo fecit dæmonem, ita humilitas de Deo fecit hominem. Teste enim beato Augustino: Ostium humile est, si quis sano capite voluerit intrare, oportet eum inclinare. Vnde Dominus in Euangelio: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Altare autem Domini concauum erat, quia tumor infusa repellit. Dominus enim emittit fontes in conuallibus, & valles abundabunt frumento. Et quoniam superbia contraria est humilitati, Christi humilitas incarnatio, crux, passio, mors, nihil prosunt superbis. Descendere igitur debemus per tres gradus humilitatis. Primus est pensare, quid non habeas. Secundus, quod à te nihil habeas. Tertius, quod id quod habes, amittere valeas. Secundò, descendit Dominus per compassionem, omnes infirmitates nostras præter peccatum & ignorantiam in se suscipiens: omnibus omnia factus, cum peccatoribus & publicanis manducauit. Quem perditam propriis humeris reportauit, super Hierusalem fleuit, & nos per compassionem proximis condescendamus. Ipse enim in Euangelio dicit. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Opera, scilicet, misericordiæ & compassionis. Vnde Apostolus ait: Infirmum in fide assumite. Quilibet enim perfectus, dum pro rigore fortitudinis assumit carnem compassionis, vt dicat: quis infirmatur, & ego non infirmor, sicut legitur de Adam, quasi de costa formatur Ecclesiam. Vnde Apostolus ad Romanos. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Et ad Thessalonicenses: Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos. Lacte enim parui fouentur, qui vino austeritatis facilè necarentur. Nemo enim mittit vinum nouum in vtres veteres. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem, & qui nimis mammas stringit, sanguiné pro lacte extorquet. Vnde Salomon in Parabolis: Qui fortiter præmit vbera, elicit lac, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Condescendendum est igitur infirmis, quos non cum furia vel fuste, sed cum linteamine oportet versare, & suauiter pertractare. Sicut dicitur in Isaia: Ad vbera portabimini, & super genua blandietur vobis. Debet igitur quilibet perfectus in Ecclesia, non solum esse auriga incitando, sed etiam currus supportando, sicut de Elia legitur, quod erat currus & auriga Israël. Et in Deuteronomio dicitur: Si videris asinum fratris tui, aut bouem iacentem sub onere, non despicies, sed subleuabis cum eo. Quomodo autem iacentes subleuabis, nisi te inclinaueris? Vel quomodo ferrum frigidum, ferro calido iungetur, nisi prius rigore depositio emoliatur? De Moyse autem legimus in Exodo quod compatiendo populo dixit ad Dominum. Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. In hoc similis fuit piæ matri, quæ inuitata ad epulas, magis eligit cum filio clamoso, & sordido foris ieiuna manere, quàm sine filio intrare. Si igitur præoccupatus fuerit frater infirmus in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi in spiritu lenitatis corripite, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Tertio modo ad exemplum Domini descendere debemus de contemplatiua, scilicet, ad actiuam prædicando, & aliis per opera misericordiæ ministrando, & si necesse fuerit animam pro proximis ponendo. Dominus enim non venit ministrari, sed ministrare, vnde & Martha dicitur: eum in hospitio recepisse, per quam vita designatur actiua. Debemus igitur aliis ministrare, & opera misericordiæ in proximos exercere. Iudicium enim sine misericordia his, qui non fecerint misericordiam, quando in iudicio dicetur eis: Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. quæ sequuntur. Exercitatio enim corporis ad modicum valet, pietas autem ad omnia. Non enim carnis maceratio, crebræ vigiliæ, arta ieiunia, asperitas habitus, austeritas vitæ, horror in facie, verum te exhibent Christianum, nisi abundaueris operibus misericordiæ. Hæc est enim religio munda & immaculata apud Deum, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Opera enim misericordiæ comitantur defunctos, sicut scriptum est: Opera enim eorum sequuntur illos. Opera, scilicet, misericordiæ siue ignoscentis, siue de pœna relaxantis, siue fratrem corrigentis, siue eum corporaliter sustentantis, siue pro eo intercedētis. Et Psal. de eo ait. Miserationes eius super omnia eius, scilicet, creationis & recreationis, cōseruationis, punitionis malorum, & retributionis bonorum, seu glorificationis. Ad imitationem igitur Domini qui de cœlo descendit in terram, de gloria, scilicet, contemplationis, ad laborem actionis, nos debemus aliquando descendere, aliquando verò rursus ascendere. Animalia enim ibant & reuertebantur. Et in schala Iacob Angeli ascendunt & descendunt. Tempus enim est amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus, sicut dicitur in Ecclesiaste: Et Moyses postquam ascendit in montem, loquens ad Dominum, descendit ad plana loca, instruens populum,

*Iosue 15.* *Rom. 15.* *De quadrupli ti descensu exemplo Christi spiritualiter.* *Gala 4.* *Phil. 2.* *Lucæ 2.* *Matth. 4.* *Matth. 8.* *Ioan. 13.* *Item 19.* *Item 21.* *Parab. 3.* *1. Petri 5.* *De descensu humilitatis.* *Lucæ 18.* *Matth. 10.* *De triplici gradu humilitatis.* *De descensu compositionis exemplo Christi.* *1. Cor. 10.* *Matth. 9.* *Lucæ 15.* *Item 19.* *Ioan. 14.* *Rom. 14.* *2. Cor. 12.* *Rom. 14.* *Matth. 9.* *Mar. 2.* *Lucæ 5.* *Parab. 30.* *Isaiæ 66.* *4. Reg. 2.* *Deut. 22.* *Exod. 32.* *Gala. 6.* *De tertio modo descendēdi, de contemplatiua ad actiuā exemplo Christi & iterum reuertendo ad contemplatiuam.* *Matth. 20.* *Mar. 10.* *Lucæ 10.* *Iacob. 2.* *Matth. 25.* *Iaco. 1.* *De multiplici opere misericordiæ.* *Apoc. 14.* *De multiplici opere Dei.* *Gene. 28.* *Eccle. 3.* *Exod. 19.*

populum, quandoque ingrediens tabernaculum, quandoque per actiuam reuertens ad populum. Et Apostolus postquam raptus fuit ad tertium cœlum, descendit, vt ordinaret de thoris coniugatorum, sicut ipse ait: Siue excedimus Deo, siue sobrij simus vobis. Descendamus igitur cum Iacob ab amplexibus Rachelis ad Liam, id est, actiuam vitam, vt sit benedictio nostra, non solùm de rore cœli, scilicet, contemplationis, sed insuper in pinguedine terræ actiuæ, scilicet, vitæ, vt duplici spelunca contemplatiuæ, scilicet, & actiuæ, cum Patriarchis sepeliamur. Patet igitur quod descendere debet Christianus, ministrando exemplo Domini, qui infirmos visitabat, leprosos etiam tangendo sanabat, vt nostram retunderet superbiam, qui infirmos videre, nedum tangere dedignamur. Legimus autem de sancto Martino, quod leprosum osculatus est, & propter hanc eius humilitatem leprosus statim à Domino sanatus est. Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos. Vnde quod ab eo est, non debemus despicere. Teste enim Salomone: Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo, honorat autem eum qui miseretur pauperis. Et iterum: qui pauperis miseretur, Domino fœneratur. Et in Ecclesiastico dicitur: Fili eleëmosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere, animam esurientem ne despexeris. Quarto modo debemus descendere per contemptum temporalium, & abiectionem personæ nostræ, vt cum inuitati fuerimus ad nuptias, in loco nouissimo recumbamus. De Domino enim legimus in Isaia: Non est species ei, neque decor: vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum. Et iterum nos putauimus eum, quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ecce quantum descendit Dominus, & abiecit seipsum per mortem ignominiosam. Simus igitur viri videntes paupertatem nostram, & sicut in veritate miseri & exules sumus, ita & nos miseros reputemus, sicut ait beatus Iacobus: Miseri estote & lugete. Et beatus Paulus: Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Et Dauid cùm reprehenderetur à Micol, eò quòd saltaret coram Domino, respondit, ludam & vilior fiam plusquam factus sum. Et in Genesi dixit Ioseph fratribus suis: Cùm vocauerit vos Pharao & dixerit: Quod est opus vestrũ, respondebitis, viri pastores sumus, seruitui tui ab infantia nostra. Et Dauid ait: Elegi abiectus esse in domo Dei, magis quã habitare in tabernaculis peccatorum. Qui hoc modo verè descendit, gaudet se despici, nec vult apparere, sed contemni. Nihil enim perniciosius est iusto, quàm quod iustus videri desiderat, quod ad salutationes in foro exultat & adulatorio fauore demulcetur. Qui hoc modo verè descendit, diuitias, honores, dignitates, & omnem mundi gloriam contemnit, omnia temporalia, velut ster cora reputans, quę congregata fœtent, dispersa fœcundant. Somnia autem, ait Ecclesiasticus, extollunt imprudentes, id est, temporalia quæ citò transeunt. Iuxta illud: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Vnde Abacuc: Væ qui congregat auaritiam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius. Melius est enim parum cum timore Dei, quàm thesauri magni & insatiabiles, sicut in Parabolis dicitur. Et Isaias dicit: Qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Propter hoc dicit excutit, quia viscosa sunt munera, & glutino auaritiæ manibus facilè adhærent. Similiter & dignitates seculi viscosæ sunt. Vnde columba reuersa est in arcam, quia cacumina montium inuenit limosa, sicut in Genesi dicitur. Contemnenda est igitur gloria mundi, ne pro lenticula rufa cum Esau ius primogenituræ amittamus. Dicit enim Iacobus Apostolus: Amicitia huius sæculi inimica est Deo. Quicunque ergo voluerit esse amicus huius seculi, inimicus constituitur Dei. Vnde beatus Gregorius: Cõtemnendus esset hic mundus, si prosperitatibus animi demulceret, vbi tot aduersitates ingeminat, tot calamitatibus animum pulsat, quid aliud nisi contemnatur clamat? Descendamus igitur cum Domino, vt exaltemur ab illo. Nudi nudum sequamur, relinquentes pallium cum Ioseph in manu Ægyptiacę. Ipsi enim peccatores & abundantes in sęculo obtinuerunt diuitias, quæ tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Et idcirco contemnendæ sunt diuitiæ, quia transitoriæ. Diues enim cùm interierit nõ sumet omnia, nec descendet cum eo gloria domus eius. Contemnendæ sunt etiam, quia mentem affligunt & solicitudine pungunt. Vnde & spinæ dicuntur. Contemnendæ sunt, quia fallaces, non enim inopiam expellunt. Auarus enim non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructũ non capiet ex eis. Et quia superbum faciunt. Iuxta illud: Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quia auarum & cupidum faciunt: Siquidem quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, quia viam eundi ad Deum impediunt. Vnde dicitur in Genesi: quod vallis siluestris multos habebat puteos butiminis. Viscosæ enim & lutosæ sunt diuitiæ & onerosæ. Vnde non sinunt hominem expeditè currere. Descẽdit igitur Dominus de monte, & nos cum ipso prædictis modis debemus descendere. Per leprosum verò, quem curauit, signatur, sicut supra dictum est genus humanum variis vlceribus plenum. Cui sanguisugæ infernales, id est, mali spiritus tenaci dente adhærebant. Per leprosum etiam signantur hæretici, qui dum falsa ligni veris admiscent, quasi variis vlceribus falsitatis inficiuntur. Anima etiam peccatoris per leprosum designatur, quę per peccatum mortale, quasi per lepram deformata amittit Dei imaginem, & per lepræ violentiam omnibus membris mutilatur. Amittit enim vocem & rauescit, vel penitus obmutescit à peccatorum, scilicet, confessione, à diuina laude, à proximi instructione. Iuxta illud in Psalmo: Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Clamatorem iactando opera bona, quæ videbar habere, sicut leprosus, dum caret voce rationali instrumento

2. Cor. 12. Item 5. Gene. 30. Gene. 27. Item 25. Parab. 14. Item 19. Eccle. 3. Lucæ 14. De quarto modo contemnendo se & temporalia. Isaiæ 53. Iaco. 4. 1. Cor. 15. 2. Reg. 6. Gene. 47. Eccle. 14. Abac. 2. Parab. 15. Isaiæ 33. Gene. 8. Item 25. Iaco. 4. Gene. 39. De contemptu diuitiarum. Eccle. 5. Gene. 14. Matth. 8. Lucæ 6. De spirituali curatione leprosi & de multiplici incõmodo leprę.

mento quod tenet in manu quasi voce irrationali, clamãdo tumultuatur. Amittit aures, & obsurdescit ad verba diuinæ prædicationis, vt non audiat vocem venefici incantantis sapienter. Amittit nasum vt odorem Paradisi, & fœtorem gehennalem non sentiat. Vnde Ezechiel: Nasum tuum & aures tuas præcident. Amittit oculos vt secus fiat, & veri solis lumen non videat. Manus perdit, vt eas ad opera misericordiæ non extendat. Pedes vt in via mandatorum Dei non ambulet. Depilat insuper lepra peccatorum hominem, auferens ornamenta virtutum. Tumescere facit per superbiam. Corrodit per inuidiam, lucere facit per vanam gloriam, multaque alia facit incommoda, quæ signauit Moyses per leprarum varietatem, vt sciat sacerdos discernere inter lepram & lepram. Si enim cum tanta diligentia præceptum est sacerdotibus sub lege discernere inter lepram & lepram corporum, quantò diligentius debemus discernere inter lepram & lepram animarum, & subtili indagine & frequenti deliberatione peccata & peccatorum circunstantias discutere, sicut scriptum est: cogitabo pro peccato meo, vt sciamus cognoscere quæ sit lepra alba, per inanem gloriã, liuida per inuidiam, rubea per iram, nigra per tristitiam, florens per totum corpus, per pompam sæcularem, vaga & volatilis per inconstantiam & animi leuitatem, vel quia mutabit locum, sed non relinquebat, subiectum signat quod homo quandoque relinquens vnum vitium inde cadit in aliud, vt si aliquis relinquat luxuriam & inde cadat in superbiam, vel si corripiatur de taciturnitate, & propter hoc delinquat garrulitatẽ. Non solùm autem per varietatem colorum, sed etiam per diuersitatem subiectorum distinguere iussit Dominus per Moysen diuersitatem leprarum. Est enim lepra in cute per peccati euidentiam, vel per superstitionem seu superficialem religionem, lepra in carne per luxuriam, vel quando latet sub cute, sicut peccata hypocritarum. Lepra in capite, peccatum in corde: lepra in capillis, peccatum ex temporalibus vel ex prauis cogitationibus: lepra in barba, quando effeminatus est seu remissus, vel in barba in prælatis: lepra in cicatrice quæ fit voluntate iterandi peccatum, lepra in vestibus: peccatum ex virtutibus, vel in corpore, quod est vestis animæ, lepra in domo, id est, in cõscientia vel in cogitatione. Leprosus autem eiiciebatur extra castra. Postquam enim notorij sunt per sententiam excomunicationis, à communione fidelium eiiciendi sunt. Habebat autem vestimenta dissoluta, vt signaretur vitæ dissolutio, & quia non est de vnitate ecclesiæ. Caput habebat nudum, id est, mentem virtutibus spoliatam. Præcipiebatur ei vt os tegeret, ne fœtore praui verbi alios corrumperet, quia corrumpunt bonos mores colloquia praua. Mundata autem lepra ostendebat se sacerdoti, offerens munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Offerebat passeres duos, per quos duplex in Christo natura intelligitur, vnus immolabatur in vase fictili super aquas viuentes, Christus enim passus est in carne fragili, vt nos per mortem eius & baptismum purificaret, alius permittebatur auolare, quia diuinitas non est passa in Christo, vel quia tinctus sanguine in agro auolabat, Christi resurrectionem post mortem designat. Fiebat autem aspersoriũ ligno cedrino, & hyssopo, & filo coccineo. Per cedrum imputrescibilem crux Christi designatur, humilitas per hyssopũ. Passio seu martyriũ per filum coccineum. Septies aspergebatur leprosus sanguine passeris, quia per spiritum septiformem fit mundatio in sanguine Christi. Lauabat autem vestimenta. Opera, scilicet, per pœnitentiam. Omnes pilos radebat, scilicet, cogitationes superfluas. Septem diebus manebat extra tabernaculum, quia tota vita præsenti extra carnis delectationem manere debemus. Octauo die offerebat duos agnos cum oue. Innocentiam, scilicet, & simplicitatem in vtroque sexu. Et tres decimas similæ, id est, fidem trinitatis cum obseruantia decalogi. Et sextarium olei per quod perfectio operum misericordiæ designatur. Tingebatur autem tam sanguine, quàm oleo extremum auriculæ dextræ leprosi, ne iterum audiat vocem serpentis. Et ponebatur super pollices manus & pedes dextri, vt purificentur opera & affectus. Residuum olei fundebat super caput eius. Iuxta illud: Oleum de capite tuo non deficiat. Vos igitur fratres charissimi in fide firma, in charitate non ficta, exemplo huius leprosi inuocate Dominum, vt imaginem suam lepra peccati deformatam, in vobis reformare dignetur, vt mereamini audire à domino, sicut credidisti fiat tibi. Si autem fides Centurionis commendatur à Domino, quia dixit: dic tantum verbo & sanabitur puer meus, non minor videtur fuisse fides huiusmodi leprosi, dicentis: si vis potes me mundare. Ille enim in verbo, iste in sola voluntate credidit se posse mundari. Martha & Maria exigebant corporalem præsentiam, quarum vtraque dixit: Si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Regulus de filio suo dixit: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Nicodemus ait quasi dubitando: Quomodo possunt hæc fieri? Hic autem leprosus postulauit in fide nihil hæsitans. Vnde à Domino, fides eius impetrauit quod petiit. Ostendatis autem vos sacerdotibus secundũ Domini mandatũ, & vulnera vestra medicis spiritualibus detegatis. Si enim tu detegis, Deus tegit: si tu tegis, Deus detegit. Dic ergo iniquitates tuas vt iustificeris, ne abscondas peccatũ tuũ, sicut homo carnalis, scilicet, qui erubescit cõfiteri peccata sua. Teste enim Salomone: Qui abscondit scelera sua, nõ dirigetur. Qui autẽ cõfessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã cõsequetur. Et Dauid ait: Deus vitã meã annunciaui tibi, & ideo posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, Dissolue igitur colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Vnde Dominus in Osee cõqueritur de Effraim, dicẽs: Colligata est iniquitas Effraim, & absconditum est peccatum eius. Et quoniam Dominus leproso præcepit, vt nemini diceret, nõ ostendamus bona opera nostra per iactantiam. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua. Simile est regnum

*Ezech.23.*

*Deut.17.*

*De multiplici lepra.*

*De diuersis leprarum subiectis. Leuit.13.*

*De electione leprosi & eius habitu.*

*1. Cor.15. Matth.8. Leuit.14.*

*De oblatione leprosi. De aspersorio in mundatione lepræ.*

*Quibus modis leprosus curatur.*

*Eccle.9. 2. Cor.6. Cõclusio cum morali recapitulatione. Matth.8. De fide leprosi. Ioan.11. Item 4. Item 2. Iacobi 1. Matth.8. De ostensione leprosi per confessionem. Isaiæ 43. Prou.28. Isaiæ 58. Osee 13. Matth.8. Item 13. De occultatione bonorum nostrorum contra iactantiam.*

regnum cœlorum, thesauro abscondito in agro. Et Dominus ascendit ad diem festum in occulto. Vnde sapiens in Ecclesiastico dicit: Non omnem hominem inducas in domum tuam. Multi enim sunt insidiæ dolosi, scilicet, diaboli. Vnde Dominus offensus est Ezechię: qui thesauros domus Domini ostendit Babyloniis. Non ergo ostendamus thesauros nostros Herodi, sed ad imitationem Magorum, cùm venerimus ad Iesum coram Domino, aperiamus thesauros nostros. Vnde præcipitur in Leuitico: quod sacerdos non radat caput suum, id est, non denudet virtutes per ostentationem, nec radat barbam, fortia, scilicet, opera inaniter detegendo. Et in Deuteronomio dicitur: Non arabis in primogenito bouis, nec tondebis primogenita ouium. Super hoc ait beatus Gregorius: In primogenito bouis arare, est bonæ conuersationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ouium primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona nostra denudare. Sicut hi de quibus dicitur: vocauerunt nomina sua in terris suis. Quoniam autem vt ait Salomon: multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Et iterum: Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper procul recesserunt ab eo. Dominus voluit ire ad seruum Cęturionis, noluit autem ire ad filium Reguli, vt ostenderet diuitias nō esse honorandus, nec diuitem propter diuitias proponendum esse pauperi. Iuxta illud: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Pusillum enim & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Non est enim personarum acceptio apud Deum. Vnde in Ecclesiastico: Noli despicere virum iustum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem diuitem. Et Salomon in Ecclesiaste: Melior est canis viuus, leone mortuo. Non habeamus ergo fidem Domini nostri Iesu Christi in acceptione personarum. Scriptum est enim in Deuteronom. Ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam. Non ergo pauperes contemnamus, sed eos humiliter visitemus, vt ipsi sint aduocati nostri apud Deum in die iudicij, & recipiant nos in æterna tabernacula, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ad quod nos perducere dignetur qui viuit & regnat, &c.

*Ioan.7.* *Eccle.11.* *Isaiæ 39.* *Matth.2.* *Deut.15.* *Gregorius.* *Prou.19.* *De acceptione personarum.* *Matth.8.* *Ioan.4.* *Sap.6.* *Rom.2.* *Eccle.10.* *Eccle.9.* *Iaco.2.* *Deut.1.* *Luc.16.* *Matth.5.*

## DOMINICA QVARTA QVÆ PROPRIO CARET INTROITV, THEMA SVMPTVM DE NOCTVRNO Responsorio & Psalmo.

*Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo arguas me.*



XORAT Dominum Propheta, non solum in persona omnium sanctorum, qui adhuc sunt in via, vt liberentur à duplici pœna. A pœna, scilicet, purgatorij, quæ dicitur ira, non quia perturbatio cadat in Deum, sed sumitur pro vindicta. Et à pœna æterna, quam furorem appellat, id est, asperrimam vltionem, eò quòd Deus nullius precibus flectitur. Iudicium enim sine misericordia fiet ei, qui nō fecit misericordiam. Vnde in Ezech. Ego Dominus eduxi de vagina gladium meum irreuocabilem. Sancti homines quantumcunque affligant corpus suum in hoc seculo, valdè timent purgatorij pœnam acerrimam. Licet enim respondeant ei, id est, Domino in via virtutis suæ, id est, pro viribus suis studeant pœnam temporalē æquiparare purgatorio, vt penitus purgentur in hoc seculo, semper tamen sibi metuunt ne insufficientur puniantur, vel ne fortè morte præoccupentur. Licet autem à mortalibus abstineant, timent sibi à venialibus. Si enim dixerimus, quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Timent igitur ne ferant secum in morte lignum, fœnum, & stipulam, verentur omnia opera sua, scientes quod Dominus non parcit delinquenti, quin puniat, vel in hoc seculo, vel in futuro. Non solum autem timent sibi pro malis operibus, sed etiam pro operibus quæ sunt de genere bonorum, ne minus purè fiant. Omnes enim iustitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ. Vnde Dominus: Ego iustitias iudicabo. Et quoniam teste beato Augustino, minor pœna purgatorij acerbior est, quā aliqua pœna quæ posit in hoc seculo excogitari. Ignis enim noster materialis est, quasi vmbra vel tanquam ignis pictus in patiete respectu ignis purgatorij, clamant ad Dominum, hic vre, hic seca, ingrediatur putredo in ossibus nostris, & subter nos scateat, vt requiescamus in die tribulationis, & hæc sit nobis consolatio, vt affligens nos, hic dolore, non parcas, vt in purgatorio parcere velis, vbi scribis contra illos amaritudines, qui insufficienter purgati decedunt, id est, stabiliter amara flagella infligis. De quibus Apostolus ad Corinth. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse enim saluus erit: sic tamē quasi per ignem. Quod autē in alio seculo fiat purgatio & remissio peccatorum, patet ex eò quod ait Dominus in Euang. Qui peccat in spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Ex quo innuit quod alia peccata, scilicet, in patrē & filium, remitti possunt in alio seculo. Sancta enim & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, scilicet, in purgatorio, in quo ipse Dominus quasi ignis conflans, & emundans argentum, purgat filios Leui. Ipsi enim nisi mūdificati, & mundi corde Deum videre non possunt. Sicut autē Elias per turbinem raptus est in cœlum, ita primo turbine pœnæ purgātur, & rursus post tenebras sperant lucem, vt tandem dicere possint. Transiuimus per ignem & aquā, & eduxisti nos in refrigeriū. Virga tua in morte, & baculus tuus in purgatorio, scilicet, minor & maior correptio, ipsa me consolata sunt purgando à peccatis. Beatus autem Augusti nus in Enchiridion ait: Tempus quod inter hominis mortem vel vltimam resurrectionem interpositum

*Ioan.1.* *1. Cor.3.* *Iob 9.* *Isaiæ 64.* *Augustinus.* *Abacuc.3.* *Iob 6.* *Item 13.* *1. Cor.3.* *Matth.12.* *Mar.3.* *2. Mach.12.* *Mala.3.* *Iob.17.* *Augustinus.*

terpositum est, animas in abditis receptaculis cõtinet, sicut vnaquæque digna est, vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleëmosynæ in ecclesia fiunt. Eleëmosynis enim & orationibus, & sacramento altaris, & ieiunio seu afflictione, his qui in purgatorio sunt, subuenitur. Propter quod vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim milia dragmas argenti misit Hierosolymam offerre eas ibi pro peccatis mortuorum. Vnde Apostolus ad Corinthios ait: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Pro mortuis enim baptizabantur baptismo eleëmosynæ, de qua dicitur: Date eleëmosynam, & omnia munda sunt vobis. Et baptismo lachrymarum & afflictionis. Vnde Ieremias: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem interfectos populi mei? Et Dauid cum suis super Saulé & Ionathan ieiunauit vsque ad vesperam. Et Ecclesia pro illis orat, dicens: Fac eos de morte transire ad vitam, de morte, scilicet, purgatorij. Absolue Domine animas eorum, ab omni vinculo delictorum, id est, à pœna, vt auolare possint ad requiem. Et iterum: Recede paululum ab eo, vt quiescat saltem ad tempus, sicut creditur, quod antequam penitus absoluantur, aliquibus horis quiescant. Et iterum in persona eorum dicit Ecclesia: Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, scilicet in inferno superiori, id est, in purgatorio. Et iterum: Cur faciem tuam abscondis? Non enim possunt videre Deum, nisi à carcere liberati. Pium est autem pro illis orare, qui sibi non possunt succurrere, quia non est ibi locus merendi. Non solum autem, vt non arguantur in ira, sed ne in furore, id est, in ira gehennæ corripiantur, postulant iusti homines. Nesciunt enim vtrum sint digni odio, vel amore, si fuerint filij eorum nobiles vel ignobiles, id est, si placeant opera eorum Deo, vel displiceant. Licèt enim sibi nihil conscij sint, in hoc tamen se iustificatos non reputant. Et idcirco licet fuerint iusti, non leuant caput per præsumptionem, sed timor & tremor irruunt super eos, quando cogitant districti iudicis sententiam, qui etiam in Angelis reperit prauitatem. Tantò igitur amplius metuunt, quantò certissimè ex diuinis scripturis agnoscunt, quoniam in inferno nulla est redemptio, & quia si finaliter ceciderint, non adiicient amplius vt resurgant. Vbi enim ceciderit arbor, siue ad austrum, siue ad aquilonem, id est, in charitate, vel in peccato, ibi in æternum permanebit. Vnde in Euãgelio dicitur: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Et Ieremias ait: Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo, in vngue adamantino, quasi dicat: Ita inseparabiliter adhæret ei, quod deleri non potest. Et ita de ciuitate reproborum: Sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari. Si autem mare guttatim stillaret per foramen acus temporis diuturnitate, totum posset miles transire. Pœna autem gehennæ, nullo prorsus claudetur fine, postquam puteus super damnatos vrgebit os suum. Et ideo timent etiam sancti, non solum propter diuturnitatem, sed etiam propter acerbitatem incomparabilem. Dolores enim huius seculi sunt, velut imago pœnarum purgatorij. Pœnæ autem purgatorij, quasi incomparabiles sunt doloribus inferni. Vnde vox martyrum est: Cooperuit nos vmbra mortis, id est, dolores & angustiæ pœnæ temporalis, quæ non sunt nisi vmbra æternę mortis, & amarissimi supplicij. De quo Ieremias: Ecce ego potabo eos absynthio, & cibabo illos felle. Amara est enim potio bibentibus eam. Nam ipse Dominus retribuet abundanter facientibus superbiam. Iuxta illud: Et Deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Aues, scilicet, infernales. Vnde Isaias: Secretum meum mihi. De gloria beatorum, scilicet, quæ ineffabilis est, & in cor hominis non ascendit. Et iterum ait: Secretum meum mihi de suppliciis reproborum, quæ non possunt sermone explicari. Non solum autem timent, propter prædicta duo, sed propter æternitatem & acerbitatem, sed insuper propter multitudinem. Quia multa flagella peccatorum. Cuilibet enim culpæ pœna, propria respondebit. Quia per quæ peccat, quis per hæc torquetur, sicut dicitur in libro Sapientiæ. Vnde quia abusi sunt quatuor elementis, quolibet illorum punientur. Pugnabit enim orbis terrarum contra insensatos, & armabit Dominus creaturam ad vltionem inimicorum. Igne abusi sunt, & igne punientur. Vnde Isaias: Et erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum, quasi scintilla, & succendetur vtrumq; simul, & non erit qui extinguat. Aëre punietur, quia conuertetur eis in corruptionẽ & fœtorem, sicut ait Isaias: Erit pro suaui odore fœtor. Aquis etiam punientur. Vnde Iob: Ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium. Terra punientur, quia bonis terræ abusi sunt. Vnde Isaias: Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eorum in sulphur, & terra eius in picem ardentem. Terra præterea absorbebit eos, Sol & Luna retrahet radios suos. Vnde Ioël Propheta: Sol & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Isaias: Erubescet Luna & confundetur Sol, quia, scilicet, peccatoribus lumen administrauerint. Quoniam autem in corpore & anima peccauerint, in vtroque punientur, & operientur sicut diploide confusione sua. Vnde Ieremias: Duplici confusione contere eos. Corpus igne vehementissimo cremabitur, vestimentum enim mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis, id est, corpus, quod est animæ, vestimentum sanguine peccatorum inquinatum. Anima punietur interius, sicut dicitur in Osee Propheta: Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & disrumpam interiora iecoris eorum. Et Apostolus ad Thessalonicenses: Repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Quot autem habebant corporis partes, vel membra, tot sustinebunt tor-

*2. Mach. 12.*
*1. Cor. 15.*
*Luce 12.*
*Ierem. 9.*
*2. Reg. 1.*
*Ioan. 5.*
*Iob 13.*
*Item 13.*
*De furore pœnæ gehennalis.*
*Eccle. 9.*
*Iob 14.*
*1. Cor. 4.*
*Iob 10.*
*Item 4.*
*De æternitate pœnæ.*
*Eccle. 11.*
*Matth. 25.*
*Iere. 17.*
*Item 9.*
*De acerbitate pœnæ.*
*Iere. 9. & 22.*
*Isaiæ 24.*
*Deut. 32.*
*Isaiæ 24.*
*Item 64.*
*De multitudine pœnarum.*
*Quòd pœna respondet culpæ.*
*Sap. 11.*
*Item 5.*
*Isaiæ 1.*
*Item 3.*
*Iob 24.*
*Isaiæ 34.*
*Ioël. 4.*
*Isaiæ 24.*
*Quòd in corpore & in anima reprobi punientur.*
*Iere. 17.*
*Quod omnibus membris punientur.*
*Osee 13.*
*2. Thes. 5.*

bunt tormenta. Linguâ cruciabitur siti, sicut dives in inferno: quia in lingua peccauerat, in lingua puniebatur. Oculi fletu horribili & visione dæmonum. Dentes stridore. Ibi enim fletus oculorum est, & stridor dentium. Aures vlulatu clamantium, & tumultu dæmonum, & irrisionibus eorum. Vnde Isaias: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione cordis vlulabitis. Et iterũ: Impij, quasi mare feruens quod quiescere non potest. Pedibus & manibus cruciabuntur, quibus ligatis proiicientur in ignem æternum, & in tenebras exteriores. In toto corpore flagellis verberabuntur. Vnde Isaias: Et erit transitus virgę fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum. Colligabuntur autem & confringentur ad inuicem. Vnde idem Isaias: Congregabuntur congregatione vnius fascis in lacum. Inferius & superius in ventre, & in dorso cruciabuntur: teste Isaia: Subter te sternetur tinea & opprimentum tuum vermes. Tinea enim erit lectus eorum, & vermes coopertorium. Cùm autem innumerabiles sint tribulationes in hac peregrinatione, quantò magis in carcere gehennæ, vbi contritio super contritionem, & conturbatio super conturbationem? Et quia non possunt omnes cogitari, nedum numerari, vt fletum fletibus, & gemitum gemitibus considerationè, tam horrendæ calamitatis præueniamus, de multis paucas, & de innumeris tantum octodecim numeremus. Quæ sunt anxietas caloris, angustia frigoris, penuria famis, ariditas sitis, tenebræ palpabiles, fœtor intolerabilis, attritio verberũ, contritio cathenarũ, morsus serpentiũ, consortiũ dæmoniorũ, vermis cõscientię, anxietas & tędiũ miserę vitę, irę & dissensiones, blasphemię & clamores, timor, pudor, dolor, desperatio. Auertat Dominus à nobis, ne per experientiã hæc noscamus, quæ scripturarum auctoritatibus indubitanter agnouimus. Anxietas caloris tanta erit ex igne & sulphuræ, & pice ardente, quod omnia membra damnatorũ, interius & exterius absq; vllo respiraculo cremabuntur in fornace, in qua vehementissimus ignis inuoluet eos, ex omni parte. Vnde de diuite Epulone dicitur: Et sepultus est in inferno. In igne enim sepelitur, qui ex omni parte igne includitur. De quod dicit Isaias: Et erit populus esca ignis. Et Moyses: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Et quia ardentes in peccatis fuerunt, erunt tanquã clibanus succensus à coquẽte. Igne cuius modicã scintillã totũ mare non possit extinguere torquebuntur, quia spiritus sancti ignem à se repulerunt. Secunda pœna erit. Angustia frigoris. Non solum enim erit ibi fletus oculorum ex calore dissoluente, sed & stridor dentium, & sempiternus horror, ex frigore constringente. Grando enim, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum. In his enim non cõsistet tota pœna, sed hæc prædicta erunt quasi modica pars afflictionis eorum. Quoniam autem frigidi fuerunt, & pigri ad bonum, ardentes autem ad malum transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium, eò quòd balneum aquæ videbitur eis intolerabile, sed rursus sentientes ignis ineffabilem angustiam, reuertentur, & prosilient in aquam. Et ita à balneo in balneum, sine fine transire non cessabunt. Meritò autem in aquis punientur, qui in aquis luxuriæ submersi peccauerunt, & aquis spiritus sancti refrigerari noluerunt. Et quia timuerunt pruinam, irruet super eos nix. Tertia pœna & pœnuria famis & defectus omnium bonorum. Sicut enim hi qui sunt in gloria, ab vbertate domus Domini satiabuntur, ita ecõtrario isti penuria cruciabuntur. Vnde Ecclesiasticus: Non est apud inferos inuenire cibum. Et Dominus per Isaiam: Ecce serui mei commedent, & vos esurietis. Et in Ecclesiastico: Oppressiones, fames, contritio, & flagella super iniquos creata sunt. Et quia in crapula & gastrimargia peccauerunt, & famem verbi Dei non habuerunt, fame meritò cruciabuntur. Felle autem amaritudinis cibabuntur, & calculis ardentibus. Vnde Salomon in Parabolis: Suauis est homini panis mendacij, & posteà os eius implebitur calculo. Quarta pœna ariditas sitis erit. Vnde Isaias: Nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti aruit. Et iterum: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Vnde dives quærebat guttam aquæ ex digito Lazari. Ipsi enim humore gratiæ aridi fuerunt, & mala facere sitierunt, in potu & ebrietate peccauerunt. In quibus enim peccauerint, in illis punientur: Vnde Propheta Ioël: Expergiscimini ebrij & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. Et Ieremias ait: Potabo eos absynthio. Quinta pęna erit. Tenebrę palpabiles. Impij enim in tenebris conticescent. Vnde Dominus in Euangelio: Ligatis manibus & pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. Ignis enim gehennæ habebit lucem, sed non ad consolationem, sed ad pœnam, vt mutuò videant peccata sua, & pœnas ad maiorem confusionem. Vnde Osee: Reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius, id est, dæmonum, quibus Christo relicto adhæsit, Lucebit præterea, vt trepidẽt ex horribili aspectu dæmonum, & vt pœnas propinquorum videntes, magis doleant. Vnde beatus Gregorius: Ignis qui non lucet ad consolationem alicuius, lucet ad pœnam, quia illucescente eo videbunt in pœna sequentes suos, quorum amore deliquerunt. Non solum autem tenebræ exteriores, sed etiam interiores ibi erunt. Vnde Salomon in Ecclesiaste: Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas: Ad terram, scilicet tenebrosam, & opertam mortis caligine, ibi enim vmbra mortis & nullus ordo. Vix enim cogitare possunt, nisi de doloribus suis, sicut qui grauiter infirmantur, continuè cogitant de dolore quem sentiunt. Meritò autem in tenebris inuoluentur, qui lumẽ veritatis in vita sua inspicere noluerunt, sed pompam mundi, & lucem inanis gloriæ & iactantiæ dilexerunt. Sexta pœna erit fœtor intollerabilis ex terra sulphurea, & cadauerum multitudine & dæmonum fœda exhalatione & aëris corruptione. Vnde Isaias: Interfecti eorum proiicientur

*Lucæ 16.* *Matth. 22.* *Isaiæ 65.* *Item 66.* *Matth. 22.* *Isaiæ 30.* *Item. 24.* *Item 14.* *Iere. 4.* *De octodecim pœnis inferni.* *Prima pœna anxietas caloris.* *Lucæ 16.* *Isaiæ 10.* *Deut. 32.* *Osee 7.* *Secunda pœna angustia frigoris.* *Iob 6.* *Tertia pœnuria famis.* *Eccle. 14.* *Isaiæ 65.* *Eccle. 40.* *Parab. 20.* *Quarta ariditas sitis.* *Isaiæ 5.* *Item 65.* *Lucæ 16.* *Ioël. 1.* *Ierem. 23.* *Quinta tenebræ palpabiles.* *1. Reg. 2.* *Matth. 22.* *Osee. 2.* *Gregorius.* *Eccle. 9.* *Iob 10.* *Sexta fœtor intollerabilis.* *Isaiæ 34.*

*Item 3.*

iicientur & de cadaueribus eorum fœtor aſcendet. Et iterum: Et erit pro ſuaui odore fœtor. Meritò autem in luto & ſentina inferni, & fœtore cruciabuntur, qui fœtorem libidinis dilexerunt, & poſt odorem vnguentorum Chriſti currere noluerunt. Septima plaga ſeu pœna, erit attritio verberum. De qua Ieremias ait: Plaga inimici percuſſi te. Et Salomon in Parabolis: Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. Et Iſaias: Et erit tranſitus virgæ fundatus. Non ſolum autem verberabuntur, ſed tranſuerberabuntur & opprimentur & conterentur. Vnde in Eccleſiaſtico: Rumphea vindicans in exterminium impiorum. Et iterum: Mors ſanguis, contentio, & rumphea, oppreſſiones, fames, cõtritio, & flagella ſuper iniquos creata ſunt. Et Ieremias: Sic conteram populum iſtum, & cęcitatem, ſicut conteritur vas figuli. Meritò verberabuntur, quia verberabant pauperes, & percutiebant impiè pugno. Conterentur & conculcabuntur hi, de quibus ait Propheta Amos: Qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum. Et quia contra verbera Domini murmurauerunt, & diſciplinam recipere noluerunt, ab his crudeliter verberabuntur. De quibus in Eccleſiaſtico dicitur: Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua. Octaua pœna, erit conſtrictio cathenarum. Igneis enim vinculis conſtringentur. Ligatis pedibus & manibus proiicientur in tenebras exteriores. Vnde Iſaias: Et erit pro zona funiculus. Seruo enim maleuolo tortina & compedes. Vnde Ozee: Iugum imponetur eis, quod non auferetur. Et Dominus in Euangelio: Colligite primum zizania, & alligate ea per faſciculos ad comburendum. Qui enim ſimiles fuerunt in peccatis, ſimul coniungentur in pœnis. Et quia vinculis peccatorum ſuorum conſtricti fuerunt, & vincula mandatorum Dei ruperũt diuina vltione prædictis vinculis conſtringentur. Nona pœna erit: Morſus ſerpentium. Dominus enim dentes beſtiarum immittet in eos, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. Vnde in Eccleſiaſtico: Beſtiarum dentes & ſcorpij, & ſerpentes, & tumphea, vindicans in exterminium eorum. Et Iſaias: Detracta eſt vſq; ad inferos ſuperbia tua, concidet cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimẽtum tuum vermes erunt. Et Ieremias: Ecce ego mittam vobis ſerpentes, regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos. Et in Eccleſiaſt. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. Et iterũ: Cùm morietur homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias & vermes. Ipſi enim beſtialiter vixerunt, & tanquam ſerpentes virus malitię in proximo euomuerunt: vermibus, & curis huius ſæculi ſuperuacuè corrodebantur, & ideo prædicta pœna punientur. Decima pœna erit, conſortium dæmonum. Qui enim conſortes fuerunt in culpa, ſocij erunt in pœna, ſicut electi ordinibus angelorum pro merito vitæ inſerentur. Vnde Iob: Vadent & venient ſuper te horribiles. Et Ezechiel de diabolo: Deductus eſt cum lignis voluptatis ad terram vltimam in medio incircunciſorum, dormies cum eis, qui interfecti ſunt gladio. Vndecima pœna, erit vermis conſcientiæ remordẽtis eos ſine intermiſſione. Vnde Iſaias: vermis eorum nõ morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et iterũ: Sicut veſtimẽtum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanã, ſic deuorabit eos tinea. Et Ieremias: Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Peccata enim ſua accuſabunt eos, & vermis malę conſcientię corrodet eos, & corripientur à ſuperueniente iniquitate. Iuxta illud: Arguã te & ſtatuam contra faciẽ tuam. Et Apoſtolus dicit ad Romanos: quod cogitationes accuſabunt reos, & defendent iuſtos. Nemo enim reus ſe iudice abſoluitur. Hæ ſunt muſcæ caninæ, quas Dominus immiſit Ægyptiis, quibus meritò affliguntur, qui pacẽ pectoris à ſe repellentes, oleum in lampadibus ſuis, id eſt, ſerenitatẽ mentis habere recuſauerunt. De qua dicit Apoſt. Gloria noſtra, hæc eſt teſtimoniũ cõſcientiæ noſtrę. Duodecima pœna erit anxietas & tędium viuendi. Vnde in Apocalip. In diebus illis quærẽt homines mortẽ, & nõ inueniẽt, & fugiet mors ab eis, volẽt enim mori & nõ poterunt, dicẽtes: mõtibus cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Sicut enim in æterna beatitudine erit ſacietas ſine faſtidio, ita in æterna calamitate erit defectus omnium bonorum in anguſtia & tędio. Vnde Eccleſiaſt. Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipſum. Tabeſcere enim Dominus faciet tanquam araneas animas eorum, & erunt graues & oneroſi ſibimetipſis. Vna autẽ hora videbitur eis, quaſi ſpaciũ mille annorũ. Hæc autẽ meritò patientur, quia in vita ſua omnẽ eſcã abominata eſt anima eorum, & omnia bona ſpiritualia vertebantur eis in tædium. Tertiadecima pœna erit iræ & diſſenſiones. Nunquam enim pacem inter ſe habebant, maximè cum illis, qui eos in peccatum induxerunt, vel quorum occaſione peccauerunt. Peccator enim videbit illos & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. Vnde in Eccleſiaſt. de patre impio quæruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio. Et in Oſee: ventum ſeminabunt, & turbinem metent. Qui enim ventum vanitatis, & ſuperbię ſeminauerunt in vita iſta, turbinẽ irę & diſcordię metent in alia. Et Iſaias ait: Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Qui enim pacem Dei à ſe repulerunt, nunquam inter ſe pacem habebunt. Deus enim non dat pacem, niſi ſuper pacem. Non ſolum autem qui habitat in cœlis, irridebit eos, ſed etiam dęmones ſubſannabunt eos, dicentes: Et tu vulneratus es ſicut & nos, ſimilis noſtri effectus es. Euge euge, viderunt oculi noſtri, filius fœneratoris maledicet patri, fornicator vel adulter meretrici. Iuxta illud: Omnes amici eius ſpreuerunt eam inter anguſtias. Quartadecima pœna erit blaſphemiæ & clamores. Vnde Iſaias: Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione ſpiritus vlulabitis. Et Zophonias ait: Erit vox clamoris à porta piſcium & vlulatus à ſecunda. Per portam piſcium intelliguntur, qui baptiſmum non ſeruauerunt, per portam ſecundam qui pœ-

*Cant. 1.*
*Septima attritio verberum.*
*Iere. 30.*
*Parab. 19.*
*Iſaiæ 30.*
*Eccle. 40.*

*Iere. 19.*
*Iſaiæ 58.*

*Amos. 2.*
*Eccle. 39.*

*Octaua pœna conſtrictio pœnarum.*
*Matth. 22.*
*Iſaiæ 3.*
*Eccle. 33.*
*Oſee 11.*
*Matth. 13.*

*Nona morſus ſerpentium.*
*Deut. 32.*
*Eccle. 39.*
*Iſaiæ 14.*

*Iere. 8.*
*Eccle. 7.*
*Item 10.*

*Decima conſortium dæmonum.*
*Iob 20.*
*Ezech. 32.*

*Vndecima vermis cõſcientiæ.*
*Iſaiæ 66.*
*Item 51.*
*Ierem. 2.*
*Sap. 1.*
*Rom. 2.*
*Exod. 8.*
*Matth. 25.*
*2. Cor. 1.*
*Apoc. 9.*

*Duodecima anxietas & tædiũ viuẽdi.*

*Eccle. 18.*
*Gal. 5.*

*Tertiadecima iræ & diſſenſiones.*

*Eccle. 41.*
*Oſee 8.*
*Iſaiæ 57.*

*Iſaiæ 14.*
*Tren. 1.*
*Iſaiæ 65.*
*Quartadecima blaſphemiæ & clamores.*
*Zopho. 1*

qui pœnitentiã non egerunt. Et in Apoc. dicitur: Manducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deũ cœli præ doloribus & vulneribus. Et iterũ: Blasphemauerũt nomẽ Domini, habentes potestatẽ super has plagas. Dolebunt enim quod Deus tantã potestatẽ habeat, quod eos puniat in æternũ. Quia verò clamorẽ pauperũ nõ exaudierũt, clamabunt & nõ exaudientur. Et quia Deũ blasphemãdo iurauerũt, præ acerbitate pœnæ blasphemabũt, electi in æterna beatitudine semper Deũ laudabũt, mortui autẽ æterna morte nõ laudabũt Dominũ, nec omnes qui descendũt in infernũ. Quintadecima pœna erit timor. Timebũt enim horribiles dæmonum facies. Vnde in lib. Sapien. Videntes turbabuntur timore horribili: Ibi enim sempiternus horror inhabitat. Vnde B. Gregor. in Moral. In tormentis huius vitæ timor dolorem habet, nõ dolor timorẽ, quia mentẽ metus nõ cruciat cùm pati cœperit, quod timebat, sed in inferno positi quod timẽt, tolerant, & sine fine formidabunt. De hoc timore dicit Psal. A timore inimici libera animã meã. Et B. Iob de electis ait: Non timebis calamitatẽ, cùm venerit in vastitate & fame ridebis, & bestiã terræ nõ timebis. Quia verò Deũ nõ timuerunt, & sine timore peccauerunt in æternũ, timebunt & formidabunt filij maris, id est, filij huius seculi. Sextadecima pœna erit pudor. Erubescent enim & cõfundentur in sceleribus, & in immunditiis suis, quæ patebũt corã omnibus. Vnde Propheta Naum: Ecce ego ad te, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam Gentibus nuditatẽ tuam, & regnis ignominiã tuam. Et Ezech. ait: Nudabo ignominiam tuam, & videbunt omnes turpitudinẽ tuam. Et Ieremias ait: Quomodo cõfunditur fur quando cõprehenditur, sic confusi sunt. Quia enim frons meretricis facta est eis, & peccata sua erubescere noluerunt, nec detegere sacerdotibus, omnes videbunt peccata eorũ, & erubescent in perpetuum. Septimadecima pœna erit dolor, de quo in Eccles. dicitur: Omnis plaga tristitia est cordis, id est, perfecta plaga. Erit enim eis dolor vehemẽs, quasi parturientis. Extrema enim gaudij luctus occupabit. Vnde Dominus in Euãg. Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis. Lachrymæ autẽ ita calidæ, & ardẽtes erũt, quod eorũ corpora cremabũt. Vnde Isa. ait: Ecce serui mei lætabuntur, & vos cõfundemini. Et in Apoc. Manducauerunt linguas suas præ dolore. Dolebunt autẽ supra modũ, quia pro temporalibus & trãsitoriis amiserunt æterna, & quod pro momẽtanea delectatione semper erunt in pœna & calamitate. Vnde in lib. Sapien. dicitur: Dicent intra sẽ pœnitentiã agẽtes, & præ angustia spiritus gemẽtes, scilicet, quãdo videbunt gloriã electorũ. Hi sunt quos aliquãdo habuimus in derisum, & in similitudinẽ improperij, nos insensati vitã illorũ æstimabamus insaniã. Et paulò pòst: Lassati sumus in via perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viã autẽ domini ignorauimus. Quid profuit nobis superbia nostra, aut diuitiarũ iactantia quid cõtulit nobis? Transierũt omnia illa tanq̃ vmbra. Magis enim dolebũt de gloria quam omiserunt, quàm de pœnis quas sustinebũt. Vnde in Apoc. Tunc plangẽt sẽ super eum omnes tribus terræ. Super quem locũ dicit B. Greg. Non tantũ dolebunt de ipso tormẽto, quàm quod repellẽtur à tali cõsortio. Meritò autẽ sine fine dolebunt, qui vanis gaudiis dediti, cum Christo gaudere noluerũt. Octauadecima pœna erit desperatio. Spes liberationis plurimũ cõfortat in flagellis. Ipsi autẽ nunquã habebunt spẽ euadendi, sed certissimi erunt, quod tam diu cum dæmonibus erunt in pœna, quàm diu sancti cum Deo erunt in gloria. Vnde & Ierem. Insanabilis facta est fractura tua, pessima est plaga: plaga, scilicet, desperationis, eò quòd sanari nõ potuerũt, fracturæ, id est, pœnę eorũ. Et Salomõ in Parab. Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes de eo. Si enim Rex tẽporalis offensus punit tẽporaliter, & Rex æternus offensus puniet æternaliter. Et Ezech. ait. In nihilũ redigã te, & nõ eris requisita, & nõ inuenietis vltrà in sempiternũ. Et quoniã in vita sua nõ in Deo, sed in mundo & in diuitiis suis spẽ habuerũt, meritò pessima plaga desperationis sine fine tabescẽtes absq; vllo remedio cõsolationis & releuationis punientur. Vnde in Psal. Sicut oues in inferno positi sunt, quibus vna lana tonsa, alia succrescit, mors depascet eos, quia semper reparabũtur ad mortẽ & dolorẽ. Horribilia sunt hæc ad cogitãdum, & terribilia ad loquendum, quantò magis grauia erunt ad sustinendum? Quanta prouidentia, quantaq; diligentia debet homo pro viribus suis laborare, vt prædictas pœnas possit euadere, puniendo seipsum temporaliter, ne puniatur æternaliter. Quanta dementia est pro momentanea delectatione æternis supplicijs corpus & animam suam mancipare. Sicut ait B. Iob: Ducũt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

*Apoc. 16.*
*Parab. 21.*
*Quintadecima timor.*
*Sapien. 5.*
*Iob 10.*
*Gregorius.*
*Iob. 5.*
*Osee 11.*
*Sextadecima pudor.*
*Naum. 3.*
*Ezech. 16.*
*Iere. 2.*
*Item 3.*
*Septimadecima dolor.*
*Eccle. 25.*
*1. Thess. 5.*
*Lucæ 6.*
*Isaiæ 65.*
*Apoc. 18.*
*Sapien. 5.*
*Gregorius.*
*Apoc. 1.*
*Octauadecima desperatio.*
*Iere. 30.*
*Parab. 11.*
*Ezech. 25.*
*Iob. 21.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola ad Romanos.

*Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit.*

*Rom. 13.*
*1. Pet. 4.*
*Quod charitas vitæ comparatur.*
*1. Ioan. 3.*
*Item 3.*
*Quod charitas similatur oculo, & de aliis quibus charitas assimilatur.*
*Item 4.*

IN hodierna Epistola exhortatur nos Apòstolus, vt mutuam inter nos charitatẽ habeamus. Charitas enim vita est animæ. Vnde B. Ioannes in Epistola canonica ait: Qui non diligit, manet in morte. Sicut igitur corpus sine anima cadauer est, ita anima sinę charitate, velut cadauer fœtida est, & corrupta. Quando autem incipit amare, incipit viuere. Vnde idem Ioannes: Scimus quoniam translati sumus de morte, quoniam diligimus fratres. Charitas siquidem est quasi oculus mentis. Vnde beatus Ioannes: Qui diligit fratrem suum in lumine manet, qui autem odit fratrem suum, in tenebris est. Charitas est fons

*Cant 4. Prou.5. Ex.70.* hortorũ, puteus aquarũ viuentiũ, fons viuus, cui nõ cõmunicat alienus. In ieiuniis enim & oratione, & eleëmosynis, & aliis operibus de genere bonorũ, in lachrymis & asperitate pœnitẽtię, & habitu religionis possunt alieni à Domino, scilicet, peccatores cũ viris sanctis cõmunicare. In abstinẽtia eriã & castitate, & in aliis operibus virtutũ, sed nõ in charitate. Hæc est enim signaculũ in quo est discretio bonorũ & malorũ. Hic est fons signatus, hortus cõclusus, in quo malis bestiis nõ patet ingressus. Hic est fons ille, de quo in Gen. dicitur: Fõs ascẽdebat de terra irrigãs vniuersam superficiẽ terrę. Terra enim liberi arbitrij sine aquis huius fontis sterilis est, & fructificare nõ potest. Sed & omnes arbores Paradisi, id est, omnes animi virtutes, & omniũ virtutũ opera, nisi hoc fonte irrigẽtur, arescunt. Ipsa charitas mater est & nutrix omniũ virtutũ, omniũ virtutũ opera cõdiens, omnibus saporẽ præbens, cum omnibus conuenientiã habẽs, sicũt sapor panis omniũ ciborũ saporibus cõgruit. Hic est fluuius egrediẽs de loco voluptatis ad irrigandũ Paradisum, qui diuiditur in quatuor capita, id est, ex se procreat quatuor capitales & cardinales virtutes. Vnde B. Augustin. Virtus nihil aliud est, quàm diligere diligendũ. Id eligere prudẽtia est, nullis molestiis inde auelli, fortitudo est: nullis illecebris auerti, temperantia est: nulla superbia inde separari, iustitia est. Hæc est lata, vt Oceanus, quæ etiam vsque ad inimicos extenditur, sicut scriptum est: Latum mandatum tuum nimis. Et iterum: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Hæc est ignis in altari, qui nunquam extinguitur, quo peccati rubigo cõsumitur. Ignis ardens & lucens, vnctio de omnibus docens, tumores sedans, dolores mitigans, oleum superenatans. Hæc est firmamentũ & columna sanctitatis, deambulatoria, quę erant in templo Salomonis in cõmune bona nunquã otiosa totius humani generis pædagoga, nihil humanum à se alienum reputans, quæ sine errore omnia mandata cõprehendit, & sine labore custodit, quæ si desit, frustra habẽtur cætera, si adsit, rectè habẽtur omnia. Sine ea lex iubere poterit, iuuare non valebit. Regnat enim carnalis cupiditas vbi non est Dei charitas. Hæc est quæ peccatorum multitudinem operit, sicut Salomon ait. Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas. Et B. Gregorius: Sicut multi arboris rami, ex vna radice prodeunt, sic multę virtutes ex vera charitate generantur. Nec habet ramus boni operis aliquid viriditatis, si non manet in radice charitatis. Homo sine charitate, est lampas sine oleo, cibus sine sapore, mensa sine pane, sacrificium sine sale, domus sine domino, palatum absq; condimento, lacus sine aquæ, cirpus absq; humore. Ad hanc igitur inuitat nos Apostolus, dicẽs: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Alia enim debita soluuntur, & soluentes absoluuntur. Charitas autem quantò magis soluitur, tantò amplius debetur. Hoc est enim vinculũ quod nõ dissoluitur, quo fidelis quilibet Deo & proximo astringitur. De quo dicit Oseas Propheta: In funiculis Adã trahã eos in vinculis charitatis. His enim vinculis trahimur, cùm beneficia exhibita recolimus, vel exhibenda speramus. Vnde Dominus in Euang. Ego enim cùm exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum. Cùm esset Rex in acubitu suo, id est, in crucis patibulo, nardus suũ dedit odorem. Nardus herba est humilis & calida, & signat Christi charitatẽ, quæ tunc maximè odorem suum dedit, quando Christus, vt nos redimeret, mortẽ pertulit. Fracto enim alabastro, domus impleta est ex odore vnguẽti. Vnde in Cant. dicitur: Recti diligũt te. Qui rectè, scilicet, sentiũt, nec factis dissentiũt, qui nõ reptãt super terrã, sicut serpẽtes, qui à terrenis eleuãtur, nec ad terrã, sicut quadrupedia, incuruãtur. Cùm enim Christus rectus sit, nõ iungitur nisi rectis, nec cohæret distortis. Recti autẽ charitatis glutino firmissimo cohęrẽt, & vsq; ad effusionẽ sanguinis hoc clypeo protecti pro Christo certãt. Perfecta enim charitas, foras mittit timorẽ. Vnde in Canticis: Fortis est vt dilectio, dura vt infernus æmulatio. Sicut autẽ mors à corpore separat animã, ita charitas à carnali voluptate separat hominem. Et sicut infernus nullis terretur suppliciis, ita perfecta charitas nullis cedit aduersitatibus. Aquæ enim multę, vt ait Salomon, nõ poterunt extinguere charitatẽ, nec flumina obruent eam, quia nec aduersis, nec prosperis à Domino separatur, qui verè diligit. Plus enim diligit charitas Deum, quàm cupiditas aurũ & argentũ. Modicæ autẽ aquæ respersio, ignẽ plus accẽdit. Quicquid autẽ aduersitatis charitati occurrat, momentaneum & leue pro Christo reputat. Vnde Iacob pro Rachel septẽ annis seruiuit, & pauci videbantur ei dies præ magnitudine amoris. Ideo beatus Ioannes in Epistola canonica dicit de Christo: Mandata eius grauia non sunt, habenti, scilicet, charitatem, quia leue fit, quod benè fertur onus. Sicut enim lapis magnus in flumine facilè leuatur, ita mandata ex charitate facilè implentur. Charitas enim monet & incitat ad operandum. Diligamus igitur Deum, sicut in Deuteronomio dicitur nobis, toto corde, tota anima, tota fortitudine, id est, prudẽter, dulciter, & fortiter, sic enim S. Bernard. exponit, vel secũdum expositionẽ B. Augustini, Diligamus Deũ toto corde, id est, intellectu sine errore. Tota anima, id est, volũtate sine cõtrarietate. Tota mẽte, quod alibi dicitur, id est, memoria sine obliuione. Quoniã autẽ non potest diligi Deus, nisi diligatur proximus, sicut ait B. Ioãnes: Qui nõ diligit fratrẽ suũ quẽ videt, Deũ quem nõ videt, quomodo diliget? Proximos nostros diligamus, teste enim eodẽ Ioãne: Omnis qui diligit eũ qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniã diligimus natos Dei, cùm Deũ diligamus, & mãdata eius faciamus. Hęc sunt verba Ioãnis: vnde iterũ ipse dicit: Si quis dixerit, quia diligo Deũ, & fratrẽ suũ oderit, mẽdax est. Qui enim fratrẽ suũ odit, homicida est, nõ solũ fratris sui, cuius mortẽ appetit, sed suiipsius, qui animã suam per fratris odiũ extinguit. Qui igitur Deũ syncero corde diligit, nihil odit eorũ, quę Deus fecit, sed q; scit Deũ amare illud diligi-

*Cant. 4. Gene. 2.*

*Multiplex commendatio charitatis. Simile.*

*Augustinus.*

*Leuit. 6. 1. Ioan. 5. Ioan. 2. Cant. 3. 1. Tim. 3.*

*1. Petri. 4. Prou. 10. Gregorius.*

*Osee. 11.*

*Ioan. 12. Cant. 1.*

*Matth. 24.*

*Gene. 3.*

*1. Ioan. 4. Cant. 8. De virtute charitatis perfecta. Simile. Item. 8.*

*1. Cor. 4. Gene. 31. 1. Ioan. 5.*

*Simile.*

*Qualiter diligendus sit Deus & proximus. Deut. 6. Bernardus. Augustinus. 1. Ioan. 4. Item ibidem.*

*Item 4.*

Si enim

Si enim placet ei artifex,& in ipso delectatur,quia diligit creatorẽ,diligit opera artificis,scilicet, creaturã.Diligendus est ergo Deus propter se,scilicet,quoniã bonus,diligẽdus est proximus in Deo vel propter Deũ,quod nihil aliud est, q̃ in proximo diligere Deũ,& dona Dei vel optare ei verũ bonũ.Diligẽdo igitur proximũ,diligit in proximo Deũ,vnde neuter sine alio diligi potest. Qui enim aliquem diligit,de lucro eius gaudet,& ipsum pro posse suo procurat & quẽrit. Proximus igitur licèt malis & discolis,bonũ optare debemus,vt Deo quẽ amamus,inde proueniat lucrũ,& diabolo detrimentũ. Iniquitatẽ autẽ quæ à diabolo est,odio habere debemus. Iuxta illud:Iniquitatẽ odio habui,& legẽ tuã dilexi.Legem,scilicet,charitatis,secundũ quã videbat Propheta præuaricãtes,& tabescebat. Ipsos tamen in eo quòd homines diligebat,quod est odiũ perfectorũ,sicut ipse ait:Perfecto odio oderã illos. Quod autẽ ait Apost. Nemini quicquã,&c.de peccatorum debito intelligendũ est. Qui enim fratri suo iniuriã facit,debitorẽ ei se constituit.De talibus debitoribus dicitur in Oratione dominica:Demitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.Illis,scilicet,qui in nos peccauerunt.Nemini igitur quicq̃ debeatis,ne simus de his,de quibus ait Psal.Mutuabitur peccator,& nõ soluet.Dilectionem tamen ita soluamus,quod semper diligamus,& hoc vinculo semper obligati sumus. Qui enim proximũ diligit,legẽ impleuit.Apost.autem dicit:Iusto nõ est lex posita,sed propter trãsgressores factæ sunt legales cõstitutiones,scilicet,nõ occides,nõ mœchaberis,nõ furtũ facies,& cõsimilia.Qui autẽ charitatẽ habet,vt Deũ super omnia diligat & proximũ suũ sicut seipsum, Deũ quem præ omnibus diligit,nõ offendit,nec proximo suo iniuriã facit,quem sicut seipsum diligit,& ita omnẽ legẽ impleuit.Per charitatẽ enim diffusam in cordibus nostris,voluntatem habemus implendi,quod per legem nouimus. Quãtò autẽ magis crescit charitas,vt ait Augustin. tantò decrescit carnalis cupiditas, & resistitur carnali cõcupiscentiæ fortiore robore charitatis. Vbi verò nõ est charitas,regnat & dominatur sensualitas.Si enim à diuino spiritu nõ iuuatur, secundum legem volens viuere,vincitur, & peccato subditus in seruitutẽ redigitur, & peccati seruus efficitur,à quo superatur adiecto cumulo præuaricationis.Habet enim scientiã ex lege, sed sine charitate,quod per legẽ nouit,nõ potest perficere.Plenitudo igitur legis,est charitas,& ad ipsam omnia,tam mãdata,quàm opera referuntur,& per ipsam adimplentur.Si enim Deum diligit homo,delectatur in Domino,& fructus eius,omne bonũ,scilicet,quod ab eo est,dulcis gutturi suo.Et quoniã diligit bonum,odit & fugit cõtrarium.Odit igitur superbiã,quia diligit humilitatẽ:odit inuidiã,quia diligit charitatẽ.Et ita de aliis vitiis.Et quia proximũ diligit,quod sibi fieri nõ vult,illi non facit,quod est declinare à malo. Et rursus,quia charitas otiosa non est, eis quos diligit,bona desidetans,si habet facultatem,facit. Et ita quæcunque vult vt faciant sibi homines,eadẽ facit illis,maximè qui appetit placere Deo,quem super omnia diligit,& scit quod aliter placere nõ potest,nisi mandata eius obseruet. Vnde ipse Dominus ait: Si quis diligit me, sermones meos seruabit. Sic igitur declinat à malo,& facit bonum,eò quòd diligit Deum & proximum,comedens mel & butyrum : dilectionem,scilicet, Dei & proximi in se habens, vt sciat & velit per duo mandata charitatis,reprobare malum & eligere bonum . In verbo igitur charitatis,in verbo,scilicet,abbreuiato,quod Dominus fecit super terram,in mandato dilectionis omne aliud mandatum,vt ait Apostolus,instauratur. Charitas enim,id est,amor veritatis,vincit amorẽ vanitatis,scilicet,mundi,& omniũ quæ in mũdo sunt. Quę sunt cõcupiscentia carnis, concupiscentia oculorum,& superbia vitæ.Gustato autem spiritu desipit omnis caro. Nemini igitur quicquam debeamus,vt verè liberi simus. Mutuabitur enim peccator talentum naturæ & gratiæ à Deo,talentum culpæ à diabolo.Obligatur,sed nec soluit,nec absoluitur.

*1.Petri 2.*
*Rom.13.*
*Quod charitas legem implet.*
*Gala.5.*
*Rom.5.*
*Augustinus.*
*Ioan.8.*
*Quod charitas omnia mandata implet.*
*Cant.2.*
*Tob.4.*
*1.Cor.13.*
*Matth.5.*
*Lucæ 6.*
*Ioan.14.*
*Isaiæ 7.*
*Item.10.*
*Rom.13.*
*1.Ioan.2.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Matthæum.

*Matth.8.*

*Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.*

*Verbum Dei dicitur mãna & assimilatur ei.*

PARATVM panẽ de cœlo præstitisti eis sine labore,omne delectamentũ in se habentem, & omnis saporis suauitatẽ. Dominus dedit filiis Israël mãna de cœlo,quàm diu fuerunt in deserto.Et nobis in deserto huius miserę peregrinationis semper necessarius est panis cœlestis doctrinæ, quo reficiamur ne deficiamus in via . In terra autẽ promissionis deficiente mãna,vsi sunt solido cibo,& comederũt fructus illius terræ.Et nos post hanc vitã nõ indigebimus prędicatione,vel aliqua doctrina.Omnes enim erũt docibiles Dei,quãdo legẽt in libro vitæ,& vescẽtur fructu illius terræ,quãdo satiabuntur ab vbertate domus Domini.Nunc autẽ debemus manè colligere mãna,sicut filij Israël ad literã manè colligebant . Expulsis enim peccatorum tenebris, & somno torporis,cum diligẽtia & sollicitudine debemus mãna verbi Dei colligere in corde,orto luce gratiæ.Quia in maleuolã animã nõ introibit sapientia. Dominus enim manè adduxit operarios in vineã suã. Et in Cantic.dicitur:Mane surgamus ad vineas.Et in Psalmo:In mãtutinis meditabor in te. Vidẽtes filij Israël manna præ admiratione dixerunt, manhu,quod significat: Quid est hoc? Admirabilia enim sunt verba cœlestis sapientiæ profunditate & sublimitate sua.Et debemus interrogare sapientes: Quid est hoc,vt intelligamus.Erat autem manna minutũ,quasi pruina alba,siue ros matutinus.Verbum enim Domini irrigat terram liberi arbitrij , & refrigerat ardorem tentationis , Minutum propter eius subtilitatem,

*Sap.16.*
*Exod.16.*
*Iosue 5.*
*Ioan.6.*
*Iere.31.*
*Quòd mane colligendum est mana.*
*Exod.16.*
*Sap.1.*
*Matth.20.*
*Cant.7.*
*Exod.16.*
*De admirabili verbi Dei profunditate.*
*Cuiusmodi fuerit manna.*

*Simile.*

magnam tamẽ intrinſecus cõtinet virtutẽ, ſicut lapides pretioſi parui ſunt quãtitate, ſed magni virtute. Erat autẽ albũ, & guſtus eius ſimilæ cũ melle. Albũ eſt enim verbũ Domini ab effectu. Iuxta illud: Præceptũ Domini lucidũ, illuminãs oculos. Doctrina ſecularis eſt, quaſi panis furfureus. Doctrina cœleſtis panis delicatus, ſimilagineus ſine furfure falſitatis, vel ſine cortice literæ, quãdo ſpiritualiter intelligitur. Iuxta illud: Ex adipe frumẽti ſatiat te, id eſt, medulla tritici, ſpirituali, ſcilicet, intelligẽtia. Habet autẽ mellis ſaporẽ homini ſanum palatum cordis habẽti, vt poſsit dicere cum Propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et Ezechiel ait: Comedi volumen, & factum eſt in ore meo, quaſi mel dulce. In libro autem Sapientię dicitur, quod deſeruiẽs vnuſquiſq; voluntati, ad quod quiſq; volebat, cõuertebatur. Verbũ autẽ Domini varios habet ſapores, ſecundũ diuerſas hominũ voluntates. Quidã enim verbũ Dei faſtidiunt, & eſt eis inſipidũ ex cordis eorum tepiditate, licèt ſit dulce in eſſe. Aliis autẽ eſt amarũ, qui verbis Dei nõ obediunt, ſed magis perſequuntur doctores, & cõtradicunt, cùm tamẽ ſcriptum eſt: Eſto cõſentiens aduerſario tuo dum es in via, id eſt, verbo Dei, quod aduerſatur carnali voluntati noſtræ. Qui autẽ purũ habẽt cordis palatũ, & mundã conſcientiã, ſecundũ deſideriũ ſuum ſapit eis verbũ diuinũ, omne delectamentũ in ſe habẽs, & omnis ſaporis ſuauitatẽ. Vnde dicitur in Exod. ad Solẽ liquefiebat, ad ignẽ verò durũ efficiebatur. Qui enim radios veri Solis in ſe recipiunt, ſicut ad verbũ Dei liquefiunt. Iuxta illud: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. Ita verbũ Dei liqueſcit eis, vt eos irriget & recipiãt cœleſtis gratię humorẽ, & ſentiãt eius ſuauitatẽ, & facilè percipiãt diuinã ſapientiã, ſicut in lib. Sapientiæ dicitur: Sapiẽtia facilè videtur ab his, qui diligunt eam. Qui de luce vigilauerit ad illã, nõ laborabit. Aſsidentẽ enim illã foribus ſuis inueniet. Iuxta illud quod prẽmiſſum eſt: Paratũ panẽ de cęlo prẽſtitiſti eis ſine labore. Et Dominus diſcipulis ait: Dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Ad ignẽ autẽ cupiditatis & luxurię indureſcit hoc mãna, vnde hi qui abierunt retrorſum, audito verbo Domini, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eũ audire? Frãgebatur autẽ cũ mola. Aſsidua enim meditatione, quaſi mola inferiori, & diuina reuelatione, tanq; mola ſuperiori, intelligũtur diuinę ſcripturę. Quãdo autẽ vſq; ad aliũ diẽ reſeruabatur, putreſcebat, & vermibus ſcatebat. Quidam autẽ per auaritiã ſciẽtię ſuę verbũ Dei reſeruãt, & abſcõdunt. Audiãt iſti q, ſcriptũ eſt in Pſal. Labia mea nõ prohibebo, Domine tu ſciſti. Et in lib. Sapientiæ: Quã ſine fictione didici, & ſine inuidia cõmunico. Alij per negligentiã reſeruãt, qui cũ verbũ Dei agnoſcãt, verba in opera vertere differũt, quibus meritò vermibus ſcatere dicitur mãna verbi Dei. Qui enim ſciunt & nõ faciũt, bonã conſcientiã habere nequeũt. Quãdo tamẽ reſeruabatur ad opus ſabbati, nõ cõputreſcebat. Quę enim fiunt, vel addiſcũtur propter futurã requiẽ, in futuro ſeculo permanebũt: Iuxta illud: Opera illorũ ſequuntur illos. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quidã autẽ ex filiis Iſraël faſtidiebãt mãna, dicẽtes: Vtinã mortui eſſemus per manũ Domini in terra Ægypti, quãdo ſedebamus ſuper ollas carniũ. Anima enim noſtra arida eſt, & nauſeat ſuper cibo iſto, nihil aliud reſpiciũt oculi noſtri niſi mãna. Et iterũ: Quis dabit nobis ad veſcendũ carnes? Recordamur piſciũ, quos comedebamus in Ægypto gratis. In mẽte veniunt nobis cucumeres, & pepones, porriq; & cępe, & allia. Super hoc ait B. Greg. Quid in mãna, niſi eſca gratię ſuauè ſapiẽs? Quid per pepones, niſi terrenę dulcedines. Quid per porros, & cępas, & allia exprimitur, quę plerunq; qui comedũt, lachrymas emittũt, niſi difficultates vitę pręſentis, quę à ſuis dilectoribus, & nõ ſine luctu agitur, & tamẽ cũ lachrymis amatur? Nolite igitur fratres, mãna cęleſtis doctrinę hodie faſtidire, ſed orate Dominũ, vt hoc ſuaui cibo animę veſtrę reficiãtur. Aſcẽdente Ieſu in nauiculã, &c. Dominus nauẽ aſcẽdit, in naui dormiuit, quo dormiẽte, irruẽtibus ventis, turbatur mare, timẽt diſcipuli, clamãtes ipſum euigilãt. Ipſe imperauit ventis & mari, & facta eſt trãquillitas magna. Nõ ſolũ in terra, ſed aliquãdo in mari Dominus miracula facere voluit, vt ſe Deũ terrę & maris oſtẽderet. De quo ſcriptũ eſt: Tu dominaris poteſtati maris, motũ autẽ fluctuũ eius tu mitigas. Dum autẽ ventis & mari imperabat, virtutẽ in ſe diuinitatis oſtendẽs, fidẽ in diſcipulos roborat. Per hoc etiã nos ſpiritualiter ex factis ſuis inſtruxit, & in naui dormire voluit, & tempeſtatẽ inſurgere permiſit. Dormiuit in naui Chriſtus, dum in ligno crucis pro nobis mortẽ ſuſtinuit. Vnde Lucas dicit, q, obdormiuit in naui, ſicut ſcriptũ eſt de eo: Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exſurrexi. Dormiſſe dicitur in morte, quia mortuus eſt ſpõte, & quia poteſtatẽ habuit ponere animã ſuã, & iterũ reſumere eam. Crux autẽ eius nauicula dicitur, qua mediãte de mundi naufragio euadentes, ad portum ſalutis perueniunt, piratis, id eſt, dæmonibus cõfuſis & deuictis. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Benedictum lignum per quod fit iuſtitia de latrone illo, qui, ſcilicet, hominum animas prædabatur. Marcus dicit, quod erat in puppi ſuper ceruical dormiẽs. Quidam in ſentina dormiunt, qui in infimis voluptatibus ſubmerſi iacent. Chriſtus verò in parte ſuperiori, ſcilicet, in puppi, ſuper ceruical dormiebat. In ſuauitate enim dilectionis pro nobis mortem pertulit, & ſomnus eius dulcis fuit ei. Paſſus eſt autẽ ſecundum humanitatẽ, quę cõparatur ceruicali, propter plumarum ſuauitatem, & lini candorem. Ipſe enim in humanitate ſua mitis fuit, & ſuauis, feſsis prębens requiem, & laborantibus recreationem. Mitis corde, candidus corporis caſtitate. Vnde dicitur in Iob: In nidulo meo moriar. Nidus enim aſperitatem habet exterius, interius ſuauitatem. Ipſe autem in cruce multa dura & aſpera, ſecũdum humanitatem ſuſtinuit exterius, qui tamen charitatis dulcedine ſuauitatẽ habuit interius. Ipſo autem dormiente in cruce, facta eſt tempeſtas magna, vt ferè per deſperationẽ mergerentur diſcipuli, quos expe-

*Deut. 32.*

*Ezech. 2. Sap. 16.*

*De multiplici verbi ſapore.*

*Matth. 5.*

*Sap. 16. Exod. 16. Cant. 5.*

*Sapien. 6.*

*Matth. 16. Manna dureſcit ad ignem, frangitur ad molam. Ioan. 6. Num. 11. Exod. 16.*

*De his qui abſcondunt ſcientiam. Sapien. 7. Exod. 16.*

*Apoc. 14. Gala. 6.*

*De his qui faſtidiunt verbum Dei. Exod. 16. Num. 11. Gregorius.*

*Quare Dominus in mari miracula facere voluit.*

*Nauis comparatur cruci, dormitio morti. Lucæ 8. Ioan. 10. Sap. 14. Mar. 4.*

*Ceruical comparatur humanitati Chriſti propter ſuauitatem. Iere. 31. Parab. 3. Matth. 11. Iob 29.*

*Quod in morte Chriſti facta eſt tempeſtas in diſcipulis.*

quos expetierat sathã cribrare sicut triticum. Percusso enim pastore dispersę sunt oues. Hoc est quod legimus de Iona Propheta in figura Christi, quod ipso dormiẽte in naui, turbatũ est mare irruentibus ventis, facta est tempestas magna, timẽtibus discipulis & clamãtibus. Postquam de somno mortis surrexit Dominus, pacẽ discipulis attulit, vt nõ turbarẽtur, nec formidarẽt corda eorũ, & facta est tranquillitas magna, sicut scriptũ est: Ad vesperũ demorabitur fletus & ad matutinum lętitia. Columba enim, cessante diluuij tempestate, ramũ attulit oliuę. Et Christus post mortis suæ turbationẽ, nõ solùm discipulis suis, sed vniuerso mundo attulit pacẽ, dum per diuersitatẽ linguarũ multarum, Gentes in vnitatẽ fidei cõgregauit, quę priùs per idolatriã & infinitos errores diuisæ erãt, & sibi inuicẽ cõtradicebant. Per nauiculã autẽ in qua Christus dormiuit, intelligimus eius humilẽ Ecclesiã, quę fluctibus persecutionũ vndiq; tunditur, sed tamẽ eã Domino cõseruante, nõ mergitur. Hæc est Petri nauicula, cuius nauclerus Christus est, remiges Apostoli, ampluſtre seu gubernaculũ doctrina Christi & Apostolorũ. Hęc est arca veri Noë, qui requies interpretatur, id est, Christi, de lignis Sethim fortibus & imputribilibus cõstructa. De lignis etiã quadratis & leuigatis, id est, de sanctis planis & suauibus & quadratis virtutibus, qui bitumine charitatis tanquã glutino feruẽtissimo sibi inuicẽ cõiunguntur, nõ solũ interius in affectu, sed exterius in effectu. Arca enim interius & exterius linita erat bitumine, cuius diuersę mãsiones, diuersos status fideliũ in Ecclesia significãt: volucres enim, id est, perfecti & contẽplatiui in parte superiori habitabãt, reptilia in inferioribus, quasi in sentina, scilicet, in profundo viatiorũ cõmorantur: mitia autẽ animalia in medio manẽtia, mediocres in Ecclesia designãt. Lata enim erat inferius, sed stricta superius, quia multi vocati, pauci verò electi. Ostiũ arcę est Christus, fenestra vulnus lateris eius. Per apothecariã doctores, per stercoriam intelligimus peccatorum confessionẽ. De hac nauicula dicit Salomõ in cõmendatione fortis mulieris: Facta est quasi nauis institoris, id est, Christi mercatoris, qui admirabili cõmercio largitus est nobis pro sacco purpurã, id est, pro sacco nostræ mortalitatis, largitus est nobis suã deitatẽ. Hęc nauis ne titubet vel mergatur, spei anchora stabilitur, quę nõ in luto temporaliũ, sed in soliditate æternorũ bonorũ debet affigi. De qua Apost. ad Hebr. Firmissimũ solatiũ habemus, qui cõfugimus ad tenendã propositã spẽ, quã sicut anchorã habemus animę tutã & firmã, & incedentẽ vsq; ad interiora velaminis. Velũ est amplitudo charitatis, quę dilatatur ad dexterã & ad sinistrã, & operit multitudinẽ peccatorũ. Hoc autẽ velum aura gratię & spiritussancti spiramine impellitur, vt per ipsam cum malo & antẽna, id est, virtute crucis nauis recto itinere dirigatur. Antẽna enim cum malo signũ repręsentat crucis. Exprimẽdo enim crucis signum, nautę nauigãt, homines narant, aues volãt. Hęc sunt duo ligna, quę colligit mulier in Sarepta Sydoniorũ, vt in se charitatis ignẽ accẽderet, & de modica farinula panẽ spiritualis refectionis sibi coqueret. Funes autẽ huius nauis sunt diuina prędicta, quorũ impletione velum charitatis extẽditur & augmẽtatur, & ne decidãt, sustentatur. Charitas enim nõ est otiosa, quia proficit operando, vel deficit. Hi sunt funes quibus extractus est Ieremias de lacu appositis & circumligatis pannis veteribus, id est, veterum Patrum exẽplis. His eius duobus, scilicet, præceptis & exẽplis, de lacu miseriæ & de luto fęcis, extrahitur peccator. De his autẽ qui prędictis funibus ligari renuuunt, dicẽtes, dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum, cõqueritur Dominus per Isa. dicẽs: Liuor & vulnus, & plaga tumẽs, nõ est circumligata. Hæc nauicula more aliarum nauium in duobus capitibus, scilicet, in prora & puppi eleuata, est fortis & stricta. In medio autẽ latior est, debilior submissa & magis onerata. Sancta enim Dei Ecclesia, quæ terribilis est, vt castrorũ acies ordinata, in principio & in fine milites fortiores disponit in acie, scilicet, sanctos Apostolos & Martyres, qui eleuati à terrenis pręcesserũt, & in fine mundi pugnaturi cõtra Antichristũ, subsequentur. In medio autẽ multitudo fideliũ inutilibus diuitiis, quasi saburra onerata est, debilior ad resistẽdum tentationibus, & depressa, vt velut aquis marinis bonis temporalibus & trãsitoriis ex parte immergatur. Hęc est Luna, quę nõ habet claritatẽ nisi à Sole, in medio latitudinis maculã habẽs, in principio autẽ & in fine, stricta est & gracilis. Sicut enim pauci fideles fuerũt in principio, ita erit in fine mũdi, quãdo refrigescet charitas multorũ. Vnde Dominus ait in Euãg. Cũ venerit filius hominis, putas inueniet fidẽ in terra? In hac igitur nauicula Dominus dormire dicitur, quãdo quasi dissimulãs, & se longius fingẽs abire, insurgẽtibus ventis validis, & fluctibus persecutionũ, Ecclesiã suã cõcuti permittit & flagellari. Vt vbi maior sit pugna, maior sit & corona, vt eius patientia duris exerceatur, & humilitas in ea cõseruetur. Et vt tribulatio sit ei ad purgationẽ, sicut fornax auro, & linia ferro, & flagellũ grano. Iuxta illud: Propter iniquitatem contristi hominẽ. Turbatur prętera mare, vt timorẽ incutiat, ne securitate torpeamus, & ad ipsum in tribulatione clamemus. Sicut legimus de filiis Israël: Cùm occideret eos, quærebant eum. Et iterum: Imple facies eorum ignominia, & quęrent nomẽ tuum Domine. Multiplicatæ sunt iniquitates eorum, postea accelerauerunt. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos Dominus: sicut Ionã fugitiuum tempestas reduxit ad Dominum, & filius prodigus necessitate compulsus, coactus est ad patrem redire. Dominus enim stat ad ostium, & pulsat per flagella & tribulationes, per ægritudines corporis, mortem propinquam nunciando, vt aperiatur ei qui fingit laborem in præcepto. Laborẽ enim fingere dicitur, id est, formare. Informis enim est si nõ corrigit. Vnde in Ecclesiast. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ. Disciplina enim Domini tanquã præceptum nos instruit, & voluntatẽ Domini nobis ostẽdit, significãs quid Deus velit, sicut ipse per Ieremiam Prophetam ait:

*Luce 22. Zach. 13. Ionæ 1.* *Christus resurgens pacem attulit.* *Luce 24. Gene. 8.* *Nauicula comparatur ecclesiæ.* *Gene. 6. Ecclesia cõparatur arcæ.* *De diuersis mansionibus arcæ & aliis partibus eius.* *Matth. 20.* *Parab. 3.* *Anchora comparatur spei.* *Heb. 6.* *Iacob. 4. 1. Petri 4.* *De velo charitatis.* *De aura spiritus sancti & malo crucis.* *3. Reg. 18.* *De funibus præceptorum.* *Ierem. 38.* *Isaiæ 1.* *Cant. 6.* *Matth. 24. Luce 18. Item 24.* *Dormit Dominus cum dissimulat subuenire.* *De vtilitate tribulationũ.* *Ioñæ 1. Luce 11. Apoc. 3.* *Eccle. 1.* *Ierem. 30.*

*Simile.* Castigabo te in iudicio, vt nō videaris tibi innoxius. Sicut autē milites emeriti filios suos in prę-
liis & torneamētis ad exercitiū permittūt verberari, ita q, penè deficiūt, sed tamē in arcta necessi-
*Isaiæ 28.* tate succurrūt, ita Dominus suos in pręsenti flagellari permittit ad probationē, & vt vexatio intel-
*Osee 2.* lectū det auditui, & vt eos intrare cōpellat per flagella. Vnde Dominus in Osee: Ecce ego sepiā
vias tuas spinis, & sepiā eam maceria, &c. & dicet, vadā & reuertar ad virū meū priorē. Hęc est
*Num. 22.* asina Balaā, quę afflicta videt Angelū, Dominus enim per flagella cōpellit, per beneficia blādiūtur,
*Actuum 14.* per scripturas exhortatur. Et quoniā per multas tribulationes oportet intrare in regnū cœlorū,
tempora enim gratulādi nō pręueniunt tempora patiēdi, permittit Dominus irruere ventos, ma-
*Gene. 24.* re turbari. Loquitur Ioseph asperè fratribus suis, vt in paucis vexati, in multis benè disponātur,
vt de se nō pręsumāt, sed timentes ad Deū in tribulationibus clamēt: Exurge, quare obdormis
*Sap. 3.* Domine? Et quoniā scriptū est: Nō relinquet Dominus virgā peccatorū super sortē iustorum,
excitatus Dominus tanquā potus, crapulatus à vino increpat mare, & statuit procellam eius in
*De tranquillitate post tribulationem.* aurā, & fluctus eius silere facit, & fulgura in pluuiā cōuertit. Vnde Marcus ait: Et exurgēs cōmi-
*Mare comparatur mundo.* natus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus, & facta est trāquillitas magna. Hoc autē mare magnū & spatiosum manibus, in quo reptilia, quorū nō est numerus, mundū
*De his quæ in mare continentur.* istum significat, vel amaritudinē peccatorū. In profundo autē huius maris sunt reptilia, quę non
*Leuit. 11.* habēt squamas vel pennulas, vt desiderio ęternorū eleuētur super aquas, sed reptāt in profundo
maris super terrā per auaritiā. Sunt ibi monstra innumera, homines, scilicet, monstruosi, qui se-
*Parab. 18.* cundum diuersa vitia diuersis mōstris cōparantur. Belua multorū capitum dicitur, qui diuersas
habet in Ecclesia dignitates. Sunt ibi Sirenes voluptatis vsq; in exitiū dulces: Delphini, qui lu-
*Abacuc. 1.* dunt imminēte tempestate. Iuxta illud Salomonis: Ante ruinā exaltatur cor. Sunt ibi Cete gran-
*De diuersis maris periculis, et quod per syrtes intelligitur via aspera sæculi.* dia, & alij pisces maiores, scilicet, potētes huius seculi, qui deuorāt pisces minores, id est, paupe-
res. Vnde Abacuc: Quare respicis cōtemptores, & taces conculcāte impio iustiorē se, & facies ho-
minis quasi pisces maris? In hoc mari sunt syrtes, scopuli, scilicet, sub fluctibus latentes, quibus
*Ecclę. 21.* naues colliſæ franguntur. Dura enim & aspera est via huius seculi, & latent insidiæ diaboli. Via
*Sap. 1.* enim stultorū cōplantata est lapidibus. Et in lib. Sapi. in persona reproborū dicitur: Ambulaui-
*De charybdi gulæ.* mus vias difficiles. Duritia autē lapidis peccatū signat obstinationis. In hoc mare est charybdis,
*Iudæ 1.* vorago, scilicet, gulositatis, quę propriè gastrimargia appellatur, eò quòd omnia in castris ven-
*1. Cor. 6.* tris mergat. Inde grauatur stomachus, turbatur sensus, opprimitur intellectus, morbi generātur,
*De stilla iræ.* luxuria prouocatur, inferius & superius turpiter egeritur, quod turpiter ingeritur. Vnde Apostо-
lus Iudas: Hi sunt in epulis suis maculæ, cōuiuantes sine timore. Et Paulus: Esca ventri, & ven-
ter escis, Deus autē hunc & hanc destruet. In hoc mari est stilla, latratū prębēs dū fluctus pro-
*2. Tim. 2.* cellosi tumultuātur, & in rupibus allidūtur. Hi sunt crudeles & inquieti homines, ira feruētes,
*Isaiæ 3.* iurgiis & cōtumeliis sese prouocātes, cùm tamē dicat Apost. Seruū Dei nō oportet litigare, sed
*De collisione & pugna potentium quæ bitalassa comparatur.* mansuetū esse ad omnes. De his autē ait Isa. Tumultuabitur puer cōtra senē, & ignobilis cōtra
nobilē. In hoc mari sunt bitalassa, vbi cū impetu magno cōcurrunt duo maria. Quod fit quando
*Parab. 13.* potētes huius seculi, de quibus Salomō ait: Inter superbos semper iurgia sunt, sese inuicē impug-
*Matth. 16.* nantes ex bellis & mutuis cędibus multos secū in perditionē trahūt. Qui enim gladiū acceperit,
*Sap. 6.* gladio peribit, huiusmodi potētes potēter tormēta patiētur. Vnde in Iob de Behemoth dicitur:
*Iob 39.* Procul odoratur bellū, & exhortationē ducum, & vlulatū exercitus. In hoc mari sunt piratę, scī-
*De piratis.* licet, dęmones, dicti à pyr, quod est ignis: vnde de Behemoth, id est, diabolo, dicitur in Iob: Flā-
*Item 41.* ma de ore eius egreditur. Piratæ sunt etiā infernales dęmonū satellites, qui deprędātur, & spo-
*Isaiæ 33.* liāt incautos, innocētes. De quibus Isa. Proph. ait: Vę qui prędaris, nónne & ipse prędaberis? Et
*Sopho. 3.* Sophonias: Iudices eius lupi vespere, nō relinquebāt in mane. In hoc mari sunt venti & spiritus
*De vento sugestionis & procella tentationis.* procellarū, scilicet, suggestiones dęmonū, flatus immundorū spirituū. De quo dicitur in Iob: Ha-
*Iob. 41.* litus eius prunas ardere facit, & persecutiones impiorū hominū. Vnde in Psal. Qui educit ven-
tos de thesauris suis. In thesauris pretiosa ponūtur: flagella autē & persecutiones pretiosa dicun-
tur, quia purgāt animas, & reddūt pretiosas. De secretis locis exeūt venti, nescimus vnde veniāt,
vtrū enim propter purgationē vel propter indignationē, & iram cōtra Deus ventos insurgere
permittat, ignoramus. Iuxta illud: Quis nouit potestatē irę tuę, & prę timore tuo irā tuā dinu-
*Apoc. 7.* merare? De his ventis dicitur in Apoc. Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos ter-
ræ, tenētes quatuor ventos terræ, ne flarēt super terrā, nec super mare, nec super vllā arborē. Et
*Ezech. 1.* in Ezech. dicitur: Vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Aquilo enim, id est, diabo-
lus immittit ventū malę suggestionis & persecutionis, quibus turbat mare, sicut scriptū est: Cō-
*De proprietatibus maris.* moti sunt, & turbati sunt sicut ebrius. Hoc mare tumidū est per superbiā. Iuxta illud: Ascēdunt
*Lucæ 18.* vsq; ad cęlos, & descēdunt vsq; ad abyssos: qui enim se exaltat, humiliabitur. Procellosum est &
*Isaiæ 57.* feruens per inuidiā & irā. Impius quasi mare feruens. Vnde Iob de Behemoth: Feruescere faciet
*Iob 41* quasi ollā profundū maris. Tenebrosum est & nubulosum per acediam & malā tristitiā. De qua
*1. Cor. 7.* Apost. Tristitia seculi mortē operatur. Et in Psal. Fiat via illorū tenebrę & lubricū. Omnia flu-
*Eccle. 1.* mina in se recipit, & nō redundat per auaritiā. Iuxta illud Salom. Auarus nō implebitur pecunia.
*Item 5.* Hęc est sanguisugę filia, quę semper clamat: Affer, affer. Vnde & illi qui submerguntur in mari,
*Eccle. 4.* quicquid tenere possunt, firmiter tenētes, abire nō permittūt. Hi sunt auari, quorū manus porre-
cta est ad accipiendū, collecta verò ad dandū. Spumat per gulā & luxuriā. Vnde Iudas in Epist.
*Iudæ. 2.* cano. Hi sunt fluctus fęui maris despumātes suas cōfusiones. Salsum est & amarū propter malā
*Ierę. 2.* cōscientiā. Vnde Ierem. Scito & vide quàm malū est & amarū reliquisse Deū tuū. Et per varias
afflictio-

afflictiones, vnde Dominus in Euang. In mundo pressurã, in me autẽ pacẽ habebitis. Fœtidũ est per immũditias & corruptiones, & peccatorũ infamiã. Vnde Dominus per Amos Prophetã: Ascẽdere feci putredinẽ castrorũ vestrorũ in nares vestras, & nõ estis reuersi ad me. Et Isa. Peccatũ suũ quasi Sodoma prędicauerunt, nec abscõderunt. Mare viuos retinet & attrahit, & mortuos expellit. Iuxta illud: Si de mundo fuissetis, mundus quod suũ est, diligeret. Et Samaritani noluerũt recipere Dominũ, quia habebat faciẽ euntis in Hierusalẽ. Inter alia maris pericula, magnum est periculũ, quãdo aura deficiẽte nauis nõ potest procedere. Quãdo enim aura diuinę gratię deest nobis, acedia & ignauia torpemus, & dies nostros otiosè & inaniter cõsumimus. Vnde in Parab. Et eris quasi dormiẽs in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. Vos igitur fratres charissimi, si tempestas cõtra vos insurgat in hoc mari, nõ sinatis per torporẽ vel per peccatũ aliquod Christũ dormire in cordibus vestris. Si enim dormiamus ei, ipse domiet nobis. Euigilemus ipsum voce clamãdo, cõfitendo, laudãdo, manu bene operãdo, vt ipse sedare velit in nobis maris procellã curarũ, scilicet, sollicitudinẽ & diabolicã suggestionẽ. Abiiciamus de naui nostra omnẽ saburrã, omnẽ, scilicet, superfluitatẽ & sarcinulas inutiles, cũ quibus nemo natare potest. Sicut scriptũ est in Iob: Metuebã Dominũ tanq̃ fluctus super me veniẽtes. In tẽpestate enim maris nõ solũ superflua, sed plerunq; necessaria, vt nudi euadãt, in mare proiiciũt, qui in periculo sibi metuunt. Regamus prudẽter & cum omni cautela nauiculã cordis nostri. Teneamus in manu amplustre seu gubernaculũ fidei. Fides enim sine operibus mortua est. Erigamus malũ in naui, id est, constantiã & firmũ propositũ benè operãdi. Suscipiamus aurã gratię ventũ spiritus sancti in velo cordis dilatati per charitatẽ & deuotę operationis hilaritatẽ. Extẽdamus funes intensę voluntatis, vt nõ remaneat in nobis ruga duplicitatis. Funibus etiã diuini timoris omnia membra nostra cõstringamus. Iuxta illud: Cõfige timore tuo carnes meas. Vt autẽ sit nauis cordis nostri stricta in principio & in fine per humilitatẽ, recordemur frequẽter principiũ nostrum & finẽ, & ad memoriã reducamus, q, nihil in hunc mundum intulimus, haud dubium q, nihil nobiscum portabimus. Sit autẽ lata in medio per cõpassionem & opera misericordię. Anchora grauitatis cor nostrũ stabiliamus in bono, ne fluctuet per leuitatẽ & inconstantiã. Nõ de nobis pręsumamus, sed in his omnibus auxiliũ Domini inuocemus, qui terminũ mari cõstituit, dicẽs ei: Hucusq; venies, & nõ supergredieris, sed in temetipso cõsurgentur fluctus tui. Terminum enim posuisti eis, quẽ nõ transgrediẽtur, nec cõuertentur operire terrã. Sic igitur nauigãtes perueniamus ad littus ęternę beatitudinis, ipso duce, qui dixit mari, obmutesce, & facta est trãquillitas magna, ad quã nos perducere dignetur, qui viuit & regnat per infinita secula seculorũ, Amẽ.

Ioan. 16.
Amos 4.
Isaiæ 3.
Ioan. 15.
Lucæ 9.
Parab. 14 Conciu. 9.
Quod nauis comparatur animæ.
Quod abiicienda sunt superflua.
Iob 31.
Qualiter regenda sit nauis animæ.
Iacob. 2.
1. Tim. 6.
Iob 38.
Matth. 4.

## DOMINICA QVINTA, THEMA SVMPTVM de Epistola ad Timotheum.

*Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* 1. Tim. 1.

OSTENDIT Apostolus in hodierna Epist. ad quid Dominus venerit, scilicet, vt saluaret peccatores. Nõ enim opus est sanis Medico, sed malè habẽtibus. Vnde B. Ioannes: Ipse apparuit, vt peccata mundi tolleret. Oslẽdit pręterea quod ipse inter alios peccatores primò sanatus est à Medico. Ipse enim de primis fuit, quos Dominus post ascensionẽ suã ad viã veritatis reduxit, vt exẽplum esset patiẽtię creditur is. Fidelẽ dicit sermonẽ de aduẽtu Christi in mundo, & de salute peccatorũ. Fidelis sermo fideles faciẽs, quia sine fide aduentus & remissionis peccatorũ, tanquã principaliorũ articulorũ fidei, nõ est salus alicui. Fidelis sermo de fide instruẽs, & fideles informãs, & fidẽ astruẽs, fidelis sermo sine admixtione falsitatis, sine errore & fraude, fidelis, dignus cui fides adhibeatur, & qui cũ omni acceptione & honore à fidelibus recipiatur. Venit Christus peccatores saluos facere multiplici salute. Saluat bona tẽporalia cõferendo, & hęc est salus sinistræ, de qua Psal. ait: Homines & iumẽta saluabis Domine. Ipse enim implet omne animal benedictione. Vnde in Cant. Lęua eius sub capite meo. Saluat salute dexterę à peccatis liberãdo, bona gratuita cõferendo, collata seruãdo. Saluat salute glorię æternã prębẽdo. Venit saluos facere peccatores, venit Medicus ad infirmos, vita ad mortuos, via ad errãtes, veritas ad deceptos, liber ad captiuos, fortis ad debiles, lux ad tenebrosos, beatus ad miseros. Descẽdit vt nos exaltaret, incuruauit se vt nos erigeret, exinaniuit se vt nos adimpleret, factus est pauper vt nos ditaret, esuriuit vt nos satiaret, sitiuit vt nobis potũ daret salutis, ignobilis vt nos glorificaret, mortuus est vt nos redimeret. Ipse ostiũ & hostia, viator & via, Medicus & medicina, q, sanat cõtritos corde, & alligat cõtritiones eorũ, cuius liuore sanati sumus. Verus Samaritanus, q, vinũ & oleũ vulneribus nostris infudit, q, ouẽ errantẽ humeris ,ppriis ad ouile reportauit, q, dragmã perditã accẽsa lucerna in puluere reperit, q, filiũ ,pdigũ obuiã ei veniẽs cũ gaudio suscepit, q, de se p Ezec. ait: Quod perierat, requirã, q, abiectũ erat, reducã, q, cõfractũ, alligabo, q, infirmũ fuerat, cõsolidabo, q, pingue & forte, custodiã. Hic est summus Medicus, de quo in Eccle. dicitur: Vnguẽtarius faciet pigmẽta suauitatis, & vnctiones cõficiet sanitatis. Et iterũ: Altissimus de terra creauit medicinã, & vir prudẽs nõ abhorrebit eã. De terra enim corporis sui, de fenestra, scilicet, lateris ,pduxit medicinã salutis: venit enim ad ægrũ, nõ in aqua solũ, sed in aqua & sanguine. Vnde B. Ioã. Sanguis filij eius emũdat nos ab omni peccato. Et iterũ: Ipse prior dilexit nos, & misit filiũ suũ ,ppitiationẽ ,p peccatis nostris. Inuenit aũt quatuor genera infirmorũ.

Matth. 9. Mar. 2. Lucæ 5. 1. Ioan. 3.
Quibus modis dicatur sermo fidelis.
De multiplici salute. 1. Tim. 1. Cantic. 2.
De modo sanandi. 2. Cor. 8. Titum 2. Isa. 53. 1. Pet. 2. Lucæ 10. Item 15. Ezech. 34. Eccle. 38. 1. Ioan. 1. Item 2. Item 3.
De quatuor generibus infirmorũ.

*De prima ægritud. ne. Ioan. 8.*

Quidá enim infirmi ſunt, ſed infirmitatẽ ſuá nec ſentiunt nec agnoſcunt, ſicut frenetici. Iſti medicinam non petunt, ſed plerunq; Medicos ſuos contumeliis afficiunt, & occidunt. Tales erant Scribæ & Phariſæi, qui ſe iuſtos æſtimantes, iuſtũ iniuſtè occiderunt. Et quia medicinã repulerunt, in peccatis ſuis (ſicut eis prędixerat Medicus) mortui ſunt, & ſepulti in inferno. De talibus

*Parab. 15. Hieronymus.*

infirmis ait Salomõ: Qui odit increpationes, morietur. Et B. Hieronymus: Damnũ rerum temporaliũ confeſtim ſentimus, defectus corporis vergẽtis ad ſenectutẽ, nõ aduertimus, vigiles ſumus in dãno annonę, letargici in animæ periculo. Et in Trenis Iere. in perſona taliũ ait: Inebriauit me abſynthio. Ebrius enim quod patitur, nõ ſentit: ita iſti in delictis ſuis mortui, morbum

*Tren. 3.*

ſuũ, tanquá membra ſtupida, nõ ſentiũt. Quod enim putridũ eſt, nõ ſentit punctionẽ. Sunt alij infirmi, qui licèt ægritudinẽ ſuá ſentiant, de ſanitate deſperãt, & idcirco de Medico nõ curãt, dicentes cum Caim: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniá merear. Infirmus autẽ ſicut nihil de

*De ſecunda ægritudine. Gene. 4. Rom. 8.*

ſe debet pręſumere, ita de Medico prudẽti & fideli nõ deber diffidere. Ob hoc enim medicinã mortis & calicẽ amarę potionis priùs guſtauit Medicus, vt nõ abhorreret, nec deſperaret ægrotus. Quid enim nobis negabit, qui pro nobis proprio filio ſuo nõ pepercit? Vnde in Eccleſ. ci-

*Eccle. 29.*

citur: Gratiá fideiuſſoris ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animá ſuá. Sicut autẽ ægro deſperato à Medicis nihil negatur, ita Dominus deſperatos homines nulla diſciplina cõſtringit, ſed eos in

*Iob. 21.*

hac vita proſperari permittit. A fructu enim frumẽti vini & olei ſui multiplicati ſunt. Ducũt in bonis dies ſuos, ſed in puncto ad infernũ deſcendunt, ſicut ſcriptũ eſt: Deieciſti eos dum allevarentur. In labore enim hominũ nõ ſunt, & cum hominibus nõ flagellabuntur, ſed cum dęmonibus ſine fine puniẽtur. Quia enim clauſerũt os ſuũ, & Dei auxiliũ nõ inuocauerunt, clauder ſuper eos puteus os ſuũ, nec adiiciet, vt reſurgãt. Sunt alij infirmi prædictis contrarij, qui ſemper

*De tertia ægritudine. 1. Petri 2. Eccle. 5.*

mala agunt, & Dei miſericordiá nõ attendentes, qui Angelis peccantibus nõ pepercit, de miſericordia Dei inaniter præſumunt, vnde tantò audacius quantò ſecurius peccare non deſinunt, vnde in Eccleſiaſt. De propiciatu peccatorũ noli eſſe ſine metu, nec adiicias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas, Miſeratio Dei magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Et iterum: Ne dixeris, peccaui, & quid mihi triſte accidit? Altiſſimus enim patiens redditor eſt.

*De quarta ægritudine. Matth. 15. Marc. 7.*

Quartum verò genus eſt infirmorũ, qui valdè infirmitatẽ ſuam ſentiunt, & cognoſcunt, & dolent, medicinã deſiderant, & Medici auxiliũ inſtãter implorãt, dicẽtes cum Chananæa: Domine, filia mea, id eſt, anima mea, malè torquetur à dæmonio, miſerere mei, ſana animá meá, quia peccaui tibi. Amplius laua me ab iniquitate mea, quoniá iniquitatẽ meá ego cognoſco. Talibus infirmis præſto eſt medicina, & Medicus ſine dilatione ſubuenit. Iuxta illud: Deus vitá meá annunciaui tibi, poſuiſti lachrymas meas in cõſpectu tuo. Et iterũ: Si dicebã motus eſt pes meus,

*Iſaiæ 61. Iere. 3.*

miſericordia tua adiuuabit me. Et Iſa. in perſona Domini: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me, ad annuntiandũ mãſuetis miſit me, vt mederer cõtritis corde. Et per Ieremiá: Sanctus ego ſum, nõ iraſcar in perpetuũ, tantũ ſcito iniquitatẽ tuam. Dominus autẽ ſecundũ artem

*De modo curandi.*

Medicorũ cõtraria cõtrariis curat, ſuperbię morbo apponẽs humilitatẽ, inuidię charitatẽ, irę patientiá, acidiæ ſpiritus feruorẽ, auaritiæ largitatẽ & paupertatis amorẽ, guloſitati abſtinentiá & ſobrietatẽ, libidini cõtinentiá & mũditiá. Emollit dura, reſtringit fluxa, frigida calidis, calida frigidis, humorẽ gratiæ ſiccis apponit, quãdoq; infundẽs oleũ ſuauitatis. Iuxta illud Iſa. Quomodo ſi cui mater blãdiatur ego cõſolabor vos. Et in Oſee: Lactabo eam & adducã in ſolitudinẽ.

*Luc. 10. Iſaiæ 66. Oſee 2.*

Et in Eccleſ. Sicut in ſereno glacies ſoluẽtur peccata tua. Quandoq; apponit vinũ auſteritatis. Vnde Iſidorus: Cum dolore abſcindẽda ſunt vulnera, quę leuiter ſanari nõ poſſunt. Et in Oſee:

*Eccle. 3. Iſidorus. Oſee 13.*

Adducet Dominus vrentẽ ventũ de deſerto aſcendentẽ, & ſiccabit venas eius, id eſt, peccati, vel mortis, & deſolabit fontẽ eius, id eſt, diabolũ. Hoc eſt quod dicitur in Pſal. In chamo & freno maxillas eorũ cõſtringe, qui nõ approximãt ad te. Sunt autẽ quinq; principales cauſę prędictarũ

*De quinque cauſis ægritudinum. Boëtius. Galla. 1. Matth. 8. Lucæ 9. Ioan 6. Matth. 20. Mar. 10. Ioan. 8. Lucæ 2. Ioan. 12. Gregorius. De virtute patientiæ.*

ægritudinũ, quas enumerat Boëtius in lib. de conſol. Quæ ſunt fauor humanus, opes, dignitates, gloria, potẽtia, quibus omnibus Dominus cõtraria oppoſuit, & in ſeipſo oſtẽdit medicamẽta. Contra fauorẽ humanũ nunq̃ peccatores palpauit, neq; hominibus placere quęſiuit: vnde Apoſt. Si hominibus placerẽ, Chriſti ſeruus nõ eſſem. Cõtra opes paupertatẽ aſſumpſit, adeò quod vbi caput reclinaret nõ habuit. Cõtra dignitates, regnũ ſibi oblatũ reſpuit, miniſtrare nõ miniſtrari venit. Cõtra mundanã gloriã, cõtemptus & abiectus fuit, gloriã propriã nõ quęſiuit. Cõtra veſtimenti gloriã, pannis vilibus inuolutus fuit. Contra magna & ſuperflua ædificia in præſepio iacuit. Contra gloriam equorum, in aſello ſedit. Contra potentiam temporalem, infirmitatem in ſe oſtendit. Cornua enim crucis in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. In ſeipſo

*Actuum 14. Actuum 19.*

tur damnauit omnia, quæ homines decepti in hoc ſeculo appetunt. Vnde B. Greg. Si diuitię appetãtur, ibi ſeruẽtur vbi perire nõ poſſunt. Honor ſi diligitur, ibi acquiratur vbi nullus indignus honoratur. Salus ſi appetatur, ibi adipiſcatur vbi adepta nihil timeatur. Vita ſi diligitur, ibi acquiratur vbi nulla morte finitur. Fidelis ergo ſermo eſt, quod fidelis Medicus venit in mundũ peccatores ſaluos facere & infirmos ſanare. Et quoniá per multas tribulationes oportet introire in regnũ cœlorũ, ſaluãdis opus eſt patientia, quę cuſtos eſt & firmamentũ aliarũ virtutũ. Nam virtus vidua eſt quã nõ patiẽtia firmat. Et idcirco Dominus poſuit Apoſtolũ exemplũ patiẽtię

*1. Cor. 11.*

crediturus: vnde & ipſe de illo: Ego oſtendam ei quãta oporteat ipſum pro nomine meo pati. Quãta autẽ paſſus ſit, & quantã in omnibus patientiá exhibuerit, manifeſtũ ex lib. Actuũ Apoſt. & ex Epiſt. ad Cor. In qua ipſe de ſe ait, q, Chriſto manifeſtauerat in laboribus plurimis, in carceribus,

ceribus abundãtius,in plagis ſupra modũ,in mortibus frequẽter.Et multa alia tormentorũ enumerat genera,quę ipſe nõ ſolũ patiẽter,ſed etiã cũ gaudio pro Chriſto ſuſtinuit,gaudẽs & gratias agẽs,quod dignus habitus eſt pro nomine Ieſu cõtumelias pati. Libenter,inquit,gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Vnde Petrus Apo. Communicãtes Chriſti paſsionibus gaudete,vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Teſte enim Iſidoro: Qui vitæ futuræ præmia diligentur excogitat,mala omnia præſentis vitæ æquanimiter portat. Et beatus Iacobus ait: Patientiam Iob audiſtis,& finem Domini vidiſtis. Qui,ſcilicet,per humilitatem paſsionis peruenit ad gloriam reſurrectionis. Patientia autem propriè dicitur in tolerando aduerſa. Iuxta illud:quod de Chriſto ait Petrus: Cũ malè diceretur,non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur. Fortitudo autem attenditur in reſiſtendo aduerſis. Vnde beatus Hieronymus:Sicut ad proprias iniurias patientes eſſe debemus,ita ſi aliquã viderimus ore ſacrilego,Chriſti gratiam blaſphemantem,illi patientiam non debemus tenere, ſed reſiſtere.Magnanimitas autem ſpecies eſt fortitudinis,quæ propriè attenditur in opponẽdo ſe aduerſariis eccleſiæ,ſicut Iſaias ait:Audite verbum Domini principes Sodomorum. Ioannes Baptiſta etiam ait: Progenies viperarum, quis vobis demonſtrabit fugere à ventura ira? Cui opponitur puſillanimitas,quę attenditur in non reſiſtendo cùm neceſſe eſt,cuiuſmodi ſunt,qui,viſo lupo veniente, fugiunt, & qui conſuunt puluillos adulationis ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis,ſicut in Ezechiele dicitur. Et iterũ ibidem:Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec appoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël. Tempeſtas autẽ dicitur, vitium puſillanimitati contrarium,impetuoſitas, ſcilicet, in arguendo indiſcretè, non obſeruatà circunſtantia temporis, vel qualitate perſonæ,vel modeſtia ſeu moderaminis locutionis. Sicut quidam,qui quando debent facere ſermonem,faciunt ſatyram.De quibus in Eccleſiaſtico dicitur:Plaga linguæ comminuet oſſa.Et Propheta Dauid:Expectabam eum qui ſaluum me fecit, puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.Eſt autem quadruplex patientia.Prima naturæ,quæ fuit in Socrate Philoſopho, qui ſine charitate mortem ſuſtinuit, quia vnum Deum cõtra idolatras prædicabat.Et multi licet ſint in peccatis mortalibus,mortem in carcere Saracenorum ſuſtinuerunt,quia Chriſtum negare noluerunt.Secunda culpæ,quæ dicitur aſinina patientia ſeu remiſſio,quando aliquis ſuſtinet,non ſuſtinenda.Cui opponitur ſancta impatientia.De qua Hieronymus:Diſce ſanctam ſuperbiam. Et Ieremias: Defeci,ferre non ſuſtinens.Tertia patientia eſt neceſsitas,cuiuſmodi eſt in pauperibus & mendicis,& quandoque in latronibus & maleficis. Vnde Petrus: Quæ enim gratia ſi peccantes & colaphizati ſuffertis?ſed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis,hæc eſt gratia. Quarta patientia eſt gratiæ & virtutis. Vnde idem Petrus:Si quid patimini propter iuſtitiam,beati.Et beatus Gregorius:Sine ferro martyres eſſe poſſumus,ſi patientiã in animo veraciter ſeruamus. Et beatus Ambroſius ait: Virtus patientiæ tribus modis exerceri ſolet:Aliquando enim ſunt quæ à Deo,aliquando quæ ab antiquo aduerſario,aliquando quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo damna & perſecutiones & cõtumelias,ab antiquo aduerſario tentamenta, à Deo autem flagella toleramus. Hæc Ambroſius: Nos autem tribus prædictis,triplex ſcutum opponamus patientiæ.Sagittas enim perſecutionum & contumeliarum à proximis patientiæ clipeo frangamus,& contra gladium linguæ ſcutum opponamus patientiæ.Teſte enim beato Hieronymo,apud Chriſtianos:non qui patitur,ſed qui contumelias facit,miſer eſt. Et beatus Gregorius:Patientia vera eſt,quæ ipſum amat, quem portat. Nam toleraſſe & odiſſe,non eſt virtus manſuetudinis,ſed velamen furoris. Et iterũ:Tantum quiſq; portat proximum,quantum amat. Et Iſidorus ait: Magna eſt virtus,ſi non lædas à quo læſus es. Magna eſt fortitudo, ſi etiam læſus remittas. Magna eſt gloria,ſi cui potuiſti nocere,parcis. Vnde beatus Gregorius:Cùm reſiſtere poſſumus,iram,potentiam declinemus. Glorioſius eſt iniuriam ſufferre tacendo,quã reſpondendo ſuperare. Contra antiqui aduerſarij,tentamenta, ſcuto patientiæ minuti non deficiamus. Vnde in Eccleſiaſtico: Confide in Domino & mane in loco tuo. Facilè eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. Et iterum:Væ illis qui perdiderunt ſufferentiam.Flagella autem Domini tantò cum maiori patientia & humilitate ſuſtinere debemus,quantò certius agnoſcimus,quod ipſe flagellat omnem filium,quem recipit. Qui enim diligit filium ſuum, aſſiduat ei flagella, vt lætetur in nouiſsimo ſuo,ſicut in Eccleſiaſtico dicitur. Vnde Amos Propheta: Tantummodo vos cognoui ex omnibus nationibus terræ,idcirco viſitabo vos ſuper omnes iniquitates veſtras.Et Angelus ad Tobiam: Qui acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tẽtatio probaret te.Infirmitas enim grauis ſobriã facit animam, ſicut in Eccleſiaſtico dicitur. Et iterum: Vſque in tempus ſuſtinebit patiens,& poſteà redditio iucunditatis.Malorũ enim prauitas nõ te occidit,ſed erudit.Vt ait Iſaias:Delbora enim nutrix fuit Rebeccę,id eſt,tribulatio patientiæ.Nam Delbora tribulatio,Rebecca patientia interpretatur. Gaudet autem & nutritur patientia duris. Vnde Micheas: Filia Syon venies vſque ad Babylonem & ibi liberaberis. Vnde in vitis Patrum legitur:quod dęmõ per arreptitium percuſſit Heremitam,cui ille præbuit aliam maxillã.Cui dæmon:In ſola patientia amiſi vas quod firmiter poſsidebam.Patientia enim perfectũ opus habet:vt ait Iacobus.Et iterum:Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens,donec accipiat temperaneum & ſerotinum.Et beatus Petrus ait:Nouit Dominus pios de tentatione eripere,iniquos verò in diem iudicij cruciandos reſeruare. Exemplo igitur Apoſtoli Pauli patientiã habeamus,quem Deus

*De fortitudine.* 1.Petri 2.
*Iſidorus.* Iac.5.
1.Petri 4.
*De pęſillanimitate.*
*De tẽpeſtate.*
*Eccle.28.*
*De quadruplici patientia.*
*Hieronymus.* Ier.20.
1.Petri 2.
1.Petri 3.
*Gregorius.*
*Ambroſius.*
*De triplici exercitio patientiæ.*
*De tribus modis reſiſtendi.*
*De primo modo.*
*Hieronymus.*
*Gregorius.*
*Iſidorus.*
*Gregorius.*
*Eccle.11.*
*Item 2.*
*De ſecundo reſiſtẽdi vitio impatientiæ.*
*De tertio modo reſiſtendi vicio impatientiæ.*
*Item 30.*
*Amos 3.*
*Tob.12.*
*Eccle.31.*
*Item 1.*
*Gene.24.*
*Mich.4.*
*Iacob.5.*
*Item 4.*
2.Petri 4.

*De diuina patientia.*

vt ipse ait: exemplum patientiæ omnibus proposuit. Quanta autem patientia sit diuina, multis patet indiciis. Nullus enim habens pecus inutile, quod nihil vtilitatis haberet, sed semper bona eius consumeret, tam diu expectaret, quin abiiceret vel occideret illud. Vnde in Ecclesiastico: Pecora tibi sunt, attende illis, & si sunt vtilia, perseuerent apud te. Dominus autem Paulum persecutorem patienter expectauit. Vnde Hieronymus: Non quisquam post lapsum pœnitentiæ desperet veniam, dum conspicit sanctorum reparationem fuisse etiam post ruinam. Ob hanc vtilitatem scribuntur sanctorum ruinę & perditiones, vt exemplũ fiant humanæ salutis, si apti fuerimus imitari iustos in bonum. Et in Psalmo: Deus iudex iustus, fortis, & patiens, nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit. Quantò autem gladius diuinus vibratur, vel chorda arcus amplius trahitur, tantò in fine fortius percutit & magis lędit. Vnde beatus Augustinus contra eos, qui abutuntur patientia Domini: Quantò patientior est Deus noster ad sustinendum delicta nostra, tantò seuiturus erit in discutiendis actibus nostris. Et Petrus ait: Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, dum fabricaretur Arca: Et Isaias in persona Domini: Tacui, semper silui, patiẽs fui, quasi parturiens loquar, dissipabo & absorbebo. Et Petrus Apostolus: Vnus dies apud Deum, sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam æstimant, sed patienter agit propter nos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitẽtiam reuerti. Et in Apocalypsi dicitur: Babylon magna venit in memoria ante Deum, date illi calicem vini indignationis iræ eius. Et Apostolus ad Romanos ait: An diuitias bonitatis eius, & Patientiæ, & longanimitatis cõtemnit? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Dominus enim quasi leo apertis oculis dormit. Dissimulat enim peccata hominum propter pœnitentiam. Dies autem vltionis in corde eius. Vnde Petrus Apostolus: Domini nostri Iesu Christi longanimitatem salutem arbitramini. Ait igitur Apostolus quod Deus ad informationem eorum, qui crediturí erant, omnem patientiam ostendit in illo. Calceamenta enim in pedibus nostris habere debemus, id est, sanctorum exempla. Vnde in Canticis: Quam pulchri sunt pedes tui, in calceamentis filia Principis. Et Ieremias ait: State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Frequenter enim debemus interrogare: Rabbi vbi habitas? vt eorum, in quibus Deus habitat, exempla sequamur. Iuxta illud: Circuiui & immolaui. Lapides enim onichini, & nomina filiorum Israël ad exemplum scripta sunt in rationali. Et in Euãgelio dicitur: Cędebãt ramos de arboribus palmarũ, & ponebãt in via. Rami arborũ exẽpla sunt iustorũ, qui significantur per panes propositionis, quos tollebant sacerdotes & nouos instituebãt.

*Augustinus.*

*1. Petri. 3.*

*Isaiæ 42.*

*2. Petri 3.*

*Apoc. 18.*

*Rom. 2.*

*Sap. 11.*

*Isaiæ 34.*

*2. Petri 3.*

*De exemplis bonorum.*

*Exod. 12.*

*Cant. 7.*

*Iere. 6.*

*Ioan. 1.*

*Exod. 23.*

*Matth. 21.*

*Mar. 11.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

*Matth. 13.*

*Simile est enim regnũ cælorum homini, qui seminauit bonũ semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.*

*Num. 21.*

*De puteo sacræ scripturæ.*

LEGITVR in numero, quod puteus apparuit filiis Israël in deserto. Ipsi autem gaudentes cecinerunt Domino, dicentes: Ascendat puteus, quem foderunt Principes & parauerunt Duces. Puteus iste quo refrigeramur & refocillamur in deserto, huius peregrinationis est diuina scriptura. Cuius aquæ animam à sordibus abluunt, sicut ait Dominus in Euangelio: Vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. Situm auaritiæ & cupiditatis tollunt, quia qui biberit ex hac aqua, nõ sitiet in æternũ. Vnde Isaias ad has aquas inuitat sitientes, dicẽs: Omnes sitientes, venite ad aquas. Ignẽ luxuriæ & aliorum peccatorum extinguũt, verbum enim Domini interscindit flammã ignis. Arida corda irrigat, & fructificare facit, sicut dicitur in Psal. In stillicidiis eius lætabitur germinans. Qui hunc puteum inuenit, cui Dominus, scilicet, hunc puteum ostẽdit ad imitationẽ filiorum Israël, gaudeat, & Domino gratias agat. Multi enim in hoc deserto sitis ariditate deficiunt. Vnde Isa. Nobiles eorum interierunt fame, & multitudo siti exaruit. Hunc puteum foderunt Principes, scilicet, sancti Prophetæ & Apostoli. De quibus dicitur: Constitues eos Principes super omnẽ terrã. Duces autem, id est, doctores parauerunt illum, sicut Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, & alij sacrarum scripturarum expositores, qui spiritualiter scripturam intellexerunt, & docuerunt. Auferentes à puteo lutũ terrenę & carnalis expositionis. Vnde in Genesi dicitur, quod serui Isaac eruderauerunt puteos, quos foderat pater eius Abrahã. Philistęi autẽ operuerunt eos terra. Pastores autem Gerarę obstruebant. Serui veri Isaac, qui pro nobis factus est risus exultationis, sunt sancti doctores, qui puteos sacræ scripturæ eruderãt, dum extra ruditatem carnalis expositionis ipsam spiritualiter ponunt. Diaboli autem & serui eius inuidentes, puteos nobis auferre conãtur, operiẽs eos terra, id est, occupatione terrena, corda hominum à diuinis eloquiis auertẽtes. Sed & Iudæi & Hæretici, qui carnali & peruersa expositione scripturas corrumpũt, hos puteos terra obstruunt. Sancti autem homines desiderant & Deo supplicant, vt ascendat puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt Duces, & opponunt se hæreticis & Iudæis, Vnde aquæ diuinæ scripturæ, dicuntur aquæ contradictionis. Hic est puteus veri Iacob, iuxta quem sedens Dominus, locutus est Samaritanæ. Puteus, scilicet, profundus subtilitate & myste-

*De effectu & virtute scripturarum.*

*Ioan. 15.*

*Item 4.*

*Isaiæ 55.*

*Isaiæ 3.*

*De putei fossione.*

*Gene. 26.*

*Ioan. 4.*

& mysteriorum arcanis, cuius aquas haurire non potest, nisi qui se inclinauerit habens haustorium humilitatis. Hic est puteus viuentis & videtis. Iuxta quem Angelus apparuit Agar, & vt humiliaretur sub manu dominæ suæ, admonuit. Agar enim quæ aduena interpretatur, est caro, ancilla quæ fugit à facie dominæ suæ Sarę, quæ Princeps interpretatur, hæc est anima. Angelus autē magni consilij, per diuinā scripturā admonet, vt Agar nō recalcitret, sed humilietur in obsequio dominæ suæ. Hic est puteus à cuius ore sublato lapide Iacob, oues Rachelis adaquauit. Lapis est legis duritia, quæ tollitur ab ore putei, id est, scripturæ, vt oues ecclesiæ valeant bibere. Eleazar seruus Abrahæ ad hunc puteum Rebeccam, id est, patientiæ virtutem inuenit. Per exempla enim & promissiones scripturarum patientiam acquiramus. Moyses etiam interfecto Ægyptio, cùm fugeret à Pharaone, sedit iuxta puteum. Recedentibus enim à peccato, & fugientibus diabolum, necessaria est consolatio scripturarum. Et in commendatione Simonis Onię filij dicitur in Ecclesiastico: quod in diebus eius emanauerunt putei aquarū. Bonus enim prælatus in diebus suis hanc aquam debet propinare subditis, & aquæ sapientiæ salutaris populum sibi commissum potare. Hic est amnis, in quo possit agnus vadare, & elephas natare. Simplices enim facilè transeunt, maiores autem profundius inquirunt. Vnde in Apocalypsi dicitur: Mare vitreum simile cristallo, propter profunditatem eius, & limpitudinem. Orate igitur Dominum, vt hac aqua hodie immundi abluantur, ardentes refrigentur, scientes refocillentur, aridi irrigentur, fessi recreentur. Simile factum est regnum cœlorū homini, qui seminauit semen suum, &c. Ager iste testimonio Domini exponentis hanc Parabolam, est mundus iste. Ager iste summi figuli, qui de luto plasmauit Adam, qui emptus est pretio Domini. Pretioso enim sanguine mūdum redemit. Vnde dicitur Acheldemach, id est, ager sanguinis emptus, scilicet, Christi pretioso sanguine. In hoc agro Dominus bonum semen seminauit: Non solum semen verbi Dei, de quo scriptum est: Exiit qui seminat seminare semen suum, non solum semen bonorum operum. De quibus dicit Apostolus: Quæ seminauerit homo, hæc & metet, sed & bonos homines seminare dicitur, qui mittunt radicem deorsum, & faciunt fructum, sursum condescendentes egenis per compassionem & misericordiam, vt ex operibus misericordiæ recipiant fructum, sursum in vitam æternam. Qui more seminum absconditi sunt, & consepulti Christo in hoc mundo. Qui adhuc latentes in hyeme, præsentis vitæ apparebunt in futura æstate, sicut ait Ioannes Apostolus: Nondum apparuit quod erimus. Simus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Sancti enim abscondunt se in hoc mundo, quia vera humilitas non vult videri. Vnde Noëmi dicit ad Ruth: Abscondere in aream, nō te videat homo. Et quoniam non possunt viuere Christo, qui non sunt mundo mortui, mortificatur hoc semen in agro, vt fructum multum afferat, sicut ait beatus Petrus, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Et Apostolus ad Timotheum: Si Christo commortui fuerimus, & conuiuemus. Inimicus autem superseminat zizania in medio tritici, id est, homines malos, qui sunt semen diaboli secundum quod mali, licet secundum quod sunt homines, sint à Deo. Vos ex patre diabolo estis. Et in Ecclesiastic. Semen bonum honorabitur, hoc quod timet Deum, semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Dei. Et iterum: Filij abominationum fiunt filij peccatorum. Superseminat præterea per hæreticos zizania falsitatis in medio tritici diuinæ scripturæ. Ex semine autem diaboli germinat terra maledicta spinas & tribulos. Hoc semen in terra conculcatur, in luto putresfit, & producit ex se vermes corruptionis. Sicut ait Apostolus: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Hoc autem fit dum dormiunt homines in peccatis, nec vigilant vt oculos apertos habeant ad lumen æternæ claritatis, nec cauti sunt, vt sibi præuideant à laqueis inimici. De quibus ait Apostolus: Qui dormiunt, nocte dormiunt. Et iterum: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Hic est somnus cupę, de quo Salomon ait: Vsquequo piger dormis? Hoc somno dormiuit Sāpson in gremio Dalidæ, & amisit crines fortitudinis. Et in Psalmo dicitur: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Qui enim somno peccati dormit, omnia bona, quæ habebat, amittit. Dormientibus etiam pastoribus per negligentiam, inimicus in medio tritici seminauit zizania. Vnde in libro Regum dicitur, quod altera meretricum dormiens, filium suum extinxit. Et in Ecclesiaste: In pigritiis humiliabitur contignatio, id est, ædificium virtutum, & in infirmitate manuum perstillabit domus, id est, status ecclesiæ. Debent igitur vigilare pastores, vt attēdant sibi, & vniuerso gregi. Vnde Isaias: Super speculam meam, ego sto iugiter, & super custodiam cunctis noctibus. Et pastoribus vigilantibus supra gregem suum nuntiauerunt Angeli, quod natus esset Christus. Et in Apocalypsi dicitur: Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Et beatus Gregorius ait: Vigilat, qui ad superni luminis claritatem mentis oculos apertos tenet. Et Dominus in Euangelio: Et si in prima vigilia venerit, & si in secunda, & si in tertia venerit, & inuenerit eos vigilantes, beati sunt serui illi. Tres vigilias contra triplicem torporem ponit. Prima vigilia in his quæ ad Deum, secunda in his quæ ad seipsum, tertia in his quæ ad proximum. Et quoniam scriptum est in Parabolis: Noli diligere somnum, ne te ægestas opprimat, iustus & sapiens prælatus cor suum tradit ad vigilandum diluculo. Vigilat ad conscientiam, ne sit infirma, ne sit sordida per peccatum, ne sit pigra ad operandum, vigilat contra proximorum indigentiam, vigilat contra dæmonum astutiam, vigilat ne prosperitate dissoluatur, vigilat ne aduersitate deiiciatur, vigilat ne

*Gene.24.* *Item 20.* *Item 24.* *Item 24.* *Exod.2.* *Eccle.50.* *Item 15.* *Apoc.4.* *Matth.13.* *Quod mundus comparatur agro.* *Iere.32.* *Zach.11.* *Matth.25.* *De triplici semine.* *Matth.13.* *Mar.4.* *Luæ.4.* *Gala.6.* *Isaiæ 37.* *Rom.6.* *Ioan.3.* *Ruth.2.* *Ioan.12.* *1.Petri 3.* *2.Tim.2.* *De malo semine.* *Ioan.8.* *Eccle.10.* *Item 41.* *Gene.3.* *Gala.5.* *1.Thess.5.* *Ephe.5.* *De malo somno.* *Parab.6.* *Iudæ 6.* *3.Reg.3.* *Eccle.10.* *De vigilia.* *Actuum 20.* *Isaiæ 21.* *Lucæ 2.* *Apoc.16.* *Gregorius.* *Lucæ 11.* *De tripliti vigilia.* *Parab.20.* *Eccle.30.* *De modis vigilandi ad resistendum.*

sordeat

sordeat, vigilat ne pereat. Iuxta illud: Semper tibi proximus esto, vigilat vt Deo placeat, vigilat vt ad metam cursus perueniat. Seruis autem dicentibus: Vis imus & colligimus ea? respondit Dominus: Non, ne forte colligetes, zizania eradicetis simul & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem. De his quæ nondum publica & aperta sunt, seu notoria, intelligendum est. Alioquin apertè peccantes potest Prælatus propter contumaciam eradicare per excommunicationis sententiam. Iudex autem secularis, qui non sine causa gladium portat, aliquando potest & debet gladio materiali membra putrida resecare, exercēdo iustitiam in malefactores, Vnde Samuel: Agag Regem pinguissimum meritoriè in frusta diuisit. Vnde Apostolus ad Timotheum: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quorundam autem subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Patet ergo ex verbis Apostoli, quod in his quæ aperta sunt, & notoria, non oportet expectare messem extremi iudicij, huiusmodi autem iam iudicati sunt, separati apertè à iustis, & positi tanquam hœdi à sinistris. De his autem quæ occulta sunt, non debemus temerè iudicare, sed expectare donec libri aperti sint, & donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. Nolite, inquit Dominus, iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. De operibus enim quæ bono & malo animo fiunt, iudicare prohibemur, & dubia in meliorem partem interpretari debemus, ne fortè maledictionem eorum incurramus, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Ne fortè cùm putaremus eradicare zizania, eradicemus triticum. Vnde Apostolus: Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus & suspicionibus cogitationum. Et beatus Gregorius: Quos agere aliqua praua conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis. Suspiciosi autem incurrunt maledictionem Caim, habentes tremulum caput, tremulum cor, tremulam linguam, vagi & profugi super terram. Vnde in Psalm. Amputaui opprobrium meum, quod suspicatus sum. Et iterum: Nutantes transferantur filij eius. Et in Parabolis dicitur: Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius, quoniam in similitudinem arioli & coniectoris æstimat quod ignorat. Patet igitur quod occulta Dei iudicio relinquere debemus, & expectare, donec dicat Dominus messoribus, id est, Angelis: Colligite primùm zizania, & alligate ea per fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Vnde Dominus in expositione huius parabolę ait: Messis est consummatio seculi, messores autem Angeli sunt. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Adhuc enim in hoc seculo ciues Babylonis & Hierusalem commixti sunt corpore, sed diuisi mēte. Adhuc granū est cum palea, vinum cum acinis, lilia cum spinis, oleum cum amurca. Tunc autem veniet ventilator areæ, & separabit granum à palea. Vnde Hieronymus: Palea es, & non times vt ardeas? De Angelis autem messoribus dicitur in Apocalyp. Misit Angelus falcem suam acutam, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum. Et de Christo in eodem libro dicitur: Et de ore eius gladius acutus ex vtraque parte exibat. Hæc est iudiciaria potestas, quæ separabit agnos ab hœdis, alligans zizania per fasciculos, vt similes sint in pœna, qui similes fuerunt in culpa. Vnde Daniēl Prophera sic ait: Aspiciebam, & throni positi sunt, antiquus dierum sedit, vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius quasi ignis flammæ accēsus, & fluuius igneus rapidus egrediebatur de ore eius. Thronos apellat eos, qui cum Domino sedentes super sedes duodecim mundum iudicabunt. Iuxta illud: Aduorauit cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Antiquus dierum dicitur Christus, propter verbi æternitatem, vestimentum eius quasi nix candium sunt sancti, quibus velut vestimento Christus exornatur. Capilli capitis eius, quasi lana munda. Hi sunt sancti, qui Christo capiti radicitus inhærent. Quod autem subditur thronus eius, quasi flamma ignis succensus & fluuius igneus rapidus egrediebatur de ore eius, ad iudiciariam pertinet potestatem. Ipse enim veniet quasi ignis conflans & emundans argētum, & purgabit filios Leui. Ignis enim iste perfectis erit ad lucem, reprobis ad pœnam. Iuxta illud: Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Et iterum: Ignis ante ipsum præcedet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius. Vnde Malachias: Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes faciētes impietatem, stipula, & inflāmabit eos. Et Petrus Apostolus: Aduenient dies Domini, vt sur in quo cœli impetu magno transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ea sunt, omnia opera exurentur. Tanquam fur venturus dicitur, quia subitò & ex improuiso venturus est, vnde Apostolus ad Thessalonicenses: dies Domini sicut fur in nocte veniet. Cùm enim dixerint pax & serenitas, tunc repentinus veniet eis interitus. Et in Euangelio: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Quod autem subitò & cum impetu veniet, quæ sub cœlo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die sua. Quod autem ex improuiso veniet, idem Lucas ait: Sicut factum est in diebus Noë, ita erit in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, & vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vsque in diem, qua intrauit Noë in arcam & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua die autem exiuit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit, secundum quod in Psalmo dicitur:

Adhuc

*Matth. 13.*

*Quod publici & notorii peccatores eradicandi sunt.*
*Rom. 13.*
*1. Reg. 15.*
*1. Tim. 5.*

*De temerario iudicio & occulta suspitione.*
*Matth. 25.*
*Apoc. 20.*
*1. Cor. 4.*
*Matth. 7.*
*Luc. 6.*
*Isaiæ 5.*
*Gregorius.*
*Matth. 13.*
*Rom. 14.*
*Gene. 4.*
*Contra suspiciosos.*
*Parab. 23.*

*Matth. 13.*
*De extremo iudicio.*

*Matth. 3.*
*Lucæ 3.*
*Hieronymus.*
*Apoc. 14.*
*Item 1.*
*Matth. 25.*

*Dan. 7.*

*Matth. 19.*

*De igne iudicii.*
*Malach. 3.*
*Item 3.*
*2. Petri 3.*

*De subito aduentu iudicii.*
*1. Thes. 5.*
*Matth. 13.*

*Lucæ 17.*

*Gene. 19.*

Adhuc escæ eorum erant in ore eorum, & ira Dei ascendit super eos. Oportet ergo nos semper vigilare & præparatos esse. Imminente autem extrema tribulatione, refrigescet multorum charitas. Vnde Dominus: In hora illa qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, non descendet tollere ea. Et qui in agro similiter nõ redeat retro. Et subiungit: Memores estote vxoris Loth, quoniam enim dies breues erunt, à tecto seu culmine contemplationis, non est reuertendum ad vasa secularis actionis, sicut in Deuteronomio dicitur, quod repudiata non reuertebatur ad virum priorem. Et in Canticis: Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Tunica, id est, terrenæ actionis cura polluta. Vnde Aggæus: Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum. Qui enim priora bona sequentibus vitiis sordidat, in saccum pertusum aggregat. Similiter qui fuerit in agro actiuæ vitæ, non redeat retro. Qui enim posita manu ad aratrum retro aspicit, non est aptus regno cœlorum. Maledictus enim qui reædificat Ierico. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius? Oportet igitur ante languorem adhibere medicinam, & ante iudicium interrogare seipsum. Multi enim errore decepti, & præsumptione ducti damnabuntur. De quibus ait Propheta Amos: Væ desiderantibus diem Domini, scilicet, ex præsumptione vel curiositate, qui saluandos se esse credunt. Vnde Psalmus: Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Multi enim de his qui se à dextris fore ęstimant, à latere & consortio Domini cadent. Vnde in Euangelio: Erunt duo in loco vno, vnus assumetur & alter relinquetur. De ordine contemplatiuorum quidam salui erunt, quidam damnabuntur. Duę erunt molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur. Ex his enim qui in matrimonio labore seculari, quasi lapide molari inuoluuntur, vnus saluabitur & alius reprobabitur. Similiter ex agro vitæ actiuæ & prælationis vnus assumetur, & alius relinquetur, & erit sicut populus, sic sacerdos. In isto autem iudicio, quidam cum Christo iudicabãt, & non iudicabuntur, sancti, scilicet, & perfecti homines, qui omnia pro Christo relinquerunt. Alij iudicabuntur & saluabuntur. De quibus dicitur: Esuriui & dedistis mihi manducare, scilicet, mediocriter boni, qui esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentũ, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ęgro vel incluso visitationem, captiuo redemptionẽ, debili subuectionem, cęco deductionem, tristi consolationẽ, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, veniam peccanti, subdito correptionem, & disciplinę cohortationem ministrauerunt. Alij iudicabuntur & damnabuntur, scilicet, mediocriter mali, qui fidem tenuerunt, sed opera fidei non habuerunt, quibus dicetur, esuriui, & non dedistis mihi manducare. Per esuriem quilibet defectus proximorum, per cibum omne talentum Christiano commissum intelligitur. Alij damnabuntur, & non iudicabuntur, nec fiat aliqua cum eis discussio, scilicet, valdè mali, qui nec fidem, nec fidei opera habuerunt. Qui enim non credit, iam iudicatus est. Primi, scilicet, perfecti gaudebunt, & nullum in iudicio detrimentum sustinebunt. Secundi, scilicet, mediocriter boni, detrimentum patientur, sic tamen salui erunt, quasi per ignem. Tertij & quarti multipliciter cruciabuntur, Ardebunt enim illo igne, per quem Dominus seculum iudicabit. Dies enim Domini in igne reuelabitur, ponet enim peccatores, vt clibanũ ignis. Secunda pœna erit timor iudicis, quem iratum aspicient. Sanctis autem placatus apparebit, cuius potentiæ nullus resistere poterit, cuius sapientiæ omnia nuda erunt & aperta, cuius iustitia prece vel pretio corrumpi non poterit. Si enim dixerint sanctis, date nobis de oleo vestro, Respondebunt: Ne fortè nobis non sufficiat, &c. Vix enim alicui sua sufficient merita, vbi virtutes cœlorum mouebuntur, vbi tremebunt Angeli & Archangeli, si fieri posset præ admiratione. Quid igitur faciet virgula deserti, vbi concutietur cedrus Paradisi? Non igitur prece vel aliqua misericordia flectetur Dominus. Vnde Dauid: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Nullo pretio mouebitur Iudex districtus. Vnde Sophonias: Argentum & aurum eorum non poterit liberare eos in die furoris Domini. Timebunt igitur reprobi, quando loquetur ad eos Dominus in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Vnde Amos Propheta: Leo rugiet, quis non timebit? Et Isaias: Labia eius impleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans. Vnde in Psalmo: Ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Verbum asperum reprobis. Surgite mortui. Resumptis enim corporibus, in corpore & anima punientur. Asperius: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Asperrimum: Ite maledicti in ignem æternum. Igitur sicut ait Isaias: Ardẽs erit furor eius, & grauis ad portandũ. Vnde Osee: Dominus quasi leo rugiet, & formidabũt filij maris. Tertia pœna erit pudor. Omnibus enim manifesta erũt peccata reproborum. Vnde Isaias: Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobium tuum, & vltionem capiam & non resistet mihi homo. Et Ieremias: Quomodo confunditur fur deprehẽsus in furto, sic confunderis. Furibus enim in collo suspenditur res furtiua, vt omnibus pateat eorum ignominia. Iuxta illud: Congregabo super eos mala. Liberi enim aperti erunt, id est singulorum conscientiæ, & manifestabit consilia cordium. Vnde in Ecclesiastico: In fine hominis denudatio operum illius. Et Sophonias in persona Domini: Scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fecibus suis, non faciet Dominus benè, & non faciet malè. Ptæ pudore autem & cõfusione vellent abscondi si possent. Vnde dicturi sunt montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos. Quarta pœna erit angustia cordis, ex tristitia & dolore. Vox enim diei Domini amara tribulabitur ibi fortis, vt ait Sophonias. Et in Apocalysi: Ecce veniet in nubibus, & videbit

*Matth.24.* *Marc.13.* *De perseuerãtia in bono.*

*Deut.24.* *Cant.5.*

*Matth.14.* *Mar.13.* *Luce 9.*

*Iosue 6.* *Eccle.24.* *Item 18.* *Amos 5.* *De præsumptione iustorũ & paucitate saluandorum.* *Matth.24.* *Mar.13.*

*Osee 8.* *Isaiæ 34.*

*De ordine iudicii.* *Matth.25.* *De operibus misericordiæ.*

*Ioan.2.*

*1.Cor 3.* *De diuersis pœnis iudicii.* *Prima pœna de igne iudicii.* *Secunda timor iudicii.* *Iob 9.* *Matth.25.* *Luce 11.*

*Sopho.1.* *Ezech.7.*

*Amos 3.* *Isaiæ 30.*

*Matth.25.* *De pudore in dicit que est tertia pœna.* *Isaiæ 30.* *Osee 11.* *Isaiæ 47.* *Iere.2.* *Deut.32.* *1.Cor.3.* *Eccle.11.* *Sopho.1.* *Osee.10.* *Luce 23.*

*Quarta de tristitia & dolore iudicii.* *Apoc.1.*

Apoc.1. videbit eũ omnis oculus, & qui eũ pupugerunt & plangẽt ſe ſuper ſe omnes tribus terræ, quando, ſcilicet, cõgregabit omnes gentes in valle Ioſaphat, & diceptabit cũ eis, vt ait Ioël Prophe-
Apoc.18. ta: Stabunt enim ſancti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtu-
Quinta de perturbatione iudicii. lerunt labores eorum, vt dicitur in libro Sapientię: Et in Apocalypſi: Quantum glorificauit ſe, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Quinta pœna erit perturbatio & diſcordia quam habebunt, non ſolum cum dæmonibus, ſed cum creaturis omnibus. Turbabuntur enim & mouebuntur ſicut ebrij. Qui enim ventum ſeminauerint, turbinem metent: ſicut
Oſee 8. dicitur in Oſee. Et Iſaias ait: Immiſcuit Dominus in medio Ægypti ſpiritum vertiginis, &
Iſaiæ 19. errare fecit Ægyptum in opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens. Et in Eccleſiaſtico dicitur de
Eccle. 40. reprobis: Furor zelus tumultus, fluctuatio & timor mortis, iracundia perſeuerans & contentio. Omnia enim elementa pugnabunt contra eos. Dominus enim de ipſis elimentis conque-
Sap. 5. ritur. Vnde Iſaias: Audite cœli & auribus percipe terra. Vnde in libro Sapientiæ: Creatura tibi
Iſaiæ 1. factori deſeruiens excandeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos. Et in Ioël: Sol & Luna obte-
De expugnatione reproborum. nebrati ſunt & Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Sed & ipſe Dominus contra eos pugna-
Sap. 16. bit. Vnde Iſaias: Dominus fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur
Ioël. 4. & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur. Et iterum: Ecce dies Domini veniet crudelis,
Iſaiæ 42. & indignatione plenus, & iræ furoris quæ ad ponendam terram in ſolitudine, & peccatores
Item 13. eius cõterendos de ea. Et Micheas: Dominus calcabit ſuper excelſa terræ, & cõſumentur mõtes
Mich. 1. ſubtus eum. Montes appellat huius mundi potentes. Iudicium enim duriſſimũ, his qui præſunt
Sap. 6. fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur: ſicut
Sopho. 1. in libro Sapientiæ dicitur. Et Sophonias ait: Dies illa, dies iræ, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas. Sancti inſuper cum eis pugnabunt, & eos ſub pedibus conculcabunt. Veniet enim Dominus & omnes ſancti eius cum eo, & erit in die illa magna, non
Zach. 4. erit lux malis, ſcilicet, ſed frigus & gelu, ſicut in Zacharia dicitur: Tunc enim verus Moyſes di-
Exod. 32. cet: Si quis Domini eſt, iungatur mihi, ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite & redite à por-
Mala. 4. ta vſque ad portam per medium caſtrorum. Et Malachias: Egrediemini, & ſalietis ſicut vitulꝰ de armento. & calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſubplanta pedum veſtrorum. Tunc adimplebitur, quod in Apocalypſi dicitur: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornica-
Apoc. 19. tionis ſuæ potauit omnes gentes. Et tunc, vt dicitur in eodem libro, diabolus, qui ſeducebat
Iſaiæ 21. gentes, mittetur in ſtagnum ignis & ſulphuris. Vnde Ioannes in Apocalypſi: Proiectus eſt ac-
Apoc. 21. cuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat eos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Sexta
Item 6. pœna erit deſperatio veniæ. Poſt multas enim admonitiones, quæ præceſſerunt in vita ſua, in
Sexta pœna de deſperatio venie. qua contumaces fuerunt, excommunicabuntur, cùm dicetur eis. Ite maledicti in ignem æter-
Matth. 25. num, & in æternum non abſoluentur. Vnde Malachias: Ne fortè veniam & percutiam terram
Mala. 3. anathemate. Vnde in Eccleſiaſtico: Quomodo cathacliſmus terram inebriauit, ſic ira ipſius, gen-
Eccle. 39. tes, quæ non exquiſiuerunt eum hæreditabit. Hæc autem hæreditaria poſſeſſio ſine carebit.
Cõcluſio cum exhortatione vt non incidamus in iudicium Dei. Nos igitur fratres chariſſimi præueniamus faciem, tam diſtricti iudicis in confeſſione. Horrendum eſt enim incidere in manus Dei viuentis: ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræos: Si enim quan-
Heb. 10. do iudicium alicuius potentis timemus, cum magna ſollicitudine bonos aduocatos habere curamus, & amicos iudicis muneribus nobis allicimus, & ipſum iudicem placatum nobis reddere
Matth. 25. diligenter ſtudemus, quantò magis iudicis tremendũ examen timere debemus, & ſanctos eius vt ſint aduocati noſtri, apud Deũ benignos nos reddere, & multis precibus nobis debemus alli-
Matth. 25. cere? Amicos inſuper & fratres iudicis, de quibus ipſe ait: Quod vni ex minimis fratribus meis
Lucæ 19. feciſtis, mihi feciſtis, muneribus & eleëmoſynis nobis reddamus propitios, vt ipſi pro nobis
Qualiter homo ſe debet iudicare. apud iudicẽ intercedant. Et quoniam vt ait Apoſtolus: ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vti-
1. Cor. 11. que à Domino diiudicaremur, aſcendamus tribunal mentis noſtræ, ratione loco iudicis præſi-
Item 11. dente, accuſante cogitatione, teſtificante conſcientia, timore tanquam carnifice torquente, vt quaſi quidam ſanguis animę, per lachrymas effluat. Dum enim hìc iudicamur temporalibus pœ-
Matth. 22. nis, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Sic igitur iram illius auferri hominis, qui falce iudicij metit, vbi virtutes & bona opera non ſeminauit, & colligit, vbi bona ſpiritualia non ſparcit, ligando zizania per faſciculos, id eſt, reprobos homines ligatis manibus & pedibus proiiciendo in tenebras exteriores, euadere poterimus. Ipſo præſtante qui viuit & regnat, &c.

## DOMINICA SEXTA THEMA SVMPTVM DE Euangelio ſecundum Matthæum.

Matth. 11. Lucæ 10. Iſaiæ 51. *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.*

De confeſſione laudis. HÆC eſt gratiarum actio, & vox laudis & confeſſio Chriſti, laudantis & gratias patri agentis. De qua confeſſione in Pſalmo dicitur: Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. Omnia enim opera creatoris oſtendunt in ſe materiam diuinæ laudis, dum clamant, Deus nos fecit. Confiteor tibi, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, à Philoſophis, qui ſapientes eſſe di-

esse dicebantur, & à prudentibus huius seculi, qui plerumque prudentiores sunt in generatione sua, & astutiores tanquam vulpeculæ, quàm filij lucis. Ipsi enim velut murilegus vident in tenebris, & quasi noctua veri solis fugiunt claritatem. Scientia enim mundi obumbrat scientiam Dei. Abscondisti hæc à sapientibus, qui sapientes sunt, vt faciant mala, bona autem facere nescierunt, quorum sapientiam perdidisti, & scientiam reprobasti. Iuxta illud Isaiæ: Vbi est literatus, vbi est vera legis ponderans, vbi doctor paruulorum? Abscondisti hæc à sapientibus, qui sapientes sunt in oculis suis, & coram sibimetipsis prudentes, vt qui non vident, videant, & qui vident, cęci fiant. Abscondisti eis, quia indigni, quia increduli, quia derident, quia conculcant, quia sapientia sibi præsumptuosè arrogat, quia sordidis & corruptis oculis lucē claritatis sustinere non valent, quia oculos inflatos habent, quia iniquitates eorū diuiserunt inter te & ipsos, vt radij veri solis ad eos attingere non valeant. Indigni sunt arcana mysteria & Dei sapientiam cognoscere, quia bestia quæ tetigerit montem, lapidabitur. Bestialis enim & animalis homo non cognoscit ea, quæ Dei sunt. Vnde & literæ clauduntur & sigillo muniūtur, vt secreta inimicis extraneis abscondantur. Loco autem & tempore amicis aperiantur. De quibus ait Dominus: Vos amici mei estis, quia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Et Dominus ad Abraham: Non celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam. Indignis autem claudit Dominus, & nemo aperit, quia nō est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, quia increduli sunt. Nisi enim quis crediderit, intelligere non poterit. In theologica enim & diuina scientia, ratio rei dubię non facit fidem, sed fides est argumentum rei dubiæ, faciens rationem & intelligentiam. Derident autem & stultitiam reputant diuinam sapientiam, sicut ait Apostolus: Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Et iterum: Verbum crucis pereuntibus, stultitia est. Superbi enim stultos reputant humiles, carnis voluptatibus dediti, stultos reputant, qui carnem suam cum vitiis & concupiscentibus crucifigunt. Qui autem in hoc mūdo apparere appetunt, & gloriam secularem diligunt, stultos reputant eos, qui occulti & abiecti esse in hoc mundo, & consepulti Christo gaudent. Qui diuitias diligunt, pauperes irrident & contemnunt, sicut Scribę & Pharisæi Christum contra eorum auaritiam prædicantem, non solum irridebant, sed quasi insanum reputabāt. Et in Genesi dicitur: Quod cum Loth loqueretur ad generos suos, dicens: Surgite & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc, visus est eis, quasi ludens loqui. Conculcant autem diuinam sapientiam, tanquam porci margaritas, blasphemantes, & quasi canes oblatrantes. Vnde Dominus prohibet sanctum dare canibus. Et Iudas in Epistola Canonica ait: Hi autem quęcunque quidem ignorant, blasphemant. Et beatus Petrus ait: quod in Epistolis Pauli quędam sunt difficilia intellectu, quę indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum prædicationem. Quia verò sapientiam Dei præsumptuosè arrogant, dicentes: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est. Obscuratum est insipiens cor eorum, vt Dei sapientiam non intelligant. Vnde ad Romanos: Tradidit eos in reprobum sensum. Et ad Corinthios ait: Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non huius seculi, nec principum huius seculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloria nostra, quam nemo principum huius seculi cognouit. Sordida autem & lippientes oculi lucem diuinæ sapientiæ non possunt sustinere. Vnde qui maculam habebant in oculo, à Dei sacerdotio repellebantur. Sacerdotum est enim legem Dei, & cęlestem sapientiam intelligere, quam non possunt cognoscere, nisi sint mundo corde. Vnde & sancti aquilis comparantur, qui radiis cordis irreuerberantis, solis claritatem sanis oculis intuentur. Superbis autem qui oculos cordis inflatos habent, diuina sapientia absconditur. Vasa enim vacua implet verus Eliseus. Hi autem qui spiritum Dei non habēt, omnibus bonis spiritus sancti carent, vnde nec spiritum sapientiæ habent. Si quando autem de spiritualibus loquuntur, nec intelligunt, nec ea de quibus loquitur, agnoscunt, sicut si cęcus loquatur de picturis & coloribus. Iniquitates autem eorum velut nubes interposita diuinæ sapientię, radios ab ipsis repellunt. In maleuolam enim animam nō introibit sapientia. Et quoniam scriptum est: A mandatis tuis intellexi. Et beatus Gregorius ait: Custodia mandatorum aperit intelligentiam oculorum, quia mandata Dei non obseruant, Dei filium, id est, Patris sapientiam ignorant. Qui autem ignorat filium, ignorat patrem, qui misit eum. Ipse enim splendor est & figura Dei patris. Nemo autem nouit filium nisi pater, nec patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, sicut in hodierno Euangelio dicitur: Iusto igitur Dei iudicio prædicti homines excęcantur. Vnde filius patri gratias agit, dicens: Confiteor tibi pater, &c. Dominus enim superbis resistit & humilibus dat gratiam. Vnde in Isaia dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum spiritu, & contritum & timentem sermones meos. Tales enim vnctio docet de omnibus. Et iterum Isaias: Audiēt in die illa surdi, verba libri, & de tenebris, & de caligine oculi eorum videbunt, & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israël exultabunt. Vnde in Parabolis dicitur: Sapientia sibi ædificauit domum, & posuit mensam diuinę scripturæ, & subiungitur in fine. Si quis est paruulus, veniat ad me. De superbis autem & reprobis Iudæis, dicit Dominus in Isaia: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat. Et iterum in persona eorum dicitur in Isaia: Palpauimus sicut

*Lucæ 16. De malis sapientibus. Iere. 4. Abdiæ 1. Isaiæ 29. Isaiæ 34. Ioan. 9. Multiplex causa subscriptionis. De ratione indignitatis auditorū abscondēda sunt profunda mysteria. Isaiæ 59. Exod. 19. 1. Cor. 2. Ioan. 15. Gene. 18. De abscissione propter incredulitatem. Isaiæ 13. Apoc. 1. Matth. 15. Mar. 7. Isaiæ 7. Propter irrisorem. 1. Cor. 1. Gala. 5. Quod seculares stultos reputant religiosos. Rom. 6. Ioan. 10. Gene. 19. Abscondenda sunt mysteria quæ conculcant ea. Matth. 7. Iudæ 1. 2. Pet. 3. Abscondenda sunt propter eorum arrogantiam. Rom. 1. 1. Cor. 2. Abscondenda sunt, quia sordidos habent oculos. Leuit. 21. Matth. 5. 4. Reg. 3. Abscondenda sunt, quia inflatos habent oculos. Abscondenda sunt, quia iniquitates eorū inter se & Deum diuidunt. Sap. 1. Heb. 1. Lucæ 10. De superbis, quibus absconditur et humilibus aperiuntur secreta. Iacobi 4. 1. Petri 5. Parab. 1. Isaiæ 67. 1. Ioan. 2. Isaiæ 19. Parab. 9. Isaiæ 6.*

sicut cęci parietem,& quasi absque oculis attractauimus, impegimus in meridie,quasi in tenebris. Sic igitur Iudæis sapientibus,in oculis suis excæcatis, quæ stulti sunt mundi,elegit Deus, vt ait Apost. Et B. Ioannes: Scimus quoniam filius Dei venit,& dedit nobis sensum,vt cognoscamus verum Deum. Omnis enim sapientia à Domino Deo est. Vnde in Ecclesiast. dicitur in persona humiliũ,qui sibi nõ arrogãt,sed Deo attribuunt sapientiã suã. Danti mihi sapiẽtiam, dabo gloriã. Ad hoc enim tenebrosa est aqua in nubibus aëris,ad hoc obscurè loquitur Dominus plerumq; in scripturis, vt indignis mysteria abscondantur,iusti autem in his exerceantur. Et quoniã non est humani sensus,vel ingenij cęlestem sapientiam per se attingere, nisi librum aperiat agnus,qui occisus est,qui aperit & nemo claudit,qui abscondit lumẽ in manibus,vt dicitur in Iob,id est,superbis,qui se immanes & magnos reputãt sancti & humiles corde,nõ sibi sed Domino attribuunt, si diuinas scripturas & Dei sapientiam intelligunt. Illusores autẽ ipse deridet,& mansuetis dat gratiã,vt dicitur in Parab. Qui enim humiliter & fideliter quærit,inuenit,& pulsanti aperitur. Vnde in hodier. Euang. subiungitur. Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis,& ego reficiã vos, id est,pane vitæ, & intellectus cibabo vos. Tollite iugum meum super vos,& discite à me,quia mitis sum,& humilis corde. Hæc est enim prima lectio, quam discere debemus in scolis superni magistri, vt simus conformes ei in humilitate, vt reuelet sapientiã suam paruulis. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Venite naufragi ad portũ,infirmi ad medicũ,tristes ad solatium, turbati ad pacẽ,laborãtes ad requiem, onerati ad leuamen. Venite qui laboratis variis pœnis & tribulationibus,qui onerati estis variis peccatis & iniquitatibus. Graui premitur pondere, qui diabolum habet in corde. Vnde dicitur in Iob: Bestia ingreditur latibulum suum. Bestiæ enim cruentę,id est,diaboli,latibulum est cor peccatoris. Grande pondus portat,qui peccato mortali oneratur,per quod anima vsq; in abyssum deprimitur. Vnde Apostolus: Deponentes omne pondus,& circunstans nos peccatum. Et Ieremias. Circumuolutæ sunt iniquitates meæ,& impositæ collo meo. Et in Psalmis: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,& sicut onus graue grauatę sunt super me. Impietas enim sedet super talentum plumbi. Semper enim descendit, animam premit, & vsque in infernum pertrahit. Vnde Isaias: Dissolue colligationes impietatis,solue fasciculos deprimentes. Oneratur igitur anima,& laborat in peccatis. Vnde Ieremias: vt iniquè agerent,laborauerunt. Et Isa. Quiescite agere peruersè. Si autem quies est,à peccato cessare,labor est,in peccatis manere. In circuitu enim impij ambulãt. Qui in circuitu currit,vertiginẽ capitis incurrit & cirò cadit. Laborant autẽ peccatores corde & corpore,interius & exterius. Grauantur triplici iugo, præmuntur triplici onere. Iugo mundi,iugo carnis,iugo diaboli. Laborant interius in anima per varias curas & sollicitudines. Vnde Dominus in Euan. Attendite vobis ne fortè grauẽtur corda vestra,à crapula & ebrietate & curis huius seculi. Hæ sunt muscæ caninæ,quas Dominus immisit Ægyptiis,& mures ebulliẽtes,de terra corodẽtes viscera Philistinorũ. Vnde in Eccles. Præcordia fatui quasi rota carri,& quasi axis versatilis cogitatio illius. Laborãt interius variis timoribus,illic frequẽter trepidãtes timore,vbi nõ erat timor. Fugit enim impius nemine persequente. Vnde in Ozee: Effraim quasi columba seducta non habens cor. Fructificantes enim in temporalibus,cor amiserunt semper pauidi,& timore cõtinuo concussi & confusi. Vnde in Isa. Nõ est pax impiis dicit Dominus. Et Abacuc Propheta: Turbabuntur pelles terræ Madian. Isti enim pelliparij pellem suã curantes,& cutẽ nitidã habẽtes,qui toti sunt in pellibus & exterioribus dediti,frequẽter turbãtur,semper timidi,nunquã securi,pugnas & cõtradictiones semper cogitantes. Vnde dicuntur pelles terræ Madiã,quæ cõtradictio interpretatur. Vnde Dominus in Leuit. Si in præceptis meis ambulaueritis,absq; timore habitabitis in terra vestra. Dabo pacẽ in finibus vestris,dormietis, & non erit qui exterreat. Et iterum: Si nõ audieritis me,nec feceritis omnia mandata mea,fugietis,nemine persequẽte. Et paulò pòst. Dabo pauorẽ in cordibus eorum,in regionibus hostium,terrebit eos sonitus folij volantis,& ita fugient quasi gladiũ. Cadẽt nullo persequẽte,& corruẽt singuli super fratres suos,quasi bella fugiẽtes. Laborãt interius variis doloribus. Vix enim qui seculũ diligũt,vnũ diẽ prętereunt quin multa videãt, vnde doleãt & quæ sibi displicẽt. Frequẽter enim sequuntur vmbrã tẽporaliũ & apprehẽdere nequeunt. Ecõtrario autẽ iusti seculũ fugiunt,& mũdi dignitates. Mundus autẽ tanquã vmbra sequitur ipsos fugiẽtes. Vnde in Eccle. Si pręcurreris,nõ effugies,si secutus fueris,nõ apprehendes. Dolent igitur frequẽter homines seculares, & nubilo tristitiæ confunduntur & cõsumuntur. Vnde in Parab. Sicut tinea vestimẽto & vermis ligno,ita tristitia nocet cordi viri. Cõcepерunt enim laborẽ,& pepererunt iniquitatẽ,sicut ait Isa. Et B. Petrus Apostolus: Hi sunt fontes sine aqua,nebulæ turbinibus exagitatę,quibus caligo tenebrarum reseruatur. Ecõtra de iustis in Eccles. dicitur: Timor Domini delectabit cor,& dabit lætitiã & gaudium,& longitudinem dierum. Licet enim pœnitẽs pro peccatis doleat, gaudet tamẽ & reficitur de tali dolore. Iuxta illud: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Nõ enim contristabitur iustus,quicquid ei acciderit, sciens quod omnia sibi cooperantur in bonum. Laborant interius tædio viuendi. Iuxta illud: Et factus sum mihi metipsi grauis. Qui enim gaudio spirituali priuantur,necesse est quod tædio frequenter afficiantur. Sicut enim corpus sine anima, põderosum est turpe & fœtidum,sic anima sine Deo sibimet ponderosa est,grauis & tædiosa. Vnde in Eccl. Iocunditas cordis hæc est vita hominis,Mali autẽ tanquã vpupæ, nidificantes in stercoribus suis,ab omni spirituali

1. Cor. 1.
1. Ioan. 5.
Eccle 1.
Item 51.
Apoc. 5.
Item 3.
Iob 37.
Parab. 3.
Matth. 7.
Lucæ 11.
Matth. 11.
Eccle. 15.
Matth. 11.
De pondere peccatorum.
Iob 37.
Heb. 12.
Tren. 1.
Zach. 5.
Isaiæ 58.
Iere. 9.
De labore peccatorum.
Isaiæ 1.
De triplici iugo.
Lucæ 21.
Exod. 8.
De malare-proborum sollicitudine.
1. Reg. 5.
Eccle. 33.
Parab. 28.
Isaiæ 48.
Abacuc. 3.
Leuit. 26.
De interiori labore reproborum & dolore.
De vmbra temporalium.
Eccle. 11.
Parab. 25.
Iob. 15.
Isaiæ 59.
2. Petri 2.
Eccle. 1.
De gaudio bonorum.
Parab. 12.
Rom. 8.
De labore tædii.
Iob 7.
Simile.
Eccle. 30.

spirituali iucunditate & exultatione priuãtur. Vnde B. Augustin. Inquietũ est cor hominis, donec requiescat in te Domine. Et Iere. ait: Ceruicibus minabamur, & fessis nõ dabatur requies. Et in lib. Sapientiæ in persona iustorum dicitur de sapientia, id est, Dei filio: Intrãs in domum meã, cõquiescã in illam, nõ enim habet amaritudinẽ cõuersatio illius, nec tædiũ cõuictus illius, sed lætitiã & gaudiũ. Laborãt pręterea iniqui interius per malã conscientiã: hæc est vita amara, de qua in Eccles. dicitur: Melior est mors, quàm vita amara. Et Ierem. ait: Scito & vide quàm malũ est, & amarũ reliquisse te Deum tuũ. Et in Eccles. Mors, quàm amara est memoria tua homini iniusto? Qui enim verme cõscientiæ malę corroditur, in amaritudine animi semper viuit, nihil tamẽ dolore proficit, sed magis in se deficit & tabescit. Iuxta illud vulgare: Seipsum dissuerberat tanquã tancha in chalato, huiusmodi enim pisces nõ proficit, sed quassatur & cõteritur, dum seipsum vndiq; inutiliter collidit. Laborãt nõ solũ interius, sed insuper exterius, congregando, cõseruando, litigando, & pugnãdo, procurando qualiter ventrẽ impleant, & libidinem expleant, qualiter mundo præmineãt, aduersariis vicẽ rependant, & inimicos deprimant, & charos & propinquos sibi attollant. Lapis enim molaris, id est, labor secularis, suspensus à collo eorum, pertrahit eos in profundum laborum & dolorum. Excęcati enim & crinibus virtutum, sicut Sampson, spoliati, ad molam terrenæ occupationis laborare nõ cessant, similes effecti diabolo, qui tanquam leo circuit. Iuxta illud: Domine, pone illos vt rotam. Voluũtur enim & non proficiunt, sibi tamen proficere videntur, eò quòd in posterioribus, id est, in temporalibus, more rotæ eleuantur, in anterioribus semper deprimuntur, sicut scriptũ est: Deiecisti eos dum alleuarẽtur. Et iterũ ascẽdunt vsq; ad cœlos, & descẽdunt vsq; ad abyssos. Tolluntur enim in altũ, vt lapsu grauiore ruant. Et quoniã iugũ Domini suaue est, & onus eius leue, à cerniculis suis expellunt, meritò triplici iugo durissimo cõprimuntur. Iugo, scilicet, mundi, carnis, & diaboli. De iugo mũdi dicit Dominus: In mũdo pressurã, in me autẽ pacẽ habebitis. Iugo enim cõprimuntur superbi & auari. Superbia leuat hominẽ supra se, auaritia trahit extra se, & ita dirumpitur & dissecatur miser homo seruus peccati. Qui enim facit peccatũ, seruus est peccati. De iugo auaritiæ dicit Apost. Radix omniũ malorũ est cupiditas. Quam quidã appetẽtes, à fide errauerũt, & insertuerũt se doloribus multis. Vnde Propheta Naum: Plures fecisti negotiationes tuas, quàm sint stellæ cœli. Hi sunt velut talpæ excæcati, terrã congerẽtes supra se, vnde obruuntur. Percussi enim sunt auaritia, id est, auri auiditate, & calidis hirundinum stercoribus excæcati sunt. Stercora enim sunt tẽporalia in reputatione iustorũ. Hirũdines frigus Aquilonis fugiẽtes, & Austrũ spiritussancti sequẽtes, sunt sancti homines. Hi significãtur per Esau pilosum & superfluũ, qui venator erat. Iacob autẽ vir simplex, habitabat in tabernaculis. Isti enim venatores temporaliũ, semper sunt in angustia & tribulatione. Vnde Tyrus quæ interpretatur angustia, filia Sydonis dicitur, id est, venationis. Vnde Isa. de talibus: Obstupescite, admiramini, fluctuate, vacillate, inebriamini. Iugũ mũdi similiter, quantũ ad superbos, qui laborãt vt magni fiãt, valde onerosum est & durũ. Valde enim grauatur, qui mõtibus Gelboë, super quos, nec ros, nec pluuia descẽdit, cõprimuntur. Tumor enim superbiæ, est quasi quidã mõs, qui radios veri Solis ad animã trãsire nõ sinit. De hoc iugo Dominus in Euang. ait: Væ prægnãtibus & nutriẽtibus. Ipsi enim superbi, fętu pessimo, amore, scilicet, mũdi, prægnãtes sunt & inflati, semper laborãtes, vt diuitiis & honoribus, & dignitatibus, suã nutriãt superbiã. Vnde Propheta Osee: Effraim pascit ventũ, sequitur æstũ. Pascit ventũ superbiæ, sequitur æstũ, id est, ardorẽ inanis glorię. Et Isa. ait: Ibi habitabũt strutiones, & pilosi saltabũt ibi. Per strutiones, qui similitudinẽ habẽt volãdi, & nõ volãt, hypocrisis intelligitur, quæ species est superbiæ. Hoc iugũ adeò Luciferũ depressit, q, firmamentũ nõ valuit sustinere ipsum, & idcirco corruit in abyssum. De his ait Isa. Telas araneas texuerũt. Ipsi enim more araneę sese euiscerãt, vt capiãt muscã inanis glorię. Secundũ iugũ durũ & onerosum valde est, iugũ, scilicet, carnis, per quod gulosi & luxuriosi cõprimuntur. Vnde in Euãg. Attẽdite, ne corda vestra grauẽtur crapula & ebrietate. Gulositas enim est rationis sepulchrũ, aceruus stercorũ, origo immũditię, mater nauseę, hostis castitatis, seminariũ libidiñis. Dum enim saturitate venter extẽditur, aculei libidinis excitãtur. Gula enim carũ tributũ exigit, sed vilissimũ reẽdit. Inde grauatur stomachus, turbatur sensus, opprimitur intellectus, generatur tam animæ q̃ corporis varius morbus. Vnde in Eccles. Noli esse auidus in omni epulatione, & nõ te effundas super omnẽ escã. Sed & iugũ libidinis grauissimũ est, in qua velut in altero infermo, sunt fœtor, ardor, vermis malæ cõscientię. Appetitus enim eius plenus est anxietate, satietas plena pœnitẽtia, vt ait Boëtius. Luxuria enim futura excruciat, pręsens nõ satiat, præterita non delectat. Caro enim luxuriosa, nõ sinit animũ quiescere. Vnde in Eccles. Non respicies mulierẽ multiuolã. Hæc est caro superflua & multa volẽs. Vnde Isa. Pilosi saltabũt ibi. Pilosi dæmones sunt incubi, qui ab homine incipiũt, & in bestiã desinũt. Luxuria enim primò blãdè ingreditur, sed in fine mordet, vt coluber, & quasi regulus venena diffundit. Diabolus coluber dicitur, quasi colẽs lumbos, in quibus est sedes luxuriæ. Hoc est grauissimũ iugum, hoc enim vitio, spiritus à carne absorbetur, & quasi totus caro efficitur, dum putrescũt iumẽta in stercore suo. Hæc sunt vlcera, quæ Dominus Ægyptiis immisit. Tertiũ iugũ est durũ & grauissimũ, iugũ, scilicet, diaboli, quo deprimitur anima per inuidiam & malitiã, per iram & furorẽ, per acediã & tristitiam. Vnde Ierem. Seruietis diis alienis die ac nocte, qui nõ dabunt vobis requiem. Et B. Gregorius: Quantò anima crebrius diabolo se subiicit, tantò intollerabiliorẽ facit eum. Serpẽs enim, id est,

*Leuit. 11.*
*Tren. 4.*
*Sap. 8.*
*De laborem: le conscientiæ.*
*Eccle 30.*
*Ierem. 2.*
*Eccle. 40.*
*De multiplici exteriori labore malorum.*
*De mola & rota.*
*Matth. 18.*
*Iudic. 6.*
*1. Petri 5.*
*Matth. 11.*
*De iugo mundi, carnis, & diaboli.*
*De iugo superbiæ & auaritiæ.*
*Ioan. 16.*
*Item 8.*
*1. Tim. 6.*
*Naum 3.*
*De talpis & stercore hirundinum.*
*Tobiæ 1.*
*Gene. 25.*
*Isaiæ 23.*
*Item 19.*
*De labore superbiæ.*
*2. Reg. 1.*
*Matth. 14.*
*Mar. 13.*
*Luc. 21.*
*Oseæ 12.*
*Isaiæ 13.*
*Item 14.*
*Item 59.*
*De iugo carnis & primo de gastrimargia.*
*Luc. 21.*
*Eccle. 37.*
*De luxuria & iugo libidinis.*
*Boëtius.*
*Item 9.*
*Isaiæ 13.*
*Prou. 14.*
*Ioël. 1.*
*Exod 9.*
*De iugo diaboli.*
*Iere. 16.*
*De inuidia & ira.*

Gene.3. Matth.17. Mar.9.

diabolus, non solùm ventre per gulam & luxuriã ad hominẽ pergit, sed pectore per inuidiam & iram. Hi sunt tanquã lunatici & lymphatici, qui modò cadunt in aquã per luxuriã, modò in ignem per iram & furorem. Patet igitur quòd graue sit iugum inuidię & iræ. Quid enim inuidis miserius, qui bonis aliorum deteriores sunt, qui bono odore, velut serpentes moriuntur, quos dum cõspecta aliorũ felicitas, afficit pœna, nequiores reddit, qui alieno profectu deficiunt, aliena exultatione tabescunt, alterius felicitate miseri fiunt? Ira verò graue iugum est, furor, sã licet, mentis turbidæ. *Impedit ira animum, ne possit cernere uerum.*

De labore & depressione tristitiæ & pigritiæ. Parab.12. Eccle.40.

Perturbat enim oculum cordis, & aufert pacẽ pectoris. Tristitia similiter & pigritia, valde deprimunt hominẽ, & aggrauant animã. Vnde Salomõ: Manus remissa, tributis seruiet. Necesse est autẽ tristes esse pigros, somnolentos, indeuotos, tepidos. Patet igitur ex prędictis, quod occupatio magna creata est omnibus hominibus humum, scilicet, sapiẽtibus, & iugũ graue super filios Adã, in die exitus de ventre matris eorũ, vsq; in diẽ sepulturæ in matrẽ omniũ, de quo Iob ait: Qui quasi flos egreditur & cõteritur, & fugit velut vmbra, & nunquã in eodẽ statu permanet. De prædictis autẽ oneribus dicit Salomon: Tria sibi videri difficilia, & quartũ se penitus ignorare, viam, scilicet, aquilæ in cœlo, quæ est in via superborum: viam nauis in medio maris, hæc est via cupiditatis, de quo in Eccles. dicitur: Via peccantiũ cõplantata lapidibus, & in finem illorũ inferi & tenebræ & pœnæ. Viã colubri super petrã, id est, corda fortiũ nititur infamare, quia summa petit liuor. Colubri propter venenũ, & quia colunt vmbras, cõparantur inuidi, irascundi, & acedioſi. Viã viri in adolescẽtia sua, dicit viã luxuriæ, quæ tot habet labores & difficultatũ varietates, quod vix possunt cõprehendi vel annumerari. De via autẽ iustorũ dicit Isa. Via sancta vocabitur, nõ pertrãsibit per eam pollutus, id est, luxuriosus, nõ erit ibi leo, id est, superbus, & mala bestia nõ ascendet per eam, id est, auarus. Venite igitur ad me, dicit Dominus, omnes, qui laboratis in viis prædictis, & onerati estis variis peccatis, & ego reficiã vos. Quare appenditis argentum vestrum nõ in panibus, & labores vestros nõ in saturitate? Ego reficiã vos, dabo vobis manna absconditũ. Spiritus enim meus super mel dulcis, hæreditas mea super mel & fauũ. Quomodo si cui mater blandiatur, & ego cõsolabor vos. Iucunditatẽ & exultationem thezaurisabo super vos. Tollite iugũ meũ super vos. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Hoc est quod ait beatus Ioannes: Mandata eius grauia non sunt, quia omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Sunt autem tria, quæ principaliter iugum Domini nobis reddunt suaue & onus eius leue. Primum est oleum suauitatis bonæ cõscientiæ. Vnde in Eccles. dicitur: Non est census supra censum salutis corporis, & nõ est oblectamẽtum super cordis gaudium. Quadriga enim cordis postquã fuerit vncta vnctione spiritussancti, suauiter incedit. Secundum est cõsideratio eorũ, quæ Christus & eius sancti pertulerunt, in quorũ respectu leuia nobis videntur, quæ pro Christo sustinemus. Vnde in libro Ruth de Boos Noëmi: Tinge buccellã tuã in aceto. Acetũ enim dominicę passionis incitat in nobis appetitũ, & buccellã pœnitẽtię nostrę, aliàs asperrimã nobis reddit suauissimã. Hęc est farina quã misit Elisęus in ollã pulmẽti, in qua erant herbę amaræ, cùm dicerẽt ei filij Prophetarũ, mors est in olla. Granũ frumẽti Christus est, quod inter duo crucis ligna, quasi in molendino cõminutum est. Farinã igitur in pulmentũ mittimus, vt amaritudo tollatur, cùm particulariter Christi passionẽ recolimus, vt post odorẽ vnguentorum eius curramus, reducẽdo ad memoriã beneficia, quæ nobis in carne cõtulit, quibus vulnera nostra perunxit. Passiones etiã & exempla sanctorũ mandata Domini nobis facilia, & onus eius reddunt nobis suaue. Vnde in Iob: Memẽto belli, & vltrà nõ addas loqui, id est, pro aliquo labore, & pro aliquibus flagellis murmurare vel cõqueri. Si enim ad mensam diuitis fedisti, scilicet, ad diuinã scripturã, attẽde diligẽter in ea, quæ fercula apponuntur tibi, exempla, sã licet, & tormenta sanctorũ, quę tu debes imitari, vt eadẽ fercula apponas, quę appolita sunt tibi. Tertiũ est cõsolatio prẽmij. Nõ enim cõdignæ sunt tribulationes huius seculi, ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Vnde Apost. ad Corinth. Id enim quod in præsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostrę, supra modũ in sublimitate, æternũ glorię pondus operatur in nobis. Semper igitur tanq̃ mercenarij, finẽ operis & mercedẽ laboris, expectemus. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominũ Deũ nostrũ, donec misereatur nostri. Gravis aũt dieta mercenario videretur leuis, si in fine diei pro labore diurno expectaret se mille mercas recepturũ, quod nihil est respectu æterni prẽmij: vnde vulgariter solet dici: Securè & suauiter bibit, qui lectũ suũ prẽparatũ respicit. Et iterũ: Absq; difficultate & sollicitudine pedes vadit, qui iuxta se palefridum suum ducit. Suauiter igitur & sine difficultate calicem bibemus Christi, si ad lectum æternæ quietis mentis oculos habeamus. Econtrà iugum diaboli durissimum facit malæ conscientiæ tormentum. Serui enim diaboli non solum exterius, sed amplius laborant interius. Et præterea consideratio æternę punitionis, quãdo cogitãt, quod pro momẽtanea libidine cruciabuntur sine fine. Transibunt enim de tormentis huius seculi, ad tormenta inferni. Vnde in cantico Moysi dicitur in persona Domini: Ignis succensus est in furore meo, hîc, sã licet, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Omnia enim quæ de terra sunt, in terram reuertentur, sic impij à maledicto in perditionem. Sicut igitur delectabile est Domino seruire, quia bonus, quia largus, quia leui seruitio contentus. Sufficit enim ei si diligatur, & pro calice aquæ frigidæ suos remunerat seruientes. Ita durum est diabolo seruire, quia crudelis dominus est, nec est modico seruitio cõtentus. Quãtò enim magis ei seruitur, tantò crudelior reperitur. Et quia

Cant.1. 4.Reg.4. Ruth.1. Ecclc.30. Ex 70. Rom.8. Tertium. 2.Cor.4. Iob 7. Iob 41. Parab.33. Deut.32. Eccle.41. Matth.10. Mar.9. Parab.30. Eccle 21. Parab.30. Isaiæ 35. Apoc.2. Eccle.24. Isaiæ 66. Eccle.15. Matth.11. De iugo Domini. 1.Ioan.5. Quibus modis leue fiat iugum Domini. Primum. Secundum. Quod iugum diaboli graue sit. Assignantur rationes quare delectabile sit seruire Deo, & durum seruire diabolo.

Et quia dura stipēdia militibus suis reddit,& seruos suos pessimè remunerat,nec nocet nisi suis. Nos igitur fratres charissimi,iugū Domini suaue supra nos tollamus,vt inueniamus requiē animabus nostris. Excutiamus à nobis durum iugū Pharaonis. Solue vincula colli tui captiua filia Syon. Iugū enim oneris eius,& virgā humeri eius,& sceptrū exactoris eius tollet Dominus à te,& cōputrescet iugū peccati à facie olei diuinæ misericordię,& nō adiiciet vltrà,vt pertrāseat in te incircumcisus & immundus,sicut dicitur in Isaia. Veniamus igitur adeū,qui via est,& viaticū,& refectio animarū. Contritio enim & infelicitas in viis impiorū,qui tandē serò pœnitētes dicturi sunt: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis. Ambulauimus vias difficiles. Verè difficiles,quæ planitie carētes,montuosę sunt per superbiā,spinosæ per irā & inuidiā,tenebrosæ per tristitiā & acediā,distortę & lapidibus cōplantatę per auaritiā,lubricę & lutosæ per gulā & luxuriā. Vnde Ierem. Via eorū erit quasi lubricū,& in tenebris impellētur,& corruēt in ea. Nos autē veniamus ad ipsum per viā, de qua ipse per Isa. ait: Hæc via,ambulate in ea,nec ad dexterā neq; ad sinistrā. Et iterū: Viā facite,prębete iter,declinate à sēmita,auferte offendicula de via populi mei,per quā viā nos perducere dignetur ad patriā Dominus noster Iesus Christus. Amen.

*Conclusio & moralis prædictorum recapitulatio.*
*Isaiæ 52.*
*Item 19.*
*Item 32.*
*Sapien. 5.*
*De viis huius seculi, quæ graues sunt & difficiles.*
*Iere. 23.*
*Isaiæ 30.*
*Isaiæ 57.*

## DOMINICA IN SEPTVAGESIMA THEMA DE INTROITV MISSAE SVMPTVM EX PSALMO.

*Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me.*

HODIE innouatur officiū Ecclesię, supprimuntur cantica latitiæ, scilicet, Alleluya, Gloria in excelsis, & Te Deū laudamus. Cithara Ecclesiæ versa est in luctum, & gaudiū in mœrorē, iubilus in lamentationē. Hodie enim incipit Ecclesia repræsentare tempus deuiationis, tempus, scilicet, culpę & miserię, tempus nocturnū & tenebrosum, tempus procellosum & hyemale, quod fuit ab Adā vsq; ad Moysen, in quo mundus fuit in tenebris ignorātię, & frigore infidelitatis: vnde liber Genesis legitur in Ecclesia, in quo agitur de culpa & pœna primorū parentū. Appellatur autē hoc tempus septuagesima, quæ hodie inchoatur, & in sabbato in albis, scilicet, in die septimo post Pascha terminatur. Ex tunc autē repręsentatur illud tempus, quo plenè post peregrinationē huius temporis, quod septē dierū reuolutione agitur, & septē ætatibus cōsummabitur, ad supernā patriā reuertemur, glorificati in corpore & anima, vnde duplex tunc cātatur alleluya. A die autē resurrectionis vsq; ad octauas Paschę, simplex alleluya decātatur, propter animarū glorificationē, & simplicē stolā, quę adhuc expectāt corporū suorū resurrectionē, & superindui desiderāt. In die autē iudicij plenè cōsummabitur, tam animarū q̄ corporū peregrinatio, siue exiliū. Hoc autē designatur per septuaginta annos, quibus filij Israēl in captiuitate Babylonica detēti sunt, post hęc verò ad patriā suā, scilicet, in Hierusalē, reuersi sunt. Et nos finito septenario huius præsentis vitę, ad supernam Hierusalē plenè reuertemur. Interim autē lugendū est nobis & suspirandū, quàm diu in hoc seculo peregrinamur à Domino, sicut ait B. Iacobus: Miseri estote, & lugete. Vnde introitus Missę à lamētatione incipit, & canticū lamētationis priorū parentū, & filiorū suorū repręsentatur, cùm dicitur: Circundederunt me gemitus mortis, &c. Ostēdit enim æger miserabilis summo Medico vulnera sua, vt eum ad cōpassionem prouocet, & ad curandū & succurrendū incitet. Qui enim propriā infirmitatē sentit, Medicū & medicinā requirit. Primi autē parētes, quia totā Trinitatē offenderunt, triplex incōmodum principaliter incurrerunt. Offenderunt patrē & filiū & spiritū sanctū, id est, potentiā, sapientiā, & bonitatē, & ceciderūt in impotentiā seu debilitatē, in insipientiam seu ignorantiā & malitiā seu carnalē concupiscentiā, quā sensualitatē & fomitē peccati & tyrannū naturæ appellamus. Quātò autē homo magis elongatur à patre cui principaliter attribuitur potētia, tantò magis debilis est, & insufficiēs tentationibus resistere. Vnde quidā ita miserabiliter sub diabolo captiuati sunt, quod omnibus eius persuasionibus cōsentiunt, quos maligni spiritus de peccato in peccatū, tanq̄ bruta animalia ad voluntatē suā deducūt. Quos deplorat Ierem. Propheta, dicēs: Abierunt absq; fortitudine ante faciē subsequētis. Et iterū: Migrauit Iuda propter afflictionē & multitudinē seruitutis. Migrauit corruendo de peccato in peccatū, & facti sunt hostes eius in capite, quia qui consentit diabolo & vincitur ab eo, seruus efficitur diaboli. Ecōtrario quātò magis homo appropinquat Deo & eius imaginē in se studet reformare per cordis cōpunctionem, & opera misericordiæ per verā charitatē, tantò maiorē recuperat potestatē, vt dominetur carnalibus cōcupiscentiis, & cōculcet satanam sub pedibus suis. Vnde Apost. Castigo corpus meū, & in seruitutē redigo. Et Psal. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrā, id est, motus animales & terrenos. Similiter quātò magis peccator recedit à filio, cui attribuitur sapiētia, tantò maiorē incurrit cęcitatē & insipientiā. Vnde Iere. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiā Syon? Et Psal. Collocauit me in obscuris seculi. Quātò autē magis accedit homo ad filium, tantò magis ei assimulatur, & sapientior efficitur, sicut scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur tenebris, scilicet, ignorantię. Et ipse filius de se dicit: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Pari modo, quātò aliquis magis elongatur à spiritu sancto, cui attribuitur benignitas, tantò maiorē incurrit malignitatē, & amittit spiritus suauitatē, & bonę cōscientię serenitatē. Malum est enim & amarū derelinquere Deū suum. Vnde Ierem. Repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me absynthio.

*De tempore deuiationis.*
*Iob 30.*
*Iacobi 4.*
*De innouatione officii.*
*De septuagesima.*
*1. Cor. 5.*
*De huius Ecclesiæ & primorum parentum.*
*Iacobi 3.*
*De triplici incommodo primorum parentum.*
*De primo incommodo, impotentiæ & infirmitatis.*
*Tren. 1.*
*Ioan. 8.*
*Rom. 13.*
*1. Cor. 9.*
*De secundo incommodo, ignorantiæ.*
*Tren. 2.*
*Ioan. 8.*
*De tertio incommodo, malitiæ.*
*Ierem. 2.*
*Tren. 3.*

absynthio. Qui autē relicta via iniquitatis ad spiritū sanctū accedit, incipit gustare & videre quā suauis est Dominus, & gustato spiritu, desipit ei omnis caro. Primus igitur parēs, quia bonā & summā Trinitatē offendit, malā trinitatē incurrit, scilicet, infirmitatē, ignorantiā, & malitiā. Miseriā, scilicet, culpæ, & miseriā pœnæ, malū aduersum, & malū peruersum. Percussus est enim à Domino in anima & corpore, & repleuit Dominus in filiā Iuda humiliatū & humiliatā, id est, corpus & animā miseria & dolore replēdo, humiliauit, vt cogatur exclamare: Circundederunt me gemitus mortis, miser factus sum & curuatus sum. Sagittę tuæ infixæ sunt mihi. Hæ sunt sagittæ de quibus dicitur in Iob: Sagittę Domini in me sunt, quarū indignatio ebibit spiritū meū. Percussus est autē à Domino septē sagittis in anima, quæ sunt gaudiū, dolor, spes, timor, tædiū, pudor: septima autē letalis & mortifero veneno plena, est fomes peccati, fons & origo totius mali, scilicet, sensualitas. Hæ sunt enim mētis humanæ perturbationes, quæ nunq̄ in eodē statu permanēt. De gaudio malorū scriptū est: Risum reputaui errorē, & gaudio dixi, cur frustra deciperis? De dolore dicitur in Iob: Concepit dolorē & peperit iniquitatē. Et iterū: Increpat per dolorē in lectulo. De quo lectulo dicit Psal. Dominus opē ferat illi super lectū doloris eius. Spes autē dicitur cōcupiscētia malorū, seu desideriū terrenorū, propter quod Apost. ait ad Timoth. Diuitibus huius seculi pręcipe nō superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarū, sed in Deo viuo. Et Iacobus Apost. ait: Petitis & nō accipitis, eò q, malè petatis, vt in cōcupiscentiis vestris insumatis. De timore dicitur in Iob: Sonitus terroris semper in auribus eius, & cùm pax sit, ille insidias suspicatur. Et Psal. Timor & tremor venerunt super me, & cōtexerunt me tenebrę. De tædio scriptū est in Iob: Tædet animā meā vitę meæ. Et in Psal. Dormitauit anima mea præ tædio. De pudore habetur in Gen. quod primi parētes erubescētes nuditatē suā, abscōderunt se à facie Domini in medio lignorū Paradisi. Et in Eccles. dicitur: Est cōfusio adducēs peccatū. De sagitta sensualitatis dicit Ierem. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Et in Psal. Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & nō est sanitas in carne mea. Et Apost. Caro cōcupiscit aduersus spiritū, & spiritus aduersus carnē. Et iterū: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ex fomite autē sensualitatis, quasi ex vulnere letali, oriuntur septē alia vulnera, septē criminaliū peccatorū, quibus, quasi septē aliis sagittis, anima vulneratur à diabolo. Superbia enim aufert homini Deū: inuidia, proximū: ira, seipsum. Per superbiā autē cor inflatur: per inuidiā & irā, inflāmatur & arescit: p tristitiā, cōteritur, & quasi in puluerē redigitur: per auaritiā dispergitur: per gulā inficitur, & quasi humectatur: per luxuriā cōculcatur, & quasi in lutū redigitur, vt posit dicere miser homo: Infixus sum in limo profundi, & nō est substātia. Et quoniā homo natus ex muliere breui viuēs tēpore, repletur multis miseriis. Nō solū post esum pomi vetiti vulneratus est in anima, sed insuper septē sagittis percussus est in corpore, quæ sunt septē incōmoda, quibus post peccatū subiecta est humana natura, scilicet, fames, sitis, calor, frigus, fatigatio laboris, ægritudo & mors, propterea dicit Iob: Homo natus ad laborē, & auis ad volandum. Et iterū: Pharetrā suā aperuit, & affixit me. Et Iere. ait: Circūdedit me felle & labore. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animā, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Occupatio enim magna creata est omnibus hominibus, & graue iugū super filios Adā. Vnde Iere. Aggrauauit super me cōpedem suū. Igitur miser homo, qui descēdens de Ierusalē in Iericho, incidit in latrones, spoliatus grauitatis, & vulneratus in naturalibus, clamat ad Dominum: Circundederūt me gemitus mortis. Gemitus mortis persecutiones & pressuræ, pœna & culpa, quæ sunt præambula mortis, vel sunt quędā mors prolixa in hac miserabili vita. Dolores inferni, dicuntur passiones peccati, & tentationes mali desiderij, quę trahunt animā ad dolores inferni. Alibi vocātur pericula inferni in Psal. vbi dicit Dauid: Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, id est, tentationes, & primi motus, quibus nisi resistatur, anima ad infernū trahitur: vel dolores inferni circundederunt me, pœnę, scilicet, gehēnales, amissis gaudiis Paradisi. In vulgari autē editione dicitur: Circundederunt me dolores mortis, & torrētes iniquitatis cōturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me, prę occupauerunt me laquei mortis. Dolores mortis, id est, carnis mortalis, torrētes iniquitatis, impetus peccatorū. Dolores inferni, id est, inferioris partis rationis, scilicet, sensualitatis: vel dolores inferni, qui ducunt ad infernū. Prę occupauerunt me laquei mortis, id est, reatus originalis: vel laquei mortis tentationes & retiacula inimici, quibus illaqueāt animā ad mortē peccati. Attendēs igitur homo miseriam quam incurrerat, foueā in quā inciderat, in tribulatione clamat ad Dominum, tanquā videns paupertatem suam, pauper & egenus, qui merito peccati sui multiplex damnum incurrerat. Amiserat enim Dominum suum, & delectabile hospitium suum, vestimēta sua, possessiones suas, vxorem, filios, & seipsum. Amisit Dominum & Deum suum per inobedientiam, & factus est seruus diaboli per transgressionem mandati, perdidit enim Domini sui gratiam. Vnde in persona eius dicitur in Iob: Mutatus est mihi in crudelem. Et iterum: Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Et in Psalmo: Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, id est, diuina gratia, qua subtracta miser homo ambulat in tenebris, & nescit quò vadit. Vnde Ieremias: In tenebrosis collocauit me, sicut mortuos sempiternos. Amisit hospitium suum, & proiectus à Paradiso, missus est in exilium. Quàm diu enim cōmoratur in hoc seculo, peregrinatur à Domino. Vnde in Gen. dicitur: Emisit eum de Paradiso voluptatis, vt operaretur terrā de qua sumptus est, eiecitq; Adā. Amisit prę

*De mala trinitate. Tren. 2.*

*Iob 6.*

*De septem sagittis animæ. Item 14. Eccle. 2. Iob 15. Item 33.*

*1. Tim. 6.*

*Iacob 4. Iob 15.*

*Item 10.*

*Gene. 3. Eccle. 4. Tren. 3. Gala. 5. Rom. 7.*

*De septem vulneribus, septem criminalium.*

*Iob 14.*

*De septem sagittis corporis. Iob 5. Item 30. Tren. 3. Sapien. 10. Eccle. 40. Tren. 3. Lucæ 10.*

*Expositio literæ.*

*Expositio secundū aliam literam.*

*Tren. 3. De multiplici damno, quod incurrit primus homo. De amissione Dei. Iob 30. Item 7. De amissione hospitii. Ioan. 8. Tren. 3. 1. Cor. 5. Gene. 3. De amissione vestium.*

terea vestes suas pulcherrimas, & se nudũ inuenit, & nuditatẽ suã erubuit. Sicut enim Sol suo indutus est splẽdore, & lilia candore, & rosæ proprio & rubeo colore, ita priusquã peccaret, indutus erat decore suo, amictus lumine, sicut vestimẽto. Nihil omninò erubescebat, quia ex nulla parte turpitudinẽ habebat. Post peccatũ verò oculis apertis, id est, cõcupiscentię riuulis & motibus obscœnis in ipso insurgentibus erubuit, & de foliis ficus turpitudinẽ suã texit. Dominus autẽ, vt dicitur in Gen. tunicas pelliceas Adã & vxori suæ fecit, & ita amissis vestimẽtis decoris & innocẽtiæ, de quibus dicitur: Beatus qui custodit vestimẽta sua, ne nudus ambulet, in signum cauterij & mortalitatis suæ indutus est pellibus morticinis, potius in confusionẽ, quàm in gloriã. Ex quo patet, quod qui vestibus inaniter gloriatur, fatuus reputatur, sicut si latro de cauterio glorietur. Quæ enim esset gloria soli, si amissa claritate pannis indueretur. Amisit præterea possessiones suas, & creaturarũ, quæ sub ipso erãt dominiũ, & qui prius imperabat vrsis & leonibus, impugnatur à muscis & pulicibus. Quia enim Domino suo obedire recusauit, meritò eorum, quę sub ipso erãt obedientiã, amisit. Et quę prius erãt ei ad obsequiũ & gloriã, cõuersa sunt ei in pœnã, vt à serpẽtibus lædatur, & feris, & ab aliis creaturis, quæ tamẽ omnia, sicut in Gen. dicitur, erãt priùs valdè bona. De hac paupertate dicit Iob: Nudus egressus sum de ventre matris meæ, & nudus reuertar illuc. Et Apost. Nihil intulimus in hunc mundũ, haud dubiũ quod nec auferre quid possumus. Amisit vxorẽ suã, cui maledixit Dominus, & amissa pulchritudine, cõuersa est in corruptionẽ & mortalitatẽ, vt impleretur in ea quod dicitur in Iob: Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris. Amisit insuper filios suos, omnes enim ex illa massa corruptionis, nascuntur filij iræ, & nisi iterũ generati fuerint, id est, regenerati per baptismũ, vt efficiãtur filij Dei, & abolita imagine terreni, portẽt imaginẽ cęlestis: oportet omnes descẽdere in infernũ. Vnde in persona primorũ parentũ dicit Ierem. in lamẽtationibus. Facti sunt filij mei perditi, quoniã inualuit inimicus. Amisit præterea seipsum in corpore & in anima letaliter vulneratus, vnde quia nõ obediuit suo superiori, diuina vltione, factũ est vt membra eius inferiora nõ obedirẽt ei, sed insurgerẽt cõtra ipsum, vellet, nollet, motus sensualitatis. Vnde Apost. ad Rom. Scio enim q̃ nõ habitat in me, hoc est in carne mea, bonũ. Nã velle adiacet mihi, perficere autẽ bonũ nõ inuenio. Nõ enim q̃ volo bonũ, hoc facio. Et B. Iob ait: Balteũ Regũ dissoluit, & pręcingit fune renes eorũ. Ante peccatũ erãt Reges primi parẽtes, omnibus mẽbris suis dominãtes. Postmodũ verò rupto balteo cõtinentiæ per carnẽ concupiscentiã dissoluti, quasi per funẽ trahũtur ad peccandũ. Vnde Iere. ait: Proiecit Dominus de cœlo inclitã filiã Israël. Et iterũ: Defixæ sunt in terra portæ eius, id est, sensus corporei. Et iterũ: Egressus est à filia Syõ omnis decor eius. Et iterũ: Præcipitauit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob. Ieremias enim sub vnius Iudæorũ gentis specie priorũ parentũ, & totius humani generis casum deplorat. Vnde in principio lamentationũ à primis parẽtibus luctũ inchoãs, sic ait: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina Gentiũ, Princeps ꝓuinciarũ facta est sub tributo. Qui enim modũ verò rupto balteo cõtinentiæ per carnẽ concupiscentiã dissoluti, quasi per funẽ trahũtur ad peccandũ. Vnde Iere. ait: Proiecit Dominus de cœlo inclitã filiã Israël. Et iterũ: Defixæ sunt in terra portæ eius, id est, sensus corporei. Et iterũ: Egressus est à filia Syõ omnis decor eius. Et iterũ: Præcipitauit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob. Ieremias enim sub vnius Iudæorũ gentis specie priorũ parentũ, & totius humani generis casum deplorat. Vnde in principio lamentationũ à primis parẽtibus luctũ inchoãs, sic ait: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina Gentiũ, Princeps ꝓuinciarũ facta est sub tributo. Qui enim omnes populos seminaliter in se habuerũt, qui priores & domini omniũ Gentiũ esse debuerũt, & Principes omniũ prouinciarũ, omnia enim terrena subiecta erãt sub pedibus eorũ, facti sunt soli à Deo derelicti. Facta est quasi vidua domina Gentiũ, mater, scilicet, omniũ viuentiũ, facti sunt etiã sub tributo seruitutis, in quorũ persona ait Apost. Ego autẽ carnalis sum, venundatus sub peccato. De his autẽ secundũ animas eorũ, prædicta verba possunt moraliter intelligi, quæ priùs populo virtutũ plenę erãt, quãdo à Deo inhabitabãtur, & dominę Gentiũ, id est, desiderorũ, & affectuũ, & Principes prouinciarũ, id est, quinq; sensuũ, post peccatũ verò factę sunt solæ viduę & tributarię. Facti sunt pręterea subiecti maledictio. Mulier enim quę in fructu peccauit, in fructu ventris punita est. Vnde dictũ est illi: In dolore paries filios. Et quia sub Domino esse noluit, dictũ est ei. Sub viri potestate eris. Homo similiter, quia in fructu peccauit, in fructu terræ punitus est. Vnde dictũ est ei: Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. In duobus peccauit mulier, in seipsa & in viro suo, & idcirco in duobus fuit punita. Homo autẽ, quia nõ persuasit mulieri, sed tantũ peccauit in se ipso, punitus est in vno. Serpẽs verò, quia peccauit in se, & muliere, & in homine, triplicẽ maledictionẽ accepit. Dictũ est enim ei: Super pectus tuũ gradieris, terrã comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Ponã inimicitias inter te & mulierẽ, & ipsa cõteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius. Supra pectus graditur diabolus, vel pectore & ventre, secundũ aliã translationẽ, quia venit ad nos per malã cogitationẽ, & carnalẽ voluptatẽ. Terrã, id est, terræ amatores comedet deuorãdo. Ponã inimicitias inter te & mulierẽ, beatã, scilicet, Virginẽ, vel Ecclesiã, vel sensualitatem. Ipsa conteret caput tuum, vitium, scilicet, suggestionis & primos motus. Tu insidiaberis calcaneo eius, id est, pedi, vt labatur, vel fini maximæ sciens, quia Dominus iudicabit fines terræ, id est finalia opera, & quod pinguius est sacrificium vespertinum quàm matutinum. Quid igitur in tot & tantis afflictionibus faciet miser homo, pauper & egenus, exul & eiectus, cæcus & nudus, tributarius diabolo, & venundatus sub peccato, cuius conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necessitas mori, sperma fœtidum, vas stercorum, esca vermium, putredo & vermis, & cadauer fœtidum? Clamat ad Dominum cum primis parentibus: Circundederunt me gemitus mortis. In me transierunt iræ tuæ Domine, & terrores tui conturbauerunt me, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Miser factus sum, & curuatus sum, quia eleuans allisisti me. Defecerunt in vanitate dies mei, & anni mei, cum festinatione.

*Similè.*

*Gene. 3. De tunicis pelliceis. Apoc. 16.*

*De amissione possessionis.*

*Gene. 2.*

*Iob 1. 1. Tim. 6.*

*De amissione vxoris.*

*De amissione filiorum. Iob 7. Ephe. 2. 1. Cor. 15.*

*Tren. 1.*

*De amissione propriæ personæ.*

*Iob 12.*

*Tren. 2.*

*Item 2.*

*Rom. 7.*

*De maledictione Adæ, Euæ, & serpentis.*

*Gene. 3.*

*1. Reg. 2.*

*De vilitate hominis & variis eius miseriis.*

*Quod in miseriis, & oppressionibus clamandum est ad Dominũ.*

*Recapitulatio & enumeratio multiplicis calamitatis. Tren. 4. Abacuc. 3 Iob 16. Tren. 1.*

Cùm essem in honore, nõ intellexi, cõparatus sum iumẽtis insipientibus, sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus. Obscuratũ est aurũ meũ, mutatus est color optimus, turbatus est venter meus, subuersum est cor meũ in memetipso. Amaritudine plenus sum: factus sum tanq̃ vas perditũ, spiritus vadẽs & nõ rediẽs. Cogitationes meæ dissipatę sunt torquẽtes cor meũ, & qui nutritus fui in croceis, amplexatus sum stercora. In vas testeũ reputatus sum, carne fragilis, spiritu debilis, labilis & pronus ad peccandũ, difficilis ad virtutẽ & omne bonũ, grauis ad excelsa, præceps ad ima. Omnes persecutores mei apprehẽderunt me inter angustias. Miserere Domine, subueni, succurre, dolores inferni circundederũt me. Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Sperẽt in te, qui nouerũt nomẽ tuũ. De tribulatione enim mea inuocaui Dominũ, & exaudiuit de tẽplo sancto suo vocẽ meã. In necessitatibus autẽ totis viribus inuocãdus est dominus, quod est vnicũ inter mala remediũ, qui dicit de se: Cum ipso sum in tribulatione, exaudiẽs de templo sancto suo, de cœlo, scilicet, vel de Christo. Multi autẽ venerũt Patriarchę & Prophetę, qui quadrigã mortalitatis nostrę in luto infixã, nõ valuerũt extrahere. Tandẽ Dominus quasi in lutũ descendit, dũ infirmitates nostras & defectus in se suscepit, & ita quadrigã de luto manibus lacerantis & latere vulnerato, extraxit, & nobis pontẽ crucis faciẽs, & viã prępарãs ad patriã reduxit.

*Quod Dominus descendit de luto extrahere, quos patres antiqui nequierunt liberare.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM ex Epistola ad Corinthios.

*1. Cor. 9.*

*Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Sic currite vt comprehendatis.*

*De malo cursu. Iob 15. Parab. 1. Isaiæ 59. Iere. 23.*

INVITAT nos Apostolus in hodierna Epist. ad cursum & pugnã, instruẽs nos de modo curredi & pugnãdi, ne curramus in incertũ, aut pugnemus inuacuũ. Quidã enim dum amplius currunt, magis elongãtur à meta debita, & à brauio propositio, eò q, in via Domini nõ sunt, sed in opposita via multũ laborãdo & nihil proficiẽdo currũt. De quibus dicitur in Iob: Cucurrit aduersus Deũ erecto collo. Et in Psal. Si videbas furẽ, currebas cũ eo. Et in Parab. Pedes illorũ ad malũ currunt: & festinãt, vt effundãt sanguinẽ. Teste enim Ierem. Factus est cursus eorũ malus, & fortitudo dissimilis. Fortes enim sunt in posterioribus, sicut asinus. Fortes enim sunt, vt faciãt mala, in bonis autẽ statim fatigati, tędio deficiunt. Hæc fuit fortitudo Iudę proditoris, qui Apostolis dormiẽtibus, & vna hora cũ Christo vigilare nõ valẽtibus, currebat, tota nocte vigilans vt Iesum traderet. Quidã autẽ in via Christianę professionis retrogradi sunt, alij stationarij, alij processiui. Retrogradi sunt more cancri, qui anteriorũ obliti, in posteriora se extẽdunt, de quibus Iere. Facti sunt retrorsum & nõ in ante. Hi sunt qui cũ vxore Loth retrò aspiciunt, & cùm fuerint in tecto, descendunt vasa tollere in domo. Stationarij sunt, quos increpat Dominus in Euang. dicẽs: Quid hic statis tota die otiosi. Et Salomõ ait: Dicit piger, leo est in via. Quidã autẽ claudicãt in via. Hi sunt, qui volũt seruire Deo & mũdo, vnũ pedẽ putãtes posse ponere in terrã, aliũ in cœlo. De quibus Elias ait in lib. Regũ: Vsquequo claudicabitis duabus viis? Et in Eccles. dicitur: Vę peccatori terrã ingrediẽti duabus viis. Vnde in Leuit. prohibet Dominus, ne claudus accedat ad ministeriũ altaris, scilicet, qui duplex est volẽs Deo seruire & mãmonę. Alij autẽ processiui sunt, quorũ quidã simpliciter ambulãt, qui spinis & ramis cõdensis, iuxta viã cõsitis aliquantulũ retardãtur. Hi sunt, qui in matrimonio viuũt, & curis secularibus nõ sunt penitus expediti, ita tamẽ trãseunt per tẽporalia, quod nõ amittunt æterna. Isti quasi pedes incedẽdo laborant. De quibus intelligi potest, id quod ait Iere. Si cum pedibus currẽs laborasti, quomodo cõtendere poteris cũ equis? Alij autẽ currere incipiũt in via Domini, sed anteq̃ perueniãt ad metã, deficiunt, feruentes in principio, in medio pigri, in fine nulli, de quibus Apost. ad Galat. Sic stulti estis, vt cum spiritu ceperitis, nunc carne cõsummamini? Et in Psal. Filij Effraim intẽdentes & mittẽtes arcũ, cõuersi sunt in die belli. Alij aũt currũt & festinãt in via, & ad metã perseuerãdo perueniunt. Vnde Apost. ad Timoth. Bonũ certamẽ certaui, cursum cõsummaui, fidẽ seruaui.

*De processibus & stantibus & retrogradis. 1. Tim. 2. Phil. 3. Iere. 7. Gene. 19. Matth. 24. Mar. 13. Matth. 10. Parab. 26. De claudicantibus. 3. Reg. 19. Leuit. 21 Matth. 6. Quod processiui variis modis ambulant. Iere. 12. Gala. 3. 1. Tim. 3. Isaiæ 40.*

Et Isa. Qui sperãt in Domino, mutabunt fortitudinẽ, scilicet, qui priùs fortes erãt in malo, fortes efficiãtur in bono. Assumẽt pennas, sicut aquilæ, currẽt & nõ laborabũt: ambulabunt & nõ deficient. Et in Cant. dicitur: Surge, propera amica mea. Cursor autẽ leuis est, expeditus, succinctus, calceatus, ne fortè lędantur pedes eius, brauiũ ante oculos habẽs, posteriores nõ expectãs, præcedentes transire conatur, moderatè incipiẽs, & semper in melius proficiẽs, quãtò metæ appropinquat, tantò amplius festinat, plerunq; saltu cursum adiuuat, ab omnibus abstinet se, quę

*Prima.*

cursum suum, & pręmiũ agonis possunt impedire. Pari modo qui vult in via Domini currere, & nõ quasi in incertum, sed ita, vt ad metã perueniat, & brauium cõprehendat, oportet quod sit leuis, nõ grauatus onere peccatorum, vel superfluitate tẽporalium, vel sollicitudine curarum secularium, sed magis nudus sequatur nudum Christum. Vnde in Parab. dicitur: Iter stultorum quasi sepes spinarum, via autẽ iustorum absq; offendiculo. Quorum autẽ corpora grauãtur crapula & ebrietate, & curis huius seculi, nõ possunt dicere cum Propheta: Viã mãdatorum tuorũ cucurri, sed velut equus furfure inflatus põdere, tẽporalium deprimũtur & prægrauãtur. Oportet autẽ q, sit expeditus. Nemo enim militãs Deo, implicat se secularibus negotiis. Vnde in Eccles. dicitur: Fili, ne in multis sint actus tui. Et iterũ: In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter. Et Dominus in Euãg. ait discipulis: Neminẽ in via salutaueritis: ne fortè cõfabulationibus impediretur cursus prędicationis. Vt autẽ expediti viã Domini incederẽt, præcepit eis dicens: Nolite possidere

*Parab. 15.*

*Secunda. 1. Tim. 2. Eccle. 11. Item 3. Luc. 10.*

lite posidere aurũ,nec argentũ, nec pecuniã in sonis vestris,neq; perã, neq; duas tunicas,nec calceamẽta,nec virgã. Vnde cùm Moyses mitteretur ad Pharaonẽ,& secũ in via filios duceret & vxorẽ,occurrit ei Dominus,& voluit occidere eũ. Qui enim ad prædicandũ mittitur,debet relinquere vxorẽ carnalis delectationis,& filios mundanę sollicitudinis.Expedit pręterea quod cursor sit succinctus,ne laxis nimis vestibus retardetur,sicut in Euãg.dicitur: Sint lumbi vestri præcincti,ne,scilicet,per luxuriã defluatis.Et Dominus in Iob: Accinge,sicut vir,lumbos tuos. Vnde Ezechiel vidit virũ accinctũ ad renes.Et Ioãnes Apostolus: Pręcinctũ ad mamillas zona aurea.Calceatus debet esse cursor,vt calcare possit sub pedibus lutũ,spinas,& serpẽtes.Lutum carnalis voluptatis,spinas mundanæ cupiditatis,serpẽtes inuidiæ & rancoris,& omnis malitiæ & iniquitatis. Vnde Ierem. Prohibe pedẽ tuũ à nuditate,& guttur tuũ à siti.Et Agnũ Paschalẽ mãducabant filij Israël,habẽtes calceamẽta in pedibus. Pedes autẽ affectuum muniẽdi sunt exemplis sanctorũ.Brauiũ autẽ,id est,cursus pręmiũ,debet habere cursor semper ante oculos. Pręmiũ autẽ cursus nostri ipse Dominus est,qui de se dicit ad Abrahã: Ego ero merces tua magna nimis. De quo scriptũ est: In omnibus viis tuis cogita ipsum,& ipse diriget gressus tuos.Et Psal.Ad te leuaui oculos meos,qui habitas in cœlis. Dirige Domine Deus meus,in cõspectu tuo viã meã. Et Isa.ait: Attendite ad petrã vnde excisi estis. Cursor posteriores nõ expectat,sed conatur prędecedere anteriores. Vnde Apost. Posteriorũ oblitus in anteriora me extẽdo. Et in Euãg.dicitur quod Zachęus præcurrens ascendit in arborẽ sycomorũ,& Maria abiit cũ festinatione in montana Iudęæ. Vnde Apost. Festinemus ingredi in illã requiẽ. Nescit enim tarda rerũ molimina spiritusſancti gratia. Vnde in Eccles. In omnibus operibus tuis esto velox,& nõ occurret tibi infirmitas. Moderatè autẽ inchoat cursor,& quãtò magis procedit,amplius accelerat. Vnde in Parab. dicitur. Iustorũ semita,quasi lux splẽdens procedit,& crescit vsq; ad perfectũ diem. Et in Cant. Quæ est ista,quæ ascẽdit per desertũ,quasi aurora cõsurgens,quæ à modica claritate incipiens, semper magis claresci t. Iuxta illud: Iustus vt palma florebit. Palma enim gracilis est in principio, sed dilatatur in summo. Cursor aũt saltu cursum adiuuat. Vnde Isa. Tunc saliet sicut ceruus claudus,scilicet,qui priùs claudus fuerat,saliet & transiliet,sicut ceruus,lutũ luxurię,hiatũ auaritiæ, spinetũ sollicitudinis mũdanę. Qui salit à terra eleuatur,& nos sursum corda nostra habeamus ad Dominũ. In lege enim reprobatur piscis absq; pennulis,qui saltũ nõ facit super aquas. Et Dominus in Euang. Cantauimus vobis,& nõ saltastis. Demũ cursor ab omnibus se abstinet,quæ cursum suũ valeãt impedire. Nõ inebriatur,ne titubet,nõ nimis implet ventrẽ suũ cibis,ne pigritãdo retardetur. Vnde Apost. de Cretensibus gulosis ait: Cretẽses malę bestiæ, pigri ventres. Distortas vias pręcauet,& semitas rectas eligit. Vnde Isa. Semita iusti recta est,rectus callis iusti ad ambulandũ. Et iterũ: Erũt praua in directa,& aspera in vias planas. Vt igitur prędicto modo curramus,admonet nos Apost. dicẽs: Sic currite,vt comprehendatis. Omnes enim prædicto modo currẽtes,possunt brauiũ cõprehendere,nullo aliũ impediẽte. Omnes enim in via Domini operãtes,siue primi siue postremi,eundẽ denariũ accipiunt. In cursu autẽ seculari,vnus tantũ brauium accipit,scilicet,qui primò ad metã venit,aliis omnibus in vanũ laborãtibus brauio priuatis,& spe sua frustratis: vnde omnes curunt in incertũ. Propter quod ait Apost. de currẽtibus in via Domini. Ego autẽ sic curro,nõ quasi in incertũ,id est,vt sim incertus de præmio. Aliter autẽ possunt prędicta verba intelligi,vt assignetur similitudo inter cursum secularium,in quo vnus brauiũ accipit,& eorũ qui currunt in via Domini . Nam in illo cursu nõ nisi vnus brauiũ accipit. Mens enim diuisa nõ impetrat. Vnde in Cant. Vna est columba mea. Et vnus sanabatur in piscina,& in vno cubito cõsummata est arca. Vnus ergo,nõ duplex,nõ varius,nõ incõstans,vnã petens à Domino,quia vnũ est necessariũ,brauiũ accipit,vel vnus qui est de vnitate Ecclesię. Oportet ergo q; sit vnus,qui vult brauiũ accipere. Multi enim currunt,qui brauiũ nõ accipiunt,quod ostẽdit per patres antiquos,qui omnes sub vna nube fuerunt,& omnes mare trãsierunt,& omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari,& omnes eandẽ escã spiritualẽ mãducauerunt, & eundẽ potũ spiritualẽ biberunt,sed nõ in pluribus eorũ beneplacitũ est Deo,nã prostrati sunt in deserto. Similiter in Ecclesia,licèt eadẽ sacramenta recipiãt,multi tamẽ à Domino reprobantur,quia virtutẽ sacramentorũ in se nõ habẽt. Licèt enim ore cõfiteantur,factis tamẽ negant. Baptizati dicuntur filij Israël in nube & in mari propter figurã. Omnia enim illis cõtingebant in figura. Per nubẽ spiritusſanctus,per mare baptismus in aqua designatur. Similiter eandẽ escã spiritualẽ dicũtur mãducasse,scilicet,mãna,quia signat eundẽ cibũ spiritualẽ,quẽ nos in Ecclesia sub specie sacramẽti sumimus. Et eundẽ potũ spiritualẽ biberũt,id est,potũ spiritualẽ designantem. Baptizati etiã fuisse dicuntur,quia signũ baptismi acceperũt. Similiter in Ecclesia,licèt cõmunia sint sacramẽta,nõ tamẽ omnibus cõmunis est gratia,quę est virtus sacramentorũ. Vnde multi currunt in incertum,& nõ apprehendunt. Multi pugnãt in vanum,& nõ vincunt. Velut pugiles quandoq; ictus suos proiiciunt,aëra tantum percutiẽtes,& hostibus nõ nocẽtes. Apostolus autẽ dicit se nõ in vanum pugnare,nec tantummodo aëra verberare,sed ipsos dæmones qui sunt in aëre. Quod cũ multis modis habeãt fieri,vnũ specialiter subiungit,per quod maximè inimicus impugnatur,scilicet,carnis mortificationẽ. Nam sicut dicitur in Iob: Virtus Behemoth in lumbis eius,& in vmbilico ventris eius. Quia enim p luxuriã maximè nos impugnat, resistendũ est ei p mortificationẽ carnis. Vnde Dominus in Euãg.dicit: Hoc genus dęmonij nõ ejicitur,nisi in oratione & ieiunio. Propter quod ait Apost. Sic pugno,nõ quasi aëra verberãs,

*Exod.4.* *Tertiã.* *Luc.12.* *Iob 40.* *Ezech.9.* *Apoc.1.* *Quartã.* *Iere.2.* *Exod.12.* *Quintã.* *Gene.15.* *Parab.3.* *Isaiæ 51.* *Phil.3.* *Sextã.* *Luc.19.* *Item 1.* *Eccle.31.* *Septimã.* *Parab.4.* *Cant.6.* *Octauã.* *Isaiæ 35.* *Nonã.* *Leuit.11.* *Matth.11.* *Luc.7.* *Titum 1.* *De vitis quas eligere debet cursor.* *Isaiæ 20.* *Expositio literæ.* *1.Cor.9.* *Matth.20.* *Alia expositio.* *De cõmendatione vnitatis.* *Iacobi 1.* *Cant.6.* *Ioan.5.* *Gene.5.* *Quod multis communia sunt sacramẽta,quibus non est communis gratia.* *Titum 1.* *1.Cor.10.* *De pugna contra dæmones per carnis affligionem.* *Matth.7.* *Mar.9.*

*Iudi.7.* *Colo.4.* *Gala.2.* *Heb.13.* *Exod.25.* *Gene.32.* sed castigo corpus, & in seruitutem redigo. In pugna enim Gedeonis oportet confringi lagunculā corporis, id est, mortificare membra sua, & crucifigere cum vitiis & cōcupiscentiis, vt exeamus ad eum, id est, Christum, extra castra, id est, carnis voluptates, & offeramus pilos caprarum ad opus tabernaculi, & quasi myrrha electa demus suauitatē odoris, carnē mortificādo, & in seruitutē corpus redigendo, dum nō suā, sed spiritus perficit voluntatē. Iacob enim benedictionē nō accepit, donec emarcuit neruus fœmoris eius. Pugiles enim, qui in agone cōtendunt, ab omnibus se abstinēt, quæ præmiū agonis impediunt. Athleta enim alimēta sumit ad fortitudinē, nō ad voluptatē, ne fortè nimiā incurrat pinguedinē. Iuxta illud: Fortitudinem meam ad te custodiam. Et Isaias ait: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Non se vestibus superfluis onerat, sed talibus quę sibi expediunt ad pugnandū. Rubeis enim plerunq; vtitur vestibus, ne fortè sanguinem superaspersum abhorreat. Et nos lauare debemus stolas nostras in sanguine Agni, vt nō timeamus pro Christo sanguinem effundere, sed cōformemur passioni Christi. Tondeamus præterea more pugilum comā nostram in rotundum æternorū desiderio, omnem superfluitatem à nobis resecando. Vngamus caput oleo, vt in serenitate cōscientiæ & proximorū cōpassione, Domino militemus. Custodiamus nos in hac pugna ex omni parte, ne fortè vulneremur in ceruice per elationē, vel in pectore per malā cogitationē, vel in manibus per malā operationē, vel in ventre per ingluuiē, seu in renibus per libidinē, vel in pedibus affectū, vt in via Dei nō claudicemus, vt impleatur in nobis, quod scriptū est: Scuto circundabit te veritas eius. Scuto enim veritatis Christi, vndiq; debemus protegi, vt sit veritas in corde sine duplicitate, in ore sine falsitate, in opere sine vanitate. Arma nostra, more boni athletę, firmiter teneamus arma virtutū, arma pœnitentiū, quæ sunt cinis & ciliciū. Molestiis nō cedamus, in pugna perseueremus, quoniā finis, nō pugna coronat. Aduersariū nostrū quiescere nō sinamus. Nunquā nos diabolus inueniat otiosos vel remissos, ne fortè assumptis septē spiritibus nequioribus se, inueniat domū vacantem, & ingrediēs, reddat posteriora nostra peiora prioribus. Terminos propositos nō egrediamur, ne fortè euagādo cum Dyna filia Iacob, corrūpamur. Scriptum est enim in Parab. Non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerūt patres tui. Oculū semper more athletę, ad victoriā & coronā habeamus. Erit enim (vt ait Isa.) Dominus corona glorię, & sertū exultationis populo suo. Si autē in hac pugna superetur athleta, non solū tanq̄ vilis & victus à domino cōtenetur, sed ad patibulū gehēnę pertrahetur. Vnde ait Apost. Ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Seruus enim sciēs voluntatē domini, & nō faciēs, plagis vapulabit multis. Et Apost. ait: Qui prędicas nō mœchandū, mœcharis: nō furandū, furaris? In quo enim alterū iudicas, teipsum cōdemnas. Prædicatio enim sine opere nihil aliud est, nisi corpus sine anima, ignis sine calore, ager sine messe, hortus sine fœcūditate, lucerna sine splēdore.

*De proprietatibus athletæ.* *Prima.* *Secunda.* *Isaiæ 35.* *Apoc.7.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Gene.34.* *Parab.23.* *Nona.* *Isaiæ 28.* *De his qui dicunt & non faciunt.* *1. Cor.11.* *Lucæ 12.* *Rom.2.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

*Matth.20.* *Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*

*Cant.1.* IN Canticis canticorum ait sponsa: Introduxit me Rex in cellam vinariā. Hæc est diuina scriptura, in qua animę discipulorū Domini sobriè inebriabātur, vt sint spiritualiter de tribu Manasse, qui interpretatur obliuio. More enim ebrij terrena obliuiscūtur. Ad hoc autē vinū inuitat nos Dominus, dicēs: Bibite amici mei, ebriamini charissimi. Torcularia enim Domini hoc vino redundant, id est, diuina scriptura, quādo vinū spiritualis intelligētiæ ab acinis seu cortice literæ separatur. De hoc vino dicitur in Aggęo: Bibistis, & nō estis inebriati. Bibunt, & nō inebriantur, qui verba Domini audiunt, sed terrenis occupationibus supra modū implicantur. Et Zachar. Propheta ait: Quid enim bonū est, & quid pulchrū eius, nisi frumentū electorū, & vinum germinans virgines? Frumentum dicitur verbū Dei, quia satiat & confortat. Vinum dicitur, quia inebriat virgines germinando, & à corruptione animā liberando. Cella igitur vinaria dicitur diuina scriptura, ex qua multiplex vinum mentibus auditorū propinatur. Primum vinum est asperitas increpationis ex mordaci zelo Prælatorū. Hoc est quod Samaritanus infudit vulneribus sauciati. De quo Apostolus ad Timoth. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendū, ad corripiendū, ad arguendū, ad erudiendū. Vinū etiā dicitur austeritas Mosaicæ legis. Vnde in Cant. Meliora sunt vbera tua vino, id est, doctrina Euangelij, quę paruulos fouet austeritate legis. Tertium vinum est feruor cōpunctionis. De quo scriptū est: Bibi vinum meum cum lacte meo: vinum, scilicet, cōpunctionis, cum lacte innocentię & simplicitatis. Et in Psal. Potasti nos vino cōpunctionis. Quartū vinum est feruor & flagrantia charitatis, quod lętificat cor hominis. Vnde in Cantic. Et erunt vbera tua sicut botri vineæ. Vbera enim sponsi, id est, prædicatores, vel scriptura noui & veteris testamēti, inebriauit animos feruore dilectionis, vt per mentis excessum ad gaudia superna rapiantur. Quintum vinū dicitur amœnitas cōtemplationis, de quo non inebriantur nisi charissimi, de aliis bibunt amici. Vnde in Cantic. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum. Ex gutture enim sponsi, id est, eloquiis diuinis, hoc vinum optimum propinatur cōtemplationis. Est sextū vinū sensus, scilicet, spiritualis scripturarū, de quo scriptū est: Et inclinauit ex hoc in hoc. Ex vase enim veteris testamenti

*Cant.1.* *Diuina scriptura cellæ vinariæ comparatur.* *Item 5.* *Parab.3.* *Aggæi 1.* *Zach.9.* *De multiplici vino.* *Primum.* *Lucæ 10.* *2.Tim.2.* *Cant.1.* *Secundum.* *Item 5.* *Tertium.* *Quartum.* *Item 7.* *Quintum.* *Item 7.* *Sextum.*

testamenti, infunditur vinũ spirituale, quasi in vas seu scyphum noui testamẽti. Et in Parabolis dicitur: Date ciseram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, bibãt & obliuiscantur egestatis suæ. Scriptura enim spiritualiter intellecta mentes mœrentium consolatur. Et in Canticis dicitur: Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Vmbilicus enim sponsæ, id est, ecclesiæ, sunt sancti doctores filios spirituales Christo generantes, qui dicuntur crater tornatilis, propinantes potum doctrinæ spiritualis, nihil in se nociuæ superfluitatis retinentes, nunquam indigentes poculis. Ipsi enim ebrij alios inebriant, nunquam inopes consilij & doctrinæ spiritualis. Ex cella igitur vinaria multiplici vino, sicut supra dictum est: animæ reficiuntur. Est alia cella, quæ triticea in exercitio bonorũ operũ. Est tertia cella olearia in deuotè mentis suauitate, & gratiarũ actione. Prima est interior, secunda exterior, tertia superior. Orate igitur Dominum, vt nos hodie introducat in cellam vinariam, potum spiritualis doctrinæ nobis propinando. Simile est regnum cœlorum, &c. Hodie in principio huius septuagesimæ incipit lamentari & lugere mater ecclesia, recolens tempus deuiationis, tempus culpæ & erroris, tempus pœnæ & laboris, quod fuit ab Adam vsque ad Moysen. Vnde his diebus in Ecclesia recolimus peccatum primi parentis, & eius miseriam & exilium, & quomodo fuit eiectus à Paradiso, & pœnitentiam quæ fuit iniuncta ei post peccatum à sommo sacerdote, vt in sudore vultus sui, vesceretur pane suo, hæc pœnitentia iniuncta ei, & cunctis filiis suis. Omnes nascuntur ad laborem. Et quoniam Dominus fingit laborem in præcepto. Pigri & otiosi, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus flagellari & laborare renuunt, quia pœnitentiam sibi iniunctam facere negligunt, nec Deo satisfaciunt, nec à peccatis suis purgantur. Vnde in hodierno Euangelio, Dominus otiosos increpat, dicens: Quid hîc statis tota die otiosi? In quo etiã agitur de laborantibus in vinea Domini, de his, scilicet, qui in sudore vultus sui pane suo vescentes, iniunctam sibi à Deo peragunt pœnitentiam. Hodie enim incipit septuagesima, quæ tempus laboris & captiuitatis repręsentat. In hoc etiam tempore vineæ materiales extolluntur, ad quarum similitudinem in vineis spiritualibus debemus laborare. Legimus autem in diuina scriptura quatuor genera vinearum, quarum vna appellatur ipsa materialis, ciuitas Hierusalem, ista sanguinaria quæ occidit Prophetas. In qua excolenda multum laborauerunt sancti Patriarchæ & Prophetæ, & Dominus noster in propria persona, plusquam omnes alij in ea laborauit. Vinea tamen reproba, quę debuit facere bonum vinum, de quo dicitur: potasti nos vino compunctionis, fecit labruscas peruersæ operationis. Quotiens enim Dominus voluit congregare filios eius, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, ipsa noluit. Hæc est vinea illa, de qua in Euangelio dicitur: quod paterfamilias plantauit vineam, & sepem circundedit ei, scilicet, vrbis murũ, vel Angelorum auxiliũ, & fodit in ea torcular, id est, altare, & ædificauit turrim, id est templum, de qua vinea agricolæ eiicientes filium patrisfamiliâs occiderunt. Christus enim à Iudæis extra Hierusalem est occisus. Secunda vinea, dicitur synagoga siue populus Israël, de qua dicit Isaias: Vinea Domini exercituum, domus Israël est, & viri Iuda germen eius delectabile, expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas. In excollenda hanc vineam Dominus, per se & per suos seruos, multum laborem impendit, & multam diligentiam adhibuit. Vnde ipse dicit per Isaiam: Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci? Ad quod expectaui, vt faceres vuas, & fecit labruscas? Hæc est vinea illa, quam plantauit verus Noë, id est, Christus, quæ inebriauit eum in cruce felle amaritudinis. Cham verò, id est, Iudæi reprobi, patris abiectionem & nuditatem irriserunt. Quam abiectionem Sem & Iapher, id est, electi, de vtroque populo reuerentur. Beati enim qui non fuerint scandalizati in eo. Hæc est vinea, in qua arborem fici plantauit Christus, quam quasi sterilem & inutilem iussit abscidi. Multi enim infructuosi fuerunt in synagoga. Coloni autem, scilicet, Prophetæ & Apostoli, rogauerunt Dominũ quatenus adhuc expectaret, vt foderetur, & stercora circa eum mitterẽtur. Apostolus autem & Apostolicis viris, fossam contritionis & humilitatis adhibentibus, & stercora, id est, peccatorum confessionem, & sordes pœnitentiæ in fine credendo commutabitur in melius, dabitque copiosos iustitiæ fructus. De hac vinea dicit Iacob in benedictione Iudæ, in fine Geneseos, in persona Christi, ligans ad vineam pullum suum, quia Gentiles Iudæis adiunxit, & ad vitem asinam suam, id est, electos, de Iudæis sibi sociauit. Lauabit vino stolam suam, id est, corpus in sanguine passionis, & in sanguine vuæ pallium suum, id est, in proprio sanguine Ecclesiã, qua velut pallio indutus est Christus. Tertia vinea est Ecclesia, de qua in Canticis dicitur: Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu illius mille argenteos. Pacificus dicitur Christus, cuius vinea est Ecclesia collecta ex populis Iudæorum, & Gentilium quam tradidit custodibus, id est, Prælatis vel Angelis sanctis. Vir, id est, Christus, affert pro fructu illius mille argenteos, dum perfectè remunerat laborantes in vinea. De hac etiam in Canticis dicitur: Posuerunt me custodem in vineis. Apostoli enim vineas, id est, diuersas Ecclesias, custodierunt vineam meam, non custodiui, quia reliquerunt synagogam, quæ repulit verbum Dei. Comparatur autem vinea in Ecclesia multiplici ratione Vinea in hyeme deformis apparet exterius, in autumno autem quando racemis oneratur, pulchrior apparet, & delectabilior omnibus arboribus. Ita sancti viri quorum vita abscondita est cum Christo, qui mortui sunt seculo in hyeme præsentis vitæ, contemptibiles apparent & despecti tanquam Sol, indutus sacco cilicino, sicut dicitur de ipsis. Nigra sum, sed formosa fi-

*Parab. 30.*

*De triplici cella.*

*De lucta Ecclesiæ & tempore deuiationis.*

*Gene. 3. Iob 5.*

*Matth. 20.*

*De quatuor generibus vinearum. Prima vinea.*

*Matth. 21. Mar. 12. Luc. 20.*

*Secunda. Heb. 13. Isaiæ 5.*

*De vinea Noë.*

*De arbore fici sterilis. Luc. 13.*

*Gene. 49.*

*Tertia. Cant. 1.*

*Item 1.*

*De comparatione Ecclesiæ ad vineam. Apoc. 6.*

*Cant. 1.*

liæ Hierusalem. In autumno autem futuri seculi, quando venient cum exultatione portantes manipulos suos. Et dicetur eis: Ecce homo & opera eius cum eo, pulcherrimi apparebunt fulgentes, sicut Sol in cõspectu Dei. Vinea enim magno labore & studio excolitur, ita Ecclesiam per multas tribulationes oportet introire in regnum cœlorum. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Si autem fœcunda fuerit, quidquid in ea expenditur, fructus vberrime restauratur. Non enim sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Lignum vitis sine fructu inutile est, & omnibus lignis vilius. Non enim valet ad aliquem vsum, nisi ad comburendum. Ita qui ad doctrinam veritatis excoluntur, & infructuosi atque steriles sunt, peiores sunt his qui nunquam veritatis viam perceperunt. Vnde in Ezechiele dicitur: Quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam. Vinitores autem qui debent vineam excolere & custodire, sunt Prælati & Doctores Ecclesiæ, de quibus Dominus in Ozee: Dabo ei vinitores eius ex eodem loco, scilicet, vt non sint alieni, sed de ipsa Ecclesia numero & merito, nomine & numine. Quibus vinitoribus ait Dominus in Canticis: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Non enim sufficit tantum prædicare, sed malos expugnare Hæreticos, scilicet, & Scismaticos & falsos fratres, Hypocritas dolose & anfractuose more vulpeculæ incedentes. Paruulas antequam nimis crescant, quia principiis obstandum est, vel paruulas, quia fingunt humilitatem. Vinitores autem pauperes sunt, & modici habitu, inculti, aridis vescentes, & vt in vespere mercedem recipiant, multum laborantes. Talium est enim regnum cœlorum. Diuites autem & magni in hoc seculo dedignantur in vineis laborare. Legimus autem in Ieremia: quod quando Nabuchodonosor per Nabuzardam destruxit muros Hierusalem, diuites partim occidit, partem in Babylonem duxit, pauperes autem vinitores & agricolas reliquit in terra sua. Audiant humiles prælati, audiant Christi pauperes & lætentur. Contra diuites verò qui in vinea laborare renuunt, dicitur in Ecclesiastico: Non oderis laboriosa opera, & rusticitatem ab altissimo creatam. Oportet autem quod cum magno labore & diligentia excolatur. Nam postquam plantata & radicata fuerit, sepitur, multipliciter fodiatur, plicatur, propaginatur, stercoratur, putatur, paxillatur, ligatur, herbæ succrescentes auelluntur, nociua folia decerpuntur, germinat, virescit: botros, flores & folia, & fructum ex se producit, tandem vindemiatur, prælo vinum ab acinis eliquatur, & in cellarium reponitur: vt nouum exinde bibat Dominus eius vinum in regno suo. In terra optima, in ipso, scilicet, Christo plantata est, & radicata est vinea Ecclesiæ. Hæc est terra promissionis, fluens lacte humanitatis, & melle diuinitatis. Vnde Apostolus ad Corinthios: Fundamentum aliud nemo potest ponere, quàm id quod positum est, quod est Christus Iesus. Plantatur autem dum sacramentis initiatur, & in fide instruitur, in baptismo rigatur. Vnde ad Corinthios Apostolus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Radicatur in fide, erigitur in spe, dilatatur in charitate. Debet autem claudi & custodiri contra malas bestias. Vbi enim non est seps, diripietur possessio, vt dicitur in Ecclesiast. Vnde in Psalmis: Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Nisi enim vinea cum magna cautela custodiatur, & claudatur à dæmonibus, vindemiatur, & fructu suo spoliatur. Vinea primo fodienda est, vt inde terrena desideria eiiciantur. Secundo modo foditur, dum per humilitatem quasi concauatur. Altare enim Domini concauum erat. Tertio modo foditur, ne aliquid nociuum succrescat, ne mala cogitatio latens pullulet, & in actum procedat. Post confessionem enim frequenter debemus circunfodere & circuire, ne aliquid nociuum remaneat. Vnde in Psalmis: Fodiebam & ventilabam spiritum meum. Quarto modo foditur, dum post confessionem fossorio pœnitentiæ carnem nostram affligimus, & maceramus cum vitiis & concupiscentiis eam crucifigentes, sicut scriptum est: Confige timore tuo carnes meas. Et in Euangelio: Dimitte eam vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Plicatur autem vinea & propaginatur, dum per humilitatem & compassionem incuruatur, & per prædicationem fideles in Ecclesia multiplicantur. Vxor enim Christi, id est, Ecclesia, est sicut vitis abundans in lateribus domus suæ. Quæ enim prius sterilis erat, postmodum per prædicationem Apostolorum peperit plurimos. Vineam etiam propagamus, dum proximis nostris bonum exemplum damus. Stercoratur autem sordibus pœnitetiæ, stercoratur & impinguatur, dum opprobriis & contumeliis pro Christo afficitur. Stercoratur dum peccata sua & turpitudinem suam reducit ad memoriam, vt sedens Iob, id est, dolens, scilicet, pœnitens, in sterquilinio peccata sua recogitando, testa, id est, memoria fragilitatis humanæ radat saniem peccatorum. Virtus enim in infirmitate perficitur, in infirmitatis meditatione, & inde anima hominis velut fimo vt fructificet, impinguatur. Vinea præterea putatur, dum noxia & superflua à nobis resecamus, & de consortio nostro malos abiicimus. Iuxta illud: Si oculus tuus scãdalizat te, erue eum, & proiice abs te. Amputatur autem vinea à mala & noxia cogitatione, ab inutili & otiosa locutione, à terrena sollicitudine & curiositate. Vnde in Canticis: Tempus putationis aduenit, tempus, scilicet, superflua amputandi, tempus exuendi veterem hominem, cum actibus suis, tempus spiritualis circuncisionis, vt sacramẽta sterilia amputentur. Paxillatur autem vinea Christo adhærendo. Deo enim adhærere bonum est, qui cadentem subleuat, & subleuãdum sustentat, de quo in Isaia dicitur

*Ioan.15.* *Matth.13.* *2.Tim.2.* *Rom.8.* *Ezech.15.* *De viatoribus & eorum proprietatibus.* *Osee 2.* *Cant.2.* *Matth.9.* *Mar.10.* *Luc.18.* *Iere.39.* *Eccle.36.* *De multiplici cultu vineæ.* *De plantatione vineæ.* *Matth.20.* *Exod.3.* *1.Cor.3.* *De clausura vineæ.* *Eccle.21.* *De quadrupli ci fossione vineæ.* *Exod.27.* *Gala.5.* *Luc.13.* *De plicatione & propagatione.* *1.Reg.2.* *De multipli ci stercoratione.* *Iob 2.* *2.Cor.12.* *De putatione quæ multipliciter habet fieri.* *Matth.18.* *Mar.19.* *Cant.2.* *Ephe.3.* *Colo.4.* *De paxillatione multiplici.* *Isaiæ 22.*

titur. Figam illum paxillum in loco fideli, & ſuſpendam ſuper omnem gloriam domus patris eius. Et iterum: Ego feci & ego feram. Paxillatur baculo ſpei, ſicut in Iſaia dicitur: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Paxillatur & appodiatur palo crucis, in quo ſerpens æneus affixus fuit: Paxillatur & ſuſtentatur ſpiritu fortitudinis. Qui autem baculo arundineo Ægypti, id eſt, hoc mundo innititur, dum baculus frangitur, manus eius perforatur, & cum cadente labitur. Ligatur autem vinea nexibus diſciplinæ, & funibus præceptorum. Iuxta illud, Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Et in Ezechiele ait Dominus: Quod confractum eſt, alligabo. Et Samaritanus alligauit vulnera ſauciati, qui deſcendens de Hieruſalem in Iericho, incidit in latrones. Et in Ezechiele dicitur: Brachiũ Pharaonis Regis Ægypti confregi, & ecce non eſt obuolutũ, vt reſtitueretur illi ſanitas, vt ligaretur pannis & faſciretur linteolis & recepto robore poſſet tenere gladium. Applicetur prætereà, & ligetur vinea ſpiritualibus viris, à quibus ſuſtentetur. Scriptum eſt enim: Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Et iterum: Melius eſt duos ſimul eſſe, quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuę, & ſi vnus ceciderit, ab alio fulcietur. Auelli autem debent à vinea herbę ſuccreſcentes, ſuborien tia, ſcilicet, vitia & affectus noxij, & mala deſideria, de quibus dicitur in Parabolis: Deſideria occidunt pigrum. Et iterum: Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ. Nociua autem folia decerpere debemus, ne maturitatem fructus impediant, id eſt, verba inutilia & ſuperflua, de quibus in Eccleſiaſtico dicitur: Qui multis vtitur verbis, lædit animam ſuam. In multiloquio enim non deeſt peccatum. Qui autem cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam, quia vir linguoſus non dirigetur in terra. Abiiciamus prætereà folia inutilia, leuitatem, ſcilicet, & inconſtantiam. Palmites autem huius vineæ ſunt viri ſancti, de quibus Apoſtolus ad Corinthios: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſt, vitis autem Chriſtus eſt. Ego ſum vitis, vos palmites. Et in Geneſi, de Iuda dicit Iacob in perſona Chriſti, quod ligauit ad vitem aſinã ſuam, id eſt, electos de Iudęis ſibi, qui eſt vitis vera, cõiunxit. Germinat autem hęc vinea & botros profert, de quibus in Canticis dicitur: Et erunt verba tua ſicut botri vineæ, id eſt, Prælati Eccleſiæ, & ſancti Prædicatores qui aſſimulantur botris propter iocunditatem, & ſpiritualem feruorem. Principalis autem botrus fuit ille, quem exploratores de terra promiſſionis attulerunt, ſuſpenſum in vecte, de quo in Cant. dicitur. Botrus Cypri, dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Factus eſt enim botrus floridus dulcedine ſuæ reſurrectionis. Cyprus autẽ Eccleſia dicitur propter vini feruorem in amęnitatem. Engaddi autem fons hœdi interpretatur, quod pertinet ad baptiſmum, in quo hœdi efficiuntur agni. Vireſcit autem hæc vinea viuificata per gratiam, frondeſcet per fructuoſam locutionem & diuinam prædicationem, cuiuſmodi folium non defluit, ſicut dicitur in Pſalmis: Et folium eius non defluet. Et in Ezechiele: Non defluet folium ex eo. Et paulò pòſt: Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam. Floret autem hæc vinea per exemplum ſanctæ conuerſationis, & bonę famę flagrantiam. Vnde in Canticis: Vineæ florentes odorem dederunt. Iuxta illud: Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta precioſa. Flores etiam vineæ dicuntur virtutes, & pia fidei rudimenta, & bonorum operum principia. Profert autem ex ſe fructum bonorum operum, & ſanctarum animarum. Quot enim ſancti à principio mundi fuerunt, quaſi tot vuæ, ab hac vinea proceſſerunt. Quæ in die tranſitus ſanctorum vindemiari dicitur, maximè quando torculari paſſionis eliquantur animæ martyrum, in cellam æternæ beatitudinis à gleba corporum, velut ab acinis ſeparatę. Ad hanc igitur vineã prædicto modo excolendã exiit ſummus paterfamiliàs primo mane operarios conducere, paterfamilias qui habitare facit vnius moris in domo, qui ſuos regit in hoc mundo, ſicut Dominus familiam gubernat in domo. Exiit faciens de ſe notitiam per mundi creationem, per creaturam vniuerſitatem, per internam inſpirationem, per diuinam ſcripturam. Exiit primo mane per prædicatores, quos in mundum miſit, ſecundo quando viſibiliter apparuit mundo. Primo mane exiit, quia ab initio mundi ſanctos ad prædicandum miſit. Mane fuit ab Adam vſque ad Noë. Hora tertiá à Noë vſque ad Abraham. Sexta ab Abraham, vſque ad Moyſen. Nona ex tunc vſque ad Chriſtum. Vndecima ab aduentu Domini, vſque ad finem mundi. Ad erudiendã ergo plebem ſuam, quaſi ad excolendam vineam, nullo tempore deſtitit operarios mittere, quia prius per patres ante legem, poſtmodum per legis Doctores & Prophetas, ad extremum verò per Apoſtolos & Apoſtolicos viros, qui mercedem plenã, licèt tardè venientes receperunt, plebis ſuæ mores excoluit. Vndecima verò hora inuenit alios otioſos, populum, ſcilicet, Gentilium, à bono opere torpentem, quem nemo conduxerat, quia viam vitæ nullus ei oſtenderat. Qui tamen in receptione pręmij, licèt vltimo vocati facti ſunt primi, & primi, ſcilicet, Iudęi, facti ſunt nouiſſimi. In fine enim mundi conuertentur, quando reliquiæ Iſraël ſaluæ fient, vel à nouiſſimis incipere dicitur, quia plerumque, qui vltimò vocantur, primò remunerantur, dum prius de hoc ſeculo egrediuntur. A nouiſſimis incipit, dum prius latronem, quàm Petrum in Paradiſum introduxit. Quilibet autem denarium, id eſt, vitam æternam pro mercede recepit. Quibuſdam tamen eſt aureus, aliis argenteus. Quidam enim clarius & delectabilius aliis, Dei mancipatem & gloriam intuentur. Stella enim à Stella differt in claritate. Omnes autem ſaluandi denarium recipient, dum Chriſti imago in eis reformabitur, quando, ſcilicet, corpus humilitatis noſtræ, configurabitur corpori claritatis ſuæ. Quaſi autem poſt murmurationem denarium accipiunt,

*Item 46.*
*Item 30.*
*Item 36.*
*Ezech. 35.*
*Luc. 10.*
*Ezech. 32.*
*Eccle. 4.*
*De caulsione. Parab. 22.*
*Item 24.*
*Eccle. 20. Parab. 10.*
*Item 13.*
*De palmitibus vineæ & de vitæ eius.*
*1. Cor. 3.*
*Ioan. 15.*
*De germinatione & botris vineæ.*
*Cant. 7.*
*Num. 13.*
*Cant. 1.*
*De viriditate De frõdibus.*
*Ezech. 47.*
*De floribus vineæ. Cant. 2.*
*Eccle. 7.*
*De fructu. Sap. 3.*
*De vindemia.*
*De exitu patrisfamiliàs & diuerſis horis.*
*Iſaiæ 10.*
*Lucæ 23.*
*De præmio denarii. 1. Cor. 15.*
*Phil. 3.*
*De murmuratione priorum iuſtorum.*

accipiunt, qui post multa inferni tempora ad gaudia peruenerunt. Vel dicatur quod accipientes denarium, cùm fient electi, non murmurant, sed inter primos quidam accipiunt & gaudẽt, alij autem non accipiunt & murmurant, vt receptio prẽmij & murmuratio ad diuersos de vno populo referantur, sicut dicitur in Psalmis: Cùm occideret eos, quærebant eum. Occisi non quærebant, sed alij de eodem populo, timore occisorum perterriti. Non igitur omnes primi, id est, primò vocati, acceperunt denarium. Multi enim vocati, ex quibus maior pars reprobata est, quæ dicitur murmurasse, sed magis præmio suo contenti de salute aliorũ exultasse. Patet igitur secundum hanc expositionem, quod paterfamilias Deus est, vinea Ecclesia, operarij Prælati, horæ diei ætatis seculi, conductio operariorum, constitutio prælatorum, vel missio prædicatorum. Sero diei finis seculi, merces denarij, retributio cœlestis prẽmij. Spiritualiter & moraliter prædicta ad animã possunt referri, & secundũ hoc vinea diceretur anima, operarij sensus nostri, instantia operis exercitium virtutis, horæ diei ætatis hominis. Mane pueritia, tertia hora adolescentia, sexta iuuentutis, nona senectus, vndecima senium, vel decrepita ætas, vespere finis vitæ. Vinea excolitur, dum anima ad virtutes informatur, quæ primo in fide plantatur & radicatur. Attollitur in spe, dilatatur in charitate, circumfoditur in timore, propaginatur dum in ea diuina gratia multiplicatur, stercoratur in peccatorum confessione, amputatur à terrena sollicitudine, paxillatur patientia & fortitudine, ligatur nexibus disciplinæ, germinat in meditatione, floret in deuotione, botros affert in operatione, vt tandem introducta in cellam vinariam, inebriet & inebrietur in contemplatione. Vos igitur fratres charissimi, vineam animæ vestræ studiosè excolatis, & cum omni diligentia conseruetis. Vinea enim maxime, quando est in flore de facili læditur ardore tentationis, vel grandine aduersitatis. Muniamus nos vndique vineæ nostræ introitus, id est, sensus nostros cum omni cautela custodiamus, & primos motus, scilicet, vulpeculas, quæ demoliuntur vineas, capiamus, tenentes & allidentes eos ad petram, ne fortè nobis improperetur illud quod in Canticis dicitur, & maximè improperatur Prælatis. Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam, id est, animam meam nõ custodiui. Exemplo autem Naboth non permittamus quod Achab, id est, diabolus de vinea nostra faciat hortum olerum. Caueamus, ne, scilicet, fructus bonæ operationis conuertatur in gloriam vanitatis & vanitatis. Faciamus vineã nostram communẽ, id est, esibilem, vt ad bellũ cum aliis procedere valeamus. Non simus Neophiti, debiles in operibus, sed ad bellũ spirituale nos idoneos & fortes prẽparemus. Non relinquamus vini nostri iucunditatẽ libidine damnãdi, lignis syluarum, id est, malis & infructuosis, qui magis peccatis suis exigẽtibus digni sunt, quod ramnus eius dominetur. Dominus enim facit regnare hypocritam propter peccata populi, quod maximè fiet in fine, quando ex pungitiuo & asperrimo ramno, id est, Antichristo exiet ignis, qui deuorabit ligna syluarum, id est, homines infructuosos. Fodiamus igitur in vinea nostra torcular tribulationum, & passionum, quæ sunt claues Paradisi, quia per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Erigamus in ea turrem per fortitudinem & vitę præmientiam. Sit in vinea nostra vitis deformitas per carnis afflictionem, flos medicinalis per virtutum odorem, vini iucunditas per internæ charitatis dulcedinem, vt tandem inebriemur cum Ioseph in meridie, in claritate, & feruore æternæ beatitudinis, præstante Domino nostro Iesu Christo, &cæt.

*Breuis prædictorum recapitulatio.*

*De quarta vinea, quæ est anima & de cultu ipsius.*

*Cant. 1.*

*Conclusio & moralis prædictorum expositio. Item 2.*

*Item 1. De vinea Naboth. 3. Reg 21. Deut. 20. De vinea esibili. De vinea & lignis siluarum & ramos ex libro iudicum. Iob 30.*

*Actum 14. De vinea deformi, flore, & vino.*

## DOMINICA IN SEXAGESIMA DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM EX PSALMO.

*Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis, obliuisceris tribulationem nostram, adhæsit in terra venter noster, exurge Domine, adiuua nos & libera nos.*

OFFICIVM præcedentis Dominicæ fuit luctus & doloris, gemitus & afflictionis. Huius autem Dominicæ officium est supplicationis & orationis. Et quia cum lamentatione & mentis anxietate tribulationem suam miser, & afflictus homo Domino prius ostenderat, dicens: Circundederunt me gemitus mortis, Dominus autem liberare distulit, clamat ad Dominum supplicando, nõ murmurando, dicens: Exurge quare obdormis Domine? Ingeminat autem clamorem, eo quod animo afflicto, & desiderantis etiam parua mora longa videtur, sicut dicitur in Iob: Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. Si dormiero, dicam quando consurgam, & rursus expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras, loquitur more ęgrotantis, cui modica dies valde longa videtur. Dominus autem distulit venire & liberare ægrotum, vt ex dilatione cresceret desiderium, vt humiliaretur coram Domino, agnoscens defectum suum, vt auxilium diu desideratum & dilatum, postquam à Domino cõsequeretur, amplius diligeret, & cum maiori cautela, quod cum difficultate obtinuit, conseruaret, vt vbi maior esset tribulatio, maior fieret purgatio, & vbi maior pugna, maior esset corona. Per multas enim tribulationes oportet introire in regnum cœlorum. Vnde & hoc tempus, quod hodie incipit & dicitur sexagesima, terminatur in quarta feria Paschę, vbi post lectum se-

*Quod officiũ huius dominicæ est supplicationis & orationis.*

*Iob 6.*

*De dilatione liberationis quatuor causæ assignãtur.*

*Actum 14.*

ctum sequitur consolatio, & idcirco in introitu missæ cantatur, venite benedicti patris mei, percipite regnum. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Continet autem sexaginta dies, & à luctu & supplicatione inchoatur, atque in gaudium terminatur. In quo notatur, quod finitis sex ætatibus, quibus mundus iste clauditur per perfectam decalogi obseruantiam, ad vitam perueniemus æternã. Senarius enim qui perfectè ex suis constat, partibus perfectionem designat. Denarius decalogum significat, vel quia per sex opera misericordiæ introitum cœlestis regni possumus obtinere. Vnde & Dominus dicturus est in iudicio: Venite benedicti patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & ita de aliis. Eleëmosyna enim ab omni peccato & morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras, sicut dicitur in Tobia. Et iterum: Ex substantia tua fac eleëmosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet vt nec auertatur à te facies Domini. Et in Ecclesiaste dicitur: Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum. Aquæ transeuntes dicuntur pauperes, qui debent esse aduocati nostri in iudicio. Iuxta illud: Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio. Si enim concludas hîc eleëmosynam in sinu pauperis, ipsa tunc orabit pro te. Beatus enim tunc erit, qui eleëmosynis peccata redemit. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die enim mala liberabit eum Dominus. Præmium enim bonum thesaurizat in die iræ & necessitatis, sicut legimus in Tobia: Hoc autem tempus sexagesimæ principaliter respicit ad illud tempus, quod fuit à Noë vsque ad Abrahã, in quo mundo punito & renouato per diluuium, & facta promissione Abrahæ, quod in semine eius benedicerẽtur omnes Gentes, incipit afflictus & anxiatus homo, spem maiorem concipere de renouatione sua per baptismum, & de liberatione sua per Christum. Vnde fortiter clamat ad Dominum: Exurge, quare obdormis Domine? Videtur dormire dum differt subuenire. Euigilare dicitur, dum incipit succurrere, sicut scriptum est: Et excitatus est, tanquam dormiens, Dominus tanquam potus crapulatus à vino. Et tamen in veritate non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël. Vnde Dominus in Ieremia: Quid tu vides Ieremia? Virgam vigilantem ego video. Qui enim dormit, virga non percutit. Non dormit, qui dormientes arguit. Et si dormire videtur eo, quod dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, apertos tamen oculos habet ad malorum vindictam, dormit igitur apertis oculis more leonis. Tertio modo Dominus dormire dicitur, quando, scilicet, nos dormimus ei, ipse dormit nobis. Vnde valde metuendum est, dicentibus: exurge quare obdormis Domine? ne fortè respondeat, & tu quare dormis? Si dormis mihi, & ego dormio. Euigila, vigila, & ego vigilabo. Alioquin ego tanquam fur citò veniam perimens dormientes, & incautos homines. De quibus Ezechiel, in persona Gog, id est, diaboli dicit: Ascendam ad terram, absque muro veniam ad quiescentes & habitantes securè. Et quoniam scriptum est: Qui dormiunt, nocte dormiunt. Non dormiamus sicut Noë, qui inebriatus dormiuit, & nudatus est. Et sicut Loth, qui incestu filiarum suarum, dormiendo pollutus est: sicut Isboseth, qui dormiens in meridie, à latronibus in inguine percussus interfectus est: sicut Sampson, qui dormiens in gremio Dalide, crine fortitudinis spoliatus est: sicut Sisara, qui post lactis potum dormiens temporibus clauo & malleo perforatus à Iabel muliere fortiter interfectus est: sicut Holofernes, qui bibens vinũ in iucunditate, dormiuit ebrius & à Iudith caput eius abscissum est: sicut Ægyptij, quos Angelos dormientes peremit. Non igitur dormiamus somno corporis & acedię, de quo in Parabolis: Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Non dormiamus somno otij & negligentiæ, de quo in Ecclesiastico dicitur: Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte eum in operationem ne vacet. Multam enim malitiam docuit ociositas. Ocium est enim vna causa peccati Sodomitarum. Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat. Non dormiamus depressi somno auaritiæ. De quo Psalmus: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Nõ dormiamus in sepulchro concupiscentiæ, prægrauati somno gastrimargiæ vel luxuriæ. Propter crapulam enim multi perierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam, sicut in Ecclasiastico dicitur. Venter enim plenus, dum caput facit dormire, renes facit vigilare. Venter verò, esuriens caput vigilare facit, renes verò dormire cogit. Non dormiamus obtenebrati somno ignorantiæ, quia ignorans ignorabitur. Vnde in Parabolis dicitur: Qui euitat discere, incidet in mala. Surge qui dormis à somno culpæ, & illuminabit te Christus. Dormiamus autem somno gratiæ, in pace pectoris, in deuotione orationis, in contemplatione veritatis, in suauitate mentis, in prælibatione ęternæ fœlicitatis. Et quoniam nox præcessit, dies autem appropinquauit, vt possimus dicere cum sponsa, ego dormio, & cor meum vigilat. Vigilemus corde ad Dominum, qui coronam promittit vigilantibus. Beatus enim quem inuenerit vigilantem cùm venerit. Pastoribus enim vigilantibus, apparuit multitudo cœlestis exercitus. Magdalenæ vigilanti ad monumentum apparuit Dominus. Ad quorum imitationem, custodiamus & nos vigilias noctis supra gregem nostrum cogitationum, & affectuum & quinque sensuum. Ascendamus in altum, & in speculam more vigilum excubantium, vt conuersatio nostra sit in cœlis, & nidificemus in summo foramine Petræ. Circunspiciamus ex omni parte, sicut de onagro dicitur in Iob: Circunspicit montes pascuæ suæ, virentia quęque perquirit. Non solum autem vigilemus, sed more vigilum, alios à somno excitemus, vt dicamus cum Apostolo. Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Habeamus

*Matth. 25.*
*Item 5.*
*De ratione sexagesimæ.*
*Matth. 25.*
*Tobiæ 12.*
*Item 4.*
*De fructu eleëmosynæ.*
*Eccle. 11.*
*Eccle. 29.*
*Tobiæ 4.*
*De tempore sexagesimæ.*
*Gene. 22.*
*Iere. 1.*
*Sap. 11.*
*De secunda dormitione.*
*De tertia dormitione.*
*Ezech. 38.*
*1. Thess. 5.*
*Gene. 9.*
*Item 19.*
*1. Reg. 3.*
*Iudic. 16.*
*Item 3.*
*Iudic 4.*
*Exod. 12.*
*De multiplici somno.*
*Parab. 20.*
*Eccle 33.*
*Ezech. 16.*
*Eccle. 18.*
*1. Cor. 14.*
*Parab. 7.*
*De multiplici somno gratiæ.*
*Rom 12.*
*Cant. 5.*
*De bona vigilia.*
*Luc. 12.*
*Item 3.*
*Ioan. 20.*
*Phil. 3.*
*Iere. 48.*
*Iob 39.*
*Ephe. 5.*
*Item 5.*
*Colo. 3.*
*Isaiæ 18.*
*De instrumentis vigilantiæ.*

præterea musica instrumenta, quæ sint solatium vigiliarum, cantantes & psallentes Domino in cordibus nostris. Beatus enim populus, qui scit iubilationem. Scriptum est enim: Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus nostris, in domo Domini. Si hoc modo vigilemus, Deus nobiscum & in nobis vigilabit. Et si quandoque dormire videatur, exponendo nos tribulationibus, per quas oportet introire in regnum Dei, fidelis est & non permittit nos tentari supra id quod possumus, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere, vigilemus igitur vt euigilemus Dominum, clamantes ad ipsum in tribulatione. Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem: non repellas finaliter, da finalem perseuerantiam. Hæc est tunica talaris Ioseph, hæc est cauda hostiæ, quæ in sacrificiis iubetur offerri. Hæc est sacrificium vespertinum, quod pinguius erat matutino. Finis enim, non pugna coronat. Vnde Ecclesiastes: Melior est finis orationis quàm principium. Dominus enim iudicabit fines terræ, id est, finalia opera. Nec coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, id est, in certamine fideliter perseuerauerit. Vnde in Apocalypsi: Esto fidelis vsque ad mortẽ, & tibi dabo coronam vitę. Et iterum: Vincenti dabo edere manna absconditum. Non igitur repellas in finem, da in bono perseuerantiam. Non permittas frangi arundinem, vento tentationis agitatam, vt seruiamus tibi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris. Quare Domine faciem tuam auertis, & obliuisceris tribulationem nostrã? Hoc est quod dicitur in Iob: Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Hæc est facies misericordiæ, quam abscondere videtur in tribulatione, dum hominem tentationibus exponit, & flagellat omnem filium, quem recipit. Hæc est facies illa, quam conuertit ad Petrum, & respexit eum, vt fieret amarè. Oculi enim eius flamma ignis dissoluentes glaciem peccatorum, de qua scriptum est: Ostende faciem tuam, & saluierimus, faciem, scilicet hominis, non faciem leonis, quam in die iudicij ostendes inimicis, faciem autem misericordiæ abscondens eis. Vnde in Ieremia: Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. De facie verò misericordię dicitur in Isaia: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum spiritu, & contritum, & trementem sermones meos? Oculi autem Domini super iustos, vultus autem Domini super facientes mala, facies, scilicet, leonis, oculi iustitiæ & vindictæ. Adhuc clamorem & gemitum multiplicat, & miserias suas ostẽdit, subiungens. Adhæsit in terra venter noster. Quod dupliciter intelligi potest, vno modo de magnitudine tribulationis, quasi diceret: Adeo depressus sum, quod amplius deiici vel deprimi non possum. Alio modo intelligitur, vt plangat lapsos, qui ventri seruiunt. De quibus Apostolus: Quorum Deus venter est. Hi sunt boues crassę, quas vidit Pharao in palustribus pascentes. De quibus Apostolus ad Romanos: Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri. Esau verò primogenita amisit, quia nimio ęstu lenticulam concupiuit: Iacob autem vir simplex coxerat pulmentum. Vera enim simplicitas ollas carnium Ægypti non quærit. Vnde in Ecclesiastico: Noli auidus esse in omni epulatione, & non effundas te super omnem escam, propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinẽs est, adiiciet vitam: Et Osee dicit: Fornicatio vinum & ebrietas auferunt cor. Et iterum: Adimpleti sunt & saturitati sunt, leuauerunt cor suum & obliti sunt mei. Dives autem qui epulabatur quotidie splendidè, sepultus est in inferno. Vnde in Prouerbiis: Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur, bonis, scilicet, spiritualibus. Non enim debemus viuere, vt mãducemus, sed manducare vt viuamus. Sumenda enim sunt cibaria, sicut medicamenta. Quæ si extra mensuram capiantur, non sanitas, sed morbus acquiritur. Non enim multum curandum est, quibus cibariis conficiantur stercora, quia esca ventri & venter escis, Deus autem hunc & has destruet. Tertio dicitur venter terræ adhæsisse, id est, corporibus terrenis & transitoriis per cupiditatem & auaritiã, vt per ventrem cor intelligatur contentum, scilicet, per continens, & secundum hoc lugent homines diuitiis deditos, & temporalium amore seductos. De quibus Dominus in Euangelio: væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram. Hi sunt qui submersi sunt aquis labilibus, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ. Adam enim non imposuit nomina piscibus. Cameli enim nisi gibbum amoris temporalium deponant, per foramen acus transire non valent. Arcta est enim & angusta via, quæ ducit ad vitã. Qui enim festinat ditari, non erit innocens. Nihil enim iniquius est, quam amare pecuniam. Hinc enim animam suam habet venalem, vt dicitur in Ecclesiastico. Vnde Isaias: Vę qui coniungitis domũ ad domum, & agrum agro copulatis. Qui enim quinque iuga boum emit, nõ potuit ire ad nuptias, quia amor terrenorum viscus est terrenarum pœnarum. Vnde in Psalmis: Adhæsit pauimento anima mea, id est, diuitiis, quæ licèt pulchræ videantur, contemnendæ tamen, & calcandæ sunt sicut pauimentum. Propterea hi qui afferebant pretia rerum suarum, ponebant eas ad pedes Apostolorum. Et quoniam serpens, non solum corpore serpit per auaritiam, sed ventre per carnalem concupiscentiam, venter dicitur terræ adhęre per luxuriam. Iuxta illud: Conglutinatus est in terra venter noster. Vnde Ieremias: Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, submersum est cor meum. Voluptas enim luxurioſi est, sicut gaudium scabioſi seſe propter pruritum confricantis & statim patientis. Breuis est enim voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicatoris. Vnde in Parabalis: Pretium scotti vix est vnius panis, mulier autem pretiosam animam viri capit. Per hanc enim filius prodigus, totam substantiæ suæ portionem perdidit, & posteà egere cœpit. Nihil enim satis est prodigæ voluptati, famem sui paritur, insatiabilis est,

*Actuum* 14. 1. *Cor.* 10.

*De finali perseuerantia.* *Gene.* 37. *Leuit.* 8. *Num.* 28. *Eccle.* 7. 1. *Reg.* 2. 1. *Tim.* 2. *Apoc.* 2. *Matth.* 11. *Lucæ* 8. *Item* 2.

*Iob* 13. *De facie misericordiæ & facie iustitiæ.* *Parab.* 3. *Heb.* 12. *Lucæ* 13. *Apoc.* 1. *Ezech.* 1. *Iere.* 13. *Isaiæ* 66.

*De depressione ventris.* *Phil.* 3. *Gene.* 41. *Rom.* 15. *Gene.* 25.

*Exod.* 16. *Eccle.* 37. *Osee* 4. *Item* 13. *Lucæ* 16.

*Parab.* 21. *De sobrietate*

*De depressione auaritiæ.* 1. *Cor.* 6.

*Lucæ* 6. *Apoc.* 21. *Matth.* 19. *Mar.* 10. *Lucæ* 18. *Matth.* 7. *Lucæ* 10. *Parab.* 28. *Isaiæ* 6. *Lucæ* 14.

*Actuum* 5. *Gene.* 3. *De vētris depressione per luxuriam.* *Tren.* 1.

*Parab.* 6. *Lucæ* 15.

bilis est, & habita famem non satietatem parit. Voluptas enim futura sollicitat, præsens nõ satiat, præterita excruciat. Propter quod in Ecclesiastco dicitur: Non des fornicariis animam. Et iterum: De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Propter quod mater nostra condolens parentibus iterum clamare non cessat: Exurge Domine, adiuua nos. Ter dicit exurge, quia tripliciter Dominus exurgere dicitur liberando à malo, bona conferendo, in bono finaliter conseruando. Dicit igitur: Exurge Domine, libera, exurge Domine, adiuua, exurge ne repellas in finem, id est, finaliter in bono conserua. Libera à malo præterito, peccata mihi non imputando, libera à malo præsenti, in tentationibus nõ inducẽdo, libera à malo culpę, ne peccẽ, à malo pęnę, ne in æternũ pereã. Hoc est quod in oratione Dominica petimus. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, libera à malo præterito. Et ne nos inducas in tentationem, scilicet, à pręsenti malo, & post hęc subditur, sed libera nos à malo, à culpa, scilicet, & pęna futura. Exurge Domine, adiuua nos. Adiuua gratiam infundendo, bona conferendo, in bono conseruando, pœnam tollendo, æterna præmia conferendo, exurge, ne repellas in finem, sed præsta finaliter gratiam & finalem perseuerantiam.

*Ecclo. 9.*
*Item 42.*
*Quod Dominus tripliciter surgit.*
*De triplici liberatione.*
*Matth. 6.*
*Luc. 11.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD CORINTHIOS.

*Libenter suffertis insipientes, cùm ipsi sitis sapientes.* *2. Cor. 11.*

APOSTOLVS prædicatione sua ad fidem conuerterat Corinthios, in cuius absentia subintrauerant quidam pseudo Apostoli, falsi prædicatores, qui eos in seruitutem legis Mosaicę nitebantur redigere, extollentes se & iactantes de generis nobilitate Abrahæ. Vnde cum austeritate legis imperantes, vt magni viderentur, multis conuitiis Corinthios afficiebant, quasi in faciem eos cędentes, qui tamen zelum Dei in his non habebant, nec de salute eorum curabant. Prædicabant enim vt manducarent & deuorarent bona eorum, & vt dextera eorum repleretur muneribus. Vnde reprehendit Corinthios de indiscretione & stulta seu asinina patientia, eo quod huiusmodi pseudo Apostolos, quos à se repellere debebant, recipiebant, & talia ab eis sustinebant. Discretio enim valde necessaria est in religione Christiana. Animal enim quod vngulam non findit, reprobum est in lege Domini. Nõ enim sufficit simplicitas columbæ siue serpentis astutia. Tales enim hypocritæ non verè simplices reputantur. Vnde de beato Iob dicitur, quod erat simplex & rectus. Simplicitas enim sine rectitudine discretionis stultitia est. Non enim placet Domino sacrificium sine sale discretionis, sed velut insipidum à Domino reprobatur. Non minus enim malum est Christiano in his, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, decipi, quàm decipere: Vnde in Genesi: Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti. Et Isaias: Hęc est via, ambulate in ea, nec ad dextram, nec ad sinistram declinetis. Et in Ezechiele de sanctis animalibus dicitur: Pedes eorum pedes recti. Probandi igitur sunt spiritus, vtrum à Deo sunt. Sathanas enim transfigurat se in Angelum lucis. Multi enim veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus verò sunt lupi rapaces. Vnde Apostolus non immerito reprehendit Corinthios, qui sine discretione falsos prædicatores admittebant: sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, qui indifferenter quælibet onera recipiunt. Dominus autem per Ieremiam ait: Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. A fructibus enim eorum debuerunt cognoscere eos. Bona enim arbor, fructus malos non facit. Hi autem fructus pessimos faciebant, quos enumerat Apostolus. Malus enim fructus est, carnaliter legem obseruare, eo quod vmbræ figurarum imminente Christi veritate, cessare debuerunt. Flores enim decidunt, fructu succrescente & lutea formula proiicienda est post formationem campanæ. Non enim debemus arare cum boue & asino, nec obseruare carnaliter legem cum euangelio. Tempus enim plantandi & tempus euellendi, quod plantatum est, sicut in Ecclesiastico dicitur: Et in Psalmis. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio. Veniente enim Christo in mundo, qui fuit vera hostia, holocausta, & sacrificia carnalia, quæ præcesserunt in figura, cessare debuerunt, sicut prædixerat Dominus per Moysen in Leuitico. Nouis superuenientibus vetera proiicietis. Malus fructus erat deuorare bona eorum, quibus prædicabant: vt ventrem suum implerẽt. Vnde Dominus Vę vobis Scribę & Pharisæi, qui comeditis domos viduarum, oratione longa orãtes. Et Paulus ad Romanos huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. Et Micheas: Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. De his etiam in Ezechiele dicitur: Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis. Et iterum: Vę pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nónne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis & lanis cooperiebamini. Malus fructus erat auarè aliquid accipere, & pro lucris temporalibus prædicare. De quibus beatus Petrus ait: Pellicientes animas instabiles, cor exercitatũ auaritia habẽtes, maledictionis filij. Et Isaias: Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Et Apostolus ad Corinthios: Non quęro quę vestra sunt, sed vos. Et ad Thessalonicenses: Non fuimus alij in sermone adulationis, nec in occasione auaritiæ Deus testis est. In Leuitico autem dicitur, quod immundus est vir, qui fluxus seminis patitur, scilicet, qui semen prædicationis ad terrena con-

*De pseudo-prædicatoribus.*
*De discretione spirituum.*
*Leuit. 11.*
*Matth. 10.*
*Iob. 1.*
*Leuit 2.*
*Gene. 4.*
*ex 70.*
*Isa. 30.*
*Ezech. 1.*
*1. Cor. 11.*
*Matth. 6.*
*De asinina patientia.*
*Iere. 15.*
*Matth. 5.*
*Luc. 5.*
*De multiplici fructu malo & primo de vmbra legis.*
*Deut. 22.*
*Eccle. 3.*
*Leuit. 26.*
*Matth. 23.*
*De his qui prædicant vt manducent, id est, de secundo malo fructu.*
*Rom. 15.*
*Micheæ 3.*
*Ezech. 13.*
*Item 34.*
*De his qui prædicant pro terrenis, id est, de tertio malo fructu.*
*2. Petri 2.*
*Isa. 1.*
*2. Cor. 11.*
*Leuit. 15.*
*Gene. 27.*

rena conuertit. Quid enim aliud est Ioseph vendere Ismahelitis, quàm verbum Dei laicis pro quęstu temporali prędicare? Vnde ad Corinthios. Non sumus verbum Dei adulterantes, id est, non prædicamus pro quęstu temporali mirantes personas quęstus causa. Et Amos Propheta ait: Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prędam? Nunquid auferetur laqueus de terra, antequam cœperit? Audiant vaccæ pingues in mõtibus Samarię, quæ calumniam faciunt egenis. Laxant retia sua in capturam pecuniarum. Malus enim fructus erat de nobilitate generis vel de quacunque alia re per elationem attolli. Omnes enim de eadem massa putredinis procreati sumus. Quid igitur superbit terra & cinis? Pellis morticina quid inflatur? Homo putredo & filius hominis vermis, qui quasi putredo consumendus est, & quasi vestimento, quod comeditur à tinea, vt quid de nobilitate generis attollitur per iactantiam, qui potius cum beato Iob debuit dicere putredini: per humilitatem pater meus es tu & mater mea. Dominus enim noster qui filius erat superni regis, frequentius appellat se ab inferiori genere, scilicet, filium Hominis. Contra huiusmodi homines elatos & arrogantes ait Iob: Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Et in Ecclesiastico dicitur: Ne te extollas in cogitatione animę tuę, velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua. Et iterum: Rectorem posuerunt te, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Et Dominus in Euangelio ait: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ad inuicem accipitis, & gloriam quę à solo Deo est, nõ quæritis? De huiusmodi pseudo Apostolis ait: Amos Propheta: Vę qui opulenti estis in Syon, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Domini. Et Petrus Apostolus ait: Nec vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Malus fructus erat in faciem cędere, quos per spiritum mansuetudinis debuerunt cum omni humilitate tractare, sicut scriptum est. Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me. Dauid enim fono citharę immundum spiritum, qui Saul vexabat, effugabat. Vnde in Ecclesiastico: Quàm bonũ est arguere quàm irasci. Vnde in parabolis. Vbi fuerit superbia, ibi & cõtumelia. Et iterũ: Qui se iactat & dilatat, iurgia cõcitat. In Leuitico autem dicitur: Cùm obtuleris sacrificium de craticula similа oleo conspergetur. Samaritanus enim verus, plus olei quàm vini debet vlceribus infundere. Vnde in Canticis dicitur: Memores vberum tuorum super vinum. Prælatus enim duo vbera debet habere, quę sunt congratulatio, præbens lac exhortationis, & cõpassio prębens lac consolationis, vel longanimitas in expectando, & in cõdonando facilitas, quę efficatiora sunt vino austeritatis & nimis durę increpationis. Vnde ad Thessalonicẽses. Tanquã si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere, non solum Euangelium Dei, sed & animas nostras, quia charissimi nobis facti estis. Et ad Galatas: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Scriptum est enim: Ad vbera portabimini & super genua blandietur vobis. Pessimus autem fructus erat in prædictis pseudo Apostolis simulatio & hypocrisis. Contra quos Ieremias ait: Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. Et Apostolus ad Timotheum: Speciem quidem pietatis habentes, virtutem quidem eius abnegãtes. Et ad Corinthios: Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iniustitiæ. Et Ezechiel ait: Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui Israël erãt. Vulpes enim doloę sunt, foueas habent, domesticis auibus insidiantur. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Est qui nequiter se humiliat, interiora autem eius plena sunt dolo. Et in Leuiticis dicitur: Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento erit, scilicet, absque fermẽto hypocrisis. Vnde Ezechiel: Comburam omne lignum viride, id est, hypocritam, & omne lignum aridum, id est, apertè malum. Ab huiusmodi fructibus prædictas arbores malas Apostolus cognoscens ait: Libenter sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes, id est, contra tales operarios iniquitatis deberetis esse sapientes. Sicut autem arbor mala à fructu malo cognoscitur, ita arbor bona à fructu bono cognoscitur, & maximè à fructu patientiæ. Vnde Apostolus: Nõ causa vanitatis, sed necessitatis, sicut ipse ait. Factus sum insipiens, vos me coëgistis, scilicet, vt doctrina eius reciperetur & pseudoprædicatoribus non crederetur, contra eum tentationes varias, quas ipse pro Christo patienter sustinuit, enumerat, ostẽdens se libenter gloriari in infirmitatibus suis, vt inhabitet in eo virtus Christi, virtus enim in infirmitate tentationum perficitur, sicut idem Apostolus ait: Cùm infirmor, tunc potens sum. Sicut enim testa igne solidatur, ita tentationum & tribulationum igne patientia exercetur & roboratur, assiduitate, scilicet, pręliandi & resistendi. Vnde in Psalmis: Posuisti firmamentum eius formidinem. Infirmitate enim & tentationum formidine animа in bono firmatur, sicut ex otio & securitate marcet & dissoluitur. Vnde Iob: hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore non parcat. Gloriatur igitur Apostolus in infirmitatibus & tribulationibus suis. Propter multiplicem fructum, qui ex tribulationibus prouenit: sicut nuces & oliuæ, quantò magis vno anno verberãte excutiuntur, tantò magis anno sequenti copiosum fructum ferre dicuntur. Tribulatio enim animam conuertit ad Dominum. Iuxta illud: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine. Et in Euangelio dicitur. Compelle intrare per flagella & tentationes. Tribulatio purgat animam à peccatis, sicut lixiuiũ, quantò fortius est, tantò magis pannos mundificat & albificat. Vnde Isaias: Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam. Conuertam manum ad te flagellando, vt excoquam ad purum scoriam & rubiginem peccatorum tuorum. Et iterum:

Si ablue-

2. Cor. 2.
Amos 3.
Amos 4.
De elatione prædicatorum & iactantia generis, id est, de quarto fructu malo.
Eccle. 10.
Iob 25.
Item 13.
Item 17.
Item 11.
Eccle. 6.
Item 33.
Ioan. 5.
Amos 6.
1. Petri 5.
De nimia prædicatorum austeritate, id est, de quinto fructu malo.
1. Reg. 16.
Eccle. 5.
Parab. 11.
Item 28.
Leuit. 2.
Lucæ 10.
Cant. 1.
1. Thess. 2.
Gala 6.
Isaiæ 66.
De prædicatorum simulatione, id est, de sexto fructu malo.
Iere. 48.
2. Tim. 2.
2. Cor. 11.
Ezech. 13.
De proprietatibus vulpis.
Eccle. 19.
Leuit. 2.
Ezech. 21.
2. Cor. 11.
De bono fructu patientiæ & quod patientia tentationibus roboratur.
Matth. 7.
Lucæ 6.
1. Cor. 12.
Iob 4.
De multiplici fructu tribulationum. Primus fructus.
Lucæ 14.
Secundus.
Isaiæ 1.
Item 4.

Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit in spiritu iudicij, & spiritu mœroris. Tribulatio animam humiliat, ne fastus ei dominetur. Vnde Apostolus: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi angelus satanæ, stimulus carnis meæ. Tanquam puer verberatus est Paulus, ne tanquam iuuenis attolleretur. Et in Iob dicitur: Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, id est, humiliat animam meam. Et Ieremias: Castigabo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius. Tribulatio animam erudit, & cautam reddit per experientiam. Vexatio enim dat intellectum. Vnde Ieremias secundum interpretationem Septuaginta: Per omnem dolorem & flagella erudieris Israël. Et in Trenis: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Et iterum: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me, igne, scilicet, tribulationis. Tribulatio probat & examinat animam, & in spe corroborat. Vasa enim figuli probat fornax. Iuxta illud: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Et Iob ait: Si occiderit me, sperabo in eum. Quia enim hîc affligit, spem habemus quod in futuro parcet nobis. Vnde in Psalmis: Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Tribulatio consummat & perfectum reddit. Vnde ad Corinthios: Virtus in infirmitate perficitur. Et in Parabolis: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Excidunturenim sancti malleis tribulationum, vt sint perfecti, quadrati, virtutibus politi, & fortes sicut columnæ. Tribulatio adiuuat. Iuxta illud: Da nobis auxilium de tribulatione. Et Isaias, secundum interpretationem Septuaginta: Habens carbones, sedebis super eos. Hi erunt tibi in adiutorium. Et in Psalmis: Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Tribulatio facit proximum Deo, sicut scriptum est: Cum ipso sum in tribulatione. Et iterum: Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Et Apostolus: In disciplina perseuerate, tanquam filiis offert se vobis Deus. Tribulatio consolatur animam. Qui enim non sustinet tribulationes, non habebit consolationes. Vnde Apostolus: Qui consolatur nos in omnibus tribulationibus nostris. Et Isaias: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, vt consolarer omnes lugentes, & ponerem consolationem lugentibus Sion. Beati enim qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Tribulatio sanat vulnera animæ. Iuxta illud: Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Et in Iob: Ipse vulnerat & medetur, percutit, & manus eius sanabunt. Tribulatio lætificat. Vnde in Psalmis: Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala. Et in Actis: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Vnde lapides torrentis Stephano dulces fuerunt. Tribulatio fœcundat. Vnde, quantò magis opprimebantur filij Israël, tantò magis multiplicabantur. Dominus enim fulgura tribulationum conuertit in pluuiam fœcunditatis, vt in paucis vexati, in multis benè disponantur. Vnde Ioannes in Euangelio: Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, vt plus fructum afferat: purgabit per flagella, per fœcunditatem. Ipse enim pauperem facit affligendo, & ditat bonis spiritualibus multiplicando. Tribulatio mentem à terrenis sursum leuat. Quantò enim in hoc mundo plura sustinet aduersa, tantò magis per desiderium tendit ad superna. Et quantò magis crescunt aquæ diluuij in tribulationibus huius seculi, tantò magis eleuatur arca Ecclesiæ. Ipse enim humiliat & subleuat. Vnde in Canticis: Vadam ad montem myrrhæ. Per myrrham enim amaritudinis & tribulationis, quasi in montis eminentiam sursum anima attollitur. Tribulatio charitatem augmentat, & mentem dilatat: sicut ignis vento & tempestate quandoque solet crescere. Iuxta illud: In tribulatione dilatasti mihi. Et in Numeris: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles. Tubæ ductiles dicuntur sancti, qui tunsionibus & percussionibus malleorum dilatantur. Tribulatio animam coronat, & vitam æternam præstat. Vnde in Canticis: Ego flos campi, id est, corona pugnantium. Per campum enim pugiles intelliguntur. Et in Psalmis: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi. Et in Euangelio: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Propter huiusmodi multiplicem fructum, sancti in tribulationibus gloriantur, dicentes cum Propheta: Rennuit consolari anima mea, id est, consolari in temporalibus. Vnde vox sanctorum: Propter te mortificamur tota die. Et vox sponsæ: Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem. Nigra pressuris, pœnitētia, abiectione, in laboribus plurimis, in fame & siti, in frigore & nuditate. Formosa autem intus, studio charitatis, honestatis, & innocētię, sicut tabernacula Cedar, qui filius fuit Ismahelis, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra ipsum. Ecclesia enim quæ militat in tabernaculis, contra hostes visibiles & inuisibiles, pugnare non cessat. Fusca sum feruore tribulationis, exterius decolorata. De quo feruore dicitur, quod sponsus cubat in meridie, id est, in feruore gratissimæ tribulationis requiescit.

*Tertius.* 1. Cor. 12.
*Quartus.* *Tren. 3.*
*Item 1.*
*Quintus.* *Eccle. 27.*
*Iob 13.*
*Sextus.* 2. Cor. 12.
*Parab. 9.*
*Septimus.*
*Octauus.*
*Heb. 12.*
*Nonus.* 2. Cor. 1.
*Isaiæ 61.*
*Matth. 5.*
*Decimus.*
*Iob 5.*
*Vndecimus.*
*Actuum 5.*
*Duodecimus.* *Exod. 1.*
*Sapien. 3.*
*Ioan. 15.* 1. Reg. 2.
*Tredecimus.*
*Gene 7.* 1. Reg. 18. *Cant. 3.*
*Quartusdecimus.* *Num. 10.*
*Quintusdecimus.* *Cant. 2.* *Matth. 5.*
*Cant. 1.*
*Gene. 25.* *Cant. 1.*
*Item 16.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Exiit qui seminat seminare semen suum.*

*Lucæ 8.*
*Zach. 5.*
*Verbum assimilatur volumini & aui volanti.*
*De septem pennis.*
*Matth. 7.*
*Matth. 19.*
*Mar. 10.*
*Lucæ 18.*
*Matth. 5.*

LEVAVI oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans. Dominus ostendit Zachariæ Prophetæ volumen volans, id est, librum pennarum, habentem alas. Liber iste alatus, diuina scriptura est, quæ habet duas alas duorum testamentorum, quorum vtraque septem habet pennas, quæ sunt præcepta, prohibitiones, promissiones, comminationes, consilia, instructiones, & exhortationes. Præcepit, vbi ait: Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, eadem facite illis. Prohibet, vbi ait: Quod tibi nō vis fieri, alij ne feceris. Consulit, vbi ait: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Promittit, vbi dicitur: Audi Israël præcepta mea, & ea in corde tuo, quasi in libro, scribe: & dabo tibi terram fluentem lac & mel. Comminatur, vbi dicitur: Iam securis posita est ad radicem arboris. Omnis arbor, qui non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Instruit & docet, vbi dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendā eam, iam mœchatus est in corde suo. Admonet & exhortatur, quando ait: Contendite intrare per angustam portam. Habet præterea auis ista circundata varietate, quot sunt ibi diuinæ sententiæ. Dicitur autem volare, quia sursum cor hominis eleuat à terrenis. Vnde duo Cherubin, per quæ duo testamenta intelliguntur, alata dicuntur. Cherub enim plenitudo semine interpretatur, & significat diuinā scripturam. Vnde in templo Domini erant duo Cherubin se mutuò respicientia, propter concordiam duorum testamentorū, expandentia alas suas, quia præstant nobis refrigerium versis vultibus in propitiatoriū. Quandoq; volumen istud volat sursum, quandoq; in medio, quādoq; deorsum. Hoc est quod in Ezechiēle dicitur, quod in volumine, quod datum erat ei ad deuorandum, erant scriptæ lamētationes, carmen, & væ. Carmen legimus in hoc libro, quādo sursum eleuamur, æterna præmia meditando. Lamentationes, quando quasi in medio volamus, exilium nostrum, & peccata nostra, & miserias vitæ præsentis attendendo. Væ legimus, quando deorsum descendimus, pœnas æternas ad memoriam reducendo. Beatus est cui agnus, qui occisus est, hunc librum aperit, vt huius triplicis lectionis varietate eius anima reficiatur. Hic est liber quem beatus Ioannes, vt dicitur in Apocalypsi, deuorauit, & factus est in ore eius dulcis, tanquam mel, & posteà amaricatus est venter eius, quia qui addit scientiam, addit dolorem & compunctionem. Dulcis est liber iste in ore ad loquendum, sed amarus est propter humanā fragilitatē, ad operandū & implendū, quę in eo scripta sunt. Orate igitur Dominū, qui aperit, & nemo claudit, vt vobis hodie aperiat hūc librum, vt in eo possitis legere & cognoscere lamentationes, carmen, & væ. Exiit qui seminat seminare semen suum. Teste beato Iob: Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum. Vnde in agro præsentis vitæ multipliciter oportet nos laborare, præsertim cùm terra nostra maledicta spinas & tribulos germinare non cessat. Cùm igitur in Dominica præcedenti Dominus vitam nostram excolere, sumpta similitudine à vinea, nos docuerit. In hac præsenti Dominica, sumpta similitudine ab agro & semine, in parabolis nos instruit laborare. In Ecclesia enim Dei oportet plantare, inserere, & seminare. Radices materialiter plantantur, arbores inseruntur, grana seminantur. Spiritualiter autem virtutes dicuntur plantari, exempla sanctorum inseri, verba Dei & bona opera seminari. Vnde & præsens Sexagesima incipit à seminatione, & conditur in æterna remuneratione. Per semina enim bonorum operum, consequemur æternæ vitæ præmium, & idcirco in fine huius Sexagesimæ, scilicet, quarta feria post Pascha, tractatur in officio Missæ de æterna beatitudine, vbi in introitu Missæ cantatur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Exiit qui seminat seminare semen suum. Exire debet, qui seminat verbum Dei, à contemplatiua ad actiuam, vt priùs ardeat quàm luceat, priùs addiscat & meditetur quàm doceat, priùs sit concha quàm canale, priùs infundatur quàm effundat, vel effundatur, priùs ascendat in montem, & pòst descendat ad populum in planitiem. Est enim tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus, tempus tacendi, & pòst tempus loquendi. Vnde in Euangelio Ioannis: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Priùs dicit ingredietur, posteà egredietur, vt priùs prædicator ingrediatur per lectionem & meditationem, postmodum exeat seminare semen suum per actiuam. Priùs sedeat in charitate, vt induatur virtute ex alto, pòst exeat talentum sibi commissum multiplicando. Sic Dominus noster, vt seminaret semen suum, exiit à mundo, visibiliter apparuit. Exeat præterea, qui seminat, à sepulchris concupiscentiæ, à fumo vanitatis & superbiæ, à tumultu & tempestate inuidiæ & iræ, à tenebris ignorantiæ & tristitiæ, à terra cupiditatis & auaritiæ. Exeamus ad ipsum extra castra corporis. Nam & ipse passus est extra castra, sicut ait Apostolus. Et in Euangelio ait Dominus: Duc in altum, & laxa retia in capturā. Debet enim remoueri à terra, qui laxare vult retia sua. Remoueatur igitur prædicator à terrenis, vt possit laxare rete prædicationis. Exeat igitur qui seminat seminare semen suum. Exeat propter proximorū vtilitatē, nō propter curiositatē, sicut exiuit Dina filia Iacob, vt videret mulieres regionis, & à Sichem corrupta est. Nec propter carnalem voluptatem, sicut exiit filius prodigus de domo patris sui, & vniuersam substantiā malè cōsumpsit, viuendo luxurioſe cū meretricibus. Non propter cupiditatē, sicut exiit qui vocatus est ad nuptias, vt villam quā emerat, videret, & ad nuptias nō intrauit. Et Semei exiit à Hierusalē per inobedientiā, contra mandatū Salomonis, & ab ipso Salomone interfectus est. Sed exeat seminare semē suū, nō alienū, sed propriū, de agro, scilicet, Dominico, nō semē diabolicū, sicut hi, qui semināt discordiā inter

*Item 7.*
*Lucæ 13.*
*Quod diuina scriptura aui & variæ sententiæ, variis plumis comparantur.*
*Exod. 25.*
*De duobus Cherubin duorum testamentorum.*
*De triplici volatu.*
*Ezech. 2.*
*Apoc. 5.*

*Item 10.*

*Eccle. 1.*

*Iob 5.*
*Gene. 3.*

*De cultura agri & multiplici labore.*
*De plantis & sulculis & semine.*

*Matth. 25.*

*Quod prædicator multipliciter debet exire.*
*Eccle. 3.*
*Ioan. 10.*

*Matth. 25.*
*Num. 11.*

*Heb. 13.*
*Lucæ 5.*

*Gene. 34.*
*De malo exitu.*
*Lucæ 15.*
*3. Reg. 2.*
*De proprio semine.*
*De malo semine verborum.*

inter fratres, qui seminant verba vanitatis, verba falcitatis, verba duplicitatis, & deceptionis, verba nequitiæ & iniquitatis, verba detractionis & adulationis, verba contumeliæ & scandali, verba lasciuiæ & scurrilitatis, verba otiosa & garrulitatis, verba blasphemiæ & maledictionis. Contra quos Apostolus ad Ephesios: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei: fornicatio autem & omnis immunditia, & auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quę ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Et Petrus Apostolus ait: Si quis loquitur quasi sermones Dei. Faciat autem prædicator semen suum, conuertendo ipsum ad commodum suum, vt prius faciat, & posteà doceat, & musicam non impediat: nam benè cùm recitat, incipit esse suum. Non ita fructificet aliis, quod sit sterilis sibi: sicut facula, quæ alios illuminat & seipsam consumit: sicut campana, quæ aliis sonat, & seipsam percutit: sicut canale lapideum per quod irrigantur horti, & nihil in se retinet humiditatis. De huiusmodi stultis prædicatoribus dicit Aggęus Propheta: Seminastis multum, & intulistis parum. Et in Deuteronomio: Sementem multum iacies in terram, & modicũ congregabis, vineam plantabis & fodies, & non bibes, nec colliges ex ea quippiam. Seminet ergo semen, quod suum benè viuendo, & alios in moribus & fide efficaciter instruendo. Qui autem sapienter seminat, diligenter considerat & attendit tempus arandi & seminandi, naturã terræ, seu qualitatẽ agri, mane surgit, vilibus induitur, boues iugo iungit, & stimulo pungit, tempestate aëris non facilè abigitur, in vespere domum reuertitur, à nociuis agrum purgat, terram stercorat, arat, rectum sulcum facit, purum granum ad seminandum eligit, ante se & in diuersis locis semen spargit, in terram seminatam semen suum non proiicit, semen operit, & terram æquat rastro, agrum fossis vel sepibus claudit, signa quædam, vt aues abigat, in agro ponit, semen iactum patienter expectat. Hæc omnia tam de semine verbi Dei, quàm de semine bonorũ operum, de quibus Apostolus ait: Qui parcè seminat, parcè & metet, spiritualiter possunt intelligi. Attendere debet prædicator, vel quicunque semen bonæ locutionis competenter seminare desiderat, tempus oportunum, vt det illis, quibus prædicet, cibum in tempore. Tempus enim tacendi & tempus loquendi, vnde in Psalmis: Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Et Dominus in prætorio Pilati, aliquando interrogatus, nihil dicebat, aliquando verò respondebat. Et Apostolis ait: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Vnde in Ecclesiastico: Ex ore fatui reprobabitur parabola. Non enim dicit illam in tempore suo. Et iterum: Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem reseruat in posterum, quod in eodem libro exponitur, cùm dicitur: Vbi auditus nõ est, non effundas sermonem: & importunè noli extolli in sapientia tua. Et in primo Regum legimus, quòd Nabal viro stulto & ebrio, culpam suam Abigail vxor eius tacuit. Perturbatis enim & furore ebriis, rectum quod dicitur peruersum videtur. Digesto autem vino, locuta est ei: Qui enim erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit. Hoc est quod Salomon ait: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Et posteà dicit: Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Distingue tempora, & concordabit scriptura. Similiter & in bonis operibus distinguenda sunt tempora. Annus enim placabilis Domino, quatuor tempora habet, Hyemem in dolore pœnitentiæ, Ver in nouitate disciplinæ, Æstatem in zelo & feruore iustitiæ, Autumnum in perfectionis plenitudine. Similiter naturam terræ, & qualitatem agri, seminator cum omni cautela debet intueri, ne fortè præbeat sanctum canibus, vel margaritas spargat ante porcos. Propter quod in Ecclesiastico dicitur: Cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam. Et in Parabolis: Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente désuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Similiter & in seminando opera misericordiæ, attendenda est persona. Iuxta illud: Cui des, videto, vt desudet eleëmosyna in manu tua, donec inuenias iustum vel indigentem, cui des illam. Non igitur, vbi non inuenit nisi spinas, vel sabulum, vel petras, vel lutum, vel viam tritam, seminare debet prædicator, si dictat ei conscientia, quod non corrigi debeant, vel propter verbum admonitionis deteriores fiant. Vnde Dominus in Ezechiële: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, non quasi vir obiurgans, quia Dominus exasperans est. Et Isa. Non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam, id est, super pessimam Synagogam, quod factum est, quando Apostoli ipsa relicta, eò quòd verbum Dei repellebat & conculcabat, transierunt ad Gentes. Quare ergo summus seminator Dominus noster exiit seminare, & cecidit semen eius inter spinas, supra petram, & secus viam? Propter hoc seminare voluit, quia pars seminis cecidit in terram bonam. Vbi enim conueniunt simul mali cum bonis, propter malos non debet silere Prælatus à bonorum instructione. Secus viam cadit semen, & conculcatur, & volucres cœli comedent illud, id est, maligni spiritus auferunt de corde audientium, ne credentes salui fiant, quando in corde fatui, quasi in via trita, verbum Dei turba malarum cogitationum conculcatur. Hæ sunt vulpeculæ demolientes vineam animæ, muscæ morientes, quæ perdunt suauitatem vnguenti, turba quæ non sinit Zachæum videre Dominum, quæ increpat cæcum clamantem ad Dominum, vt taceat, quam Dominus, vt suscitaret in conclaui puellam, eiecit. De quibus in libro Sapientiæ ait: In cogitationibus impij interrogatio erit, in die, scilicet, iudicij. Peruersę enim cogitationes, separant à Deo, & spiritussanctus auferet se à cogitationibus, quę sunt sine intellectu,

*Parab. 6.*
*Item 5.*
*Ephe. 4.*
*1. Pet. 4.*
*Eccle. 32.*
*Quod prædicator ad commodum suum prædicet.*
*Aggæi 1.*
*Deut. 28.*
*Debis quæ pertinent ad eum qui seminant.*
*2. Cor. 9.*
*Primum de tempore seminandi.*
*Matth. 24.*
*Eccle. 3.*
*Matth. 18.*
*Ioan. 19.*
*Eccle. 20.*
*Parab. 29.*
*Eccle. 22.*
*1. Reg. 25.*
*Parab. 6.*
*Item 26.*
*Isaiæ 61.*
*De quatuor anni partibus.*
*Secundum de natura & qualitate agri.*
*Matth. 7.*
*Eccle. 22.*
*Parab. 27.*
*Ezech. 3.*
*Isaiæ 5.*
*Actuum 13.*
*De semine cadente secus viam.*
*De malis cogitationibus.*
*Eccle. 20.*
*Eccle. 10.*
*Matth. 20.*
*Item 9.*
*Sapien. 1.*

sicut in libro Sapientiæ dicitur. Est igitur via trita, quæ peruia est malis cogitationibus & malignis spiritibus. Vnde Iob ait: Vadent & venient super eum horribiles. Et iterum in persona talium: Simul venerunt latrones eius, & fecerunt viam per me. Hîc appellat latrones, quos in Euangelio Dominus appellat volucres cœli, eò quòd spirituales sint naturæ, & in hoc aëre contra nos habitant, habentes alas superbiæ. Supra petram autem semen cadit, & quia non habet humorem in illis, aresçit: qui licèt à principio verbum Dei cum gaudio recipiant, & ad tempus credant, in tempore tentationis recedunt, eò quòd in charitate non sunt firmiter radicati. Homines inconstantes, lepra volatilis plumæ, quæ sacrificio Domini abiiciuntur, tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Filij Effrem intendentes & mittentes arcum, conuertuntur in die belli & tentationis. De quibus Isaias in persona talium: Cecidimus quasi folium vniuersi. Et Psalmus: Fiant tanquam fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit. Quia enim domus eorum non est fundata supra firmam petram, sed super arenam, descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, fuitque ruina eius magna, sicut dicitur in Euangelio. De his autem qui recipiunt cum gaudio verbum, & in tempore tentationis recedunt, dicit Ezechiel: Audiunt sermones meos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor eorum, & est eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulciqué sono canitur, & audiunt verba mea & non faciunt ea. Hi sunt quasi asinus ad lyram, qui delectantur in sono, sed postea sub pedibus conculcat eam, quasi porcus manducans fabas in agro, qui ad voces clamantium, caput & aures ad modicum erigit, & statim ad vorandas fabas caput & os submittit. Hi autem, sicut ait Iacobus Apostolus, comparantur viro considerant vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuit. Quando enim verbum veritatis audiunt, approbant illud, & cum gaudio recipiunt, sed postmodum tanquam arundo vento agitata, inanes & vacui tempore prosperitatis vel aduersitatis recedunt. Cadit enim semen supra petram, quando audiunt verbum quidam homines peruersi & obstinati, habentes cor durum, nullo fidei vomere penetratum, indurati, & congelati vento Aquilonis. De quo Ieremias ait: Ab Aquilone pandetur omne malum. Et Iob: Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Et Salomon in Parabolis: Qui mentis est duræ, corruet in malum. Et in Ezechiële dicitur: Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Inter spinas verò semen cadit, quando à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ suffocatur. In diuitiis autem Dominus duo coniungit, sollicitudinem & voluptatem, quia per curam mentem affligunt, & per affluentiam resoluunt. Hæ sunt spinæ habentes tres aculeos. Pungunt enim dum per laborem acquiruntur, dum per timorem conseruantur, dum per dolorem relinquuntur. Licèt autem spinæ in principio suaues sint, quando adhuc virides, & quasi in herba sunt, postmodum valde pungunt. Ita carnalis voluptas, & si à principio habere videatur delectationem, postmodum valde pungit per remordentem conscientiam, & lacerat animam per pœnam æternam. Licèt autem fatui, sicut ait beatus Iob, esse sub sentibus delicias reputent, non tamen veram habent delectationem, sed magis dolorem & angustiam. Vnde Apostolus appellat carnales delitias, passiones, dicens ad Romanos: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Vnde in fine dicturi sunt, sicut in libro Sapientiæ dicitur: Lassati sumus in via perditionis, ambulauimus vias difficiles. Et in Ecclesiaste: Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Spinæ igitur, vt ait Dominus, sunt voluptates huius vitæ, spinæ sunt diuitiæ, spinæ sunt sollicitudines & curæ huius mortalis vitæ, spinæ sunt diuitiæ. Vnde in Euangelio: Sufficit diei malitia sua. Et iterum: Videte ne corda vestra grauentur crapula, & ebrietate, & curis huius seculi. Hæ sunt Gentes, de quibus Ieremias in Trenis ait: Habitauit inter Gentes, nec inuenit requiem. Et in Naum dicitur: Plures fecisti negotiationes tuas, quàm sint stellæ cœli. Et Ecclesiastes: Fecit Dominus hominem rectum, & ipse se immiscuit infinitis quæstionibus. Talibus diabolus ait: Incuruare & transeamus. Incuruantur enim à terrena, & amplexantur diuitiarum stercora, variis curis affliguntur, & immundis voluptatibus inuoluuntur, & idcirco semen verbi Dei in cordibus eorum suffocatur. In terram bonam semen cadit, & ortum, facit fructum centuplum in his, scilicet, qui corde bono, quantum ad mediocres, & optimo, quantum ad perfectos, audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia. Omnis enim virtus, vidua est & inanis, quam non patientia firmat, quæ custos est omnium virtutum. De his autem Dominus ait: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. De hac terra dicitur in Genesi: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, deditque illi de rore cœli per contemplatiuam, & de pinguedine terræ per actiuam abundantiam. De qua Apostolus ad Hebræos: Terra sæpè venientem super se, bibens imbrem & germinãs herbam oportunam, illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Excolatur igitur hæc terra diligenter, vt benedictionẽ à Domino recipiat. Copiosa enim benedictio & fructus, vbertas vniuersum laborem recompensabunt. Reddet enim Dominus mercedem laborum sanctorum suorum: nec sunt condigni labores huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in illis. Sit igitur agricola studiosus & sollicitus, manè surgat, manè seminet semen

*Iob 20.* *Item 19.*

*De semine cadente supra petram.*

*Leuit. 13* *Item 2.* *Isaiæ 64.*

*Matth. 8.* *Lucæ 6.*

*Ezech. 33.*

*Iaco. 1.*

*Matth 11.* *Lucæ 7.*

*Alia expositio de semine cadente supra petram.*

*Iere. 1.* *Iob 41.* *Parab. 28.* *Ezech. 36.*

*De semine cadente inter spinas.*

*De spinis & aculeis diuitiarum.*

*De spinis carnalis voluptatis.*

*Iob 30.* *Rom. 1.* *Sapien. 5.*

*Eccle. 10.*

*De tribus generibus spinarum.*

*Matth. 7.* *Lucæ 22.*

*De sollicitudinibus huius vitæ.*

*Tren. 1.* *Naum 3.* *Eccle. 7.* *Isaiæ 51.* *Tren. 4.*

*De semine cadente in terram bonam.*

*Lucæ 11.* *Gene. 27.*

*Heb. 5.*

*Tertiũ quod agricola mane surgere debet.*

*Sap. 10.* *Rom. 8.*

semen suum, secundum consilium Salomonis: Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum. Surgat igitur manè, vt dicere possit cum Propheta: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. Iustus enim cor suum tradidit ad vigilandum diluculo. Et sponsus in Canticis ait: Manè surgamus ad vineas. Non sit igitur vanum ei surgere ante lucem, & prævenire Solem ad benedictionem. Agricola enim, vt prædictum est, manè surgit. Agricola vilibus induitur, iuxta consilium Sapientis in Ecclesiastico: In vestitu ne glorieris vnquam, & in die honoris tui extollaris. Et Propheta: Posui vestimentum meum cilicium. Vnde B. Iob: In nidulo meo moriar. Nidus enim asper & incultus est exterius, interius autem suauis. Altare enim de lapidibus non politis præcepit Dominus fieri sibi. Et de Ioanne dicitur, quod habebat vestimentum de pilis camelorum, & inde à Domino commendatur. Econtrà diues iste, qui epulabatur quotidie splendidè, reprehenditur, quia induebatur purpura & byssо. Dominus enim natus, mox pannis vilibus est inuolutus: & Ioannes vidit Solem indutum sacco cilicino: & Dominus primis parentibus fecit tunicas pelliceas. Agricola boues iugo iungit, quod spiritualiter spectat ad summum Agricolam, qui tanquam colonus venit in terram, vt ait Ieremias, & tot habet boues, quot Prælatos, in agro Ecclesiæ laborantes. De quibus dicitur in Iob: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, id est, simplices, & rudes populi. Principales autem & fortiores boues erant duodecim Apostoli, qui significantur per duodecim boues æreos, qui sustinebant luterem æneum ante fores templi Salomonis. Luter in quo abluebantur Sacerdotes, diuinam scripturam significat. De his bobus dicitur in Parabolis: Vbi boues non sunt, præsepe vacuum est. Vbi enim Prædicatores desunt, corda subditorum à bonis spiritualibus vacua sunt. Dicuntur autem Prælati boues, quia fortes, quia ruminant, dum in lege Domini meditantur die ac nocte, quia findunt vngulam per discretionem & duplicem charitatem Dei, & proximi, & vtrumque testamentum recipiunt. Quia terram arant, id est, terrenorum corda vomere prædicationis scindunt, quia iugo premiuntur, sicut dicit Dominus in Euangelio: Tollite iugum meum super vos. Et Ieremias: Bonum est viro cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia. Quia loris disciplinæ ad præsepe Domini ligantur. Quia paleam comedunt, id est, scripturam, vel grossa & non delicata cibaria, quod præcipuè pertinet ad eos, qui granum conferunt pauperibus & hospitibus, sicut Cistercienses paleam, id est, grossa cibaria sibi retinentes. Quia immolantur carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigentes. Quia firmiter pedem figunt, ne labantur firmi, scilicet, in fide & recti corde, sicut de sanctis animalibus Ezechiël ait: Pedes eorum, pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli. Et quia cornibus duorum testamentorum ventilant hæreticos & inimicos CHRISTI, quæ cornua in manibus eorum sunt, quia diuinas scripturas opere adimplent. De CHRISTO autem, qui fuit bos immaculatus pro nobis, sumptus ex armento Patriarcharum, spiritualiter dicitur cornua in manibus eius. Fuit enim bos cornutus, non solùm propter duplicem naturam, sed quia cornua crucis in manibus habuit. Hic igitur agricola boues iugo iungit, vnde & binos misit ante faciem suam, propter concordiam, & dilectionem, & duo præcepta charitatis. Alij etiam agricolæ, id est, Prælati Ecclesiæ, boues, id est, fortia opera & exteriores actiones, sub iugo Domini iungunt, dum opera eorum in vnum conueniunt, & ad Deum referuntur, coniuncta in fide & charitate. Alioquin non placerent Deo sine fide, quæ per dilectionem operatur. De his bobus in Deuteronomio dicitur: Non operaberis in primogenito bouis, id est, exterioris actionis primodia, in exercitio publicæ actionis, non ostendens, propter humanum fauorem. Agricola stimulo boues pungit, verbis, scilicet, diuinæ scripturæ. De quibus Salomon ait in Ecclesiaste: Verba sapientis quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. De hoc stimulo dicitur in primo Regum, quod faber ferrarius non inueniebatur in tota terra Israël: Philistæi enim cauerant, ne facerent Hebræis gladium, aut lanceam, & retunsæ erant acies vomerum & ligonum vsque ad stimulum corrigendum. Philistæi enim, id est, dæmones, pro posse laborant, ne sit faber ferrarius, id est, prædicator in Ecclesia Dei, & quod lanceæ & stimuli retundantur, ne boues stimulentur. De hoc stimulo dicitur in Ecclesiast. Qui tenet aratrum, & qui gloriantur in iaculo stimulo boues agitat, boues, scilicet, illos, de quibus iterum in Ecclesiastico dicitur: De stercore boum lapidatus est piger, id est, opprobriis & increpationibus Prælatorum, vel stercora boum dicuntur transitoria, quæ sancti tanquam stercora reputant, pro quorum illicita concupiscentia lapidabitur piger, quia spiritualibus otio torpet. Agricola tempestate aëris non abigitur, quia aduersitatibus non cedit Prælatus. Aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam, sicut dicitur in Canticis. Et in Psalmis: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Et in Parabolis: Fugit impius nemine persequente, iustus autem confidens, quasi leo, absque terrore erit. Econtrà de tumidis Prælatis, qui non sunt boues Domini, sed vaccæ diaboli, dicitur in Ecclesiaste: Qui obseruat ventum, non seminat: qui considerat nubes, non metet. Vento enim tentationum, & nubibus aduersitatum exterriti, à bono opere cessant. Agricola post laborem diurnum, in vespere domum reuertitur. Postquam enim exiit, ad actiuam debet reuerti contemplatiuam, vt ingrediatur tabernaculum cum Moyse, & à concubitu Lyæ transeat ad amplexus Rachelis. Reuerti etiam debet ad domum conscientiæ, vt nō tantùm intendat aliis, quod vacet sibi,

*Eccle.xl.* *Parab.24.* *Eccle.19.* *Cant.7.* *Sap.16.* *Quartū, quod agricola vilibus induitur.* *Iob 29.* *Exod.20.* *Matth.3.* *Mar.1.* *Luc. 4.* *Item 16.* *Item 2.* *Apoc.6.* *Gene.3.* *Quintū, quod agricola boues iugo iungit.* *Iere.14.* *Iob 1.* *3.Reg.7.* *Parab.14.* *Leuit.11.* *Matth.10.* *Tren.3.* *Gala.5.* *Ezech.1.* *Abacuc 2.* *Luc. 10.* *Heb. 11.* *Gala.6.* *Deut.15.* *Sextum, quod agricola stimulo boues pungit.* *Eccle 11.* *1.Reg.13.* *Eccle.38.* *Item 22.* *Cant.8.* *Septimum, quod agricola tempestate aëris non abigitur.* *Parab.28.* *Eccle.11.* *Octauū, quod agricola post laborem diurnum vespere domum reuertitur.* *Num.6.* *Gene.28.*

*Ezech.1.*

nec ab aliis habeatur, quod seipsum non habeat. Hoc est quod in Ezechiële dicitur: Animalia ibant & reuertebantur. Ibant aliis prouidendo, reuertebantur sibi vacando, & conscientias perscrutando. Hoc est quod ait Apostolus: Siue excedimus, excedimus Deo: siue sobrij

*2. Cor. 5.*
*Iob 38.*

sumus vobis, scilicet, condescendendo vobis per actiuam. Et Iob: Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, assumus? Fulgura dicuntur sancti Prædicatores, propter terrorem comminationum, & choruscationem doctrinæ, & miraculorum, qui postquam mittuntur ad conscientiam, reuertuntur, & ad illum, qui misit eos, omnia opera sua referentes ad ipsum. Agricola à nociuis agrum purgat, sicut in Ieremia dicitur: Nouate vobis

*Nonum quod agricola à nociuis agrum purgat.*
*Ierem. 44.*
*Item 1. Eccle. 3.*

nouale, & nolite serere super spinas. Et Ieremiæ Dominus dicit: Constitui te super Gentes, vt euellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Priùs enim euellenda sunt mala, & postmodum bona plantanda. Iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum. Et in Ecclesiaste: Tempus plantandi, scilicet, bona, & tempus euellendi, quod plantatum est à diabolo, scilicet, mala. Agricola terram stercorat & impinguat, sicut in Euangelio dicitur de

*Decimũ quod agricola terram stercorat et impinguat.*
*Lucæ 13.*
*Eccle. 22.*

ficulnea sterili: Domine, dimitte illam etiam hoc anno, vsque dum fodiam contra illam, & mittam stercora. Et in Ecclesiastico dicitur: In lapide luteo lapidatus est piger, id est, duris increpationibus improperant. Stercora etiam dicuntur diuitiæ, quas sancti tanquam stercora reputant, quæ congregatæ fœtent, dispersæ fœcundant. Quibus Prælati agrum stercorant & impinguant, dum eas pro Christo erogant. Iuxta illud: Dispersit, dedit pauperibus. Agricola

*Vndecimum quod agricola terram euertit & arat.*
*Isaiæ 2.*
*Micheæ. 3.*
*Eccle. 6.*

terram euertit & arat, dum corda auditorũ vomere prædicationis scindit & penetrat. Et Isaias: Et conflabunt gladios suos in vomeres. Quod fit, quando igne spiritus sancti, gladio verbi Dei, tanquam vomere spirituali, exarantur corda subditorum. Et in Michea dicitur: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in ligones. Et in Ecclesiastico dicitur: Fili à iuuentute tua accipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam, quasi qui arat, & qui seminat accedet eam. Debet igitur terram euertere, vt pars prima rationis, quæ deprimebatur, sursum eleuetur, & inferior pars, scilicet, sensualitas, deorsum reuertatur, sicut dicitur in Pa-

*Parab. 11.*
*Duodecimum quod agricola rectum sulcum facit.*
*Titum 1.*
*Iudic. 15.*
*Lucæ 9.*
*Colo. 3.*
*Thess. 2.*
*Phil. 1.*

rabolis: Verte impios & non erunt, id est, non erunt impij. Hoc est quod dicitur in Ionæ: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Agricola rectum sulcum facit, quod fit quando verbum Dei prædicatur recta intentione, non terrena cupiditate, vel humano fauore, vel ex inuidia, & contentione. Non rectum sulcum, sed tortuosum faciebant illi, de quibus ait Apostolus ad Titum: Vniuersas domus subuertunt, docentes quando non oportet, turpis lucri causa. Hi sunt vulpeculæ tortuosæ incedentes, qui posita manu ad aratrum, retro aspiciunt, scilicet, ad temporalia, & ideò distortum sulcum faciunt. Vnde Apostolus ad Collossenses: Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu facite. Et iterum ad Tessalonicenses: Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo. Et ad

*De diuersitate prædicationum malarũ.*
*Decimum tertium quod agricola purum granum ad seminandum eligit.*
*Matth. 13.*
*1. Tim. 3.*

Philippenses ait: Quidam propter inuidiam & contentionem, quidam propter bonam voluntatem Christum prædicant. Cùm igitur quædam prædicatio quæstuosa, alia vana & superba, alia curiosa & stulta, alia subdola & hæretica, alia contumeliosa & contentiosa, alia scandalis plena, quando, scilicet, vita prædicatoris, omnes huiusmodi prædicatores non rectum sulcum faciunt, sed distortum. Agricola purum granum ad seminandum eligit, non superseminans zizania, non falsa veris admiscens, sicut faciunt hæretici & mercenarij prædicatores. De quibus

*Decimumquartũ quod agricola ante se, & in diuersis locis semen spargit.*
*Parab. 13.*
*2. Paral. 4.*

Isaias ait: Caupones tui miscent aquam vino. Et Apostolus ad Timotheum: In nouissimis diebus descendent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi, loquentium mendacium. Agricola ante se & in diuersis locis semen spargit, qui incautè loquitur, non attendens qualitates & circunstantias personarum. Non enim omnibus morbis vna competit medicina. Vnde in Parabolis: Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem consideratus est ad loquendum, sentiet mala. Et in Psalm. Ascendunt montes & descendunt campi, quia pro modulo auditorum est prædicandum. Non enim omnia omnibus, sed diuersa diuersis dicenda sunt. Non in vno loco totum semen spergendũ est. In templo

*De diuersitate bonarum prædicationũ.*
*Decimũquintum quod agricola in terram seminatã semen non proiicit.*
*Eccle. 7.*
*Item 32.*
*Iob 12.*
*Item 13.*
*Rom. 15.*
*Parab. 10.*

enim Domini erant acetabula, phialæ & cyathi, id est, mordax increpatio, larga prædicatio, & minor, secundum diuersitatẽ auditorum, temporũ, & locorum. Agricola in terram seminatam semen suum non proiicit. Hoc est quod in Eccles. dicitur: Noli verbosus esse in multitudine presbyterorũ. Et iterũ: Loqui in medio Magnatorũ non præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris. Docere enim doctos arrogãtia & pręsumptio est. Vnde Iob ad verbosos amicos suos: Non inferior vobis sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignorat? Et iterũ: Secundum scientiam vestram & ego noui, nec inferior vestri sum. Et ad Romanos: Sic prædicaui Euãgelium hoc, non vbi nominatus est Christus, nec super alienũ fundamentum ædificare. Agricola semen

*Decimumsextum quod agricola semen operit.*
*Matth. 13.*
*Num. 4.*
*Parab. 21.*

operit. Sapientes enim, vt ait Salomon, abscondunt scientiam, ne indignis arcana reuelent. Et Dominus in parabolis loquebatur: Simile est regnum cœlorum, id est, diuina scriptura, thezauro abscondito in agro. Et in Psalmo dicitur: Tenebrosa aqua in nubibus aëris, id est, obscura sunt verba in sanctis scripturis, vnde & omnia vasa tabernaculi operiebantur à sacerdotibus, ne nuda viderentur vel portarentur. Sicut ait Dominus in Numero: Omnia vasa, quibus ministrantur, in sanctuario inuoluent. Et paulò pòst: Tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & non tangant vasa sanctuarij, ne moriantur. Hoc est quod in Parabolis dicitur: Gloria Dei est, celare verbum: gloria Regum, inuestigare sermonem, id est, virorum spiritualium.

Semen

Semen præterea non operiunt, qui loquuntur, vt appareant & scientiam suam ostentent. Quicquid autem ab eis magno labore congregatur, vento elationis & vanæ gloriæ exsufflatur. Agricola rastro terram æquat. Sine acceptione enim personarum prædicandum est verbum Dei. Vnde Apostolus ad Thessalonicenses: Non enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis. Et in Psalmo: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et in Euangelio: Sinite mortuos sepelire mortuos suos, scilicet per adulationem, quando laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur, magis diligentes fraudulenta oscula odientis, quàm verba diligentis, dicentes: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Contra quos in Exodo dicitur: Ponat vir gladium super fœmur suum. Ite & redite à porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem suum, amicum, & proximum. Gladium verbi Dei ponat Prælatus super fœmur suum, resecando carnalia desideria, transeat de porta ad portam, de peccato in peccatum increpando. Porta enim mortis est peccatū. Per mediū castrorū transeat, non declinando ad dexterā neq; ad sinistrā per acceptionē personarū, sed gladio verbi Dei interficiat quoscunq; sibi propinquos, nulli parcens, sed sanguinem peccatorum effundens. Agricola fossato vel sepibus contra malas bestias agrum claudit, & Prælatus præmunire debet auditores contra insidias diaboli. Vnde in Ecclesiastico: Vbi non est sepes, diripietur possessio. Et in Ecclesiaste: Qui dissipat semen, mordebit eum coluber, id est, diabolus. Fossis igitur humilitatis, sepibus & muris patientiæ, & aliarum virtutum munienda sunt corda auditorum. Vnde in Parabolis: Per agrum pigri transiui, & ecce omnia lapidum destructa erat. Et in Psalmo: Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Agricola signa quædam, quibus terreantur aues, in agro ponit. Signo enim crucis, & virtute Dominicæ orationis debet dæmones abiicere, & frequenter exhortationi suæ debet orationis inserere, & verba passionis Christi, quibus dæmones valde confunduntur. De hoc signo dicit Isaias: Planum facite iter, eligite lapides, scilicet, peccato remouendo, leuate signum ad populum. Et in Ezechiële: Signa Thau super frontem virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis. Hoc igitur signo, importunas aues, id est, malignos spiritus, in sacrificio nostro cum Abraham debemus abigere, vt non noceant terræ, & mari, nec arboribus, quousque signati sunt serui Dei in frontibus eorum, qui hoc signo ab aliis discernuntur. Agricola semen iactum patienter expectat. Non enim desistere debet, vel desperare Prædicator, si non possit citò peccatores conuertere, sed instet oportunè, importunè. Verbum enim Domini nunquam reuertetur vacuum, si non inueniat filium pacis, pax eius reuertetur ad ipsum, & in fine nihilominus consequetur æternum præmium ab illo, qui magis pensat affectum quàm effectum. Vnde Iacobus in Epistola canonica: Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temperaneum & serotinum. Non igitur deficiat agricola, vel fatigetur in prædicatione, & expectatione. Lapides enim excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur, sicut dicitur in Iob: Sicut igitur gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo, ita continua exhortatione, corda dura penetrantur, & terrenitas paulatim consumitur. Si ergo prædicto modo spiritualis agricola diligenter excolat agrum suum, dabit fructum suum in tempore suo: fructum trigesimum in coniugatis, sexagesimum in viduis, centesimum in virginibus, & martyribus, & in viris perfectis, qui omnia pro CHRISTO reliquerunt. Centenarius enim numerus est perfectus, & ita qui seminant in hoc præsenti tempore in lachrymis, in exultatione metent. Nec apparebunt vacui in conspectu Dei sui, sed venientes, venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Vos igitur fratres charissimi, sicut exeunt Prælati seminare semen suum, semen, scilicet, verbi Dei, ita & vos modo vestro exeatis seminare semen fructuosæ locutionis, & bonæ operationis, semen eleëmosynæ, & operum misericordiæ. Exeatis, non sicut coruus, qui de arca egressus est, & illectus cadauere, non est reuersus ad eum, qui misit eum, sed more Hebræorum exeatis de Ægypto tenebrarum & vitiorum, de carcere Pharaonis, vt iam non in luto luxuriæ, vel latere auaritiæ, vel palea superbiæ, ei de cætero seruiatis. Manè surgatis, expulsis tenebris peccatorum, & orta luce gratiæ, seminetis semen vestrum, alioquin vanum est vobis ante lucem surgere, nec erit semen vestrum, sed alienum, si à peccato mortali fuerit absorptum, vt merces vestras inutiliter congregatas mittatis in pertusum saccum. Induimini vilibus per abiectionem & humilitatem, & pœnitentiæ asperitatem. Boues vestros, corpus, scilicet, & animam, sub iugo Domini coniungatis, vt concorditer Deo seruiant. Sicut scriptum est: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Stimulo verò boues pungatis, stimuletis carnis iumentum asperitate laboris, ne recalcitret: stimuletis corda vestra aculeo contritionis, & timore gehennæ, ne langueant. Attendite diligenter naturam terræ, & agri qualitatem. Scriptum est enim in Ecclesiastico: Si benè feceris, scito cui feceris. Non seminetis opera misericordiæ secus viam tritam. Nolite tuba canere ante vos, cùm facitis eleëmosynam, nesciat sinistra quid faciat dextra. Melius est seminare extra viam in secessu, vt confundia cum improbitate, nihil aliud faciunt quàm mendicare. Nolite inter spinas seminare,

*Actuum 10.*
*Iacob 2.*
*2. Thess. 2.*
*Decimumseptimum quod agricola rastro terram æquat.*
*Matth. 8.*
*Luce 9.*
*Parab. 27.*
*Isaiæ 30.*
*Exod. 32.*
*Decimumoctauū quod agricola fossis agrū claudit.*
*Eccle. 36.*
*Eccle. 10.*
*Parab. 24.*
*Decimumnonū quod agricola ponit signa ad terrendum aues.*
*Isaiæ 62.*
*Ezech. 9.*
*Gene. 15.*
*Apoc. 7.*
*Vigesimum quod agricola patienter expectat semen. 2. Tim. 3.*
*Iacob 4.*
*Iob 14.*
*De triplici fructu. Matth. 4.*
*Exod. 23.*
*Circuitio cum moralis recapitulatio, scilicet, de semine bonorum operum.*
*Qualiter seminanda sunt bona opera. Aggei 1.*
*Eccle. 12.*
*Luce 8.*
*Luce 2.*
*Iere. 4.*

sed desudet eleëmosyna in manu vestra, donec inueniatis iustos & bonos pauperes, quibus eleëmosynas erogatis, qui proximi vestri erunt in iudicio. Scriptum est enim in Ecclesiastico: Da bono, & non receperis peccatorẽ, in eo, scilicet, quod peccator. Non seminemus supra petram. Qui enim ingratis & obstinatis eleëmosynam tribuunt, & recte & meritum perdunt. Tales sunt histriones, quibus dare nihil aliud est, quàm dæmonibus sacrificare, & littus arare, & semen suum in sabulo spergere. Ipsi enim otiosi sunt, steriles, & infructuosi. Non igitur seminemus in sabulo, non seminemus in luto, non erogemus eleëmosynas immundis & luxuriosis, ne demus eis misericordiam luxuriandi. Agrum nostrum à nociuis purgemus, vt non tribuamus ad superfluitatem, sed ad necessitatem. Rectum sulcum faciamus, vt bona nostra tantum ad Deum referamus. Semen nostrum electum sit, & purum granum seminis. Immolantis enim ex iniquo, iniqua est oblatio. Non post tergum, sed ante faciem nostram semen proiiciamus, vt vita nostra, bona nostra pauperibus erogemus, hoc enim magis est meritorium, quàm post tergum, in morte, scilicet, seminare, quando nos non nostra relinquimus, sed ipsa relinquunt nos, nec ea possumus nobiscum deferre. In terram seminatam non superseminemus. Diuitibus enim dare nihil aliud est, quàm ebrio potum propinare. In diuersis locis seminemus, non solùm familiaribus nostris vel propinquis, sed extraneis & peregrinis, à quibus nullam expectamus remunerationem. Leprosis, pauperibus religiosis, quæ omnia pro proximo reliquerunt hospitalibus, in quibus Christi membra requiescunt, & in aliis locis & personis indigentibus, bona nostra tribuamus. Semen nostrum operiamus, vt non ad oculum hominum bona nostra faciamus. Agrum nostrum fossato humilitatis claudamus, vt cùm omnia benè fecerimus, non inde arroganter gloriemur, sed dicamus, quando serui inutiles sumus. Tempestate aëris non abiiciamur, non timore paupertatis, vel aliqua aduersitate ab operibus misericordiæ torpeamus. Semen iactum patienter expectemus, vt præmium nostrum in hoc seculo pro bonis nostris curemus recipere. Hæreditas enim ad quam festinamur in principio, in fine benedictione carebit, sed in Autumno æternæ retributionis, in plenitudine temporis, in tempore plenitudinis, quando fidelis Agricola in vespere post diurnum laborem in domum suam reuertetur, vt manducet panem in regno cœlorum, & sedebit ad mensam diuitis delitiis affluens, vt sicut adipe & pinguedine replebitur eius anima in fine. Præstante Domino, &c.

*Eccle. 12. Luc. 8.*

*Eccle. 34.*

*Luc. 19.*

*Parab. 20.*

*Luc. 14. Cant. 3.*

## DOMINICA IN QVINQVAGESIMA
### THEMA DE INTROITV MISSAE, sumptum ex Psalmo.

*Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias, quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me.*

*Psal. 30. & 70.*

POST officium Septuagesimæ, quod repræsentat tempus culpæ & pœnæ, & maximæ illud, quod fuit ab Adam vsque ad Noë, & officium Sexagesimæ, quod est supplicationis, & clamoris, sicut prædictum est, & repræsentat tempus, quod fuit à Noë vsque ad Abraham, sequitur in hodierna Dominica officium Quinquagesimæ, quod repræsentat principaliter tempus, quod fuit ab Abraham vsque ad Moysen, quando mundus cæcus erat, nondum recepta luce, quem Dominus ex parte illuminauit, legem conferendo. Vnde in hodierno Euangelio legitur de cæco illuminato, & in Epistola de charitate, per quam fit animarum illuminatio. Terminatur autem hæc Quinquagesima in die resurrectionis. Tunc enim quasi in anno iubileo, hi qui hæreditatem amiserant, per CHRISTI mortem ad ipsam reuertuntur, quod signatur per numerum quinquagenarium, quæ requiem in lege adumbrat. Qui autem quinque sensus cum Decalogo in Dei obsequio seruauerit, ad ipsam libertatem reuertetur, quod figuratur per numerum quinquagenarium, cuius partes multiplicatiuæ sunt quinque & decem. Est autem hoc tempus satisfactionis, & remissionis, & quoniam pœnitentibus varia occurrunt impedimenta, diabolus enim derelectus surgit in scandala, hinc clamat Ecclesia pro filiis suis: Esto mihi in Deum protectorem. Petit autem principaliter quatuor à Domino, Protectionem in die belli, Refugium in tempore pacis, vt, scilicet, sit ei Dominus firmamentum in bello & actione, refugium in quiete. Petit præterea ducatum contra pericula viæ, & nutrimentum, ne deficiat in via: vnde & subiungit: Dux mihi eris, & enutries me. Attendens igitur homo fragilitatem suam, quia caro est, spiritus vadens & non rediens, attendens hostis, cum quo pugnat, fortitudinem, quia spiritus est, nec est potestas super terram, quæ ei comparatur, qui factus est, vt nullum timeret. Sicut dicitur in Iob: Expauescens prætera multitudinem hostium supra se, infra se, iuxta se. Supra se diabolum, infra se corpus, iuxta se mundum. Omnes autem contra se, clamat ad Deum, qui est ciuitas refugij, & turris fortitudinis à facie inimici, eripiens inopem de manu fortiorum eius, qui solus fortis est & potens in prælio, cuius potentiæ nemo resistit, qui protegit & saluat sperantes

*De triplici officio, triplicis temporis.*

*Mysterium de quinquagesima. Leuit. 25.*

*De quadruplici petitione.*

*De diuina protectione.*

*Iob 41.*

sperantes in se : sicut dicitur in Exodo : Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Non enim murmurare debet qui est in prelio, aut acie constitutus, si aliquādo vnum suscipit ictum. Et Isaias ait: Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Ipse enim est murus, & antemurale per diuinitatem & humanitatem, & propugnator ad saluandum. Et iterum: Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. De quo in Psalmo dicitur: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Et in Deuteronomio dicitur: Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis sunt. Et in Leuitico: Cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Clamat igitur ad Dominum, dicēs: Esto mihi in Deum protectorē. Quasi diceret: Qui tribulant me Domine, exultabunt, si motus fuero, ego autem in misericordia tua speraui, qui nō permittit hominem tentari supra id quod possit. Qui dixisti: Inimicus ero inimicis tuis. Et iterum: Obumbrasti super caput meum in die belli. Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt. Alæ Domini sunt misericordia, amicos protegens, & iustitia inimicos deiiciens. Vel quia ex obscuro & lucido corpore vmbra prouenit, ex Sole diuinitatis, & nube humanitatis, petit sibi exhiberi contra feruorem tentationis vmbram refrigerij. Hęc est columna nubis, quę præcedebat filios Israël in deserto, de qua Isaias ait: Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & sicut riui aquarum in siti, & sicut vmbra petrę prominentis in terra deserta. A vento enim & turbine tentationum abscondimur, & refrigeramur in deserto huius peregrinationis. Vmbra petræ prominentis, id est, Christi protegentis: Et rursus Isaias ait: Cùm transieris per aquas, tecum ero, cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Hoc est quod in Psalmo dicitur. Transiuimus per ignem & aquam: & induxisti nos in refrigerium, per molestias siquidem aduersitatis, & blandimenta prosperitatis. Per diem sol non vret te, hoc est prosperitas blandiens atque alliciens, nec luna per noctem, id est, aduersitas molestans, quæ per noctem designatur. Ipse enim tanquam terebinthus expandit ramos suos contra solem vrentem per diem. In nocte verò est quasi columna ignis, illuminans nos, & docens manus nostras ad prælium : De quo prælio dicitur in Iob : Chaldæi secerunt tres turmas & inuaserunt camelos. Chaldęi qui interpretantur feroces, id est, dęmones, contra nos tres exercitus instaurant. Primum exercitum ducit mundus tanquam signifer eius, habens sub se duos capitaneos, superbiam & auaritiam. Secundum ducit caro, habens sub se duos capitaneos, gastrimargiam & luxuriam. Tertium ducit ipse diabolus, habens sub se tres capitaneos: inuidiam, iram & acediam. In castris superbię, est gens elata, inanis, & inflāta, quæ sunt inanis gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, arrogantia, singularitas, nouitatum præsumptio, & his similia. Hæ gentes tela habēt agilia & quasi arundinea. In castris auaritiæ, est gens impia & violenta, quæ sunt furta, rapina, vsura, dolus, mendacia, periurium, proditio, sollicitudo superflua, symonia & his similia. Hę gētes habent tela recurua & attrahentia. In castris Nabuzardan, in castris, scilicet, gastrimargiæ, est gens sordida, & immunda, quæ sunt: Ebrietas, crapula, hebetatio sensus, multiloquium, scurrilitas, inepta lętitia, immunditia & similia. In castris luxuriæ est gēs fœtida, & obscœna, fornicatio, adulterium, incestus, vitium contra naturam, sacrilegium, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, desperatio futuri, & similia. Hæ gentes habēt sagittas sulphureas, in summitate mellitas. In castris dioboli est gens iniqua, crudelis & malitiosa. Sub inuidia enim militant, exultatio in aduersis, tristitia in prosperis, detractio, murmuratio, susurratio, rancor, suspicio, accusatio, & similia. Sub ira militant rixæ, contumeliæ, indignatio, clamor, blasphemiæ, lites, odia, homicidia, & consimilia. Sub acedia militant, tristitia, obduratio cordis, somnolentia, tędium boni operis, inutiles cogitationes, pusillanimitas, impœnitentia, ignorantia, torpor, curiositas, ocium, euagatio, dissolutio, & similia. Hæ gentes habent spicula ignea, acuta, & felle toxicata. Clamat ergo ad Dominum anxius & trepidus homo, & in periculis innumeris constitutus. Esto mihi in Deum protectorem, apprehende arma & scutum & exurge in adiutorium mihi, Arma & scutum, id est, corpus humanum apprehēdit Dominus, vt pugnaret contra dialolum. Opposuit manus & pedes & latus, vt in se reciperet vulnera, vt nos custodiret vt pupillā oculi, sicut ipse prædixerat per Zachariā Prophetā: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Vt enim pupillam oculi sui possit homo cōseruare, omnia membra sua non metuit opponere. Scutum Domini est bona eius voluntas, sufficit pugnanti gratia eius, sicut scriptum est: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Scutum eius est veritas, de qua scriptum est : Scuto circundabit te veritas eius, veritas in corde contra duplicitatem, in ore, contra falsitatem, in opere, contra vanitatem. Scutum Domini est ipsius verbum, sicut scriptum est in Prouerbiis : Sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se. Scutum Domini est fides, de quo Apostolus ait: In omnibus sumētes scutum fidei, in quo possitis omnia tela inimici ignea extinguere. Dicit ergo Christi miles: Esto mihi in Deum protectorem. Glorifica manum & brachium dextrum, extolle aduersarium, & afflige inimicum. Iuxta illud: Deiecisti eos, dum alleuarentur, Deus meus, pone illos vt rotam. Quoniam autem Deus noster refugium est & virtus, non solum virtus in prælio, sed refugium reuertentibus à bello: & eum qui venit ad se, non eicit foras, adhuc clamat & supplicat, dicens. Et in domum refugij vt saluum me facias, hoc est quod dicitur in Iob: Pone me iuxta te, &

*Exod. 14.* *Isaiæ 19.* *Isa. 26.* *Isa. 45* *Deut. 11.* *Leuit 26.* *1. Cor. 10.* *Exod. 23.* *De aliis Diuini. Num. 9.* *Isaiæ 32.* *Isaiæ 43.* *Eccle. 24.* *Iob. 1.* *De triplici exercitu diaboli.* *De castris superbiæ.* *De castris auaritiæ.* *De castris gulæ.* *De castris luxuriæ.* *De castris diaboli.* *De castris inuidiæ.* *De castris iræ.* *De castris accdiæ.* *Zach. 2.* *De multiplici scuto Domini Rom. 8.* *Prouer. 30.* *Ephe 6.* *Eccle. 35.* *De diuino refugio. Ioan. 6.* *Iob 17.*

*Isaiæ 3.* cuiusuis manus pugnet contra me. Et Isaias : Tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu &
*2. Cor. 10.* in securitatem & in absconsionem à turbine & à pluuia. Petra enim, id est, Christus refugium
est herinaciis, id est, spinosis peccatoribus, qui sunt in asperitate pœnitentię. Et lepusculus plebs
*Prouerb. 30.* inualida collocat cubile suum in Petra, sicut dicitur in Parabolis: Imminente enim diluuio, fu-
*Gene. 7.* giendum est ad hanc arcam, & contra infernales accipitres nidificandum est in summo fora-
*Iere 48.* mine petræ. Columba enim Christi habitat in cauerna maceriæ, & in foraminibus petræ, vt in
fide passionis euadat omnia pericula inimici, sicut scriptum est: Dominus protector vitæ meæ,
*Ioan. 6.* à quo trepidabo ? Et iterum : Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli
commorabitur. Vnde Petrus: Domine ad quem ibimus, verba æternæ vitæ habes? Iuxta illud:
Quid faciam miser, vbi fugiam nisi ad te Domine. Ipse est auxilium miseris, requies fessis, por-
*Dominus multiplici benignitate recipit ad se confugientes.* tus naufragis, hospitium peregrinis, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium, con-
ferens infirmis sanitatem, cęcis illuminationem, clausis apertionem, metuentibus securitatem,
indigentibus abundantiam, dubiis certitudinem, nudis vestimentum, esurientibus cibum, exu-
libus refugium. Vnde & in cruce brachia habuit extenta, vt omnes ad se venientes in amplexu
reciperet, sicut ipse ait, venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Ipse enim ędificauit
domum, misit ancillas, id est, suaues & humiles Apostolos, vt vocarent ad arcem & ad męnia
ciuitatis. Si quis est paruulus, veniat ad me, vbi enim ego sum, illic & minister meus erit. Vnam
ergo petamus à Domino vt inhabitemus in domo eius omnibus diebus vitę nostrę, beati enim
*De domo refugii.* qui habitant in domo tua Domine. Quoniam autem ipse est domus refugij, fugiamus ab
ipso ad ipsum, ab ipso irato ad ipsum placatum, à verberibus patris ad vbera & sinum matris,
ab eius iustitia ad eius misericordiam. Hæc est domus illa, quæ contra flumina & inundatio-
nes pluuiarum, contra ventos & spiritus procellarum benè fundata est supra firmam petram,
cuius fundamentum Christus est & Christi fides, parietes autę timor à dextris in prosperis, &
spes à sinistris in aduersis, vt in die malorum non simus immemores bonorum. Tectum autę
est charitas supereminens, quæ operit multitudinem peccatorum. Septem columnæ sunt se-
ptem dona spiritus sancti. Ostium humile, Christus, per quod nemo sano capite potest intrare
nisi se inclinauerit vt efficiatur sicut paruulus. Fenestrę domus, quinq; animæ sensus, per quos
extrinsecus intuemur, & cũ omni cautela custodire debemus, vt simus quasi columbę ad fene-
stras nostras, ne mors intret ad nos per ipsos. Ad hanc ergo domum cõfugiamus, huius domus
decorem diligamus, in hac domo humiliter conuersemur vt eligamus abiecti esse in domo
*De mala domo.* Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Mala enim sunt tabernacula, non
bona domus, de qua fumus, stillicidium & mala vxor eiiciunt. Fumus superbiæ, mala vxor
sensualitatis indomitæ, stillicidium suggestionis diabolicæ, quæ non permittunt peccatorem
quiescere in domo propriæ conscientiæ. Habitemus ergo in domo refugij, in qua clauso ostio
oremus patrem nostrum, qui videt in abscondito. In hac enim domo æquè gloriatur discin-
ctus in pace, sicut accinctus in bello. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Intrãs in domum meam,
conquiescam in illa. Hæc est domus refugij, infirmorum ad sanitatem, sauciatorum ad mede-
lam, in cuius stabulo verus Samaritanus infirmum custodiri præcepit, vt in eodem stabulo sua
stercora deponeret per confessionem, & fumo pœnitentię restitueretur sanitati. Ad hanc autem
domum non de se præsumentes, sed de Christi gratuita pietate confidens petit, vt ducatur, di-
cens: Propter nomen tuũ Domine dux mihi eris. Ipse enim est via, & viator, & viaticum, & co-
*De ductatu diuino.* mes iucundus in via & dux viæ. Deducit enim animam terribilis iudex ad carcerem vel ad
*De diuersis modis deducendi.* tribunal suum, vt territam purget per spiritum timoris. Ducit ad templum suum Deus verus,
vt in spiritu & veritate colatur per spiritum pietatis. Adducit auditorium suum magister bo-
nus ad apprehendendam disciplinã per spiritum scientię. Educit ad agrum suum Dominus, po-
tens ad exercitandum in operibus bonis per spiritum fortitudinis. Inducit in domum suam
magnus paterfamilias ad habitandum vnius moris in domo ecclesiæ per spiritum consilij. In-
troducit in cellaria sua Rex ditissimus ad scrutandas scripturas, & mystica quæque penetran-
da per spiritum intellectus. Perducit in cubiculum suum sponsus amantissimus, ad fruendum
*De diuersis Domini habitaculis.* gratissima sua præsentia per spiritum sapiętię. Ipse enim est iudex in prætorio, Sacerdos in tem
plo, Magister in auditorio, Dominus potens in prælio, paterfamilias in domo, Rex diues &
abundans in cellario scripturarum, sponsus in cubiculo, amicus in thalamo, puer in præsepio, re
demptor in patibulo, quies in sepulchro, Rex in throno, Deus in cœlo. Quoniam infinita sunt
pericula in via, sicut scriptum est: in via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mi-
hi. Et Iob ait: Abscondita est in terra pedica eius & decipula super semitam: latrones enim via-
*De via ad Deum & impedimentis viæ.* toribus insidiantur, iuxta iter scandalum & laqueos ponendo: sicut petiit protectionem in bel-
lo & refugium in domo, & in via ducatũ petit ab eo, qui deducit velut ouem Ioseph, vt possit
dicere cum Propheta: Tenuisti manum dexteram meam, & in volũtate tua deduxisti me, ardua
est via, dux mihi eris, alas tribuendo, longa est via, dux mihi eris, longanimitatem conferendo,
Angusta est via, dux mihi eris, gibbum cameli auferendo. Difficilis est via, dux mihi eris fortitu-
dinem & patientiam ministrando, periculosa est via, dux mihi eris discretionem prębendo,
docendo me per Prophetam dicentem : Hæc est via, ambulate in ea, non declinetis ad dextera-
ram, nec ad sinistram. Tenebrosa est & lubrica huius seculi via, dux mihi eris, lumen prębendo,
*Ioan. 8.* Qui enim sequitur te, non ambulat in tenebris. Spiritus tuus bonus deducet me in terram re-
ctam. No-

ctam. Notã facies mihi viã in qua ambulẽ, in qua gradiar, firmabis super me oculos tuos. Prę- cedes me in colũna nubis & ignis. Tu dixisti per Prophetam: Viã facite, prębete iter, declina te de semita, auferte offendicula populi mei. Igitur propter nomen tuum dux mihi eris. Non solum autem duces per viam, sed enutries me ne deficiam in via, vt post diurnum laborem in mensã tua cibum capiam. Domine qui pascis me à iuuentute mea, in loco pascuę ibi me col- locabis, & adipe frumẽti satias me, vt comedam hircos cum medulla tritici, id est, opera miseri- cordiæ. Lactucas agrestes cum corpore Christi. Facies mihi in monte tuo conuiuiũ pinguium medullatorum, conuiuium vindemiæ defecatæ, vt edam pinguedinem humanitatis cum me- dulla diuinitatis, in terra fluente lac & mel, & bibam vindemiam defecatam, puri & pretiosi sanguinis tui. Tu enim dedisti filiis Israël carnes in vespere mundi, & manna in mane, effuga- tis tenebris malitię, & illucescente luce gratiæ. Butyrum enim & mel comedet, vt ait Isaias: omnis qui relictus fuerit in medio terræ, butyrum humanitatis & mel diuinitatis, vt sint pin- gues sibi & dulces aliis. Enutries me pane filiorum, qui non est dandus canibus. Paratum est prandium, mysterium incarnationis impletum est. Tauri & altilia occisa sunt sancti, scilicet, actiui & contemplatiui, quorum reficimur exemplis. Dominus est nutrix nostra: sicut ipse per Prophetam ait: Ego nutritius Effraim, in brachiis meis portabo illum. Et Isaias: ad vbera por- tabimini & super genua blandietur vobis. Nutrix enim puerum lactat, custodit, diligit, portat, dulciter tractat, osculatur, eius infirmitates sustinet, à fletu, minis & promissis cõpescit, amplexa tur ire, & loqui docet, quocunque pergit, illuc oculum dirigit, aliquãdo permittit cadere, vt te- neat casurum, irata miseretur, lachrymãtem & offensum reuocat, oculos tergit, in sinum leuat, cibos præmãdit. Lactat nos Dominus, sicut dicitur in Ozee: Lactabo eam & adducam in soli- tudinem, & loquitur ad cor eius. Custodit, sicut scriptum est: Dominus custodit te, Dominus protectio tua. Diligit, vnde Ozee: Diligam eos spontaneè. Portat, vnde Isaias: vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos portabo, ego feci & ego feram. Dulciter tractat, quia suauis Dominus vniuersis. Vnde Isaias: Calamum quassatum non conteret, & linum fumi- gans non extinguet. Osculatur, vnde in Euangelio prodigo filio reuertenti occurrens ceci- dit pater super collum eius, & osculatus est eum. Eius infirmitates sustinet. Vnde Isaias. Ve- rè languores nostros ipse tulit. Et Apostolus: Non habemus Pontificẽ, qui non possit compati infirmitatibus nostris. A fletu, minis & promissis compescit. Vnde Isaias: Quomodo si cui mater blandiatur, & ego cõsolabor vos. Et in Parabolis: Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo, bibant & obliuiscantur egestatis suæ. Inebriat enim Dominus animas vt obliuiscãtur dolores huius seculi, & gaudeant in Domino. Vnde Isaias: Spiritus Do- mini super me, vt darẽ eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu. Amplexatur paruu- lum. Vnde in Cãticis: Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Ire, & lo- qui docet. Vnde in Euãgelio: Dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Et Isaias: Lingua bal borum velociter loquetur. Et in Psalmo: Statuit supra petram gressus meos. Quocunque per- git, illuc oculũ dirigit. Iuxta illud: In via hac, qua gradieris firmabo super te oculos meos. Per- mittit cadere, vt teneat casurum. Iuxta illud: Cùm ceciderit iustus, non collidetur, quia Domi- nus supponit manum suam. Vnde prostrauit Saulum: sed subleuauit Paulum. Et Petrus nega- uit, vt fortior surgeret. Irata miseretur. Iuxta illud: Non continebit in ira misericordias suas. Et Isaias: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Lachrymantem & offensum reuocat. Vnde Isaias: In indignatione mea percussi te, & in tri- bulatione tua misertus sum tui. Et in Iona: Putásne benè irasceris tu? Oculos tergit: sicut di- citur in Apocalypsi: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Et Isaias: Plo- rans nequaquã plorabis. Et iterum: Complebuntur dies luctus tui. In sinum leuat, sicut ait Isaias: Ad vbera portabimini. Cibum paruulo masticat, exponendo diuinas scripturas. Catel- li enim edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. De his autem qui hunc cœ- lestem cibum masticare negligunt. Dicit Ieremias: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

*Isaiæ 57.*

*De nutrimento diuino.*

*Dominus nutrix nostra.*

*Ozee. 11.*

*Isaias. 66.*

*De diuersis proprietatibus nutricis quæ sunt. 17.*

*Prima proprietas.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Sexta.*

*Septima.*

*Octaua.*

*Nona.*

*Decima.*

*Vndecima.*

*Duodecima.*

*Decimatertia.*

*Decimaquarta.*

*Decimaquinta.*

*Decimasexta.*

*Decimaseptima.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola. 1 Corinth. 13.

*Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens.*

IN hodierna Epistola supra alia Dominica in Ecclesia Dei fidelibus distributa commendat Apostolus charitatem sumpta occasione ex eo quod Corinthij variis linguis loqui & facere miracula, & quædam charismatum dona desiderabunt, cum quibus & sine quibus potest esse salus: sine charitate autem quæcunque alia dona habeantur, non est salus. Vnde exhortatur eos, vt æmulẽtur charismata meliora, inter quę principatũ obtinet virtus charitas. Hęc est enim eminentior via qua itur ad Christũ, sine qua nõ prodest loqui linguis, sicut non prodest cam- panæ quod tunditur aliis signum faciens, imo quãdoque & si aliis prodest, sibi obest, dum per- cutiendo frãgitur, vel vsu inueteratur. Similiter & cymbala sonãtia, alios delectant, sese autem mutuo non iuuant. Qui enim sine charitate prædicat, siue terrena loquatur, quod est loqui

*De eminentia charitatis.*

linguis

linguis hominum, siue cęlestia & profunda mysteria, quod est loqui linguis Angelorum. Prælati enim Angeli in scriptura appellantur, non plus ei prodest, quàm si per canalem lapideum fluat aqua ad hortos irrigandos, ipso canali sicco & sine fructu remanente. Qui enim sine charitate alios docet, velut lignum putridum lucet, sed non ardet, loquens velut dęmonium in phanatico, velut spiritus immundus in idolo emittens voces stridulas, asininas & inconcinnas. De his ait Apostolus: Qui alios doces, teipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris: non mœchandum, mœcharis. Pari modo prophetias intelligere vel quamcunque scientiam habere sine charitate non prodest, sed magis obest. Scientia enim inflat, charitas ædificat. Seruus sciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit multis. Tales enim qui sciunt & non faciunt, qui clauem scientiæ habent, ipsi autem non intrant, nec alios intrare sinũt: descendentes in infernum apertis oculis, id est, videntes. Similiter fidem habere sine charitate non prodest, hæc est enim fides dęmonum, qui credunt & contremiscunt. Vnde Dominus in Matthęo. Multi dicẽt mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dęmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis quod non noui vos. Qui enim sine veste nuptiali, id est, sine charitate reperietur, à nuptiis eiectus, in tenebras exteriores proiicietur. Fides igitur vel alia dona sine charitate, est quasi mẽsa sine pane, hortus sine rore, auis sine pennis, corpus sine spiritu, arbor sine fructu, nauis sine velo, domus sine tecto. Similiter omnes facultates suas pauperibus distribuere, vel corpus suum ita quod ardeat, tradere: non prodest sine charitate. Opera enim mortui mortua sunt. Charitas autem sicut est vita animarum, ita est & vita operum. Hæc est enim fons signatus, cui non cõmunicat alienus, quę sola diuidit inter filios regni & filios perditionis. Hęc est statera in manu Domini, mensura in foro paradisi. Secũdum enim mensuram charitatis remetietur nobis. Qui enim plus diligit, plus recipit. Hæc est verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus super terram. In vno enim mandato charitatis omnia mandata complentur. Qui autem in hoc vno offendit, factus est omnium reus. Sine charitatis auro omnis moneta operum falsa est & reproba. Omnis facies animę exanguis & pallida, nisi minio charitatis fuerit colorata. Hæc est enim coccus bis tinctus in velo templi, & in veste sacerdotali. Bis tinctus dicitur, propter duo mandata charitatis. Hęc est ignis ex ipso altari, quo omnia sacrificia præcipiuntur adoleri, qui semper in altari cordis iubetur accendi, sacerdotibus ligna ministrantibus: ligna, scilicet, verborum Dei, quibus in nobis accenditur & conseruatur ignis charitatis. Ligna præterea sunt beneficia nobis à Deo exhibita, quorum recordatione ignem charitatis debemus in nobis accẽdere, quæ sunt bona corporis, bona temporis, bona gratiæ, bona gloriæ. Ecce ignis & ligna, quæ si quis habuerit, Dominus prouidebit ei victima holocausti. Charitas enim nunquam est otiosa, semper proficit, semper in motu est, velut ignis. Hoc igne pellitur frigus, quod habuit Petrus dum calefaceret se ad prunas: non solùm autem frigus, sed & ignis contrarius, hoc igne expellitur. naturale enim est, quod calor calore expellitur. Hæc est fons hortorũ irrigãs omnes arbores Paradisi, fluuius aquæ viuentis, salientis in vitam æternam, id est, salire facientis. Fluuius impetus lætificat ciuitatem Dei, quasi hortus Paradisi terra coram ea, & post ipsam solitudo deserti: ipsa enim deficiente, anima quasi desertum sterilis permanet in ariditate. Hæc est fons egrediens de domo Domini, irrigans torrentem spinarum, sicut dicitur in Ioël, torrentem, scilicet, spinarum sensualitatis, ponens Ægyptum, scilicet, mundum in desolationem, sicut scriptum est: Renuit consolari anima mea, id est, in temporalibus habere consolationem. Vnde in Psalmo dicitur: Carbones desolatorij. Hæc est fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ, sicut dicit Zacharias. Hæc est Paradisus delitiarum, arbor bona, quæ fructus bonos facit, sicut sensualitas arbor mala est, quæ fructus malos facit. Sine charitatis humore mentietur opus oliuæ, & arua liberi arbitrij non afferent cibum. Hæc est ager plenus, cui benedixit Dominus, de quo ipse ait: Et pulchritudo agri mecum est. Hęc est oleum sine quo repelluntur virgines fatuæ: sine autem hoc oleo panis in craticula, non potest mandicari. Hoc oleum suauem reddidit craticulam S. Laurentij: hoc melle dulces fuerunt D. Stephano lapides torrentis. Hæc est porta Paradisi, zona aurea, qua præcingi debemus ad maxillas, canticum suauitatis, canticum, scilicet, Domini, quod non potest cantari in terra aliena, in terra, scilicet, Babylonis, in terra mortalis peccati. Hæc est coangustatum stratum, quod cum sponsa non nisi sponsum recipit: palliũ breue, quod cum sponsa nõ nisi spõsum operit. Altare de quo non habet potestatem edere, qui tabernaculo corporis deseruiunt. Hæc est fermentum, quod acceptum mulier, abscondit in farinæ rribus satis, donec fermentaretur totum. Bona enim opera cogitationis, locutionis, & exterioris operationis, charitate informantur, & in saporem & feruorem charitatis conuertuntur. Hæc est illa mulier, quæ Dominum tangit, sine hac turba bonorum operum Dominum premit, non tangit: sine hac securis posita ad radicem arboris, omnem arborem, tanquam infructuosam, secabit, id est, Christus, cuius manubrium humanitas, ferrum diuinitas, acumen iudicium districtæ & subtilis discretionis. Hæc est illa pretiosa margarita, quam, qui inuenit, vendens omnia, ipsam emit. Aliarum virtutum gemmę sine hac, quasi degeneres à Domino reprobantur. Hæc est aurum in arca testamenti, quo auro includitur lapis pretiosissimus, id est, Christus, qui est quasi gemmula carbunculi in ornamento huius auri. Hæc est ros in vellere, pluuia in nube, mel in fauo, odor in balsamo, ignis in rubo, oleum in lampade,

*Rom. 2. Quod alia charismata sine charitate non prosunt. Luc. 12. Matth. 23. Iac. 1. Matth. 7. Luc. 13. Quod opera misericordiæ non prosunt sine charitate. Cantic. 4. Prouerb. 5. De commendatione charitatis & quibus comparatur. Matth. 7. Mar. 8. Luc. 6. Isa. 10. Iacob. 2. Quod charitas statere, auro, cocco bis tincto & igni comparatur. Exod. 26. Leuit. 6. Quibus modis charitas accendatur. Commendatio charitatis & multiplex eius cum variis rebus assimilatio. Quod charitas fonti & fluuio comparatur. Ioël. 4. Zach. 13. Gene. 27. Quod charitas oleo, pani, & melli comparatur. Quod charitas portæ paradisi, zonæ aureæ & cantico nouo comparatur. Quod charitas lecto sponsi, & pallio, altari & fermento comparatur. Quod charitas mulieri tangenti Dominum & margaritæ comparatur. Quod charitas auro in arca, rori in vellere, pluuiæ in nube, melli in fauo, odori in balsamo, igni in rubo, oleo in lampade, vnguento in capite comparatur.*

in lampade, vnguentum in capite, quod non solùm descendit in barbam veri Aaron, id est, in Apostolos, sed in oram vestimenti eius, id est, in alios Prælatos, Doctores, & vsque in fimbrias vestimenti, id est, in minores, & similes. Hoc enim vnguento non solùm caput & pedes Christi vnguntur, sed & totum corpus eius perfunditur. Hæc est quæ malleis tribulationum dilatatur, & est velut species aromaticæ, quæ quantò magis tunduntur, tantò maiorem ex se spirant odorem, velut cùm vnguenta bulliunt. Charitas enim patiẽs est, hæc est vnctio suauitatis, omnem asperitatem tollens. Charitas enim benigna est, non æmulatur, non agit perperam, hoc est peruersè. Hæc est enim vita, suum contrarium perimens, id est, peccatorem, mortem, & idcirco relegat ab anima omnem peruersitatem. Hæc vnctio timores sedat. Charitas enim non inflatur, non est ambitiosa, vt aliis velit præponi: hoc oleũ latè ad alios diffunditur. Charitas enim non quærit quę sua sunt: hoc vnguento pelles Salomonis delibutę, id est, tabernaculum animæ, extenduntur & dilatantur. Charitas enim omnia sustinet, id est, per longanimitatem expectati hoc vnguento omnis liuor & dolor in anima mitigatur. Charitas enim non irritatur, non cogitat malum: hoc oleo conscientia serenatur & illustratur. Charitas enim non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: hoc igne spiritus roboratur. Charitas enim omnia pro veritate suffert: fortitudine enim cibi huius ambulamus, & nõ deficimus in hac via: hæc est ignis illuminans fidem & sursum attollens spem. Charitas enim omnia credit, quæ veritas persuadet, omnia sperat, quæ veritas expectat. Hæc est columna stabilitatis & porta speciosa quæ sola remansit, muris Hierusalem destructis. Charitas enim nunquam excidet: Ignis enim qui est in Syon, id est, in præsenti Ecclesia, erit caminus in superna Hierusalem. Nunc autem manẽt tria hæc, fides, spes, charitas. Fides euacuabitur, quando quod credimus, facie ad faciem videbimus, non per speculum in ænigmate, sicut modò creatorem ex parte cognoscimus per creaturas & obscuras allegorias, tũc autem cognoscemus sicut & cogniti sumus, id est, ipsum, sicut est, videbimus. Spes similiter cessabit, quando, quod speramus, possidebimus & videbimus. Teste enim Apostolo: Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat: Charitas verò nunquam excidet, semper manebit. Martha enim deficiente, Mariæ pars non auferetur. Post hanc vitam Martha fodere non valebit, mendicare erubescet, quia tunc non dabitur facultas operandi vel fiducia deprecandi. Erit ergo charitas æterna, quæ nũquam excidet. Vnde Isaias: Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Sicut enim in inferno sempiternus horror inhabitat, ita in æterna beatitudine sempiternus est charitatis ardor, qui hìc inchoatur, & ibi perficitur. Maior ergo omnium est charitas tanquã oleum supernatans, auis volans super pennas ventorum, via supereminens & omnes virtutes transcendens. Multæ enim filiæ congregauerunt diuitias: hæc sola supergressa est vniuersas. Hæc est enim supremus gradus in scala Iacob, cui Dominus innititur, quia sine hac alias virtutes non reputat. Quod enim fides inchoat, spes erigit, charitas consummat & perficit. Dicit fides, apud Deum sunt bona æterna & inuisibilia: dicit spes, mihi debẽtur illa: dicit charitas, curram & accipiam ea. Fides in domo Domini fundamentum ponit: spes parietes erigit: charitas tectum superponens ædificium consummat & perficit. In fide arbor radicatur, in spe floret & erigitur, in charitate fructificat & dilatatur. Granum enim sinapis, id est, semen fidei inchoat arborem, quæ attollitur per spem, sed inutilis prorsus est, nisi dilatetur & fructificet per charitatem. Hoc sinapis granum modicum est per humilitatem, sed feruidum per charitatem. Quantò autem magis tunditur, tantò magis feruet & acuitur. Quia dum superbit impius, tundendo & affligendo incenditur pauper, & feruentior efficitur tollerando. Sicut autem fundamentum sine parietibus & tecto, & radix sine trunco & fructu esse potest, ita fides sine spe & charitate. Dęmones enim peruersi atque desperati homines credunt, sed nec sperant, nec diligunt. Spes autem sine fide esse non potest. Nemo enim quod non credit, sperat, vel diligit. Sed & charitas sine spe esse non potest. Multa enim speramus, quæ nondum per charitatem diligimus. Primum igitur sine secundo & tertio, secundũ sine tertio esse nõ potest, sicut nec arbor sine radice & stipite nequaquam potest fructificare. Sunt autem fides & spes tantũ de inuisibilibus. Charitas autẽ tam ad inuisibilia quàm ad visibilia extenditur. Fides autem de præsentibus & futuris tam ad eum qui creauit, quàm ad alia pertinentibus. Spes autem tantum de futuris, quæ nos consecuturos speramus, & de quibus fiduciam habemus, vt optimè valeamus.

*De multiplici effectu charitatis cum expositione literæ.*

*Quod aliis decedentibus charitas remanebit.*

*3. Reg. 19.*

*Rom. 8.*
*Luc. 10.*
*Luc. 16.*

*Isa. 32.*
*Iob. 10.*

*De maioritate charitatis.*
*Prouerb. 31.*

*Gene. 28.*

*De collatione fidei, spei & charitatis.*

*Matth. 13.*
*Mar. 3.*

*De grano sinapis, id est, de fide quæ feruet per charitatem.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascẽdimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis per Prophetas, &c.*

*Luc. 18.*

PLANTAVERAT Dominus paradisum voluptatis à principio, sicut legitur in Genesi. Paradisus voluptatis, quæ etiam regnum cœlorum dicitur, vt ibi: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, spiritualiter diuina scriptura potest intelligi, in qua animę delectantur, refrigerãtur & satiantur. Cultores & custodes huius paradisi sunt ecclesiarum prælati & sacerdotes, quorum libri arbores paradisi possunt dici. Vnde beatus Ioannes in Apocalypsi ait: Quod ex vtraque parte fluminis, lignum afferens fructus duodecim per menses singulos.

*Gene. 2.*

*Verbum Dei paradiso comparatur.*

*Matth. 13.*
*Apoc. 22.*

*Diuersi arboribus paradisi diuersi libri comparantur.*

gulos. Duodecim menses duodecim sunt Apostoli, qui tot diebus illustrati sunt, quot virtutibus splenduerunt, tot noctes habuerunt, quot persecutiones sustinuerũt pro Christo. Duodecim fructus horum mensium sunt doctrina & libri Apostolorum. Sunt ergo in paradiso voluptatis tot arbores, quot sunt libri diuinarum scripturarum. Quorum rami dilatantur, dum diuina scriptura multipliciter exponitur, iuxta illud: Extendens, scilicet, diuinam scripturam sicut pellem. Hæc est enim quasi terebinthus extendens ramos suos. Arbor autem vitæ in medio paradisi spiritualiter potest intelligi doctrina Euangelij. De arbore scientiæ boni & mali manducant, qui scientias scripturarum sibi arrogant, quæ non nisi à Deo inspirato & reuelato intelligi possunt. Vnde in Canticis dicitur: Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi, id est, scientiam noui & veteris testamenti ad te retuli. Prædictarum arborum varietas in Canticis exprimitur, vbi dicitur: Nardus & crocus, fistula & cinnamonum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. Nardus calida est, rubea & odorifera. Cuiusmodi sunt libri diuinarum scripturarum, accendentes corda hominum per charitatem, inuitantes ad martyrium, & odore sententiarum animas recreantes. Crocus aurei coloris, sunt sententiæ ad charitatem exhortantes, de dilectione Dei ac proximi differentes. Fistula, arbor aromatica, parua, purpurei caloris, huiusmodi sunt libri scripturarum ad humilitatem inuitantes, & de Christi passione tractantes. Cinnamomum autem arbor breuis, odorifera, cinerei coloris, hi sunt libri de virtutum odore & humilitate pœnitentiæ differentes. Lingua Libani cedrina, cypressina, fortia, excelsa serpentes odore necantia, sunt libri scripturarum de fortitudine & patientia, de altis & profundis mysteriis differentes, quorum sententiæ imputres sibiles per veritatis constantiam, & odoriferæ per recreationem serpentes perimentes, dum fraudes dęmonum quasi ipsos euiscerantes, aperiũt. Myrrha & aloë, sunt libri diuinę scripturę, dum de carne mortificanda & tribulationum amaritudine edisserunt. Harum arborum radices in cœlo fixę sunt, per quas cœlestia & occulta mysteria intelligi possunt. Flores, sunt sententiæ morales, folia autem verborum nobis sunt ad refrigerium & medicinam, legendo, prædicando & audiendo, fructus autem in cibum & sanitatem meditando, intelligendo & operando. Vnde Ezechiel ait: Et erit fructus eius in cibum, & folia in medicinam. Et Ioannes in Apocalypsi: Folia ligni ad sanitatem gentium: folia autem ficulneæ sterilis, cui maledixit Dominus, sunt verba secularis scientię. Orate ergo Dominum, vt de foliis harum arborum animæ vestræ hodie recipiant sanitatem, & de fructibus satientur ad salutem. Assumpsit Iesus duodecim Discipulos. Illuminaturus Dominus cęcum prius de collyrio mentionẽ facit, de passione, scilicet, & morte sua. Hoc enim collyrio illuminauit sedentem in tenebris & vmbra mortis. Fracta enim laguncula Gedeonis, verum lumen plenius in resurrectione mundo illuxit. Ipse enim lucernam accendit, dum lumen diuinitatis inclusit in testa humanitatis. Fracto autem alabastro in morte, impleta est domus ecclesiæ ex odore vnguenti, & fracta testa, lumen veritatis in tenebris effulsit. Hoc collyrio, id est, dominicę passionis memoria debemus oculos mentis inungere, vt emissis lachrymis & noxiis humoribus visum recipiamus, sicut in Ecclesiastico dicitur: Pungens oculum deducit lachrymas, & qui pungit cor, profert sensum. Sępius enim & clauis & lancea Christi debemus pũgere oculos cordis, vt myrrhæ fasciculus inter vbera animę, id est, in oculo cordis commoretur. Hoc est collyrium, de quo beatus Ioan. in Apocalypsi ait: Collyrio inunge oculos tuos vt videas. De hoc collyrio Dominus discipulis ait: Filius hominis tradetur gentibus: & illudetur, & flagellabitur, & cõspuetur: & postquam flagellauerint, occidẽt eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Quem verum Deum credebant moriturum non intelligebant, allegoricè dictum esse putantes, quia in parabolis loqui consueuerat. Adhuc quotidie Dominus noster in membris suis, hoc est, in sanctis viris, qui habent faciem euntis in Hierusalem, qui non iacent in infimis & in transitoriis rebus, sed ascendunt de virtute in virtutem, semper tẽdentes ad supernam Hierusalem: illuditur, flagellatur, cõspuitur & iterum crucifigitur. Vnde Apostolus ad Hebręos: Sancti ludibria & verbera experti insuper & vincula & carceres lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Vnde & beatus Iob ait: Deridetur iusti simplicitas, lampas cõtempta apud cogitationes diuitum. Diuites enim lampadibus dedignantur vti. Iusti autem velut lampades intus ardent, igne charitatis, quem oleo, id est, operibus misericordiæ nutriunt. Et Isaias ait: Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timeatis. Sicut enim vestimẽtum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Flagellatur etiam Dominus noster in membris suis à flagitiosis hominibus, de quibus ipse ait. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, id est, supra sanctos, qui per dorsum intelliguntur, eò quòd onera tribulationum patienter pro Christo sustinent. Super quos fabricare dicuntur peccatores, quia inter malleum flagellorum & incudem patientiæ sanctorum formantur vasa electionis. Conspuitur etiam Dominus ab his, qui seruos eius conculcant & contemnũt. Vnde Iacobus in epistola canonica: Nónne Deus pauperes elegit in hoc mundo. Diuites in fide & hęredes regni quod promisit diligentibus se. Vos autem exhonorastis pauperẽ. Et Isaias. Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris. Et Apostolus ad Corinthios: Blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus. Similiter in membris suis Christus occiditur, & iterum crucifigitur, sicut dicitur in Psalmo. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Et Apostolus

*De arbore vite & de arbore scientiæ boni & mali. Cant. 7.*

*De diuersis arboribus.*

*De nardo.*

*De croco.*

*De fistula.*

*De cinnamomo.*

*De myrrha & aloë.*

*De radice, fronde, flore prædictarum arborum. Ezech. 47. Apoc. 22. Matth. 21. Mar. 9.*

*Quod Christi passio cæcos illuminat.*

*Quod memoria passionis comparatur collyrio. Eccle. 22.*

*Cant. 1. Apoc. 3.*

*Quod Dominus noster in his qui ascendunt in Hierusalẽ quotidie crucifigitur. Heb. 11. Iob 12.*

*Isaiæ 51.*

*De flagellis sanctorum. Iaco. 2.*

*Dominus in seruis suis conspuitur. Isaiæ 33.*

*In membris suis Christus occiditur.*

Apostolus ad Galatas ait: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit nõ obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus. Hæ igitur passiones & tribulationes, quas sancti pro Christo sustinent, collyria sunt, quibus debemus inungere mentis oculos. Hoc sputo sanati sunt oculi cæcorum. Vnde beatus Gregorius: Balaam post afflictionem asinę vidit Angelum, quia plerunque caro per molestias menti Deum indicat, quem ipsa prius non videbat. Vnde postquam Saulus correptus est à Domino, & in via prostratus, squamæ cecidérunt ab oculis eius, & visum recepit. Vexatio enim tãquam collyrium dat intellectum, & clarificat visũm. Vnde postquam Dominus locutus fuit de collyrio passionis suæ, subiungitur in Euangelio de cæci illuminatione. Factum est ait Euangelista, cùm appropinquaret Iericho, cæcus sedebat iuxta viam mendicans. Dum enim Dominus noster Iericho appropinquaret, id est, dum defectus nostræ carnis susscepit, humanum genus, lumen, quod amiserat, recepit. Iericho enim defectus siue luna interpretatur. Cæcus à natiuitate post peccatum primi parentis quilibet nascitur, sed dum per Baptismum & Christi sanguinem ab originali purgatur, iam nõ extra viam, sed in via à Christo illuminatur. Post Baptismum verò iterum lumen amittit, dum Baptismi innocentia non custodit. Cęcus est qui oculum charitatis amisit, de quo Zacharias ait: Dominus est oculus hominis: Deus enim charitas est. Et in Canticis dicitur: Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. Duo enim sunt oculi charitatis, Dei & proximi, quorum primo Christus specialiter vulneratur, quia ipse diligentes se diligit. Vulnerasti cor meum per amoris affectum, & occulta mea penetrasti. De his duobus oculis charitatis iterum in Canticis dicitur: Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Esebon cingulum mœroris interpretatur. Amor enim Dei & proximi mœrore tribulationis non deficit, sibi sufficiens, aquis abundans, non quęrens exterius consolationes. Cæcus est, qui oculo fidei orbatus est, de quo Dominus in Euangelio: Beati oculi, quę vident, quę vos videtis. Et iterum: Videte, vigilate, & orate: Fides enim videt, spes orat, charitas, quę nunquam otiosa est, vigilat. Cæcus est, qui oculum sapientiæ non habet. Vnde Dominus: Cæci sunt duces cæcorum: Cæcus est, qui oculos rationis & intellectus extinctos habet. De quibus in Cãticis dicit sponsus: Auerte oculos tuos à me, quia ipsi auolare me fecerunt. Quasi diceret: Quantò intentius intelligere & cognoscere me quæris, tantò attentius incomprehensibilem me cognoscis. Quia accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Cæcus est, cui diabolus oculos cautelæ & circunspectionis eruit. De quibus in Canticis dicitur: Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum. In aquis enim sanctarum scripturarum debemus vmbram accipitris intueri, vt nobis caueamus ab insidiis diaboli, sicut columbæ super riuos aquarũ intuẽtur vmbras accipitrum. Cæcus est, cuius oculos fumus superbiæ extinxit, vt non aduertat miseriam suam, vt non videat bona quæ amisit, mala quæ commisit. De hac miseria dicitur in Psalmo: Manè floreat & transeat, vespere decidat, induret, & arescat. Manè enim à principio quasi flos egreditur & transit velut vmbra, in vesperi decidit in morte, durescit in cadauere, arescit in puluere. Vir autem excęcatus & insipiens non cognoscit, & stultus non intelliget hæc, cùm tamen dicat Ieremias: Ego vir videns paupertatem meam. Et in Apocalypsi: Tu dicis, quia diues sum, & locupletatus sum, & nullius egeo: & nescis quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cęcus, & nudus. Pauper & nudus est, sed non cęcus, qui bona spiritualia perdidit, & damnum suum dolens agnoscit. Cæcus autem & nudus, qui cùm vestimenta animæ suæ perdidit, hoc ipsum non attendit, sicut arrogãtes, vel hypocritæ, qui magni sunt in oculis suis, parui autem & nullius momenti in oculis Domini. Vnde & lege amouetur à sacerdotio, qui albuginem haber in oculo, qui scilicet, arrogantia sapientiæ vel iustitiæ excęcatus, veritatis lumen non aduertit. Cęcus est, qui oculum puritatis & munditiæ perdidit. De quo Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et in Psalmo de talibus dicitur: Obscurentur oculi eorum, ne videant. Cæcus est, cui diabolus eruit oculos, vt nõ videat seipsum. Debemus enim aspicere ad Deum oculo deuotionis, & gratiarum actionis, vt cognoscamus quæ à Deo donata sunt nobis: ne simus sicut porcus qui glandes comedit, & ad quercum sursum non respicit. Debemus oculo misericordiæ respicere iuxta nos, vt intelligamus & intendamus super egenum & pauperem. Visitans speciem tuam, nõ peccabis dicitur in Iob: Debemus respicere nosmetipsos oculo iustitiæ, vt in nobis pœniteamus, quę contra Deum commisimus. Primum oculum extinguit diabolus per superbiam, secundum per auaritiam, tertium per carnalem concupiscentiam. Et quo niam scriptum est: Oculi sapientis in capite eius, non bene videt, imo monstruosum animal est, qui oculos extra caput habet. Caput nostrum Christus est, ad quem semper respicere debemus, sicut Propheta ait: Oculi mei semper ad Dominum. Hos autem oculos in ventre habent gulosi, qui plus cogitant de ventre implendo, quã de Deo, plus cogitant de coquina, quàm de Ecclesia, qui carnem sterilem pascunt, & viduæ non benefaciunt, sicut ait Iob: Viduę, id est, animæ Christo viduatę. Manducauerunt enim & saturati sunt nimis, vsque ad crapulam & ebrietatem, vsque ad nauseam & immunditiã. Sed quid dicit scriptura? Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum. Vaccas pingues in pastribus pascentes, porcos infernales non nisi furfur somniantes. Promptuaria enim ventres eorum plena eructantia ex hoc in illud, ex vno ferculo in aliud, ex vno vino in aliud vsque ad ebrietatem & crapulam, ex vna scutella in aliam, vsque ad ventris extensionem. Isti lupi voraces,

*Gala. 3.*

*De illuminatione generis humani.*

*De cæci illuminatione & de multiplici cæcitate.*

*Zach. 7.*

*1. Ioan. 4.*

*Cant. 7.*

*De multiplici oculo spirituali, & primo de oculo charitatis.*

*De oculo fidei.*

*Lucæ 10.*

*Matth. 13.*

*De oculo sapientiæ.*

*De oculis discretionis & cautelæ.*

*Quod fumus superbiæ oculos excæcat, ne videamus miseriã nostrã.*

*Ieie. 3.*

*Apoc. 3.*

*Leuit. 21.*

*De albugine oculorum.*

*Matth. 5.*

*De oculo puritatis & munditiæ.*

*1. Cor. 2.*

*De triplici oculo, scilicet, deuotionis, gratiarum actionis, misericordiæ & iustitiæ.*

*Iob 5.*

*Quod predictos tres oculos tripliciter extinguit diabolus.*

*Eccle. 2.*

*De his qui habent oculos in ventre.*

*Iob 24.*

*Gene. 41.*

*Titum 1.*

voraces canes, immũdi, malę bestię, vẽtres pigri, nõ benè vidẽt, quia oculos in capite nõ habẽt.

*De his qui oculos habent in renibus. Iudic. 16.*

Malè similiter vidẽt luxurioſi, qui oculos in renibus, & infra renes habent, quorum oculi luto libidinis pleni, carne ſuperflua circunquaque creſcente, & humore noxio profluente obtenebrati ſunt, & excæcati, ſicut Samſon in gremio Dalide dormiens, poſtquam crines virtutum amiſit, excęcatus & ad molam, tanquam iumentum poſitus, in circuitu ambulans, requiem & pacem amiſit. Quando enim captiua ratio poſt concupiſcentias ſuas vadit, cæca ratio cæcam

*De his qui oculos habent in terra. Parab. 17. Ezech. 41.*

ſenſualitatem ſequitur. Et quia cæcus cęcum ducit: ambo, id eſt, corpus & anima, cadunt in foueam mortalis peccati, caſuri paulò pòſt in foueam inferni. Non bene videt, qui maculam terrenę cupiditatis in oculo habet. Oculi enim ſtultorum, vt ait Salomon in finibus terræ. De his Ezechiël ait: Quod terra erat vſque ad feneſtras in templo, quod Dominus oſtendit ei. Hi ergo qui oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, qui oculos mentis repletos habent iniquitate & puluere terrenitatis, excęcati ſunt, velut talpa, quæ cùm ſit cæca, ſemper fodit in terra. Supercecidit ignis cupiditatis, & non viderunt ſolem, nec ſplendorem, & lumen veritatis, vt

*De tumore oculorum.*

poſſint dicere quod ſcriptum eſt à Propheta: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. Non bene vident elati & ſuperbi, qui palpebras oculorum habent inflatas. Euanuerũt enim, vt ait Apoſtolus, in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Hi autem ſunt cæci, ſed non mendicant, nec pro cæcitate ſua tollenda humiliter Deo ſupplicant. Cæcus autem quem Dominus illuminauit, non ſolùm cæcus, ſed & mendicus fuit, humiliter eleëmoſynam mẽdicando petiit, & idcirco viſum à Domino recepit. Non bene videbant, qui à ſacerdotio Domini in lege repulſi ſunt: cæci, ſcilicet, & lippi, qui in oculo albuginem habebant. Cæcus enim in lege dicitur,

*De lippis & de his qui habent albuginem in oculis. Leuit. 21. Lucæ 6.*

qui trabe temporalium excæcatus, lumen ſupernæ contemplationis ignorat. Eiice, inquit, Dominus, trabem de oculo tuo, vt videas tollere feſtucam de oculo fratris tui. Lippus eſt, cuius ingenium ad cognitionem veritatis emicat, ſed operatio carnalis obſcurat. Albuginem in oculo habet, qui arrogantia & inani gloria excæcatus, lumen veritatis non videt. Non

*De his qui habent oculos tranſuerſos. Matth. 23.*

benę videt homo luſcus, qui oculos tranſuerſos habet: dum enim videtur reſpicere ſurſum, intuetur deorſum: creditur reſpicere ad dexteram, & reſpicit ad ſiniſtram. Huiuſmodi ſunt hypocritæ, qui oculis hominum iuſti volunt exterius apparere, tanquam ſepulchra mortuorum exterius dealbata, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum. Et quoniã per omnia quæ agunt, non cœlum, ſed terram reſpiciunt, ad laudem, ſcilicet, & fauorem hominum, mercedem ſuam iam receperunt. Non bene videt ſtrabo, cui oculum dexterum diabolus eruit,

*Matth. 6. De ſtrabis ſeu monoculis, qui oculũ dextrum amiſerunt. Leuit. 19. Item 17. Gene. 9.*

ſiniſtrum autem ei reliquit. Hi ſunt, qui libenter mala proximorum intuentes, bona autem clauſis oculis prætereuntes proni ſunt ad detrahendum. Grana videre nolunt, paleas autem curioſe intuentur, vt occaſionem habeant, qualiter fratres ſuos infamare queant, cùm ſcriptum ſit: Non maledices ſurdo, id eſt, abſenti non detrahes. Et eſus ſanguinis, non ſolùm in lege, ſed & ante legem prohibitus fuerit. Sanguinem enim edere, eſt peccatis proximorum detrahendo vel libenter audiendo delectari. Oculum prætereà dextrum amiſit & ſiniſtrum retinuit animalis homo, qui cùm creatus eſſet, vt reſpiceret cœlum & cœli numina, intuetur ſolum & ſoli ſtercora. Vnde Poëta de Philoſopho ſic ait: Quærenti Empedocles cur viueret, inquit, vt aſtra aſpiciam, cœlum ſubtrahe, nullus ero. Hunc oculum dextrum diabolus conatur eruere

*1. Reg. 11.*

& ſiniſtrum relinquere. Vnde in primo Regum dicitur, quod cùm Naas Ammonites pugnãret aduerſus Iabes-Galaad. Dixeruntq; omnes viri Iabes ad Naas, Habeto nos fęderatos, & feriemus tibi. Et reſpõdit Naas Ammonites: In hoc feriã vobiſcũ fędus, vt eruã omniũ veſtrũ oculos dextros. Diabolus enim oculos dextros eruit, ſed ſiniſtros dimittit, vt faciat reſpicere terrã, oſtendens homini omnia regna mũdi, dicẽs: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens, adoraueris me.

*Matth. 4. Mar. 1. Lucæ 4.*

Hi ſignantur per mulierem incuruatam, quæ non poterat ſurſum reſpicere, quam Dominus in Euangelio legitur curaſſe. Nondum bene vident, qui oculos habent in tenebris aſſuetos, nec ſolis claritatem infirmis oculis ſuſtinere valent, ſcilicet, ſolis, de quo dicit Pſalmiſta: In lumine

*De his qui infirmos habent oculos. Lucæ. 12.*

tuo videbimus lumen. Hi ſunt qui luce veritatis non delectantur, ſed magis grauãtur, hebetes ad ſpiritualia, acuti & ſubtiles ad temporalia. Hi poſſunt intelligi per cæcum, de quo legitur in Marco, quod nondum plenè illuminatus erat. Cùm autem Dominus interrogaret eum, quid

*Mar. 8.*

videret, reſpondit, video arbores velut homines ambulantes. Nondũ plenè videbat. Dominus

*Iob. 37.*

enim vt ait Iob: in manibus abſcondit lumen. Qui autem intra manus lumen tenet, aliis claudit, ne videant, aliis aperit, vt parum videant, aliis autem Apoſtolus aperit, ſecundum voluntatem ſuam, & plerunque ſecundum fidei quantitatem, ſicut in Euãgelio dicitur. Vnicuique ſecundum propriã facultatem. Quantò enim per fidem operantẽ, per dilectionẽ cor magis aperitur, tantò capacius ad ſuſcipiendã lucem veritatis redditur. Iuxta illud: Aperi os tuum, & ego implebo illud. Et Dominus in Euangelio ait: Omnia poſſibilia ſunt credẽti. Virtutis potentiam non ſibi, ſed fidei aſcribit: & quod ipſe facit, hoc fidẽ facere affirmat. Vnde & cæco illuminato ait: Fides tua te ſaluum fecit. Credidit enim Chriſtum verum hominẽ eſſe vocando eum filium Dauid, & verũ Deum, de cuius potentia, vt ſanaretur, non dubitauit. Vnde illuminatus ſecutus eſt Dominum. Videt, qui bonum, quod nouit, operatur. Qui etiam bene operãdo aliis exemplũ præbet, dum Deum laudans, alios ad laudandum inuitat. Omnis enim plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Prius autem dum extra viam nondum illuminatus erat, turba vt taceret, ipſum

*De virtute & menſura fidei.*

*Qualiter illuminatus Deũ ſequitur.*

Ipsum increpabat. Iuxta viam tamen iam erat, quia ad fidem & deuotionem appropinquabat. Dominus autem stat, dum per patientiam ad pœnitentiam nos expectat. Vnde in Euangelio dicitur: Stans autem IESVS, præcepit ipsum adduci ad se. Qui verò nunc stat, vocat, & expectat, aliquando dorsum vertit & non faciem, nec clamantem exaudiet: fugiet, vt non apprehendatur ab his, qui eius patientia abutuntur. De quibus in Parabolis dicitur: Inuocabunt me, & ego non exaudiam: manè surgent, & non inuenient me. Et Ieremias ait: Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. Dum autem ad Dominum clamat, turba ipsum increpat, vt taceat. Mala est turba, quæ conatur auferre vocem confessionis & orationis. Hæc est turma dæmonum, consuetudo vitiorum, strepitus curarum secularium, prauæ & inutiles cogitationes, mala desideria, & affectus carnales, diabolicæ suggestiones, mundanæ persecutiones, turba cognatorum, opprobria hominum, prosperitas blandiens, adulatio mulcens & emolliens, asperitas pœnitentiæ pusillanimes terrens. Hæc est multitudo & turba, quæ non sinebat paralyticum introduci ad CHRISTVM. Hæ sunt Gentes de quibus Ieremias ait: Habitauit inter Gentes, nec inuenit requiem. Hæc est turba Ægyptiorum, qui cum Pharaone Principe suo, id est, diabolo, persequitur filios Israël, ab ipsis volentes recedere. Hoc est dæmonium, de quo Marcus ait: Clamans & multum discerpens eum, exiuit ab eo. Hic est Laban cum filiis & seruis suis, persequens Iacob ab eo recedentem. Hi sunt quinque Reges, qui Gabaonitas obsident, eò quòd Iosue confœderati essent, propter quod in Ecclesiastico dicitur: Filij accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et Philosophus ait: Quoties inter homines fui, minus homo redij. Et iterum: Nunquam minus solus sum quàm cùm solus sum. Et Ieremias ait: Relinquite ciuitates, & habitate in petra, de tumultu huius ciuitatis dicit Dominus in Ozee: Ego sum Deus, & non homo, in medio tui sanctus, & ingrediar ciuitatem. Bonum est igitur fugere de medio Babylonis, & assumptis pennis cœlestis desiderij volare in solitudine, vbi inueniamus pacem pectoris. Relinquamus multitudinẽ muscarũ Ægypti. Teste enim Isa. Veritas corruit in plateis. Et Ieremias ait: Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis. De quibus viis ipse iterũ ait: Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? In viis enim huius seculi, non nisi turba & turbatio reperitur. Prædictæ igitur turbæ, cæcum increpabant, vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat. Et nos similiter non debemus fatigari animis nostris, nec deficere in variis tentationibus, sed quantò magis impugnamur & increpamur, tantò magis ad Dominum in tribulatione clamare debemus. Si spiritus potestatis super nos ascenderit, affligendo & increpando, locum nostrum non deseramus, non cedamus, sed resistamus: Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Iacob luctatus est cum Angelo, nec voluit dimittere eum, donec ab ipso benediceretur. Et Dominus in Euangelio ait: Oportet semper orare & non deficere, ostẽdens exemplum de vidua, quæ per instantiam orationis obtinuit quod petiit ab iniquo iudice, qui nec Deum timebat, nec hominem verebatur. Nos ergo fratres charissimi, cum Domino Ierosolymam ascendamus, ad pacis visionem semper aspiremus, & suspiremus ad supernam patriam per virtutes & virtutum opera peruenire studeamus. Ardua est via quæ ducit ad vitam. Reptemus cum Ionatha pedibus & manibus: pedibus affectuum, manibus bonorum operum, vt simus reptilia, trahendo nos pedibus per sanctas affectiones & continuam scripturarum meditationem. Ore per orationes & bonam locutionem, toto corpore reptando per bonam operationem, & omnia membra nostra Christi obsequio mancipando. Relinquamus præterea abyssum vitiorum, valles hyemales, ad quas desiuunt vitiorũ sordes. Exeamus à sentina & profundo maris, & à ventre ceti, exemplo Ionæ, à fœtore, scilicet, luxuriæ, & mundi huius tempestate. Ascendamus, exemplo Ieremiæ, de carcere tenebroso, & lacu lutoso huius obscœnæ & tenebrosæ vitæ. Exeamus, exemplo Danielis, de lacu leonum, omnem superbiam, & crudelitatem, & malitiam relinquentes. Exeamus, exemplo Loth, de Sodomis, vt in montibus saluemus animas nostras. Ascendamus ad montem pinguem & coagulatũ, ad montem domus Domini, præparatũ in vertice montiũ, & eleuatũ super omnes colles, ad montem Moria, in terra visionis, vt ibi cum Abraham filiũ nostrum immolemus, voluntatem propriã pro Christo relinquentes, & corpus nostrũ cum vitiis & cõcupiscentiis crucifigentes. Abiiciamus cum Iacob à nobis deos alienos, omnia Idola peccatorum, quibus anima diabolo assimilatur, & ascendamus in Bethel in domum, scilicet, Domini. Simus igitur innocentes manibus, & mundo corde, vt ascendamus in montem Domini, & in loco sancto eius consistamus. Ingrediamur sine macula, & operemur iustitiam, vt habitemus in tabernacula Domini, & requiescamus in monte sancto eius. Ascendentes autem Ierosolymam, illudamur pro CHRISTO, dicentes cum Propheta: Ego autem in flagella paratus sum. Conspuamur & abiecti atque contemptibiles pro CHRISTO efficiamur, vt opprobria exprobrantiũ Domino si super nos ceciderint, patiẽter tolleremus. Exeamus ad ipsum extra castra improperiũ eius portantes. Occidamur pro ipso, vt simus de animalibus, quæ ostensa sunt Petro, de quibus dictũ est ei: Macta & manduca. Si enim cõmorimur & cõuiuemus, si cõpatimur & conregnabimus. Suppleamus igitur in corporibus nostris ea, quæ desunt passionũ Christi, stigmata eius in corpore nostro portantes, nec animas nostras nobismetipsis pretiosiores faciamus. Qui enim diligit animã suã, perdet eã. Tradamus ergo corpora

*Stat Dominus expectans peccatores, aliquando dorsum vertet & fugiet.* *Prou.1. Ierem.17.*

*De mala turba quæ clamantem increpat.* *Matth.9. Mar.2. Luc.5. Tren.1. Exod.14. Mar.9. Gene.11. Iosue 10.*

*De bona solitudine.* *Ierem.48. Isaiæ 8. Isaiæ 19. Tren.3. Ierem.2.*

*De instantia orationis.* *Eccle.10. Matth.11. Gene.32.*

*Conclusio & recapitulatio.*

*De spirituali assensu.* *Ionæ.2. Ierem.38. Dan.5. Gen.19.*

*De monte Domini.* *Isa.2. Mich.4. Gen.22. Galat.5.*

*Quod ad imitationem Christi sustinendæ sunt tribulationes.* *Hebr.13. Actuum 10. Rom.8. Colo.2. Gala.6. Actuum 20.*

1. Cor. 4. Rom. 12. Item 13. Item. 8. Item 13. De prudentia carnis & gaſtrimargia.

noſtra, propter Deum ad ſupplicia mortificationem Chriſti ſemper in corpore noſtro portantes. Exhibeamus corpora noſtra hoſtiam Deo viuentem, ſanctam, Deo placentem, non in cubilibus, & in pudicitiis, & ebrietatibus. Prudentia enim carnis, mors eſt, non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Multi enim propter ventrem, veſtem nuptialem amiſerunt. Appropinquante enim ſacro Quadrageſimali ieiunio, non debemus pedes coinquinare, ſed magis abluere & purificare, more eorũ, qui ingreſſuri ſunt balneũ. Si autem prædicto modo pro Chriſto & cum Chriſto occidamur & mortificemur, die tertia cum ipſo reſurgemus, exeuntes primo die de Ægypto, ſecundo die per deſertum tranſeundo, vt tertio die ad terram promiſsionis peruenientes, reſurgamus ad vitæ perfectionem & virtutum conſummationem in hoc ſeculo, ad gloriam verò in altero, ipſo præſtante, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

## IN CAPITE IEIVNII, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, ex Libro Sapientiæ.

Sap. 11.

*Miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia tu es Dominus Deus noſter.*

De multiplici excellentia quadrageſimalis obſeruantiæ. Exod. 4. Leuit. 16.

TEMPVS quadrageſimalis obſeruantiæ, tempus Deo charum & acceptabile, tempus eſt militiæ Chriſtianæ, tempus belli & victoriæ. Pharao enim perſequitur exeuntes de Ægypto. Tempus conculcationis hoſtium, & exaltationis fidelium. Tempus curationis infirmorũ, & reconciliationis pœnitentium, purgationis peccatorum, & ablutionis ſordium. Dies remedij & indulgentiæ, dies propitiationis & miſericordiæ, ſolemnitas animarum, feſtum, ſcilicet, Scenophegiæ, id eſt, fixionis tabernaculorum. Tabernacula enim militantium ſunt & pugnantium, feſtum, ſcilicet, afflictionis, expiationis, & propitiationis, in quo affligitur corpus, & ſpiritus roboratur, caro maceratur, & anima impinguatur, & Domino propitiante, peccatorum maculis expiatur & purgatur. Licèt enim

2. Cor. 4. 2. Cor. 12.

is, qui foris eſt noſter homo, corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur, ſicut ait Apoſtolus. Et iterũ: Cùm infirmor, tunc fortior ſum. Fuit autem hæc magna ſolemnitas inſtituta multiplici ratione. Prima eſt propter exemplum: nam Moyſes ante legem, quadraginta diebus &

De quinque cauſis fuit inſtitutum hoc ieiunium. Prima cauſa. Exod. 24. Item 3. 3. Regum 20. Matth. 4. Iudi 8.

quadraginta noctibus ieiunauit, Elias ſub lege, Dominus noſter in tempore gratiæ. Exemplo igitur veri Gedeonis, qui ait commilitonibus ſuis: Quod me facere videbitis, hoc faciatis: ieiuniis & variis afflictionibus debemus lagunculas corporis noſtri cõfringere. Alia ratio fuit propter remediũ, & maximè verno tempore, quando magis mouentur humores in humano corpore, vnde corpus noſtrum, vt carnis laſciuiam reprimamus, debemus affligere. Sicut enim iumentum nimis oneratum, ſuccumbit, ita minus oneratum corpus noſtrum, calcitrat & laſciuit.

Secunda. Eccle. 33.

Teſte enim Sapiente in Eccleſ. Iugum & lorũ curuant collũ durũ, & ſeruum inclinant operationes aſsiduæ.

Tertia.

Tertia ratio fuit purgatio peccatorum. Sicut enim forti lixiuio panni abluitur ad emundationem, ita corporis afflictione, anima abluitur ad ſui purgationem, vt quæ peccauit per illicitam delectationem, ſatisfaciat per aſperitatẽ & pœnitentiam. Eſt enim genus dæmonij, quod non eiicitur, niſi in oratione & ieiunio. Qui peccauerunt contra decem mandata decalogi, & doctrinam quatuor Euangeliorũ, qui peccauerunt corporis fragilitate, quod cõſtat ex quatuor elemẽtis, qui peccauerunt in anima per malam voluntatẽ, ignorantiã, omiſsionem, & per certã malitiã. Qui peccauerunt quatuor temporibus anni, vel quatuor partibus mundi, contra decẽ mandata decalogi, afflictione quadragenarij numeri ſatisfaciant, qui cõſtat ex quaternario & denario partibus multiplicatiuis, quater enim decem, faciunt quadraginta. Vnde & quadraginta annis filij Iſraël in deſerto laborãtes, venerũt in terrã promiſsionis, & quadraginta diebus purgatus eſt mũdus mũdatione diluuij, & Dominus noſter quadraginta diebus poſt reſurrectionẽ remanſit in terris. Quarta ratio eſt propter figurã & myſteriũ. Partes enim conſtitutiuæ quadragenarij ſunt vnitas, vniarius, quaternarius, quinarius, octonarius, denarius, & vicenarius. Semel enim quadraginta & bis viginti, & quater decem, & quinquies octo, faciũt quadraginta, quæ partes ſimul congregatæ ad quinquagenariũ perueniunt. Vnũ enim & duo, & quatuor & quinq;, octo & decem, & viginti, faciũt quinquaginta, qui numerus iubileus eſt, in quo debita remittuntur, & ſignat pacẽ, remiſsionẽ, & quietẽ. Sic igitur deſignatur, quod per quadrageſimalẽ obſeruantiã, peccatis nobis dimiſsis, ad pacem & æternã requiẽ perueniamus. Vnde B. Auguſtinus: Non venitur ad ſummã pacem mentis, niſi cum magno ſtrepitu & toris viribus pugnauerit quis cum vitiis: iuxta illud, periit memoria eorũ cum ſonitu, id eſt, cũ pugna, & ſtrepitu memoria peccatorũ. Quinta cauſa huius ſanctæ obſeruantiæ eſt propter præceptũ adimplendũ, vt ſoluamus Domino decimã temporis. Sicut enim alia bona temporalia, ita dies & noctes obtinemus à Domino, ex quibus in ſignũ vniuerſalis Domini, Dominus decimam partẽ ſibi vult reddi. Annus enim cõtinet trecentos & ſexagintaquinq; dies & quadrantem, quorũ decima ſunt triginta ſex dies, & medietas diei, & decima pars quadrãtis. Vt autem

Exod. 16. Gene. 7. Actuum 1. Quarta cauſa.

Quinta cauſa.

Quare ſub tali numero dierum fit hoc ieiunium.

ſummo

summo Sacerdoti Christo soluamus decimam decimarum, sicut in lege Leuitæ soluebant summo Sacerdoti, adduntur tres dies & dimidius, & ita expletur quadragenarius numerus. Et quia ex sex hebdomadis quadragesimæ, quadraginta duo dies continentur, remotis sex diebus Dominicis, quibus non ieiunamus, remanent dies triginta sex, quibus hos præsentes dies proximam Dominicam præcedentes addimus, vt sic quadragenarium numerum impleamus. Primitias autem dierum soluimus Domino quatuor vicibus in anno, tribus diebus ieiunando ieiuniis quatuor temporũ, vt sint duodecim dies secundũ numerũ duodecim mensiũ. Non solũ autẽ decimã dierũ, sed etiã noctiũ hoc tempore tenemur persoluere, vt de nocte ad orationem surgamus, & nõ solùm illicitis abstineamus, sed etiã quantũ licet à licitis & coniugalibus amplexibus abstineant cõiugati, vt sanctificemus ieiuniũ, iuxta illud Ioëlis Prophetæ: Egrediatur sponsus de cubili suo. Vt enim dicitur in Ecclesiaste: Templus est amplexãdi, & tempus longè fieri ab amplexibus, vti de imminente diluuio, seorsum mares, & seorsum fœminæ ingressæ sunt in arcam, per quod intelligi datur, quod tempore afflictionis non est vacandum amplexibus. Quidam autem in peccatis suis non contriti ieiunant, hi decimam suam malè reddunt. Qui autem in medio Quadragesimæ confessionem faciunt, non nisi medietatem persoluunt. Qui autem multum soluunt de palea & parum de grano, horum decimatio non placet Deo. Hi sunt qui dum vitam suam hoc tempore ab omni vanitate & superfluitate deberent restringere, vtendo parcius verbis, cibis, & potibus, somno, iocis & vestibus, ipsi ad lites & cõtentiones, ieiunant, sibi inuicem detrahentes & inuidentes, post prandium tabernas vel choreas frequentãtes, cùm tamen quilibet Christianus his diebus lugere peccata sua debeat, & arctius in custodia persistere. Qui enim in agone cõtendit, ab omnibus se abstinet. Si enim suspendimus cantica lætitiæ spiritualis, quantò fortiùs cantilenas lætitiæ secularis. Parum enim religiosus alio tempore demonstratur, qui in his diebus non religiosior inuenitur, in quibus bellum vitiis indicitur, nam diabolus derelictus, grauius à se recedentibus persequitur. Maior ergo & diligentior adhibenda est cautela, quia hostis noster acriori contra nos sęuit inuidia. In hac igitur Quadragesimali salutari obseruantia, in hac tanta solennitate, in hoc sabbato animarũ, non colligamus ligna mortalium peccatorũ, nec accendamus ignem concupiscentiæ carnalis in cunctis habitaculis nostris, sed emendemus in melius, quod imprudenter egimus. Non enim tantum valet abstinere à cibis, quantum mortificare vitia. Qui enim à cibis abstinent, & malè operantur, dæmones imitantur. Quantum ergo proni sumus ad culpam, tantum sumus proni ad satisfactionem, & qualis fuit ad peccandum intentio, talis sit ad pœnitendum deuotio, vt in vltimo die huius solennitatis, lotis manibus & vestibus, ad nuptias Paschales mundi ingrediamur. Propter hoc enim hodie cinerem recipimus, vt inde per humilitatẽ, & nostræ fragilitatis memoriã cum aqua lachrymarum & igne cõpunctionis lixiuium faciamus, quo maculas peccatorum abluamus. Sicut autem sigillatim & ordinatè panni in lixiuio ponuntur ad abluendum, ita sigillatim & ordinatè cõfiteamur peccata ad purgationẽ animarũ nostratũ. Sicut autẽ panni, dum abluuntur, fortiter percutiẽdo tunduntur, ita cum asperitate cõtritionis & pœnitẽtiæ debemus animas nostras & corpora flagellare. Vt autẽ mũdis manibus ad mensam Domini accedamus, cõtritio aquã, quam cõfessio super manus ad abluendũ proiiciat. Satisfactio verò mantile, quo manus extergantur, ministret: his enim tribus, quasi quibusdã ancillis, maximè hoc tempore ad purificationem nostram indigemus, vt sicut corde, ore, & opere deliquimus: ita corde per contritionem, ore per confessionẽ, opere per satisfactionẽ, Domino recõciliemur. Hæc est enim voluntas eius, sanctificatio nostra. Gaudium enim magnũ est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agẽte. In reuersione siquidem filij prodigi, pater lætus occurrit, amplexatur filium reuertentem, osculatur, symphonia & chorus in domo audiuntur, nouis calceamentis & vestibus pretiosis, abiectis veteribus, induitur: agit festum pater recuperans, quem creauit: agit festum filius, qui sanguinem pro peccatore fudit: agit festum spiritus sanctus, qui in anima pœnitentis iucundum recuperat habitaculum. Delitiæ enim eius sunt esse cum filiis hominum. Agunt festum Angeli, quia socios recuperant, vt instaurentur ruinæ malorum angelorum. Confidenter ergo accedamus ad eum, & proiiciamus nos in ipsum, non est enim ita crudelis, vt se subtrahat, qui rogat nos, vt reuertamur ad ipsum. Ipse enim omnium miseretur, & nihil odit eorum, quæ fecit. Si autem diligit omnia opera sua, quantò magis animam, propter quam fecit omnia alia? Si nihil odit eorum quæ fecit, quomodo non diligit animam, propter quam sanguinem suum fudit, propter quam redimendam annis triginta tribus in terra laborauit, cùm omnia alia opera sua sex diebus cõsummauerit. Miseretur igitur omnium Deus, vt largè sumatur miseratio: nam eius bonitas super omnia influit, secundũ eorum capacitatem. Omnibus enim bonus est creando, inesse cõseruando, vt meritò cõfiteantur ei omnia opera eius. Propriè autẽ miseretur omniũ, supple miserorũ & miserabiliũ personarũ. Suauis est enim Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Miseretur reproborũ, ad pœnitentiã eos expectãdo, ad bonũ inuitãdo, citra meritũ puniẽdo, bona tẽporalia cõferendo, qui Solẽ suũ facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Miseretur electorum à peccatis liberando, iustificando, & bona gratiæ conferendo, in bono conseruando, liberando à malis peruersis, & à malis auersis, & supra merita remunerando. In nostra translatione assignatur ratio in hunc modum: Misereris omnium, quoniam omnia potes, &

*Numer.* 18.

*De decimis & primitiis dierum.*

*De decimis noctium.*

*Ioël.* 2. *Eccle.* 3. *Genes.* 7.

*De his qui decimam malè reddunt non competenter ieiunando.*

*Isaiæ* 58.

1. *Cor.* 10.

*Quod hoc tempore artius nos deberemus custodire.*

*Num.* 15. *Exod.* 35.

*De mundicia ieiunii & receptione cinerum.*

*De contritione, confessione, & satisfactione.*

*De misericordia Dei & eius dilectione.*

*Genes.* 2.

*Quod multipliciter misereatur Deus.*

*Matth.* 5.

P 2 ideo mora

ideo mora patientiæ non aufert ei poteſtatem iudicandi cùm voluerit. Quia enim omnipotens eſt, non vincitur per impatientiam ſicut homo. Poteſt enim punire vel pœnam differre. Sufficit autem parcere ei, qui poteſt punire, vt parcendo & miſerando ſuam oſtendat potentiã, & propter hoc ſummè benignus eſt, quia ſummè potens eſt, vel quia omnipotens eſt, terrena & infima ira ſua indigna iudicat, ſicut in Gen. ipſe ait: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, id eſt, fragilis ſpiritus, vadens & nõ rediens, per ſe enim labitur, ſed per ſe non reſurgit, nec reuertitur. Vnde Dauid. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et per Iere. dicit Dominus: Supra omnes ego ſum, & non iraſcar in perpetuũ, tamẽ ſcito iniquitatem tuam. Miſeretur igitur omniũ, quia omnia poteſt: & nihil odit eorum, quæ fecit. Qui inuitus vel coactus aliquid facit, ſæpè odit quæ facit: Deus autem nihil inuitus conſtituit. Vnde in lib. Sapientiæ dicitur: Nec enim odiens aliquid cõſtituiſti aut feciſti. Et iterum: Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas. Ipſe enim contentus eſt poſſeſsione ſua, qui omnia fecit valde bona, vt per creaturas eius bonitas cognoſceretur. Peccata autẽ odit Dominus, quæ ſunt opera diaboli. Nunquã autẽ ea Dominus fieri permitteret, niſi inde bonũ eliceret. Eſau autẽ odio habuit, id eſt, reprobandũ cognouit. Diſsimulat autem peccata hominum, vt ad pœnitentiam prouocet, ſi enim ſtatim percuteret, nemo eſt qui euadere poſſet. Stulti autẽ & reprobi homines, hac patientia abutuntur. Vnde Iſa. Væ filij deſertores, vt ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, & addentes peccatũ ſuper peccatum. Et Iob: Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur in ſuperbia. Et Apoſtolus: An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundũ duritiã tuam, & cor impœnitẽs, theſaurizas tibi iram in die iræ. De hoc autẽ dicitur in Eccleſiaſte: Quia nõ profertur citò cõtra malos ſententia, abſq; vllo timore filij hominũ perpetrant mala. Et in Eccleſ. dicitur: Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſsimus enim patiens eſt redditor. De propitiatu peccatorum, noli eſſe ſine metu, & ne adiicias peccatum ſuper peccatum. Confidamus igitur de ipſius benignitate, qui nos creauit, qui nihil odit eorum, quæ ipſe volens & ſciens fecit, qui præſtabilis eſt ſuper malitia, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, cuius miſericordia ſuperexaltat iudicium, cuius oleum ſupernatat miſerationes eius ſuper omnia opera eius, qui ſuauis eſt & mitis, & multæ miſericordiæ & verax. Reuertamur ad eum, qui filio prodigo reuertenti lætus occurrit, qui deſcendentis de Hieruſalem in Iericho, vulnera miſericorditer alligauit. Qui peccatores non abiicit, qui non iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam vocare venit, qui omnem errantem ad caulas ouium propriis humeris reportauit, qui Chananæum & Publicanum vocauit ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem ſuſcepit, qui mulierem deprehenſam in adulterio liberauit, & latronem ſerò pœnitentem, atque iuxta ſe pendentem, ſibi in Paradiſo ſociauit, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat, qui ſtat ad oſtium & pulſat, qui repulſus & contemptus inſtat, auerſos reuocat, fugiẽtes inſequitur, renitentes intrare compellit, inimicos ipſe iniuriam paſſus ad concordiam inuitat, ſeruos ſuos ipſe Dominus rogat, gratiam offert, oblatam & repulſam, iterum offerre non ceſſat, amiſſam & rurſum abiectam, & contemptam iterum reddit, redditam conſeruat, & conſeruatam ſine fine remunerat. Eius enim gratia & miſericordia nos præuenit, comitatur, ſequitur. Ipſe enim Publicanum Matthæũ Apoſtolũ fecit, & Mariã peccatricẽ Apoſtolorũ Apoſtolã, Saulũ Eccleſiæ perſecutorẽ, Magiſtrũ & Gentiũ Doctorẽ fecit. Dauid dicẽti: Peccaui, dixit ſtatim per Nathan: Tranſtulit Dominus peccatũ à te. Sicut aliquis nõ poteſt ſtellas cœli & maris guttas numerare, ſic nec eius miſerationũ multitudinẽ poteſt quis enumerare. Quãtus enim ipſe eſt, tanta eius eſt infinita & incõprehenſibilis miſericordia. Vnde in Eccleſ. dicitur: Secundũ magnitudinẽ illius, ſic & miſeratio ipſius cum ipſo eſt. Et iterũ: Miſeratio hominis contra proximũ ſuũ, miſericordia autẽ Domini ſuper omnẽ carnem. Quæ enim mater tantũ laborauit in partu, vel quis agricola in meſſe, aut quis mercator in lucro pecuniæ, quantum Deus pro nobis laborauit in cruce? Vnde ipſe per Iſa. ait: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantẽ ſuũ, vt nõ miſereatur filio vteri ſui: & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Et iterum: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua, reuertere ad me, quoniam redemi te. Et rurſus: Antequam clament, ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et in Geneſi dicitur: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, id eſt, ſuper peccatores, per diluuiũ vitiorum fluentes, ſicut auis ſuper nidum ſuum volitando fertur, quando pulli ſui auferuntur. Et in Eccleſiaſtico dicitur: Pius & miſericors eſt Dominus, & remittet in die tribulationis peccata, & protector eſt, ſolicet, omnibus inuocantibus eum in veritate. Ipſe autẽ inuenta dragma perdita, cõuocat amicos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi. Et ſi enim aliquando ad vindictã & iuſtitiam, quaſi compellitur, de hoc dolere dicitur. Vnde per Iſaiam dicit: Heu, ego cõſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et in Gen. dicitur: Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominẽ, quem creaui, à facie terræ. Ipſe verò qui filium tradidit, vt ſeruum redimeret de perditione animarũ, dolet. Pronus enim eſt ad miſericordiã magis quàm ad vindictam. Vnde Dauid: Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabit me. Et iterum: Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Et per Iſaiam: In indignatione mea percuſſi te, & in reconcilia-

*Gene. 6.*
*Iere. 3.*
*Sap. 11.*
*Gene. 1.*
*Mala. 1.*
*Iſaiæ 30. De his qui patientia Dei abutuntur.*
*Iob 24.*
*Rom. 2.*
*Eccle. 8.*
*Eccle. 5.*
*Ioël. 2.*
*Iaco. 2. Quod pœnitẽs confidenter reuertatur ad dominum.*
*Lucæ 15.*
*Lucæ 10.*
*Matth. 9.*
*Mar. 2.*
*Matth. 15.*
*Lucæ 18.*
*Ioan. 8.*
*Lucæ 23.*
*Ezech. 18.*
*Apoc. 3.*
*Matth. 9.*
*Mar. 2.*
*Actuum 13.*
*1. Reg. 12.*
*Eccle. 2.*
*Eccle. 18.*
*Iſaiæ 49.*
*Iſaiæ 44.*
*Iſaiæ 45.*
*Gene. 1.*
*Eccle. 2.*
*Iſaiæ 1.*
*Gene. 6.*
*Rom. 8.*
*Iſaiæ 60.*
*Iſaiæ 54.*

tione tua misertus sum tui. Idem ad punctũ in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus. Ecce quàta est Domini misericordia, qui miseretur omniũ, & nihil odit eorũ quæ fecit. Certè & si non timeremus comminationẽ, erubescere debemus tantã Domini nostri rogantis nos dignationẽ & benignitatẽ, qui bonus, cõemptus & repulsus adhuc suũ nobis offert amorẽ, sicut in Isa. dicitur: Et erũt oculi tui videntes Præceptorẽ tuũ, & aures tuæ audientes verbũ post tergũ monentis. Quãtò autẽ maior est eius in præsenti misericordia, tantò maior erit in futuro eius ira & vindicta contra contemptores. Ipse enim retribuet abundanter facientibus superbiam. Quæ enim maior est superbia, quàm dominum suum rogantem contemnere. Propter hoc ipse per Salomonem ait: Vocaui & rennuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis, quod timebatis, aduenerit. Multi enim qui timẽt corporis afflictionẽ, vel mundi huius contemptũ & paupertatẽ, nolunt cõuerti ad Dominũ. Quod autem timent, eueniet ipsis. Erunt enim in afflictione summa corporis & animæ pauperes, & omni bono indigentes fine fine. Qui enim timent pruinam, irruet super eos nix, & fugiens arma ferrea, irruet in arcum æreum, id est, qui pœnam temporalem metuens, rennuit pœnitere, incurret pœnam æternam, quæ per niuem propter anxietatem frigoris designatur, & per arcum æreum, qui fortiter percutit, & propter perpetuitatem pœnæ, eò quòd æs sit valde durabile. Quæ enim maior vindicta potest excogitari, quàm fine fine torqueri? Si Iudex latronem suspendit, vel aliquẽ exquisitis tormentis interficit: hæc pœna citò transit, hæc vindicta parua est, & quasi nulla, respectu diuinæ vltionis. Durum est enim & horrendũ incidere in manus Dei viuentis. Super quem enim ceciderit lapis iste, conteret illum. Dum ergo tempus pœnitentiæ & locum veniæ habemus, non negligamus quærere Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Veniet enim tempus, quãdo ipsum libenter quęreremus, sed non poterit à reprobis inueniri, vocabunt, sed nõ exaudientur. Dum tempus messis, tempus plenitudinis est, colligamus in æstate vnde viuamus in hyeme, quando non licet operari. Vnde Dominus ait: Videte ne fuga vestra fiat in hyeme vel sabbato. In hyeme mortis, in sabbato post mortem, quando non licet operari. Non desperemus de multitudine peccatorum, ipse enim miseretur omnium, qui misericordiam eius non repellunt. Sed ne iterum præsumamus de misericordia eius, attendamus eius iustitiam inflexibilem, eius potentiam inuincibilem, eius sapientiam infallibilem, qui pro esu vnius pomi primos parentes de Paradiso eiecit, quod hodie repræsentatur in publicè pœnitentibus, qui de Ecclesia eiiciuntur, sicut Adam fuit eiectus de Paradiso. Cilicium datur eis, sicut Dominus tunicas pelliceas primis parentibus fecit. Cinis super caput ponitur, vt reducant ad memoriam id quod dictum est Adam & vxori eius: Puluis es & in puluerem reuerteris. Candelas etiam ardentes in quibusdam Ecclesiis tenent hodie pœnitentes in manibus, per quas romphæa ardens designatur, qua inclusa fuit via Paradisi exulibus & eiectis. Vnde à clero coram ipsis cantatur: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Et iterum: In sudore vultus tui vescèris pane tuo. Sicut igitur per hæc diuina iustitia recolitur, ita per officium Missæ diuina misericordia memoratur, ne desperemus considerando misericordiam, nec præsumamus attendendo iustitiam, sed inter spem & timorem, quasi media via cauti incedamus.

*Isaiæ 54.*

*Isaiæ 30. De vindicta incontemptores.*

*Prouer. 1.*

*Iob. 3.*

*Iob. 6. Iob. 20. De acerbitate vindictæ.*

*Heb. 10. Matth. 21. Isaiæ 55. Conclusio quod quærendus est Dominus dum inueniri potest. Parab. 6. Ioan. 9. Matth. 24. Mar. 9. Luc. 18. De iustitia diuina. Gen. 3.*

*De mystica receptione pœnitentium.*

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM ex Ioële Propheta.

*Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu: & scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* *Ioël 2.*

NON est mirum fratres, quod seruus rogat dominum, vel si is, qui fecit iniuriam, rogat eum, & inuitat ad concordiam, qui passus est iniuriam. Sed hæc est mira & incomprehensibilis Saluatoris misericordia, qui cùm sit Dominus, rogat seruũ, cùm sit iniuriam passus, inuitat nos ad concordiam. Quid ergo fiet de seruo contumace, qui negligit vel dedignatur cum Domino pacem habere? Durum est enim contra stimulum calcitrare, contra summè potentem pugnare. Qui nunc rogari nolunt cum ipso habere amicitiam, aliquando ipsi rogabunt, sed nunquam pacem cum ipso habere poterunt. Nunc autem cum ipso pacem habere possumus, si tres legatos pacis tanquam fideles mediatores præmiserimus, scilicet, verã cordis contritionem, plenã cordis confessionẽ, sufficientem operis satisfactionem, vt dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Hac enim via, quasi itinere trium dierum, ad Deum reuerti debemus, vt sicut corde peccauimus per malam voluntatem, & ore per indebitam locutionẽ, & opere per illicitã actionem, ita corde satisfaciamus per cõtritionem, ore per confessionẽ, opere explendo pro virili nostra iniunctam pœnitentiam. Vnde Ozee Propheta dicit: Visitabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Et Dominus in Euangelio: Ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor. Prima die & secunda, id est,

*De misericordia Dei rogantis. De contumacia recusantis.*

*De tribus legatis pacis. De ternario contritionis, confessionis & satisfactionis.*

*Osee 6. Luc. 13.*

cordis contritione & oris confessione, dæmonia, peccata, scilicet, mortalia eiiciuntur, & peccator iustificatur. Tertia verò die per satisfactionē cōsummatur & perficitur purgatio, vt sit arca veri Noë, id est, Christi, tricamerata per contritionem, confessionē, & satisfactionem, & confundatur diabolus, dum per hęc tria amittit animā, quam firmiter se possidere putabat. Propter quod Isa. ait: In tribus annis, quasi mercenarij, auferetur omnis gloria Moab. Mercenarius est pœnitēs, qui pro mercede æterna seruit in humilitate, & multiplici labore, qui tribus annis contritionis, cōfessionis, & satisfactionis, recedens à diabolo, aufert illi seipsum, in cuius detētione gloriabatur. Propter has tres dietas dicitur in Gen. quod Abraham die tertio venit ad locum vbi debuit immolare filium suum. His enim tribus dietis sacrificium iustitię perfectè Domino immolamus. Vnde Dominus per Isaiā dicit: Recedite, recedite, exite. Et iterū: Eleuare, eleuare, consurge Hierusalem. Et in Cantic. Veni de Libano soror mea, veni de Libano, coronaberis. Veni per contritionē, veni per confessionē, veni per satisfactionē, & per hæc tria coronaberis in vitā æternā. Contritio enim pungit apostema, cōfessio sanię educit, satisfactio vulnera ligat & emplastrū apponit, & ita sanatur anima pœnitētis. Iuxta illud: Commouisti terram, & conturbasti eam, sana cōtritiones eius, quia cōmota est. Non enim anima sanari potest, nisi cōmoueatur & cōturbetur per dolorē contritionis, & pudorem cōfessionis, & laborē satisfactionis. Ex hac enim salubri conturbatione, confunditur & conturbatur inimicus, nec finitur in anima quiescere, sicut scriptū est in Psalmo: Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, cōuertantur & erubescant valde velociter. Conturbātur in cōtritione, erubescunt in confessione, cōuertuntur in satisfactione. Ambulās enim inimicus per loca arida & inaquosa, quia requiem ibi non inuenit, recedit. Non enim pœnitentiū asperitatem valet sustinere, sed sicut canis duris lapidibus obruitur & effugatur, qui tamē frusto laridi percussus, nunquam fugaretur, sed magis alliceretur. Audiant delicati & molles pœnitentes, qui in deliciis & carnalibus voluptatibus ieiunant. Conuerti igitur debet peccator ad Dominum in toto corde, vt perfectè pœniteat, quia mens diuisa non impetrat, nec potest duobus dominis seruire. Non enim potest gaudere cum mundo, & regnare cum Christo. Perfecta autem pœnitentia in tribus consistit, in fletu & planctu contritionis, in apertione cordis per virtutē confessionis, quod signat Propheta cùm ait: Scindite corda vestra, in labore satisfactionis, propter quod Propheta dicit: In ieiunio, non solùm à cibis carnalibus, sed à vitiis quoque & ab omnibus illicitis. Primò ergo debet peccator verè conteri in corde, vt suscitetur mortuus in conclaui. Secundò debet conteri ore, vt suscitetur mortuus in porta ciuitatis. Tertiò debet satisfacere in opere, vt suscitetur velut Lazarus fœtidus & quatriduanus. Hi enim tres modi suscitādi peccatorem, per tres mortuos, quos Dominus suscitauit, significātur. Cuius mysteriū in tunsione pectoris designatur. In percussione enim pectoris, contritio cordis: in sono, confessio oris: in manu, satisfactio operis designatur. Hi sunt tres panes refectionis, quos Sarra ex tribus satis farinæ fecit, sicut dicitur in Genesi. Hæc igitur tria sacrificia, cordis, oris, & operis, continent in se veram pœnitentiam, quæ secunda est post naufragium tabula: per quam non solùm cōmissa delentur, sed amissa restituuntur, virtutes infunduntur, & sanitates perficiuntur. Ipsa enim de impio facit pium, de iniusto iustū, de inimico amicū, de superbo humilē, de lupo agnū, de seruo liberū, de filio perditionis filiū adoptionis, per quam vitatur gehēna, & acquiritur æterna gloria. Et quoniā tanta est virtus & efficatia pœnitentiæ, ab ea Ioannes Baptista prædicationem suam inchoauit, dicēs: Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnū cœlorum. Et iterum: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et Dominus noster post baptismū & ieiuniū suum eodem modo inchoauit, dicens: Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnū cœlorum. Et Petrus, in die Pentecostes, Iudæis, qui Dominū crucifixerunt, ait: Agite pœnitentiā, & baptizetur vnusquisq; vestrū. Est enim, vt ait beatus Augustinus, pœnitētia quædam dolens vindicta, puniens in se, quod dolet cōmisisse. Quædā autē pœnitentia est exterior, quæ nō prodest sine interiori, propter quod Propheta dicit: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Interior autē pœnitentia, dicitur cordis contritio, quādo, scilicet, homo, gratia Dei præueniente, ex recordatione peccatorū suorū conteritur interius, & quasi in puluerem cor eius cōtribulatum redigitur per humilitatem. Vnde Propheta ait: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus non despicies. Ad hoc autem quod vera & fructuosa sit contritio, oportet quod doleat cum cordis amaritudine & peccati detestatione, cum spe veniæ & satisfaciendi voluntate. Oportet enim quod pœnitens cum amaritudine doleat. Et Ieremias ait: Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Et Ioël: Plange quasi virgo, accincta sacco super virum pubertatis suæ. Sic igitur plangenda est anima peccatis mortua, sicut vnigenitus à matre, & maritus ab vxore, imò magis plangenda est anima propria quàm caro aliena. Vnde beatus Augustinus: Sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna corporis vel mortem amici, & dolorem peccati non ostentat in lachrymis. Quoniam igitur Dominus sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, recogitemus annos nostros in amaritudine animæ nostræ, dicentes cum sapiente muliere: Nolite me vocare Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amarum, quia amaritudinibus me repleuit omnipotens. Talis enim amaritudo, vermes malæ conscientiæ & carnalium desideriorum, interimit. Sit igitur pœnitens ita pronus ad lamentationem, quantum fuit pronus ad culpam, & qualis fuit ad peccatum intentio, talis sit ad pœnitendum

*Gene. 8.*

*Gene. 22.*

*Isaiæ 52.*
*Isaiæ 51.*
*Cant. 4.*

*Matth. 12.*
*Lucæ 11.*

*De virtute & veritate contritionis.*
*Matth. 6.*
*Iaco. 1.*

*De mysterio trium mortuorum.*
*Matth. 9.*
*Lucæ 7.*
*Ioan. 11.*

*De mysterio tunsionis pectoris.*

*Gene. 18.*

*De vera pœnitentia & virtute eius.*

*Matth. 3.*
*Mar. 1.*
*Lucæ 3.*
*Actuum 2.*

*De duplici pœnitentia.*

*Quod fructuosa pœnitentia quatuor debet habere.*

*Primum de amaritudine cordis.*
*Iere. 6.*
*Ioël. 2.*
*Augustinus.*

*Isaiæ 38.*
*Ezech. 1.*

nitendũ & lugendũ deuotio, vt risus dolore misceatur, & extrema gaudij luctus occupet. Iuxta illud Iacobi Apost. Miseri estote, & lugete. Et Ezech. ait: Panẽ tuũ in perturbatione comede, & aquã tuã cum festinatione & mœrore bibe. Hic est panis lachrymarũ, & refectio pœnitentiũ, panis subcineritius, & vas aquæ, panis humilitatis, & aqua purgationis. De quo pane dicitur in Iob: Antequã comedam, suspiro. De qua aqua dicitur in Ierem. Quis dabit capiti meo aquã & oculis meis fontẽ lachrymarũ. Igitur in amaritudine moretur oculus pœnitentis, & in cubili cordis sui cõpungatur, vt nubes tristitiæ & interioris doloris in pluuiã lachrymarũ erumpat, & ex fumo cõpunctionis lachrymas extorqueat. Magnitudo enim fumi, signũ est ignis interioris & magni hospitis, qui tangit montes, & fumigant. Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. In terra enim Heuilath, id est, lugẽtium & dolentium, inuenitur aurũ optimum, scilicet, aurum sapientiæ, sicut dicitur in Genesi. Et in libro Regum dicitur: Cùm esset Anna amaro animo, orauit Dominum, flens largiter, & ideo petitionem suam obtinuit à Domino. Vnde & Psalmus ait: In cubilibus vestris compungimini, id est, interius in cordibus. Quod fit, dum congregantur sicut in vtre aquæ maris, id est, peccatorũ amaritudines in vtre memoriæ per recordationẽ colliguntur. Aquæ enim quæ sub cœlo sunt, cõgregantur in vnum locũ, dum pristinæ voluptates ante mentis oculos ponuntur, ad recordandum & recolendũ peccata præterita. Vnde Ioannes Chrysost. Nullum tale est remedium peccatorũ, quàm continua memoria delictorũ. Vnde Ieremias: Leua oculos tuos in directũ, & vide vbi prostrata sis. Ideo Psalmista ait de diabolo: Dedisti eum escã populis Æthiopum. Quod fit per ruminationẽ & recordationem peccatorum. Et Dominus in Genesi ait: Adam, vbi es? quasi diceret: Statum tuũ considera, & peccata tua ad memoriã reuoca. Dum enim ad memoriã cum amaritudine peccata reducuntur lachrymis pœnitentiæ, vt ait Origenes, dæmon obruitur. Et in Parab. dicitur: Cor quod nouit amaritudinẽ animę suę, in gaudio eius miscebitur extraneus, id est, diabolus. Et in Eccles. dicitur: Est qui multa redimat modico pretio, id est, cordis contritione. Quia, vt ait B. Augustin. non tam cõsideranda est mensura temporis, quàm doloris. Vnde Agnus paschalis præcipitur manducari cum lactucis agrestibus. Igitur secundũ Ieremiã, pœnitens statuat sibi speculã, ponat sibi amaritudines. Vnde Dominus in Isaia: Ad quem ego respiciã, nisi ad pauperculũ spiritu, & contritũ, & trementẽ sermones meos? Et Iob ait: Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt. Quid igitur faciendum est illis, quorum cicatrices putruerunt & corruptæ sunt? Oportet vti grauiori medicina, vt ferro contritionis abscindantur vulnera inueteratæ consuetudinis.

*Parab. 14. Iacob. 4. Ezech. 12. 3. Reg. 19. Iob 3. Iob 9. Iob 17.*

*Gene. 2. 1. Reg. 2.*

*Gene. 2.*

*Ierem. 3.*

*Gene. 3.*

*Parab. 14. Eccle. 20.*

*Exod. 12. Ierem. 31.*

*Isaiæ 66.*

Doleat autem, non solùm de malis commissis, sed de bonis omissis, de tempore, quod malè consumpsit, & de bonis, quæ amisit. Qui enim in vno offendit, multa bona perder, teste Salomone. Omnis enim virtus ab vno vitio patitur detrimentum. Quia modicum fermenti totam massam corrumpit. Doleat præterea de magnitudine qua Deum offendit, qui multa bona ei contulerat, & idcirco magis peccauit. Vnde beatus Augustinus: Ideo Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Lugeat, quia omnia peccata priùs dimissa, redierunt, & repetuntur vsque ad vltimum quadrantem. Qui enim in vno offendit, omnium est reus, sicut dicit Iacobus Apostolus. Lugeat, quia Deum à se fugauit, & contumeliam spiritui sancto fecit, diabolo se subdidit, animam suam coinquinauit, & letaliter vulnerauit. Proximos suos exemplo malo corrupit, bonis tristitiam intulit, inimicis suis gaudium fecit, orationes & beneficia Ecclesiæ, ne sibi prodessent, amisit, Christi incarnationem, crucem, sanguinem, & fructum passionis, quantum in se est, euacuauit, & sibi inutilia reddidit, malam conscientiam incurrit, æternam hæreditatem suam, quantum in se est, amisit, mortem æternam & cruciatus infinitos promeruit. Ecce quanta est doloris & amaritudinis materia verè pœnitenti, dum considerat vniuersa damna sua. Sic enim dolendum est ei, vt ait beatus Augustinus, quod si fieri posset, quasi quidam sanguis animæ eliciatur. Fructuose autem dolere debet, scilicet, cum spe veniæ. Iudas enim valdè doluit, sed quia veniam non sperauit, laqueo suspensus, interiit. Dolendum est præterea cum proposito & voluntate satisfaciendi. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, vel in pecunia vel in pœna. Vnde Apostolus ait ad Romanos: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Non enim dignos facit fructus pœnitentiæ, nisi secundum qualitatem criminũ offerat Deo pro posse suo sacrificium bonorũ operum, vt respondeat ei in via virtutis suæ. Debet præterea dolere cum peccatorum detestatione, vt non solùm abominetur peccata præterita, sed & futura. Non recordetur peccatorum cum detestatione, futura autem tanquam venenum mortiferum abhorreat. Non solùm enim peccare, sed & velle peccare, damnabile est. Vnde Dominus ad mulierem: Vade, & amplius noli peccare, id est, peccandi voluntatem non habeas. Sicut autem mortale dum displicet, fit veniale, ita veniale dum placet ex contemptu, fit mortale. Vera enim pœnitentia est, vt ait Ambrosius, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, id est, committendi voluntatem iterum non habere, quod est peccatum detestari. Qui enim, vt ait beatus Gregorius, sic alia deplorat, vt tamen alia committat, pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Et Isidorus ait: Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Sicut si quis lauet laterem crudum, quantò magis abluit, tantò magis lutum facit. Hæc igitur quatuor in vera cõtritione

*De multiplici dolore. Eccle. 10. Gala. 5.*

*Matth. 5.*

*Iaco. 2. Hebr. 10.*

*Secundum quod contriti debet spe veniæ.*

*Tertiũ quod dolere debet cum proposito satisfaciendi. Rom. 6.*

*Quartũ quod contritio debet esse cum detestatione peccati. Ioan. 8.*

exiguntur, Cordis amaritudo, Peccati deteſtatio, Spes veniæ, & Propoſitũ ſatisfaciendi. Com-
*De vera compunctione.* punctio autẽ dicitur cordis humiliati cum deuotione ſeu lachrymis, punctio ſiue ex recorda-
tione delicti, ſiue ex beneficiorũ recordatione, ſiue ex Chriſti paſſione, ſiue ex timore gehennæ
vel deſiderio vitæ æternæ, vel quacunq; alia cauſa, anima pungatur ad deuotionẽ, ex qua com-
*Eccle.22.* punctione lachrymæ ab oculo cordis eliciuntur, ſicut ſcriptum eſt: Punge oculum, & producet
lachrymas. Vbi autem tales lachrymæ abundant, ſordidæ cogitationes non approximãt. Com-
punctio enim cor hominis purgat, mentẽ illuminat, ſpiritũ confortat & corroborat. Non ſuffi-
*De oris confeſſione. Luc. 17.* cit autem cordis contritio, niſi ſubſequatur oris confeſsio. Ore enim confeſsio fit ad ſalutem:
Vade oſtende te ſacerdoti. Sin autem ſecundũ conſilium Auguſt. ſocio confiteatur: & ſi enim
ille cui confitetur, ſoluendi poteſtatem non habeat, fit tamen dignus venia ex deſiderio ſacer-
*Quod ſola contritio ſufficit cum ſacerdos haberi non poſsit. Ezech. 18.* dotis, qui confitetur ſocio turpitudinem criminis, ſicut idem Auguſtinus ait: Qui enim con-
teritur dummodo loco & tempore, peccatum confiteri non contemnat, ipſa contritione pec-
catum ei dimittitur, ſicut ſcriptum eſt: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Do-
mino, & tu remiſiſti. Quacunque enim hora ingemuerit peccator, & conuerſus fuerit, om-
nium iniquitatum eius non recordabitur Dominus. Vnde & leproſi dum irent ad ſacerdo-
tes, in via mundati ſunt. Et Lazarus primò in ſepulchro à Domino ſuſcitatur, & poſteà diſci-
pulis ſoluendis traditur. Si autem peccator non habeat voluntatem confitendi, vel poſt ha-
bitam contritionem contemnat confiteri, omnia peccata illi imputantur ac ſi non fuiſſet con-
tritus. Confeſsio enim oris in præcepto eſt, tam in veteri quàm in nouo teſtamẽto. Vnde Iſa.
Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Et in lege præcepit Dominus, vt lepra oſtendatur
ſacerdotibus, ad quos pertinet diſcernere inter lepram & lepram. Vnde Pſalmiſta: Introite
portas eius in confeſsione. Portas eius indulgentiæ & diuinæ miſericordiæ in peccatorum
*Quod neceſſe eſt ore confiteri, ſi copia ſacerdotis poſsit haberi. Parab. 28. Eccle. 4. Eccle. 17. Iſaiæ 58. Oſee 13.* confeſsione. Confeſsio enim & pulchritudo, id eſt, animæ purgatio in conſpectu eius. Hæc
eſt medicina animæ, quam Medicus ſpiritualis debet exhibere. Vnde Ieremias ait: Nun-
quid Reſina non eſt in Galaad, aut Medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obdu-
cta cicatrix filiæ populi mei. Et Salomon: Qui abſcondit peccata ſua, non dirigetur: qui au-
tem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Et in Eccleſiaſtico: Non
confundaris pro anima tua peccata confiteri. Et iterũ: Ante mortem confitere. A mortuo enim
velut ab eo, qui non eſt, perit confeſsio. Diſſoluat ergo peccator colligationes impietatis. De
quibus Ozee dicit: Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum eſt peccatum eius. Narra,
*Iſaiæ 43. 2. Reg. 12.* inquit Iſaias, ſi quid habes, vt iuſtificeris. Qui enim ſe non accuſat in præſenti, eius accuſatio
in fine à diabolo reſeruatur. Dauid autem non audiuit: Tranſtulit Dominus peccatum tuum
à te, niſi poſtquam confeſſus eſt Nathan peccatum ſuum. Propter quod dicitur in Canticis:
Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus noſtris, vt poſsit dicere peccator cum
*Gene. 43. Leuit. 17.* Dauid: Deus vitam meam annuntiaui tibi. Iudas enim, id eſt, confeſsio, ſemper debet
præcedere ad bellum, & adducere Beniamin, id eſt, pœnitentem, qui eſt filius dexteræ, ad
verum Ioſeph. Non enim debemus manducare carnem cum ſanguine, nec edere ſuffoca-
*Iob 7.* tum, ſed debemus ſanguinem peccatorum confeſsione effundere. Vnde Iob: Non parcam,
*Iob 31.* ori meo: loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor in amaritudine animæ meæ. Et ite-
rum: Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem. Et Pſalmi-
*Num. 5.* ſta in perſona eorum, qui peccata ſua ſilentio abſcondunt, ait: Quoniam tacui, inueterauerunt
oſſa mea. Et in Numeris dicitur: Vir ſiue mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent
hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſsi fuerint mandatum Domini, atque deli-
querint peccatũ ſuum, confitebuntur. In nouo autem teſtamẽto, expreſsè præcipitur confeſsio.
*Lucæ 17. Ioan. 11.* Vnde Dominus in Euang. leproſis ait: Ite, oſtẽdite vos ſacerdotibus. Et Lazarũ de monumẽto
ſuſcitatũ, obtulit Dominus diſcipulis ſoluendũ. Per hoc oſtendens ſoluendi poteſtatẽ ſacerdo-
*Quod non ſolum in veteri ſed in nouo teſtamento præcipitur fieri confeſsio ſacerdoti.* tibus eſſe conceſſam. Quomodo enim ſanabitur beneficio Eccleſiæ, qui morbũ ſuum non vult
aperire? Quomodo enim ius ligandi atq; ſoluẽdi ad ſolos ſacerdotes pertinet, ſi quiſq; arbitrio
ſuo ſe ſoluere & ligare poteſt, & non vult ſe ſuo ſacerdoti oſtendere? Fruſtrat enim claues Ec-
*Matth. 3. Mar. 1. Actuum 19. Iac. 5.* cleſiæ, qui ſine arbitrio ſacerdotis vult pœnitentiam agere. Vnde in Euangelio Matthæi de
Ioanne Baptiſta dicitur: Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio
circa Iordanem, & baptizabãtur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua. Et in actibus Apo-
ſtolorum dicitur, quod multi credentium veniebant ad Paulum, confitentes & annuntian-
tes actus ſuos. De leuibus autem & quotidianis peccatis, dicit Iacobus: Confitemini alteru-
trum peccata veſtra. Maiora enim ſacerdotibus confiteri debemus, qui habent poteſtatem à
*Matth. 16.* Domino ligandi & ſoluendi. Petro enim & eius vicariis dictum eſt: Quodcunque ligaue-
ris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum
*Matth. 10. Mar. 5. Lucæ 8.* & in cœlis. Licèt autem eiecta turba, Dominus ſuſcitaſſet puellam in conclaui, præſentibus
tamen patre & matre, Petro quoque, Iacobo, & Ioanne, vitæ reddita eſt. Peccatum enim
quamuis occultum miniſterio ſacerdotum, dimittitur per ſupplicationem Eccleſiæ, propter
quod vocati ſunt pater & mater puellæ. Vnde beatus Auguſtinus: Taciturnitas peccati eſt
ſuperbia naſcitur cordis, ex eo quod non vult talis apparere in conſpectu hominis, qua-
lem ſe exhibuit in conſpectu Dei. Sine humilitate verò nemo poteſt reconciliari Deo.
Vnde beatus Auguſtinus ſuper hunc locum: Non me demergat tempeſtas aquæ, nec vrgeat

ſuper

super me puteus os suum, ait. Non claudit super te puteus os suum, nisi tu prius clauseris os tuum. Et iterum: Dum veritas confessionis oritur de terra cordis, iustitia de cœlo prospicit, dicens: Parcamus huic, quia sibi non parcit: ignoscamus, quia agnoscit peccatum. Si enim homo deregit, Deus tegit, si accusat, Deus excusat. Vnde Dominus vt inuitaret Adã ad confessionem post peccatum, dixit ei, Adam vbi es? Ipse verò peccatum non negauit, sed non fuit humilis confessio, eò quòd se per mulierem voluit excusare. Cain similiter inuitatus est ad cõfessionem, cùm ait Dominus: vbi est Abel frater tuus? Ipse verò peccatum suum occultauit, dicens: Nescio Domine, & idcirco veniam non meruit, sed maledictionem incurrit. Iuxta illud Isaię: Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera: & dicitis, quis videt nos? Et Amos de talibus ait: Si absconderunt se in profundo maris, ibi mandabo serpenti & mordebit eos: Debet ergo detegere sua vulnera medico spirituali, cuius est discretionem habere inter lepram & lepram. Ad pondus enim sanctuarij ponderanda sunt omnia, vt non proprio, sed sicut determinatur ab ecclesia, pœniteat. Vnde dicitur in Leuitico: Sacerdos numerum annorum vsque ad iubileum supputabit: eius arbitrio pœnitentiæ tempora diffiniuntur. Multi enim peccata sua vel ignorant, vel minora, quã sint ipsa, ęstimant. Vnde necesse est quod à sacerdotibus instruantur. Non solum autem propter peccati cognitionem inducta est confessio, sed vt superbo humilitas incutiatur, dum ad pedes sui confessoris constitutus eidem suas aperit turpitudines, & eius audit increpationes & correptiones. Tertia causa est propter verecundiam, quæ magna pœnitentiæ pars est. Vnde Aug. Quantò plus tibi confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius consequitur gratiam remissionis, quod fit per confessionem erubescentiæ & pudoris. De his autem qui de peccatis non erubescunt, ait Ieremias. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Et in Ecclesiastico dicitur: Est confusio, adducens peccatum, & est confusio, adducens gratiam & gloriam. Quarta causa est propter cautelam, vt ei timor incutiatur. Multi enim timent peccare, eò quòd oporteret peccata sua manifestare. Grauiter enim sumitur edulium, quod necessario sequi habet antidotum confessionis & satisfactionis. Quinta causa est vt suffragia & orationes confessoris, cuius efficitur filius spiritualis. Sacerdos enim videns iumentum fratris sui quatur in foueam cecidisse, secundum legis mandatum, tenetur ipsum subleuare. Sexta causa est propter deuotionem & peccatorum recordationem. Multi enim accedunt indeuoti, qui cum lachrymis & deuotione recedunt, & dum peccata sua confitentur, quandoque reducunt ad memoriam, quę obliuioni tradiderunt. Propter hanc confessionis virtutem & efficatiã ait Dauid: Confitebor Domino nimis in ore meo. Vnde legitur quod cùm quidam esset in periculo maris coram omnibus quoddam peccatum abominabile confessus est. Cessante autem tempestate, nullus ad memoriam potuit eius peccatum reducere. De alio legimus, quod cùm dęmoniacus ei peccata sua exprobraret, ipse verecundia ductus confessus est sacerdoti peccata sua, cumque ad dęmoniacum rediret, nihil ei penitus potuit exprobrare. Ad hoc autem quod fructuosa sit & Deo placens confessio, oportet quod quatuor comites habeat, scilicet, quod sit pura, frequens, festinata & integra. Sit pura ex corde puro & contrito. Nisi enim præcedat contritio, non prodest sequens confessio. In inferno autem, id est, in mortali peccato dicit Propheta: Quis confitebitur tibi? Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, viuens non solum vita naturæ, sed insuper vita gratiæ. Teste enim beato Augusto: Nisi enim veteris vitæ pęniteat, nõ potest nouam inchoare. Multi enim sine contritione & dolore peccata confitentur per iactantiam, qui lętantur cùm malefecerint. Vnde Propheta: Et peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt. Talis confessio non solum veniam non meretur, sed prouocat iram. Sit præterea pura sine simulatione vel falsitatis admixtione, sicut quidam, qui causa fictæ humilitatis vel superstitionis confitentur peccata, quæ non commiserunt. Teste enim beato August. quando quis causa humilitatis mentitur, quod vitabat, efficitur, scilicet superbus. Talis enim hypocrisis species est superbiæ. Quando verò de aliquo dicuntur vtrum sit peccatum, vel aliquis credit esse peccatum, quod peccatum non est, vel veniale credit esset mortale: tunc ipsum debet confiteri & conscientiam suam liberare, bonarum enim mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Sit præterea pura, sine duplicitate, vel tergiuersatione, sine fermento excusationis & malitiæ: non faciat perizomata cum primis parentibus, planè & nudè confitea tur: non excuset se per ętatem vel infirmitatem, vel per generis nobilitatem, nec per malorum societatem, seu per naturam vel consuetudinem. Non declinet cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Nemo enim potest compelli ad peccandum. Voluntas enim cogi non potest, nec esset actuale peccatum, nisi esset voluntarium. Non igitur se excusset, non se defendat, non attenuet peccata sua. Sit integra confessio, vt omnia peccata quæ recolit cum omnibus circunstantiis aggrauantibus peccatum, vni sigillatim & diligenter cum omni cautela & humilitate confiteatur. Non enim vnum peccatum sine alio dimittitur. Non est conuentio Christi ad Belial, nec recedit auis infernalis ab anima, quàmdiu nidum suum reperit in ea. Teste enim beato Augustino: Quædam impietas infidelitatis est, ab eo qui iustus est: & iustitia dimidiam sperare veniam. Totum enim hominem sanauit Deus in Sabbatho. Vnũ autem vulnus sufficit ad mortem. Vnde Beda ait: Quid prodest si tota ciuitas custodiatur, & vnum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur. Vnde Dauid: Effundite coram illo

*Gene. 3.*
*Gene. 4.*
*Isaiæ 29.*
*Amos. 9.*
*Ratione multiplici obtendenda sunt sacerdoti peccata.*
*Deut. 17.*
*Leuit. 27.*
*Prima causa.*
*Secũda causa.*
*Tertia causa.*
*Iere. 4.*
*Quarta causa.*
*Quinta causa.*
*Exod 23.*
*Sexta causa.*
*De virtute confessionis.*
*Confessio quatuor comites habere debet.*
*Pura dicitur esse sine contritione non prodest confessio.*
*De secunda puritate.*
*De tertia puritate.*
*1. Cor. 5.*
*Gene. 3.*
*Iob. 10.*
*Quod integra debet esse confessio.*
*2. Cor. 6.*
*Ioan. 7.*

corda vestra. Et iterum: Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Non dimidio, sicut nuncij Dauid, quibus Amon Rex Amonitarum rasit dimidias barbas, & medias vestes præscidit vsque ad nates. Malè quidem pecus excoriat, qui totam carnem à pelle non separat. Confiteatur præterea omnia quæ reducere potest ad memoriã vni sacerdoti. Vnde beatus Augustinus: Caueat pœnitens, ne verecundia ductus, diuidat apud se confessionem: vt diuersa diuersis velit sacerdotibus manifestare. Quædam vni celat, quæ alij manifestanda conseruat, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere. Hoc est enim scindere vestimenta confusionis, quibus vestita est anima peccatoris. Si tamen pœnitens, postquam confessus fuerit, aliquod peccatum recolit, quod prius tradiderat obliuioni, id potest dicere sacerdoti alij, tutius tamen est quod dicat priori, si eius copiam habere possit. Sit præterea integra confessio: vt omnia peccata non solum specialiter, sed & indiuidualiter, inquantum potest sub certo numero actionum & personarum manifestet. Iuxta illud: Lauabo per singulas noctes lectum meum: lectum, scilicet, conscientiæ, per singulas noctes peccatorum, vt omnis sanies peccatorum per testam confessionis eradatur, & ita colligationes impietatis dissoluantur. Vnde Isaias: In die illa radet Dominus nouacula acuta in Rege Assyriorum, & in his qui trans fretum sunt, caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam. Adueniente enim Christo, gentiles, qui Deum ignorabant, nouacula confessionis renouati sunt, deponentes pellẽ veterem cum actibus suis. Et quoniam multa peccata traduntur obliuioni, quæ in generali contritione dimittuntur, vtile est semper in fine cõfessionis generaliter confiteri ea quæ tradita sunt obliuioni. Sit præterea confessio integra, vt confiteatur pœnitens, non solum peccata, sed circunstantias peccatorum. Multi enim confitentur factum, sed supprimunt modum. Abscondat igitur cum Rachẽle idola Laban sub fimo, id est, peccata sub stercoribus pœnitentiæ, & non solum idola, sed cum Iacob omnia phylacteria idolorum sub terebintho confodiat, id est, omnem circunstantiam per memoriam crucis seipsum mactando sepeliat. Nihil retineat de anathemate Iericho, sed cum Moyse Ægyptium sub sabulo sepeliens, vitulum conflatilem in puluerem minutissimum redigat. Detracta enim pelle hostiæ per peccati nudationem, artus in frusta concidantur, vt omnes circunstantiæ aperiantur, & panis sartaginis minutatim diuidatur, sicut præcipitur in Leuitico. Et in eodem dicitur: Qui offert hostiam pacificorum, offerat simul libamenta, id est, simul peccatorum circunstantias. Confodiat Aod pugione confessionis adipem peccatorũ, quousque sordes, id est, peccatorũ circunstantię prorumpant, ne fortè tradatur tortorib us, nisi restituant vsque ad vltinum quadrantẽ: Circunstantiæ verò attenduntur in loco, in tempore, in numero, in persona secundum ętatem, scientiã, gradum, sexum, ordinem, ingratitudinem, si facile vel libenter, vel præueniens appetitum, si frequẽter, si apertè cum scandalo, vel malo exẽplo, si perseuerãter, si inordinatè, quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quãdo, & his similia. Vnde Isaias ad animã peccatricẽ ait. Sume citharã, circui ciuitatem, bene canta, frequenta canticũ. Sumenda est spontè non coactè cithara confessionis, quæ dulciter sonat in auribus Domini. Circuire debet ciuitatem animæ suæ, & quemlibet angulum conscientiæ suæ, vt nulla circunstantia peccatorum remaneat in anima. Bene cauere debet, vt sit confessio pura & aperta. Debet frequentare cãticum, vt citò & sæpè confiteatur. Festinata debet esse confessio, quia peccatum quod statim per confessionem suo pondere ad aliud trahit. Sanguis enim sanguinem tangit. Nescit enim quid pariat crastina dies: Morte enim nihil certius, hora verò mortis nihil incertius. Non igitur thesaurizet sibi iram in die iræ. Dominus siquidem Adam post peccatum suum eiecit de paradiso, vt confestim ageret pœnitentiam. Vnde Augustin. Si vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Nunquid qui cadit in foueam & lutum, non adiiciet statim vt resurgat? Non dicamus cum reprobis Iudæis: Nondum venit tempus reædificandę domus Domini. Sed sit castigatio nostra in matutinis. Surge, inquit, sponsus, propera, amica mea. Et in Exodo dicitur: Et comedetis festinanter. Et in Euangelio dicitur, quod cęcus exiliens venit ad Iesum. Vnde Isaias ait: Egredimini de Babylone, fugite à Chaldęis. Filij ita festinanter exierunt de Ægypto, quod non occurrit eis quicquam parare. Et discipuli ita intentè Christũ sequebantur, quod non poterant quidquam ad manducandum parare, sed spicas vellebant vt grana cruda comederent. Ira pœnitens festinare debet, iuxta consilium Sapientis dicentis, filij ne tardes cõuerti ad Dominũ. Et in Parabolis: Ne dicas amico vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare. Fatuus est enim qui fasciculos deprimẽtes, & in infernum demergentes à se proiicere non festinat. Vnde in Numeris dicitur: Si mortuus fuerit quispiam coram nazareo, radet ilico eodem die caput, id est, mentẽ nouacula confessionis. Abyssus enim abyssum inuocat, & vnum peccatum aliud attrahit. Quantò autem aliquis citius talentum à diabolo fœneratore mutuatum persoluerit, tantò minus obligatur vsuris. Econtra de peccatore reprobo dicitur in Psalmo: Mutuabitur peccator, & non soluet. Scrutabitur enim fœnerator infernalis omnem substantiam eius. Iniustus enim si præoccupatus fuerit, aliquo criminali peccato, in æterno supplicio erit: quia mors peccatum pessima. Peccati autem consuetudo difficile potest euelli.

*Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.—*

Facile

2. Reg. 10.

*Quod confessio pluribus sacerdotibus non est diuidenda.*

*Quod confiteri debet peccata sua singulariter.*

Isaiæ 18.
Isaiæ 7.

*Confiteri debemus omnes circunstantias quæ aggrauãt peccatum.*
Gene. 31.

Psal. 7.
Exod. 2.
Exod. 32.
Leuit. 1. & 2.
Leuit. 7.
Iud. 3.

Matth. 5.
*De diuersis circunstantiis.*

Isaiæ 22.

*Quod non debet differre confessio.*
Osee 4.
Prouer. 27.

Gene. 3.
Aggei 1.
Cant. 2.
Exod. 12.
Isaiæ 48.

Matth. 12.
Mar. 2. vel 7.

Eccle. 5.
Parab. 3.
Isaiæ 58.

Num. 6.

Facile est ad consueta reuerti, sed difficile est inde auelli. Vnde Basilius: Sicut homo non potest dediscere maternam linguam, ita vix potest dimittere longam consuetudinem. Fit enim via eius tenebræ & lubricum, & facile corruit in ea. Et ideo contra imminentia pericula, & maximè contra mortem subitaneam eum festinare oportet. Nescit enim qua hora fur venturus est. Qui autem vsque ad mortem differunt confiteri, absorpti ab infirmitate vix possunt intendere confessioni. Illuc enim tota mentis intentio feruet, vbi est vis doloris. Vnde magis gaudet de præsentia medici corporalis, quã de aduentu confessoris. Homine enim existente sano, tanta est difficultas verę pęnitentię: quod sicut Ambrosius ait: Facilius inueni, qui ritè seruauerint innocentiam, quàm qui congruè egerunt pœnitentiam. Facilius est enim sanitatem cõseruare, quàm amissam recuperare. Qui enim lapide consuetudinis premitur, vinctus in mendicitate & ferro, quasi Lazarus quatriduanus & fœtens, nõ nisi lachrymis & clamore, & magna difficultate potest suscitari. Vix enim potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas. Cùm autem totam vitam nostram Domino debeamus, quomodo vna hora modica satisfacere poterimus? Præsertim cùm amor vxoris & filiorum, & diuitiarum, & vis morbi totam occupent hominis intentionem. Non ergo debemus differre confiteri, ne fortè inueniamur imparati. Et si enim in fine confiteatur peccator, vt pœnam gehennalem euadat, tamen timere debet pœnam purgatorij, quæ maior est omnibus tormentis, quæ possunt excogitari. Quartum est quod in vera confessione esse oportet, scilicet, quod frequenter fiat & pluribus sacerdotibus, vt plures habeãt consiliarios, & apud Deum intercessores, & qui fortè non potest erubescere coram vno, erubescat coram alio. Sicut enim pluries peccauit, ita pluries confitendo satisfaciat: Frequenter enim homo labitur in peccatum, ita oportet quod frequẽter recurrat ad confessionis remedium. Quoties enim peccata iteramus, toties confessionem iterare debemus, & si nouum confessorem requirimus, consilium est Ecclesiæ omnia peccata nostra in confessionem reiterare, eò quòd peccata redeunt, & quia cognitis antiquis vulneribus nobis melius poterit consulere. Qui autem semel in anno, scilicet, in quadragesima, peccata confitentur, quicquid boni faciunt ante confessionem, scilicet, in peccato mortali amittunt. Opera enim mortui, mortua sunt, sicut scriptum est. Et qui congregauit merces, misit eas in sacculum pertusum. Iteranda est enim pœnitentia, quæ fit in peccato mortali. Quę autem in charitate fit, & si postea labatur homo, non est iteranda quando resurgit. Omnia enim bona redeunt. Vnde dicitur in Ezechiële: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet & nõ morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. In iustitia sua, quam operatus est, viuet. Et Dominus per Ioël ait: Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, rubigo & eruca. Frequenter igitur & sollicitè confiteamur, vt impleatur in nobis, quod scriptum est. Anticipauerunt vigilias oculi mei, exercitabar & scopebam spiritum meum scopis, scilicet, confessionis. In humano enim iudicio cõfessio condemnat. In diuino verò iudicio absoluit reum, & iustificat impium. In primo à iudice conuincitur: In secundo conuincit diabolum, & apud summum iudicem absoluitur. Multi enim impediuntur timore satisfactionis vel pœnæ temporalis peccata confiteri, vel quia à prælatis suis diliguntur & honorantur, & timent ne vilipendantur, vel aliquod detrimentum temporale incurrerent, si prælatis suis peccata sua manifestarent. Hi autem admonendi sunt, quatenus pœnam æternam magis timeant quàm temporalem, & opprobrium sempiternum magis quàm trãsitorium. Patienter igitur sustineãt temporalem pœnam, vt possint euadere ęternam. Qui enim timet pruinam, irruet super eum nix, sicut dicitur in Iob. Alij pudore peccata subticent, & confiteri non audent, quibus dicendum est, vt non erubescant dicere, quæ non erubuerũt facere. Illud enim bonum est, istud fuit malum. Illud medicina, istud fuit culpa. Si enim hîc non deteguntur, in futuro iudicio coram omnibus cum summa verecundia detegentur, vbi nihil absconditum, quod non reueletur. Et quia sine confessione peccata non dimittuntur, necesse est vt manifestentur. Maximè, quia nõ dicuntur sacerdoti tanquam homini, sed tanquam Deo, qui si aliquo modo reuelaret, deponeretur. Grauius enim peccat sacerdos, qui reuelat secreta confessionis, quàm ille qui peccatum commisit. Magis enim debuit erubescere peccator coram Deo & Angelis, quàm coram vno sacerdote. Debet igitur detegere peccatum, vt à Domino tegatur. Beati enim, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Vnde in Apocalypsi dicitur: Vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Melius est enim hîc erubescere coram paucis, quàm in futuro coram omnibus. Alij spe diu viuendi, vel honores acquirendi, vel vt sancti habeantur, peccata sua confiteri omittunt, vel præsumptione diuinæ misericordiæ. Hi autem admonendi sunt vt reducant ad memoriam, quod dicitur in Euangelio: Sulte, hac nocte repetent animam tuam. Ipse autem nescit diem neque horam. Dominus autem mensurabiles posuit dies suos. Ipse autem tanquam fœnum velociter arescet, & quemadmodum olera herbarum citò decidet. Et iterum, animaduertere debet quod gloria peccatoris, quasi stercus & vermis hodie extollitur, & cras non inuenietur. Præsumptioni autem diuinæ seueritatis districtio opponitur cuius potẽtia ineuitabilis, cuius sapiẽtia infallibilis, cuius iustitia inflexibilis, qui Angelis peccantibus non pepercit, qui primos parentes pro esu pomi cum omni posteritate exio condemnauit. Alij desperationis baratro absorpti, peccata sua confiteri erubescunt, sicut scriptum

*Matth 24. Lucæ 12.*

*Ioan. 11.*

*Ierc. 16.*

*Quod frequẽs debet esse confessio.*

*Aggeit. Ezech. 18. Quod sicut peccata redeunt, ita & bona amissa per pœnitentiam redeunt. Ioan. 2.*

*De variis impedimentis confitendi. De impedimẽto timoris.*

*Iob 6. De impedimẽto pudoris.*

*Lucæ 12.*

*Apoc. 3.*

*De impedimento præsumptionis & vanæ gloriæ. Lucæ 12. Matth. 25. 1. Petri 2.*

*De impedimento desperationis. Gene. 3. Prou. 18.*

Rom. 8. scriptum est. Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnet: quibus persuadendum est, quod diuina miseratio maior est omni peccato, quique cùm essemus eius inimici, re-
1. Cor. 10. conciliati sumus in sanguine filij eius. Nemo autem desperando debet credere quod se à peccatis non possit abstinere. Fidelis est enim Deus, qui nō permittit hominē tentari supra id quod potest, sed facit etiam cum tentatione prouentum. Præsertim quia ex virtute confessionis efficitur seruus Dei, qui prius erat seruus peccati, & virtutem recuperat resistendi, & vniuersalis Ecclesia pro ipso orat, postquam factus est membrum Christi, qui prius erat membrum diaboli. Gustare ergo debet & videre, quoniam suauis est Dominus, & quoniam beatus homo qui sperat in eo. Quidam autem contemptu presbyteri peccata sua nolunt confiteri, quibus di-
De contemptus impedimento. cendum est, vt non attendant presbyterum, velut hominem, sed tanquam illum, qui est loco Christi, quem venerari & diligere debet, tanquam vicarium & ministrum Domini sui. Eligat
Quod confitendum est prudenti sacerdoti. autem pœnitens talem sacerdotem, qui sciat discernere inter lepram & lepram, qui nouerit velut peritus medicus variis infirmitatibus varias & competentes adhibere medicinas. Alioquin si cæcus cęcum ducit, ambo in foueam cadunt. Si enim sacerdos eius idiota sit, vel eat ad superiorem, vel ab ipso sacerdote suo petat licentiā, vt possit confiteri sapienti. Aliud est enim fauore vel odio proprium sacerdotem cōtemnere, aliud cęcum vitare. Si enim sacerdos ei licentiam dare noluerit, confiteatur ei & absoluatur, & tunc quemcunque alium voluerit consulere poterit. De hoc beatus Augustinus ait: Qui confitetur, omnino confiteatur, & sacerdoti meliori
Matth. 27. quem potest, confiteatur. Iudas enim, qui pœnitens iuit ad Pharisęos, relinquens Apostolos, nihil inuenit auxilij, nisi augmentum desperationis. Dixerunt enim: Quid ad nos. Tu videris,
De sapientia eius qui recipit confessionem. ac si dicerent: Quid nobis & misericordiæ. Isset ad fratres, qui orauerunt pro socru Petri, & pro Chananęa post Christum clamante. Tales eligeret pontifices, qui scirent compati infirmitatibus eius. Sapiens enim medicus animarum oleum habet & vinum Samaritani verba ma-
Matth. 7. Matth. 15. Mar. 7. Heb. 4. Luc. 10. tris in principio vt alliciat infirmos, ne fortè nimis confundantur. In fine verò verba habet patris aliquantulum increpando duros & rebelles, & asperitatem pœnitentiæ tanquam vinum purgatiuum vulneribus infundēdo. In his autem, de quibus dubitat, semper cum sapien-
Qualis debeat esse confessor. tibus consilium habeat, vel pœnitentem ad suum superiorem transmittat. Ipse autem confes-
Iere. 15. sor, qui curam suscipit animarum, mediocriter debet esse literatus, alioquin non præsumat audire confessiones: vt si sit idiota, vel imperitus, qui non nouerit separare pretiosum à vili, qui
Ezech. 8. Iob 26. nescit quid sit inter dexteram eius & sinistram. Ars enim salutis animarū, ars est artium. Oportet igitur quod sciat instruere pœnitentem, & inquirere de fide eius & moribus, & ideo de
Quod prius audiat quam quærere incipiat. articulis fidei & septem sacramentis saltem mediocriter debet esse instructus, de operibus etiā misericordiæ, & de decem mandatis decalogi, de virtutibus & vitiis. De septem criminalibus
Deut. 23. & eorum contentis, de carnalibus & spiritualibus peccatis. De his præcipuè quæ per quinque sensus delinquendo committuntur, vt sciat ignorantibus peccata detegere, & ea quæ obliuioni data sunt, ad memoriam reducere, vt sciat fodere parietem, vt videat abominationes ma-
De modo inquirendi & interrogandi. iores & ad instar venefici incantantis sapienter eliciat aspidem de cauerna, vt obstetricante manu sapientiæ educatur coluber tortuosus, vt videat mirabilia in profundo, id est, in abysso cordis peccatoris. Caueat autem sibi ne scrutinium suum incipiat, donec peccator ex ore suo ea quæ nouerit, confiteatur. Melius est enim quod ex ore suo faciat confessionem spontanea vo-
Eccle. 37. luntate, quā ex ore alieno. Vnde in Deuteronomio dicitur. Cùm repetes à proximo tuo rē aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas, sed stabis foras, & ille tibi proferet quod habuerit. Melius est enim spontè peccatū dicere, quàm per interrogationem extorquere. Postquam verò ex ore suo, quęcunque nouerit, dixerit, tunc sacerdos considerans statum & qualitatem pœnitentis, aliqua poterit perscrutari peccata, quibus huiusmodi personę solent obligari: sicut in Ecclesiastico dicitur: Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum iniusto, de iustitia, & cum muliere, de his quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de
Circa quæ debet fieri inquisitio. traiectatione, cum impiis de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario, de omni opere, cum operario annuali, de cōsummatione anni, cum seruo pigro de multa operatione. Vt autem quasi ad certitudinem omnia requirenda reducantur, & in talibus confusio deuitetur ad septem criminalia & quinque sensus corporis & transgressionem decalogi vniuersa reducantur, in hunc modum. Frater si peccasti in superbia, extollens te corde, ore vel opere sui-
Inquisitio de superbia & eius contentis per alios propter diuitias tuas, vel propter potentiam tuam, vel laudem popularem, vel quod grauius est, propter malitiam gloriando in peccatis tuis, vel propter bona opera tua, appetens te laudari, vel credens ea ex te habere, vel etiam credens te habere bona, quæ non habes. Et quoniam initium omnis peccati est superbia, atque abominabilis coram Deo & hominibus. Initium enim superbię hominis apostatare à Deo, ex ea procedunt septem criminalia vitia, quo-
Inquisitio de vana gloria. rum primum est inanis gloria. Dic ergo filij, si peccasti in vana gloria, in iactantia, in hypocrisi, in arrogantia, in præsumptione, in singularitate, & nouitatum omnium inani inuentione. In
Inquisitio de inuidia. inobedientia, & si quæ sunt similia. Si in secūdo criminali peccato, quod dicitur inuidia. Si habisti gaudium in aduersitate, vel tristitiam in prosperitate proximi tui, si per inuidiam detraxisti occultè proximo tuo, vel aliquam proditionem occultè fecisti, vnde malum ei accideret. Si
Inquisitio de ira. susurro fuisti, vel contra eum iniustè murmurasti, vel rancorum in animo habuisti. Si peccasti in tertio criminali peccato, quod dicitur ira, quæ triplex est. In corde latens, in verba prorum-

pens

pens, iniurias in opere exercés. Si habuisti iram inueteratá in corde, quæ dicitur odium, si indignationem, impatientiam, audaciam, temeritatem, rixas, contumelias, clamores, blasphemias, lites, homicidia, & similia, quæ per iram incurristi. Si in quarto criminali peccato quod dicitur Acedia, peccasti, si tędium boni cum mœrore & tristitia inutili habuisti, si cordis obdurationem, si pigritiá, & somnolentiá, si indeuotus & tepidus in Dei seruitio, si suspitiosus & malitiosus fuisti, si bona quæ facere debuisti, per negligentiam omisisti, vel minus purè, quá debuisti, fecisti, si meticulosus & pusillanimis fuisti, si aliquando in desperationem corruisti, si vagus mente fuisti, si verbum Dei & increpationes salutares contempsisti. Si in quinto criminali peccato, quod dicitur Auaritia, Deum offendisti, cum nimio ardore & immoderato amore temporalia acquirendo & retinendo, per vsuras supra sortem aliquid recipiendo, mutuando pecuniam, vel quamcunq; aliam rem ex vadimoniis supra capitale & expensas aliquid recipiendo, carius ad terminum propter expectationem vendendo. Si bladum vel aliam rem in terra pro modico precio statum soluto emisti. Si mutuum dedisti aliquid, inde sperans recipere, alias non daturus. Si furtum, si rapinam, vel vastationem agrorũ, seu vinearum fecisti, vel aliquo modo proximo damnum intulisti, si decepisti aliquem, vel aliquo modo fraudem fecisti, vel proximum circumuenisti in aliqua negotiatione, in pondere, vel mensura vel alio modo. Si collectas, si indebitas exactiones, si calumniam, vel aliam quamcunque iniuriam proximo fecisti, si debitum, vel commissum, vel rem inuentam non reddidisti. Si in sexto mortali peccato per gastrimargiam, in potu vel in cibo per ebrietatem & crapulam peccasti, incurrendo sensus hebetationẽ, rationis perturbationẽ, immunditiá, multiloquium, scurrilitatẽ, ineptam lætitiá, & consimilia. Si horam debitam præueneristi, si nimis frequẽter, si nimis auidè manducasti & bibisti, si nimis delicata & sumptuosa cibaria cõparari, & præparari fecisti, si in nimia quantitate sumens mensurã excessisti. Si in septimo criminali peccato, quod est luxuria, Deum ad iracundiá prouocasti, per simplicem fornicationem, scilicet, soluti cum soluta, per adulterium, cum coniugata per incestum, cum consanguinea vel affine per stuprum, cum virgine contra naturam, in sexu consimili vel dissimili, extra ordinario modo vel loco, vel per molliciem, ex contactu propriæ carnis. In his tamen peccatis à quibusdam inusitatis & incognitis cautè oportet interrogare confessorem, quasi à remotis & per insinuationem, vt experti possint intelligere, inexperti verò nouos peccandi modos non possint addiscere, verbi gratia. Interrogetur si peccauit in somniis per fragilitatem, & postea quæratur, si pollutus fuerit vigilando vel aliquo alio modo. Inquiratur præterea si aliorum luxuriam procurauit, vel etiam si propriam vxorem indebito modo cognouit, si cum sanctimoniali coinquinatus, si sacrilegium simul cum luxuria commisit. Eodem modo à mulieribus fiat inquisitio & maximè de vestium superfluitate, de choreis & spectaculis, de ornatu proprij corporis, de sortilegiis, quæ per luxuriam fiunt, ab eis inquiratur. Postea circa quinque corporis sensus fiat diligenter inquisitio. Si visu peccauit intuendo, quod non oportuit. Si auditu verba inutilia, vana, lasciua, detractoria, & adulatoria, falsa, & consimilia libenter audiendo. Si gustu, salsamentis & saporibus, cum nimia delectatione palatum incitando. Si olfactu, speciebus aromaticis & vnguentis immoderatè, & sumptuosè vtendo. Si tactu, tangendo impudicè, quod non oportuit, & mollibus se vestiendo. In mollitie enim vestis, lecti, & balneis, & consimilibus, per tactum peccant homines delicati & effœminati, simili modo & mulieres. Fiat præterea diligens inquisitio circa transgressionem mandatorum decalogi, de quorum trãsgressione nemo excusatur. Omnes enim ea tenentur adimplere. Si peccasti frater contra mandata decalogi, quorum primum est de cultu vnius Dei, vt non adoret homo deos alienos. Si credis vnum Deum in trinitate, & alios fidei articulos, sicut tenet sancta Ecclesia. Si dubitasti de fide, vel in aliquo, quod ad fidem pertineat, errasti. Si credidisti maleficiis, sortilegiis, & incantationibus, quæ auguriis & illusionibus dæmonum & huiusmodi. Si peccasti contra secundum mandatum, quod est: Non accipies nomen Dei tui in vanum: si mendaciter, subdolè, & inutiliter pro nihilo iurasti, sic enim Deum testem falso inuocasti, & nomen eius in vanum assumpsisti, vel in opprobrium. Si per caput, vel per pedes, vel alia huiusmodi iurasti, aut fidem datam non obseruasti, vel votum adimplesti, saltẽ in voto Baptismi peccasti, Deo promittens quod nõ reddidisti. Si contra tertium præceptum peccasti, quod est, memento vt diem sabbati sanctifices. Si dies dominicos & alios solemnes, sicut præcipitur in Ecclesia, non obseruasti, vacando diuinis, & abstinendo non solùm ab operibus mechanicis, sed ab omni opere seruili, & ab omni peccato. Si in diebus festinis tabernas & choreas frequentasti. Minus enim malum esset tibi terram arare, quã choreas ducere, vel tabernas immoderatè bibendo frequentare. Si in vigiliis & ieiuniis & magnis solemnitatibus ab vxore tua, vel à quacunque alia muliere noluisti abstinere. Si sabbatum pectoris spiritualiter obseruasti. Si distractus per varias & inutiles cogitationes, per curiositates & inutiles occupationes & sollicitudines pacem pectoris & quietem mentis non obseruasti. Si transgressus es quartum mandatum: quod est, Honora patrem tuum, & matrem tuám, vt sis longæuus super terram. Si parentibus indigentibus necessaria non ministrasti; si eis reuerentiam non exhibuisti, si durè & contumaciter contra eos locutus es, vel si manus in eos iniecisti. Si parentes spirituales, sacerdotes, scilicet, & alios Ecclesiasticos ministros inhonorasti, non obediendo Prælatis tuis, malè cõtra eos loquendo, vel in eos, seu quoscunq;

*Inquisitio de acedia.*

*Inquisitio de auaritia.*

*Inquisitio de gula.*

*Inquisitio de luxuria.*

*De cautela interrogandi.*

*Quid fiat inquisitio circa quinque sensus corporeos*

*De inquisitione decem præceptorum.*

*Inquisitio circa primum mandatum.*

*Inquisitio circa secundum.*

*Inquisitio circa tertium mandatum.*

cunque clericos, vel in personas regulares manus violentas iniecisti. Si matrem tuam spiritualem non honorasti, scilicet, sanctam Ecclesiam. Si in ea sacrilegium furando, vel luxuriando fecisti, si verba otiosa & inutilia in ea locutus es, quæ est domus orationis, non vanitatis. Si clamando, litigando, vel quocunque alio modo diuinum officium perturbasti. Si decimas & debitas oblationes ei non reddidisti, & saltem solemnibus diebus, ad parochialem ecclesiam non iuisti. Si te excõmunicari permisisti, vel excommunicatis communicasti, vel alia interdicta obseruare omisisti. Si horas canonicas negligenter dixisti, si pallas altaris, & alia ornamenta inhonestè tractasti. Si simoniacè intrasti, vel sub certo pacto sacramenta laicis exhibuisti, si aliquos ordines indebitè suscepisti, si aliquam incurristi irregularitatem. Si es de legittimo matrimonio, an non? si liberę vel seruilis conditionis, si legittimis temporibus, & de licentia Episcopi tui, vel ætate legittima ordinis suscepisti. Si saltum fecisti in ordinibus, si homicida, vel bigamus, vel simoniacus, vel excommunicatus ordines suscepisti, vel in suspectis ordinibus ministrasti, & ita factus es irregularis. Si animas commissas cum omni diligentia curasti, si confessiones aliquo modo reuelasti, & cætera huiusmodi, quæ contra honorem matris Ecclesiæ specialiter fiunt. Si peccasti contra mandatum quintum, quod præcipit, vt non occidas. Si manu vel mandato, vel auxilio, vel consilio homicidium commisisti, vel si aliquem verberasti, vel si es homicida corde, mortem alterius desiderãdo, vel in corde tuo odium retinendo. Qui enim odit fratrem suum, homicida est. Si vrgẽte necessitate potuisti subuenire, & nõ subueniisti: scriptum est enim: Pasce fame morientem, si non paueris, occidisti. Si fuisti homicida animarum, inducendo aliquem ad peccandum, vel peccatis aliorum cõsentiendo, quod homicidium est grauius homicidium, quàm corporum. Si transgressus es sextum mandatum, quod est: Non mœchaberis, id est, nõ cuilibet miscearis, excepto fœdere matrimonij. Si aliquo modo cum delectatione ex te semen emisisti, nisi fortè dormiendo, vel cum propria vxore spe prolis, vel causa vitandæ fornicationis, vel vt reddens debitum. Si septimum mandatum non seruasti, quod est: Non furtum facies. Si rem alterius vsurpasti, vel contrectasti, inuito domino, vel si scienter rem furtiuam emisisti, vel in custodia recepisti. Si mandatum octauum transgressus es: Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Hîc prohiberi intelligimus omne genus mortalis mendacij. Si falsus testis contra aliquem, gratia, vel amore, vel odio, vel pretio fuisti, si personarum acceptionem habuisti, si aliqua falsitate aliquem læsisti, vel falsum crimen ei imponendo, vel alio modo. Si aliquid promisisti, & soluere noluisti, si mercedem mercenarij defraudasti, vel tenuisti. Si nonum mandatum non obseruasti, quod est, secundum quod in Deuteronomio continetur: Non concupisces vxorem proximi tui. Si voluntatem habuisti in corde peccandi aliquo genere luxuriæ. Si morosam delectationem, vel consensum absque opere habuisti, hæc enim mortalia reputantur. Si decimum mandatum non obseruasti, quod est: Non concupisces domum proximi tui, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouẽ, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt. Generaliter cupiditatem diuitiarũ, & ambitionem honorum condemnat. Vide ergo frater, si cuiuslibet rei alienæ concupiscentiã in corde habuisti. Multi enim libenter furarentur, vel raperent, nisi pœnã timerent temporalem. Non solùm autem de commissis, verùm etiam de omissis interrogandus est pœnitẽs. Dic ergo frater, si omisisti facere proximis tuis, quod tibi fieri meritò voluisses? Si per negligentiam, vel pigritiam bona, quæ debuisti, vel potuisti facere, non fecisti. Si talentum à Deo tibi cõmissum, multiplicare contempsisti. Si filios tuos, & familiam, vel etiam proximos tuos corrigere, & instruere neglexisti. Si opera misericordię, scilicet, orationes, si vigilias, si ieiunia, & alia opera pœnitentiæ tibi iniuncta, nõ perfecisti, si tempus à Deo tibi concessum in vanitate, & otio cõsumpsisti, ludendo cum aleis, & scacis, vt tẽpus tibi tędiosum, huiusmodi vanitatibus redimeres. Si de beneficiis susceptis Deo & hominibus ingratus extitisti. Si charitatem, humilitatẽ, benignitatem, patientiam, discretionem, & alias virtutes, quas habere debuisti, omisisti. Si bona, quæ fecisti, minus purè fecisti, vel cum murmuratione, vel cum scãdalo proximorũ, vel finem debitum omittendo, vel mala intentione ea fecisti. Si per crassam, & vincibilem ignorantiã, vel per obliuionem aliqua omisisti, quæ facere tenebaris. Hæc & his similia, prudens, & diligens confessor, cum omni cautela debet inquirere, non omnia ab omnibus, sed à diuersis diuersa, prout viderit expedire. In fine autem generaliter subiungat. Multa tradidisti obliuioni, in quibus Deum offendisti, de quibus generaliter debes conteri cum proposito confitendi, si ea ad memoriam reduxeris. Peccasti enim corde, per malam cogitationem, & malam voluntatem, ore peccasti, mentiendo, detrahendo, otia dicendo, proximos deridendo, secreta aliorum reuelando, quibusdam adulando, alios nimis asperè corripiendo. In contentione, in turpiloquio, in scurrilitate, in contumelia & blasphemia, & aliis huiusmodi. Opere peccasti, faciendo aliis, quod tibi non velles fieri, & mandata Dei transgrediendo, malum etiam exemplum aliis dando. Postea verò cautus sit in pœnitẽtiis iniungendis, considerando statum personæ, & criminũ qualitates, & inquantum fieri poterit, semper pœna per contrarium respondeat culpæ, vt superbis priuatiue talia iniungat, quæ pertinent ad humilitatem. Inuidis ea, quæ pertinent ad benignitatem & charitatem. Iracundis, ea quæ pertinent ad mansuetudinem & patientiam. Pigris & acediosis, ea quibus incitentur ad feruorem, & gaudium spiritus. Auaris, ea quæ pertinent ad liberalitatem & largitatẽ. Gulosis & luxuriosis, ea quæ pertinent ad carnis afflictionem, & ita de aliis.

*Inquisitio circa quintum.*

*Inquisitio circa sextum.*

*Inquisitio circa septimum.*

*Inquisitio circa octauum.*

*Inquisitio circa nonum.*

*Inquisitio circa decimum.*

*Interrogatio circa omissa.*

*De generali interrogatione.*

*De modo iniungendi satisfactionem.*

*Quod pœna respondeat culpæ.*

de aliis, ita quod pœna respondeat culpæ. Si peccauit in multiloquio, & garrulitate, satisfaciat in silentio. Si in vestium superfluitate, satisfaciat in nuditate. Si malum exemplum dando, de cætero det omnibus exemplum bonum, vbi publicè peccauit, ibi publicè satisfaciat. Si aliquos ad peccandum induxit, laboret pro posse suo, vt animas quas Deo abstulit, illi restituat. Diligenter autem obseruet inter cætera, quatenus satisfactionem in quatuor partes diuidat. Quia enim peccator Deum offendit, iniungat ei orationes: quia proximum offendit, iniungat ei eleëmosynas & alia misericordiæ opera: quia in proprium corpus peccauit per illicitam delectationem, iniungat ei ieiunia & alia: quæ ad corporis afflictionem pertinent. Si ab alio iniustè habuit, vel aliquem damnificauit, iniungat ei restitutionem pro posse suo. Semper autem in fine admoneat pœnitentem, vt vitet recidiuum. Scriptum est enim: vade & amplius noli peccare, ne fortè aliquid deterius tibi contingat. Vulnus enim iteratum, vt ait Augustinus: tardius sanatur. Frequenter peccans & lugẽs, vix veniam promeretur. Vnde Isaias: Lauamini, mũdi estote. Lauatur, & mundus est, qui præterita plangit, & plãgenda non cõmittit. Qui autem à mortuo baptizatur, & iterum tangit mortuum, quid ei prodest lauatio? Admoneat præterea, vt vitet omnes peccandi occasiones, scilicet, choreas & spectacula, & malum consortium, & similia, propter quod præceptum est Loth, nõ solùm vt exiret de Sodomis, sed de omni Regione circà, vt secundũ legis mandatũ maneat in eodẽ loco castrorũ, donec perfectè sanetur. Maledictus enim, qui reædificat Iericho. Admoneat insuper, vt si quod Deus auertat, in peccatum reciderit, non differat confiteri. Qui enim in sordibus est, sordescit adhuc. Quod autem scribit transgressio, delet confessio. Tandem admoneat eum, vt vitet negligentiam satisfaciendi, sed semper in pœnitentia & bonis operibus permaneat. Frustra enim velociter currit, qui priusquam ad metam perueniat, deficit. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat peccator in se vlciscendo, quod commisit peccando. Vnde beatus Augustinus: Tamdiu gaudeat & speret de gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia. Abstineat autem à multis licitis, qui multa commisit illicita, & præcipuè à negociatione, quæ vix sine peccato exerceri valet. Vnde Leo Papa: Pœnitenti melius est dispendia pati, quàm periculis negociationis astringi: quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium non interuenire peccatum. Igitur, sicut in Exodo legitur: Primogenita asini mutentur oue, id est, primordia vitæ præcedentis in innocentiam sequentis. Hi enim sunt hœdi, quibus libenter vescitur Isaac, id est, opera misericordiæ. Vnde Propheta Ioël: Infirmus dicat, quia fortis sum. Quantò autem austerior est cura vulnerum, tantò salubrior est medicina peccatorum. Vnde B. Ambrosius: Qui culpam exaggerauit, exaggeret pœnitentiam. Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus, vix tamẽ aliquis inuenitur, qui tantum laborare velit satisfaciendo, quãtum laborant homines in arando & seminando. Noë centum annis laborauit, arcam fabricando, vt mortem euaderet temporalem, quantò magis laborare debet pœnitens, vt mortem euadat æternam. Sit ergo victus pœnitentium tenuis, lectus difficilis, somnus breuis, habitus vilis, oratio iugis, sermo grauis, incessus humilis, tollat crucem suam, abneget semetipsum, mundana relinquendo, seipsum contemnendo, proximorum negotia procurando, vt violentiam violentia, & dolorem dolore prẽueniat: quia non coronabitur, nisi qui legittimè certauerit. Arma autem verè pœnitentium, sunt cinis & cilicium. Vt autem in bello non deficiat, diligenter ad memoriam reducat cilicium, & locustas Ioannis Baptistæ, nuditatem & radices peccatricis Ægyptiacæ, labores Pauli, vigilias Bartholomei, saccum & panẽ, cribrarium Hieronymi: sudarium & lachrymas Arsenij, columnam & vermes Simeonis. Horum exemplo sit tibi potus aqua, cibus aridus, aspera vestis, dorso virga, breuis somnus, durumque cubile. Hęreat os terræ, mens cœlo, lingua loquatur, cor dictet, sit larga manus, ieiunia crebra, mens humilis, simplex oculus, caro munda, pium cor, recta fides, spes firma, duplex dilectio, semper ferueat assiduis precipibus, iustis tamen ora. Qui ergo trinum Deum offendit, qui triplicem legem naturæ scriptæ, & gratiæ præuaricatus est, tripliciter, sicut prædictum est, satisfaciat, scilicet, contritione, confessione, & opere, vt velut his tribus lapidibus Golias perimatur, & his quasi tribus panibus, quos postulat amicus, nocte ab amico reficiatur anima pœnitentis. Conuertimini igitur fratres ad Dominum, in toto corde vestro, qui per peccata vestra alienati estis ab eo. In ieiunio, vt in futuro satiemini: in fletu, vt rideatis: in plãctu, vt consolemini. Scindite corda vestra cultello, cuius manubriũ sit lignũ crucis Christi, ferrum claui eius, calibs lancea, qua perforatũ est latus illius. Scindite corda vestra per cõtritionem, vt sanies peccatorum eiiciatur. Per confessionem verò vt sacerdoti aperiãtur, per proximorum confessionem, vt operibus misericordiæ affluatis. Vestimenta autem vestra nõ scindantur, sed integra permaneãt. Nam & Christi tunica inconsutilis scissa nõ fuit. Vestes autẽ animæ vestræ virtutes sunt, quæ scindi nõ possunt, vel à se inuicẽ separari. Qui vnã virtutẽ habet, omnes habet: qui vna caret, omnibus caret: beatus qui custodit vestimẽta sua, ne nudus ambulet. Ecce frater precibus tuis acquiescẽs, sermonis medietatẽ in tractus prolixitatem cõmutaui.

*De quatuor partibus satisfactionis.*

*Quod admonendus est pœnitens ne recidiuet.*

*Isaiæ 1.*

*Eccle. 34.*

*Admonendus est pœnitens vt vitet occasiones peccandi.*

*Iosue 6.*

*Admonendus est quod confiteri non differat, & satisfacere non negligat.*

*Exod. 13.*

*Gene. 27.*

*Ioël. 3.*

*De austeritate pœnitentiæ.*

*Gene. 7.*

*Matth. 16.*

*2. Tim. 2.*

*Matth. 3.*

*Mar. 1.*

*De instrumentis pœnitentiæ & diuersis modis satisfaciendi.*

*Quare satisfaciendum est tripliciter.*

*1. Reg. 17.*

*Conclusio & breuis recapitulatio.*

*Quod multipliciter cor scinditur.*

EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Matthæum.

*Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes.* *Matth. 6.*

Consilium

*Ezech.17. Verbum Dei comparatur medicinæ.*

CONSILIVM est sapientis in Ecclesiastico: Ante languorem adhibe medicinam. Vtilis est enim & necessaria his diebus medicina verbi Dei, vt præparentur corda nostra contra dæmonũ tentationes, qui derelicti acrius insurgunt cõtra pœnitentes. Verbum enim Domini est, quasi ozimel, præparãs animas ad suscipiendum decoctionẽ, & pillulas ieiuniorum & orationũ. In hoc ozimelle ponitur mel promissionũ, quæ dulces sunt cordibus fidelium & acetũ cõminationis, cum acumine diuersarum sententiarum, quæ penetrãt corda auditorum. Hoc igitur mel acutum penetratiua, est dulcedo sacrorum eloquiorum, per quod animæ pœnitentium in hac quadragesima præparãtur, & quasi vnguento suauitatis, asperitas pœnitentiæ mitigatur. Fracto enim alabastro, per expositionem scripturarum repleri debent domus animarum nostrarum ex odore huius vnguenti, vt dicere possint cum sanctis omnibus, curremus post odorem vnguentorum tuorum. Vnguento enim, & variis odoribus delectatur cor, & sanatur anima pœnitentis. Et iterum: Altissimus de terra creauit medicinam: & vir prudens non abhorrebit eam. Et in Ecclesiastico: Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. Masticemus igitur dentibus sanctæ meditationis species aromaticas, & non transglutiamus eas integras, tundamus eas in cordis mortariolo, vt cum pinguedine deuotionis, & charitatis vnguenta suauitatis & sanitatis inde faciamus. Scriptum est enim: Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur fouea peccatori. Huius beatitudinis participes eritis, si per legem Domini eruditi, id est, extra ruditatem ignorantiæ, & malitiæ positi fueritis, vt Dominus vnguento verborum suorũ mitiget vobis in hac vita præsenti, in his diebus malis contra tentationum molestias, quamdiu foditur peccatori fouea. Qui, quantò amplius delinquit, tantò ampliorem foueam fodit, vt tandem incidat in foueam, quam fecit. Orate ergo Dominum, vt hodie corde compuncto sentiatis odorem vnguentorum suorum. Cùm ieiunatis, tempus est fratres charissimi, vt præteritæ delitiæ vitæ austeritate compensentur. Cicatrices enim nostræ putruerunt, & corruptę sunt. Sanato enim vulnere originalis peccati per baptismum, multa grauia post hęc cõmisimus, vti oportet nos grauiori medicina, vt asperitate satisfactionis curentur vulnera inueteratæ consuetudinis, vt nobismetipsis violentiam inferamus, licet caro tumultuetur, & repugnet. Scriptum est enim: Omnis violenta prædatio cum tumultu. Malitia autem vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ. Dominus autem, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, in hodierno Euangelio instruit pœnitentes, qualẽ medicinam vulneribus suis debeant apponere, & qualiter ea debeant alligare ieiuniis, scilicet, orationibus, & eleëmosynis. Ad ieiunandum nos instruit, cùm ait: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Orare docet nos, cùm dicit: Vnge caput tuum, scilicet, vnguento deuotionis. Ad eleëmosynas, & opera misericordiæ nos inuitat, cùm ait: Faciem tuam laua, scilicet, aqua miserationis, sicut scriptum est: Date eleëmosynam, & omnia munda sunt vobis. Quia igitur peccauit homo contra Deum, contra proximum, contra seipsum: Deo satisfaciat per orationem, proximo per eleëmosynam, sibiipsi per ieiunium, & vitæ austeritatem. Et quoniam quicquid est in mundo, est superbia vitæ, vel concupiscentia oculorum, id est, auaritia, vel concupiscentia carnis. Contra superbiam, specialiter oratione: contra auaritiam, eleëmosyna: contra luxuriam, satisfactiendum est ieiunio. Oratione enim, & eleëmosyna pestes mentis: ieiunio, pestes corporis sanantur. Vnde in Tobia: Bona est oratio cum ieiunio, & eleëmosyna magis, quàm thesauros auri recondere. His enim, quasi duabus alis oratio in conspectum Dei ascendit. De his tribus Dominus nos instruit in Euangelio. Non solùm autem de ieiunio, sed modo ieiunandi nos instruit Dominus: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Ipse enim magis attendit modum, quàm factum: intentionem, quàm operationem: qualiter fiat, quàm quid fiat. Nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Et si sitis tristes pro peccatis vestris, non ostendatis tristitiam per inanem gloriam, seu propter humanum fauorem. Non sitis tristes sicut hypocritæ, qui simulant ostendunt tristitiam. Vos autem in veritate cõfitemini, vt tandem tristitia vestra vertatur in gaudium. Miseri estote, & lugite, non in apparentia, sed in veritate. Hypocritę enim spe inanes, Deo & hominibus exterius mentientes: mercatores potius dicendi sunt, humanam laudem ieiuniis emendo, quàm verè ieiunantes. Ipsi enim Deo fraudem faciunt, qui non Dei laudem, sed suam appetunt. Maledictus autem, qui opus Dei facit fraudulenter. Ipsi autem exterminant facies suas, extra naturalem terminum eas demoliendo ponentes, ad oculum psallẽtes, vt sancti immaculatas ex natura, spe iam maculantes, ante mortem mortis suppliciis seipsos, vt sancti appareant atterentes, & idcirco à superna patria exterminari meruerunt. Hi enim mercedem suam, quam desiderabant, acceperunt, & infra propter mendacium & fallaciam eorum æternaliter punientur. & quia non voluntariè, sed quasi in angaria ieiunant, quia gaudium & securitatem bonæ conscientiæ non habent, meritò tristes dicuntur, quia animus nullo spirituali gaudio ad superna eleuatur. Sancti autem viri, & si in hoc seculo tristitiam habent, vel peccata sua lugendo, vel proximis compatiendo, eo ipso in Domino gaudent, & de ipso meritorio dolore exultant, quasi tristes, semper autem gaudentes. Iam enim in hoc seculo tristitia eorum vertitur in gaudium. Hæc est enim gloria eorum, testimonium bonæ conscientiæ. Et idcirco alacriter cum desiderio ieiunant & orant. Hilarem enim datorem diligit Deus: vt posit dicere cum Propheta: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Hilaritas enim

*Quod verbũ Dei comparatur vnguento. Matth.14. Cant.1. Parab.17. Eccle 38. Item 38.*

*Quod masticandæ sunt species verbi Dei.*

*De tempore congruo pœnitentiæ.*

*Isaiæ 9.*

*De triplici medicina.*

*Quod modus satisfactionis respondet modo transgressionis.*

*De ieiunio & modo ieiunandi.*

*De simulata & vera tristitia. Ioan.16. Iacob 4. De hypocritis*

*Iere.48.*

*2.Cor.6. 1.Cor.9.*

*De hilaritate*

enim condimentum est boni operis. Vnde in Ecclesiastico dicitur: In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Et in Zacharia: Ieiunium quarti & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudiũ & lætitiã, & solemnitates præclaras, propter quod propitiationis, expiationis & afflictionis celeberrimus erat Domino. Vnde in lege præcipitur offerri holocaustum cum libamento, id est, sacrificium boni operis cum hilaritate mentis, vt exhilaretur facies nostra in oleo, & laudemus Dominum in tympano & choro, id est, carnis mortificatione cum gaudio. Propter quod beatus Iob dolorem suum metricè descripsit, vt ostenderet inter flagella Domini gaudium cordis. Hypocritæ autem non in mentis hilaritate, nec in veritate ieiunant, sed solummodo vt appareant hominibus ieiunantes, tanquam sepulchra dealbata exterius. Teste autem beato Augustino, melius esset spiritualia penitus omitti, quàm non purè & syncerè tractari: vnde Pascha in azymis, scilicet, sine fermento malitiæ & hypocrisis præcipitur obseruari. Et in Leuitico dicitur: Omnis oblatio sine fermento erit. Propterea de purgatissima farina fiebant panes propositionis, & oleum purissimum ad opus lucernarum præcepit Dominus offerri. Et quoniam hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit, ipsi non expectantes beatam spem in aduentu gloriæ summi Dei, velut in terra iacentes computrescent, malo spei stipite sustentati, cùm in Isaia scriptum sit: Qui crediderit, non festiner, scilicet, in temporalibus quærere retributionem. Vnde Petrus: Longanimitatem salutem arbitramini. Qui autem festinat hîc ditari, non erit innocens: & qui comederit vuam acerbam, recipiendo mercedẽ ante tempus extremæ resurrectionis, dentes eorũ obstupescent. Grando enim Ægypti temporanea & primitiua læsit, sed non serotina. Nam qui spinas in herba colligant, non expectantes tempus messis, frumentum amittunt. Sapiens autem agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum, dicens cum Propheta: Domine miserere nostri, te enim expectauimus. Substantia enim festinata, minuetur, sed quæ paulatim colligitur, manu multiplicabitur, sicut dicitur in Parabolis. Non enim tardat Deus promissionem suam, sicut quidam æstimant, sed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti, sicut dicitur in Epistola canonica Petri. Hi igitur vecordes & infelices hypocritæ, martyres diaboli, licèt multum laborent, totum amittunt. Quicquid enim ab eis cum sudore cõgregatur, à vento elationis exsufflatur. Vesicis enim turgentibus ex immoderato labore, manus infernas, & in conspectu Dei leprosas habent. Sicut autem ieiunium hypocrisis, & simulationis, ita & ieiuniũ auaritiæ in foro Domini velut falsa moneta reprobatur. Quidam enim ieiunant vt expensis parcant. Infructuosè autem ieiunant, qui pro posse suo eleëmosynas non erogent: vt quod subtrahunt ventri, tribuant pauperi. Alioquin si ventrem euacuant, vt crumenam impleant, audiant quid dicat Dominus per Isaiam: Nunquid tale est ieiunium quod elegi? vt fiat, scilicet, sine operibus charitatis. Et paulò pòst: Nónne hoc est magis ieiunium quod elegi, dissolue colligationes iniquitatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Vnde beatus Augustinus: Bonum est ieiunare, sed melius est eleëmosynam dare. Eleëmosyna sufficit sine ieiunio; ieiunium sine eleëmosyna, carnem quidem macerat, sed animam charitate nõ illustrat. Lucerna quæ sine oleo accenditur, fumigare potest, lucem habere non potest: ita ieiunium sine eleëmosyna. Hæc Augustinus. Ad hoc igitur, vt sit fructuosum ieiuniũ, necesse est vnde caro ieiunãtis affligitur, inde caro pauperis restauretur. Vnde Zacharias Propheta: Cùm ieiunaueritis & plangeretis in quinto & septimo, nunquid ieiuniũ ieiunastis mihi? Teste autẽ B. Gregorio, non Deo ieiunat, sed sibi, si ea, quæ ad tempus ventri subtrahit, non pauperibus tribuit, sed postmodum ventri offerenda custodit. Est tertiũ reprobandum ieiunium, scilicet, gulosi, qui rarius manducat, vt auidius ventrem impleat. Vnde beatus Hieronymus: Neque enim reputanda est abstinentia, vbi secuta est ventris saturitas. Et beatus Augustinus: Nihil prodest tota die longum ieiunium ducere, si postmodum ciborum satietate anima obruatur. Et Isidorus ait: Spernitur ieiunium quod in vespera multorum ciborum refectione vel delitiis compensatur. Et iterum: Tota enim die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam vespere sibi delitias corporis præparat. Audiant qui hora tertia in diebus ieiunij manducare incipiunt, & vsque ad vesperam non surgunt, vt sic ieiunia decipiant, & ea supplantare valeant. Hi autem, quasi ad vsuram ieiunant, qui ad tempus ieiunantes postmodum variis & delicatis cibis ventrem suum vsq; ad crapulam implere studẽt, de quibus Isaias ait: Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Ieiunat igitur hypocrita, vt appareat auarus, vt expensis parcat: gulosus, vt postmodũ ventrem impleat: Ieiunat prætereà fastiditus, vt postmodũ magis appetat: Ieiunat egenus, quia non habet quod comedat: Ieiunat infirmus, eò quòd manducare nequeat. Hæc omnia ieiunia prædicta apud Deũ remuneratione carent. Qui enim sic ieiunãt propter Deũ, nõ abstinent. Ieiuniũ autẽ Deo acceptabile est, nõ solũ ab epulis carnalibus, sed & à vitiis ieiunare. Quid enim prodest abstinere à cibo, si nõ abstineamus à veneno? Ecce, inquit Dominus, per Isaiã ad lites & cõtentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè: nolite ieiunare sicut vsq; ad hãc diẽ. Debemus ergo secundũ consiliũ Ioëlis Proph. sanctificare ieiuniũ, abstinẽdo à malis in mente, sicut à cibis abstinemus

*Eccle.35.* *Zach.8.* *Leuit.23.* *De hypocrisi.* *1.Cor.5.* *Leuit.2.* *Leuit.24.* *Tit 3.* *Isa.28.* *2.Pet.3.* *Prouerb.13.* *Exod.9.* *Iacob.5.* *Isa.31.* *Para.13.* *2 Pet 3.* *Quod præmiũ nostrũ in hac vita relinquere nõ debemus.* *De ieiunio auaritiæ.* *Isa.58.* *Zach.7.* *De ieiunio gulosi.* *Isa.58.* *De ieiunio fastidii, egeni & ægroti.* *Quod ieiunandum est, non solum à cibis, sed à peccatis.* *Isa.58.* *Ioëlis 2.*

in corpore. Sicut enim qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, nihil ei proficit
*Eccle.34. Iere.4.* lauatio: ita homo qui ieiunat in peccatis suis, sicut dicitur in Ecclesiastico: Quamdiu enim ferrum est in vulnere, quid prodest malagma apponere? Nihil prodest super spinas seminari, quia vanum est ante lucem gratiæ surgere. Vnde & Dominus exemplum nobis tribuit, qui prius baptizatus est, & postmodum in deserto ieiunauit. Et nos prius lachrymis contritionis baptizemur, vt fructuosè à peccatis purgati, ieiunemus. Hoc est enim magnum ieiu-
*Leuit.23.* nium, quod elegit Dominus, vt dissoluamus colligationes impietatis, & soluamus fascicu-
los deprimentes. Prius enim, secundum legis mandatum, spicas tostas offerre oportet, quàm panes recentes. Ieiunet ergo cor nostrum à mala voluntate, ieiunet os ab indebita locutione, ieiunent omnia membra ab illicito opere, vt sic à cibis & potibus fructuo-
*De multiplici vtilitate ieiunii.* se ieiunemus. Quantus autem sit fructus ieiunij multis liquet rationibus & exemplis.
*Gene.3.* Vnde & Dominus ieiunauit, & nos ieiunare admonuit, & modum ieiunandi nos docuit, dicens: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Cibo enim à Paradiso electi sumus, vnde necesse est, vt per cibi abstinentiam ad Paradisum reuertamur.
*Matth.5.* Vnde Salomon: Qui abstinens est, adiiciet sibi vitam. Qui enim peccauit, abutendo prohibitis: necesse est vt satisfaciat, abstinendo etiam à concessis. Beati enim qui esuriunt & sitiunt, quoniam in æterno conuiuio satiabuntur. Primum autem præceptum, quod Dominus homini dedit, fuit abstinentia ciborum: qui quamdiu obseruauit, feliciter in Paradiso
*De quatuor ieiunii effectibus.* permansit. Sunt autem quatuor principales effectus ieiunij, qui hodierna die in præfatione
*De primo effectu.* designantur, in qua dicitur: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Corporali ieiunio iumentum domatur, caro mortificatur, carnis vitia com-
*4. Reg.25. Item 29.* primuntur, & praua mentis desideria per abstinentiam, vel penitus extinguuntur, vel ex magna parte debilitantur. Sicut enim Nabuzardan Princeps coquorum, scilicet, venter, destruit muros Hierusalem: ita animæ virtutes, ita ieiunium destruit muros Babylonis, scilicet, vitia animæ, quæ ædificantur à diabolo, contra Deum, in sua ciuitate. Sicut enim omnibus membris homo peccauit, ita per ieiunium omnia corporis membra puniuntur & debilitantur. Et ideo abstinentia ciborum, generalis est satisfactio omnium membrorum. Vnde ieiunio delentur peccata præterita per satisfactionem, & comprimuntur vitia præsentia, ne contra nos præua-
*Isaiæ 30. Gene. 9.* leant: vitia etiam futura præcauentur, ne insurgant. Vnde Isaias: In tympanis & citharis, & in bellis præcipuis expugnabo eos. Et in Genesi dicitur: Terror vester sit super animalia terræ, id est, super motus animales. Venter enim fame rugiens velut leo, non solùm motus camales, sed etiam dæmones effugat & exterret. Sicut enim amaro succo paruulus à mamilla separatur, ita carnis amaritudine ab illicitis voluptatibus, anima affecta ieiuniis alienatur. Hæc est
*Cant.5. Cant.4.* enim myrrha, qua vermes carnalium desideriorum perimuntur. De qua in Canticis: Manus meæ stillauerunt myrrham, id est, pœnitentes, pugnantes contra diabolum per carnis mortificationem. Propter quod sponsus ait: Vadam ad montem myrrhæ. Illos enim visitat Christus, qui cum præeminentia virtutum stigmata eius portant in corpore suo, qui tanquam
*Eccle.24.* myrrha electa in conspectu Domini aromathisant suauitatem odoris. Hæc est myrrha, quæ in sancta vnctione ponebatur, secundum Regis mandatum. Hi igitur, qui abominationes
*Exod.4.* Ægyptiorum, id est, afflictiones, corporum immolant Domino, dicentes cum Propheta: Redam vltionem hostibus meis. Et iterum: Filia Babylonis misera, id est, caro peccatrix & immunda: beatus qui retribuet tibi retributionem, affligendo te per abstinẽtiam, secundum mag-
*Iosue 11.* datum Iosue, subuernauit equos, & equites perimunt, carnem debilitãtes, & malignos spiritus cum vitiis in se trucidantes, nec acquiescentes carnis desideriis: quia fallax est iste equus ad lutem. Dominus autem equum istum, nisi castigetur, & ascensorem eius proiiciet in mare, id est, in amaritudinem damnationis æternæ. Propter quod pœnitens cum Iehpthe frequenter
*Iudi.11.* dicat carni suæ: Heu filia mea, decepisti me, & decepta es: malè enim prius torquebaris à dæmonio, ego verò tanquam puero scabioso, ne te lædendo scalpas, manus tibi ligabo. Pœna reuertetur in caput ista tuum: sicut enim curam tui feci in desideriis: & ita contra voluntatem
*Iudi.7.* tuam affligam te assiduis & salutaribus ieiuniis, & ita fracta laguncula corporis, Madianitæ, hostes, scilicet, animæ nostræ, superantur & perimuntur, & asperitate confractionis ab olla
*Ezech.34.* rubigo tollitur. De qua dicit Ezechiël Propheta: Væ ollæ, cuius rubigo in ea est. Ab hac olla debemus muscas abigere, tundendo pectus, & carnem affligendo. Discooperiatur autem primò per confessionem: alioquin nisi per oculum adferatur, muscæ non abiicientur.
*Iob 40. Matth.12.* Quoniam autem, vt dicitur in Iob, Behemoth dormit in locis humentibus: per loca autem arida & inaquosa ambulans, non inuenit requiem. Deficcare debemus malum humorem carnalis concupiscentiæ, à cibis carnalibus abstinendo, vt cithara Dauid malignus spiritus, qui
*1. Reg.16. Simile.* Saul vexabat, à nobis elongetur. Sicut enim flammam ignis in paleas currentem, impossibile est retinere, sic libidinis impetum ardentem satiato ventre repellere est impossibile, teste Eremita in vitis Patrum. Difficilè enim inter epulas seruatur continentia, quoniam inter voluptatum illecebras, ferreas mentes libido domat: dum enim satietate venter distenditur, aculei libidinis excitantur. Nitens autem cutis sordidum ostendit animum: sicut pinguis terra facilè germinat superflua. Vbicunque satietas & ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Gastrimargia enim mater libidinis & immunditiæ. Et quoniam, teste Salomone, qui
*Parab.12.* parcit

parcit virgæ, odit filium suum. Et in Ecclesiastico dicitur: Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella. Super filiam luxuriosam, carnẽ, scilicet, nostram, confirmanda est custodia & assiduanda sunt flagella. Qui enim à pœnitẽtia delicatè nutrit seruũ suum, posteà sentiet eum contumacem. Qui autem Christi sunt, vt ait Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Secundus effectus ieiunij est, quia mentem eleuat, sicut econtrà gulositas mentem deprimit & confundit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Crapula enim & ebrietate non solũ corpora, sed insuper corda grauantur. Vnde meritò gulosi iumentis insipientibus comparantur, & similes facti sunt illis. Mens enim ciborum varietate lassata, perdit deuotionem & orationis vigorem, sicut ait beatus Augustinus. Multa enim est differentia, vt ait quidam sapiens, inter ventrem vacuum & pulmonem epulis æstuantem, inter rubentem faciem & ieiuniis pallentem, inter ieiunam saliuam & labia crapulis dissoluta, inter oppressum epulis spiritum & vigilantem tenuitatem mentem. Plenus enim venter non gignit tenuem spiritum. Vnde Isidorus: Immundi spiritus ibi magis se ingerunt, vbi plus viderint escæ & potus. Ieiunia autem fortia tela sunt aduersus tentamenta dæmoniorum. Corpus enim quod per abstinentiam frangitur, tentatio non vrit. Idem Isidorus ait: Sicut omnis carnis cupiditas abstinentia resecatur, ita omnes virtutes animæ vitium edacitatis destruit. Neque quisquam potest attingere ad virtutum perfectionis, nisi prius domuerit ventris ingluuiem. Et Basilius ait: Sicut equis frena sunt imponenda, ita corda ieiuniis sunt refrenanda: per ciborum enim auiditatem, franguntur vires stomachi. In vitis autem Patrum dicitur: Quemadmodum flamma comburit syluam, sic cogitationes malas extinguit esuries. Incrementum ignis, sylua: incrementum vitiorum, esca multa. Ieiuniis ergo mentem nostram ad superna leuare debemus, vt tollamus grabbatum nostrum. Esca enim non commendat nos Deo, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Propterea in cantico Delboræ de his, qui carnem suam pro Christo affligunt, dicitur: Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino: qui ascenditis super nitentes asinos, conculcando, scilicet, carnis lasciuiam. Iugum enim & lorum incuruant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. Et iterum: Seruo maleuolo tortura & compedes. Corporali ergo ieiunio mens eleuatur, vt sedeat Aza filia Caleph super asinam. Et Zacheus ascendit sycomorum. Et piscis in lege à Domino approbatus, saltum faciat super aquas. Tertius est effectus ieiunij, quod per ipsum virtutes tribuuntur abstinenti, maximè virtus sobrietatis & castitatis, quia sine Cerere & Baccho friget Venus. Nec enim potest esse quis Beniamin, id est, filius dexteræ, nisi prius Bennonin, id est, filius doloris, scilicet, se affligendo, & ad CHRISTVM extra castra corporis exeundo per abstinentiã, vt corpus Christi myrrha & aloë condiatur: & tabernaculum Domini sagis cilicinis ad custodiam cortinarum, id est, virtutum cooperiatur. Vnde Ieremias ait: Filia Sion, adhuc ornaberis tympanis tuis. Per tympana enim mortificationis carnis, animæ virtutibus exornantur. Et Psalmus ait: Ibi dolores vt parturientis. Quia carnis afflictio, virtutes in anima parturit, & maximè virtutem humilitatis. De qua dicitur in Psalmo: Humiliabam in ieiunio animam meam. Gaudium etiam cordis & tranquillæ conscientiæ. Vnde Salomon: Melior est buccella panis cum gaudio, scilicet, bonæ conscientiæ, quàm domus plena victimis cum iurgio, carnalis, scilicet, concupiscentiæ. Parturit præterea desiderium & deuotionem: vnde Iob: Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt, scilicet, præ angustia doloris & afflictionis. Animæ enim esurienti amara etiam dulcia videntur. Et in Prouerbiis: Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumit. Si enim lumbi præcincti fuerint per abstinentiam, lucernæ erunt ardentes per deuotionem & feruorem. Parturit præterea moderatus cibus corporis & animæ sanitatem. Vnde beatus Augustinus: Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes quisq; debet accedere, nequaquã in illis voluptatem appetens. Quartus est ieiunij effectus, præmium vitæ æternæ. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, in carne exercendam: quoniam ipsi saturabũtur. Elias enim in turbine raptus est in cęlũ. Et diuite epulone reprobato, Lazarus famelicus in sinu Abrahę est receptus. Vnde & B. Ioãnes audiuit vocẽ in cęlo, quasi citharedorum citharizantium in citharis suis. Hi sunt qui carnem suam dum viuerent, crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Vnde in Euang. Tolle grabatum tuum, per carnis afflictionem: & vade in domum tuam, id est, in supernã patriã. Per corticẽ siquidem amaritudinis in nuce satisfactionis, & testa cõscientiæ & fortitudinis, peruenitur ad nucleũ æternæ dulcedinis, de quo nõ habent potestatẽ edere, qui tabernaculo corporis deseruiũt, id est, carnis voluptati. Vnde in Psal. Transiuimus per ignem & aquã, id est, per pœnitentiã charitate feruentẽ, & lachrymis humidã: & induxisti nos in refrigeriũ beatitudinis æternæ. Quãtò enim in hoc seculo ieiuniis & laboribus frãgimur, tantò in alio seculo solidabimur. Dominus enim corpus humilitatis nostrę reformabit, configuratũ corpori claritatis suæ. Ipse autem in hac vita non corporis, sed animæ pulchritudine delectatur. Diuersis autẽ diuersorũ exẽplis ieiunij, virtus approbatur. Hoc enim Moyses carus Deo, legisq; lator factus est: Hoc Eliã per aëra curru leuauit igneo: Hoc Niniuitę diuinæ cõminationis euaserũt vltionẽ: Hoc tres pueri de mensa Regis, exemplo Danielis, manducare delicata cibaria recusantes, ne polluerẽtur cibis Gentiliũ, legumina comederũt, & aquã biberunt, & ab incẽdio fornacis liberati sunt. Sed & Daniël propter hoc gratiã prophetię promeruit. Et

*Eccle. 30. & 42.* *Parab 29.* *Galat. 5.* *De secundo effectu.* *Sapien. 9.* *Luc. 21.* *Indi. 5.* *Eccle. 33.* *Indi. 1.* *De tertio effectu.* *Gene. 35.* *Exod. 26.* *Ierc. 31.* *Parab. 17.* *Iob 6.* *Prouer. 18.* *De quarto effectu.* *Matth. 5.* *3. Reg. 2.* *Luc. 16.* *Apoc. 14.* *Gala. 5.* *Ioan. 5.* *Phil. 3.* *De variis ieiuniorum exemplis.* *Exod. 24.* *3. Reg. 2.* *Ionæ 3.* *Dan. 2.*

ruit. Et quoniam abstinens fuerat & variis cibariis eorum ingenium non erat perturbatum, plus omnibus aliis studendo profecerunt. Vnde Dominus dedit eis scientiã & disciplinã in omni libro & sapientia, sicut dicitur in Daniële: & inuenit in eis Rex decuplũ super omnes Ariolos & Magos, qui erant in omni regno eius. Sed & Daniël ieiunando, populo suo veniam promeruit. Panem, inquit, desiderabile nõ comedi, & caro & vinũ nõ introierunt in os meũ. Vnde & Angelus ait illi. Ex die primo, quo posuisti cor tuũ ad intelligendũ, vt te affligeres in cõspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. Sed & Paulus tribus diebus & tribus noctibus nõ mãducans neq; bibẽs, raptus ad tertiũ cęlũ, vidit arcana Dei, & audiuit verba, quę nõ licet homini loqui. Sed & Apostoli post ieiuniũ spiritũ sanctũ in die Pentecostes receperunt. Dominus enim dixerat: Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, quod fuit in ascensione. Hester cum Mardochęo & Iudæis ieiunando populũ suũ à morte liberauit. Vade, inquit Hester Mardochęo, congrega omnes Iudæos, quos in Susis reperies, & orate pro me. Iudith habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata & Neomenias, & Festa domus Israël. Et idcirco de Holoferne & eius exercitu victoriam obtinuit. Sed & cæteræ tribus Israël pugnantes contra Beniamin pro vxore Leuitæ, postquam ieiunauerunt & fleuerunt, victoriam obtinuerunt. Purgationem autem peccatorum, & diuinã propitiationem, ieiunando à Domino impetramus. Vnde de die afflictionis, propitiationis & expiationis, inquit Dominus in Leuitico: Omnis anima, quæ non fuerit afflicta die hoc, peribit de populis meis. Patet igitur quantum valeat à cibis carnalibus ieiunando abstinere. Vnde Dominus cùm posset mittere carnem & vinũ Eliæ, misit ad caput eius panem subcinericium, & vas aquæ: Daniëli autem in lacu leonum, misit per Prophetam Abacuc pulmentum & panes, quos triuerat in alueolo. Multi verò dum ieiunant, delicatis implentur cibariis, & quia corporibus eorum nihil subtrahitur, animabus eorum nihil augetur. Ardor enim corporis, vt ait Hieronymus, frigidioribus epulis temperandus est. Moderata autem ieiunia prosunt animæ & corpori, nimia verò & immoderata non placent, quia honor Regis iudicium discretionis diligit. Rationabile, ait Apostolus, sit obsequium vestrum. Sicut enim ciborum pondere stomachus debilitatur, ita ieiunia nimia stomachum supra modum debilitant, & ad diuinum seruitium hominem inutilem reddunt & languidum. Vnde Hieronymus: Tantum tibi ieiuniorum pondus impone, quantũ ferre potes. Multumq; melius est paruum cibũ sumere quàm rarum & multum. Pluuia illa optima est, quæ suauiter descendit in terra, quàm subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. Idem parcus cibus & venter semper esuriens, biduanis & triduanis ieiuniis præfertur. Nimia enim debilitas corporis, etiã vires animi frangit. Tria enim debentur ãsino pabulum, vt sustentetur: virga ne recalcitret: opus vt sit vtilis Domino. Vnde in Ecclesiastico: Non lædas seruum operantẽ in veritate. Idem: Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. Corpus enim amare debemus, non pro se, sed pro Domino, vt ipso tanquã instrumẽto deseruiamus: non sicut inimici crucis, quorum Deus venter est, sed vt fortitudinem nostrã ad Dei seruitiũ custodiamus. Iuxta illud: Fortitudinẽ meam ad te custodiã. Vnde Hierony. Tunc amicus benè amatur, si nõ pro se, sed pro Deo ametur. Qui autẽ infirmus est & debilis, & non potest ieiunando offensam curare, potest ieiuniũ eleëmosynã dando redimere, vt ait B. Augustinus: Redemptio enim animæ viri, diuitię suæ. Vnde in Deuteronomio dicitur: Cùm longior fuerit via & locus, quem elegerit Dominus, tibiq; benedixerit, nec poterunt ad eũ cuncta portari: vendes omnia & in pretiũ rediges, portabisq; manu tua, & proficiscẽris ad locũ, quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit. Ex quo datur intelligi, quoniã qui ieiunia ferre nõ potest, licet ea redimere per alia bona opera. Consiliũ autem Apostoli est, quod qui infirmus est, olus manducet. Quod satis cõuenienter intelligi potest de his, qui debilitatẽ stomachi incurrerunt. Nihil enim sic inflammat & titillat membra genitalia, sicut ponderosus & indigestus cibus. Vnde B. Hieronymus: In ipsis etiã leguminibus inflantia & grauia declinanda sunt, nihilq; scias ita cõgruere Christianis adolescentibus, quàm esum olerũ. Et iterum: Nonnulli vitã pudicã appetentes, in medio corruerunt itinere, dum per solam abstinentiã carniũ se putãt temperare, & leguminibus onerarẽt stomachũ. Fructuosum autem ieiuniũ duos comites habere necesse est: orationẽ, scilicet, & eleëmosynã. Hæ sunt enim ciuitates refugij, ad quas peccator debet cõfugere. Vos ego fratres, cùm ieiunatis, vngite capita vestra, id est, corda oleo cõpassionis & misericordiæ. Hoc oleũ de capite vestro non deficiat. Extendatur manus arida ad pauperes, vt restituatur sanitati. Beatius enim est dare quàm accipere. Frustrà enim manus ad Deum in oratione leuat, qui eas pro posse suo ad pauperes non extendit. Vngamus caput nostrũ, id est, Christum, dando eleëmosynã. Hæc requies mea, reficite lassum. Nolite thesaurizare vobis thesauros per auaritiã, sicut ille miser, qui volebat destruere horrea sua, qui eodem die audiuit: Stulte, hac nocte repetent animam tuam: quæ autem parasti, cuius erunt? Diuitiæ enim more meretricis, ab vno ad alium citò trãseunt. Eleëmosyna autem, vt dicitur in Tobia, ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Nolite ergo facies vestras auertere ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à vobis auertatur facies Domini. Nolite thesaurizare super terram. Quæ enim pro terrenis fiunt, fures, id est, dæmones, furantur & auferunt. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sensus vestros, voluntatem, & intellectum vestrum nolite cum diuitiis in terra sepelire: vbi enim est thesaurus

*Dan.10.*
*Actuum 10.*
*2. Cor.12.*
*Actuum 2.*
*Matth.9.*
*Hester 3.*
*Iudi.5.*
*Iudi.20.*
*Leuit.23.*
*3. Reg.19.*
*Dan.13.*
*Eccle.7.*
*Phil.4.*
*De redemptione ieiunii.*
*Prou.12.*
*Deut.14.*
*De delitiis ciborum.*
*De duobus ieiunii comitibus & tribus ciuitatibus refugii.*
*Conclusio & recapitulatio secundum aliam expositionem.*
*Eccle.10.*
*Matth.6.*
*Luce 12.*
*Matth.6.*

thesaurus hominis, ibi est & cor eius. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo: beatus enim qui intelligit super egenũ & pauperẽ. Terrena enim seruando, amittimus, sed largiẽdo ea, reseruamus. Sint igitur manus pauperũ gazophylaciũ vestrũ, vt possimus dicere cum B. Laurẽtio: Facultates Ecclesię manus pauperũ in cœlestes thesauros deportauerunt. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Mitte panẽ tuũ super transeuntes aquas, & post multa tempora inuenies illũ. Aquæ transeuntes sunt pauperes, qui in die iudicij, scilicet, post multa tempora depositũ nobis sunt reddituri. Debemus ergo terrena pro cœlestibus, transitoria pro æternis: ea quæ retinere non possumus, pro his quę nunquã amittemus, cõmutare. Quod si eleëmosynã corporalem exterius non valemus, demus spiritualem interius, vt vngamus caput nostrũ visceribus pietatis affluẽdo. Faciem autẽ lauare debemus lachrymis deuotionis orãdo, facie, scilicet, interiorẽ per deuotã orationẽ. Oratio enim cum lachrymis cõpunctionis apud Deũ pro baptismo reputatur. Vnde in vitis Patrũ legitur: Sicut venenata animalia fortiores herbæ vel pigmenta expellunt, ita oratio cum ieiunio sordidas cogitationes expellit. Vnde B. Augustin. Orationibus mundamur, lectionibus instruimur, vtrumq; bonum etiã si liceat. Melius est orare quàm legere: quia in lectione cognoscimus quid facere debeamus, in oratione, quæ postulamus, accipimus. Non solũ autẽ faciem interiorẽ, prædicto modo lauare debemus. Sic expedit imperfectis & de nouo conuersis, qui pro laudibus humanis facilè attolluntur, quatenus signa religionis publicè nõ ostendãt, sed in abscondito bona inchoationis suæ exerceant, vt non sciat sinistra quid faciat dextera: & pater eorum, qui videt in abscondito, retribuet eis æternam retributionem. Quam nobis pręstare dignetur, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Ecclę. 11.

*De ablutione faciei per orationem.*

## DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA
### THEMA DE INTROITV MISSAE, sumptum ex Psalmo 90.

*Inuocauit me: & ego exaudiam eum, eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum adimplebo eum.*

MILITIA est vita hominis super terrã. Labor, & dolor, & afflictio spiritus, pugna, periculum, castigatio, & exercitium, & martyrium, est tota conuersatio fideliũ. Premit corpus, fremit mundus, insidiatur diabolus, corpus quod corrumpitur, aggrauat animã: mundus implicat, & variis modis inuoluit: diabolus illaqueat, seducit, & capit: caro deprimit nos, infra nos per luxuriam: mundus trahit nos extra nos per auaritiã: diabolus leuat nos supra nos per superbiã. Quid igitur miser homo faciet? ouis inter lupos, columba inter accipitres, lepusculus inter canes? Confugiat ouis ad pastorẽ, qui pro ouibus suis posuit animã suã. Columba in summo foramine petræ nidificet, lepusculus cubile suũ in petra collocet. Recurrat homo in tot periculis constitutus, ad diuinũ auxiliũ. Quicunq; enim inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. Inuocemus igitur eũ in veritate, corde, ore, & opere. Inuocemus eum nõ tantũ ore, quia nõ omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorũ: nec prodest ipsum inuocare opere, nisi intus habitus inuocetur puro corde. Scriptũ est enim: Iniquitatẽ si aspexi in corde meo, nõ exaudiet Dominus. Hoc est igitur ipsum inuocare, ad ipsum intus habitũ clamare, & ita ipse exaudiet nos, nec vlla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Ipse est enim propè omnibus inuocantibus eum, id est, intus vocãtibus eũ in veritate. Vnde hodie mater nostra Ecclesia cõsolatur filios suos, instruens eos quid facere, & ad quẽ fugere debeant in multiplici afflictione & tentatione, ad eũ, scilicet, qui est adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Quod valde necessarium est, maximè his diebus, in quibus inimicus noster acrius insequitur recedentes à se, & quasi clausa ianua, per quam solebat intrare, fortius solito in hoc sacro ieiunio incipit pulsare. Laban enim persequitur Iacob ab eo recedentem: Et Pharao filios Israël, ab Ægypto recedentes, insequitur: Et Gabaonitæ postquam confœderati sunt Iosue à quinque Regibus, id est, quinq; sensibus corporis statim impugnantur. Et Salomon accepta à Domino sapientia, statim à meretricibus, id est, lubricis cogitationibus tentatur. Et Sodomitæ, id est, cogitationes immundæ, pulsant ad ostium Loth, postquam in hospitio suo Angelos recipit. Vnde scriptum est: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Filios enim Israël ad Dominum clamantes, Pharao magis oppressit. Quod benè signatum est per dæmoniacum, quem Dominus, sicut in Marco legitur, curauit: ante cuius curationem dæmon exclamans & multũ discerpens, exiit ab eo. Dæmon autem peius allidebat eum, spumabat, stridebat dentibus, & arescebat, & frequenter eũ in ignẽ & in aquã mittebat. Allidit enim diabolus cor peccatoris maximè per auaritiã: spumare facit per luxuriã: stridere dentibus per irã: arescere per acediã. Mittit in ignẽ & aquã, dum nunc aduersitatibus cõfunditur, nunc prosperis blanditur, & ad peccandũ allicit. Sicut igitur filij Israël, postquã mãna gustauerũt, Amalechitę cõtra eos grauiter pugnauerũt, & postq; templũ in Hierusalẽ reædificare cœperũt, omnes circunquaq; nationes insurrexerũt cõtra eos. Ita maligni spiritus à se recedẽtes, grauius impugnare nitũtur. Vnde Nabuchodonosor præcepit Holoferni, vt ad eos præcipuè egrediretur, qui eius contemptores

*In tribulatione inuocandus est Dominus.*

*Quid tripliciter inuocãdus est Dominus.*

*Diabolus derelictus surgit in scandala.*

Iob. 7.

Matth. 8.

Gene. 31.
Exod. 14.
Iosue 10.
2. Reg. 3.
Gene. 19.
Eccle. 2.
Exod. 5.
Mar. 9.
Exod. 17.
1. Esdr. 4.
Iudi. 2.

imperium. Et beatus Paulus postquam ad Dominum conuersus, & vsque ad tertium cœlum raptus fuit: traditus est angelo satanæ ad colaphizandum. Sed & Dominus noster statim à diabolo tentatus est post baptismum. Propter quod de sanctis viris Iob ait: Qui parati sunt suscitare Leuiathan, id est, contra se bonis operibus incitare. Nam prima mansio, quam habuerunt filij Israël, postquam de Ægypto exierunt, fuit Ramasse, quæ interpretatur Commotio tineæ. Diabolus enim tineosus, tinea malitiæ & inuidiæ penitus occupatus, cõtra exeuntes de Ægypto vitiorum cõmouetur, & eos tinea sua inficere & corrumpere conatur. Igitur ad consolationẽ & instructionẽ pugnantiũ, quos maximè his diebus tentat diabolus, in officio Missæ hodiernæ Psalmus iste decantatur: Qui habitat in adiutorio altissimi. In quo Christi Athletæ de pugna, & arte pugnę, & quibus armis pugnandũ sit, de variis pugnantium insidiis, & diuersis tentationibus, de cõsolatione, protectione, liberatione, de victoria, & remuneratione, plenissimè edocẽtur. Quoniam ergo difficilis est pugna carnis, quia familiaris est inimicus, in qua necesse est, quod idem vincat & vincatur: nec minus est difficilis pugna mundi, qui hostis est sophisticus, in quo variis deceptionibus anima fallitur: difficilior autẽ omnibus est diabolus, qui hostis est antiquus ex temporis antiquitate, & naturæ subtilitate, & fallendi vsu, & cõsuetudine astutior omnibus aliis tentatoribus: nec est potestas super terrã, quę cõparetur ei, qui factus est vt neminẽ timeret. Igitur oportet, quod Christi pugiles, non de suis viribus seu meritis præsumant, nec in homine confidendo, ponant carnem brachium suum, sed in eo solo spem habeant, qui saluat sperantes in se, dicentes cum Propheta: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Et sicut Dauid ad Goliam ait: Non in gladio, nec in hasta, saluat Dominus: Ipsius est enim bellum. Et Iudas Machabæus ait: Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Non ergo de suis meritis præsumat, & si bis in sabbato ieiunet, & decimas det omniũ quæ possidet: nõ in operibus suis habitet cõfidenter in eis, sed habitet in adiutorio altissimi, firmiter ei adhærẽs. Non sicut Adã, qui licèt ad tempus fuerit in adiutorio altissimi, nõ tamẽ habitauit in eo, quia citò recessit, quasi transeundo, nec perseuerauit. Qui autẽ in eius adiutorio spe firma habitauerit, dicẽs cum Propheta: Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Et cum Apostolo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? In protectione Dei cœli cõmorabitur. Sic enim sperãdo, Deus proteget eum, vt dicere possit cum Propheta: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui autẽ confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarum gloriantur, non in adiutorio altissimi, sed in domo ruinosa habitant. Et quia beneplacitũ est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Athleta Christi nihil præsumat de se, sed omnia bona sua ad Dei gratiam referat, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Et in hoc fortis erit in bello, & poterit omnibus tentationibus resistere, sicut scriptum est in Isaia: In silentio & spe, erit fortitudo vestra. Et Iob ait: Si occiderit me, sperabo in eum. Et iterum: Reposita est hæc spes mea in sinu meo. In hac ergo spei firmitate & fortitudine, in protectione Dei cœli commorabitur, qui est super omnia. Non timebit mala peruersa, neque mala aduersa, vt dicere possit cum Propheta: In Deo meo transgrediar murum, & omnes difficultates tentationum. Qualiter autem à Domino protegatur, multipliciter in Psalmo ostenditur. Dominus enim suscipiet eum, & erit ei refugiũ altissimum & munitissimum, vt dicere possit Domino: Susceptor meus es tu & refugium meum. Refugium altissimum, ad quod hostes non valeant accedere. Non enim acceder ad eum malum, id est, peccatum, nec flagellum appropinquabit eius tabernaculo, maximè post hanc vitam. In hac autem vita nullum flagellum prævalebit aduersum eum. Quem Dominus suscipit tanquam Medicus ægrum, vt sit ei Dominus refugium, & ipse fugiat ab ipso irato ad ipsum pacatum, vt Dominus suscipiat eum, tanquam Aduocatus & Patronus in causa ipsius contra aduersarium. Tertio etiam modo suscipiet eum, vt si aliquando cadat, eum suscipiat, supponens manum suam ne collidatur. Impius cùm cadit, fit ruina magna, quia non adiiciet vt resurgat. Iustus autem cùm cadit, fortior resurgit, humilior, & cautior. Quia igitur in casu suo ab humilitate suscipitur, Dominus susceptor est illius, vt dicere possit: Impulsus, euersus sum vt cadarem, & Dominus suscepit me. Omnia enim cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Sic ergo vno modo protegit eum Dominus, ipsum suscipiendo: alio modo refugium præstando: tertio modo ipsum à venatoribus & à verbo aspero liberãdo. Venatores animarũ sunt dæmones expandentes retia, tendentes laqueos, vt capiãt homines bestiales, & sagittent in occultis immaculatũ. Homo enim cùm in honore esset, nõ intellexit, cõparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis, bestiis nimirũ & feris, in peccatis suis. Fit enim leo per superbiam, aper per iram, onager per acediam, vulpecula per fraudem, lupus per rapinam, canis per gulam, porcus per luxuriam. Laquei diaboli sunt diuitiæ huius seculi. Vnde Apostolus: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueos diaboli. Retia diaboli sunt meretrices. Vnde in Ecclesiaste: Inueni amariorem morte mulierem, laqueus est venatorum, sagena cor ipsius, vincula sunt manus eius. Retia dæmonum sunt, quicunq; alios inducunt ad peccãdum, & maximè mali Prælati, de quibus in Ozee dicitur: Laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Prędicti autem venatores, id est, dęmones, valde gaudent & exultant, capta præda, quando diuidunt spolia, pellem diuitiarum, mundo relinquentes carnes, id est, cadauera vermibus, animas sibi tollentes. Liberat præterea Dominus à verbo

2. Cor. 12. Matth. 4. Iob. 3.

Exod. 13.

*Quare hodie in Ecclesia canitur psalmus, Qui habitat.*

*De triplici pugna caruit mundi & diaboli.*

Iob 41. *Quod homo in Deo non in viribus suis confidere debet.* Iere. 18. Iudi. 1. 1. Reg. 17. 1. Mach. 3. Lucæ 18. *Expositio Psalmi.*

Rom. 8. *De protectione diuina.*

Ioan. 15. Isaiæ 30. Iob 14. Iob 19.

*De multiplici protectione.*

*De triplici susceptione.*

Rom. 8. *De triplici protectione.*

*De venatione dæmonum & diuersitate bestiarum.*

*De laqueis & retibus diaboli.* 1. Tim. 6. Eccle. 7. Oseæ 5. *De gaudio venatorum & verbo aspero.* Isaiæ 9.

à verbo aspero: pro te multa verba aspera sustinuit. Verbum asperũ reprobis: Surgite mortui. Asperius: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Asperrimum: Ite maledicti in ignem æternum. Hæc est auditio mala, de qua Psalmus ait: Iustus ab auditione mala non timebit. Verba aspera impiorũ, verba sunt detractionis, deceptionis, maledictionis, & malæ persuasionis, contumeliæ & blasphemiæ. Verba venatorum aspera: Affer, affer: percute, interfice, per frusta diuide, macta, & manduca, infige verubus, infer pruinis, impone caldariis, extrahe vncis ferreis. Liberat igitur Dominus sperantes in se ab his verbis asperis, & à laqueis venantium, qui non in via, sed iuxta viam tendunt, vt si quis exorbitauerit, confestim prope viam capiatur, sicut scriptum est: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Laqueus est cor hominis, de quo dicitur in Psalmo: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Hoc laqueo capiuntur, qui curã faciunt in desideriis. Quarto modo protegit Dominus eos, qui habitant in adiutorio altissimi, scapulis suis & pennis eius obumbrando, præstando refrigeriũ contra ardorẽ tentationũ. Scapulis suis nobis obumbrauit in cruce, vbi peccata pertulit. Scapulis suis obumbrat nobis, cõferens gratiã in præsenti, & gloriã in futuro. Scapulis suis obumbrat nobis, gemina prouisione, vitæ, scilicet, quę nũc est & futurę, cõferens hîc bona tẽporalia ad sustentationẽ, tandẽ collaturus bona æterna ad glorificationẽ. Hîc enim dat viaticũ, vt peruenire valeamus ad regnũ. Sub pennis autem eius speramus, dum de exhibitione præsentiũ munerũ, certã habemus expectationẽ futurorũ. Pennæ etiam eius dici possunt duplex dilectio, Dei, scilicet, & proximi, quibus protegimur ab incentiuis vitiorũ. Scapulis autẽ Domini abscondimur ab incursu accipitrũ: refrigeramur ab ardore vitiorũ: alimur & fouemur tanquã pulli sub alis auiũ. Quinto modo protegit Dominus suos in bello, scuto veritatis suæ circundãdo eos. Circundati enim sumus variis tentationibus, & sicut vndiq; bella, ita vndiq; præsidia. Habeamus igitur scutũ veritatis in corde cõtra duplicitatẽ, in ore cõtra falsitatẽ, in opere cõtra vanitatẽ: hoc igitur modo scutũ dicitur veritas eius. Alio autẽ modo scutũ dicitur, bona voluntas Dei & gratia diuinæ protectionis. De quo dicitur in Psal. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Hoc scutũ latũ est superius, sed strictũ inferius. In his enim, quæ ad animã pertinent, plenius à Domino protegimur: in his autẽ quæ ad corpus, parcius. Habentes, inquit Apostolus, alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Veritas etiã eius adimpletio promissionũ intelligitur, per quã velut scuto in tentationũ pugnæ circundamur. Ipse enim fidelis est, qui promisit, quod nõ permitteret nos tentari supra id quod possumus: sed faceret insuper cum tentatione prouentũ. Ipse præterea pugnãtibus ait: Vobiscũ sum vsq; ad consummationẽ mundi. Confidite, quia vici mundũ. Sic igitur muniti & protecti à Domino, varias inimicorũ insidias, & multiplices pugnantium sustinebimus insultus. Inter quos quatuor præcipuè numerãtur, sub quibus omnes alij cõtinentur. Aut enim impugnat nos inimicus per ignorantiã, quæ valde periculosa est tentatio, & dicitur timor nocturnus: aut per malã voluntatẽ, velut sagitta volante, nos percutit: aut per malã operationẽ apertã, quæ dæmonium meridianũ appellatur. Primũ peccatũ, scilicet, ignorãtię, per aspidẽ designatur, quę vnam aurem terræ infigit, aliam cauda obturat, vt non audiat vocem incantantis, sapienter. Per quod intelligitur ille, qui noluit intelligere, vt benè ageret. Per Basiliscum, quæ solo visu homines interficit, velut sagitta volante, intelligitur peccatum cogitationis malæ, qua homo interficitur in corde, videndo mentis oculo, & peccato consentiendo. Solo enim visu mentis sine opere interficitur. Per draconem, malam operationem, sed occultam: per leonem, malam & apertam intelligimus. Draco enim occultè interimit, Leo apertè sæuit. Vel per timorem nocturnum leuis & occulta tentatio designatur. Ignorantia enim excusat à tanto, & si non à toto. Propterea peccatum quod timetur leuius est, quàm illud quod per contemptum committitur. Per sagittam in die volantem, leuis & aperta tentatio signatur. Sagitta volans à longè percutit, & minus lædit, quàm gladius, qui fert è vicino. Leuis autem tentatio dicitur, quæ non multum vrget, sed citò præuisa, quasi in die declinatur. Per negotium perambulans in tenebris, grauis & occulta tentatio denotatur. In huiusmodi enim tentationibus, totis negotiandum est viribus, vt occultos seductoris laqueos deprehẽdere valeamus. Per incursum verò & dæmoniũ meridianũ, grauẽ & manifestã tentationẽ intelligimus, quæ dicitur incursus, quia acriter vrget. Dæmoniũ verò meridianũ, quia aperta est, & feruet sicut Sol in Meridie. Qualis fuit tentatio in primitiua Ecclesia à tyrannis, & apertis persecutoribus. Beatus autẽ Bernardus nocturnũ timorẽ refert ad flagella & molestias corporis. Cuiusmodi fieri solẽt maximè in his, qui assueti delitiis & voluptatibus, conuertuntur ad Dominum: vnde magis timent, eò quòd laboribus non sunt assueti. Ab hoc timore nocturno liberatur homo scuto veritatis, vt non timeat nimis, dum attendit promissiones diuinas. Quia non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Non igitur nimis labores momentaneos timeamus, sed cum Propheta dicamus: Ego autem in flagella paratus sum. Post timorem nocturnum, qui ad statum maximè pertinet inchoantium, sequitur sagitta volans in die, quæ pertinet ad statum proficientium, qui de corporis afflictione & bonis operibus gloriati incipiunt, & quasi sagitta vanæ gloriæ impugnantur. Et licèt leuiter volet in die bonorum operum & virtutum, non leue tamen vulnus infligit. Caueant ergo sibi feruentes in bono opere, ne in die bonorum operum & iustitiæ, hac sagitta vulnerentur, & repellant eam scuto veritatis, & ad lucem veritatis sese considerent. Quia omnes iustitiæ nostræ tanquam

*De multiplici verborum asperitate.*

*Rom. 13. Addit de quarto modo protegendi, & de multiplici obumbratione.*

*De diuersis scapulis Domini.*

*De pennis Domini.*

*Addit de quinto modo protectionis & de scuto veritatis.*

*De forma scuti.*

*De quadruplici insultu dæmonum.*

*Quod per quatuor animalia, quatuor impugnationes designantur.*

*Alia expositio prædictorum.*

*Tertia expositio secundum D. Bernardũ.*

*Rom. 8.*

*Isa. 64.*

pannus menſtruatæ. Et quia neſcimus, vtrum digni ſimus odio vel amore. Vnde Dominus ait: Ego iuſtitias iudicabo. Per negotium autẽ tenebroſum, auaritia principaliter intelligitur. Auari enim negotiis ſecularibus inuoluti, diuitiarũ cupiditate & bonorum excæcantur ambitione. *1. Tim. 6.* Auaritia enim radix eſt omnium malorum, ſecretum virus, peſtis occulta, mater hypocriſis, liuoris parens, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis. Ne igitur propter hoc negotium ambulans in tenebris, mittatur in tenebras exteriores, ſcutum veritatis eidem opponamus. *Matth. 22. Matth. 16. Mar. 8. Lucæ 9. Sap. 6.* Quid enim prodeſt homini, ait Veritas in Euãgelio, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Ambitioſis autem id opponitur, quod in libro Sapientiæ ſcriptum eſt: Potentes potenter tormenta patientur. Conſolatio enim dignitatum friuola, vſus breuis, finis ignotus & incertus. His igitur tribus tentationibus ſuperatis, dum attendit inimicus Chriſti Athletam diligere iuſtitiam & odire iniquitatem, aſtutè prætendit ei malum boni ſpecie palliatum, transfigurans ſe in Angelum lucis, tanquam dæmonium meridianum, vt dum homo in feruore ſpiritus ad bonum currit, occurrat ei inimicus prętendens iniquitatem imagine boni obumbratã. Opponat autẽ Chriſti miles huic tentationi ſcutũ veritatis, vt non credat omni ſpiritui, ſed probet ſpiritus, vtrũ ex Deo ſint. *Lucæ 1. Matth. 14. Mar. 6. Ioan. 16.* Nam Maria ad introitũ Angeli expauit, & diſcipuli Chriſti exclamauerunt, timẽtes & putãtes phantaſma eſſe, quod viderãt. Timore nocturno tentati fuerũt in primitiua Eccleſia ſancti ad Dominũ conuerſi, quãdo, qui eos occidebant, obſequiũ præſtare ſe Deo putabãt. Poſtmodũ verò, Eccleſia creſcente & proficiẽte, quaſi die proſperitatis illuceſcente, multi vani atq; ſagitta inanis gloriæ fauciati, exierunt & hæretici facti ſunt, vt ſingularitate præeminerent. Poſt hæc verò in diebus iſtis, falſi Chriſtiani quęrẽtes quæ ſua ſunt, nõ quæ Ieſu Chriſti, auari & ambitioſi, à negotio perambulãte, in tenebris perierunt. Diebus autem nouiſsimis, tempore, ſcilicet, Antichriſti, ſatan inſidiabitur calcaneo Eccleſiæ, & grauiſsimo incurſu dæmonij meridiani, id eſt, Antichriſti, Chriſti fideles ſupra modum vexabuntur. Electi autem in Chriſto confidentes, ſcutũ veritatis opponent, qui electis ſuis dies breuiari promiſit, eò quòd eum deſtrueret illuſtratione aduentus ſui. Primus tribus tentationibus diabolus Dominum tentauit. *Matth. 24. Mar. 13. 2. Theſ. 2.* Tentauit eum de gula, contra moleſtiam famis in deſerto: tentauit eum de vana gloria in templi pinnaculo: de auaritia in monte excelſo: de quarto autẽ eum non tentauit, quem ſapientiſsimum agnouit, neq; malo ſub ſpecie boni eum poſſe decipi, credidit. Non ſolùm autem qui habitat in adiutorio altiſsimi, inimicis reſiſtet, ſed inſuper conculcabit & vincet. Mille enim cadent à latere eius, & decem millia à dextris ipſius. Ad nihilum enim deducetur in conſpectu eius malignus. Etſi enim via obſita ſit latronibus, non eſt metuendum tibi, ſi in protectione Dei cœli commoraris. Cadent enim à latere tuo ſiniſtro mille, decem autem millia, id eſt, multò plures à latere dextro. Plures enim impugnant perfectos & ſpirituales viros, quàm adhuc carnales & imperfectos. Iſtud tamen referri poteſt ad reprobos, qui in Domino non confidunt, ſed de meritis ſuis & operibus iuſtitiæ gloriantur: quorum quidam cadunt ad latus Chriſti, putantes ſe ſeſſuros, vt iudicent mundum cum Chriſto. Multò autem plures ſe æſtimant à dextris eſſe ponendos & ſeparandos ab hœdis. Tam hi quàm illi cadent ab iſta præſumptione, cadent à ſpe retributionis tribunariæ, cadẽt à ſpe ſaluationis dexteræ. Multi enim dicent in illa die: Domine, Domine, aperi nobis: nónne hæc & hæc in nomine tuo fecimus? Quibus reſpondebitur: Neſcio vos. Tu autẽ qui habitas in adiutorio altiſsimi ſubmerſos in mari Ægyptios exiſtẽs, tutus in littore videbis retributionẽ peccatorũ, pœnas, ſicut licet, quas euaſiſti, videbis & gaudebis, eò quòd te liberato, Dominus & aſcenſorẽ in mare præiecit & equũ. Angeli autẽ ad cuſtodiã tibi deputati ſunt: cuſtodient introitũ tuũ & exitũ tuum. Paruuli enim adhuc ſumus & ſub tutoribus: nihil adhuc differentes à ſeruis, & pædagogis indigemus, qui aliquando deducant nos, aliquando autẽ in manibus portent, & ſubleuent nos, ne fortè pedes noſtros ad lapidem offendamus, ad lapidẽ offenſionis, ad lapidem peccati, vel ad diabolũ, qui lapis eſtobſtinationis, vel ad præcepta decalogi, quæ ſcripta fuerunt in tabulis lapideis, vel ad ipſum Chriſtum, qui lapis eſt angularis, ipſum offendendo, vel contra ipſum murando. Neceſſarius eſt autem pędagogus paruulo inter ſapientes ambulanti, ſed non eſt timendũ, qui ſpem tuam in Domino poſuiſti. Quoniã ſuper aſpidem & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis leonẽ & draconẽ. Diabolus ex diuerſis modis nocendi, diuerſa ſortitur nomina. Aſpis nocet ore, & venenũ habet in lingua, quod pertinet ad peccata detractionis & falſitatis. Baſiliſcus nocet oculis: ſolo enim viſu hominẽ interficit. Quod pertinet ſpecialiter ad venenũ inuidiæ, & ad illos, quorũ neq; eſt oculus. Leo apertè ſæuit, & rugitu terret animalia, quod pertinet ad violentias & minas tyrannorum, qui dant terrorem ſuum in terra viuentium. Draco flatu nocet, quod pertinet ad iracundiam, & maximè ad illos, qui ſpiritum habent in naribus, vel quia occultè lædunt, ad dolum & occultam malitiam pertinet. Huius autem conculcationis & victoriæ, & totius militiæ Chriſtianæ ſumma, & perfectio conſiſtit in ſpe, & Chriſti nominis inuocatione, non in humana virtute. Quoniam, inquit Dominus, ſperauit in me, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. His ergo, qui ſperant in Domino, & habitant in adiutorio altiſsimi, promittit Dominus auxilium & protectionem. In protectione, inquit, Dei cœli commorabitur. Promittit ſuſceptionem & refugium. Suſceptor, inquit, meus es tu, & refugium meum. Promittit cõſolationẽ, liberationẽ, victoriam & remunera-

*De multiplici lapide offenſionis.*

*De aſpide & baſiliſco, leone & dracone.*

*De meritis ſpei.*

*Breuis recapitulatio prædictorum.*

*Alia expoſitio cadentium à latere.*

*De retributione peccatorum, & ſecuritate bonorũ. De cuſtodia Angelorum.*

remunerationem. Consolationem, cùm ait: Scapulis suis obumbrabit tibi. Et iterum: Cum ipso sum in tribulatione. Iuxta est enim Dominus his, qui tribulato sunt corde. Si ambulem, inquit, in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine. Liberationem, cùm ait: Ipse liberauit me de laqueo venantium. Victoriam, cùm dicit: Cadent à latere tuo mille. Et iterum: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Remunerationem, vbi dicit: Glorificabo eum, longitudine dierũ replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Tunc enim videbimus eum sicuti est. Hæc est enim vita æterna, vt cognoscamus te Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum, qui verus est dies, nesciens occasum, æterna veritas, vera æternitas, verus dies, & plena meridies.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM EX EPISTOLA, 2. Corin. 6.

*Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Corint. 6.

INSTRVIT nos Apostolus in his diebus militiæ Christianæ, qualiter in castris summi Regis militare debeamus. Cùm autem multa necessaria sint militantibus, tria principaliter eis expediunt, scilicet, diligentia, fortitudo, & cautela. Diligentia, vt sollicitè vigilent, non sint negligentes, nec otio torpentes, nec in vacuum gratiam Dei recipiant. Fortitudo eis valdè necessaria est, ne in pugna deficiant, ne inimicis cędant, sed in tribulationibus patientiam habeant, vt confortentur, & sint robusti. Hoc est quod ait Apostolus: Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necesitatibus. Cautela & discretio valdè necessaria est in hac pugna, vt simus prouidi, & circumspecti, vndique nobis prouidentes, vtrumque latus munientes, non sic vnum tegamus, & muniamus, quod discooperiamus aliud: non sic vnum defendamus, quod aliud negligamus. Et hoc est quod ait Apostolus, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. In his igitur tribus in hodierna epistola nos instruit Paulus Apostolus, dicens: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Gratiam Dei in vacuum accipit, qui eam paruipendit, & qui de salute non curans, in vacuum accipit animam suam. Contra istos contemptores scriptum est: Non accipies nomen Dei tui in vanum. Nomẽ Dei, quod est Christus Iesus. In vacuum accipit, qui salutem animæ suæ negligit. Vnde Psalmus: Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Gratiam Dei in vacuum recipit, qui post peccatorum remissionem satisfacere, & bene operari negligit. Gratiam Dei in vacuum recipit, qui talentum à Deo sibi commissum, fodiens in terra, multiplicare contemnit. Gratiam Dei in vacuum recipit, qui peccatis subsequentibus gratiam, quam recepit, amittit. In vacuum gratiam Dei recipit, qui eius beneficiis abutitur, & ea quæ pro nobis sustinuit, quantum in se est, euacuat, ne sibi prosint. Non igitur post acceptam gratiam debemus otio torpere, sed talentum nobis commissum multiplicare, ne fortè inimicus noster inueniens domum vacantem, licet scopis mundaram, assumptis septem spiritibus nequioribus se, reuertatur, & fiant posteriora peiora prioribus. Nihil enim magis contrarium est honestati, quàm torpor & otium, nec est aliqua iactura grauior, vel turpior, quàm damnum temporis, quod amissum recuperari non potest. Transit, sed non redit: labitur, sed non reuertitur. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Melior est canis viuus, leone mortuo, id est, peccator strennuè pœnitens, eo, qui nõ multa commisit peccata, & inde confidens & superbiens, negligit operari. Vnde Ezechiel in persona diaboli: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes, habitantesque secretè. Causa autem peccati Sodomorum prȩcipua fuit otium. Vnde de forti muliere Salomon ait: Panem otiosa non comedit. Semper enim ait Hieronymus: agendum est aliquid, ne ager pectoris nostri cessante manu malarum cogitationum sentibus occupetur. Et in Ecclesiastico dicitur: Seruo malo tortura & compedes: mitte eum in operationẽ, ne vacet. Multã enim malitiam docuit otiositas. Vnde Dominus ad exercitium filiorũ Israël Chananęos in terra promissionis, ne otio torperent, reliquit Isboseteum dormientem, id est, animam à bono opere torpentem, duo latrunculi, luxuria, scilicet, & gastrimargia, in inguine percussum occiderunt. Et Dauid otio vacans, adulterium simul & homicidium cõmisit. Desideria enim occidunt pigrum, & manus remissa tributis seruiet. Igitur dum tempus habemus, bonum operemur. Veniet enim tempus quando non licebit operari, quando dicent, qui modò pigri sunt & otiosi. Fodere non valeo, mendicare erubesco. Qui enim in tempore messis otiosi sunt, quid facient tempore hyemis? Iacebunt in clibano succenso, sicut histriones, & ribaldi, qui tempore hyemali mendicant de die, nocte verò in furnis nudi iacent. Maximè autem hoc quadragesimali tempore, hoc tempore pugnæ & militiæ debemus contra hostes nostros vigilando laborare, & non otio vel desidia torpere. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, tempus gratiæ & medicinæ, tempus curationis & salutis, tempus messis & plenitudinis, tempus quærendi Dominum, dum inueniri potest, inuocandi eum dum prope est. Tempus, vt peccator Domino reconcilietur: quia venit tempus miserendi eius: tempus, de quo Sapiens ait: Non frauderis à die bono, & particula diei bonæ nõ te prætereat. Agnoscamus igitur tempus visitationis nostræ, ne Dominus nobis improperet, sicut Iudæis, quibus ait in Matthęo: Faciem cœli diiudicare nostis,

*Quæ necessaria sint militantibus.*

*Multis modis gratia Dei in vacuum recipitur.*
*Primus modus.* Exod. 23.
*Secundus modus.*
*Tertius modus.*
*Quartus modus.*
*Quintus modus.*

*Contra pigros & otiosos.* Matth. 25. Luc. 11. Eccle. 9.

Ezech. 8.

Prouer. 33.

Eccle. 33. Iudi 3.

1. Reg. 11.

Gala. 6. Luc. 16.

*Multiplex excellentia temporis quadragesimalis.* Isaiæ 55. Eccle. 13. Luc. 19.

*Contra eos qui tempus visitationis suæ non agnoscunt.* Matth. 16.

*Lucæ.12. Iere.8.*

signa autem temporum non poteſtis ſcire. Et in Luca Dominus ait hypocritæ: Faciem cœli & terræ noſtis probare, hoc autem tempus, quomodo probatis? Et Ieremias: Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur, hirundo, ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus iudicium Domini non cuſtodiuit. Cognoſcamus igitur tempus viſitationis noſtræ, tempus ſanctum & acceptabile. A principio enim ante legem fuit tempus tenebrarum & ignorantiæ, ſub lege verò tempus figurarum & vmbræ, ſub Euangelio verò, dies ſalutis & tempus acceptabile. Poſt hoc autem in iudicio erit tempus acceptabile. Tandem verò in æterna beatitudine tempus erit delectabile. De hoc acceptabili tempore dicitur in Eccleſiaſte: Tempus naſcendi, tempus moriendi. Tempus quadrageſimale, eſt tempus ſpecialiter naſcendi Deo per confeſſionem, in qua renouatur homo, exuens veterem hominẽ cum actibus ſuis, & morien-

*De quinque temporum qualitatis.*

*Eccle.3. De his qui tẽpori gratiæ & maximè quadrageſimali tempori conueniunt. Ephe.3. Colo.3. Deut.3.*

di mundo, vel peccato: tempus moriendi, carnem mortificando. Et iterum: Tempus plantandi, ſcilicet, virtutes & bona opera. Tempus euellendi, quod plantatum eſt, peccata, ſcilicet, & mala opera, quæ plantata ſunt à diabolo. Tempus occidendi, & tempus ſanandi. Tempus occidendi vitia. Iuxta illud: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Et tempus ſanandi, ſicut ſcriptum eſt: Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo per flagella, ſcilicet, conuertendo. Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi. Deſtruendi gladio verbi Dei. Iuxta

*Aſſum 10.*

illud. Macta & manduca. Aedificandi bonos mores, vel ædificandi ad ſuſtentationem iumenti. Tempus flendi, & tẽpus ridendi: nũc enim flere debemus, vt in futuro rideamus. Qui ſeminãt in lachrymis, in exultatione metent: vel idem tempus flendi & ridendi, vt ſcilicet, de dolore in Domino gaudeamus. Tempus plangendi, & tempus ſaltãdi: vt poſt planctũ ſaltũ faciamus, per deſiderium æternorũ: vel plangendi in quadrageſima, & ſaltãdi in Paſcha. Vnde in Euang. La-

*Matth.11. Lucæ 7.*

mentauimus vobis, & nõ plãxiſtis: cantauimus, & nõ ſaltaſtis. Tempus ſpargẽdi lapides, & tẽpus colligẽdi: ſpargẽdi lapides verbi Dei cõminando, vt Golias perimatur. Tẽpus autẽ colligendi ſtudendo & addiſcendo, vel ſpargẽdi lapides, de quibus Sapiens in Eccleſiaſt. ait: De lapide

*1. Reg.17. Eccle.22.*

luteo, lapidatus eſt piger, id eſt, fœdis & duris increpationibus. Tẽpus amplexãdi, & tẽpus longè fieri ab amplexibus. Tẽpus amplexandi diſciplinã & pœnitentiã, cum omni deſiderio ſuſcipiendi, & tẽpus longè fieri ab amplexibus carnalibus, vel tẽpus amplexãdi, dum nobis Dominus in proſperis blanditur, & promiſſis cõſolatur. Tẽpus longè fieri ab amplexibus, dũ nos exercet aduerſis, & corripit cõminando. Tẽpus acquirẽdi, & tẽpus perdẽdi. Acquirẽdi ſpirituales diuitias, vel perdẽdi pro Chriſto animas noſtras in hoc mundo, vt acquiramus vitã æternã in alio. Tẽpus cuſtodiendi, & tẽpus abiiciendi, qui pro Chriſto erogat pecuniã, theſaurizãs in cœlo cuſtodit eã. Cuſtodiẽdi etiã ſunt tẽpora, loco autẽ & tẽpore diſtribuẽda. Tẽpus ſcindẽdi, & tẽpus cõſuendi. Scindendi à nobis veteres panniculos peccatorũ, & cõſuendi, id eſt, diruta bona reparandi, & reſarciẽdi in anima noſtra, vel ſcindẽdi cor per contritionẽ, vt reparemus Deo animas noſtras. Tẽpus tacẽdi, id eſt, à verbis malis & inutilibus abſtinẽdo. Tẽpus loquẽdi populo, ſcilicet, prędicãdi verbũ Dei: vel tẽpus tacẽdi, vt prius addiſcamus, & poſteà tẽpus loquendi ea quæ didicimus, vel quia verbũ dicitur prius venire ad limã cordis, per meditationẽ, quàm ad linguam. Dicturus tempus loquendi, præmiſit tempus tacendi: tempus dilectionis & tempus odij: præteritorum obliti in anteriora nos extendamus. Diligamus iuſtitiam, & odiamus iniquitatem, vel diligamus pro loco & tẽpore, quæ odire debemus, dum nobis in via Dei ob-

*Lucæ 14.*

ſiſtunt. Iuxta illud: Qui non odit patrem & matrem propter me, non eſt me dignus. Etſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te. Tempus belli, & tempus pacis, pugnandi, ſcilicet, contra diabolum, & contra vitia & varias tentationes, vt cum Deo pacem habeamus, & victis tentationibus mentis tranquillitatẽ obtineamus. Hoc eſt ergo tẽpus acceptabile, iſti ſunt dies ſalutis, in quibus cõtraria cõtrariis ſalubriter curãtur. Non ſolum autẽ vitandũ eſt malũ, & faciendum bonũ, quocunq; modo, ſed iuſtè quod iuſtum eſt, faciendũ eſt, ſine ſcandalo & offenſione proximorum, quantum in nobis eſt, vt nõ vituperetur miniſteriũ noſtrum. Modicũ enim fermenti totã maſſam corrumpit. Vnde ſcriptũ eſt: Noli eſſe iuſtus nimis. Caueamus igitur, ne

*Qui proximũ offendit, miniſterium ſuum vituperat.*

*Gala.5.*

propter nos nomen Dei blaſphemetur inter gẽtes, ne facto, verbo, vel exẽplo aliquẽ lędamus, ne dum ieiuniis, orationibus, & eleëmoſynis, his diebus ſalutis intẽdimus miniſteriũ noſtrum, vituperãdo maculã aliquã cõtrahamus. Exhibeamus igitur nos, tanquã Dei miniſtros, inuicem

*Eccle.6. De multiplici miniſterio Chriſto exhibendo cum profectione & expoſitione literæ. 2.Cor.7. Rom.12.*

ſupportãtes, in multa patiẽtia habita, in variis tribulationibus, in neceſſitatibus victus, vel veſtitus. Beati enim qui eſuriũt, quoniã ipſi ſaturabũtur. Dives autẽ qui induebatur purpura & byſſo, ſepultus eſt in inferno, & Lazarus medicus, & nudus in ſinu Abrahæ receptus eſt. In angu-

ſtiis, ſcilicet, in timore & ſollicitudine. Vnde Apoſt. Foris pugnæ, intus timores. Et iterũ: Qui præeſt in ſollicitudine. Prẽlati enim nõ ſolũ ſibi, ſed ſubiectis ſuis timẽt ne cadãt. Timẽt etiam martyriũ ſecundũ hominẽ, & tamẽ illud pro Chriſto velle ſuſcipere, meritoriũ eſt homini ſeipſum vincenti. Item exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in plagis verberum, in carceribus vinculorum, in ſeditionibus, id eſt, commotionibus populorum contra nos, dum ei in via diaboli contradicimus, & viam Dei oſtendimus. In laboribus, manibus propriis operando. In ieiuniis, carnem mortificando, vel cibi penuriam patienter tollerando. In caſtitate mentis & corporis. In ſcientia, ſcilicet, ſcripturarum, & vt ſciamus conuerſari inter homines prati-

uæ nationis. In longanimitate expectationis: In ſuauitate, vt blandi & affabiles ſimus: In ſpiritu ſancto, ſcilicet, in ſuauitate, habita in ſpiritu ſancto, non ſicut blandi & fallaces adulatores. In

res: In charitate nõ ficta, pseudo enim hypocritæ simulatã habent charitatẽ, vt decipiant in verbo veritatis prædicãdo vel loquendo: In virtute Dei, vt in Deo nõ in homine spẽ habeamus. Hæc omnia enim leuia facit timor gehennæ, amor Dei, & spes retributionis æternæ. Ad hæc ergo fortiter sustinenda inuitat Apostolus Christi Athletas: quia absque pugna & difficultate, non est corona: vbi non est tribulatio, ibi nec patientiæ est exercitatio: vbi non est experientia vel eruditio, ibi nec purgatio peccatorum præteritorum, nec cautela futurorum: ibi torpor & præsumptio, securitas, & obliuio. Sit ergo Christi miles fortis in prælio, quia non est ei colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates mundi, rectores tenebrarum harum cõtra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Si ergo spiritus pietatis super eum ascenderit, locum suum ne dimiserit, sed sit planta pedis eius, quasi planta vituli, & pedem firmiter figat, ne labatur, sicut scriptum est: Qui stat, videat, ne cadat, vt equitatui Christi in curribus Pharaonis assimiletur, id est, in tempore curruum Pharaonis currentis, scilicet, persecutionis. Sit caput eius vt carmelus: mens, scilicet, in qua disponuntur capilli cogitationum, fortis & sublimis. Sit collum eius, sicut turris Dauid, quę ædificata est cum propugnaculis diuinarum sententiarum, quod pertinet ad constantiam prædicationis. Sint manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Tornatiles, in prõptu habentes facere ea quæ volũt, in nullo deuiantes, sicut tornus in sua circumflectione non oberrat. Aureæ, vt sapienter pugnet, vt sint doctæ manus eius ad prælium, & digiti eius ad bellum. Et quia hyacinthus cœlestis est coloris, sint manus eius plenæ hyacinthis, vt pugnet spe retributionis æternæ, Dominus enim ait: Ego flos campi, id est, corona certantium. Sit venter eius eburneus distinctus sapphyris, vt habeat candorem castitatis in fortitudine, vt non sit venter eius carneus, sed fortis & osseus. Sapphyris distinctus, vt propter temporalia non obliuiscatur æterna. Sint crura eius, quasi columnæ marmoreæ, quę fundatæ sunt super bases auri, vt sint candida & firma interioris hominis crura, vt pondus diei & æstus valeant sustinere, & scripturis Apostolorum & Prophetarum, velut aureis basibus confortentur. Et quoniam perfectorum solidus est cibus, diuinis eloquiis reficiatur, vt non deficiat in pugna, sed dicere possit cum Propheta: Posuisti, vt arcum æreum brachia mea, qui non remittitur, vel molescit. Non solùm autem diligentia & fortitudine, sed cautela, & prudentia opus est in conflictu tentationum, vt pugnemus, scilicet, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, ex vtraque parte nos munientes, vndique circumspicientes, velut animalia sancta, plena oculis in circuitu. Quid enim prodest totum corpus residuum communire, si vel modica pars nuda relinquatur, per quam lethale vulnus infligatur. Aduersarius enim noster more callidi Athletæ, quandoque vibrat ictum in vnam partem, & dum illi soli succurrimus, percutit in aliam: & dum vitamus vnum malum, incurrimus contrarium. Multi enim vitantes superbiam & arrogantiam, incidunt in pusillanimitatem. Plerunque autem multiloquium fugientes, nimiam incurrunt taciturnitatem: tacentes, quando loqui expediret. Multi dexteram custodiunt, qui prosperis non attolluntur. In sinistra verò vulnerantur, dum aduersis deiiciuntur, propter quod ait Apostolus: Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, muniti per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, vt reddamus vtrique parti quod suum est, nec prosperis eleuemur, nec aduersis frangamur per gloriam & ignobilitatem. Si glorioſi apud homines fuerimus, vel contempti apud alios, non inde inflemur, vel superbiamus. De Christo enim quidam dicebant, quoniam bonus est: alij dicebant, non est bonus, sed seducit turbas. Eodem modo per infamiam & bonam famam, siue infamemur, siue laudemur, exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, constantes & immobiles, intra flatus linguarum, non sicut arundo vento agitata, licet habiti simus vt seductores à quibusdam, & veraces ab aliis, nec mala æstimatione doleamus, nec bona superbiamus. Sunt, qui ignoti, & quasi cogniti. Ignoti, id est, à Deo reprobati, secundum malorũ opinionem. Cogniti, id est, à Deo approbati, secundum opinionem veritatis, quasi morientes in peccatis, vel morte corporali digni reputati secundum quosdam, & ecce viuimus Deo, secundum veram aliorum opinionem. Habiti etiam sumus apud quosdam vt castigari, scilicet, à verbo veritatis, timore tyrannorum coërciti, apud alios non mortificati, vt cedamus minis. Si enim cederemus, animæ mortem incurreremus. Quasi tristes secundum quosdam, & murmurantes contra flagella. Semper autem secundum veram aliorum opinionem malorum in tribulatione gaudentes. Sicut egentes bonis spiritualibus, secundum opinionem malorum: multos autem spiritualiter locupletantes, sicut alij verè æstimant. Tanquam nihil habentes, id est, penitus insufficientes, sicut mali æstimant, & omnia possidentes, nõ solùm spiritualia, sed etiam temporalia, quia timentibus Deum, nihil deest. Possunt tamen hæc prædicta, non secundum opinionem, sed in rei veritate intelligi. Erant enim viri sancti, vt seductorem inter Sadducęos & Pharisęos, dicens: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor: & cùm dixisset, facta est dissentio, & soluta est multitudo. Fuit igitur seductor, non tamen in fallacia, sed in veritate hoc egit. Bonum est enim malorum fortitudinem destruere, ne conueniant de vanitate in idipsum. Similiter & Dominus noster Iesus Christus beatum Thomam, tanquam architectum, procuratori Regis Iudeæ commisit. Similiter ignoti erant, & peregrini à Deo, tamen & à bonis erant cogniti. Morientes autem erant pro Christo patientes. Ipsi autem viuentes in gratia, castigati erant, id est, variis,

*Quod per tribulationes & certamina acquiritur victoria. Ephe. 6.*

*De fortitudine athletæ Christi, quam habet in omnibus membris spiritualibus. Ezech. 1.*

*De fortitudine pedum. 1. Cor. 10.*

*Cant. 1.*

*De fortitudine capitis. Cant 7.*

*Cant. 5.*

*De fortitudine colli. Cant. 5.*

*De fortitudine manuum.*

*De fortitudine & mundicia ventris. Matth. 10.*

*De fortitudine crurum.*

*De cibo athletæ Christi. Heb. 5.*

*De cautela adhibenda in pugna. Ezech. 1. Apoc. 4.*

*Quod vndique & à dextris & à sinistris nos munire debemus.*

*Expositio literæ qualiter, scilicet, per gloriam deberemus incidere.*

*Alia expositio.*

*Actuum 23.*

variis tormentis flagellati, & non mortificati: quia non cedebant quasi tristes erant, peccatoribus compatientes, nihilominus tamen in Domino gaudebant. Egentes erant in rei veritate, scilicet temporalibus, & transitoriis bonis. Et propter hoc ait: sicut egentes. Vera enim egestas non reputatur à sanctis, nisi in spiritualibus. Multos autem locupletantes erant diuitiis spiritualibus: tanquam nihil habentes in mundo, & omnia possidentes in Christo. Qui enim omnium possessorem habet, in ipso omnia possidet. Hæc est ergo sanctorum constantia, vt inter sæculi varitates inuariabiles maneant. Inter mundanas varietates ibi fixa sint eorum corda, vbi vera sunt gaudia. Hæc est eorum cautela & circunspectio, vt sibi vndique præcaueant, & velut lapis quadratus, in quocunque latere ceciderint, immobililes permaneant: sicut tenebræ eorum, ita & lumen eorum. In aduersis patientes, in prosperis humiles. Prudens vbique idem erit, dicit quidam sapiens: & prout rerum aut temporum varietas exigit, ita se accomodat tempori, nec se in aliquibus mutat, sed potius aptat, sicut manus quę eadem est, & cùm in palmam extenditur, & cùm in pugnum astringitur. Et iterum: Prudenti nihil subitum est, sed rotum antè prospicit. Magis tamen sibi sancti metuũt in prosperis, quàm in aduersis, magisque aduersa desiderant, quàm prospera. Timent enim ne dum sibi temporalis abundantia à Domino confertur, præmium æternum sibi minuatur. Timent præterea, ne prosperitate blandiente dissoluantur, qui auersitate tanquam igne consolidante, roborantur. Non enim possumus habere consolationem Dei, nisi fugiamus à sæculi consolatione. Vnde beatus Gregorius: Plus in hoc mundo honor, quàm despectio occupat, & magis prosperitatis sublimitas, quàm necessitatis aduersitas grauat. Per hanc namque, cùm homo exterius premitur, & ad concupiscenda quæ intus sunt, liberior relaxatur. Per illam verò animus, dum multis parere cogitur, à desiderij cursu retinetur.

*De constantia & cautela sanctorum.*

*Quod sancti magis timent prospera, quã aduersa.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM ex Euangelio secundum Matthæum.

*Matth. 4.* *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentarentur à diabolo.*

LEGIMVS in libro Regum, quod Elias curru igneo cum equis igneis raptus est in cælum. Simili modo igneo sacræ scripturæ eloquio animæ audientiũ ad superna leuantur, ministerio equorum igneorum, id est, sanctorum charitate flagrantium. Hi sunt equi quos vidit Zacharias in quadrigis sacræ scripturæ, & specialiter quatuor Euangeliorum. Nam quatuor quadrigę egrediebantur, vt ait, de medio montium æreorum, id est duorum testamentorum æternorum. Æs enim durabile est, & vnum iota de diuina scriptura non præteribit. Cœlum & terra transient, verbum autem Domini manet in æternum. De medio autem montium egrediuntur quatuor Euangelia, quia cum vtroque testamento conueniunt, & ab vtroque habent testimonium. Erant autem in prædictis quadragis equi rufi, nigri, albi, & varij. Sancti enim, quorum ductu sacra scriptura per vniuersum orbem delata est, dicuntur rufi, per sanguinis effusionem. Nigri & mundo despecti, vel propter profundorum mysteriorum obscuritatem. Albi, per innocentiã & benignitatem. Varij & fortes, diuersis virtutibus exornati, & constantes in seruitio Dei. De hac quadriga dicitur in Canticis: Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab, id est, Christi, qui sponte mortem sustinuit. Aminadab enim spontaneus interpretatur. Quadrigis autem diuinarum scripturarum, non solùm anima subleuatur, sed ad pœnitentiam conturbatur, & per comminationem terretur. Currus autem igneus diuinæ scripturæ, duas habet rotas, quæ sunt duo testamenta, quæ ex omni parte ad corda audirorum voluuntur, præcipiendo, prohibendo, consulendo, exhortando, comminando, & promittendo. Eleuantur autem istæ rotæ, dum de sublimibus loquitur. Deprimuntur secundum literam, vel historiam de inferioribus differendo. Cùm eleuabantur animalia, eleuabantur pariter & rotæ. Quia secundum capacitatem sanctorum, & subtilem intelligentiam eleuantur eis diuinæ scripturæ, vt altiora mysteria in eis comprehendant. Spiritus autem vitæ, vt ait Ezechiel, erat in rotis, hoc est quod Dominus Iesus ait: Verba quæ ego locutus sum, spiritus, & vita sunt, animas, scilicet, viuificando. Erat autem, vt ait Ezechiel: rota in medio rotæ. Nouum enim testamentum in veteri continetur, & tanquam mel in cera, & nucleus in testa in ipso includitur, velut cùm dicitur quòd de latere Adæ formata est Eua, sub cortice huius literæ continetur spiritualis Ecclesiæ de Christi latere formatio, & ita de aliis. Statura quoque, vt ait idem Prophe-ta, erat in rotis, & altitudo horribilis aspectus. Diuina enim scriptura docet nos stare in rectitudine, non incuruari ad infima, & attolli in altitudine contemplationis, & cęlestis desiderij, quæ tamen habet horribilem aspectum, comminando mortem æternam, sicut ait Psalmus: Vox tonitrui tui, id est, comminationis in rota diuinæ scripturæ. Habere autem dicũtur rotæ quatuor facies, quia quatuor modis diuinæ scripturæ exponuntur ad literam. Allegoricè de Ecclesia militante. Tropologicè, de moribus: & Anagogicè, de Ecclesia triumphante. Vel quia docet nos respicere ad oriẽtem & occasum: ad principium, scilicet, & ad finem nostrum, & ad meridiem diuinorum beneficiorum: & ad aquilonem tentationum diaboli. Et idcirco dicitur quod in quatuor partes progrediebantur, nec reuertebantur cùm ambularent. Docent enim nos non reuertì

*3. Reg. 2.* *Quod verbũ Domini curru igneo comparatur.* *Zach. 6.* *De quadrigis & variis equis.* *Matth. 6.*

*De rotis duorum testamentorum.*

*Quod nouum testamentum in veteri continetur.*

*De statura & altitudine & horribili aspectu rotarum.*

reuerti ad peccatum. Erat autem, vt ait Propheta: visio rotarum, quasi visio maris, propter profunditatem mysteriorum. Et alibi ait, quasi visio lapidis crysoliti, propter aurum sapientiæ. Nam lapis iste, auri speciem habet & scintillare dicitur, quoniam diuina scriptura illuminat. Habebant autem colla, manus & pennas, & circulos omnia plena oculis in circuitu. Diuina enim scriptura docet nos circunspectos esse, discretè loqui, operari, & contemplari cœlestia, & omnia ad æternitatem referre, quæ per circulos intelligitur. Orate igitur Dominum, vt hodie sentiamus in nobis tam mirabilem diuinæ scripturæ virtutem. Ductus est Iesus in desertum, &c. Dominus noster, non solùm verbo doctrinæ mundo illuxit, sed in brachio suo lumen formauit. Opere enim & exemplo terrenos homines informauit & instruxit. Vnde statim post baptismum à turba discesit, desertum petiit, ieiunauit, esuriit. Cum bestiis, vt ait Marcus, conuersabatur. Tentatus est à diabolo, de gula, de vana gloria, de auaritia, in deserto, in templo, in monte. Consummata omni tentatione, vt ait Lucas: Diabolus recessit, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Baptizatus in deserto ieiunauit, & tentatus est, exemplum relinquens renatis aqua baptismi vel lachrymarum, quatenus non solùm se præparent ad bona agenda, sed etiam ad mala toleranda, & vt secedant in desertum, vitando prauum consortium & strepitum huius seculi, & turbas malarum cogitationum, & carnaliũ desideriorum. Vnde beatus Iob ait de onagro, de viro, scilicet, solitario. Cui dedi in solitudine domum & tabernacula eius in terra salsuginis, contemnit multitudinem ciuitatis. Prius ergo baptizari debet pœnitens & mundari per confessionem & contritionem, aliter non prodest ei ieiunare, vel alia bona facere, quæ omnia à peccato mortali absorbentur, vt non prosunt ad vitam æternam. Dominus enim magis interiora quàm exteriora respicit. Vnde ipse ad Pharisæos ait: Vos Pharisæi, quod deforis est, calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenũ est rapina & iniquitate: Baptizari ergo & mundari oportet Christi seruum, alioquin non placet ei ferculum manibus immundis & leprosis sibi oblatum. In deserto verò Dominus noster ieiunare voluit, non in loco delitiarum, vt nos in austeritate vitæ, & asperitate pœnitentiæ: non in delicatis cibariis ieiunare doceret: & vt peccatum Adam contrariis curaret remediis. Adam enim in loco delitiarum manducauit, & Dominus in loco deserti ieiunauit. In cinere enim & cilicio, in grossis & aridis cibis, velut in quodã spirituali deserto nos docuit ieiunare, vt induãtur cœli tenebris, & saccus ponatur operimentum eorum. Vnde in Ecclesiaste: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In deserto autẽ solitudinis homines sancti mundum relinquentes, ieiunare desiderant, vbi manna reperiant, & pane de cœlo, in pace pectoris & quiete contemplationis saginantur. Ieiunare autẽ debemus ad imitationem Domini, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt tota præsenti vita, siue in die prosperitatis, siue in nocte aduersitatis à malis abstineamus. Postquam autem ieiunauit, dicitur quod esuriit, quod non legimus de Moyse, vel Helia. Sicut autem ieiunando sine cibo tanto tempore potentiam ostendit diuinitatis, ita esuriendo naturam ostendit humanam, & ita variis præsumptionibus confundebat diabolum, & semper eum reliquebat ambiguũ, vt non agnosceret Christum, sed eum aggrediẽs, vinceretur. Et ideò esuriit, vt lateret potestas, & pateret infirmitas. Multi enim ieiunantes, ventrem suum variis cibariis ita farciunt, quod nunquam ieiunando esuriunt. Erat autẽ Dominus cum bestiis in deserto, vt nos per hoc instrueret cum feris & bestialibus hominibus, quãtum in nobis est, pacem habere. In ieiunio enim & eremo sanctæ conuersationis bestiales hominum mores tolerare nos oportet, vt sciamus cõuersari inter homines prauæ nationis, sicut Daniël in lacu leonum. Vnde Iob ait: Cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ tibi pacificæ erunt, Et iterum: Frater fui draconum, & socius struthionum. Sed & bestiales & irrationales motus in nobis pacificare debemus, vt in arca cordis nostri, munda cum immundis, mitia cum feris mansuescant, & quantum possibile est, caro non repugnet aduersus spiritum. Postquam enim ieiunauit Dominus, tentatus est à diabolo: & consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Et nos baptizati, & emundati mundi strepitum fugiamus, & in solitudine tranquillæ conscientiæ, à malis abstinendo ieiunemus, non in discordia & contentione, non ad lites & pugnas, sed pacem cum bestialibus hominibus habendo. Si tentationibus diaboli fortiter resistamus, ipse victus & confusus recedet à nobis, & sancti Angeli nobis ministrabunt. Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quoties enim tentamur & vincimus, Angelos sanctos ministros & cooperatores habemus. Dominus autem noster, sicut mori voluit, vt nos à morte eriperet, ita tentari voluit, vt nos à tentationibus liberaret. Mortem enim nostram moriendo destruxit, & tentationes nostras, ipse tentatus superauit. Vnde Apostolus ad Hebræos: Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia. Vnde à spiritu sancto ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo. Nisi enim certasset, nobis non vicisset. Illuc autem spiritus sanctus, vel etiam spiritus suus eum duxit, vbi ipsum ad ipsum tentandum malignus spiritus inueniret: vel etiam malignus spiritus duxisse dicitur eum, quia præcesserit, vt præcipitaret. Christus autem secutus est, vt triumpharet. Quid enim mirum si permisit se duci & tentari à capite, qui se permisit ab eis membris crucifigi. Diabolus enim caput est reproborum. Non ergo indignum fuit redemptori à diabolo duci vel assumi, vel tentari, qui venerat flagellari & occidi. Hoc enim in Christo non fuit infirmitas,

*De collo, manibus & pennis, circulis, & oculis rotarum.*

*Quod Christi vita nostra est doctrina.* *Eccle. 38.* *Mar. 1.* *Lucæ 4.*

*Quod post baptismum lachrymarum strepitum sæculi debemus fugere, ieiunare & pugnare.* *Iob 39.*

*Matth. 23.*

*Quod ieiunandum est in deserto.*

*Quod in deserto manna reperitur.*

*Quod ieiuniantes cum bestiis pacem habere debent.*

*Quod ieiuniantes exemplo Christi mitiores habent Angelos.* *Heb. 1.*

*Quare Dominus tentari voluit.* *Heb. 7.*

*Quare Dominus à diabolo se tentari permisit.*

mitas, sed patientia. In diabolo verò non fuit potestas, sed superbia. Et ità impletum est, quod
*Zach.3.* ait Zachatias: Ostendit mihi Dominus sacerdotem magnum, Iesum stantem coram Angelo Do
mini, & satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. In nullo autem tentando prævaluit, sicut
prædixerat Salomon: Vestigium serpentis supra petram non potest inueniri, quia diaboli tenta
tio nullum locũ habuit in Christo. Non sit autem quantumcunque sanctus sit homo securus,
quia tentatus est ipse Deus. Tentatus est in deserto, timeãt & caueant sibi, qui habitant in ere
*3. Reg.24.* mo. Saul enim, vt dicitur in libro Regum: persequebatur Dauid & viros eius, super abruptissi
*De triplici lo-* mas rupes, quæ solis ibicibus peruiæ erãt. Tentatus est in ciuitate, in sancto loco, in templi pin
*co tẽtationis.* naculo: timeant Sacerdotes, & Prælati, & præcipuè doctores, qui sedent super cathedram Moy
*Matth.23.* si. Tentatus est in monte, caueant sibi potentes huius sæculi, & qui constituti sunt in dignita
tum sublimitate. Cùm autem duplex sit tentatio exterior, quæ fit per diabolum, vel per eius
membra per suggestionem. Interior, quæ fit intrinsecus per sensualitatem, delectatione vel
consensu, seu voluntate interiori tentatione diabolus non est aggressus Dominũ, eò quòd nul
lam peccati legem interius in ipso reperiret. Exterius autem tantum suggerendo, & promitten
*De triplici tẽ-* do, & scripturas persuadendo, ipsum tentauit. Tribus autem modis puri homines tentantur,
*tatione nostra* suggestione, delectatione, & consensu. Nam his tribus modis tentati sunt primi parentes in
*Gene.3.* Paradiso, & eisdem modis quotidie in nobis fit tentatio. Suggerit diabolus, tanquam serpens:
delectatur Eua nostra, id est, caro: Consentit Adam, id est, ratio, Euam suã, id est, sensualitatem
non reprimendo. Suggestio pulsat, delectatio vulnerat, consensus mortificat. Tentatur autem
*A quibus ten* homo à diabolo, à proximo, à seipso. Diabolus tentat, vt decipiat suggerendo. Non enim po
*tatur homo.* test nos compellere, vel præcipitare, nisi incuruemur, [illegible]ttendo nos deorsum, vt transeat.
Proximus tentat, vt inuestiget, quandoque ad bonum, [illegible]quando ad malum. A seipso tenta-
*Iacob.1.* tur homo. Vnde beatus Iacobus ait: Vnusquisque tentatur à sua concupiscentia illectus & ab
stractus. Sensualitate enim sua tentatur homo ad delectationem. Tentatur præterea homo à
Deo ad exercitium & probationem, scilicet, ad bonum suum, non ad malum. Vnde idem Ia-
cobus ait: Deus intentator malorum est. Ipse enim neminem tentat, scilicet, ad malum, inte-
riori tentatione, quæ non habet fieri sine peccato. Est igitur Deus intentator malorum, quia
neminem in tentationem inducit ad malum suum. Omnis autem humana tentatio ad istas ten
*Heb.4.* tationes, quas pro nobis sustinuit, reduci potest: propter quod ait Apostolus, quod ipse tenta-
*Omnis huma-* tus est per omnia. Et Lucas ait: Consummata tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tem
*na tentatio ad* pus, scilicet, donec eum per Iudæos aggrediens, interfecit. Omnis autem tentatio, & quicquid
*Christi tenta-* est in mundo: vt ait Ioannes Apostolus, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, &
*tiones reduci* superbia vitæ. Concupiscentia carnis tentauit eum diabolus, suggerendo, dicẽs. Dic vt lapides
*potest.* isti panes fiant. Concupiscentia oculorum tentauit eum, promittendo, dicens: Hæc omnia tibi
dabo, si procidens adoraueris me. Superbia autem tentauit eum, argumentãdo, dicens: Angelis
suis mãdauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidẽ pedem tuum. Hic fuit
*Luce 4.* ordo tentationis ad literam, sicut in Luca dicitur: Regressus enim in Hierusalem, vbi tentatus
fuit supra templi pinnaculum, audito quod traditus esset Ioannes, statim secessit in Galileam.
Et ita vltimò tentatus est de superbia. Matthæus autem narrat Christi tẽtationes, & victoriam
secundum ordinẽ, quo tentatus fuit Adam, & victus à diabolo. Primò, scilicet, de gula, come-
dendo cibum vetitum. Secundò, de vana gloria, dicente diabolo: Eritis sicut dij. De auaritia,
*Gene.3.* cùm ait: Scientes bonum & malum. Nõ solùm enim auaritia dicitur pecuniæ, sed insuper hono
*Quod tẽtatio-* rum, dignitatum, & scientiæ, quando appetuntur & desiderantur supra modum. Recurrit igi-
*nes, quibus vi* tur serpens astutus ad foramen antiquum, eisdem vitiis Christum tentando: sed inuenit illud
*ctus est Adã,* obstructum, & nequiuit intrare. Nam sicut his tribus superauit Adam veterem, ita his tribus
*Christus de-* nouus Adam ipsum deuicit. Et ita verus Samaritanus in via illa, qua itur de Hierusalem in
*uicit.* *Luce 10.* Iericho, veste carnis indutus, curauit eum, qui inciderat in latrones, quem spoliatum & sau-
ciatum reliquerunt semiuiuum. Desertum enim, in quo ieiunauit ad literam, inter Hierusa-
lem & Iericho situm est. Eodem ergo aditu repulsus est, quo ad nos intrauit. In Christi au-
tem tentatione & victoria eius, contra astutias diaboli instruimur & præmunimur, vt possi-
*2. Cor.2.* mus dicere cum Apostolo: Non ignoramus cogitationes eius. Ipse enim mille artifex est, & ab
initio mundi studere non cessat, & laqueos nouos reperire, quibus posset animas perdere.
*Quod Chri-* Vnde beatus Antonius vidit in spiritu totum mundum laqueis plenum. Et sanctus Ma-
*stus ad instru-* charius vidit eum cum infinitis phialis plenus diuersis potionibus, circumeuntem eremum,
*ctionem no-* cui diabolus fertur respondisse, quod qui nollet de vna bibere, biberet de alia: & idcirco ita in-
*stram à dia-* cedebat oneratus. Secundum autem diuersos tentandi modos, diuersa sortitus est nomina.
*bolo tentari* Dicitur enim diabolus, id est, deorsum fluens, quoniam præcipitat hominem, tentando de su-
*volwit.* perbia. Qui enim se exaltat, humiliabitur. Dæmon dicitur, quando tentatur de scientia. Dæ-
*De diuersis* mon enim sciens interpretatur. Satanas dicitur, quando tentat per aduersa. Nam Satanas ad-
*nominibus dia* uersarius interpretatur. Leuiathan dicitur, quando promittit prospera. Leuiathan enim inter-
*boli, secũdum* pretatur additamentum eorum. Beelzebub dicitur, id est, pater muscarum, quando per auari-
*diuersos mo-* tiã tentat capiendo, tanquam aranea venenosa tela sua, bonis, scilicet, transitoriis, muscas huius
*dos tentandi.* sæculi, auaros, scilicet, homines inquietos, & importunos, sordidos & lasciuos, pungitiuos, cun
*Quod auari* ctis exosos. Belphegor autem, id est, Deus fœtoris dicitur, quando tentat per luxuriam. Belial
*comparantur* quod
*muscis.*

quod interpretatur sine iugo Dei, quando tentat per inobedientiam. Pharao, id est, dissipans, quando tentat per seditionem, & discordiam dissipando vnitatem. Bel dicitur, id est, dura loquens, quando tentat per blasphemiam vel contumeliam. Baal, id est, anathema męroris, quando tentat per tristitiam & acediam. Dicitur autem Baalim, id est, vir meus, quando tentat de apostasia, vel de vitio contra naturam. Dicitur prætera serpens, in aquis tentando, per carnis voluptatem. Ipse enim velut serpens, primo linguam exerit lingendo per delectationem, postea dentem figit, dum mordet per peccati consummationem, ad vltimum caudam stringit inuoluendo & astrigendo, per peccati consuetudinem. Dicitur auis in aëre, sicut scriptum est in Iob: Nunquid illudes ei quasi aui? quando duabus alis, scilicet, diuitiis & dignitatibus attollit nos per superbiam. Dicitur bestia in terra, draco, scilicet, & leo, dum occultè inficit, vel apertè seuit. Dicitur vulpecula, propter nocendi & fallendi versutiam. Ipsi enim astuti & versipelles dæmones narrauerunt, vt absconderent laqueos. Ipse autem Satanas, non solùm occultè, tanquā draco, sed apertè, sicut leo circuit, quęrens quem deuoret. Absorbet fluuium & nō miratur, habet enim fiduciam, quod influat Iordanis in os eius, quia escæ eius electæ, & ei montes herbas ferunt. Maiores enim magis infestat & acrius tentat, sicut legitur de Saule: quod totum pondus belli conuersum est in eum. Ipse autem serpens est lubricus & tortuosus, cuius capiti, id est, suggestioni, nisi cautè & fortiter resistatur, totus interiora cordis, dum nō sentitur, illabitur. Dicitur prætera miluus, dum pullis, id est, nouiter conuersis insidiatur. Vnde Isaias ait: Congregati sunt milui alter ad alterum, id est, dęmones nigri, rapaces, clamosi, cadaueribus inhiantes. Pulli autem, id est, debiles & meticulosi, qui dicunt, ieiunare nequeo, mane surgere non valeo, pōdus diei & æstus abhorreo sustinere: huiusmodi miluorum rapinis exponuntur. Qui autem miluis fortiter resistunt, eos à se abiiciunt, sicut scriptum est: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Et Isidorus ait: In oculis carnalium diabolus terribilis est: in oculis autem electorum, terror eius vilis est. Tentatio enim cui nō consentitur, non est peccatū, sed materia virtutis exercendæ. Ipse autem nihil potest, nisi permissus. Vnde in Iob Dominus ait: Quis conclusit bestiis mare. Et paulò pòst: Circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: hucusque venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Hoc de diabolo intelligitur, & de corde humano. Cor enim hominis, mare dicitur, quod cogitationibus variis tanquam mare fluctuat. Dominus autem per vectem charitatis, & ostia virtutum aliarum retinet cor humanum, ac si diceret, hucusque venies, scilicet, vsque ad principium delectationis, quæ fit in carne per primos motus, & non procedes amplius, scilicet, per consensum. Et hue confringes tumentes fluctus tuos, id est, fluctuantes cogitationes tuas, allidendo parvulos tuos ad Petram. Non igitur cedamus diabolo. Plures enim nobiscum sunt, quàm cum aduersariis, & fortior est qui nos defendit, quàm qui persequitur. Si igitur impugnat nos de gula, fortiter resistamus. Hæc est enim prior victoria, qua tentat Nabusardam muros Hierusalem destruere. Nisi autem prius gula refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur. Non solùm autem cibis delicatis tentat nos per gastrimargiam, sed cibis grossis, per nimiam auiditatem. Vnde beatus Augustinus: Malo manducare pisces cum Christo, quā lenticulam cum Esau. Vnde diabolus, ne in his deprehenderetur, nō ait: dic vt lapides carnes fiant, sed vt fiant panes. In pane enim & aqua modum excedendo, vel ante horam, aut nimis auidè sumēdo, possumus peccare. Exemplo ergo Domini respondeamus tentatori. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sicut enim duarum substantiarum est homo, ita duobus cibis sustentatur. Proponenti autem ieiunare, vt ait beatus Augustinus: Si quis dixerit, manduca & bibe, confortare & esto robustus: vox serpentina est, & diabolica, & maximè in quadragesima. Qui enim per totum annum sibi vixit, saltem his diebus Domino viuere studeat. Tanta enim est virtus ieiunij, quod per illud efficitur hoc, quod per Christi discipulos fieri non potuit, propter quod ait: Hoc genus dæmonij nō eiicitur, nisi in ieiunio & oratione. Vnde Petrus ait: Sobrij estote, & vigilate. Laboremus ergo in hac pugna diabolo resistere, & gulam nostram in chamo & freno constringere. Hæc est enim filia nostra, quæ primò nobis occurrit, quā cū Iehpthe Domino debemus immolare, auxilio Dei, & secreto cōsilio spiritus sancti. Nisi enim cum spiritu sancto in desertum procedamus, inimicum nostrum nequaquam superare poterimus. Ipse enim superatus de vno vitio, statim tentat de alio, considerans loci & tempo ris circunstantias, & qualitatem personarum. Vnde postquam diu ieiunauit Dominus, esurientem tentauit. Vnde Isidorus: Quando diabolus decipere quemquam quærit, prius naturam vniuscuiusque attendit: & inde se applicat, vnde hominem ad peccandum proniorem aspexerit. Cùm igitur esurientem in deserto de gula tentauit: in turba, de vana gloria & iactantia ipsum tentans, ait: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Vox diaboli est, qui semper ad ima pręcipitare & deiicere conatur. Vnde in Isaia: Incuruare vt transeamus: subiungit autem testimonium scripturarum, abutens eis more hæreticorum, dicens. Angelis suis mandauit de te. Quicunque autem constitutus est in periculo, si locum euadendi inueniat, humana ratione Deum non debet tentare. Ipse tamen de sua conculcatione tacuit, cùm statim in eodem Psalmo sequitur. Super aspidem & basiliscum ambulabis. Dominus autem in omni tentatione sua non per sublimitatem, vel fortitudinem, sed per authoritatem diuinæ scripturæ confutauit aduersarium, per hoc nobis relinquens exemplum, quatenus in grauibus tentationibus ad consilium diuinarum

*Quod diabolus comparatur serpenti. Ezech. 28. Iob 40.*
*Quod comparatur aui. Iob 40.*
*Comparatur leoni & draconi.*
*Comparatur vulpeculæ. 1. Pet. 5.*
*Iob 40. 1. Reg. 31.*
*Quod maiores magis tentantur. Isaiæ 14.*
*Comparatur miluo.*
*Quod resistendum est diabolo.*
*Iob 38.*
*Quod diabolus nihil potest nisi permissus.*
*3. Reg. 6. De tentatione gulæ.*
*Gene. 25.*
*Deut. 8.*
*1. Pet. 5. Iudi. 11.*
*Quod diuersos diuersis modis tentat diabolus.*
*Quod secundum diuersa loca, diuersis modis tentat. Tentatio de vana gloria. Isaiæ 51.*
*Quod auctoritatibus scripturarum confutandus est diabolus.*

scripturarum

scripturarum recurramus, non ad iram vel vindictam, sed ad scripturarum cõsolationem. Quoniam autem in omni tentatione agnoscere volebat diabolus, vtrum filius Dei esset, Dominus ita responsum suum temperauit, quod vsque ad mortem suam ipsum dubium reliquit. Cùm enim diceret tentator: dic vt lapides isti panes fiant, non hoc ait: vt eius curaret salutem, sed vt ex conuersione lapidum, illius agnosceret virtutem. Victus autem in duobus, adhuc non cessat

*Iere 4.* præsumptuosus, & arrogans, & insatiabilis homicida, de quo Ieremias: Velociores aquilis

*Tentatio de auaritia.* equi illius. De monte excelso ostendit in spiritu, ante mentis oculos proponens omnia regna mundi, vt tentet eum de auaritia, propterea Daniël ait: Veniet Rex aquilonis, & confortabit aggerem, & capiet vrbes munitissimas. Aggere enim diuitiarum, & honorum multos supplantare consueuit, & idcirco nunc ait: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Vanus & mendax præsumit promittere, quod non valet soluere. Vnde in Luca sic habetur: Tibi dabo potestatem hanc magnam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Dominus autẽ iterũ authoritate diuinæ scripturę eius arrogantiã retũdit, dicẽs: Vade Sathana: Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, cultu, scilicet, latriæ. Ecce iam tertius lapis de funda diuinę scripturę, in quo verus Dauid contra Goliã præliauit. In monte autem de auaritia tentauit, & vt eum adoraret, suggessit. Auarus enim in mõte superbiæ, inaniter eleuatur & diabolũ adorat, qui se ad terrena per auaritiã incuruat. Auaritia enim idolorum

*Conclusio & adpugnandũ exhortatio.* seruitus est. Vos ergo fratres charissimi, exemplo Domini resistite diabolo, & fugiet à vobis, Dominus non pro se, sed pro nobis pugnauit: & nos fortiter pugnemus pro animabus nostris, quoniã non solùm exteriori tentatione, sed insuper interiori nos aggreditur inimicus. Quemadmodũ Ieremias ait: foris interficit gladius, & domi mors similis est. Nõ dormiamus per inertiam: quia aduersarius noster, nunquã dormit vel quiescit. Non igitur glorietur accinctus, ad

*Iere. 1.* pręliandũ in hac vita, ęquè vt discinctus, qui meritò depositio corporis tabernaculo, gloriatur de

*1. Cor. 10.* victoria. Destruamus diaboli munitiones armis illis, de quibus Apostolus ait ad Corint. Arma militiæ nostræ, non sunt carnalia, sed potentia Dei ad destructionem munitionum. Non enim prævalere potest diabolus, nisi prius consentientes, prociderimus & adorauerimus eum. Et si enim laboriosum est pugnare, valdè glorioſum est triumphare. Vincenti enim angeli sancti ministrabunt, & dabitur ei edere manna absconditum in æterna refectione, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ipso præstante, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

## DOMINICA SECVNDA IN QVADRAGESIMA

thema sumptum ex Psalmo. 24.

*Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ à seculo sunt,*
*Ne vnquam dominentur nobis inimici nostri: libera nos Deus Israël.*

*Cuiusmodi tẽpus offertur huius dominicæ respondeat*

DOMINICA ista repręsentat tempus, quod fuit à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, in quo filij Israël in terra aliena suspenderunt organa sua. Salicibus enim, id est, infructuosis hominibus, quæ sunt in medio Babylonis, vndique peccatorum suorum confusione circundati, non sunt spiritualia cantica aperienda, ne sub pedibus conculcent Margaritas. Et ideò hæc Dominica non habet introitum proprium, sed à quarta feria præcedente mutuat illud. In quo supplicat Ecclesia pro

*Matth. 15.* liberatione populi, à diabolo captiuati, sicut tunc temporis patres antiqui rogabant pro liberatione populi, à rege Babylonis in captiuitate detenti. Rogat igitur mulier à finibus Tyri & Sydonis, egressa, id est, Ecclesia, de gentibus congregata pro filia sua, à dæmonio malè vexata, sed pro conuertendis de gentibus, vt liberentur à fornicatione, maximè idolorum, vt conuertantur & sanctificentur: & sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore. Dicit igitur: Reminiscere miserationum. Videtur enim obliuisci, dum tardat subuenire. Ipse enim in hoc cõmodum nostrum procurat: Vnde dicitur in Psal. Clamabo per diem, & nõ exaudies,

*Multiplex causa cur Dominus tardat subuenire. Num. 12.* & non ad insipientiã mihi, & nocte, scilicet, clamabo, id est, in tribulatione. Quod autẽ non exaudis, non est mihi ad insipientiam, sed potius ad sapientiam: quia non audit Deus ad voluntatem, sed ad salutem. Differt autẽ subuenire septẽ de causis, vel propter peccata contradicentium: sicut filiis Israël murmurantibus dictum est, filij vestri erunt vagi in deserto quadraginta annis. Vel quia nondum perfecti purgata sunt peccata, pro quibus afflicti puniuntur, sicut in Da-

*Dan. 10.* niële Angelus loquens, Daniël ait: Princeps regni Persarum restitit mihi vingintiuno die-

*Prima causa.* *Secũda causa.* *Tertia causa.* *Quarta causa.* bus, enumerans, scilicet, & obiiciens peccata Iudęorum, quibus captiui iustè tenebantur, ne ad huc dimitterẽtur, sed plenus purgarentur. Vel propter vsum patientię ad probationẽ, sicut Dominus mulierem Cananęã post se clamare permisit, nec statim filiam eius sanauit. Vel propter humilitatem conseruandam, vt homo cognoscens infirmitatem suam, recurrat ad diuinam gra-

*Quinta causa.* *2. Cor. 12.* tiam, sicut Paulo distulit stimulum carnis amouere, & humano generi præsentiam suam exhibere. Vel vt homo magis mereatur, vbi amplius & diutius, quasi cum domino perseuerando

*Gene. 32.* *Sexta causa.* *Lucæ 24.* luctatur, sicut Iacob Dominus vsque ad auroram non benedixit, sed tota nocte cum ipso luctari voluit. Vel vt ex dilatione crescat desiderium, sicut Dominus cum discipulis duobus eun-

tibus in

tibus in Emaus, noluit hospitari, donec coëgissent eum, sed fingebat se longius ire, vt eum cum maiori desiderio retinerent. Septima causa est, vt bonum, quod cum maiori difficultate acquiritur, cum maiori cautela & diligentia conseruetur. Vnde in Euangelio: Non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et quoniam desideranti & in tribulatione posito quantumcunque mora videtur magna, clamat mater nostra ad Dominum: Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ à seculo sunt. Misericordia dicitur pietas Deo naturaliter insita: Miseratio verò effectus vel opus misericordiæ. Ab initio autem, id est, à mundi principio, dicuntur fuisse, id est, innotuisse: nam misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum. Ipse enim nunquam nisi misericors fuit: Effectus autem misericordiæ eius à mundi initio, vsq; in æternum ipso effectu permanet & permanebit. Ab initio enim spiritus rationales, vt eius bonitate fruerentur, sola gratuita pietate creauit. Quibusdam autem Angelis corruentibus, alios misericorditer, ne cadere possent, confirmauit. Primos autem parentes misericorditer à Paradiso post peccatũ eiecit, ne fortè de fructu vitæ comedentes, diutius in miseria viuerent. Misericordiæ autem Domini, quod in peccatis eorũ non fuimus consumpti, sed tam ipsis quàm nobis locũ & tempus pœnitentiæ reliquit. Misericordiæ quod Enoch, qui iustus erat inter peccatores, in locũ vnde peccatores eiicerat, id est, in Paradisum, transtulit. Misericordiæ Domini, quod mundũ diluuio deleuit, ne paruuli & innocentes peccatis parentũ suorum inuoluti, si diutius viuerent, in æternũ perirent, & patres eorũ quantò amplius viuerẽt, tantò magis peccãdo maiorẽ pœnã incurrerẽt. Misericordiæ Domini, quod in Noë & filiis eius, & vxoribus eorũ semẽ nobis reliquit, & eos aliis pereuntibus reseruauit. Misericordiæ Domini, quod Abrahã de Hur Chaldæorũ, & Iacob de manibus Esau, & Moysen de aquis Ægypti, aliis pereuntibus, liberauit: & filios Israël, Aegyptiis pereuntibus, de carcere Aegyptiorũ per mare rubrũ & solitudinẽ deserti, in terrã promissionis induxit. Misericordię Domini, quod Dauid de manu Golię, & de insidiis & persecutionibus Saulis & omniũ inimicorũ suorũ, eripuit. Misericordiæ Domini, quod Susannã à falso crimine, & Danielẽ de lacu leonũ, & tres pueros de fornace ignis, & transmigrationẽ filiorũ Israël de Babylonia, & Mathabęos de manu persequentiũ, liberauit. Misericordia Domini ineffabilis, quod filium tradidit, vt seruũ redimeret: qui post tot & tanta beneficia ingratos & cõtumaces seruos multis modis ad se reuocat, reuocatos in bono cõseruat, & tandẽ sua merita remunerãs in æterna beatitudine coronat. Reprobos autẽ citra merita puniendo, cõdemnat: Et ita misericordiæ eius ab æterno & vsq; in æternũ, ab initio vsq; ad finẽ. Petit autẽ duo principaliter, scilicet, vt liberetur à malo peruerso, & à malo auerso, à malo culpæ, & à malo pœnæ: A malo culpæ petit liberari, cùm ait: Ne vnquã dominentur nobis inimici nostri, ne, scilicet, caro dominetur spiritui. Hæc est enim odiosa mulier, per quam, teste Salomone, mouetur terra, cùm in matrimonio fuerit assumpta. Non igitur fugiat Agar à facie dominę suę, sed humilietur sub manu eius, vt caro subiiciatur & seruiat spiritui. Propterea Propheta dicit: Miserere mei Deus, quoniã cõculcauit me homo. Interiorẽ, scilicet, hominẽ, homo exterior cõculcauit. Et Apost. ait: Huiusmodi Christo nõ seruiũt, sed suo ventri. Nõ dominetur nobis secũdus inimicus, scilicet, mũdus: ne captiui detineamur à mũdo, sed ipsum sub pedibus nostris cõculcemus: & sicut mulier amicta Sole, quã vidit Ioãnes in Apoc. Lunã, id est, vanitatẽ mũdi, sub pedibus affectuũ habeamus. Omne enim quod natũ est ex Deo, vicit mundũ. Vnde Dominus in Euãg. ait: Confidite, quia ego vici mundũ. Et quoniã scriptũ est: In mũdo pressurã habebitis: nõ demus Aegypto manus, id est, huic mũdo nõ seruiamus. Qui enim seruus est mũdi, nõ potest esse seruus Christi: quia duobus dominis nemo potest seruire. Mundus enim vanitas est, Christus autẽ veritas: propterea nõ potest seruire veritati, qui deditus est vanitati. Nõ dominetur nobis tertius inimicus, id est, diabolus, qui omniũ aliorũ est crudelissimus. Ipse enim est Amalech, id est, lingẽs sanguinẽ, q delectatur sanguine peccatorũ, & cruciatu animarũ. Vnde in Parab. Salomõ ait: Nõ des alienis honorẽ tuũ, & annos tuos crudeli, id est, diabolo: qui pœnis hominũ nequit satiari, nec permittit seruos suos quiescere. Vnde Iere. Seruietis diis alienis nocte & die, qui nõ dabũt vobis requiẽ. Et iterũ: Ceruicibus minabamur, lassis nõ dabatur requies. Dominatores enim iniquè agũt, vt ait Isa. Nõ ergo talibus dominis seruiamus, sed proiiciamus à nobis iugũ ipsorũ: nihil enim cõtra Christi seruos possunt, nisi incutuetur homo, vt trãseant per ipsum, & armis suis abiectis semetipsum spõtè seruituti subiiciat. Extunc in luto & latere, & palea cogũt sibi seruire miseros, quibus tanq; iumẽtis ad voluptatẽ suã vtuntur, vt possit dicere infelix homo diabolo possessori suo: Vt iumentũ factus sum apud te. Vnde in Apocalypsi: Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, id est, populos multos. Meretrix magna dici potest diabolus, dum luxuriando homines coinquinat, in quibus tantam habet potestatem, quantum homo in pecore suo. Propterea ostendit Dominus Ioanni in Apocalypsi, equum rufum, nigrum & pallidum, super quos equitabat diabolus. Equus rufus, viri sanguinum aperti sunt Ecclesiæ persecutores: Equus niger, falsi sunt Christiani, apertè mali: Equus pallidus, hypocritæ, qui mala agunt in occulto. Propterea igitur orandum est, ne vnquam dominentur nobis inimici nostri, caro, scilicet, mundus & diabolus: quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Non solùm à culpa, sed à pœna, ab angustiis, scilicet, & variis calamitatibus, petit liberari filios suos mater nostra, subiungens: Libera Deus Israël ex omnibus angustiis suis. Angustiæ

*De misericordia & miseratione.*

*Misericordiæ diuina nullo tempore generi humano defuit.*

*De duplici petitione.*

*Prima petitio.*

*Primus inimicus caro.*

*Secundus inimicus mũdus. Apoc. 12.*

*Ioan. 16.*

*Tre. 5.*

*Tertius inimicus diabolus.*

*Prouer. 5.*

*Iere. 16.*

*Isa. 52.*

*De dominatione diaboli, & seruitute peccatoris. Apoc. 7.*

*Apoc. 6.*

*De tribus equis diaboli.*

*De secunda petitione, vt liberetur à pœna. Dan. 13.*

*De variis angustiis & miseriis hominũ.*

enim nobis sunt vndique: Angustiæ in nascendo, in viuendo, in moriendo: Angustiæ post mortem in Purgatorio, post Purgatorium in iudicio, post iudicium in inferno. Homo enim de limo formatus, de limosa & immunda materia, in peccato & fœtore conceptus, in dolore & angustia nascitur. Mulier enim cùm parit, tristitiam habet. Infans autem nudus & debilis eiulat & luget: Cumque bruta animalia statim incedant, puer non potest incedere, nec sibi in aliquo subuenire: sed oportet quod nutriatur in angustia & dolore, in afflictione & sollicitudine. Cumque herbæ & arbores ex se producant folia, flores & fructus, ipse profert pediculos, pulices & vermes, sputum, vrinam & stercus. Homo enim natus de muliere, breui tempore viuens, repletur multis miseriis, velut vmbra fugiens, & nunquam in eodem statu permanet. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat hominẽ, & dum variis & innumerabilibus ægritudinum molestiis miserabiliter affligitur, anima corpori suo compatiendo, torquetur. Quilibet autem hominis sensus suas habet afflictiones & angustias. Visus enim vel penitus excæcatur, vel tenebris obscuratur, vel aspectu figuræ horribilis cruciatur: Auditus vel penitus obsurdescit, vel tumultu læditur, vel contumeliis & verbis asperis offenditur: Olfactus autẽ fœtoribus cruciatur: Gustus fame & siti affligitur, corruptis & insipidis cibariis angustiatur: Tactus calore & frigore torquetur, verberibus & plagis, & tormentis innumeris anxiatur. Sed & quilibet animæ rationalis potentia suam habet miseriam, angustiam, & contrarietatem. Imaginatio phantasiis perturbatur: Vis rationalis in discretione boni & mali, per indiscretionem & ignorantiam confunditur: Vis irrascibilis, ne malum reprobet & repellat: Vis concupiscibilis, ne bonum appetat, quatuor affectionibus animi, scilicet, spe, timore, gaudio & dolore impeditur. Ingenium ab inuentione, memoria à retentione, per hebetudinem & obliuionem priuatur. Intellectus ab inuisibilium contemplatione, nube corporalium obfuscatur. Conscientia peccatorum pondere pressa, cruciatur. Occupatio igitur magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ viuunt in labore, timore & dolore. Labor in negotiando, labor in arando, fodiendo, seminando, & colligendo: Labor in vestitus & victus acquisitione, labor in congregando, timor in possidendo & conseruando, dolor in amittendo. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Corpus luxuria & gastrimargia prægrauatur & maculatur. Spiritus superbia inflatur, inuidia roditur, ira stimulatur, acedia & tristitia obnubilatur, auaritia deprimitur. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Libera Deus Israël ex omnibus angustiis suis: Libera Iacob in lucta & angustia laborantem, vt sit Israël teipsum contemplando. Qualiter autem ad literam Dominus liberauit Iacob à variis angustiis, ex nocturnis patet responsoriis: Adhuc enim in vtero matris suæ cum fratre suo Esau bella habuit, licèt enim Iacob per plantam pedis eum retineret, ipse tamen priùs exiit, sed posteà Iacob ab Esau pro lenticula rufa ius primogenituræ obtinuit. Nos autem simili modo in vtero matris Ecclesiæ à falsis fratribus impugnamur, qui pilosi sunt more Esau, exterioribus curis superfluis & secularibus desideriis dediti, qui pro lenticula rufa, pro vili, scilicet, pretio, mundanæ vanitates amittunt dignitatem suam, & eorum coronam alter accipit. Nos tamen huiusmodi pilosos & rufos homines sanguine, scilicet, peccatorum coinquinatos, per plantam pedis, ne finaliter damnentur, pro posse nostro debemus à malis retrahere, vt sic maior seruiat minori. Plures enim sunt mali quàm boni: Impius autem viuit iusto: Quod enim facit lima ferro, hoc facit persecutio impiorum ipsum purgando. Vnde Salomon: Qui stultus est, seruiet sapienti. In nobis etiam Iacob cum Esau pugnat, ratio cum sensualitate, anima cum corpore, virtutes cum vitiis. Teneat igitur Iacob plantam Esau: Si enim primi motus præueniant nos, sicut scriptum est: Præoccupauerunt me laquei mortis, tamen finaliter non consentiamus: diabolus enim maximè calcaneo insidiatur. Primò autem egreditur Esau, prius est enim quod animale, posteà quod spirituale, vt ait Apostolus. Dicitur autem quod maior seruiet minori: Corpus enim seruit animæ, & sensualitas rationi, & vitia virtutibus, dum excitatur homo repugnando carni & vitiis. Caro autem & sensualitas hispida est & pilosa, sicut Esau, variis desideriis. Et maior dicitur, quia plura habet incentiua sibi cooperantia, quàm spiritus adiutoria, plures habet vrticas quàm spiritus rosas, & tamen seruit spiritui, quia omnia vincit & sustinet spiritus amore Christi. Sit igitur spiritus lenis & suauis sicut Iacob, nõ hispidus & asper sicut Esau, non venationi exteriori deditus, sed simplex, habitans in tabernaculis quietus, scilicet, secum habitans, vt se intra mentis secreta constringat, non à seipso foris inhians cogitatione recedat. Ea verò sumamus in cibum, quæ necessitas exigit, nõ quæ libido suggerit, ne pro vili cibo, dum nimia auiditate sumitur, primatum amittamus. Secundò liberauit Dominus Iacob ab angustiis suis, quia dum Esau exterius venationi intenderet, vt reuertens benedictionem à patre reciperet, Iacob consilio matris suæ, bonis vestibus fratris indutus, & collũ cum manibus pellibus caprinis circundatus, hœdos duos cum vino patri obtulit, & benedictionẽ, loco Esau, recepit. Et nos more Iacob, non extra, sed intra, spiritualibus sacrificiis ex corde Deum placatum reddamus, duos hœdos eidem offerentes, qui confessionem peccatorum & pœnitentiam, tam de commissis quàm omissis significãt. Isaac verum libẽter vescitur hœdis, quia Deus non vult mortem peccatoris: Osculemur verum Isaac, id est, Christum, & recõciliemur ei: Offeramus ei vinum vt bibat gaudium spirituale & feruorem deuotionis nostræ: Ostendamus

*De angustiis quinque sensuum.*

*De angustiis potentiarum animæ.*

*Eccle.10.*

*De variis angustiis corporalibus.*

*Gal 5.*

*De variis angustiis vitiorum.*

*Rom.7.*

*Gen.32.*

*De variis angustiis Iacob, & quod Dominus spiritualiter liberat, sicut liberauit Iacob.*

*Qualiter boni à malis impugnantur.*

*Quomodo Iacob plantam Esau spiritualiter debet tenere.*

*Parab.11.*

*Gen.3.*

*1.Cor.15.*

*Gen.35.*

*De secunda liberatione corporali & spirituali.*

*Gen.27.*

*Ezc.31.*

*Moralis expositio.*

magnus

manus pilosas, non nos ante ipsum iustificemus, sed magis opera nostra accusemus, vt sit vox Iacob, dum ab ipso veniam humiliter imploramus. Collum autem & manus pellibus hœdinis tegimus, dū peccata cordis, oris & operis, humiliter cōfitemur: Vestibus Esau, id fidę & scientia scripturarū & præceptis moralibus, quæ reprobi Iudæi relinquerunt, induamur, vt sit odor agri nostri sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, vt in nobis habeamus flores vuæ, per prædicationis feruorem, vt mentes audientiū inebrientur: Flores rosæ per patientiam, flores lilij per castitatē, flores violæ per humilitatem, cœlestis regni purpurā in mente seruando: flores spicæ, vt ad maturitatē & perfectionē bonorū operum præparemur: flores oliuę per misericordiam, & ita de rore cœli per cōtemplatiuam, & de pinguedine terræ per actiuam, in abundantia frumenti per charitatem, vel per scripturarum scientiā, vini per spiritus sancti feruorem, & olei per misericordiam, erit benedictio vestra: vel frumentū fortitudinem fidei, vinum iucunditatem spei, oleum suauitatem charitatis significat. Tertiò liberauit Deus Iacob ex angustiis suis: Esau enim eum oderat, & ipse fugiēs ab ipso, dum dormiuit in itinere, lapide capiti supposito, consolationem recepit à Domino. Vidit enim scalam à terra vsq; ad cœlum erectā, & Dominum scalæ innixum, Angelosq; ascendentes & descendentes per scalam. Et nos accepta benedictione gratiæ, fugiamus mucronem carnalis concupiscentiæ, quæ pugnat contra spiritum, dum corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Dormiamus in itinere à seculi strepitu, quiescendo mente, & à rerum temporaliū appetitu cordis oculos claudamus. Super lapidem, Christum, scilicet, vel Christi fidē, caput ponamus, vt cœlestia contemplari valeamus. Caput autem ponit in lapide, qui Christo adhęret mente. Et iste qui talis est, videt Angelos ascendentes creatorem contemplando, & descendentes nobis compatiendo. Vel ipsos prædicatores ascendentes per contemplatiuam, & descendentes per actiuam. Et nos similiter ascendamus in bonis proficiendo, & descendamus post bona opera, nos humiliādo. Scala autē quam vidit Iacob, est beata Virgo vel crux Christi, per quam ad cœlum ascendimus: vel ipse Christus est scala, duo ligna habens, id est, duas naturas, attingens cœlos à cacumine diuinitatis. Tres gradus ostendit in se cùm ait: Ego sum via, veritas, & vita. Via in mandatis: in quibus debemus ponere pedem fidei: Veritas in promissis: in quibus debemus figere pedem spei: Vita in præmiis æternæ beatitudinis: in quibus debemus figere pedem charitatis, vt ea diligētes apprehendamus. Vel scala est ipsa Christi Ecclesia, diuersi gradus, diuersæ virtutes, summitas cœlos attingens, cui Dominus innititur est supereminētia charitatis. Quartò liberauit Deus Iacob ab angustiis suis, dum enim fugeret ad Laban aunnculum suum, venit in agrum, & inuenit puteum, vnde pecora adaquabantur, cuius os grandi lapide claudebatur. Lapidem sustulit, & greges adaquauit, deinde venit ad Laban, qui multum eum afflixit: nam pro Rachel, quæ pulchra erat, septem annis seruierat, & postea pro illa suppositi illi Liam, quæ lippis erat oculis: postea pro Rachele septem aliis annis seruiuit. Sed & Laban in mercede sua multoties eum defraudare voluit, sed ita factum est, quod Iacob per Dei gratiam ditatus, tandem cum vxoribus & filiis, & gregibus, de manu Laban euasit. Et nos à puteo scripturarum & legis duritiam, & intelligentiæ difficultatem amouendo, fidelibus potum propinemus salutarem. Habeamus autem Liam vxorem, quæ laboriosa interpretatur, id est, actiuam vitam, quę licèt lippis sit oculis, eò quòd puluis contrahatur, est tamē fœcunda, proximorū vtilitati deseruiens. Rachelem nihilominus, quę pulchra facie est, id est, contemplatiuā nobis iungamus, quæ summum principiū interpretatur. Et nos summum principiū contemplari debemus. Ad hanc autē in septenario huius vitæ cum magno labore peruenimus, sed tamen paucos dies reputat, cuius labores amor leuigat. Transeamus ab amplexibus Liæ ad Rachelis amplexus: ab actiua ad contemplatiuā, & iterum reuertamur ad Liā. Rachel enim licèt pulchrior, sterilis tamen reputatur, respectu Liæ, eò quòd sibi soli vacat, vtraque tamen filia est Laban, id est, dealbationis, quia ambas præcedet remissio peccatorum. Ex his autem duabus, quarum vna diligitur, altera sustinetur, generemus, sicut Iacob, multiplicem prolē virtutū & bonorum operū. Non solum autē ex eis, sed & ex earum ancillis. Ancilla Rachel Bala, quæ interpretatur consuetudo inueterata. Hæc est ratio, quæ seruit cōtemplationi & intellectui, vt per figuras & parabolas, & formas sensibiles, quæ cōsueuimus agnoscere, aliqua de diuinis posimus intelligere. Zelpha autem quæ interpretatur os hians, ancilla est Liæ, id est, sensualitas, quę subseruit actiuę, cuius os hiat, varia appetendo. Per primogenitū autem Liæ, id est, Ruben, quod interpretatur filius visionis, id est, per prædicationē, quæ dignior est pars actiua perueniunt. Mandragoræ ad Rachelem, dum odor bonæ opinionis de contemplatiuis, qui Domino seruiunt, in pace pectoris prædicatur, & eorum vita à prædicatoribus commendatur. Sed insuper ad similitudinem Iacob, varios fœtus Domino procuremus generare per varias virgas, id est, per diuersas scripturarum sententias, quæ rectæ sunt per veritatē, & corripiunt per comminationem, quæ in canalibus aquæ continentur, id est, in libris diuinæ scripturæ, quarum quædam decorticatæ, quædam planæ sunt & apertæ, aliæ cum cortice profunda mysteria sub cortice continentes. Vel virgæ cum corticibus, vbi scriptura intelligitur ad literam: Decorticatæ autem, quando spiritualiter intelligitur: Multiplices igitur fœtus bonorum operum per doctrinam variarum sententiarum generantur. Ditati autem bonis spiritualibus à Laban occultè recedamus, quod interpretatur dealbatio. Hic est diabolus, qui se in angelum lucis transfigurat, vel mundanus amor. Occultè igitur recedamus à Laban, vt animas

*De variis floribus.*

*De tertia liberatione corporali & spirituali. Gen. 28. Moralis expositio.*

*Gen. 28. De quadruplici scala Iacob. Ioan. 14.*

*De quartâ liberatione spirituali & corporali.*

*Moralis expositio. De duabus vxoribus Iacob.*

*De transitu ab actiua ad contemplatiuam. Gen. 30. De filiis Iacob & de ancillis vxorum eius.*

*De variis fœtibus ex virgis*

*De occultâ recessu à Laban.*

nostras furemur diabolo,& à mundo ita recedamus, ne seculares, qui nos in via Dei impedire nituntur,propositum nostrum agnoscant. Si autem Laban, id est, diabolus vel immundus, recedentes à se insequitur,nihil de suo in nos inueniat,sed cum Rachele omnia idola peccatorum sub stramento asini,& fimo pœnitentiæ abscondamus. Quintò liberauit Dominus Iacob ab angustiis suis: Postquam enim recessit à Laban,tota nocte cum Angelo luctatus,in aurora recepit ab eo benedictionem, & emarcuit neruus femoris eius, & factus est claudus vno pede. Cùm autem valde timeret fratrem suum,Dominus mitigauit iram fratris & indignationem,ac de manu eius ipsum liberauit. Fugiens Iacob Laban,Angelos habuit obuiam. Et vir iustus fugiēs mundum,quādo regreditur ad patriam, dum mundanus amor persequitur eum, Angelos Dei habet in auxilium. Luctari autem debemus cum Angelo magni cōsilij,quia regnum cœlorum vim patitur:& non deficere donec ab eo benedictionem recipiamus, & donec marcescat in nobis neruus femoris per continentiam, & subleuetur pes animæ à terra, vt abnegemus terrena. Alio autem terram tangamus,vt curam carnis non in desideriis,sed necessariis faciamus. Vel luctari cum Deo,est niti per contemplationem,vt aliquid cognoscamus de eius incomprehensibili maiestate. Dum autem inde aliquid gustauimus,femoris neruus marcescit,quia gustato spiritu,desipit omnis caro. Tunc igitur pede carnalis affectus debilitato & à terra suspēso pede spiritualis affectionis firmiter innitimur.Iacob à fratre timet occidi,& nos timere debemus ne carnis tentationibus superemur. Noluit autem Iacob Esau socium habere in via,nec vicinum in patria. Et spiritus humanus contemnit feruorem carnis consortem habere in opere,vel affinem in delectatione. Superatis autem omnibus tentationibus,qui prius dictus est Iacob in pugna,postea vocatur Israël,id est,videns Deum,vt reddita tranquillitate, possit dicere:Hyems transiit,imber abiit & recessit,flores apparuerunt in terra nostra,& ita liberat Dominus Israël ex omnibus angustiis suis.

*De quinta liberatione corporali & spirituali.*

*Moralis expositio.*

*De luctatione cum Deo, & claudicatione Iacob.*

*Gen.32.*

*Cant.2.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola 1.Thessal.4.

*Rogamus vos & obsecramus in Domino, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis,&c.*

IN tribus principaliter nos instruit Apostolus hodierna Epistola. Primò,vt studeamus placere Deo,& eius pecuniam multiplicando,semper in melius proficere & amplius abundare. Secundò,vt vasa corporum nostrorum munda custodiamus per castitatem, & vasa animarum per charitatem. Tertiò,vt neminem circumueniendo decipiamus, nulli iniuriam faciamus. Hoc est quod aliis verbis alibi dicit: Sobriè & iustè,& piè viuamus in seculo hoc. Piè, quantum ad Deum: iustè,quantum ad proximum: sobriè viuit homo ad seipsum. His tribus gradibus in scala veri Iacob ascenditur ad cœlum: Hæc est via trium dierum, quà peruenitur ad Deum,propter quod Propheta dicit: Bonitatem & disciplinam,& scientiam doce me.Bonitatem,quod ad Deum, illi seruiendo per pietatem, quæ prō cultu Dei hîc accipitur. Disciplinam,quantum ad seipsum,ne recalcitret iumentum. Scientiam,quantum ad proximum, vt sciat iustè conuersari inter homines huius seculi. Exemplo igitur Apostoli Deo placere per omnia studeamus,vt simus sine macula & ruga. Et sicut mulieres huius seculi exornant corpora sua,vt placeant viris suis:ita adornare debemus animas nostras,vt Domino placeamus,& in nullo voluntati eius vel mandatis contradicamus. Et ita fiet vt amplius abundemus,& eius gratia multiplicetur in nobis. Habenti charitatem,dabitur, & amplius abundabit. Propter quod oportet nos ambulare, & semper nos in anteriora extendere, vt abundemus magis, & talentum nobis commissum cum omni sollicitudine multiplicare studeamus: vt non ipsum in sudario inuoluamus, ne austerus ille homo, ablato nobis talento, non solùm ea quæ habemus,nobis auferat, sed in tenebras exteriores nos retrudat. Dominus enim in iudicio, omissa potius quàm commissa,dicit se exprobraturū.Esuriui enim & non dedistis mihi manducare.Pigros enim ab opere bono torpentes,damnabit. Manus enim in manu,id est,manus pigri,non est innocens manus. Reus enim & nocens,à Domino reputatur,qui bonum,quod operari potest,contemnit operari:& tempus à Deo sibi concessum,vel ætatem absq; lucro spirituali transire permittit.Oportet nos ambulare & in bonum proficere,vt semper magis bonis spiritualibus abundemus,vt impinguemur per charitatem,& dilatemur,& sicut adipe & pinguedine repleantur animæ nostræ. Ambulare debemus in mandatis,sine quibus non est salus: Deo autem maximè placere in consiliis, sicut ab ipso Apostolo mandato & exemplo accepimus. Exempla enim sanctorum,qui lucernas ardentes habent in manibus, sunt quasi ligna, quibus in altari Domini sacrificia incenduntur: & sicut calceamenta in pedibus affectuum, vt calceati sanctorum exemplis, & communiti Agnum paschalem manducemus. Scriptum est enim in Canticis: Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. Ramos enim de arboribus scindendo,in via ponimus, dum sanctorum exemplis viam Domini ad cor nostrum præparamus. Hi sunt lapides onycini in rationali & superhumerali, vt eorum exemplis,cogitationes nostras & bona opera exornemus. Vnde & nomina duodecim Patriarchaꝝ in rationali

*Qualiter Deo placere debeamus.*
*Ephes.5.*
*Matth.25.*
*Luc.19.*

*De multiplicatione talēti, & abundantia in spiritualibus.*
*Matth.25.*
*Prouer.11.*

*De exemplis sanctorum.*
*Luc.12.*
*Leuit.1.*
*Exod.12.*
*Cant.7.*
*Matth.21.*
*Ma.11.*
*Exod.25.*

in rationali scripta erant, vt exempla sanctorum semper in pectore habeamus. Viri autem sancti non solùm per lapides pretiosos, sed per extinctoria designátur, quorum exemplis mala in nobis extinguuntur. Curramus ergo sicut Abraham ad armentum, id est, ad exempla sanctorum Patrum, vt vitulo tenerrimo operibus, scilicet, charitatis, reficiamus tenuitatem: vt ad imitationem Moysi, secundum exemplar, quod nobis in monte monstratur, omnia faciamus: & panes noui in mensa propositionis, panibus veteribus succedant. Exempla enim vetera cum nouis in refectione nobis proponit Dominus. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister eius. Et vt modestia sanctorum nota sit nobis, frequenter quærere debemus à Domino: Rabbi, vbi habitas? vbi cubas in meridie, id est, in feruoris charitate, vt eorum exempla imitemur, propter quod ait Apostolus: Quemadmodum accepistis à nobis, ita ambuletis. Non solùm autem exempla eorum imitari, sed mandata perficere & adimplere debemus. Vnde ipse ait: Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Præceptis igitur salutaribus moniti, per omnia sanctis Doctoribus humiliter obediamus, vt sicut imaginem terreni, id est, Adam, per inobedientiam portauimus, ita portemus imaginem cœlestis, id est, Christi, per obedientiam. Ipse enim factus est obediens patri vsque ad mortem. Teste enim Salomone: Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Non igitur sepem mandatorum dissipemus, ne nobis coluber mordeat, id est, diabolus. Melior est enim obedientia, quàm stultorum victimæ. Et iterum: Qui obedit patri, refrigerat matrem, id est, Ecclesiam. In cuius rei significatione, Dominus in Bethania, id est, in domo obedientiæ, hospitari voluit & reficí, & qui priùs Simon dictus est, posteà Petrus à Domino vocatus est, vt si quis vult peruenire ad perfectionem & firmitatem, priùs mandatis Dominicis obediat: priùs sit Simon & posteà Petrus. Vnde in consecratione Sacerdotis in lege, auris eius dextera sanguine tingebatur, vt in his, quæ ad dexteram pertinent, vsque ad mortem Domino obediret: priùs igitur studeamus Domino placere, ei seruiendo, vt cultui diuino dediti in psalmis & diuinis laudibus, in lectione & sancta meditatione, & deuotis orationibus, & in aliis, quæ ad Dominum pertinent, Domino seruiamus. Et quoniá qui mundus est & immaculatus, mundos vult habere seruos & immaculatos: mundi & immaculati esse studeamus. Hæc est enim voluntas eius, sanctificatio nostra, vt possideamus vasa nostra in sanctificatione, abstinentes ab omni immunditia & fornicatione: & in honore, absque omnis turpitudinis abusione, non solùm in aliena, sed etiam in vxore propria. Ipse enim sanctus est, & sanctus sanctorum, qui ait: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Et non dat sanctum canibus, sed sanctificatis & mundis. Ipse autem qui sanctus est, filios suos sibi vult assimulari. Vnde in Euangelio ait: Pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Sanctificata est humanitas à diuinitate ad commodum nostrum, vt sanctificemur ab ipso, qui est veritas. Seruiamus igitur ei in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, & nomen eius in nobis sanctificetur, vt verè sanctificati nomen filij retineamus: & ipse sanctus appareat in nobis ex virtutibus & bonis operibus. Scriptum est enim de viro iusto: In fide & lenitate sanctum fecit illum. Et Moysi præcepit Dominus, dicens: Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras, lauentque vestimenta sua. Et nos, vt spiritualiter sanctificemur, vestimenta nostra, id est, corpora, ab omni fornicatione & immunditia abluamus: sicut Iacob ait filiis suis: Mundamini, & mutate vestimenta vestra. Mundemur ab omni inquinamento mentis & corporis, exuendo veterem hominem cum actibus suis, & nouum induamus, sicut ait Apostolus: Induimini Dominum IESVM CHRISTVM. Pulchra est enim in conspectu Domini casta generatio cum charitate. Sanctificatum propriè dicitur, quod à communibus vsibus sequestratur: vnde vasa & vestimenta sancta dicuntur, quando facta benedictione ab Episcopo ab vsu communi separantur. Sanctificemur igitur, & ad DEI seruitium ab omni seculari actione sequestrati: non conformemur huic seculo, sed efficiamur templum Spiritus sancti. Non igitur post sanctificationem polluamus vel violemus templũ Dei. Qui enim, vt ait Apostolus, templum Dei destruit, destruet eum DEVS. Non tollamus membra Christi, & faciamus membra meretricis: sed sanctificemur, vt dies sanctificatus illucescat nobis, dies de die, lumen de lumine, IESVS CHRISTVS. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra, vt abstineamus nos ab omni fornicatione, quia fornicatores & adulteros Deus iudicabit, vt dicit Apostolus. Vnde & fornicatio dicitur à fornice, id est, arcu triumphali, quem in signum victoriæ antiqui solebant erigere, & super fornicantes arcum triumphalem curuat diabolus, eos per luxuriã & sibi subiugando. Fortitudo enim eius, vt dicitur in Iob, est in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Lumbi eius, quos possidet, sunt lumbi luxuriosi, in quibus suam exercet potentiam. Hoc est quod in Euangelio dicitur, dæmones intrasse porcos. Ipse enim immũdos homines possidet lutulentis actibus deditos. Dormit enim in locis humentibus, sicut dicitur in Iob. Et in Ezechiële, draco magnus cubare dicitur in medio fluminum, id est, fluentis luxuriæ. Luxuriosis enim & immundis operibus delectatur, sicut porcus luto. Vnde in Euãgelio dicitur, quod filius prodigus pascebat porcos, id est, dæmones immundos. Vbi autẽ maius est lutũ, ibi plures porci cõueniunt. Luxuria autem lutũ est fœtens, coinquinans, detinens & absorbens. Fœtidi tamen homines dediti libidini, hunc fœtorem

*Gen.18.* *Exod.25.* *Leuit.24.* *Luc.6.* *Phil.4.* *Io.1.* *Cant.1.* *De obedientia & præceptorũ obseruatia.* *1.Cor.15.* *Eccles.10.* *Matth.10.* *Mar.3.* *Luc.7.* *Exo.29.* *De munditia & sanctificatione nostra.* *Leuit.19.* *Matth.7.* *Io.18.* *Luc.1.* *Eccle.45.* *2.Cor.7.* *Gen.35.* *Rom.12.* *1.Cor.3.* *De fornicatione & carnali voluptate.* *Heb.13.* *Iob 40.* *Matth.8.* *Ma.5.* *Iob 40.* *Ezech.32.* *Luc.15.* *Quod luxuria propter quæ tuor comparatur luto.* *Priman.*

*Secundum.*

*Num.5.*
*Tertium.*

*Gen.8.*
*Quartum.*

*Prouer.29.*
*De incommodis per luxuriam.*
*Ozee 4.*
*Prouer.11.*

*1.Cor.6.*

*Luc.14.*

*Iob 31.*

*Prouerb.27.*
*3.Reg.11.*
*Eccle.9.*
*Iob 14.*
*Iudic.16.*
*Exemplum de his qui per luxuriam corruerunt.*
*Num.25.*
*Quod libido muscæ comparatur.*
*Eccles.10.*
*Quod igni cõparatur.*
*Isa.66.*

*De triplici sanctitate.*
*Eph.4.*

*De sancta conuersatione ad proximum, et ne aliquẽ circumueniendo lædamus.*
*Matth.16.*
*Ma.8.*
*Luc.9.*
*Ezech.22.*

*De fraude Physicorũ & Aduocatorũ.*
*Prouer.25.*

*Prouer.21.*

*Isa.10.*

*Abacuc.2.*
*De violentia tyrannorum.*
*Mich.3.*

non sentiunt, quia proprium est fœtidi non sentire fœtorem. Coinquinat autem & maculat personam, & corrumpit naturam, vt amittat diuinam similitudinem: sicut lepræ violentia humanam corrumpit & deturpat figuram. Vnde seminifluus sicut leprosus eiiciebatur à castris. Detinet autem & allicit hoc lutum miserum hominem tanquam viscus, vt velut coruus illectus cadauere, non reuertatur ad arcam Ecclesiæ. Voluptas enim famem patitur, & insatiabilis est, famem parit non saturitatem. Absorbet autem totum hominem, vt efficiatur totus caro, dum in limo huius profunditatis infigitur, & non est substantia: vnde Salomon ait: Qui nutrit scortum, perdet substantiam. Non solùm pecuniam, quam consumit: non solùm animam, quam corrumpit, sed insuper natura hominis debilitatur & corrumpitur fœtore libidinis: vnde dicitur passio desiderij. Perdit igitur pecuniam, corpus & animam. Vnde Ozee: Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor. Et Salomon: Pretium scorti vix est vnius panis. Mulier autem pretiosam viri animam capit. Transitoria enim est voluptas, sed perpetua pœna fornicatoris. Quoniam igitur spiritus hominis & ratio hoc luto absorbentur, vt totus carnalis & bestialis efficiatur, dum putrescit tanquam iumentum in stercoribus suis, vt ait Apostolus ad Corinthios: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra suum corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, id est, totus caro efficitur. Vnde in comparatione huius peccati, alia extra corpus dicuntur fieri, in quibus remanet aliquis vsus rationis. Et ideo qui villam emit, & qui iuga boum probauit, se excusari rogauerunt, qui verò vxorem duxit, ita absorptus fuit, vt se non excusaret vel excusandum rogaret. In hac ergo sentina fœtoris, in hoc stercorario diaboli, homo miser non potuit respirare, vt se excusaret: quia in hora libidinis & feruoris, non habet vsum rationis. Hæc est enim, vt dicitur in Iob, ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina. Rationem enim exinguit, & virtutum germina tollit, nihilque viriditatis in anima relinquit. Hæc est enim mala vxor, quæ hominem de domo sua expellit: hæc Salomonem infatuauit, quia vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes: Hæc est gutta stillans, lapides excauans: Ignis ferrum emolliens, id est, corda fortium debilitans: Hæc enim Dauid in homicidium & adulterium induxit, quem Golias superare nequiuit: Hæc Samsonem excæcauit: Ruben quasi aquam effudit: Senes Babylonis, qui Susannam accusabant, ignis frixit: Hæc diluuio deleuit mundum: filios Israël fornicantes cum filiabus Madian, vsque ad vigintiquatuor gladius peremit, Principibus propterea patibulo affixis. Hæc sunt vlcera pessima, quæ Dominus Ægyptiis immisit, quibus sanguisugæ infernales satiantur: Hæc est musca perdens suauitatem vnguenti, quæ ex sterquilinio nascitur, & in loco immundo moratur, & immundis pascitur, & locum cui insidet, inficit, & vnguentum castitatis perdit. Hæc est ignis cuius sulphur est materia: fumus infamia: scintilla, desidia: cinis immunditia, familiarem habens cum gehenna similitudinem, in qua sunt tria: ignis, fœtor, & vermis. Ardet per concupiscentiam: fœtet per infamiam: corrodit per malam conscientiam. Et propter hoc voluntas Dei est sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione carnali & spirituali, & custodiatis vasa vestra munda. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, vt immunditiæ seruiamus, sed in sanctificationem, vt sancti viuamus, & membrorum nostrorum officinas honorabiles Domino exhibeamus. Simus igitur sancti triplici sanctitate, corde sine concupiscentia, ne per capillos malarum cogitationum, diabolus trahat nos ad terram incuruando, scilicet, per terrena: ore, vt nec turpis sermo ex ore vestro procedat: opere, vt mundis manibus Domino seruiamus, vt penitus nihil funestum in nobis inueniat diabolus. Non autem sufficit sibi hominem esse mundum, nisi fuerit iustus ad proximum. Propter quod Apostolus subiungit: Ne quis supergrediatur per violentiam, circumueniat per fraudem. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patiatur? Hoc est quod, sicut in Luca dicitur, Ioannes Baptista militibus ait: Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis. Et in Ezechiële Dominus arguës Iudeos, ait: Vsuram & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris. In his autem duobus maximè peccant milites & mercatores: Milites supergradiendo, mercatores circumueniendo. Sed & satellites diaboli, præpositi, & alij curiæ ministri, valde delinquunt primo modo. Physici autem in secundo modo, parum laborantes & multum extorquentes, multum promittentes & parum soluentes: multos sophisticis medicinis circunueniunt. De quibus in Parabolis dicitur: Nubes & ventus, & pluuiæ non sequentes, vir glorioſus, promissa non complens. Similiter & mendaces Aduocati, venale genus hominum, multos circunuenientes, decipiunt. De quibus Salomon ait in Prouerbiis: Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis. Vnde Isaias ait: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias, scripserunt vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent, quid facietis in die visitationis? Contra quos Hieronymus ait: Iter Christianos, non qui patitur iniuriam, sed qui facit, miser reputatur. Et Abacuc ait: Væ illi qui congregat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum? De violentis & supergredientibus proximos suos. Michæas ait: Comederunt carnem populi mei, & pel-

& pellem eius desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt. Et Iob ait: Abundant tabernacula prædonum, & audaciter prouocant Deum. De circumuenientibus & decipientibus fratres suos, dicitur in Ecclesiastico: Qui effundunt sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Huiusmodi enim de sanguine & labore pauperum viuentes, pro homicidis reputantur. Et Amos in persona talium ait: Imminuamus mensuram & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas: vt possideamus in argento egenos & pauperes, pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus. Et in Psalmo: Non deficit de plateis eius vsura & dolus. De primis dicitur in Leuitico: Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Et Iacobus in Epistola sua canonica: Nónne DEVS elegit pauperes in hoc mundo, diuites autem in fide, & hæredes regni, quod repromisit diligentibus se. Vos autem inhonorastis pauperem, nónne diuites per potentiam opprimunt vos? De secundis dicitur in Ecclesiastico: Difficilè exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum. Et in Prouerbiis: Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrunque est abominabile apud DEVM. Audiant hæc fraudulenti mercatores & fœneratores, quibus est suauis panis mendacij, & postea in inferno implebitur os eorum calculo. De quibus dicitur: Erunt homines seipsos amantes, id est, damnis aliorum sua lucra quærentes, & proximos circumuenientes, in quorum manibus statera dolosa est. Audiant qui mercenarios defraudant, de quibus Iacobus Apostolus ait: Ecce merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ defraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Vnde in Tobia dicitur: Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue: & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Non igitur terra tua contra te clamet. Lachrymæ enim viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentes eas, à maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum, Dominus autem iudicabit causam eius. Non ergo supergrediamur, vel circumueniamus fratres nostros, auarè nobis pecuniam acquirentes, quia, *Non habet euentus sordida præda bonos.*
Sed simus sancti, id est, agyos, sine terra cupiditatis & fece libidinis.

*Iob 12.* *Amos 8.* *Leuit.19.* *Iacob.2.* *Eccle.26.* *Prouerb.20.* *2.Tim.2.* *Iacob 4.* *De his qui mercenarios defraudant.* *Tob.4.* *Iob 31.* *Eccli.35.* *Par.22.*

## EADEM DOMINICA THEMA
### SVMPTVM DE EVANGELIO
### secundum Matthæum 15.

*Egressus Iesus, secessit in partes Tyri & Sydônis. Et ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa, clamauit, dicens ei: Miserere mei.*

LEGITVR in Genesi, quod fecit Dominus firmamẽtum in medio aquarum, diuisitque aquas, quæ erant super firmamentum. Firmamentum spiritualiter dicitur diuina scriptura firma in se. Quia cœlum & terra transibunt, verba autem diuinæ scripturæ solui non possunt, & alios in bono confirmant. Diuidunt autem aquas superiores ab inferioribus, spiritualem, scilicet, intellectum, ab inferiori intellectu, qui est secundum literam. Docent etiam cœlestia à terrenis, summa ab infimis separare. Inter iustos & iniustos quanta sit differentia, ostendunt. Aquas autem superiores, quas superius detinet, celat & abscondit arcana, scilicet, mysteria. Vnde sicut à firmitate dicitur firmamentum, ita à celando cœlum nominatur. Claudit enim os putei, ne bos vel asinus cadat in ipsum. Vnde in Tobia: Sacramentum Regis abscondere bonum est, scilicet, aquas superiores. Opera enim Domini confiteri & reuelare, honorificum est. Hæ sunt aquæ inferiores, quæ communiter patent, de hoc cœlo sacræ scripturæ dicitur in Psalmo: Extendens cœlum sicut pellem, vt in eo sicut in libro aperto opera DEI legere & cognoscere valeamus. Extenditur autem scriptura dum ex paucis verbis magnas & profundas elicimus sententias. Tandem verò cœlum, sicut liber plicabitur, quãdo legemus in libro vitæ, & erimus omnes docibiles DEI, nec scripturis indigebimus. In hoc autem firmamento diuinæ scripturæ posuit DEVS duo luminaria, vnum maius, quod præest diei, scilicet, Solem: & alterum minus, quod præest nocti, scilicet, Lunam. Per Solem, nouum intelligimus testamentum, quod est perfectione rotundum, calefaciens affectum, & illuminans intellectum, ex quo Luna veteris testamenti sortitur claritatem, quia vetus per nouum intelligitur. Vetus enim testamentum Lunæ comparatur, quia variabile est secundum legalia, maculas habens sicut Luna, quia terrena promittens, & quia lex neminem duxit ad perfectum. Hæc autem Luna præest nocti, quia vetus testamentũ datum est populo carnali, sub vmbra figuratum manenti. Sol autem, id est, nouũ testamentum, præest diei, populo, scilicet, sub gratia existenti, cessante nocte legalium figurarũ. Vnde in Psalm. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. De his autem ait Isa. Non erit tibi Sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. In æterna enim beatitudine, non indigebimus doctrina scripturarũ. Quot autem sunt diuinæ sententiæ in scripturis, tot

*Gen.1.* *Quod diuina scriptura & verbum Dei firmamento comparatur.* *Mat.24.* *Mar.13.* *Luc.21.* *Exod.21.* *Tob.10.* *Apoc.6.* *Io.9.* *Gen.1.* *De duobus luminaribus duorum testamentorum.* *Hebr.7.* *Isaiæ 60.*

ſtellæ reſplendent in hoc firmamento. Orate ergo Deum, vt hodie hoc firmamento animæ veſtræ confirmentur in bono, & mentes veſtræ Sole & Luna duorum teſtamentorum illuminentur. Egreſſus Ieſus Dominus noſter ex hodierno Euangelio, multiplicem nobis præſtat refectionem, vt catelli eius, id eſt, humiles & mundo deſpecti, edant hodie de micis, quæ cadunt de menſa eius. Humiles enim & paruuli in oculis ſuis, interna & ſubtilia myſteria diſcutiunt, quæ Dominus paruulis reuelans, ſapientibus huius ſeculi abſcondit. Non panes integros, non cruſtulas, ſed micas, id eſt, ſcripturarum ſanctarum medullam edunt. Hanc igitur mulierem Chananæam nobis proponit in exemplum fidei, ſpei, charitatis, deuotionis, humilitatis, prudentiæ, patientiæ, conſtantiæ, miſericordiæ, & perſeuerantiæ. Fidei eius teſtimonium perhibet ipſa Veritas, dicens: O mulier, magna eſt fides tua. Non audierat ſcripturas de Chriſto, non legem receperat mulier gentilis, tamen famam ſanctitatis & miraculorum eius audierat. In auditu auris credidit, & obediuit Veritati. Propter quod fidem eius approbauit, vt Iudæos incredulos argueret, qui ſcripturas de ipſo legerant, miracula frequenter videbant, & tamen corde duro & incredulo oblatrare & detrahere, & gratiam Dei impugnare non ceſſabant, ſicut Dominus per os Dauid prædixerat: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Hæc autem magnæ fidei mulier non petiit, vt Dominus præſentia corporali accederet ad filiã ſuam: ſed in ſola eius voluntate conſtituit ſalutem filiæ ſuæ, adorãs eum, & proſtrata ante maieſtatem, quia omnipotẽtem, & verum Deum ipſum credidit. Vnde ait: Domine fili Dauid: Domine, cui ſubiiciuntur omnia per diuinitatẽ: fili Dauid, per humanitatem, & ita duas in Chriſto naturas deſignauit. In fide autẽ ipſius nobis relinquitur exemplum catechizandi paruulos & baptizandi. Qui licèt vſum rationis non habeant, nec actu credant, ſicut nec eius filia dæmoniaca, in fide tamen matris ſuæ, id eſt, Eccleſiæ, ab immundis ſpiritibus liberati, ſaluantur, ſicut ſcriptũ eſt: Quicquid in nomine meo petieritis, credentes, accipietis. Quanta autẽ fides huius mulieris fuerit, & quàm firmiter radicata, innotuit ex eo quod repulſam paſſa & canibus cõparata, ſemper feruentior extitit. Propter quod Dominus in Euangelio dicit: Si habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit, & nihil impoſsibile erit vobis. Reuera ſicut granũ ſinapis fuit fides huius mulieris, quæ in facie hominũ parua & humilis, intus feruẽs preſſuris attrita, virtutẽ quam intrinſecus habuit, oſtendit. Vnde & montem, id eſt, ſuperbũ diabolũ, meruit ab obſeſſo corpore eiicere, & in mare mittere, id eſt, in profundum inferni. Licèt autẽ Dominus eam exaudire diſſimularet, nunquã tamẽ de miſericordia deſperauit, ſed poſt eũ clamabat, firmiter ſperãs ab eo exaudiri: Licèt enim ſe canẽ agnoſceret, nolebat tamen relinquere menſam Domini ſui, ſed more canis aliquã micam, id eſt, aliquã gratiæ ſtillam ſe receptura ſperabat, non ſe cõparans filiis, ſed panes integros eis relinquens: propter quod ait: Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorũ. Apoſtoli autẽ pro ea rogauerunt, & exaudita eſt. In quo nos Dominus inſtruit, quod nõ in nobis, ſed in eius miſericordia & in ſanctorũ precibus, ſpem ponere debeamus, vt anima in tribulatione poſita, ſanctos Dei & amicos tam diu deprecetur, donec ipſi dicant: Dimitte eam, exaudi eius petitionẽ, quia clamat poſt nos. Vnde Iacobus in Epiſtola catholica: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum: & oratio fidei ſaluabit infirmum. Precibus autẽ Apoſtolorũ ſanata eſt à febribus ſocrus Petri. Vnde Dominus in Iob ait: Seruus meus Iob orabit pro vobis, & eius faciem ſuſcipiã, vt nõ imputetur vobis ſtultitia. Frater enim adiuuans fratrem, quaſi ciuitas firma. Et quoniã ſpes non confundit, firmiter in Domino ſperans, nõ confundebatur opprobriis, nec de eius miſericordia hæſitabat. Iacobus enim Apoſtolus ait: Qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Non ſolũ autem in fide & ſpe, ſed in charitate quã habebat, ſalutem filiæ ſuæ poſtulabat. Quomodo enim eius fides magna diceretur, niſi per charitatẽ bonũ operaretur? In quo nobis charitatis exemplũ reliquit, quia nullum ſacrificium Deo magis acceptum, quàm zelus animarũ. Si enim mater libenter exaudiret eum, qui pro ſuſtentatione filij ſui defuncti ipſam rogaret, quantò magis Domino preces placent, quæ pro ſalute animarum funduntur, pro quibus ipſe ſanguinem ſuum effudit. Patet igitur quod mulier iſta charitatem habuit, quæ ſalutem filiæ ſuæ promeruit, quam Dominus exaudiuit. Peccatores enim Deus non audit: qui enim feruenter & inſtanter ad Dominum clamabat, igne charitatis non carebat. Deuotionem autem mulier habebat, quæ non ſolùm voce, ſed corde clamabat, ſicut legimus de Moyſe & Suſanna. Vnde & Chriſtum non ſolùm orauit, ſed & adorauit, deuotè ſupplicando. Iam enim non ſolùm corpore, ſed & mente, de finibus Tyri & Sydõnis exierat, relinquẽs anguſtias & curas huius ſeculi & renationem temporalium, vt deuotè & toto corde poſt Dominum clamando, exaudiri mereretur. Tyrus enim anguſtia, & Sydõn venatio interpretatur. Cui venationi dum Eſau inteſit, paternam benedictionem amiſit. Qui ergo deuotè vult orare, exeat de Tyro & Sydõne. Non enim omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorũ. Vnde Ieremias ait: Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum: non te deſiderant, non tibi corde adhærent, ſicut ſcriptum eſt: Non adhæſit mihi cor prauum. Quod autem de finibus Tyri & Sydõnis egreſſa mulier, ſecuta eſt Dominum, magnum inſinuatur myſterium. Per hanc enim ſignatur Eccleſia

*Quod hominibus reuelantur arcana myſteria.*

*De exemplo & variis virtutibus mulieris Chananææ*

*Ioan.5.*

*Matth.8.*
*Marc.11.*
*Luc.11.*

*Mar.11.*

*De ſpe Chananææ.*

*Quod multum proſint preces ſanctorum.*

*Iac.5.*

*Matth.8.*
*Iob 42.*

*Iacob.1.*

*De charitate Chananææ, et zelo eius.*

*Ioan.9.*
*De deuotione Chananææ.*
*Exod.14.*
*Dan.13.*

*Gene.27.*

*Matth.6.*
*Iere.12.*

Ecclesia gentium, quæ relictis erroribus gentilium conuersa ad Dominum, nondum clamare cessat pro aliis cõuertendis, pro animabus peccatorum ab immundis spiritibus obsessis. Cuius magna dicitur fides, quia licèt Christum præsentialiter non viderit, in auditu tamen auris obediuit ei. Magna præterea dicitur eius fides, quia firmiter radicata, & per totum mundum diffusa. Quod autem Dominus relictis Iudæis, calumniantibus secesſit in partes Tyri & Sydõnis, vbi filiam Chananææ sanauit, signat quod Christus ad Gentes transiit, quas à dæmone liberauit. Post hæc verò in Iudæam reuertens, in fine se reuersurum ad Iudæos ostendit. Quanta autem huius mulieris fuerit humilitas, ex hoc manifestum est, quod non solùm se canem non negauit, sed & catellis comparandam se dixit. Vnde ipsa respondit. Etiam Domine, quasi diceret: Ita est, vt tu dicis: non est bonum panem filiorum dare canibus. Sicut dicis, canis sum: nõ compāro me filiis, non iudico me dignam Israëlitarum consortio, non panes integros petere audeo. Veruntamen, quia canis sum, nutri me sicut canem, qui de mensa dominorum suorum viuit, sufficiunt mihi micæ, quibus catelli pascuntur, sufficit mihi stilla gratiæ tuæ. Ecce vox Iacob, vox humilitatis, & confessionis, vox suauitatis & placationis. Mollis enim & humilis responsio frangit iram. Manus autem Esau patri ostendit, dum se canem & indignam panibus recognoscit. Et idcirco benedictionem patris sicut Iacob promeruit. Quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et quoniam attenuati sunt oculi eius, suspicientes in excelso, oculi, scilicet, cordis attenuati sunt per humilitatem ad Dominum, non ad merita sua respiciendo, quia se peccatricem, & omnibus bonis vacuam humiliter recognouit: vasa vacua, quæ obtulit, verus Eliseus repleuit. Non solùm autem humiliter, sed & prudenter respondit. Fatua enim humilitas non placet Deo, sed simplicitati columbinæ socianda est serpentis astutia. Vnde & filium Dauid eum vocauit, qui cithara Saulem à vexatione dæmonij liberauit. Et Christus cithara crucis filiam Chananææ, id est, Ecclesiam gentium à dæmonio eripuit. Quoniam autem canes mordendo dentibus lædũt, & gentiles, quos Dominus canes appellat, canina rabie contra veritatem oblatrabant: prudens ista mulier se catellum appellauit. Filia enim canum fuerat, sed nec mordendo, sicut catellus lædere quempiam volebat: nec rabie canina oblatrare, vel contradire veritati. Quia tamen misericordiam petiit, se miseram prudenter cognouit. Licèt autem cordis eius cognoscere voluntatem, Dominum non dubitaret, sapienter tamen voce exteriori clamauit, vt Christi discipulos ad compatiendum sibi, & ad rogandum pro ea inuitaret. Quantam verò patientiam habuerit, ex hoc manifestum est, quod vocata canis non irascitur, non murmurat, non obloquitur, sed cum omni pace & tranquillitate animi opprobria suscipiens se despici non dedignatur: & facta est, sicut homo non audiens, & habens in ore suo redargutiones. Scriptum est enim: Argue sapiẽtem, & diliget te. Et rursum Salomon ait: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Habuit patientiam non momentaneam, sed in patientia exhibuit se cõstantem, vt Marcus ait, quod mulier gentilis Syrophœnissa genere in domo rogauit eum, vt dęmonium eiiceret à filia eius. Matthæus autem dicit Apostolos dixisse: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ex quo patet mulieris constantia, quæ non fuit in domo exaudita, exiit tamen currens post Christum, & non deficiens, sed constanter eum sequens, & sine intermissione orans: frequenter ergo repulsa, non est animo fracta, vel mente fatigata: sed multò magis indeficienter post Dominum clamabat, sicut in Euangelio ipse Dominus ait: Oportet semper orare, & non deficere. Ad constantiam autem & animi eius feruorem pertinet illud, quod ait, Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, ego autem canis sum, sicut tu dicis. Tu verò non solùm de lapidibus, sed de canibus potes suscitare filios Abrahæ. Magna constantia, magna charitatis fiducia, dixerat Dominus: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. Ipsa autem respondit, Etiam Domine, bonum est, si vis facere: licèt enim canis sum, de micis mensæ tuæ potes me reficere, qui peccatores venisti saluos facere. Multi autem ad Dominum clamantes, non exaudiuntur: quia non clamant constanter, sed statim deficientes, clamare cessant. Nolunt laborare, nec Dei cooperatores esse, nec etiam digitum minimum, vt de sterquilinio, in quo iacent, extrahantur, Domino volunt portigere. Exemplum præterea compassionis, & misericordiæ prædicta mulier se in nobis exhibuit, quæ nouit infirmari cum infirmantibus, flere cum flentibus, vri cum scandalizatis. Fuit quasi gallina, quæ in pullis suis infirmatur, speciem mutat, & debilitatur, seipsam tradit obliuioni vt pullis subueniat, & vt ipsos famelica pascat. Vnde & filiæ suæ miseriam & infirmitatem in se transfigurans, ait: Miserere mei fili Dauid. Veluti si lingua transferens & transformans in se pedis læsionem dicat: Cur me lædis, quare me conculcas? Vexabatur igitur à dæmonio, à quo vexabatur eius filia, sed dissimili modo. Nam filia corpore vexabatur patiendo, mater compatiendo. Similiter & peccator quilibet à dæmonio vexatur ad malum suum. Iustus autem compatiendo, eo ipso vexatur ad bonum suum. Nam peccata malorum, stixoria sunt iustorum. Quoniam autem clamando & pulsando, donec exaudiretur, perseuerauit nobis, perseuerandi exemplum reliquit. Melior est enim finis orationis, quam principium. Vnde Iacob: Angelum cum quo luctatus est, non dimisit, donec ab eo benedictionem extorsit. Et in Canticis dicitur: Tenui eum, nec dimittam donec introducam illam in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ. Christum enim perseueranter in nobis retinere debemus, vsque in domum supernæ beatitudinis, & in cubiculum Hierusalem supernæ matris no-

*Quod Ecclesia gentium per hanc mulierem signatur.*

*De humilitate Chananææ.*

*Gene.27. Prouer.15.*

*Iacob 3.*

*De prudentia Chananææ.*

*3.Reg.3. Matth.10. 1.Reg.16.*

*De patientia Chananææ.*

*Prouer.9. Prouer.16.*

*De constantia eius. Mar.7.*

*1.Tess.5. Luc.18.*

*De compassione & misericordia eius. Rom.12. Matth.23.*

*De perseuerantia Chananææ. Eccle.6. Gene.32. Cant.3.*

*Quod multiplici causa Dominus distulit respondere.*

tris nostræ. Clamante autem muliere, & in clamore perseuerante, tacuit Dominus, responsionem distulit, mentem eius protraxit, non dedignatione, sed prouida dispensatione, multiplici, scilicet, ratione. Non statim enim respondere voluit, sed diu clamare permisit. In quo nos perseueranter orare docuit, & instare opportunè, importunè. Secunda causa fuit, quare mentem mulieris tacendo protraxit, vt patientiam, humilitatem, constantiam, & prudentiam mulieris in exemplum relinqueret posteris. Tertia ratio, vt fidem mulieris approbans, & commendans Iudæos incredulos & rebelles ex comparatione gentilis mulieris argueret. Quarta ratio, ne daret occasionem calumniandi Iudæis, vel murmurandi contra ipsum, ne fortè recederent ab eo, vel indignarentur, dicentes: Iste facilius recipit Gentiles, quàm nos, quibus facta est promissio, qui sumus filij Abrahæ, & hæredes regni. Iste autem canes & extraneos nobis prætulit: præsertim, quia dixerat discipulis suis: In viam gentium ne abieritis, ne sibi contrarius videretur. Quasi diceret: Quis ex vobis ô Iudæi arguet me de peccato? Non habetis contra me occasionem: non veni soluere, sed adimplere legem, vobis promissus sum, & prænuntiatus à Prophetis: non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Prius oportet me sacramentum aduentus mei in vobis, quibus specialiter missus sum, complere. Panis enim, id est, verbum salutis, prius vobis debetur. Licèt autem non esset missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, non tamen tantum propter illos. Vnde ipse ait: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, prius tamen ipse solus prædicauit Iudæis: posteà per Discipulos Gentibus, quarum vocatio post tempus passionis & resurrectionis reseruabatur. Et ad hoc significandum per præsentiam suam non curauit filiam Chananææ, nec seruum Centurionis. Gentes enim quæ per eos designantur, corporaliter non vocauit, sed per discipulos suos, vt fieret vnum ouile, & vnus pastor. Quinta ratione, audire Chananæam dissimulauit, vt Discipulis suis daret materiam compatiendi ei, & pro ea rogandi. Nos igitur fratres charissimi exemplo huius mulieris, si volumus à Domino exaudiri, exeamus de finibus Tyri & Sydônis, de curis & anxietatibus huius seculi: non deficiamus in tribulationibus, neque fatigemur animis nostris, sed cum omni patientia & humilitate instanter & perseueranter clamemus ad Dominum: si filia nostra, id est, anima malè vexatur à dæmonio, si conscientia nostra læsa sit mortali peccato. Filia enim dæmoniaca, est quælibet anima ab immundis spiritibus variis occupata. Maximè cum more dæmoniaci & insani suam non sentit amentiam, nec acquiescit increpationibus, nec possessor est cordis sui. Vnde & peccatum mortale, quia sicut mors inducit insensibilitatem, ita peccatum mortale, quasi insensibilem reddit animam, vt non erubescat suam turpitudinem. Quidam enim non erubescunt perpetrare talia, & tam abominabilia flagitia, quæ diabolus videtur erubescere. Legimus enim dæmones incubos aliquando in specie mulierum viris illusisse, sed nunquam in specie viri, viro reperimus eos illusisse. Propterea dicitur in Ezechiele: Dabo te in animas odientium te filiarum Palestinorum, scilicet, dæmonum, qui erubescunt in via tua scelerata. Si igitur filia nostra, id est, caro fragilis, luxuria, & aliis immundis desideriis vexatur à dæmonio: vel anima nostra, inuidia, ira, indignatione & furore torqueatur, non cessemus clamare ad Dominum: Miserere mei Domine filij Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Malè à dæmonio vexatur, qui peccato succumbit. Benè autem vexatur, qui tentationibus nō cedit. Si ergo hucusque fuisti dæmoniacus, tanquam canis rabidus, efficiaris catellus parvulus, humilis: neminem morsu lædens, sine rabie latrans, cum omni mansuetudine delinquentes corripiens, sicut scriptum est: Corripiet me iustus in misericordia, vt merearis refici de micis quæ cadunt de mensa Domini. De triplici mensa illius, scilicet, quarum primam ponit incipientibus, secundam proficientibus, tertiam peruenientibus. Primam ponit exeuntibus de Ægypto, secundam laborantibus in deserto, tertiam peruenientibus in terra promissionis. Prima pertinet ad pœnitentes, quibus in Psalmo dicitur: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Panem craticulæ, coctum igne laboris & pœnitentiæ. Hic est panis lachrymarum, quæ reficiunt animum pœnitentium. De quibus Dauid ait: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Secunda mensa pertinet ad proficientes. Hæc est mensa propositionis, mensa, scilicet, diuinæ scripturæ, quæ quatuor pedibus Historia, Allegoria, Tropologia, & Anagoge innititur, cuius labium sunt sancti Prædicatores, vel ob hoc labium habere dicitur, quia retinaculum habet in margine, vt non excedamus modum in inquisitione, & scripturarum discussione, quia perscrutator maiestatis opprimetur à gloria. In hac autem mensa, noui & recentes panes veteribus succedebant, quod pertinet ad vitam & exempla sanctorum Patrum, iuxta illud: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Ex hac mensa tot fercula nobis Dominus apposuit, quot diuinis sententiis nos reficit. Sed & mensam gratiæ nobis Dominus proponit, in qua nobis ministrat carnes in vespere. Quia in fine mundi verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Manna autem nobis exhibet in mane, hoc est sacramentum Eucharistiæ, ad quod non licet accedere, nisi expulsis malitiæ tenebris, vt oriatur in nobis sol iustitiæ. Non solùm autem primam mensam pœnitentiæ, vel secundam scripturæ & gratiæ, sed & tertiam mensam gloriæ proponit nobis Dominus, quæ pertinet ad peruenientes in terram promissionis. In qua nobis apponet Dominus lac humanitatis, & mel diuinitatis, in qua tot ferculis animæ sanctorum satiantur, quot gaudiis in superna patria perfruuntur. Beatus autem qui

*Prima causa.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Ioan. 10.*
*Quinta. Conclusio & recapitulatio secundum moralem intellectum.*
*Quid per filiam Chananææ moraliter intelligatur.*
*De dæmoniaco, qui non erubescit.*
*Ezech. 16.*
*De triplici mensa quam nobis ponit Dominus.*
*Prima.*
*Secunda.*
*Tertia.*

tem qui manducabit panem istum in regno cœlorum, beati eritis, si sederitis ad mensam diuitis, vt edatis & bibatis super mensam Domini nostri Iesu Christi, in regno patris eius. Ipso præstante, qui viuit & regnat, &c.

## DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ

### THEMA DE INTROITV MISSAE ex Psalmo. 24.

*Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Respice in me Domine: & miserere mei, quoniam vnicus & pauper sum ego.* Psal. 24.

PRIVSQVAM Dominus mundum respiceret per incarnationem suam, illaqueati erant miseri homines variis laqueis diaboli, & astricti compedibus captiuitatis suæ. Quot enim inimicus noster modos fallendi adinuenerit, tot laqueis animas incautas seducebat & capiebat, expandens rete pedibus filiorum Adam, vt caderent in retiaculo eius peccatores. Abscondita est in terra pedica eius, & decipula super semitam eius. Pedicam in terra versutus, & callidus hostis abscondit, dum pedes affectuum illaqueat amore terrenorum. Pedica autem dicitur instrumentum, quo per pedes animalia capiuntur. Diabolus autem pedibus, id est, calcaneo nostro insidiatur. Decipulam autem super semitam abscondit. Ocultos enim deceptionis suæ laqueos ibi tendit, vbi cordis humani semitas callidè & subtiliter aspicit. Blandis enim & lętis moribus, vt ait beatus Gregorius: luxuriam & vanam gloriam: asperis autem iram & superbiam, & austeritatem opponit. Ex parte enim debiliori, castra cordis humani obsidet & subuertit. Vnde de membris eius Ieremias ait: Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo. Et in Trenis: Venatione ceperunt me, quasi animæ inimici mei. Aues enim, id est, contemplatiuos, libentius capit auceps infernalis. De quo dicit Amos Propheta: Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra, antequā quid ceperit? quasi dicat: Non cessabit inpugnando per terrena desideria, donec incautos homines in laqueum peccati præcipitauerit. Hæc est enim eius exultatio, peccatorum præcipitatio. Vnde Abacuc dicit: Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo. Gaudet enim in captura piscium, & in malitia sua gloriatur exultatio illius, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito. Rete multiplici macula perplexum est, per quod multiplices inimici fraudes intelliguntur. Qui autem in peccatis se deiicit, sicut ait beatus Gregorius: quasi qui in retia pedes mittit, quia quantò plus in maculis retis ambulat: tantò plus gressus suos implicat. Vnde beatus Iob de peccatore dicit: Mittit in rete pedem suum. Quoties enim iniquitatem iniquitati apponit, quasi in rete pedē suum ponit. Sagena autem longè amplior est quàm rete, & tam magnos quàm paruos pisces capit. Sicut igitur per rete spiritualiter intelligitur peccatum auaritiæ, qua capiuntur maiores pisces, scilicet, diuites huius seculi, ita per sagenam intelligitur peccatum luxuriæ, per quod omne genus hominum diabolus capit. Voluptas enim carnis sagena est & laqueus. Ad hoc enim amplectitur, vt anima stranguletur. Nō ergo in amplexibus illius confidamus, nec vnquam securi simus. Esau enim amplexus est, Iacob reuertentem de domo Laban. Iacob tamen non se credebat illi, nec voluit habitare cum illo. Dulcedo enim voluptatis iacet in muscipula diaboli, qui tanquam caupo dolosus vinum carnalis voluptatis non vult vendere sine fecibus peccati, & immunditiæ. Huiusmodi autem feces animam detinent, alliciunt, & illaqueant, reddentes carnalem, debilem, & animam sterilem. Narrauerunt vt absconderent laqueos, dicentes cum Phanæ: laqueis tentationis, deceptionis, & inueteratæ consuetudinis. Et conclusus carcere captiuitatis pessimę, non poterat egredi ad libertatem bonæ actionis. Aggrauauerat enim compedem suum, scilicet, mortalitatis, quam contraxerat ex Adam, superaddendo peccatum transgressionis. Vnde extunc mater nostra Ecclesia clamabat in spe ad Dominum. Educ de carcere animam meam. Et adhuc clamare non cessat. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos, donec filij eius plenè liberentur de laqueo venantium. Audierat enim Prophetam dicentem, Dominus de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum. Et Isaias dixit: Computrescet iugum à facie olei, id est, à præsentia diuinæ miserationis. Et quoniam scriptum erat propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus: misit filium suum, vt prædicaret captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt educeret vinctos in fortitudine: & diceret miseris in captiuitate detentis, excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem, solue vincula colli tui, captiua filia Syon. Superueniens ergo fortior vasa fortis diripuit, laqueum contriuit, & liberati sunt, & relictis retibus, quibus detinebantur, secuti sunt saluatorem. Et ita in laqueo quem absconderūt impij dæmones, compere voluit. Illaqueatus est, & ignorauit, secundum quod prædixerat Propheta: Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit, apprehendat ipsum. Ex tunc igitur sancti viri, prehensus est pes eorum. Captus est inimicus in Christi passione, dum ipsum Christum capere, non solùm laqueos diaboli ruperunt, sed contriuerunt, vt iterum eos diabolus innodare & illaqueare

*De variis laqueis diaboli.* *Iob 18.* *Ierem. 5.* *Thren. 3.* *Amos 3.* *Abac. 1. item 3.* *De rete diaboli.* *Iob. 18.* *De sagena diaboli.* *Gene. 23.* *Exod. 1.* *De multiplici captiuitate hominis.* *Isaiæ 10.* *Isaiæ 42.* *Isaiæ 52.* *De liberatione captiuorū.*

*Parab.23. Isaiæ 5. De quatuor pedibus affectuum & illaqueatione eorum.*

laqueare non posset. Assumpserunt alas sicut aquilę: & liberati sunt pedes affectuum de laqueo venantiũ, quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorũ. Pedes autem quatuor principaliũ affectionum, illaqueauerat hostis antiquus: qui sunt, gaudium, dolor, spes, timor. Gaudiũ, de bonis præsentibus: Dolor, de malis præsentibus: Spes, de bonis absentibus: Timor, de malis imminentibus. Primum pedẽ illaqueat, dum gaudet homo de bonis tẽporalibus & transitoriis, & delectatur in mundo, qui tantum gaudere debuit in Domino. Propter quod discipulis suis ait: Nolite gaudere, quia dæmonia subiiciuntur vobis. Et iterum: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Et Salomon: Gaudio dixi: cur frustra deciperis. Hunc pedem Dominus de laqueo liberat, quando incipit homo gaudere in veris bonis, & spiritualibus, & æternis, vt non nisi in Domino glorietur. Propter quod Dominus in Euangelio ait: In hoc autem gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et Dominus per Isaiam: Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis. Et in Psalmo: Beatus populus qui scit iubilationem. Secundum pedem illaqueat diabolus, dum prę tristitia & dolore absorbet, & confundit spiritum hominis in aduersitate. Tristitia enim seculi, vt ait Apostolus: mortem operatur. Et iterum: Non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. De hoc dicitur in Ecclesiaste: Cuncti dies eius laboribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Et in Ecclesiastico dicitur: Omnis plaga tristitia cordis. Dolor enim pro temporalibus incommodis, habitus mentem lædit, & cor vulnerat. Vnde dicitur omnis plaga, id est, perfecta, quia spiritus tristis exsiccat ossa, & virtutes consumit. Hunc pedem Dominus à laqueo liberat, dolorem noxium, & inutilem in bonum dolorem commutando, quando, scilicet, homo pro peccatis suis contristatur, & luget miseriam huius exilij attendendo. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Cor sapientum vbi tristitia. Et in Ezechiele: Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius, id est, Hierusalem. Et in Psalmo: Poculum meum cum fletu miscebam. Tertium pedem illaqueat inimicus, dum homo temporalia commoda & prospera huius seculi sperat, & ardenter desiderat. Vnde in Psalmo: Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Incensa, scilicet, amore & desiderio malo inflammante, & suffossa timore malè humiliante. Malè igitur sperat, qui nimis ardenti desiderio caducis bonis inhiat, propter quod Dauid ait: Desiderium peccatorum peribit. Et Iacobus in Epistola canonica: Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis. Hunc pedẽ Dominus de laqueo eripit, dum desiderium nostrum, ad bona inuisibilia & æterna cõuertit, vt anchorã spẽ nostræ, nõ iam in luto, sed in terram bonam figamus. Propterea dicit Psalmus: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Et in Canticis: Nunciate dilecto, quia amore langueo, id est desiderio æternorum, omnia temporalia præ eius amore fastidio. Quartum pedem, id est, timoris affectionẽ diabolus illaqueat, quando trepidat homo, vbi non est trepidandum: quando nimis timet aduersa huius seculi: quando timet tantum pœnam, & non amat iustitiam: quando timet timore seruili, non filiali. Propterea prohibitum est in lege, ne formidolosi cum aliis ad bellum procedant. Et beatus Iob ait: Qui timet ruinam, irruet super eum nix. Timet enim impius plerumq;, nemine persequente. Irruet super eum formido & pauor. Et cùm sit pax, ipse semper insidias suspicatur. Timet eos qui corpus occidunt: illum autem non metuit, qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam. Dominus autem pedem istum à laqueo liberat, quando incipit homo rimere, timendo culpam, scilicet, & pœnam æternam, quando timet Deum, ne eum offendat: vel bona spiritualia perdat. Beatus enim homo, qui semper circa huiusmodi est pauidus, quia probè timentes eum salutare ipsius. Propter quod beatus Iob ait: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Ab his igitur laqueis Dominus pedes Prophetæ liberauerat, qui ait: Statuit supra petram pedes meos. Et iterum: Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, ad trãseunda, scilicet, spinosa & vmbrosa huius seculi. Et Isa. ait: Tũc saliet sicut ceruus claudus, Rectè enim incedit & ad superiora se extollit, dum prædictos pedes affectuum de laqueo diaboli Dominus euellit. Propter quod Ecclesia pro liberandis ait: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Oculi enim sapientis in capite eius, id est, in Christo. Caput enim viri Christus est. Qui ergo extra hoc caput oculos habet, non bene videt. Oculi autem stultorum in finibus terræ, & ideo velut talpæ fodientes in terram, cæci sunt, imò monstruosa animalia, quæ oculos non antè, sed in posterioribus partibus habent. Sapientes autem oculos rationis & intellectus, oculos fidei & charitatis semper habent ad Dominum, propter quod Propheta dicit: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. De sinistra verò non multum curat, sed eam quinque temporibus nudat, vt dexteram partem muniat. Sicut autem oculi seruorũ in manibus dominorum suorum, ita oculi sapientis ad Dominum, vel vt à placato more seruorum aliquid accipiat, vel ab irato sibi præcaueat. Intueamur igitur in ipso faciem hominis, vt confidamus. Intueamur nihilominus faciem leonis, vt timeamus: Faciem etiam vituli inspiciamus in ipso, eius passionem ad memoriam reducendo, vt ipsum imitemur. Elephas enim videns sanguinem, animatur ad pugnam. Sed & faciem aquilæ suspiciamus: attendentes non solùm humilitatem passionis, & sublimitatem glorificationis, vt sursum corda habeamus ad Dominum. Non dicamus sicut impij Iudæi, oculos lippos habentes, grauis est nobis ad videndum. Sed more aquilæ verum solem

*De illaqueatione primi pedis. Lucæ 10. Ioan.16. Eccle.1. Qualiter primus pes à laqueo liberetur. 1. Cor.2. Lucæ 10. De illaqueatione secundi pedis. 2. Cor.7. 1. Thes.4. Eccle.2. Eccle.25. Prouer.17. De liberatione secundi pedis. Eccle.5. Ezech.9. De illaqueatione tertii pedis.*

*Iacob.3. De liberatione tertii pedis*

*De illaqueatione quarti pedis. Deut.20. Iob 6.*

*De liberatione eiusdem.*

*Isaiæ 35.*

*Quod oculis mentis ad Dominum habere debemus. Eccle.1. 2. Cor.10. Parab.17.*

*Ezech.1. Quod intueri debemus quadruplicem faciem Domini. Sapien.2.*

solem mundo corde intueamur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Vbi enim amor, ibi oculus. Vbi thesaurus tuus, & cor tuum. Sicut autem ignis naturaliter tendit sursum, ita cor diligentis Deum. Oculi enim eius semper ad Dominum. In ipso enim, vt ait Apostolus, viuimus, mouemur, & sumus. In ipso viuimus, quia ipse vita est. In ipso mouemur, quia ipse via est. In ipso sumus, quia ipse est veritas. Reprobi autem homines, quantò magis peccatum peccato addunt, tantò amplius semper à Domino recedunt. Et non solùm parietem, sed & murum inter se & Dominum ædificant, vt ipsum Dominum non videant. Tenebræ enim malarum cogitationum sunt super faciem abysſi, id est, super mentes ipsorum. Non ad ipsos respicit Dominus, quia interponitur sartago ferrea, & nubes caliginis. Non habet igitur homo iste oculos ad Dominum, nec respicit ad eum, qui fecit ipsum: sicut porcus glandes manducat, locum fœdat, sursum autem ad quercum, vnde glandes habet, oculos non leuat. Et sicut vespertilio, quæ graditur alis suis, ira reprobus rationem & intellectum non ad Deum, sed ad terrena conuertit: & stercora quæ sancti post dorsum proiiciunt, stulti tanquam sues cum omni auiditate rapiunt. Sanctorum autem oculi tanquam columbæ ad fenestras suas, vt sensus corporis custodiant, ne mors intret per fenestras. Oculi verò stultorum, tanquam milui ad fenestras suas, non vt eas custodiant, sed vt viso cadauere, statim irruant. Non enim est Deus in conspectu eorum, & idcirco inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore. Oculi iustorum semper ad Dominum, vt videant bona Hierusalem omnibus diebus vitæ suæ. Auertunt autem oculos suos, ne videant vanitatem, ne transitoria diligant. Amor enim mundi sine fructu est quasi flos Autumni: Vnde non curant gloriam mũdi, quæ est sicut flos fœni: & similis est niui, cuius finis deformis est: dum in aquam turbidam resoluitur, & candorem suum amittit. Et est velut ignis, quem accendunt pyratæ infernales ad seducendas in nocte naues. Et idcirco ab omni vanitate oculos auertũt, sed oculos cordis semper habent ad Dominum: vt sicut Rebecca viso Isaac, de camelo descendentes, & seipsos humiliando deiiciant, & faciem suam pallio erubescentiæ peccata sua recolendo, velent. Agnoscens igitur miseriam suam, clamat ad Dominum, dicens: Respice in me, & miserere mei: quoniam vnicus & pauper sum ego. Quasi dicat: Oculi mei semper ad te, respice in me suspicientem in te: ostende faciem tuam, & saluus ero: vt possum dicere cum Iacob. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Respice in me oculis, quibus respexisti latronem in cruce, & quibus Petrum respexisti, vt fleret amarè. Qui respicis terram, & facis eam tremere, mitte in me radios oculorum tuorum, vt resoluatur glacies peccatorum meorum. Oculi enim tui velut flamma ignis, & quasi splendor solaris, propter quod Dauid orabat, dicens: Ne auertas faciem tuam à me, non declines in ira à seruo tuo: faciem, scilicet, agni, respectum pietatis & misericordiæ tuæ, oculos clementiæ tuæ. De quibus Dauid dicit: Oculi Domini super iustos. Et Sponsa in Canticis: Oculi eius sicut columbæ, dulces & benigni & clementes. Oculi autem Domini, quibus ad nos respicit: dicuntur diuersi effectus misericordiæ ipsius. Vnde in Zacharia dicitur: Super lapidem vnum, oculi septem sunt. Non solùm autem oculos misericordiæ, sed & oculos iustitiæ & vindictæ dicitur habere Dominus, sicut dicitur in Psalmo: Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt. Et iterum: Vultus autem Domini super facientes mala. Et in Exodo dicitur: Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis & nubis interficit exercitum eorum. Hi sunt oculi iustitiæ, hæc est facies indignationis & vindictę, de qua dicit Propheta: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Oculos autem misericordiæ & clementiæ petit, cùm ait: Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Exponit miseriam, vt cõsequatur misericordiam. Quod enim turpe est in nobis & miserabile, Domino, more medici, debemus ostendere. Sicut enim aqua defluit ad valles, sic gratia ad humiles. Quandiu enim paruuli & humiles sumus, curam nostri more auium gerit Dominus. Ostendit ergo Dominus misericordiam suam ei, qui pater est orphanorum, & iudex viduarum. De quo Psalmus ait: Tibi derelictus est pauper orphano, tu eris adiutor. Si enim lachryma quandoque mouet cor durum, multò magis patrem misericordiarum, propter quod ait: Miserere. Locus est enim misericordiæ, quia vnicus sum. Mens enim diuisa non impetrat. Dum enim vt ait beatus Gregorius: exterius auditum aperit, interius obsurdescit. Vnicus sum, non per plura distractus: non per scismata vel hæreses diuisus. Vnicus, nõ duplex, vt velim seruire Deo & mammonæ. Cor enim ingrediens duabus viis, non habet successum prosperum, nec obtinet quod postulat à Domino. Duabus autem viis, teste beato Gregorio ingreditur: qui quod Dei est, exhibet opere, & quod mundi est, cogitatione requirit, sicut duplices hypocritæ. Rugæ autem ipsorum contra se testimonium perhibent, dum conscientiam remordent. Vnicus sum, non confido in multitudine, diabolus clamorem habet satellitum suorum. Ipse qui princeps est huius mundi, pugnat in proprio loco. Vnde more canis audacior est, quasi in domo sua. Ego autem exul sum, & quasi in loco alieno: & quoniam vnicus à patre plus amatur, & erga pauperes & egenos plus afficitur, dicit: Vnicus & pauper sum ego. Pauper sum, qui fui socius Angelorum, modò sum socius serpentum & esca vermium. Paupertas labor & nuditas, fratres mei sunt vterini. Pauper ego sum, non habeo hîc consolationem meam. Pauper ego sum, tu autem dives in omnibus, qui inuocant nomen tuum. Qui habet duas tunicas, det non habenti. Hæc igitur vox Ecclesiæ, hic clamor matris nostræ pro filiorum suorum captiuitate. Pro laqueis culpæ & pœnæ amouendis, sub figura captiuitatis &

*Matth. 5.*
*Actuum 17.*
*Ioan. 14.*
*De reprobis qui oculos mẽtis à Domino auertunt.*
*Ezech. 4.*
*Isaiæ 50.*
*Iere. 9.*
*Quod oculi mentis auertendi, sicut à terrenis.*
*Iaco 1.*
*Quod gloria mundi nihil comparatur & flori deciduo.*
*Gene. 24.*
*Gene. 31.*
*Luc. 23.*
*Luc. 22.*
*De respectu Domini & oculis eius.*
*Apoc. & 19.*
*Cant. 5.*
*Zach. 3.*
*De oculis in stilla.*
*Exod. 14.*
*Quod prouocat misericordiam qui suã exponit miseriam.*
*De bona vnitate. Matth. 6.*
*Iob. 16.*
*De paupertate. Luce 3.*
*Gene. 27.*

*De Ioseph & de his quæ in figura acciderunt.*

tis & liberationis Ioseph in responsoriis nocturnis repræsentatur. Iacob enim plus omnibus filiis suis diligebat Ioseph, quē in senectute genuerat, & fecit ei tunicam polymitā, gregesque suos ei pascendos commisit. Cui fratres eius propter hoc inuidebant, & maximè, quia vidit in somno, quod manipuli suorum fratrum, manipulo suo se inclinabant adorantes, & quod Sol & Luna & Stellæ eum adorabant: Vnde fratres eius, quos quæsiuit in Sichem & inuenit in Dothain: cogitauerunt occidere eum, & proiecerunt eum in cisternam veterem. Dominus autem liberauit eum à morte. Nam venditus est Ismahelitis à fratribus: ductus est in Ægyptum, vbi Dominus liberauit eum. Primò de manu Aegyptiacæ mulieris. Secundò de carcere, & de omnibus angustiis aliis, & constituit dominum Ægypti. Misit enim rex & soluit eum, eò quòd sapienter somnia pincernæ & pistoris exposuisset. Cùm autem ipse diuideret frumenta in Aegypto, fratres eius venerunt ad ipsum: quibus prius durè locutus, tandē ipsos cum patre suo & cum omni familia benignè recepit. Et ita Dominus à laqueo multiplici pedes eius euellens liberauit eum, qui prius erat vnicus & pauper, à fratribus relictus & patri suo sublatus. Hæc autem de quolibet Ecclesiæ filio in Ecclesia constituto, cuius afflictionem Dominus respiciens, euellet pedes eius de laqueo, possunt intelligi, sed specialiter de Christo, quem pater suus plus aliis diligit, quia ipse est filius per naturam, alij per adoptionem. Qui quasi in senectute eum genuit, dum in fine mundi ipsum de virgine natum misit in mundum. Tunica polymita eius humanitas fuit, variis charismatum donis & virtutibus exornata. Talaris fuit, quia vsque ad mortem patri obediuit. Vel tunicam polymitam habuit, quia sanctorū varietatibus ornatus fuit. Ipse greges patris sui, id est, tribus Israël verbo & exemplo pauit. Manipulum eius fratrum manipuli adorauerunt, id est, corpus eius, quod falce mortis resecatum in passione, erectumque in resurrectione omnes sancti adorāt cum fructu bonorum operum. Sol autē, id est, sanctorum præcellentes & stellæ, id est, minores in Ecclesia: & Luna, id est, vniuersalis Ecclesia ipsum adorant, quia in nomine Iesu omne genu flectitur: & omnis tribus & linguę seruiūt illi, vel per Solem sancti in nouo testamento, per Lunam, hi, qui fuerunt sub lege, per Stellas sanctorū multitudo à mundi principio iutelliguntur. Per manipulū etiam Ioseph, id est, Christi, qui tāquam granum cadens in terram, postquā mortuus fuit & resurrexit, & multū fructū attulit, intelligitur collectio articulorū fidei & virtutū & bonorum operū, & sanctorū hominum, vt sint quasi quatuor manipuli Christi, ex variis spicis collecti. Manipulus fidei, manipulus virtutum, manipulus bonorū operū, manipulus sanctarū animarum. Hos omnes adorant manipuli fratrū, Ioseph credendo, imitando & venerādo. Ioseph autē, id est, Christus missus à patre ad fratres, ad oues, scilicet, quę perierunt domus Israël, inuenit eos in Dothain, id est, defectu trāsgressionis, quos debuit inuenire in Sichimis, id est, in humilitate & labore. Dothain enim defectus, Sichim humerus vel labor interpretatur: Fratres Ioseph inuiderūt ei, & eū spoliauerūt tunica sua. Et Iudæi Christo inuidētes, tunica corporali eū in morte spoliauerūt. Ioseph euasit, sed tunica eius tincta est sanguine, quia illæsa est diuinitas, sed passa est humanitas. Fratres Ioseph ipsum somniatorē appellabāt, & Iudæi verba Christi, tanquā somnia reputabāt. Illi Ioseph in cisternā proiecerūt: Iudæi Christum in sepulchro posuerunt: Ioseph de cisterna euasit, Christus de sepulchro surrexit, vel per cisternā, sine aqua infernus, sine refrigerio, ad quē Christus descendit, intelligitur: Ioseph consilio Iudæ fratris sui venditus est triginta argenteis, & Christus totidē argenteis à Iuda proditore venditus est Phariseis. Fratres Ioseph tinxerunt tunicā eius sanguine hœdi. Et Iudæi corpus Christi sanguine passionis effuso pro peccatis populi, vel quia ipsum peccatorem voracem & edacem dixerunt, & in suspitionem tanquam peccatorem induxerunt, & tandem contumeliis, spinis & flagellis affecerunt. Iacob luget Ioseph, dicens: Fera pessima deuorauit filium meum, & Deo patri displicuit malitia Iudæorum, qui per inuidiam, quæ fera pessima est, Christum occiderunt. Actio enim illorum patri displicuit. Passio autem gratia fuit, vel electi de Iudæis, ex quibus Christus secundum carnem fuit, de Christi morte, & de reproborum excęcatione luxerunt Ioseph. Ismahelitæ transeuntes emerunt, & Apostoli non habentes hîc manentem ciuitatem, omnia pro CHRISTO reliquerunt, ducentes eum in Ægyptum, dum ipsum prædicauerunt per totum mundum. Erant autem prædicti Ismahelitæ negotiatores, portantes aromata bonæ opinionis, & sanctæ conuersationis. Felix negotiatio, vbi salus emitur, & vita à morte redimitur. Ioseph ab Eunucho mittitur in Ægyptum, & conuersi de gentibus, castrati pro CHRISTO continentes, & se & sua dederunt Domino. Ioseph falsò accusatus est à muliere Ægyptiaca: & Christus à synagoga, quæ niteba-tur eum corrumpere, dum volebat eum cerimonialia legis, & sabbata carnaliter obseruare. Qui pallium, id est, literæ velamen illi reliquit, vel carnem, quam ei crucifigendam per-misit. Ioseph positus est in carcere: & CHRISTVS in cruce. Pincerna & pistor cum Ioseph incarcerati sunt, & vnus liberatus est, & vnus condemnatus est. Et duo latrones cum CHRISTO crucifixi sunt, vnus periit, alius salutem à Domino promeruit. Hæc etiam de carcere possunt intelligi, de quo CHRISTVS duo genera hominum repperit. Quorum vnum calicem passionis CHRISTI accepit & liberari meruit, propinans Deo vinum dilectionis & feruoris; per hoc designatur populus gentilis. Pistor verò, id est, populus Iudaicus: quia panibus, id est, diuinis scripturis malè vsus est, periit. Facta est enim ei mensa, eius panis, scilicet, scripturarum in laqueum & retributionem, & in

*Gene. 41.*

*Gene. 42.*

*Gene. 46.*

*Mystica prædictorum expositio.*

*Gala. 4. De tunica polymita.*

*Phil. 2. De manipulo Ioseph. De Sole Luna & stellis.*

*Phil. 2.*

*Alia expositio de manipulo. Ioan. 12. De quatuor manipulis.*

*De inuidia fratrum & spoliatione Ioseph. Quod Ioseph proiectus est in cisternam. De venditione Ioseph.*

*De tinctione tunicæ Ioseph. De luctu Iacob.*

*De Ismahelitis aromata portantibus, qui Ioseph emerunt. De emptione Ioseph ab Eunucho. De muliere Ægyptiaca & pallio Ioseph.*

*De incarceratione Ioseph, & de expositione somniorum pincernæ & pistoris.*

*De vite & propaginibus.*

& in scandalum. Pincerna vidit in somnis vitem cum tribus propaginibus gemmas etiam paulatim crescere, & post flores vuas matures cere, quas in calicem sibi videbatur exprimere. Vitis Christus: tres propagines, tria genera hominum: Noë, Daniël, & Iob: per gemmas inchoantes: per flores progredientes: per vuas maturas perfecti: per vinum in calicem expressum, consummati intelliguntur. Iustis prædicit verus Ioseph, quod sint saluādi. Admonet præterea alios ne ipsum tradant obliuioni. Pistor autem in somnis vidit, quod tria canistra super caput suum portabat. Panes autem qui erant in canistro superiori, comedebant volucres cœli. Per tria canistra, tria genera hominum intelliguntur, qui tribus principalibus vitiis deseruiunt: superbię, auaritiæ, luxuriæ. De canistro superiori specialiter aues reficiuntur, quia operibus superbiæ super omnia dæmones delectantur: vel per Regem Ægypti, in hoc loco Deus signatur, qui Rex totius est mundi, duo serui, duo genera hominum boni & mali. Culpa seruorum, originale peccatum, pro quo eiecti sunt de Paradiso, & in carcerem, & in miseriam huius mundi sunt proiecti. Somnia sunt conscientiæ, quæ in nocte huius seculi futura præsentiunt. Boni per bonam conscientiam consequentur bona: mali per malam conscientiam mala. Verus autem Ioseph secundum conscientias, & bona promittit bonis, & mala malis. Tres dies, tria tempora legis naturæ, & legis scriptæ, & legis gratiæ. Post ista tria tempora, quasi post tres dies, auferet Deus de carcere huius seculi bonos & malos. Bonos restituet in pristinum gradum ęternę beatitudinis: malos suspendet in gehennæ patibulo, vbi sunt dæmones, qui carnes pistoris comedent, quia pœnis reproborum satiabuntur. Posteà Ioseph liberatus est de carcere, & sublimatus in carcere, eò quòd somnium Pharaonis prudenti interpretatione exposuerit. Vidit enim Pharao in somnis septem boues pulchras & crassas nimis, quæ in locis paluſtribus pascebantur. Vidit & alias septem de flumine emergentes, fœdas, macieque consumptas, quæ deuorauerunt primas. Secundò vidit septem spicas in culmo pullulantes plenas atque formosas. Et totidem alias tenues, & percussas vredine, vento, scilicet, vrente: deuorantes omnē priorum pulchritudinē. Septem pingues vaccę, septiformis spiritus plenitudinem significant. Septem fœdæ & macilentæ vaccæ eisdem vitia opposita, septem, scilicet, spiritus nequiores. De quibus Dominus in Euangelio loquitur, qui deuorant omnem spiritualem pinguedinem, quoniam ad ingressum vitiorum egrediuntur virtutes. Pascuntur autem pingues in locis paluſtribus, reputatione malorum, vel in locis paluſtribus, id est, humilibus. Super humiles enim septiformis spiritus requiescit. Macilentæ autem in locis virentibus & vberrimis: quia mali in hoc mundo virent, & diuitiis abundant. Septem spicæ plenæ, signant bonorum plenitudinem. Septem macilentæ, malorum operum fertilitatem. Mala enim sequentia bona opera destruunt, & virtutum pinguedinem absorbent. Quod fiet maximè tempore Antichristi, quando refrigescet multorum charitas, & erit fames & penuria bonorum spiritualium, à qua tamen electi consilio & auxilio veri Ioseph liberabuntur. Vel de bona macie & carnis mortificatione prædicta intelligi possunt, postquam mala pinguedo & vitiorum superfluiras consumitur. Ioseph post carcerem sublimatus in Ægypto frumentum diuisit populis. Et Christus egressus ab inferno, data sibi potestate in cœlo & in terra, dona dedit hominibus, frumento verbi sui pascens illos, & horrea Regis Ægypti replens annona, id est, Ecclesiam per vniuersum mundum diuina scriptura: periisset Ægyptus, nisi fuisset Ioseph venditus. Et periisset mundus, nisi à Iuda Christus venditus, pro nobis fuisset crucifixus. Totunderunt Ioseph post carcerem, & mutauerunt eius vestem. Et Christus post mortem deposuit mortalitatem & infirmitatem. Indutus est Ioseph veste bysſina, & Christus carne glorificata. Ioseph habuit annulum, per quem designatur fidei signaculum: per eius torquem, cœlestem intelligimus sapientiam. Ægyptij non solùm pecuniam, sed seipsos dederunt Ioseph pro frumento. Licèt enim pecuniam, & quicquid habemus, demus: ipse nostra non curat, nisi nosmetipsos possideat. Fratres Ioseph primò ipsum ignorantes, tandem cognouerunt: & ad ipsum cum patre & filiis confugerunt. Reliquię enim Israël in fine conuertentur ad Dominum, & reliquiæ saluæ erunt. Ioseph, id est, Christus fratribus suis dat in saccis frumentum: diuinam, scilicet, sapientiam in humilitate cordium. Pecuniam enim reponit in ore saccorum, id est, intelligentiam diuinorum eloquiorum, quæ duplicatur, quia tam sapientia quàm eloquentia distributa suscipit incrementum. Scyphum argenteum in ore sacci Beniamin ligauit: quia Paulus qui per Beniamin iuniorem hic intelligitur, prę aliis diuinis eloquiis abundauit. Vel Scyphus argenteus ligatur in ore sacci, quia tempus tacendi, & tempus loquendi. Simeon, qui exauditio interpretatur, à Ioseph in vinculis detinetur. Verè enim pœnitentes Christo obedientes, vinculis satisfactionis ligantur. Iudas autem, id est, confessio: Beniamin, id est, filium dexteræ adduxit ad Ioseph, id est, Christum. Prius autem locutus est durè fratribus suis: quia Iudæos pro peccatis infidelitatis suæ dura captiuitate affligit. Tandem verò in fine mundi blandè reuocabit saluandos ex illo populo, & dicet illis: Ego sum Ioseph frater vester, pro salute vestra misit me Dominus. Tunc enim manifestabit se Iudæis, pro quorum salute pater eum in mundum misit: & pro salute gentium, & inebriabitur cum eis in meridie, id est, in charitatis ardore. Et quoniam quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrina m scripta sunt: studeamus vt simus Ioseph, id est, filij accrescentes, semper in melius proficientes, vt à patre nostro cœlesti tunicam polimitam, talarum virtutum, scilicet, & bonorum operum varietatem, cum perseuerantia promereamur. Greges patris nostri, proximos,

*De tribus canistris & panibus.*

*Alia expositio prædictorum.*

*De tribus diebus.*

*De liberatione Ioseph.*

*Moralis expositio de vaccis & spicis. Luc. 11.*

*De sublimatione Ioseph & venditione frumenti.*

*De ornamentis Ioseph.*

*Quod fratres Ioseph ipsum cognouerunt.*

*De frumento & pecunia in ore saccorum.*

*De Scypho argenteo.*

*De retentione Simeonis.*

*Quod Iudas Beniamin adduxit ad Ioseph.*

*Quod Ioseph primo durè loquitur in fine blandè.*

*Moralis expositio prædictorum de quocunque in De-*

ximos, scilicet, nostros, ita verbo & exemplo custodiamus, quod exemplum bonum à nobis accipiant, & manipulos bonorum operum in nobis venerentur & imitentur. Non solùm autem manipuli eorum, manipulos nostros adorabunt, sed Sol & Luna & Stellæ, quilibet, scilicet, boni in Ecclesia maiores cum minoribus, nos, id est, Christū in nobis adorabunt, videntes opera nostra bona, & inde glorificantes Deum. Si autē malitiosi fratres nostri nobis inuideāt, quia accusamus eos quandoque crimine pessimo peccata eorum reprehendendo, si tunicam nostram quantum in se est, sanguine hœdi tingant, & in cisternam veterem proiiciant, nos peccatores dicendo, & vt nomen nostrum obscurent, nobis detrahendo, potens est Dominus nos de manibus eorum eruere. Et qui eruit Danielem de lacu leonum, & Ieremiam de lacu sine aqua, & Ioseph de catcere liberauit: de omni angustia pœnæ & culpæ, & ab omni laqueo pedes nostros potens est euellere. Si autem mulier Ægyptiaca, id est, mundana voluptas, velit nos corrumpere, relicto pallio temporalium, nudi sequamur Dominum. Si nos carnis luxuria ad peccatum velit inducere, Christi beneficia ad memoriam debemus reducere, & cum Ioseph dicere: Nihil est quod in manu mea non tradiderit Dominus meus, præter te, quæ vxor eius es. Voluptas igitur quæ ex prosperitate nascitur, eiusdem passionis consideratione feriatur. Omnia autem quæ in mundo sunt, nobis seruiunt in bonum, quæ non sunt nobis concessa ad abutendum. Qui autem corpus & animam suam coinquinat, Christi vxorem corrumpit, quam sibi in baptismo coniunxit. Pro frumento autem verbi Dei nos & nostra debemus ei. Emamus granum frumenti, quod cadens in terram moriendo, multum fructum attulit resurgendo. Si autem verus Ioseph asperè loquitur nobis in præsenti, quia ipse flagellat omnem filium quem recipit, patienter sustineamus. Ipse enim tandem non poterit viscera misericordiæ suæ super nos continere, sed dicet nobis in fine: Ego sum Ioseph frater vester, Dominus immundum misit me pro vestra salute. Et tunc inebriabimur cum ipso in meridie, in æternæ scilicet, claritatis feruore. Quod nobis prestare dignetur, qui viuit & regnat, &c.

*Parab.3. Heb.12.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola. Ephe.5.

*Estote imitatores Dei sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.*

*De triplici admonitione.*

ADMONET nos Apostolus in hodierna Epistola: Primò vt Deum imitemur, & ei tanquam patri nostro conformemur. Secundò, vt à fornicatione & omni alia immunditia, & insuper ab auaritia, nō solùm opere, sed etiam ore abstineamus, vbi ait: Fornicatio & immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis. Tertiò, vt à turpibus & stultis verbis & scurrilibus nobis caueamus, & in gratiarum actione permaneamus, Vnde subiungit: Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio: Recolendo, scilicet, bona, quæ nobis collata sunt à Domino, qui de tenebris transtulit nos in lucem veritatis, & cognitionis ipsius, propter quod ait: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Imitari igitur debemus Dominum, cuius vita est nostra doctrina, propter quod ipse ait: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Et iterum: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Qui ergo contrarius est operibus eius, non verè credit in eum. Nam etsi confiteatur ore, negat opere. Qui autem dicit se in illo manere, debet, sicut & ille ambulauit, ambulare. Qui enim filij sunt Abrahæ, opera faciunt Abrahæ illius, scilicet, Abrahæ, qui verè pater est excelsus: quia pater est multarum gentium per gratiam. Omnium autē gentium pater est per creationem. Et quoniam vbi amor, ibi oculus: eius opera semper ante mentis oculos habeamus, vt eisdem passibus, quantum possibile est humanæ fragilitati post ipsum ambulemus, & post odorē vnguentorum eius curramus, opinionē & famā virtutum & operum eius frequenter recolendo corde, & imitando opere. Habeamus igitur serpentem æneum contra morsus serpentum semper ante nos ad imitandum: & maximè, vt ambulemus in dilectione, sicut ipse dilexit nos. Sicut enim ipse animam suam posuit pro nobis, ita & nos pro ipso, & pro fratribus nostris debemus animas ponere. Ipse enim passus est pro nobis, relinquēs nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Si enim complantati facti fuerimus similitudini mortis, simul & resurrectionis erimus. Ipse enim docet nos vias suas, vt ambulemus in semitis eius, dicens: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Abneget, non solùm sua, sed suos: non solùm suos, sed se, proprias, scilicet, corporis voluptates: & insuper semetipsum, id est, proprias cordis volūtates: vt non propriam, sed Dei faciat voluntatem. Et quoniam vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, ambulemus post ipsum in lumine veritatis rectè credendo & intelligendo, & in via misericordiæ bona operando, secundum quod ipse in Euangelio ait: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Et iterum: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hæ sunt viæ rectæ, de quibus Isaias: Semita iusti recta, rectus callis eorum ad ambulandum: Vt ergo ipsum in se & in membris eius imitari valeamus, stemus super vias, & interrogemus de semitis antiquis, quærentes ab ipso Rabbi, vbi habitas? vbi cubas, in meridie? in feruore, scilicet, dilectionis, & splendore cognitionis,

*1. Ioan.1. Ioan.8. Gene.17.*

*Cant.1. Num.21. Ephe.5. 1. Ioan.3.*

*1. Pet.2. Rom.6. Isaiæ 2. Mich.4. Matth.16. Mar.8.*

*De viis Domini in quibus ambulare debemus. Lucæ 6. Matth.11. Iere.6.*

cognitionis. Qui enim ipsum hoc modo sequitur, ignis ante eum præcedet, ignis, scilicet, spiritus sancti ipsum illuminãdo, & inflammabit in circuitu inimicos eius, prauos mores, tam corporis quàm cordis cõsumendo. Estote igitur imitatores Dei, & sitis filij charissimi, sicut verè filij patrẽ imitantur, & ei assimilantur. Propter hoc autẽ creauit nos Deus ad imaginẽ & similitudinẽ suã. Ad imaginẽ, vt ei assimilemur in naturalibus, scilicet, in ratione & intellectu: Ad similitudinẽ, vt eũ imitemur in gratuitis, scilicet, in virtutibus & virtutũ operibus. Qui autẽ creatoris imaginẽ in se corrũpunt, & similitudinẽ derelinquũt, ab eo tanq̃ falsa & reproba moneta abiiciũtur. Reformare igitur studeamus in nobis imaginẽ in Adã deformatã, vt sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus imaginẽ cœlestis. Sicut autẽ cera imprimitur sigillo, vt eius in se recipiat imaginẽ, ita adhærere & imprimi debemus Deo, vt simus vnus spiritus cũ eo, & ipse imprimatur tanq̃ sigillũ cordi nostro. Qui enim sic affectu cõiungitur Deo, quia in charitate manet, in Deo manet & Deus in eo, vt sit fons signatus, bulla totius Trinitatis sigillatus. Propter hoc in Cant. ipse ait: Pone me vt signaculũ super cor tuũ, fortiter, scilicet, imprimẽdo, quia fortis est, vt mors dilectio. Quia sicut mors separat animã à corpore, ita mentẽ separat à carnali voluptate, vt tanq̃ signaculũ Deus animę nostrę imprimatur. Sigillũ autẽ imprimitur ad imitationem & iugẽ memoriã, ad ornatũ & decorẽ, ad notitiã & secretorũ custodiã, ædificans amicos, & arcens aduersarios. Cùm autẽ interponitur amor lubentiũ rerum tanquã fonte perturbato amittitur hęc Dei similitudo. Imago autẽ naturaliũ nõ penitus tollitur, sicut scriptũ est: In imagine, id est, cum imagine pertransit homo. Deformatur autẽ & corrumpitur cùm denigratur fumo superbiæ, cõputrescit fimo luxuriæ, quasi plumbea efficitur per auaritiã, ferrea per cordis duritiã & obstinationẽ, cuprea per hypocrisim & simulationẽ. Deturpatur autẽ & quasi membris variis mutilatur per malam operationẽ. Manus frangitur, dum proximus percutitur. Pes corrumpitur, dum ad malum curritur. Oculus eruitur, dum mulier ad concupiscendũ inspicitur. Nares præscinduntur, dum fœtor peccati nõ sentitur. Aures tolluntur, dum verbum veritatis nõ auditur, nec mandatis diuinis obeditur. Et ita miser homo velut truncus efficitur, velut idolũ Dagon abscisso capite & manibus corruens in terrã. Corrupta autẽ imagine & amissa Dei similitudine, assumit imaginẽ diaboli. Quãtò autẽ pluribus peccatis obligatur, tantò expressius diabolo assimilatur, & imitando diabolũ facit eum patrem suum, sicut ait Dominus in Euangelio: Vos ex patre diabolo estis. De turpitudine huius corruptæ & horribilis imaginis, ait Ieremias: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Et iterũ ibidẽ: Denigrata est super carbones facies eorum. Hoc sigillo signatus est Cain, de quo dicitur in Gen. Posuit Dominus signum in Cain: vnde ipse egressus à Domino & assimilatus diabolo, abiit in regionẽ dissimilitudinis, vagus & profugus super terrã, & tremorẽ habens capitis, in signũ tremoris mentis. Fugit enim impius nemine persequente. Timida est enim malitia: iustus autem sicut leo confidens absq; terrore erit. Quot autem peccata miser homo cõmittit, quasi tot idola in templo, scilicet, diaboli, scilicet, in corde suo erigit. Et qui fuerat templũ spiritus sancti, fit latrina diaboli: Et qui fuerat signaculũ similitudinis Dei in sapientia, & decore, & in delitiis Paradisi, id est, sanctæ Ecclesiæ, ornatus lapidibus pretiosis, virtutũ nimirũ pulchritudine, fit signaculũ ad eius similitudinẽ de cœlo corruentis in terrã. Turpis & deformis, fœdus & horribilis, vt offendat oculos Domini, habẽs os hians per auaritiã, fœtidum per anhelitum, per infamiam, & exempli mali corruptionem. Nasum prolixũ & tortum per indiscretionem. Oculos inflatos per superbiam, lippos per luxuriam. Ventrem magnũ per gastrimargiam. Guttur amplum & fœtidum, patens sicut sepulchrum mortuorum, per prauam locutionem. Linguam serpentinam per detractionem. Pedes distortos per malam intentionem. Manus sanguinolentas per prælia & homicidia, & humani sanguinis effusionem. Strumam in dorso per elationem. Meritò ergo ita deformatur, qui relicta Dei imagine, dum diabolum in malis operibus imitatur, eidem velut filius patri configuratur. Nos autem modis omnibus studeamus Dei imaginem in nobis reformare: vt ipse reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Ipse enim est speciosus forma præ filiis hominum. Vt igitur vultus eius illuminetur super nos, & misereatur nostri, vt cum Propheta possimus dicere: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, eius imagini conformemur. Vt ad eius imitationẽ aurei simus per sapientiam: albi per castitatem: rubicundi per charitatem, vel sanguinis pro amore eius effusionem. Nec desit in pictura imaginis nostræ color viridis, vt fructificemus semper per Dei gratiam, & bonam operationem: Hyacinthinus color per cœleste desiderium & cõtemplationem: Violaceus autem per humilitatem & pœnitentiam. Sigillo autem Trinitatis impressi assimilemur Patri in potentia, tentationibus fortiter resistendo: Filio in sapientia æterna, transitoriis præponendo: Spiritui sancto in dilectione & benignitate, Deum super omnia & proximos sicut nosipsos diligendo. Hoc est enim quod Apostolus in hodierna Epistola dicit: Estote imitatores Dei, & ambulate in dilectione, sicut & CHRISTVS dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. In nulla enim alia virtute homo assimilatur Deo, sicut in charitate. Ipse autem dilexit nos vsq; ad sanguinis effusionem, tradens seipsum hostiam in cruce, in odorem suauitatis. Verè odor suauis ex igne passionis, & adipe & pinguedine supereminentis charitatis, qui de ara crucis, tanquam fumus aromatũ ascendit in conspectu Dei patris. Cùm enim esset Rex in accubitu suo, nardus

*Cant. 1.*

*Quod debeamus Deo assimilari.*

*De imagine & eius reformatione. 1. Cor. 15.*

*1. Ioan. 4.*

*Cant. 4.*

*Cant. 8.*

*De sigilli impressione.*

*De imaginis deformatione, membrorum mutilatione.*

*Prouer. 1. Matth. 5.*

*1. Reg. 5.*

*De imagine diaboli, & quod peccator assimilatur illi.*

*Ioan. 8. Treu. 4. Gen. 4.*

*Prouer. 28.*

*De idolis diaboli, & turpitudine illorũ. Ezech. 23.*

*De turpitudine peccatoris. Leuit. 21.*

*Philip. 3.*

*De pulchritudine hominis iusti.*

*De varietate colorum, & pictura imaginis.*

*De sigillo trinitatis.*

*De charitate & quod per eam assimilamur Deo.*

*De suauitatis odore. Apoc. 8. Cant. 1.*

sancta dedit odorem suum. Cùm esset Rex in accubitu crucis, fracto alabastro corporis, repleta est domus Ecclesiæ ex odore vnguenti, & tanquá myrrha electa, quæ spõte stillat ex arbore, mors Christi, quã sponte susceptit, dedit suauitatẽ odoris. Nardus autẽ humida & calida, Christi charitatẽ signat, quæ tunc specialiter odorẽ dedit, quãdo passione attrita, serpẽs velut odore bono, scilicet, dæmones effugauit, mundi fœtorẽ abstulit, fideles in vniuerso mundo recreauit & cõfortauit, sicut scriptũ & prædictũ fuerat de ipso: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. In passione autẽ specialiter odorẽ dedit. Res enim aromatica, quãtò magis tunditur & in puluerẽ redigitur, tantò efficatius odor eius sentitur, sicut dicitur in Cantico. Quasi virga fumi ascẽdit ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmẽtarij. Ecõtrariò autẽ, res fœtida, quãtò magis cõculcatur & cõteritur, tantò amplius fœtor ipsius percipitur. Vnde in Eccle. Mulier fornicaria, tanquã stercus in via cõculcabitur. Si ergo filij lucis sumus, vt veræ luci Christo assimulemur, diabolũ qui Rex est tenebrarũ, nõ imitemur: fugiamus opera tenebrarũ, vt filij lucis, sicut in die honestè ambulemus, fugientes fornicationẽ & omnẽ immunditiã, auaritiã, turpiloquiũ, stultiloquiũ, & verba otiosa, & scurrilia. Propter quod Apostolus subiungit: Fornicatio autẽ & omnis immunditia, & auaritia, nec nominetur in vobis. Non solũ turpia operari, sed etiã de turpibus loqui prohibemur, ne mala suspitio in nobis loquendo de talibus oriatur. Vnde B. Hieronymus ait: Caueto omnes suspitiones, & quicquid fingi potest, ne fingatur, antè deuita. Fugiamus ergo fornicationẽ, quæ est soluti cum soluta, & omnẽ aliã immunditiã, quę damnabiliter fieri habet quoties effunditur cum voluptate semẽ humanũ, nisi cum propria vxore causa prolis procreandæ, vel fornicationis vitãdæ, vel vt sibi inuicẽ vir & vxor debitũ reddant, vel in somnis ex humana fragilitate, quã nõ præcesit nimia & illicita ciborũ impletio, vel morosa cogitationis delectatio: Fugiamus & immunditiã adulterij, quod fit torum alterius maculando, & mollitiei, quæ fit ab homine vel muliere cum solo diabolo semet coinquinando, & incestus, gradus cõsanguinitatis nõ obseruãdo: & super omnia vitij Sodomitici in sexu simili vel dissimili, cõtra naturã turpitudinẽ operando, sed & stuprũ cum virginibus, & sacrilegiũ cum monialibus, & aliis personis regularibus, caueamus. Qui enim talia agunt, regnũ Dei nõ possidebunt. Per hæc enim Ecclesia Deo cõsecrata, maculatur & execratur, anima meretrix diaboli, & corpus prostibulũ illius, & diabolus animæ adulter efficitur. In locis enim humẽtibus per luxuriã dormit, & requiescit diabolus, in his, scilicet, qui tanquá aqua effunduntur. Vnde in Genesi dicit Iacob: Ruben effusus es sicut aqua, nõ crescas, quia ascẽdisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Semper enim decrescit & ad interitũ tendit, qui per luxuriã effunditur: Christi templum destruit, & stratũ patris maculat animã, scilicet, in qua Christus quiescebat, per libidinẽ inquinando. Effunditur igitur per immunditiã libidinis, quicquid boni cõtinebatur in vase cordis ruptis continentiæ circulis. Rumpitur autẽ circulus superior circa fauces, & fluit per immundã locutionem: Rumpitur circulus medius circa pectus, & effluit per luxuriandi voluntatẽ: Rumpitur circulus inferior circa renes, & effluit per turpitudinem libidinis & malam operationẽ. Et ita effunditur miser homo velut aqua, dum omnem spiritualem liquorem amittit. Sentina autem sensualitatis perforata, ingreditur humor pessimus, cuius fœtor abominabilis ad nares Domini ascendit. Propter quod oportet vnum cauteriũ fieri circa renes, vt purgetur malus humor luxuriæ. Et aliud circa pectus, vt purgetur noxius humor cogitationis immundæ, & voluntatis prauæ. Sed & linguam aquis cõfessionis & orationis debemus abluere, & sale sapientiæ confricare, vt purgetur à malo humore, praua, scilicet, voluptate. Quoniã autẽ viscosus est humor luxurię, nõ facilè purgatur, & idcirco magis est metuẽdus & fugiẽdus, vt attentius excutiamus ignẽ luxuriæ à corde, quàm carbonem ignis à veste. Melius autẽ fugatur dum fugitur: Cùm aliis vitiis luctari valemus, luxuriam autẽ facilius fugiendo, quàm luctando superamus. Propter quod ait Apostolus: Fugite fornicationẽ. Magis autem appropinquandum est igni ardenti, quàm iuuenculę mulieri: Propter speciẽ enim mulieris multi perierunt: nam sicut à vestimẽto procedit tinea, ita à muliere iniquitas viri. Sagena est enim cor illius, vincula sunt manus eius: qui placet Deo effugiet eam, sicut in Ecclesiaste dicitur. Hęc est enim latrunculus qui Isboseth percussum in inguine interfecit: Hæc est Herodias, quę Ioannem, id est, virũ iustũ frequenter occidi facit: Hæc est Dalida, quæ Samsonẽ in manu Philistinorũ, id est, dæmonũ, tradit: Hæc est Iezabel, quę Heliã fugere cõpellit: Hęc est Medusa, quę homines in lapides cõuertit. Non des igitur fornicariis animã tuã, quia teste Salomone, fouea profunda est meretrix, fouea fœtida & immunda, ad quam sordes defluunt, & lutum in quo polluuntur delectantur. De quo in Psalmo dicitur: Vt lutum platearum delebo eos. De hoc ergo luto Apostolus ait: Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Luxuriæ, quæ pestis est carnis, auaritiã coniungit, quæ est pestis cordis. Sicut enim libido corpus maculat, ita auaritia mentem inquinat, & sordidum reddit animam. Sicut enim pecuniæ sacculum in quo reponitur, inficit & deturpat, ita amor pecuniæ mentem auari corrumpit & fœdat. Sicut insatiabilis est ignis luxurię, ita satiari non potest ignis auaritię. Hæ sunt duæ filiæ diaboli, quæ semper dicunt: affer, affer. Luxuria incessanter, magis autem iugiter fugæ, auaritia: Luxuriæ enim ætate senectutis, vel afflictione corporis aliquatenus subuenire potest. Auaritia autem in senectute magis hominem infestat. Propterea Seneca ait: Nulla maior dementia vel miseria, quàm quantò minus restat viæ, tantò magis viaticum augmentare. Aug-

*Matth. 14. Ioan. 10. Eccle. 24.*

*Gen. 27.*

*Cant. 3.*

*Eccle. 9.*

*De fornicatione.*

*1. Cor. 7.*

*De adulterio & aliis immunditiis.*

*Gal. 5.*

*De incommodis ex luxuria proueniẽtibus.*

*Iob 40.*

*Gen. 49.*

*De triplici circulo.*

*De triplici cauteriis.*

*Prouerb. 6.*

*Quod luxuria fugiendo vincitur.*

*1. Cor. 6.*

*Eccle. 9.*

*Eccle. 7.*

*1. Regum 3. Matth. 12. Mar. 6. Luc. 3.*

*3. Regum 19.*

*Comparatio luxuriæ ad diuersas personas.*

*Eccle. 9. Prouer. 27.*

*Collatio luxuriæ ad auaritiam.*

*Eccle. 10. Prouerb. 31.*

*De auaritia.*

tare. Auarus enim nunquã implebitur pecunia. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Sicut maior est fluuius, quantò plures in se fluuios recipit: & dum plura ligna apponuntur, ignis semper magis crescit. Cor enim auari pertusum est hiatu auaritiæ, & ideo impleri non potest. Cor verò hominis, quia capax Dei est, toto mundo maius est, & idcirco pecunia impleri non potest. Et quoniam quælibet res quiescere nequit, donec ad locum sibi deputatum venerit, ad quem naturaliter tendit: sicut ignis sursum & terra deorsum. Cor auari quãtò magis amplexatur diuitias, tantò amplius laborat. Vnde Apostolus ait: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ, & in laqueum diabolí, & in desideria multa nociua & inutilia. Quantò autem saccus diuitiarum est maior, tantò asinus diabolí, id est, auarus, est infelicior. Asinus super dorsum, diues supra cor suum portat saccum. Vnde Isaias: Portantes super humeros iumentorum diuitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos. Iumentum diaboli & gibbus cameli, est cor auari. Quemadmodum autem qui febricitat, nunc calet, nunc alget: sic auarus, nunc ardet hiando acquirendis, nunc friget ac tremit acquisita retinendo, & metuendo ne perdat. Æstuat in acquirendo, trepidat in retinendo, languet in amittendo. Quid enim est auarus, nisi bursa Principum, cellarium latronum, rixa parentum, sibilus omnium. Thesaurizat enim & ignorat cui congregabit ea. Cùm enim interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius: sed transibit infelix ab ardore auaritiæ ad ardorem gehennæ, & qui nunc gelu auaritię constringitur, infernali glacie sine fine cruciabitur. Ipsi enim peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias, & adiunctis manibus retinuerunt: habentes manus ad dandum collectas, & ad accipiendum porrectas, cùm beatius sit dare quàm accipere. Beatus enim qui excutit manus suas ab omni munere. Infelix autem qui thesaurizat in terra, & ignorat cui congregat diuitias suas: Miser qui aliorum sarcinis in huius seculi naufragio se onerat, donec naui eius submersa ipse pereat: donec nudus egrediatur, sicut nudus ingressus est. Diuitiæ enim præcedere nos possunt, sequi autem non possunt. Stultus est, qui in aliena platea magna & sumptuosa ædificat ædificia. Non enim habemus hìc manentem ciuitatem. Auaritia autem idolorum seruitus ab Apostolo appellatur, & idololatriæ comparatur. Idololatria enim est qui plus colit creaturam quàm creatorem, qui plus diligit nummum quàm Deum. Idololatra est cuius Deus nummus est: sicut autẽ idololatra Dei honorificentiam vsurpat & sibi vendicat, ita auarus res quas Deus vult seruire indigentibus, sibi vsurpat & recondit. Vnde pauperes, quorum bona ab ipsis iniustè detinentur, de eis in iudicio cõquerentur. Ipsi enim magis muri in perticis, vestibus suis calefaciunt, quàm latera pauperũ: sicut autẽ idololatra spem ponit in idolo frustrà, ita auarus in pecuniæ thesauris frustra cõfidit. Argentũ enim eius & aurũ, nõ potest eũ liberare in die tribulationis. Sicut idololatra cultũ dæmonũ honorãdo amplificat, sic auarus cumulũ pecunię amplificare nõ cessat, & tanquã hericius pomis siluestribus insipidis se onerat. Sicut idololatra exteriora diligẽter colit & exornat, de interioribus autẽ non curat: sic auarus quãtò magis exteriora incolit, tantò interiora sua inculta relinquit. Sicut idololatra seruus est dæmonum & idololatriæ, sic auarus est seruus nummorum & pecuniæ. Auarus enim æquè indiget his quæ habet, sicut illis quæ non habet: Auarus etiam obolo indiget: Auaro nihil scelestius, qui etiam animã suam venalem habet. Rectè igitur auaritiam idololatriæ comparat Apostolus, vtraque enim Deo nititur auferre quod suum est. Hæc gloriam deitatis ne solus habeat, illa res Dei, vt sola habeat. Sicut autem omnium malorũ causa extitit idololatria, ita omnium malorum radix est auaritia. Ex hac enim tanquam ex altera hydra pullulant diuersa malefitiorum capita, vsura, scilicet, & rapina, furta, & simonia, periuria, & falsa testimonia, fraudes & homicidia. Propter quod Apostolus ait: Auaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Quidam autem abstinent à turpitudine operum, sed non à turpitudine verborum. Quoniam verò ex abundantia cordis os loquitur, facilè ad opus turpitudinis traheretur: vnde Apostolus ait: Omnis sermo malus ex ore vestro nõ procedat. Et Petrus in Epistola canonica: Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Turpia enim & mala colloquia bonos mores corrumpunt, & audientes incitant & præcipitant ad turpitudinem illicitæ voluptatis. Vnde in Psalmo: Dilexisti verba præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem. Et Ieremias ait: Sagitta vulnerans est lingua eorum, dolum locuta est. Nisi autem os nostrum mundum custodiamus, orationem mundam Deo offerre non valemus. Ex ore enim fœtido in conspectu Dei fœtet oratio. Honestè igitur se habeat quęlibet anima Christiana, tanquam Regis sponsa non inquinetur luto Pharaonis. Qui enim de aliorũ immundiciis libenter loquitur, quasi luto alieno, more seruorũ Pharaonis inquinatur. In porcis enim diaboli turpiloqui lepra primo loco cõsideratur in lingua, iuxta illud, Loquela tua manifestũ te facit. Et ideo tanquã porci leprosi repræsentãtur. Vir enim patiens fluxũ seminis, scilicet, immunda verba seminãdo, eiicitur à castris. Non solũ autẽ à turpiloquio, sed insuper à stultiloquio seu vaniloquio nos admonet Apost. abstinere. De verbis enim otiosis in die iudicij sumus reddituri rationem. Otiosum verò verbũ dicitur, quod sine alicuius vtilitate vel necessitate profertur. Quicquid enim non ædificat audientes, in periculum vertitur loquentium, vt ait Hieronymus ad Fabiolam. Et in Ecclesiastico: Verba iustorum statera ponderabuntur. Huius stateræ duæ sunt lances, necessitas & vtilitas, aliter otiosa reputantur. Lingua enim data est, vt imperet vel admoneat bona, vt prohibeat mala, vt postulet

*Eccle. 5. Versus. Simile.* *Quod auaritia est insatiabilis* *Quod in labore et anxietate sunt auari.* *Prouer. 30. Simile.* *Simile.* *Simile.* *Eccle. 4. Act. 20.* *Iob 1. Eccle. 5.* *Heb. 13. Comparatio.* *Quod idololatriæ cõparatur auaritia.* *Simile.* *Eccle. 10.* *De malis ex auaritia precedentibus.* *1. Tim. 6.* *De turpiloquio.* *Matth. 12. Luc. 6. Ephes. 4. 1. Pet. 4.* *1. Cor. 15. Iereм. 9.* *Exod. 1.* *Matth. 26. Num. 5.* *De stultiloquio vel verbis otiosis.* *Eccle. 21.* *De multiplici vsu linguæ.*

necessaria, vt doceat quæ scit: interroget, quæ nescit, vt laudet Deũ, vt cõsoletur proximũ. Loquendũ est igitur cum magna discretione, vt verbũ prius veniat ad limam quàm ad linguam. Vnde in Eccles. Argentũ tuum & aurũ confla, & verbis tuis facito stateram, vt verba tua pondus habeãt, & argẽto eloquẽtiæ tuæ iungas aurũ sapiẽtię. Os enim vanũ est, quasi molendinũ palearum. Multi enim sicut Effratæ, id est, cùm deberẽt se nominare Boleth, quod interpretatur spica, loco eius dicunt Theboleth, quod interpretatur spica paleæ. Hoc est quod Apost. ait: A veritate auditũ auertẽtes, ad fabulas cõuertentur. Cùm de grano loqui deberẽt, de palea loquũtur. Qui enim de terra est, de terra loquitur. Vnde Isa. Humiliaberis, de terra loqueris, erit quasi Phitonis vox tua, & de humo eloquiũ tuũ visitabit. Et quoniã scriptũ est in Prouerb. Qui custodit os suũ, custodit animã suã. Et iterũ: Mors & vita in manibus linguæ: ponere debemus custodiã ori nostro, & ostiũ circunstãtię labiis nostris. Vnde B. Gregorius ait: Sæpè dum ab otiosis verbis nequaquã lingua cõpescitur, ad temeritatẽ stultæ increpationis effrenatur: Quia qui dimittit aquã, caput est iurgiorũ. Vaniloqui autẽ huius seculi, sunt quasi ranę Aegypti, quas ebullit fluuius abundantiæ temporalis. De Samuële autẽ legitur, quod nullũ eius verbũ cecidit in terrã. Lingua enim Eucharis, id est, bonæ gratiæ in bono homine abundabit, sicut in Eccles. dicitur. Non solũ autẽ stulta & inutilia verba nos vitare præcepit Apostolus, sed & scurrilia, quæ nõ solũ otiosa sunt, sed plerunq; criminosa. Licèt à secularibus scurrilitas, curialitas quædã, sicut licet, iocularitas, quæ risum mouet, & ad rem nõ pertinet, licèt cum magno labore agatur, & multi quãdoq; dum irridentur verbis scurrilibus, scandalizãtur, & erubescentia cõfunduntur. Vnde in Parab. Salomõ ait: Verba bilinguis, quasi simplicia, & ipsa perueniũt ad interiora ventris. Hi ergo histriones homines reprobi, quorũ Deus venter est, si quis nõ dederit in ore eorũ quippiã, sanctificant super eum præliũ: si non fuerint saturati, non solum murmurabunt, sed ad apertas contumelias procedunt, quelibet in quemuis opprobria fingere ęqui. A voce enim loquelæ eorum, exardescet ignis: his adulantur, aliis maledicũt, aliis detrahunt, irridentes, digito nos tant. Propter quod Isa. ait: Si desieris digitũ tuum extendere, & loqui quod non prodest, orietur in tenebris lux tua. Ergo qui digitos extendunt, proximos notantes & opprobrium adhuc sus eos accipientes, in tenebris sunt, de quibus Apostolus ad Thessal. Denuntiamus vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Et paulò pòst: Si quis non vult operari, nõ manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Huiusmodi enim pestilentes homines eiiciendi sunt, sicut apes à se proiiciunt asilos, id est, muscas inutiles, quæ amisso aculeo, operari nolunt, sed opera aliarũ consumunt. Paria enim sunt histrionibus, dare & dæmonibus immolare. Ecce derisorem, vt ait Salomon, & exibit cum eo iurgium. Non minus enim est turpe dare turpibus & laudari ob turpia. Vnde in Eccles. dicitur: Benefac humili, & ne dederis impio: da bono, & ne receperis peccatorem. Susurratori enim, vt dicitur in Ecclesiastico, odium & inimicitiæ, & contumelia. Non solùm igitur honestè ambulare operando, sed insuper honestè loqui debemus, vt filij lucis simus, non filij tenebrarũ, vt nõ diabolo, sed Christo assimilemur: & sicut in die honestè ambulemus. Fuimus enim aliquando tenebræ per ignorantiam peccantes, nunc autem excusationem non habemus, quia sumus lux in Domino, per gratiam illuminati & iustificati, & ideo discretè & sanctè, tanquã filij lucis in hoc seculo conuersari debemus. Ex fructu siquidem arbor cognoscitur. Fructus enim lucis est in omni bonitate, quantum ad nos, & iustitia quo ad proximũ & veritate, vt omnia referamus ad Deum absq; simulatione & falsitate. Affectus enim tuus & finis operi tuo nomen imponit.

*De discretione loquendi. Eccles. 28.*

*Iud. 12. 1. Tim. 4.*

*Io. 3. Isa. 29. Prouer. 13. & 21. Item 18.*

*Prouer. 17. Exod. 8. Simile. 1. Reg. 4. Eccles. 6.*

*De scurrilitate.*

*Prouerb. 18. Eccles. 18. De histrionibus. Philip. 3. Mich. 3. Ierem. 11. Isa. 58.*

*Simile.*

*Prouer. 22. Eccles. 12.*

*Matth. 12. Luc. 6.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam 11.

*Luc. 11.*

*Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.*

*Exod. 25. Quod diuina scriptura & Verbum Dei candelabro comparatur.*

LEGIMVS in Exodo, quod Dominus præcepit fieri candelabrũ ductile de auro mundissimo, in quo erãt hastile, calami, scyphi, sphærulę volubiles ac lilia, infusoria, emunctoria & extinctoria, & lampades seu lucernæ septem. Per candelabrarũ ex auro mundissimo diuina scriptura intelligitur, aurea per sapientiam, mundissima, non habens falsitatis admixtionem, habens lucernas septẽ, quia septiformi spiritu declarata est vt nos illuminet: Ductilis, quia persecutionibus hęreticorũ & impiorũ hominũ dilatatur per exercitiũ in cordibus electorũ, vel ductilis, quia variis expositionibus extẽditur. Hastile rectitudinẽ veritatis significat & fortidinẽ, ad quam diuina scriptura nos inuitat. Calamos habet in modũ nucis, quia vino sobrietatis mentes auditorum inebriat, habens amaritudinem in comminationibus, dulcedinem in promissionibus, fortitudinem in præceptorum & consiliorum adimpletione, sicut nux amaritudinem habet in cortice, fortitudinem in testa, dulcedinem in nucleo. Sphærulas habet volubiles, quia diuinarum scripturarum prædicatio, nec prosperis, nec aduersis in sanctis retardatur. Sermo enim Dei non est alligatus. Lilia candor innocentiæ, quam in nobis operatur sanctæ scripturæ, vel præmia æternæ beatitudinis, quæ floribus vernat æternis, quam obseruationes scripturarum assequimur, significant. Habet emunctoria superflua resecando. Extinctoria hæreses

hæreſes & peccata extinguendo: Infuſoria gratias ſpirituales infundendo: per doctrinam enim ſcripturarum mala in cordibus auditorum extinguuntur, bona ſpiritualia infunduntur. De hoc candelabro Zacharias Propheta ait: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput eius, & ſeptem lucernæ ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis. Quæ poſſunt intelligi, non ſolùm de Chriſto & Eccleſia, ſed inſuper de diuina ſcriptura, quæ tota aurea eſt per ſenſum ſpiritualem: ſupra quam lampas eſſe dicitur, ideſt, Chriſtus, diuinam ſcripturam exponens & illuminans: Septem habet lucernas, quia ſeptiformi ſpiritu ſunt reſeratæ ſcripturæ: Septem habet infuſoria, quia ſpiritu ſancto inſpirãte, ſcripta eſt lex diuina. Orate igitur Dominum, vt hodie hoc candelabro diuinæ ſcripturæ, mentes veſtras illuminare dignetur. Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutũ. Qui diſsipat ſepem, mordebit eum coluber. Dominus noſter venerat in mundũ, vt ſepẽ diſsiparet peccatorũ, quã diabolus ædificauerat contra Deũ. Coluber autẽ, id eſt, veneñoſus Iudæorũ populus, inuidię ſtimulis agitatus, ipſum mordebat detrahẽdo & blaſphemãdo, & quantũ in ipſo erat infamãdo, & tanquã freneticus Medicũ ſuũ lacerando. De quibus Iſa. ait: Super quẽ luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & ieciſtis linguã? Nunquid nõ vos eſtis filij ſceleſti, ſemen mendax? Scribæ enim & Phariſæi Dominũ irridebãt, & dilatantes os ſuũ, ſuper eum iniquitatẽ in excelſo locuti ſunt. Videbãt mirabiles Chriſti operationes, & tanquam ſerpentes odore bono tabeſcebant. Vnde cùm Dominus dæmoniacum mutum & cæcum curaſſet, ipſi blaſphemantes dicebant: In Beëlzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Propter quod Dominus per Prophetam ait: Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Multa enim beneficia populo Iudęorum exhibebat, docendo eos, infirmos eorum curando, dæmones ab eorum vexatione arcendo, mortuos ſuſcitãdo. Ipſi autẽ retribuebant ei mala pro bonis, & odiũ pro dilectione ſua, dicentes bonũ malũ, & malum bonum. Vnde Iſaias: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequã, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominũ, blaſphemauerunt ſanctũ Iſraël. Ipſi enim duræ ceruicis, collũ durũ flectere nolebãt, vt iugũ Chriſti ſuaue portarẽt, ſed gratiã Dei & eius maieſtatẽ impugnabãt: nec ipſi de ſalute ſua curabãt, nec aliorũ ſalutẽ poterant ſuſtinere, propter quod induratũ eſt cor eorũ, ſicut cor Pharaonis, qui filios Iſraël de Ægypto nõ permittebat exire. Hoc eſt peccatũ in ſpiritũ ſanctũ, aliorũ ſalutẽ per inuidiã & malitiã ſciẽter impugnare, & ſe ſpiritus ſancti gratiæ opponere. Hoc autẽ peccatũ irremiſsibile eſt, nullã habẽs cauſam remiſsionis ſibi annexã, cùm tantum peccatũ in patrẽ & filiũ remiſsibile dicatur. Qui enim per infirmitatẽ peccat cõtra patrẽ, cui attribuitur potentia: per ignorantiã cõtra filiũ, cui attribuitur ſapientia, facilius cõſequitur indulgentiã, propter cauſas remiſsionis ſibi annexas fragilitatẽ, ſcilicet, & ignorantiã. Qui autem per malitiã peccat cõtra ſpiritus ſancti benignitatẽ, impugnando diuinã gratiã, & aliorũ ex inuidia impediendo ſalutẽ, exigente peccatorũ mole, ita cor eius aggrauatur & induratur, quod vix aut nunquã à Domino viſitatur, ſed cum diabolo cor habens induratũ, moritur in peccatis ſuis, & idcirco finaliter impœnitens decedit. Vnde peccatum blaſphemiæ eius, nec in hoc ſeculo, nec in alio remittetur. Propterea de huiuſmodi in epiſtola canonica beatus Ioannes dicit. Eſt peccatũ ad mortẽ, non pro illo dico, vt roget quis. Et Apoſtolus ad Titum: Hęreticũ hominẽ poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quod ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt, & delinquit, proprio iudicio condemnatus. Et ad Timoth. ait: Quomodo Ioannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati. homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Hi igitur obſtinati homines, qui in peccatis ſuis finiũtur, ſiue per deſperationẽ credẽtes Chriſti mortẽ eſſe inſufficientẽ, ſiue per præſumptionẽ credentes Chriſti paſsionẽ eſſe ſuperfluã in ſpiritum ſanctum peccare dicũtur. Similiter & Phariſæi in malitia ſua obſtinati, Chriſti miracula videntes, & ſpiritus ſancti gratiã impugnantes, Chriſto inuidentes, & ipſi detrahentes, qui nolebant intelligere, vt benè agerẽt, in ſpiritũ ſanctũ peccabant. Videntes autẽ ſigna plurima, & opera, quæ nullus alius facere potuit, noluerunt dicere cum Nicodemo: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter. Nemo enim poteſt facere ſigna, quę tu facis, niſi fuerit Deus cum eo: ſed per malitiam, vel fortè aliqui per curioſitatẽ ſigna de cœlo petebant. Signa vtilitatis & miſericordiæ videbãt, ſigna curioſitatis petebant, nõ vt crederent, ſed vt ipſum tentarẽt. Viderunt enim poſtmodum ſigna de cœlo, Solem in paſsione obſcuratũ, & in die Pentecoſtes ſonũ de cœlo repente factum audierunt, nec tamen credere noluerunt: Lazarũ etiã à mortuis ſuſcitatũ, cùm non poſſent tam aperto miraculo contradicere, occidere cogitauerunt. Generatio praua & adultera ex patre diabolo, cum quo fornicata eſt Synagoga, relicto primo viro, malitioſe ſignũ de cœlo quærebat. Cæci videbant, claudi ambulabant, leproſi corã oculis eorũ mundabãtur, ſurdi audiebãt, mortui reſurgebant, pauperes euangelizantur. Dicebat eis Chriſtus: Et ſi mihi non vultis credere, operibus credite. Ipſi tamen non virtute diuina, ſed in Principe dæmoniorũ dicebant ipſum eiicere dæmonia. Cùm tamẽ ipſe penitus cõtrarius eſſet dæmonibus, & opera eius operibus ſatanæ eſſent cõtratia. Ipſe enim humilis, benignus, cupiẽs animas ſaluare: Ille ſuperbus, crudelis, cupiẽs animas perdere: Ipſe prędicatione ſua fideles in vnũ corpus Eccleſię cõgregabat: Ille ab vnitate Eccleſiæ diſpergere ſatagebat: Dominus noſter virtutes & bona opera in credentibus colligabat: diabolus autẽ econtrariò diſpergebat & diſsipabat. Propterea Dominus ait: Qui nõ eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui non colligit mecũ, diſpergit. Quaſi diceret: In nullo cõuenio cum illo, cuius opetibus malis cõtradico penitus. Quomodo ergo in virtute eius, ſicut falſo aſſeritis,

*Zach.4.*

*Eccle.10. Contra detrahentem Iudæorum.*

*Iſa.57.*

*De blaſphemia Iudæorũ, quia malũ pro bono reddebãt*

*Iſa.1.*

*Exod.32. Matth.12. De peccato in ſpiritũ ſanctũ*

*Exod.8.*

*1.Ioan.5. Titum 3.*

*2.Ti 3.*

*Ia.1. Ioan.15.*

*Mat.8. De ſignis curioſitatis & malitia Iudæorum. Luc.23. Ioan 11. Matth.11. Mar.11. Ioan.10.*

*Quod opera Chriſti, operibus ſatanæ ſunt cõtraria.*

*Quod Dominus cõgregat, & diabolus diſpergit.*

eiicio dæmonia? Non possumus concordes esse, quorum diuisa sunt opera, & voluntates contrariæ. Et quoniam non potest arbor mala fructus bonos facere, operibus debuerunt credere, non signa curiositatis de cœlo malitiosè quærere, quibus ipsi possent contradicere, attribuentes ea qualitatibus & passionibus aëris, vel etiam spiritibus malignis, sicut legimus de magis Pharaonis, qui arte diabolica in Aegypto quædam faciebant signa. Habebant Scribæ & Pharisæi Moysen & Prophetas, qui de CHRISTO scripserant, ipsos audirent, sicut Dominus ait: Si crederetis Moysi, & mihi credideretis, de me enim ille scripsit. Quanti sunt hodie Iudæis similes, qui relicto scripturarum consilio, obseruant somnia & phantasticas visiones: & magis confidunt in somniis & signis, quàm in diuinis scripturis. Quoniam autem generatio mala & adultera domus exasperans, & adultera incredula signum de cœlo malitiosè petebat: Dominus dedit ei signum in malum, & in retributionem, & in scandalum. Signum Ionæ Prophetæ, signum passionis, sepulturæ triduanæ & resurrectionis, signum mortis suæ, quam ipsi procurauerunt, per quam ipsi corruerunt: Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Signa petebant diuinitatis & gloriæ, quibus indigni erant: discipulis autem dedit Dominus signum de cœlo, quibus gloriam æternæ beatitudinis in monte figuraliter, & posteà in die ascensionis veraciter ostendit: Iudæis autem incredulis de profundo non de sublimi, humanitatis & passionis, non gloriæ singum dedit, vt scirent se proximos esse subuersioni: sicut nuntiatum est Niniuitis, nisi de morte Christi pœniterent. Quanta autem semper fuerit Iudæorum malitia, ex hoc patet, quod cùm Isaias diceret Achas, vt peteret sibi signum ad vtilitatem, scilicet, ad consolationem suam, ipse præ iniquitate recusans se superficialiter legis austeritate, quæ ait: Non tentabis Dominum Deum tuum, isti autem ac si non essent signa, quæ quotidie videbant, non sibi, sed in detrimentum suum signum de cœlo malitiosè petebant. Ecce quanta peruersitas illius gentis, quæ Domino præcipiente signum petere noluit: nunc autem contra Dominum signum de cœlo petiit. Timuit Achas ne Deus glorificaretur in signo, & idola spernerentur: timebant isti, ne per signa, quæ Deus faciebat in terra, ei à populo crederetur: & talia signa petebant, quæ ipsum posse facere non credebant. Filij autem Iudæorum per exorcismos & adiurationes quasdam inuocato Dei nomine, eiiciebant dæmonia, nec alia faciebant signa: Iudæi tamen dæmoniorum expulsionem à filiis suis factam diuinæ virtuti non diabolicæ potestati ascribebant: quantò magis debuerant ascribere virtuti diuinæ, hoc quod Christus solo præcepto dæmonia exire compellebat, qui tot alia maiora signa coram ipsis faciebat: propter quod ipse ait: Filij vestri iudices vestri erunt, non potestate, sed comparatione, quia expulsionem illam non diabolo, sed Deo imputabant: Vel filij vestri testes mei, Apostoli, scilicet, quibus non ita sicut Christo inuidebant, nec dæmonum expulsionem ab eis factam, dæmoniis ascribebant, iudices vestri erunt in iudicio. Nondum enim Apostoli contra Iudæorum malitiam prædicauerant, & ideo non eos sicut Christum persequebantur, nec in Beëlzebub dæmonia eiicere dicebant. Dominus autem ita sapientes eis respondit, vt muta fierent labia dolosa, & obstruerentur ora loquentium iniqua, dicens: Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur: & domus supra domum cadet: Si autem Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Et paulò pòst ait: Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei: si satanas satanam expelleret, potestas malitiæ eius diu stare non posset, sed diuiso eius regno, fieret desolatio. Omne enim regnum in se diuisum, desolabitur: habitatoribus vacuabitur, in solitudinem redigetur, sicut in vastitate hostili, & domus corruet absque habitatore: Vel domus supra domum cadere dicitur, dum domus vna familiæ ab altera deprimitur. Et quoniam qui Dei veritatem impugnant, Babyloniæ ciues, & de diaboli regno sunt, innuit prædictos blasphemos regnum diuisum, sicut ipsi asserebant, debere relinquere, nec cum pereuntibus eadem ruina inuolueretur. Quod si dæmon dæmonem non expellit, sicut rei veritas se habet, tunc falsum esse constat, quod ipsi dicebant, in Beëlzebub Christum eiicere dæmonia. Dæmones enim in malo à seinuicem non discordant, sed conueniunt de vanitate in idipsum, caudas habentes colligatas, sicut Samsonis vulpeculæ, & sese inuicem velut spinæ complectentes. Corui enim infernales sese inuicem comitantur, sicut volatilia ad sibi similia conueniunt, & pilosus clamat alter ad alterum, & velut vlulæ sibi respondent. Assumit immundus spiritus, cùm voluerit septem spiritus nequiores se: & facilè socios, qui secum currant in malum reppererit. Non igitur satanas satanam expellit, propterea Dominus ait: Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Quia enim potestas diaboli incipit destrui, dum ego eiicio dæmonia virtute spiritus sancti, relinquite regnum eius, quoniam appropinquat regnum cœlorum. Citò nisi per vos steterit, peruenier in vos regnum DEI, quod patefactum est credentibus: vel regnum DEI, id est, iudiciaria potestas peruenit in vos, id est, peruenier, vt pro blasphemia vestra iudicemini: quoniam tanquam capti diaboli separabo vos ab ouibus meis. Sicut autem filius brachium patris dicitur, per quem omnia creauit, ita Spiritus sanctus DEI dicitur digitus, propter differentiam donorum & diuisiones gratiarum. Non tamen minor est filio, licèt digitus minor sit brachio. Si enim, vt dicit Arrius, filius minor est patre, & spiritus sanctus minor vtroque, diuisum est regnum Tri-

*Matth.7. Luc.11.*

*Exod.7. Luc.16.*

*Io.5. Contra eos qui magis credunt illusionibus & somniis, quàm scripturis. Deut.10. De signo Ionæ Prophetæ. Ionæ.3. Matth.12. Luc.11.*

*Ionæ.3.*

*Isa.7.*

*Qualiter Dominus respondit signo sua Iudæos confutauit.*

*Isa.1.& 6.*

*Altera pars argumentationis.*

*Iudic.15. Naum 1. Eccle.27. Isa 31. Matth.12. Luc.11.*

*Matth.4. Quare spiritus sanctus digitus Dei dicitur. Matth.25. Exod. 8. 1.Cor.12. Obiectio cõtra Arrium.*

nitatis, & ita non poteſt ſtare. Cùm igitur regnum Trinitatis ſit æternum, patet æqualitas perſonarum: Regnum autem Iudæorum diuiſum erat, dum enim Chriſtus à lege promiſſus, à populo legis negatur, quaſi regnum legis ab ipſis diuiditur, per quod innuit legis eorum appropinquare deſolationem, imminente & appropinquante gratia lucis Euangelicæ, qua adueniente, ceſſare debuerunt vmbræ. Quod autem digito Dei nō in Beelzebub dæmonia eiicit, adhuc alia ratione oſtendit, ſubiungens in eodem Euangelio: Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſsidet. Quaſi diceret: In nullo ei conſentio, quem tanquam fortior impugno. Vnde ipſe ait: Si autem fortior illo ſuperueniens, vicerit eum: vniuerſa eius arma aufert, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet: Ipſe enim Chriſtus fortior Principe dæmoniorum, non cum illo concordi pace dæmonia eiecit, ſicut calumniantur impij, ſed eum fortiori potentia proſtrauit. Diabolus autem in fortitudine magna ante Chriſti aduentum cuſtodiebat atrium ſuum, id eſt, mundum in maligno poſitum. Ipſe enim Princeps extitit huius mundi: Vel atrium vocat cor humanum, quod ipſe tanquam proprium Palatium in pace poſsidebat: Fortis autem erat ad nocendum nullo contradicente: duas habebat manus, vnam trahentem, aliam flagellantem. Fortis eſt diabolus, quia ſpiritus eſt & non caro, qui factus eſt, vt neminem timeret, nec eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparetur. Ipſe enim eſt velut leo & vnicornis, ferus, ſcilicet, ſingularis per ſuperbiam & arrogantiam. Vnde in Pſalmo: Salua me ex ore leonum, & à cornibus vnicornium, id eſt, ſuperborum, contra Deus ſe erigentium, humilitatem meam. Ipſe fera peſsima, quæ deuorauit Ioſeph per inuidiam: Ipſe crudelis beſtia, draco magnus rufus, quem vidit beatus Ioannes in Apocalypſi, habentem capita ſeptem & cornua decem, & cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram. Rufus eſt ſanguine peccatorum inquinatus, habens capita ſeptem, id eſt, ſeptem criminalia peccata, vel vitiorum vniuerſitatem. Cornua decem, propter decalogi tranſgreſsionem. Cauda, id eſt, deceptionibus ſuis, quibus turpia per ſimulationem tetigit, vel amore terrenorum, quæ poſteriora reputare debemus, trahit tertiam partem ſtellarum, id eſt, reprobos in Eccleſia, numero non merito, ad terrena conuertit & peruertit: Vna pars ſtellarum ſunt perfecti in Eccleſia, ſecunda imperfecti, tertia reprobi. Ipſe ſcorpius, de quo in Apocalypſi dicitur: Cruciatus eorum, vt cruciatus ſcorpij, dum, ſcilicet, latenter pungit & venena diffundit: Ipſe beſtia, quam in Apocalypſi Dominus oſtendit Ioanni, quæ ſimilis erat pardo, propter artes nocendi, & peccatorum varietatem. Et pedes eius ſicut pedes vrſi, ſatellites, ſcilicet, Principum, ad malum currentes, quo pede more vrſorum terunt, dum pauperes conculcant & atterunt. Et os eius ſicut os leonis, deuorans, ſcilicet, per violentiam, & fœtens per corruptionem exempli & infamiam. De fortitudine autem eius & crudelitate, dicit Dominus in Iob: In collo eius morabitur fortitudo. Per colli fortitudinem, diaboli elationem indomabilem & miniſtrorum eius, qui potentes ſunt, violentiam oſtendit. Et iterum: Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs: Ferrum acuitur, vt aduerſarius vulneratur. Verba duræ prædicationis per arrogantiam contemnit, & niſi fortior ſuperueniens, adiuuet vires prædicatorum, igne malitiæ ſuæ quaſi paleas conſumit, & patientiam, conſtantiam, quæ per æs, quod durabile eſt, intelligitur, quaſi lignum putridum in puluerem redigit. Propter quod Dominus in Iob ſubiungit: Non fugabit eum vir ſagittarius. A reproborum enim cordibus prædicatorum ſagitta non eiicit. Vnde iterum dicit: In ſtipula verſi ſunt ei lapides de fundo, authoritates, ſcilicet, diuinæ ſcripturæ, vel ipſi ſancti fortes in Eccleſia, quos ipſe ex præſumptione contemnit, & eorum fortitudinem, quaſi ſtipulam reputans pro nihilo ducit. Et iterum de illo Dominus ſic ait: Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. Malleum, id eſt, diuinæ percuſsionis vindictam, dum ſemper peccata peccatis addit. Contemnit, & haſtam vibrantem, id eſt, comminationes diuinas paruipendit. Habet igitur inimicus humani generis inæſtimabilem fortitudinem, niſi refrenetur per maiorem potentiam. Ipſe eſt velut Nemroth venator robuſtus coram Domino. Propter quod Propheta dicit: Et fortes quæſierunt animam meam. Non ſolùm autem fortis, ſed ad nocendum armatus ſpiritualibus nequitiis & multimodis verſutiis eſt, quibus impugnat genus humanum. Habet arcum & ſagittas, galeam & haſtam, gladium & ſcutum, loricam & ocreas, calcaria & equum. Vnde Pſalmus de Domino ait: Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium & bellum. Arcum habet fortis armatus, quo eminus percutit, dum per occultas inſidias & dolos latentes, quaſi à remotis incautos decipit. Ipſi enim peccatores, id eſt, dæmones intenderunt arcum, vt ſagittent in obſcuris, non ſolùm rectos corde, ſed & immaculatum ipſum, ſcilicet, Chriſtum, quod valde fuit amarum, dum ipſum machinabantur interficere, quem videbant mortuos ſcitare. Vnde Ieremias: Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacij. Sagittas habet fortis armatus, verba, ſcilicet, malæ perſuaſionis & hæreticorum prædicationis, quibus ſimplicium corda vulnerat, & animas paruulorum necat. Vnde Iſaias: Ecce ego ſuſcitabo ſuper vos Medos, qui argentum non quærant nec aurum velint, ſed ſagittis paruulos interficiant: Sagitta occulta percutit, quia vix deprehenditur, donec percuſsit. Habet præterea galeam in capite, id eſt, elationis præeminentiam in mente. Hac galea primi parentes capita munierunt, dum peccatum ſuum ſuperbè defendentes excuſauerunt. Vnde Ezechiel:

*De diuiſione regni Iudæorum.*

*Alia ratione probat, quod non in Beelzebub dæmonia eiiciat.*

*De fortitudine diaboli & crudelitate eius. Iob. 41.*

*Quod diabolus diuerſis teſtiis comparatur. Gen. 38.*

*Quod diabolus cōparatur draconi rufo. Apoc. 12.*

*Diabolus comparatur ſcorpioni et pardo*

*De pedibus et collo, & ore diaboli. Iſa. 59. Iob 41.*

*De præſumptione diaboli*

*De animalibus diaboli.*

*De arcu diaboli.*

*Iere. 9. De ſagittis diaboli.*

*Iſa. 13.*

*De galea diaboli. Gen. 4.*

Viri bellatores tui clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu suo, scilicet, vt per hypocrisim seipsos excusarent. Et de Gog & Magog, & exercitu eorum, dicit Ezechiel, quod scutati erant & galeati. Habet præterea fortis armatus loricam ferream, qua contra Deum munitur, dum per obstinationem & cordis duritiam, nulla veritatis sagitta penetratur. Vnde de locustis dicit beatus Ioannes in Apocalypsi: Dentes earum sicut leonum erant, & habebant loricas, sicut loricas ferreas. Dæmones locustas appellat, eò quod bona in hominibus corrodunt & consumunt, & saltum habent deciduum, dum per elationem salientes statim in pœnis corruunt. Dentes leonum, ferientes, scilicet, & laniantes, loricas habent ferreas, id est, duritiam obstinationis, vel sententias deceptionis, quibus contra veritatem muniuntur, & per eas corda hæreticorum contra Ecclesiam accenduntur. Propter quod idem Ioannes ait: Qui sedebant super equos, habebant loricas ferreas. Habet insuper hostis antiquus scutum contra Deum, quo se tegat, vanæ, scilicet, præsumptionis protectionem. Vnde Dominus in Iob: Corpus illius quasi scuta fusilia, quæ, scilicet, diuersa sunt iacula, sed suo lapsu fragilia. Et Ezechiel de Gog & Magog ait: Egredientur habitatores de ciuitatibus Israël, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastam, arcum, & sagittas. Sancti enim Apostoli & Apostolici viri, arma diabolica, Christi virtute, destruxerunt, sicut prædixerat Dauid: Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Arcus conteritur, dum inimici insidiæ frustrantur: Arma confringuntur, dum illi nocendi & impugnãdi potestas aufertur: Scuta igne comburuntur, dum per spiritum sanctum eius machinationes & defensiones ad nihilum rediguntur: vel scuta diaboli, reprobi, scilicet, homines, qui se opponunt veritati, igne gehennali cremabuntur. Habet etiam gladium humani generis inimicus, quo cominus pugnat, sicut arcu & sagittis eminus nos infestat. Gladio igitur percutit, dum apertè persequendo per se vel per tyrannorum sæuitiam nos impetit, sicut scriptum est: Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum: Gladium euaginauerunt, apertè feriendo & persequendo: Intenderunt arcum occultè insidiando. Gladius eorum intret in corda ipsorum, dum enim alios extra percutiunt, animas suas interius occidunt. De hoc diaboli gladio iterum dicit Psalmus: Exacuerunt vt gladium linguas suas acutissimis & veneficis verbis, sanctos & sanctum sanctorum impugnantes. Et Ezechiel ait: Descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios sub capitibus suis. Dæmones enim cum armis impietatis suæ, de cœlo in terram corruerunt, confidentes in gladiis suis, & illis tanquam puluinaribus innitentes, in malitia sua quiescentes, & sibi complacentes. Eodem modo reprobi homines, qui in sua malitia gloriantur, gladiis malitiæ suæ innituntur. Non solùm gladium, sed & hastam habet inimicus, vt acumine calliditatis suæ corda valeat penetrare. Vnde Dominus in Iob: Cùm apprehenderit eum gladius, resistere non potest, nec hasta, nec thorax. Hasta acumen callidi, talis thorax duritia obstinationis est. Vnde Micheas Propheta de huiusmodi hasta seu lancea ait: Concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones. Relictis enim gladiis & hastis impugnationum & contumeliarum, ponent manum ad aratrum crucifixi. Et Ezechiel ait: Accipientes vniuersi hastam & clypeum, galeas, scilicet, ferreas, quibus munit pedes & tibias prauorum affectuum, vt fortiter currat ad malum. Vnde Isaias: Non est deficiens nec laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, nec soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Quasi dicat, Semper vigilat, quasi leo circuens & quærens quem deuoret: fortiter ad malum currit, nunquam deficit. De membris autem eius dicit Ieremias: Factus est cursus eorum malus, & fortitudo dissimilis. Quod de illis specialiter intelligitur, quam habere debuerunt ad bonum, conuertunt in malum, qui potentes sunt vt faciant malum. De quibus Isaias: Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, viri fortes ad miscendam ebrietatem. Habet præterea fortis armatus calcaria, quibus corda hominum stimulat ad mala. Hæc sunt motus illiciti & praua desideria. Calcaribus iræ & inuidiæ, stimulat ad opera crudelitatis: Calcaribus desideriorum carnalium ad opera voluptatis: Hoc stimulo pungebat Apostolum tentando, nec tamen vulnerando, quia ipse non consensit. Vnde ipse ait: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Habet insuper equos suos miles iste infernalis, homines, scilicet, reprobos, quos ipse freno erroris posito in maxillis eorum, ducit ad libitum suum. Propterea propheta ait: Equum & ascensorem proiecit in mare, id est, amaritudine pœnæ æternæ. Et Ieremias: Velociores aquilis equi illius. Reprobi enim homines plerunque velocius currunt ad malum, quàm aquila, id est, boni & spirituales volent ad bonum. Et iterum ait: Omnes conuersi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens ad prœlium. Et in Apocalypsi dicitur: Potestas equorum in ore eorum, & in caudis eorum. In ore, mala persuadendo: In caudis, occultè decipiendo. Vel per temporalia, quæ posterius habere debemus, homines secularibus deditos præcipitando. Dum igitur fortis armatus atriũ suum custodit, in pace sunt omnia, quę possidet. Deus autẽ non flagellat eos, de quibus nõ curat: sed eos in tẽporalibus pacẽ habere permittit. Ipse autẽ flagellat omnẽ filiũ, quẽ recipit. Sed & inimicus noster magis tẽtat & flagellat recedẽtes ab ipso, eos autẽ qui sibi seruiunt, nõ impugnat. Castra enim aliena nõ sua propria solent Principes expugnare. Qui

*Ezech. 27.*

*De lorica diaboli. Apoc. 9.*

*De locustis & dentibus eorum.*

*De scuto diaboli. Iob 41. Ezech. 39.*

*De gladio diaboli.*

*Dan. 9. Ezech. 29. Isa. 14.*

*De hasta diaboli.*

*Mich. 4.*

*Ezech. 37.*

*De ocreis diaboli. Isa. 5.*

*1. Pet. 5.*

*Isa. 5.*

*De calcaribus diaboli.*

*1. Cor. 12.*

*De equis diaboli. Exod. 15. Iere. 4.*

*Iere. 8.*

*Apoc. 9.*

*De pace malorum, & tribulationibus bonorum. Prouer. 3. Heb. 12.*

Qui autem diabolo consentiunt, eius impugnationes non sentiunt. Hi autem qui Deo adhærent, & diabolo repugnare nituntur, ab ipso magis impugnantur. Ipse enim lenonum more pulchriores animas magis concupiscit, & conatur eas deflorare, corrumpere, & ad interitum perrahere. Anima autem hominis, est quasi castrum, propter quod pugna est, & mortale bellum inter Deum & hominem. Vnde cor nostrum omni custodia seruare debemus, tanquam castrum in terra inimicorum situm, quod vndique ab inimicis impugnatur. Principes autem magis diligunt fortiora castra, & Deus fortiora corda. Cùm autem diceret inimicus pax & securitas, superueniet ei repentinus interitus, superuenit fortior, cuius potentiæ nemo potest resistere. Dominus fortis & potens: Dominus potens in prelio, qui apprehendit tribus digitis molem terræ, portatque omnia verbo virtutis suæ, qui humiliauit sicut vulneratum superbum: qui portas æreas confregit, cuius dextera magnificata est in fortitudine, cuius dextera percussit inimicum, & humiliauit calumniatorem. Arcus fortium superatus, & coram eo procciderunt Æthiopes. Vnde Isaias: Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Et iterum: Defecit, qui prævalebat, consummatus est illusor. Et Dauid ait: Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. Arcum, occultam persecutionem: Scutum, vanæ præsumptionis protectionem: Gladium, manifestam impugnationem: Bellum, omnimodam contradictionem. Superueniens igitur fortior, eum vicit, vniuersa eius arma abstulit, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Fortior superuenit, arma mutauit: quia non est aliqua potestas, quæ congredi auderet cum ipso, si propria eius arma agnouisset. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Abstulit inimico vniuersa eius arma, callidissimas versutias, & artes nocendi annulauit, manum trahentem ei abscindens, manum autem flagellantem debilitans. Spolia distribuit, quia captiuam ducens captiuitatem, dedit dona hominibus: quosdam fecit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, aliis autem diuidens gratias, prout voluit. Vel spolia distribuit, id est, quinque sensus, quibus dominabatur diabolus virtutibus possidendos dedit. Vnde Isaias: Nunquam tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit, à robusto saluum esse non poterit. Equidem captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerat, à robusto saluabitur. Eiectus autem fortis armatus de domo sua, postquam expulsus à fortiore exierit, ab homine tabescit inuidia, succenditur ira, dolore affligitur, nouos dolos machinatur: damnum sibi illatum restaurare nititur, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inuenit. In locis autem humentibus, in fluxu, scilicet, carnalis voluptatis dormire dicitur, & requiescere spiritus immundus, & in secreto calami, id est, in corde hypocritarum, qui exterius nitidi sunt, interius autem vacui. Dormit spiritus vanitatis & falsitatis: Sub vmbra dormit, dum transitoria diligere facit spiritus auaritiæ & cupiditatis. In salicibus dormit, in cordibus, scilicet, infructuosis spiritus, scilicet, acediæ, & sterilitatis. In turbine & tempestate commoratur spiritus iræ & malignitatis. In sublime ponit nidum suum spiritus superbiæ & elationis, dum homines inaniter extollit in altum, vt lapsu grauiore ruant. Vnde Dominus de Behemoth in Iob ait: Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Et Isaias ait: Ibi cubauit lamia & inuenit requiem sibi, & habuit foueam hericius. In corde luxurioso requiescit lamia, id est, diabolus, vultum habens fœmineum blandiendo, sed caudam bestialem, dum homines ducit ad stultum finem. In corde autem auari requiescit hericius, variis diuitiarum spinis circundatus. Ambulat autem per loca arida & inaquosa circundendo, tentando & explorando, si posset introitum aliquem inuenire, & in eis requiescere: sed non inuenit requiem in cordibus aridis, ab omni carnali voluptate desiccatis. In quibus ieiuniis, vigiliis, & asperitate afflictionis pugitur vt exeat, & stimulatur vt fugiat. In terra autem corporis deserta: dum non excolitur, eò quòd corpus ornatum, nihil est aliud quàm stercus inuolutum in terra inuia, quæ malignis spiritibus clausa est, ne requiem vel mansionem inueniat in ea, in terra inaquosa, quæ malis humoribus est purgata, apparet homo Domino, cùm videtur à Deo vt videat Deum, & idcirco spiritus immundus locum non habet in illa. Vnde Dauid: In terra deserta, inuia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi. Hæc est bona siccitas, quæ consumit pinguedinem vitiorum, & superfluitatē malorum humorum: sicut boues macilentæ & tenues, quas vidit Pharao, vaccas pingues in paluſtribus pascentes consumpserunt. In hac siccitate sitit anima ad Deum fontem viuum. Anima verò pinguis & satiata conculcat fauum. Bonum est ergo congregare aquas in locum vnum, & cohibere fluxus carnalium desideriorum, vt appareat arida, & fructificet terra liberi arbitrij. Bonum est enim ouibus Christi siccis pabulis & sanis vti, vt amaritudine ieiuniorum, quasi absynthio arceantur ab anima, vermes mali desiderij & vitiorū. Ieiuniū enim in pane & aqua arcta est via, quę ducit ad cœlum. Quod igitur agit serpens antiquus, mala bestia, hostis callidus, à domo sua eiectus. In locis aridis & inaquosis requiescere desiderat, sed ibi requiem non repperit. Ait igitur intra se: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Ad nouitios enim & nouiter conuersos, qui nundum experientia tentationum à Deo cauti sunt, nec adhuc humoris carnalis desiderij longis & crebris ieiuniis in se siccauerunt, reuerti desiderat, cùm sanctos & perfectos homines supplantare non valeat. Et quoniam inuenit domum scopis mundatam & ornatam, & vacantem: assumit septem spiritus nequiores se, id est, septem vitia criminalia, vel vniuersitatem peccatorum. Septenarius enim numerus est perfectionis & vniuersitatis. Septimo enim die perfectis omnibus, requieuit Dominus ab vniuerso opere, quod patrauit. Nequiores sunt vltimi spiritus

1. Thes. 5. *Quod fortior superueniens fortem expugnauit.* Isaiæ 15. Heb. 1. 1. Reg. 2. Isa. 13. & 29. *De fortitudine Dei.*

1. Cor. 2.

*De distributione spoliorum.* Ephe. 4.

*De electione diaboli & eius reuersione. Quod in locis humentibus & non in aridis requiescit diabolus, & de loco multiplici, atque multiplici spiritu.* Iob 40. Isaiæ 33. *Quod diabolus comparatur lamiæ & hericio. De bona ariditate.*

*De machinatione diaboli volentis domum suam recuperare.*

*De nequitia septem spirituum, & de domo ornata & vacante.* Genes. 1.

*Deteriora sunt posteriora prioribus.*

ritus quàm primi, quia omnia peccata dimissa, per iterationem peccati redeunt. Et quia iterata vulnera difficiliora sunt ad curandum, & morbus iteratus per recidiuum in maius periculum vertitur ægrotantium. Licet autem domus de qua exiit immundus spiritus, ornata sit, & scopis confessionis mundata: quia tamen inuenit animam otio & securitate torpentem, dum præsumit de noua conuersione, & ambulare negligit in timore, de ipsius recuperatione confidit, & idcirco maiorem exercitum contra illum colligit, vt ingressus habitet, & fiant nouissima hominis illius peiora prioribus. Melius enim esset ei viâ veritatis nõ agnouisse, quã post agnitam retroire: quia seruus voluntatẽ Domini sui sciẽs & nõ faciẽs, vapulabit multis. Vnde Dominus in Euangelio: Ecce sanus factus es iam: noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et cum vxore Loth retro aspiciens in lapidẽ cõuertitur, propter ingratitudinis peccatũ, quod maximum est apud Deum: Vel propter hypocrisim dicuntur fieri nouissima peiora prioribus, dum priora bona, quæ amicit, similare incipit. Simulata enim æquitas duplex est iniquitas. Qui igitur prius scopis baptismi, vel confessionis mundatus fuerat, reuertente immundo spiritu, deterior efficitur, quia simulatis virtutibus per hypocrisim exterius exornatur, & ita quem prius diabolus deuorando transglutiit, nunc ruinando atterit & consumit. Vnde in Iob de Behemoth dicitur: Fœnum quasi bos comedet, primò deuorando per peccatum, secundò ruminando per recidiuum, dum reuertitur homo velut canis ad vomitum. Non igitur torpeat homo securitate, quamdiu est in corpore, non de castitate præsumat, non de carne confidat. Dauid sanctus reconciliatus Sauli non est ausus credere se ei. Adam vt operaretur, positus est in loco voluptatis, & tu otio torpes in loco laboris? Et si dormis, perditio tamen tua non dormitat, sed veniet tibi quasi viator ægestas. In pigritiis enim, teste Salomone, humiliabitur contignatio, id est, virtutum ædificium, & in infirmitate manuum perstillabit domus. Quasi enim foramine otij, quicquid boni est in anima, dum modica negligit, paulatim decidit, & ita sicut calceus inueteratus, qui sæpè resarcitur, & sæpè rumpitur, & post multas rupturas deterior efficitur: & sicut torrens obstructus terra dum sæpè rumpitur ad reparandum, peior efficitur, ita vulnus animi iteratum difficilius curatur. Templum enim Domini ædificatum est in pace, sed reædificatum cum bello & difficultate. Et vas quod semel oleo completum fuit, ad vsus alios dicitur non valere. Et sublato fructu bonorum operum, non solùm defluunt foliꝫ bonorum verborum, sed tota arbor deficcatur: & fit miser homo velut vas luteum confractum, quod pènitus conteritur, nec remanet testa ex eo in qua modicus ignis portari possit, vel paululum aquæ exhauriri. Quantò igitur peccator frequentius recidiuum incurrit, tantò lachrymas suas in conspectu Domini viliores reddit, & tantò difficilius potest reparari, quantò ab eo longius recedit. Semper igitur in timore & cautela salutem nostram operemur: vt non inueniat hostis noster domum nostram vacantem: & dum egressus fuerit, fiant nouissima nostra peiora prioribus. Licet autem Dominus generaliter per verba prædicta omnes nos instrueret: specialiter tamen propter Iudæos hæc dicebat, à quibus spiritus immundus exiit, dum eos de Ægypto eduxit, legem per Moysen eis dedit, & ambulauit inter gentes aridas & inaquosas, ab omni pinguedine spirituali, & humore gratiæ baptismalis vacuæ. Postquam autem fide Christi à gentibus recepta, diabolus in eis requiem non inuenit: Iudæos quos reliquerat, repetiit. Inuenit enim eos vacantes, & à bono opere torpentes, quia iam DEVM & angelos hospites non habebant. Et tamen ornati erant exterius per hypocrisim, & inutiles Pharisæorum obseruationes, & quasi his scopis inutilibus exterius mundati, vel mundati erant à legalibus obseruantiis tanquam superfluis, & nihil proficientibus post gratiam Euangelicam. Ingressa autem dæmonum multitudine deteriores fuerunt, Christum blasphemando & occidendo, quàm fuissent primitus in Ægypto. Vos igitur fratres charissimi non sicut Iudæi blaphemi Christo repugnetis, vel eius gratiam impugnetis. Magis enim peccant, qui contemnunt iam iam regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. Non ipsum tentando signum petamus: sufficiat nobis signum salutiferæ crucis. Signum Thau in fronte cordis impressum habeamus, & in sanguine veri agni superliminare mentis & vtrumque postem, corporis, scilicet, & animæ intingamus. Non Christi miracula malitiosè blasphemare debemus, sed magis reuereri, honorare, & admirari: quæ sicut visibiliter in conspectu Iudæorum olim faciebat in carne, ita quotidie spiritualiter & inuisibiliter ea operatur in mente dæmoniorum: curat, dum mentem à peccatis criminalibus purgat vt pecator non iam insaniat: sed peccata sua humiliter confitendo, infirmitatem suam agnoscat: vt possit dicere cum Propheta: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Muto loquelam reddit, dum pœnitens, laudans, & confitens gratias ait. Cæcitatem expellit, dum ad cognitionem veritatis adducit. Erat enim dæmoniacus iste, quem curauit, non solùm mutus, sed insuper cæcus: vt Matthæus ait. Vnde simul tria miracula Dominus in vno homine fecit: & hæc tria quotidie in pœnitentibus operatur, dum expulsis ab anima peccatis, & luce gratiæ infusa, vt Deum laudent, labia aperit, & ora resolvit. Simus fortes in Christo, & armati spiritualibus armis, custodientes atrium cordis. Si autem fortior superuenerit, si malignus spiritus nos tentauerit, si spiritus potestatis super nos ascenderit, locum nostrum non deseramus, ad Christum, qui fortior est omnibus inimicis nostris, confugiamus. Collocet lepusculus plebs inualida cubiculũ in petra, si eum canes infernales aggrediantur,

*Alia expositio prædictorũ de Iudæis & gentibus.*

*De ariditate mala.*

*De malo ornatu.*

*Conclusio & recapitulatio.*

*De signo thau.*

*De spirituali curatione dæmoniaci, muti & cæci.*

*Quod diabolus fortis & fortior dicitur Dominus.*

*2. Petri 2. Lucæ 11. Ioan. 5. Genes. 19.*

*De duritia ingratitudinis & hypocrisi*

*Iob 40. De mala securitate et otio.*

*1. Reg. 27.*

*Prouer. 6.*

*Eccle. 10. Eccle. 19.*

*3. Reg. 6.*

*Isaiæ 30.*

*Ezech. 9. Exod. 12.*

*Eccle. 10. Prouer. 31.*

aggrediatur. Petra enim quæ est Christus, refugiũ est Herinaceis. Ipse enim in chamo & freno maxillas eorum confringet, vt non approximent ad nos. Cauete autem, ne ad domum, vnde exiuit, reuertatur lubricus hostis. Nolite locum dare diabolo, ne foramen aliquod in vobis reperiat. Cibum electum quærit, gulosus est, pinguia & delicata cibaria desiderat, arida autem fastidit, & non multum delectatur in illis, nec requiem inuenit in locis aridis, absque pinguedine charitatis. Non sufficit ei si absorbeat mare, nisi influat Iordanis in os eius. Domum scopis mundatam & ornatam libentius ingreditur. Attendite igitur, ne illam vacantem & incautam, & malè securam inueniat. Et quia nescit paterfamilias, qua hora fur venturus est domum suam aggressurus, semper vigilet & domum perfodi non sinat, ne fiant nouissima hominis illius peiora prioribus, & habitet ibi spiritus immundus, cum septem aliis spiritibus nequioribus se, id est, cum vniuersitate vitiorum, cum turba dæmonum sese perimentium, & certatim vnusquisque locum suum occupantium. Et propter hoc in huiusmodi locis aridis & inaquosis non inuenientium requiem, sed magis conflictum inter se & pugnam, dum quilibet sibi vult appropriare hospitium, & habitare in domum scopis satanæ exterius in superficie mundatam, dũ miser homo vult iustus apparere, & de peccatis se excusare, & per hypocrisim simulatis virtutibus ornari desiderat, vel etiam appetitu seculari superfluo, & indumentis mundanæ vanitatis corpus suum exornat. Nolite ergo extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem, sicut Pharisæi: sed cum muliere Euangelica vocem extollamus in Christi laudem & matris eius: vt beatum confiteamur ventrem virginis, & vbera eius quę Christus suxit, vt sic hæretici confutentur, qui veram in Christo negant humanitatem, sicut Christo respondente: beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, confutati sunt Pharisæi, qui verbum Dei nec audire, nec implere, sed magis blasphemare volebant. Nos autem verbum Dei audiamus fide: & custodiamus opere, vt eius perfrui mereamur beatitudine. Qui viuit & regnat, per omnia benedictus Deus in secula seculorum, Amen.

*Ephes. 4. Abacuc 1. De bona pinguedine, & mala aridit ate. Matth. 24. Aliam rationem ostendit quare in locis aridis maligni spiritus non inuenit requiem. De ornatu hypocrisi, & ornatu seculari. De fine Euangelii, scilicet, de matris Christi laude, & de beatitudine audientium, & custodientium verbũ Dei.*

## DOMINICA QVARTA THEMA SVMPTVM EX INTROITV MISSAE, QVI INCIPIT: Lætare Hierusalem.

*Lætare Hierusalem & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete qui in tristitia fuistis, vt exultetis & satiemini ab vberibus consolationis vestræ.* *Isaiæ 66.*

IN translatione nostra, in fine Isaiæ sic habetur: Lætamini cum Hierusalẽ, & exultate cum ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugebatis super eam, vt sugatis & repleamini ab vberibus consolationis eius, vt mulgeatis & delitiis affluatis, ab omnimoda gloria eius. In hac media quadragesimæ Dominica, quasi in meridie medietate dietæ nostræ peracta pater misericordiarum, & Deus totius consolationis & refectionis, ad quietem & gaudium, operarios suos (continuis laboribus eorum compatiens) quasi ad mensam quãdam vocat, inuitatque. Ipse enim cognoscit figmentum nostrum, & fragilitatem nostram nõ ignorat. Post laborem enim opus est recreatione. *Quod caret alterna requie, durabile non est.* Asinus fessus diuerticula quærit. Vt igitur rationabile sit obsequium nostrum, ne si dimiserit nos Dominus ieiunios, deficiamus in via, vt potus detur nobis in lachrymis, in mensura, ne quis nimis affligatur, & quasi sub pondere iumentum opprimatur. Rex qui creauit omnia in numero, pondere & mensura, post luctum ad consolationem, post tristitiam ad exultationem, post famem ad satietatem nos inuitat. Vnde in Leuitico præcepit, quod panes cocti in clibano & craticula, & sartagine oleo letaginem, id est, zeli feruentis, frixuram absque oleo lætitię, & consolationis non possemus sugratiæ, qua pœnitentiæ austeritas temperatur, facilè possemus manducare. In arca enim Dominiantur. Clibanum enim contritionis & laboris, & craticulam multiplicis persecutionis, & sarni, non solùm virga disciplinæ & correptionis: sed & manna consolationis & refectionis continetur. Fessi enim & debiles sustentamento indigent, ne per indiscretionem corruant. Discretio enim non solùm est virtus, sed moderatrix, & auriga omnium aliarum virtutum. Dominus igitur hodie luctum nostrũ conuertit in gaudiũ, & sicut in Tobia dicitur: Post tẽpestatem tranquillitatem facit, & post lachrymationem & fletum exultationẽ infundit, laborantes in deserto manna cœlestis gaudij reficit: vt hodie sub vmbra illius sedeamus, & cum ipso cubantes in meridie, post sex hebdomadas præteritas, à principio septuagesimæ, quasi post sex horas diei, hodie cum ipso reficiantur animæ nostræ, & sicut adipe & pinguedine repleantur. Vnde ad gaudendum & exultandum multipliciter nos inuitat Dominus, dicens: Lætare Hierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam, vt tristitia vestra hodie conuertatur in gaudium. Lætare Hierusalem, dilata os cordis gaudendo, & ego adimplebo illud. Scriptum est enim: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Inuitantur autem ciues Hierusalem ad gaudendum gaudio quadruplici: Vnde quatuor ponuntur verba ad gaudium pertinentia. Primò dicit: Lætare, secundò & tertiò: gaudete cum lætitia: quartò subiungit, vt exultetis. Prima exultatio pertinet ad gau-

*Quod officiũ huius Dominicæ exultationis est. 2. Corin. 1. Rom. 12. Matth. 8. Sapien. 11. De triplici pane. Leuit. 2. Ioel. 1. Heb. 9. Hester 6. Tob. 3. Exod 16. Cant. 2. 3. Gen. 42. De quadruplici gaudio.*

ad gaudium creationis. Secunda ad gaudium recreationis. Tertia ad gaudium iustificationis. Quarta ad gaudium æternæ remunerationis. Pro his enim quatuor bonis gaudere debemus in Domino, cum laude & gratiarum actione. Prima gaudendi materia est, dum consideramus priuilegium, & præeminentiam creationis nostræ. Ad imaginem enim, & similitudinem totius trinitatis creati sumus, vt conformes simus, & consimiles nostro creatori. Spiritus enim rationalis simplex est, æternus & immortalis, quod pertinet ad potentiã patris. Ingenio præditus est ad inuestigandum, & inueniendum: memoria, ad retinendum: ratione ad discernendum: intellectu ad cognoscendum & intelligendum, & ad contemplationem atque superiorum comprehensionem, quæ omnia ad filij sapientiam pertinere noscuntur. Habet præterea vim concupiscibilem ad bonum appetendum: vim irascibilem ad malum detestandum: liberum etiam arbitrium, vt possit reprobare malum, & eligere bonum, vt eligendo consentiat bono, quod appetit, & malum, quod detestatur, respuat fugiendo: quæ omnia ad dilectionem, & spiritus sancti bonitatem pertinent. Quantum est gaudium esse filium Dei, & ei assimilari. Quanta laudis & exultationis materia, quod pro homine creauit omnia, orbem, scilicet, terrarum, & omnia quæ mundi ambitu continentur. Secunda gaudij materia, dum attendimus & recolimus modum recreationis, & redemptionis nostræ. Maius enim fuit vetera & attrita renouare & reparare, quàm noua condere. Consideremus ergo vt gaudeamus quantum seruum dilexerit, qui vt ipsum redimeret, filium morti tradidit: quantum honorauit seruum, qui vt ipsum sublimaret, tantum se humiliauit? Corpus autem humanum assumpsit, vt sicut secundum animam ad eius imaginem creati sumus, ita secundum corpus humanum ei assimilaremur: vt qui pater noster extitit per creationem, frater noster fieret per carnis assumptionem. Quantus honor & quantum gaudium inspicere naturam suam exaltatam super choros Angelorum, & ad dexteram altissimi patris fratrem suum intueri residentem? Tertius gaudij modus est, ex consideratione iustificationis nostræ, & spiritualium bonorum collatione. Ipse enim non solum redemit, sed & iustificauit & virtutibus exornauit: bona gratiæ tribuit nobis, sacramentorum medicinam contra varias infirmitates exhibuit. Quãta est exultationis materia in baptismo purificari, & byssinis vestibus indui, quæ sunt iustificationes sanctorum, sicut dicitur in Apocalypsi. Per pœnitentiam Deo reconsiliari & Christo incorporari, Christi corpore & sanguine refici, & pane cœlesti satiari? Quarta & supereminens exultandi materia est, ex consideratione cœlestis præmij & retributionis æternæ, vbi satiabimur ab vberibus consolationis diuinæ. Vnde & nunc gaudemus in spe, vt tandem exultemus in ipsa specie, & rei quam speramus fruitione. Lætare igitur Hierusalem attendendo bona creationis: gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, intuendo bona recreationis & iustificationis, vt exultetis cogitando & sperando bona glorificationis. Hac enim spe gaudentes facile sustinebimus momentaneos labores: quia non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti, est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Si enim compatimur, & conregnabimus. Vnde ad consolationem & releuationem hodiernæ dominicæ, officium ad lætandum & exultandum multipliciter exhortatur fideles, qui hucusque in mœrore & afflictione fuerunt. Ab initio enim septuagesimæ suspendimus organa nostra, & cantica lętitię suppressimus. Hodie verò ad consolationis remediũ, ne fatigemur animis nostris, & vt nõ deficiamus inter pressuras, gaudia gaudijs cumulantur, & Hierusalem frequẽter nobis ad memoriã reducitur. Hæc septimana septima est post Dominicam septuagesimæ, & signat septimam ætatem, quæ est quiescentium post hanc vitam, quę sex ætatibus consummatur: in qua post huius vitæ labores, quasi post crucem & passionem in sepulchro quietis, cum Domino pausabimus, vt tandem in octaua ætate in gloria resurgamus. Hanc quietem hodie repræsentat Ecclesia, vt respiremus inter pressuras. Vnde consuetudo est summi pontificis in ciuitate Romana, vt hodie rosam auream cum musco & balsamo vniuerso populo ostendat, laboris sui pręmium eidem ad consolationem ante oculos ponendo, id est, Christum, qui per florem rosæ cum auro diuinitatis, & musco corporis & balsamo animę rationalis designatur. Ipse enim pręmium nostrum erit. Vnde in Genesi Abrahæ sic ait: Ego ero merces tua magna nimis. Ipse enim est flos campi, id est, corona pugnantium, in campo huius mundi. Flos autem thalami in cõscientia bona. Flos deserti in pœnitentibus, flos horti in claustralibus. Lilium conuallium in castris & humilibus. Rosa autem specialiter dicitur in martyribus, & in his, qui feruore charitatis succensi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis. Rosa autem pulchra visu, suauis tactu, odore recreans, sapore cõfortans, Christum signat, qui verè rosa aurea est, nunquam marcẽs, semper recens, ardens & splendens. Per aurum autem diuinitatem intelligimus in Christo. Per muscum qui ex carne cuiusdam animalis sumitur ex struma eius, vel vmbilico eius humanitatem. Sicut autem conceptus est ex spiritu sancto & incarnatus, ita spiritus sancti coniunctione, velut balsami glutino, muscus conjungitur auro, id est, humanitas diuinitati in Christo. Non solùm autem in se, sed in membris suis aurea rosa est Christus, & maximè in Prælatis, igne charitatis vel sanguine martyrij rubentibus, & cœlesti sapientia fulgentibus, odore boni exempli recreantibus subditos suos. Muscus in sanctis vitam actiuam, quæ corpore exterius exercetur, significat. Sicut muscus ex corpore sumitur animalis, odore musci cerebrum confortatur, sic exemplo sanctorum, dum bene exer-

*Primum gaudium.*

*Isaiæ 7.*

*Secundum gaudium. Hester. 5.*

*Phil. 2.*

*Tertium gaudium.*

*Apoc. 19.*

*Rom. 12. Rom. 8.*

*2. Cor. 4. 2. Tim. 2.*

*Heb. 12.*

*Mysterium huius hebdomadæ assignatur.*

*De aurea rosa & musco & balsamo.*

*Gene. 12.*

*De multiplici flore.*

*Cant. 2. Gala. 6. Eccle. 24.*

*Quod Christus assimilatur rosæ.*

*Alio modo designatur mysterium auri, musci & balsami.*

*De rosa aurea, musco balsamo secũdum quod cõuenit sanctis.*

*Quod muscus vitæ actiuæ comparatur.*

*Eccle. 24.*

rius operantur, corda fidelium roborantur. Balsamum odoriferum est, à corruptione & fœtore corpora conseruat, omnibus liquoribus se subiicit, admixtum oleo oliuarum crisma conficit, penetratiuũ est, ex vitæ quadam velut gummi stillat. Hæc omnia contemplationi sanctorum conueniunt, qui corruptionem & fœtorem seculi fugientes, dum mundum pro Christo despiciunt, odorem bonum orando, meditando, & diuinas scriptutas masticando in conspectu Dei emittunt. Abiectis autem pro Christo omnibus per humilitatem se subiiciunt, inferiores sese aliis reputantes, sicut scriptum est: Quantò maior es, humilia te in omnibus. Vnde Apostolus ad Corinthios: Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci. Et iterum: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Licet autem paruuos se reputent sancti, oleum tamen bonæ & serenæ conscientiæ, oleum iucunditatis & lætitiæ balsamo suo admiscent, vt chrismate spirituali inungãtur. Penetrant autem arcana cœlestia cõtemplando, & ex vinea cœlestis Paradisi, ex vite, quę Christus est, quasi stillas supernæ dulcedinis suscipiunt, ad refocillationem in æterna beatitudine, sicut adipe & pinguedine plenariè satiandi. Rosam igitur auream, id est, Christum, qui nostri laboris est præmium, & exempla sanctorum semper habeamus ante oculos, vt non deficiamus in hac via, sed magis confortemur in Domino, & gaudeamus in spe, donec plenè exultemus in specie. Vnde in hac septimana hebdomada septuagesimę repręsentatur gaudium, quod habuerunt filij Israël, dum in septimo anno septimæ decadis septuaginta annorum, quibus in captiuitate Babylonica fuerunt, licentiam redeundi in Hierusalem à Cyro rege obtinuerunt. Et nos Christo passo pro nobis, & per eius mortem romphea à Paradiso remota, & ostio iam aperto licentiam iam habemus redeundi in supernam Hierusalem, vt in septima ætate cum Christo in pace requiescamus. Et idcirco non solùm gaudere debemus, sed & cõuentum facere, sicut filij Israël qui diligebant Hierusalem, ad patriam suam reuerti desiderantes, congregati sunt in vnum, vt simul redeuntes ædificarent muros Hierusalem. Et nos vt reuertamur ad supernam patriam nostram, ita gaudeamus quod conuentum faciamus. Bonum est enim & iucundum habitare fratres in vnum. Non enim in Domino gaudere possunt, qui conuentum per dilectionem & fraternam charitatem non faciunt. Multitudinis enim credentium erat cor vnum & anima vna. Non ergo diuidamur per scismata vel hæreses, nec per æmulationes vel contentiones, sed idipsum sapiamus, inuicem nos diligamus, alter alterius ad ędificationem spiritualis Hierusalem onera portemus, quasi in cuneum vnum contra inimicos nostros constringamur, ne diabolus introitum in nobis inueniat, sed simus inimicis nostris terribiles, vt castrorum acies ordinata, & conglobati in vnum constituamus diem solemnem in condensis. Qui enim vnanimiter pugnam aggrediuntur, victoriam de facili consequentur. Vbi enim plura sunt fulcimenta, nõ est facilis ruina, & si ceciderit iustus non collidetur: quia Domino supponente manum suam, plures habet subleuantes: sicut non facilè sagitta frangitur, quę in eadem pharetra pluribus consociatur, quę absque vlla difficultate frangi potest per se, dum tenetur in manu, sine aliarum coniunctione. Lętare ergo Hierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam. Lætamini concorditer ciues supernę Hierusalem. Non est enim verum gaudium, neque locus veri sacrificij extra Hierusalem: nõ est verum gaudium, neque pax impiis Babyloniæ ciuibus: non est pax ossibus eorum à facie peccatorum suorum, qui ioculatorum more, & si aliquando exterius inaniter gaudeant, dum reuertuntur in domum propriam, gaudium eorum conuertitur in tristitiam. Nunquam enim peius habent quàm in domo sua, dum cruciantur in conscientia. Impij enim tanquam mare feruens & fluctuans, nunquam quiescunt, sed semper in tempestate & turbine, tanquam fluctus feri maris confusiones suas despumantes Babylonica confusione inuoluuntur. Licet enim lętentur, cùm malefecerint, & exultent in rebus pessimis, risus tamen eorum dolore miscebitur, & æterno luctu consummabitur: Panis eorum vertetur in fel: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Gaudent in temporalibus, os cordis eorum inaniter dilatatur, infiantur, sed non implentur. Siliquas comedunt, sed non satiantur. Cithara & lira & vinum in conuiuiis eorum, & ad vocem psalterij canunt, & opus Domini non respiciunt: & idcirco in infernо sine fine vlulabunt. Vnde Ezechiel: Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gaudisa es ex toto affectu super terram Israël, idcirco extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem. Propterea non ciues Babyloniæ, sed ciues Hierusalem ad lætitiam inuitantur illius, scilicet, Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius pars adhuc militat in terris. Alia verò pars cum Domino triumpho potitur in cœlis. Dicitur enim Hierusalem, non solùm terrestris illa ciuitas, in qua Dominus morte sua nos redemit, sed quælibet iusti anima, in qua Deus inhabitat, & insuper congregatio fidelium adhuc in tabernaculo corporis militantium. Quarto etiam modo dicitur Hierusalem, quæ sursum est libera à pœna & culpa, quæ est mater nostra, Ecclesia triumphans, ciuitas bonorum, quæ non solùm est visio pacis, sed & possesio. Pacem autem quam hic videmus, consideramus & desideramus, ibi possidebimus. Dominus enim huius militantis Hierusalem fines posuit pacem, quam obtinebimus post hanc vitam, quando exultantes satiabimur ab vberibus consolationis nostræ. Vbera consolationis præbet nobis in præsenti, inferior Hierusalem, Ecclesia, scilicet, militans. Vbera doctrinæ & gratię, verba lactis & mellis. Vbera doctrinæ Euangelicę, & internę dulcedinis in iucunditate cõtemplationis, vel vbera lactis doctrinam de humanis, Vbera mellis doctrinam de diuinis: vt butyrum &

*De balsamo & eius proprietatibus quæ contemplatiuæ conueniunt.*

*Eccle. 3.*
*1. Cor. 9.*

*Aliud mysterium huius hebdomadæ.*

*De conuentu & bona congregatione.*

*Esaiæ 3.*

*De mala diuisione.*
*Actuum 4.*
*1. Cor. 1.*
*Gala. 5.*
*Rom. 12.*
*1. Reg. 30.*
*Iudi. 9.*
*Cant. 6.*

*De gaudio ciuium Hierusalem, quod Babyloniæ ciuibus non conuenit.*
*Isaiæ 57.*
*& 48.*
*Isaiæ 57.*
*Naum 1.*
*Iudi. 2.*

*De malo gaudio.*
*Parab. 2.*
*Iob 20.*
*Iob 21.*
*Luc. 15.*
*Isaiæ 5.*
*Amos 6.*
*Isaiæ 65.*
*Ezech. 25.*

*De multiplici Hierusalem.*

*Gala. 4.*

*De multiplicibus vberibus Ecclesiæ militantis.*

*Isaiæ.7.* tyrum & mel sugentes, ab vberibus duorum testamentorum, sciamus reprobare malum & eligere bonum. Vel duo dicuntur vbera, propter fidem & bonos mores. Præbet præterea nobis
*Cant.5.* verba vini & lactis. Vnde in Canticis: Bibi vinum cum lacte meo, vinum charitatis cum lacte puritatis & innocentiæ. Præbet etiam nobis duo vbera compassionis & congratulationis: Vel duo dicuntur propter promissionem vitæ, quę nunc est, & futuræ. Vel vbera spiritus sancti
*Gala.4.* *Isaiæ 66.* dona, & misericordiæ opera. Mater autem nostra superna Hierusalem præbet nobis duo vbera glorificationis animarum, & postmodum glorificationis corporum. In terra enim sua duplicia possidebunt, & omnes domestici eius vestiti duplicibus, id est, duplici glorificatione corporis & animæ. Glorificatio spirituũ in duodecim beatitudinibus specialiter consistit. Quarum
*Parab.31.* prima est lumen cognitionis. Ibi enim cognoscemus, sicut & cogniti sumus, quando videbimus Deum facie ad faciem. Vnde Dominus per Ieremiam ait: Omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum. Et in Euangelio: Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum,
*1.Cor.13.* & quem misisti Iesum Christum. Et Ioannes in canonica ait: Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: quando, scilicet, in libro vitæ legemus, & erimus omnes docibiles Dei. Secunda beatitudo, feruor delectationis. Quantò enim magis
*Ioan.17.* *1.Ioan.3.* eum cognoscimus, tantò ardentius diligemus: charitas enim, vt ait Apostolus, nunquam excidet, hîc inchoatur, ibi perficietur: quia ignis est in Sion, id est, in præsenti Ecclesia: sed erit ceminus in Hierusalem, id est, in Ecclesia triumphante, sicut in Isaia dicitur. Et iterum: Quis
*Ioan.6.* *1.Cor.13.* *Isaiæ 32.* *Isaiæ 33.* poterit habitare de vobis cum ardoribus sempiternis. Ignem deuorentem dicit, quia Deus noster ignis consumens est. Et Daniël ait: Thronus eius sicut flamma ignis. Sancti enim in
*Deut.4.* *Dan.7.* *Isaiæ 10.* quibus residet Dominus, thronus eius dicuntur, qui flamma dilectionis succensi sunt. Vnde Isaias: Erit lux Israël in igne, & spiritus eius in flamma. Ipse enim amore suo inflammabit nos,
*Gene.44.* *Sapien.3.* quando inebriabimur cum eo in meridie, id est, in charitatis ardore. Et in libro Sapientiæ: Fideles in dilectione acquiescent, illi, scilicet, Deo. Idem enim velle & idem nolle, ea demum
*Tullius in officiis.* firma amicitia est. Inebriabuntur ab vbertate domus Domini præ dilectionis ardore. Tertia beatitudo, iucunditas exultationis. Exultabunt enim sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus
*Tertia iucunditas exultationis.* suis. Vnde beatus Petrus: Credentes exultabitis lætitia inenarrabili, reportantes finem fidei
*1.Pet.1.* vestræ salutem animarum. Inenarrabilis est, & incomprehensibilis hæc lætitia. Iuxta illud:
*Isaiæ 64.* Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Vnde Isaias: Secretum meum mihi, secretum meũ mihi. Illud enim, quod sancti de
*Isaiæ 24.* *Isaiæ 45.* gaudio illo sentiunt, enarrare nequeunt. Hæc sunt arcana Dei, quæ non licet homini loqui. De
*2.Cor.12.* hoc gaudio ait Isaias: Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus. Fluminis
*Isaiæ 51.* enim impetus lætificabit ciuitatem Dei. In terra enim sua duplicia possidebunt, & lætitia sem-
*Isaiæ 35.* piterna erit eis, sicut Isaias ait. Et Dominus in Euangelio: Iterum videbo vos, & gaudebit cor
*51.& 61.* vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et Dauid ait: Sicut lętãtium omnium habi-
*Ioan.16.* tatio est in te. Venient enim in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, sicut
*Isaiæ 51.65.* dicitur in Isaia. Et iterum: Ecce ego creo Hierusalem exultationem, & populum gaudium, &
*Quarta tranquillitas pacis.* gaudebo in populo meo, & non audietur vox fletus vltra. Quarta beatitudo, tranquillitas est
*Phil.4.* pacis. Hęc est pax Dei, quę exuperat omnem sensum. In pace enim factus est locus eius, anima,
*Isaiæ 66.* scilicet, in qua Christus quiescit, quæ paradisus est delitiarum, thalamus Dei, palatium Christi, thronus Salomonis, lectus cœlestis sponsi. Vnde Isaias: Declinabo super eam, quasi fluuium pa-
*Isaiæ 66.* cis. Et in libro Sapientiæ: Donum & pax electis Dei. Erit enim ibi, teste Isaia, Sabbatum
*Isaiæ 58.* ex sabbato æternæ pacis post sabbatum pectoris: quia Deus non dabit pacem, nisi super pacem. Et iterum: Et vocaberis sabbatum delicatum. Ibi enim caro non concupiscet aduersus
*Mich.4.* spiritum: non premet mundus, non insidiabitur, nec impugnabit diabolus. Vnde Micheas ait:
*Isaiæ 14.* Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltrà belligerare. Et Isaias: Quo-
*Isaiæ 7.& 32.* modo cessauit exactor, quieuit tributum. In pace enim in id ipsum dormient & requiescent,
*Apoc.21.* sedentes in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ & requie opulenta. Quinta bea-
*Quinta, blandimentum consolationis.* titudo, blandimentum consolationis. Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis
*Isa.25.30.35.* sanctorum. Vnde Isaias: Auferet Dominus omnem lachrymam ab omni facie, & fugiet dolor & gemitus. Et rursus: Plorans nequaquam plorabis. Et iterum: Quemadmodum mater consolatur filios suos, ita ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini, in superna, scilicet, Hierusalem, quam redemit Dominus ab omni seruitute pœnæ & culpæ: sicut in
*Sexta fiducia securitatis.* Isaia dicitur: Consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem. Sexta beatitudo, fiducia securitatis. Erunt enim absque timore inimicorum, & sollicitudine, securi de sua
*Ioan.16.* felicitatis æternitate: sicut reprobi, & damnati de sua desperabunt salute. Gaudium enim eorum nemo tollet ab eis. DOMINVS enim seras portarum Hierusalem confortauit:
*Isaiæ 52.* & ipse fundauit eam in æternum, & non adiiciet vltra, vt pertranseat per eam incircumcisus, & immundus. Potestas enim eius, vt Daniël Propheta ait: potestas æterna, quæ
*Dan.7.* *Ioël.3.* *Naum.1.* non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Vnde Ioël Propheta ait: Erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius. Et Naum Propheta: Celebra Iuda solennitates tuas, & redde DOMINO vota tua: quia non adiiciet vltra vt pertranseat in te, Belial vniuersus interibit. Et Isaias ait: Non adiiciet vt pertranseat in
*Apoc.2.* te incircumcisus & immundus. Et in Apocalypsi dicitur: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.

da. Securi igitur de salute sua quiescent cum Domino, qui erit eis spes à turbine, & vmbraculum ab æstu, & erunt sicut vir, qui absconditur à vento, & celat se à tempestate, quemadmodum dicit Isaias: A vento, scilicet tentationum, à tempestate peccatorum, & cuiuslibet pœnæ. *Isa. 4. 25. 32.*

Et iterum de æterna securitate sic dicit: Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitate & absconsione, à turbine & à pluuia. Dies seculi prosperitas, æstus terrena cupiditas, turbo secularis dignitas vel aduersitas, pluuia dissoluens & putrefaciens carnalis voluptas. *Isaiæ 4.*

In vrbe enim fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur murus & antemurale. Murus secundum humanitatem. Antemurale secundum diuinitatem. Sub cuius vmbra & refrigerio, sedentes ab omni culpa & pœna liberati securè quiescemus. Vnde Ioël: Et erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius. Et Isaias: Finitus est puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram, id est, diabolus. Erunt igitur securi ab omni malo, & certi de bono suo. Vnde Isaias: Non faciet auolare Dominus à te vltra decorem tuum. Et iterum: Oculi tui videbũt Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam tranferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum. In hoc autem tabernaculo passer inuenit sibi domum & turtur nidum, vbi secretò reponat pullos suos, id est, merita bonorum operum. Septima beatitudo fraterna concordia & societatis iucunditas. Quanta erit iucunditas, quanta felicitas angelorum choris interesse, sanctorum cetibus aggregari, in splendoribus sanctorum, in consilio iustorum & congregatione, inter curiæ cœlestis senatores conuersari, quorum gloriam non minus diligemus quàm nostram: sicut mater non minus desiderat bonum filio suo, quàm sibi. Bona autem aliorum diligendo, nostra faciemus: & quod habebunt singuli, commune erit omnibus. Hanc autem iucundam sanctorum societatem quotidie à Domino petimus, dum orationem Dominicam dicimus. Oramus enim, vt regnum veniat ad regnum, dicentes: Adueniat regnum tuum, vt scilicet Ecclesia militans Ecclesiæ triumphanti societur, & epulemur cum fratribus nostris ad mensam patris nostri, vt restaurẽtur ruinæ angelorum: qui cum lucifero corruerunt, sicut de Domino Psalmus ait: Implebit ruinas, restaurando, scilicet, damnum reproborum spirituum, & in locis eorum animas electorum collocando: vt columbæ Domini sint in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ: vt impleant & restaurent cauernas & ruinas malignorum spirituum. Hanc autem reparationem sancti angeli desiderant, & propter hoc magnum est in cœlis gaudium, super vno peccatore, pœnitẽtiam agente. Sancti etiam qui sunt in gloria, quantò plures socios & amicos in suo recipiunt consortio, tantò maiorem habent gaudendi materiam, sicut scriptum est. Tunc videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Vnde beatus Hieronymus: Cogita qualis est dies illa, cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis: & post mare rubrũ subuerso cum exercitu Pharaone, tympanum tenens, prȩcinet respõsuris: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est. Et Isaias ait: Lętabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: Quando, scilicet, congregantur ad ipsos manipuli sanctorum in horreo cœlesti reponendi: ipsi autem cum gaudio occurrent, dicentes: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus innixa super dilectum suum. Octaua beatitudo, honor dignitatis. Omnes enim reges erunt cum Christo regnantes, & regales coronas in capitibus habentes. Aureæ coronæ super capita eorum, signo sanctitatis expressæ. Quantus honor super cœlos in throno sublimi residere, parem sanctis Angelis esse, creatorem suum in humana figura videre, sicut scriptum est: Et in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Quanta dignitas filium esse summi Regis, fratrem esse Christi? Quantus honor quod anima sponsa est agni, sicut Isaias ait: Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Quando, scilicet, dicetur ei, veni spõsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit inȩternum. Vnde Dominus per Ozee.: Sponsabo te mihi in sempiternum. Quantus honor vbi nemo contemnet alium, sed honore inuicem sese prævenient: tanquam fratres omnes prȩeminebunt dignitate, absque vlla abiectione vel pudoris confusione. Sicut Isaias ait: Non confunderis, neque erubesces, neque enim te pudebit, quia confusionis adolescentię tuæ obliuiscetis. Dabit eis Dominus, teste Isaia, coronã pro cinere. Coronam regiæ dignitatis & beatitudinis æternæ, pro cinere humilitatis & pœnitentiæ, sicut scriptum est: Gloria & honore coronasti eum Domine. Et iterum: Posuisti super caput eius, coronam de lapide pretioso, id est, Christo, qui est corona electorum suorum. Nona beatitudo, decor virtutum & sanctitatis pulchritudo. Virtutibus enim velut pretiosis lapidibus, exornabitur Regina, circundata varietate. Omnis lapis pretiosus operimentũ eius. Vnde in Apocalypsi beatus Ioannes ait: Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata sunt, id est, sancti Apostoli & Martyres, & Apostolici viri, omnibus resplendent virtutibus. Et Dominus per Isaiam: Fundabo te in Saphyris, id est, in sanctis cœlesti contemplatione conspicuis. Ponam Iaspidem propugnacula tua, id est, sanctos nunquam mercentes, sed in viriditate gratiæ perpetuo consistentes, & portas tuas lapides sculptos. Sancti enim Prælati, qui per portas Hierusalem intelliguntur sculpti, sunt virtutibus & ornati sanctitate & moribus. Et in Apocalypsi dicitur: Vxor agni prȩparauit se, & datum est ei, vt cooperiat se bysſino splendenti, & cãdido. Bysſinum enim iustificationes sanctorum sunt. Et iterum: Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouã descendentem de cœlo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Ornatam, scilicet, monilibus virtutum ad hono-

*Matth. 6.*

*Luc. 15.*

*Isaiæ 60.*

*Septima iucunditas societatis. Chrysost. ad Theodor.*

*Hieronym. ad Eustoch.*

*Isaiæ 9.*

*Cant. 3.*

*Octaua honor dignitatis.*

*Eccle. 45.*

*Iob 19.*

*Isaiæ 62.*

*Osee 2.*

*Rom. 12. Isaiæ 54.*

*Isaiæ 61.*

*Nona pulchritudo sanctitatis.*

*Ezech. 28. Apoc. 21. Isaiæ 54.*

*Apoc. 19.*

ad honorem viri sui. De hoc ornatu dicit Baruch: Exue te Hierusalem stola luctus, & induere decore & honore. Et Tobias ait: Portę Hierusalem ex sapphyro & smaragdo ędificabũtur: per quæ sanctorum virtutes intelliguntur, qui ornati sine macula sunt ante thronum Dei. Vnde Dominus per Psalmistam: Pulchritudo agri mecũ est. Ibi enim sunt rosæ charitatis, lilia virginitatis, & castitatis, violæ humilitatis. Tot enim floribus chorus beatorum vernat, quot virtutibus choruscat. Virtutes enim gloriabuntur, & præmium suum quodammodo recipient, dum finem debitum consequentur. Fidei enim succedet cognitio, spei fruitio. Charitas autem finem suum consequetur, dum illum, quem supra omnia desiderat, complectetur. Quatuor etiam virtutes cardinales, secundum alios vsus, quam sit in via, vt ait Augustinus, erunt in patria. Iustitia finem suũ cõsequetur, dũ Deo perfectè subiicietur. Prudẽtia vt idẽ Augustin. ait: ibi erit sine vllo erroris periculo. Fortitudo sine molestia tolerandorũ malorum. Temperantia sine repugnãtia libidinum, vt prudẽtię ibi sit nullũ bonum Deo præponere vel æquare. Fortitudinis ei firmiter cohęrere. Temperantiæ nullo defectu noxio delectari. Hęc Augustinus: Non solũ autẽ his virtutibus, sed & septẽ donis spiritus sancti, velut septẽ stellis animæ beatorum illuminabuntur, & velut septẽ riuis, ex vno fonte rigabuntur. Sicut enim timor Domini, sanctus permanet in seculũ seculi, secundum vsum reuerentię, ita alia Dona spiritus sancti, secundũ varios vsus affectionis & cognitionis, in seculũ seculi permanebũt. Vnde B. Ambrosius: Spiritus sanctus cuius nos breui satiamur, haustu, in illis cælestibus spiritibus redundantius videtur affluere, pleno septẽ spiritualiũ virtutũ feruens meatu. Spiritu sapientiæ gustabimus & videbimus, quoniã suauis est Dominus. Spiritu intellectus eius maiestatẽ cognoscemus. Spiritu consilij eius admirabilia consilia & profunda iudicia perpendemus. Spiritu fortitudinis inseparabiliter ei adhærebimus. Spiritu scientiæ, Christi humanitatẽ & sanctorum gloriam attingemus, & inter electos Dei, sanctè & honestè conuersari sciemus. Spiritus pietatis ad charitatis benignitatẽ, sicut spiritus timoris ad Dei reuerentiam pertinebit. Naturales insuper virtutes ad ornatum & decorem animarum in eis resplendebunt, & quasi glorificatæ fines, ad quos tendunt, plenariè consequentur. Ratio veritatis certitudinem absque errore vel dubitatione consequetur. Intellectus diuinitatis apprehensione & contemplatione perfruetur. Vis irascibilis ab omni malo quod detestatur, prorsus elongabitur. Vis concupiscibilis, bonum quod appetit, consequetur. Liberum arbitrium, bono cui assentit & quod eligit, delectabitur. Memoria sine oblitione omnium simul reminiscetur. His igitur ornatæ monilibus filiæ Hierusalem Regem in decore suo, ipsę virtutibus decoratæ videbunt, audituræ vocem sponsi, dicentis. Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te. Decima beatitudo, amęnitas habitaculi: de quo Psalmus ait: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atriis Domini. Et iterum: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et in Euangelio. In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Et iterum. Vado parare vobis locum. Et beata Agnes ad parentes suos ait, ostendens chorum Virginum iam cum Christo regnantium. Congratulamini mihi & cõgaudete, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Vnde Tobias ait: Hierusalem luce fulgida effulgebit. Et Ioannes in Apocalypsi: Ciuitas non eget Sole neq; Luna vt luceat in ea: nã claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Et Ioël Propheta: Quasi hortus voluptatis terra eorum, coram eo, scilicet, terra promisionis terra delectabilis, Paradisus cęlestis. Glorioſa enim dicta sunt de te ciuitas Dei. De qua Aggęus Propheta ait: Magna erit gloria domus Domini, & ingens locus possessionis eius: de qua amplitudine dicit David: Melior est dies vna in atriis tuis super milia. Vndecima beatitudo, gratiarũ actio cum laude creatoris: beati enim qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Dominus enim, vt ait Isaias, reddet oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris. Et iterum: Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Hæc est gloria angelorum, sine intermissione Deum laudantium, & eius beneficia recolentium cum gratiarũ actione. Vnde Isaias: Seraphin clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum: plena est omnis terra gloria eius. Hic est iubilus cordis, de quo scriptum est: Beatus populus qui scit iubilationem. Et in Apocalypsi de his qui cum mulieribus non sunt coinquinati: dicitur quod cãtabant canticũ nouũ, quod nullus potest alius cantare. Hoc est gaudium, quod habent de integritate corporis & animæ, de conformitate quam habent cum Christo & eius matre. Hoc gaudium tantum virgines habent, & inde Deum laudare non cessant. Gloriabuntur ergo sancti in laudando ipsum, quem super omnia diligunt, & in eius laude semper recentes erunt. Vnde Isaias: Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Duodecima beatitudo, satietas sine fastidio, scilicet, fruitionis delectatio. Ex prædictis enim beatitudinibus satiabitur anima, & variis delitiis affluens delectabitur. Vnde Isaias: Bona terræ comedetis, & delectabitur in crasitudine anima vestra. Beatus enim qui comedet hunc panem in regno Dei, qui gustabit & videbit, quoniam suauis est Dominus. Terra illa fluit lacte humanitatis CHRISTI & melle diuinitatis, in quibus spiritus beatorum ineffabiliter delectantur, vt sit benedictio ipsorum in rore cœli, & pinguedine terræ, dum comedunt & satiantur butyro humanitatis, & fruuntur melle diuinitatis. Satiabor, inquit, Propheta, cum apparuerit gloria tua. Licèt autem omnibus sit idem præmium: licèt omnes eundem recipiant denarium, id est, ipsum DEVM. Diuersæ tamen sunt fruitiones, & diuersi gradus

*Baruch 4. Tob. 10.*

*De glorificatione gratiarum.*

*De glorificatione cardinalium virtutũ.*

*Isaiæ 11. Quod septem donis Spiritus sancti exornabuntur.*

*De glorificatione naturalium virtutum.*

*Isaiæ 33. Decima, amœnitas habitationis. Cant. 4.*

*Ioan. 10. Phil. 2. Tob. 10. Apoc. 21. Ioël. 2.*

*Aggæi 2.*

*Vndecima, gratiarum actio cum laude creationis. Isaiæ 61. Isaiæ 51. Isaiæ 6.*

*Apoc. 14.*

*Isaiæ 60. Duodecima, satietas sine fastidio, & delectatio fruitionis. Isaiæ 1. 61. Luc. 14. Exod. 3. Gen. 27.*

gradus seu fructus eiusdem præmij. Idem enim denarius, quibusdam est quasi argenteus, aliis aureus, secundum diuersitatem meritorum. Stella enim differt à stella in claritate, & eundem Solem intuendo, alij plus, alij minus delectantur. Hæc autem delectatio ineffabilis est, sicut Isaias ait: Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. Et iterum: Verè tu es DEVS absconditus. Et in Apocalypsi dicitur: Vincenti dabo manna absconditum. Manna interpretatur, quid est hoc. Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Hoc est conuiuium de quo Isaias ait: Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemię defœcatæ. Et Dauid ait: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Beati autem qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, sicut in Apocalypsi Ioannes ait. Et Psalmus: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. His igitur quasi duodecim Paradisi fontibus hortus cœlestis irrigatur, & his velut duodecim pretiosis margaritis beatorum spirituum coronæ refulgent, quæ sunt, Cognitio sine errore, Dilectio sine rancore, Gaudium sine tristitia & mœrore, Consolatio sine pusillanimitate & desolatione, Pax sine perturbatione, Securitas sine timore, Societas sine discordia, Honor & dignitas sine abiectione & verecundia, Decor sine turpitudine, Loci amœnitas sine molestia, Laus Dei sine ingratitudine, Satietatis delectatio sine fastidio & amaritudine. Bonum esset nobis hic esse, si cum Apostolo auderemus sermonem vsque ad mediam noctem pertrahere. Adhuc tamen aliquas stillas de tanto flumine haurire desideramus, de secunda stola, de dotibus, scilicet, corporum glorificandorum aliquantulum subiungamus. Erunt enim splendida, subtilia, agilia & impassibilia. Splendida sine obscuritate, Subtilia sine corpulentia & grossitudine, Agilia sine ponderositate & tarditate, Impassibilia sine corruptione & dissolutione. Fulgebunt enim iusti per claritatem, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent per agilitatem, & regnabit Dominus illorum in perpetuum, & ipsi regnabunt cum illo in æternum per impassibilitatem. Ipsi enim sicut Sol fulgebunt in regno Patris eorum, splendidi & impassibiles, sicut nulli Sol subiacet corruptioni. Hæc autem quatuor ostendit Dominus in se, dum adhuc esset in mortali corpore, Claritatem in monte, Subtilitatem in natiuitate, dum clauso vtero exiuit. Agilitatem, dum ambulauit super mare. Impassibilitatem in cœna, dum corpus suum dedit discipulis. Has quatuor dotes Dominus in Euangelio insinuat, dum ait: Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Mensuram bonam per claritatem: à bono enim bellus dicitur. Confertam, id est, plenam, absque defectu, Ecce impassibilitas. Coagitatam, Ecce agilitas. Supereffluentem, Ecce subtilitas penetratiua, cui nullum resistere poterit obstaculum. Et Apostolus ad Corinthios: Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione, Ecce impassibilitas. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Ecce claritas, de qua Daniël: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates, scilicet, in splendoribus sanctorum. Assument enim pennas, sicut aquilæ. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Ecce agilitas. Assument enim pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt: ambulabunt & non deficient, vt ait Isaias. Et Malachias ait: Egrediemini & salietis, sicut vitulus de armento. In momento enim transire poterunt ab Oriente in Occidentem. Erit enim velocitas sicut cogitationis. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Ecce subtilitas, quam Dominus in corpore suo habuit, dum de clauso sepulchro exiit, & clausis ianuis ad discipulos introiuit. Vnde in Canticis: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum tanquam virgula fumi? per quam gracilitatis subtilitas designatur. Et beatus Gregorius in Moralibus: Vniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet. Vnde in Apocalypsi Ioannes ait, quod ciuitas beata Hierusalem similis est vitro mundo. Præter has quatuor dotes habebunt glorificata alias quinque beatitudines, pulchritudinem, scilicet, sine deformitate, fortitudinem sine debilitate, sanitatem sine ægritudine, iuuentutem sine senectute, vitam sine morte. Non solùm autem pulchritudo ex claritate consideratur, sed insuper ex eleganti membrorum dispositione & coloris venustate. Nec enim colore carebunt, quorum etiam capilli numerati sunt: sicut Sol non solùm splendorem, sed & candorem habet, vt ad literam de ipsis intelligatur, quod de CHRISTO spiritualiter dicitur: Dilectus meus candidus & rubicundus, vt Nazarei Domini in æterna beatitudine candidiores niue sint, & ebore antiquo rubicundiores per coloris pulchritudinem. Lacte nitidiores per claritatis splendorem. Vnde ciuitas, quam vidit Ioannes, similis dicitur crystallo, propter splendorem & candorem. Aliæ quatuor per impassibilitatem innuuntur. Impassibilitas enim non solùm priuat omnem miseriam, sed ponit beatitudinem. Priuat debilitatem, innuit fortitudinem. Vnde Apostolus ait, quod resurgent in virum perfectum. Priuat ægritudinem, innuit sanitatem, quam petunt, dum oramus, dicentes: Concede nos Domine, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere. Corpora enim sanctorum in summa temperantia complexionis, perpetua delectabuntur sanitate. Propter quod Ieremias ait: Sana me Domine, & sanabor, id est, sana me in spiritu, &

*1. Cor. 15.*
*Isa. 66. Apoc. 2. 1. Cor. 2.*
*Isa. 25.*
*Apoc. 19.*
*Exod. 15. Apoc. 21.*
*Breuis capitulatio prædictorum gaudiorũ.*
*De glorificatione corporũ & de quatuor dotibus eorum*
*Sap. 3.*
*Matth. 13.*
*Matth. 17. Mar. 9. Luc. 9. Luc. 2.*
*Luc. 6.*
*1. Cor. 15.*
*Dan. 12.*
*Isa. 40.*
*Malach. 3.*
*Ioan. 20.*
*Cant. 3.*
*Apoc. 21.*
*De aliis quinque beatitudinibus corporis.*
*De pulchritudine.*
*Luc. 12.*
*Cant. 5.*
*Thren. 4.*
*Apoc. 21.*
*De fortitudine.*
*Ephe. 4.*
*De sanitate.*
*Eccle 44. Ierem. 17.*

Apoc.21. sanabor in corpore. Folia enim ligni vitæ, vt dicitur in Apocalypsi, erunt in sanitatem Gentium. Quia enim CHRISTI præcepta seruauerunt, perenni sanitate gaudebunt.

De iuuentute. Isa.62. Ephes.4. Ioan.11. Priuat præterea senectutem, ponit iuuentutem. Vnde Isaias ait: Habitabit iuuenis cum virgine. Et Apostolus ait, quod omnes resurgemus in mensurã ætatis plenitudinis Christi. Priuat

De vita sine morte. 1.Cor.15. Apoc.21. mortem, ponit vitam æternam. Vnde in Euang. Omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Et Apost. Absorpta est mors in victoria. Et in Apocal. Et mors vltrà non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque dolor erit vltrà. His ergo nouem beatitudinibus addita trium

De glorificatione trium sensuum. De glorificatione visus. sensuum glorificatione, habebimus duodecim beatitudines corporis, sicut duodecim animalibus esse prædiximus. Visus enim remunerabitur & glorificabitur, vt in oculis glorificatis Christi humanitatem videamus, & claritate cœlesti visu delectemur. Vnde Isaias: Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Et iterum: Non erit ibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Non enim indigebunt luce Solis, illuminati luce Christi. Et insuper quilibet sanctus fulgebit sicut Sol. Ecce quàm clara dies, vbi erunt tot Soles. Erit enim lux Lunæ sicut lux Solis: & lux Solis septempliciter, vt ait Isaias: & ita quilibet sanctus septies maiorem habebit claritatem, quàm Sol iste visibilis nunc habet. Habebit igitur visus gloriam suam

De glorificatione auditus, & laude vocali. Apoc.14. in æterna beatitudine, tanta illuminatus claritate. Sed & auditus nullo modo credendus est ibi fore otiosus, sed suam habebit glorificationem audiendo voces suauitatis, & consonantis iocunditatis, tanquam citharœdorum citharizantium in citharis suis. Exultationes enim Dei in gutture eorum. Non solum enim laus mentalis, sed & vocalis ibi erit, vt reddamus Domino vitulos labiorum nostrorum. In voce enim exultationis & confessionis erit sonus

Tob.10. Isa.65. Isa.24. epulantis, scilicet, gratiarum actio, & vox laudis. Vnde Tobias ait: Per vicos Hierusalem Alleluya, Alleluya, cantabitur. Et Isaias: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos præ contritione spiritus vlulabitis. Et iterum: Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt cùm glorificatus fuerit Dominus. In his ergo delectabitur auditus, vbi autem nulla

De glorificatione tactus. erit dissonantia, ab auditione mala non timebit. Sed & tactus nequaquam priuabitur sua beatitudine. Corpora enim glorificata, & palpare poterunt & palpari. Sicut enim secundum tactum, reprobi in inferno summè cruciabuntur, ita electi in gloria tactu gloriabuntur, nec aliqua corporalis voluptas in hoc mundo, minimæ delectationi, quæ in quolibet membro

Apoc.7. Quæstio de odoratu & gustu, vtrum glorificãti sint videtur hoc velle, sed non planè asserit. Cant.4. De odoratu. corporis glorificati erit, poterit comparari. Erunt quasi in summa Verni temporis temperantia, & non cadet super illos Sol, neque vllus æstus. Sed nunquid odoratus & gustus suo præmio frustrabuntur? vel desinent ibi esse, cùm aliæ naturales potentiæ remaneant in illa æterna remuneratione? An suam odoratus habebit delectationem, cùm scriptum sit: Sancti tui Domine, florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te. Et sicut fœtore

De gustu. reprobi in inferno cruciantur, ita ne sancti in gloria odoribus delectabunt, vt odor vellimentorum, id est, corporum omnia excedat aromata. Scio autem quod potens est Dominus absque naturali odore olfactus potentiam delectatione perfecta remunerare. Gustus autem potentia, non erit ibi ad necessitatem, vel ad perditorum restitutionem. Non enim

Apoc.7. Isa.65. Luc.16. indigebunt nutrimento vel materiali cibo. An ibi erit ad delectationem, vt non priuetur sua remuneratione, sicut nec aliæ potentiæ? Si glorificatur visus, quid demeruit gustus? Scio enim quod non esurient amplius, neque sitient. Vnde Isaias ait: Serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Nunquid in inferno pœna respondebit culpæ, vt in gustu, in quo deliquerunt fame & siti crucientur? Sicut de diuite epulone legimus, qui guttam aquæ desiderans, siti aruit. Si igitur punitur gustus in reprobis, an glorificabitur in electis? Noui autem quam potens est Dominus, absque cibo materiali in comparabilem delectationem conferre gustui, sicut multis contingit in oratione & deuotionis feruore, dulcedine quadam absque cibo delectari in corporali palato. His autem præ-

Quod omnibus prædictis simul nõ successiuè vel per partes delectabiliter afficiemur. Cant.1. Conclusio. Ezech.46. dictis omnibus æternæ beatitudinis delectationibus non successiuè, neque per partes, sicut in hoc seculo afficiemur, sed simul omnibus bonis abundabimus, & fruemur. Manducate ergo & bibite amici, & inebriamini charissimi. Exultemus & lætemur hodie, memores vberum istorum, vt sugentes hæc vbera cum gaudio, sustineamus in præsenti verbera: facilè enim transitorios labores contemnit, qui cor ad gaudia æterna erigit. Quod enim graue est in opere, teste Beato Gregorio, facile est inspecta remuneratione, dum consideramus gaudia Hierusalem ciuitatis supernæ: in qua semper cum Domino lætabimur, & delectabimur, & optatis fruemur amplexibus, & erit nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola.

Gal.4. *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Galat.4.*

PLVR

PLVRES filios legimus Abraham habuisse, de his tamen duobus tantum mentionem facit Apostolus propter Allegoriam & moralem instructionem. Per filium enim ancillæ, signantur reprobi, qui non consequentur hæreditatem: Per filium verò liberæ, designantur electi, hæredes Dei, cohæredes autem CHRISTI. Intendit enim Apostolus hodierna Epistola separare pretiosum à vili, inter sacrum & prophanum facere distantiam, separans granum à palea, lilium à spinis, vinum ab acinis, oleum ab amurca. Ostendit siquidem differentiam inter ciues Hierusalem & ciues Babyloniæ, inter electos & reprobos, inter bonos & malos, inter liberos & seruos, inter eos, qui ad nouum testamentum, & inter eos, qui ad vetus testamentum pertinent. Sumpta occasione ex Galatis, qui erantes simul in boue & asino, & vineam suam altero semente, & agrum suum diuerso semine seminantes, vetustatem legis cum nouitate Euangelij, & cæremonialia tempore gratiæ obseruare volebant: vt ergo eos ab hoc errore reuocet, ostendit differentiam inter nouum & vetus testamentum. Vetus enim testamentum, quod per Agar ancillam Abrahæ designatur, generat filios in seruitute. Seruos, non liberos, terrena diligentes, pro temporalibus seruientes, timore pœnæ, non amore iustitiæ, manum, non animum cohibentes. Nouum verò testamentum, quod per Saram in hoc loco intelligitur, generat filios non carnali generatione, sed per gratiam & diuinę vocationis electionem, sicut Sara contra carnis naturam, in senectute sua peperit Isaac per repromissionem. Hi sunt filij liberæ, filij matris nostræ supernæ Hierusalem, qui seruiunt amore non seruili timore, pro æterna hæreditate, non temporalium cupiditate. Reprobi autem filij, Agar dicuntur, quæ interpretatur alienatio, quia ab æterna hæreditate alienantur. Non enim est hæres filius ancillæ cum filio liberæ: sed eiicitur ancilla cum filiis eius, qui, scilicet, serui sunt, & tantum spe transitoriæ prosperitatis seruiunt. Seruus autem non manet in domo in æternum. Non enim filij carnis, sed promissionis æstimantur in semine. Filij enim alieni inueterati sunt. Sara enim quæ interpretatur gratia, Ecclesiam signat, quæ per gratiam in libertate populum Christianum generat, filios, scilicet, adoptionis, ad nouum testamentum pertinentes, quod non temporalia, sed æterna promittit. Vnde & in terra promissionis datum est, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Vetus autem testamentum datum est in Arabia, in monte Syna, vbi Iudæi alieni & serui fuerunt, quia vetus testamentum seruos pariebat, populum Iudaicum seruituti obnoxium, & labori carnalium obseruantiarum. Arabia enim humilis vel afflictio interpretatur. In monte autem illo datum est, vt per hoc insinuaretur superbia Iudæorum, qui de lege superbiebant, & alios contemnebant. Qui mons, vt ait Apostolus, coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filiis suis, quia carnalis populus Iudæorum pro temporalibus seruiens, veteri testamento, quod terrena promittebat, assimilatur. Omnes igitur reprobi, ad vetus pertinent testamentum, qui benè per Ismaël filium Agar designatur, qui fuit homo ferus: manus enim eius contra omnes, vagus, sagittarius, & venator. Reprobi enim non solùm bonos impugnant, sed à seinuicem discordantes, nunquam pacem habere possunt: vagi mente & cogitatione, instabiles & inconstantes. Arundo vento agitata, tanquam stipula, quæ à vento rapitur, tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Exterioribus dedeti, temporalium venatores, sagittis detractionis, & peruersæ locutionis, vel callidæ deceptionis alios impugnantes. Sapientes in terrenis, in spiritualibus exercitientes. Vnde Baruch filij Agar, qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est negotiatores, viam autem sapientiæ non sciuerunt. Similiter & Iudæi filij ancillæ, id est, Synagogæ, hodie velut Ismaël, vagi sunt, & vbique dispersi, crudeles DEO & hominibus odibiles, & bonis omnibus contrarij, sagittas habentes toxicatas, vt fidem Christianorum impugnent, sepulchrum patens & fœtidum est guttur eorum, linguis suis dolose agunt, dum quotidie in Synagogis suis CHRISTVM maledicunt. Dedit autem Abraham Isaac cuncta quę possederat: Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo. Reprobis enim confert DEVS bona temporalia & dotes naturalium, sed non recipiuntur in sortem Isaac, nec in hæreditatem æternam. Electis autem suis dat DEVS cuncta, quæ possidet: omnia enim eis seruiunt, & cooperantur eis in bonum. Timentes autem DOMINVM non deficient omni bono. Ea verò quæ filiis concubinarum tribuit, non reputantur in possessionem Abrahæ. Non enim vera est possessio, nisi spiritualium, & immortalium bonorum. Vnde & si arca vento vel aëre sit plena, dicitur tamen, nihil est in arca, & vesica non plena, sed inflata reputatur. Agar superbiente, dixit Abraham Saræ: Vtere ea sicut vis. Licèt enim contra Christianum populum Iudæi malitioſe attollantur, nos tamen ad commodum nostrum vtimur eis: ipsi enim capsarij nostri sunt. Ex libris enim eorum fidem nostram de CHRISTO asserimus & confirmamus: & legalibus abolitis CHRITI veritas dominatur, & obtinet principatum, Iudæis non valentibus repugnare. Sed & boni malis vtuntur ad vtilitatem suam, dum eis tetribuunt bonum pro malis, & per ipsos patientia bonorum exercetur, iuxta illud Salomonis: Qui stultus est, seruiet sapienti. Agar multipliciter afflicta fugit à facie Saræ: & Iudæi multipliciter afflicti post mortem Christi, fugiunt à facie gratiæ. Similiter & carnales homines, qui noluerunt intelligere,

*De filiis ancillæ, & liberæ.*

*Rom. 8.*
*Isere. 15.*
*Ezech. 17.*
*Cant. 2.*

*Multiplex differentia inter electos & reprobos assignatur.*

*Deut. 22.*
*Leuit. 19.*

*De veteri & nouo Testamento, & de his quæ ad nouum Testamentum, & de illis quæ ad vetus pertinent.*

*Gen. 21.*

*Ioan. 8.*
*Rom. 9.*

*De Ismaële quod bene reprobi per ipsum designantur.*

*Gen. 16.*

*De ferocitate reproborum.*

*Matth. 11.*
*Luc. 7.*

*De inconstantia reprobor.*

*Baruch 3.*

*De vocatione reproborum, & de fugitis eorum.*

*Quod Iudei specialiter Ismaëli assimilantur.*

*De possessione bonorum & malorum.*

*Gen. 25.*

*De Agar & eius afflictione.*

*Gen. 16.*

*Prou. 11.*

*De fuga Agar & eius reuersione.*

vt benè agerent, nec iugo Christi collum suum humiliter subiicere, nec onera pœnitentiæ portare fugiunt à facie Saræ, id est, à diuina gratia, quam cõtemnunt, elongantur. Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis. Fugit præterea Agar à facie Saræ dominæ suæ, cùm caro spiritui nititur repugnare. Admonitione autem Angeli reuertitur Agar, & subiicitur dominæ suæ, dum prædicatione Doctorum vel magni consilij inspiratione peccatores ad Dominũ conuertuntur, & ad eius gratiam confugiunt, vel quando caro spiritui subiicitur, vel quando in fine mundi admonitione prophetici sermonis, vel Eliæ & Enoch Iudæi cõuertentur ad Christum. Videns Sara filium Agar Ægyptię ludentem cum Isaac, dixit ad Abraham: Eiice ancillam & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Sic & mali in hoc seculo bonos persequentes, & eis illudentes ab Ecclesia Dei eiiciuntur, & hæreditate priuantur. Similiter & populus Iudæorum illusit Christiano populo Christi mortem ei improperando, qui hodie cum carnalibus obseruantiis à facie Domini eiectus est. Expulsa Agar cum filio, id est, Synagoga cum populo Iudaico, errabat in solitudine, & iuxta puteum, quem non videbat, sitiens, proiecit puerum subter arborem vnam, aqua in vtre deficiente. In solitudine errat Synagoga, quæ viam, quæ est Christus, ignorat. Iuxta puteum sitit, quia diuinas scripturas spiritualiter non intelligit. Deficiente aqua in vtre puerum subter arborem proiecit, quia deficientibus carnalibus obseruantiis, subter arborem crucis proiecti sunt, qui de populo illo crediderunt. Exaudiuit Dominus vocem pueri, & ostendit Agar puteum, quia in fine Iudæi diuinas scripturas intelligent, ac conuertentur ad Dominum. Hæc autem omnia de malis & peruersis hominibus, qui ad Agar & Ismaëlem pertinent, intelligi possunt. Qui cum Isaac, id est, populo Christiano ludunt, dum mali bonos irridենt, & eos illudendo decipiunt. Vel ludebat Ismaël cum Isaac: quia, sicut Iudæi asserunt, imagines luteas ipsum adorare compellebat. Ludere enim ibi sumitur pro idololatrare. Iuxta illud: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Hoc patet in primitiua Ecclesia, quando Gentiles ad cultum idôlorum credentes, compellere nitebantur. Vel ludebat cum Isaac, id est, lædebat eum, sicut mos est maiorum prauorum, qui minores ludendo lædunt. Vnde Apostolus ait: Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Ludunt ergo mali cum bonis, id est, lædunt persequendo, & ad lasciuiam pertrahendo. Sicut lilium à spinis pungitur, sic filij liberæ à filiis ancillæ persecutionem patiuntur. Ciues enim Hierusalem, dum à ciuitate sua egrediuntur, statim incidunt in latrones, capiuntur à Babyloniis, vulnerantur, spoliantur, & perimuntur. Capit eos Rex Babyloniæ per concupiscentiam, ligat per auaritiam. Oculos eorum quasi pelui splendenti & feruenti excæcat per mundam vanitatem. Suspendit per superbiam: suspensos autem putrescere facit per luxuriam: putrefacti autem tanquam puluis proiiciuntur à facie terræ promissionis. Separatur igitur Isaac ab Ismaële, & filiis concubinarum. Recedamus à Babyloniis, fugiamus de medio Babylonis, festinemus reuerti in Hierusalem. Habentes enim spinam in pede non quiescemus: quomodo habentes peccati spinam in corde, quiescemus? Quæ est enim societas Abel cum Cain, Isaac cum Ismaële, Iacob cum Esau? Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ societas lucis ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial. Qui enim morticinium tangebat, in lege Domini immundus erat. Quia qui tangit picem, coinquinatur ab ea, sicut scriptum est: Sanguis sanguinem tetigit. Petrus cum ministris Iudæorum Christum negauit, exiens foras, amarè fleuit. Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Cum fatuis ne habeas consilium, non enim diligere poterunt, nisi quæ ipsis placent. Et in eodem: Nathan Prophetæ in diebus Dauid, quasi adeps separatus à carne. Et Dauid ait: Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Et in Apocalypsi: Exite de medio Babylonis populus meus, & ne participes sitis delictorum eius.

*Vnius enim scabie grex maculatur ouis: Vnaq; consperſa liuorem ducit ab una.*

Vnde Apostolus: Denuntiamus vobis fratres, in nomine Domini, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inhonestè & inordinatè. Et iterum: Si quis frater nominatus est fornicator, aut maledicus, aut auarus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Deridetur enim ab impiis iusti simplicitas. Ægyptij abominantur oues, granum à palea premitur, lilium à spinis pungitur, agnus à lupo deuoratur, columba à coruo laniatur. Teste enim Salomone, detestantur stulti eos, qui fugiunt mala. Abel à Cain occiditur. Abraham à Chaldæis in ignem proiicitur. Loth à Sodomitis affligitur. Esau Iacob persequitur. Fratres Ioseph oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui. Isaac ab Ismaële illuditur. Hi enim sursum volare volentibus, pennas auellere nituntur. Omnia autem quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: recedat Isaac ab Ismaële, separatur filij liberæ à filiis ancillæ, non solùm cohabitatione, sed & mente: & si non corpore, tamen mente, corde, & conuersatione. Simus igitur Isaac per imitationem, vt semper in Domino gaudeamus: Isaac enim risus interpretatur. Ablactato Isaac fecit pater eius conuiuium magnum. Et nos separemur ab vberibus carnalis delectationis, & mundanæ vanitatis, vt gaudium sit patri nostro de bona conuersatione nostra. Accipiamus vxorem Rebeccam, quæ interpretatur patientia, vt risus patientiæ iungatur, & in tribulatione gaudeamus, offeramus

*Apoc.12.*
*Gen.21.*
*De ludo Ismaëlis cum Isaac, & de expulsione Agar cum filio suo.*
*Quod Agar errabat, & iuxta puteũ sitiebat.*
*Quod prædicta de quibuslibet reprobis intelligi possunt*
*Gal.4.*
*Quod à malis boni decipiuntur & capiuntur.*
*Luc.10.*
*4.Reg.25.*
*Quod fugiẽda sunt consortia malorum.*
*Zach.2.*
*2.Cor.6.*
*Leuit.11.*
*Eccle.13.*
*Osee 4.*
*Matth 26.*
*Luc.22.*
*Eccl.3.*
*Apoc.18.*
*2.Thes.3.*
*1.Cor.5.*
*Iob 12.*
*Prouerb.13.*
*Gen.4.12.*
*35.& 39.*
*1.Pet.2.*
*Rom.15.*
*De Isaac moraliter, & quod ei assimilari debemus.*
*De ablactatione & vxore eius.*
*Gen.24.*

offeramus nosmetipsos Deo in sacrificium iustitiæ, sicut Isaac oblatus est à patre, eruderemus patris nostri puteos, scripturas sanctas non carnaliter intelligentes, sed spiritualiter. Seminauit Isaac, & centuplum collegit: & nos ita in præsenti vita opera bona seminemus, vt accipiamus centuplum, & vitam æternam possideamus. Isaac libenter hœdis vescitur: & nos operibus pœnitentiæ delectemur. Et quoniam Agar, id est, Synagoga primò peperit in seruitute: Sara verò, id est, Ecclesia, posteà peperit in libertate: non sicut filij Agar, seruiles nos personas ostendamus, sed tanquam filij Saræ, filij, scilicet, gratiæ, filij Ecclesiæ, excutientes iugum peccati in auram libertatis respiremus, vt lætetur in nobis sterilis, quæ priùs non pariebat, Ecclesia, scilicet, de Gentilibus congregata. Nunc enim per gratiam Dei plures sunt filij desertæ, id est, gentilitatis à Deo priùs derelictæ, quàm eius quæ habebat virum, id est, Synagogæ, quæ viri sui ornamenta in cultum dæmoniorum conuertit, & ideo libello repudij accepto, vir eius ab ea recessit, & priore cingulo putrescente, Dominus alium lumbis suis baltheum, aliud de Gentibus contexuit lumbare: aliam sibi coniunxit vxorem, quæ statim suo viro spiritualiter adhærens, concepit & peperit filios Regis, filios libertatis, in quibus amor Dei vincit concupiscentiam carnis, sicut Apostolus ait: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Sicut enim diabolus filios Agar illaqueat & decipit, & in seruitutem redigit, ita Christus filios Saræ liberat, & Reges creat. Vnde in Euangelio: Si filius vos liberauit, veri liberi eritis. Ipse verò, vt nos liberaret, tributum sanguinis sui pro nobis soluit. Ipse enim quæ non rapuit, tunc exoluebat: nam licèt liber esset, qui peccatum non fecit, non solùm pro Petro, sed & pro se didrachma soluere voluit. Liberati igitur per gratiam in sabbato peccatoris, non iam seruilia opera faciamus, vt non regnet peccatum in corpore nostro. Qui enim facit peccatum, seruus est non solùm diaboli, sed insuper & peccati. Auarus enim seruus est nummi: Luxuriosus porcus est diaboli: Gulosus seruus est ventris, cui earum tributum reddit. Quoniam seruiet æternum, qui patuo nescit vti. Vir iracundus non est suæ potestatis, sicut nec furiosus, dum ab ira superatur. A quo enim quis vincitur, eius seruus efficitur. Vnde in persona veteris hominis ait Apostolus: Quod nolo, hoc ago. Et Ieremias: Princeps prouinciarum facta est sub tributo, id est, anima, quæ quinq; prouinciis sensuum præesse debuit, facta est sub tributo diaboli, dum de luto & latere, & palea, seruit Pharaoni in abiectione & turpitudine peccati, sicut scriptũ est: Manus eius in cophino seruierunt. Seruo enim malevolo torturas, & compedes, & viles operationes immittit. Vnde Isaias: Dominatores eius iniquè agunt. Et Isaias ait: Domini possederũt nos absq; te. Et in Threnis: Ceruicibus minabamur, & fessis non dabatur requies. Filij ancillæ, qui solummodo temporalia quærunt, maledictioni Chanaan subiiciuntur, qui fratrum suorum est seruus, quia dum superbit peccator, incenditur pauper. Non solum per augmentum charitatis, sed eius patientia in persecutione superborum exercetur & intenditur. Serui autẽ non charitate dilatantur, sed in conscientia semper arctantur & angustiantur. Quantò autem amplius tributum peccati soluunt diabolo, tantò amplius exigitur ab eis. De quo tributo Salomon ait: Manus remissa, tributis seruiet. Solue ergo vincula colli tui captiua filia Sion. Excutimini de puluere captiui sub peccato venundati: propter seruilẽ enim conditionẽ, separatur matrimoniũ inter Christũ & Ecclesiã. Meritò enim qui nutriti in croceis amplexati sunt stercora: meritò filia Regis, dum meretrix efficitur & prostituta, hæreditate paterna priuatur. Homo autẽ ingenuus, dum lutũ super humeros portat, generi suo magnũ decus facit. Quoniã autẽ scriptũ est: Gratis venundati estis, & sine argẽto redimemini, cùm iam Christus suo, quantũ in se est, nos sanguine redemerit, qui gratis, id est, pro peccato, quod nihil est, fuimus venũdati impiis dominis: disrũpamus vincula eorũ, & proiiciamus à nobis iugũ ipsorum. Deus enim vltionum, Dominus Deus vltionũ liberè egit, & libertatẽ verã seruis reddidit. Eripiẽs inopẽ de manu fortiorũ eius: portas æreas cõtriuit, & vectes ferreos cõtriuit. Ipse enim soluit cõpeditos, ipse erigit elisos: Ipse dimittit onagrũ liberũ, & vincula illius soluit. Vnde Isa. Iugũ enim oneris eius, & virgã humeri eius, & sceptrũ exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Pro hac autem libertate quotidie Dominũ rogamus, dum in oratione Dominica, Libera nos à malo, dicimus. Homines etiã seculares nullũ maius damnũ vel dedecus æstimãt, quàm suã amittere libertatẽ. Multi enim priùs se interfici permitterẽt, quàm se in seruitutẽ redigi sustinerent. Vnde Apostolus ad Gal. Vos in libertatẽ vocati estis, tantũ ne libertatẽ in occasionẽ detis carnis. Et Apostolus Petrus: Quasi liberi, & nõ quasi velamẽ habentes malitiæ libertatem. Verè autẽ liber est homo spiritualis, qui omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur: Verè liber est cui omnia seruiunt ad profectum. Electis enim omnia cooperantur in bonum. Verè liber est, qui vino spiritus sancti inebriatus, non solùm à peccato, sed & ab omnibus curis seculatibus immunis est: Verè autem seruus est, qui Deo non seruit, sed diabolo sẽ subiicit, qui non nisi temporalia quærit, & pro nihilo habet terram desiderabilem, æternam, scilicet, hæreditatem, qui nouitatem gratiæ respuens, veterem hominem non exuit, sed vetustati literæ sub Testamento veteri deseruit, quam Dominus illustratione aduentus sui in populo suo destruxit, tollens rubiginem de argento, vt egrederetur vas pretiosum, sicut Salomon air. Christus enim tanquam gemmula carbunculi in ornamento auri sapientiam veterem spirituali exornauit intelligentia, qui carbunculo comparatur propter speciem & splendorem. Serui autẽ qui nondum vetustatẽ deposuerunt, non nisi temporalibus deliciis affluere quẽrunt.

*Gen.26. Matth.19. Mar.10. Luc.18.*

*Isa.54.*

*Deut.24. Isa.50. Matth.19. Ier.3. & 13.*

*De libertate & filiis libertatis.*

*Rom.7.*

*Ioan.8. Matth.17.*

*Ioan.8. De malâ seruitute.*

*Rom.7. Thre.1.*

*Exod.2. Eccle.13. Isa.51. & 26. Thre.5. Gen.9.*

*Prouerb.12. Isa.52. Rom.7. Thre.4.*

*Isa.52.*

*Iob 36. Isa.9.*

*De veræ libertate.*

*Gal.5.*

*1.Pet.2.*

*Rom.8.*

*Iterum de malâ seruitute.*

*Prouerb.25. Eccle.39.*

*Gal.4.* Vnde Apostolus ait: Quando venit plenitudo temporis, id est, affluentia temporalium, misit Deus filium suum. Plenitudo temporis, id est, affluentia temporalium: Homines enim nō nisi de temporalibus cogitabant: vbi enim erat magna collectio fructuum, magna erat cōgregatio muscarum, id est, carnaliū cogitationū & sordidarū, ac secularium curarum. Qui autē adueniente Domino in seruitute vetustatis remanserunt, vuam manducātes acerbā, id est, fructū ante tempus æternæ retributionis appetentes, quia dentes stupidos habuerunt, solidū cibum Euangelij manducare nequiuerunt. Qui verò noui Testamēti gratiā receperūt, de antiqua seruitute Pharaonis liberati, hæreditatē terræ promissionis cōsecuti, tanquā Reges & summi Regis filij cum Domino regnauerunt. Vnde in nocturnis Respōsoriis sub figura huiusmodi liberationis commemorat Ecclesia, qualiter filii Israël de terra Ægypti liberati, peruenerint ad libertatem terræ promissionis. Moyses mittitur contra Pharaonem in Aegyptum, & Christus contra diabolum in mundū. In signis & prodigiis liberati sunt filij Israël, & Dominus per virtutē prædicationis & miraculorū, populum Christianū ad se cōuertit. Interfectio primogenitorū, destructionem signat principaliū vitiorū. Occisio agni, passio est Christi. Sanguis in vtroq; poste, fides passionis in corde & ore. Pharao cum exercitu suo submergitur in mari rubro, & diabolus cum omnibus peccatis destruitur in baptismo, Christi sanguine rubricato. Columna nubis & ignis præcedente transierūt per desertū, & nos Christi ducatu, qui nos illuminat & refrigerat, transimus per varias tribulationes in regnum cœlorū. Per nubem Christi humanitas, per ignem eius diuinitas: vel per nubem in die, consolatio refrigerans: per ignem in nocte, tribulatio purgans intelligitur. Tulerunt secum farinam non fermentatam, id est, simplicem scripturæ doctrinā. Post mare rubrum veniunt ad aquas Marath, quæ dulcoratæ sunt ligni appositione. Et nobis post baptismum peccantibus, relinquitur amaritudo pœnitentiæ, quę nobis dulcescit memoria Christi passionis. Postquam manna manducauerunt & legem receperunt, diuersa prælia contra eos insurgunt: & post dulcedinem diuinæ consolationis, & receptionem Euangelicæ legis, insurgunt contra nos bella tentationum. Petra virga percutitur, & aquas emittit: & Christus in cruce de latere suo aquas ablutionis & refrigerij nobis propinauit. Arca Christum significat: Tabernaculum Christi Ecclesiam: Diuersa tabernaculi vasa, diuersa signant gratiarum dona: Ornatus tabernaculi, virtutum ornamenta designat: Vestimenta eorum per annos quadraginta non sunt vetustate consumpta, nec calceamenta attrita: Virtutes enim in Ecclesia non deficiūt, nec exempla sanctorum, quæ per calceamenta designantur, vetustate consumūtur: Variis mansionibus peruenerunt ad terram promissionis, transito Iordane. Et nos de virtute in virtutem ascendentes, post mortis descensum ad æternam perueniemus beatitudinem. Iordanis enim descensus interpretatur, & significat mortis humilitatem. In transitu Iordanis, inferior hominis, id est, caro inferius decurrit, quia terra in terram redit: Superior pars, id est, anima ad superna ascendit. Postquam autem manducauerunt de fructu terræ promissionis, manna defecit: postquam enim in æterna beatitudine lacte humanitatis, & melle diuinitatis perfruemur, sacramentali præceptione non indigebimus.

*Gal.4.*
*Ierem.31.*
*Ezech.18.*
*Heb.5.*
*De libertate à seruitute Pharaonis per Moysen, mystica expositio.*
*Exod.3.*
*Exod.12.*
*Exod.12. & 15.*
*Exod.16. & 20.*
*Exod.25.37. 26. & 28.*
*Deut.8.*
*Num.33.*
*Ios.4.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Ioannem.

*Ioan.6.* *Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna.*

LEGIMVS in Exodo, quod Dominus præcepit arcam fieri de lignis Sethim, quæ forū sunt & imputribilia. Hæc est diuina scriptura ex diuinis eloquiis & sententiis incorruptibilibus compacta. Sicut scriptum est: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: cuius altitudo attenditur secundum anagogen, id est, superiorem intelligentiam. Latitudo autem attenditur secundum allegoriam, quæ est de his, quæ spiritualiter fiunt in Ecclesia militanti: vel tropologiam, quæ ad morum pertinet instructionem. Longitudo verò secundum historiā: in ea enim narrantur, quæ ab initio facta sunt, & quæ accident vsq; ad seculi consummationē. Erat autem deaurata intus & foris. Splēdet enim per sapientiā, & corda amatorū ignea reddit per charitatē, nō solum exterius, dum eam ad literā intelligimus, sed etiā interius, dum ipsam spiritualiter perscrutamur. Erant autē in arca vrna aurea, virga Aaron, & mānna cum duabus tabulis decē mandatorū, & Deuteronomio. Vrna aurea Christus est, qui ferè vbique in diuinis scripturis intelligitur. Habet autē diuina scriptura in se virgā correctionis, & mānna de cōsolationis & refectionis, tabulas eruditionis, duas propter sapientiā de diuinis, & scientiā de humanis, vel propter duo testamēta. Quatuor arcæ annulli, quatuor Euangeliorū libri: rotundi, quia nobis æternitatē promittunt. Vectes quibus arca portatur, semper inhærent annulis, quia S. Doctores semper inhærere debent quatuor Euangeliorū libris per meditationē & lectionē, & arcā scripturarū circunferre ad mentes audientium. Necesse est enim, vt qui ad officium excubant, à lectionis studio non recedant. Ignominiosum est enim si tunc quærant discere, cūm quæstiones debent enodare. Vnde Petrus: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis fide & spe. Corona aurea super arcam erat, quia per scripturarum impletionem

*Exod.25. & 37.*
*Quod verbū Dei comparetur arcæ.*
*Luc.21.*
*De dimensionibus arcæ.*
*Exod.25. & 37.*
*Heb.9.*
*De cōtentis in arca.*
*Exod.37.*
*De quatuor annulis arcæ, & de vectibus.*
*2. Pet.3.*
*De corona aurea.*

impletionem acquirimus, æternæ gloriæ coronam. Orate ergo Dominum, vt hodie hanc aream vobis aperiat, & thesauros huius arcæ, quibus animæ vestræ ditentur, vobis ostendat. *Exod.25. & 37.*

*De circumstantiis pensandis.*

Abiit Iesus trans mare Galilææ. In hodierni Euangelij miraculo, quo Dominus ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus quinq; millia hominum satiauit, nō solum factum, sed & facti circunstantias pensare debemus: Tempus, scilicet, locum, causam, & modum facti. Tempus, erat enim proximum Pascha dies festus Iudæorum. Locum, trans mare Galilææ in deserto. Causam, quia secuti eum fuerant, qui famelici erant, & vt signo visibili fidem suorum confirmaret, & profundum mysterium insinuaret. Ostendit enim diuinā potentiam in panum & piscium multiplicatione, diuinam sapiētiam in mysterij profunditate, diuinā benignitatem, triplex beneficiū cōferendo. Famelicos enim corporaliter reficiebat, languores sanabat, mentes verbo doctrinę recreabat. Et ita sicut in baptismo Christi, ita in hoc facto tota apparuit Trinitas. Pater in potentia, Filius in sapiētia, Spiritus sanctus in benignitatis affluentia. Modū etiā facti diligenter debemus intueri. Oculos enim subleuat, Philippū tentauit, turbam super fœnū sedere fecit, gratias egit: postquam satiati sunt, fragmentis duodecim cophinos impleuit. Immi-

*De modo facti.*

*De tempore.*

nente die festo turbas pauit, vt nobis exemplū relinqueret, quod imminentibus magnis solemnitatibus animas nostras diligentius præparare debemus, vt cū Propheta dicamus: Paratū cor meū Deus, paratū cor meū, parata sunt vasa, infunde oleū. Vnde imminente die festo Pentecostes, quo Deus dedit legem filiis Israël in monte Synai. Dixit Dominus Moy: Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. Et similiter magnis solemnitatibus appropinquantibus fideles in Ecclesia debent arctius ieiunare, verba diuina frequentius audire, limina Ecclesiæ attentius visitare, eleëmosynas largius erogare. Vnde & nos appropinquāte die festo redemptionis nostrę, debemus Dominū sequi in solitudine, in austeritate, scilicet, durioris & arctioris pœnitētiæ, panibus verborū eius animas nostras cōfortare, & infirmitates animarū nostrarū ei curādas offerre. Et maximè quātò magis morti appropinquamus, quasi imminēte semper Pascha, nostri transitus semper in melius proficiamus, & cum maiori diligētia animas nostras præparemus. Mors enim sanctorū pretiosa est in cōspectu Domini. Dies festus Iudæorū, id est, verè confitentiū, dum transeunt de morte ad vitam, de deserto ad patriam. Trans mare Galilææ Dominum sequi debemus, fluctus huius seculi conculcādo, & amorem labentium rerum mente prætereundo, vt de mundo ad patrem desiderio transeamus. Mare siquidem Galilææ dicitur iste mundus: Galilæa enim rota interpretatur, quia amor huius mundi in vertiginem secularium corda inuoluendo vertit. Sicut scriptum est: In circuitu impij ambulant. Ab vno puncto ad eundem redeuntes: in peccato nascuntur, & in peccato misera eorum vita terminatur. Vnde Isaias: Dominus immiscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecit Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens. Postquam verò Dominus noster mundum istum transiit & surrexit à mortuis, calcatis fluctibus nostræ mortalitatis: secutæ sunt eum turbæ multæ, cùm priùs eum sequerentur soli Iudæi. In desertum verò extra ciuitates, Dominus populum trahit: In solitudine enim peccatores extra tumultuosas ciuitates, quas Dominus non ingreditur, verba Dei audire debemus. Vnde Ieremias: Relinquite ciuitates, & habitate in petra. Desertum autem dicitur vita spiritualis, quæ à paucis colitur, & à multis deseritur. Specialiter autem vita pœnitentium desertum dicitur, propter asperitatem & vitæ austeritatem, propter tentationum adustionē, & morsus serpentum, id est, infestationes dæmonum, qui grauius persequuntur relinquentes secutum, & propter ariditatē & carnis mortificationē, in qua ariditate immundus spiritus non inuenit requiem. Si enim superare volumus hostes illicitæ voluptatis, in corporū nostrorum castris eis subtrahere victualia laboremus. Desertum prætereà dicitur propter sitim & ardorem spiritualis desiderij. Et quia non est reperire aliquod bonum in deserto, nisi aliundè afferatur, iuxta illud: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est. Terra enim nostra maledicta, non nisi spinas & tribulos germinat. Vnde Osee: Quasi vuas in deserto inueni Israël. In deserto non sunt vuæ, nisi aliunde afferantur: Ita nullum est in nobis bonum à nobis, sed à solo Deo. De solitudine huiusmodi deserti dicit Moyses Pharaoni: Ibimus viam trium dierum, & sacrificabimus Deo nostro in solitudine. Via trium dierum Christus est, qui triduo passionis nos redemit. Primo die debemus eum sequi in cruce, secundo in sepulchro, tertio cum ipso resurgere. Via trium dierum, per quam debemus sequi Christum in deserto, est fides sanctæ Trinitatis: Via trium dierum, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Via trium dierum, Oratio, Ieiunium, Eleëmosyna. Via trium dierum, Fides, Spes, Charitas. Viam trium dierum incedit, qui cogitatione, locutione, & opere, Deo seruit. Viam trium dierum post Dominum vadit, qui de peccatis cogitationis, locutionis, & operis satisfacit. Viam trium dierum incedit, qui tribus satis farinæ, scilicet, in rationali concupiscibili & irascibili charitatis fermentum apponit, vt omnes animæ vires conditæ sint charitate. De hoc triduo Dominus in Euangelio dicit: Ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor. Hæ tres dietæ designabantur in veteri Testamento per tres principales festiuitates, Pascha, Penthecosten, & Schenopegiam. Vnde Dominus: Videte, vigilate & orate. In eius significatione Isaias tribus diebus nudus & discalceatus incessit, plangens peccata populi sui. His tribus dietis debemus sequi Dominum in desertum & solitudinem

*De multiplici deserto & solitudine.*

*Iacob.1. Gen.3. Osee.9.*

*De multiplici via trium dierum.*

*Exod.3. & 5.*

*Matth.13.*

*Luc.13.*

*Mar.13. Isa.20.*

*Demarī Galilææ.*

*Isa.19.*

*Matth.8. Iere.48.*

*De his quæ specialiter deserto conueniunt.*

*Matt.12. Luc.11.*

*Exod.25. & 37.*

*De circumstantiis pensandis.*

*De modo facti.*

*De tempore.*

*Exod.19.*

*Quod extra Ægyptum sacrificare debemus. Exod.8.*

pectoris pacis quàm nemoris, vt ei sacrificium bonorum operum offeramus. Exeamus ergo de Ægypto, vt ei sacrificemus in deserto. Qui enim in Ægypto tenebrarũ & peccatorum Deo sacrificat, nõ hostiam viuã, sed mortuã offerẽdo Deum nõ placat. Vnde Pharao flagellatus ait ad Moysen: Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac. In Ægypto Domino sacrificant, qui pro terrenis Deo militant. Induratum est autem cor Pharaonis, & noluit dimittere populum, nisi in manu forti. Omnibus enim modis diabolus nos impedire conatur, ne Dominum in desertum sequamur. Etsi aliquando ab Ægypto recedimus opere, nititur nos retinere cogitatione & locutione, ne triduum perficiatur. Vnde ipse Pharao rursum afflictus, ait: Sacrificate Deo vestro, veruntamen ne longiùs abeatis. Longè autem recedit, qui peccatũ & omnes peccati occasiones fugit. Iterum afflictus Pharao, voluit eos dimittere, sed filios eorum & vxores, & omnia quæ possidebant, retinere. Nouit diabolus, quia amor talium multoties retrahit hominem in Ægyptum. Vnde Moyses respõdit: Cum paruulis nostris & senibus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ouibus & armentis. Nihil de his, quæ ad nos pertinent, debemus in Ægypto relinquere. Bonus pastor qui noluit fugere & oues relinquere. Iuxta illud: Omne quod dedit mihi pater, non perdam ex eo quicquam. Nihil prorsus debemus in Aegypto relinquere, sed nos & nostra debemus Domino in deserto sacrificare. Paruulos, id est, opera nouella: Senes, opera consuetudinaria: Vxores & ancillas, opera vitæ actiuæ: Oues, opera simplicitatis & innocentiæ: Armenta, perfectionis opera debemus extra Aegyptum tenebrarum facere & exercere. Quomodo enim cantabimus canticum Domini in terra aliena? Tandem verò Pharao multipliciter afflictus, ait: Ite & sacrificate Deo vestro, oues tantũ & armenta remaneant. Diabolus enim non ignorat omnia bona amitti, si vnum solũ fiat in peccato mortali. Quia qui offendit in vno, factus est omnium reus. Vnde sustinet multa bona opera fieri, dum per vnum malum opus aniꝑ mam possit retinere, & per alia de genere bonorũ, quæ agimus, nos securos reddere. Oues quorum innocentiã circumueniat: Armenta quibus onera peccatorũ imponat, nititur in Aegypto retinere. Ecce quàm durum est in manus eius incidere, cum quanta difficultate permittit eos, quos semel inuoluit tortuosus serpens euadere. Facile est in eius retiacula cadere, sed postquam more piscium intrauerimus, per nos euadere non possumus. Lata est via in principio, quę ducit ad mortem, sed angustissima in fine. Facilis descensus auerni, absq; vllo labore terra malas herbas germinat, sed sine cultu & labore bonum fructum non ex se procreat: per se potest homo in foueam ruere, sed non per se potest resurgere. Spiritus vadens & non rediens. Adeò enim induratum est cor Pharaonis, quod nunquam dimittet eum, nisi in manu forti, nisi fortior superueniat, nisi fortis illa manus eum liberet, quæ cruci affixa debellauit aëreas potestates. Vnde inuocandum est eius auxilium, vt ipsum, calcato mari Galilææ, sequi valeamus in desertum, vt eruat à morte animas nostras, & alat eas in fame. Ipse enim, vt dicitur in Euangelio, eleuatis oculis, & videns turbas sequentes ipsum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Oculos misericordiæ subleuauit, vt sequentes se subleuaret & releuaret. Et nos oculos cordis leuemus, dum turbas verbo Dei pascere volumus, vt tantum pro salute auditorum prædicemus. Dominus autem ad sequentes se, oculos leuat, qui de Aegypto tenebrarum, de carcere Pharaonis, de confusione Babylonis, & de tumultu ciuitatum, de Sodomis vitiorum, ad ipsum transeunt in solitudinem spiritualis deserti: qui ipsum sequuntur, non solùm corpore, sed mente. Dominus enim exeuntes de Aegypto, satiat: Vnde ipse ait: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum & replebo illud. Debemus enim sequi Dominum tantum propter se, non sicut ille, qui ait: Domine, sequar te quocunque ieris. Qui verò pro temporali commodo ipsum sequi voluit, statim à Domino audiunt: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. In corde enim talium, caput suum non reclinat, nec quiescebat in illius mala intentione. Vnde & ipse quibusdam sequentibus se, ait: Quæritis me, nõ quia vidistis signa, sed quia ex panibus mãducastis, & saturati estis. Ita mercenarij sacerdotes, & qui prædicant, vel religionem intrant, vt manducent, Deum quærunt, sed non inueniunt. Alij autem propter malitiam tantum, vt eum caperent in sermone, sequebantur Dominum. Alij causa curiositatis, vt miracula viderent, nec tamen propter hoc mores suos in melius emendabant. Hos autem Dominus non satiat, nec super eos oculos leuat. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare. Pascit enim Dominus esurientes, qui ipsum cum desiderio & charitate sequuntur. Vnde & turbam istam famelicam pauit & satiauit, qui esurientes impleuit bonis, in hoc nobis relinquens exemplum, quod pauperibus non diuitibus, famelicis non saturatis, debemus eleëmosynas erogare. Famelicis enim & indigentibus dare debemus, non ructantibus, non phasianas aues lentis vaporibus coquentibus. Vasa enim vacua impleuit Elisęus. Habentibus enim dare nihil aliud est, quàm perdere. Vnde Hieronymus: Sacrilegium est res pauperum non pauperibus dare. Et Ioannes in sua Canonica: Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc maximè in peregrinos & pauperes, à quibus, scilicet, nullam expectas remunerationem. Pauit igitur Dominus sequentes ipsum in deserto, pauit famelicos, pauit oues, non lupos, non porcos. Oues enim non canes in loco pascuæ collocauit. Non dedit canibus panem filiorum. Scriptum est enim: Si benefeceris, scito cui benefeceris: benefac humili, & ne dederis impio. Priùs autem sanauit

*Quòd multis modis Pharao nititur nos retinere in Ægypto.*

*Exod.10.*

*Iacob.2.*

*Quàm difficile est de manibus Pharaonis euadere. Matt.7.*

*De eleuatione oculorum Domini.*

*Propter quid sequi debemus Dominum. Matth.8.*

*1.Ioan.2. Cuiusmodi homines pascit Dominus.*

*4.Reg.4.*

*3.Ioan.1.*

*Matth.15. Mar.7.*

*Eccle.12.*

sanauit, postea pauit. Nisi enim à peccatis sint sanati, non sunt apti, nec digni cibo spirituali. Pauit Dominus turbas & satiauit. Diabolus porcos suos pascit, non panibus sed siliquis, quæ sunt legumina sonoris folliculis sed vacuis, quibus magis inflantur pecora diaboli, quàm satientur. Vnde Isaias: Quare appenditis argentum vestrum, non in panibus & labores vestros, non in saturitatem? Et Osee de reprobis ait: Comedent & non saturabuntur. Fecit autem Dominus eos, quos pauit sedere super fœnum. Omnis caro, fœnum. Vnde super fœnum sedent, qui carnales voluptates conculcant, qui carnem suam macerant. Teste enim beato Hieronymo, nitida cutis sordidum animum ostendit. Qui ergo spiritualiter à Domino refici desiderat, super fœnum sedeat: de quo fœno dicitur in Iob: Fœnum sicut bos comedet. Diabolus enim fœnum, id est, carnales homines comedit in peccatum deiiciendo, quos posteà ruminat, peccatum iterando, Alibi dicitur in Euangelio, quod quatuor milia hominum pauit, qui super terram sederunt. Terrenam enim cupiditatem debemus conculcare, & terram illam sub pedibus conterere: de qua dicitur in Genesi ad serpentem: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et Isaias: Serpenti puluis panis eius, id est, superbi, quos proiicit ventus elationis à facie terræ. Discubuerunt autem distinctè per ordines suos, sicut in alio Euangelio dicitur. Sunt enim tres ordines fidelium in arca Noë tricamerata in sancta, scilicet, Ecclesia. Noë, Daniël & Iob. Qui extra hos ordines discumbunt, spiritualibus epulis satiari non possunt. Quærit autem Dominus à Philippo, non quia ignoret, sed vt Philippus interrogatus & tentatus fidei suæ tarditatem agnosceret, quatenus viso miraculo crederet paucorum denariorum panes sufficere posse turbis reficiendis, præsente rerum omnium creatore, qui educit panem de terra, & de vno grano multa multiplicat. Non enim istud minoris potentiæ, sed non reputatur miraculum, quia est vsitatum. Accepit autem Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. Gratias ait Dominus, quia de nostris gratulatur profectibus, exemplum nobis relinquens, vt de spirituali refectione gratias agamus. Cibum etiam corporalem non debemus recipere sine gratiarum actione. Dominus etiam in nouissima cœna accepit panem, & dedit Discipulis, gratias agens de nostra redemptione. Similiter & gratias agit de nostra spirituali satietate. Vnde in Euangelio: Confiteor tibi pater cœli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Dum igitur Dominus oculos leuat, quos demissos habebat, nos inuitat ad humilitatem: dum super fœnum discumbere facit ad castitatem: dum gratias agit ad charitatem: dum pascit ad pietatem & largitatem: dum fragmenta colligi præcipit ad prouidentiam & cautelam: dum quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus multitudinem hominum pascit, profundum designat mysterium. Puer enim cum quinque panibus hordeaceis, est Moyses cum quinque libris Legis. Hordeum pungitiuum est, & Legis austeritatẽ signat. Hordeum sub tenaci palea medullam tegit & conseruat, & Lex sub cortice literæ spiritualem intelligentiam celat. Hordeum, cibus est iumentorum & rudium, & populus Iudæorum rudis erat. Quinque sensibus seruiens carnalis, & multum fœnum habens, quia carnaliter sapiens, & in carnalibus quiescens. Duo pisces, sunt Psalmi & Prophetæ, legis austeritatem temperantes. Vnde Dominus in Luca: Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me. Quinque panes cum piscibus multiplicantur, dum tot librorum volumina de paucis libris emanantia à Doctoribus eduntur. Reliquias Apostoli colligunt, dum secreta mysteria, quæ vulgus non capit, spiritualiter intelligunt. Qui bene per duodecim cophinos designantur, quorum manus in cophino seruierunt: humiles enim facti sunt, & mundo despicabiles, & contempti immunditias tollentes, & quasi fimum peccatorum nostrorum super humeros portantes. Dominus autem noster gradatim, & pro viribus hominum dona distribuit. Primò quinque panibus hordeaceis populum carnalem pascit. Secũdò, septem panibus, quos triticeos fuisse credimus, quatuor millia hominum satiauit. Hi sunt viri Euangelici quatuor virtutibus cardinalibus exornati, qui septiformi spiritu interius recreantur. Sicut scriptum est: Homines & iumenta saluabis Domine. Tertiò corporis sui pane & sanguine suo, fideles suos reficit. Quartò pro summo munere electis suis tribuit, vt edãt & bibant super mensam eius in regno cœlesti. His enim qui mandata eius audiunt, & ea in corde suo tanquam in libro scribunt, pro panibus hordeaceis, terram fluentem lac & mel tribuit. Viri autem in numero refectorum numerantur. Mulieres autem & paruuli comedunt cum aliis, & non computantur. Pueri enim sensu, & mulieres, id est, fluxi, & molles comedunt, cum aliis verbum Dei audiendo. In libro tamen vitæ scripti non sunt, quia non implent quod audiunt. De quibus in Psalmo dicitur: Multiplicati sunt super numerum. Mali enim plures sunt quàm iusti, qui in libro vitæ scripti sunt & numerati. Vnde in libro Numeri: Non mulieres vel paruuli numerantur, sed tantum viri robusti ad prælium expediti, à viginti annis & supra. Vos igitur fratres Charissimi in solitudine, non tam nemoris quàm pectoris, in deserto pœnitentiæ & austeritatis vitæ, Christum passibus fidei, & bonorũ operũ sequendo & imitando, fœnũ carnalis cõcupiscentiæ cõculcetis, vt panibus hordeaceis & piscibus animæ vestræ reficiantur. Panes hordeacei duri & asperi, moraliter viram pœnitentium designant. Sunt autem quinque, quia ad hoc quod verè pœniteat aliquis, quinque exiguntur, scilicet, fides cognitionis, timor punitionis, dolor contritionis, pudor confessionis, labor satisfactionis. Primus panis est, quasi in quatuor partes diuiditur, dum incipit homo cognoscere, & considerare mala quæ fecit: bona quæ omisit, pœnam suam quam

*De porcis diaboli & pastura eius. Isaiæ 55.*

*Quod fœnum carnis debemus cõterere.*

*Iob. 40.*

*Quod super terram debemus sedere. Matth. 15. Gene. 3. Isaiæ 65.*

*De ordine discumbentiũ.*

*Quare Dominus quæsiuit à Philippo.*

*De hoc quod Dominus gratias egit. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

*Breuis prædictorum recapitulatio.*

*De mysterio quinque panum & de hordeo.*

*Mysteriũ duorum piscium. Luc. 4.*

*De cophinis & collectione reliquiarũ.*

*Quod diuersi diuersis ciborũ pascit Dominus.*

*Luc. 22.*

*Exod. 3. Quod viri numerati sunt, non mulieres aut paruuli.*

*Num. 1.*

*Conclusio & prædictorum recapitulatio moralis.*

*Alia expositio quinque panum.*

*De primo pane & eius partibus.*

*De secundo pane & eius partibus. De tertio pane.*

meruit: bonum quod amisit. Ex hac consideratione incipit iam timere & vesci secundo pane, quem in partes quatuor diuidit, scilicet, finē incertum: purgatorij pœnas: extremum iudicium pœnas æternas metuendo. Ex timore incipit panem tertium manducare, & de malis commissis conteri & dolere, quem panem in quatuor partes diuidere debet, vt conteratur peccatum detestando cum spe veniæ, cum proposito satisfaciendi, cum voluntate nunquam peccandi.

*De quarto pane. De quinto pane.*

Post hunc, quarto vescitur pane, scilicet, confessionis, qui similiter debet quatuor partes habere, vt sit confessio integra, discreta, & distincta, frequens & festinata. Tandem verò panem vltimum, laborem scilicet, satisfactionis in quatuor partiatur: quæ sunt coporis afflictio, oratio, eleëmosyna, & ablatorum restitutio. Asperi sunt panes isti, sed Dominus eorum temperat austeritatem, duos pisces eis addendo: qui sunt, spes, & charitas. Spes enim veniæ, spes gratiæ, spes gloriæ, & feruor charitatis omnem amaritudinem pœnitentiæ dulcem reddunt & suauem. Vel duo pisces, fides passionis Christi, & exempla sanctorum ligno crucis, & sanctorum exemplis amaritudo tollitur, & pœnitens animatur. Duo etiam pisces sunt patientia ex mari, & deuotio ex aqua dulci. Hi autem prædicti pisces in aquis baptismi oriuntur, & sub aquis gratiæ & lachrymarum nutriuntur. Prædictis autem panibus hordeaceis quinque milia satiantur hominum. Hi scilicet, qui quinque sensus perfectè Dei seruitio subiiciunt. Millenarius enim perfectionis est numerus. Hoc hordeum vix à palea auellitur, quia sine peccatis venialibus vix aut nunquam fieri possunt pœnitentiæ opera. Panis igitur pœnitentiæ, panis est hordeaceus, panis Heliæ subcinericius: vt fiant opera pœnitentiæ cum humilitate & memoria nostræ fragilitatis. Hic est panis hordeaceus subcinericius, qui castra Madian, id est, diaboli confregit: sicut dicitur in libro Iudicum, in historia Gedeonis: Hic est panis luctus & doloris, de quo Psalmus: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Et iterum: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Dominus enim pœnitentes cibat pane lachrymarum, & dat eis potum in lachrymis in mensura. Cribratur autem farina, vt fiat panis iste per varias tribulationes & tentationes. Conglutinatur autem in pastam per humilitatem, quæ omnium virtutum est glutinum & cæmentum. Haurietis aquas de fontibus Saluatoris, vt fiat noua conspersio. Fermentatur fermento illo, quod abscondit mulier in farinæ satis tribus, id est, per spem, quæ attollit & eleuat totam bonorum operum massam. Formatur autem per charitatem, quæ omnes virtutes, & opera virtutum informat. In clibano autem patientiæ solidatur & coquitur, vt esibilis reddatur. Sunt præterea panes alij, quibus Dominus nos reficit, quos in oratione Dominica tanquam pauperes à Domino mendicamus, dum dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Est enim panis diuinæ scripturæ & sacræ doctrinæ. de quo Ieremias: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Et in Ecclesiastico: Cibauit eum pane vitæ & intellectus. Dominus autem hos panes, quos puer, id est, Iudaicus popuuls integros ferebat, multiplicauit: dum diuinas scripturas spiritualiter intelligi facit. Quos Apostoli distribuerunt turbis, docendo & prædicando. De hoc pane scripturarum dicitur in Genesi: In sudore vultus tui vesceris pane. Cum difficultate enim intelliguntur à nobis sacræ scripturæ. Hic est panis filiorum, de quo dicitur in Euangelio: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Hic est panis similagineus sine furfure falsitatis & azymis, sine fermento corruptionis. Est præterea tertius panis, qui dicitur panis Eucharistiæ: panis, scilicet, corporis Christi: panis Angelorum, manna desertis panis qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo. De quo ipse Dominus ait: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hic est pinguis panis, Aser præbens delitias regibus, sicut dicitur in Genesi. Et in libro Sapientiæ: Paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum habentem. Hic panis subcinericius fuit, dum carnem nostræ mortalitatis assumpsit, hordeaceus fuit confringens castra. Madian dum factus est cibus iumentorum, id est, simplicium. Est præterea hordeaceus in sanctis suis, quia contemptibilia & humilia elegit vt castra Madian, id est, fortia quęque confunderet, quasi cum furfure fuit, quamdiu fuit nobiscum in mortali corpore. Factus est autem similagineus in resurrectione. Hic est panis igne spiritus sancti coctus in clibano, id est, virginis vtero. Panis sartagine, id est, in cruce, per quam dura corda facta sunt mollia, & mollia, id est, fluxa corda, & debilia fuerūt solidata. Fuit etiam panis in craticula, id est, in morte & sepultura. Dominus autem panem clibani nobis tribuit, dum spiritus sancti igne succendimur. Panem sartaginis, dum per patientiam solidamur. Panem in craticula, dum per passionem consummamur. Panis insuper clibani, pondus est tribulationis & persecutionis. Panis in sartagine, zelus ardentis desiderij. Panis in craticula impugnatio multiplicis tentationis, & maximè illius, quæ fit à sensualitate. Nam craticula ab inferioribus succenditur, & multis oculata foraminibus multiplicem designat tentationis impugnationem. Non solùm autem corpus Christi materiale, sed & corpus eius spirituale, id est, Ecclesia, panis nuncupatur, quæ ex multis granis fidelium collecta, inter duas molas veteris & noui testamenti, vel inter spem & timorem molitur, aqua baptismi conspergitur charismate siue oleo, secundum legis mandatum vngitur, igne sancti spiritus solidatur. Hunc panem manducamus, dum Christi mēbra efficimur, & ei incorporamur. Est alius panis confortās cor hominis, sine quo nulla mensa potest esse fertilis vel copiosa, vel Deo grata: fides, scilicet, Iesu Christi. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Hic panis fidei ex multis articulorum granis

*De duobus piscibus alia expositio.*

*De quinque milibus hominum alia expositio.*

*De multiplici pane, & primò de pane pœnitentiæ. 3. Reg. 19. Iudi. 7.*

*Qualiter panis pœnitentiæ habeat fieri. Isaiæ 12. 1. Cor. 5. Matth. 13.*

*Secundus panis diuinæ scripturæ. Tren. 4. Eccle. 15.*

*Gene. 3.*

*Matth. 15. Mar. 7. Leuit. 2. Tertius panis Eucharistiæ. Exod. 16. Ioan. 5. 6. Gene. 49.*

*Leuit. 2. De panibus clibani, sartaginis & craticulæ.*

*Quartus panis corpus Christi mysticum. Quintus panis fidei.*

*Heb. 11.*

granis conficitur. De his panibus in Euangelio dicitur: Amice, commoda mihi tres panes: per quos intelligitur fides trinitatis. Hi sunt tres farinæ modi, quos obstulit Domino Anna mater Samuëlis. Hi sunt tria farinæ sata, in quibus misit mulier Euangelica fermentum, id est, feruorem charitatis. Hæ sunt tres panis tortæ, cum quibus occurrit homo Sauli, postquam à Samuële inunctus est in Regem. Est alius panis qui omni ferculo contemperatur, & omni cibo conuenit, Hic est panis charitatis, sine quo insipidus est omnis cibus, in conspectu Dei. De quo in Euágelio Dominus ait: Quis autẽ ex vobis patrem petit panẽ, nunquid lapidem dabit illi? Hic est panis sanctus & sanctificans. De quo in libro Regum dicit Abimelech sacerdos ad Dauid: Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum. Est præterea panis bonę operationis. De quo in Isaia dicitur: Panem nostrum comedemus. Hi sunt panes azymi, quos comedimus, dum bona opera sine fermento hypocrisis, & vanæ gloriæ facimus. Hi sunt panes calidi & recentes, quos in festo Pentecostes, Deus sibi offerre præcepit. Vnde in libro Regum dicitur: quod corui afferebant Eliæ panes in mane, id est, bonæ conuersationis, primordia quibus verus Elias delectatur, & carnes in vespere, per quas fides incarnationis intelligitur. Sunt alij panes, qui valdè mentes nostras reficiunt, id est, sanctorum patrum exempla. Hi sunt panes propositionis in mensa Domini. Hæ sunt reliquiæ, quas Dominus post cœnam præcepit in cophinis reseruare. Quid est enim fragmenta post cœnam colligere, nisi sanctorum exempla post mortem ad memoriam reuocare, vt cophini impleantur, id est, pauperes & humiles Euangelizentur. Nam & canes comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Est præterea panis vitæ temporalis, de quo in Ieremia dicitur: Mittamus lignum in panem eius, id est, vitam eius in ligno crucis extinguamus. Est insuper panis æternæ beatitudinis, de quo in Euangelio: Beatus qui manducat panem in regno Dei. Et quia non in solo pane materiali viuit homo: prædictos panes spirituales manducemus cum Domino in azymis sinceritatis & veritatis. Non edamus panẽ hæreticæ prauitatis, de quo Salomon ait: Aquæ furtiuæ dulciores, & panis absconditus suauior. Et in Iob: Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum. Neque panem hypocrisis, de quo Dominus ait: Cauete vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nec panem mendacij, quem comedunt fraudulenti mercatores, & falsi aduocati: De quo dicitur in Prouerbiis: Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. Neque panem iniquitatis, quem comedunt, qui gloriantur in malitia, & lætantur, cùm malefecerint. Vnde Psalmus: Qui deuorat plebem meam sicut escam panis. Neque panes laicos, id est, vitæ secularis: de quibus in libro Regum. Non habeo panes laicos ad manum, nec panes muscidos Gabaonitarum, id est, scientiæ secularis: sed epulemur cum Domino in azymis sinceritatis & veritatis. Ipso præstante, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*Lucæ 11.* *1. Reg. 1.* *Lucæ. 13.* *1. Reg. 10.* *Sextus panis charitatis.* *Lucæ. 11.* *1. Reg. 21.* *Septimus panis bonæ operationis.* *Isaiæ 4.* *Octauus panis boni exempli.* *Matth. 11.* *Matth. 15.* *Mar. 7.* *Nonus panis vitæ temporalis.* *Decimus panis æternæ beatitudinis.* *Lucæ 14.* *Deut. 8.* *Matth. 4.* *De multiplici pane malorũ* *Primus hæreticæ prauitatis.* *Prouer. 9.* *Iob 9.* *Secundus panis hypocrisis.* *Tertius panis mendacii.* *Prouer. 20.* *Quartus panis iniquitatis.* *Prouer. 2.* *1 Reg. 21.* *Quintus vitæ secularis.* *Sextus panis sapientiæ huius mundi.* *Psal. 42.*

## DOMINICA IN PASSIONE THEMA sumptum de Psalmo. 42.

*Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso eripe me: quoniam tu es Deus meus, & fortitudo mea.*



OR Sapientis vbi tristitia. In terra enim Heuilath, id est, lugentium, reperitur aurum optimum, quod non inuenitur in terra suauiter viuentium. Vnde mater nostra Ecclesia filiis suis compatiens, à principio septuagesimæ, vsque ad hanc dominicam perseuerauit in nocte, in tribulatione, & afflictione, & lachrymæ in maxillis eius, id est, in sanctis Prælatis, qui sua & populi peccata lugent. Gemens ergo multiplici obsessa amaritudine, tanquam triticum inter zyzania, tam de diabolo, qui primos parentes seduxit, quàm de membris eius conquerens & iudicium postulans, ait: Iudica me Deus, & discerne causam meam. Vnde Dominus, quasi in eius vltionem pugnaturus, & iudicium de inimico factutus, vexilla sua hodie incipit explicare, & ideo sub communi edicto clamatur in Ecclesia: Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium, vt scilicet, Christi milites ipsum sequantur in prælium. Quod ergo erit de illis, qui nondum parati sunt, qui adhuc inermes & ignaui in sepulchris concupiscentiæ, tanquam mortui computrescunt, qui nondum confessionem fecerunt. Timeant, ne dum nimiam faciũt moram, quasi in cauda & parte posteriori ab insidiatoribus capiantur. Surge ergo qui dormis, & exurge à mortuis, & Dominum tuum sequere, depone languorem, curre ad cõfessionem. Contritione autem, lachrymis, ieiuniis, orationibus, & misericordiæ operibus, his diebus passionis Christi, contra diabolum solito diligentius congrediendum est. Sol obscuratus est in passione eius, & nos radios secularis lætitiæ, in tenebris mœroris & afflictionis debemus nunc commutare. Dominus enim huiusmodi obscurum thalamum vult habere in eius munitione. Si enim sanguinem suum pro nobis fudit, & nos saltem pro Christo lachrymas debemus maximè in hoc tempore effundere, vt petra virga crucis his diebus percussa, aquas lachrymarum copiosè emittat. Si enim compatimur & conregnabimus. Ipse enim mortuus est pro nobis, peccata nostra ipsum interfecerunt, mortem eius nobis imputare debemus, quasi de terra sensualitatis nostræ eductum est ferrum, de quo claui eius fabricata sunt. De felle amaritudinis & iniquitatis nostræ, potus amarus propinatus est ei in cruce.

*Ecclę. 7.* *Gene. 1.* *De lucta Ecclesiæ.* *Tren. 1.* *De pugna Domini & eius vexillis.* *De his qui nimis differunt confiteri.* *Ephe. 5.* *De pugna contra diabolum, & quod his diebus passionis in mœrore & tristitia debemus esse.* *Num. 20.* *2. Tim. 2.* *Quod Christi mortem peccatis nostris imputare debemus.*

*Tren.4. Isaiæ 53.*

in cruce. Christus enim Dominus, vt ait Ieremias, captus est in peccatis nostris. Et Isaias: Propter scelus populi mei percussi eum. De silua multitudinis peccatorum nostrorum assumpta est lateris eius lancea. Ipse enim humiliatus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, sicut ait Isaias: Miserunt enim lignum in panem eius, id est, in corpus ipsius, quod est verus panis, & refectio fidelium. Vnde Ieremias in persona Iudæorum: Mittamus lignum

*Ierem.11.*

in panem eius. Quoniam igitur ipse pro nobis pugnauit, & pro hæreditate nostra recuperanda, factus est athleta noster: pugnemus & nos cum eo, vt possit dicere de nobis, sicut ait de Apostolis suis: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Sequamur ipsum in prælium, sicut ipse ait: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &

*Lucæ 23. Quod debemus Christum sequi in prælio. Matth.16.*

sequatur me. Sicut enim ipse pro nobis animam posuit, ita & nos animas nostras pro ipso ponamus, vt talia fercula reddamus ei, qualia nobis ipse apposuit. Hæc est iustissima causa animam pro anima, sanguinem pro sanguine, mortem pro morte illi reddere. Et quoniam causa, non poena, facit martyrem: ipse causam istam pro se & pro nobis à patre iudicari petit, dicens: Iudica

*De iudicio causæ & discretione à malis. Tren.3. Isa.53. & 54.*

me Deus, & discerne causam de gente non sancta, quasi diceret: Iniustè iudicatus sum à Iudæis, tu autem pater iustè iudica me. Iudica causam animæ meæ, defensor vitæ meæ. Ipsi iudicant & reputant me iniquum, sicut Isaias ait: Et cum iniquis deputatus est. Nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo. Tu autem iudica me, discute merita mea, iudica pro me, adiudica mihi causam, profer pro me contra impios sententiam, discerne causam meam & separa merita mea à meritis iniquorum: à gente non sancta. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam in resurrectione, vt appareat causa mea iusta: vt cognoscat mundus causam meam iustam, qui passus sum propter iustitiam, & propter communē humani generis salutem. Hæc est vox Christi, & omnium sanctorum eius, qui se iudicari & causam eorum discerni, & separari petunt à causa impiorum, & non solum in præsenti separentur corde & mēritis, sed insuper in futuro

*Matth.25.*

separentur corpore & loco, quando separabit Dominus agnos ab hœdis. Interim autem etsi non loco, causa separentur & animo, vt eripiantur ab homine iniquo, id est, apertè malo & doloso, decipiente, scilicet, in occulto, ne, scilicet, corrumpantur ab eis, sed meritis & retributione separentur. Hæc autem separatio iustorum ab iniquis maximè facta est per crucem & passionem Christi. Ipse enim positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël: & factus

*De separatione bonorum à reprobis per Christi passionem. Lucæ 2. 1.Cor.1. Exod.14.*

est aliis odor vitæ in vitam: aliis autem odor mortis in mortem. Et alter latronum positus est à dextris, & alius à sinistris. Mediante autem crucis torculari, separatum est vinum ab acinis, & quasi flagello crucis granum est diuisum à paleis. Percussum est mare rubrum virga Moysi, & transeuntibus filiis Israël, submersi sunt Ægyptij. Per fidem enim passionis Christi, per mundi huius amaritudines, quibus inuoluuntur Ægyptij, id est, seculares transimus, & fit nobis in mari rubro, id est, in hoc seculo, sanguine peccatorum infecto, via sine impedimento. Sanguis enim veri agni in limine cordis ponitur, vt interfectis Ægyptiis ab Angelo exterminatore liberemur. Hæc autem diuisio bonorum à malis, signata est per duos hircos, quorum vnus, qui

*De hirco emissario & alio qui offerebatur. Leuit.16. 1.Petri 4. De triplice iudicio iustorū.*

dicebatur emissarius, mittebatur in desertum. Hi sunt illi, qui mittuntur in infernum. Alius offerebatur Domino, per quem electi designantur. Vnde Petrus in Epistola canonica: Potens est Dominus iustos à tentatione eripere, & iniustos in diem iudicij reseruare cruciandos. Iudicat ergo Dominus iustos tripliciter, flagellando eos in hoc mundo, vt parcat eis in futuro. Tempus est enim, vt incipiat iudicium à domo Domini. Iudicat eos iudicio discretionis, causam eorum ab impiorum causa discernendo, & eorum merita approbando. Tandem autem iudicabit eos in iudicio æternæ ventilationis: dum iustos ponet à dextris suis: hœdos autē à sinistris. Huiusmodi diuisiones ostendit Dominus per decē plagas Ægypti, quæ in mysterio virgę Moysi factę sunt super Ægyptios, à quibus liberatus est populus Domini. Vnde Dominus in

*Matth.25. Exod.7. De decem plagis Ægypti & de diuisione filiorum Israël ab Ægyptiis.*

Exodo: Ponam diuisionem inter populū meum, & populū tuum. Mediante autem cruce Christi & eius passione, liberantur hodie veri Israëlitæ à plagis huius seculi, quibus affligūtur Ægyptij. Sume, inquit, Dominus Moysi, virgam in manu tua, in qua facturus es signa: & eleuans, percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem: & pisces, qui erant in flumine, mortui sunt. Hæc fuit prima plaga Aegypti, per quā facta est diuisio inter Aegyptios, & populum Dei. Aqua autem in sanguinem conuertitur: dum mali bonis temporalibus abutuntur. Aquam conuertit in sanguinem, qui potentiam in violentiam: diuitias in auaritiam, vel superfluitatem: pulchritudinem in luxuriam: scientiam in curiositatem conuertit. Aquam in vinum conuertimus: dum bonis temporalibus benè vtendo, vitam æternam promeremur. Secundo modo aqua Aegypti virga percutitur, & in sanguinem vertitur: dum mundi delectatio increpatur, & increpati deteriores efficiuntur. Filiis autem Israël hæc plaga in bonum conuertitur: dum carnalis, seu secularis voluptas virga crucis efficitur sanguis, id est, mors: vt pisces, id est, noxiæ & curiosæ cogitationes in ipsis moriantur. Virga etiam Dominicæ prædicationis aquæ vertuntur in sanguinem: dum populus in peccatis fluctuans, percutitur, vt cognoscat se in carnali sensu perire: sunt pisces qui in sanguine non possunt viuere. Secundum verò quod decem plagæ

*Moralis expositio de multiplici conuersione aquæ in sanguinem. De prima plaga. Quod prima plaga primo mandato decalogi adaptatur.*

transgressionibus decem mandatorum decalogi adaptantur, eò quòd transgressores his pœnis mulctantur, aqua conuertitur in sanguinem per idololatriam & superstitionem, ab his qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis contra primum mandatum decalogi, quod est de adorando vno Deo. Per aquam enim, ex qua per calorem creantur

creantur omnia, diuina intelligitur potentia. Ab hac plaga populus Domini liberatur. Aqua enim ad salutem in sanguinem mutatur: dum populus ad fidem passionis Christi conuertitur. Virga insuper aquam percutimus, id est, seculi delectationes, & carnales voluptates recordatione Dominicæ passionis etiam in sanguinem conuertuntur, dum nobis vilescunt, & eas corruptionem reputamus: videntes pisces, id est, curiosos & lasciuos in his aquis computrescere. *Exod 8.*

Secunda plaga fuit multitudo ranarũ de flumine ebullientiũ, quæ vsque in domum & cubiculum Regis ingressæ sunt, & in reliquias ciborum eius. Ranæ Aegypti, sunt carmina vana, & figmenta Poëtarum, cantilenæ mulierum, friuola verba scurrarum, & vilium personarum. Ranæ Aegypti adulatores, & garruli in penetralibus Regum ipsorum. Ranæ clamosæ, quę clamitant, velimus nolimus, cum improbitate & importunitate: sunt mimi & histriones: detractores clamosi, & pseudoaduocati: quæ omnia perturbant, aquam cum luto miscent, non in montanis & petris, sed in cœno habitantes. Hæc autem vaniloquia ex fluuio temporalis abundantiæ oriuntur, & ingrediuntur reliquias ciborum: quia post saturitatem abundat vaniloquium. Hæ autem ranæ ingressæ sunt furnos. Hi sunt Prælati, qui panem doctrinæ coquere debent, & reddere esibilem: in quibus garrulitas & vaniloquia perstrepunt. Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, & quia vani vana loquuntur, secundum decalogi mandatum transgrediuntur, quod est: Non accipies nomen Dei tui in vanum, id est, à veritate ad vanitatem non recedes, nihil friuolum, nihil quod sit mẽdacium, dicens: Hęc plaga populum Domini non lædit, in quibus virga verbi Dei, has ranas de flumine educit vt apparerent eis, & in ipsis moriantur, dum ab eis prædicta friuola respuuntur. Potest præterea per ranas, quæ in luto commorantur & ventres habent molles, quilibet luxuriosus intelligi, & maximè mulieres, quæ exterius, quasi depictæ & ornatæ apparent. Molles autem habentes ventres, interius immunditia libidinis sordent. In tertia plaga extendit Aaron manum suam, tenens virgam, percussitq; puluerem terræ, & versus est omnis puluis terrę, in ciniphes, id est, in muscas subtiles, quæ subterfugiunt visum & pungunt, atque circa oculos volitantes visum impediunt. Ciniphes sunt argutiæ deceptionis & peruersæ subtilitates, versutiæ hæreticorum & deceptiones sophistarum, & punctiones sollicitudinum, & curarum huius seculi, qui ex puluere terrenorum nascuntur, & animum perturbant & confundunt, & sabbatum pectoris tollunt. A qua plaga liberatur populus Dei per obseruantiam tertij mandati, quod est: Memento vt diem sabbati sanctifices. Ægyptus enim percussa est muscarum multitudine: Israël autem custodiam sabbati accepit in munere. Hæc autem plaga bonis conuertitur in bonum: dum per subtilitates hæreticorum eorum exercetur ingenium. Quarta plaga fuit Cynomia, scilicet, musca canina valdè pungens, & vsque ad sanguinem mordens. De qua plaga Dominus ait: Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ. Et venit musca grauissima in domo Pharaonis & seruorũ eius, & in omnem terram Aegypti. Hæ muscæ inquietæ, & immundæ malas signant cogitationes, & motus pungitiuos, iræ, inuidiæ, & cuiuslibet spiritualis nequitiæ, & angustiam remordentis conscientię. Musca canina detractores, aduocati latrantes, vt canes & alterutrum sæpè lacerantes, causarum secularium inquietudo & pungens sollicitudo. Et quoniam canes cęci nascuntur, & parentes non agnoscunt, qui mores caninos imitantur, & parentibus suis honorem & reuerentiam, & auxilium non impendunt, hanc plagam incutrũt, & quartum transgrediuntur mandatum: quod est, honora patrem tuum, & matrem tuam. Hæc plaga non tangit populum Dei, qui prauos animi motus ad petram allidit, qui serenitatem conscientiæ custodit, qui parentibus suis tam spiritualibus, quàm corporalibus honorem debitum impendit, qui benedictionem cõtra maledictionem reddit, qui pro detractoribus & persecutoribus orat. Quinta plaga fuit mors pecorum. Mortua enim sunt omnia animalia Aegyptiorum. De animalibus autem filiorum Israël nihil omnino periit. Interfectio pecorum exprimit mores hominum bestialiter viuentium: & maximè qui motus carnis in se non reprimunt, sed carnali voluptate pereunt. Transgrediuntur quintum mandatum, quod est: Non mœchaberis. Populus autem Domini motus animales in se perimens, hac plaga non tangitur, dum sensualitas rationi subiicitur. In sexta plaga proiicit Moyses cinerem in cœlum, & facta sunt vlceta & vesicæ turgentes in hominibus & iumentis. In vlceribus purulenta malitia. In vesicis tumens superbia, in feruore vulnerum, & pustulentis bullientibus, feruor iræ & rancoris insania exprimitur. Hanc plagam incurrunt, qui sextum mandatum transgrediũtur, quod est: Non occides. Ista enim tria torquent homicidas, scilicet, malitia cordis, elatio mentis, vesania iræ & furoris, in his qui proiiciuntur à manu Moysi, & legi Dei non sunt subiecti. Hæc plaga populo Dei vertitur in bonum, dum eorum patientia per hæc exercetur, & plerumque pro Christo à prædictis homicidis martyrio coronantur. In septima plaga extendit Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem ac discurrentia flumina: grando & ignis mixta pariter ferebantur. Primitiua hac plaga læsa sunt, serotina non sunt læsa. Tantum in terra Gessen, vbi erant filij Israël non cecidit. Est autem grando infidelis cordis duritia. Grando frangẽs aduersitas, grando auaritiæ tempestas. Septimum autem mandatum est: Non furaberis. Huius transgressores grandine feriuntur, & de nube, id est, de secreto Dei iudicio ager cordis eorum intrinsecus grandinatur & vastatur. Præmittit autem Dominus fulgura, id est, miracula, & ignem spiritus sancti, qui spinas vitiorum consumat. Et tonitrua, id est, comminatoria & increpatoria

*De secunda plaga. Moralis expositio.*

*Quod secunda plaga, secundo mandato adaptatur. Exod. 20.*

*Quod hæc plaga, & omnes aliæ populo Dei conuertũtur in bonũ & per eas causa eius separatur à causa reproborũ.*

*De tertia plaga. Exod 8. Moralis expositio.*

*Quod tertia plaga, tertio mandato adaptatur.*

*De quarta plaga. Moralis expositio.*

*Quod quarta plaga, quarto mandato adaptatur.*

*De quinta plaga. Moralis expositio.*

*Quod quinta plaga, quinto mandato adaptatur.*

*De sexta plaga. Moralis expositio.*

*Quod sexta plaga, sexto mandato adaptatur.*

*De septima plaga. Moralis expositio.*

*Quod septimo mandato, septima plaga adaptatur.*

crepatoria verba, & voces doctrinæ. Qui hæc omnia contemnit, meritò grandinatur, dum cordis obstinationem incurrit. Hæc autem plaga non tangit serotina, id est, populum Dei, qui non quærit hæc temporalia, quasi primitiua: sed serotina & æterna bona. Tonitruo enim comminationum & grandine, id est, pœnæ gehennalis timore & igne dilectionis Dei abstinet se ab omni malo, & facit ei Dominus hoc signum in bonum. Reprobi autem, qui malo desiderio & corde frigido, duro & auaro forinsecus aliena furantur: iusto Dei iudicio intrinsecus quasi grandine vastantur. In octaua plaga extendit Moyses virgam super terram Aegypti, & Dominus induxit ventum validum vrentem, qui leuauit locustas super vniuersam terram Aegypti, & deuorata est herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat. Locusta volatilis, quæ omnia bona atterit & arrodit, inconstantes & adulatores designat, quo immoderatè facta hominum extollendo, omnia bona illorum corrumpunt, sicut Isaias ait: Populi meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressum tuorum dissipant. Et beatus Gregorius ait: Residuum grandinis comedit locusta, quia sæpè bonum quod non tollit aduersitas frangens, perimit adulatio demulcens. Locusta à posterioribus se attollens, saltum habens deciduum & adulatores: dum verbis mendacibus attollere cupiunt, in infernum decidunt. Herbam locustæ comedunt, quando adulatores verba loquentium fauoribus attollunt. Poma arborũ deuorant, quando opera aliorũ adulando commendant. Hæc pestis omnia virentia consumit, plus enim nocet lingua adulatoris, quã gladius persecutoris. Ventus autem vrens, id est, tempestas iræ diuinę locustas proiecit in mare, id est, in amaritudinem, pœnæ æternæ eos, scilicet, qui specialiter octauum transgrediuntur mandatum, quod est: Non falsum testimonium dices. Falsus enim testis Deum ore offendit, proximum lædit, iudicé fallit. Et sicut locusta fruges consumit mordendo, sic falsus testis bona proximi vastat mentiendo. Hac plaga populus Dei non læditur, dum causa eius de gente non sancta discernitur. Laudant enim plerumque bona non causa humani fauoris, sed causa exhortationis, nec falsum testimonium proferunt, vel de malis operibus falsis laudibus aliquẽ attollunt. In nona plaga extendit Moyses manũ in cœlum, & factæ sunt tenebræ palpabiles & horribiles in vniuersa terra Ægypti. Vbicunque autem habitabant filij Israël, lux erat. Tenebrę palpabiles obscuritatẽ iudicij diuini, & mentis impiorum insipientiam designabant, & cordis eorum cæcitatem arguebant. Nihil autem adeo inuoluit mentem peccatoris, sicut concupiscentia carnalis. Vnde specialiter hac plaga percutiuntur adulteri, qui nonum mandatum transgrediuntur, quod est: Non concupisces vxorem proximi tui. Ab hac plaga Dei populus liberatur, qui occulta Dei iudicia metuit & reueretur, à quo insuper omnis carnalis concupiscentia relegatur. In decima plaga nostris medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, tam hominum quàm pecorum: nec erat domus in qua non iaceret mortuus. Primogenita Ægypti nocte interficiuntur, dum per cęcitatem mentis, fides in peccatoribus destruitur. Per primogenita etiam potentes huius seculi, qui potenter tormenta patientur, intelliguntur qui vltima plaga in fine mundi à Domino reprobati ferientur. Qui autẽ proximorũ possessiones concupiscunt, & in bonis eorũ hæreditare volunt, meritò hærede priuantur, & eorũ primogenita perimuntur, dum decimum mandatum transgrediuntur, quod est: Non concupisces rem proximi tui. Ab hac plaga populus Dei non læditur, sed eius causa à causa impiorũ separatur. Dũ enim primogenita, id est, primos motus & illicita desideria in se interemit: primogenita fidei & aliarum virtutum non amittit. Ab hac autem & aliis plagis liberatur per sanguinem agni, positum in vtroque poste, & in superliminari fidem passionis Christi, habens in corde & ore, quasi in vtroque poste, & in superliminari, id est, in intentione, quæ præeminet actioni, quã ad imitationem passionis Christi debemus dirigere. Sanguinem præterea in superliminari ponimus, dum crucis signum in fronte facimus. In limine autem ponendus est sanguis, qui est ianua & introitus Paradisi. Ecce quanta virtus passionis Christi & mirificæ crucis, qua mediante populus Dei separatur ab impiis, & causa electorum discernitur à causa reproborum. Qui licèt multa habeant communia cum iniquis, scilicet, nasci, viuere, & mori, & multa alia: causa tamen eorum & merita discernuntur à meritis iniquorum per diuinam potentiam & sanctæ crucis virtutem, quam non sibi arrogat vir iustus & fidelis, sed liberationem suam Domino attribuit. Vnde subiungitur: Quoniam tu es DEVS meus, & fortitudo mea. Quia sine te nihil valeo facere. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius non saluabit me. Quæ est enim virtus corporis recedente anima. Quæ est virtus hominis vel animæ recedente spiritus sancti gratia. Fide enim passionis CHRISTI & baculo sanctæ crucis sustentatur anima. Hac virga separatur causa à causa, granum à palea: hoc sceptro imperiali inimicus confunditur, & populus DEI dirigitur & exaltatur. Virga enim Moysi, virgas Magorum deuorauit, dum sapientia CHRISTI stultam fecit sapientiam Philosophorum huius mundi. Absorpti sunt enim iuncti Petrę iudices eorum, id est, sapientia Philosophorum Christi sapientiæ comparata, absorpta est, & quasi pro nihilo reputata. Vnde Apostolus: Quod stultum est DEI, sapientius est hominibus. Quia quod sapientibus mundi videbatur stultũ de Deo, scilicet, crux, passio & mors, sapientius fuit, quàm ipsi possent esse vel intelligere. Et quod infirmũ est Dei, vt ait Apost. fortius est hominibus. Videbatur enim infirmitas in cruce mori, sed mors eius morte superauit diabolũ vicit, quẽ nullus homo, nisi in virtute crucis vincere potuit. Quia nõ est potestas super terram

*De octaua plaga.*

*Moralis expositio. Isaiæ 3.*

*Octaua plaga, octauo mandato adaptatur.*

*De nona plaga.*

*Moralis expositio. Nona plaga, nono mandato adaptatur.*

*De decima plaga. Moralis expositio.*

*Decima plaga, decimo mandato adaptatur.*

*Quod à prædictis plagis per Christi passionem fideles liberantur.*

*Quod omnia bona nostra ad Deum sint referenda.*

*Quod per crucem Christi fit bonorum à malis separatio.*

*1. Cor. 1.*

terram quæ comparatur ei. Vnde & virga Moysi versa in serpentem, deuorauit duos serpentes Magorum. Per serpentem autem intelligitur mors, quia per eum intrauit mors in orbem terrarum. Mors autem Christi, mortem corporis & animæ destruxit in nobis. Qui viuit in secula benedictus.

Sanguis, Rana, Ciniphes, Muscæ, Mors, Vlcera, Grando.
Brucus cum tenebris, Mors primis vltima natis.

Prima rubens vnda. *Est homo sanguineus, cui non colitur Deus vnus.*
Ranarũ plaga secunda. *Rana loquax hæresis, reprobat nomen Deitatis.*
Inde culex tristis. (lis. *Vt Ciniphes errant, qui sabbata sancta prophanant.*
Põst musca nociuior il *Ille cynomia fit, qui patres vt canis odit.*
Quinta pecus strauit. *Fit pecus, & moritur: quasi brucus adulter habetur.*
Vesicas sexta creauit. *Feruor vesicæ, feruens feruor est homicidæ.*
Ponẽ subit grãdo. (do. *Fur rapit exterius, Deus illum grandinat intus.*
Põst brucº dẽte nephã: *Dente locusta notet: falsus testis malè mordet.*
Nona regit solem. *Cor patiens tenebras, rapit vxores alienas.*
Primã necat vltima plẽ. *Prima perit proles, fore si malè quis cupit hæres.*

Audi Israël Deus tuus vnus est. *Contra superstitionem.*
Nõ accipies nomẽ Dei tui in vanũ. *Contra horrorẽ hæresis.*
Memẽto vt diẽ sabbati sanctifices. *Contra amorem seculi.*
Honora patrem tuum & matrem. *Contra impietatem.*
Non mœchaberis. *Contra fornicationem.*
Non occides. *Contra crudelitatem.*
Non furaberis. *Contra rapacitatem.*
Non falsum testimonium dices. *Contra falsitatem.*
Non cõcupisces vxorẽ proximi tui. *Contra adulterium.*
Non concupisces rem proximi tui. *Contra cupiditatem.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola ad Hebræos 9.

*Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non huius creationis, nec per sanguinem hircorum aut vitulorum.*

HVCVSQVE vexilla crucis fuerunt inuoluta & plicata, dum occultè de cruce & morte Christi sub obscuris mysteriis à principio septuagesimæ agebatur in Ecclesia. Hodie verò vexilla crucis prodeunt in aperto, & fulgent maiestate declarata & explicata crucis & crucifixi mysteria. Vnde Apostolus in hodierna Epistola apertè tractat de virtute & imminente tempore mortis eius. Multa passus est à Iudæis, & maximè postquam Lazarum suscitauit, ex tunc enim eorum inuidia & malitia magis creuit. Vnde Ioannes ait: quod cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter ipsum credebant in Iesum. Iesus autem non iam palam ambulabat apud Iudæos: In cuius rei signum his diebus supprimitur gloria in introitu missæ, & ad responsoria. Quoniam ergo his diebus insidiabantur Iudæi Domino, & de morte eius tractabant. Ecclesia de cætero incipit apertè eius passionem memorare: de qua hucusque tractauit occultè, sub figuris & mysteriis. Dum enim legimus & recitauimus, quod de latere Adam dormientis assumpta est & formata Eua. Mysticè per hæc intelleximus, quod de sacramentis lateris Christi in cruce dormientis, formata est Ecclesia. Adæ enim dormitio Christi passio. Conditio Euæ redemptio est Ecclesiæ. Eodem modo quando recitatum est in Ecclesia, quod per lignum arcæ, & aquam saluatus est Noë cum familia sua, designatum est quod per lignum crucis, & aquam baptismi salui facti sunt credentes, aliis diluuio peccatorum & pœnæ æternæ pereuntibus. Vnde Petrus: In arca pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, & nos nunc saluos facit similis formæ baptismus. Similiter legimus quod Noë vineam plantauit, & inebriatus vino, dormiuit denudatus. Cham filius eius derisit eum, Sem & Iaphet eum reuerenter cooperuerunt. Eodem modo synagoga, quam plantauerat Dominus, inebriauit eum in cruce, felle amaritudinis, & vino passionis potatus in cruce obdormiuit, & tunc infirmitas, quam pro nobis assumpserat, manifestè apparuit. Cornua enim crucis in manibus eius, & in cruce abscondita est fortitudo eius, potentia, scilicet, diuinitatis, & apparuit infirmitas humanitatis. Cham maledictus patris nuditatem derisit, & populus Iudæorum incredulus Christi deridet passionem, dicens: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Sem autem & Iaphet, id est, conuersi de vtroque populo, verenda patris reuerenter operiunt pallio sacramentorum, ostendentes Christi passionem humanæ redemptionis fuisse sacramentum. Postea recitatum est, qualiter Abraham imposuit ligna super filium suum Isaac, vt ipsum immolaret: Et Christus crucem suam propriis humeris baiulans immolatus est pro nobis secundum humanitatem, illęsa diuinitate. Vnde Isaac euadente, aries cornibus hærens inter vepres immolatus est. Per arietem enim Christi humanitas designatur: per vepres autem spinosæ mentes Iudæorum. Isaac ligatus est ad immolandum: & Christus ligatus est ad flagellandum. Mons autem, in quo immolatio facta est, altitudinem significat diuinæ charitatis. Ignis, angustiam passionis, vel ignis & gladius, quem portabat Abraham, illum ignem designat, quem Dominus venit mittere in terram, & illum gladium de quo ait: Non veni mittere pacem in terra, sed gladium. Ara verò Christi crucem designat. Duo pueri Abrahæ cum asino expectantes increduli sunt ex vtroque populo cum stoliditate & asinina tarditate expectantes. Stolidum enim est ipsum expectare venturum, quem iam multis Prophetarum testimoniis, & innumeris miraculorum prodigiis venisse probatur. Similiter & per scalam, quã vidit Iacob dũ dormiret, lapide capiti suppositio, signatur Christi crux, per quam est nobis in cœlum ascensus, qui dormiuit in morte. Coniunctio capitis & lapidis, diuinitatis & humanitatis coniũctionem designat. Eodem modo agni paschalis occisio, Christi passionem figurat. Similiter & virga, quam Moyses in terram proiecit, & versa est in colubrum, & expauit Moyses primò

*Quod his diebus vexilla crucis explicantur.*

*Ioan. 11.*

*Ioan. 12.*

*De occultis mysteriis passionis Christi.*

*De Eua mysticè & formatione eius ex latere viri.*

*Gene. 2.*

*Mysterium de Noë & Arcâ.*

*1. Pet. 3.*

*Mysterium de inebriatione Noë, & eius nuditate.*

*Gene. 9.*

*Abac. 3.*

*Gene. 9.*

*Matth. 27.*

*Mar. 15.*

*Luc. 23.*

*Mysterium de Abraham & immolatione arietis pro Isaac.*

*Gene. 22.*

*Ioan. 18.*

*Gene. 28.*

*Mysterium de scala Iacob.*

*Exod. 12.*

*Exod. 4.*

*Mysterium de agno paschali & virga Moysi versa in colubrum.*

ſes primo atque fugit, deinde per caudam apprehendit ipſum, & reuerſus eſt in virgam, Chriſti paſſionem & mortem eius ſignificat, quæ per ſerpentem intelligitur, quia per ſerpentem mors intrauit ad mulierem, vel per ſerpentem ſapientia crucis Chriſti intelligitur, quæ prædicata eſt per omnem terram. Nam ſerpens callidum eſt animal. Iuxta illud: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Fugit autem Iudæus Chriſtum paſſum, ſed in fine mundi, qui per caudam deſignatur conuertetur ad ipſum. Et tunc ſerpẽs reuertitur in virgam, dum cognoſcet in Chriſto diuinam potentiam. Multis inſuper aliis modis, & myſteriis de Chriſti paſſione, hucuſque occultam fecimus mentionem. Nũc autem Apoſtolus apertè in Epiſtola virtutem paſſionis Chriſti nobis oſtendit, dicens: quod Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, in cœleſte tabernaculum in ſancta ſanctorum, vt æternam nobis hæreditatem acquireret, & remiſſionem peccatorum nobis conferret: quod non potuit fieri per ſacrificia legalia, nec per ſanguinem hircorum aut vitulorum, nec per ſacerdotes legis Moſaicæ. Lex enim per Moyſen data eſt, gratia verò per Chriſtum. Vnde Apoſtolus: Multiplicem aſſignat differentiam inter ſacerdotium Chriſti & ſacerdotium legis: & multam præeminentiam huius ad illud, & ſacrificij Chriſti ad ſacrificia legis, & noui teſtamenti ad vetus teſtamentum. Sacerdos enim legalis faciebat peccatorum commemorationem. Chriſtus autem ſacerdos noſter, confert peccatorum remiſſionem. Ille ſemel in anno intrabat cum ſanguine hircorum & vitulorum, tabernaculum manufactum & corruptibile. Chriſtus autem per ſanguinem proprium, quem ſemel effudit, introiuit in cœlum quod eſt peramplius, quia plures capit & perfectius, quia ibi æternam beatitudinem perfectè conſequimur. Non manu hominis factum, ſicut tabernaculum in deſerto, ſed verbo Dei cęli firmati ſunt. Ibi enim ipſe Pontifex noſter aſſiſtit patri ad interpellandũ pro nobis, qui exauditus eſt in omnibus propter reuerentiam ſuam, & dator eſt æternorũ bonorum. Pontifex autem legis, qui peccator erat, pro ſuis & pro populi peccatis intercedebat, & quandoque non exaudiebatur, neque dare poterat æterna bona. Promittebat autem tantum ad literam bona temporalia. Vel tabernaculum dicitur corpus eius, in quo pugnauit ſecundum quod ipſe eſt Rex. Illud enim obtulit ſecundum quod ſacerdos. Introiuit igitur in cœlum, per tabernaculum corporis ſui, quod tradidit morti, quod eſt amplius & perfectius, quàm tabernaculum in deſerto conſtructum: quia plura bona profert terra corporis eius, & perficit in nobis, quàm illud tabernaculum quod fuit manufactum. Corporis autem eius tabernaculum, tantum de ſpiritu ſancto fuit conceptum. Per illud enim, & per ſanguinem ſuum ſemel effuſum, quia ſemel mortuus, iam non moritur: introiuit in cœlum aſſiſtens patri, vel nobis, nos adiuuando, inuenta à nobis vel à Chriſto nobis æterna redemptione, quæ non potuit inueniri in legalibus ſacrificiis, quæ non iuſtificabant, ſed ſignificabant, præfigurantia vnum verum & ſufficiens ſacrificium redemptoris. Præterea legalis ſacerdos alienas hoſtias offerebat. Chriſtus propriam hoſtiã corporis ſui: Legalis ſacerdos plures hoſtias offerebat ſucceſſiuè. Chriſtus autẽ vnã ſolã ſemel obtulit, quã non oportet iterare, quia ſufficiens fuit ad omniũ peccatorum ablutionem. Sacerdoti legali ſuccedebat alius poſt mortem ipſius: Chriſtus autem ſempiternum habuit ſacerdotium, ſicut ſcriptum eſt: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Vnde Apoſt. ad Hebręos: Plures quidẽ facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eò quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotiũ. Vnde & ſaluare poteſt, imperpetuũ accedentes per ſemetipſum ad Deũ, ſemper viuẽs ad interpellandum pro nobis. Legalis ſacerdos peccato non carebat, vnde tam pro ſuis, quàm pro peccatis populi hoſtias offerebat. Chriſtus autẽ peccatũ non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Vnde Apoſt. in eadẽ Epiſtola: Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui nõ habet neceſſitatẽ quotidie prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo. Legalis ſacerdos offerebat ſacrificia, quę nõ iuſtificabãt, ſed ſignificabãt, offerebat vmbrã in figura. Chriſtus verò obtulit ſacrificiũ, ſufficiẽs ad omnia peccata delenda. Oblatus eſt ſecundũ quod homo, delẽs peccata ſecundum quod Deus. Vnde Apoſtolus ait, quod exemplari & vmbræ cœleſtium ſeruiebant. Et iterum: Vmbram habens lex futurorũ bonorum, non ipſam imaginẽ rerum. Et paulò poſt: Impoſsibile eſt ſanguine taurorum & hircorũ auferri peccata. Illa enim ſacramenta ſignificabãt & promittebant ſalutem, noſtra vel noui teſtamenti ſacramẽta conferunt ſaluté, & in eis cumulus gratię cõfertur. Legalia enim ſacramẽta data fuerũt duris in flagellũ: imperfectis ad pędagogũ: perfectis autem in ſignum. Data enim fuerũt, vt duros & rebelles affligerent. Iuxta illud: Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte eum in operationẽ, ne vacet. Data fuerũt vt ſuperbos & arrogantes humiliarent, qui dicebant: Non deeſt, qui faciat: ſed deeſt, qui iubeat. Vnde ad reprimendam eorum pręſumptionẽ, impoſuit eis Dominus onus, quod nec ipſi, nec patres eorũ portare potuerunt, vt cognoſcentes infirmitatẽ ſuam humiliarentur & currerent ad gratiam. Data ſunt tertia ratione, vt eſſent paruulis & imperfectis in pędagogum, vt erudirentur ſub timore Dei, & quaſi pueri timore pœnæ corriperentur, & reprimeretur ętas laſciua, & prona ad vitia, & metu pœnæ coërceretur, & ad maiora prępararetur, vt tandem ad maiorem peruenirẽt perfectionem, & ad gratiam fidei recipiendam habilitarentur. Erat igitur quaſi inchoatio in his ſacrificiis: nam ſeruili timore manus cõprimebatur, vt tandem charitas quaſi filum per ſetam introducta, non tantum manum, ſed animum comprimeret. Vnde Apoſtolus: Lex neminem ad perfectum

*Matth. 10.*

*Multiplex aſſignatur ratio, inter vetus & nouũ teſtamentum, inter ſacerdotium legis, & ſacerdotium Chriſti, & inter ſacrificia eorum.*

*Alia expoſitio.*

*Secunda differentia & præeminẽtia.*
*Tertia differentia.*
*Quarta differentia.*

*Quinta differentia.*

*Sexta differentia.*

*Quare inſtituta ſint legalia ſacramenta.*

*Heb. 7.*

perfectum adduxit. Erat enim in ea inchoatio non perfectio. Vel ad perfectum dicit, quia legalia vitam æternam non conferebant. Data fuerunt præterea in remedium, vt, scilicet, populus ille ab idololatria retraheretur. Vnde & Dominus permisit, vt sibi ad tempus offerreretur, ne dæmonibus illa offerret. Fuerũt præterea instituta quinta ratione, vt vnũ & verũ Christi sacrificiũ præfiguraret, vnde nõ ratione sui, sed ratione significati, dicebantur offerri in odoré suauitatis. Illi autẽ qui spẽ in eis nõ ponebát, sed iustificati per fidẽ mediatoris venturi, hęc sacrificia spiritualiter intelligebát, & nõ seruili timore, sed cum charitate & deuotione, & obediẽtia, vt Dei mandata implerent, illa offerebãt: sic offerendo merebantur, nec tamẽ per ea iustificabátur, sed per fidẽ redemptoris venturi. Ex operibus enim legis sine gratia & fide mediatoris nemo iustificabatur. Lex enim, vt ait Apostolus, infirmabatur per carnẽ, id est, per carnales obseruantias. Et B. Augustinus ait, quod nec ante incarnationẽ, nec post, aliqui salui facti sunt sine fide mediatoris. Et Apost. Petrus: Non est in aliquo alio salus. Neq; enim aliud nomẽ sub cœlo datum est, in quo oporteat nos saluari. Et quoniã Christus finis erat legis ad iustitiã omni credẽti: Christo promisso veniẽte, debuerũt promittẽtia cessare. Nõ enim promittitur res cùm iam habetur. Quæ enim futuris nuntiãdis necessaria fuerũt, ipsis præsentibus & manifestis cessare debuerũt. Patet igitur ex iam dictis, quę sit differẽtia inter sacramẽta veteris legis, quę nõ efficiebãt quod figurabãt, & sacramẽta nouæ lẽgis, quæ in electis efficiũt quod figurãt, & cumulũ gratiæ confe runt dignè recipientibus. Noui etiã testamẽti ad vetus magna est præeminẽtia. Vetus enim testamentũ à vetustate peccati neminẽ liberat: Nouum autẽ testamentũ ardentes innouat. Illic litera, quę sola occidit: ibi spiritus qui viuificat. In illo temporalia promittebãtur, vt paruuli per hæc ad Dei seruitiũ allicerẽtur. In isto promittuntur & cõferuntur æterna. Lex docet, gratia implet: per legẽ enim peccatorũ cognitio, per gratiã autem noui testamẽti peccatorũ est remissio. Si enim per legẽ peccatorũ esset remissio, frustrà sequeretur Christi passio. Quod autẽ fieri nõ potest, litera docente & minãte, fit spiritu adiuuãte. Lex ad iustificationẽ venturum Christum docuit, quã ipsa donare nõ potuit. Qui enim sine spiritu facit quod lex præcipit, facit timore pœnæ, nõ amore iustitiæ. In lege enim peccati cognitio non cõsumptio. Vnde lex irã operabatur occasionaliter, quia vbi est peccati cognitio, ibi maior præuaricatio. Quod autẽ lex imperat, fides impetrat, gratia enim sonat voluntatẽ, vt volũtas sana impleat legẽ. Lex enim prohibẽs peccatũ, nõ viuificat hominẽ, sed auget concupiscentiã, nisi liberet gratia per legẽ fidei. Aliqui tamẽ sub lege perfecti fuerunt, nõ per eam, sed per fidẽ venturi. Rara autem fuit sub lege gratia: ferè enim omnes timore seruili legem custodiebãt. Vnde Dominus pro multiplicanda gratia, quando venit plenitudo temporis, seipsum in cruce obtulit, vt credentes per ipsum iustificarentur. Vnde & post legem scripserunt Prophetæ, vt venturum Christum nuntiarent, & mandata spiritualiter intelligenda, & tam interiori affectu, quàm exteriori effectu implenda nuntiarent. Fuit igitur in lege boni inchoatio: in Prophetis ad meliora exhortatio: in nouo testamẽto perfectio. Nouũ autem testamentũ appellamus legem gratiæ & fidei per charitatẽ operãtis. Quam legem Dominus in cordibus fideliũ scribit, sicut ait Ieremias Propheta: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum Patribus vestris, in die qua apprehendi manũ eorum, vt educerẽ eos de terra Ægypti. Et paulò pòst: Dabo legẽ meã in visceribus eorum, & in cordibus eorũ scribã eam. Manifestũ est igitur ex prædictis, quantũ necessaria fuerit Christi passio, sine cuius fide, nec sub lege naturæ, nec sub lege scripta, potuit esse saluatio. Ipsum enim posuit Deus caput Ecclesiæ suæ, & Capitaneũ exercitus sui cõstituit, vt omnes, qui ei tanquã Principi adhęrerent, & in castra eius militarent, salui essent. Sine fide autẽ redemptionis nostræ tanti beneficij ingrati, Deo placere nõ potuerunt, vnde nec eius gratia iustificati sunt, sed in corruptione originalis peccati, quam ex radice infecta cõtraxerunt remanentes, sensualitate tanquã graui tyranno premente & dominante, perierunt. A vetustate enim culpæ sine gratia redemptoris nostri, nõ sunt liberati, nec renouata est in eis imago Trinitatis, quæ vitio primorũ parentum corrupta & ferè deleta fuit, dum inciderunt in latrones, spoliati gratuitis, & in naturalibus vulnerati: quæ vulnera, nisi medicina fidei sanari non potuerunt. Quid enim prodest homini lege naturæ sibi insita in mente sua, quasi in libro legere & cognoscere, vt quod sibi fieri nõ vult, alij nõ debeat facere: & quicquid sibi meritò fieri voluit, aliis debeat facere? si captiuatus & sub peccato venundatus, & à cõcupiscentia sua illectus & abstractus ista non possit facere affectione interiori & libera voluntate? Non enim potest aliquis meritoriè operari, etiã si opera exterius faciat, nisi gratia liberet voluntatem, & infundat charitatem, affectum viuificando, & illuminãndo intellectum, & imaginẽ naturalem, quam culpa deleuit reparando. Etsi enim velle adiacear, languidum est in se, vnde sine gratia non potest bonum perficere. Non est enim volentis huiusmodi sopita voluntate, nec currentis exteriori actione, sed Dei miserentis. Si enim filius vos liberauerit, ait Dominus, verè liberi eritis. Sine fide autem beneficiorũ eius, nullum liberabit. Similiter nec lex scripta sufficit ad salutẽ sine fide redemptoris, sed magis operatur mortẽ, dum per eam quid agendũ sit, agnosco: sed legẽ spiritualiter implere nõ valeo. Quid prodest scire, Nõ cõcupisces, si cõcupiscentia vinceris? vel, Diliges Dominũ Deũ tuũ, nisi in corde gratiã, charitatẽ habueris? Lex enim ad iustificationẽ Christũ venturũ docuit & passurũ. Nec legẽ obseruare potes, vel mãdata interius adimplere, nisi in Christũ credas, quẽ lex venturũ promisit. Sine fide enim nec

*Gal.2. Rom.8. Quod per legẽ nemo iustificabatur. Act.4. Quod Christo veniente legalia debuerunt cessare. Multiplex assignatur differentia inter nouum & vetus testamentum, & vnius ad aliud præeminentia. Rom.3. Quod rara fuit gratia sub lege Mosi. Quid appelletur hoc loco nouum testamentum. Ierem.31. Sine fide passionis nunquã fuit salus. Ephe.1. Heb.11. Luc.10. Quod lex naturæ vel scripta nil prodest ad salutem sine lege gratiæ. Rom.7. Rom.9. Ioan.8. Exod.20. Deut.5. & 6. Luc.10.*

liberatur affectus, nec illuminatur oculus. Qui autem in tenebris ambulat, nescit quò vadit.

*Quod nunquã fuit salus nisi per fidem mediatoris, quæ reuelata est patribus antiquis.*

Ne autem homo excusationes quæreret in peccatis, nunquam post peccatum primi hominis Deus sine remedio mundum deseruit, vt si niteretur homo facere quod in se est, & Deus quod in se est faceret adiuuando, erigendo, inspirando & illuminando per fidem, sicut ante Euangelium reuelatum & legem scriptam, Iob & alij quàm plures saluati sunt per gratiam in lege naturæ. Ipsi enim sibi fuerunt lex, dum legem in corde naturaliter habuerunt impressam, & reformati sunt per gratiam, vt possent & scirent, & vellent implere legem naturalem. Imago enim Trinitatis mentibus impressa, in his tribus consistit, vt possit homo, & sciat & velit. Reprobi autem sub lege naturæ, licèt Deus ad ostiũ staret & pulsaret, aperire neglexerunt, nec nitebantur, vt se præpararent, & quantũ in se erat, legem implerent. Cùm enim naturali ratione creatorem suum inquirere debuerunt, vt ei seruirent, vel curiositate exteriorũ detenti, non inquisierunt, vel inquirentes, & ductu rationis per creaturas quantum fieri potuit, ipsum sine gratia cognoscentes, non glorificauerunt sicut debuerunt: quod enim notum erat Dei, manifestũ est illis, quia quod noscibile erat de Deo ductu rationis in se habebant, vnde cognoscere possent. Deus enim illis manifestauit per creaturas, vt ex arte cognoscerent artificem, & quia ingrati fuerunt suo creatori, & magis seipsos quàm Deum diligere voluerunt, sibi non Deo attribuentes, quod sapiebant: euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et inuestigantes cursus siderum, & alia exteriora, suum spreuerunt creatorem, & se se gratiæ eius subtraxerunt: vnde non sunt illuminati per fidem, sicut beatus Iob & Abraham, & alij qui Deo placuerunt ante legem scriptam. Similiter & qui sub lege erant Moysi, cùm iam ex parte cognitionem haberent, attendere legis insufficientiam debuerunt, & niti ad maiora, sicut qui primis instructi sunt elementis literarum, attendentes quod non sufficiant ad plenam literaturam, nituntur ad ampliora. Qui igitur quantum in se fuit, legem implere conati sunt, & exterius operantes interiori affectu operari concupierunt, nec se Dei gratiæ subtraxerunt, illuminati sunt per fidem, & à languore corruptionis liberati per gratiam. Similiter & eis, qui adhæserunt, & ipsis meditantibus in Christo, licèt implicitè, & simpliciter crediderunt in fide maiorum per Dei gratiam salui facti sunt. Vt sicut per inobedientiam primi hominis corrupti fuerunt, ita per obedientiam vnius redemptoris, qui se pro illis obtulit, non solùm ab illa originali corruptione, sed ab aliis superadditis peccatis liberati sunt, non solùm autem à culpa in præsenti, sed & à pœna æterna post mortẽ, nec tamen æternã adepti sunt gloriam, donec merito passionis Christi omnibus adhærentibus ianua fuisset aperta. Saluabantur igitur in vtraque lege, sed non per legem. Saluabantur Iobitæ per fidem, exercendo quędam sacrificia, in illis autem, sed non per illa consecuti sunt salutem. Saluabantur qui de genere erant Abrahæ in circuncisione, sed non per circuncisionem. Saluantur sub lege Euangelij in sacramentis, sed non propriè per sacramenta, sed per Christum fide ipsius. Gratia tamen dicitur esse in sacramentis, non per causam, sed sicut vnguentum in vasis. Et dicuntur saluare sacramenta, cùm tamen per virtutem passionis Christi propriè fiat salus, sicut tota medicina dicitur purgare, cùm tamen fiat purgatio virtute scamoniæ. Deus enim potentiam suam non alligauit sacramentis, nam sine ipsis & cum ipsis potest iustificare. Institui tamen voluit sacramenta nouæ legis principaliter propter tria. Propter humilitatem, eruditionem, & exercitationem. Dum enim rebus sensibilibus homo per humilitatem se subiicit, Deum sibi per obedientiam beneuolum reddit. Dum autem id quod exterius apparet in specie cernitur, ad virtutem inuisibilem mens informatur. In his autem exterius exercetur ad vtilitatem, dum mutilem vitat occupationem. Sic ergo omni tempore salus fuit credentibus & sperantibus in Saluatoris nostri redemptione, non solùm adultis, sed & paruulis salus fuit in fide parentum ex virtute passionis Christi. Vnde beatus Gregorius ait: Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc apud antiquos valebat vel pro paruulis sola fides, vel pro adultis virtus sacrificij, vel pro his, qui de stirpe prodierunt, mysterium circuncisionis. Quod intelligendum est quantum ad originalis peccati abolitionem: Nam in baptismo non solùm originale dimittitur, sed fomes debilitatur. Actualia peccata contritis, & quantum ad culpam & quantum ad pœnam, dimittuntur, gratiæ cumulus confertur, virtus infunditur, ianua Paradisi aperitur. Ecce quanta fuit virtus passionis Christi, & quanta multiplicatio gratiæ in mundo, postquam obtulit se Christus in sacrificium suauitatis Deo patri in plenitudine temporis, in tempore gratiæ: Licèt enim aliis temporibus Dominus conferret suã gratiam aliquibus personis, quia tamen rata fuit gratia respectu huius temporis, alia tempora nõ dicũtur tempora gratiæ vel plenitudinis. Tempus enim ante legem Mosaicam dicitur tempus deuiationis & erroris. Mors enim regnauit in mundo ab Adam vsq; ad Moysen. Tempus autem legis Mosaicę dicitur tempus figurarũ & obscuritatis. Omnia enim contingebant eis in figuram, & per omnia eorum sacrificia vnum verum & sufficiens & supereminens sacrificium designabatur, sine quo Deus nunquã post primam transgressionẽ placari potuit, nec eius vltionis districta sententia valuit relaxari. Agnus Paschalis assus, Christum igne passionis assum designat, qui populum suum de seruitute diaboli liberauit, sicut in occisione agni paschalis liberati sunt filij Israël de seruitute Pharaonis. Vitula rufa, Christi caro sanguine passionis tincta, quæ extra castra mactatur: quia Christus extra Hierusalẽ passus est. Huius cinere mundamur, quia per memoriã & fidẽ passionis eius purificamur.

*Quod in fide maiorum saluati sunt minores implicitè credentes. Rom.5.*

*De virtute sacramentorum sub lege Euangelica.*

*Triplex causa institutionis sacramentorum nouæ legis.*

*Assignatur differentia inter baptismũ & circumcisionem.*

*Assignatur differentia inter tẽpus gratiæ & alia tempora. Rom.5.*

*Quod omnia veteris legis sacrificia ꝓnũ verum designabant sacrificium. 1. Cor.10.*

*De figura agni paschalis. Exod.12.*

*De figura vitulæ rufæ. Num.19.*

*Quod reprobi vitio suo in infidelitate perierunt.*

*Rom.1.*

Cineres

Cineres post sacrificium colligimns, dum subtilia eius passionis mysteria discutimus. Hircus emissarius, qui in desertum mittebatur, peccata populi ferebat. Christus autem per mortem de mundo emissus, peccata totius mundi abstulit. In sacrificio vituli signatur sacrificium Christi, propter crucis cornua. In agno signatur Christus propter innocentiam. In ariete, propter principatum, vel propter cornua duorum testamentorum. In hirco propter similitudinem carnis peccati. In turture & columba, quia Deus & homo, vel per turturem & columbam intelligimus Christum, propter simplicitatem & castitatem. Per similaginem, carnem Christi immaculatam. Panis in clibano, Christus in Virginis vtero. Panis in sartagine, Christus in passione. Panis in craticula, Christus in morte & sepultura: Hæc autem ita significabant, quod non sanctificabant. Dicebantur tamen mundare coinquinatos, secundum carnem, vt mundi per hæc reputarentur, & secundum legem non punirentur. Vnde Apostolus ait: Si enim sanguis hircorum & vitulorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi mundabit conscientiã nostrã ab operibus mortuis, id est, à peccatis, quibus coinquinatur homo, dum eis cõsentit: sicut qui morticinũ in lege tangebat, immundus reputabatur. Virtute enim passionis Christi, omnia peccata in credentibus abluuntur.

*De mysterio hirci emissarii, & aliorũ, tam animaliũ quàm auium.* *Leuit.16.* *Leuit.9.* *Exod.9.* *Leuit.1. & 9.* *De figura similaginis, & triplicis panis.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Ioannem.

*Dicebat Iesus turbis Iudæorum & Principibus Sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato?* *Ioan.8.*

LEGIMVS in Deuteronomio, quod filij Israël cùm quadraginta annis laborassent in Ægypto, vestimenta eorum nunquam vetustate defecerunt, nec calceamenta eorũ consumpta sunt vel contrita. Hæc autem contingebant eis in figura, vt exemplo eorum in deserto huius exilij vestimenta virtutum in nobis non deficiant, sicut scriptum est: Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Calceamenta autem nostra semper sint noua, & nunquam vetustate contrita, vt exemplis sanctorum & diuinarum scripturarum sententiis pedes affectuum nostrorum semper muniantur, vt possimus conculcare sub pedibus lutum luxuriæ, spinas auaritiæ, serpentes inuidiæ, & cuiuslibet spiritualis nequitiæ. Nec pedes nostros offendamus ad lapides obstinationis & duritiæ cordis, vt secundum Apostoli consilium, stare possimus calceati pedes nostros in præparatione Euangelij pacis. Quicunque enim pacem Dei, quę exuperat omnẽ sensum euãgelizare voluerint, necesse est vt testimoniis pręcedẽtium Patrum & sanctarum scripturarum muniant & corroborent pedes affectuum. De quibus Psalmus: In Idumæam extendam calceamentum meum. Edom enim terrenus vel sanguineus interpretatur. Hæc sunt calceamenta de quibus in Exodo dicitur: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, vt, scilicet, cum cingulo castitatis, & calceamentis diuinæ scripturæ, agnũ Paschalem manducemus, exempla Patrũ mortuorũ imitando, & mortalitatis nostræ memoria, pedes animæ muniendo. Per calceamenta enim animarũ, ex quibus muniuntur pedes affectuũ, exempla sanctorũ & sentẽtię scripturarũ, & nostræ mortalitatis memoria designatur. Vnde in Canticis: Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis? Gressus enim bonorũ operum & virtutum, quibus incedimus ad Deum, pulchri sunt in prędicatione veritatis & in præcedentium Patrũ testimoniis & exemplis. De his autem calceamẽtis in Ezech. dicitur: Calceaui te hyacintho. Hyacinthus cœlestis coloris sanctarũ scripturarũ meditationẽ, & cœlestiũ contemplationẽ significat, quibus pedes affectuũ munire debemus, & per iugẽ memoriã & frequentẽ lectionẽ pedibus circumligare & adaptare. Laxiora enim nõ contum in se est eneruant, dicẽtes de his, quæ Dominus nobis iniungit, cõsilia esse nõ pręcepta, vel ad terrorẽ esse dicta. Nimis autẽ hæc calceamẽta coarctant, qui rigorẽ iustitię vel præceptorum cum nimia austeritate imperãdo, nulla volũt misericordia vel rationabili dispẽsatione temperare, cõtra quos Salomon ait: Noli esse nimis iustus. Hæc calceamenta dedit pater filio prodigo reuertenti. De his autem diuinæ sapientiæ calceamentis dicitur in Deuteronomio in benedictione Aser: Ferrum & æs calceamẽtum eius. Ferrum duritia sua omnia metalla domat: per quod intelligitur legis Mosaicæ seueritas, per quam Dominus contumaciam Iudæorum & duritiam cordis eorũ edomabat. Æs quod non violatur rubigine, sed fit fortius vetustate, & aliis metallis magis sonorũ est, legẽ Euangelij significat, cuius doctrina rubiginem falsitatis non admittit, & longè, lateq; resonat per vniuersum mundũ. Aser ergo qui beatus interpretatur, ferro & ære calceatus est, id est, sanctarũ scripturarũ doctrina & prædicatione, actiuæ prædicationis aduersarios penetrãs & doctrina incorruptibili fideles in Ecclesia instruẽs. Diuina enim scriptura incisiua est, sicut ferrũ, & sicut æs durabilis. Hęc autem calceamenta de pedibus nostris auferimus, quando nudis pedũ affectibus, terram sanctam contingemus in libro vitæ legentes & scripturis non egentes. In cuius figura dictum est Moysi: Tolle calceamenta de pedibus tuis, locus enim vbi stas, terra sancta est. Vel calceamenta in hoc loco dicuntur mortua opera peccatorum, quæ debemus tollere de pedibus affectuum. Orate igitur Dominum fratres, vt pedes

*De quibus Psal.* *Exod.12.* *Cant.7.* *Ezech.1.* *Eccle.7.* *Deut.33.* *Exod.3.*

*Quod Christi passionem his diebus recolere debemus.*

animarum nostrarum hodie muniat verbis sacrarum scripturarum. Dicebat Iesus turbis Iudæorum: Isti sunt dies quos obseruare debetis temporibus suis, recolendo crucem & passionem Redemptoris nostri temporibus istis, & beneficia nobis à Christo exhibita, sicut in Exodo Dominus præcepit: Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto, de domo seruitutis. Vnde & Dominus frequēter passionem suam prædixit discipulis, & cicatrices vulnerum suorum eis post resurrectionem ostendit, vt iugiter illorum memoriam haberent, & ponerent ea tanquā signaculum super cor suum, & crucem eius tanquam sigillum imprimerent cordibus suis. Vnde beatus Augustinus: Semper tibi sit fixus in corde, qui pro te fuit fixus in cruce. Et in Canticis: Fasciculus myrrhę dilectus meus mihi, inter vbera mea cōmorabitur. Ex omnibus enim quę pro nobis passus est Christus, fasciculū facere debemus, & in vnū colligere, & ponere inter vbera animæ nostræ, scilicet, in corde. Erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum, quod ob recordationem ante oculos tuos ponas. Et iterum: Mensis iste vobis principium mensium erit. Quia super omnia beneficia istud fuit primum & principale, quod nunquam debet à memoria excidere, ne fortè dicatur de nobis, sicut dicit Isaias de Iudæis: Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. In mense enim, qui apud Hebręos Nisan dicitur, id est, in lunatione Aprilis passus est Dominus, & mundum morte sua redemit. Hic est mensis Aprilis, sic dictus ab aperiendo, in quo nobis aperta est ianua Paradisi, & amota romphęa, virtute passionis Christi, in quo renouatus est mundus, & corda fidelium ad gratiam Dei recipiēdam, aperta sunt. Hoc mense flores oriuntur, & facies terræ renouatur. Apellatur etiā mensis nouarum frugum. Terra enim corporis Christi exarata crucis aratro, nouū fructū protulit mūdo. Debemus ergo præcipuè dies istos solemnes habere, & Christi passionē his diebus ad memoriā reuocare.

*Exod.12.*
*Exod.13.*
*Matth.16.*
*Matth.8.*
*Luc.9.*
*Luc.24.*
*Ioan.20.*
*Cant.1.*
*Exod.13.*
*Deut.6.& 11.*
*Item 12.*
*Isa.57.*
*Gen.3.*

*Quod memoria passionis ad septem prodest. Primū contra tentationes.*

Eius enim memoria ad septē specialiter est necessaria. Valet enim cōtra tentationes, eliminans noxias cogitationes, excitat cōpunctionem, corroborat spem, accendit charitatē, confert in tribulationibus patientiā & consolationē: aufert elationem, mentē ad humilitatē inclinādo, exemplum imitationis præbet, ad crucem Christi baiulandum inuitando. Valet cōtra tentationes & venenosos morsus serpentum: Vnde in libro Numerorum dicitur, quod Dominus præcepit erigi serpentem æneum in palo, vt filij Israël intuerentur in ipsum, & à morsibus serpentum liberarentur. Serpens æneus, siccus, sine veneno, Christum significat. Æs enim durabile eius diuinitatem signat. Et quia per serpentem intrauit mors ad primos parentes & eorum filios, per ipsum significatur humanitas, secundum quam pro nobis Christus mortem sustinuit, erectus in palo crucis, ad quem respicere debemus, vt à morsibus serpentum, id est, tentationum, quas nobis diabolus immittit, liberemur. Sanguis enim ponēdus est in limine animę, vt liberētur Israëlitę ab Angelo exterminatore. Erant autē tria serpentū genera, per quę tres designātur diuersitates tentationū. Quidā erant serpentes igniti, flatu adurentes, & subtiles inflationē inducentes, per quos tentatio superbiæ & elationis designatur. Alij erant scorpiones, vultum habentes virgineum, sed caudam bestialem & venenosam, per quos peccatum luxuriæ intelligitur. Aliud serpētum genus dypsas dicebatur, vel situla à sitiendo, eò quòd morsu suo sitim inducebat, per hæc auaritię tentatio designatur. Sicut igitur exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltatus est filius hominis, vt ipsum intuentes, & passionis eius memoriam habentes, ab infestationibus dæmonū liberentur. Sicut scriptum est: Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris, id est, in memoria habitæ, absterget mala tentationum. Sicut enim morte sua mortem nostram destruxit, ita tentationibus & afflictionibus, quas pro nobis sustinuit, tentationes nostras superauit. Vnde Dauid: Si quis tollere spinas voluerit, armabitur ferro & ligno lanceato. Clauis enim & lancea passionis armamur, vt spinas malarum cogitationū à nobis tollamus. Memoria passionis pungit cor, & excitat cōpunctionem, pungit oculum mentis, & elicit lachrymas cōpunctionis & cōpassionis, dum vera membra cōpatiuntur capiti, & quasi corculari crucis lachrymæ eliquātur. Si enim petrę scissæ sunt, & Sol in passione obscuratus est, & corda nostra obscuritate doloris & cōtritionis obnubilantur, atq; domus nostra fumo cōpunctionis impletur, dum Christi passionē recolimus. Et quoniā scriptū est: Scindite corda vestra: & non vestimenta, scindere debemus cor nostrū cultello, cuius manubriū sit de ligno crucis. Chalybs de lancea, ferrum de clauis. Manum enim nostrā ad aratrū ponere debemus, & quasi quodam cōpunctionis vomere, ligno, scilicet, & ferro Dominicæ crucis terrā cordium nostrorū in eius passione aperire. Vnde Abacuc: Domine, audiui auditum tuum & timui, cōsideraui opera tua & expaui. Et iterum: Audiui, & conturbatus est venter meus. Audiuit enim in spiritu Christi passionem, & conturbatus est venter eius per cōpunctionem & timorem. Vnde Zacharias Propheta: Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super vnigenitū, id est, dolebūt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti. Memoria passionis corroborat & attollit spem. Quis enim desperare potest de diuina misericordia, dū attendit quāta pro nobis sustinuit, quāto pretio salutē nobis acquisiuit? Vnde Dauid: Sperēt in te, qui nouerūt nomē tuū. Hoc est nomen salutis & spei: Iesus enim Saluator interpretatur. Homicidæ autem in lege, in morte summi Pontificis absoluebantur, & ad suas reuertebantur ciuitates. In quo signatum est quod per mortem Christi ad supernam ciuitatem reuersi sumus. Propter hanc verò spem Dauid ait: Sub tegmine alarum tuarum sperabo. Has alas nobis porrexit, dum brachia in cruce extendit, vt nos reciperet in amplexus. Et Moysi dictum est: Sta super petram, cumque pertransierit

*Exod.33.*

*De serpente æneo spiritualiter. Gen.3.*

*De tribus generibus serpentum.*

*Ioan.3.*

*Prouerb.20.*

*2. Reg.23.*

*Secundū quod memoria passionis excitat cōpunctionē. Matth.27. Mar.15. Luc.23. Ioan.2.*

*Abacuc.3.*

*Zach.12.*

*Tertium quod memoria passionis corroborat spem. Num.35.*

pertranſierit gloria mea, ponam te in foramen petræ, & protegam te dextera mea. In cauerna enim maceriæ, id eſt, foraminibus petræ, in memoria & fide paſsionis Chriſti abſcondi debemus. Eius enim paſsio nobis eſt in ſecuritatem & in abſconſionem à turbine & à pluuia: foramina petræ, vulnera Chriſti. Cauerna maceriæ, vulnus & apertura lateris, in quibus debemus abſcondi. Vnde Iſaias: Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo. Et Ieremias: Habitate in petra, eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis. Memoria paſsionis charitatem in nobis accendit. Non eſt enim qui ſe abſcondat à calore dilectionis eius, dum recolit quanta pro nobis ſuſtinuit. Vnde ipſe Dominus ait de ſe: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Sicut enim lapis Adamas trahit ferrum, ita Dominus dura & lapidea corda ad ſe traxit, dum mortem pro nobis ſuſtinuit. Vnde Oſee: In funiculis adam, traham eos in vinculis charitatis. Ad ipſum enim trahimur per amorem, dum infirmitates, quas ex Adam contraximus, quas ipſe pro nobis ſuſtinuit, & charitatem, qua nos dilexit, ad memoriam reuocamus. Vnde in libro Regum per duo ligna, quæ mulier in Sarepta colligebat, intelliguntur duo ligna crucis, quibus in nos ignem charitatis accendere debemus. Vnde in Leuitico præcipitur Sacerdoti, ignem perpetuum in altari ſeruare, & ſubiicere ligna manè & veſperi. Ignis manè & veſperi nutritur, quia charitas Dei in nobis accenditur, dum Chriſtum manè iudicatum, veſpere crucifixũ recolimus. Et in Canticis: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio, quaſi dicat: Tunc cognoſcere poteris, quod te tam fortiter dilexi, quod pro te mortem ſuſtinui. Memoria Dominicæ paſsionis, confert in tribulationibus patientiam & conſolationem. Vnde beatus Iacobus exhortans ad patientiam, ait: Patientiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis. Et Apoſtolus: Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes. Et in Exodo dicitur: Veſpere ſcietis, quod Dominus eduxit vos de terra Ægypti, id eſt, in veſpera tentationis & tribulationis, in niente habebitis paſsionem Redemptoris. Sartago enim crucis mollia corda dura facit, & fortia reddit. Memoria paſsionis Dominicæ, aufert elationem, & confert humilitatẽ. Si enim Dominus tantùm humiliatus eſt, ſufficiat ſeruo ſi ſit ſicut Dominus eius. Ipſe enim, vt nos ad humilitatẽ inuitaret, inclinato capite, emiſit ſpiritum: & propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta, ſicut ait Apoſtolus ad Hebr. Regnum enim ſibi oblatum fugiens, reſpuit, & crucifixoribus ſuis ſe obtulit. Sicut igitur Rebecca, viſo Iſaac, deſcendit de camelo, & operuit faciem ſuam pallio. Ita viſo Chriſto & eius paſsione, debemus nos humiliare, & de peccatis noſtris, quaſi faciem velando erubeſcere. Vnde in Leuitico præcipit Dominus, quod veſicula gutturis & plumæ proiiciantur ad Orientalẽ plagam. Veſica gutturis, eſt ſuperbia vocis: Plumæ, ſuperbia vanæ operationis, Oriens, paſsio Chriſti. Vnde & poſt ſacrificia legalia, cinis iubetur colligi: & nos poſt Chriſti paſsionẽ, cinerẽ colligamus, vt nos humiliãdo, cinerẽ eſſe cognoſcamus. Memoria Dominicę paſsionis imitationis nobis præbet exemplũ: Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplũ, vt & nos ſimiliter faciamus. Vnde Petrus Apoſt. Chriſto in carne paſſo, & vos eadẽ cogitatione armamini. Et ipſe Dominus ait: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã, & ſequatur me. Sediſti enim ad menſam diuitis: ſcito quoniã oportet te talia præparare, qualia appoſita ſunt tibi. Vnde Apoſtolus ait: Si cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Sicut igitur Chriſtus mortuus eſt ſemel in carne & ſemper viuit, ita & nos ſemel mortui malo, ſemper viuamus bono. Sicut Chriſtus depoſita vetuſtate à morte nouus reſurrexit, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vetus igitur homo noſter crucifigatur, fomes, ſcilicet, vel conſuetudo peccandi, & veteres actus noſtri, vt deſtruatur corpus peccati, id eſt, vniuerſitas criminũ, vt membra noſtra continentię atq; iuſtitię clauis confixa, ad priores actus nõ moueãtur, à quibus velut in ſepulchro, ita quieſcamus, vt iam de cætero nec voluntatẽ peccandi habeamus, ſed reſurgẽtes cum Domino, in nouitate vitæ ambulemus. In cruce igitur dolor eſt pœnitentiũ, in ſepultura requies abſolutorũ, in reſurrectione vita iuſtorũ, in aſcenſione, profectus perfectorũ, in confeſſu ad dexterã gloria beatorũ. Debemus igitur ad ſimilitudinẽ Chriſti crucem noſtrã tollere, non ſolum per ſanguinis effuſionẽ, ſed per cõtumeliarum & flagellorũ tollerantiam. Vnde in hodierno Euangelio nobis proponitur exemplũ, vt cum omni patientia & mãſuetudine reſpõdeamus ad contumelias verborũ, ſicut Dominus Iudæis dicentibus: Samaritanus es, & dæmoniũ habes, licèt veraciter dicere poſſet: Imò vos dęmoniũ habetis, & dęmoniaci eſtis, noluit cõtumeliis reſpondere, ſed cum omni manſuetudine ait: Ego dæmoniũ non habeo, ſed honorifico Patrẽ meum, & vos inhonoraſtis me. Ipſe tamen non negauit ſe Samaritanum eſſe: nam Samaritanus cuſtos interpretatur. Ipſe autem in veritate eſt cuſtos. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Verè cuſtos, de quo in Iſaia dicitur: Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? Cuſtodit enim nos à nocte peccati, & in nocte tribulationis ne corruamus. Licèt autem verbis contumelioſis eum inhonorarent, negat vitium, ſed non reddit cõuitium. Factus eſt ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Vnde & propter verba diſciplinæ & ſalutis, eis non omiſit prædicare. Deſertores deſertus inuitat, contemptorres contemptus reuocat. In hoc nobis relinquens exemplum, vt reddamus pro malis bonum: vt pro hominum opprobriis non ſileamus à verbo prædicationis. Si enim opprobria ſua

*Cant.2.*

*Iſa.4.*

*Iſa.2.*
*Iere.48.*

*Quartum, quod memoria paſsionis accendit charitatem.*

*Ioan.12.*

*Oſee 11.*

*3.Reg.17.*

*Leuit.6.*

*Cant.8.*

*Quintũ quod memoria Dominicæ paſsionis valet ad patientiam.*

*Iacob.4.*

*Hebr.10.*

*Exod.12.*

*Sextum quod memoria paſsionis valet ad humilitatem.*

*Ioan.6.*

*Gen.34.*

*Leuit.1.*

*Septimũ memoria paſsionis valet ad exemplum imitationis.*

*1.Pet.2. & 3. Matth.16.*

*Proverb.23.*

*Rom.6.*

*Qualiter tollenda ſit Chriſti crux.*

*De patientia contra contumelioſa verba*

*Iſa.21.*

*1.Petri 2.*

patienter audiuit, qui non solùm infirmos sanabat, sed & dæmonibus imperabat, quem nemo poterat de peccato redarguere, & nos qui sumus peccatores, non debemus conuicia conuiciis reddere, neque gloriâ nostrâ vindicando nos quærere. Scriptum est enim: Mihi vindictam & ego retribuam, ait Dominus. Sic enim faciẽdo, Pater noster nos glorificabit, & contumelioſoe æterna damnatione iudicabit. Vnde & Dominus ait Iudæis: Ego non quæro gloriam meã, ſicut homines, qui illatis cõtumeliis, vt ſe vindicent, reſpondent: Eſt pater, qui quærit gloriam meã, iudicãdo illam, id eſt, diſcernendo à veſtra gloria, quæ inanis eſt, & ſecundũ ſeculum. Ipſe gloriam Patris quærebat, & omnia ad Patrẽ, non ad ſe referebat. Si enim quæreret gloriam ſuam tantum, ſicut ſimulatores, qui volunt videri, quod non ſunt, gloria eius nulla eſſet. Pater autem gloriam filij quæſiuit, & oſtendit in baptiſmo, in transfiguratione, in reſurrectione, & multis aliis modis filium glorificauit. Dominus autem Suſannam de Presbyteris vindicauit, ideo quod ipſa gloriam ſuam non quærens, eos accuſare noluit, nec ſe vindicando defendit. Non dixit: Iſti me de ſtupro interpellauerunt: ſed tantum in cœlum ſuſpiciens, & Domino cauſam ſuam commendans, ait: Deus tu ſcis quod contra me falſum teſtimonium dixerint. Dominus igitur repulſus ab eis, adhuc inſtat, inſtruens eos, & dicens: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum, id eſt, mortem non experietur æternam. Ipſi autem peccatis ſuis obtenebrati, tantum de morte corporali intelligebant verba Domini, dum dicebant: Abraham mortuus eſt & Prophetæ. Dominus autem vt ab intuitu carnis exterius ad diuinitatẽ ſuam eos traheret, interius ait: Antequã Abrahã fieret, ego ſum. De Abrahã qui pura fuit creatura dixit, fieret: de ſe autẽ qui nõ eſt factus ſecundũ diuinitatẽ, ait: Ego ſum. Ipſe enim ſolus verè eſt qui omnibus cõfert eſſe & temporũ ſucceſsionibus, non recipit mutabilitatem. Non enim in ipſum locũ habet propriè tempus præteritũ vel futurũ, cui omnia præſentia ſunt. Vnde in Exodo Moyſes ait: Qui eſt, miſit me ad vos. Et Dominus in Euangelio: Ego principium qui & loquor vobis. Ipſi autem inexcuſabiles fuerunt, qui ex ſcripturis ſanctis Redemptoris diuinitatem agnoſcere potuerunt. Micheas enim de ipſo ait: Egreſſus ab initio à diebus æternitatis. Et Dauid in perſona Patris: Tecum principium in die virtutis tuæ, ex vtero ante luciferum genui te. Vnde & Dominus iterum de diuinitate inſtruens, ait: Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Credens, exultauit in ſpe, ſperans ſe tantum intellecturum eſſe, & tam arcanum myſterium vidit credendo diem aduentus, & inſuper diem æternæ claritatis ipſius, & gauiſus eſt intelligendo. Increduli autem & duro corde, tulerunt lapides vt iacerent in eum. Sicut enim accepta contumelia, boni efficiuntur meliores, ita mali de beneficiis acceptis efficiuntur peiores. Vnde ipſo facto verum eſſe oſtenderunt, quod Dominus prædixerat de illis: Qui eſt ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Portam cordis eorum concluſerat ianitor infernalis ſera obſtinationis, vt non introiret verbum ſalutis. Obturauerunt ſerpentes aures cordis, ne audirent vocem incantatoris. Strepitu malitiæ ſuæ obſorduerant, & idcirco verbum Dei, id eſt, filium Dei non audierunt. Si enim à Deo eſſent, ipſum profectò, quem arguere falſitatis non valebant, audirent. Vnde & Dominus, vt eos apertè conuinceret, ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? Quaſi dicat: Non me poteſtis deprehendere, ſicut ego vos & patrem veſtrum poſſum meritò arguere. Si veritatem dico, quare non creditis, cùm me & verba mea arguere non poteſtis? Et quoniam teſte Salomone: Sapiens corde præcepta ſuſcipit: ſtultus autem cædit labiis. Et iterum: Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius. Ipſi correptionem ſuam non ſuſtinentes, ad apertas contumelias proſiliunt, & falſa opprobria in eum cõfingunt. Et quem dæmonia eiiçere cernebãt, excæcati malitia ſua, dæmoniacum appellabant. Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium. Inſurrexerunt in eum teſtes iniqui & mentita eſt iniquitas ſibi. Conuerſi ſunt in arcum prauum, in arcum reciprocum, mentientes in caput ſuum, & virgam, vnde ſuſpenſi ſunt colligentes. Roſtris contumeliarum corui infernales dilaniabant columbã, lupi agnum manſuetum morſibus maledictionis lacerabant, & ex corde toxicato venenum opprobriorum in ipſum euomebant, fremebant aduerſus Dominum, & non ſolum inania, ſed & iniqua meditati ſunt contra ipſum. Circundederunt eum canes multi, canes cæci. Canum autẽ mos, vt ait Hilarius, paſtori alludere, gregem noſſe, inſidiantes feras, perſequi. At verò iſti reprobi & cæci canes, paſtorem ſuum non videntes, officiũ ſuum non intelligẽtes, latratus ſuos à feris ad gregem, à furibus ad Dominũ retorſerunt. Neſcierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulantes. De quibus Ozee dicit: Cadent in gladio Principes eorũ à furore linguæ. Et Ierem. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua, dedit cõtra me vocem. Et iterũ: Audiui cõtumelias multorũ in circuitu. Et iterũ: A voce loquelæ grandis exardeſcit ignis, & combuſsit fruteta eius. Ex abundantia enim malitiæ cordis eorum, os loquebatur iniqua cõtra Dominũ. Nam & loquela eorũ manifeſtos eos fecit. Ipſi enim adipem ſuũ contra ipſum concluſerunt, os eorũ locutum eſt ſuperbiam cõtra legẽ. Domino detrahentes, qui dicit in Leuitico: Sanguinẽ vniuerſæ carnis nõ comedetis. Ipſi autem deteriores fuerũt Balaam, qui ait: Quomodo maledicam, cui non maledixit Dominus? Picem verò pennulas & ſquamas habentes, contra legis mandatũ reprobauerunt, ſicut Dominus ait in Iſaia: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Palpauerunt cæci ad oſtium Loth, ſed introitum non inuenerunt, nec reprehenſionis cauſam. Et maximè Phariſęi, qui ſanam Domini doctrinam non ſuſtinentes,

*Exod.9. Rom.12.*

*Quod Chriſtus gloriã Patris quærebat, ſed non ſuam, ſecundum quod homo.*

*Dan.13.*

*Exod.3. Ioan.8.*

*Quod Iudæi de ignorantia non excuſantur.*

*Mich.5.*

*Quod Iudæi, quia à diabolo & non à Deo erãt, verbum Dei non audiebant.*

*Prouer.10. & 18.*

*De apertis Iudæorum contumeliis.*

*Iere.9.*

*Ozee 7.*

*Iere.12.20. & 9.*

*Leuit.11. Num.23.*

nentes, sed à veritate auditum auertentes, ad fabulas conuertebantur, & ad sua desideria coacer uabant sibi magistros, prurientes auribus: Domini autem doctrinam non solum blasphemabant, sed ipsum lapidare volebant. Væ qui contradicit factori suo. Postquam enim linguis suis ipsum lapidauerant, lapidibus obruere voluerunt ipsi lapidei, & omni lapide duriores. Lapide luteo lapidauerat eos Dominus, pro duris, scilicet, & obscœnis eorum moribus. Vnde & ipsum voluerunt lapidare. Stercore boum lapidati erant, id est, pro his, quæ sancti quasi stercora reputant: propterea & ipsum fortissimum bouem lapidare & mactare volebant. Lapides elegerunt, & lapidem angularem reprobauerunt. Lapides viles elegerunt, & lapidem pretiosum abiecerunt. Lapides tulerunt, & ad lapidem illum offenderũt, qui super eos cecidit, & eos meritò iniquitatis suæ contriuit. Lapis enim lapides cõfregit duros, scilicet, & obstinatos Iudæos. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo, nondum enim venerat tempus eius à sanctis Prophetis prænuntiatum. Abscondit se, non quia eos metueret, sed vt freneticis, tanquam pius Medicus parceret. Abscondit se, quia commendanda erat patientia, non exercenda potentia. Abscondit se, exiens de templo. In quo innuit, quod se à Iudæorũ cordibus absconderet, & relinquens templum, hoc est Iudæorum cæremonias, ad Gentes deberet transire. Vnde & cæcum natum statim posteà curauit, & eum sub figura Gentium illuminauit. Vos igitur fratres charissimi, cum omni patientia & humilitate, exemplo Domini nõ solũ contumelias verborum, sed & flagella verborũ sustineatis, parati cum ipso & in carcerẽ & in mortẽ ire, vt eius passionem intuentes, & ipsius crucem baiulantes, per varias tribulationes introire mereamini in regnum cœlorum, & per ignominiam crucis transeatis ad gloriam resurrectionis. Ipso præstante, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*Quod Iudei Christum lapidare volebant.*

*Isa. 45.*

*Eccle. 22.*

*Matth. 21.*

*Ioan. 9.*

*Conclusio.*

*Luc. 22.*

## DOMINICA IN RAMIS PALMARVM, THEMA SVMPTVM DE INTROITV Missæ ex Psalmo.

*Domine, ne longè facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice: libera me de ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* *Psal. 21.*

INGREDIENTE Domino in sanctam ciuitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronuntiantes, cum ramis palmarum venerunt obuiam Domino, clamantes: Osanna in excelsis, id est, salua obsecro in æterna beatitudine. Hæc clamando, testificabantur Christum saluatorem esse, & per ipsum homines ad vitam resurgere. Vel per palmas quibus coronabantur victores, resurrectionem vitæ & præmium æternæ coronæ insinuabant. Pueri & simplices Christo cum laudibus occurrebant, maiores autem & malitiosi hoc videntes, magis inuidia tabescebant: & maximè quia iam non poterant apertè contradicere, eò quòd omnes sciebant paulò antè Iesum Lazarum à mortuis suscitasse. Stimulati igitur ex vna parte inuidia, & alia parte auaritia, timentes ne venirent Romani & tollerent locum eorum, eò quòd Christus non multum legales eorum obseruantias videbatur comprobare, propter quas ab aliis nationibus honorabantur. Ex altera autem prædicationem Christi odio habentes, & remordente mala conscientia, metuentes sermones eius, eò quòd nemini adularetur, sed eorum malitiam arguebat: quarta feria consilium collegerunt, dicentes: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? Caiphas autem Pontifex consilium dedit eis, dicens: Expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo. Licèt autem aliqui ex maioribus crederent, videntes signa, non ausi sunt tamen apertè illum confiteri, eò quòd magis diligerent gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Sicut hodie multi offendunt Deum, ne offendatur proximus: more Adam, qui mandatum Dei transgressus est, ne vxorem contristaret. Vnde ab illo die cogitauerunt interficere eum. Priùs autem multoties deliberauerant, sed tunc definitione & sine retractatione, & maximè inuidentes ei, quia ita honorificè receptus esset hodierna die. Vnde hodie Christi passio legitur in Ecclesia, & introitus Missæ sumitur ex Psalmo, in quo planè & plenè agitur de Christi passione. Et quoniam ipse imminente passione, prolixius & frequentius orauit, prædicauit & docuit quotidie in templo, in persona eius ait Propheta Dauid: Domine, ne longè facias auxilium tuum à me. Orauit autem Dominus noster, imminente passione instanter & prolixè triplici ratione. Prima ratio, vt nobis exemplũ relinqueret, quatenus Dominũ in tribulatione inuocaremus, & maximè quãdo positi sumus in tentationibus, ne succumbamus, sicut ipse ait discipulis: Vigilate, orate, ne intretis in tentationes. Si enim ille, qui nõ poterat tentationibus succumbere, ita diligẽter orauit, & nobis, qui fragiles sumus sine intermissione imminentibus tentationibus expedit orare. Et si turba tentationũ increpat nos, vt taceamus, multò magis exemplo cęci illuminati, clamare debemus, dicẽtes: Non dimittã te, nisi benedixeris mihi. Et cũ matre pueri defuncti, dicamus Eliseo: Viuit Dominus, & viuit anima tua, nõ dimittã te. Hæc enim violẽtia placet Domino, scilicet, vt instemus orationi omni tempore tribulationis. Vnde ipse ait: Inuoca me in die tribulationis, eruã te & honorificabis me. Et Propheta ait: Quoniã tribulor, velociter exaudi me. Ieiunio enim tentationes carnis, oratione verò tentationes animę specialiter eliminãtur. Secũda ratione

*Multiplici ratione orauit Dominus imminente passione.*

*Prima ratio.*

*Matth. 26.*

*Mar. 13.*

*Luc. 22.*

*Luc. 18.*

*Gen. 32.*

*4. Reg. 4.*

*Secunda ratio*

orauit Christus, vt se humiliaret in conspectu Patris sui, cuius gloriam quærebat & non suam, secundũ quod homo. Vnde vt se minorem Patre ostenderet, secundum humanã naturam licet sibi per omnia sufficiens esset: & virtute diuinitatis suæ absq; vlla petitione vel oratione se homines defensare posset & liberare: voluit tamen Patrem glorificare, & ab ipso humiliter auxilium postulare. Vnde in suscitatione Lazari ipse ait: Gratias ago tibi Pater, quoniam audisti me. Ego autẽ sciebam, quoniam semper me audis: sed propter populum, qui circunstat, dixi vt credant, quoniam tu me misisti. Agebat igitur gratias & orabat, vt circunstantes agnoscerent, quoniam omnia ad Patrem referebat, & quia à patre missus erat. Tertia ratione voluit orare Dominus, vt in se ostenderet humanam infirmitatem, quam pro nobis voluntariè assumpsit. Sicut enim verè esuriit & sitiuit, tanquam verus homo: ita mortem secundum carnis infirmitatem voluntariè exhorruit, non necessitate, sicut alij homines. Vnde semetipsum turbare voluit, & cœpit Iesus tædere & pauere, & secundum inferiorem naturam, scilicet, sensualitatem, abhorruit mori, & voluit non mori, & appetiit à morte liberari, propter quod ipse ait: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Voluit tamen mori voluntate rationis & voluntate diuinitatis. Vnde & ipse ait: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Et iterum: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? id est, angor & turbor desiderio baptizandi in sanguine passionis. Si enim Paulus desiderauit dissolui, & esse cum ipso: non est credendum, quod Iesus petierit transferri à se calicem mortis, voluntate rationis, secundum quam ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Voluntate enim rationis mori desideraut pro salute generis humani. Oblatus est enim, quia ipse voluit. Nec tamen dicendum est, quod caro eius concupierit aduersus spiritum: nam spiritus eius secundum voluntatem rationis voluit ipsum mortem abhorrere, & voluntatem sensualitatis diuinæ voluntati subiicere. Vnde ipse orauit calicem transferri à se: non quia voluntate rationis ipsum transferri vellet, secundum quam in omnibus exauditus est, propter reuerentiã suam. Non tamen secundũ voluntatẽ exauditus est, sicut ipse ait: Clamabo, & nõ exaudies. Nisi dicatur exauditus, id est, ad salutem exauditus, vel extra auditus. Sicut Paulus orauit, stimulum carnis à se amoueri, & non est exauditus, id est, ad exitum eius, quod petiit auditus, & tamen est exauditus, id est, ad salutem, & vltra siue super quam peteret auditus: quia stimulus ille fuit illi ad salutem. Si autem in Petro fuit voluntas patiendi, dum sponte reuertitur Romam, vt crucifigeretur, voluntate tamen sensualitatis mori noluit, sicut Dominus de ipso ait: Alius cinget te, & ducet quò tu non vis? quantò magis ipse mori voluit pro nobis? Et tamen orauit & petiit, id est, secundum infirmitatẽ appetiit à se calicem transferri. Spiritus enim promptus erat mori cum magno desiderio: Caro autem infirma timebat, non timore passionis, quæ posset ei dominari, sed timore propassionis, id est, protopassionis. Primum enim motum timoris habuit, quam in se voluntariè insurgere permisit, sed non procedere: quod ostendit Euangelista dum ait: Cœpit Iesus pauere & tædere. Cœpit enim pauere, id est, initialiter & non progressiuè timuit, non enim timor dominabitur illi: & hoc pro nobis, vt sic ostenderet nostras infirmitates in se voluntariè assumsisse, & vt martyres, qui pro Christo passuri erant, si ex infirmitate carnis, mortem abhorrent, non desperarent, dum caput suum mortem timuisse audirent. Turbatus est igitur voluntariè, vt non desperemus, si infirmitatis conditione turbemur, si huiusmodi motus in nobis insurgit, licèt ipsum in nobis insurgere non velimus. Christus autem voluntate rationis voluit mori, & Deus voluit eum mori, & tamen voluit eum secundũ carnem velli non mori propter prædictas rationes. Si tamẽ ita intelligatur prædicta Christi oratio. Transeat à me calix iste, id est, transitorius sit, vt morte nõ detineat, sed citò resurgere, voluntate rationis hoc voluit & petiit, & istud à patre obtinuit. Ipse enim de torrente in via bibit, quia transitoria fuit eius mors, sicut torrens citò transit. Ipse enim fuit inter mortuos liber, habẽs potestatem ponendi animã suam, & iterum sumendi eam. Nihilominus tamẽ veram tristitiam ac timorem in se suscepit, sicut & veram carnem, vt eius perturbatione tranquillitatem haberent, qui mortem in martyrio abhorrerent. Vnde beatus Augustinus: Quantum bonum participatione diuinitatis eius expectare possumus, cuius nos perturbatio tranquillat, infirmitas firmat? Quidam autem prædictam Christi orationem sub pia conditione intelligunt, hoc modo: Si fieri potest, alio modo ita oportunè transeat à me calix iste. Hoc dicit compatiendo Iudæis, ne ab illis bibat calicem propinatum, si adeò oportunè sine passione possit redimi genus humanum. Licèt autem esset alius modus saluandi genus humanum possibilis Deo, nullus tamen fuit competentior miseriæ nostræ sanandæ, & hoc ipse sciuit. Tamen vt ostenderet in se compassionem, orauit. Ac si diceret: Non arescat cucurbita Ionæ, id est, Synagoga, veruntamen si minimè potest saluari adeò oportunè, fiat voluntas tua, vt mortem à Iudæis sustineam, qui meritò crucifixionis meæ iusto iudicio excæcandi sunt. Illi verò qui dicunt Christum mortem non timuisse, dicunt ipsum pro membris orasse, & in se membrorum suorum infirmitatem transformasse: ac si diceret: Transeat à me, id est, à meis. Vnde beatus Augustinus ait: Transfigurat in se suos, qui nihil aliud quàm pater, docens eos priuatam voluntatem corrigere, & dirigere secundum diuinam, & idcirco ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis: docens humanã voluntatem diuinæ voluntati esse subiiciendam, quasi dicat: Si aliquando contingit quod calicem passionis mei formident, transeat ab eis ne exorbitent; sed voluntatem suam voluntati

*Ioan.11.*

*Tertia ratio.*

*De triplici voluntate in Christo.*

*Luc.22. Luc.12. Philip.1.*

*Isa.53. Gal.3.*

*2.Cor.12.*

*Quare Christus mortem timere voluit.*

*Alia expositio de transitu calicis.*

*Ioan.10.*

*Tertia expositio orationis Christi.*

*Ionæ.4.*

*Quarta expositio.*

voluntati diuinæ subiiciant. Christus autē quandoque pro se orauit, quandoque pro membris, id est, amicis suis, quandoque verò pro inimicis suis orauit, aliquando contra inimicos suos. Vnde in Psalmo: Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Pro se orauit, cum ait: Domine, ne longè facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice, quasi diceret: Miserere mei & resuscita me, & retribuam eis, id est, crucifixoribus Iudæis. Non differas suscitare me, vsque ad generalem resurrectionē in fine, sed statim tertia die resuscita me, vt credant in me discipuli mei. Quæ est enim vtilitas in sanguine meo, quem effudi pro genere humano, si descendo in corruptionem. Igitur citò resuscita me, sicut scriptum est: Non dabis sanctum tuū videre corruptionem. Eodem modo pro se orauit, cùm ait: Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti, exponendo scilicet, pressuris, secundum humanitatem. Vox fuit humanitatis & infirmitatis assumptæ, sicut vox diuinitatis & potentiæ: cùm ait latroni. Hodie mecum eris in Paradiso. Aliquando enim naturam humanitatis, quandoque etiam naturam diuinitatis in se ostēdit. Ex diuersitate enim sonorū dulcē in cithara crucis reddidit harmoniam. Modò enim supplicat, modò imperat, modò se derelictum, id est, flagellis expositum dicit, modò latroni paradisum promittit. In infirmitate naturæ inferioris ad tempus flagellatus deseritur, qui potentia naturæ superioris regnum largitur. Ratione autem dispensatoria ad tempus deseritur moriturus pro nostra salute, & pro glorificatione sua. Per humilitatem enim passionis promeruit gloriam resurrectionis, sicut scriptum est. Propter quod & Deus exaltauit eum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, id est, datum manifestauit. Nam & ante passionem filius Dei & Deus erat. Vel se derelictum dicit à diuinitate, dum sola patitur humanitas, illęsa diuinitate. Quærit autem non conquerendo vel ignorando, sed vt ratione subiungat. Vnde ipse ait: Longè à salute mea verba delictorum meorum, scilicet, verba delictorum membrorum meorum longè sunt à salute mea corporali, quia propter ea tollenda, quæ vindictam clamant exponis me morti. Derelictum enim se dicit cum derelictis: dum pro natura, quam assumpserat, tributum persoluit. Derelictus enim videtur: dum morti à patre exponitur: dum clamat, & non exauditur. Sicut in eodem Psalmo dicitur: Clamabo per diem, & non exaudies: & nocte non ad insipientiam mihi. Clamauit per diem, quia in eo nullæ tenebræ erant. Clamauit in nocte, id est, in tribulatione, in qua clamantes exaudiri solent: sicut tres pueri in fornace: & Daniël in lacu leonum. Christus autem non est exauditus, id est, ad salutem corporalem non est auditus. Petiit enim secundum sensualitatem, non quia exaudiri vellet, scilicet, secundum rationem, sed vt infirmitatem inferioris naturæ in se ostenderet, & vt formam clamandi ad Dominum in tribulatione daret. Nō solùm autē pro se, sed & pro membris suis orauit. Os enim turturis retorquebatur ad ascellas, id est, caput ad membra. Vnde in persona veteris hominis, quem in se transformat, prædicta verba possunt intelligi sub hoc sensu: Quare me dereliquisti, id est, culpæ & pœnæ exposuisti. Naturæ enim in primis parentibus corruptæ deplorat miseriam. In quo docet, quantum ipsi flere debemus, qui peccatores sumus: vt non sit securus ægrotus, nec de se præsumat, dū pro ipso medicus plorat. Longè enim à salute nostra erant verba delictorum nostrorum, quæ, scilicet, delicta contra nos clamabant, & nos similiter clamabamus die ac nocte, id est, in prosperis & in aduersis, sicut in persona membrorum Christus ait: Clamabo per diem, & non exaudies, scilicet, ad voluntatem, sed ad salutem. Et idcirco ait: Et non ad insipientiam mihi, sed magis ad sapientiam, vt sciam qualiter, & pro quibus debeam clamare, scilicet, pro æterna beatitudine. Cùm igitur Dominus in cruce dixit: Heli, Heli, lamazabathani, id est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? causam mēbrorum suorum egit: quorum salus præmium erat passionis suæ. In quibus derelinquitur, dum membra capiti abscinduntur, & specialiter, dum fugientibus discipulis, quasi solus relinquitur: velut Iob tonso capite nudatus capillis sibi capiti prius adherentibus amissis. Dum igitur dicit se in membris derelictum, mercedem obedientię suę postulare videtur, vt mundi salus acceleretur. Causas etiam propter quas relinquimur, & tentationibus exponimur, docet nos inquirere & diligenter inuestigare. Plerumque enim homo pulsatur & vexatur, ne per superbiam extollatur, & ad tempus deseritur vt fortior resurgat, & cautior reuertatur. Castigatur enim ex casu superba, & præsumptio ex ruina. Orauit præterea Dominus pro inimicis suis, cum ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Pro his autem orauit & impetrauit, quod ignoranter fecerunt, zelum Dei habentes, non secundum scientiam: & illi post eius passionem crediderunt. Pro his verò qui per inuidiam, & certam malitiam ipsum crucifixerunt, non orauit, imò contra ipsos orat, cum ait: Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam illis. Et Ieremias in persona Christi: Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego. Vnde & Dominus ipse ait: Non pro mundo rogo, scilicet, pro illis qui dediti sunt mundo, finaliter & in præsentia diuina. Sicut autem Dominus pro se, & pro membris suis orauit, ita in se contristatus est per carnis infirmitatem, & in membris suis per compassionem. Cœpit enim tristari & mœstus esse. Vnde & ipse ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem, propassio fuit & non passio, quam voluntarie assumpsit, sicut & alios defectus carnis. Talis autem motus, aliquando cōtra voluntatem nostram insurgit in nobis. Vnde Dauid ait: Quare tristis es anima, & quare conturbas me? In Christo igitur fuit vera & voluntaria tristitia secundum sensualitatem, immanente passione. Vnde beatus Ambrosius ait: Suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam,

*Quod Christus pro diuersis orauit.*

*Quod Christus pro se, secundum quod homo orauit.*

*De voce humanitatis & diuinitatis, & exponuntur quædam quæ in hoc psalmo dicuntur, & pertinent ad passionem.*

*Alia expositio.*

*Quod Christus pro membris orauit. Lexit. 5.*

*Alia ratio quare Christus se derelictum dicit.*

*Iob. 2.*

*Quod Dominus pro inimicis orauit.*

*Quare Christus contra inimicos orauit.*

*Quod Dominus pro se & pro membris suis contristatus est.*

Luc.22. meam,confidenter tristitiam nomino,qui crucē prædico. Et in Euangelio dicitur,quod factus in agonia prolixus orabat,id est,in anxietate factus est imminente passione. Non enim habemus talem pontificem,vt ait Apostolus:qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine. Fuit enim similis nobis,passibilis & infirmus secundum carnem. In illa autē anxietate factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrētis in terram. Non tamē credimus tantā fuisse anxietatem in eo,vel mortis horrorē,vt sudorem sanguineum emitteret. Istud enim non secundū humanā potentiā,sed miraculose factū est propter mysteriū designandum, vt purgationē terrenorum in suo sanguine futurā ostenderet,sicut nō secūdum cursum naturæ,sed miraculose mystica aqua de latere eius profluxit. In illa autem agonia & anxietate apparuit ei angelus de cęlo cōfortans eum. Sed nunquid fuerat desolatus? Nequaquam: Quia non propriè dicitur desolatio,nisi vbi est mentis præ dolore exorbitatio. Confortari tamen voluit ab angelo propter nos,qui tamē angeli confortatione nō indigebat,cū tristitiā illam virtute diuinitatis potuit tēperare vel penitus amouere. Ad instructionē autem nostrā hoc fieri ab angelo voluit,vt nobis positis in pressuris ostenderet nobis angelum deputatū,vel alium afore qui nos consoletur. Licèt autem secundū naturā inferiorem tristis erat,anima tamē ipsius secundum rationē & intellectum diuina præsentia fruebatur,& ineffabiliter lętabatur. Ex quo patet quàm mira & incomprehensibilis fuerit huius citharę cęlestis harmonia,cuius chorda superior inęstimabili gaudio,velut acutissimo sono dulciter resonabat. Chorda verò inferior quasi graui tono & remisso sonum mœstitiæ proferebat. Nō solùm autē in se,sed in membris suis,& in his qui perierant,contristabatur mœrore & anxiebatur cōpassione,sed propter scandalū Apostolorum,propter reiectionē Iudęorum,propter Iudę infelicitatē,propter euersionē Hierusalē. Videns enim ciuitatē,fleuit super eam. In hac autē agonia & tristitia tribus vicibus orauit,vt nos à præteritis peccatis veniā,& à præsentibus malis tutelā,& à futuris periculis cautelā oranedo doceat impetrare,& cōtra tentationes mundi,carnis,& diaboli in oratione vigilare. Et quoniam scriptum est de illo: Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Et iterū: Desiderium cordis eius tribuisti ei,& voluntate labiorū eius non fraudasti eum: ipse in omnibus quæ voluntatem orationis petiit, exauditus est propter reuerentiā suam. Vndę & prædictam eius petitionem,quā orauit: Domine ne longè facias auxiliū tuum à me,& cætera quæ sequuntur,pater adimpleuit. Auxiliatus est ei antequā caperetur,solo enim verbo suos prostrauit aduersarios. Abierūt enim retrorsum & ceciderunt in terrā,sicut ait Ioannes: Auxiliatus est ei in passione obumbrando sibi per caput eius in die belli. Nunquā enim motus est ira vel indignatione,sed sicut agnus māsuetus,qui portatur ad vindictā,non repugnauit,nec retrorsum abiit. Factus est enim sicut homo, nō audiens & nō habēs in ore suo redargutiones. Auxiliatus est ei in morte,spiritū eius quē in manus patris cōmendauit suscipiēdo. Et insuper pro eo pugnauit orbis terræ cōtra insensatos: dū sol obscuratus est,& factæ sunt tenebræ super vniuersam terrā: mota est terra,& petręscissæ sunt,velū templi scissum est,& monumēta aperta sunt. Auxiliatus est ei post mortē,sicut scriptū est: Non derelinques animā meā in inferno,nec dabis sanctum tuū videre corruptionē. Auxiliatus est ei in resurrectione: quia pater exaltauit eū,& donauit illi nomē quod est super omne nomen. Et similiter in ascensione: dū eius magnificētia virtute diuinitatis eleuata est super cœlos. Defendit eū & liberauit de ore leonis,& à cornibus vnicornium eius humilitatē. Vnde ipse ait: Laudans inuocaui Dominum,& ab inimicis meis saluus ero. Laudās de victoria: inuocabo de pugna. Circundederunt eū inimici eius in tēplo,in horto,in prętorio,in patibulo,in sepulchro, & de omnibus his liberauit eum Dominus. Liberauit enim pauperem à potente: dū sapientia Christi pauperis vicit malitiā diaboli superbi,conterendo molas iniqui,& à dēbitis illius auferendo prędam. Duæ molæ diaboli, Inferior veniæ desperatio, superior impunitatis præsumptio. Primā cōtriuit,dū sanguinē suum in remissionē peccatorū effudit. Qui igitur de venia desperat, mortē eius insufficientē fuisse credit: sed iterū Christum morte secunda mola teritur: nā si pęna non debetur peccatis,vt impunè homo peccaret,Christus pro nihilo mortuus esset. Qui igitur de impunitate pręsumunt,Christi passionē superfluā fuisse dicunt. Liberauit igitur Deus pater Christū de ore leonis,id est,diaboli,qui tanquam leo circuit,quęrens quē deuoret: qui superbus est,& rex super omnes filios superbiæ. Fortis est,quia nō est potestas super terrā,quæ ei cōparetur. Crudelis,& nō miseretur. Rapax,& sanguinē sitiens. Audax,qui factus est vt nemine timeat. Luxuriosus,quia virtus eius in lumbis eius. Princeps mundi huius,& rex bestiarū,hominum bestialiter viuentiū. Hic leo rugitum emisit contra Christū per ora Iudæorum: dū clamarent: crucifige,crucifige eum. Expectaui,vt faceret iustitiam: & ecce clamor aperuit os suum vt deuoraret Christum,habens fiduciā quod intraret Iordanis in os eius. Gulosus iste cuius escę electæ sunt,escā electissimā glutire voluit,& seipsum transugulauit,dum tantā buccellā absorbere pręsumpsit. Dominus enim eripuit Christū de ore leonis,& de manu cruente liberauit eū. Captus est enim gulositate sua: dū escā exterius auidus aspexit,& laqueū,quo strangularetur, incautus non auertit. Virtute enim passionis suæ diabolū cruci alligauit,sicut vrsus ad stipitem religatur,ne nocere possit quantum velit. Licèt enim pede terat,fremendo & tentando: metas tamen transcendere nequit. Nihil enim potest nisi permissus. Virtute sanguinis Christi tanquā funę Raab coccineo,sicut iumentum seu porcus ligatus est & astrictus & crucis malleo contritus. Quo malleo Dominus portas æreas cōtriuit,& vectes ferreos confregit,& cruce Domini-

*De Angelo Christum confortante,propter instructionem nostram.*

*Quod simul cōtristabatur & gaudebat.*

*De multiplici contristatione Christi.*

*Quare Christus tribus vicibus orauit.*

*Quod multipliciter pater auxiliatus est Christo.*

*Quod multipliciter circundatus est ab inimicis & liberatus ab eis.*
*Sap.8.*
*Iob 29.*
*De duplici mola diaboli.*
*1.Petri 5.*
*Quòd diabolus leoni comparatur.*
*Iob 41.*
*Iere.6.*
*Iob 40.*
*Ioan.14.*
*Quòd diabolus captus est gulositate sua*
*Quòd diabolus tanquam vrsus, Christi passione ligatus est.*
*Iosue 2.*
*Diabolus malleo crucis contritus est.*

ca, velut

ca, velut claui ostio reserato suos in Paradisum introduxit, de ligno crucis faciens pontem hinc inde, quasi à ripa ad ripam attingentem vt membra capiti iungerentur. Suspendit igitur verus Iosue regem Hai, id est, diabolum in crucis patibulo, & percussus à Moyse Ægyptius, qui fratrem eius Hebræum percutiebat, absconsus est in sabulo, id est, in cordibus fluxis & aridis permittitur habitare. Nō solum ergo liberatus est Christus de ore leonis, sed insuper conculcauit leonem & draconē. In cuius ore leonis Sampson noster mel inuenit, dum opprobria & conuicia sibi illata, cum omni patientia & mansuetudine sustinuit. Quæcunque enim pro nostra redemptione pertulit, dulcia velut mel ex desiderio reputauit. Ros enim sanguinis eius, & misericordiæ obuians ardori, id est, incendio vitiorum, humilem fecit aquilonem, id est, humiliauit diabolum. Draconem autem, id est, venenosum serpentem, scilicet, diabolum conculcauit, qui more draconis ex naribus suis ignem emittit. Halitus enim eius prunas ardere facit. Volatu autem suo aërem concitans tempestatem facit. Corda enim superborum ad iram incitat, & insaniam, quæ per aërem designatur propter elationem, sicut propter ariditatem & sterilitatem dicitur puluis. Vnde Isaias: Et serpenti puluis panis eius. Catuli autem leonum filij Belial, serui diaboli fuerunt Scribæ & Pharisæi, quos instigauit diabolus vt raperent prædam, & Christum Pilato crucifigendum traderent. De quibus Dominus in eodem Psalmo: Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Circundiderunt eum cum gladiis & fustibus vituli lasciui, luxurioſi, sine iugo obsederunt eum, tanquam castrum ne euaderet, tauri pingues ceruicosi, superbi Principes Iudæorum, in pinguedine temporalium cōstituti, quorum faciem operuit crassitudo. Ex adipe enim temporalium prodiit iniquitas eorum. Iudæi etiam vnicornes dicuntur. Est enim hoc animal superbum, quod domari nō potest, sed sola indignatione dum capitur, moritur. Habet enim vnum cornu in medium frontis, à quo nullum animal securum est. Vnde meritò comparatur Iudęis, qui se singulariter eleuantes pares habere dedignabantur: de cultu vnius Dei se iactantes, vnum testamentum recipientes, & tantum terrena appetentes, à quorum cornibus, id est à sublimitate, & superbia eorum liberauit pater Christi humilitatem. Quibus prædixerat Dauid: Nolite extollere in altum cornu vestrum, id est, contra filium Dei altissimum. Ipsi autem velut capræ diaboli alta petentes, & lignum viride corrodentes, lupi infernales, id est, diaboli ministri, cuius fortitudo in dēribus, in conuiciis, scilicet, & derractionibus, canes impudici nescientes saturitatem, bolismum patientes, nequeunt satiari Christi opprobriis. Canes immundi indiscretè latrantes, dentes incisiuos habentes, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Acuerunt enim linguas suas sicut serpentes. Linguas toxicas habentes. Malitioſe detrahendo: In Beelzebub inquiunt Principe dęmoniorū eiicit dæmonia. Fraudulenter adulando: Magister scimus quia verax es, licet censum dari Cęsari, an nō? Irridendo: Vah qui destruis templū Dei, & in triduo reædificas illud. Blasphemando: Nónne bene dicimus nos, quod Samaritanus es, & dæmonium habes? Conuiciis & contumeliis afficiendo: Ecce homo vorax, potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus. Mentiendo de ipso: Nónne hic est fabri filius? Accusando: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cęsari. Falsos testes producendo. Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Conspirando: Iam enim conspirauerant Iudæi: vt si quis ipsum confiteretur Christum esse, extra Synagogam fieret. Comminando: Accesserunt quidam Pharisæi dicentes illi: Exi & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. Eius potentiæ derogando: Si quid potes, adiuua nos. Similiter doctrinæ eius detrahendo: Tu discipulus eius sis: Nos Moysi sumus discipuli. Condemnādo: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori. Sic igitur canes insani latrabant, & dentibus suis innocentem corrodebant & lacerabant, aduersus silentem crassæ sues grunniebant, mendaces, impij, populus grauis iniquitate, semen nequā, filij scelerati, domus exasperans, populus duræ ceruicis, semen Chanaan & non Iuda, boues cornupetæ, principes Sodomorum, populus Gomorræ. Quid vos ó impij crudeles, ómni cruenta belua atrociores, progenies viperarum, venenosi, venatorum filij, vulpeculæ dolosæ, vinea reproba, gens maledicta, filij diffidentiæ, hæredes gehennæ, viri belial, viri sanguinum, filij perditionis, filij diaboli, quid vos dignum morte in ipso inuenistis? Quid enim vobis mali fecit? In quo vos vnquam læsit agnus iste mansuetus, iustus, sanctus, & sanctus sanctorum, qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, vir dolorum, & sciens infirmitatem, pauper & in laboribus à iuuentute sua? Quid vos lupi in agnum, accipitres infernales in columbam, frenetici in medicum irruistis? Qui infirmos vestros sanabat, sedentes in tenebris & vmbra mortis illuminabat, indoctos verbo & exemplo instruebat, pascebat famelicos, suscitabat mortuos, qui de terra Ægypti patres vestros eduxit, & vos tantum honorauit, quod de gente vestra dignatus est nasci, qui redemptor est hominum, & gloria angelorum. Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens, habens oculos & non videns, aures habens & non audiens? Grande malum super te induxisti. Patres vestri Prophetas occiderunt, & vos Dominum Propheratum occidistis, cuius sanguis super vos & super filios vestros. Virgam collegistis, qua suspensi estis. Laqueū tetendistis, quo capti estis, & incidistis in foueam, quam fecistis. Noluistis benedictionem & elongata est à vobis, dum vos missum saluatorem repulistis, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum: quia non est qui eripiat, dum lapidem angularem reprobastis. Lapidem offensionis & Petram

*Iosue 8. Exod 3. De conculcatione leonis & draconis. Iudi. 14. Eccle. 43.*

*Quòd Iudæi vitulis & tauris comparantur.*

*Quòd Iudæi vnicorni comparantur.*

*Iudæi capris, & canibus comparantur.*

*Quod multipliciter acuerunt linguas suas Iudæi. Matth. 12. Mar. 3. Lucæ 11. Matth. 22.*

*Exod. 17.*

*Inuectio contra Iudæorū impietatem. Matth. 3. Ephe. 5.*

*Isaiæ 1. 1. Petri 2.*

tram scandali in malum vosmetipsis minorastis, dies temporis eius, perfudistis eum confusio-
Gene.49. ne. In consilio vestro non veniat anima mea. In furore vestro occidistis virum, & in voluntate
Deut.28. vestra suffodistis murum. Maledictus furor vester, quia pertinax, & indignatio vestra, quia du-
ra. Maledicti in ciuitate, maledicti in agro, maledicti ingredientes, maledicti egredientes. Ob-
scurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incuruetur. Filij eorum orphani,
& vxores eorum viduæ, & ipsi operiantur sicut diploide confusione sua: fiant cõtra Dominum
semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quòd non sunt recordati facere misericor
diam, & persecuti sunt hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare,
retribuentes illi mala pro bonis, & odium pro dilectione sua.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola Philip. 2.

Phil.2. *Hoc sentite enim in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, &c.*

Quod Christi passionem in nobis sentire debemus.

ADMONET nos Apostolus in hodierna Epistola, quatenus Christi passionem & alia quæ in Christo fuerunt, & operatus est pro nobis, sentiamus in nobis. Si enim inanimata virtutem passionis eius senserunt, quantò magis spiritus rationalis, qui ad eius imaginem creatus est, & morte eius redemptus, eam sentire debet? Sol sensit, quia in eius passione radios suos retraxit. Terra sensit: quia commota est & contremuit. Lapides senserunt, quia sanguine eius scisi sunt. Sepulchra senserunt, quia dum pateretur, aperta sunt. Mortui senserunt, quia de monumento surrexerunt. Dæmones senserunt, quia exterriti sunt, & confusi in morte ipsius, sicut scriptum est: Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor. Infernus sentit, quia quos detinebat, reddidit. Et nos Christi passionem quatuor modis in nobis sentire debemus. Per imitationem, per compassionem, per dilectionem & gratiarum actionem, per interiorem operationem, & efficaciam. Sentiamus ergo imitando corde & opere quod fuit in Christo Iesu, vt experimento cognoscatur in nobis esse. Ipse enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Si enim volimus participes esse glorioſæ resurrectionis, simus & participes ignominioſæ passionis. Hæc enim iusta lex societatis, vt sint simul participes lucri, & damni, commodi, & detrimenti. Nisi enim compatiamur, non conregnabimus. Non est enim transitus, de deliciis ad delicias, per amaritudinem. Nisi enim poculum confectionis peruenitur ad gaudium salutis. Qui autem bibere nolunt cum Christo, primam myrrham bibẽt cum diabolo, secundam, id est, pœnam æternam. Qui verò bibunt cum Christo de torrente passionis in via: bibent cum ipso de cœlesti nectare in patria.

Inanimata virtutem passionis senserunt. Exod.15.

Quod Christi passionem quatuor modis sentire debemus.

Primus modus per imitationem. 1.Pet.2. Rom.8. Cant.5.

1.Pet.4. Iudicium enim incipit à domo Domini. Illi autem, qui in hoc seculo de calice Domini primò bibunt, fęces ad vltimum non gustabunt. Vnde filiis Zebedęi, qui prius volebãt habere Deum gaudij, quàm Deum doloris: Dominus ait: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

Matth.20. Medicinam enim prægustauit medicus, vt non abhorreret ęgrotus. Curramus igitur ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito

Heb.12. sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Ipse enim oblatum sibi regnum respuit,

Ioan.6. qui crucifixoribus suis se obtulit, quibus venientibus ipse discipulis suis ait: Surgite, eamus, id est, vltro crucifixoribus occurramus. Vnde Apostolus: Exeamus ad ipsum extra castra, improperium eius portantes. Propter hoc enim extra ciuitatem pati voluit, vt nos exeũtes de castris

Heb.13. corporis, id est, carnalis delectationis, improperium eius portemus, sicut idem Apostolus ait:

Gala.6. Stigmata Iesu in corpore meo porto, id est, signa militiæ eius, quæ me probãt militem eius esse. Stigma enim dicitur nota, vel punctum aliquo ferro impressum. Stigmata igitur illius portemus: dum notas pœnarum eius passiones, scilicet, & tribulationes ad eius imitationem in nobis suscipimus. Tollamus ergo crucem nostram per sanguinis effusionem, per carnis macerationem, per proximi compassionem. Sicut autem Adam pater noster castrum Domini sui sponte diabolo tradidit: ita Dominus à filiis eius exigit, vt ipsum sibi redditum custodiant, & vsque ad sanguinis effusionem inimico resistant. Vnde Apostolus: Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt nõ fatigemini animas vestras deficientes: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis. Vnde Christus crucem suam primò baiulauit, vt eam commendaret imitaturis, & posteà Simoni Cyrenæo imposita est, vt sequamur vestigia eius, quamuis à longè, sicut signatum est in Petro, qui ipsum à longè sequebatur. Quia Christus non pro se: nos autem pro nobis, scilicet, pro peccatis nostris crucem portamus, crucifixi cum vitiis & concupiscentiis mortificati. Vnde Augustinus: Moriar ne, moriar

Gala.5. Moriar carne, ne moriar mente: moriar mundo, ne moriar Deo. Et beatus Petrus: Qui peccata

1.Pet.2. nostra pertulit in suo corpore super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. Et iterum: Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: vt iam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est, viuat in carne. Serpens enim per angustum passionis foramen transiens, veterem pellem exuit, vt crucifigatur vetus homo noster, & destruatur corpus peccati: dum omnia membra præcepris iu-

Quòd vetus homo noster crucifigendus est.

stitiæ, &

iustitiæ,& clauis timoris cruci affigantur, ne ad peccatum moueantur. Sicut scriptum est: Confige timore tuo carnes meas. Vnde Apostolus: Christo confixus sum cruci, id est, crux Christi extinguit in me ardorem peccati. Et iterum: Mihi mundus crucifixus est,& ego mundo, id est, quicquid in mundo est, crux mihi est,& crucem, id est tormenta reputo, abiicio & contemno, sicut ego crucifixus sum mundo, id est, abiectus in opinione secularium. Debemus ergo cum Christo pendere in cruce, vt simus filij Chore & carnalia vitia in nobis mortificare. Vnde Apostolus: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Sicut is qui in patibulo confixus est, iam non præsentia contemplatur, non curat de crastino, nulla superbia, nulla concupiscentia, nulla contentione, nulla præteritarum iniuriarum recordatione mouetur. Illic præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat ilico transiturum. Qui hoc modo crucifixus non est, secundum carnem viuit. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Et iterum: Inimici sunt crucis Christi, hi, quorum Deus venter est: hi, scilicet, sunt, qui ad vocem ancillæ, id est, carnis cum Petro Christum negant. Christus autem crucifixus est,& se in sacrificium Deo obtulit, vt cum Iephthe tu filiam tuam, id est, carnem illi sacrifices. Ipse enim liber noster est extensus in cruce, & clauis affixus asseribus, sicut Alphabetum puerorum, vt in ipso legere valeamus. Eius enim opera nostrorum operum sunt sigillum, seu bulla. Ipsi enim scriba velox fuit, scribens in cordibus nostris non atramento, sed sanguine pretioso. Ad hoc enim vt ait beatus Gregorius: Dominus in carne apparuit, vt humanam naturam admonendo excitaret, exempla prębendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Huius autem libri literæ sunt. Charitas, qua pro nobis mori voluit. Humilitas, qua ministrare & nō ministrari venit. Obedientia, qua vsque ad mortem patri obediuit. Benignitas, qua pro crucifixoribus orauit. Patientia, qua crucifixoribus indulsit. Misericordia, qua latroni peccata condonauit. Largitas, qua seipsum totum nobis tradidit. Paupertas, qua nudus in cruce pependit. Prouidentia, qua Discipulo matrem commendauit. Compassio, qua super ciuitatem fleuit. Prudentia, qua sapienter diabolum superauit. Iustitia, qua latronem blasphemum condemnauit. Perseuerantia, qua de cruce descendere noluit. Fortitudo, qua portas inferni confregit. Ipse enim inter homines sobriè, piè & iustè conuersatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in omnibus fuit nobis regula viuendi: vt imitaremur exempla, venaremur miracula, doctrinæ crederemus, passioni grati essemus. Ipse enim nobis fuit via prudentiæ, forma iustitiæ, sanctitatis exemplum. Vnde Apostolus: Factus est nobis sapientia, dirigens exemplo. Sanctificatio peccata remittens. Redemptio à morte æterna liberans. Eius igitur vita viuendi regula nobis extitit, eius mors redemptio à morte nobis fuit. Illa vitam instruxit, ista mortem destruxit. Crux autem ipsius, quasi perpendiculum cementarij, seu regula architecti nobis proponitur, vt secundum eam omnia opera nostra dirigantur. Vnde beatus Gregorius: Cùm lignum regulæ iungitur, per quantam tortitudinem tumescat, inuenitur. Diligenti igitur studio huic regulæ conformemur,& in hoc libro à principio vsque ad finem legendo, hoc in nobis sentiamus imitando, quod & in Christo Iesu. Ipse autem cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse, se æqualem Deo, id est, arbitratus est, & certissimè sciuit se esse æqualem Deo patri, in cuius erat forma, quia qualis pater, talis filius, non faciens rapinam, non vsurpans quod suum non erat. Et tu non facias rapinam, quod tuum non est, non vsurpes: sicut Sathanas diuinitatem vsurpare voluit, ambulans in magnis & in mirabilibus super se. Secundum aliam expositionem, Christus non est arbitratus se esse æqualem Deo, secúdum humanitatem quod esset facere rapinam. Et tu similiter omnem studeas vitare arrogantiam & præsumptionem. Christus quamuis in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, id est humiliauit, non substantiam euacuans, sed formam serui accipiens in similitudine hominum, factus mortalis, scilicet, & pasibilis. Et habitu inuentus vt homo, indutus humaniratem per assumptionem, non per transfigurationem. Habens enim veram humanitatem, inuentus est & cognitus est ab eis, quibus in carne visibilis apparuit. Et tu ad eius imitationem, teipsum humiliando exinanias, non alta de te sentias, vt sis altare exinanitum & concauum,& vas vacuum quod implet verus Eliseus: Ecce habes in Christo humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quid igitur intumescis ô homo? Pellis morticina quid tenderis? Sanies fœtida quid inflaris? Princeps tuus humilis est,& tu elatus? Caput humile & membrum superbum? Natus est in paupertate, contra auaritiam. Vixit in labore contra carnis voluptatem. Mortuus in humilitate, contra superbiam. Natus in virginis horto, captus in horto, sepultus in horto, resurrexit in horto. Et nos in horto virtutum & viriditate bonorum operum semper commoremur. Paruulus ab Herode ad interficiundum quæritur,& fugit in Ægyptum. Et nos persecutores nostros cautè declinemus. Cùm duodecim esset annorum, in templo remansit, inter doctores commoratus relictis parentibus. Et nos carnalem affectum spiritualibus exercitiis non præponamus. Ipse non habuit in terra, vbi caput reclinaret. Et nos nudi nudum sequamur. Ipse discurrebat & laborabat prædicando. Et nos zelum habeamus animarum,& ab iustructione proximorum nō torpeamus, vt cortina cortinam trahat: & qui audit, dicat, veni. Ipse à persecutoribus aliquando se abscondit. Et nos de vna ciuitate trāseamus ad aliam, si nos persecuti fuerint aduersarij nostri: Ipse opprobria multa,& contumelios is non respondeamus. Seruum enim Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad

*Rom.6.* *Gala.2.* *Gala.6.* *Gala.5.* *Rom.8.* *Phil.3.* *Matth.26.* *Quod christus liber est fidelium.* *Phil.2.* *De literis libri.* *Matth.20.* *1.Cor.1.* *Quod secundum crucis regulam debemus dirigi* *Expositio literæ.* *Alia expositio.* *Rom.12.* *Exod.17.* *4.Reg.3.* *De exemplo humilitatis in Christo.* *De multiplici exemplo Christi, quod in nobis sentire debemus & imitari.* *De multiplici horto.* *Quòd in Ægyptum fugit.* *Quòd in templo remansit.* *Quòd non habuit vbi caput reclinaret, & de multiplici labore.* *Quòd abscondit se.* *Quòd patienter opprobria sustinuit.* *2.Tim.2.*

esse ad omnes. Sub vmbra enim Dominicę pasionis quieścimus, dum ad eius imitationem op
probria & flagella patienter sustinemus, sicut sponsa in Canticis ait: Sub vmbra illius, quem
desiderabam, sedi. Ipso autem veritatem prædicante, & de mysterio corporis sui differente,
multi ex discipulis suis retrò abierunt, & iam non cum illo ambulabant: Et nos patienter sustis
neamus, si pro veritate prædicanda, ab his quibus displicet, relinquamur. Ipse quasi tædio affe
ctus, & de Iudęorum incredulitate contristatus ait: O generatio infidelis & pesima, vsquequo
ero apud vos, & patiar vos? Et nos desperare non debemus, si inter homines praue & per-
uersæ nationis commorantes, ab eis, quasi à spinis pungamur. Quidam dicebant, quia bonus
est: alij dicebant, non: sed seducit turbas: Et nos patientiam habeamus, si à peruersis homini-
bus, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, seductores reputemur. Exierunt sui tenere
eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est: Et nos patienter feramus, si reputa-
mur fatui, quia mundi gloriam contemnimus. Ipse à Samaritanis est repulsus, nec in eorum
ciuitate hospitio est receptus, quia habebat faciem euntis in Hierusalem: Et nos si à malis re-
pellimur, quia in cœlestem Hierusalem tendere videmur, cum mansuetudine toleremus. Fu-
rem & proditorem suum cum omni mansuetudine sustinuit, & ei osculum non negauit: Et
nos rerum temporalium damna, & proditorum nostrorum insidias sustinentes, nulli pacis os-
culum denegemus: sed cum his qui oderunt pacem, quantum in nobis est, simus pacifici. Petro
claues Paradisi & curam animarum Dominus tradidit. Latroni autem temporalia cōmisit, vt
hoc exemplo ostenderet, quod paruipenderet temporalia, & quātum diligeret salutem anima-
rum. Econtra autem faciunt quidam nostri temporis Prælati, qui thesauris suis fidelem depu-
tant custodiam, curam autem animarum latronibus & symoniacis cōmittunt. Imminente pas-
sione petiuit locum, quē cōsueuerat frequēter adire, vt ibi facilius reperiretur: per hoc ostendēs
quòd nō coactus, sed spontè pateretur. Vnde venientibus crucifixoribus, ait discipulis suis. Sur
gite, eamus, id est, spontanei, his qui nos quęrunt, occurramus: Et nos pro Christo spōtanei cru
cem tollamus, coacta enim seruitia non placent Domino: Vnde vinum myrrhatum bibere no-
luit, quia pœnitentiam angariatā respuit. In orationibus prolixius orans vigilauit: Et nos sine
intermissione in orationibus vigilemus. Sanguineum sudorem emisit: Et nos sudores laborum
non refugiamus. Ipse autem crucifixoribus suis occurrens, ait: Si me quæritis, sinite hos, id est,
discipulos meos abire: Et nos pro proximis nostris animas nostras ponamus. Aurem amputatā
inimico restituit: Et nos bona reddamus pro malis. Ductus est in domū Annæ, & pòst in domū
Cayphæ, & ad diuersos Iudices: Ad Pilatū, scilicet, & Herodē, & vnus ipsum ad alterū remitte-
bat: Et nos non pigeat diuersis animarū Iudicibus præsentari, & diuersis sacerdotibus peccata
confiteri. Si autē vnus ad aliū nos remiserit, nō contradicamus. Cęsus est alapis, & cōsputus, li-
gatus, flagellatus, & irrisus: Et nos opprobriis, & sputis eius terram cordis nostri impinguātes,
& pro ipso verbera patienter sustinentes, vinculis disciplinæ cōstringamur. Abiectus est ab Ho
rode & contęptus, & adiudicatus Pilato: Et nos abiectionem nostrā humiliter sustinentes, si
malè ab iniquis Iudicibus pertractemur, pro ipso nō recusemus. Tanquam ouis ad occisionem
ductus est: Et nos exemplo eius innocentes & simplices sicut oues simus, & non tanquā male-
fici patiamur. Mansueti benignitate: mūdi castitate: fœcundi charitate: infirmi compassione, vt
cum Apostolo dicamus. Quis infirmatur, & ego non infirmor. Lanam & lac ministrantes per
temporalium dispensationem, fętus parientes per doctrinam, terram fumo stercorantes per
pœnitentiā, carnem exhibentes ad martyrium, pellem exteriorū bonorum proximis erogātes.
Exaltatus est in cruce, & à terra eleuatus: Et nos sursum habētes corda terrena cōtemnamus.
Crucifixus est in meridie: Et nos in meridie feruoris claui charitatis eius affigamur. Extensus
est in patibulo: Et nos sine ruga duplicitatis esse debemus. Coronā spineā habuit: Et nos caput
mentis nostræ corona spinea coronemus. Cuius prima spina sit: Contritio cordis, quę pūgit per
dolorem. Secunda confessio oris, quæ pungit per pudorē. Tertia, satisfactio operis, quæ pungit
per laborem. Sub capite enim spinato, membrum delicatū esse nō congruit. Ipse cū iniquis de-
putatus est: Et nos patienter sustineamus, si à detractoribus cū iniquis deputemur. Manus ex-
tensas habuit & perforatas: Et nos manus nostras inopi extendentes, bona nostra pauperibus
largiamur. De homine enim qui largus est tribuendo, dici solet, quod manus habeat perforatas.
Pedem habuit super clauo confixum: Et nos pedes nostros per semitas rectas dirigentes, pe-
dem misericordiæ superponamus pedi iustitiæ, vt in nobis misericordia superexaltet iudicium.
Aures conuitiis patuerunt: Et nos aures nostras ad clamorem pauperum aperire debemus.
Oculi eius in morte caligauerunt: Et nos oculos nostros, ne videant vanitatem auertendo clau
damus. Ori eius myrrha, fel, & acetum oblata sunt. Ipse autem cum gustasset, respuit, & nō
luit bibere: Et nos amaritudines auaritiæ, carnalis concupiscentiæ, rancoris & malitiæ respua-
mus. Myrrha ex terra, fel ex carne, acetū ex vino corrupto oriuntur, quibus prædicta tria vitia
designātur. Latus eius lancea apertum est: Et nos cor nostrum lancea charitatis, & gladio ver-
bi Dei perforemus: Et nos lanceola illa muniamus, quæ cordi Christi affixa fuit, vt à corde ad
oculos per riuulos lachrymarū egrediatur putredo & superfluus humor peccatorum. Omnibus
membris passus est Dominus: Et nos omnia membra nostra cruci eius affigamus, vt nullum
membrum ad peccatum moueamus, sed omnia membra corporis nostri in eius obsequium
tanquam sacrificium in odorem suauitatis offeramus. De cruce descendere recusauit: Et nos

*Cant. 2.*
*Quòd multi ex discipulis eius ipsum reliquerunt.*
*De tædio eius.*
*Quòd à quibusdā bonus, ab aliis malus dicebatur.*
*Quòd à suis reputatus est insanus.*
*Quòd à Samaritanis repulsus est.*
*Quòd furem patienter sustinuit.*
*Quòd claues Petro & temporalia Iudæ commisit.*
*Quòd locum, vbi facilè reperiretur, adiit.*
*Ioan 18.*
*Quòd in orationibus vigilauit.*
*De sanguineo sudore, & quòd crucifixoribus occurrit.*
*Quòd aduersario aurem restituit.*
*Quòd ad diuersos Iudices ductus est.*
*De alapis & variis eius flagellis ac opprobriis.*
*Quòd se tanquam ouem exhibuit.*
*De proprietatibus ouis.*
*De eius crucifixione & aliis quæ sustinuit dum crucifigeretur.*
*De spinea corona.*
*De passione membrorum corporalium Christi, & quod nos ad eius imitationem membra nostra eius seruitiis exhibeamus.*
*Moraliter de myrrha, felle, & aceto.*
*Quòd omnia membra cruci affigere debemus.*
*Quòd de cruce descendere noluit.*

Et nos in cruce pœnitentiæ moriamur. Si autem mundus, caro, diabolus, nobis persuadent, vt de cruce descendamus, non eis acquiescamus, sed perseueremus in cruce: & non abscindamus ab hostia nostra caudam finalis perseuerantię: quia finis, non pugna, coronat. Dominus matrem suam de cruce cognouit, & eam Ioanni commendans de cruce discedere noluit. Et nos parentes & consanguineos Domino commendemus, pro ipsis oremus, nihilominus tamen in cruce perseueremus. Si autem dixerũt: propitius esto tibi, absit hoc à te, manduca & bibe, & cum hoc seculo lætare, mundo nobiscum perfruere, audiant à te quod à Christo Petrus audiuit: Vade retrò sathana, quia nescis quæ Dei sunt. Christus autẽ in manus patris spiritum suum commendans, voce magna clamauit, inclinato capite emisit spiritum. Et nos gratias illi agentes cum ingenti deuotione, inclinato capite per humilitatẽ & obedientiam, in manus Dei & Prælatorum nostrorum spiritum nostrum commendemus, & ipsis sicut æger medico nos committamus. Dominus enim humiliauit se & exinaniuit, factus obediens patri vsque ad mortem. Propter quod & Deus pater exaltauit ipsum secundum humanitatem, dando illi immortalitatem & impassibilitatem. Diuina etiam natura exaltata est, quo ad nos quantum ad ostensionem, sicut seipsum exinaniuit, dum sub nube carnis latens non apparuit. Donauit etiam illi homini Christo nomen, quod est super omne nomen, id est, honorificentiam, vt Deus nominetur. Prius enim erat Deus, sed manifestatum est post resurrectionem. Dedit etiam Christo secundum humanitatem, vt ei omne genu flectatur post resurrectionem, & vt eius imperio Angeli, homines & dæmones se subiici fateantur: & tandem omnis lingua bonorum & malorum in fine confiteatur, quod Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, æqualis, scilicet, æterno patri. Hęc prædicta Deus pater gratuita donatione donauit Christo homini, naturali autem donatione Christo Deo: quia quicquid habet filius habet à patre. Ecce quantũ humilitatis meritum, quantum obedientiæ præmium. Sentiamus igitur in nobis per imitationem, quod fuit in Christo Iesu per humilitatem, vt cum humili capite humilientur membra, & cum Christo passo membra patiantur. Quantò enim imitando Christum fuerimus viliores mundo, tantò pretiosiores erimus Deo. Quid superbis, terra & cinis? Christus in præsepio, tu in palatiis. Christus in pannis vilibus, tu in sericis. Christus in asello, tu in equis & phaleris. Christus in cruce, tu in balneis. Christus in sepulchro, tu in lectis eburneis. Filius hominis vbi caput recliner, non habet. Vulpes autem foueas habent in te, & volucres cœli nidum, id est, fraudulenta & elata dæmonia in tuo corde habent hospitium, in quo Christus non inuenit reclinatorium. Filius Dei nudus pependit in cruce, & varia vestium mutatoria pendent in perticis tuis. Ipse manus pro te habuit confixas, & tu in manibus tuis ad ostentationem vanitatis habes chirothecas. Ipse pedes confixos, tu calceos rostratos. Ipse factus est opprobrium hominum & abiectio plebis, & tu plebis fauorem venaris. Ipse tulit coronam spineam, & tu auream portas coronam, vel etiam floreã propter huius mundi vanitatem. Ipse amplexus est crucem, & tu ambitiosè curris ad cathedram. Ipse aceto potatus, & tu vino inebriaris. Ipse esuriit, tu ventrem imples delicatis cibariis. Ipse cucurrit ad clauos ferreos, & tu curris ad cariophilos. Ipse ligatus est ad columnam & cæsus virgis, tu per campos licentiæ vagus discurris. Ipse lancea latus perforatum habuit, tu cingulo argentato & deaurato latus tuum cingis. Ipse non habuit hospitium in mundo, vbi reclinaret caput: & tu amplas porticus, & ingentia tectorum spacia metiris. Ipse plorauit, tu rides cachinnando. Ipse pretioso sanguine suo animam tuam redemit, tu illam vili pretio diabolo vendis. Ipse pro te vigilauit, & tu dormis in cubilibus & impudicitiis. Ipse vir dolorum & sciẽs infirmitatem, & tu delitiis affluis. Ipse pro te pauper fuit, & tu auarè inhias diuitiis. Ipse doluit pro te, & tu vano mundi gaudio delectaris. Ipse vnicum in cruce socium habuit, tu pompaticè domum Domini ingrederis. Ipse spiritum emisit capite inclinato, tu aduersus Deum incedis collo erecto. Ipse semel crucifixus est à Iudæis, tu iterum pluries eum crucifigis, & super dolorem vulnerum eius noua vulnera addis, & filium Dei conculcando, sanguinem testamenti pollutum ducis. Christum enim in membris crucifigis, dum proximum tuum lædis. Faciem dum conspuis, dum bonis in absentia detrahis, vel dum cõtumeliis ipsum afficiens, fluxa verba, quasi saliuas defluentes in ipsum mittis. Christi faciem velas & alapis cædis, dum contra proximum odio cor indurans, ipsum contemnis. Acetum in spongia cum felle Christo propinas, & vinum myrrhatum tribuis, dum ex corde cauernoso fratrem tuum dolo circumuenis. Corona spinea caput Christi pungis, dum proximum tuum scandalizando affligis. Latus eius lancea vulneras, dum contra proximum malum machinaris, & ei nocere desideras. Manus Christi clauis affligis, dum manus ad illicita munera extendis. Pedes autem eius clauis perforas, dum vias diaboli ad malũ currendo perambulas. Christi cicatrices iterũ renouas, dũ ei improperando iuras, & membratim laniando blasphemas. Iudæ proditoris Christum vendẽdo socius efficeris, dum pro pretio falsum testimonium dicis. Et quoniam Deus veritas est, dum mentiendo veritatem negas, ipsum Christum negando reprobas. Sic igitur Christus quotidie spinis peccatorum nostrorum pungitur, & iterum crucifigitur, dum veritas mendacio, charitas odio perimitur, pax per discordiam, iustitia per iniquitatem destruitur. Qui autem talia operantur, non Christum, sed diabolum imitantur. Nos autem sentiamus in nobis, quod & in Christo Iesu, non solùm per imitationem, sed & per compassionem. Sentiamus in cordibus nostris ipsius passionem, vt omne gelicidium mentis liquefiat ad iguem dominicæ passionis, vt dum caput languidum est per pas-

*Quòd Dominus matrem suam Ioanni commẽdauit.*

*Quod Christus in morte caput inclinauit & gratias egit.*

*Expositio literæ.*

*De superbis & reprobis, quorum opera contraria sunt operibus Christi.*

*Rom. 14.*

*De his qui illorum Christũ crucifigunt in membris suis.*

*Secundum modũ sentiendi per compassionem.*

per pasſionem,cor noſtrũ ſit mœrens per compasſionem. Propterea enim voce magna clamãs, ſpiritum emiſit, vt ſomnolentos excitaret & pigros animaret. Qui enim ad tantum clamorem non euigilat,non dormit,ſed mortuus eſt. Si enim terra mota eſt per ipſius pasſionem,quantò magis corda noſtra commoueri debent per cõpasſionem. Valdè enim ſunt letargici,qui non euigilant, nec ſentiunt punctionem pasſionis Chriſti. Nimis enim ſtupidum mẽbrum eſt,& putridum eſt quod dolorem capitis non ſentit,dum ſecundum Ieremiæ conſilium, recordatur paupertatis,tranſgreſſionis,abſynthij & fellis. Tranſgreſſionem appellat exceſſum,quem completurus erat in Hieruſalẽ. De quo Iſaias: Opus eius peregrinũ ab eo. Opus enim peregrinum à filio Dei fuit mortem pati,qui cauſam mortis, id eſt,peccatum non habuit. Si autem cepe & allia extorquent lachrymas ab oculis, quãtò magis Chriſti pasſio extorquere debet lachrymas à nobis? Ne Dominus improperet nobis illud, quod improperat Iudæis. Lamentauimus vobis,& non planxiſtis. Beata autem Magdalena,dum lachrymas cõpasſionis ad dominicum ſepulchrum plorauit Apoſtolorum,Apoſtola fieri promeruit. Si autem ferrũ ferro acuitur,quãtò magis cordis duritia ferro Dominicæ pasſionis? Et ſi Adamas hœdi ſanguine rũpitur,durior eſt adamãte,qui nõ mouetur Chriſti pasſione. Ferreũ enim eſt pectus quod claue illa reſerari non poteſt,qua ſerata eſt infernus. Tertio modo ſentire debemus in nobis,quod & in Chriſto Ieſu, ſcilicet,per affectum dilectionis & charitatis. Nihil enim adeo ſpẽ attollit,& charitatẽ accẽdit, ſicut dum conſideramus attentè,quantum pro nobis fecit,qui proprio filio nõ pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo nõ etiam cum illo omnia nobis donauit? Sanguinem ſuum effudit Dominus pro ſeruis,iuſtus pro iniuſtis, medicus pro ægrotis,liber pro captiuis, beatus pro miſeris, creator pro creatura,opulentus pro egenis,paſtor pro ſuo grege,redemptor pro venditis. Si enim Rex in carcerem filium ſuum traderet,vt ſeruũ liberaret,magis aſtrictus eſſet ei vinculo dilectionis,quã ſi ſolo verbo præciperet incarcerato, vt ipſum liberaret. Æſtus ergo paſtoris prouocare debet ſitũ dilectionis,propterea in verę dilectionis & delectationis,& meridie feruoris voluit crucifigi, vt cũ eo crucifigeremur clauis charitatis,& ſemper eſſet fixus in cordibus noſtris,& tanquã faſciculus myrrhæ inter vbera cordis noſtri moraretur. Faſciculũ dicimus,quia ſuauitas amoris iugũ eius leue reddit & ſuaue,dũ aquæ marath dulcorãtur crucis ligno. Quãdo enim feruore dilectionis anima liqueſcit in recordatione pasſionis,per anguſtiam portã lateris intrare cõtendit,ex qua nõ niſi liquor exiuit: Nec intrare poteſt anima,niſi liqueſcat feruore dilectionis,ſicut torrens in auſtro liqueſcit. Fecit autẽ nobis in latere ſuo oſtiũ, vt nos introduceret in cor ſuũ, vt dicere poſsit anima. Sub vmbra illius,quem deſiderabã,ſedi,& fructus eius dulcis gutturi meo. Vnde in Ruth dicitur: Tinge buccellã tuam in aceto. Acetum enim Dominicę pasſionis excitat in nobis appetitũ dilectionis,ex quo aceto & clauis eius tanquã cariophylis facere debemus ſalſamentũ, vt palatũ cordis incitemus ad dilectionẽ. Vnde in Iob: Pulli aquilæ lãbunt ſanguinẽ. Chriſtus aquila,cuius pulli ſanguinẽ lãbunt,dũ deſiderio & dilectione Chriſti pasſionẽ recolũt. Durior eſt enim lapide,à cuius corde malleo crucis nõ excitatur ignis dilectionis. Ideò extẽſis in cruce brachiis,totũ corpus amplexatus eſt,vt nos ad dilectionẽ excitaret, brachia extẽdit vt pueros ſuos ad ripã æternæ beatitudinis deportaret. Vnde in Euangelio dicitur: quod Chriſtus dum orare vellet, auulſus eſt à diſcipulis,ac ſi in cordibus eorũ per dilectionẽ plãtatus eſſet. Et nos eũ diligamus, vt tanti beneficij ingrati nequaquã ſimus. Scriptũ eſt enim in Eccleſiaſt. Gratiã fideiuſſoris ne obliuiſcaris: Tradidit enim pro te animã ſuam,de hac fideiuſsione ait Propheta: Domine vim patior,reſponde pro me. Vim patior à carne,à mũdo,à diabolo. Reſpõde pro me,patri te offerẽs pro me. Pater enim nõ credit mihi, qui totiẽs mentitus ſum ei: Credet verò tibi veraci. Te autẽ pater nobis tradidit,vt te redderemus ei,& tecum noſmetipſos,vt ſic fideiuſſorem noſtrũ liberare poſſemus. Caueamus ergo ne dicatur de nobis,ſicut dicitur in Iudaico populo: Obliti ſunt eũ qui ſaluauit eos. Magna eſt obliuio & ingratitudo,dũ redẽptionis ſuę nõ recordatur homo. Ipſe enim Dominus de ſe ait: Cũ exalatus fuero à terra,omnia trahã ad meipſum,ſcilicet,per pasſionis charitatẽ. Cũ ergo dicat omnia,qui nõ trahitur,nihil eſt,quia ab eo recedit,qui verè eſt. Calix igitur pasſionis Chriſti inebriat per charitatem. Vnde Iſaias: Deſideraſsimus eum deſpectum,& nouiſsimũ virorum. Sicut enim fructus arboris mori dulcior eſt,quãdo nigreſcit: ita ipſe dulcior fuit nobis in morte,qua nos redemit. Tres enim ſunt,vt ait B. Ioãnes: Qui teſtimonium dant nobis in terra dilectionis Chriſti: Spiritus,quẽ pro nobis emiſit: Aqua,quã plorauit: Sanguis,quẽ effudit. Reddamus igitur animã pro anima: aquã pro aqua: ſanguinẽ pro ſanguine: dilectionẽ pro dilectione. Ipſe enim latus,id eſt,latitudinẽ charitatis pro nobis aperuit,vt ſanguis ex latere calefaceret torpentes,& aquam refrigeraret ardentes. Vnde in Leuitico,in ſignum huius intimæ dilectionis præcipitur, vt adeps & inteſtina & reticulũ iecoris, & duo renunculi ſuper altare adoleãtur, qui internam charitatis Chriſti pinguedinẽ ſignificant. Et quoniã ipſe prior dilexit nos,nullis noſtris beneficiis prouocatus,ſicut in Ozee dicitur: Diligam eos ſpontaneè,nos tãtis beneficiis prouocati diligamus eum dulciter,prudenter, ac fortiter, vt ipſe ſit in cordibus noſtris ad commoriendũ,& conuiuendum. Petrus amauit eum dulciter,ſed nõ prudenter,cùm ait: Abſit hoc à te Domine. Poſteà dulciter & prudenter,ſed non fortiter: cùm ait: Si oportuerit me mori tecum,nõ te negabo. Tandem verò dulciter,prudenter,& fortiter ipſum amauit,cùm animã ſuam pro eo poſuit. Quarto modo ſentire debemus in nobis, quod & in Chriſto Ieſu, ſcilicet, virtutem paſſionis eius

*Tertius modus ſentiendi per affectum dilectionis.*

*Cant. 1.*

*Ruth. 1.*

*Eccle. 29.*
*Iſaiæ 38.*

*Iſaiæ 53.*

*1. Ioan. 5.*

*Leuit. 4.*

*1. Ioan. 4.*
*Oſee. 11.*
*Matth. 17.*

*Quartus modus ſentiendi per interiorẽ operationem & efficatiam & experientiam.*

sionis eius & efficaciam, vt effectum mortis non impediamus in nobis. Passio enim eius pro omnibus sufficiens fuit. Vnde in Psalmo: Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ, id est, sanguinis mei, quantum in ipsis fuit, ipsum sterilem reddendo. Sit ergo pura Regis iuncta canalibus, id est, Christi passio, cordibus concauis & humilibus, vt nihil interponatur, quod effectum tantę redemptionis impediat in nobis, ne peccata nostra diuidãt inter nos & Christi passionẽ, vt nõ interponatur nubes mortalis peccati, per quã repellãtur à mentibus nostris radij veri Solis, sed in nobis experimẽto sentiamus virtutẽ sanguinis Christi, vt sanguis eius super nos sit & super filios nostros, nõ ad condemnationẽ, sed ad redemptionẽ, viuificans pullos bonorũ operum nostrorũ. Altissimus enim de terra creauit hanc medicinã, & vir prudẽs nõ abhorrebit eam, sicut in Ecclesiast. dicitur. Et Dominus de his, qui hanc medicinam repellunt, ait per Ieremiã: Nunquid resina nõ est in Galaad, aut Medicus nõ est ibi? Quare nõ est obducta cicatrix populi mei? quasi diceret: Per me non stat, sed per vos. Quid vltrà debui facere, & nõ feci? Medicamenta attuli, & liuor & plaga tumens non est circumligata in vobis, quia vincula præceptorum rupistis, nec curata medicamine passionis meæ, nec effota oleo misericordiæ meæ, quam repulistis, per me non stetit. Curauimus Babylonẽ, & nõ est curata, quia reppulit curationẽ. Frustrà conflauit cõflator, consumptũ est plumbũ: malitię eorũ nõ sunt consumptæ, sicut dicitur in Ierem. Dominus enim, vt purgaret argentũ suum, fecit follẽ siue conflatorium ex pelle corporis sui, affixa asseri crucis. Qui autẽ purgare volunt argentũ, apponunt simul & plumbum, & consumpto plumbo per ignem, purgatur argentũ. Dominus enim quasi plumbum humanitatis suæ, vt nos purgaret, in cruce consumptus est, nec tamen purgati sunt, qui Christi passionem peccatis suis inutilem sibi reddunt. Propter quod Dominus per Ieremiã ait: Argentũ reprobũ vocate eos. Et per Isaiam cõqueritur Dominus: In vanum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. Hoc dicit Dominus propter illos, qui medicinã contemnunt, & eius effectum in se impediunt, cùm tamen Dominus nihil omiserit de cõtingentibus, propter quod ipse ait per Isaiã: Posui faciem meã, vt petrã durissimã. Et paulò pòst: Quis cõtradicit mihi? stemus simul. Quis est aduersarius meus, accedat ad me? Quasi dicat: Tantum pro eis feci, quod meæ voluntati nullus contradicere debuit, sed accedere aduersarij ad me debuissent & inimici mei, pro quibus tanta sustinui. Faciem meã non auerti ab increpantibus & cõspuentibus in me, sed posui eam vt petrã durissimã, nec tamẽ Æthiops mutauit pellẽ suam, nec pardus varietates suas, sed sicut frigidã facit cisterna aquã suam, sic frigidam fecit malitiam suam, nec sanguine Christi feruente, quem effudit ex immensa dilectione potuit calefieri. Nos autem minio sanguinis eius purpuremus genas animæ nostræ, & cum Elia abscondamur in foramine petrę, & sanguis hostię distillet ad basem altaris, & ex eo tingãtur quatuor cornua illius, vt basis, id est, fides nostra, & quatuor cardinales virtutes Christi sanguine cõsecratę purpurentur, & illas ad imitationẽ passionis dirigamus, digitũ nostrũ in sanguine hostiæ tingendo, vt ad imitationem passionis Christi, discretè bona opera nostra faciamus, & myrrha Dominicæ passionis cum Iudith inungamur, vt Holofernum, id est, diabolum superare valeamus, & ita Christi passionem in nobis non solum per imitationem, compassionem & delectationem, sed per virtutem & efficaciam sentiamus.

*Caui.7.*

*Isa.50.*

*Eccle.38.*
*Ierem.8.*

*Ierem.51.*
*Ierem.6.*

*Isa.42.*

*Isa.50.*

*De efficacia sanguinis Christi in nobis.*
*3. Reg.17.*
*Leuit.3.*

*Iudith.6.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Matthæum, quod legitur ad processionem.

*Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Beth-phage ad montem Oliueti, tunc misit duos Discipulos suos, dicens eis: Ite in Castellum, &c.* *Matth.21.*

HIs diebus sagittæ verborum Dei exacui debent, clauis Dominicę passionis, vt pertingãt ad intima cordis nostri, vt penetrẽtur corda lapidea, & ad cõpunctionẽ moueãtur mentes terrenotũ. Ferrũ enim ferro acuitur, & duritia cordis humani ferro Dominicæ passionis penetratur. Virtute passionis eius, scissa sunt saxa, & mota est terra & cõtremuit. Aperta sunt præterea sepulchra mortuorũ, & mortui suscitati. Quę sunt sepulchra mortuorũ, nisi peccatorũ corda fœtore & immũdicia plena? quæ virtute verborũ crucis & passionis Christi, hodie aperiri debẽt, vt impleatur quod scriptũ est: Venit hora & nũc est, quãdo mortui audiẽt vocẽ filij Dei, id est, verbũ Dei, & qui audierint, viuẽt. Sed & Sol radios suos retraxit, & nos secularis vanitatis & vanę lętitię radios retrahere debemus, dũ verba passionis Christi in auribus nostris recitantur. Velum etiam templi scissum est, vt aperta essent sancta sanctorum, id est, secreta scripturarum. In morte enim Christi ablatum est velamen de facie Moysi, & scissum est templi velum, id est, obscuritas scripturarum, & sensus spiritualis Christi fidelibus innotuit. Facies enim Moysi splendida erat, sed velata, quia sensus literalis splendorem spiritualis intelligentiæ obumbrat. Licèt autẽ vultus eius splendidus esset, manus tamẽ eius legitur fuisse leprosa, quia doctrina legis splendida erat, sed opera Iudæorũ immunda erant. Christo igitur passo apertæ sunt scripturę, & innotuerũt obscurę de Christo prophetię. Nullus enim inuẽtus est, qui posset aperire librũ, nisi leo de tribu Iuda. Ipse enim totius veteris testamẽti fuit interpres & expositio.

*Quod verbum Dei sagittis comparatur.*

*De virtute passionis Christi, & verborum, quæ ad eius pertinent passionem.*
*Ioan.5.*
*Luc.24.*
*Matth.27.*

*De sustione veli & apertione scripturarũ, quæ velo coparantur.*
*Exo.34.*

*Apoc.5.*

Factum est enim in cruce cor ipsius, id est, diuina scriptura, liquescens tanquam cera, vt cordi humano facilè imprimeretur. Et velum scripturarum scissum est, vt videret omnis caro, quod os Domini locutum est. Hoc est velum quod præcepit Dominus in Exodo fieri de hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & byssо retorta. Diuina enim scriptura variis sententiarum coloribus depingitur. Habet enim hyacinthinum colorem, dum nos exhortatur ad contemplationem cœlestium. Purpuram habet, dum inuitat ad martyrium, vel ad regalem iustitiam, quia purpura ad Regalem pertinet dignitatem. Coccum bis tinctum habet, dum ad geminam Dei & proximi dilectionem nos admonet. Byssum verò retortam, dum nos incitat ad corporis & animæ castitatem. Orate ergo Dominum quatenus hodie velamen obscuritatis à cordibus nostris amoueat, vt scisso scripturarum velo, spiritualis intelligentia mentibus nostris illucescat. Cuius rei gratia dicamus: Aue Maria. Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis: Dominus noster Iesus Christus imminente tempore passionis eius, ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, sequenti die transiturus in Hierusalem. Parauerunt autem ei conuium in domo Simonis leprosi, quem Dominus lepra curauerat, in quo Martha ministrabat, Maria vnguento pretioso Christi caput vngebat, Lazarus autem vnus erat ex discumbẽtibus. Iudas murmurabat, dicens: Vt quid perditio hæc vnguenti? Bethania domus obedientiæ interpretatur, in qua Dominus spiritualiter reficitur. Non est autem transitus in Hierusalem, nisi per obedientiam. Oportet enim diuinis mandatis obedire, qui vult ad visionẽ pacis peruenire. In domo autem obedientiæ, id est, in Ecclesia, sunt Lazarus, Maria, & Martha, infirmi, laborantes & vacantes. Lazarus discumbẽs, id est, infirmi fratres, quos supportare oportet & reficere, ne deficiãt, Martha ministrans, id est, actiui, non solùm sibi, sed & aliis laborantes: Maria vnguentum effundẽs, & caput Domini vngens, id est, contemplatiui, vnguento deuotionis & orationis domũ Ecclesiæ replentes. Beneficiorũ autem deuotio caput vngit, diuinitati gratias agendo. Vnguento autem contritionis pungitiuo pedes vngimus, dum veniam pro peccatis humiliter imploramus. Vnguentum autem miserationis & subuentionis pauperũ corpori Christi, id est, membris eius reseruatur, de quibus Dominus ait: Pauperes semper habebitis vobiscum. In effusione igitur vnguenti, non solùm odor fidei Ecclesiæ vel mulieris deuotio, sed insuper Christi, in proximo morituri, sepultura designatur. Vnde in Euãgelio Marci dicitur: Quod habuit, hoc fecit, id est, quod potuit: præuenit enim vngere corpus meum in sepultura. Quia enim non licuit Mariæ mortuum vngere, datum est illi officium funeris, morituro in proximo exhibere. Non fuit autem vnguenti perditio, nam bonum odorem fidei suæ dedit in vniuerso mundo. In Euangelio autem Ioannis dicitur: Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud, id est, partem illius vnguenti reseruet, vel ipsam vnctionem, quam impletura est voluntate & deuotione, & si non opere. Iudas autem murmurans & indignans quartum genus hominum in Ecclesia designat, scilicet, membra putrida, homines reprobos, falsos fratres, qui bono odore moriuntur. A quibus electi & boni viri sustinent in factis contradictionem, & in dictis calumniam. Ad literam autem Iudas fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur: portabat quidem ministerio, sed rotulebat furto. Quod autem perdiderat in effusione vnguenti, voluit recuperare in venditione Magistri. Vnde & mortem Christi procurauit, vt omnia quæ in loculis habebat, remanerent illi. Multi hodie mortem cognatorum desiderant, vt eorum bona post eos possideant. Sequenti die venit Iesus Bethphage ad montem Oliueti, & inde duos ex discipulis misit Hierusalem, vt soluerent asinam cum pullo, & ad ipsum adducerent. Bethphage viculus est Sacerdotum, in monte Oliueti, & interpretatur domus buccæ, per quam confessionem vel prædicationem intelligimus, quæ sunt viæ in supernam Hierusalem tendentibus. Confessio autem & magnificentia opus eius, qui vult in Hierusalem peruenire, vt peccata confiteatur, & eius laudem & magnificentiam non taceat. Vnde in Deuteronomio: Propè est verbum in ore tuo & in corde tuo. In corde, ad conterendum: in ore, ad confitendum. Sicut scriptum est: Labia mea nõ prohibebo Domine, tu scisti. Hæc est amicabilis compositio, quæ fit per Sacerdotem, tanquam per mediatorem ab his, qui non audent expectare diffinitiuam sententiam. A monte autem Oliueti Dominus humanum genus redempturus, Hierusalem venire voluit. Ex pinguedine enim & supereminẽtia charitatis, quæ per oleum designatur, nos redemit, recordatus misericordiæ suæ. Ab hoc enim Oliuarum monte, qui est Christus, lux, refectio, & vnctio spiritalis sanitatis, omnibus aduenit. Ipse autem prior dilexit nos, & ex celsitudine dilectionis suæ, sola misericordia ingiente, soluit asinam à peccatis suis, & in supernam Hierusalem introduxit. Elegit autem tempus & locum in lege prænuntiatum, vt se ex certa prouidentia & spontanea voluntate ostenderet passurum. Præceperat enim Dominus filiis Israël egressuris de Ægypto, quatenus decimo die primi mensis tolleret vnusquisque agnum vsque ad quartamdecimam diem in domo sua reseruandum, & tunc immolaretur ad vesperam. Et Dominus decima die primi mensis ingressus est ciuitatem, quam Iudæi obseruabant, quærentes quomodo eum interficerent. Quinta autem feria ad vesperam, luna quartadecima comprehenderunt eum ad crucifigẽdum, & ligauerunt eum. Et quoniam non erat locus sacrificij, nisi in Hierusalem, sicut Dominus constituerat in lege: iuit Dominus ad locum in lege præfiguratum, imminente die festo, vt ibi facilè posset inueniri, & se non inuitum pati ostenderet. Sicut scriptum est: Voluntariè sacrificabo tibi. Et Isaias ait: Oblatus est, quia ipse voluit. Vnde & ipse Dominus ait: Nemo tollit

*Isa.40.* *Exod.26.*

*De quatuor veli coloribus*

*Quod Christus de Bethania venit Hierosolymam, & de his quæ in Bethania facta sunt.*

*Moralis expositio prædictorum.*

*De tribus generibus hominum in Ecclesia.*

*De triplici vnguento.*

*Mysterium de vnguento.* *Ioan.12.*

*Mar.14.*

*De quarto genere hominũ, per quod reprobi designantur.*

*Quod Iudas, qui fur erat, murmurauit.*

*Matth.21.* *Mar.11.* *Luc.19.* *Ioan.12.*

*Moraliter de Bethphage et mõte Oliueti.*

*Deut.30.* *Rom.10.*

*Luc.1.*

*Apoc.1.*

*De tempore & loco quo venit passurus Hierusalem, & quia spõte passus est.* *Exod.12.*

*Isa.53.*

tollit animam meam à me, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem resumendi eam. Propterea frequenter prædixit discipulis suis se esse passurum. Antè autem quàm veniret tempus suum, licèt Iudæi quærerent eum interficere, non est passus, quia noluit pati. *Ioan.10.*

Vnde Ioannes ait: Quærebant eum Iudæi interficere, aut apprehendere, & nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. Vnde quando ductus est in supercilium montis, vt præcipitarent eum, ipse transiens per medium illorum ibat. Aliquando etiam abscondebat se ab eis, quando tulerunt lapides, vt lapidarent eum. Et in Euangelio dicitur: Iesus autem iam non palàm ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem, iuxta desertum, quę dicitur Effrem, & ibi morabatur. Nunc autem sicut Euangelista ait: Cùm complerentur dies assumptionis eius, ipse firmauit faciem suam, vt iret in Hierusalem. Iam enim faciem præsentiæ suæ noluit abscondendo se auertere. Vnde & cum laudibus & ramis palmarum solemniter recipi voluit. Cuius rei occasione, crescente inuidia Iudæorum reproborum, crucifixus est ab eis tempore præfinito & determinato à Deo. Sicut Petrus in actis Apostolorum ait: Hunc definito consilio & præscientia Dei, traditum per manus iniquorum affligentes, interemistis. Patet igitur quod voluntariè passus est Dominus, & tanquam myrrha electa, quæ spontè fluit, dedit suauitatem odoris. Vnde cùm venirent cum gladiis & fustibus apprehendere eum, solo verbo prostrauit eos in terram, cùm diceret: Quem quæritis, vt scirent qui eum capere volebãt, quòd nullam ei facere possent violentiam. Misit igitur duos discipulos suos, qui ei asinam cum pullo adducerent, sicut prænuntiatum erat per Zachariam Prophetam dicentem: Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus & saluator. Ipse pauper ascendens super asinã & super pullum filium asinæ: quasi diceret: Dicite, ô Prædicatores, filiæ Sion, id est, Ecclesiæ, exulta satis, & non plus quàm satis, id est, de impunitate peccatorum non præsumas, quia iustus est, reddens vnicuique secundum opera sua, sed nec desperes de venia, quia Saluator est. Si autem fueris pauper, ne timeas, non dedignabitur loqui tibi, quia & ipse pauper est. Quod si fortè non habes equum, vt ei obuiam pergas, non formides, non te conculcabit equorum multitudine. Venit sedens super asinam: non in curru vel equo superbiæ, sed in asina pacis, quia in humilibus & quietis requiescit. Insidet enim Ecclesiæ, tanquam iumento suo, quam in cœlestem Hierusalem secum ducit. Vel asinæ insedit, dum carnem humanam assumpsit. Vnde in Dominica prima Aduentus hoc Euangelium in Ecclesia legitur. Nec tamen contemnas eum, quantumcunque potens sis in hoc seculo. Ipse enim Rex tuus est. Nec eum negligas suscipere: tibi enim venit ad commodum tuum, nisi per te steterit. Voluit igitur Dominus super asinam venire cum humilitate & mansuetudine, vt magis per humilitatem amaretur, quàm per potentiam timeretur, non solùm propter exemplum, sed insuper propter mysterium. Asina enim populum Iudæorum significat, id est, Synagogam, iugo legis compressam, & aculeo comminationum, propter duritiam suam frequenter stimulatam, vinculis peccatorum constructam. Pullus cui nunquã aliquis insedit, Gentilem populum designat, lasciuum, indomitũ, stolidum, cui nullus Doctorum frenũ correptionis imposuerat, cui nullus insederat, quia nullus stultitiam eius deprimendo correxerat. Nemo vestimenta salutis, quibus calefieret, illi imposuerat, nullis salutarium præceptorũ vinculis astrictus fuerat: sed tanquam pullum onagri liberũ se natum putabat, sicut dicitur in Iob. De libero enim arbitrio præsumens seruitute & reatu originalis peccati se teneri non credebat. Marcus dicit, quod ligatus erat ante ianuã foris in biuio. Gentilis enim populus licèt liber sibi videretur, tamen extra ianuam Christum, & extra portam Ecclesiæ ligatus erat, vinculis peccatorum irretitus in biuio liberi arbitrij, vel in diuersitate multiplicis erroris. Lucas ait, quod domini pulli dixerint: Quid facitis soluentes pullum? Ex quo patet quod diuersos dominos habebat, nam diuersis dæmoniis seruiebat. Duos autem discipulos ad soluendum asinam & pullum, Dominus misit, id est, duos prædicatores ordines, vnum ad Iudæos, alium ad Gentiles. Petrus principaliter missus fuit ad Iudæos, Paulus ad Gentes. Duos autem mittit propter sacramentum geminæ dilectionis, toto orbe prædicandum, vel propter scientiam veritatis & munditiam operis. Medicus enim infirmum non subleuat, nisi duas manus habeat, scilicet, bonam vitam & doctrinam sanam. Duos igitur discipulos mittens, vt soluerent asinã & pullum, sicut scriptũ est: Quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cœlis: ait illis: Ite in castellum quod contra vos est. Ad literam despectiuè Hierusalẽ vocat castellum, quę priùs fuerat ciuitas sanctitatis, nunc facta est quasi castellũ cõtradictionis & rebellionis. Mysticè autẽ vocat castellũ mundũ, quasi cõtra Deum munitum. Ac si diceret: Ite in mundum vobis oppositum, in quo passuri estis rabiem persecutorũ. Qui contra vos est, & vos contra ipsum, vt crucifixi sitis mundo, & ipse vobis. Si quis autẽ vobis aliquid dixerit, id est, si quis prædicationi vestræ cõtradixerit, si quis obedire noluerit, instate oportunè, importunè, ne desistatis à prędicatione. Dicite: Dominus his opus habet, Domini seruitio mãcipandi sunt, qui eos saluare venit, & cõfestim dimittet eos vobis. Postq̃ enim nomẽ Domini per miracula claruit, & per prędicationẽ innotuit, persecutores Ecclesię prędicatoribus resistere cessauerunt, qui priùs dicebãt: Quid facitis soluentes pullum? Quis potest peccata dimittere? Qui sunt isti nouorũ dæmoniorum prædicatores? Discipuli autem adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Vtrum ad literam super ambos sederit, non plenè determinatur.

*Ioan.7. Luc.4.*

*Ioan.8.*

*Ioan.11. Luc.10.*

*Act.2.*

*Eccle.24.*

*De asina & pullo, & de aduentu Domini in humilitate. Zach.9.*

*Rom.2.*

*Isa.66. De sessione Domini super asinam.*

*Quid significetur per asinã & pullum.*

*Mar.11. De pullo qui erat extra ianuã in biuio. Luc.19.*

*Mysticè de duobus discipulis, & de solutione asinæ & pulli. Act.10.*

*Quid significetur ad literam per castellum, & quid mystice.*

*De his qui prædicationi Apostolorum cõtradixerunt*

Forsitan primò super pullum sedit, nam Marcus & Lucas de asina mentionẽ non faciunt, Matthæus qui scribebat Hebræis, de vtroque mentionem facit: de Synagoga enim, qui per asinam designatur, tacere noluit, ne ipsa de sua salute desperaret. Quoniam autẽ pullus indomitus erat, descendit de pullo, & sedit super asinam. Mysticè autem vtrique populo spiritualiter insedit, dum eum ad fidem conuertit. Non solùm super asinam, quæ maioris est ætatis, sed super pullum, iuuenilis ætatis, Dominus insidet, dum eos regendo possidet. Vestimentis autem gratiæ spiritualis, & operum iustitiæ, & diuinorum præceptorum, exornantur, vt Christum sessorem habeant, qui prius mundi fuerant. Vestimenta innocentiæ recipimus in baptismo, vt Christus visceribus nostris insideat, & non regnet peccatum in corpore nostro. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Ioannes ait: Acceperunt ramos palmarum & processerunt obuiam ei. Vestimenta in via Martyres strauerunt, qui pro Christo corpora sua morti tradiderunt. Exempla nobis relinquentes & viam in cœlestem Hierusalem asinæ, id est, simplicioribus præparantes. Vestimenta in via Sancti sternunt, dum per abstinentiam carnem domantes affligunt, vt in mente sua Domino viam præparent, & aliis exemplum bonum præbeant, ne pedes in via lædant. Aspera quidem est via & angusta, quæ ducit ad vitam: sed melius est per asperum iter ire ad regnum, quàm per amœna prata perduci ad supplicium æternum. Asperitas autem viæ, vestimentis & arborum ramis temperantur, dum exemplis Patrum, & sententiis scripturarum, asperum iter communitur. Ramos autem & frondes de arboribus cædunt, qui verba, sententias, & exempla de libris scripturarum, tanquam de nemore excerpunt. Ramos etiam de arboribus cædimus, dum corda auditorum prædicando viam Domino præparamus. Ad literam ex deuotione vestes & ramos in via saxosa ponebant, ne asina & pullus pedes læderent, & vt suauius Dominum portarent. Venerunt autem Domino obuiam cum ramis palmarum, in quo significarum est, quod Christus venerat pugnare & superare diabolum. Palma enim coronabantur victores, per quam designatur Christi triumphus, dum pugnauit contra dæmones. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabãt, dicentes: Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis. Tam primitiui Patres, quàm Apostoli, & eorum sequaces, cum magno affectu farebantur, quod aduentus Christi salus fieret mundi, & salutem dexteræ ascribebant filio Dauid, Christo, scilicet, homini, assumpto à verbo Dei, cuius aduentus terrena cœlestibus coniunxit, & Angelorum ruinam reparauit. Vnde clamabant, Osanna in altissimis. O si idem est quod salua, anna interiectio est obsecrandi. Osanna, id est, salua obsecro: ô fili Dauid, in excelsis, id est, in cœlestibus cum Angelis, non in infimis cum brutis. Vna fides, vna spes fuit præcedentium Patrum & subsequentium, licèt diuersa sacramenta pro temporum dispensatione haberent. Illi venturum crediderunt, nos venisse credimus. Omnes enim tam præcedentes quàm subsequentes ab illo salutem petierunt. Benedictus qui venit in nomine Domini. In omnibus non propriam gloriam, sed Patris gloriam quæsiuit: vnde in nomine Domini venit. Adhuc victurus, Rex appellari noluit, nec ita honorificè recipi. In proximo autẽ passurus, hymnos sibi decantari, & Rex appellari non recusauit, vt ostenderet, quod per ignominiam mortis, & tollerantiam doloris, perueniatur ad gloriam regni: vnde statim in Ecclesia legitur passio Christi, ac si dicatur, ad prædictam gloriam & salutem, quæ est in excelsis, perueniendum est per dolorem passionis. Per multas enim tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Voluit præterea Dominus tristia miscere lætis, vt ostenderet in hoc mundo non esse veram lætitiam, quæ semper habet comitem tristitiam vel sequentem: Extrema enim gaudij luctus occupat. Et econtrario tristitia secundũ Deum vertitur in gaudium. Quid enim dulcius in volucri hepate? Quid amarius felle? Nunquam tamen hepar sine felle, nec fel sine hepate. Coniungitur igitur passio laudi & honori ad nostram instructionem, vt in die bonorum non simus immemores malorum, vt sciamus abundare & penuriam pati. Prosperitas enim stultorum perdet eos. In gaudio autem & tristitia tota perficitur vita humana. Vesperè enim & manè vnus dies. Vnde beatus Iob: Visitas eum diluculo, & subitò probas illum. O quàm dissimilia, Tolle, tolle, crucifige eum: & Benedictus qui venit in nomine Domini? Quàm dissimilia, Rex Israël, & Non habemus Regem nisi Cæsarem? Quàm dissimilia rami virentes & crux, flores & spinæ? Exemplo igitur Domini in passione patientiam, & in prosperitate exhibeamus humilitatem. Ipse enim cum laudibus receptus est, & Rex appellatus, super asinam sedere voluit, qui posteà in passione ab increpantibus & conspuentibus in se faciem suam non auertit: nec attollebatur laudibus, nec deprimebatur opprobriis. Qui enim conscientias suas in alienis labiis ponunt, modò magni, modò parui, modò nulli, prout lingua hominum laudauerit eos vel vituperauerit, sibi videntur. Dominus autem, aliis gaudentibus, cùm appropinquasset Hierusalem, fleuit super illam, dicens: Si cognouisses & tu. Miscet igitur tristia lætis, exemplum dans, vt transitoriis honoribus cor nostrum non apponamus, plangens reprobos, qui cur plangerentur, ignorant: sed in rebus pessimis exultant. Ipsa ergo passione gaudium & luctus, dulcedo & amaritudo, sese comitantur. Dulce lignum, dulces clauui, dulcorati mellifluo sanguine Christi, qui tamen in manibus Iudæorum fuerunt amarissimi. Apertum est latus eius mucrone diræ lanceæ, exierunt sacramenta redemptionis nostræ, mucrone dulcis lanceæ. Amara fuit Iudæorum actio, dulcis Christi passio. Actio displicuit, passio grata

*Mysticè qualiter Dominus super asinã & pullum sedit, & de vestimentis, quibus vtuntur.* *Rom. 6.* *Matth. 21.* *Ioan. 12.*

*Matth. 7.*

*Mysticè de ramis & frondibus.*

*De palma.*

*De præcedentibus & sequentibus.*

*Ioan. 8.*

*Quare Dominus imminẽte morte honorificè voluit recipi.* *Act. 14.*

*Quare hodie tristia lætis misceantur.* *Prouer. 14.* *Ioan. 16.*

*Eccles. 11.* *Philip. 4.*

*Gen. 1.* *Iob 7.*

*De exemplo patientiæ in aduersis, & humilitatis in prosperis.*

*Prouerb. 2.*

*De dulcedine & amaritudine crucis & clauorum.*

grata fuit. Luget cõpaſsio, dum crucis radicẽ amariſsimã ſentit. Gaudẽt ſpes & ratio, dum floris odore & fructus dulcedine recreantur. Luget ſenſualitas, dicens: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Gaudet charitas, reſpondens: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. Ad veſperum demorabitur fletus, & vſq; ad matutinũ lætitia. Cùm autẽ Dominus honorificè cum hymnis & laudibus ſuſceptus eſſet in Hieruſalẽ, ſtatim aſcendit in templum, relinquẽs nobis exemplũ & formã religionis, vt ad quemcunq; locũ venimus, primùm domũ orationis, ſi ibi eſt, adeamus. Facto autẽ flagello de funiculis, eiũcit de templo vendentes & ementes, ardore Spiritus ſancti & zelo domus Dei cõcitatus. Auaritia Sacerdotũ permittebat in tẽplo Dei vendi oues & boues & columbas, ad opus ſacrificij. Nummularij autem ibi ſedebant, ne deeſſent pretia emptoribus, quorum menſas Dominus euertit, & eorum pecuniam effudit. Væ miſeris Sacerdotibus, qui in domo orationis & in locis ſacratis publicas negotiationes permittunt exerceri, non habentes diſtantiam inter ſanctum & prophanum, quinimo altaria Dei in menſas nummulariorum conuertunt, & domum orationis ſpeluncas latronum faciunt. In hoc facto Dominus virtutẽ diuinitatis oſtendit, vt omnibus innoteſceret, quod eum nõ tenuiſſent Iudęi, niſi ipſe voluiſſet. Dicitur autẽ diuinũ quiddã in facie ſua radiaſſe, vnde non fuerunt auſi illi reſiſtere. Hoc autem eius factum myſticum fuit. In flagello enim facto de funiculis, oſtendit funiculis peccatorũ irretitos flagellandos eſſe, vel in præſenti ad emendationem, vel in futuro ad pœnam æternam. Myſticè autem boues in templo venduntur, dum verbũ Dei pro quæſtu temporali prædicatur. Oues vendunt, qui opera innocentiæ pro humano laude faciunt. Columbæ autem venduntur, dum ſpiritualia ſimoniacè conferuntur. Menſæ autem nummulariorum ſunt altaria, in quibus propter auaritiã exhibentur ſacramenta. Hi omnes ab Eccleſia Dei ſunt eliminandi cum Dathan & Abiron, & Chore, & Simone Mago, portionem habituri. Illis autem quinq; diebus ante diem paſsionis ſuæ, Dominus nunquã ceſſauit à mane vſq; ad veſperam in templo prædicare, & docere, & varias infirmitates curare. Vnde & hæc ſeptimana pœnalis ſiue laborioſa appellatur. In hoc autem nobis exemplum reliquit, quod quantò magis appropinquamus morti noſtræ, tantò feruentius & diligẽtius debemus pro ſalute noſtra laborare. Sicut qui theſaurum effodiunt, vel qui in ſtadio currunt, tantò magis accelerant, quantò ad metam & finem laboris appropinquant. Erat autem tota die docens in templo, & circunſpectis omnibus, cùm iam veſpertina eſſet hora, tranſibat in Bethaniã cum duodecim Apoſtolis. Circunſpiciebat, ſi quis eum vocaret ad hoſpitium. Tantæ enim paupertatis erat, vt ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullum hoſpitium inueniret: maximè propter conſpirationẽ quam fecerunt contra illum Principes Sacerdotum & Phariſæi, nullus audebat eum recipere. Myſticè autem corda omnium reſpicit, & quia vbique vitia hoſpitata repperit, in contradicentibus ſibi vbi caput reclinet, non inuenit: ſed ad fideles ſecedens in Bethania, id eſt, in eis, qui ſibi obediunt, manſionem facit. Vt autem modica pauperum hoſpitiola & non magna & ſuperflua ædificia videretur approbare, hoſpitatus eſt in caſa relicta ciuitate. Manè autem reuertens in ciuitatem, eſuriit. Æſtimo quod ventrem ſuum non multum in veſpere impleuit, qui diluculo eſuriit. Et inſpiciens ficulneam, nõ inuenit niſi folia, & maledixit illi, quæ ſtatim exaruit. Nondum autem, vt ait Euãgeliſta, tempus erat ficuũ. Ex quo patet, quod ſicut multa dixit in parabolis, ita & fecit. Iam enim ſecuris poſita eſt ad radicẽ arboris. Caueãt qui nõ habẽt niſi folia, qui verba nõ vertunt in opera. Omni enim tempore Dominus in nobis vult fructum inuenire. Vnde in hoc facto maledictã Synagogã reprobandam eſſe oſtendit, quæ folia verborũ legis & Prophetarum ſine fructu operum habebat, quorum tamen ſalutem Dominus eſuriebat. Inſtabat admonẽdo, obſecrando, laborabat prędicando, vigilabat orãdo, lugebat cõpatiendo, fatigabatur diſcurrendo. Venerat verus Ioſeph viſitare fratres ſuos, quos inuenit in Dothain, id eſt, in defectu totius boni. Ipſi autem prædicationẽ eius deridebãt, & verba eius quaſi ſomnia reputabant, dicentes inter ſe: Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum, & apparebit quid illi proderint ſomnia ſua. Machinabãtur igitur Iudęi nomẽ eius extinguere. Si autẽ ſine vulnere fuiſſent, de tactu correptionis nõ murmuraſſent. Cogitauerũt cõſilia, quę nõ potuerunt ſtabilire: Dominus autẽ adducit cõſiliarios in ſtultũ finẽ, ſicut dicitur in Iob: Voluerũt ſemitã agri pleni, cui benedixit, ſpinis obſtruere, ſicut ſolẽt agricolæ, & ob hoc facta eſt latior via, ex alia parte, dum per orbem vniuerſum prædicatũ eſt nomẽ eius. Vnde Iob ait: Qui cõprehendit ſapientes in aſtutia eorũ. Inde enim fides & deuotio in fidelibus creuit, vnde ſe ea extinguere infideliũ crudelitas credidit. Vnde Dominus per Ozee dicit: Erudiui eos & cõfortaui, ipſi in me cogitauerũt malitiam. Maledictus furor eorum, quia pertinax, quos nec maieſtas miraculorum, nec exhibitio beneficiorũ, nec documẽta veritatis, nec reuerentia ſanctitatis à peſsimo propoſito potuerunt reuocare, neq; malitiam eorũ & inſaniam reprimere, quatenus eum ſibi miſſum, & innumeris oraculum prænuntiatum vellent recipere, ſicut prefiguratum fuerat in lege ipſorum. Vitulus enim immolãdus, ad oſtiũ tabernaculi mactabatur. In propria enim venit, & ſui eũ nõ receperũt. Offerebatur autẽ vitulus pro peccato vniuerſitatis, & manus ſuas ſuper caput eius ponebãt ſeniores de populo. Vitulũ enim ſaginatũ, id eſt, Chriſtũ, qui pro peccato totius mũdi immolatus eſt, ſeniores populi morti tradiderũt. In cõſilio autẽ eorũ nõ veniat anima noſtra, ſed potius cũ pueris Hebręorũ, puri & innocẽtes, & cũ Hebręis, id eſt, tráſeuntibus tráſeuntes, occurramus ei cũ palmis & oliuarũ ramis, veſtimẽta noſtra in via ſternẽtes, hymnũ illi dicamus, & gratias referamus,

*De luctu ſenſualitatis, compaſſionis, de gaudio rationis & charitatis.*

*Quod Dominus primò adiit templum & ementes ac vendentes eiecit.*

*De myſterio prædictorum.*

*De prædicatione & labore Domini imminente paſſione. Simile.*

*Quod Dominus quolibet veſperi in Bethania reuertebatur.*

*Quod Dominus eſuriit, & ficui maledixit. Matth. 3. Luc. 3.*

*Gen. 37. De duritia & malitia Iudæorum.*

*Iob 12. Gen. 27.*

*Iob 5.*

*Ozee 7.*

*Gen. 49. De malitione vituli. Leuit. 4. Ioan. 1. Leuit. 4.*

*Gen. 49.*

quod nos extra ianuas Hierusalem, velut asinos diaboli ligatos & peccatis irretitos solueret dignatus est à vinculo multiplici. Quorum primum est quasi ex funibus de filis contortis per malã voluntatem. Secundum est quasi ex neruis & corrigiis, ex corio animaliũ per illicitã operationem. Tertiũ est quasi ex cathenis ferreis per peccãdi consuetudinẽ. Quartũ est plus quam ferrũ, & quasi adamantinũ per desperationẽ. Ab hac asina nõ soluitur, quia nec in hoc seculo, nec in alio, peccatũ in spiritũ sanctum dimittitur. Vnde quartũ mortuum Dominus noluit sciscitare: quia nec ipse pro se rogauit, nec aliũ rogare fecit. Asinus autem diaboli peccator dicitur, quãdiu in peccatis cõmoratur. Piger ad omne bonũ & ignauus, stolidus, cõtra stimulum verbi Dei durus. Qui quãtò frequẽtius pungitur, tantò magis ex frequẽti punctione lateris cõtra stimulũ induratur, vt iam aculeũ cõminationis nõ sentiat, cùm ex longa cõsuetudine peccare nõ cessat. Asinus est animal oneriferũ, & quodlibet onus sibi impositũ sine discretione suscipit. Ec peccator nõ solũ diuersa pondera peccatorũ, sed insuper ipsum diabolũ, qui omni pondere grauior est & onerosior, super dorsum suũ recipit. Est autẽ fortis in posterioribus, in anterioribus debilis: Ità & peccator fortis est corpore ad peccandũ, debilis spiritu ad benè agendũ: fortis vt laboret pro temporalibus & trãsitoriis, debilis ad laborandũ, vigilando, ieiunãdo, orãdo pro bonis æternis. Asinus durũ & dirum habet rugitũ siue vlulatũ, & clamat horrendè. Sic nõ solùm verbis malis peccatores Deũ & proximũ offendũt, sed insuper dum orare, prædicare, vel Deum laudare præsumunt, à Domino reprobãtur, nec eorũ laude vel precibus plus quã vlulatu asini no, Dominus delectatur. Asinus ad lyrã delectatur, quã posteà cõculcat sub pedibus. Sic peccator, & si ad tempus verbũ Dei audiat, posteà malè viuendo cõculcat. Asinus vinũ portat, nec tamẽ vino potatur. Sic peccator, & si bonũ opus aliquãdo faciat, nõ prodest ei ad vitã æternã, sed à peccato mortali absorbetur. Frumentũ portat, quo nõ reficitur, dum magis paleis vanitatis vel carduis iniquitatis q̃ bono opere delectatur. Priùs enim currit ad tribulos q̃ ad flores, plus diligit fimũ stabuli q̃ purpurã Regis æterni. Plus paleã vel carduum diligeret quàm si quis ei cibariã offerret. Carduus viret & tamẽ pungit, sic temporalis prosperitas & affluẽtia, licèt ad rẽpus vireat, aculeis tamẽ curarum animũ pungẽdo stimulat. Asinus luxuriosum est animal, & carnibus deficcatis atq; macie cõfectis eius luxuria deficcari nequit. Sic & quorundã hominũ luxuria vsq; ad mortẽ non terminatur, qui tanquam iumenta in stercore suo cõputrescunt. Asinus magnas habet aures, durã ceruicem, cor stolidum. Sic peccator amplas & apertas habet aures, vt audiat verba vanitatis & detractionis, durã ceruicem ad retinendum bona verba & salutaria documenta. Cor stolidum ad cogitandum vana & inutilia. Asinus super sterquilinium palea ruminat. Sterquilinij palea carnis delectatio transitoria immunditiæ & fœtori cõiuncta. Asinus ex clauo reducto inclauatur & claudicat, dum clauus in carnem reducitur. Sic peccator dum ad vomitum reuertitur, vel quando fortitudinem suam conuertit ad carnalem voluptatem. Asellus dum paruus est in genere suo, pulcher est, quãtò amplius crescit, tantò turpior efficitur. De quibus Ezechiel ait: Abominabilem feciſti decorem tuum. Dicitur quod asinus minus timeat lupum, quàm cætera animalia: vnde permittit se manducari à lupo in posteriori parte, nec mouetur, donec mordeatur in visceribus & pulmone. Sic duri & pigri peccatores diabolum in hac vita non metuunt, nec dentes infernalium luporum sentiunt, donec ad æterna supplicia perrahantur. Asinus vltra metas consuetas non facilè progredirur. Et peccator à peruersa consuetudine vix aut nunquam auertitur. Dicitur quod asinus dum iacet in mola, licèt mola ex omni parte succendatur, non vult à loco suo recedere, sed magis permittit se in incendio perire. Sic peccator, licèt corpus eius luxuriæ igne, & anima eius igne malitiæ consumatur, non vult ab incendio vitiorum recedere, sed in peccatis suis miserabiliter moritur: sicut in Euangelio Dominus Iudæis ait: Vos in peccatis vestris moriemini. Ab his ergo moribus asininis dum Dominus peccatorẽ liberat, expulso sessore diabolo, super ipsum ascendit, & eum in supernã Hierusalẽ perducit. Felix asinus qui regitur & ducitur à Domino, glorificãs & portans Deũ in corpore suo. Iam enim carduis nõ vescitur, dũ odore floris, quem portat, recreatur: iam onere suo reficitur, iam in cruce sua quã in anteriori parte gerit, delectatur: iam teste Isaia, commixtum migma comedit, sicut in area ventilatur. Mixtũ dicitur migma ex hordeo & palea, quod ventilabrũ comedit, dum puro grano viuit. Sola palea modicũ confortat, sed magis inflat. Dum autem boues arant prædicando, asini reficiuntur, granũ scripturæ comedendo. Vnde B. Iob ait: Boues arabãt & asinę pascebãtur. Simus ergo asini Christi, qui aliquãdo fuimus asini diaboli. Primogenita asini permutantes oue primordia, scilicet, lasciuæ & stolidæ conuersationis in innocentiã simplicitatis. Simus fortes asini, sicut Isachar inter terminos accubantes meliis relictis, vltima desiderantes. Seruiamus tributis, onera fraterna portando, sapiẽtibus & insipientibus debitores existẽdo. Stimulemus asinã carnis nostræ, vt Angelũ magni cõsilij videre mereamur, Balaam autem Angelum non vidit, donec calcaribus asinã suam afflixit. Et sicut in cantico Delbore dicitur, super intendentes asinos ascendamus. Sicut Aza filia Caleph, super asinum sedens, nam carnẽ nostrã domãdo sedeamus. Simus asini Iesu Christi, viles mũdo & abiecti. Ipse enim pro nobis asinus fuit, dũ peccata nostra super lignũ in corpore suo portauit. Super hũc asinũ vectus Moyses vxorẽ & filios posuit, sicut in Exod. dicitur. Dominus enim noster Ecclesiã suã & electos de Ecclesia portat & sustentat, & à nobis portari desiderat, vt in supernã Hierusalẽ prouehendo & ducendo introducat. Sternamus vestimenta nostra in via, carnem mortificando, &

*De quadruplici vinculo.*

*Matth.12. Mar.3. Luc.12.*

*De asino & diuersis proprietatibus eius.*

*Prima proprietas.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Sexta.*

*Septima.*

*Ioan.1.*

*Octaua.*

*Nona & decima proprietates asini.*

*Vndecima.*

*Duodecima.*

*Decimatertia.*

*Ezech.16.*

*Decima quarta.*

*Decima quinta.*

*Decimasexta.*

*Ioan.8.*

*De bono asino.*

*1. Cor.6.*

*Isa.30.*

*Iob 1.*

*Exod.13.*

*De bona fortitudine asini.*

*Gen.49.*

*Num.22.*

*Iud.5.*

*Ios.15.*

*Isa.53.*

*1.Pet.2.*

*Exod.4.*

*Qualiter in via sternenda sint vestimẽta*

bona noſtra exteriora pauperibus erogando. Eleëmoſyna enim viam præparat ad vitã æternam. Et maximè diuites delicati, qui plantas pedum teneras habent, & ſuper aſperitatem pœnitentiæ ambulare non valent, veſtibus exteriorũ, quę poſident, viam ſibi in Hieruſalem præparare debent, vt mollia veſtimenta, ſcilicet, opera miſericordiæ ſubſternãtur. Occurramus autem Domino cum ramis palmarũ, cõculcemus ſatanã, mundũ, & carnẽ ſub pedibus noſtris, vt cum palma victoriæ Domino occurramus, & ab ipſo poſt triumphũ coronari mereamur. Adoremus viuentẽ in ſecula ſeculorũ, ſicut in Apocal. dicitur, mittẽtes coronas ante thronũ Dei, certaminũ noſtrorũ, noſtrorũ victorias, nõ nobis, ſed Deo attribuẽtes. Vnde & ramos virentes ad pedẽ crucis hodie proiicere cõſueuimus, vt virtutes & opera noſtra ad Chriſti paſſionẽ, ſine qua non proſunt referẽda eſſe, oſtendamus. Vita autẽ ſanctorũ palmæ cõparatur, quæ aſperitatẽ in cortice, & ſuauitatẽ in fructu habet. Et ſancti aſperitatẽ pœnitẽtię ſuſtinẽt in corpore, & ſuauitatẽ habent in mente. Vnde Iob: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos. Nidulus auis exterius habet aſperitatẽ: ecce cortex palmę. Interius ſuauitatẽ: ecce fructus palmę delectabilis & ſuauis. Vnde in Cant. Aſcendã in palmã, id eſt, in crucis aſperitatẽ, & apprehendã fructus eius. Qui ſunt, reſurrectio, aſcẽſio, Spiritusſancti miſsio, ſalus mũdi. Tanquã palmã dies ſuos multiplicat, qui futurã retributionẽ patiẽter expectat. Palma enim tardè, ſcilicet, centenaria fructificat. Sicut palma dies ſuos multiplicant iuſti, qui in hoc ſeculo ſicut palma florẽt, modeſtè inchoãtes, & ad anteriora ſe ſemper extẽdentes. Quidã autẽ ecõtrariò, fortiter incipiũt, & ad vitia turpiter relabũtur: Et cum ſpiritu cœperint, carne cõſummãtur. Palma autẽ gracilis eſt in inferioribus, in ſuperioribus verò dilatãtur. Et ſancti in temporalibus coarctãtur, in ſpiritualibus verò ampliãtur, & habẽt comarũ altitudinẽ, id eſt, virtutũ abundantiã. Quantò autẽ magis circa radicẽ premitur, tantò magis exaltatur. Sancti autẽ in paucis vexati, in multis benè diſponũtur, quorũ virtus in infirmitate perficitur: palma enim in altũ ſe attollit, iuxta illud: Sicut palma exaltata ſum in Cades. Et ſancti in ſublime attollũtur ſpe & deſiderio æternorũ. Vnde in Cant. Statura tua aſsimilata eſt palmæ. Conuerſatio enim ſanctorũ in inferioribus aſpera, in ſuperioribus pulchra & lata. In cœlũ ſe extẽdit, & ad coronã æternæ remunerationis ſemper tendit, vt ſint comæ ſponſi, ſicut elatæ palmarũ, id eſt, ſancti Chriſto capiti adhęrẽtes ſint, ſicut palmarũ ſummitates. Palma autẽ multo tempore durat. Et de ſanctis ſcriptũ eſt: In memoria æterna erit iuſtus. Simus igitur palma in hoc ſeculo per iuſtitiã & ſanctã conuerſationẽ, vt tandem ſimus cedri per gloriam, palma in mundo, cedrus in cœlo. Occurramus præterea Domino cum ramis oliuarum, vt ei reconciliemur, & pacem cum illo habeamus. Ramos enim oliuæ in ſignum pacis antiquitus ferre ſolebant. Vnde poſt diluuium columba cum ramis oliuæ reuerſa eſt ad Noẽ, vt intelligeret pacem eſſe reddità mundo, per diluuiũ purgato. Habet autẽ oliua in radice amaritudinẽ, in foliis viriditatẽ, in fructu ſuauitatẽ. Et nos radicẽ amarã habeamus interius, per affectũ cõpaſsionis: Folia virentia, verba, ſcilicet, cõſolationis & inſtructionis, fructus ſuauitatẽ, per eleëmoſynarũ largitionẽ. Mittamus igitur radicẽ deorſum, per cõpaſsionẽ, vt faciamus fructũ ſurſum, recepturi æternã retributionẽ. Ramos autẽ oliuarũ, vt ſuauiter tranſeat aſinus, in via ſternamus, dum operibus miſericordiæ aſperitatẽ paupertatis & tribulationũ in proximis releuamus. Ex his ergo oliuis vulneribus proximorũ oleum charitatis & cõpaſsionis infundamus: hoc oleo caput noſtrũ impinguare debemus, ſicut ſcriptũ eſt: Oleum de capite tuo non deficiat. Hoc oleo dolores mitigantur, vulnera ſanantur, cibi condiuntur, fomentum luminis præſtatur, facies exhilaratur. Non mentiatur in nobis opus oliuæ per hypocriſim, ſed ſimus ſicut oliua fructifera in domo Domini, & filij noſtri ſicut nouellæ oliuarum, id eſt, opera noſtra virentia: virorem gratiæ ſemper habeant, & nunquam per peccatum marceſcant. De oliuis autem duorum teſtamentorum, quæ ſunt duæ oliuæ & duo candelabra, ſicut dicitur in Zacharia: Scindamus ramos diuerſarum ſententiarum, non de quercu Baſan, id eſt, cõfuſionis labiorũ Gentiliũ, cuius glandes amaræ ſunt, ſcilicet, fabulæ Poëtarũ. Rami autem ſpinarũ ſunt ſecularis ſcientia, legum ſecularium doctrina, pompa Rethoricorũ verborum, & carmina Poëtarum. Spinas autem in via ponunt, dum inuitant ad diuitias congregandas, & ad voluptates ſectandas. Et quoniam Dominica iſta Paſcha floridum dicitur, hodie floreamus, vt ſequenti reſurrectionis Dominica, quaſi poſt flores virtutum fructum ſuauitatis colligamus. A floribus autem non poſſumus ad fructũ peruenire, niſi per pœnalẽ ſeptimanã, per dies, ſcilicet, laborioſos, per tribulationẽ & crucem cum Domino tranſeamus. Vt igitur ſpiritualiter hanc ſanctã proceſſionẽ faciamus, nõ ſolùm ramos virentes ſeu flores exterius deferamus. Quid enim prodeſt ramos virentes exterius deportare, & interius areſcere. Quid prodeſt floridis manibus incedere, niſi virtutum floribus exornemur in mente. Quid prodeſt ſi buxum in manibus ad oculum habeamus, & buxo ſpirituali intetius careamus. Buxus enim interius viriditatẽ habet, pallorem verò exterius. Et nos interius virentes per gratiam palleamus, exterius per carnis mortificationem. Hodie enim flores apparuerunt in terra noſtra, & vineæ florentes odorem dederunt. Pascha floridum eſt paſsio florida. Crux florida, quę fructũ fert in ſexta feria. Aſinus etiã floridus, quo florem candidum & rubicundũ, florẽ pulcherrimũ hodie ſuper ſe portauit. Et nos nõ ſolùm exterius, ſed magis interius floreamus, vt ſit lectus noſter floridus, & nos floribus cũ ſponſa fulciamur, & florẽ amœniſsimũ, id eſt, Chriſtũ deferamus in vtero cum Maria, per dilectionem, in humeris cum Ioſeph, per laborem tollerantiam, in manibus & brachiis cum Simeone,

*Moraliter de palma & proprietatibus eius.*
*Prima proprietas palmæ.* *Apoc. 4.*
*Secunda.* *Iob 29.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Gal. 5.*
*Quinta.*
*Sexta.* *Sap. 3.* *2. Cor. 12.* *Eccle. 24.*
*Septima.* *Cant. 7.*
*Octaua.*
*Moraliter de oliua & eius proprietatibus.* *Gen. 8.*
*Prima proprietas.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.* *Eccles. 9.*
*De proprietatibus olei.* *Abacuc. 3.*
*Quinta proprietas olei.*
*Quod duo testamenta oliuis comparantur.* *Zach. 4.*
*De ramis malis.*
*De ramis spinarum.*
*Spiritualiter de floribus, et de fructu florum.*
*De spirituali processione.*
*De buxo & eius proprietatibus.* *Cant. 2.*
*Cant. 1. & 2.*
*Quod diuersis modis ferẽdus est Christus.*

per bonam operationem, in dorso cum asina per obedientiam & humilitatem, & mansuetudinem. Ipse venit ad nos cum humilitate asini, nō occurramus ei cum superbia equi: venit ad nos in sacco & cilicio, non occurramus ei cum purpura & byssо: venit ad nos in paupertate, nō occurramus ei diuitiarum superfluitate: venit ad nos in carne munda, non occurramus ei in luxuria. Occurrant ei coniugati vacando, Prælati nauigando, contemplatiui volando. Stemant coniugati vestimenta in via, de substantia sua pauperibus erogando. Cædant Prælati ramos de arboribus, verbum Dei subditis prædicando. Clament cōtemplatiui: Osanna filio Dauid, orando, laudando, & ei gratias referendo. Simplices autem in Ecclesia Christum portant supra dorsum, aliis seruiendo. Sicut igitur in prima processione primi aduentus, cum Simeone & Anna lumen in manibus portantes, ei occurrimus: ita in hac secunda processione secundi eius aduentus, prędicto modo cum ramis & floribus occurramus, vt tandem in tertia processione, quæ præsentatur in die ascensionis, ipse nobis & nos ei occurramus obuiā in aëra, & sic semper cum Domino erimus cantātes & psallentes in cordibus nostris: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, quia nō solū asina, id est, prouectioris ætatis in Ecclesia, sed etiā pulli asinæ, scilicet, paruuli, qui in fide maiorū saluari sunt, in supernam Hierusalem, introducti, laudabunt & glorificabunt Dominum, cantantes & dicentes: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Ad quam gloriā nos perducere dignetur, Dominus Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*Qualiter occurrendū sit Domino.*

*De cōiugatis, Prælatis, contemplatiuis.*

*Luc. 2. De triplici processione.*

*1. Thess. 4. Ephes. 5.*

## FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

### THEMA SVMPTVM DE INTROITV Missæ, de Apostolo secundum sensum.

*Gal. 6.*

*Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus.*

*Eccle. 3.*

TEMPVS flendi & tempus ridendi: tempus plangendi & tempus saltandi: tempus lamentandi & tempus gloriandi in cruce Domini nostri Iesu Christi, repręsentat Ecclesia hac sancta nocte cœnæ Domini, & Dominicæ passionis. Pium enim est lugere mortē Christi per cōpassionem, & pium est gaudere de morte Christi, & gloriari in cruce eius, in spe propter vtilitatē & fructus suauitatē, præsertim illis diebus, quibus crux Christi ab impiis deridetur, & in opprobriū habetur, magis ipsam oportet venerari & in ipsa gloriari: propterea Dominus noster ipsam suis gestauit humeris, tanquā sceptrum regale, quod est grande ludibrium impiis, grande autē mysterium piis. Vnde Apostolus

*Quod tempore isto plorandum est simul & gaudendū.*

*Quod gloriandū est in cruce.*

*1. Cor. 1.*

ad Corinth. Verbum crucis pereuntibus stultitia est: his autem qui salui fiunt, id est, nobis, virtus Dei est. Vnde in fronte fit signum crucis, vt nō erubescamus, sed magis veneremur signum redemptionis nostræ, arborem ligni vitæ in medio Paradisi, per quam operatus est Dominus salutem in medio terræ. Ex qua liquor cœlestis nectaris profluxit, quo non solùm pedes, sed & manus & caput abluuntur. Ex qua sacrum Chrisma distillauit, Chrisma pretiosum legalis vnctionis, per quam efficimur genus electum, regale Sacerdotium, Gens sancta, populus acquisitionis. Ex qua etiam arbore oleum Cathecumenorum profluxit, quo satanæ nequitia repellitur, & Cathecumenus ad sanctificationem Baptismatis præparatur. Ex hac præterea oleū infirmorum manauit, quo dolores mitigantur, sanitas restituitur, & fortitudo præparatur. Omnia enim sacramenta, quæ hac nocte conficiuntur ex virtute crucis Christi, & passionis crucifixi suum sortiuntur effectū. Hoc ligno cum igne passionis decoctus est panis Eucharistiæ, vt esset esui aptus. Gloriari igitur oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, quæ nos à peccatis abluit, liberat à periculis, hostes expellit, victores constituit, sanitatem restituit, sanctificationem impendit, ab infidelibus discernit. In qua est salus, in periculis protegens, vita mortem peccati destruens. Resurrectio spiritū ad superiora leuans, per quam saluati sumus in gloria, & liberati à pœna æterna. Hæc est enim medicina sanās, clauis reserās portam vitæ, scala gratiæ, per quam de vitiis ad virtutes, de virtute in virtutem, de morte ad vitam, de via ad patriam, de pœna ad gloriam fit ascensus, per quam lex mutatur in gratiam, terror in mansuetudinem, asperitas in lenitatem, vmbra in lucem, iudicium in misericordiam. Hæc est fidei mysterium, spei firmamentum, charitatis incentinum, clauis prudentiæ, forma iustitiæ, moderamen temperantiæ, speculus fortitudinis, virga directionis, sceptrū maiestatis, sigillum Imperatoris, magnificentia Regum, gloria Sacerdotum, inopum sustentatio, pauperum consolatio, dux cæcorum, spes desolatorum, resurrectio mortuorum. Audiant miseri & reprobi homines, inimici crucis Christi, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarū suarū gloriantur, qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis, quorū gloria stercus & vermis: Hodie extolluntur & cras non inuenientur, sicut dicit in libro Machabæorum. Exultent & glorientur in malitia homines impij, glorientur superbi in iactantia & seculari pompa, glorientur auari in pecunia. Cùm autem interierint, non sument omnia, neq; descendet cum eis gloria domus eorum. Glorientur immundi in luxuria, porci in stercoribus, canes in cadaueribus. Extrema autē gaudij eorum luctus

*Expositio literæ.*

*Multiplex crucis commendatio.*

*De reprobis, qui non in cruce, sed in malitia & vanitate sua gloriantur. Prouerb. 2. Mach. 7.*

*De multiplici gloria mala.*

luctus occupat. Ducant in bonis dies suos, in momento autē ad inferni nouissima descendent, sicut scriptum est: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, transiui, & ecce non erat. Habeant hîc diuites consolationem suam, glorientur hi in curribus & equis, nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi. Mihi autem, ait Apostolus, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quē mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Poterat dixisse, in magnitudine, in sapientia Dei se gloriari, sed non adeò magnum æstimauit, sicut gloriari in eo quod impij irrident & cōtemnunt. Propter quod ait: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: quasi diceret, Mundus vilipendit me, & ego ipsum: mundus nō tenet me, nec ego ipsum. Mihi crucifixus est, vt ad me non accedat, nec se mihi ingerit. Ego autem crucifixus sum illi, quia non me ingero ei: sicut non curat de me, ita nec ego de ipso curo. Sicut autem in duobus mortuis neuter videt alterum, ita Apostolus mortuus erat mundo, & mundus illi: quia nec mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria quærebatur. Aliquando autem mundus crucifixus est homini, sed non homo mundo, dum mundi sequitur gloriam, & nequit apprehendere illam, quæ velut vmbra sequētes fugit, fugientes autem plerunq; insequitur, dum homo mundum mente contemnit, quem tamen mundus suis occupationibus astringit, & ita homo crucifixus est mundo, sed non mundus homini. Tutius est autem talem se exhibere cum Apostolo, vt mundus crucifixus sit homini, & homo mundo. Securissimū est commorari sub alis crucis, ne nos apprehendat miluus infernalis. Qui autem fluctibus huius seculi inuoluuntur, apprehendant lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Sicut enim cecidimus, velut folium defluens à ligno vetito Paradisi, quemadmodum Isaias ait: Cecidimus quasi folium vniuersi, scilicet, sicut folium, quod vento rapitur, ita adhærendum est huic arbori, vt ad Paradisum reuertamur. Sicut autem magna naui dissoluta ad modicam nauiculam, quæ burga dicitur, nautæ confugiunt, & exiguo ligno committunt homines animas suas, sicut in libro Sapientiæ dicitur, ita ne pereamus in mari huius seculi, confugiamus ad crucis lignum, vt cum Noë euadamus diluuium. Ipsa enim suprema est tabula mundo naufraganti, vitæ lignum, iustitię libra, statera æquitatis, perpendiculum Architecti, regula Cæmentarij, diadema Regum, thronus Imperialis, baculus sustentationis, virga correctionis, arbor refrigerij & obumbrationis. Nos igitur gloriari oportet in hoc ligno salutari, in quo mundi vita pependit. In hac arbore fructifera, quæ plantata in medio Paradisi, quasi cinamomum & balsamum aromatizans, & quasi myrrha electa dedit suauitatem odoris. Gloriemur igitur in radice, in stipite, in ramis, in foliis, in floribus, in vmbra, & in fructu huius arboris pretiosissimæ & salutaris. Radix eius amaritudines contritionis, compassionis, & passionis. Stipes rectitudo intentionis. Rami multiplicitas bonorum operum. Folia medicinalia, hymni cum laudibus & verba prędicationis sanctæ crucis. Flores sunt odor recreationis & spes salutis. Vmbra autem refrigerij contra tentationes est signum ipsius, quod fit in frontibus nostris. Fructus verò multiplex: primus remissio peccatorum, secundus infusio virtutum, tertius dulcedo spiritualium, quartus fruitio æternorum. Gloriemur igitur in radice gaudendo in tribulationibus, vt per radicis amaritudinem pertingamus ad fructus dulcedinem: per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum. Virtus enim in infirmitatibus tentationum & tribulationum exercetur, roboratur & perficitur. Vnde Apostolus: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Qui autem in amaritudine radicis gloriatur, dum gaudet in tribulationibus, quibus plenus est mūdus, semper inuenit vnde gaudeat: qui tristatur in aduersis, semper habet vnde doleat: qui autem in tribulationibus gloriari nolunt, & inundationes maris, quasi lac sugunt, dum eis amaritudines dulcescunt, non facilè de cruce descendunt. Multi autem de cruce compassionis descendunt causa auaritiæ. Alij verò de cruce mortificationis carnis ad exhortationem gulæ vel causa luxuriæ. Quidam autem pro modica contumelia deserunt crucem patientię. Hi igitur cum Christo non moriuntur, sicut Simon Cyreneus crucē tulit, sed nō est in cruce mortuus, quia in angaria ipsam portauit, & in crucis radice gloriari non potuit. Tales enim cruciantur, sed mundo non moriuntur. Vnde in Psalmo Christus ait: Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Quod fit quando cum affectu & desiderio aquæ tribulationis suscipiuntur. In latrone autem pendente à finistris intrauerunt, non vsque ad animam, sed tantum vsque ad carnem. Sine flamma autem & ferro martyres esse possumus, si patienter cum gaudio iniurias nobis illatas sustinemus, si proximis compatiendo viscera misericordiæ eis aperiamus, si de peccatis nostris tanquam de morte vnigeniti doleamus: de peccatis ergo doleamus, & de dolore gaudeamus, & ita in radice crucis gloriabimur. Dolor enim est medicina doloris: Clauus clauo retunditur, & ignis igne expellitur: Ignis dolorē, ignem peccata. Succus enim amarus huius radicis vermes perimit, putredinem & fœtorem tollit, & mundas conseruat carnes sensualitatis, tollens tria impedimenta salutis, scilicet, mundi blandimenta, carnis oblectamenta, diaboli machinamenta: & arcens Euam sensualitatis à pomo voluptatis, coquens carnes in aratro boum, sicut legimus de Eliseo, scilicet, igne pœnitentiæ, quę per aratrum crucis, intelligitur carnem mortificans. Sicut autem stilla aquæ vino infusa, absorbetur à vino, & saporem vini recipit, sic sensualitas & amaritudinis austeritas absorbetur, dum spiritus in cruce gloriatur. In stipite autem crucis, id est, in rectitudine intentionis gloriatur, qui pro Christo mortificat carnem, non per hypocrisim & vanam gloriam, sed mentis oculum habens ad æternam retribu-

*Prouer. 14. Iob 21. Luc. 6.*

*Gala. 5.*

*Isaiæ 64. Quod ligno crucis adhærendum est.*

*Sapien. 14. Quod crux Christi nauicule cōparatur.*

*Gen. 8.*

*De multiplici crucis comparatione.*

*Eccle. 24. Quod in diuersis partibus crucis gloriandum sit.*

*De quadruplici fructu crucis.*

*Abacuc 3.*

*De crucis radice & qualiter in ea gaudendum sit.*

*2. Cor. 12.*

*Deut. 33.*

*De his qui malè de cruce descendunt.*

*Iere. 3. Zach. 7. Prouer. 27.*

*De succo radicis.*

*3. Reg. 18.*

*De stipite crucis & qualiter in eo gloriandum sit.*

*De his qui nõ rectè gloriantur. Luc. 9.*

retributionem. Sicut autem simia veste hominis induitur, sic hypocrita bonorum vitam simulat carnem macerando, non ad vtilitatem suam, sed magis ad irrisionem in cruce pendens cum latrone à sinistris, nec tamen gloriatur in cruce, quia perdidit serenitatem conscientiæ. Posita igitur manu ad aratrum crucis sulcum, facit tortuosum: quia non ad anteriora, sed ad posteriora mentis oculum conuertit, dum fauorem humanum venando retrò aspicit. Ascendit enim in

*Cant. 7. Exod. 33. Luc. 19.*

palmam, non vt fructum eius apprehendat, quia de præmio æterno non curat, nec in foramine petræ pellem veterem relinquit, dum adhuc vetustatem retinet vanitatis. Ascendit sycomorum, non sicut Zachęus, vt Christum videat, dum oculos mentis conuertit ad gloriam humani fauoris. Assumit enim sibi crucis alas, non vt desiderio volet sursum, sed vt corruat deorsum. Et si per vanam gloriam cum Simone Mago volat, non tamen volat super pennas ventorum. Lucem enim sapientiæ & gloriæ crucis fugit, nocte volans more noctuæ vel bubonis: non tollit crucem suam vt Christum sequatur, sed deprimit vexillum Imperatoris, tanquam reus læsæ Maiestatis, & crucē suam, quasi per terram protrahit, & non sursum attollit. Gloriari præterea nos oportet in ramis huius arboris, bonis, scilicet, operibus, imitando crucifixum, quæ procedunt ex recto stipite, id est, ex intentionis rectitudine. Aliter enim fructificare non potest ramus bonæ operationis, vt sit canticum psalmi filiis Chore in finem pro Melech ad respondendū, sicut in titulo Psalmi Esdras scripsit. Simus igitur filij Chore, id est, Christi, decaluati in cruce, dum capillis amissis in monte Caluariæ ab eo discipuli discesserunt. Sit nobis canticum ribilationis & deuotionis, vt in cruce gloriemur. Sit præterea psalmus per executionem bonæ operationis, & ita erit canticum psalmi filiis Chore, id est, filiis passionis, qui pro Christo decaluantur à pilis superfluitatis. Sit autem canticū psalmi dirigens nos in finem ad respondendum, vt Christo passo benè operando respondeamus in concordia virtutum & charitatis. Melech enim chorus, id est, concordia virtutum interpretatur. Respondeamus igitur Christo in carnis mortificatione cum exultatione mentis & bona operatione, vt in ramis huius arboris valeamus gloriari. Respondeat & oculus flendo, lingua laudando & orando, cor compatiendo, vt singula membra singulis membris Christi respondeant in passione, vt offeramus ei holocaustum totum igne charitatis succensum, pro Melech, id est, in Melech, in concordia charitatis & aliarum virtutum: non solùm autem membra nostra, sed & omnia opera nostra cum Christo crucifigamus, & cruci eius coaptemus. Adaptentur profundo crucis, vt fiant in fide, & sublimitati, vt fiant in spe & desiderio æternorum: & latitudini crucis, vt fiant in charitate: & longitudini, vt fiant in perseuerantia finali. Hoc est quod Apostolus ait: Vt possitis cõprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Latitudo in operibus charitatis, quę extenduntur ad dexteram & sinistram, id est, ad amicos & inimicos. Longitudo in perseuerantia. Qui enim perseuerat vsque ad finem, hic saluus erit. Sublimitas, vt sursum cor habeamus per spem & desiderium æternorum. Profundum, id est, occultum fidei mysterium, quod est totius ædificij spiritualis fundamentum. Econtrà autem in cruce diaboli profundum est desperatio, sublimitas elatio, latitudo voluptas carnis, longitudo pertinacia obstinationis. Sicut autē latro à sinistris in hac cruce diaboli pependit: ita & in cruce spei, fidei & charitatis, & perseuerantię, latro pependit à dextris. Specialiter autē singularis fuit crux Christi, cuius latitudo immensa Christi charitas, longitudo æternitas, sublimitas maiestas & omnipotētia, profundū inscrutabilis sapientia. Sicut autē per quatuor partes crucis quatuor prædictæ virtutes designantur, ita per quatuor clauos quatuor virtutes cardinales significātur, quibus spiritualiter affigendi sunt duo pedes & duę manus. Duo pedes, duo mētis affectus, vnus in fugiēdo quod nocet, alius in eligēdo quod appetit. Pes timoris, clauo fortitudinis: pes appetitus, clauo iustitiæ, ne ad illicita possit euagari, cõfigendus est: manus voluntarij operis, debet affigi clauo prudētiæ: manus verò necessarij operis, cuiusmodi sunt comedere, dormire, & similia, affigenda sunt clauo temperantiæ. Ad literam autem in cruce Domini quatuor fuerunt partes: tabula superposita, quæ dicitur sublimitas: lignum erectum, quod appellatur longitudo: stipes cui infixum erat idem lignum, hic appellatur profundum: lignum transuersum, quod dicitur latitudo, in quo signatum est à quatuor mundi partibus fore Gentes saluandas Christi passione, & crucis virtute, quemadmodum Dominus prædixit: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, id est, de omnibus mūdi partibus aliquos. Superior pars crucis, id est, altitudo cœlum spectat: inferior pars, infernum: latitudo totum orbem comprehendit. Per crucem enim infernus spoliatur, cœlum repletur, mundus saluatur. Totidem autem diuersi generis lignis, eandē fuisse compactam plerique asserunt, vnde & diuersorum colorum inueniuntur particulæ crucis in diuersis locis. Alia enim magis accedit ad albedinem, alia ad nigredinē, alia autem ad ruborem. Ex quo tamē autentico scripto istud habeatur, ignoro. Scio tamen quod quicquid ibi fuit, non casu fortuito accidit, sed ex certa Dei prouidentia profunda mysteria vbique designātur. Quintum lignū insuper, scilicet, cauillā in cōiunctione partium ibi dicunt fuisse. Secundū, hęc quinq; genera lignorū in ipsa fuerunt cruce, scilicet, cedrus, palma, cypressus, oliua, sed & sycomorus,

*De ramis crucis & qualiter gloriandum sit in illis.*

*Qualiter respõdere debemus Christo benè operando, ad imitationem passionis eius.*

*Qualiter cruci dominicæ conformãda sunt opera nostra.*

*Mysticè de crucis dimensionibus.*

*De cruce diaboli & eius dimensionibus.*

*De tertia cruce, quæ Christo specialiter conuenit.*

*Moraliter de quatuor clauis.*

*De pedibus & manibus spiritualibus.*

*De quatuor partibus crucis materialis.*

*De significatione partiũ. Ioan. 12.*

*De quinque generibus lignorũ crucis.*

*Brachia palma tulit, cedrus corpus, sycomorus*
*Scripturam tituli, pes & cypressus erat:*
*Ingentemq; cruci titulum dat oliua cauillam.*

Quia igitur ex diuersis arborum lignis compacta fuit crux Christi, quandoque nomine vnius arboris

arboris, quandoq; nomine alterius per synecdochen, scilicet, à parte totum nominatur. Vnde in Canticis: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Palmam ascendit Christus, cuius asperitas est in cortice, & in fructu dulcedo, quando exaltatus est in cruce, in cortice carnis multa aspera sustinuit: fructus autem dulcissimus fuit in resurrectione, in ascensione, in spiritus sancti missione. Appellatur etiam tota crux à parte, sicut in Euangelio dicitur, quod Zachæus ascendit sycomorum, vt Christum transeuntem videre posset. Sycomorus ficus fatua dicitur, & crux Christi mundo dulcis, fatuitas nominatur: stultitia enim crucis, quæ Iudæis est scandalum & Gentibus stultitia reputatur, cõuersa est credentibus in dulcedinem æternæ salutis. Sycomorus etiam dici potest crux Christi, quasi sicca mors, propter aridam vitam eorum, qui carnem suam crucifigunt cum vitiis. Morus autem fructum gignit: primò album, secundò rubrum, tertiò nigrum, cùm iam ad maturitatẽ peruenit. Fructus autem huius mori fuit Christus, qui in cruce pependit. Candidus propter innocentiam & munditiam: rubicundus propter sanguinis effusionem: niger autem in morte Christi, quandò visus est non habens speciem neque decorem. Tunc enim nobis quasi in maturitate & cõsummatione sua dulcior fuit, quia morte sua mortem nostram destruxit. Ex hoc autem fructu liquor sanguinis emanat, qui, scilicet, solet ostendi elephantibus, vt magis acuantur ad prælium. Et nos Christi sanguinem memoriter intueamur, vt in bello cõtra diabolum & vitia, exemplo eius magis acuamur. Morus autem folia habet, quibus viuunt vermiculi, qui sericum operantur. Et nos tanquam parui & humiles vermiculi, de verbis & prædicatione ad Christi crucem & passionem pertinentibus, refici & viuere debemus, vt producamus ex nobis sericũ bonæ operationis, quo animæ nostræ vestiantur & exornentur. Et ab operatione actiuæ vitæ, transeamus ad volatũ contemplationis, sicut prædicti vermiculi in fine alas habent, & de vermiculis efficiuntur volucres. Significatur præterea per cedrum crux Dominica, quæ quasi cedrus exaltata est in Libano, id est, in Ecclesia Dei & vniuerso mũdo. Libanus enim candidatio interpretatur. Et Ecclesia Dei in candore innocentiæ & virtutum commoratur. Exaltata est autem à nota infamiæ ad triumphum gloriæ, à loco suppliciorum ad frontes Imperatorum. Cedrus autem arbor est sublimis, cuius odor serpentes interimit. Odore enim virtutis sanctæ crucis reprobi moriuntur, & dæmones confunduntur. Resina autem ex cedro distillat. Virtus enim crucis Christi à corruptione erroris & vitiorum, & à vetustate peccatorum nos conseruat illæsos. Significatur etiam tertiò crux Christi per oliuam. Ipsa est quasi oliua fructifera in domo Dei, quasi oliua speciosa in campis, id est, in Ecclesia Dei, in Ecclesiæ, scilicet, campis frugiferis & decoris æquitare planis. Vel in campis, id est, in Athletis Christi, qui contra dæmones in hoc mundo, veluti pugiles in campo, pugnant. Ex hac oliua stillat oleum refectionis, misericordię & suauitatis, quod adeò excreuit & abundauit, vt vidua, id est, Ecclesia, à creditoribus liberaretur cum filiis suis, & insuper viueret de residuo, sicut mystice legitur de vidua & Eliseo. Significatur præterea crux Dominica per cypressum. Ipsa enim quasi cypressus exaltata est in monte Sion, scilicet, in speculatione vel in speculo Ecclesiæ. Ipsa est speculum nostrum ad imitationem, & specula contra inimici insidias ad cautelam. Cypressus odorifera est, & medendis corporibus apta, & comam suam vetustate non deponit. Et odore sanctæ crucis non solũ infirmitates sanantur, sed & mortui resurgunt. Sancti autem vetustate comam virtutum non deponunt, dum in bono vsque in finem perseuerant. Offeramus igitur & nos ad cõpositionem crucis spiritualiter in nobis, palmam victoriæ, vt simus fortes in bello, & pugnemus cum antiquo serpente. Offeramus sycomorum per cordis dulcedinem, & vt fatui reputemur pro Christo. Sicut enim sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum, ita sapientia crucis stultitia reputatur à reprobis. Offeramus cedrum altitudinis & incorruptionis, per desiderium æternorum, per vitæ bonæ & sanctæ conuersationis integritatem. Offeramus oliuam per opera misericordiæ & suauitatem spiritus. Offeramus cypressum per odorem bonæ famæ, vt Christi bonus odor simus in omni loco. Specialiter autem Martyres offerunt palmam victoriæ, Prælati & Confessores, cypressum boni odoris, alios exemplo confortantes, & tanquam cortina cortinam trahentes. Qui autem seculo renuntiãt, & relicta turba cum Zachæo vitam solitariam aggrediuntur, offerunt specialiter sycomorum, cum mundo contemptibiles redduntur, & à secularibus fatui reputantur. Coniugati autem oliuã offerunt, per opera misericordiæ & pietatis. Virgines verò offerunt cedrum incorruptionis. Quarto modo gloriandum est in foliis huius arboris pulcherrimæ, vt hymnis & laudibus crucem sanctam attollamus, & eius virtutem cum omni diligentia prædicemus. Nulla enim verba magis incitant animum Christiani ad compunctionem & humilitatẽ, quàm verba viuificæ crucis & nostræ redemptionis. Vnde in Canticis: Post fistulam purpurei coloris, sequitur cinnamomum, quod est coloris cinerei. Dum enim de Christi passione loquimur, ad humilitatem inclinamur. Purpura enim Regis iuncta est canalibus, sicut iterum in Canticis dicitur: Quia passio Christi cordibus concauis per humilitatem coniungitur. Hæc est enim arbor triumphalis, arbor vitæ & spiritualis, in qua salus mundi pependit, cuius folia prosunt ad medicinam, & fructus ad vitam æternam. Magna est enim consolatio captiuis, dum de sua liberatione audiunt fieri mentionem. Sicut enim verbum crucis pereuntibus stultitia est: ita his qui saluati facti sunt per crucẽ, virtus Dei est & gloria & sapientia. Vnde beatus Andreas ait: Ego si crucis supplicium expauescerem, crucis gloriã non prędicarem. Sicut enim lignum, licèt sit rectum, tortuo-

*Cant. 7.* *Quod per palmam crux significatur.*

*De sycomoro per quã crux signatur.* *1. Corinth. 1.* *Luc. 19.* *Gal. 5.*

*De moro per quã significatur crux, & de fructu & foliis eius.* *Isa. 53.*

*1. Matth. 16.*

*De cedro per quam crux significatur.*

*De oliua per quam crux significatur.*

*4. Reg. 3.*

*De cypresso per quã crux significatur.*

*Quod spiritualiter ad cõpositionẽ crucis prædicta lignа offerre debemus.* *1. Cor. 3.*

*2. Cor. 2.*

*De diuersitate offerentium.* *Exod. 16.* *Luc. 19.*

*De foliis crucis, et qualiter gloriandum sit in illis.* *Cant. 4.*

*De his qui verba crucis contemnunt & irridẽt.*

tortuosum tamen videtur in aqua: ita verbum crucis & prædicatio passionis Christi, licèt rectissima sint, ab his tamẽ qui carnaliter sapiunt, videntur tortuosa. Animalis enim homo non
1. Cor. 2. intelligit quæ Dei sunt, sed irridet profunda mysteria. Lucem enim tantæ sapientiæ, noctuæ infernales non sustinent, sed in nocte volantes, quæcunque non intelligunt, irrident. Dauid
1. Reg. 21. enim apud Regem Achis visus est insanire, dum ostia portæ impingebat, & saliua in barba eius defluebat. Achis interpretatur quomodo est, & significat reproborum ignorantiam, qui crucem Christi reputant insaniam. Introitus portæ initium est fidei nostræ, ad quam impingés verus Dauid, decidebat, dum in passione se humiliabat. Saliua autem in barbam defluxit: dum verbis infirmitatis & passionis barbam, id est, diuinitatis, robur abscõdendo texit. Verba enim salutaria & infantilia coram Achis videntur, quę de eius infirmitate & passione dicuntur. Quæ tæ tamen sint efficatiæ, & virtutis, ostensum est in cithara Dauid, ad cuius suauem armoniam diaboli malitia à vexatione Saulis arcebatur. Hæc est cithara crucis, in qua Dominus inter duo ligna ita extensus fuit, vt dinumerari possent omnia membra eius, sicut in Psalmo dicitur: Dinumerauerunt, id est, dinumerabilia reddiderunt omnia ossa eius. Fuerunt autem in hac cithara, ligna, & claui. Venas autem totius corporis Christi habuit pro chordis: Pro plectro autem linguam ipsius Domini, quo septem dulcissimas notulas cordibus nostris imprimendas suauiter citharizans insonuit. Quarum prima fuit pietatis, quando de cruce matrem suam intuens ait: Mulier ecce filius tuus. Et ad discipulũ: Ecce mater tua. Filius enim immolabat carnẽ, mater verò mentẽ, quã de angustiis crucis oculis pietatis aspexit, eamq; virginẽ virgini cõmendauit. Illo siquidẽ die non nisi in ipsa, & in vno latrone vbi caput reclinaret, inuenit. Secunda notula fuit inęstimabilis charitatis, qua pro crucifixoribus orauit, dicẽs: Pater ignosce illis: quia nesciũt quid faciunt, ac si diceret. Pater quantum placet verberari & affligi me facias, veruntamen fratribus meis, quod in te deliquerunt, remittas. Plus ergo apud te valeat filij charitas: quàm populi cæcitas. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis, sed insuper & inimicis. Tertia notula fuit misericordiæ & largitatis, dum latroni peccata dimisit, & ei paradisum promisit, dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Quarta notula compassionis, dum corruptam in primis parentibus naturam humanam deplorans, in persona membrorum ait: Deus meus vt quid dereliquisti me. Quinta notula fuit feruoris & ardentis desiderij, quod expressit cùm dixit: Sitio. Salutem nostram sitiebat. Aquam contritionis, & vinum compunctionis in nobis desiderabat. Sitiebat tribulationes & dolores, quos cum magno desiderio pro nobis sustinebat. Iudæi autem felle amaritudinis & aceto corruptionis suæ eum potare voluerunt. Ipse autem cum gustasset, noluit bibere, nec sibi incorporare acetosos & reprobos Iudæos, qui à vino Patriarcharum degenerantes, ex spongioso & cauernoso corde de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ potum amaritudinis illi propinauerunt. Gustauit tamen, quia paucos de gente illa ad fidem conuertit. Sexta notula fuit confidentiæ & humilitatis, cùm ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Non defectum virtutis, sed confidentiam eiusdem cum patre potestatis insinuat, dans in omnibus gloriam patri, vt nos informet in omnibus dare gloriam creatori. Septima notula fuit perseuerantiæ & consummationis, cùm ait: Consummatum est. In quo nos ad perseuerantiam informauit, vt cum ipso in cruce pœnitentiæ moriamur. Bona enim opera, non nisi in patientia & perseuerantia consummantur. Ipse autem omnia quæ de ipso scripta erant, quæ scripturæ futura de ipso ante mortem prædixerant, adimpleuit. Omnia holocausta hoc vnico & singulari holocausto consummata sunt, vt consummatis & destructis figuralibus omnia spiritualiter adimpleantur. Ipse igitur in cruce consumptus omnia consummauit, omnia quæ facere debuit pro salute nostra, fecit, & idcirco dixit: Consummatum est, ac si diceret: Quid vltra debui tibi facere, & non feci? Vinea mea responde mihi. Sic ergo citharista noster, in cithara crucis dulcissimam & suauissimam melodiam edidit, sicut ipse prædixit per Prophetam: Confitebor tibi in cithara DEVS DEVS meus. Sed & latro, qui pependit à dextris, subitò factus est discipulus eius. Nam exemplo magistri sui, & ipse suo modo dulciter citharizare cœpit. Prima notula fuit fraternæ correptionis, dum socium increpat, dicens: Nec tu times DEVM, quod in eadem damnatione es. Secunda notula fuit confessio peccati, dum se accusauit, dicens: Digna factis recipimus. Tertia notula confessio laudis fuit: dum iustitiam DEI commendans, ait. Et nos quidem iustè, scilicet, patimur. Quarta notula fuit, dum CHRISTVM, quem alij accusabant, ipse excusauit & commendauit, dicens: Hic verò nihil mali gesit. Quinta notula fuit supplicationis & orationis, cùm ait: Memento mei. Sextam etiam addidit: dum eum Regem recognouit, & publicè Regem esse prædicauit, dicens: Cùm veneris in regnum tuum. Magna gratia & supereminens fuit in hoc latrone: nullum membrum à supplicio liberum præter cor & linguam habuit, & totum quod habuit, DOMINO obtulit. Corde credidit ad iustitiam, ore confessus est ad salutem. Fidem habuit, quia regnaturum credidit diuinitate, quem mori videbat ex humanitate. Confitetur, quem videt ex humana infirmitate morientem: & Apostoli negant, quem viderant miracula facientem. Spem habuit, quia memoriam sui in regno postulauit. Charitatem habuit: dum proximum errantem corripuit. Proponitur ergo latro cuilibet peccatori in exemplum spei & indulgentiæ, in formam confessionis & regulam pœnitẽtiæ.

*De cithara crucis & de partibus huius citharæ.*

*De septem notulis citharæ.*
*Prima notula pietatis.*
*Ioan. 19.*
*Matth. 8.*
*Lucæ 9.*
*Secunda charitatis.*
*Lucæ 23.*
*Ioan. 15.*
*Tertia misericordiæ.*
*Lucæ 23.*
*Quarta compassionis.*
*Matth. 27.*
*Mar. 14.*
*Ioan. 19.*
*Quinta desiderii.*
*Deut. 32.*
*Lucæ 23.*
*Sexta humilitatis.*
*Septima perseuerantiæ.*
*Isaiæ 5.*
*Iere. 2.*

*De cithara latronis & eius notulis.*
*Prima notula*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Quinta.*
*Sexta.*
*De latrone & eius virtutibus.*

Timet

Timet latro, credit, confidit, diligit, compungitur, pœnitet, confitetur, prædicat, orat. Timore subditur & humiliatur, fide illuminatur, spe confortatur, charitate dilatatur, compunctione mollitur, pœnitentia concutitur, confessione purgatur, prædicatione zelatur. Oratione quod postulat, imò plus quàm postulat, assequitur. Memoriam sui petiit, & Dominus ei Paradisum contulit, adiiciens quod oratio non præsumit. Gloriari prætereà nos oportet in floribus odoriferis huius pulcherrimæ arboris. Floret autem spe & promissione in hac vita, vt fructus salutis æternæ proferat in gloria. Quis enim de Dei misericordia desperet, qui filium suum tradidit, vt seruum redimeret? Vnde Dominus per Isaiam: Reuertere ad me, quoniam redemi te. Quis non currat post odorem horum florum, dum recolit quanto pretio redemptus sit? Vnde in Canticis: Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus herba est calida, quæ feruorem dilectionis Christi dei gnat. Cùm autem Christus esset in accubitu crucis, odorē suauitatis & recreationis emisit, vt spem & fiduciā habeamus in eo, qui nos tantum dilexit. Nullus autem locus desperationi relinquitur, dum attēdis promissa, & audis: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Granum enim frumenti, quod cadens in terra, mortuum est, multum fructum affert. Eius opprobria nostrum opprobrium tulerunt, eius vincula nostra vincula ruperunt: flagellatus est, vt nos à flagellis eriperet. Cruciatus est, vt nos à cruciatu liberaret. Nudatus est, vt nos vestiret. Mortuus est, vt mortem destrueret. Surrexit, vt vitam repararet. Eius corona diadema regni adepti sumus: eius sepultura surreximus: descensu eius ad inferos, ascendimus ad cœlos. Dum igitur in cruce & passione Christi spē salutis nostrę ponimus, in floribus huius arboris gloriamur. Gloriandū est nihilominus in vmbra huius amœnissimæ arboris, quæ quasi therebintus expandit ramos suos, vt nobis præberet vmbrā refrigerij, dum signo crucis cōmunimur contra tentationum ardorem, & insidias diaboli. Vnde sponsa in Canticis: Sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi. Scapulis enim suis Dominus obumbrat nobis, dum per crucem eius, & per crucis eius signaculum nobis contra feruorem vitiorum præstat vmbraculum. Vnde Ieremias in Threnis: Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus. Sub vmbra enim Dominicæ crucis viuimus, dum contra incentiua vitiorum crucis signaculo communimur. Vnde ex institutione Ecclesiæ in quatuor locis fit signaculum sanctæ crucis baptizatis, scilicet, in pectore, in frōte, in scapulis, & in vertice. Quatuor enim modis Christi crucem tollere debemus. In pectore, per cordis contritionem & proximorum compassionem: In scapulis, per pœnitentiam, vt iugum Christi suaue feramus, & carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis mortificemus. In vertice, vbi sedes est memoriæ, imprimitur, vt semper habeamus passionis Christi memoriam. In fronte, vbi sedes est verecundiæ, imprimitur, vt non erubescamus crucifixum, sed magis in cruce Domini nostri apertè gloriemur. Vnde Psalmus ait: Fac mecum signum in bono, vt videant, qui oderunt me, & confundantur. De hoc signo salutiferæ crucis Isaias ait: Venient & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum, signum, scilicet, sanctæ crucis. Et iterum: Leuabit Dominus signum in nationes, & congregabit profugos Israël. Et iterum: Eligite lapides, id est, offendicula tollite, & eleuate signum ad populos. Hoc est signum sanctæ crucis. Hoc est signum Thau, quod figuram crucis repræsentat, quo signo linierunt filij Israël postes domus suæ, de quo dicitur in Ezechiële: Signa Thau super frontem virorum gementium & dolentium. Et in Apocalypsi dicitur: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Hoc signum Iacob expressit, dum manus cancellauit, benedicens duos filios Ioseph, & dexteram manum superposuit minori. Hæc enim fuit mutatio dexteræ excelsi, per quam minorem populum vocatum de Gentibus, benedixit. Sine huius signi virtute, nulli hominū generi potest esse salus. Vnde & à principio factus est homo quasi in forma crucis. Teste enim beato Hieronymo: Homo natando formam crucis exprimit. Similiter nauis in mari nauigando, & auis in aëre volando. Homo natans, significat coniugatos: nauis in mari, Prælatos: auis volans, contemplatiuos. Et iterum Hieronymus ait: Ad omnem actum, & ad omne incessum tuum, manus tua signum crucis depingat. Gloriemur igitur in crucis signaculo, quod nobis quasi clypeum contra omnes hostes nostros Dominus reliquit, vt ipsum semper haberemus paratū, cùm ipsius lignum non valeant omnes Christiani semper & vbique paratum habere. Qui autem hunc clypeum abiicit, non est mirum si iacula inimici sentit. Si igitur tantum gloriandum est in radice, stipite, ramis, foliis, floribus, & vmbra crucis, quātò magis in fructu ipsius dulcissimo nos oportet gloriari, vt cum spōsa dicere valeamus: Fructus eius dulcis gutturi meo. Hic est fructus arboris pulcherrimæ, fructus vitæ æternæ. Terra enim corporis Christi fossa clauis & lancea, sputis stercorata, sanguine & lachrymis irrigata, & crucis aratro sulcata, fructum salutis æternæ protulit, quem per fructū vetitum primus homo amisit. Sicut enim per hominem mors, ita per hominē resurrectio mortuorum. Dominus enim quasi stateram fecit ex duabus lancibus ligni, scilicet, vetiti & ligni crucis. In lance autem crucis plus ponderauit pretiū, quàm in ligno vetito peccatum. Vnde & plus nobis est per Christum collatū, quàm per Adam ablatū, scilicet, pro Paradiso terrestri cōmutatum est cœlum. Propter quod ait Apostolus: Non sicut delictum, ita & donum. Trunco enim syluestri humanæ naturæ insertus est sulculus arboris generosæ, vt fructum faceret salutis æternæ. Genus enim humanum velut securis in imo demersum est, & à ligno vetito in infernum cecidit, per lig-

*Quod latro proponitur pœnitentibus in exemplum.*

*De floribus, et qualiter in eis gloriādum sit.*

*Isa. 44.*

*De vmbra crucis, et qualiter in ea gloriandum sit.*

*Cant. 2.*

*Thren. 4.*

*De signo crucis, & in quibus partibus hominis fieri debeat.*

*Isa. 11.*

*Exod. 12. Ezech. 9.*

*Apoc. 7.*

*Gen. 48.*

*Quod absque crucis virtute non est salus.*

*Quod crux comparatur clypeo.*

*De fructu crucis & qualiter gloriandum sit in eo.*

*Cant. 2.*

*1. Cor. 15.*

*Quod crux comparatur lanci, statere.*

*Rom. 5.*

4. Reg. 6. Gene. 32.

per lignum autem sanctæ crucis, sursum ad æternam gloriam enatauit. Et noster Iacob, qui in tabernaculo crucis Iordanem, id est, mortis humilitatem transiuit, cum multa fidelium turma reuersus est ad patriam, & scisso corporis sacco, in cruce thesaurum pretiosum gloriæ nobis contulit, sicut scriptum est: Concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Mortuus est innocens, vt restitueretur innocentia, passus est immortalitas: & immortalitatem nobis contulit.

De proprietatibus fructus crucis.

Gloriari ergo oportet in fructu huius arboris, qui pulcher est ad videndum, suauis ad tangendum, delectabilis ad odorandum, dulcissimus ad gustandum. Dominus noster Iesus Christus, in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus, Amen.

## EADEM DIE THEMA SVMPTVM DE Epistola. 1. Corint. 11.

*Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.*

Ad quid venerit Christus. Qualiter Christus à triplici incommodo genus humanũ liberauit.

VENIT cœlestis medicus non ministrari, sed ministrare: curare infirmos, non curari: sanare vulnera, & vulnerari. Venit accipere contumeliam, dare honorem: sustinere laborem, dare quietem: haurire dolorem, dare salutem: subire mortem, dare vitam. Cùm autem triplici incõmodo humanum genus principaliter laboraret, scilicet, infirmitate, ignorantia, & peccati malitia, venit omnipotens, vt tolleret infirmitatis impotentiã: summè sapiens, vt tolleret ignorantiã: summè benignus, vt auferret peccati malitiã. Verbo & exemplo nos illuminauit ad sapientiã contra ignorãtiam. Sanguine passionis nos purgauit à peccatis contra malitiã.

Quot modis se dedit nobis Christus.

Corpus & sanguinẽ suum nobis contulit in refectionẽ contra infirmitatẽ. Dedit igitur se nobis in exemplum benè viuendo: In documentũ prædicando: In pretium morièdo. Tandẽ daturus se in prẽmiũ glorificãdo. Quid igitur vltrà debuit facere filius, & nõ fecit? Sed & pater, quid amplius nobis facere potuit? Duos habebat, qui à seipso procedebat. Filium dedit, vt seruum redimeret. Seipsum dedit, vt nos in filios adaptaret. Sed hoc largitati eius nõ sufficiebat. Quæsiuit, quod in cœlo non habebat, vt plus daret, quàm haberet. Carnem & animam dedit, vt corpus & animam redimeret. In primo aduentu filium misit, vt animam repararet. In secundo verò aduentu ad corporis reparationẽ est filius venturus. Ex parte igitur liberati sumus, sed ex parte grauati, vt non sit delicata fides credentium, sed ad profectum & exercitiũ virtutum molestiis pulsetur, vt qui credunt, nõ propter corporale cõmodum, sed propter verã & ętemã beatitudinem Domino famulentur. Poterat enim Deus dare credentibus, vt nec istius corporis experirentur mortem: sed sic minueretur fortitudo fidei, & non propter beatam vitã, sed propter hãc felicitatem ad fidẽ currerent, & in Christo delicatius crederent propter amouẽdas corporis molestias, essetq; fides eneruis & debilis. Vnde & Lazaro suscitato adhuc super faciem eius reposito est sudariũ, id est, difficultas bene operandi & resistẽdi tentationibus. Vnde & Dominus Iesus Christus à discipulis recessurus, imminente passione, contra varias infirmitates & crebros casus, summũ reliquit antidotum, corporis, scilicet, & sanguinis sui sacramentũ, quod hac sanctã nocte, quasi nouus sacerdos effectus confecit, & discipulis suis in cœna dedit, vt eos contra tentationes imminentes, roboraret: præsertim cũ in morte ipsius turbandi forent, & Sathan eos expetisset, vt cribraret velut triticũ. Huius enim pretiosissimi cibi eduliũ animã reficit, & cõfortat contra spirituales nequitias, mentẽ corroborat, charitatẽ, & omnes alias virtutes augmẽtat, palatum cordis sanat, animam spirituali deuotione impinguat. Valet ad gratiæ augmentum, valet ad purgationem venalium, valet ad consolationem in præsuris, valet ad commemorationem passionis, valet ad conseruationem vnitatis. Datur infirmis in medicamentum, paruulis in nutrimentum, robustis in cibũ, itinerãtibus in viaticum, tædio affectis in solatiũ, laborãtibus in adiutoriũ, peregrinis in refugiũ, peruenientibus in præmiũ. Vnde sub specie panis & vini sumitur & in veritate carnis & sanguinis. Panis enim cor hominis confortat, vinũ lętificat, caro impinguat & saginat, sanguis viuificat. Virtute autẽ huius sacramẽti, spiritus ad pugnam confortatur, ad gaudiũ spirituale lætificatur, impinguatur ad deuotionẽ, viuificatur ad spirituale desiderium & feruorem. Sicut autẽ præ cæteris corporalibus cibis, panis confortat, & vinum lętificat, & in his duobus plena consistit hominis refectio. Ità hoc supereminens sacramentum præ omnibus aliis interiorẽ hominẽ cõfortat ac reficit. Vnde Dominus ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hoc autẽ sacramentũ in cœna, postquã agnũ typicum mãducauerant, Dominus instituit. Postquã enim figuralia cõpleuerat, veritas figuris & lux vmbræ successit. Omnia enim sacramenta in isto cõsummata sunt. Lex enim erat cautela de futuro, nõ medicina de præterito, nõ vt sanaret plagã, sed vt præpataret ad gratiam. Discessurus autẽ ab Apostolis hoc sacramentũ, velut vltimũ testatoris mãdatum tradidit illis, vt memorię eorũ acrius infigeretur. Peregrè igitur profecturus hoc pignus dilectionis suæ, & memoriale salutis nostræ voluit relinquere, voluit vt ægrotũ letargicũ excitaret, ne tantũ eius mortis beneficiũ, aliquãdo obliuioni traderetur. Vnde B. Augustinus ait: Saluator noster vt vehemẽtius cõmendaret mysterij huius altitudinẽ, vltimũ hoc voluit infigere cordibus & memorię discipulorũ, à quibus ad passionẽ digressurus erat, & ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis per quos ecclesias dispositurus

Quare purgata culpa relicta sit pœna.

Quod Dominus contra varias infirmitates, medicinã corporis & sanguinis sui nobis reliquit. De duplici huius sacramẽti virtute.

Quare veritas carnis & sanguinis sub specie panis & vini sumitur.

Ioan. 6.

Quare hoc sacramentum legalibus succesit. Multiplex ratio quare Christus descendẽs hoc sacramentum nobis reliquit.

*Quod à ieiunis sumendum est & sumendum hoc sacramentum.*

dispositurus erat, seruaret hunc locum. Ex hoc ergo patet quod licèt Dominus hoc sacramentum non dederit ieiunis, nihilominus tamen obseruanda est Ecclesiæ consuetudo, quæ ex institutione Apostolorum, qui ordinauerunt testamentum eius super sacrificia, ieiunis præcipit hoc sacramentum sumere. Vnde beatus Augustinus iterũ ait: Placuit spiritui sancto vt in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani dominicum corpus intret, quàm exteri cibi. Vnde

*Multiplex causa quare Apostolus Corinthios redarguit.*

Apostolus in hodierna epistola Corinthios redarguit, qui, occasione sumpta, ex hoc quod Dominus post esum agni Paschalis discipulis dedit Eucharistiam inter prandia, vel post prandia Eucharistiam sumebant: quod ieiuni potius facere debuissent, tam propter sacramenti reuerentiam, quã propter moralem institutionem. Ieiuni enim à sapore carnalium debemus accedere ad tantum sacramentum, & non præsumere cœnam mundanæ delectationis ad manducãdum.

*De quinque erroribus Corinthiorum.*

In his quinque igitur eos reprehensibiles ostendit. Primò, quia cœnam corporalem præsumebant ad manducandum: prius, scilicet, sumebant illam, quàm Eucharistiam. Vnde non erat eis licitum postea dominicam cœnam mãducare. Secũdò, quia modum sobrietatis edacitate & potationibus excedebant. Tertiò, quia esurientibus inde nihil tribuebant. Et alius, inquit, esurit: alius autem ebrius est. Quartò, quia Ecclesiam Dei, quæ domus est orationis, & in qua eiusmodi conuiuia non debent fieri, contemnebant. Vnde ipse subiungit: Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Quintò, quia erubescere faciebant eos, qui non præparauerant, coram quibus manducabant. Vnde ait: Et confunditis eos, qui non habent. Videtur etiam notare diuites, qui oblationes suas, panem, scilicet, & vinum copiosè offerebant ad benedicendum, & cùm munus oblatum post benedictionem toti populo commune esse deberet, ipsi totum resumebant. Et hoc tam citò agebant, vt superuenientes nihil inuenirent, & cùm non haberent quid offerrent, pudore confundebantur. Vt igitur tantum sacramentum cum omni reuerentia tractarent, ostendit Apostolus à quo & qualiter, & quando sit institutum, quemadmodum Dominus illi reuelauit. Vnde ait: Accepi à Domino, quod & tradidi vobis, id est, didici à Domino, quod docui vos, scilicet, quod Dominus noster in nocte, qua tradebatur, id est, imminente iam passione, in nocte, qua ad patiendum captus est, accepit panem, & gratias agens, fregit: agens, scilicet, gratias de reparatione hominum sic futura. Gratias egit inter aduersa, vt & nos in aduersis gratias agere doceat. Fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Per hoc quod fregit, innuit ipsum corpus suum fractioni & morti se spontaneè expositurum. Dominus autem his verbis, hoc est corpus, contulit virtutem, vt ad eorum prolationem panis conuertatur in corpus eius. Alia autem verba, quæ præcedũt, vel sequuntur, in Canone missæ, nõ sunt de substantia sacramẽti, sed ad deuotionem & tanti sacramenti reuerentiam apponuntur. Hoc facite in meam commemorationem, id est, in memoriam passionis & mortis meæ. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicẽs: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hic calix est dedicans nouum testamentum, id est, confirmans euangelicam doctrinam, & promissiones nouæ legis per sanguinem meum, qui testamentum in mortuis confirmatur. Sumitur autem continens pro contento, calix, scilicet, pro sanguine, sub hoc sensu: Hic calix contentum in eo est, meus sanguis dedicans seu confirmans nouum testamentum. Virtute autem horum verborum, vel aliorum eiusdem significationis vinum conuertitur in sanguinem Christi. Ecclesia autem non vtitur hodie hac forma verborum, sed æquipolẽtium horum, scilicet, Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Apostoli enim multa supplenerũt quæ non narrauerunt Euangelistæ. Prædictam autem formam qua vtimur in canone Apostoli, à Domino habuerunt, & Ecclesia ab Apostolis. Diuersitas autem verborum non variat substantiam sacramenti, quibus idem vel æquipollens subest intellectus. Vtitur autem sacerdos his verbis recitatiuè ad conficiendum, non enuntiatiuè. Ad quorum prolationem per ministerium sacerdotis Dominus panem in corpus suum & vinum in sanguinem conuertit, secreta potestate sua, qua mundũ ex nihilo creauit, qua virgam Moysi cõuertit in colubrum: qua cinerem conuertit in vitrum, & aquam putrefactam in vite conuertit in vinum, & vxorem Loth in statuam, & aquam Ægypti in sanguinem. Vnde Eusebius ait: Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis sui & sanguinis verbo suo secreta potestate conuertit. Et iterum: Ad nutum Domini præcipientis repentè ex nihilo subsiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potestate in spiritualibus sacramentis, vbi præcipit virtus, seruit effectus. Et beatus Augustinus ait: Fideliter fatemur ante consecrationem panem esse & vinum quod natura formauit: post consecrationem verò carnem & sanguinem esse, quem benedictio consecrauit. Et quoniam hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ & corporis, sumitur sub duplici specie panis & vini. Caro autem Christi sub specie panis pro salute corporis offertur & sumitur. Sanguis autem sub specie vini pro salute animæ. Teste enim Moyse, anima est in sanguine, id est, sanguis est animæ sedes. Panis autem qui est ex pluribus granis, ad corpus refertur. Vinum autem ad animam, quia vinum operatur sanguinem, qui sedes est animæ. Vt autem Dominus totam humanam naturam, id est, corpus, & animam redimeret, totam humanam naturam assumpsit, id est, corpus & animam. Ad quod significandum sub duplici specie sumitur sacramentum, per quod anima præparatur ad glorificationem, & corpus ad resurrectionem,

*Quod sextum errorem insinuat. De institutione, & modo institutionis.*

*De eo quod Dominus gratias egit, & de forma verborum, quarũ virtute conficitur sacramentum.*

*De virtute verborum & expositione eorum ad quorum prolationẽ panis & vinũ conuertitur in sanguinem.*

*De forma verborum, qua vtitur Ecclesia.*

*Qualiter verbis consecrationis vtatur sacerdos, & de virtute eorum. Exod. 3. Gene. 19. Exod. 7.*

*De duplici specie sacramenti. Leuit. 17.*

*Quod species panis & vini corpori & sanguini Christi assimilatur.*
*Quod prædictæ formæ mystico Christi corpori assimilantur.*
*1. Cor. 10.*
*Ephe. 4.*

rectionem. Sumitur autem sub prædictis speciebus, quia res harum specierum expressam habet similitudinem, cum rebus huius sacramenti. Sicut enim ex multis granis conficitur vnus panis, ita corpus Christi ex pluribus membris componitur. Similiter & vinum ex multis acinis confluit. Forma præterea vini in eo quod rubet, & liquet, similitudinem sanguinis repræsentat. Præterea forma panis & vini mysticum Christi corpus repræsentant. Vnitas enim ecclesiastica ex diuersis personis consistit. Vnde Apostolus: Vnus panis & vnum corpus multi sumus. Fideles enim in horto Ecclesiæ reseruantur: variis tribulationibus triturantur, inter duas molas timoris & spei moluntur: aqua baptismi & lachrymarum conspergunturIgne charitatis decoquuntur, vt vnus panis efficiantur, tenentes vnam fidem, vnam spem, & indiuiduam charitatem. Similiter & verum Christi corpus, quod sub specie panis continetur, manu sancti spiritus in vtero Virginis formatum est, & igne passionis in ara crucis decoctum est, vt esset esui aptum. Sed & vinum, inquantum ex diuersis acinis confluit, vnitatem Ecclesiasticam repræsentat: inquantum autem calet & rubet aut redolet, charitatem Ecclesiæ designat. Sub speciebus igitur panis & vini, corpus & sanguis sumitur, vt per hoc significetur, quod Christo debeāt incorporari, & esse de vnitate Ecclesiæ, & charitatem habere, qui ad tantum sacramentum volunt accedere, alioquin qui aliter accedit, iudicium sibi manducat & bibit. Facta autem transubstantiatione, licèt formæ sensibiles panis & vini remaneant, scilicet, color, sapor, forma, seu rotunditas, figura & quantitas, & alia huiusmodi: substantiæ tamen panis & vini nō remanent. Nisi enim remanerent formæ exteriores, non possemus videre vel palpare Christi corpus quod est glorificatū & subtile. Potuit tamen Dominus corpus suū & sanguinē sub speciebus carnis & sanguinis ministrare & sumēda instituere: sed noluit, multiplici ratione. Primò, vt fides haberet meritū, cui humana ratio nō præberet experimentū, dū aliud ibi cernit oculus, & aliud audit animus. Secūdò, ne abhorreret animus, quod teneret manus & cerneret visus, quia nō habemus in vsu crudā carnem manducare, vel sanguinē humanum bibere. Tertiò, ne nobis infirmis increduli, dicentes: nos manducare carnem & sanguinem hominis mortui. Quartò, vt inūignis absconderent sacramenta, ne margaritas ante porcos proiicerēt: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Quintò, vt sub habitu alieno fidem & charitatem sumentium comprobaret. Pannis enim sacramētorum inuolui voluit, & sub alieno habitu apparere, vt eos qui fide non hęsitante, & charitate non ficta reuerenter & honorificè ipsum susciperent, in gloria patris sui honorificè reciperet. Eos autē, qui quasi sub habitu peregrino ipsum contēnunt, & irreuerenter susciunt, æternaliter puniret. Propterea Apostolus ait in Epistola hodierna: Quicunq; manducauerit panē, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, id est, mortis Christi, pœnas dabit, ac si eum occidisset: vel reus erit, quia de bono malè sumpto maculam trahit. Indignè autem sumit, qui contra significationem mysterij, cùm non sit in vnitate fraternæ charitatis, accedit, & quicunque est in aliquo peccato mortali, vel in voluntate peccandi, qui indeuotè accedit, qui irreuerenter & negligenter reuerenda mysteria pertractat, si irregularis, si excōmunicatus, si degradatus, si caducus, si furiosus, si corpore enormiter vitiosus. Qui autem indignè accedunt sacramētaliter tātum, & non spiritualiter manducāt, sacramentum sumentes, non ipsam rem sacramenti. Et si species sensibiles recipiant, quæ sunt sacramentum corporis Christi, & etiam ipsum Christi corpus, quod est sacramentum vnitatis Ecclesiæ, rem tamen huius sacramenti non recipiunt, quia Christo non incorporantur, nequesunt de vnitate fidelium. Corpus tamen Christi, quod de Virgine sumpsit, tam boni quàm mali recipiunt: sed boni ad profectum, mali autem ad detrimentum suum. Iudas enim corpus Christi recepit, sed ei nō profuit, imò obfuit. Vnde introiuit in eum Sathanas, sicut beatus Ioannes ait: Recepit igitur Christi corpus in ore, sed non in anima vel in corde. Corpus autem Christi mysticum non recepit, quod est vnitas fidelium. Non enim de vnitate Ecclesiæ erat, quis diabolo capiti tanquam membrum ipsius adhærebat. Vnde beatus Augustinus ait: Sancta malis possunt obesse, & mala prosunt bonis, sicut Angelus Sathanæ Paulo. Et iterū ait: Iudas cum ei Christus buccellam tradidit, non malum accipiendo, sed bonū malè accipiendo, locum dedit diabolo. Propterea Dominus in Euangelio ait: Spiritus est qui viuificat, caro autem nō prodest quicquā. Quia caro Christi, si tantū sacramētaliter, & nō spiritualiter comeditur, nō ad salutem, sed ad damnationem sumitur. Alioquin si dignè caro Christi sumitur, multum prodest comedenti. Boni autē econuerso aliquando corpus Christi recipiūt spiritualiter, & nō sacramētaliter, dum Christo per fidē & charitatē incorporantur, & in vnitate Ecclesiæ permanēt. Vnde Dominus in Euangelio: Qui māducat carnem meā, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et beatus Augustinus ait: Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti. Et iterum: Hoc sacramētum pietatis est, signum vnitatis & vinculum charitatis. Qui vult viuere, accedat & credat, & incorporetur. Aliquando autem sacramentaliter & spiritualiter corpus Christi à bonis sumitur, quādo, scilicet, sub forma sacraméti id recipiunt, & Christo per fidem, spem, & charitatem adhærent. Hunc duplicem manducandi modum innuit Dominus, cùm ait: Accipite & manducate, id est, manducate sacramentaliter, scilicet, & spiritualiter. Iudæi autem verba Christi carnaliter intelligentes abierunt retro, dum Christus diceret: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Carnem quippè, vt ait beatus Augustinus; sic intellexerunt, quomodo in cadauere venditur, aut in macello dilaniatur.

*Quod substantia conuertitur formis substantialibus sine subiecto remanentibus.*
*Quare Dominus sub alienis, & non sub propriis speciebus carnem & sanguinem suum sumi voluit.*
*Matth. 7.*
*Isaiæ 6.*
*Iaco. 1.*
*De indignè sumentibus.*
*Quod mali tantum sacramētaliter, boni autē quandoque spiritualiter tantum, quandoque sacramentaliter & spiritualiter.*
*Ioan. 13.*
*2. Cor. 11.*
*Ioan 6.*
*De secūdo modo sumendi.*
*De tertio modo sumendi.*

Et iterum

Et iterum beatus Augustinus ait: Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, neque bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Ipsum quidem & non ipsum. Ipsum inuisibiliter, & non ipsum visibiliter. Corpus enim Christi non in partes diuiditur, vel dentibus laceratur, cùm sit incorruptibile & impassibile. Vnde B. Augustinus: Quando Christus manducatur, reficit, sed non deficit: nec quando manducamus, partes de illo facimus. Fractio autem & diuisio, & consimilia, ad formam referuntur. Forma autem integra existente sub totali forma Christi corpus continetur. Facta autem diuisione, sub qualibet particula, totum intelligitur, continetur & sumitur: sicut speculo in plures partes confracto, in qualibet parte vna resultat imago, & tot apparent imagines, quot sunt partes. Ipso autem integro existente, vna tantum forma resultabat in ipso. Vnde beatus Hieronymus: Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est. Et beatus Hilarius ait: Vbi est pars corporis, ibi est totum, id est, vbi est pars formæ: & posteà subiungit: Eadem est ratio in corpore Domini, quæ est in manna, quod in figura præcesit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus parauerat, habuit minus. Sicut enim eadem anima est in diuersis partibus corporis, & idem verbum totum est in auribus diuersorum. Ita idem corpus Christi totum est, & sub diuersis formis, & in diuersis altaribus. Patet ergo quanta sit differentia huius cibi ad alios cibos. Hoc enim cibo non venter impletur, sed anima reficitur: non est cibus carnis, sed cordis. In aliis cibis quod manducatur, incorporatur: hic cibus manducatus sibi incorporat manducantem, propter quod Apostolus ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Probare enim debet homo seipsum, & diligenter conscientiam suam interrogare, examinando & purgando seipsum: nam si indignè accedat, id est, cum mortalis peccati conscientia, iudicium sibi manducat, id est, ad iudicium condemnationis, non diiudicans, id est, non discernens corpus Domini ab aliis cibis, sed irreuerenter accedens velut ad mensam corporalem. Hic est enim verus panis, qui de cœlo descendit. Panis enim Angelorum factus est cibus hominum. Hic est pinguis panis Aser, præbens delitias Regibus, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem. Hæc est farina viduæ Sareptanæ, quæ quotidie sumitur, nec tamen deficit aut minuitur. Hoc est manna, quod post mare rubrum datur de cœlo filiis Israël, tanquam viaticum in deserto, scilicet, post baptismi ablutionem: quia non nisi loti & purificati, ad tantum sacramentum debemus accedere. Vnde & Dominus post pedum ablutionem, hac nocte sacramentum istud discipulis ministrauit. Hæ sunt carnes, quas dedit Dominus filiis Israël in vespere huius seculi. Vesperè, inquit Dominus, comedetis carnes, & manè saturabimini panibus, illucescente, scilicet, post tenebras, luce gratiæ. Hoc est sacrificium veri Melchisedech, qui panem & vinũ obtulit summo Deo, de quo Moyses ait: Vetustissima veterum comedetis, & nouis superuenientibus, vetera proiicietis. Hoc enim sacrificium in figura præcesit legalia sacrificia, quæ proiecta sunt in nouitate gratiæ. Hoc est conuiuiũ, quod fecit Dominus in monte Ecclesiæ omnibus populis, conuiuiũ, scilicet, pinguiũ medullarũ, & vindemiæ defecatæ, sicut dicit Isa. Propheta: Hic est verus agnus Paschalis, qui cum panibus azymis & lactucis agrestibus comeditur, id est, cum sinceritate cordis & amaritudine cõtritionis. Hæc est esca, de qua Paulus ait: Patres nostri omnes eandẽ escã spiritualem manducauerũt, & omnes eundẽ potũ spiritualem biberunt. Bibebant autẽ de spirituali cõsequente eos petra, petra autem erat Christus. Hic est panis filiorum, quem Dominus canibus dari prohibuit. Panis vitæ, de quo Dominus ait: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Sicut enim mortem nostram sua morte destruxit, ita vitam nostram sua vita confortat & nutrit, vt sicut per gustũ in Adam omnes mortui sumus, ita per gustum in Christo, omnes vitam recuperemus: vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Proposuit igitur nobis Dominus carnem suam in edulium, per cibum humanitatis, inuitans nos ad gustum diuinitatis, vt gustemus & videamus, quoniam suauis est Dominus, qui non solùm humanitate sua nos reficit, dum ipsum in sacramento corporaliter sumimus, sed diuinitate sua mentes nostras impinguat, dum illam puro corde recipimus. Vt enim suam erga nos charitatem ostenderet, & nostram erga se charitatem accenderet, non solùm dedit se in pretium, vt nos redimeret, sed insuper in cibum, vt nos alendo reficeret, & contra crebros casus humanæ fragilitatis subueniret. Creber autem casus crebrum expetit auxilium releuandi. Vnde quia frequenter labimur contra recidiua peccata, & lapsus quotidianos, frequenter ad medicinam recurrere debemus, dum tamen in affectu peccandi non simus. Humana enim fragilitas à bono statu facilem ruinam incurrit, quia de vilissima & fragili materia facti sumus, quæ citò corrumpi potest, & ad malum impelli, & idcirco hostia hæc Deo Patri contra crebros casus, crebris est offerenda mysteriis. Vnde beatus Augustinus ait: Quia quotidie labimur, quotidie pro nobis mysticè immolatur, id est, eius immolatio quotidie repræsentatur. Et Eusebius ait: Quia corpus assumptum, ablaturus erat ab oculis, & illaturus fidetibus, necessum erat, vt in die cœnæ sacramentum nobis sui corporis & sanguinis consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. Non solùm autem pro viuis, sed etiam pro defunctis necessaria est hæc hostia salutaris. Vnde & in celebratione Missæ, forma panis tripharìè, id est, in tres

*Quod diuisa non ad substantiam corporis, sed ad formã refertur.*

*Quod ante diuisionem sub totali forma est totum corpus, facta autem diuisione, est sub qualibet parte.*

*De differẽtia huius cibi ad corporales cibos.*

*Expositio literæ.*

*Gen. 49.*
*Sap. 16.*

*De multiplici figura huius sacramenti.*

*Exod. 16.*
*Ioan. 13.*

*Exod. 16.*
*Gen. 14.*
*Leuit. 26.*

*Isa. 25.*
*Exod. 12.*

*1. Cor. 10.*
*Matth. 15.*
*Ioan. 6.*

*Iterũ de virtute & efficacia huius cibi.*

*1. Cor. 15.*

*Ad quid Dominus hunc tibum nobis tribuerit.*

*Quod contra crebros casus crebris mysteriis offerenda est hostia.*

*Quod hoc sacramentũ non solùm viuis prodest, sed & defunctis, & de trifaria diuisione.*

partes diuiduntur, vt sit hoc sacrificium gratiarũ actio pro saluatis: suffragiũ pro defunctis, qui adhuc in Purgatorio torquẽtur: medicina pro viuis, qui adhuc in mũdi periculis conuersantur.

*De mixtione aquæ cum vino, & quid per aquam significetur.*

Vnde aqua vino in huius sacramenti confectione commiscetur, vt populus Christo sociari designetur. Aqua enim labilis & instabilis genus humanum fluctuans significat. Aquę enim multę populi multi. Aqua tamen non transsubstantiatur, nec est de substantia sacramenti, licèt propter prædictum mysterium & institutionem Ecclesię grauiter delinquat, si quis aquam per oblivionem vel negligentiam non apponat. Sicut sine sacerdotalibus vestimẽtis, qui non sunt de substantia sacramenti, posset quis conficere, multum tamen delinqueret, si in vestibus secularibus conficeret. Quatuor enim sunt de substantia huius sacramenti. Materia, scilicet, panis triticus & vinum, forma verborum, intentio & ordo conficientis. Licèt enim peccatis grauibus sacerdos sit irretitus, nihilominus tamen si conficit, confectum est, dummodo intentionem habeat conficiendi in forma Ecclesiæ. Virtus enim sacramenti nõ dependet ex merito conficientis. Vnde B. Augustinus ait: Intra catholicã Ecclesiã in mysterio corporis & sanguinis Christi, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito cõsecrantis, sed in verbo efficitur creatoris & in virtute spiritus sancti. Hæc sunt verba Augustini, ex quibus manifestũ est, quod virtus sacramenti non euacuatur pro peccatis sacerdotis, neq; promissio Christi, qui ait: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi, inuisibiliter, scilicet, sub specie sacramenti sub alia forma, sed in propria substantia. Hoc est enim veri Eliæ palliũ, quod recedẽs reliquit Eliseo, corpus, scilicet, & sanguinem sacramẽtorum formis inuolutum. Dominus enim hoc pignus dilectionis suæ & memoriale salutis nostræ peregrè proficiscens, nobis relinquere voluit, vt ægrotum letargicum excitaret, ne tantum mortis eius beneficium aliquando oblivioni traderetur, sicut ipse ait: Hoc facite in meam commemorationem. Et Apostolus in præsenti Epistola ait: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Debemus ergo semper habere ante oculos mentis, beneficium nostræ redemptionis. Vnde & Dominus in Exodo præcipit, vt lamina aurea, in qua erat nomen Dei Tetragrãmaton, semper immineret sacerdotis fronti, ob recordationem. Nomen illud dicitur ineffabile, non quia nominari non possit, sed quia continet ineffabile & profundum redemptionis nostræ mysterium. Erant autẽ quatuor literę in lamina sculptæ. Prima literra Iod, id est, principiũ: secunda He, id est, vitæ: tertia Vau, id est, passionis: quarta Heth, quod sonat iste. Et est sensus, Principium vitæ passionis iste, id est, iste cuius typum gerit sacerdos legalis, hoc est, Christus est principium vitæ passionis, id est, per passionem acquisitæ. Vnde Dominus per Isa. Laude mea infrænabo te, ne intereas, id est, memoria passionis meæ, qua triumphaui de diabolo, vt semper laudes me, & mihi gratias referas. Propterea cum clamore magno Dominus spiritum emisit, vt nos ad memoriam passionis suæ excitaret. Et in Leuitico præcipit Dominus, vt sanguis hostiæ fundatur per circuitum altaris, id est, Christi sanguis semper in memoriam in circuitu altaris mentis nostrę. Vnde & frequenter signum crucis fit in canone Missæ. Non solùm enim verbis, sed etiã operibus & signis mortẽ Domini annunciamus donec veniat. Cùm igitur tãta sit virtus & dignitas huius sacramẽti, quas nõ attendebãt Corinthij, sed irreuerenter & indignè, sicut prędictũ est, ad illud accedebãt, Dominus nõ solũ in futuro, sed & in præsenti eos puniebat, vt pœna aliquorũ esset metus omniũ. Vnde & Apostolus ait: Ideo inter vos infirmi multi, & imbecilles, & dormiũt multi. Infirmi, scilicet, febribus & aliis ægritudinibus. Imbecilles, longa inualetudine & languore. Multi dormiũt, id est, morte corporali moriuntur, & hoc fit ad correptionẽ aliorũ. Vnde & in tempore Paschali post susceptionẽ corporis Christi, multi, quia indignè receperunt, vel post receptionẽ peccauerunt, non solùm variis ægritudinibus pluſquã aliis temporibus affliguntur, sed insuper morte subitanea, & aliis mortis generibus moriuntur: sicut legimus de his, qui tempore Pelagij Papæ, cui successit B. Gregorius, peste inguinaria passim Romæ obierunt. Oportet igitur, quod homo seipsum probet & iudicet, diligenter attendendo, ne fortè indignus sit ad tantum accedere sacramentum. Iudicet igitur seipsum, mentis tribunal ascendendo, accusante cogitatione, conscientia testificante, & timore tanquã carnifice torquente, & verè pœnitendo, seipsum puniat, & seueritate pœnitentiæ se exerceat, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino. Habeat compunctionem in corde, rugitum in pectore, singultum in gutture, fletum in oculo, confessionem in ore, satisfactionem in opere. Supponat igitur dorsum suum virgæ crucis Dominicæ, qua percussa est petra, proferens aquas redemptionis nostræ. Qui enim parcit huic virgæ, odit filium suum. Huic ferulæ Christi discipulus manum suam supponat, huius virgæ disciplinæ Christus dorsum suum supposuit, & omnes Martyres sancti. Huius virgæ meliora sunt verbera, quàm fraudulenta oscula inimici. Ab hac virga pater filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum hac virga flagellandum. Hanc etiã virgam tollamus in manu operationis, sicut præcepit Dominus Moysi, dicens: Tolle virgam in manu tua. Hac virga linum mentis nostræ concutiatur, vt in candorem vertatur. Hac virga percutiamur cum Iacob, vt neruus fœmoris nostri marcescat per continentiam. Hoc prelo torcularis Christi vinum separetur ab acino. Hac virga vestes corporis nostri flagellemus, vt reiectis sordibus, & omni vetustate deposita, in nouitate vitæ ambulemus. Hac virga suspensus est diabolus. Hac virga muri Iericho corruerũt, muri, scilicet peccatorũ, quos diabolus erexerat cõtra Deũ. Septẽ Reges terrę promissionis, id est, septem vitia

*Quod ad hoc sacramentum exiguntur quatuor.*

*Quod virtus sacramenti nõ dependet ex merito ministrorum.*

*Matth. 28.*

*4. Reg. 2.*

*Luc. 22.*

*Quod cõficiendum est & sumendum hoc sacramentum in memoria passionis Christi.*

*Exod. 28.*

*De lamina aurea & nomine Tetragrammaton.*

*Isa. 48.*

*Luc. 23.*

*Heb. 5.*

*Leuit. 1.*

*De pœna non solũ spirituali sed & corporali indignè sumentium.*

*Qualiter probare & iudicare nos debeamus antequã ad sacramentũ accedamus.*

*Primus modus.*

*Secundus.*

*Tertius.*

*De virga crucis, qua mediate iudicare nos debemus iudicio punitionis.*

*Exod. 17.*

*Prouerb. 13.*

*De multiplici vsu huius virgæ.*

*Prouer. 27.*

*Rom. 8.*

*Exod. 3.*

*Gen. 32.*

*Rom. 7.*

*Hester. 6.*

*Iosue. 6.*

vitia criminalia peccata in nobis regnantia, huic virgæ cesserunt. Ex hac virga facto flagello, Dominus vendentes & ementes eiecit de templo. Hac virga sepulchra mortuorũ aperta sunt. Hac virga dæmones percussi corruerunt. Hac virga nosmetipsos flagellando iudicemus. Si enim prædicto modo nosmetipsos iudicaremus, non iudicaremur à Domino, id est, prædictis infirmitatibus, vel externa pœna nõ puniremur. Dum iudicamur autẽ à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Ad hoc enim flagellat Deus quosdam ex nostris, vt alij corripiantur & corrigantur, vt non damnemur cum hoc seculo, scilicet, cũ mundanis & reprobis hominibus. Vel ipsi etiam, qui hîc temporaliter à Domino flagellantur, ad hoc puniuntur, vt corrigantur, & non damnentur cum hoc mundo. Hîc secat Dominus, hîc vrit, vt parcat in inferno. Omnem enim filium, quem diligit, flagellat & corripit, vt aurum probatũ & purgatum in præsenti, dignum sit in thesauris cœlestibus collocari.

*Ioan. 2.*

*Expositio literæ.*

*Prouer. 3. Heb. 12.*

## EADEM DIE THEMA SVMPTVM ex Euangelio secundum Ioannem.

*Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* *Ioan. 13.*

LEGIMVS in Euangelio, quod Dominus in cœnaculo magno & strato, id est, ad manducandum parato. Hac nocte cœnauit cum discipulis suis, & eis sermonem prolixum fecit. Et nos in cœnaculo sacræ scripturæ hodie debemus spiritualiter cœnare cũ Domino, vt animæ nostræ verbo Domini reficiantur, & pedes animarũ nostrarũ aquis diuinæ scripturæ purificentur. Aqua enim purificans, refrigerans, irrigans, & fœcundans, est verbum Dei. In alto autem cœnaculo manducamus, cum à terrenis & variis cogitationibus remoti, legem Domini spiritualiter intelligimus, per cuius meditationem in altum spiritus noster eleuatur, dum sursum corda habemus ad Dominum. Hoc cœnaculum grande est, omnia cõprehendens, quæ necessaria sunt ad salutem animarum, & stratum, id est, variis sententiarũ floribus exornatum. In hoc cœnaculo suscitatur filius viduę à vero Eliseo, sicut scriptũ est: Venit hora quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. In hoc cœnaculo super discipulos Christi Spiritus sanctus descendit, dum deuotè conueniunt ad audiendum verbum Dei, sicut super Apostolos in alto cœnaculo montis Sion cõgregatos, Spiritus sanctus in igneis linguis descendit. In altitudine huius cœnaculi vidit Petrus in mentis excessu vas quoddam linteũ descendens de cœlo, quatuor initiis appensum, in quo erant quadrupedia, & serpentia, & volatilia cœli, & dictum est ei: Surge, occide & manduca. Linteum dicitur Ecclesia propter candorem sanctitatis. Quatuor initia, quibus linteum dependebat, quatuor sunt Euangelia: vel quatuor plagæ orbis, quibus extenditur Ecclesia. Quadrupedia sunt homines terrenis adhærentes. Serpentia sunt virulenti & dolosi. Volatilia superbi & elati. Dominus autem ait Petro, & cuilibet Prælato: Surge, scilicet, ad euangelizandum: occide, id est, mundo mortifica, & inquantum mali sunt, occide illos, vt viuant Deo. Macta & manduca, vt hostiam Domino offeras, & in corpus Ecclesiæ traiicias. Prælatus enim in cœnaculo diuinæ scripturæ commorantibus, & in lege Domini meditantibus die ac nocte, præcipitur mactare & Christo incorporare peccatores. Multi autem ad hoc diuinum & eminens cœnaculum ascendere non possunt, pondere terrenorum prægrauati. Multi ad hanc cœnam Domini venire recusant, vel quia vxorem duxerunt, carnis voluptatibus dediti: vel quia villam, quam emerunt, exierunt videre, ambitione & superbia detenti, sicut potentes huius seculi: vel quia quinque iuga boum probare vadunt, terrenis inhærentes & curis huius seculi occupati. Orate igitur Dominum fratres, quatenus in hoc sancto cœnaculo diuinę scripturę, hodie pane cœlesti animas nostras reficiat, & mores bestiales gladio verbi sui in nobis interficiat, mactando & sibi animas incorporando. Ante diem festum Paschæ sancta & venerabilis & gloriosa cœnæ Dominicę solemnitas multiplici præeminet priuilegio dignitatis, multisque profundis insignita mysteriis Domino specialiter nox ista consecratur, quæ est quasi initium Dominicæ passionis. Hac nocte Christi passio inchoata est, propterea horæ diei submissa voce cantantur, quod signum est tristitiæ. Vnde Dominus ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et subtrahitur ab hotis initium & finis, quia ipse, qui est Alpha & Omega, principium & finis, subtractus est nobis. Ab hora igitur vespertina huius diei, qua Iudas exiit & recessit à Christo & Apostolis, vt Iesum traderet, vsq; ad horã nonam sequentis diei, qua spiritum emisit, durauit Christi passio, prolongauerunt enim Iudæi iniquitatem suam. Semper enim ex tunc fuit in afflictione & dolore. Surgens enim à cœna, iuit trans torrentem Cedron, in montem Oliueti, vbi fuit in oratione & in agonia, sanguinem emittens pro sudore: inde proditor osculo tradidit illum, & captus est atque ligatus ab his, qui cum gladiis & fustibus tanquam ad latronem venerãt cõprehendere eum. Ductus est in domũ Annæ primum, vbi negauit eum Petrus, & posteà misit eum Annas ligatum ad Caipham. Tota nocte illa illuserunt ei, & dabant alapas, expuebant in faciem ipsius, & falsos testes contra eum adducentes reum mortis iudicauerunt, & etiam de genis eius pilos auulserunt, sicut prædictum est in Isaia: Genas meas dedi vellentibus. Hac igitur nocte Christi passio inchoata est, sicut præfiguratum erat in lege. Nam secundum legem decimaquarta luna ad vesperam

*Matth. 26. Mar. 14. Act. 12. Ioan. 13.*

*Isa. 50.*



*Marc. 14. Luc. 22.*

*Quod verbum Domini cœnaculo comparatur.*

*4. Reg. 4. Ioan. 5.*

*De multiplici virtute cœnaculi, id est, verbi Dei. Act. 2. Act. 10.*

*De vase, linteo, quod Petrus vidit, & quadrupedibus, serpentibus, & volatilibus.*

*De multi præeminentia huius solemnitatis.*

*De multiplici afflictione Christi.*

immolabatur agnus Paschalis. Hæc autem hora vespertina principium est diei sequentis, nam
*Exod.12.* à vespera vsq; ad vesperam vnũ diem naturalem cõputamus. Et idcirco hæc sancta nox obser-
uabilis est Domino, & solemnis valde, & septem initiatur sacramentorum mysteriis, quæ suos
sortiuntur effectus ex virtute passionis Christi. Hæc est enim solemnitas reconciliationis pœ-
nitentium, nudationis & ablutionis altarium, ablutionis pedum, refectionis pauperum, cõsum-
mationis legalium, inchoationis & confectionis sacramenti corporis & sanguinis Christi, con-
*Primum mysterium de reconciliatione pœnitentium.* fectionis sanctarum vnctionum, scilicet, Chrismatis & Olei sancti, atq; Olei infirmorũ. Hac
igitur nocte recõciliantur peccatores pœnitentes, & sicut præfiguratum fuit in lege in morte
summi Pontificis ad propria reuertuntur. Homicidæ enim & exules, secundũ legis mandatũ in
morte summi Pontificis securè reuertebãtur ad suas ciuitates, & eis iam nõ imputabatur homi-
cidium. Similiter in hac nocte introducuntur in Ecclesiam, qui proiecti fuerunt ab illa in capite
ieiunij. Per passionẽ enim Christi, fit recõciliatio peccatorũ, & amota romphęa introducũtur in
Paradisum, qui eiecti fuerunt pro peccato primorũ parentũ. Vnde & in morte Christi velum
templi scissum est, vt pateret introitus ad sancta sanctorũ. Sicut enim per hominem mors, ita
*1. Cor. 15.* per hominem resurrectio mortuorũ. Vnde Apostolus ad Corinth. Deus erat in Christo mun-
*De medicina passionis & sanguinis Christi.* dum reconcilians sibi, nõ reputans illis peccata ipsorum. Passio enim Christi fuit theriace con-
tra antiqui serpentis venenum, & quasi cretico sudore sanguinis eius liberatus est ægrotus,
*Ozee 4.* qui multum sudauerat & laborauerat, sed nequiuit liberari, donec venit cretica dies passionis
Christi. Sanguis enim sanguinẽ tangit. Sanguis Christi sanguinem peccatorũ abluit. Vnde in
Psalmo: Sicut aqua effusus sum. Aqua enim effusa abluit, irrigat & lapsum pedibus facit. Ita
Christus in morte sua, peccata nostra abluit, mentes nostras ad fructificãdum irrigauit. Lapsum
tamen fecit pedibus reproborum Iudæorum, qui morte ipsius corruerunt. Alij Medici fecant
*Leuit. 14.* & vulnerant ægrotos suos: Iste vulneratus est pro ægrotis suis, dum sanguinem in curatione
*Eccle. 24.* leprosi stillauit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Ego quasi fluuius Dorix, & sicut aqueductus exi-
ui à Paradiso. Dorix interpretatur medicamentum generationis. Hic est Christus, qui totius
humani generis medicamentum extitit, agrum mentis nostræ irrigans sanguine passionis &
aqua lateris. Sanguine calefaciens torpentes, aqua refrigerans flammas vitiorum ardentes.
*Heb. 12.* Vnde Apostolus ad Hebr. Accessistis ad testamenti noui mediatorẽ Iesum, & sanguinis asper-
sionem melius loquentem quàm Abel. Missus est Medicus: quem non cognouit, sed occidit,
ægrotus: venit vt visitaret, occisus est, vt sanaret. Aspersus est autem sanguis Medici, valuit ad
medicamentum ægroti. Melius enim loquitur sanguis Christi, quàm sanguis Abel, quia iste
vindictam, ille gratiam: ille salutem, iste clamat damnationem. Iste persecutoribus vitam &
indulgentiam implorat, Domino dicente: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Ille
iram incitat, & vltionem impetrat, dicente Domino: Maledictus eris, vagus & profugus in-
*Gen. 4.* per terram. Hac nocte nudantur altaria, & asperitate aspersorij cum vino & aqua confrican-
*Secũdum mysterium de nudatione & ablutione altarium.* tur & abluuntur. Altare crucem Christi signat, in qua oblata est vera hostia redemptionis nos-
*Iob 39.* træ, vel significat ipsum Christum, in cuius fide omnia sacrificia debemus offerre, vt in hoc
*Heb. 13.* nido turtur reponat pullos bonorum operum. Vnde Iob de aquila ait: In arduis ponit ni-
dum suum. Et Apostolus: Habemus altare, de quo potestatem non habent edere, qui tabe-
naculo corporis deseruiunt. Hoc altare nudatum est, non solùm à vestibus corporalibus, dum
Christus nudus pependit in cruce, verumetiam à vestibus spiritualibus, dum discipuli eius fu-
*Zach. 13.* gerunt, & ab eo recesserunt, sicut scriptum est: Elongasti à me amicum & proximum, & no-
tos meos à miseria. Percusso enim pastore, oues dispersæ sunt. Vnde ipse ait ad Patrem: Re-
spice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Vnicus fuit, quia vnus solus le-
tro cum eo remansit. Vnde in Psalmo in persona Christi dicitur: Extraneus factus sum fra-
tribus meis, longè fecisti notos meos à me. Decaluatus est igitur in monte Caluariæ, pro-
fluentibus capillis, id est, fugientibus discipulis, qui sibi priùs adhæserunt. Vnde in libro
*4. Reg. 2.* Regum dicebant pueri ad Eliseum: Ascende calue. In Caluaria enim verus Eliseus ascen-
dit crucem, & decaluatus est, amissis discipulis. Posteriores autem capillos habuit, dum Gen-
tes posterius ad fidem vocatas, sibi coniunxit. In resurrectione verò iterum altaria vestiun-
*Ioan. 15.* tur, quia Apostoli ad Christum redierunt. Lauantur autem altaria vino & aqua, quia de
Christi latere sanguis & aqua fluxerunt. Asperitas aspersorij Christi flagella designat, &
*De aspersorio cedrino cum hysopo, & filo coccineo.* asperitates, quas in cruce sustinuit. Quidam autem aspersorio hysopum apponunt, sed etiam si
cedrum apponerent, vbi posset inueniri, non vacaret à mysterio. Nam aspersorium præcepit
Dominus in lege fieri de ligno cedrino & hysopo, & filo coccineo. Per cedrum, imputresci-
*Leuit. 14.* bilem designatur crux Christi: per hysopum, humilitas passionis Christi: per filum coccu-
neum, effusio sanguinis. Hæc omnia valent ad ablutionem altaris cordis humani, in quo
debemus offerre sacrificia nostra, sicut scriptum est: In me sunt Deus vota tua, quæ reddam
laudationes tibi. Vel per hysopum, quia pulmonem purgat, fidem intelligere possumus: per
cedrum, spei altitudinem: per concinum, charitatem. In hac nocte pedes abluuntur, tam
*Tertium mysterium de ablutione pedũ.* propter humilitatis exemplum, quàm propter profundum mysterium. Exemplum enim no-
bis reliquit Magister humilitatis, vt faciamus humiliter humiles, quod humiliter fecit excel-
sus. Solent enim patres vbi vident diem obitus imminere, quædam finalia præcepta arctius
memoriæ filiorum commendare. Vnde & Dominus Apostolis, quasi filiis, finale præceptum
humilitatis

humilitatis reliquit, quam nō ſolùm verbo, verumetiā opere cōprobauit. Paſſurus enim exitia prǽmiſit obſequia. Qui licèt Dominus eſſet & Magiſter, venit miniſtrare non miniſtrari, ſicut ſcriptū eſt, quātò maior es, humilia te in omnibus. Cùm enim ſciret quod omnia dedit ei pater in manus, vt eſſet omniū Dominus, & etiā cùm ſciret ſe à Deo exiiſſe, nō eum deſerēs, & quod ad Deū pergeret, nō nos relinquēs, nō tamē Dei Domini, ſed hominis ſerui impleuit officium, qui etiam pedes proditoris, quem pater tradiderat in manus eius, non dedignatur lauare, cuius animū iam prǽuidebat in ſcelere. Vnde Euāgeliſta, locuturus de tanta Domini humilitate, priùs celſitudinem eius voluit cōmendare, vt non dedigneturfacere ſeruus, quod dignatus eſt facere Dominus. Vnde ipſe ait: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Manu, ſcilicet, vel corde, mente, vel opere. Multum autem prodeſt, non ſolùm corde, ſed etiam manu exterius opera humilitatis exercere. Cùm enim ad pedes fratris corpus inclinatur, in corde ipſo vel excitatur humilitas, vel ſi iam inerat, confirmatur humilitatis affectus. Iſtud prǽterea Dominus facere voluit propter interioris ablutionis myſterium, vt non ſolùm exterius abluamur à peccatis carnalibus, ſed etiam interius pedes affectuum abluamus à vitiis ſpiritualibus. Sicut enim planta pedis ſine reliquo corpore quandoque ſordidatur, ita plerunque mentis cogitatio, priuſquam ipſum opus inquinatur. Multi enim loti ſunt ab operibus prauis, qui tamen loti non ſunt à cogitationibus malis. Vnde neceſſe eſt, vt qui manus lotas habent ab affectu peccati, lauent inſuper pedes ab effectu peccandi. Vnde & Dominus ſanguinem in terra fudit, vt pedum veſtigia à ſordibus terrenis emundaret. Abluit igitur pedes priuſquam traderet illis corporis & ſanguinis ſui ſacramentum, vt oſtenderet quatenus ablutio baptiſmi, & pœnitentiæ prǽcedere debeat ſumptionem Euchariſtiæ, quia non poſſumus bibere calicem Domini cum calice dęmoniorum, quamdiu, ſcilicet, ſumus in peccato mortali. Priùs enim filij Iſraël mare rubrum tranſierunt, & poſteà manna in deſerto receperūt. Vnde & Dominus ait Petro: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Pedes enim animę quandoque lutum contrahunt in via luxuriæ, lapidibus & ſpinis vulnerantur in via auaritiæ, tumorem contrahunt in via ſuperbiæ. Vnde neceſſe eſt pedes abluere, & calceamenta in pedibus habere, aliter enim agnum Paſchalem non debemus manducare. Lauare ergo debemus non ſolum pedes, ſed & manus & caput, & faciem noſtram. Caput, ſcilicet, intentionis noſtræ, faciem conſcientiæ, pedes affectuum, manus operum. Vnde Pilatus manus lauat, ſed cor vel pedes affectuum non abluit, more hypocritarum. Dominus autem pedes voluit lauare, vt oſtenderet exteriorum ablutionem ſine interiori non prodeſſe. Et idcirco Dominus ait diſcipulis quærentibus vbi Paſcha præparare debuiſſent, occurret vobis homo amphorā aquæ portans, ſequimini eum. Vt enim Paſcha dignè celebremus, baiulū aquæ, id eſt, prǽconē gratiæ & doctrinæ ſpiritualis ſequi debemus, vt perfectè ab omni ſorde abluamur. Aqua enim lauacrum gratiæ, amphora perfectā menſurā deſignat. Occurrit autē homo lagenā aquæ portās, vt oſtendatur huius Paſchæ myſterium pro ablutione mundi eſſe celebrandam. Multi autem libentius baiulos & prǽcones vini ſequuntur, quàm baiulos aquæ, contra quos Dominus: Inter pateras & pocula, & commeſſationes, Paſcha celebrare noluit, & baiulum aquæ, non vini ſequi prǽcepit. Fit autem perfecta peccatorum ablutio per ſpiritum ſanctum in aqua baptiſmi, & lachrymarum & ſanguine paſsionis Chriſti. Propter quod Ioannes Apoſtolus ait: Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt. Non ſolùm enim tres qui teſtimonium dant in cœlo, vnum ſunt, ſcilicet, pater qui glorificat, filius qui iuſtificat, & ſpiritus ſanctus qui ſanctificat, ſed inſuper ſpiritus ſanctificationis, ſanguis redemptionis, aqua viuificationis, vnum ſunt, id eſt, ad vnum effectum tendunt. Non redimit ſanguis, niſi quos ſpiritus ſanctificat & aqua purificat, alterum ſine altero eſſe non poteſt. Ceruus autem qui venenum hauſit à primis parentibus, aquæ baiulum ſequatur, & ad aquas quæ de fonte lateris fluxerunt cum deſiderio currat, vt abluatur, & ſitis peccandi in eo extinguatur. Si enim inueteraſti in terra aliena, & coinquinatus es cum mortuis, curras ad fontem lateris, & aqua de latere abluaris & renoueris. Exanguis autem & exanimi color gratiæ ex ſanguine reſtituatur. Propter hoc enim Dominus à cœna ſurrexit, à conſeſſu, ſcilicet, Patris, ad nos de cœleſtibus deſcendit, veſtimenta deponit, dum ſe exinaniens diuinitatis gloriam ſub infirmitate abſcondit. Prǽcingit ſe linteo, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Linteo enim mundiſsimæ carnis ſordes peccatorum abſterſit. Tota enim eius in carne conuerſatio, noſtra fuit purgatio. Dicitur autem prǽcinctus, quia venit miniſtraturus. Aqua in pelui, ablutio eſt baptiſmalis, & gratia ſpiritualis, quę in vaſis ſacramentorū cōtinetur. Per linteū autē propter candorē poſſumus intelligere immortalis & glorificati corporis gloriā. Deponēs enim veſtimenta mortalitatis, aſſumpſit gloriā immortalitatis. Ad literā autē cœna facta, id eſt, parata nō cōſummata, à cœna ſurrexit, & cū prior à Principe Apoſtolorū inchoaſſet, ipſe expaueſcēs ait: Non lauabis mihi pedes in æternū, id eſt, nunquā pedes meos lauabis. Sicut autē Dominus humiliauit ſe ad miniſtrandum, ita ſeruus ex humilitate recuſat ſeruitiū. Dominus autē inſinuās ei myſteriū, ait: Si nō lauero te, non habebis partē mecum. Territus autē Petrus de periculo ſalutis ſuæ, totū offert ſe ad abluendum. Dominus autem apertius oſtendens ablutionis ſacramētum, ait: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mūdus totus, ſcilicet, prǽter pedes. Quantumcunq; enim homo lotus ſit in hac via, à luto & inquinamento mortalium ſemper neceſſe eſt, vt abluantur

*Eccle.3. De Chriſti humilitate.*

*De myſterio ablutionis pedum.*

*1.Cor.11. Exod.14.*

*Exod.16.*

*De multipli ablutione.*

*Luc.22.*

*De his per quæ fit peccatorū ablatio. 1.Ioan.5.*

*Baruch.3.*

*Quid ſignetur per ea, quæ in ſe Chriſtus oſtendit. Philip.2.*

*De ablutione venialium.*

à venialibus pedes affectuum. Propterea quotidie dicimus, orantes: Dimitte nobis debita nostra, vt abluatur puluis, qui etiam adhæsit pedibus Apostolorum. Venialia enim puluis dicuntur, quia facilè excutiuntur, sicut facilè contrahuntur. Et maximè in prædicatione puluis contrahitur vanæ gloriæ. Teste enim beato Gregorio: Plerunque inde inquinantur vestigia loquentium, vnde audientium corda mundantur. Vnde necesse est, vt frequenter lauentur pedes

*Cant. 5.*

euangelizantium. Vnde sponsa in Canticis ait: Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Nam propter temporales sollicitudines, multæ in huiusmodi exterioribus contrahuntur pulueris sordes. Sancti tamen in puluerem suum reuertuntur, infirmitatem suam subtiliter discutientes, & ad radios veri Solis atomos minimorũ peccatorum subtiliter deprehendentes. Vnde

*Iob 7.*

beatus Iob ait: Induta est caro mea putredine & sordibus pulueris. Sicut enim baptismus sacramentum est ablutionis originalis peccati & criminalium, ita pedum ablutio sacramentum est ablutionis venialium, quæ semper necessaria est post baptismum. Licèt enim exemplo Domini baptizati essent Apostoli, quod innuit Dominus, cùm ait: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, puluerem tamen venialium contraxerant post baptismum. Sicut autem in baptismo non tollitur fomes pœnalitatis, sed remanet ad exercitium & humiliationẽ nostram, ita in minoribus, quibus diu carere non possumus, exercemur & humiliamur, agnoscentes infirmitatem nostrã, & diuinã gratiã, cuius virtute & non viribus nostris maiora superauimus, qui minora penitus vincere nõ valemus. Vnde semper oportet pedes affectuũ Domino abluendos offerre, propter quod Dominus ait: Si nõ lauero te, non habebis partem mecũ, quod nõ solùm de mundatione criminalium intelligitur, sed insuper de ablutione pedũ à sordibus venialiũ potest intelligi sub hoc sensu. Si ex contemptu vel præsumptione huiusmodi ablutionem recusaueris,

*De Christi vestimentis, & eorum resumptione.*

non habebis partem mecum. Postquam autem pedes discipulorum lauit, vestimenta sua resumpsit. Impleta enim purgatione per sanguinem, vestimenta corporis, quæ deposuerat secundum mortalitatem, secundum immortalitatem accepit, resurgẽs & ad Patris gloriosam cœnam reuertens. Vestimentum enim corporis eius separatum est ab anima in cruce, quando verus

*Gen. 39.*

Ioseph ad tempus reliquit palliũ in manu meretricis Ægyptiacæ, id est, Synagogæ. De quo ve-

*Isa. 63. Exod. 28.*

stimento dicitur in Isaia: Quare rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Hoc est vestimentum summi Pontificis, in quo fuit linum castitatis, & lana pietatis, hyacinthus cœlestis conuersationis, purpura Regiæ dignitatis, byssus virginitatis, coccus bis tinctus charitatis, aurum sapientiæ cœlestis. Sicut enim lana pretiosior est post tinctura, ita purpura Regis pretiosior extitit post tincturam passionis. Vnde & in Psalmo ait: Conscidisti saccum meũ, & circundedisti me lætitia. Caro enim Christi saccus dicitur, propter

*De sacco humanitatis.*

asperitatem, & etiam cilicium dicitur, secundum illum: Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Hunc saccũ in vtero Virginis spiritus sanctus cõsuit, percussor cõscidit, redemptor pretium effudit. In hoc enim sacco merces pretiosas, & peregrinas nobis attulit, scilicet, veniam delictorum, gratiã meritorũ, & gloriam præmiorũ. Hunc saccum Patris sapientia texuit in conceptione, lauit in Iordane, torsit in passione, deficcatum & glorificatũ resumpsit in resurrectione. Vestimentum etiam dicitur genus humanum, has vestes texuit, quando genus humanum creauit,

*Exod. 28.*

quas in Adam disfuit, sed in cruce, quasi acu passionis suæ resarciuit, quas renouabit in æterna beatitudine. Quod ostendit in monte Thabor, quando resplenduerunt vestimenta eius sicut nix. Fuit igitur harum vestium textor per creationem, resarcitor per recreationem, fullo per glorificationem. Has vestes resumens summus Pontifex infullatus, sancta sanctorum introiuit in ascensionem. Dominus autem priùs fuit indutus populo Iudæorum, sed postea hoc vestimentum exuit, dum Synagogam repulit, & indutus est linteo mundo, id est, Ecclesia de Gentibus congregata. In fine vero prima resumet vestimenta, quando Iudæi ad ipsum reuertentur. Quinquies autem ad literam, Dominus vestimenta deposuit, & quater resumpsit. Pri-

*Quod Dominus quinquies vestimenta deposuit, & qualiter resumpsit.*

mò in cœna, quando pedes discipulorum lauit. Secundò in domo Herodis, quando veste candida induerunt eum, illudentes ei. Tertiò, quando flagellatus est à Pilato. Quartò, quando milites exuẽtes eum, induerunt veste purpurea, & imponẽtes coronã spineã, coram eo genua flectebant, illudendo. Quintò autem vestimenta deposuit iuxtà crucẽ, sed ea postea nõ resumpsit.

*Ioan. 13. Luc. 22. Matth. 27. Mar. 14. Ioan. 19.*

Peruersam enim medietatem, scilicet, Iudæos huius temporis cum omnibus reprobis, ita deposuit, quod nunquam resumet eos ad salutem. Iudæos autem qui post eius passionem pœnituerint, ita deposuit, quod eos postmodũ pœnitẽtes resumpsit. Similiter in fine reliquias Iudæorũ resumpturus est. Gentes autem quas ab initio deposuerat, resumpsit, dum eas per Apostolos ad fidem conuertit. Quotidie etiã in Ecclesia membra putrida per peccatum deponit, quæ quãdo pœnitẽt, resumit: & ita quatuor modis depositio & resumptio vestimentorũ mysticè potest in-

*Alia expositio*

telligi. Sed quoniã nõ habemus expresse, quod fuerit ab Herode nudatus: si dicatur quod quatuor tantum fuerint depositiones vestium Christi. Prima pertinet ad Apostolos, quos in breui resumpsit. Secunda ad eos, qui resumpti sunt in die Pentecostes, & quotidie paulatim resumuntur. Tertia ad reliquias, quæ sumentur in fine. Possunt etiam moraliter referri tres resumptiones ad tres mortuos, quos Dominus suscitauit, quartum autem resuscitare noluit, & ita ipsum non resumpsit. Non solùm autem hac nocte pedes abluuntur, verum etiã pauperes reficiuntur, vt ablutionem aquæ materialis comitetur aquæ spiritualis ablutio. Eleëmosyna enim aqua

*Quartum mysterium de refectione pauperum.*

Dei interpretatur. Non solùm enim per aquam baptismi vel pœnitentiæ, sed insuper per spiritualem

ritualem aquam eleëmosynæ habet fieri ablutio, sicut Dominus ait: Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Exemplo igitur beatæ Magdalenæ post ablutionem pedum Christi, capillos eius extergimus, dum de bonis superabundantibus pauperum necessitatem releuamus, qui Christi pedes dicuntur, quasi exemplum in hoc seculo, & paupertate abiecti. Vel quia veri pauperes Christi, orationibus & merito bonorum operum, Ecclesiam Dei post Deum sustentant, & ipsis mediantibus, Christus ad nos deuehitur, pedes Christi meritò dicuntur. Verè igitur cœnam Dominicam repræsentamus, dum in hac nocte Christum in membris suis reficimus. Hæc autem refectio sacramentum est spiritualis refectionis, qua Christus hac nocte corda discipulorum confortauit, dum ab eis recessurus, in multis eos instruxit, & sermonem suum vsque ad noctem protraxit, vt sicut exterius pedes abluerat aqua visibili, ita intrinsecus mentem eorum mundaret aqua verbi sui. Non solùm enim aquis baptismi & pœnitentiæ, & eleëmosynæ abluuntur pedes animæ, sed insuper mundantur aqua doctrinæ. Vnde Dominus in Euangelio: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Hac nocte Dominus Agnum paschalem manducauit, atque legalibus finem imposuit, vt iam Agnus typicus non immolaretur in figura, sed vero sacrificio pro omnibus immolato cederet vmbra luci, & figura veritati. Postquam enim de fructibus terræ promissionis manducauerunt Hebræi, defecit manna, & nouis superuenientibus vetera proiecerunt. Nouus Rex, noua lex, nouus dux, noua lux, nouis sacramentis innouatus est mundus. Vnde & Dominus in cœna gratias agit de veteribus, scilicet, terminatis & nouis inchoandis, affirmans quod non biberet amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud biberet nouum in regno Patris sui. Vinea Domini fuerũt filij Israël: de hac vinea bibit, quãdiu cęremonialia fieri voluit: post passionẽ verò omnia figuralia innouata sunt, dũ spiritualiter intellecta sunt, & à fidelibus obseruata. Et ita Dominus in regno Ecclesiæ, de huius vitæ genimine nouũ vinum bibit, dum Pascha Mosaicum spiritualiter adimpleri voluit. De his ergo bibere dicitur, dum in eis spiritualiter obseruatis, delectatur. Lucas autem plenius hoc determinat, dicens, quod Dominus ait: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequã patiar. Dico enim vobis quod ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Pascha autẽ typicũ in regno Dei, id est, in Ecclesia impletur, dum spiritualiter intellectum obseruatur: quasi diceret Dominus: Non delectabor in sacrificiis & operibus Iudæorũ, quousq; delecter in eis innouatis, & secundum spiritualem intelligentiam eisdem ritè peractis. Potest autem genimine vitis ipse populus intelligi sub hoc sensu: Non delectabor in gente hac Iudæorũ, donec eos innouatos per fidem post resurrectionem mihi incorporem, vel in fine mundi reliquias assumam, vt sint de regno patris mei. Tunc enim quasi nouum vinum bibit, cùm de salute populi spirituali gratia regenerati & innouati nouo gaudio perfusus est cum discipulis. Vel etiam sub alio sensu, nouum Pascha mãducauit, & de genimine vitis nouo bibit, cùm mortalitate deposita immortalitatem assumpsit, eadem vite secundum substantiam remanente, id est, eadem humanitate, sed per assumptam gloriam innouata, & ita bibit de nouo genimine eiusdem vitis. Ad literam autem postquam agnum Paschalem comedit, & de vino materiali bibit, non manducauit, neque bibit donec cum discipulis post resurrectionem manducauit & bibit, non propter corporis sustentationem, sed vt eis probaret veram resurrectionem, nec cibum illum vel vinum illud incorporauit, vnde nouum, id est, nouo modo bibit. Cùm autem Dominus hæc dixisset, turbatus est spiritu, dicens: Vnus ex vobis tradet me. Conturbatus est Dominus & contristatus miseriæ Iudæ compatiendo. In quo instruit prælatos non debere quantumcunque flagitiosos homines à liminibus Ecclesiæ separare, nisi cum magno dolore & compassione: vnde & multipliciter præmonuit proditorem ad pœnitentiam. Dedit ei officium dispensationis, cõmittendo quod habebat in loculis, vt occupatus circa dispensationem pecunię, mentem suam à venditione Domini sui reuocaret. Pedes etiam eius abluit, cogitationes cordis eius prædixit, comminatus est illi dicens: Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Ad osculum illum recepit, ad mensam cum aliis eum admisit, in eodem catino secum manducare permisit, non solum buccellam intinctam, sed & corpus suum, sicut aliis, illi dedit. Amicũ vocauit: Amice, ad quid venisti? Horrorem sceleris ostendit: Iuda, osculo filium hominis tradis? ipsum tamẽ ex nomine non arguit, ne manifestè correctus impudentior fiat. In hoc etiã nos instruens, quod occulta proximorum crimina non debemus propalare. Cùm igitur ait: Vnus ex vobis tradet me. & iterum: Qui intingit mecũ manũ in catino, hic me tradet. Mittit culpam in numero, vt conscius pœnitentiam agat. Prædicit ei pœnã, vt quem pudor nõ vicerat, denuntiata supplicia coerceãt. Omnes autem Apostoli in paropside Paschalem agnũ comedebant cum succo lactucarũ, forte autẽ aliis cõtristatis, & à cibo manũ retrahentibus, ea impudẽtia, qua magistrũ tradidit, manũ cũ eo in catinũ misit, vt audacia bonã conscientiã metiretur. Alij autẽ cõtristabantur, nõ quia conscij essent huius reatus, sed quia plus credebant Domino quàm sibi. Cùm igitur Dominus ait: Qui intingit mecũ manũ in catino, hic me tradet, manifestius eũ exprimit, quàm suprà, quia latenter notatus nõ resipiscit, nõ tamẽ ex nomine. Potuit autẽ intelligi vsualiter, quod alij intingerẽt, licèt ad tempus manũ retraxissent, sicut dicitur: Iste mãducat mecũ, licèt nõ mittat quolibet momẽto manũ in paropside. Tertiò enim apertius ipsum designauit, cũ ipso Iuda dicẽte: Nunquid ego sum Rabbi? ait Dominus: Tu dixisti, nec sic tamẽ ex nomine expressit illum. Sic enim intelligi potuit.

*Luc 11.*

*De ablutione per verbum Dei.*

*Ioan.15.*
*Exod.15.*
*Quintum mysterium de agno Paschali, et legalium consummatione.*
*Num.33.*
*Leuit.26.*
*Isa.5.*
*Multiplex expositio eius, quod Dominus ait, Amodò non bibam, &c.*
*Luc.22.*

*Alia expositio*

*Tertia expositio.*

*Quarta expositio ad literã.*

*Quod Dominus tenuit bãnus est compatiendo proditori suo.*

*Quod Dominus multipliciter Iudam præmonuit.*

*Quod occulta peccata non sunt propalanda.*

Tu tibi caueas, non ego dixi, sed tu dixisti: non tamẽ enuntiatiuè dixit, sed de hoc mentionem seu sermonem fecit, vel de affectione cordis exponi potest, & insinuat ei Dominus his verbis, quod cogitationes Iudæ Dominum non latebãt. Ac si diceret illi: Ore quidem interrogas, quasi nescius, sed corde ratum habes te esse proditorem. Dominus autem Ioanni quærenti, quis esset, submissa voce respondit: Ille est, cui ego intinctũ panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ. Fortè in succo lactucarũ, vel in vino panẽ intinxit, vt per panis intinctionẽ designaret eius fictionem: vel per offam, quæ ad fundum scyphi ponderositate sua solet descendere, ipsum in infernum descensutum designauit. Non autem, vt quidam putant, tunc corpus Christi Iudas accepit, dicentes Eucharistiam non esse dandam nisi intinctam. Propterea enim interdictum est in Ecclesia, ne Eucharistia intincta daretur, & maximè propter hæreticos, qui dicunt Christum sub duabus esse speciebus, ita quod sub neutra earum. In fine autem cœnæ Dominus dedit Eucharistiã Iudæ cum aliis. Vnde instruimur, quod monendus est occultus peccator, non arcendus. Dicit autem Ioannes, quod post buccellam introiuit in illum Satanas, vt plenius possideret, quem priùs intrauerat, vt deciperet, quia buccella recepta, ingratus erat beneficij Domini sui, cuius commensalis erat, bono malè vtens, locũ maiorem in se dedit diabolo, sicut Propheta prædixerat: Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Non solùm autem propter buccellam intinctam, sed quia corpus Christi indignè sumpsit, diabolus ipsum plenius occupauit. Quod autem Dominus dixit ei: Quod facis, fac citius: vult Dominus illud citò fieri, non tam festinando illius pœnam, quàm fidelium salutem. Apostoli autem putabant, quod Dominus istud diceret, vt aliquid egenis tribuere festinaret. Sic enim Dominus dicere consueuerat, ne pauperes diutius expectarent. In quo instruimur, quod dandis eleemosynis, citò dare debemus, & non protrahere manus angustiato. Finito autem veteri Pascha, quod in commemoratione liberationis populi Israël de Ægypto agebatur, transit ad nouum, quod in memoriam passionis fieri voluit, relinquens eis pignus dilectionis, dum corpus suum & sanguinem illis dedit in edulium. Cùm enim dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, id est, signum dilectionis in fine ostendit eis, non solùm pedes abluendo, sed Sacramentum corporis ministrando. Principaliter autem in cœna illa nos ad tria inuitauit. Ad humilitatem, dum pedes Apostolorum lauit. Ad ædificationem proximi, dum multis sermonibus eos instruxit. Ad charitatem, dum corpus & sanguinem illis dedit. Vel in finem dilexit eos, id est, dilectionem per finem amarissimæ passionis ostendit. Dilexit eos prætereà in finem, id est, in se finem, & in gloriã, quam in fine daturus est sine fine. Dilexit eos in finem, vt pro eis moreretur, in quo exemplum nobis reliquit, vt eum diligamus vsque in finem, in eius dilectione perseuerando, & pro ipso moriendo. Vespere autem discumbens, scilicet, in mundi vespere, vero Sole ad occasum properante, primam Missam suam quasi nouus sacerdos hac nocte celebrauit, & Apostolos suos Presbyteros ordinauit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Vnde & Petrus Sacerdos Euangelicus materiali gladio percutere non debuit, sed tantum spirituali vti, de quo Dominus ait, quod venderent tunicam, & emerent gladium, relinquendo, scilicet, quietem, pro cura & salute animarum. Oportebat autem, vt eos quos Sathanas expetierat cribrare, sicut triticum, corporis & sanguinis sui Sacramento roboraret, & verbo prædicationis confirmaret, vt duplici pane confortati, pane, scilicet, Eucharistiæ, & pane doctrinæ, contra humani generis aduersarium, possent dimicare. Dedit autem eis sacramentum dilectionis & vnitatis, ad pacem & vnitatem eos inuitauit, ac si diceret illis: Vado in regionem longinquam, pacem inter vos habeatis & dilectionem: diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt cùm reuersus fuero, non inueniam aliquam discordiam in familia mea. Infelix autem Iudas, dum pacem obseruare noluit, & sacramẽtum pacis susceptt, vinum nouũ in veteres misit, vnde tanquam vas reprobatum, peccati corruptione inueteratum, suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Gratias autem agens Dominus de redemptione nostra, distribuit discipulis Sacramenta. Proximus autem passioni inter flagella gratias agere voluit, qui pœnam alienæ iniquitatis susceptt, qui nihil dignum passione egit, vt ostendat quàm æquanimiter vnusquisque propriæ culpæ flagella debeat sustinere. Calix enim inebrians quàm præclarus est, quo inebriari debemus, vt inter flagella rideamus. Licèt autem post passionem & resurrectionem suam, quotidie in Ecclesia ineffabiliter integer manens, & à fidelibus comedatur: longè maius hac nocte ostendit miraculum, qui non-dum coctus igne passionis, vt esset esibilis, nec adhuc factus impassibilis & immortalis, tale corpus suum dedit, quale fuit mortale, scilicet, & passibile, manducabatur tamen, & non patiebatur, neque per partes diuidebatur, dentibus atterebatur, non tamẽ lædebatur, sicut adhuc esibilis & corpulentus de vtero matris exiuit, matris tamen virginitatem non abstulit, & adhuc ponderosus, siccis pedibus super aquas ambulauit, non enim deposuit ponderositatem, & assumpsit leuitatem. Eodem modo in cœna non deposuit passibilitatem, neq; impassibilitatem assumpsit, sed quale tunc erat, tale corpus suum dedit. Nunc igitur ad septimum huius sanctæ solennitatis veniamus Sacramentum. In hac enim nocte sanctæ vnctiones consecrantur. Chrisma enim cõficitur. Oleũ sanctũ, id est, oleũ cathecumenorũ, & insuper oleũ infirmorũ sanctificatur, quia nocte ista sanguine Agni paschalis postes & superliminare liniebãtur. Hanc autem linitionẽ sequebatur esus Agni paschalis: vnde & linitio baptismi differtur vsq; in sabbatũ, vt con-

*De intinctione buccellæ.*

*Quod Dominus corpus suum tradidit Iudæ.*

*Ecclc. 4.*
*Sextum mysterium de consecratione sacramenti corporis & sanguinis Christi.*
*De triplici ædificatione Christi.*

*De virtute huius sacramenti.*

*Quod Dominus discipulos ad pacem & dilectionem inuitauit.*

*Act. 1.*
*Qualiter Dominus gratias egerit.*

*Quod Dominus corpus suũ tale dedit, quale fuit mortale & passibile.*
*Matth. 14.*
*Mar 6.*
*Septimũ mysterium de cõsecratione vnctionum.*
*Exod. 12.*

vt continuetur esui agni paschalis. Consecratio autem chrismatis differri non debuit, quia vsque ad baptismum non celebratur missa in diebus istis. In Paraseue enim non immolatur Christus in figura, quia de illo immolatus est in veritate. Quia igitur hac nocte Christi passio inchoatur, ex cuius virtute omnes sacramentales vnctiones suum consequuntur effectum: hac nocte consecratur chrisma, cum oleo infirmorum & oleo cathecumenorum. Fracto autem alabastro corporis Christi in passione, domus Ecclesiæ impleta est ex odore vnguenti, & quia ipse quem vnxit pater oleo lætitiæ præ consortibus suis, brachia in cruce expandit, vt nos amplexaretur: ab ipso inungimur, quia ipsum vnctum amplectimur. Vnctione autem sanguinis & passionis eius infirmi sanantur, dum eis per misericordiam peccata dimittuntur: ecce oleum infirmorum. Virtus diaboli in passione Christi debilitatur, & eius malitia cõprimitur, ne possit impedire gratiam baptismi, ecce oleum cathecumenorum, quo prẹparantur ad susciptendum gratiæ cumulum, & alia spiritualia dona, quæ in baptismo conferuntur, & comprimitur diabolus, ne impediat gratiæ spiritualis effectum. Spirituali enim chrismate inungimur, vt habeamus oleum in serenitate conscientiæ, quo ad nos: & balsamum in odore bonæ famæ, quo ad proximos, vel oleum in pietate & operibus misericordiæ: balsamum autem charitatis in dilectione. Charitas enim vnctio est, de qua dicit beatus Ioannes: Vnctio docebit vos de omnibus, vnctio scilicet, spiritus sancti, balsamum charitatis. Oleo igitur inunguntur infirmi, quia oleum medicando sanat: oleum inunguntur cathecumeni, quia oleum illuminat: & præterea materiã præparando mollificat. Et cathecumeni ante susceptionem baptismi de fide instruuntur ad illuminationem, & præparantur ad gratiam baptismalem. Oleo etiam vis doloris comprimitur, in cathecumenis nequitia doloris compescitur. Oleum aquis commixtum ipsas purificat, & vnctio spiritus sancti aquas baptismales sanctificando purificat. Oleum præterea impinguat & confortat. Baptizati autem confortantur, dum eis gratiæ cumulus confertur. Inunguntur etiam, vt sint pingues sibi, & lenes aliis, huic oleo balsamum miscetur, vt fiat sanctum chrisma. Balsami enim liquor à putredine conseruat, & spiritus sancti gratia per fidem passionis Christi baptizatos custodit à corruptione & fœtore peccati. Hac igitur nocte petra fudit nobis riuos olei, & Samaritanus noster vulneribus nostris vinum infudit & oleum, vt liuor & vulnus & plaga tumens circumligarentur, & effæta oleo medicamine passionis curarentur, vt oleum de capite nostro non deficeret: sed cum Helia lecytho oleo apud viduam occiso sponso sustentaremur, & cum prudentibus virginibus oleo lampades nostras ornaremus. Cum magna autem reuerentia & solemnitate hac nocte sanctæ vnctionis liquores cõsecrantur. Ampulla chrismatis ad altare partim nuda, partim cooperta defertur. Ampulla cũ chrismate, corpus Christi quod assumpsit de virgine plenum omni vnctione spirituali significat. Christus autem, antequam ad altare crucis veniret, partim fuit coopertus, ostendens in se infirmitatem secundum humanitatis naturam, partim discoopertus, dum signa diuinitatis per miracula ostendit. Facta autem benedictione, quando ab altari reportatur nuda & aperta, à prælatis & ministris altaris salutatur, ab aliis vero cooperta. Postquam enim Christus ab arca crucis descendit, & surrexit à mortuis, corporalem præsentiam illis exhibuit, quos testes suæ resurrectionis esse voluit, & posteà rediens in cœlum, nobis factus est inuisibilis. Nos verò quamuis præsentiam eius corporalem non videamus, venerando tamen eum salutamus. Quoniam igitur omnia Christi opera, non solùm facta fuerunt, sed etiam instructionis nostræ signa. Nos fratres charissimi, non in imo viriorum, sed in alto cœnaculo virtutum & sanctæ conuersationis, Pascha cum Domino celebremus in azymis sinceritatis & veritatis, ita quod baiulum aquæ comitem habeamus. Sint igitur aquæ lachrymę compunctionis & deuotionis. Vas aquæ, dolor cordis, baiulus aquæ, timor pœnæ. Sit domus ipse homo, Dominus domus sit ratio. Cœnaculum cœleste desiderium. Discipuli autem sint virtus animi. Præcingamus nos linteo castitatis, sint lumbi nostri præcincti. Nunquam diabolus nos discinctos inueniat per incontinentiam vel ignauiam. Præcingamur insuper exemplo Christi virtute fortitudinis. Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Præcingamur zona iustitiæ, vt sit iustitia cingulum lumborum nostrorum. Princingamur bonis operibus contra diabolum pugnaturi, sicut scriptum est: Præcinxisti me virtute ad bellum. Tollamus calceamenta de pedibus nostris, carnalia, scilicet, opera de affectibus mentis. Ponamus aquam lachrymarum in peluim cordium nostrorum, vt de pedibus nostris puluerem ariditatis, sterilitatis, inconstantiæ, lenitatis abluamus & extergamus. Alter alterius pedes lauemus, inuicem donando, & inuicem pro nobis orando. Depositis vestibus vetustis, nouas resumamus, exuentes veterẽ hominem cum actibus suis, & nouam cõuersationem induentes, vt dignè pascha celebremus. Et quoniam calicem Domini non possumus bibere cum calice dæmoniorum, ira recipiamus sacramentum vnitatis, vt nos inuicem diligamus, & pacem cum omnibus habeamus. Non solùm amicos, verùm etiam inimicos diligamus. Tunc enim ignis ardet in aquis, quando diligimus eum, qui nos odit. Multæ enim aquæ non potuerũt extinguere charitatem. Inungamur autem oleo infirmorum, quod fit quasi de aggrestibus herbis, per quod designatur lex naturalis. Inũgamur oleo sancto, quod fit ex decẽ moralibus præceptis decalogi, per quod designatur lex scripturæ. Inungamur chrismate legis Euãgelicæ, quod fit ex septẽ donis spiritus sancti, vt hanc sanctã cœnã Dominicã dignè celebrãtes, tandẽ æternas epulas in alto cœnaculo beatitudinis ęternę cũ Christo mãducemus. Ipso prẹstãte qui viuit & regnat per infinita secula.

*Quare hac nocte chrisma cũ duplici oleo consecretur.*

*1. Ioan. 1. De virtute & vnctione olei infirmorũ & cathecumenorum.*

*De virtute balsami. Iob 29. Luce 10. Isaie 1. Eccle. 9. 3. Reg. 17. Matth. 25.*

*Mysterium ampullarum.*

*Conclusio & breuis prædictorum recapitulatio. 1. Cor. 5.*

*Quod multipliciter debemus præcingi. Luce 12. Isaie 11.*

*Coloss. 3. Ephe. 4.*

*1. Cor. 10. Rom. 11. Cant. 8. Moraliter de triplici vnctione.*

# FERIA SEXTA PARASCEVES THEMA SVMPTVM DE TRACTV EX Propheta Abacuc. 3.

*Abacuc.3.* *Domine audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua, & expaui.*

SANCTVM & terribile passionis Dominicę & redemptionis nostrę mysterium, vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget. Animalis enim homo non percipit quę Dei sunt. Virtutem autem operum suorum annuntiauit Dominus populo suo, virtutem, scilicet, crucis suæ & redemptionis humanæ, profundum & arcanum consilium suum, & admirabile sacramentum reuelauit paruulis, & abscondit ea sapientibus huius seculi. Puteus enim altus est, & ipsi, in quo haurirent, non habebant. Qui autem humiles fuerint, & paruuli in oculis suis, haustorio humilitatis ex his aquis aliquantulum potuerunt exhaurire, non tamen sine magno timore & grandi admiratione. Quorum vnus, scilicet, Propheta Abacuc, cui Dominus reuelauerat aurem, vt agnosceret, quàm profundæ factæ sint cogitationes Domini, & quam terribilis esset in consiliis super filios hominum exclamauit, dicens: Domine audiui auditum tuum & timui: consideraui opera tua, & expaui. Audiui aure cordis auditum tuæ passionis, & timui præ magnitudine operis, & admiratione tantæ dignationis. Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vnde Ezechiel: Posquam Dominus in figura animalium ostendit ei hoc mysterium, cecidit pronus in faciem suam. In facie enim hominis, agnouit Christi incarnationem: In facie tauri, eius immolationem & passionem: In facie leonis, eius resurrectionem: In facie aquilæ, eius ascensionem. Similiter & Daniël, postquam in viro vestito lineis, & in aliis quæ vidit, intellexit mysterium humanitatis Christi, & reparationis humani generis, ait: Non remansit in me fortitudo, & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Defecit in se vt confortaretur in Christo. Attenuati sunt oculi eius suspicientes in excelso. Humiliatus est & expauit, dum consideravit altitudinem tanti mysterij. Similiter & Abacuc Propheta consideravit opera Dei & expauit, intuens omnipotentem ligandum, immortalem moriturũ, impassibilem passurum, speciosum forma præ filiis hominum non habentem speciem, neque decorem, & tanquã leprosum reputandũ. Vnde Isaias: vt faciat opus suũ, alienũ est opus eius, vt operetur opus suum, peregrinũ est opus eius ab eo. Non solum autem in admiratione tanti mysterij, sed insuper in collatione tanti beneficij expauescũt sancti, ne fortè post tãta beneficia arguantur ingratitudinis, ne de tanto talẽto sibi credito, tantò austerius à Domino iudicẽtur, quantò obnixius totis viribus debuerunt Dominũ diligere, & seipsos crucifigendo crucifixo respondere. Timẽt, ne fortè Dominus improperet eis. Curauimus Babylonẽ, & nõ est curata. Et per Isaiã contra ingratos ait: In vacuũ laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meã cõsumpsi. Mysteriũ autem redemptionis nostræ, licèt difficillimum sit perscrutari, & dignè explicare, multi tamẽ sancti diligenter exquisierunt, quibus pulsantibus aperuit Dominus, vt secundũ consiliũ Petri Apostoli parati essent ad satisfactionem omni poscenti rationẽ, de ea quæ in eis est fide & spe. Cõsiderauit igitur, nõ solũ per inquisitionẽ, sed per experientiã, qualitatẽ ægritudinis & vim morbi, vt per hæc melius virtutẽ medicinę posset agnoscere. Postquã enim primi parẽtes nostri transgressi sunt mãdatũ Domini, tantò magis lęsi sunt & cõfracti, quãtò ab altiori gradu ceciderũt. Et quãtò præceptũ Domini leue facilius potuerunt obseruare, tantò maiori cõtemptu peccauerũt, dum ipsum violauerunt. Vnde B. Augustinus ait: Tantò maiori iniustitia violatum est illud mandatum, quantò faciliori poterat obseruare custodia. Nondum enim voluntati cupiditas resistebat, quæ de pœna transgressionis posteà secuta est. In transgressione autem illa Adam plura simul peccata commisit. Peccauit per inobedientiam, dũ Domino præcipienti nõ acquieuit. Per superbiã, quia in sua potius quàm in Dei potestate dilexit esse. Per sacrilegium, quia nõ credidit Deo. Per homicidium, quia in se mortem præcipitauit. Per spiritualem fornicationẽ, quia integritas mentis eius serpentina persuasione corrupta est. Per furtum vel rapinam, quia cibum vetitum vsurpauit. Per auaritiam, quia plus quàm illi sufficere debuit, appetiuit. Per ingratitudinem, quia maluit Deum offendere, à quo tot bona receperat, quam vxoris voluntati contradicere. Peccauerunt corde primi parentes per malam voluntatem, dum manducare consenserunt. Peccauerunt opere, dum manducauerunt. Peccauerunt ore, dum se excusauerunt. Dum enim de peccatis suis excusationem prætenderunt, malorum suorum aduocari fuerunt. Eleuãdo enim se per superbiam, pudenda nudauerunt, sicut pauo alas eleuando, ostendit posteriora. Et quia se nudos erubuerunt, veluti hericius ne caperentur spinis excusationis defendere se voluerunt. Peccauerunt insuper quolibet sensu corporeo. Auditu peccauerunt, Adam vocem vxoris: Eua vocem serpentis audiendo: Visu, fructum vetitum intuendo: Tactu, palpando & tangendo: Odoratu peccauerunt. Non solùm enim fructus pulcher erat ad videndum, sed & delectabilis ad odorandum. Gustu contra prohibitionem manducando. Peccauerunt præterea à dotibus naturalibus, id est, animæ potentiis abutendo, quæ ad cognoscendum Deum & seruiendum illi sibi collatæ fuerunt. Ratione enim debuit Adã discernere inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ, vt prius per rationem aduerteret, quod posteà cognouit per experientiam.

*1. Cor. 2.* *De profunditate mysterii nostræ redemptionis.* *1. Tim. 3.* *Matth. 11.* *Luc. 10.* *Ioan. 4.*

*De admiratione tanti mysterii.* *Ezech. 1.*

*Dan. 10.*

*Isaiæ 38.*

*Isa. 53.* *Isa. 28.* *Quare pro hoc mysterio sancti expauescunt.* *Iere. 51.* *Isaiæ 49.* *De inquisitione & perscrutatione tanti mysterii.* *1. Pet. 4.* *Quod per vim morbi virtus medicinæ cognoscitur.* *De multiplici incommodo primorum parentum.* *Quod variis peccatis astricti sunt primi parentes.*

*Gene. 3.*

*Quod quinque sensibus peccauerunt.*

*Quod naturalibus potentiis abutendo peccauerunt.*

expetientiam. Intellectu etiam quo debuit contemplari Deum, & in eo super omnia delectari valdè deliquit, dum ipsum ad inferiora reflectens in fructu vetito, & in vxoris voluntate delectari cœpit. Vis concupiscibilis data fuit illi ad appetendum bonum. Vis irascibilis ad detestandum contrarium. Liberum arbitrium ad eligendum bonum, siue ad consentiendum bono, & ad fugiendum malum, siue ad recedendum à malo. Ipse verò bonum cui assentire debuit, repulit, & malo quod appetit, consensit. Et vt generatim dicam cum tot bonis, non solùm naturalibus, sed etiam gratuitis præditus esset, omnibus illis peccauit, vel malè vtèdo, vel eis vti omittendo. Vnde iusto Dei iudicio non solùm spoliatus est gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus, in anima, & corpore, interius, & exterius miserabiliter corruptus. Dominus enim reddidit illi talionem, vt pœna culpæ responderet. Peccauit per inobedientiam, nolens obedire suo superiori. Inflictum est ei in pœnam, vt sua inferiora non obedirent ei. Vnde quia legem Domini transgressus est, continuò sensit aliam legem in membris suis, legi mentis suæ repugnantem. Quia per superbiam peccauit, humiliatus est & deiectus, vt qui erat socius angelorum, fieret socius vermium. Quia verò Deo non credidit, non solùm fidem amisit, sed omnes sensus interiores perdidit. Visum, scilicet, contemplationis, Auditum obedientiæ, Odoratum spei, Gustum charitatis, Tactum spiritualis operationis, habens manum aridam, vt non possit eam extendere, nec operari cibum, qui non perit. Quia verò homicidium spirituale commisit, dum vitam animæ à se repulit, inflictum est animæ eius, quatenus vitam dare non possit corpori, cùm velit. Et quia volens perdidit viuere, perdidit nolens viuificare: dum peccando vitam amisit, & mortem inuenit. Quia verò per spiritualem fornicationem mētis virginitatem amisit, pœnalem corruptionē incurrit. Peccati enim corruptio animā vulnerat & lędit, & vitij corruptionem inducit, quæ etiam post peccatum nō recedit. Sicut autem spiritualis fornicatio separauit inter animam & Deum, ita inflictum est ei vt mors separet corporis & animæ matrimonium. Non potuit diuidi anima à Deo, nisi formicando: nec corpus ab anima, nisi moriēdo. Quid enim congruentius, quàm vt mors operetur mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam? Quia verò per furtum seu rapinam rem vetitam inuito Domino vsurpauit, iusto iudicio permissum est ā Domino, vt seruum alienum, id est, ipsum Adam diabolus vsurparet, & sibi in seruum rapiendo subiiceret. Per auaritiam verò scientiæ, quam vltra modū concupiuit, Deum offendit: Vnde & pœnalem ignorantiam incurrit. Porrò per vitium ingratitudinis de statu libertatis redactus est in conditionem seruitutis: de statu innocentię & felicitatis in statum miserię & doloris. Pro Paradiso commutauit desertum: pro patria, exilium: pro vestimento innocentiæ & felicitatis, vestimentum culpæ & pœnæ. Indutus est enim sicut diploide cōfusione sua. Et quia omnibus sensibus corporeis peccauit, omnē corruptionem incurrit. Vnde & sanies manat per quinque foramina sensuum, & omnia eius membra, quæ sunt instrumenta sensuum, mortua sunt, & totū corpus eius quasi mortuum, seu mortificatum est. Prius enim mortalis fuit Adam, quia potēs mori conditionem naturæ: & immortalis, quia potens nō mori, si non peccasset. Sed & corpus eius, licèt mortale esset, nō erat mortuum, nec corruptum, sed erat simul corruptibile & incorruptibile, quia potens corrumpi conditione naturæ: & potens non corrumpi ex esu ligni vitæ. Post peccatum verò à planta pedis, vsque ad verticem non est inuenta sanitas in eo. Pari modo & omnes animæ ipsius virtutes naturales corruptæ sunt in eo. Cùm enim factus esset ad imaginem Dei secundum naturalia, & ad similitudinem secundum gratuita, amisit gratuita, & vulneratus est in omnibus naturalibus. Vnde obscuratus est intellectus ipsius. Cumque prius limpidam haberet comprehensionem, & scientiam Dei, & creaturarum: minorem tamen, quàm angeli, cùm nōdum frueretur, cecidit in pœnalem ignorantiam, & obscuratum est insipiens cor eius. Similiter & eius ratio obscurata est, vt non sciat plenè discernere inter bonum & malum, verum & falsum: sed frequēter fallatur in iudicando. Pari modo aliæ vires animæ eius, quæ dicuntur concupiscibilis & irascibilis, corruptæ sunt, vt quandoque concupiscibilis appetat malum, quæ data fuerat ei tantum ad appetendum bonum. Et vis irascibilis non detestetur malum, ad quod detestandum fuerat illi collata. Sed & liberum eius arbitrium, quod datum fuerat illi ad consentiendū bono, & fugiendum malum, valde fuit in eo corruptum & depressum. Quia enim maluit facere voluntatem suam, quàm voluntatem Dei, corrupta est potentia volendi, scilicet, liberum arbitrium. Et quia noluit bonum quod potuit, inflictū est ei, vt non possit cùm velit. Vnde Apostolus: Non enim quod volo, hoc ago. Et iterum: Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Velle enim landem est sine gratia, & deprimitur à concupiscentia, ita quod per se potest cadere, sed per se non valet resurgere. Premitur enim & vincitur, nisi per gratiā liberetur. Quia enim peccatum fecit & voluntariè peccauit, factus est seruus peccati retinens voluntatem naturæ, quæ non potest erigi ad bonum, nisi per gratiam adiuuetur. Vnde Apostolus: Nō est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Depressum est igitur liberum arbitrium in Adam per vitium concupiscentiæ, quod contraxit ex inobedientia, quæ concupiscentia originale peccatum appellatur. Ex carnali autem & libidinosa generatione ad omnes eius filios ex illa massa corrupta concupiscentia deriuatur, quæ originale peccatum nuncupatur & fomes peccati, lex membrorum siue languor naturæ, & tyrannus siue lex carnis. Non solùm enim pœnam, sed & meritum pœnæ, id est, peccatum ex Adam contrahunt omnes, qui per concupiscentiam generantur. Ex illa enim

*Quod pœna in primis parentibus respondet culpæ. Rom. 7.*

*Quod Adam sensus interiores amisit. Matth. 22. Marc. 1. Luc. 6. Ioan. 8.*

*De corruptione quinque sensuum & omnium membrorum primorum parentum.*

*Isaiæ 1.*

*De corruptione naturali in Adam.*

*Rom. 1.*

*Rom. 7.*

*Ioan. 8.*

*Rom. 10.*

*De originali peccato.*

enim generatione caro contrahit fœditatem. Cumque anima carni pollutæ infunditur, contrahit pollutionem, sicut vinum corrumpitur, quod dolio corrupto & fœtido infunditur. Arbor enim in ramis amaritudinem seruat, quam ex radice contraxit. Patres enim nostri manducauerunt vuam acerbam, & dentes nostri obstupuerunt. Quod enim ex carne nascitur, caro est. Vnde Apostolus ait: quod omnes in Adam peccauimus. Quia enim in Adam seminaliter fuimus, & per concupiscentiam generati ab eo descendimus, peccatum contraximus, & in eo peccasse dicimur, sicut riuulus in fonte inficitur, & ramus in radice. Illa autem originalis concupiscentia non solum in se pœnam habet, sed & culpam, per quã obnoxij sumus, non solum pœnæ temporali, sed etiam pœnæ æternæ. Omnes enim nascimur filij iræ. Hæc autem obnoxietas reatus appellatur, quo reatu astringuntur pœnæ æternæ, qui cum peccato originali decedunt, vt scilicet, in æternum diuina visione careant. Nullam enim aliam pœnam sustinẽt, qui cum solo originali decedũt. Quia enim in seruitute generati sunt, neque adoptati sunt in filios ad æternum regnum non admittuntur. Seruus enim non manet in domo in æternum. Qui autem actualia peccata voluntariè superaddiderunt, nõ solùm æterna Dei visione priuati sunt, sed insuper cruciatus æternos meruerunt. Quia enim in suo æterno peccauerunt, in æterno Dei puniri meruerunt. Qui enim in peccatis vitam finiunt, quantũ in se est, peccare non desinunt, & idcirco non desinunt cruciari: præsertim cùm ille, quem offendunt, immensus sit, & in infinitum magnus. Quantò autem maior est & dignior, in quem aliquis delinquit, & cui infertur iniuria, tãtò maior est offensa, & iniuriosus maiori dignus est pœna. Cùm ergo sine fine Deus sit magnus, dignum est vt qui in eum delinquit, sine fine puniatur. Sicut igitur filij Adam variis oppressi miseriis ad malum proni, & ad bonum languidi, omnes defluebant in mortem, à plãta pedis vsque ad verticem vlcere pessimo percussi, non solum pœnæ temporali ab vtero materno subiecti, sed insuper triplici morte sunt obnoxij. Quarum vna est spiritualis & voluntaria mors, scilicet, peccati & culpæ. Altera corporalis & necessaria, qua anima separatur à corpore. Tertia verò pœnalis & æterna, qua non solùm homo caret Dei visione, verumetiam æterni cruciatus punitur acerbitate. Videns igitur Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui nihil odit eorum quæ fecit, quòd omnis caro viam suam corrupisset, & omnis cogitatio hominum prona ad malum esset, & declinaret ad interitum, commotus misericordia, & victus charitate suæ, multis nostris præuentus meritis, sed spõtanea voluntate, & gratuita pietate decreuit misero, & miserabili humano generi succurrere, & lapso manum porrigere. Ipse enim sola bonitate sua hominem fecerat, vt beatitudinis eius particeps fieret. Ne igitur suo videretur priuari proposito, si totum genus humanum periisset, placuit ei quatenus ipsum repararet, & ad finem debitum dirigeret. Cùm enim mundum, & omnia quæ in mundo sunt, propter hominem creasset, frustrà facta viderentur, si à perditione homo non liberaretur. Omnia enim in laudem Dei facta sunt. Quomodo autem irrationalia & inanimata Deum laudare possent, nisi per rationalem creaturam. Dicũtur enim laudare Deum, quia per ea materia præstatur homini laudãdi Deum. Nõ autẽ esset speciosa laus in ore peccatorũ, sicut scriptũ est, Nõ mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum. Angelica autem natura non tota periit, sed quibusdam cadentibus multò plures remanserunt. Vnde cadentes irremediabiliter damnati sunt: præsertim, quia fortes erant natura, nec habuerunt causam impulsiuam, & multiplici naturæ dono & gratiæ actori suo propensius obedire tenebantur. Ipsi autem Deum inhonorantes, libero arbitrio abusi sunt, peccantes ex certa malitia & præsumptione. Et quia in spiritum sanctum peccauerunt, nec in hoc seculo, neque in alio remittetur eis. Homo autem aliquam, licèt modicam causam impulsiuam cadendi habuit. Idcirco placuit Deo, vt qui per alium cecidit, per alium erigeretur, & qui incitatorem habuit ad malum, reparatorem haberet ad bonum: maximè, quia ex fragili & vilissima erat materia, secundum corpus, quæ citò corrumpi potest, & ad malum impelli. Vnde à bono statu facilem ruinam incurrit. Præterea Deus decreuerat, vt per hominem ruina suppleretur angelica, & idcirco voluit reparare hominẽ, vt angelicam restauraret ruinam. Vnde & ob hoc principaliter diabolica inuidia exarsit contra hominem, videns ipsum per obedientiæ humilitatem posse ascendere, vnde ipse corruerat per superbiam. Si tamen Deus hominem noluisset reparare, nihil homo contra ipsum meritò posset dicere, neque iustè conqueri de sua damnatione. Ipse enim nihil habebat ex se. Quidquid autem habebat in honorem eius à quo habebat ex debito tenebatur conuertere. Merito igitur corpus & animam amisit, quæ pro re modica Domino auferens, diabolo vendidit, sicut scriptum est: Gratis venundati estis, scilicet, pro re vilissima, imo pro re nulla, quia peccatum nihil est, pro quo seipsos à Domino subtraxerũt, & se sponte diabolo subiecerunt. Iniurioſi igitur Deo extiterunt, qui mandata eius neglexerunt, & se alieno Domino mancipauerunt. Licèt igitur diabolus, quantum ad se iustè teneret hominem, homo tamen iustè tenebatur merito iniquitatis suæ. Diabolus enim nunquam meruit potestatem habere super hominem, quẽ fraudulenter abduxit, sed homo meruit per culpam diaboli pati tyrannidem, quem Dominus post peccatum iustè deseruit, deserendo autem author peccati diabolus Domino permittente, sed non tradente, inuasit. Gratis igitur ex sola pietate Dominus hominem liberauit. Sicut enim ira in indignatione eius, ita & vita in voluntate eius. Filius enim quos vult, viuificat. Non enim de cœlo ad terram merita nostra, sed peccata nostra traxerunt eum. Venit enim filius hominis, quærere & saluũ facere quod perierat.

*Ezech. 18. Rom. 5.*

*Ioan. 8.*

*Quare reprobi æternaliter puniantur.*

*De triplici morte filiorum Adam.*

*Sap. 10. Gene. 6.*

*De redemptione nostra & modo redemptionis.*

*Quare potius homines qui dæmones Dominus redemerit.*

*Quod Deus sponte genus humanum redemit.*

*Isaiæ 52.*

*Ioan 5. Luce 19.*

Venit

Venit medicus ad infirmum: venit viuus ad mortuum, & dū animal mortuum petiit, mortem apud nos inuenit. Posset autem si vellet Deus omnipotens, multis aliis modis hominem liberare. Nam solo verbo de iure posset diabolo præcipere, & ab illo rem suam, quam ei fraude subduxerat & violenter retinebat, repetere, & per solam potentiam diabolum compellere, maluit tamen per iustitiam, & humilitatem rem suam recuperare. Diabolus enim vitio peruersitatis suæ amator est potentiæ & impugnator iustitiæ, in quo homines facilè eum imitantur, proni magis ad appetendam potentiam, quàm iustitiæ humilitatem. Placuit igitur Deo, vt per iustitiam & sapientiam diabolum vinceret, in quibus homo Deum imitari disceret. Vnde & beatus Augustinus ait: Alius fuit modus possibilis Deo, sed nullus alius miserię nostrę sanandę fuit conuenientior. Dicit tamen beatus Ambrosius: quod tantum fuit peccatum, vt saluari non possemus, nisi vnigenitus Dei filius pro nobis moreretur, quod intelligendum est de saluatione redemptionis. Alio enim modo saluare nos potuit, sed non alio modo, neque per aliam hostiam redimere. Cùm enim factus sit homo, vt esset socius Angelorum, & æqualis Angelis Dei, per quem restauret Deus ruinam lapsorum, quomodo tantum damnum vnus Angelus compensaret, vel sufficiens hostia pro omnibus hominibus esset? Præterea quicquid Angelus facere potest, totum debet Deo ex creatione, & gratuitorum collatione. Quomodo igitur alium redimere potest, qui omnia quę habet vel habere potest, pro se ipso soluere debet? Si enim ab aliquo proprium debitum soluatur? non ob hoc alius debitor liberatur. Si igitur Angelus seipsum in redēptionem daret, iam seipsum nō debebat, quomodo ergo tot debitores liberaret. Alia etiam fuit ratio, quare Angelus ad redemptionem nostram missus non fuit, ne homo spem in ipso poneret, & illi tanquam redemptori suo subiectus esset, qui soli Deo subiectus fuerat antequam peccaret. Non esset igitur iusta recompensatio, si seruus restitueretur pro libero. Congruum autem fuit, vt natura humana quæ victa fuerat à diabolo, ipsum reuinceret, & vt frater pro fratre pugnaret. Si igitur creatura mittenda erat ad redemptionem generis humani, homo potius quàm Angelus mitti debuit. Quare enim Angelica natura luerer, quod peccauit humana. Sed nec homo purus vel se, vel alium redimere potuit, cum omnes ex peccato primi parentis debitores essent mortis. Per mortem ergo quam debebat, alium liberare non poterat. Vnde beatus Gregorius ait: Si Christus indebitam mortem non susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Vix enim alicui sua sufficiebat iustitia, nedum aliis omnibus, imò nullus sibi sufficiebat. Omnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Omnes immundi de immundo concepti semine. Necesse est autem, vt habeat manus mundas, qui tergere vult sordes alienas, vel etiam proprias. Quomodo autem homo vincere poterat in infirmitate illum, à quo victus fuerat in integritate & fortitudine sua? Homo enim debilis, vel aliquo membro mutilatus, non est aptus vt sit athleta. Quomodo igitur homo per se poterat superare illum, à quo tenebatur captiuus, & sub cuius potestate erat? Et quoniā mereri propriè quis dicitur, cùm sponte aliquid facit alicui, quod facere non tenetur, nec sibi nec alij homo per se propriè poterat aliquid mereri. Quicquid enim potest facere, solutio debiti est, & se enim & quicquid habet homo, debet. Quia verò secundum dignitatem eius, qui passus est iniuriam, satisfactio debet compensari, & quantò maior est, cui facta est iniuria, tantò maior debet esse satisfactio, patet quòd nec homo, nec angelus sufficienter potuit satisfacere. Sed nec purè Deus satisfacere potuit cùm non habeat maiorem cui satisfaciat, vel apud quem mereri queat. Oportuit igitur quod esset Deus & homo, qui humanum genus redimeret, & pro omnibus satisfaceret, vt quantumlibet sufficiens esset, ad quantūlibet magna peccata delenda, vt secundū diuinitatē actor esset bonæ actionis, sicut Adam author fuit peccati cum diabolo, & secūdum humanitatem haberet maiorem, apud quem mereretur & cui satisfaceret, & insuper vt passibilis esset, vt pœnā satisfactionis sustinere posset, quę peccato respondet. Tanta autem superbia fuit hominis, quod cùm esset homo, voluit esse sicut Deus: & tanta fuit Christi humilitas, quod cùm esset Deus, voluit fieri homo. Cùm enim peccato vnius hominis, quantumlibet magna pœna deberetur, multò fortius pro tot hominum peccatis redemptor noster quantò maiorem pœnam potuit sustinere, voluit. Nec est maior in homine quàm mors, cum verberibus & contumeliis, quæ pro nobis sustinuit Christus. Vnde in persona Christi beatus Iob ait: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Iram enim meruit, nō in se, sed in membris suis, pro quorum peccatis calamitatem mortis sustinuit, quæ præponderant in statera crucis, quia ex infinita charitate illam sustinuit. Hostia enim, quæ fuit Deus & homo, tantum pondus habuit, quod in cruce, quæ statera facta est, corporis prædam tulit à Tartaris, maiorque fuit humilitas passionis Christi, quàm superbia primi parentis. Vnde beatus Ambrosius ait: Decreuerat Deus propter primum peccatum nō intromitti hominem in Paradisum, neq; ad Dei contemplationem admitti, nisi in vno homine tanta existeret humilitas, quę omnibus suis proficere posset: sicut in primo homine tanta fuit superbia, quę omnibus suis nocuit. Non est inuentus inter homines aliquis, qui hæc posset implere, nisi leo de tribu Iuda, qui aperuit librum & soluit signacula, implendo in se omnem iustitiam, id est, consummatissimam humilitatem, qua maior esse non potest. Et paulò pòst ait: Christus homo sufficiens & perfecta fuit hostia, qui multò amplius est humiliatus, amaritudinem mortis gustando, quàm ille Adam superbiit, per esum ligni vetiti noxia delectatione perfruendo. Hæc sunt

*Quod alius fuit modus liberationis nostræ possibilis Deo, sed nullus alius conueniētior.*

*Quod per aliā hostiam genus humanum redimi non potuit.*

*Quod per Angelum homo redimi non potuit.*

*Alia ratio nō fuit missus Angelus ad redemptionē nostram.*

*Quod purus homo genus humanum redimere non potuit.*

*Iob 14.*

*Quod purè Deus pro genere humano satisfacere nō potuit.*

*Quod non nisi per Deum & hominem genus humanū redimi potuit.*

*Quod satisfactio Christi respondet tali pœnæ humani generis.*

*Iob 6.*

*Apoc. 5.*

*Matth. 3.*

verba

verba Ambrosij, quibus ostendit, quod sicut Adam fuit caput perditorum, per superbiam, ita Christus caput redemptorum per humilitatem. Adam enim cùm esset homo, voluit esse sicut Deus per superbiam: & Christus cùm esset Deus, voluit esse homo per humilitatem. Fuit igitur redemptor noster Deus & homo, vt pati posset & peccare non valeret. Mundus enim de munda virgine sine peccatis natus, summus sacerdos, qui nõ est cõtaminatus super patre & matre, quia nõ contraxit vitiũ ex generatione. Vnde B. Augustinus ait: Vt homo vinceret, necesse est vt Deus in eo ſtet, qui eum à peccatis immunẽ faciat. Si enim homo per se esset, vel Angelus in homine facilè peccaret, cùm vtranque naturã per se constet cecidisse. Ideo Dei filius hominem passibilẽ sumpsit, in quo mortẽ gustauit, & à seruitute diaboli, id est, à peccato, & à pœna redemit. Patet igitur ex iam dictis, quod alia hostia non potuit genus humanum redimi, neque per aliũ, nisi per mediatorẽ nostrum Deum & hominem Iesum Christum, qui ex potentia diuinitatis peccata dimittit per gratiã, quã ipse homo nobis pro nobis moriẽdo promeruit. Ex infirmitate autẽ humanitatis mortẽ pro nobis soluit, & à morte debita, morte sua indebita nos absoluit, soluendo debitũ pro nobis. Vnde Petrus in act. Apost. ait: Neq; enim nomẽ est aliud sub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Potuit tamẽ aliter mundus ab omnipotẽte Deo liberari, absq; solutione debiti. Solo enim verbo imperare potuit & peccata dimittere, & mortẽ destruere, sed lõgè cõuenientior miseriæ nostræ fanãdę fuit modus redẽptionis nostrę. Nã & iustè viuendo inter homines, Christus vitã nostrã direxit, & miracula faciẽs nos ad fidẽ illuminauit, doctẽdo verò & prędicãdo ad scientiã & cognitionẽ nos instruxit. Sicut enim sine duplici luce corporaliter videre nõ valemus, & duobus visus corporalis perficitur, scilicet, luce interiore & exteriore, ita Dominus interius lucẽ gratię nobis dedit, & exterius lucẽ exẽpli & doctrinę exhibuit. Moriẽdo verò pro nobis accẽdit in nobis charitatẽ, & corroborauit spem. Quid enim nobis negabit, qui seipsum nobis tribuit. Cũ enim inimici essemus, recõciliati sumus Deo per mortẽ filij eius, vt ait Apost. Si autẽ dedit impiis mortẽ suã, multò magis dabit iustificatis vitã. Credẽtibus autẽ & sperãtibus & diligentibus qui rectè viuunt, & doctrinæ eius acquiescũt, profuit eius passio. Incredulis autẽ & ingratis prodesse nõ debuit, qui cõculcant sub pedibus margaritas: alioquin quę esset iustitia, nisi redderet vnicuiq; secundũ opera sua? Credẽtibus autẽ Christi iustitia imputatur ad vitã, sicut filiis eius inobedientia reputata est ad mortẽ. Sicut enim per vnũ hominẽ mors, ita per vnũ hominẽ vita & resurrectio mortuorũ. Et sicut in Adã omnes moriũtur, ita in Christo omnes qui ex ipso sunt, qui nõ ex sanguinibus neq; ex voluntate carnis, neq; ex volũtate viri, sed ex Deo nati sunt, viuificãtur. Et sicut portauimus imaginẽ terreni Adã, ita per regenerationẽ portamus imaginẽ cœlestis, & secũdi Adã. Vnus peccauit, & oẽs cõdemnati sunt, qui ab ipso per carnis concupiscentiã descenderũt. Vnus satisfecit, & omnes salui facti sunt, qui ab ipso per spiritũ sanctũ regenerati sunt. Cõcupiscentia per Adã diffusa est in mẽbris. Caritas diffusa est per Christũ in cordibus nostris per spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Adeo carnalis generatio omnes inuoluit, quod & generati ex renatis & sanctis hominibus nascuntur filij iræ, quia nõ de sanctitate generãtur, sed de cõcupiscentia. Cęlestis autẽ generatio generatos ex impiis homines cõseruat & iustificat, quia nõ de carne, sed de spiritu sancto generãtur. Ex grano igitur sine palea, id est, ex patre regenerato nascitur granũ cum palea, & ex semine oleę siue oliuæ nascitur oleaster, quia nõ secũdum spiritũ, sed secundum carnẽ fit generatio: ex vetustate, nõ ex nouitate. Ex grano autẽ frumenti, quod cecidit in terrã, nascitur granũ sine palea, quia non secundũ carnẽ fit regeneratio, sed secundũ spiritũ. Sicut enim quod nascitur ex carne, caro est: ita quod nascitur ex spiritu, spiritus est. Non igitur solo verbo voluit Deus impios liberare, qui se diaboli seruituti subiecerant, ne margaritas ante portos videretur proiicere, sed misit mediatorẽ, qui mortem solueret pro omnibus, & merito passionis suæ gratiã & reconciliationẽ promereretur vniuersis: qui tamen illã gratiã non contẽnunt, neq; virtutem passionis in se impediunt. Vnde Apost. ait: In sanguine ipsius iustificati sumus. Et Ioannis Epist. canonica. Sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato, actuali, scilicet, & originali. Non enim nisi loti sanguine Christi ad æternas epulas, & ad cœlestes nuptias debuerunt introduci. Et Apost. ad Colos. ait: Conuiuificauit nos, donans nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, expolians Principatus & Potestates. Chirographũ ad literã scriptũ memoriale, scilicet, literas alicuius pacti, vel constitutionis solent appellare. Hic autem chirographum appellat memoriam transgressionis & culpæ, quæ erat ex decreto, id est: ex lege data hominibus, & maximè ex illa lege & decreto Dei, quo Adę præcepit de ligno scientiæ boni & mali, ne comedas. Huius decreti violati chirographum, id est, memoriam deleuit, quando peccatum primi parentis per sanguinem suum abluit, & omnia alia superãddita in filiis adoptionis deleuit. Illud autem chirographum aduersus nos erat, & contrarium nobis. Nam sententia illa, de qua Deus ait: Quacunque die comedetis, moriemini: cunctis hominibus aduersa erat, & memoria illius transgressionis contra nos erat, accusans conscientias nostras, & insuper per illam diabolus nos accusabat, & quasi cautionem contra nos seruabat. Dominus autem tulit illud de medio, id est, de communi, vt nulli credentium noceret, nec iam diabolus habeat quod obiiciat, affigens illud cruci, vt dum cessat, & destruatur & non viuat contra nos. Quod enim crucifigitur, mortificãtur. Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores antèa à diabolo tenebantur. Ipse enim exspoliando principatus

*Quare modus liberationis nostræ, omnibus aliis modis qui excogitari possent, competentior fuit.*

*Rom. 8.*
*Rom. 6.*

*Quod incredulis & ingratis passio non prodest.*
*Matth. 7.*
*Rom. 2.*
*1. Cor. 15.*

*Quod sicut peccatum Adæ imputatur filiis carnalibus, ita iustitia Christi imputatur filiis spiritualibus.*

*Rom. 11.*

*Ioan. 12.*
*Ioan. 3.*

*Matth. 7.*

*Rom 5.*
*1. Ioan. 1.*

*Coloss. 2.*

*De chirographo mortis & quomodo Christus eum deleuit.*
*Gene. 2.*

*Gene. 2.*

*Quod diabolus culpa sua iustè amisit, quod detinebat.*
*Colo. 2.*

principatus & potestates. Iustus enim exoluendo quod non rapuit, iure, quod amiserat, recepit. Tetendit ei Christus muscipulam crucem suam, & multiformis proditoris ars vt artem falleret, posuit ibi quasi escam sanguinem suum. Ille autem sanguinem fudit, nõ debitoris, per quod recessit à debitoribus. Misit enim manum in eum, in quem nihil iuris habebat, vnde & illos, in quibus aliquid habere videbatur, amisit. Vnde Ieremias ait: Perdix fouit, quæ non peperit, fecit diuitias non cum iudicio, in medio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo erit insipiens. Perdix enim, id est, diabolus, qui assimilatur perdici, quia fouit lacte falsæ promissionis & mundanæ vanitatis eos, quos Deus creauerat. Fecit diuitias, non in iudicio, traxit enim ad se genus humanum iniustè, & ideo in medio dierum suorum dereliquit eas, quas credebat in perpetuum se possessurum. Vnde in nouissimo apparuit insipiens, dum Dominus eum cautè decepit: Contra astutum enim agendum erat per astutiam. Cœpit enim Dominus, sicut dicitur in Iob: Leuiathan hamo, dum ferrum diuinitatis latuit sub esca infirmitatis. Piscator enim fuit Pater: Mare, mundus: Filius, hamus: Esca, caro: Deitas, ferrum: Leuiathan, piscis dum deuorat carnem, vinctus Deitate tenetur. Hoc modo modicum animal, quod dicitur hydrus, quoniam ipsum vult occidere crocodilus, vt non appareat, luto inuoluitur: dum verò in ventrem crocodili recipitur, eius disipans intestina erodit. Ita Christus inuolutus est luto humanitatis & interiora diaboli disrupit. Vnde ipse ait: Infixus sum in limo profundi, & nõ est substantia, id est, non apparuit quod in eo diuinitas subsisteret. Si enim appareret, nũquam diabolus eum inuasisset. Sicut autem manum in luto mittimus, vt annulũ extrahamus: ita fixus est in limo, vt inde genus humanum extraheret. Dum igitur Christus, quæ non rapuit, exoluit: diabolus, quæ rapuerat, amisit. Hæc est iustitia crucis, de qua in libro Sapientiæ dicitur: Benedictum lignum, per quod fit iustitia. Suspensus est enim diabolus in hoc ligno, suspẽsus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochęo. Facta est iustitia de latrone illò pessimo, qui totum mũdum seducebat: hos occultè furabatur, illos apertè rapiebat. Et quoniam actor forum rei sequitur, Christus volens suum fugitiuum repetere, secutus est eum in forum diaboli, cuius potestati se seruus subiecerat, & idcirco de curia diaboli erat. Curia enim diaboli mundus erat: Vnde & Princeps huius mundi, quia in Christo nõ habuit quicquam, & eum detinere voluit, primò per sapientiam & iustitiam, conuictus tandem per potentiam est spoliatus. Venit enim fortior, id est, Christus alligauit fortem vinculis passionis suę. Intrauit in domum fortis, in corda, scilicet, in quibus diabolus habitabat: & vasa, quæ impleuerat, amaritudine sua effuso liquore pessimo, impleuit Christus dulcedine sua. Fraudulentus enim negociator deceperat nos vltra medietatem iusti pretij. Circũuenti fuimus, nã animã preciosam pro vili voluptate dedimus, & ideò nõ solum iure fori, sed etiam iure poli non debuit tenere contractus. Patet igitur quomodo exspoliauit principatus & potestates, vt ait Apostolus: Sed quomodo conuiuificauit nos, videamus. Mortuus erat homo in corpore & anima, & Christus vt vtrunque viuificaret, corpus & animam assumpsit. Mortuus erat homo & corruptus in omnibus membris suis, & Christus in omnibus membris pœnam sustulit, & hominem à triplici morte liberauit. A morte spirituali, à morte corporali, à morte pœnæ æternę, & triplicem nobis vitam restituit, vitam gratiæ, vitam naturę, vitam gloriæ. A morte spirituali, id est, à peccato liberauit nos in sanguine suo, & de peccato damnauit peccatum, sicut Apostolus ait, id est, pro peccato illo, quod diabolus commisit in eum ipsum crucifigendo, damnatum est in nobis peccatum, vt iam nobis non imputetur credentibus in ipsum. Eius enim obediẽtia & iustitia reputatur nobis, in iustificationem & peccatorum remissionem. Liuore enim eius sanati sumus. Propterea Psalmus ait: Verba iniquorum prævaluerunt super nos, id est, dæmonum suggestiones. Et impietatibus nostris tu propitiaberis. Et in Canticis dicitur: Sub arbore suscitaui te. Arbor enim mali lignum crucis est, in quo singularis saporis & odoris fructus pependit. Per arborem illam suscitati fuimus à morte peccati. Verus enim Iob testa, id est, asperitate passionis suæ, saniem peccatorum nostrorum rasit. Positus est enim paxillus in loco fideli, & in eo affixi sunt claui, vt in eis suspenderemus pondera peccatorum nostrorum. Ipse enim peccata nostra tulit in corpore suo super lignum, sicut Isaias dicit. A massa enim perditorum per lignum crucis separati sumus. Viuificati enim sumus per sanguinem eius. Vnde ipse per Psalmistam ait. Similis factus sum pellicano. Hæc auis fertur occidere pullos suos, eosque posteà lugens, seipsam proprio rostro vulnerat, & sic pullos suos occidit, dum ait illis: Quacunque hora comederitis, morte moriemini: quos posteà sanguinis aspersione viuificat. Sic & Christus primos parentes occasionaliter occidit, dum ait illis: Quacunque hora comederitis, morte moriemini: quos posteà sanguinis aspersione viuificauit. Sic igitur liberauit nos Christus à morte spirituali, sed quomodo liberauit à morte corporali? Quis est homo qui viuet & non videbit mortem? Et ipsius Domini exitus mortis fuit. Reuera, omnes moriuntur morte corporali, quæ est pœna peccati, sicut prædixit Dominus, qui non potest mentiri. Quacunque die comederis, morte morieris. Moritur ergo homo corporaliter pro peccato, vt satisfaciat iustitiæ. Mortem autem sanctorum preciosam sequitur gloriosa resurrectio, vt satisfaciat misericordiæ, & tunc in nouissimo die, scilicet, in resurrectione vltima inimica destruetur mors, & tolletur maledictum mortis, pro quo tollendo Christus factus est maledictum, sicut scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Absorpta est enim mors in victoria, scilicet, in victoria Christi. Stimulus autem mortis, id est, peccatum, ex quo est mors, quo nos stimulabat diabolus, penitus destructus est in credentibus.

*Quod crucis muscipula captus est diabolus.*

*Iere. 17.*

*Iob 40. Quod diabolus captus est hamo.*

*De iustitia crucis.*

*Ioan. 14.*

*Luc. 11.*

*Quod diabolus genus humanum circumuenit.*

*Qualiter genus humanũ Christus viuificauit, & à morte triplici liberauit.*

*Qualiter à morte prima liberauit nos, id est, à peccato.*

*Isaiæ 53. 1. Pet. 2.*

*Cant. 8.*

*Iob 2. Isaiæ 62. Isaiæ 63.*

*Gene. 2. Qualiter à morte secũda, scilicet, corporali liberauit nos.*

*Gal. 3. Deut. 21. 1. Cor. 15.*

Mors

Mors autem Christi morte destructa est, id est, timor mortis corporalis Christi morte destructus est. Ipse enim mortem nostram morte sua reddidit securam, dum post mortem expectamus vitam æternam, & tandem glorioſam resurrectionem. Prius autem timore mortis, scilicet, ne morerentur homines huius seculi, obnoxij erant seruituti, vt quælibet facerent ne moreretur. Christo autem mortuo, iam cupiunt dissolui & esse cum eo electi. Vnde Apostolus ad Hebræos: Pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eis, id est, incarnatus est, quia aliter pati non posset, nisi esset similis nobis, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Noluit autem statim mortem tollere, quia sic enervis esset fides credentium, & credetent in Christum magis propter amouēdam mortem temporalem, quàm propter gloriā æternam habendam. Pari modo licèt tollatur originale peccatum in baptiſmo, quantum ad culpam & reatum: remanet tamen fomes, quantum ad pœnam propter agonem, & exercitium. Non igitur pœna tollitur penitus in credentibus, ſed minuitur, & ex parte mitigatur. Nam & fomes in baptiſmo debilitatur, & rigor lenteſcit ille quem dedit natiuitas, & pœnitentia exterior dimittitur. Vnde Propheta ait: Factus ſum ſicut vter in pruina, id est, caro mortalis per gratiam refrigerata. Remanet tamen pœnalitas poſt baptiſmum, quam contraximus à peccatis primorum parentum: in ipſis enim peccauimus omnes, & cecidimus quaſi in lutum, & ſuper lapides, vnde coinquinati fuimus & confracti. A ſordibus autem in baptiſmo Chriſti ſanguine abluimur, à confractione verò non plenè ſanabimur, donec mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile incorruptionem. A morte præterea pœnæ æternæ liberauit nos Dominus morte ſua. Vnde Propheta ait: Veruntamen Deus redimit animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Et per Oſee dicit Dominus: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, & morſus tuus inferne. Et in Actibus Apoſtolorum Petrus de Chriſto ait. Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni. Et Dauid ait: Qui aſcendit ſuper occaſum, mortem ſcilicet, conculcando Dominus nomen illi. Et iterum ait: De abyſſis terræ iterum reduxiſti me, trahendo, ſcilicet, de morte ad vitam, fune Raab coccineo, id est, fide ſanguinis & paſſionis. Multipliciter igitur Dominus liberauit nos, ſcilicet, à diabolo, à peccato, à pœna temporali ex parte, & à timore mortis corporalis, & à morte pœnæ æternæ. A peccato ſeu morte animæ nos liberauit donando vitam gratiæ. A morte verò corporali nos liberauit reparando vitam naturæ. A morte æterna nos eripuit donando vitam gloriæ. Verus Eliſeus ſe totum puero adaptauit, vt totum viuificaret. De quolibet enim ſtatu hominis redemptor noſter aliquid aſſumpſit. De primo ſtatu hominis ante peccatum aſſumpſit immunitatem peccati & innocentiam. De ſtatu ſecundo pœnam, & omnes ferè infirmitates noſtras propter peccatum & ignorantiam. De ſtatu tertio gratiæ plenitudinem. De ſtatu quarto, ſcilicet, gloriæ non poſſe peccare, & perfectam Dei contemplationem. Et quoniam deformatus fuit homo per peccatum, propriè congruebat filio, qui est forma & imago patris carnem aſſumere. Subſtantia enim non perierat, ſed forma. Vnde filius qui est forma & ſimilitudo patris, ipſam debuit reformare. Contra aſtutum autem erat agendum per ſapientiam prudenter, & per prudentiam rationabiliter. Vnde miſſus est filius, qui est ſapientia & prudentia patris, vt ſicut ſerpentis aſtutia mors intrauit, ita Chriſti ſapientia vita rediret, & callidè diabolum callidum deciperet. Occaſione ſapientiæ, quam concupiuit Adam, peccauit, & perditus est mundus. Vnde ſapientia incarnari debuit, vt damnum reſtitueret. Qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur. Et quia occaſione ſapientiæ orta est tempeſtas in mundo, proiectus est verus Ionas in mari, & reddita est tranquillitas mundo. Adam ſapientiam appetiit, patris ſapientia ſeipſam dedit illi & eius filiis. De ligno vitæ, quod est in medio Paradiſi, Adam vidit uere debuit, & lignum vitæ Chriſtus in medio Eccleſiæ ſeipſum exhibuit. Et quoniam Deus ſua ſapientia mundum condidit, ſicut ſcriptum est: Omnia in ſapientia feciſti, per ſapientiam ſuam, id est, per filium ipſum reparare voluit. Conuenientius igitur fuit, quod filius mitteretur, qui est ab alio, quàm pater, qui est à nullo: vel quàm ſpiritus ſanctus, vt qui erat in diuinitate Dei filius, in humanitate fieret filius hominis. Cæmentarius enim potius debet reparare domum, quam conſtruxit, quàm alius. Non potuit igitur conuenientius ab aliquo redimi genus humanum, nec competentiori modo. Nam modus redemptionis valdè competit modo tranſgreſſionis & damnationis, & morbo congruit & adaptatur medicina. Adam in quinque ſenſibus corruptus fuit, & quinque ſenſibus punitus est Chriſtus. Oculus fleuit, & mortis tenebras ſuſtinuit. Auris, opprobria audiuit. Guſtus, amaritudinem fellis & aceti ſenſit. Odoratu punitus est, dum ſputis fœtidis linitus est. Tactu, dum pedibus & manibus & latere confixus est. Emiſit ſanguinem per quinque foramina, vt in piſcina quinque porticus habente ſanguinem infirmus, & recuperaret quinque animæ ſenſus, vt videret homo, quàm pulcher est Dominus: vt odoraret, quàm delectabilis: vt guſtaret, quàm dulcis: vt tangeret, quàm ſuauis: vt audiret ipſum, qui est verbum patris. Mortuus erat homo in omnibus membris, & Dominus in omnibus membris pœnam ſuſtinuit. In capite coronam ſpineam geſtauit. Maxillas dedit percutientibus ſe, & genas vellentibus, faciem ſuam non auertit à conſpuentibus in ſe. Humeris crucem portauit. Manus & brachia in ligno extendit. Dorſum flagellis est cæſum. Latus lancea perforatum. Totum eius inquinatum est veſtimentum. Tunica Ioſeph tota tinctа

*Phil. 1. Heb. 2.*

*Quare non ſtatim Chriſtus mortem temporalem deſtruxit.*

*De originali peccato quod tollitur quo ad culpam & remanet quo ad pœnam.*

*Quod à tertia morte pœnæ æternæ Chriſtus nos liberauit.*

*Recapitulatio, de multiplici liberatione.*

*Quod de quolibet ſtatu hominis aliquid Chriſtus aſſumpſit.*

*Heb. 1.*

*Sap. 2.*

*Quare potius filius Dei incarnatus eſt, quam alia perſona.*

*Ionæ 2. Gene. 2. Apoc. 2.*

*Quod modus redemptionis morbo noſtro congruebat.*

*Ioan 5.*

*Iſaiæ 50. Qualiter in omnibus membris punitus eſt Chriſtus. Iſaiæ 63.*

tincta est sanguine passionis. In omnibus membris passus est, vt omnia membra repararet. Omne caput languidum erat per superbiam, & omne cor mœrens per auaritiam, à planta pedis vsque ad verticem, non inueniebatur sanitas per luxuriam. Ipse autem à planta pedis vsque ad verticem dolores sustinuit, totum se morti exposuit, vt totum sanaret. Adam voluntariè peccauit, & ipse voluntariè mortem sustinuit. Infixus est Adam in limo peccati, & Christus in limo profundi infixus est in carne, in cruce, infixus est in inferno, vbi non est substantia, vt inde hominem extraheret, qui fuerat substantia in paradiso, vanitas in mundo, vanitas vanitatum in inferno. Adam peccauit in ligno delectabili, & Dominus satisfecit in ligno pœnali. Adam voluit esse vt Deus, & similis Deo: & Christus factus est, similis homini, & habitu inuentus vt homo: formata muliere, de viro perditus est mundus: nato Christo de muliere, est redemptus. Per mulierem damnatio: per mulierem saluatio. Per malum Angelum annuntiatio damnationis: per bonum Angelum, annunciatio salutis. Adam caput perditorum: Christus caput saluandorum. Per peccatum Adæ ianua paradisi clausa est, per apertionem lateris Christi aperta est. De latere Adá, ex quo formata est mulier, processit mors. De latere Christi vita, sanguis, scilicet, redemptionis, & aqua ablutionis. Adam corde peccauit per malam voluntatem, & Christus corde passus est per dolorem. Adam spoliatus est veste immortalitatis, & Christus iuxta crucem nudatus est vestibus suis, & in cruce veste corporis, quando verus Ioseph reliquit pallium suum in manu meretricis Ægyptiacę, id est, synagogæ. Adam ad fructum manus extendit, & Christus manus suas expandit in cruce. Adam pedibus & manibus mortem sibi accersiuit, & Christus pedibus & manibus satisfaciens vitam reddidit. Adam feria sexta peccauit, & Christus feria sexta satisfecit. Mense Martio conditus est mundus & perditus, eodē mense est à Christo reparatus. Adam circa horam sextam peccauit. Audiuit enim statim post peccatum vocem Domini deambulantis post meridiem in Paradiso. Et Christus hora sexta crucifixus est. Adam hora nona eiectus est de paradiso: & Christus eadem hora mortuus, latronem introduxit in Paradisum. Eiectus est Adam de Paradiso: & Iudæi Christum extra ciuitatem vt crucifigerent, eiecerunt. Adam caput contra Deum superbè extulit: & Christus caput in cruce per humilitatem inclinauit. Adam peccauit per superbiam & inobedientiam. Christus satisfecit per humilitatem & obedientiam. Adam peccauit per auaritiam supra modum, concupiscens sapientiam: Christus satisfecit per largitatem, seipsum nobis tribuens. Adam peccauit per carnalem delectationem, scilicet, per gulam: Christus satisfecit per carnis asperitatē & abstinentiam. Et quia his tribus modis diabolus illusit primis parentibus, Christo factæ sunt tres illusiones, in domo Pontificis, coram Herode, & ante Pilatum. Vnde Ecclesia ter flectit genua ei hodie, dicendo: Agyos ὁ Theos, Agyos Ischiros, Agyos Athanatos, Adam filios suos interimit: Christus filios suos suscitauit. Adam scripsit chirographum transgressionis: Christus sanguine suo id deleuit. Terra Adæ maledicta, spinas & tribulos germinauit: Terra Christi benedicta, fructum centesimum protulit. Adam in consilio impiorum abiit, scilicet, serpentis & mulieris, & inter impios impius reputatus est: CHRISTVS autem impiorum consiliis contradixit, & inter iniquos deputatus. Vnde & Propheta: In medio duorum animalium innotescēris, id est, duorum latronum, vel Iudæi & Gētilis, populi mediator eorum eris. Quid igitur hac redemptione oportunius excogitari potuit? quid hac harmonia suauius? quid hoc mysterio profundius vel admirabilius? Hoc est quod admirabatur Propheta, timens & expauescens, quod se tantum humiliare vellet, qui nos solo verbo liberare potuisset ab initio, si voluisset. Sed quare tantum distulit? In medio enim annorum opus suum viuificauit & genus humanum redemit? Sicut idem Propheta ait: Domine opus tuum in medio annorum, vitifica illud, vt medium appelletur, quod est inter principium & finem mundi. Quod autem gratis fecit ex sola voluntate, quia nullo tempore tenebatur facere, quando voluit, fecit, nec tamen sine ratione. Si enim penitus ignari essent homines, & non prædocti, non facilè recepissent eum, & non nisi prius de naturali, & scripta lege essent conuicti, paruipenderent Christi aduentum. Gratior est enim liberatio, cùm iam ferè perdita, quasi ab initio liberetur, & magis apparet medicinæ virtus, cum laborans in extremis per eam sanatur. Omnia enim fecit Deus ordinatè in pondere, in numero & mensura. Vnde ipse dicit: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Quasi enim gradatim post peccatum primi parentis, genus humanum reducendum fuit ad suum principium, vt primo quasi radicaret in patre, secundo germinaret in filio, tertio fructus dulcedinem experiretur in spiritu sancto. Pater plantauit vineam creando, hoc enim euidentius spectat ad potentiam, licèt indiuisa sint opera trinitatis. Filius excoluit recreando. Spiritus sanctus vindemiat, vino nos inebriando. Pater aduersus diabolum proposuit ab initio. Filius assumpsit in vtero, & concluſit in patibulo. In spiritu sancto gaudemus tantæ victoriæ triumpho.

Gene. 3. Isa. 1. Eccle. 1. Phil. 2. Gene. 2. Ioan. 19. Gene. 3. Luc. 23. Ioan. 19. De triplici illusione. Colo. 2. Gene. 3. Matth. 13. Luc. 2. Isaie. 53. Quærebat tum distulerit Christus manus dū redimeret. Sap. 11. Ioan 5.

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM de Lectione Exodi.

*Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.* Exod. 12.

*De dignitate mensis in quo redempti sumus.*

MENSE Martio mundus creatus est, & eodem mense redemptus. Octauo enim calendas Aprilis cōceptus est Christus, & eodē passus, luna existente decimaquinta. Et quoniam lunatio illa terminata est in Aprili, reperitur multoties in scripturis, quod mense Aprili passus est Dominus, id est, lunatione Aprilis. Lunatio enim eius mensis dicitur in quo terminatur. Competenter igitur in lunatione Aprilis passus est Dominus, qui dicitur Nisan apud Hebræos. Dicitur enim mensis nouorum, quia tunc innouatur terra, & producit nouos flores, & nouos fructus, maximè in calidis regionibus. Et per Christi passionem innouatus est mundus, & terra nostra dedit fructum suum. Dicitur præterea Aprilis, quasi aperilis, quia tunc quasi post hyemem aperitur terra. Et Dominus illius mensis lunatione ianuas misericordiæ suæ, & Paradisi portas nobis aperuit. Et quoniam illo mense liberatus est populus Israël ab Angelo exterminatore, qui primogenita Ægyptiorum interemit. Et mense illo exiit de Ægypto, & transiit mare rubrum. Et eodem mense genus humanum redemit, meritò primus habetur & præcipuus in mensibus anni. Non solùm quantum ad ordinem, sed insuper quantum ad dignitatem & præeminentiam, quoniam inter omnia beneficia, quæ Dominus humano generi contulit, præcipuum fuit, quod per sanguinem passionis suæ mundum redemit. Quanto enim humiliora pro nobis passus est Christus, tantò magis honorauit nos, & tantò illi plus astricti sumus. Vnde tempus redemptionis nostræ mensem fertilitatis & innouationis nostræ, annum benignitatis & gratiæ debemus venerari & solemnem habere. Si enim ciconia aduentus sui tempus cognoscit & obseruat, quæ toto tempore brumali in fundis fluuiorum habitat, & imminente Veris tempore emergit, & nos hoc tempore Veris & gratiæ debemus ab imis ad alta subleuari. Priùs enim misericordia Domini, quasi concludebatur in cœlo, & parum inde stillabat in terra, sicut scriptum est: Domine, in cœlo misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. Hoc autem tempore gratiæ expandens alas suas in cruce, assumpsit nos, & portauit in humeris suis. Hircus enim emissarius peccata nostra tulit. Vnde ipse Dominus comparat se gallinæ, eò quòd nulla auis adeò pullos diligit: maceratur, vocem mutat, fit hirsuta, opponit se miluo, expandit alas suas, in nido calefaciens pullos. Et ideò mensis iste redemptionis nostræ primus esse debet & principalis in corde nostro. Isti enim sunt dies, quos obseruare debemus obseruantia reuerentiæ, vt ab omni turpitudine nobis caueamus: & obseruantia diligentiæ, vt cum maiori studio Christi passionem recolamus, diuinis officiis intendendo, & quasi fasciculum myrrhæ, omnia quæ Christus passus est pro nobis inter vbera nostra, id est, in corde astringendo, & credendo post odorem tantorum beneficiorum, vt more canis venatici, inclinato capite per humilitatē, odoratu discretionis Christi vestigia sequamur. Ecōtrà autē porcus glandes māducat, sed nunquā ad quercū, vnde tantū habet beneficij, oculos leuat, sed magis radicem eius fœdat. Similiter & inimici crucis Christi Deo ingrati existunt, & velut noctuæ tantę gratię lumen nequeunt intueri, sed de nocte volant, & in tenebris ambulant. Volant, sed nō super pennas ventorū, neque in cœlum, quia non est ascendere in cœlum sine pennis crucis. Vnde Prophera ait: Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, id est, in pennis crucis. In signum autem & figuram passionis Christi, præcepit Dominus filiis Israël, quatenus decima die mensis huius tolleret vnusquisq; per familias suas agnū vel hœdum, & seruaret vsq; ad quartādecimam diē mensis, & tunc ad vesperam ipsum immolaret. Christus enim in vespera mundi passus est in plenilunio, luna simplicissima, id est, in ætate perfecta. Peractis enim sex lustris, id est, sex quinquenniis, & impleto tempore corporis, quia vsq; ad triginta annos corpus crescit, & ampliatur: in meliori ętate seipsum obtulit, vt magis ad charitatem suam nos incitaret, die decima sumebatur, & seruabatur agnus in domibus, & Iudæi cum ramis palmarum, vsque ad vesperam quintæ feriæ, luna decima quarta obseruabant eum, & de morte eius tractabant, iuxta illud: Qui custodiebant animam meam, cōsilium fecerunt in vnum. In quo significatum est, quod post perfectionem decalogi, passionis suæ sacramenta compleuit. Agnus assus: Christus passus. Luna decima quarta, quia passio eius in lege figurata est, quæ per denarium numerum intelligitur propter decalogum, & in lege Euangelij consummatio est, quæ per quaternarium designatur, propter quatuor Euangelia. Nec possumus dignè Pascha celebrare, & ad tātum sacramentum accedere, nisi per obseruationem decalogi, & quatuor Euangeliorum. Erat autem agnus paschalis absque macula, masculus anniculus. Sine macula fuit Christus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Butyrum enim comedit sine caseo, quia naturam humanam assumpsit sine peccato. Masculus, nihil habens fœminæ fragilitatis. Anniculus, quia in perfecta charitate immolatus. Fuit autem Christus agnus per innocentiam & simplicitatem absque macula, per munditiam, masculus per virtutem & fortitudinem, anniculus per virtutum perfectionem & consummationem. Per hœdum etiam signatur Christus, quia ex peccatoribus procreatus propter similitudinem carnis peccati. Dicitur autem quod immolabit agnum vel hœdum, vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam, quia Christus in vespera mundi, à multitudine dæorum immolatus est, sicut scriptum est: Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me multi insurgunt aduersum me. Vespere enim mundi fuit rubeum cœlum, vnde nobis fuit serenitatis & reconsiliationis spes. Sed rursus mane nascentis Ecclesiæ fuit rubeum cœlum sanguine martyrum, quod fuit signum tempestatis. Nā si in viridi hoc permisit fieri Deus, in sicco quid

*De obseruatione & veneratione horum dierum. Exod. 12. Cant. 1.*

*De ingratitudine non recolentium Christi passionem. Philip. 3.*

*Mal. 3.*

*Mysterium obseruationis anni à decimo die mensis vsque ad decimum.*

*Quare in ætate triginta annorum passus est Christus.*

*Mysteriū numeri assignatur.*

*Moralis expositio de proprietatibus agni Paschalis.*

*De hœdo paschali & de immolatione agni ad vesperam.*

*De vespera mundi. Matth. 16.*

*De duplici sacrificio Christi & Martyrum eius.*

quid fiet? In significatione huius duplicis sacrificij præcepit Dominus in consecratione sacerdotis duos arietes immolari, quorum vnus, per quem Christus signatur, totus offerebatur, quia omnia Christi opera nobis fuerunt meritoria, opera etiam infirmitatis. Nam infirmitates nostras ipse voluntariè assumpsit. Alius autē non offerebatur totus, quia opera infirmitatis vel necessitatis nō sunt meritoria in sanctis. Super caput autē primi arietis Aarō & filij eius manus ponebāt. De genere sacerdotali fuerunt Annas & Caiphas, qui Christum morti tradiderunt. Vnde Aarō & filij eius, & vestimēta eorum sanguine aspergebātur, iuxta illud: Sāguis eius super nos & super filios nostros. Similiter & super caput vituli oblati pro peccato vniuersitatis seniores populi manus ponebant, quia seniores, cum Scribis & Sacerdotibus Christum crucifixerunt. Vineam enim quam Dominus plantauerat in terram bonam, transplantauit diabolus in terram malam: vnde conuersa est in amaritudinem. Voluit autem Dominus in die festo coram multitudine crucifigi, & multis videntibus, vt quantò maiorem pro nobis sustineret verecundiam, tantò magis ad eius dilectionem accenderet credituros. Sicut autem auis ad palum ligatur, vt ad eam aliæ concurrentes capiantur, sic Christus in publico palo crucis ligari voluit, vt multos ad se traheret, & omnibus se imitabilem præberet. De sanguine autem agni præcepit Dominus vtrumque postem domorum cum superliminari liniri. Postes domus locutio & actio, per quæ patet introitus, vt videantur interiora domus, vel duo postes corpus & anima. Sanguine enim Christi debemus muniri contra exterminatorem angelum, id est, diabolum, tam in anima, quàm in corpore. Superliminare autem domus intentio est, quæ præminet actioni, quam debemus dirigere ad imitationem passionis Christi, vel in superliminari sanguinem ponimus, dum crucem passionis illius in fronte portamus, ne crucifixum erubescamus. Sanguis enim ponebatur in limine, quia CHRISTVS fuit nobis ianua vitæ.

*Lac.23.*
*Exod.29. Leuit.8.*
*Quod præfiguratum est in lege Christum à Iudæis crucifigendum esse. Matth.27.*
*Leuit.4. Isa.5. Ierem.2.*
*Quare coram multis Dominus voluit crucifigi.*
*Quare sanguine agni postes & superliminare liniebantur.*

Omnia autem in lege per sanguinem purgabantur. Vnde postquam Moyses audienti populo legit mandata Domini aspersit vniuersum populum sanguine, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum. Per aspersionem enim sanguinis CHRISTI & obseruantiam mandatorum, sanctificatum est genus humanum. Similiter in sacrificio, quod fiebat pro peccato populi, præcepit Dominus in Leuitico: vt velum templi septies sanguine aspergatur, & quatuor cornua altaris intingantur. Sanguine enim Christi tincta est caro eius, per velum quod signatur: quia in humanitate sua mediator fuit inter nos & Deum, quæ tincta est in sanguine passionis, & etiā quatuor cornua altaris crucis, ad emundationem nostrā, & per spiritum septiformem. Vnde Petrus Apostolus ait: Nō corruptibilibus auro vel argento redēpti estis de vana conuersatione vestra, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati & immaculati. Fasciculum autem hysopi sanguine tingimus, cum humilitatis opera ad imitationem passionis Christi facimus. Præcepit præterea Dominus, vt comederent carnes agni paschalis nocte illa assas igne, nō crudas neq; aqua coctas. Quare prohibuit carnes crudas comedi, nisi propter mysterium? cùm non haberent in vsu crudas carnes manducare. Fortè autem ad literam carnes crudas, id est, semicoctas edere prohibuit. Mysticè autem nocte agnum comedimus, dum in sacramento Dominicum corpus accipimus, in hac præsenti vita, dum adhuc inuicem conscientias nostras non videmns. Carnes agni igne assatæ sunt, quia caro Christi cruce assata est igne passionis, vt esset esui apta. Ignis carnes assas corroborat, aqua dissoluit. Ignis autem passionis corpus Christi corroborauit, & fortius reddidit ad incorruptionem. Vnde in Psal. dicitur: Aruit tanquam testa virtus mea, quæ, scilicet, ad ignem roboratur & solidatur. Igne etiam charitatis, quasi assatus fuit Christus in ara crucis. Hic est ignis de quo præcipitur in lege, quod semper ardeat in altari. Vnde pater ad filium in Ezechiel. dicit ad virum, scilicet indutum lineis: Ingredere in medio rotarū, quę sunt subtus Cherubin, id est, imple, quæ in scripturis dicta sunt de te: & imple manum tuā prunis ignis, id est, in manibus tuis ostende feruorē charitatis. Quod sit dum pro nobis manus clauis habuit perforatas. Et effunde super ciuitatē, id est, super Ecclesiā, vt accendātur corda hominum, igne dilectionis passionē tuā recolendo. Hic autē ignis humorē sensualitatis in nobis debet exsiccare, & ligna cupiditatis cōsumere. Obtulit enim summus Pontifex noster sacrificium Deo patri pro nobis in cruce, habens charitatem pro igne, coronam spineam pro mitra, arundinem pro baculo pastorali, sanguinis liquorem pro vnctione, tituli inscriptionem pro lamina. Dominus autem vt ignem in nobis ardere faceret, fecit quasi cōflatorium ex pelle humanitatis & asseribus crucis. Vnde Ieremias ait: Fruſtra suffiauit cōflator, scilicet, quātum ad illos, qui non sunt accensi igne passionis Christi. Vnde verus Isaac ad patrem ait: Pater, ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti? Ignis, scilicet, dilectionis meæ, & ligna crucis. Vix tamen inuenio, qui velit me imitari, & se in holocaustum offerre, imò potius reddunt mihi pro humilitate superbiam, pro paupertate diuitiarum superfluitatem, pro fletu risum, & odium pro dilectione mea. In altari enim crucis ardet ignis perpetuus, quo accendi debemus. Secundum autem legis mandatum erant ibi lebetes, quibus cineres colligebantur. Et nos Christi passionem memoriter teneamus. Erant ibi bacilli ignium, scilicet, receptacula. Et nos ignem charitatis in corde semper habeamus. Erant ibi forcipes, & nos firmiter CHRISTO fide, spe, & charitate, astringamur. Erant ibi fuscinulæ, & nos per eius passionem ad ipsum trahamur, vt in nobis impleatur quod scriptum est: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Ignis igitur passionis Dominicæ

*Quod in lege per sanguinē fiebat purgatio. Exod.24.*
*Qualiter comedēde sunt carnes agni Paschalis.*
*De assatura igni & multiplici igne.*
*Leuit.6. Ezech.10.*
*De oblatione Christi & qualiter ignē in nobis accendit. Ierem.6.*
*Gen.22.*
*De igne & instrumentis altaris crucis. Exod.27. Num.4.*
*Ioan.12.*

omnes spinas vitiorum in nobis debet cõburere, & tempestas tribulationum, quas pro nobis sustinuit, omnes paleas à nobis proiicere & exsufflare. Dolosa enim est statera, in qua palea temporalis delectationis præpõderat tantis Christi beneficiis. Durior autem est lapide & ferro, qui ad ignẽ passionis nõ liquescit. Vnde B. Iob ait: Ferrum de terra tollitur, & lapis calore solutus, in æs cõuertitur. Cor enim durum in pertinacia, & frigidum in malitia, de terrenorum amore trahitur sursum, passionis virtute. Et lapis, id est, cor lapideum, charitate mollescit & dissoluitur & liquescẽs à sua duritia, mutat fortitudinẽ, & in æris stabilitatẽ cõuertitur. Comedamus igitur carnes agni assas igne charitatis, & nõ præsumamus accedere ad Dominici corporis sacramẽtum cum cõscientia peccati mortalis, ne fortè vinum nouum in vtres veteres mittamus & difrumpamur, nisi vetustatẽ prius deponamus. Anima enim polluta, quę de carnibus hostię comederit, peribit, sicut in Leuit. dicitur. Et in Exod. dicitur: Hæc est religio Phasę: Omnis alienigena nõ comedet ex eo, qui, scilicet, nõ est de Ecclesia, numero & merito. Et iterum ait: Mercenarij nõ edent ex eo. Audiãt miseri sacerdotes, qui pro temporali lucro tantum sacramentum celebrare præsumunt. Ignis igitur charitatis in altari cordis nostri iugiter ardeat, vt secundum legis mãdatum vnum agnum manè, alterum vesperi Domino offeramus. Christus enim manè est cæsus, vesperi est occisus. Caro autẽ agni, nec cruda edenda est, nec cocta aqua. Omnis enim qui Christum purum hominẽ credit, carnes agni crudas comedit, quas coquere per diuinitatis intelligentiã noluit. Qui autẽ mysteria incarnationis humana sapientia discutere volunt, carnes agni aqua coquunt, dum mysterium tantæ dispensationis per dissolutã scientiã penetrare appetunt. Assas ergo igni comedamus, vt dispẽsari omnia per spiritussancti potentiã credamus. Assas igni carnes comedit, qui cum humanitate diuinitatem in Christo credit. Per ignem enim diuinitas, per carnes humanitas Christi designatur. Qui autem intellexerit se ad tanti sacramenti profunditatem minus idoneũ, quęrat Doctorem fidelem capacioris intelligentię, à quo instruatur, hoc est quod in Exod. dicitur: Si minor est numerus, vt sufficere possint ad vescendũ, id est, ad edendum agnum, assumet vicinũ, qui iunctus est domui eius. Cum lactucis agrestibus agnus manducari præcipitur, & cum azymis panibus. Cum amaritudine enim fletus & pœnitentiæ, ad tãtum sacramentum debemus accedere, & cum sinceritate bonæ vitæ, & puritate cõscientiæ absq; fermento hypocrisis & malitię. Septem autẽ diebus, id est, toto tempore præsentis vitę, quę diebus septem peragitur, in azymis sinceritatis & veritatis viuere debemus. Cum lactucis etiã agrestibus agnum mãducare debemus, id est, cum amaritudine pœnitentię & passionis Christi, vt cum eo crucifigamur, vt amaritudo cõpassionis & cõtritionis abstergat à stomacho animę nostrę malos humores vitæ peruersæ. Panes autem sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ facit. Adhuc de epulatione agni subditur. Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis, nec remanebit ex eo quicquam vsque manè, si quid residuum fuerit, igni comburetis. Caput agni vorare, est Deitatem eius fide percipere. Pedes, vestigia humanitatis eius amando, & imitando, exquirere. Intestina voramus, cùm verborum illius occulta mysteria & vitæ mandata auidè sumimus. Hæc autem intestina purgare debemus à fæcibus carnalis intelligentiæ. In vorationis verbo, pigritia nostra reprehenditur, qui verba eius atque mysteria, neque per nosipsos requirimus, & dicta ab aliis inuiti audimus, quæ cum magna diligentia discutienda sunt, vt non remaneat ex eis quicquam vsque manè, sed in nocte huius præsentis vitæ, antequam dies resurrectionis immineat, omnia mandata eius intelligendo, & operando penetrentur: quantum possibile est humanæ fragilitati. Si autem aliquid residuum fuerit, quod de mysterio incarnationis eius intelligere & penetrare non possumus, igni comburatur, id est, potestati sancti spiritus humiliter reseruetur, vt non superbè quis audeat contemnere, vel damnare quod non intelligit. Et quoniam qualiter comedendus sit agnus, ostendit, postmodum à qualibus edi debeat, subiungit, dicens: Renes vestros accingẽtis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. Est enim phasę, id est, transitus Domini. Renes accingere debet cingulo continentiæ, carnales voluptates restringendo, qui Paschalem agnum dignè comedere desiderat. Licèt autem angusta sit hæc porta continentiæ, tamen possumus intrare per illam. Habemus enim multa præcedentium Patrum exempla, quæ sunt nobis quasi calceamenta pedes affectuum munientia. Dum enim morum tuorum Patrum vitam diligenter intuemur, pedum nostrorum vestigia à peccati vulnere custodimus. Baculos autem in manibus teneamus, vt curæ & regimini animarum proximorum nostrorum intendamus, & lupos ab agnis arceamus. Prius autem præcipimur renes accingere, & postmodum baculum tenere, quia illi debent curam animarum suscipere, qui iam in suo corpore sciunt fluxa vitiorum edomare, vt cum aliis fortia prædicant, ipsi mollibus desideriis non succumbant. Festinanter autem comedere debemus, vt ad tantum Sacramentum cum desiderio accedamus, & ad Paschalem solemnitatem cœlestis patriæ anhelando curramus, ne si in huius viæ itinere torpeamus, in cœlesti patria locum non habeamus. Festinemus igitur semper transire de peioribus ad meliora, de transitoriis ad æterna, de terrenis ad cœlestia, vt spiritualiter celebremus Pascha. Est enim phasę, id est, transitus Domini, quia transiit Dominus in Angelo exterminatore per Ægyptum, quando eorum primogenita percussit. Et quia filios Israël de Ægypto transire fecit, & quia Christus hac die de mundo per passionem transiuit, & quia nos spiritualiter transire facit de vitiis ad virtutes. Filij

*Oze 12. Par. 11. Iob 28.*

*Matth. 9. Mar. 2. Luc. 5. Leuit. 7.*

*Quòd polluti carnes agni manducare non debent, nec alienigenæ vel mercenarii.*

*Exod. 12. Num. 28.*

*Quòd vicinus ad edendum agnum vocabatur, cùm minor erat numerus, vt non sufficeret ad edendum.*

*De lactucis agrestibus & azymis panibus & diebus septem.*

*1. Cor. 5.*

*De capite, pedibus & intestinis agni.*

*A quibus & qualibus comedendus sit agnus.*

*De cingulo renum et calceamentis & baculis.*

*De festinatiõe comestionis agni.*

*De multiplici transitu.*

tes. Fiſũ autem Iſraël triplex fecerunt Paſcha. Primò in exitu de Ægypto: ſecundò in deſerto: tertiò in terra promiſsionis. In quo ſignificatum eſt, quod nos tripliciter trãſire debemus. Primò de vitiis ad virtutes: ſecundò de virtute in virtutem, ſcilicet, de bono in melius: tertiò de mundo ad patrẽ. Luna autẽ incipiente decreſcere, exierunt de Ægypto, quia in his, qui volunt mundum relinquere, amor terrenorum debet decreſcere. Paſcha autẽ interpretatur trãſitus. Et ſecundum hoc idem nomen eſt quod phaſe, ſicut honor & honos idem eſt nomen & eiuſdem ſignificationis. Offeramus igitur Domino noſmetipſos in ſacrificium. Immolemus ei Paſchalem agnum, vt ſimus mites & innocentes, exemplo Domini, qui tantæ fuit mãſuetudinis, quod etiã proditori ſuo oſculum nõ negauit. Simus agni Paſchales prædixis modis trãſeundo, & cum ipſo patiendo, & noſmetipſos crucifigendo. Vt autem agnum iſtum dignè immolemus, ſanguinem peccatorum noſtrorum effundamus: extrahamus à nobis pellem vetuſtatis, vanitatis, ſimulationis & exterioris falſitatis. Lotis autẽ inteſtinis, fimum immũditię à nobis eiiciamus. Abiiciamus à nobis omnẽ fermentum rancoris & malitię, vt panes azymos cum carnibus agni manducemus, id eſt, bona & pura opera cum fide incarnationis & paſſionis Chriſti faciamus. Amaro autem ſucco lactucarum agreſtiũ omnem carnalis voluptatis dulcedinem in nobis extinguamus. Caput autem & pedes & inteſtina noſtra, id eſt, principium & finem operis noſtri, & omnes cogitationes ad ipſum referamus: vel caput intentionis & pedes affectuum, & inteſtina voluntatis intrinſecè offeramus illi. Et quoniã qui nudis pedibus incedit, facilè lęditur, & trepidè vadit, muniamus pedes noſtros illo calceamento, quod Dominus in Idumæam extendit, id eſt, in vniuerſam terram, lege, ſcilicet, Euangelica. Non ſimus diſcincti per incõtinentiam vel fragilitatem aut ignauiam, ſed lumbos tam corporis quàm mentis præcingamus, habeamus baculos in manibus, ne titubemus, ſed in omnibus patientiam teneamus. Qui enim in aduerſis frangitur, non eſt de oſsibus huius Agni. Scriptum eſt enim: Os non cõminuetis ex eo. Teneamus in manibus baculos contra canes inſanos, id eſt, dæmones, ne nobis carnes Agni auferant, baculos, ſcilicet, rigoris, iuſtitiæ & auſteritatis diuinioris vitæ. Teneamus in manu baculum crucis Dominicæ, quo ſtatuam multiformem Nabuchodonoſor confringamus, vanitatem, ſcilicet, huius mundi, cuius ſtatuæ monſtruoſæ, variæ ſunt figuræ, ſcilicet, fauor humanus, opes, dignitates, gloria, potentia, quæ Dominus noſter in hoc ſeculo deſtruxit. Fauorem humanum interemit, dum nemini adulatus eſt. Opes, quia pauper factus eſt, dignitates regnum oblatum reſpuendo. Gloriã, crucis abiectionis ſuſtinendo. Potentiã, infirma mundi eligendo. Ad lignum huius baculi ſupernatauit ferrum ſecuris, quod in profundum fluminis ceciderat, dum vetus Eliſeus lignum crucis poſuit ſuper aquas, in quibus ſubmerſum fuerat ferrum, id eſt, genus humanum, peccatorum pondere prægrauatum. Genus enim humanum partim ſubmerſum erat in aquis, partim inuolutum & ſepultum in puluere terræ, partim euanuerat in aëre. In aquis perierat, per luxuriam: in puluere terræ, per auaritiam: in aëre auolauerat, per ſuperbiam & elationem. Qui ſubmerſi erant in aquis luxuriæ, ad lignum crucis enatantes, euaſerunt. Vt autem aliam partem, id eſt, dragmam perditam in terram reperire & recuperare valeret, inclinauit ſe, formam ſerui accipiens, euertit domum proprij corporis in cruce moriendo. Accendit lucernam, mundum, per præſentiam ſuam illuminando. Cuius pellis abraſa fuit per reiectionem ſuperfluorum, deſiccata per abſtinentiam. Extenſa inter duo crucis ligna, habens intus oleum pietatis, & ignem charitatis. Vt autem tertiam partem recuperaret, quæ per ſuperbiam, velut auis, non cognoſcens patrem aut matrem auolauerat, oſtendit ei carnem rubeam ſanguine paſsionis tinctam, vt ad illam, velut ad reclinatorium aucupis, auis illa rediret, de qua Oſee dicit: Effraim quaſi auis auolauit. De ligno hoc fecit Dominus ſtateram, in qua Chriſtus homo filius præponderauit, prædamque à tartaris extraxit. Inimicus enim humani generis longo tempore cuſtodierat atrium ſuum in pace, credebatque ſecurus eſſe de ſua poſſeſsione, tum ratione priuilegij ſui chirographi, tum ratione præſcriptionis. Dicebat enim priuilegium habeo à Deo, qui ait: Quacunque hora comederis, morte morieris. Et quoniam diabolus falſarius fuerat (addidit enim priuilegio verbum vnum, quod Deus non apposuerat, dicens: Nequaquam moriemini) priuilegium meruit amittere, nec ſe iam priuilegio illo poterat defendere. Sed iterum temporis præſcriptio, quam allegabat, illi prodeſſe non valebat, tum quia malæ fidei poſſeſſor erat, tum quia frequenter interrupta fuerat, ſanctis viris reclamãtibus, & de ipſo cõquerentibus. Licèt enim induratum eſſet cor Pharaonis, vt nõ vellet dimittere populum, nihilominus Moyſes & alij ſancti, reclamare nõ ceſſabãt. Tertio autẽ modo nitebatur diabolus humanum genus retinere, eò quòd omnes ſimul declinauerunt, inutiles facti ſunt, & multiplicata erãt mala ſuper terrã: vnde cõfidebat diabolus, quod ſi bona & mala librarentur in ſtatera, mala in infinitum præpõderarent. Dominus autẽ Ieſus Chriſtus, quaſi ex vna parte bona, quę fecit, & tribulationes quas ſuſtinuit, ſanguinẽ ſuum & mortẽ ſuã poſuit. Et quia ipſe cum humanitate ſuã poſuit diuinitatẽ, in infinitũ prępõderauit, & ita crux eius ſtatera facta eſt corporis, prædamq; tulit tartari, lance altera vſq; ad cœlum aſcendente, & ipſo Chriſto in infernum deſcendente. Quoniam igitur per crucem liberati ſumus, in ipſam ſpem noſtram ponere debemus, & ipſi tanquam baculo fortitudinis noſtræ inniti, cum quo baculo Paſchalem agnum manducare præcipimur, & facere phaſe, vt tandem cum Iacob dicere poſsimus: In baculo meo trãſiui Iodanẽ iſtum, id eſt, huius mundi fluxum & vitę labẽtis curſum, & cum

*De triplici Paſcha.*

*Recapitulatio prædictorum & moralis expoſitio. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

*Qualiter immolandus eſt agnus ſpiritualiter.*

*De ſtatua Nabuchodonoſor. Dan. 2.*

*Ioan. 6. 1. Cor. 1. De baculo & ligno crucis.*

*Quod genus humanum tripliciter perierat, & qualiter Dominus ipſum recuperauit. Luc. 15. Philip. 2. De euerſione domus, & accenſione lucernæ.*

*De ſtatera crucis.*

*Quod diabolus triplici ratione genus humanum retinere volebat.*

*Gen 6.*

*Exod. 12.*

*Gen. 32.*

duabus turmis regredior,cũ bonis,ſcilicet,operibus actiuę & cõtemplatiuæ vitæ. Quod in nobis implebitur,quando ad æternã patriam noſtram reuertẽtibus,dicetur nobis: Ecce homo,& opera eius cum eo. Ecce quomodo confuſus eſt diabolus per patibulum crucis,& incidit in foueam,quã fecit. Credidit enim per mortis ignominioſum genus,ſummũ dedecus Chriſto facere. Dominus autem adeò crucẽ exaltauit,quod à locis tormentorũ tranſiit ad frontes Imperatorũ,tantamq; virtutẽ cõtulit ei,quod eius vmbrã, id eſt,ſignaculũ crucis diabolus ſuſtinere non poteſt. Tantò autem ignominioſius victus eſt,quantò per rem,quam viliſsimã reputabat, confuſus eſt & cõculcatus. Si autẽ Dominus cum armis diuinitatis ipſum oppugnaſſet,nõ tantum dedecus ei feciſſet. Nunc autem,quia manibus religatis & cruci affixis ipſum ſuperauit,in infirmitate carnis tantò amplius confunditur & erubeſcit. Ipſe autẽ ſuperbus & præſumptuoſus erat,vt nullum hominem timeret. Quod autem infirmum eſt Dei,fortius fuit hominibus, quia in infirmitate carnis illum vicit,quem nullus ante ipſum vincere potuit,& baculo cornuto crucis ipſum proſtrauit.

*De confuſione diaboli, & qualiter incidit in foueã quam fecit.*

*1.Cor.2.*

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM
### ex Euangelio ſecundum Ioannem.

*Ioan.18.* *Egreſſus Ieſus trans torrentem Cedron, vbi erat hortus: in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius.*

LEGIMVS in libro Ieremiæ,Dominum interrogaſſe: Quid tu vides Ieremia? Qui ait virgam vigilantem,ego video. Hæc eſt virga directionis,virga diſciplinæ,& correctionis,rectitudo,ſcilicet,verbi Dei. Virga vigiliarum,qua excitantur ſomnolenti, vt vigilẽt, qua verberantur filij,vt timeant,qua fugantur canes proterui,id eſt,dæmones,ne noceãt. Cùm autem omnia Domini verba magnæ ſint virtutis ac potentiæ, nulla acutiora ſunt ad penetrandum,efficatiora ad ſanandum,ſuauiora ad conſolandum, dulciora ad guſtandum, quàm verba Dominicæ paſsionis,& noſtræ redemptionis. Quæ enim verba magis pungunt ad cõpunctionem,magis confortant ſpem,& accendunt charitatem, quàm verba ſalutiferæ crucis & mortis filij Dei, quam pro nobis ſuſtinuit, innocens pro peccatoribus, iuſtus pro iniuſtis? Quæ autem verba libentius & diligentius à captiuis audiuntur, quàm illa quæ de liberatione ipſorum faciunt mentionem? Hunc igitur virgæ vigiliarum ſubiiciamur per diſciplinam. Alioquin qui verba paſsionis Chriſti cum omni deuotione & compunctione non audit, qui huius virgæ diſciplinam recipere rennuit, doleat ſe amariorem eſſe mari, lapide duriorem, fluuio labiliorem. Virga enim Moyſi,Dominus percuſsit mare, & obediens iter præbuit tranſeuntibus. Similiter mare huius mundi, corda,ſcilicet,ſecularium, virtute prædicationis mortis Chriſti, à ſtrepitu ſeculi debent ceſſare, & verbis ſalutaribus obedire. Virga Moyſi percuſſus eſt lapis, & fontem aquæ viuæ tribuit. Et corda ſaxea virga verborum crucis hodie percuſſa, aquas lachrymarum copioſe debent effundere, ne fortè dicatur de nobis: Lamentauimus vobis, & non planxiſtis. Metuant igitur qui ſiccis oculis & duro corde, & non compuncto corde, Chriſti paſsionem audiunt recitari. Virga Moyſi,quæ in arca fuit repoſita, fluuius Iordanis à fluxu ſuo ſtetit, & iter filiis Iſraël præbuit. Et corda fluxa & laſciua, hodie dum Chriſto paſsio prædicatur, quaſi virga verbi Dei percuſſa, à fluxu ſuo & labilitate vitæ ſecularis debent reſtringi. Orate igitur fratres,Dominum, vt hac virga hodie verberentur corda noſtra ad diſciplinam & correctionem. Hac virga vigiliarum, ſi qui ſunt ſomnolenti ſeu letargici, hodie à ſomno infidelitatis & torpore mentis excitentur.

*Ieremi.1. Quod verbum Domini virgæ comparatur.*

*Exod.14.*

*Exod.17. Num.20.*

*Matth.11. Luc.7.*

*Ioſ.3.*

Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron,&c. Dies iſte Dominicæ paſsionis, dies noſtræ redemptionis,dies diuinæ propiciationis,dies creticus eſt,in quo Chriſti ſudoribus à diuturna ægritudine liberatus eſt mundus languidus, in quo Dominus per feneſtras & cancellos vulnerum,genus humanum reſpexit: in quo Chriſtus triumphauit, & mors mortem ſuperauit in æternũ, de quo Dominus in Leuit.ait: In hac die expiatio vobis erit,atq; mundatio ab omnibus peccatis veſtris. Et in Exod. Vidi afflictionẽ populi mei,& veni liberare populũ meũ. Hic igitur ſanctus & memorialis dies & omni acceptione dignus, nulla à cordibus fidelium debet obliuione deleri,ſed iugi meditatione tantũ redẽptionis noſtrę beneficiũ debemus recolere, Chriſti hodiernã paſsionẽ ſigillatim mente retractando,vt oblatio ſartaginis,ſecundũ mandatũ legis minutatim diuidatur,& artus hoſtiæ noſtræ in fruſtra cõcidantur,ſicut præcipitur in Leuitico. Et B. Iob ait: Concident illum amici,diuident illum negotiatores. Granum enim frumẽti, quod inter duas crucis molas confractum fuit & cõminutum, in varias partes hodie copioſam farinam nobis miniſtrat,quam verus Eliſeus mittit in ollam Prophetarum,vt herbarum agreſtium, & cuiuſlibet laboris & pœnitentiæ, in nobis amaritudo in dulcedinem conuertatur, dum ea quæ Chriſtus pro nobis ſuſtinuit, particulariter memorantur. Ipſe enim vir dolorum, & ſciens infirmitatem,languores noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros portauit, & Dominus poſuit in eo iniquitates omniũ noſtrũm. Nos enim manducauimus vuã acerbam,& dentes ipſius obſtupuerunt: quia quæ non rapuit,ipſe pro nobis ſoluit. Ante crucem ſiquidem & in cruce, & poſt crucem, innumeras ſuſtinuit iniuriarũ moleſtias, cogitatione,locutione,operatione,ab alienis

*De multiplici huius diei præeminentia. Cant.2.*

*Leuit.16. Quod ſigillatim recolere debemus hodie à Chriſto nobis exhibita. Exod.1. Leuit.2. Iob 40. Ioan.12. 4.Reg.4.*

*Iſa.53.*

*Ieremi.31. Ezech.18.*

alienis & proximis, in se, in membris suis, & in rebus suis, occultas insidias, & persecutiones apertas, in dictis calumniatores, in factis contradictores, in morte conspiratores. Per multas enim tribulationes voluit intrare in gloriam Patris sui, sicut omnes Prophetæ de ipso prædixerant, & hodie consummata sunt in ipsius passione oracula Prophetarum, sicut scriptum est: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. In cruce, sicut Malachias ait: Si affigit homo Deum, quia vos affixistis me? Et Daniël ait: Occidetur Christus, & non erit eius populus, qui negaturus est eum. Post crucem, dum latus eius lancea confixerunt, sicut scriptum est in Zacharia: Aspicient ad me, quem confixerunt. Et dum in sepulchro, positis custodibus, eum detinere voluerunt, sicut scriptum est in Psalmo: Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi. Et in Ieremia: Concluſit vias meas lapidibus quadris, circumædificauit aduersum me, vt non egrediar. Persecuti sunt eum cogitatione, sicut scriptum est: Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia. Et iterum: Auertantur retrorsum & confundantur cogitantes mihi mala. Ore enim suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Persecuti sunt eum in locutione, sicut scriptum est: Aperuerunt super me os suum. Et iterum: Linguas suas exacuerunt, sicut serpentes. Et Ieremias in persona Christi ait: Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silua, dedit contra me vocem. Persecuti sunt eum operatione, flagellando & interficiendo, sicut scriptum est: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Ex hac fabrica exierunt vasa preciosa, dum enim supra dorsum eius fabricauerunt: fabricata est Ecclesia. Persecutionem sustinuit ab alienis, sicut scriptum est: Alieni insurrexerunt aduersum me. Et iterum in Euangelio: Tradent eum Gentibus ad illudendum. Persecutiones pertulit à proximis, sicut scriptum est: Homo pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Et iterum: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Et Ieremias ait: Audiui contumelias multorum commorantium in circuitu, persequamur eum, ab omnibus qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum. Persecutiones sustinuit in se, sicut scriptum est in Zacharia: Phramea suscitare super pastorem meum. Et eodem modo in membris suis, sicut in eodem dicitur: Et super virum cohærentem mihi. Et iterum: Percute pastorem, & dispergentur oues gregis. Et in rebus suis. Nam & Iudas furabatur ei ea, quæ portabat in loculis: & milites abstulerunt ei vestimenta sua. Sustinuit occultas insidias, sicut scriptum est: Posuerunt peccatores laqueum mihi. Linguis enim suis dolosè agebant, & cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire. Sustinuit apertas persecutiones, sicut scriptum est: Vim faciebant, qui quærebant animam meã. Et iterum: Circundederunt me canes multi. Sustinuit in dictis calumniatores, sicut scriptum est: Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. In factis contradictores: positus est enim in signum cui contradicetur, sicut scriptum est: Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Vnde ipsi contradicentes eius miraculis, dicebant: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Sustinuit in morte conspiratores. Congregati sunt enim Principes Sacerdotum, & consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent & occiderent. Vnde in Psalmo dicitur: Dum conuenirent simul in vnum: accipere animam meam consiliati sunt. Postremò, non est aliquod persecutionis genus, quod nõ sit passus Dominus noster, relinquẽs exemplũ passuris, sicut ipse ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, in tribulationibus, scilicet, & persecutionibus, in cruce & morte. Diuidamus igitur oblationẽ craticulę in partes munitissimas. Egrediamur & videamus Regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit eũ mater sua, imò nouerca sua Synagoga. Ex diuersis speciebus aromaticis faciamus electuariũ ad medicamentũ animarũ nostrarũ. Faciamus fasciculũ myrrhę, colligẽtes in vnũ ea, quę passus est pro nobis hodierna die Redemptor noster. Aspiciamus in authorẽ fidei & consummatorẽ Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucẽ cõfusione cõtempta. Recogitãtes eũ, qui talẽ sustinuit à peccatoribus contradictionẽ aduersus semetipsum, sicut ex hodierno Ioánis Euang. manifestũ est. Postquã enim Dominus surrexit à cœna, imminẽte iam nocte, egressus est cum discipulis trans torrentẽ Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Iudas autẽ iam abierat ad Principes Sacerdotum, à quibus triginta argenteos acceperat, vt traderet eis Iesum. Tanto precio fratres Ioseph vendiderunt eum: de quo precio prædixerat Zacharias Propheta: Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, & dixit Dominus ad me: Proiice eos ad statuarium, decorum precium, quo appreciatus sum ab eis. Ironicè dicit decorum precium. Ac si diceret: Pro vili precio tradiderunt me, reddentes mihi talem mercedem, qui multa bona feci eis. Ipsi verò nephanda æstimatione mortem triginta argenteorum mihi pro mercede reddiderunt. Vnde Iudas in voluntate eorũ, tanquã esset vile mancipium posuit, quãtum vellent ei dare pro ipso. Despectiuè autẽ seu derisorie proiiciendos dicit ad statuariũ. Lictor autẽ vel sacerdos, seu custos statuarũ, in hoc loco statuarius appellatur. Moraliter autẽ triginta argenteos, quibus venditus est Christus, id est, memoriã Dominicæ passionis ad statuariũ, id est, patrẽ referre debemus, vt ipse imprimat eã nobis ad diligendũ & imitandũ. Statua enim dicitur exemplũ, quod fit ad imitationẽ alicuius rei. Pater igitur statuarius dicitur, dũ nobis recolere facit, & memoriæ imprimit Christi passionẽ: vel proiiciuntur ad statuariũ, quod alij plasten dicunt, id est, fictorẽ vel figulũ, vt creator omnium de precio iudicet, quod decorum ironicè vocat. Secundum verò quod statua vel

*De diuersis Christi tribulationibus ante crucem, in cruce, & post crucem.* *Act. 14.* *Malach. 3.* *Dan. 9.* *Zach. 12.* *Matth. 27.* *Thren. 3.*

*De persecutionibus cogitationis, locutionis, & operis.* *Ierem. 11.*

*De persecutione ab alienis, & a suis.* *Matth 10.* *Marc. 10.* *Luc. 18.* *Ierem 20.* *Zach. 13.*

*De triplici persecutione in se, in membris suis, & in rebus suis.* *Ioan. 12.* *Item 19.*

*De occultis insidiis, & apertis persecutionibus.* *De calumniis, contradictionibus & conspirationibus.* *Ioan. 9.* *Matth. 26.* *1. Pet. 2.* *Ioan. 12.*

*Quod particulariter Christi passio deuicenda est.* *Heb. 12.* *Item 13.*

*Expositio ũ mercatu instructa Rhemo.* *Ioan 13.* *Ioan. 18.* *De triginta argentis, & qualiter iudas Dominum vendidit.*

ſtatamus pondus dicitur, ſtatuarius idem eſt quod ponderatorium. Statuarius autem eſt quilibet noſtrum, dum ponit in ſtatera Chriſti preciũ & peccata ſua. Sanguis enim Chriſti præponderat. Vnde nulli deſperandum eſt de ſalute ſua. Quod verò ſubiungitur in eodem loco, & tuli triginta argẽteos, & proieci illos in domũ Domini: manifeſta eſt prophetia de Iuda, quod proiectis argẽteis in templo, abiens, laqueo ſe ſuſpẽdit. Quid igitur fiet de miſeris ſacerdotibus, qui pro vili & modico precio Chriſtũ tradũt, dũ Chriſti ſacramẽta venalia exponũt, ipſo facto clamãtes: Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradã illũ? dum igitur oſculãtur altare vel librũ, vel etiã ipſum corporis Chriſti ſacramentũ, nónne Dominus meritò poteſt dicere illis: Iuda, oſculo filiũ hominis tradis? Tradidit autẽ Iudæis Chriſtũ tripliciter, furto, precio & oſculo. Furto tradidit, qui corpus & animã illi ſubtraxit: precio, qui eum pro vili voluptate vendit: oſculo tradit, qui ſe verbo dicit Chriſtianũ, factis autẽ negat Chriſtũ. Sicut autẽ Dominus noſter Iudam proditorẽ habuit in comitatu ſuo, ita & nos Iudam proditorẽ habemus intra nos, id eſt, carnis blanditias, iuxta nos, id eſt, mũdi fallacias, ſupra nos in dæmonũ verſutias. Caro & mũdus dæmonibus dicũt: Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eũ. Dominus autẽ noſter, vt oſtenderet ſe volũtariè paſſurũ, locũ quo facilè poſſet inueniri, adiit. Sciebat enim Iudas locũ, quia frequẽter Ieſus cõuenerat illuc cũ diſcipulis ſuis. In horto trãs torrentẽ Cedron capi voluit Dominus, vt deleret peccatũ in horto delitiarũ cõmiſſum, tranſiens trans torrentẽ noſtræ mortalitatis. De torrente in via bibit, tranſiens Cedron, id eſt, obumbrationẽ legaliũ. Cedron enim vmbra tenebræ & mœror interpretatur: vnde per torrentẽ Cedron Chriſti paſsio intelligi poteſt, in qua plantãtur cedri, id eſt, ſancti, cõplantati enim ſunt ſimilitudini mortis Chriſti. In lib. autẽ Regũ legimus, quod Abſalõ perſequebatur patrẽ ſuũ Dauid. Rex autẽ Dauid flens, & nudis pedibus incedẽs, trans torrentẽ Cedron aſcẽdebat per montẽ Oliuarũ. Abſalon typũ gerit Iudęorum & Iudæ proditoris, qui etiã poſteà ſuſpenſus interiit, ſicut & Iudas. Dauid autẽ nudis pedibus incedẽs, extra Hieruſalẽ trans torrentẽ Cedron, in figura Chriſti præceſſit. Sicut autẽ Dauid lugebat Abſalõ, licèt eũ perſequeretur, ita Chriſtus lugebat & dolebat de perditione Iudęorum. Venit autẽ ad villã, quæ dicitur Gethſemani, in qua erat hortus ad pedẽ mõtis Oliueti: in quo loco factus in agonia prolixius orauit. Sanguineũ autẽm in terram fudit ſudorẽ, vt veſtigia noſtra terrenis peccatis inquinata mundaret. Gethſemani vallis pinguium interpretatur, in quo loco Chriſtus ex pinguedine ſupereminentis charitatis, preces effudit ad patrem pro nobis. Cùm autẽ Iudas & alij miniſtri Satanæ, tota nocte vigilarẽt, ſolliciti ad malũ perpetrandũ, Apoſtoli dormiebãt, remiſsiores ad bonũ, quàm Iudæi ad malũ. Pauci hodie inueniuntur, qui tantũ laborare velint pro ſalute ſua, quantũ laborant ſeculares pro pecunia cõgreganda, vel voluptate carnis explenda: vnde & Dominus ait illis, quaſi arguens eos: Non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autẽ infirma. Non ſolũ autẽ à ſomno dormitionis, ſed à ſomno infidelitatis & torporis mentis eos prohibebat. Langueſcebãt enim & opprimebantur eorum oculi, negatione vicina. Imminente autẽ tentationis articulo, cum omni inſtantia & diligentia debuiſſent in oratione vigilare, ne tentationibus ſuccumberent. Tantò magis orationi inſtare debemus, quantò vehementius turba tentationum increpat nos, vt taceamus. Licèt enim ſpiritus promptus ſit, quia tamẽ caro infirma eſt: quantũ de ardore mentis cõfidimus, tantũ de fragilitate carnis timere debemus. Spiritus autẽ prõptus fuit in Petro, dum ait: Et ſi oportuerit me mori tecũ, nõ te negabo. Caro autẽ infirma, dum ad vocẽ ancillæ negauit. Quod tamen Deus diſpenſatiuè ſuſtinuit, vt qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, ex ſua infirmitate diſceret aliorũ infirmitatibus cõpati, & vt alij inſtruãtur, ne de ſua virtute præſumant. Similiter & ſpiritus Chriſti promptus erat, cuius vox: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Caro autem infirma, cuius vox: Tranſeat à me calix iſte. Dominus autem compatiens eorum infirmitati, ait illis poſtquam aliquantulum orauerũt: Dormite iam & requieſcite. Et poſt paululum ait: Sufficit, ſurgite, eamus. Et ſi enim ad tempus carni ſatisfacere oporter, breuem quietem ſumere debemus, non carni indulgere, ſed cõpellere corpus ſpiritui ſeruire. Adhuc eo loquente, venit Iudas, & cum eo turba multa, cum laternis & facibus, cũ gladiis & fuſtibus, & oſculo Magiſtrũ tradidit. Cum laternis venerũt, quibus lumen veritatis latebat, accendentes ſibi lumen pœnale. Cum facibus itæ & cupiditatis, & inſaniæ. Cum gladiis, id eſt, linguis maledicis. Cum fuſtibus ipſi lignei & inſenſati, crudeles & duri. Nocte venerunt. Qui male agit, odit lucem: poteſtas diaboli in tenebris eſt, qui ſemper contrarius eſt luci, vnde miniſtri eius in verum lumen inſurrexerunt. Oſculum autem proditori non negauit, vt exemplum daret quatenus cum his, qui oderunt pacem, ſimus pacifici. Lupus oſculatus eſt agnum, vt tranſglutiret. In deteſtatione autem huius oſculi, hodie non datur oſculum in Eccleſia. Chriſtum autem tradit oſculo, qui fictam pacem facit cum proximo ſuo, ſicut ſcriptum eſt: Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Cùm autem Ieſus ab eis quæreret, Quem quæritis, & ipſi dixiſſent: Ieſum Nazarenum: reſpondente eo: Ego ſum. abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Qui regnum oblatum reſpuit, crucifixoribus ſe obtulit, & tradentibus retrò tulit. Iam non ſe abſcondit, ſicut priùs, quia venerat hora eius. Vt autem oſtenderet, illos in terram nõ patiebatur inuitus, vel capiebatur coactus, vno verbo virtute diuinitatis ſuæ, illos in terram proſtrauit, ſicut ſcriptum eſt: In conuertendo inimicũ meum retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua. Licèt autẽ Chriſtus vſq; hodie dicat, Ego ſum: Iudæi expectãtes Antichriſtum, retrò

*Contrà illos, qui ſacramentũ altaris venale exponũt.*

*De triplici traditione Iudæ. Tit. 1. De malo conſortio.*

*Quod Chriſtus voluntariè eſt paſſus, & de loco vbi capi voluit.*

*Rom. 6. 2. Regum 15.*

*De oratione Chriſti & ſudore ſanguinis. Epheſ. 3.*

*Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

*Quod vigilandum eſt & orandum in tribulationibus. Matth. 20. Mar. 10. Luc. 18.*

*De aduentu Iudæ & Iudæorum.*

*Ioan 3. De oſculo Iudæ.*

*Quod Chriſtus crucifixoribus ſe obtulit, & cadentibus retrò.*

retrò abeunt,& in terrena,quæ diligunt,cadunt. Cùm autem dixisset Dominus: si me quæritis, sinite hos abire. Petrus gladium eduxit,& abscidit auriculam dexteram serui Pontificis,quam Dominus tangendo sanauit. Et quia nondum induti erant Discipuli virtute ex alto, neque ad patiendum apti: non permisit eos Dominus comprehendi. Melius est enim infirmos fugere & latere,quàm in aduersis deficere. Vnde Dauid ait in persona Christi ad Patrem: Elongasti à me amicum & proximum,& notos meos à miseria. Prædixerat Dominus discipulis: qui habet tunicam, vendat eam & emat gladium. Et cùm respondissent Discipuli, ecce duo gladij hic: respondérat Dominus, sufficit. Vnde Petrus nondum intelligens mysterium, credidit ad literam, quòd gladio materiali deberet percutere: Cui Dominus ait: Omnes qui acceperunt gladium, sicut licet, authoritate sua, liuore vindictæ, non amore iustitiæ, gladio peribunt, id est, pro gladio assumpto sine potestate & ordine iuris, vel gladio diuinæ vltionis peribũt. Sicut qui baculum pastoralem acceperit à se, non ab Ecclesia: pro illo peribit. Vendere debemus tunicam corporis, & dare pro gladio passionis: vt coronam martyrij acquiramus. Vendere debemus tunicam quietis, pro gladio verbi Dei: vt curam animarum quieti & paci nostræ præponamus. Duo autem gladij veteris & noui testamenti, sufficiunt ad pugnandum contra diabolum. Duo etiam gladij sufficiunt in Ecclesia Dei, spiritualis & materialis. Spiritualis gladius excommunicationis, qui pertinet ad Prælatos. Materialis verò gladius corporalis, scilicet, punitionis, qui pertinet ad laicos. Iudex enim secularis, non sine causa gladium portat. Ad literam duo gladij sufficiunt ad testimonium Christi sponte passi. Vnus qui Apostolorum audaciã, & feruorem certandi prò Domino ostenderet, & Domini pietatem & virtutẽ in sanatione auriculæ doceret. Alter qui non est exemptus ex vagina, vt ostenderet eos, non totum quod potuerunt pro magistri defensione fuisse permissos. Alter enim abstractus est, vt ostenderet se posse defendere si vellent: nã mul ri cum Domino erant. Alter absconditus est vt ostenderetur, Dominum sponte subiisse passionem. Non solùm autem gladium, sed & sacculum & peram tẽpore persecutionis tollere mandauit, id est, victui necessaria. Prius autem missis discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via, præcepit, ordinans, vt qui Euangelium nunciat, de Euangelio viuat. Instante verò persecutione, pro mutatione rerum & temporum, ostendit mutandum esse consilium. Non est enim eadem regula viuendi tempore pacis, & tempore persecutionis. Concedit igitur Dominus tollere necessaria, quando nõ est qui ea ministret, donec reddita tranquillitate liberius possint prædicare. In quo nobis datur exẽplum, nonnunquã ex causa de nostri propositi rigore, aliquid posse intermittere. Dominus autem ad literam aurem sanauit, qui neque in hostibus pietatis obliuiscitur, docens bonum pro malo reddere. Spiritualiter autem dextetam amputat diabolus his, qui obedire nolunt veritati. Quam Dominus restituit, dum eis virtutem obedientiæ tribuit. In Malcho etiam qui Rex interpretatur, id est, in his qui spiritu Dei reguntur, Dominus auditum à vetustate legis amputat & renouat, vt seruiant liberi in nouitate spiritus, non in vetustate literę. Ceperunt igitur ministri Sathanę Iesum & ligauerunt, discipuli autem omnes, eo relicto fugerunt. Ecce ligatur Sampson à Dalida, id est, à meretrice synagoga: à qua sicut Sampson voluntariè se ligari permisit. Vnde Ieremias ait: Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Et in Psalmo in persona Christi Dauid ait: Periit fuga à me, & nõ est qui requirat animam meam. Et iterum de fuga discipulorum ait: Elongasti à me amicum & proximũ, & notos meos à miseria. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni. Et in Zacharia dicitur: Percute pastorem, & dispergentur oues gregis. Percussit eum pater per authoritatem: Iudæi per accusationem: Gentiles per executionem. Petrus autem sequebatur Christum à longè. Similiter & adolescens sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus aufugit. Hic fuit Ioannes iunior cæteris Apostolis, qui de se consueuit loqui in tertia persona. Et nos exemplo eius ad crucis vexillum nudi volare debemus, & non detineri à purpurata meretrice, à mundo, scilicet, & gloria eius. Vt enim de manibus Satanæ euadamus, omnia quæ nos in mundo retinent, abiiciamus: exemplo Ioseph, qui maluit relicto pallio nudus euadere, quàm meretrici Ægyptiacæ consentire. Posteà induit se Ioannes iterum, nam & ipse Petrum in atrium Annæ induxit, vbi Petrus Christum negat, primò ad vocem ancillæ & cantauit gallus. Secundò negat ad vocem alterius ancillæ, & ad vocẽ calefacientium se ad prunas. Tertiò, ad vocem serui Principis sacerdotum, qui erat cognatus Malchi, & tunc gallus iterum cantauit. Trina igitur negatio est inchoata ante galli cantum, & consummata est, antequam gallus bis cantaret. Primò simpliciter negat Petrus, dicens: Non noui hominem, non sum discipulus eius. Non solũ enim negat Christum, qui dicit illũ nõ esse Christum: sed qui se negat esse Christianum, vel discipulum eius. Secundò cum iuramento negauit. Tertiò cœpit anathematizare, detestari, & iurare. Quia perseuerare in peccato, dat incrementum scelerum, & qui modica spernit, cadit in maiora. Permissus est autem negare, vt in Ecclesiæ Principe remediũ pœnitentiæ conderetur, & nemo audéret de sua virtute cõfidere. Post resurrectionẽ verò satisfecit, dum ipsum ter se amare professus est. Ante galli cantũ cùm adhuc tenebrę sunt in assensu, negat Petrus, postquam gallus bis cantauit, cùm iam tenebrę sunt in descensu pœnituit. Gallus, id est, prædicator somnolentos increpat, dicens: Euigilate iusti, & nolite peccare. Post cuius vocem multi prius factis Christũ negantes, pœnitent & flent amarè. Quàm noxia prauorum colloquia quæ Petrum negare cogũt,

*De abscisione auriculæ. Lucæ 24.*

*De acceptione gladii.*

*Quod vendenda est tunica, vt ematur gladius.*

*De sufficientia duorũ gladiorum. Rom. 13.*

*Quando liceat portare saccum, & peram, & quãdo nõ. Lucæ 10. 1. Cor. 9.*

*De spirituali amputatione auriculæ dextræ.*

*Quomodo Deus captus est: & ligatus, & de fuga Apostolorum. Tren. 4.*

*Zach. 13.*

*Quod Petrus & Ioannes secuti sunt Dominũ, & de trina Petri negatione.*

*Gene. 39.*

*Eccle. 19.*

*De gallicinio.*

*1. Cor. 15.*

*De malo cum sortis.*

qui inter discipulos Christum confessus est Dei filium. Intus autẽ in societate impiorũ negatur, exiens autẽ & seclusus à concilio impiorũ pœniter. A conuictu mores formantur. Cum sancto sanctus eris, & cũ peruerso peruerteris. Spiritualiter autẽ prima ancilla titubatio, secunda cõfessio, tertius vir, id est, operatio: sic perficitur trina negatio. Ad vocẽ ancillæ negat, qui carnis delectatione mortaliter peccat. Ad vocẽ calefacientium se ad prunas negat, qui per auaritiã peccat, qui se turpi quęstu calefieri desiderat, vel qui exẽplo cupiditatis alienæ à via veritatis deuiat. Ad vocẽ cognati Malchi negat, qui vitio elationis contra Deũ peccat. Malchus enim Rex interpretatur. Potentũ enim cognatũ est vitiũ elationis. Respexit eũ Dominus, & exiens, fleuit amarè. Intuitu pietatis suæ prouocauit eũ ad lachrymas. Nõ enim potuit remanere in tenebris, quem lux mundi respexit. Illi autẽ discipuli, qui fugerunt & vestẽ nõ reliquerunt. Hi sunt qui fugiũt persecutiones, infirmitati suæ timẽtes, in seculo tamen remanẽtes, Ioannes nudus fugit. Hi sunt qui relicto mundo & omnibus abrenunciãtes, vt securiores sint, sese abscondũt. Petrus sequitur, negat, & pœnitet. Hi sunt qui in tribulationibus deficiunt, sed reuertuntur & pœnitent. Interrogauit autẽ cũ esset in domo Annæ, summus Põtifex Christũ de discipulis suis, & de doctrina eius tentãdo, vt ex verbis eius sumeret occasionẽ accusandi eũ. Iesus autẽ sic respõdit, vt omnes doli & calumniæ frustrarẽtur. Ita enim tẽperat responsionẽ, vt nec veritatẽ taceat, nec se defendere videatur, dans nobis formã tẽperatè respondendi hostibus, ita vt nec veritatẽ negemus, nec eos contra nos dictis prouocemus. Ego, inquit, palã locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas. Interroga eos qui me audierũt. In turba enim, & in tẽplo loquebatur palã, quantum ad vocẽ exteriorẽ, licèt nõ omnes intelligerent. Quædã autem reuelauit Apostolis, quæ nõ aliis per se manifestauit, sed per Apostolos, quibus ait: Quæ in aure auditis, prædicate super tecta. Hęretici in conuenticulis suis quædã prędicant occultè, quæ nõ audent palã dicere. De quibus Salomon ait: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absc̃ditus suauior. Quid me interrogas, à quo veritatẽ audire nõ desideras. Interroga eos, de quorũ dictis nõ habes inuidiã. Interroga alios, vt non possis dicere mihi, tu de teipso testimonium perhibes, vt ex ore plurium testium audiens veritatẽ, non habeas calumniandi rationẽ. Hæc cũ dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapã, dicens: Sic respondes pontifici, vt impleretur quod scriptum est. Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Et Ierem. ait: Dabit percutienti se maxillã, saturabitur opprobriis. Propter quod Dominus ait: Si malè locutus sum, testimoniũ perhibe de malo. Si autem benè, quid me cædis? Cur non fecit Dominus quod docuit? Videtur quod alteram maxillam præbere debuisset. Non solùm autem alteram maxillam, sed & totũ corpus feriẽdum parauit, & huic potius ostendit præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Potest enim quis maxillam visibiliter præbere iratus. Melius ergo respondit vera placatus, & ad ferenda grauiora tranquillo animo paratus. Post hæc misit eum Annas ligatum à domo sua ad Caipham Pontificem. Vbi postquam tota nocte ei illuserunt, mane facto, conuenerunt omnes Principes Sacerdotum cum senioribus plebis & Scribis, & quærebant falsum testimonium aduersus Iesum, vt eum morti traderent, sicut scriptum est: Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Et iterum: Etenim sederunt Principes & aduersum me loquebantur: falsi erant testes, nec erant conuenientia eorum testimonia, qui mutabant Christi verba, & addebant aliqua, & subtrahebant alia, nec sub eodem sensu quo Christus dixerat, recitabant. Dominus enim dixerat, Soluite templum hoc, & post triduum suscitabo illud. Falsi autem testes dixerũt: Audiuimus eum dicentem: Possum destruere templum hoc Dei manufactum, & post triduum aliud non manufactum ędificare. Dominus dixerat, soluite vos, non dixit ego: quia nullus debet sibi inferre mortem. Dominus etiam dixerat: Suscitabo, vt viuũ animal, & templũ spiritus significaretur. Sed esto quod de templo materiali dixisset, verũ erat quod posset destruere & reparare, qui mortuos corã illis suscitauerat. Iesus autẽ tacebat, sciens, quod quidquid responderet, in calumniam verterent. Raucæ enim factæ erãt fauces eius illis, quibus cãtus eius nõ placebat. Vnde Iob in persona Christi: Haliũ meum abhorruit vxor mea, id est, synagoga. Propterea tacebat, quia verba eius recusabant, & in caliginem vertebãt. Eius autẽ taciturnitas nos admonet, canibus impudicis & detractoribus nõ esse respondendũ, cũ nulla secutura sit vtilitas. Aliquandò etiã corã Pilato & corã Herode tacebat, quia crucis vtilitatẽ impedire nolebat, vel quia indigni erant audire diuina. Cumq; diceret ei summus sacerdos. Adiuro te per Deũ viuũ, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei, dixit illi Iesus. Tu dixisti: Nõ veritatẽ desiderant, sed calumniã parant. Vbi nõ respondet Dominus, sicut ouis silet. Vbi respondet, sicut pastor docet. In Marco autem habetur: Ego sum. Potuit enim vtrumq; dicere: Primò, tu dixisti, Postea apertus dixit: ego sum, vel secundũ vsum loquẽdi quẽ habebant, dũ Christus nõ negauit, sed respõdit, tu dixisti, innuit se esse Christũ, ac si diceret, ego sum, sed nõ ita apertè. Largè autẽ sumitur verbum dicẽdi. Nõ enim enunciatiuè dixerat, sed interrogãdo de hoc mentionẽ fecerat. Vel ideò dicit: Tu dixisti, quia frequẽter scripturas legerat, in quibus dixerat ipsum esse Christum, scilicet, Messiã in lege promissum, vel in corde suo dicebat, & conscientia eius dictabat ipsum esse Christum, licèt per inuidiam ipsum occidere vellet. Christo igitur respondente, ego sum, & dicente, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli: inexcusabiles sunt, quia ab ore eius expressè se veritatẽ audierunt, & opera eius, quæ nullus alius facere potuit, viderunt. Ipsi autẽ scidentes testimonia

*Spiritualiter de trina negatione.*

*Prouer. 9.*

*De modo responsionis Christi.*

*Tren. 3.*

*Matth. 5.*

*De falsis testibus.*

*De silentio Christi.*

*Iob 19.*

*Ioan. 14.*

veſtimẽta ſua, dicẽtes: reus eſt mortis, ſicut Propheta prædixerat. Et ſanguinẽ innocentẽ cõdemnabunt. Amodo, id eſt, ex hoc tẽpore gratiæ, ſexta, ſcilicet, ætate finita, baiulis nubibus veniet ad iudiciũ in gloria ſua patri coæqualis. Tunc expuerũt in faciẽ eius, & colaphis eũ cæciderũt. Et velantes faciem eius, alapas in faciẽ eius dederunt, illudentes ei, & dicentes: Prophetiza quis eſt qui te percuſſit. Et alia multa blaſphemantes dicebant in eũ, vt adimpleretur quod dixerat per Prophetã: Faciẽ meam nõ auerti ab increpantibus & cõſpuentibus in me. Et Iſa. ait: Deſideramus eũ deſpectũ & nouiſſimum virorũ. Et Dauid: Factus ſum opprobriũ hominũ, & abiectio plebis. Et Iob ait: Aperuerunt in me ora ſua, exprobrantes percuſſerunt maxillã meã, ſatiati ſunt pœnis meis. Sputis linitus eſt Dominus, vt nos ab inquinamẽtis noſtris lauaret. Velatã habuit faciẽ, vt velamẽ cordiũ auferret. Cæſus eſt colaphis, vt nos ſanaret. Eius opprobria noſtrum tulerunt opprobriũ. Eius vincula noſtra ſoluerunt. In faciem Chriſti ſuperbi cõſpuunt, qui gratiam eius reſpuunt. Cæſus eſt colaphis Iudæorum, nunc cęditur blaſphemiis falſorũ Chriſtianorũ. Faciẽ eius velant, qui veritatẽ eius agnoſcere recuſant. Princeps ſacerdotũ veſtimẽta ſcidit, vt oſtenderetur Hebræũ populum nudatũ ſacerdotio, & euacuatũ Regno ſciſſo. Vſq; hodie autem nõ ſolũ ſuper faciẽ Moyſi, ſed ſuper faciẽ Chriſti eſt velamentum, ne Iudæi eũ agnoſcant. Poſt hæc adduxerunt eũ vinctum in prætoriũ, & tradiderunt Pontio Pilato. Tunc vidẽs Iudas quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccaui, tradens ſanguinẽ iuſtũ. Et proiectis illis in templum, abiens laqueo ſe ſuſpendit. Iudas vendidit precium noſtræ redemptionis, peccator vendit diabolo mercedem precij, id eſt, animã, quod maius eſt. Nõ ad miſericordiã Chriſti, ſed ad laqueum miſer cucurrit pœnitentia ductus, nõ Dei amore, ſed mundi pudore. Et diffuſa ſunt viſcera eius, quæ prius diffuſa fuerant per auaritiam & anxietatẽ cõgregandi pecuniam. Quid igitur fiet de fęneratoribus & raptoribus, qui pecuniã iniuſtè acquiſitam reportare nolũt, cùm Iudas reportauerit, & tamen æterno interitu perierit. Dixerũt autẽ ſacerdotes. Non licet eos mittere in Corbonã, quia preciũ ſanguinis eſt. Et inde emerunt agrum figuli in ſepulturã peregrinorum. Hoc eſt cõtra Prælatos & regulares, qui à fœneratoribus & raptoribus munera accipiunt. Corbona, donũ vel oblatio interpretatur, & idẽ eſt quod gazophylacium, in quo oblationes reponebãtur. Ecce colãtes culicẽ, camelum glutiunt. Si nõ licet mitti in Corbonã, quia preciũ ſanguinis eſt, cur igitur ſanguis funditur, quod maius eſt. Myſticè autẽ figulus Deus eſt, ager mundus, qui precio ſanguinis eius eſt emptus, vt ei cõſepelian-tur veri peregrini. Dicit autẽ Matthęus, impletum eſt, quod in Ieremia Propheta dicitur: Acceperunt triginta argenteos preciũ appreciati, quẽ appreciauerunt à filiis Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli. Revera apud Ieremiã inuenitur de agro empto. Apud Zachariã verò de triginta argenteis, ſed in neutro hæc verba inueniũtur. Euangeliſta autẽ magis curauit de ſententia, quã de forma verborum. Cùm autẽ eſſet Ieſus ante Pilatum, quæſiuit Pilatus ab eo, ſi ipſe eſſet rex Iudæorũ. Accuſabãt autẽ eum ſummi ſacerdotes in multis, ſcilicet, quod prohiberet tributa dari Cæſari: quòd ſeduceret populum: quòd diceret ſe poſſe deſtruere tẽplum, & poſt triduũ reędificare, quòd ſe diceret filium Dei, quòd ſe dicebat regẽ Iudęorum. De hoc autẽ magis curauit prędes, quia cõtra imperatorẽ Romanum eſſet, ſi ſe diceret regẽ. Vnde quæſiuit, ſi eſſet rex Iudæorum. Ieſus autẽ ita reſponſum temperat, vt ſermo eius calumniæ nõ pateat, & tamẽ veritatem nõ taceat. Tu dicis, quia Rex ſum ego. Dat exẽplum, quod aliquando indirectè reſponden dum eſt aduerſariis: & quandoq; nihil penitus eſt eis reſpondendum. Tu dicis, inſinuando. Sic enim aduerſariis ſuis reſpondebat, vt omnes doli & calumniæ fruſtrarentur. Quaſi diceret. Tu dicis, id eſt, ſermonẽ inde facis, & ego nõ nego: quia in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundũ, vt teſtimoniũ perhibeã veritati. Prius tamen quæſiuit à Pilato interrogãte, an ipſe eſſet rex: A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Sciebat quod Pilatus nõ à ſe hoc dicebat: ſed à Iudæis calumniantibus, & falſò ei imponentibus, quod regnum tẽporale ſibi vſurpare volebat. Quærit tamen vt ſcire faciat aliis, & vt ex reſpõſione Pilati occaſionẽ habeat dicere ad vtilitatẽ noſtrã, hoc quod ſequitur, ſcilicet, regnum meum nõ eſt de hoc mundo. Pilatus reſpõdit ei: Nunquid ego Iudæus ſum? quaſi diceret: A me non dico, ſed à Iudæis, qui tibi hoc imponũt, qui ideò te mihi tradiderunt. Quid feciſti? quaſi diceret, hæc cauſa eſt, an alia, propter quã traderis mihi? Reſpondit Ieſus, nõ negans ſe eſſe regem, nõ tamen de mundo ſe eſſe fatetur: ſicut ille carnaliter æſtimabat, Regnum meum nõ eſt de hoc mundo, id eſt, credentes in me, & ſi adhuc ſunt in mundo, quaſi diceret: Decepti eſtis, non impedio dominationẽ veſtram in mundo, falſum crimẽ mihi imponitur, veritatẽ tamẽ negare nolo, quia ad hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Cumq; quæreret Pilatus quid eſſet veritas, nõ reſpondit Chriſtus, vel quia noluit ſpargere margaritas ante porcos, vel quia Pilatus nõ multũ curabat, & noluit expectare reſponſum, quia volebat liberare eũ, & ſubitò in mentẽ venit conſuetudo Iudæorũ, quibus in feſtis diebus ſolebat præſes dimittere vnũ ex vinctis. Quia enim Pilatus ſciebat, quod per inuidiã eum tradidiſſent, multis modis conatus eſt eum liberare. Timebat enim iuſtum interficere, vnde primò dixit eis. Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtrã iudicate eum. Ipſi autem dixerunt. Non licèt nobis interficere quemquam, ſcilicet, propter diei ſanctitatem. Contra ſe dicunt, nam Pilatus interfecit, licèt non manibus propriis. Similiter Iudæi eum interfecerunt perſuaſione & conſenſu, vt ſermo Domini impleretur, ſignificans qua morte moreretur, id eſt, quod traderetur gentibus ad crucifigendum, quaſi totum faciamus, & nihil feciſſe videamur.

*De ſputis & colaphis, & opprobriis Chriſti.* *Iſaiæ 50.* *Iſaiæ 53.* *Exod. 24.* *De inutili pœnitentia Iudæ & eius ſuſpenſione.* *De myſterio agri empti.* *Matth. 27.* *Iere. 32.* *Zach. 11.* *De multiplici accuſatione Chriſti.* *De modo reſpondendi Chriſti.* *Ioan. 18.* *Matth. 7.* *Quod Pilatus multis rationibus Chriſtũ liberare voluit.*

deamur. Voluerunt igitur eũ per alios occidere. Voluit etiá eum liberare Pilatus, propter vxorẽ suam, quæ dixerat ei: Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum per visum propter eũ. Sicut enim diabolus mortẽ intulit mundo per mulierẽ, ita nũc conatur Christũ liberare per mulierẽ, ne per mortẽ eius, mortis amittat imperiũ, intelligens nunc demũ se per eũ spolia amissurum.

*Quare Dominus Herodi nihil responderit voluit.*

Misit eũ præterea Pilatus ad Herodẽ, vt sic euaderet importunitatẽ Iudæorũ. Ipse autẽ Herodi nihil voluit respondere. Pilato autẽ, qui inuitus sententiá ferebat ex aliqua parte respondit. Herodi autẽ, & aliis, qui contra legẽ innoxiũ dãnabant, tanquá incredulis & indignis nihil dixit. Vbi tacet, quasi agnus prò grege mactandus patientiá præstat. Vbi respondit: quasi pastor pro ouibus contra lupos pugnat: exemplũ dans, quod tẽpus est tacendi, & tẽpus loquẽdi. Herodes cupiebat signũ videre: sed mores prauos vulpecula illa nolebat emendare. Vnde spreuit eum & illusit indutũ veste alba. Et nos si illudamur & affligamur, non tanquá malefactores patiamur, sed induti alba veste innocẽtiæ. Facti sunt autẽ amici, Pilatus & Herodes in illa die. Multi nefando fœdere hodie in occidendo Christũ in mẽbris suis confœderãtur. In dando autẽ munera Prælatis Herodes & Pilatus sæpè amici efficiuntur. Iterũ voluit eũ Pilatus liberare, dicẽs: Nullá in eo causam inuenio ex his, in quibus eũ accusatis, sed neq; Herodes: Emendatũ ergo illum dimittã. Hanc correptionẽ deridendo & flagellãdo nefandorũ exhibuit desideriis, ne vsq; ad crucifigendũ desęuirent. Ligatum enim eũ ad columnã flagellauerunt, cuius liuore sanati sumus. Insatiabilis tamẽ furor homicidarũ nõ cessat, sed clamat, crucifige. Iterũ voluit eũ liberare, dicẽs: Quem vultis vobis dimittã, Barabbã, an Iesum. Cumq; diceret, quod Christũ crucifigerẽt: dicebat: Quid enim mali fecit? Et iterũ: Regem vestrũ crucifigã? De ignominia eorũ volẽs eos frangere & cõpescere. Iterum autẽ, vt ostẽderet, quòd iniustè traderetur morti, petiit aquã, & lauãs manus suas, ait: Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Revera innocẽs nõ fuit, sed valdè precauit, tandẽ acquiescens Iudæis, cũ posset cum effectu cõtradicere. Ipse autẽ abutẽdo potestate data sibi desuper à Deo ad benè vtendũ peccauit, sed nõ adeò, sicut Iudæi, qui Christũ morti tradiderunt inuidendo. Pilatus autẽ exercuit in eo potestatẽ, metuendo, quá habebat potestatẽ à Deo, sed abusum à diabolo. Vnde Dominus ait illi: Non haberes in me potestatẽ, nisi datũ tibi esset desuper, scilicet, à Deo, qui solus altissimus est super omnẽ terrã. Alij domini sunt, quasi officiales, quos quãdo vult deponere, potest. Lauit igitur manus suas, sed nõ lauit cor, more hypocritarum. Iudæi autẽ clamauerunt: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vnde Isa. ait: Cùm multiplicaueritis orationes, nõ exaudiã. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, scilicet, sanguine Christi, quẽ effundi postulauerunt. Dãnationis autẽ suæ chirographo pro se & hæredibus suis subscripserunt, dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbã, Iesum verò flagellis cęsum, tradidit eis, vt crucifigeretur. Ecce aries immolãdus ineter spinas adhęret, scilicet, inter spinosas Iudæorũ manus. Ecce ligna siluarũ, id est, Iudæi elegerunt ramnũ, id est, Barabbã: & oliuã perdiderunt: lupũ agno, lutũ auro præponẽtes. Barabbas, id est, diabolus dimissus est, Iudæis recedentibus à Christo. Pilatus autẽ os malleatoris interpretatur & significat diabolũ, qui malleus est vniuersæ terræ, qui malos, de quibus securus est, in pace dimittit, bonos autẽ affligit. Secundũ Hieronymum, Christus & Barabbas duo sunt hirci, vnus apopeius, id est, emissarius, cũ peccato in desertũ inferni absolutus dimittitur, alter pro peccatis absoluẽdis, vt agnus occiditur. Iudæi in fine Barabbã, id est, Antechristum eligẽt, & Christum recusabunt. Tunc milites præsidis susçipientes Iesum in prætorio cõgregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, induerunt tunicam purpuream, & clamidẽ coccineã circundederunt ei, & plectẽtes coronã, de spinis imposuerunt super caput eius, & arundinẽ in dextera eius, & genu flexo ante eum illudebãt, dicentes: Aue Rex Iudæorũ. Et dabãt ei alapas, & expuentes in eum, acceperunt arundinẽ, & percutiebãt caput eius. Purpura qua vtuntur Reges induerũt eũ, obiicientes quod regnũ vsurpasset. Vnde & derisoriè, arundinẽ pro Regio sceptro posuerunt in dextra eius. Ob hoc nõ flectimus genua hodie pro Iudęis, quia Dominũ irrisoriè adorando illuserunt. Milites omnia mysticè fecerunt ignorãtes, sicut Caiphas nesciens de Christo Prophetauit, dicens: Expedit vobis vt vnus moriatur pro populo. Purpura vestierunt, quia sanguine passionis tinctus fuit. Vnde Isa. Quare rubrũ est indumentũ tuũ, & vestimentũ tuum sicut calcantiũ in torcularì? Prius autẽ in domo Herodis albis vestierunt eum. Iuxta illud: Dilectus meus candidus & rubicundus. Spineã portat coronã: quia spinas peccatorum nostrorũ in corpore suo tulit super lignũ. Qui autẽ spinis & aculeis peccatorum suorũ ipsum pungunt, coronã spineã capiti eius imponunt. Arundine percussus est in capite, vt arundinẽ quassatã, genus, scilicet, humanum nõ cõfringeret, sed repararet. Arundine caput eius percutit, qui sacrã scripturã peruersè exponẽdo corrumpit, de diuinitate eius malè sentiendo. Arundine scribebãt antiqui, per quã diuina scriptura intelligitur. Fimo opprobriorũ & sputorũ terrã sterilẽ impinguauit, & fertilẽ reddidit, dum saliuæ sputorũ fluxerunt in barbã Dauid. In faciẽ spuunt, qui verba execranda cõtra eum proferunt. Postquã illuserunt, induerunt eum vestimentis suis, & balantẽ sibi crucẽ, duxerunt eum extra ciuitatẽ, vt crucifigerẽt. Educitur Abel in agrũ à fratre, vt occidatur. Isaac portat ligna, vt immoletur. Baiulat crucem suã Christus, vt eã commendet imitaturis, cuius imperium super humerũ eius, id est, sceptrum imperiale, per quod omnia eius imperio subiecta sunt. Eiicitur autẽ extra ciuitatẽ. Vnde Isa. Nos reputauimus eũ quasi leprosum. Leprosi enim extra castra eiiciũtur. Factus est enim opprobriũ hominũ & abiectio plebis.

*De illusione Christi facta corã Herode.*
*De confœderatione Pilati & Herodis.*
*De flagellatione Christi coram Pilato.*
*De ablatione manuum Pilati, & Iudæorum clamore. Isaiæ 1.*
*Gene. 22. Iud 9.*
*Quod Barabbas latro dimittitur, & innocens Christus occiditur.*
*De illasione facta Christi à militibus, et quod exutus est Christus vestimentis suis.*
*De purpura & corona spinea, & arundine, & alapis ac sputis.*
*De mysterio prædictorum. Ioan. 11. Isaiæ 63. Cant. 5. Isaiæ. 53. 1. Pet. 2. Isaiæ 42. 1. Reg. 21.*
*Quod Christus crucem humeris suis portauit. Gene. 4. Gene. 22. Isaiæ 9.*
*De electione Christi extra ciuitatem. Isaiæ 53. Leuit. 13.*

Vitula enim rufa cõburitur igne passionis extra castra. Vt autẽ citius venirent ad locum passionis, angariauerunt Simonẽ Cyrenẽũ, vt portaret crucẽ Iesu. Simeon obediens: Cyrene hæres interpretatur. Per hunc significãtur Gentiles inculti de villa ruditatis venientes, qui Christi crucem tulerũt, postquã Christus eã portauit. Vel per istũ, qui crucẽ in angaria portauit, intelligũtur hypocritæ, & alij, qui nõ propter Deũ crucẽ ferunt, sed humano fauore vel timore: & hi in cruce nõ moriuntur, sicut Simon Cyrenæus crucẽ tulit, sed in cruce nõ obiit. Quanta reproborum impietas. Nemo dãnatus cogitur ferre tormentũ suum, latronibus paratur patibulũ. Ipsi autẽ vt maius dedecus Christo facerẽt, crucẽ suã illum portare fecerũt. Conuersus Iesus ad mulieres, quæ plangebãt super eum, ait: Filiæ Hierusalẽ, nolite flere super me. Et prædixit eis calamitatẽ venturã per Romanos Iudæis in vltionẽ mortis Christi. Quod præfiguratũ est in pueris irridentibus Eliseum, & dicentibus: Ascende calue, quos duo vrsi deuorauerunt. Titus enim & Vespasianus captiuauerunt Iudæos, & destruxerunt, qui Christũ in mõte Caluariæ deridẽtes, vt crucẽ ascenderet, prouocauerunt. Christus autem caluus fuit, absque capillis tẽporalium, & maximè quando recesserunt ab eo discipuli eius. Quia verò Iudæi secundũ prophetiã Ieremię dicentis. Mittamus lignũ in panẽ eius, verũ panẽ in ligno miserunt, seu lignũ crucis in pane corporis eius deficiente pane materiali, in obsidione Romanorum, fame cõsumpti sunt. Sicut enim pueri magis gaudent de pomo, quã de prædio, ita Iudæis promissa sunt tẽporalia, quibus allicerentur. Christũ autẽ promittentẽ æterna, & persuadentẽ relinquere tẽporalia, sustinere nõ potuerunt, & idcirco tẽporalia & æterna perdiderunt, sicut scriptũ est: Extendisti manum tuã in cruce, scilicet, & deuorauit eos terra, id est, amor terrenorũ. Vnde dixerunt: Si dimittimus eum, sic venient Romani, & tollẽt locum nostrũ. Et idcirco inflictum est illis, vt quod timebãt, eueneritillis. Sicut enim segetes ex nimia vbertate in terrã cadunt, ita ipsi abundãtes tẽporalibus quæ magis quã Christũ dilexerunt, corruerunt. Prodiit enim ex adipe iniquitas eorum. Et maximè, quia in lege & Prophetis, & legalibus confidentes, & aliis multis, quibus præ cęteris nationibus abundãt, quasi ex fertilitate deciderunt, dũ Christũ recipere noluerunt. Possunt præterea hæc intelligi de eorũ dãnatione futura, in secundo aduentu ad iudiciũ, quãdo dicent mõtibus cadite super nos, & collibus cooperite nos. Quia si in viridi, id est, in Christo hoc permisit fieri, in arido, id est, in gente reproba Iudæorũ quid tunc fiet? Propter quod ipse dicit. Ego sum vermis & nõ homo. Vermis enim cũ tangitur, mollis & fragilis sentitur. Ita Christus in primo aduentu. Cũ verò tãgit, rigidus sentitur, & penetrat lignũ etiã durũ, & corrumpit, ita Christus in secundo aduẽtu rigidus sentietur. Dicitur etiã vermis, quia de terra natus est sine semine, sicut scriptũ est: Veritas de terra orta est. Et quia ore se trahit. Et Christus propter prædicationẽ veritatis, ad crucis patibulũ tractus est. Factus est autẽ vermis, vt hominẽ qui prius fuerat socius Angelorum, & factus erat socius vermium, ad priorẽ reduceret dignitatẽ. Hunc vermẽ cadauera peccatorũ nostrorũ attraxerunt. Crucifixerunt igitur Iesum in loco caluarię, & cum eo duos latrones, vnum à dextris, & aliũ à sinistris, sicut prædixerat Isa. Et cum iniquis deputatus est. Et Abacuc: In medio duorũ animalium cognosceris, id est, duorum latronum, quorum vnus fuit cõfessor, alter itrisor. Vnus diligẽs & delectus, alius negligens & neglectus. Cùm iniquis autem reputatus est, vt ab iniquitatibus nostris nos liberaret, & cum iustis reputaremur. Cum iniquis deputatus est in morte, vt iniquos cõuiuificet in resurrectione. Qui inuiti patiuntur & tanquã malefactores pẽdent in cruce à sinistris. Qui cõtriti & voluntarij pro peccatis suis pœnitentiam agunt, & seipsos affligunt, pendent cũ latrone in cruce à dexteris. Qui verò ponunt animã suã pro fratribus, hi specialiter in cruce cũ Christo pendẽt. Latro autẽ qui fuerat prius penna structionis, factus est pluma accipitris. Vnde Iob: Nunquid per sapientiã tuã plumescet accipiter. De crucifixione Domini apertè prophetauit Dauid, significãs qua morte interficerent eũ Iudęi, dicẽs in persona Christi, Foderũt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Et in Deuter. dicitur: Erit vita tua pendẽs ante oculos tuos, & nõ credes vitæ tuę. Mysticè autẽ dum Christus in suis mẽbris affligitur, manus eius id benè operãtes in Ecclesia fodiuntur, & pedes ipsius, scilicet, prędicatores, qui ipsum ferunt per mundum. Lingua autẽ eius adhæret fauci-bus: dũ prædicatores verbis Christi adhærẽt, illa implẽdo. Dederunt autẽ ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum: & cũ gustasset, noluit bibere. Hoc autẽ prædixerat Dauid. Dederunt in escã meã fel. Et Iere. ait: Recordare paupertatis & trãsgressionis meę, absynthij & fellis. Vinũ myrrhatũ cũ felle bibere noluit, qui tamẽ butyrũ & mel comedit. Incorporat enim sibi butyrũ, quantũ ad suauitatẽ conuersationis, & mel, quantũ ad dulcedinẽ dilectionis, vt sciat, id est, scire nos faciat, se velle reprobare malos, scilicet, Iudæos peruersos & amaros, & diligere bonos. Butyrũ enim sine caseo comedit, qui naturã humanitatis, sine peccati corruptione assumpsit. Gustauit autẽ mortẽ ad horã, quia & Domini Domini exitus mortis: sed nõ bibit, quia nõ est à morte detẽtus, sed citò surrexit. Vespere autẽ captus est Dominus, mane iudicatus, meridie crucifixus. Vnde per Psal. Vespere & mane, & meridie narrabo & annũciabo. Narrat enim patri quòd vespere caprus sit. Mane iudicatus, meridie crucifixus. Et annũciabit omnibus, quãdo veniet mundum iudicare. Marcus ait: Hora tertia, vt Iudęos qui se excusant, magis Christũ crucifixisse, lingua sua ostẽdat. Iesus autẽ dicebat: Pater mi, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, sicut scriptũ est in Isa. Et pro trãsgressoribus orauit. Et in Psal. Pro eo vt me diligerẽt, detrahebãt mihi, ego autẽ orabã. Quãta charitas, & immẽsa pietas. Iudæus clamat: crucifige, & Christus clamat, ignosce. Diuiserunt autẽ milites Christi vestimenta in quatuor partes. Tunicã autem, quia inconsutilis

*Quod Simon Cyrenæus crucem portauit.*

*Quod Christus destructionẽ Iudæorũ futurã prædixit. 4. Reg. 2.*

*Iere. 11.*

*De duobus latronibus, cum Christo crucifixis. Isa. 53. Abacuc.*

*Iob 39. Testimonia de crucifixione & morte Christi. Deut. 28.*

*De felle & myrrha quæ Christo ad bibendum obtulerunt. Tren. 3. Isa. 7.*

*De hora crucifixionis Christi. Mar. 15. Luce 23.*

*Quod Christus pro crucifixoribus orauit. Isaiæ 53.*

consutulis erat, desuper cõtexta per totũ nõ diuiserunt, sed miserunt sortẽ cuius foret: sicut scriptum est: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestẽ meã miserunt sortẽ. Quadripartita vestis significat Ecclesiã in quatuor mũdi partibus diffusam. Sunt prętereà in Ecclesia quatuor electorum genera, cõiugati, viduati, prępositi, & separati, siue eremitę. Tunica indiuisa, omniũ patium significat vnitatẽ. In sorte autẽ Dei gratia cõmendatur. Cùm autẽ diuisiones gratiarũ sint in Ecclesia, absq; vnitate & charitate nullus est de Ecclesia, quãtum ad meritũ vitę. Desuper verò cõtexta fuit, quia charitas supereminet vniuersis. Incõsutilis autẽ, ne aliquãdo vnitas Ecclesiæ, quę omnes in vnũ colligit, dissoluatur. Scripsit aũt & titulũ Pilatus, Hebraicè, Gręcè & Latinè: Iesus Nazarenus Rex Iudęorũ. Tribus linguis titulus scribitur, vt in ore duorũ vel triũ testium stet omne verbũ. A tribus autẽ generibus hominũ Christus habet testimoniũ, Hebræis, Gręcis ac Latinis. Hę tres linguę principales erãt in mundo. Titulus autẽ ostendit, q, nec occidendo fixum cere potuerunt, quin esset Rex. Vnde Pilatus: Quod scripsi, scripsi, id est, indelebile est q, scripsi, mutari nõ potest, nõ corrũpo veritatẽ, & si diligitis falsitatẽ, vt impleatur Esdrę prophetia: Tituli inscriptionẽ ne corrumpas. Est autẽ Rex Iudæorũ, id est, verè cõfitentium. Reproborũ enim Iudęorũ velint, nolint, Rex est ac Dominus, ad puniendũ & cõdemnandum. Qui titulũ crucis de frõte suo delet, dãnabilior est Pilato. Vnde Dominus in Iob: Terra ne operias sanguinẽ meũ. Terrenorum enim amor quãtum in se est, literas, quibus scriptus est titulus minio sanguinis fœdat & operit. Prętereuntes autẽ blasphemabãt eum dicentes: Vah qui destruis tẽplum Dei, & in triduo reędificas, si filius Dei es, descende de cruce. Hoc est q, Dominus per os Dauid ait: Audiui vituperationẽ multorũ cõmorantium in circuitu. Et iterũ in persona Iudęorũ irridẽtium: Euge euge, viderũt oculi nostri. Et iterũ in persona Domini: Aperuerũt super me os suũ, sicut leo rapiens & rugiẽs. De cruce autẽ ad vocẽ insultantiũ Dominus noluit descẽdere, vt nobis relinqueret exemplũ patientię & perseuerãtiæ. Mori enim voluit in cruce, vt nos in cruce pœnitẽtię moreremur. Cũ enim saluus esse nõ possit, nisi qui perseuerauerit vsq; in finẽ: si descẽderet neminẽ saluũ faceret, vnde Dominus descendere nõ voluit, quia de sacrificio vespertino caudã deponere nõ debuit. Si enim Pilatus quod scripsit, scripsit, & Christus nõ perficiet q, incœpit? Ipse enim cœpit & sanabit nos. Propterea ipse ad patrẽ ait: Opus cõsummaui, quod dedisti mihi, vt faciã. Similiter & Principes Sacerdotũ illudẽtes cũ Scribis & Senioribus dicebãt: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest saluũ facere? Si Rex Israël est, descẽdat de cruce, & credimus ei. Planè mentiuntur: maiora enim fecit, mortuos suscitauit, tertia die surrexit, nec tamẽ crediderunt ei. Dæmones autẽ virtutẽ crucis sentiẽtes, & vires suas cõfractas, hoc per Iudæos agere intẽdunt, vt de cruce descẽdat. Et qui priùs dixerat: Mitte te deorsum, modò dicit descẽde de cruce. Eius autem est ascẽdere nõ descẽdere. Si Rex Israël est, imò quia Rex Israël est, virgã imperij nõ deponat: cuius imperiũ super humerũ eius. Scriptũ est enim: Dominus regnauit à ligno. Generatio prauа & adultera signũ quærit vt descẽdat, & nõ dabitur ei signũ, nisi signũ Ionæ Prophetæ, nõ signum descensionis, sed resurrectionis. Dominus autem noster in cruce perseuerãdo patientiã exhibet, humilitatem cõmendat, obedientiam implet, perficit charitatem. His quatuor dotibus Christi Ecclesiam spoliare satagebat, qui dicebat: Descende de cruce, sciens quod maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde & propter hoc vxorem Pilati misit, metuens ne intuentium in serpentem æneum, vulnera sanarentur. Nos igitur ad imitationem Christi neminem audiamus persuadentem, quod de cruce descendamus. Verus enim Iosue non retraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum aureum, donec interficerentur omnes habitatores Hai, quæ vallis sordiũ interpretatur. Noluit autem Dominus statim ostẽdere potentiã suã, vt nobis cõmendaret potentiã & humilitatem, sicut scriptum est: Traditus sum & nõ egrediebar, id est, potentiã meã non ostendebã. Et Abacuc ait: Cornua in manibus eius, cornua, scilicet, crucis, ibi, id est, in cruce abscõdita est fortitudo eius. Si enim veniret Dominus super equũ diuinitatis & arma nõ mutasset, nunq; diabolus cum eo cõgredi auderet. Dicitur autẽ quod super brachiũ crucis diabolus sedẽs, finẽ expectaret. Cùmq; cognouit ex obscuritate Solis, & aliis quę fiebãt, ipsum esse filiũ Dei, cõfusus abscessit. Idipsum & latrones improperabãt ei, plurale pro singulari. Vel vterq; prius blasphemauit, deinde visis signis, vnus credidit, dicẽs: Miserere mei cùm fueris in regno tuo. Ecce iam nõ solus derelictus est, sed ex ore impij perfecit laudẽ. Verus autẽ agnus matrẽ de cruce cognoscens, illam discipulo cõmendauit. Miracula autem facturus eam quasi ignotã habuit, dicẽs: Quid mihi & tibi mulier? Non enim ex eo quòd à matre sumpsit, sed ex potentia diuinitatis miracula fecit. Nunc autem illam in infirmitate agnouit, quam ex ipsa contraxit. Vnde Apostolus: Si quis curam suorum non habet, infideli deterior est. Hæc autem est illa mulier, quæ in necessitate famis filium suum morti tradidit, sicut in libro Regũ dicitur, vt mulier altera, id est, Ecclesia, eodem modo filium suum morti traderet: vt pellem pro pelle, sanguinẽ pro sanguine, animã pro anima tribuamus. Vnde Dominus in Iob: Radix mea aperta est secus aquas, & ros in messione mea morabitur. Radix, id est, amaritudo passionis aperta est secus aquas in exemplum omnium populorum, & ros sanguinis, ros sudoris, ros gratiæ, ros doctrinæ messem meã irrigabit. A sexta autem hora vsq; ad horam nonam, factæ sunt tenebræ super vniuersam terrã. Compatiuntur elementa suo creatori, pro quo pugnat orbis terrarum. Has autem tenebras tribus vicibus surgens ad matutinas repręsentat Ecclesia. De his tenebris Amos Proph. ait: Erit in die illa, dicit Dominus: occidet Sol in Meridie. Et Iere. ait: Occidit eis Sol, cũ adhuc medius esset dies. Cùm autem

*De diuisione vestium, & quod tunica non fuerit diuisa. 1. Cor. 12.*

*De inscriptione tituli.*

*Iob 16.*

*Quare de cruce descendere Dominus noluit. Leuit. 9.*

*Osee. 6.*

*Matth. 4.*

*Isaiæ. 9.*

*Ioan. 15.*

*Num. 21.*

*Iosue 8.*

*Abac. 3.*

*Luce 23.*

*Quod de cruce matrem discipulo commendauit. 1. Tim. 4.*

*4. Reg. 6.*

*De tenebris factis in passione Christi. Sap. 5. Amos. 8.*

autẽ diceret Iesus: Sitio, cõtinuò currẽs vnus ex eis, acceptã ſpongiã impleuit aceto, circumponens hyſopo, & imponẽs arundini, dabat ei bibere: & cùm accepiſſet acetũ, dixit: Cõſummatũ eſt. Omnia cõſummata erãt, quæ oportebat fieri, anteq̃ acciperet acetum. Sumpto aceto, cõſummata eſt ſcriptura, quę dicit: In ſiti mea potauerunt me aceto. Sitiebat ſalutẽ eorum, ipſi autẽ degeneres à vino S. Patrũ cõuerſi ſunt ei in amaritudinẽ. Expectauit, vt vinea illa faceret vuas, & fecit labruſcas. Spõgia, corda eorum cauernoſa & fraudulẽta ſignificat: hyſopus Chriſti humilitatẽ, quã circumuenire Iudęi putabãt. Arundo ſcripturã ſignificat, quę in hoc facto implebatur. Iesus autẽ clamãs voce magna, ait: Pater in manus tuas cõmendo ſpiritũ meum: & inclinato capite emiſit ſpiritũ. Voce magna clamat, vt ſomnolẽtos excitet, ac ſi diceret: Lazare, veni foras. Vnde Iob ait: Terra ne operias ſanguinẽ meum, neq; inueniat in te locum latẽdi clamor meus. Cùm enim hoc clamore emiſit ſpiritum, quẽ terra cupiditatis nõ ſinit peruenire ad aures cordis. Mortuus eſt, vt mortuos viuificet: cõſumptus eſt, vt nos reſtauraret: corpus cõſumpſit, ſicut in fornace cõſumitur plumbũ vel ſtannum, vt purgetur argẽtum. Vnde Zachar. Lapis ſtanneus in manu Zorobabel. Stanno enim humilitatis ſuę argẽtum noſtrum purgauit. De morte autẽ eius prædixerat Iſa. Sicut ouis ad occiſionẽ ducetur, & quaſi agnus corã tondẽte ſe obmuteſcet. Et iterum: Tradidit in mortẽ animã ſuã, & cum ſceleratis reputatus eſt. Eadẽ autẽ hora mortuus eſt Chriſtus, & latro in Paradiſum introductus, qua Adã de Paradiſo eſt eiectus. Sicut autẽ Adã potuit mori & nõ mori: ita ſolus Chriſtus poſt peccatum Adæ potuit mori & nõ mori. Sicut Adã voluntariè peccauit, ita Chriſtus voluntariè moriẽdo ſatisfecit. De morte eius & clamore ait Iacob: Ad prędã aſcendiſti fili mi, requieſcẽs accubuiſti, vt leo. Aſcendit enim crucẽ ad prędãdum diabolum. Chriſto autẽ rugiente in cruce per clamorem, malę beſtiæ infernales expauerunt, & ſuã virtutẽ amiſerunt. Inclinauit autẽ caput, vt os colũbæ reflecteretur ad membra, pro quibus patiebatur. In morte autẽ Domini velum tẽpli ſciſſum eſt, à ſummo vſq; deorſum, & terra mota eſt, & petrę ſciſſę ſunt, & multa corpora ſanctorũ, qui dormierũt, ſurrexerunt, & poſt reſurrectionẽ ipſi venerunt in ſanctã ciuitatẽ, & apparuerunt multis. Ioſephus autẽ refert virtutes Angelicas præſides quondã templi tunc pariter cõclamaſſe: Fugiamus ex his ſedibus. Velum autẽ ſcripturæ ſciſſum eſt, quia leo de tribu Iuda omnia ſignacula eius ſoluit, vt pateret ſpiritualis intelligentia, & videret omnis caro, quod os Domini locutũ eſt. Amota eſt etiã rõphea, vt pateret aditus ad ſancta ſanctorũ, id eſt, ad æternã beatitudinẽ. Velum etiã peccati & velum ignorãtiæ ſciſſum eſt. Terra mota eſt, Dominũ ſuum pendentẽ ferre nõ ſuſtinens. Sed & terrenorũ corda per virtutẽ paſsionis mota ſunt ad pœnitentiã: & cecidit turris Babel, atq; ędificia vitiorũ. Petrę & monumẽta aperta ſunt, in typũ futurę reſurrectionis. Petrę etiã ſciſſę ſunt, quia duritia Gentilium emollienda erat. Poſſet addidiſſe: Inferni clauſtra cõfracta ſunt. Vnde Augu. refert Lazarũ reſuſcitatũ dixiſſe, animas in inferno eſſe gauiſas, pro imminẽte Chriſti aduẽtu ad eas. Hi ſancti qui tunc ſurrexerunt, creduntur cũ Domino aſcendiſſe, nõ tamẽ antè ſurrexerunt q̃ Dominus: qui eſt primogenitus ex multis fratribus. Cẽturio autẽ, & qui ex aduerſo erãt viſo terrę motu, & his quæ fiebant, & q, ita clamans expiraſſet, glorificantes Deũ, dixerunt: Verè filius Dei erat iſte. Ecce nouiſſimi fiunt primi. Gentilis cõfitetur, & plebs Iudaica exęcata negat. Agnus balatu clamoris, matrẽ ſuã agnoſcit. Moyſe autẽ in mõte clamãte & virgã leuãte, Pharao perimitur cũ ſuo exercitu. Gẽtilis autẽ intelligens ſpinæ ſuæ ramnũ, cõpungitur & pœnitet, & cõfitetur. Chriſtus enim in Idumęam extendit calceamentum ſuum, id eſt, in gentilitatem, paſsionis ſuę effectum. Virga enim crucis mare percuſſum iter prębuit, & eius amaritudo cõuerſa eſt in dulcedinẽ, & muri Iericho corruerunt. Ouis enim & capra offerebãtur ad latus altaris, quod reſpicit ad aquilonẽ, quia Chriſtus pro gẽtibus paſſus eſt, qui in gelicidio peccatorũ cõmorabantur. Et nos in omni ſacrificio noſtro, & in omnibus operibus noſtris, inſidias diaboli deuitemus. Chriſto autẽ in cruce mortuo, vnus militũ, lancea latus eius aperuit, & cõtinuò exiuit ſanguis & aqua. Vnde Zacha. ait: Videbũt in quẽ cõfixerunt. Et Iere. Tetẽdit arcum ſuũ, & poſuit me quaſi ſignũ ad ſagittã. Et Dauid: Super dolorẽ vulnerũ meorũ addiderũt. Et B. Iob ait: Cõfregit me & poſuit me quaſi ſignũ, circũdedit me lanceis ſuis, cõuulnerauit lũbos meos. In apertione autẽ lateris, apertus eſt nobis aditus Paradiſi. Fecit nobis in latere oſtiũ lãcea charitatis, vt nos in cor ſuũ introduceret. Lãcea enim qua Chriſti latus vulneratũ eſt, charitas eſt. Vnde in Cant. Vulnerata ſum charitate. Hoc eſt oſtiũ in latere arcę Noë, quo intrãt animalia, nõ peritura diluuio. Ecce formata eſt mulier de viri dormientis latere, de quo ſacramenta Eccleſiæ manauerũt. Sãguis fuſus eſt in remiſsionẽ peccatorũ. In aqua autẽ, ablutio eſt ſordiũ. Ex aqua autẽ frigida & ſanguine calido, ægris balneũ tẽperauit. Aqua lateris, ſordes abluit. Sãguis autẽ mũdo exãgui & exanimi colorẽ reddidit gratiæ. Aquã autẽ cũ ſanguine emiſit, vt ſi qui ſanguinẽ per martyriũ effundere nequeãt, ſaltẽ aquas lachrymarũ effundãt. Minuit ſibi in parte dextera, vt ſanaretur in ſiniſtra. Minuit ſibi in parte ſana, vt ſanaretur pars infirma. Percuſſus in dextero latere, vt biberent de hoc fonte, qui pendent à dextris. Fecit nobis aſperſoriũ de hyſopo & filo coccineo, vt à lepra noſtra mũdaremur. Poſuit in feneſtra lateris funẽ coccineũ, ne periret Raab meretrix. Totũ autem ſanguinẽ ſuũ Dominus pro nobis effudit. Sãguis intercutaneus effuſus eſt per ſudorẽ, & quãdo flagellatus fuit ad columnã. Sãguis venarũ ex vulneribus manuũ & pedũ. Sãguis capitis ex ſpinis acutiſsimis. Sãguis interior in corpore, ex vulnere lateris. Quid igitur retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Noſmetipſos debemus ei ex creatione. Ex recreatione autẽ pluſquã ſeipſum debet homo redemptori ſuo. Tãtum enim debet, ſi poſſet

*De ſiti Chriſti, & de aceto in ſpongia. Iſaie 5. Iere. 2.*

*De emiſſione ſpiritus cũ ſclamore & capitis inclinatione. Ioan. 11. Iob 16. Zach. 4. Iſa. 53.*

*De hora mortis Chriſti.*

*Gene. 49.*

*Leuit. 5. De ſciſſione veli & motu terræ, & de petrarũ fixura, & apertione monumentorũ, & reſurrectione mortuorum. Apoc. 5. Iſa. 40. Gene. 11. Ioan. 11.*

*Rom. 8.*

*De cõfeſſione Centurionis.*

*Matth. 10. Exod. 14. Iud. 9.*

*Exod. 17. Ioſue 5. Leuit. 1.*

*De apertione lateris Chriſti, ex quo aqua cũ ſanguine exiuit. Zach. 12. Tren. 3. Iob 16. Cant. 4. Gene. 6. Gene. 2.*

*De multiplici ſanguinis Chriſti effuſione. Ioſue. 2.*

*Confeſſio.*

posset soluere, quantum Pater dedit pro ipsius redemptione. Quia igitur debitum soluere non valemus, nisi ipse dederit nobis quod soluamus, rogandus est, vt det nobis pater filium suum, & spiritum sanctum, vt illi reddamus. Det nobis Deus gratiam suam & charitatem, id est, spiritum sanctum suum, non solùm nosmetipsos, sed seipsum illi reddamus. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

## IN VIGILIA PASCHÆ, THEMA SVMPTVM ex Responsorio nocturno.

Matth. 27. *Sepulto Domino signatum est monumentum, voluentes lapidem ad ostium monumenti: ponentes milites, qui custodirent illud.*

*De sepultura Domini, & descensu ipsius ad inferos.*

SICVT diem Dominicæ passionis deuotè celebrauimus, ita diē sepulturæ ipsius cum omni reuerētia & solēnitate celebrare debemus, in qua corpus eius in sepulchro iacuit, & anima vsq; ad inferos descendit. Vnde B. Augustinus ait: Anima ad inferos descēdit, caro in sepulchro iacuit, sapiētia cum vtroq; permānsit, quę in inferno positis lumē vitę fundebat æternæ. Radiabat illic lux vera sapiētię, illuminabat infernū, sed in inferno nō claudebatur. Hæc sunt verba Augustī. Hodie igitur, qui in limbo inferni detinebātur, Paradisum in inferno inuenerūt, dum præsentialiter fuerunt cum Christo. Qui autē in inferno pœnali & inferiori cum peccatis decedētes, detinebātur in inferno remanētes, nunq̄ misericordiā cōsequentur. Propter quod Dominus per Osee dicit: Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne. Dum enim quosdā inde traxit, alios autē ibi reliquit, quasi infernū momordit. Dominus igitur descēdit ad inferos, portas æreas cōtriuit, & vectes ferreos cōfregit, vt educeret vinctos in fortitudine, & captiuā duceret captiuitatē. Et sicut in Zachar. dicitur: In sanguine testaméti sui eduxit vinctos de lacu, vbi nō erat aqua. Et Dauid: Æstimatus sum cum descendētibus in lacū, factus sum sine adiutorio inter mortuos liber. Descendit enim sicut homo in infernū, sed solus inter mortuos liber fuit, quia à morte teneri nō potuit. Deus enim vltionū Dominus, Deus vltionū liberè egit: morte enim cōculcauit. Vnde Isa. Torcular calcaui solus. Qui enim ascendit super occasum, id est, super mortē, Dominus nomē illi. Vnde per Psalmistā dicitur: Si ambulauero in medio vmbrę mortis, nō timebo mala, quoniā tu mecū es. Occurrētes igitur Sancti Domino suo, captiui Redēptori suo, cuius aduentū diu expectauerāt, cuius desideratā præsentiā multis miseriis præuenerāt, in voce exultationis & cōfessionis clamauerūt, dicētes: Aduenisti nobis redemptor noster: benedictus q venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis, sedētibus in tenebris & in vmbra mortis. Cùm enim sit duplex effectus remissionis, vnus carere pœna, alius frui gloria, primū obtinuerunt sancti ante Christi incarnationē, secundū obtinuerunt post eius passionē. Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor. Expauit ianitor inferni, videns portas ferarū suarū violenter effringi, audiēs S. Angelos clamātes: Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Principes enim infernales nō ausunt resistere, vires suas sitiētes eneruatas, & robur suū deficere, dū forti alligato fortior intrauit, & absorpta morte in victoria, prædā potētet eripiēs, victor ab inferis remeauit. Interea autē dū hęc in inferno agerētur, Ioseph nobilis decurio ab Arimathęa, accessit ad Pilatū, & petiit corpus Iesu. Cui Pilatus iussit reddi corpus. Beatus vir iste, qui nō abiit in cōsilio impiorū, nec cōsensit cōsilio & actibus Iudæorū. Venit pariter & Nicodemus, ferēs mixturā myrrhæ & aloës, quasi libras centū. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt linteis cū aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autē ibi hortus, & in eo monumentū nouū, in quo nondū quisquā fuerat positus. In illo igitur corpus Iesu inuolutū sindone posuerunt, aduoluētes lapidē ad ostiū monumenti. Arimathæa, ipsa est Ramátha ciuitas Samuēlis, & interpretatur deponēs: ab hac venit Ioseph, vt Christi corpus deponeret in sepulchro. Sicut autē Ioseph à Pilato, iustus ab iniusto Christi corpus recepit: ita à peccatoribus & iniquis sacerdotibus quādoq; iusti corpus Christi in sacraméto ad cōmodum suscipiūt: ab impiis autē in suum ministratur detrimentū. Aduolutū est autē saxū magnū ad ostiū monuméti, vt nō posset aperiri sepulchrū sine auxilio multorū. In petra autē excisum est, ne si ex multis lapidibus fuisset cōstructum fossis tumuli fundamētis furto Christus ablatus diceretur. In monuméto nouo, quod erat in horto, sepultus est Dominus, vt nos in nouitate vitæ & virtutū viriditate, ipsum in nobis suscipiamus sindone purę cōscientiæ, cum myrrha & aloë, id est, cum duplici amaritudine cordis, scilicet, per contritionē, & corporis per satisfactionē. Factus est autē nobis panis subcineritius per triduanā sepulturā, & absorptus est à ceto in sepultura. Vnde Iere. Lapsa est in lacu vita mea, posuerūt lapidē super me. Et iterū: Concluſit vias meas lapidibus quadris, circūædificauit aduersùm me, ne egrediar. Eiectus est Ionas de ligno crucis, & absorptus est à ceto in sepultura. Missus est noster Ioseph in cisternā veterē, Daniēl & Ieremias in lacū, sed tamē inde exiit, & ab inferis rediens anima corpori coniuncta est, & resurrexit, sicut scriptū est: Non derelinques animā meā in inferno, nec dabis sanctū tuum videre corruptionē. Et iterū: Eduxisti ab inferno animā meā, saluasti me à descendentibus in lacū. In pace in idipsum dormiā & requiescā. Caro mea requiescet in spe. Sapiētia enim patris, Christus filius Dei attingit à fine vsq; ad finē fortiter. In cœlo quidē deliciēdo suo perbū, in mundo superādo malignū, in infernū spoliādo auarū. Et disposuit omnia suauiter. In cœlo, stātes Angelos cōfirmando, in mūdo venundatos redimēdo, in inferno captiuos liberādo.

Moyses

*Oseæ 13.*

*Isa. 45. Zach. 9.*

*Isa. 63.*

*De occursu et gaudio sanctorum & cōturbatione dæmonum.*

*Isa. 9.*

*Exod. 15.*

*Matth. 12. Luc. 11. 1. Cor. 15.*

*Quod Ioseph Christi corpus obtinuit à Pilato.*

*1. Reg. 8.*

*De aduolutione saxi & horto, in quo sepultus est Dominus.*

*Ioan 19.*

*De sindone, myrrha, & aloë.*

*3. Reg. 19. Thren. 3. Ionæ 1. Gen. 37. Dan. 14. Iere. 37.*

*Sap. 8.*

Moyses autē in Deute. ait: Benedictus Gad in latitudine, quasi leo acquieuit. Gad qui interpretatur accinctus, Christū significat, qui contra diabolū accinctus est ad pugnandū, vt redimeret latitudinem Gentium. Requieuit autem in sepulchro, sed tertia die surrexit sicut leo. Altera autem die, quæ est post Parasceuen, postulauerunt Principes Sacerdotum à Pilato, vt Christi sepulchrum muniretur, & à militibus custodiretur. Diligentia eorū nostræ profecit fidei: nam quantò amplius seruatur, tantò magis virtus resurrectionis ostenditur. Ex hac autem malitia Iudæorum cōuincitur, qui persecuti sunt viuum, nec tamen cessant persequi mortuum. Vnde Ieremias ait, secundum translationem Septuaginta: Facta est mihi hæreditas mea, quasi spelunca hyenæ, quod est animal sæuissimum, mortuos persequens, & de sepulchris cadauera extrahens. Vnde sicut dederunt pecuniam, vt interficeretur Christus, ita post mortem eius dederunt pecuniam copiosam, vt memoria ipsius interiret, dicentes militibus: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Sed si dormierunt, quomodo de his, quę nō viderūt, testes esse potuerūt? Dormientes Christū perdiderūt, quem vigilantes mulieres inuenerunt. Caueamus ne nobis dormientibus per negligentiā furto inimici, Christus auferatur. Sicut autē priùs triginta argēteos, nō de proprio, sed de corbana acceperūt, ita nūc de corbona & de eleēmosynis pauperum pecuniam accipiunt, vt in vsus sacrilegos expendāt, de communi prodigi, de proprio nihil erogantes. Vnde B. Hieronymus ait: Qui rebus Ecclesiæ abuuntur in aliis rebus, quàm in Ecclesiasticis vsibus, similes sunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendaciū, & sanguinē Saluatoris iterum ementium, id est, vitam Saluatoris, vt interiret illius memoria. Credendum est autem magis soli Mariæ veraci, quàm Iudæorū turbæ fallaci. Sepulto enim Domino, aliis recedentibus, Maria Magdalene, & altera Maria, scilicet, Maria Ioseph, sedebant contra sepulchrum. Quia enim arctius amabant, funeris officium aspiciebant, vt congruo tempore munus suæ deuotionis offerrent. Reuertentes autem nocte illa parauerunt aromata, quādiu licuit operari. Sabbato quidē siluerunt & cessauerunt secundū legis mandatū. Die autem Dominica, cùm adhuc tenebræ essent, venit Maria Magdalene ad monumentum, & vidit lapidem reuolutū à monumento. Alij dicunt, orto iam Sole, venit ad monumentum. Vnde B. Hieronymus ait: Quia diuersa tempora istarum mulierum describuntur in Euangeliis, nō mendacij signū est, sed sedulę visitationis officiū, dum crebrò abeunt & redeunt, & nō patiuntur à sepulchro Domini diu abesse vel longius. Si autē cùm adhuc tenebræ essent, Dominus resurrexisse dicitur, quomodo tribus diebus fuit in sepulchro, aut quomodo filius hominis tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ? Per synecdochen intelligitur, vt pars pro toto intelligatur. Tribus autē diebus & tribus noctibus, id est, tribus diebus naturalibus fuit in sepulchro, vt totū accipiatur pro partē, vt cōputetur vespere parasceues cū nocte sequenti pro vna die, dies autē Sabbati cum nocte sua sequente pro alia die, diluculū autem diei Dominicæ cum eadem nocte præcedente pro tertia die. Et ita bis computatur vox Sabbati, & est communis Sabbato & diei Dominicæ, hac ratione. Hucusq; enim dies noctem præcedere dicebatur, & nox sequebatur, quia homo à luce in tenebras ceciderat. Nunc dies sequitur noctem, quia post Christi passionē à peccatis ad vitam reducimur. Quidam autē dicunt, quod tribus diebus, id est, triū dierū aliqua parte fuit in sepulchro. Similiter & tribus noctibus, duabus, scilicet, integris, & pro tertia nocte accipiūt tenebras, quę factę sunt ab hora sexta vsq; ad nonā, & dicūt Christū hora sexta mortuū esse. Vel tribus noctibus fuit in corde terræ, id est, in voluntate & potestate terrenorū Iudęorū. Die sexta creatus est homo, & eadē die crucifixus est, & homo redemptus. Septima die requieuisse dicitur Dominus ab omni opere quod patrarat: septima die in sepulchro requieuit. Et nos in sexta ætate cū Domino pati debemus, & in septima, quę est mortuorū, secreta pace requiescere, vsq; ad octauā resurrectionis. In Genesi septima dies habere vesperā non legitur, quia in illo seculo requies animarū nullo fine terminatur. Fuit autem Dominus nobis via triū dierū. Primo die in cruce, secundo in sepulchro, tertio in resurrectione, vt nos eadē via incedētes, primo simus in cruce & labore pœnitētię, secūdo in sepulchro vitę tranquillę & quietę, vt tandē peruenire mereamur ad spiritualem resurrectionē, & cōtemplationis celsitudinē. Sicut ergo Christus fuit in cruce, & posteà in sepulchro, ita & eius membra priùs sunt in cruce tentationis & laboris, & postmodū in sepulchro quieris. Sancti enim tribulationibus & variis tentationibus solidātur. Vnde Isaias: Ponā eum paxillum, in loco fideli. Paxillus enim quantò magis percutitur, tantò amplius solidatur. Legimus in libr. Regū, quod mortuus quidam proiectus est in sepulchro Eliśei, & cùm ipsius ossa tangeret, suscitatus est de morte ad vitā. Et nos in sepulchro veri Eliśei proiecti, & cum eo sepulti, si eius ossa, id est, virtutes tangamus per imitationē, resuscitabimur ad vitā & gloriā sempiternā. Mundus autē quatriduanus erat, & fœtebat pro quadruplici transgressione. Prima fuit trangressio mandati in Paradiso, secunda transgressio legis naturæ, tertia transgressio legis Mosaicæ, quarta transgressio legis Euangelicæ. Ab hac quatriduana sepultura, dum in sepulchro veri Eliśei mortuus proiicitur, ossa illius tangēs, suscitatur. Sponsa autē in Canticis ait: Sub vmbra illius, quem desideraui sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Sedi, non steti rigida elatione, non iacui resoluta voluptate, non deambulaui vaga curiositate. Pœna ista temporalis velut vmbra est respectu æternæ. Sub vmbra igitur crucis sedere debemus in die crucis & sepulturæ, vt fructus dulcedinem percipiamus in resurrectione. Vnde in benedictione Isachar, Iacob ait: Isachar

*Deut. 33.*

*De custodia militum.*

*Quod Iudæi hyenæ comparantur.*

*De pecunia, quam Iudæi militibus dederunt.*

*De sanctis mulieribus sedentibus ad sepulchrum.*

*Qualiter intelligendum sit Christum tribus diebus & tribus noctibus in sepulchro iacuisse.*

*Gen. 1.*

*Quod creatus est homo & requeatus die septima.*

*Gen. 2.*

*Quod cruci et sepulturæ, & resurrectioni Christi debemus conformari.*

*Exod. 3.*

*4. Reg. 13.*

*Qualiter Christo consepeliri debemus.*

*De quadruplici transgressione.*

*Quod sub vmbra crucis requiescere debemus.*

*Gen. 49.*

asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod esset optima, & suppossuit humerũ suum ad portandũ. Erimus igitur asini fortes per tollerantiã laborum, vt accubemus inter terminos, in sepulchro, scilicet, Dominico, quasi inter crucẽ & resurrectionem, ad requiem & terrã optimã cordis oculos semper habentes. Sugamus igitur mel
*Deut. 32.* de petra Dominici sepulchri cum Christo quiescendo, vt tandẽ sugamus oleũ suauitatis & exultationis de saxo durissimo in resurrectione. Christus enim saxũ durissimũ factus est, dum immortalis & incorruptibilis surrexit. Et quoniã in casu primi hominis omnes cecidimus, in exultatione Christi à terra & eius resurrectione, dũ omnia traxit ad seipsum, releuati sumus. Vnde
*Quod per arborem crucis liberatum est genus humanum ab vnicorni & draconе, & antro gehẽuali.* & Dominus lignũ crucis, cui inniteremur nobis, plantauit secus decursus aquarũ. Primus siquidem parens noster cum omni eius progenie, similis erat homini, quem ferus singularis, bestia crudelis, quæ dicitur vnicornis, ad interimendũ insequebatur. Hæc est mortis sæuitia, quæ nos insequitur & consequitur, & nemini parcit. Dum autem homo ille quasi in foueam huius exilij cecidisset, & maiorem foueam velut abyssum teterrimã sub pedibus eius aspiceret antrum, scilicet, infernalis profunditatis, arripuit arborem quandẽ debilem valdè, & semper minantem ruinam, & in illa periculose subsistere cœpit. Hæc est vita nostra fragilis, nutans & instabilis, cuius radices duæ malæ bestiolæ, vna alba, alia nigra, cõtinuè corrodunt. Noctibus enim & diebus vita nostra corroditur, & semper ad interitum vergit. Ex alia quasi quatuor animalia, scilicet, quatuor elementorũ corruptio, eandem cõtinuè demoliuntur. Gladius autẽ eliminatus &
*Ezech. 21.* acutissimus capiti prædicti hominis imminebat. Hæc est sentẽtia diuinæ vltionis. Et ad pedem
*Gen. 3.* arboris insidiabatur draco, id est, diabolus, qui insidiatur calcaneo nostro. Cadente autem glaedio & arbore corruente, quicunq; innixus erat arbori prædictæ, in barathrum & foueam profundissimã corruebat, donec Dominus noster arborem crucis plantauit, & paxillũ in loco fideli posuit, vt illi adhæreamus, ne in abyssum descendamus. Sicut igitur per arborẽ cecidimus, ita
*De casu elephãtis, et eius releuatione.* per arborem subleuauit nos Christus passus. Cecidit elephas magnus primus pater, innixus arbori vetitæ, & à nullo releuari potuit, nisi à modico & humillimo elephante. Dicunt autem qui naturas animalium cognoscunt, quod venatores arborem latenter incidunt, cui cùm innixus fuerit elephas vt quiescat, corruit, nec valet surgere, quia non habet in pedibus iuncturas, vt tibias possit flectere. Dum autem circa ipsum alij elephantes contristantur & lugent, sed ei succurrere non valent, modicus elephas seipsum illi supponit, & ita magnus elephas resurgit. Ita
*Phil. 2.* Deus in filij sui humilitate, iacentem mundum erexit. Christus enim paruus & humilis, vt nos eleuaret, sese exinaniuit, & nobiscum in foueam huius miseriæ descendit, suscipiens omnes defectus nostros, quos ei suscipere cõueniebat, & nobis expediebat: vel ad ostentationẽ veræ humanitatis, vt timorem & tristitiã: vel ad impletionẽ operis, ad quod venerat, vt passibilitatem
*De triplici morbo generis humani.* & mortalitatem. Cùm enim triplici morbo genus humanũ laboraret, principio, medio, & fine, id est, natiuitate, vita & morte, natiuitas erat immunda, vita peruersa, mors periculosa: contra triplicem hunc morbum, triplex attulit remedium. Eius natiuitas purgauit nostrã natiuitatem, eius vita instruxit vitam nostram, eius mors destruxit mortem nostram. Fecit igitur nobis cœ-
*4. Reg. 4.* naculum paruum in humilitate humanitatis assumptæ, in quo posuit nobis mensam, sellam,
*De cœnaculo, & mensa, & & lecto, & candelabro.* lectũ, & candelabrũ. Mensam in prædicationis refectione, & celebratione cœnæ: Sellam in passionis sessione: Lectũ in officio sepulturæ: Candelabrũ in resurrectione, in qua ignis diuinitatis
*Exod. 25. Ioan. 1. 4. Reg. 4.* cõsumpsit stuppã nostrę mortalitatis & passibilitatis. Candelabrũ autẽ ex auro purissimo, Christus est, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In figura autem huius rei, legimus in libro Regum, quod mulier Sunamitis dixit de Eliseo ad virum suum: Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequẽter: faciamus ei cœnaculũ paruum, & ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos, ma-
*Conclusio cũ morali prædictorum expositione.* neat ibi. Nos igitur fratres charissimi, vero Eliseo nostro, id est, Christo, faciamus cœnaculum paruum per humilitatem: ponamus ei mensam de conuersione, & bona conuersatione nostra refectionem: ponamus ei sellam, vt ipse cognoscat, & approbet sessionem nostram, obediendo illi vsque ad mortem. Ponamus ei lectulum, vt cum illo sepeliamur. Ponamus ei candelabrum, id est, lucem bonorum operum, vt cum illo resurgamus, qui crucem sanctam subiit, qui infernum confregit, qui accinctus est potentia, surrexit die tertia, Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit & regnat per infinita secula seculorum,

AMEN.

IN DIE

# IN DIE SANCTO PASCHÆ

## THEMA SVMPTVM EX INTROITV MISSÆ, DE DIVERSIS PARTIBVS PSALMI.

*Resurrexi, & adhuc tecum sum. alleluya. Posuisti super me manum tuam. alleluya. Mirabilis facta est scientia tua ex me. alleluya, alleluya.* Psal.138.



IES resurrectionis Dominicæ, dies redemptionis & reparationis nostræ, dies renouationis humanæ, dies clara & amœna valdè, dies iocunditatis & exultationis, dies lætitiæ & iubilationis, dies venerabilis & sanctificatæ solemnitatis, dies reuerenda & omni acceptione digna, dies insignis, dies felix, dies præoptata, dies grata & omni gaudio plena, hodie fratres charissimi, nobis illuxit, & serenitate sua oculis cordis nostri arrisit, à Solis ortu vsque ad occasum, mundum replens lætitia. Felix dies & omnibus aliis felicior, quæ omnium Christianorum singulariter dulcescit affectibus. Dulcis in terra, sed in cœlo dulcissima, dulcis hominibus, sed dulcior Angelicis spiritibus. Dies nuptialis, dies triumphalis. Dies internæ satietatis, æternæ iocunditatis, & iocundæ voluptatis. Consolatio lugentium, spes miserorum, liberatio captiuorum, gaudium sanctorum, cuius memoria super mel & fauum, in qua speciosus forma præ filiis hominum, amictus lumine, sicut vestimento: stolam immortalitatis & gloriæ, stolam claritatis & impassibilitatis assumpsit, in qua Dominus noster regnauit, & decorem indutus est. Gloriam & decorem magnum imposuit pater super eum. Vnde Isaias ait: In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Benedixit enim Dominus terram suam: nam & caro eius reflоruit, & conscisso sacco carnis mortalis & passibilis, circundatus est lætitia glorioſæ resurrectionis, sicut scriptum est: Conscidisti saccum meum in morte, & circundedisti me lætitia in resurrectione. Hunc enim saccum carnis suæ, in qua multa aspera sustinuit, lauit in Iordane, torsit in passione, dealbauit, clarificauit in hodierna resurrectione. Oportebat enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Dauid non fuit antequã in pace regnaret, multas sustinuit persecutiones. Ioseph noster postquã ferrũ pertrãsiit animã, extractus de carcere, cõstitutus est dominus totius Aegypti, sicut scriptũ est: Conuertisti planctũ meũ in gaudiũ mihi. Et iterũ: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Deus enim pater exaltauit illũ, & donauit illi nomẽ, quod est super omne nomẽ: vt in nomine eius omne genu flectatur, & omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. De torrẽte in via bibit, moriẽdo, propterea exaltauit caput, resurgẽdo. Per humilitatẽ enim passionis, peruenit ad gloriam resurrectionis. Gaudere igitur nos oportet fratres, & cõgratulari in Domino, in hac tam pręclara solẽnitate, vt hodie cũ vero Ioseph inebriemur in meridie, id est, in charitatis feruore, vt in voce exultationis & cõfessionis sit hodie sonus epulantis, gratiarũ actio & vox laudis. Neq; enim fas est, vt fileat à laudibus diuinis lingua carnis in hac die, qua glorioſe surrexit caro saluatoris. Cantemus igitur Domino, quia glorioſe magnificatus est. Qui enim humiliter magnificatus est in sancta cõuersatione, & miraculorum operatione, qui fortiter magnificatus est cõtra diabolũ pugnando in passione, qui terribiliter magnificabitur iudicaturus mundũ in fine, sicut scriptum est: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es. Hodie glorioſe magnificatus est in resurrectione. Equũ enim & ascensorẽ proiecit in mare. Equum superbiæ & ascensorem eius diabolum deiecit, dum mortem nostrã moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Salue igitur festa dies, toto venerabilis æuo, qua Deus infernum vicit, & victor ab inferis glorioſe remeauit. In qua Deus vltionum Dominus liberè egit, & suos ab inferis liberans, mundo libertatem restituit. O dies honoranda, celebris solemnitas, & solemnis celebritas, per quam de mari ad portũ, de promisso ad præmium, de labore ad quietem, de via ad patriam, veri Hebræi pertranseunt. In qua spoliantur Ægyptij, ditantur Hebræi, & submerso Pharaone cum exercitu eius, ad portum salutis perducuntur. In qua mors vincitur, infernus spoliatur. Prima conditio non solùm reformatur, sed in melius commutatur, ima summis coniunguntur, & scisso velo, patet aditus ad sancta sanctorum. Vos igitur qui in puluere estis, expergiscimini, & laudate. Immisit enim Deus in os fidelium suorum canticum nouum, carmen Deo nostro. Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes, vt inebriemur hodie ab vbertate domus Domini. Beatus enim populus, qui scit iubilationem. Si enim scimus illam in præsenti laudando, sciemus illam in futuro regnando. Psalmum igitur dicite illi, qui ascendit super occasum, mortem conculcando, Dominus nomen illi, quia dominatur in vniuerso mundo. Laudate cœli & exulta terra: iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, sicut scriptũ est: Ad vesperũ demorabitur fletus, scilicet, in passione, & ad matutinũ lętitia, scilicet, in resurrectione. Vnde Isa. Plorans nequaquam plorabis. Plorans in passione, nequaquam plorabis in resurrectione. Erit enim, sicut idem Isaias ait, in die illa Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi mei. Et iterum ait: Addent mites in Domino lætitiam, & pau-

*Multiplex cõmendatio Paschalis festiuitatis.* 1. Timoth. 1.

*De præeminentia hodiernæ solẽnitatis.*

Eccles. 24.

Isa. 4.

*De facto carnis dominicæ.*

Matth. 28. Philip. 2.

*De gaudio huius solemnitatis.*

Gen. 41. Isa. 51.

Osee. 13.

*De multiplici materia gaudendi, & de multiplici effectu huius festiuitatis.*

Exod. 14. Matth. 27.

Isa. 26.

Isa. 49.

Isa. 30. Isa. 18. Isa. 19.

peres homines in sancto Israël exultabunt, quia defecit qui prævalebat, id est, diabolus, consummatus est illusor, succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitates, id est, aëreæ potestates, de quarum faucibus CHRISTVS fidelium multitudinem extraxit. Propterea per Psalmistam fructum suæ resurrectionis ostendens, ait: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, id est, multi erunt valde, vt dinumerari, nisi à Deo, non possint, qui numerat multitudinem stellarum, id est, electorum suorum. Hæc est turba magna, quam dinumerare nemo poterat. Dinumerabo eos, id est, cognoscam & conseruabo. Ad cognoscendum enim & conseruandum dinumeramus, quæ diligimus. De hac autem multitudine, & de hoc resurrectionis fructu Moyses in Deuteronomio ait: Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requieuit, cœpitque brachium in verticem. Gad interpretatur accinctus, & significat Christum. Indutus est enim fortitudine, & præcinxit se. Indutus est fortitudinem, dum immortalitatem assumpsit: præcinxit se, quasi lintheo albo, dum corpus suũ in resurrectione clarificauit. Benedictus in latitudine, quia non solùm in Iudæis, sed in omnibus Gentibus regnum amplissimum accepit. Vnde per Malachiam ait: Ab ortu enim Solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meũ: quasi leo requieuit, quia tertia die ad rugitũ patris se surrexit. Brachiũ cœpit, consurgẽs à mortuis, fortitudinem inimicorũ sibi subiugauit. Cœpit insuper verticem, quia mundani imperij sublimitatem ad suscipiendam fidem sibi inclinauit. Vnde & in eodem loco Moyses ait: Dan catulus leonis fluet largiter de Basan. Dan interpretatur iudicium. Hic est Christus, cui pater omne iudicium dedit. Catulus autem leonis dicitur, propter humilitatem & fortitudinem, & quia tertia die, more leunculi, resurrexit. Fluens largiter de Basan, id est, post confusionem & passionis ignominiam, Euangelica doctrina vniuersum mundum irrigans. Basan autem confusio interpretatur. Vnde Psalmista ait: Dixit Dominus ex Basan, conuertam, id est, confusione infidelitatis ad fidem adducam. Hæc est igitur dies, in qua pius pastor ouem, quæ perierat, de faucibus lupi infernalis extraxit, & ad supernum ouile reportauit, in qua lux obscuritati, vita morti, veritas vmbræ, nouitas vetustati, & tristibus lætitia succedit: tenebras nescit, quia pristinas tenebras effugauit. Hæc est dies non solùm Sol lucens super terram vel super cœlos, sed etiam sub terra luxit, dum captiuam captiuitatem deducens, radiis suis illuminauit. Melior est dies ista in atriis Domini, super millia aliorum dierum: nam diebus aliis oritur Sol de cœlo, hodie verò ortus est nobis Sol verus & splendidissimus de sepulchro. Hæc est igitur dies, quam fecit Dominus, quam sibi specialiter approbauit & dedicauit. Vnde cùm omnes dies fecerit Dominus, de hac specialiter dicitur: Hæc est dies, quam fecit Dominus, & singulari priuilegio dies Dominica nuncupatur. Sicut enim Virgo virginum dicitur, quia aliis præeminet virginibus, & sicut sancta sanctorum dicuntur & cantica Salomonis, præ magnitudine & excellentia Cantica canticorum nominantur: ita hæc præclara & insignis Paschalis solemnitas, quia præcellit aliis, & super omnes sibi vendicat principatum, meritò appellatur solemnitas solemnitatum. Hodie enim Dominus in faciem Adæ spiraculum vitæ inspirauit, dum CHRISTVM à mortuis suscitauit. Hodie ablactato Isaac pater eius lætatus est valdè, & magnum conuiuium fecit, quia CHRISTVS quasi ex puerili infirmitate carnis mortalis, ad immortalitatem transiit, in cuius resurrectione Deus Pater cunctis fidelibus magnum conuiuium præparauit. De quo Ioannes in Apocalypsi ait: Beati qui vocati sunt ad cœnam nuptiarum agni. Et Isaias de hoc conuiuio dicit: Faciet Dominus in die illa, in monte hoc, omnibus populis conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. In monte enim Ecclesiæ, vel in ipso CHRISTO, qui dicitur mons propter præeminentiam, mons in vertice montium, mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare, in eo fecit Deus Pater omnibus populis in die resurrectionis conuiuium pinguium medullatorum, vt pinguedo referatur ad humanitatem, scilicet, ad vitulum saginatum: medulla autem quæ latet intrinsecus, & suauior atque delectabilior ad diuinitatem. Vindemia autem defæcata, dicitur CHRISTI sanguis torcularis crucis expressus de botro Cypri, ab omni fæce corruptibilitatis purgatus in resurrectione. Hodie verus Isaac sentiens fragrantiam vestimentorum filij sui Iacob, qui diabolum in cruce supplantauit, id est, humanitatem CHRISTI glorificauit, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Terra enim corporis Christi fossa in passione, fructus vberes attulit in resurrectione. Seminauit enim Isaac, sicut dicitur in Genesi, & inuenit centuplum. Quia postquam semen Euangelicum in mundo Christus seminauit: post passionem suam in resurrectione pater illi perfectum præmium tribuit. Hodie euigilauit Iacob, quasi de graui somno: graues enim sustinuit in morte passionis dolores. Vnde in Gen. dicitur: Cumq; euigilasset Iacob, quasi de graui somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Cùm euigilasset: ecce resurrectio. Verè Dominus est in loco isto: ecce potentia diuinitatis, qua surrexit à graui somno mortis. Et ego nesciebã: ecce infirmitas humanitatis. Hodie verum Ioseph non solùm Sol & Luna, sed & vniuersa creatura adorat. Omnia enim subiecit pater sub pedibus eius, & manipulũ corporis eius adorat omnis Ecclesia sanctorũ. Hodie de cisterna sepulchri Ioseph noster exiuit, & extractus de cruce, vestimẽta mutauit, dũ deposita mortalitate, gloriã immortalitatis assumpsit. Indutus est Dominus fortitudine, diabolũ in cruce superando. Et præcinxit se zona candida & lintheo byssino, assumens gloriã immortalitatis & candorem glorifi-

*De fructu resurrectionis.*

*Apoc.7.*

*Deut.33.*

*Ioan.12.*

*Mal.1.*

*Deut.33.*

*Ioan.5.*

*Luc.15.*

*Iterum multiplex exultatio tantæ solemnitatis.*

*Quære specialiter dicatur de ista die: Hæc est dies quam fecit Dominus.*

*Gen.1.*

*Gen.21.*

*Quod dicitur solemnitas solemnitatũ.*

*De diuersis mysteriis huius solemnitatis, & quod multipliciter prænuntiata & præfigurata est.*

*Apoc.19.*

*Isa.25.*

*De conuiuio facto in mõte.*

*Luc.15.*

*Cant.1.*

*Gen.27.*

*De odore agri pleni cui benedixit Dominus.*

*De euigilatione Iacob.*

*Gen.28.*

*Gen.28.*

*De adoratione Ioseph, & quod de cisterna extractus est, & de carcere euasit.*

*Apoc.19.*

glorificationis. Hodie idem Ioseph relicto pallio in manu Ægyptiacæ, id est, soluto mortis debito illæsus euasit in resurrectione. Hodie laudando & gratias agendo dicere possumus Deo patri, Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in vniuersa terra Ægypti. Viuit enim resurgendo, & dominatur in vniuerso mundo. Hodie filius accrescens Ioseph per immortalitatis gloriam & decorus aspectu, in quem, scilicet, Angeli desiderant prospicere pastor egressus est & lapis Israël, lapis angularis quem Iudæi reprobauerunt, qui factus est in caput Anguli. Dissoluta enim sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, quia de sepulchro per potentiam patris surrexit: sicut dicitur in Genesi. Vbi etiam dicitur: Quod filiæ discurrerunt super muros, id est, sanctæ animę Christum videre cupientes, & muris, id est, sanctis Prelatis innitentes. Hodie virga Moysi virgas Magorum seu serpentes deuorauit, quia Christus resurgēs, mortē absortā in victoria superauit. Per serpētes enim mors intelligitur, quia serpens author fuit mortis. Per virgā verò Regalis seu diuina potentia, qua Christus resurgens, mortem, & mortis authorē diabolum, destruxit. Hodie, sicut in Exodo legimus, Moyses factus est vir magnus valdè in terra Ægypti. Postquā enim Christus innouauit signa & immutauit mirabilia, factus est magnus valdè & glorioſus resurgendo, qui despectus & abiectus valdè fuerat patiendo. Hodie ducatu veri Moysi liberati sunt filij Israël de captiuitate Ægypti, & factum est in vigilia matutina, respexit Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis & nubis, & interfecit exercitium eorum. Manè enim resurgens Dominus, Pharaonem & eius exercitum, id est, diabolum, & peccata diabolo famulantia destruxit per seipsum, qui est columna ignis illuminando, & nubis refrigerando. Vineam enim transtulit Dominus de Ægypto, & eiecit Gentes vitiorum, & plantauit eam in terram promissionis. Hanc autem victoriam & gaudiū de subuersione Aegyptiorū, his diebus repræsentat Ecclesia. Per septem enim dies pergimus ad fontes, vt liberationem nostrā, & hostium submersionem recolamus, & post ad crucifixum redimus, per quem redempti sumus. Similiter post transitum maris rubri, filij Israël per septem dies reuertebantur ad littus maris, laudantes Deum de liberatione sua, & videbant Aegyptios mortuos, & manum magnam, quam exercuerat Dominus cōtra eos. Et nos non solùm liberationem nostram inspiciamus, sed mortuos Aegyptios vt timeamus. Hodie petra, id est, Christus, aquas in deserto huius mūdi nobis tribuit, quia resurgēs à mortuis, aqua sapientiæ salutaris nos potauit, aperiens nobis sensum, vt intelligeremus scripturas. Hodie Dominus manna cœleste nobis dedit, dum panem Angelorum homo manducauit. Erat autem manna, sicut dicitur in Exodo, in similitudinem pruinæ super terram. Minutum fuit in resurrectione, id est, subtile, & humanis oculis in specie glorificata inuisibile, pilo rusum in cruce, à folliculis mortalitatis exuttum in resurrectione, in similitudinem pruinæ refrigerantis, & terram Ecclesiæ fertilem reddentis. De hoc pane dicitur in Exodo: Vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus. In vespere enim cœnæ Dominicæ comedemus carnes agni: vel in vespere mundi. Et manè resurrectionis Dominicæ saturati sumus manna & pane cœlesti. Hodie in monte Sinai factus est terremotus, quia in resurrectione terra tremuit & quieuit, cùm exurgeret in iudicio Deus. Terra tremuit, id est, terrenorum corda videntia Dei mirabilia, timuerunt, & à peccatis quieuerunt. Cùm exurgeret in iudicio Deus, id est, cùm resurgeret & discerneret credentes à non credentibus. In iudicium enim venit in mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Hodie virga Aaron floruit, aliorum virgis siccis manentibus, quia CHRISTVS resurrexit, aliorum corporibus vsque ad finem mundi in terra putrescentibus. Vnde ipse ait: Et refloruit caro mea. Priùs enim floruit in natiuitate, quæ munda fuit ab omni labe: postmodum refloruit, id est, iterum floruit in resurrectione. Hodie serpens æneus, sapiens, sed absque veneno, fortis & incorruptibilis factus resurgendo, exaltatus est in deserto, id est, in vniuerso mundo, & omnia traxit ad seipsum, sicut ipse in Euangelio ait: Cùm exaltatus fuero à terra, resurgendo, scilicet, à sepulchro, omnia traham ad meipsum. Hodie in curatione leprosi, id est, generis humani lepra peccatorum infecti, passer intinctus sanguine auolauit, sicut dicitur in Leuitico. Quia CHRISTVS sanguine passionis tinctus resurgendo euasit, nec morte potuit detineri. Hodie hircus emissarius peccata populi tollens, euasit, dum CHRISTVS de manibus Iudæorum euadens, surrexit. Hodie Samson noster hostibus suis maxilla asini interfectis, id est, patientia, quam exhibuit, & cruce, quam pertulit, & leone, id est, diabolo dilaniato, fauum mellis de ore leonis extraxit, dum cum Sanctis suis victor ab inferno remeauit. De comedente enim exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo, id est, de interno, qui animas deuorabat & absorbebat, Sancti egressi sunt, qui per examen apum, quod inuenit Samson in ore leonis, intelliguntur. Samson enim qui tribu sua contempta duxit alienigenam, CHRISTVM significat, qui reprobata Synagoga, Ecclesiam sibi de Gentibus coniunxit. Conabantur autem parentes eius impedire eum, ne cum alienigena contraheret matrimonium. Et Iudæi conati sunt impedire, ne ad Gentes CHRISTI gratia pertransiret. Hic Samson in Gaza abiit, & mulierem meretricem adamauit. Philistæi autem vt eum detinerent, ciuitatem custodiebant: sed ille de nocte exiens, portas ciuitatis tulit, & in verticem montis ascendit. CHRISTVS enim meretricem, id est, Gentilitatem adamauit, qui licèt à militibus custodiretur in sepulchro, inferni claustra destruxit, &

*Gen. 39.* *Quod Ioseph reliquit pallium in manu Ægyptiacæ.*
*Gen. 49.*
*2. Pet. 1.*
*Gen. 49.*
*Exod. 7.* *Quod virga Moysi virgas Magorum deuorauit.*
*Exo. 11.*
*Eccle. 35.*
*Exod. 14.* *De columna nubis et ignis, de submersione Ægyptiorum.*
*Quod diebus septem itur ad fontes.*
*Exod. 14.*
*1. Cor. 10.* *De petra producente ex se aquas.*
*Luc. 24.* *De manna cœlesti & eius proprietatibus*
*Exod. 16.*
*Num. 17.* *De virga Aaron, quæ floruit.*
*Num. 21.* *De exaltatione serpentis ænei.*
*Leuit. 14.* *De auolatione passeris.*
*Leuit. 16.* *De hirco emissario, qui peccata populi tulit.*
*Iud. 15.* *Quomodo Sāson de ore leonis interfecti mel extraxit, & de aliis rebus gestis Sāsonis*

1. Reg. 19. *Quod loco Dauid inuēta est statua, cū pellibus caprarū, & ipse per fenestrā euasit.*

exiens de sepulchro à mortuis resurrexit. Hoc etiam significatum est in Dauid, quem serui Saul, vt ipsum interficerent, obseruabant, & domum in qua iacebant, vallando obsidebant. Micol autem deposuit eum per fenestram. Cùmq; venissent satellites ad lectum eius, inuenerunt statuam super lectum, & pelles caprarum ad caput eius. Serui Saul, id est, Iudæi, sepulchrum obseruabant, vt Christi nomen & famam eius interimerent. Micol autem quam desponsauerat, id est, Ecclesia nouella de Gentibus per fenestram illum deposuit, id est, depositum, quasi per fenestram inferni credidit, & ipsum ab inferno redire non dubitauit. Satellites autem Saul, id est, Iudæi, inuenta statua, valdè offensi sunt. Christus enim factus est Iudæis

1. Pet. 2. Esa 8.

lapis offensionis, & petra scandali, qui pelles caprarum inuenerunt, quia agnum capram reputantes, Christum peccatorem æstimabant. Hodie Ionam nostrum die tertia cetus euomuit. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita Christus in

Ionæ 2. *Quod cete Ionam euomit.*

corde terræ vsque ad tertium diem, in quo resurrexit, clausus in sepulchro iacuit. Vnde ipse per Psalmistam ait: Non derelinques in inferno animam meam, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et Osee ait: Viuificabit nos post duos dies, die tertia suscitabit nos. Eius enim resurrectione viuificati sumus ac suscitati. Cecidimus enim & inclinauit se, surrexit & erecti sumus. Duabus autem noctibus & vno die integro in sepulchro iacuit, quia lucem suæ

*Quod duabus noctibus & die vno iacuit in sepulchro.*

simplæ mortis, nostræ duplæ mortis tenebris adiunxit. Duplices tenebras nostræ duplicis mortis, die suæ simplæ mortis destruxit. Duplicem vetustatem nostram, pœnæ, scilicet, & culpæ, sua simplici deleuit vetustate, scilicet, pœnæ, quam pro nobis assumpsit, sed eam resurgendo deposuit. Ecce quot & quàtis, & quàm profundis mysteriis prefiguratus est triumphus nostri re-

Cant. 2.

demptoris & lætitia solemnitatis hodiernæ. In qua botrus Cypri reflorescit, Synagogæ flos marcescit & floret Ecclesia. In qua mors & vita duello conflixêre micando, dux vitæ mortuus, regnat viuus. Triumphato igitur mortis imperio triumphali fruamur gaudio, in terra pax, & iubilatio sit in cœlis. Memoriam enim abundantiæ suauitatis tam præclaræ solemnitatis eructa-

Isa. 52.

bunt, quicunq; de morte ad vitam cum Christo surrexerunt. Vnde Isaias ait: Gaudete & laudate simul deserta Hierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Hierusalem, id est, Ecclesiam, in passione, quam consolatus est in resurrectione, abstergens omnem lachrymam ab oculis discipulorum suorum. Propterea Ecclesia frequenter his diebus ingeminat

Apoc. 7. *De Alleluya, quod est canticū Angelicū.*

canticum Angelorum, id est, Alleluya, exprimens laudem angelicam & gaudium supernorum ciuium, quia socij facti sumus Angelorū, & sedes lucidas recuperauimus, à quibus cum vniuerso exercitu suo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur. Alleluya autem maioris expressiuū est gaudij, quàm vox qua in septuagesima vtimur: Laus tibi Domine Rex æternę gloriæ. Et idcirco Alleluya, quod laudē Angelicā & gaudiū Paschale repræsentat, his diebus resumitur. Interpretatur enim Alleluya, laudate inuisibilē vel vniuersalem. Non solùm enim inuisibilis est secundū diuinitatem, sed hodie inuisibilis factus est oculis mortalibus secundū glorificatā humanitatem. Qui autēm priùs quasi cōcludebatur infra Iudæā, factus est vniuersalis, & toti mundo innotuit

Ephes. 4. *De dupliti Alleluya.*

post resurrectionem. Priùs enim rara erat gratia, quæ posteà vbiq; ad omnes nationes est diffusa. Alleluya autem laus Angelica à pueris in Ecclesia cantatur, quia habent innocentiam per beneficium ætatis, quam habent Angeli per gratiam. In festiuis verò diebus, maiores & adulti Alleluya cantant, quia Deum laudabimus resurgentes in virum perfectum. Vnde in Octauis Paschæ duplex Alleluya decantatur, & laus Angelica geminatur, quia in octaua re-

Isa. 61.

surgentium, duplicem stolam, animæ, scilicet, & corporis glorificationem consequemur. In terra enim sua post hoc exiliū, Sancti duplicia possidebunt, & lætitia sempiterna erit eis, sicut

Prouerb. 31.

Isaias ait. Et in Parabolis dicitur: Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Duplex etiam cantatur Alleluya, propter CHRISTI & nostram resurrectionem. De hoc

Tob. 13.

autem cantico exultationis Tobias ait: Portæ Hierusalem ex sapphyro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso, omnes circuitus murorum eius ex lapide candido & mundo, &

*De portis & plateis Hierusalem & muris eius, & vicis.*

per vicos eius Alleluya cantabitur. Portæ Hierusalem, id est, Sancti, qui alios introducunt, smaragdo, id est, fidei virore: & sapphyro, id est, cœlesti conuersatione: & lapide pretioso, id est, virtutum ornamento ædificabuntur. Muri eius, id est, Sancti, qui alios custodiunt & defendunt, ex lapide mundo, à malo construuntur. Ipsi enim candidi sunt in bono, & mundi à malo. Plateæ autem Hierusalem auro mundo sternuntur, dum corda per charitatem dilatata, sinceræ dilectionis affectu exornantur. In auro enim charitas, in plateis latitudo, in auri munditia, sinceritas charitatis designatur. Vici autem Hierusalem in quibus Alleluya cantatur, sunt diuersæ Ecclesiæ, in quibus per vniuersum mundum Christus laudatur, sicut Isaias ait: Cantate Domino canticum nouum, laus eius à finibus terræ. Vel per plateas Hierusalem, vita actiuorum designatur: per vicos verò, qui arctiores sunt, designatur vita contemplatiuorum, & eorum qui omnia pro Christo reliquerunt, qui vitam ducunt angelicam, & cantant

*Expositio thematis.*

canticum Angelorum. Non solùm autem homines sancti vel Angeli, sed etiam ipse Christus hodie cantat canticum nouum, dicens ad patrem: Resurrexi, & adhuc tecum sum, hoc est quod ipse per Prophetam alibi ait: Ego dormiui somno, scilicet, mortis, & soporatus sum, in sepulchro quiescendo, vbi caro mea requieuit in spe. Et surrexi, animam meam resumens, & corpori glorificato coniungens. Propterea Psalmista ait: Nunquid qui dormit, non adiiciet vt

Isa. 33.

resurgat? Et in persona Domini Isaias ait: Nunc exurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor,

nunc

nunc sublimabor. Et per Micheam Dominus ait ad Synagogam: Ne læteris inimica mea, quia cecidi: consurgã, cũ sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Dicit igitur Propheta in persona Christi ad patrem: Resurrexi, & adhuc tecũ sum, id est, post mortem tecũ sum, sicut ante mortem. Ariete enim carnis immolato, reuersus est Isaac cum patre suo. Vel adhuc, id est, in ipsa morte tecũ sum, quia Christus semper cum patre fuit, quia etiam corpus & animam in morte non deposuit, totus in sepulchro, totus in inferno, & totus in cœlo. Non tamen totum fuit in sepulchro, sed solum corpus. Similiter anima sine corpore fuit in inferno: vtrobiq; autem Christus fuit, quia Dei filius, qui vbiq; est, nunquam esse desiit, sed mortuus est & semper fuit. Veritas enim Domini manet in æternum, quia pater semper habuit filium. Resurrexi à morte ad vitam, & adhuc tecum sum, nondum, scilicet, cum discipulis per notitiam, quia nondum cognouerunt, sed post resurrectionem dubitauerunt. Adhuc tecum sum, id est, toto tempore præsentis vitæ, occultus ad dexteram tuam tecum sedeo, donec plenius videar ab omnibus in iudicio. De hac Christi resurrectione sponsa in Canticis ait: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Ipse enim qui fuit fasciculus myrrhæ in passione, factus est nobis botrus floridus in resurrectione. Per Cyprum autem Ecclesia designatur, propter vini iocunditatem & dilectionis feruorẽ. Engaddi autem fons hœdi interpretatur, & significat baptismũ, in quo hœdi efficiuntur agni. De hac etiam resurrectione in Deuteronomio Moyses ait: Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. Christus enim qui fuit Beniamen, id est, filius doloris, in cruce factus est Beniamin, id est, filius dexteræ in resurrectione, postquã glorificatus est à patre. Amantissimus Domini, quia à patre super omnes alios dilectus. Quasi enim in gradu positiuo diligit homines in mundo, in gradu verò cõparatiuo Angelos & Sanctorũ animas in cœlo: sed in gradu superlatiuo Christum diligit tanquam filium charissimum, in quo sibi benè complacuit. Habitauit autem confidenter in eo, & fiducialiter agit in illo, quia ab illo separari non potuit, neque ab eius hospitio aliquo modo eiici, & quasi in thalamo delectationis & quietis commoratus est pater in ipso. Thalamus autem licèt sit humilior Palatio, est tamen delectabilior & secretior pars domus, & in eo pretiosa reponuntur. Christus autem omnibus hominibus fuit humilior, in quo pater delectabiliter requieuit, & in ipso omnes thesauros sapientię & scientiæ, cum vniuersis carismatum donis, abscondit. Inter humeros autem eius pater requieuit, quando ipsos ad portandum pondus passionis CHRISTVS cum omni patientia & obedientia suppo-
suit. Pater enim cognouit sessionem, id est, humilitatem passionis eius, approbando: & resurrectionem eius à mortuis ipsum suscitando. Posuit autem pater manum suam super eum, ipsum protegendo, & obumbrando illi in passione. Obumbrasti, ait, super caput meũ in die belli. Vnde Propheta ait: Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Et pater per Psalmistam ait: Manus enim mea auxiliabitur ei. Et ipse Christus ait: Sub vmbra manus suæ protexit me Dominus. Posuit etiam manum suam super eum, aggrauando, & variis tribulationibus exponendo, sicut scriptum est: Percute pastorem, & dispergentur oues. Posuit præterea manum suam pater super filium ipsum suscitando, extendens ad eum manum potentiæ suæ, vt ipsum subleuaret à morte, sicut scriptum est: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Ipse enim in manus patris spiritũ commendauit, & pater manum suam illi suppposuit, sicut ipse Christus ait: Impulsus, euersus, vt caderem, & Dominus suscepit. Impulsus in passione, euersus sum in morte, & Dominus suscepit me in resurrectione. Quia cùm ceciderit iustus, non collidetur, Dominus enim suppo-
nit manum suam. Ipse etiam Christus seipsum propria virtute suscitauit, vnde ipse solus propriè dicere potuit: Resurrexi. Alij autem sicut Lazarus & filius viduæ, qui non per se surrexerunt, propriè suscitati dici potuerunt. Adhuc autem Christus in cantico exultationis & resurrectionis subiungit, dicens: Mirabilis facta est sapientia tua. Mirabili enim sapientia sua diabolum in cruce superauit, dum non solùm hamo diuinitatis, sed insuper armilla carnis assumpræ, maxillam leuiathan perforauit, dum peccatũ inobedientiæ per obedientiam deleuit, dum mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Hæc enim mirabilis sapientia vicit malitiam, & stultam fecit huius mundi sapientiam. Mirabilis autem fuit scientia humilitatis Christi. Nam tanquam aluear apum exterius luteum, intus autem melle plenum, diabolum decepit, qui tantùm infirmitatem extra respexit, virtutem autem diuinitatis non aduertit. Vnde Psalmista ait: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, patiendo, scilicet, & resurgendo, & inimicos tuos terribiliter & mirabiliter conculcando. Et ipse Christus per Psalmistam ait: Mirabilis facta est scientia tua ex me; cõfortata est & non potero ad eam. Ex me, id est, per ea quæ operatus est circa me, & in me mundum mirabiliter redimendo. Vel ex me, id est, ex prædicatione mea, mirabilis facta est scientia tua. Qui enim priùs ignorabãt vel contemnebant, quia in maleuolam animam non intrat hæc sapientia, postmodum admirati sunt, dum eis incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestata sunt. Postquam enim Christus aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas: postquam viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo, ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, & commoti sunt ad pœnitentiam, & Christi sapientiã, quam stultitiã reputabant, cum omni veneratione & admiratione susceperũt. Vnde Isa. ait: Ecce Gentes, quas nescie bas, vocabis, & Gentes quę nõ nouerunt te, ad te current,

*Mich. 7.*
*Gen. 22.*
*Matth. 28.*
*Cant. 1.*
*De botro Cypri.*
*Deut. 33.*
*Gen. 35.*
*Matth. 3.*
*De thalamo.*
*Coloss. 2.*
*Quod multipliciter pater manum suam posuit super Christum.*
*Isa. 49.*
*Zachar. 13.*
*De sapientia mirabili.*
*Iob 40.*
*Sap. 8.*
*1. Cor. 2.*
*Sap. 2.*
*Luc. 24.*
*Isa. 55.*

propter Dominum Deum tuum & sanctum Israël, quia glorificauit te. De qua Sapientia ipsius in persona membrorum ait: Confortata est & non potero ad eam. Quia plenè in hoc mundo arcanum diuinæ sapientiæ non potest agnosci. Intumuerunt enim aquæ, & non potuit Propheta transuadare. Vel secundum inferiorem naturam, Christus de se ait: Non potero ad eam, secundum infirmitatem humanitatis. Licèt enim anima Christi sciat quæcunque pater scit, non tamen Patris scientiæ adæquatur, quia non ita limpidè omnia contemplatur.

*Leuit.26. Eccle.7. Eccle.14. Hester.1. Matth.11. Luc.7.*

Vos igitur fratres charissimi, nouo Regi nouum seruitium exhibeatis, & nouis superuenientibus, vetera proiiciatis. Conformentur membra capiti suo, lætantes & exultantes cum illo, vt secundum consilium Sapientis, die bona fruamur bonis, & particula diei bonæ non vos pertræseat, ne fortè repudietur Vasthi, si vocata venire rennuat ad cõuiuium Assueri, ne nobis Dominus improperet. Lamẽtauimus vobis & nõ planxistis, cantauimus & saltastis. Lamentauimus vobis in passione, & non planxistis compatiendo. Cantauimus vobis in resurrectione, & non saltastis cõgaudendo. Cantemus igitur hodie cum Christo: Resurrexi & adhuc tecum sum. Vt autẽ canticũ istud verè cantare valeamus, resurgamus cum Christo de morte ad vitam, vt sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita nos in nouitate vitæ ambulemus. Ipse enim traditus est & mortuus propter peccata nostra, & surrexit propter iustificationem nostram. Eamus igitur de sepulchro cõcupiscentiæ, non reptemus super terram: neq; putrescamus in terrenis cupiditatibus. Si consurrexistis cum Christo, ait Apostolus, quæ sursum sunt, quærite, cœlestia, scilicet, & vera bona, non terrena & caduca. Grauior est enim casus animæ, quàm casus corporis. Si enim vnum os animæ confringatur, omnia ossa eius franguntur: quia non possumus vnam virtutem amittere, quin omnes amittamus. Vno autem ex ossibus reparato, omnia reparantur. Est autem multiplex casus animæ, & multiplex eius resurrectio. Prima resurrectio ab infidelitate ad fidem, quæ fit specialiter in baptismo. Hoc est Pascha illud, quod fecerunt filij Israël, cùm egrederentur de Ægypto. Secunda resurrectio de vitiis ad virtutes, quæ fit principaliter per pœnitentiam, quæ est secunda tabula post naufragium. Hoc est Pascha illud, quod fecerunt filij Israël in deserto. Tertia resurrectio de miseria huius seculi ad gloriam, quando transimus de mundo ad patrem. Hoc est tertium Pascha, quod fecerunt filij Israël in terra promissionis. Quartam etiam expectamus resurrectionem in fine, quando mortale hoc induet immortalitatem, & incorruptibile incorruptionem. Hoc est Pascha, quod celebrauit Rex Iosias in Hierosolymis, de quo dicitur in libro secundo Esdræ, quod omnes Reges Israël non celebrauerunt Pascha tale, quale egit Iosias. Et in quarto Regum dicitur: Non est factum tale Phase à diebus Iudicum, qui Iudicauerunt Israël, & omnium Regum Israël & Regum Iuda, sicut in decimooctauo anno Regis Iosiæ factum est: Iosias salus Domini interpretatur, & significat Christum. Phase illud præcipuum quod fecit, purgans terram, & interficiendo idolatras, & legis transgressores, significat illud vltimum Pascha, quod factus est Dominus in fine, quando separabit agnos ab hœdis, & transibunt hi in vitam æternam, illi in supplicium æternum. De prima resurrectione, quæ fit à morte infidelitatis ad vitam gratiæ Dei, ait Apostolus ad Colossenses: Resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit Christum à mortuis. De secunda, quæ fit à morte peccati, & à vitiis ad virtutes, ait idem Apostolus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. De tertia, quæ fit à miseria ad gloriam, dicit Ioannes in Apocalypsi: Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem. De quartâ, quæ fiet in fine, quæ est resurrectio corporum, ait beatus Iob: In nouissimo die de terrâ surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Qui igitur de infidelitate ad fidem, vel de vitiis ad virtutes surrexerunt, hi verè cantare possunt: Resurrexi. Quando autem post hanc vitam resurgemus de miseria ad gloriam, poterimus cantare: Adhuc tecum sum, id est, qui tecum fuimus per gratiã, adhuc post mortem tecum sumus per gloriam. Quando verò Dominus manu potentiæ suæ corpora nostra de terra suscitabit, poterimus verè dicere: Posuisti super me manum tuam. Introducti verò in gloriam, quãdo videbimus eum facie ad faciem, & cognoscemus, sicut & cogniti sumus, tunc demum gratias agentes cantabimus: Mirabilis facta est scientia tua, Alleluya, Alleluya. Tunc enim propter duplicem stolam, id est, corporis & animæ glorificationem, duplex Alleluya cantabimus, & nunquam à laude diuina cessabimus, sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Iste igitur hodiernæ Missæ Introitus, hoc canticum, scilicet, exultationis & iubilationis, hæc cantilena resurgentium cum Christo, inchoatur ab eius membris in hoc seculo, sed in fine feliciter consummabitur, quando Regem in decore suo videbimus, quando sedebimus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, & erimus sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate in splendoribus sanctorum in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus nostris: vbi non esuriemus, neque sitiemus amplius, neque cadet super nos Sol, neque vllus æstus, vbi non erit dolor, vel gemitus, vbi absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, vbi dies sine nocte, tranquillitas sine perturbatione, securitas sine timore, sanitas sine languore, iocunditas sine tristitia, felicitas sine miseria, pax sine contradictione, dulcedo sine amaritudine, vita sine mortalitate, satietas sine fastidio, impassibilitas sine corruptione, omnis plenitudo bonorum sine diminutione, gratiarum actio & vox laudis sine fine, Amen.

*De multiplici casu & multiplici resurrectione.*

*Exod.12. Num.9.*

*Ioſ.5.*

*2.Esd.2.*

*4.Reg.23.*

*Matth.25.*

*Coloſ.2.*

*Ephes.5.*

*Apoc.20.*

*Iob 19.*

*De diuersis partibus huius cantilæ, Resurrexi, & adhuc tecũ sum, &c. & qualiter et à quibus habeant cantari.*

*1.Cor.13.*

*Isa.33. Isa.35. Apoc.7. Isa.49. Apoc.7. Apoc.21.*

EODEM

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE Epistola. 1. Corint. 5.

*Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.* 1. Cor. 5.

DIE Dominica in qua conditus est mundus, & verno tempore, quo mundi creaturæ renouantur, resurgere voluit Christus, vt mundum resurgendo repararet, & animas nostras nouitate sua renouans, omnem à nobis tolleret vetustatem culpæ, scilicet, in præsenti, & pœnæ in futuro. Si igitur in hoc paschali tempore, hyemalis intemperies expellitur, & vernalis temperies reuertitur, cœlum fit serenius, & mare tranquillius, terræ superficies herbarum viriditate vestitur, & campi florum amœnitate exornantur, in hortis dulci sono citharizant volucres, in arboribus pullulare incipiunt frondes: indignum est valdè & incongruum, vt rationalis creatura ad imaginem & similitudinem Dei facta vetustatem non abiiciat, & aliis innouatis, ipsa non innouetur & resurgat. Nihil enim miserabilius homine, qui non nisi teneam & putredinem, vermes & pediculos fructificat, si secundū Deum non renouetur in mente. Cùm enim vrticæ floreant, & spinæ fructum ex se producant, serpentes etiam pelles veteres exuant, ceruus ad fontes aquarum renouetur, & aquilæ iuuētus rostro veteri ad petram allisa, reparetur: quid in creaturis vilius homine, nisi miserabilis & corruptibilis carnis fœditatem redimat spiritus nouitate, & morum ornatu atque virtutum pulchritudine? Hyemalem igitur à nobis repellamus torporem, & quasi vernali tempore, cum omni modestia & tranquillitate atque mentis serenitate, his diebus Domino seruiamus, vt terra cordis nostri quasi bonarum cogitationum herbis vestiatur, & liberi arbitrij amplitudo, velut campi latitudo floribus virtutum exornetur. Tympanus orationum ad nuptias noui Regis dulci sono resonemus, & bonorum verborum frondibus pullulemus. Vetus error abiit, ait Dominus per Prophetam, & ecce noua facio omnia. Nouus Rex, noua lex, noua sunt omnia. Redit sponsus de vmbra, sub qua dormiuit in meridie, id est, in passionis feruore. Post tristia sabbata fœlix irradiat dies, qui primatum in diebus tenet. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos, vineæ florētes dederunt odorem suum. Hyems transiit, id est, persecutio, quam pro nobis à Iudæis Christus sustinuit. Frigus etiam infidelitatis, & torporis recessit à cordibus Apostolorum. Imber abiit & recessit, id est, amarę lachrymę, ab oculis discipulorum. Flores immortalitatis & impassibilitatis Christi apparuerunt in terra nostra, id est, in humana natura, vel flores quos producit æstiua pluuia, id est, dulces lachrymæ charitatis, bona, scilicet, operum initia, apparuerunt in primitiua Ecclesia. Tempus putationis, id est, amputationis immortalitatis à Christo aduenit, vel amputationis vineæ Domini, vt sacramenta sterilia amputentur. Vox turturis, id est Mariæ Magdalene, prius plangentis & gementis, audita est in terra nostra, quæ gaudium nouæ resurrectionis discipulis nuntiauit. Vox etiam turturis, id est, Christi, & sanctorum prædicatorum, audita est in vniuersa Ecclesia. Ficus protulit grossos suos, id est, synagoga, fructus primitiuos, scilicet, Apostolos, qui dulcem cibum credentibus ministrauerunt. Vineæ, id est, Ecclesiæ de Iudæis & gentibus florentes initio fidei & bonorum operum, bonæ famæ & sanctæ conuersationis odorem dederunt. De his floribus sponsa in Canticis ait: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Fulcite me floribus, id est bonis inchoantium operibus, stipate me malis, id est, perfectorum operibus & exemplis, quia amore langueo, id est, anxietate desiderij in amore temporalium defectum sustineo. Transiit igitur imber in passione, & apparuerunt flores in resurrectione. Dies enim passionis comparatur hyemi, dies resurrectionis veri, dies Pentecostes æstati, tempus conuersionis gentium, tempori plenitudinis, id est, autumno. Hic est annus placabilis Domino, in quo confirmata est super nos misericordia Domini, id est, adimpletio promissionis, de reparatione generis humani consummata est, & manet in æternum. Renouari igitur, & reuiuiscere nos oportet his diebus, in quibus renouatus est Christus. Dominus enim regnauit, decorem indutus est. Regnauit, dum resurgendo Rex esse innotuit: decorem induit, dum resurgendo pulchritudinē suæ maiestatis ostendit. Triplicem enim decorem habuit, animæ, scilicet, & corporis, & gloriæ diuinitatis. Exponamus igitur veterem hominem cum actibus suis, & induamus nouum hominem, qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius, qui creauit eum, sicut ad Colossenses Apostolus ait: Et quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, sicut ad Romanos idem Apostolus ait. Quemadmodum autē homines huius seculi his diebus vestes veteres deponunt, & nouis induuntur vestimentis, ita & nos veteres peccatorum pannos debemus à nobis proiicere, & noua virtutum vestimenta assumere, vt cum veste nuptiali ad nuptias agni recipi mereamur. Si enim corpora nostra nouis vestibus exornentur, & anima nuda vel pannis veteribus induta relinquatur, nónne ridiculi erimus? velut qui medietatem sui pretiosis & sericis pannis indutā habet, & reliqua nuda vel sacco veteri industa est. Non igitur efficiamur sicut nuncij Dauid, quibus dimidiam barbam rasit Rex Ammonitarum, & vestes vsque ad nates præcidit. Sed sicut homines seculares imminente Paschali solemnitate, capita abluunt, barbas radunt, balneis corpora lauant, & vestimenta mutant, ita &

*Quare die Dominica voluit Dominus resurgere, & tē pore verno.*

*Quod abiicere debemus vetustatem & renouari his diebus.*

*Quod tam inanimata, quàm animata renouentur.*

*Isa. 26. Apoc. 21. Isaiæ 43. Cant. 1. Cant. 2.*

*De voce turturis.*

*Cant. 2.*

*De diuersis partibus anni. Isaiæ 61.*

*Coloss. 3.*

*Rom. 6.*

*De ornatu animarum et nouitate spiritualium vestimentorum. Apoc. 19.*

*De his qui corpora exornant, non animas.*

nos omnes à nobis sordes & superfluitates abiiciamus, & nouis virtutũ indumẽtis induamur,
2. Cor. 5. sicut Apostolus ad Corin. ait. Si qua in Christo noua creatura est, vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua, id est, si quis per fidẽ Christi innouatus est, vetera ei transire debent, & in
Ephe. 4. omnibus debet innouari. Et ad Ephe. ait: Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterẽ hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. De hac autẽ Paschali renouatione dicitur in Leuit. quod qui lepra fuit infectus, ante
Leuit. 14. quam tabernaculum intret, lauet vestimenta sua, & radat capillos capitis sui, & barbam & supercilia, & omnes pilos corporis sui, & septem diebus maneat extra tabernaculum. Pilos corporis, id est, carnales concupiscentias, & omnia leuia & superflua à nobis debemus resecare, antequam ingrediamur tabernaculum, id est, antequam recipiamur in societatem sanctorum. Septem autem diebus extra tabernaculum maneamus, id est, tota præsenti vita extra carnis delectationem debemus viuere, & vestimenta nostra, id est, opera vel corpora nostra, aquis lachrymarum & pœnitentiæ purificare & lauare. Vnde in Exodo dicitur: Vade ad populum, & sanctifica eos hodie & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. Hodie enim & cras, id est, quandiu viuimus, vestimenta nostra lauare debemus, vt simus parati in diem tertium veræ & æternæ resurrectionis. Capillos radimus, dum superfluas & inutiles cogitationes à mente reiicimus. Barbam radere, est fortitudinem suam non sibi arrogare, sed si quid viriliter agimus, ad Deum referamus. Supercilia radit, qui elationem, indignationem & iram, ne superciliosus sit, à se abiicit. Sic igitur renouatur homo, omnem superfluitatem & vetustatem à se abiiciendo, sicut in Parabolis Salomon ait: Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Quod tamen specialiter de Christo intelligi potest, in quo fuit aurum diuinitatis, & argentum humanitatis. De quo argento igne tribulationis cocto in passione, ablata est rubigo mortalitatis in resurrectione, quando verus Iob testa asperitatis saniem corruptionis rasit, & impassibilitatem assumpsit, & natura humana velut aqua in crystallum cõuersa est. Vnde & de crystallo in paschali solemnitate nouus ignis elicitur, quo cereus accenditur. Quasi enim nouo charitatis igne accendit Christus, & illuminauit mundum in sua resurrectione. Cereus enim paschalis, qui per Ecclesias benedicitur, & accẽditur Christum resurgentem, & mundũ suæ resurrectionis lętitia serenantẽ designat. Mũdari igitur nos oportet, & renouari, vt qui vocati sumus hodie ad cœnã agni, lotis manibus cum veste nuptiali ad nuptias filij Regis ingrediamur.
Prouer. 25.
Iob 2.
De crystallo & igne nouo & cereo paschali.

Propterea Apostolus in hodierna epistola ait: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Expurgari enim debemus, vt simus sine corruptione peccati, abiiciendo à nobis vetus fermentum malitiæ in alios, & nequitiæ in nosmetipsos. Attendamus autem & caueamus nobis à triplici fermento Pharisæorum, id est, à simulatione religionis, à tenacitate auaritiæ & intemperantia concupiscentiæ. Vetus autem fermentum dicitur, quodlibet vitium, quod facit animam in malo feruere, de quo Apostolus ad Galatas ait: Modicum fermentum totam massam corrumpit, scilicet, dum argentum vertitur in scoriam, & caupones diaboli miscent aquam vino. Quia qui in vno peccat, omnium est reus, & pro vno mortali peccato, omnia peccata reuertuntur, & omnia bona animæ amittuntur vel corrumpuntur. Quemadmodum si quis post multa fercula bona, in vno ferculo venenum sumat, omnia alia corrumpuntur, nec prosunt illi: dum vltimo ferculo necatur & moritur. Vnde & in Leuit. fermentũ prohibetur offerri. Et in Exod. Dominus ait: Qui comederit fermẽtum, peribit anima eius. Vetus autẽ fermentũ expurgare præcipimur, quia aliud est nouũ fermentũ & bonum, quod corrumpit & destruit totam massam vitiorum. Hoc est charitas, quæ mentem in bono feruere facit. Hoc fermentũ misit in tribus satis farinæ, vt fermentaretur totũ, quia Charitas omnes virtutes informat, & totã massam bonorũ operũ. Tria autẽ sata farinę sunt cogitatio, locutio, & operatio, vel fides trinitatis, quæ nẽ prodest ad salutẽ, sine fermẽto charitatis. Tria etiã farinę sata, tres ordines sunt fideliũ in Ecclesia. Tria insuper farinæ sata sunt rationalis, cõcupiscibilis & irascibilis, quæ charitate fermẽtantur, dũ earũ actus ad dilectionẽ Dei, & proximi referuntur. Expurgare igitur debemus vetus fermentũ, vt puri & azymi simus, & à nobis zyma vetus, id est, fermentum abiiciamus. Vnde Apost. ait: Vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, id est, innouati virtutibus sine corruptione peccati, sicut in baptismo puri & azymi facti estis, cõsperti aqua purificationis, vt facta conspersione igne sancti spiritus coqueretur panis Christo incorporandus. Puri igitur & azymi esse debemus. Etenim pascha nostrũ immolatus est Christus, tãquam agnus Paschalis, quẽ purè & sine omni corruptione edere debemus. Qui dicitur Pascha nostrũ, quia facit nos transire de vitiis ad virtutes, de morte ad vitam, de virtute in virtutẽ, de bono in melius, de mundo ad patrẽ, de miseria ad gloriã. Per ipsum igitur trãsimus ad patrẽ, ne cũ mundo transeunte, transeamus ad vanitatẽ. Et quoniã immolatus est Christus, & factus est cibilis igne passionis, itaq; epulemur nõ in fermẽto veteri, nõ in corruptione veritatis, sed in azymis sinceritatis & veritatis. In azymis sinceritatis nouę vitę absq; vitiorũ corruptione. In azymis veritatis bonorũ operũ, sine fraude & vanitate. Propterea in Deut. Dominus ait: Septẽ diebus comedes absq; fermento. Et in Exodo ait: Septẽ diebus azyma comedetis. Quia tota vita præsenti quę septem diebus peragitur, in azymis sinceritatis & veritatis cũ Domino debemus epulari. Et maximè his diebus cum omni diligẽtia nobis cauere debemus ab omni inquinamento mentis & corpo-
1. Cor. 5.
Iaco. 2.
Matth. 18.
Gal. 5.
Isaiæ 1.
Leuit. 2.
Exod. 12.
De fermento malo.
De nouo & bono fermento, & de tribus farinæ satis.
Expositio literæ.
De paschali transitu multiplici.
Exod. 16.
Exod. 12.

& corporis, vt puro in cordis hospitio Christum recipiamus. Si enim per Prophetam Dominus ait: Mundamini qui fertis vasa Domini, quantò magis mundari debemus, qui vasa Domini sumus, qui corpus eius, & sanguinem hodie recipimus, vel recepturi sumus. Qui enim indignè mãducat & bibit, in iudicium & damnationem suam recipit. Propterea Apostolus ad Hebræos ait: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Ex quo patet quod qui indignè Christi corpus recipit, filium Dei quantum in se est, cõculcat & vilipendit. Similiter sanguinẽ Christi iudicatur polluere, qui ipsum in vase immundo præsumit recipere. Spiritui autem gratiæ, id est, gratis dato, spiritui, scilicet, sancto contumeliam facit, qui illũ à se peccãdo proiicit. Ex quo patet, quod melius esset Christi corpus nunquã recipere, quã recipere indignè, vel post eius receptionem ad peccatum redire, quod est spiritui sancto contumeliam facere, & Christum ab hospitio suo, quasi violenter expellere, siquidem:

*2. Cor. 3. Contra eos qui indignè Christi corpus recipiunt, vel postquam receperunt ad peccata redeũt Heb. 10.*

*Turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes.* *Versus.*

Dominus enim qui Regum palatia contempsit, hodie in hospitio nostro, cuius lutei sunt parietes, dignatus est hospitari. Quanta est crudelitas & iniquitas athletam nostrum, qui vulneratus est pro nobis, & hæreditatem nostram nobis acquisiuit, de hospitio nostro statim eiicere, vel receptum non permittere quiescere, sed iterum vulnerare? sicut scriptum est: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Qui autem carnaliter viuunt, ipsum in se quiescere non permittunt. Hoc est enim altare, de quo vt ait Apostolus: non habent potestatem edere, qui tabernaculo corporis deseruiunt, id est, qui carnis curam faciunt in desideriis. Accincti enim renes per munditiam carnis, & cum lactucis aggrestibus, per amaritudinem contritionis, agnum Paschalem manducare præcipimur. Et insuper festinanter comedere, id est, ad epulas tantæ solemnitatis, cum ingenti desiderio anhelare. Si autem in vase vitreo & fragili modicam stillam sanguinis Christi haberemus, nũquid cum magna cautela vas illud studeremus custodire, ne fortè frangeretur, & sanguis in terrã funderetur? Quid fragilius humano corde, quod ad vnum contumeliæ verbum quandoque frangitur, vel ad vnum mulieris aspectum ad malum inclinatur. Cum magna igitur cautela cordã nostra conseruemus, in quibus non tantum vnam stillam sanguinis, vel vnam corporis particulã recipimus: sed corpus integrum & totum sanguinem, & ipsum filium Dei, verum Deum & hominem susc ipimus. Teste autem Apostolo, quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem indignè, reus erit corporis & sanguis Domini: sicut scriptum est: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Qui enim medicinam accipit: nisi se diligenter & cautè custodierit, facilè mortem incurrit. Propter hoc multi infirmi sunt in vobis, & dormiunt multi, ait Apostolus. Nos autem per totam quadragesimam ieiunando, orando, & peccata confitendo, qui præparationem huius sanctæ & efficacis medicinæ accipimus: vt illam hodie ad sanitatem animæ nostræ possemus recipere. Quoniam vanus est & excors, atque fatuus, qui tanto laborauit tempore: & in momento laborem suum pro vili & turpi voluptate perdit. Si igitur tantum & tam pretiosum thesaurum acquisiuimus: ab insidiis latronum nobis cauere debemus. Nunc enim fures & prædones infernales nobis magis insidiantur, quàm prius, cùm nondum tãto thesauro ditati fuissemus. *Cantabit* enim *vacuus coram latrone viator.* Non enim pauperibus & mendicis, sed diuitibus bonis, scilicet, spiritalibus ditatis, insidias ponũt maligni spiritus, qui nunc recuperare nitũtur, quod in quadragesima perdiderunt. Thesaurum igitur nostrum cautè & diligenter custodiamus, & in puro cordis hospitio tantũ recipiamus hospitem. Si enim sepulchrum eius est gloriosum, si beatus venter est qui ipsum portauit, & vbera quæ ipse suxit: ita beati sunt, qui ipsum dignè recipiunt. Econtra non minus peccant, qui contemnunt immortalem, quàm qui crucifixerunt passibilem, qui vilipendunt regnantem in cœlis, quàm qui conculcauerunt ambulantem in terris. Vnde in Leuitico dicitur: Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, peribit de populis suis. Et in Exodo dicitur: Hæc est religio Phasę, omnis alienigena non comedet ex eo, id est, qui peccatis suis alienatus est à Deo. Et iterum ait: Mercenarij nõ edent ex eo, qui, scilicet, non veri filij, nec æternam expectant hæreditatem. Et rursus ait: Si quis circunciſus non fuerit, non vescetur ex eo. Resecare enim debemus omnia vitia, & purificare corda nostra, ne liquorem præciosum cœlestis nectaris recipiamus in vasis immundis. Ioseph enim in monumento nouo corpus Christi posuit: Et nos reformemur in nouitate sensus nostri, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, vt in sindone munda ipsum inuoluamus, cum myrrha & aloe, id est, cum duplici cordis ac corporis amaritudine, & corde conreramur, & corpore immolemur. Sicut enim dicitur nobis, immolatus est Christus, itaque epulemur, ita nobis dici potest, epulatus est Adam, itaque immolemur. Probet igitur seipsum homo, & sic de pane illo, & de calice bibat, vt comedat hircos cum medulla tritici, id est, opera pœnitentiæ cum corpore Christi, vt dicat cum beato Iob: Antequam comedam, suspiro. Hic est intingere buccellam suam in aceto, sicut scriptum est: Lauabo inter innocentes manus meas, & sic circundabo altare tuum Domine. Propterea Psalmista ait. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, & sic introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Si igitur lauimus pedes nostros, nõ iterum coinquinemus eos, sed puri & sanctificati introeamus ad altare Dei, vt inebriemur ab vb ertate

*Heb. 11. Rom. 13. Qualiter comedendus est agnus paschalis. Exod. 12. De cautela custodiendi vas fragile. 1. Cor. 11. Num. 11. De præparatione ante medicinam, & conseruatione post medicinã. Prouer. 21. De diligenti custodia thesauri. Isaiæ 11. Lucæ 11. Leuit. 7. Exod. 12. De monumento nouo, & sindone, & myrrha, atque aloe. Ioan. 19. Iob 1. Rubr. 8.*

domus

*De conuiuio, potatione, & inebriatione. Isaiæ 65. Ioel. 3.*

domus Domini, sicut scriptum est: Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi. Comedite laborantes, bibite quiescentes, & inebriamini resurgentes. Comedunt amici, dum pro modulo suo mundi accedunt & purgati. Charissimi autem inebriantur, dum per mentis excessum, ad gaudium supernæ rapiuntur. Vnde Dominus per Isaiam ait, ad reprobos qui indignè accedunt: Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: serui mei bibent, & vos sitietis. Quorum enim dentes obstupescunt, quia vuam acerbam comederunt, hunc panem manducare non possunt.

*Iob 16. Phil. 3.*

Vnde Dominus per Iob ait: Terra, ne operias sanguinem meum. Terrena enim corda quę non nisi terrena sapiunt, Christi sanguinem ad salutem suam bibere non possunt. Et in Ecclesiaste Salomon ait: Florebit amigdalus, & impinguabitur locusta, & dissipabitur cappáris, quando ibit homo in domum æternitatis suæ. Amigdalus dicitur Christus propter triplicem substantiam fructus eius, in quo est cortex, testa, & nucleus. Et in Christo tres fuerunt substantiæ, cortex corporis, testa spiritus, & nucleus diuinitatis. Floruit igitur amigdalus, id est, Christus in resurrectione, & impinguata est locusta, id est, gentilitas ad Deum conuersa, quæ prius erat macillenta & arida, & bona terræ inutiliter comedebat, inconstans & vaga, saltum habens deciduum, siluestris & in agris habitans, sicut scriptum est. Inuenimus eam in campis siluæ. Cappáris autem herba est modica, petræ adhærens, & significat synagogam prius humilem & Christo adhærentem, quæ dissipata est & auulsa à Petra per infidelitatem, quando iuit Christus in domum æternitatis suæ resurgendo, & in cœlum ascendendo. Propterea in Canticis Dominus ait: Surge aquilo & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Surrexit aquilo in passione, venit auster in resurrectione, perflauit hortum in spiritus sancti missione, fluxerunt aromata illius in gentium vocatione, & locustæ impinguatione. De hac impinguatione locustæ ait Osee: Sedentes in vmbra eius, viuent tritico illo, scilicet, quod cadens in terram, multum fructum attulit. Qui autem extra vmbram eius sunt, id est, in feruore peccatorum, & in tritico comedunt, non viuunt illo, sed moriuntur, quia bono malè vtuntur. Et Micheas ait: In die illa sedebit vir subter vineam suam, & subter ficum suam. Subter vineam, propter vinum compunctionis: & subter ficum, propter dulcedinem & gaudium resurrectionis. Comedamus igitur hodie manna suauitatis & dulcedinis, de quo in Apocalypsi Dominus ait: Vincenti dabo edere manna absconditum. Nisi peccata vicerimus, hoc manna edere non debemus. Manducemus panem Aser delicatum præbentem delicias regibus, id est, viris spiritualibus. Ipse enim qui fuit panis, quasi subcinericius in sepultura & morte factus est nobis panis similagineus in resurrectione. Per amaritudinem enim corticis & asperitatem testę, & duritiam laboris peruenitur ad nucleum dulcedinis & suauitatis. Beati autem qui vocati sunt ad paschale conuiuium & ad nuptias agni, cuius thalamus est munditia carnis, thorus castitas mentis, visus contemplatio, colloquium oratio, contactus delectatio internæ dilectionis, osculum tranquillitas, mentis conceptus, voluntas ordinata, partus operatio bona. Si igitur in his nuptiis, in azymis sinceritatis & veritatis cum Domino epulemur, tandem ad mensam eius cœlestem sedendo, beati erimus, panem angelorum manducantes in regno cœlorum, & bibentes cœleste pigmentum, cùm nos in cellaria sua Rex noster introduxerit. Teste autem beato Gregorio: quando ad ipsum fontem venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas, sed longe ab ista siti necessitas, & longè à satietate fastidium, quia sitientes saturabimur, & satiati sitiemus.

*De manna et pane delicato. Apoc. 2. Gene. 49.*

*Apoc. 19. De nuptiis agni & his quæ fiunt in nuptiis.*

*Luc. 14. Cant. 1. De fonte & siti, & satietate.*

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Marcum.

*Mar. 16.*

*Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.*

*Iosue. 5. Qualis debet esse prædicator, ostenditur in sermonibus Euangelii vsque ad quartam feriam Pentecostes. Hic ostenditur quod dicitur ardere & lucere. Quod prius dicitur prædicator benè operari quàm loqui, prius dicitur ardere quàm lucere. Leuit. 2. Actum. 1 Cant. 8.*

DOMINVS in Euangelio ait, quod Ioannes erat lucerna ardens & lucens. Qui enim non ardet, lucere non debet, nec effundi debet per prædicationem, qui infusus non est per gratiam. Nisi enim ardemus, quomodo alios incendemus? Et quomodo erit canale, qui concha non fuit? Qui nõ est irrigatus, quomodo alios irrigabit? Peccatori enim dixit: Quare tu enarras iustitias meas? Propterea in Canticis ait: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Ostende faciem prius operando, & bonum exemplum ostendendo, & postea sonet vox tua in auribus meis aliis prædicando, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Vox tua dulcis, quia vita concordat voci, & cor oriputet turturis retorquetur ad ascellas, sicut scriptum est: Cœpit Iesus facere & docere. Siquidem cum vox vitam non remordet, dulcis est melodia. Facies tua decora, quia lucrum animarum & non propriam laudem quæris, & prædicationi tuæ malè viuendo non contradicis. Et iterum in Canticis dicitur: Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. In hortis enim, id est, in viriditate bonorum operum habitare debemus, vt faciamus quod prædicamus. Sic enim amici, id est, sancti angeli auscultabunt gaudendo. Et Dominus: Vocem no stram audiet approbando. Et quoniam peccator sum, & indignus loqui de tanta solemnitate, fundite preces ad Dominum pro me, vt ipse mihi hodie conferat gratiam suam ad ipsius honorem & vtilitatem vestram, vt ipse sit in corde meo, & in labiis meis ad proferendum aliquod verbum

verbum ædificationis. Fruſtra enim exterius laborat lingua prædicatoris, niſi intus operetur gratia ſaluatoris. Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata. Sanctæ & deuotæ mulieres, quæ Chriſtum in vita ſua dilexerunt, ipſum in morte non reliquerunt, ſed tradiderunt corda ſua ad vigilandum diluculo ad Dominum. Multæ enim aquæ tribulationum non potuerunt extinguere charitatem earum. Non propter ſexus fragilitatem, non propter lapidis magnitudinem, neq; propter Iudæorum vel militum cuſtodum timorem retineri potuit, aut retardari deſiderium earum, ſed Apoſtolis lugentibus, & latentibus propter metum Iudæorum, ipſæ per medios militum gladios intrepidè & intepidè venerunt ad ſepulchrum. Et quoniam non fictè ſed ſollicitè: non ſegniter, ſed ardenter: non inconſtanter, ſed perſeueranter Chriſtum quæſierunt, ipſum inuenire meruerunt. Tota enim nocte vigilantes, non acedioſe vel ſomnolentè aromata parauerunt, & ſummo diluculo ad monumentum venerunt, cum adhuc eſſent tenebræ, ſicut Ioannes in Euangelio proteſtatur. Nondum enim plenè dies illuxerat, ſed lucere incipiebat. Propterea Marcus ait: Orto iam ſole, id eſt, luce à parte Orientis incipiente clareſcere. Per hoc etiam inſinuat, quod verus ſol iuſtitiæ iam ſurrexerat, & de ſepulchro ortus erat, ſicut Ioannes per hoc quod ait, cùm adhuc tenebræ erant, in corde quærentium tenebras ignorantiæ, triſtitiæ & doloris adhuc fuiſſe oſtendit: vel cùm adhuc tenebræ eſſent, ſcilicet, de nocte venerunt, id eſt, venire cœperunt, orto autem ſole peruenerunt. Vnde & Matthæus ait: Veſpere ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre ſepulchrum. Quæ luceſcit, id eſt, quam ſequitur lux diei Dominicæ, quæ eſt prima poſt ſabbatum. Veſpere ſabbati, id eſt, ſero poſt diē ſabbati venerūt, id eſt, venire cœperunt, aromata præparando, & poſteà iter aggrediendo. Et ita nocte venire cœperunt, ſed diluculo peruenerunt. Vel ſecundum Auguſtinum: Veſpere, id eſt, nocte ſabbati à parte totum, quæ luceſcit, vt fiat relatio ad id quod per veſpere intelligitur, ſcilicet, nox. Determinatur enim qua parte noctis venerunt, id eſt, fine noctis, cuius finis eſt diluculum: primæ ſabbati, id eſt, primæ diei poſt ſabbatum. Nox igitur illa luceſcit ad literam in prima ſabbati, id eſt, terminatur luce diei dominicæ. Myſticè autem innuit, quod nox illa ſicut dies illuminata eſt ſplendore Dominicæ reſurrectionis, ſicut ſcriptum eſt: Et nox illuminatio tua, in delitiis meis. Venerunt igitur valdè mane, vna ſabbatorum, id eſt, prima die ſeptimanæ, cuius quælibet dies ſabbatum dicitur, quia ſolemnes erant dies, ſcilicet, Paſchales, dies azymorum. Quælibet etiam dies anni ſabbatum dicitur, quia ſemper à malo quieſcendum eſt. Similiter & ſeptimana ſabbatum appellatur, iuxta illud: Ieiuno bis in ſabbato. Et in hoc ſenſu dies Dominica dicitur, vna ſabbati, id eſt, dies prima ſeptimanæ. In hoc autē cōcordant omnes Euangeliſtæ, quod valdè mane, id eſt, diluculo, venerunt ad monumentum. Iam autem Dominus noſter ſurrexerat, nec ipſum in monumentum inuenerunt. Et idcirco ipſum ſurrexiſſe nocte, quidam ſancti opinantur, Hieronymus, ſcilicet, & Ambroſius, & plerique alij. Sicut enim natus eſt media nocte, & nocte media venturus eſt ad iudicium, ita dicunt quod media nocte ſurrexit. In cuius figura Sampſon media nocte, de Gaza qua concluſus erat, exiuit, & portas illius tollēs montis verticem aſcendit, Accepto enim regno, quaſi de longinqua Regione victor rediit, & data eſt ei præeminentia poteſtatis. Vnde in Exodo Dominus ait: Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægypti. Beato verò Auguſtino & multis aliis doctoribus viſum eſt, quod ſummo diluculo ſurrexit Dominus, ſcilicet, mane prima ſabbati. Vnde in Pſalmo pater ad filium ait: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara. Et filius reſpondet, dicens: Exurgam diluculo. Exurge gloria mea in miraculorum choruſcatione: Pſalterium in prædicatione, cithara in paſſione. Exurgam diluculo. Ad veſperum enim demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia, & tunc confitebor tibi in populis Domine. Vnde in Apocalypſi Chriſtus ait: Ego ſum ſtella ſplendida & matutina. Stella ſplendida, diem futuræ beatitudinis annuncians. Matutina mane reſurgens, & per reſurrectionem meam noctem fugans, & diem adducens. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Penetrabo inferiores partes terræ, & viſitabo omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Huic autem opinioni videntur conſentire Ciſtercienſes, qui diluculo laudes matutinas cantare conſueuerunt, hora, ſcilicet, illa qua pro nobis ſurrexit, ei gratias referentes. Teſte enim Auguſtino pudor eſt Chriſtiano, ſi ſolis radius eum in lecto reperiat, ſed eadem hora qua pro nobis ſurrexit Chriſtus, debet laudes matutinas Deo dicere, & ei gratias referre. Vnde in titulo huius Pſal. Deus Deus meus reſpice in me, cerua matutina appellatur Chriſtus. Intitulatur enim pro aſſumptione matutina, ſiue pro cerua matutina. Ma-ne enim aſſumpta eſt humana natura in gloriā, quę tanquā cerua lutum peccati tranſiit, & ſpinas pœnalitatis tranſiliendo depoſuit. Sicut autem Sol mane oritur & paulatim clareſcit, donec plenè vbique illuceſcat: Ita Chriſtus mane ſurgens, primò paucis innotuit, poſteà per totum mundum radios ſuæ cognitionis effudit. Videtur igitur his rationibus, quod mane ſurrexit Dominus. Vnde Dominus per Oſee dicit: In tribulatione ſua, mane conſurgent ad me. Et paulò pòſt: Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius. Et in Apocalipſi Dominus ait: Qui vicerit, dabo illi ſtellam matutinam. Et beatus Iob de infideli ſynagoga ait: Non videat ortum ſurgentis aurorę, id eſt, Chriſti reſurgentis, & qui fiat tanquam ſtella matutina in medio nebulæ. Vincitur enim Angelus à Iacob, & tamen in aurora illi benedixit. Quia Chriſtus in morte occubuit

*De feruore & deuotione ſanctarum mulierum.* *Eccle.30.* *Cant.8.*

*Ioan.20.* *Qua hora venerunt mulieres ad monumentum.*

*Matth.28.*

*Expoſitio literæ D. Matthæi.*

*Quod ſabbatū multipliciter dicitur.*

*Matth.28.* *Mar.16.* *Luce 24.* *Ioan.20.* *Variæ ponuntur opiniones de hora reſurrectionis Dominicæ: quidam dicūt quod nocte ſurrexit.* *Iud.16.* *Alia opinio quod de die, diluculo, ſcilicet ſurrexit.*

*Apoc.22.*

*Oſee.6.* *Apoc.2.* *Iob 3.*

*Gene.32.*

*Quod Angelus inuincitur et benedicit Iacob in aurora, & claudicat Iacob.*

occubuit à Iudæis, qui tamen manè consurgens, multos postmodum ad se conuertit. Claudicat autem Iacob vno pede: quia pars Iudæorũ credidit, & pars in infidelitate permansit. Mane igitur cum aromatibus Maria Magdalene & Maria Iacobi cũ tertia muliere, cuius nomẽ Salome, venerunt ad monumentum, sed & aliæ mulieres cum eis venerũt. Vnde Lucas ait: Erãt autem Maria Magdalene & Ioanna & Maria Iacobi & cæteræ cum eis. Hanc Ioãnam, quæ vxor erat

*Expositio literæ. Lucæ 24. Lucæ 8.*

procuratoris Herodis, dicũt quidam esse eam, quam Marcus appellat Salome, & erat binomia. Chrysostomus autem dicit, quod Salome fuit mater filiorum Zebedęi. Ioannes autem tantum de Maria Magdalene facit mentionem, propter magnam eius deuotionem & feruorem desiderij. Cùm autem prædictæ mulieres simul pergerent, dicebant inter se: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti. Quærelam supplicationis deponunt insinuando, quod desiderabãt, sed non plenè orare audebant. In quo moraliter instruimur, quod non debemus de viribus nostris præsumere, vt à nobis difficultates tollere valeamus: sed de diuino auxilio cum omni humilitate confidere debemus. Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Iam enim terræmotus factus erat antequam venirent ad monumentum, & angelus Domini lapidem reuoluerat, & custodes quasi mortui iacebant. Prius autem quàm lapis reuolueretur, Christus surrexit, clauso sepulchro, & postmodum angelus lapidem reuoluit: vt ostenderet mulieribus locum

*Quod clauso sepulchro Christus exiit*

sepulchri interius, quod Christus iam ibi non esset. Clauso enim sepulchro exire potuit, qui de matris vtero, cùm adhuc mortalis esset, & corpulentus, ipsa permanente integra, exiuit. Vnde cuidam monacho sancti Laurentij extra muros vrbis de resurrectione cogitanti, cùm miraretur, de cingulo suo non soluto, & tamen ad pedes eius proiecto vox in aëre facta est. *Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.* Introëuntes autem mulieres in monumentum, id est, accedentes prius ad sepulchrum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, &

*Versus.*

*De apparitione Angeli, et habitu eius. Concordia ostẽditur euãgelistarũ qui dissimiliter loquuntur de apparitione Angelorum.*

obstupuerunt. In specie iuuenis propter iocunditatem resurrectionis Angelus apparuit, & stola candida Angelus coopertus erat: quia gaudium tam præclaræ solemnitatis nuntiaturus venerat. In dextera sedebat, quia vitæ immortalis gaudia nuntiabat. Matthæus ait, quod Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum, & erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Lucas ait: Ecce duo viri astiterunt secus illas in veste fulgenti. Ioannes ait: Maria stabat ad monumencum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus IESV. Ex quo patet quod diuersis modis & pluribus apparitionibus, apparuerunt illis Angeli, & quod vnus Euangelista tacuit, alius retulit. Vnum enim dictum est ab vno, & aliud ab alio, à diuersis diuersa,

*Ordo historiæ secundum Augustinum.*

sed non auersa, neque contraria. Vnde beatus Augustinus, veritatem & ordinem historiæ prosequitur integrè, dicens: Diluculo sicut omnes Euangelistæ consentiunt, ventum est ad monumentum. Iam factum erat, quod solus Matthæus ait de terræmotu, deuoluto lapide & territis custodibus. Venit autem Maria Magdalene cæteris feruentior. Vnde Io-

*Matth. 28. Ioan. 20.*

annes commemorat eam tacitis aliis quæ cum ea fuerant. Videnśque lapidem sublatum antequam diligentius inspiceret, credens sublatum corpus, cucurrit nuntians Petro & Ioanni. Qui etiam cucurrerunt ad monumentum, & non inuento corpore, crediderunt quod Maria dixerat sublatum, abieruntque. Maria autem stetit foras, plorans in horto, scilicet, in quo ingressæ fuerant. Tunc viderunt Angelum sedentem super lapidem reuolutum. *De quo* Matthæus & Marcus dicunt. Qui dixit eis: Nolite timere. Scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quæritis. Quibus similia Marcus non tacuit. Ad hæc verba Maria, dum fleret, inclinauit se, & prospexit in monumento. Et vidit duos Angelos, vnum ad caput, & vnum ad pedes sedentes in albis. Dicunt illi, Mulier, quid ploras? Quia tulerunt Dominum meum. Hic intelligendi sunt surrexisse Angeli, vt stantes viderentur, sicut Lucas ait, qui & eos dixisse refert.

*Lucæ 24.*

Quid quæritis viuentem cum mortuis? Post hæc conuersa est Maria retrò, & vidit Dominum stantem, vt Ioannes ait: & non sciebat, quia IESVS est, putans hortulanum, vbi & nomenata agnouit eum. Cui & dictum est: Noli me tangere. Tunc egressa est de monumento, id est, de loco ante lapidem effossum, & cum ea aliæ duæ, quas vt Marcus ait: timor intuaserat, & nemini quicquam dicebant. Tunc iam secundum Matthæum: Ecce IESVS occurrit eis, dicens, Auete: Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Sic colligimus & angelorum locutionem bis eas habuisse, venientes ad monumentum, & ipsius Domini semel, quando Maria hortulanum putauit, & nunc cum eis iterum occurrit, vt eas ipsa repetitio firmaret. Venit ergo Maria Magdalene annuntians discipulis, & aliæ cum ea erant, quas Lucas commemorat. Hæc sunt verba Augustini, ex quibus & veritas historiæ & concordia Euangelistarum manifesta est, & ordo rei gestæ. Quæcunque autem ibi gesta sunt, plena

*Lucæ 24. Mysteriũ resurrectionis & eorũ quæ in resurrectione gesta sunt. Rom. 4.*

sunt mysteriis, & ad informationem fidei, atque instructionem morum referri possunt. Sicut enim Dominus noster traditus est, & mortuus propter delicta nostra intelligenda, ita resurrexit propter iustificationem nostram, vt nos suscitaret de morte ad vitam, de morte peccati ad vitam gratiæ, de morte pœnæ ad vitam gloriæ. In passione ostendit quid debeamus tolerare: in resurrectione, quid debeamus sperare, ostendens nobis exemplo quod promiserat ex præmio. Simplex eius resurrectio, duas nostras resurrectiones demonstrat.

*De multiplici resurrectione nostra.*

In prima resurrectione nos induit veste innocentiæ, in secunda induet nos veste immortalitatis & gloriæ.

& gloriæ. Ad hoc enim teste beato Gregorio: vt humanam naturam admonendo excitaret, apparuit in carne, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. Cæterùs autem à morte resurgere voluit, ne nostræ diu animæ infidelitatis morte detinerentur. Vnde ipse per Psalmistam ait: Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et iterum: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. Si enim vsque ad generalem resurrectionem expectaret, quis in eum crederet, vel se à mortuis resurrecturum speraret. Et ideò de torrente in via bibit. Mortem enim in transitu gustauit. Ipse enim primogenitus est ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, sicut ad Colossenses ait Apostolus: Id est, primus resurrexit, vt sit Princeps nostræ resurrectionis. Si enim nobis vitam mortalem experimento scientibus resurrectionem promitteret carnis, & tamen hanc visibiliter non exhiberet, quis eius promissionibus crederet? Multos etiam secum resurgere voluit in testimonium resurrectionis nostræ futuræ, ne fortè ipsum tantum, quia Deus & homo erat posse resurgere diceremus. Puros autem homines non posse resurgere putaremus. Vnde Apostolus ad Corinthios ait: Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Et paulò pòst: Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Patet igitur quod per resurrectionem Domini nostri instruimur ad fidem, & confortamur ad spem, sed insuper informamur ad imitationem. Ipse enim resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, sicut Isaias ait: Non occidet vltra Sol tuus. Simili modo & nos ita à morte peccati resurgamus, quod vltra peccando non moriamur. Vnde Apostolus ad Romanos ait: Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, ne vltra non seruiamus peccato. Sicut igitur Christus mortuus est & resurrexit, ita & nos mori debemus mundo & viuere Deo. Vnde idem Apostolus ait: Si complantati fuerimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Plantati igitur, id est, firmiter radicari in morte eius debemus, vt in mente nostra fortiter imprimatur & sigilletur. Ipse enim in dilectione nostra firmiter plãtatus fuit. Vnde scriptũ est de eo quod auulsus est à discipulis. Et nos in eius dilectione firmiter radicari & plãtari debemus. Nam arbor firmiter radicata, & si ventis tentationum impellatur, & aliquando inclinetur, non frangitur, neque corruit, quia Dominus manum suam supponit. Conformemur igitur passioni eius, sepulturæ & resurrectioni. Teste enim Apostolo consepulti sumus cum illo per baptismum in morte. Sicut igitur Christus vetustatem pœnæ deposuit, dolorem in cruce sustinendo, ita & nos vetustatem peccati in dolore pœnitentiæ deponamus, & membra nostra configamus clauis timoris eius, ne ad priora mala redeamus. Crucifigamur igitur cum Christo per carnis mortificationem, quiescamus in monumento per tranquillam & serenam conscientiam. Lapidis autem aduolutio est disciplinæ districtio: resurrectio, spes mortuorum cum desiderio: ascensio verò omnimoda in nouum hominẽ transformatio. Sic igitur crucifigamur cum Christo, & ei cõsepeliamur, vt cum ipso resurgamus: iuxta consilium Apostoli: Mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circũferentes, vt vita Iesu in corporibus nostris manifestetur. Vnde ipse ad Corinthios ait: Licèt is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Et ad Romanos de Christo ait: Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Ita estote vos mortuos quidem peccato: viuentes autem Deo. Si igitur cum Domino ascenderimus in palmam, cum ipso in cruce patiendo: apprehendemus fructum eius, cum illo resurgendo. Et si gustauerimus radicis amaritudinem: tandẽ experiemur fructus dulcedinem. Sexta autem feria Dominus in cruce laborauit, septima die in sepulchro quieuit, octaua die resurrexit. Sexta enim ætas est laborantium, septima quiescentium, octaua beatorum. Quoniam igitur ex verbis Apostoli cognouimus, qualiter cum Christo mori, sepeliri, & resurgere debeamus: nunc exemplo sanctarum mulierũ videamus, qualiter ipsum quærere debemus, & ad eius sepulchrum venire. Emerunt enim aromata, teste Euangelista, vt venientes vngerent Iesum. Ita & nos si cum aromatibus & odore virtutum referti cum exemplo bonorum operum Dominum quærimus, ipsum profectò inueniemus. Illæ autem mulieres, vt ait beatus Gregorius: Angelos viderunt, quæ cum aromatibus venerunt. Quia videlicet illæ mentes supernos ciues aspiciunt: quæ cum virtutum odoribus ad Deum per sancta desideria proficiscuntur. Qui autem omnibus quę possidet, & sibi ipsi pro Christo renuntiat, vt bonis spiritualibus ditetur, & æterna bona possideat: hic profectò aromata pretiosa sibi comparat. Bona moneta cordis contritio, qua vnguentum indulgentiæ & remissionis peccatorum emimus. Bona moneta satisfactio, qua pœnã æternam euadimus, & nobis vnguentum remissionis acerbæ pœnæ comparamus. Bona moneta ieiunium, qua castitatis vnguentum nobis acquirimus. Bona moneta oratio, qua diuinæ propitiationis vnguentum obtinemus. Bona moneta eleëmosyna, qua nobis vnguentum diuinæ misericordiæ & gloriæ æternæ emendo adipiscimur. Beati enim misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Emamus igitur aromata, quibus Iesus vngatur, & suauẽ reddamus nobis, quem exasperauimus peccatis nostris. Vngamus eius vulnera, qui vulneratus est in cruce pro nobis. Ecce enim athleta noster, frater noster primogenitus pulsat ad ostium. Ecce venit ad nos afflictus, vulneratus & fessus, consputus, derisus, opprobriis saturatus, fatigatus, vexatus,

*Quod Christus diu noluit à morte detineri.*

*Colos. 1.*

*Quod cũ Christo plures surrexerunt. 1. Cor. 15.*

*Rom. 6. Isaiæ 60.*

*Rom. 6. Quod ad imitationẽ Christi mori & sepeliri & resurgere debemus. Rom. 6.*

*2. Cor. 4.*

*Rom. 6. Cant. 7.*

*De sexta feria mortis Christi, & septima sepultura, & octaua feria resurrectionis eius. Qualiter quærendus est Iesus, & de aromatibus.*

*De aromatũ emptione, & de multiplici moneta.*

*Matth. 5. De vnctione Christi & vulnerũ eius, & qualiter ipsum recipere in hospitio nostro debemus.*

xatus, flagellatus, crucifixus, lanceatus. Colligamus eum in loco quieto, non in strepitu mundi. Reficiamus eum in cœnaculo mundi cordis, qui pascitur inter lilia: sessus est, diuturna quiete indiget. Vngamus eius vulnera aromatibus preciosis, triplici vnguento, naturæ, scilicet, doctrinæ & gratiæ, vt tandem ipse nos vngat vnguento gloriæ, vnguento naturæ vngamus eum proximis compatiendo, vnguento doctrinæ proximos instruendo, vnguento gratiæ Deum super omnia & proximos sicut nosmetipsos diligendo. Vnguentum insuper naturæ Christo exhibemus, dum legem naturæ adimplemus, vt quæ nobis fieri non volumus, alij non faciamus. Vnguentum doctrinæ ei offerimus, dum legē scripturę & doctrinam moralium præceptorum conseruamus. Vnguento vero gratiæ ipsum vngimus, dum legi Euangelicæ, per omnia acquiescendo obedimus, bonum est vnguentum compunctionis de recordatione peccatorum, quod ad pedes Christi offerimus, dum veniam de peccatis humiliter postulamus. Bonum est vnguentum deuotionis, de recordatione beneficiorum, quod ad caput eius offerimus, dum ipsius mæiestati de bonis collatis gratias referimus. Bonum & pretiosum pietatis vnguentum, quo corpus ipsius vngimus, dum pauperes reficimus, & opera misericordiæ in membris eius exercemus. Nam & Maria Magdalene vnguento, quod præparauit corpus Christi, quod iam surrexerat, non vnxit, illud tamen vnguentum Domino placuit. Gratum enim habuit, & desiderium mulierum, qui magis pensat affectum, quàm effectum: vnde & in diem sepulturæ suæ illud præcepit reseruari, non quia vnctione in proprio corpore indigeret, sed corpori mystico vnguentum pietatis, quod illo materiali vnguento designatur, voluit exhiberi. Maria autem Magdalene, & Maria Iacobi & Salome spiritualiter tria vnguentorū genera offerunt. Maria Magdalene, quæ turrensis vel turris interpretatur, per præeminentiam cōpunctionis & humilitatis offert vnguentū trium specierum. Contritionis, quæ suscitat mortuū: cōfessionis, quę facit eū surgere: satisfactionis, quę facit eum ambulare, Maria Iacobi, qui luctor interpretatur, offert vnguentum trium specierū sobrietatis, scilicet, iustitię & pietatis. Accepta enim remissione peccatorum, luctari nos oportet contra varias tentationes, sobriè, & iustè, & piè viuendo *in hoc* sæculo. Sobriè nobis, iustè proximis, piè Deo. Salome autem, quæ pacifica interpretatur, offert vnguentum trium specierum, quod specialiter pertinet ad contemplatiuos, qui iā diu purgando in pace pectoris & trāquillitate Deo seruiunt. Huius autem vnguēti tres species exprimit Apostolus, dicens: Gaudete in Domino, ecce pax & serenitas conscientiæ. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, ecce exemplum bonæ vitæ. Petitiones vestræ innotescant apud Deum, ecce tertia species quæ consistit in oratione. Perfecti enim & contemplatiui viri, in gaudio & pace Domino seruientes, tanquā luminaria clara, bono exēplo proximos illuminant, & in orationibus perseuerāt. Sanctæ igitur mulieres, quæ prius ad crucē venerunt cū fletibus, summo diluculo venerūt ad sepulchrū cū aromatibus. Prius enim nos oportet crucifigi & flere, & postmodum cū aromatibus bonorū operū, & spiritualium gratiarū Domino appropinquare. Valdè autē mane Dominū quęfierunt, quia summo studio & labore, vt Christum reperiamus, oportet animum ad virtutes excolere. Vnde in Cant. dicitur: Mane surgamus ad vineas. Pater enim familiàs primo mane exiit cōducere operarios in vineā suā. Oportet enim mane seminare semen suū, & pręuenire solē ad benedictionē. Diluculo autē, id est, expulsis vitiorū tenebris ad Dominicū sepulchrum, id est, ad altare & calicē sanctū accedere debemus cū aromatibus, id est, cum odore virtutū & suauitate orationum. Cùm autē veniissent ad monumentū respiciētes, viderūt reuolutum lapidē magnum valdè. Monumentū autē Domini ad literā, vt Beda testatur, domus rotunda fuit, de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis vt homo rectus existens, vix extenta manu culmen posset attingere, habens introitum ab oriēte, cui lapis ille magnus aduolutus atq; impositus est, in eius parte aquilonari. Ipsum sepulchrum, id est, Dominici corporis locus, de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium palmorum mensura, à pauimento altius eminens, qui, scilicet, locus, non desuper à latere meridiano per totum patet, vnde corpus inferebatur. Color autē monumēti & loculi, albo & rubeo dicitur esse permixtus. Quęcunq; autē in Domini sepultura, & eius sepulchro facta sunt, nō casualiter acciderunt, sed magnū designant mysteriū: & qualiter cum Christo sepeliri & resurgere debeamus, nobis figurāt ter ostēdunt. Debemus enim sepeliri in sepulchro cordis quieti per bonā cōscientiam, & inuidi sindone munda per cordis puritatem cum aromatibus virtutū, & opinione bonorū operum, cū myrrha & aloë, vt cōteramur de cōmissis & omissis, & duplicē habeamus de peccatis nostris amaritudinē. Vt autē in corde nostro tanquam in sepulchro Dominus requiescat in horo bonorum operum & virore virtutū, cor nostrū permaneat. Sit rotundū, vt fallitaris angulum nō habeat. De vno autē lapide excidatur, vt in fidei soliditate fundetur. Habeat autē altitudinem per spē & desiderium æternorum. Ab oriente cœlestis gratiæ habeat introitum, vt orientis solis radios in se recipiat, per dilectionis calorem & cognitionis splendorem. Cui lapis magnus aduoluatur per constantiam & morum grauitatem. A parte autem aquilonis diabolo sit clausum, quia ab aquilone panditur omne malum. Habeat autem septem pedes longitudinis, vt per septiformem spiritum longanimitatem habeat & perseueret vsque in finem. Trium palmorum mensura à terra eleuatur, dum fide, spe, & charitate sursum attollitur. A parte autem australi totum sit apertum, spiritui, scilicet, sancto peruium, vt flante austro fluant aromata virtutum & spiritualium charismatum. Rubeo autem colore & albo sit permixtum, id est, fide diuinitatis

*Cant. 2. De triplici vnguento.*

*De vnguentis compūctionis ad pedes, & deuotionis ad caput, & pietatis ad totum corpus.*

*De vnguento triū specierū à Maria Magdalene oblato: similiter à Maria Iacobi & Salome offeruntur vnguēta triū specierum. Titum 2.*

*Phil. 4.*

*Lucæ 24.*

*Quod mane quærendus est Dominus. Cant. 7. Matth. 20. Lucæ 8. Sap. 16.*

*De monumento Domini materiali.*

*De monumento spirituali & qualiter sepelire debemus cum Christo.*

*Qualę debet esse monumētum spirituale, & de lapidis aduolutione. Ierem. 1.*

diuinitatis & humanitatis insignitum. Sit etiam rubeum igne charitatis & candidum munditia castitatis. Dilectus enim eius candidus est & rubicundus. Viderunt igitur mulieres lapidē reuolutum. Mysticè autem lapidis reuolutio, reserationem sacramentorum Christi, quæ quasi duritia & velo literæ tegebantur, significat. Lapis autem erat magnus valdè. Originale siquidem peccatum & difficultas operandi omnes inuoluit: lapis etiam ad ostium monumenti, moles est carnalis desiderij. Moraliter autem per duritiam lapidis, difficultas benè operādi, & obstinatio indurate mentis designatur. Vnde rogandus est Angelus magni consilij, vt amoueat à nobis lapidem difficultatis, duritiæ & obstinationis, ne putrescamus in sepulchro concupiscentiæ & prauæ consuetudinis, sed pausemus cum Domino in sepulchro quieti & pacifici cordis, vt in pace in idipsum dormiamus & requiescamus. Apparuerunt autem mulieribus Angeli in specie iuuenum propter iocunditatem & renouationem Dominicæ resurrectionis. Aspectus autem eorum erat, sicut fulgur, & vestimenta sicut nix. In fulgure terror est timoris, in niue blandimentum candoris, quia testes erant resurrectionis eius, qui ipsa sua specie & terret reprobos, & mulcet pios. Ipse enim columna ignis impios terrens, & columna nubis pios mulcens. Vnde & in resurrectione eius mulieres receperunt consolationem, custodes autem facti sunt velut mortui, quia timor possedit hypocritas. Vnde Angeli dixerunt: Nolite timere vos: ac si apertè dicerent: Illi paueant, qui supernorum ciuium aduentum non amant, qui carnalibus desideriis presi, ad eorum societatem peruenire posse desperant: vel vos cur timetis, qui vestros conciues videtis? paueant inimici, gaudeant conciues & amici. Illi autem timeant, qui ad eorum societatem non pertinent. Ostenderunt igitur Angeli ipso habitu, quod Dominus resurgendo positus esset in resurrectionem bonorum & ruinam impiorum, de quibus ipse ad Patrem ait: Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis. Et Psalmista ait: Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. Excitatus est tanquam dormiens & tanquam potens, quia facilè seipsum propria potentia suscitauit, quia Deus vltionum Dominus liberè egit. Ipse enim solus inter mortuos liber, nulla necessitate à morte detineri potuit, sed quando voluit, resurrexit, & captiuos in pristinam libertatē restituit. Excitatus est tanquā potens crapulatus à vino, id est, vino passionis austero & pungitiuo inebriatus. Inimicos autem suos in posteriora percussit, quibus terrā & regnum, & omnia temporalia per Romanos abstulit, vel in posteriora percussit, dum eos in profundum inferni demersit. Et opprobrium sempiternum, id est, confusionem, & pœnam æternam eis dedit. Samson enim noster plures interfecit moriens, quàm viuens. Sedere autem dicuntur Angeli, quia iam regnantem in gloria sua quiescentem nuntiabant: alia tamen vice stando apparuerunt. Vnde & Lucas ait: Duo viri astiterunt iuxta illas in veste fulgenti. Vbi stare dicuntur, officium ministerij eorum exprimitur. In veste fulgenti, propter splendorem & gloriam resurrectionis. Vnde tempore Paschali Clerici in Ecclesia induuntur albis. Ioannes autem ait, quod Maria dum fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Fleuit, ecce compunctio. Inclinauit se, ecce humiliatio. Introspexit in monumentum, ecce diligens inquisitio. Ad caput autem & ad pedes Angeli sedent, qui illum, qui verus Deus est & homo, nunciare venerant. Per hos etiam duo testamenta significantur vnum prius, aliud sequens. Quæ dum pari sensu incarnatum, mortuum & resuscitatum nunciant, quasi ad caput & pedes sedent. Tefte autem Ioanne, Petrus & Ioannes cucurrerunt simul ad monumentum, & Ioannes præcurrit citius Petro, & venit prius ad monumentum. Et cùm inclinasset se, vidit linteamina posita, non tamē introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequēs eum, & introiuit in monumentū, & vidit linteamina posita & sudariū, quod fuerat super caput eius, nō cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutū in vnū locum. Tunc ergo introiuit discipulus ille, qui venerat priùs ad monumentum. In his autem magnum insinuatur nobis mysterium. Ioannes enim iunior significat Synagogam: Petrus senior Gentiū Ecclesiam, quæ Synagogam præcessit, quia ante Synagogam Dominus multos ex Gentibus ad se conuertit. Ex Abel enim Ecclesia initiū habuit. Ioannes autem, id est, Synagoga, priùs venit ad monumentum, sed non intrauit, quia prophetias de incarnatione Christi, & passione, & sepultura, & resurrectione audiuit, sed in mortuum & sepultum credere noluit. Petrus autem, id est, Ecclesia Gentiū, prius intrauit, quia carne mortuum & sepultum & viuentem credidit Deum, postquam & Iudæa in fine creditura intrabit. Sudarium autem quod fuerat super caput separatim inuolutum inuenit, quia sacramēta diuinitatis incōprehensibilia à nostræ fragilitatis agnitione remota sunt. Iñ re autē inuoluta, nec initium nec finis aspicitur. Sic celsitudo diuinitatis, nec cœpit esse, nec desiit. Vel sudariū quo sudor abstergitur, laboris Christi passionem designat, cuius sacramenta infidelibus sunt occulta. Sudarium ergo seorsum inuenitur, quia redemptoris nostri passio longè à nostra passione disiuncta est, quoniam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. Recedentibus autem prædictis Apostolis, mulieres inquirendo perseuerauerunt, vnde & Angelos videre meruerunt, qui dixerunt eis: Quid quæritis viuentem cum mortuis? id est, in monumento, qui locus propriè est mortuorum. Surrexit, non est hîc. Ecce dum quærit, quem diligit anima eius, inuenerunt eam custodes ciuitatis, id est, Angeli sancti, qui ciuitatē Ecclesiæ custodiūt.

*Cant. 4.*

*De lapidis reuolutione, & quid per lapidem significetur.*

*Num. 21.*

*De fulgure & niue. Exod. 14.*

*Matth. 28. Isa. 34.*

*Quid significetur habitu angelorum.*

*Iud. 16.*

*Luc. 24.*

*Ioan. 20. De fletu & de duobus Angelis, secundū Ioannem.*

*Mystice de cursu Petri & Ioannis, & de linteaminibus & sudario.*

*De inuolutione sudarii, & positione seorsum.*

*Quod mulieres perseuerantes ad monumentum Angelos videre meruerunt. Cant. 3.*

*Cant.5. Matth.28.* Percusserunt eam & vulnerauerunt anxietate desiderij maioris, dum dilectum surrexisse nuntiauerunt: Ite dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Nisi Petrum nomine exprimeret, quia ter negauerat, inter alios venire non auderet. Vocatur igitur Petrus ex nomine, ne desperet ex negatione. Hoc autem est magna pietatis dispensatione, vt qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, quomodo aliis misereri debuisset. Cùm autem Maria fleret ad monumentum, conuersa retrorsum, vidit Iesum stantem, & non cognouit, sed credidit quod hortulanus esset. Maria quia amabat, videbat, & quia dubitabat, non cognoscebat. Illum enim & amor ostendebat, & dubietas abscondebat. In hoc tamen quod hortulanum credebat, non multũ errauit. Verè enim hortulanus est, qui in cordibus credentium semina virtutum & virentia atq; spiritualia bona plantat. Christus autem diutius eius dolorem non sustinens, dicit illi: Maria, ac si diceret: Noui te ex nomine, recognosce eum à quo recognosceris.

*Quod Mariæ flenti Iesus apparuit.*

*Exod.33. Cant.5.* Anima autem eius liquefacta est, vt dilectus locutus est: Cumq; eum agnouisset, & eius pedes amplecti vellet, dixit ei Iesus: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meũ. Adhuc enim carnaliter in eum credebat, quem sicut hominem flebat, nec ipsum Patri æqualem credebat, vnde nondum ad Patris æqualitatem in corde eius per fidem ascenderat. Vult ergo sic spiritualiter tangi, & sic credi, vt sit æqualis Patri. Non autem simpliciter à tactu prohibuit, quia à multis peccatoribus se tangi permisit, sed per hoc innuebat, quod spiritualiter per fidem tangi se volebat, vt crederetur æqualis Patri. Noli sic me tangere, quasi dicat: Potius tange me corde credendo, quàm corpore palpando. Mysticè autem per hoc intelligi dedit, quod mulieres maioribus Ecclesiæ ministeriis, manum apponere non debent. Non enim licet eis prædicare, vel Sacramenta ministrare. Cùm autem iret Maria Magdalene nuntiare discipulis, quæ audierat & viderit, iterum apparuit ei Iesus, & aliis mulieribus, quæ cum illa erant, dicens eis: Auete, sicut dicitur in Matthæo. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Et ait illis Iesus: Ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Nunc igitur Maria Magdalene non est prohibita à contactu Domini, quia ex his, quæ audierat & viderat, iam credebat. Dixit autem illis Dominus: Auete, vt in mulieribus primum solueretur maledictum Euæ. Sicut autem de sepulchro clauso exiit, vt carnis glorificationem ostenderet, ita pedes suos teneri & palpari permisit, vt veram carnem comprobaret. Per hoc etiam, quod ait: Nuntiate fratribus meis, eandem humanitatem se resumpsisse ostendit: Nuntiate fratribus meis. Ecce Ioseph non poterat se vltrà cohibere. Ac si diceret: Ego sum Ioseph frater vester, nolite pauere, pro salute enim vestra misit me Deus. Venit ergo Maria Magdalene cum aliis annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Sicut mulier mortifera serpentis verba natrauit, ita nunc mulier verba viuificatoris nuncia-tam nunciat viris. Licèt autem Dominus pluries visus sit, antequam in Galilæa videretur, hanc tamen visionem Dominus præ cæteris commemorat, quia in illa fuerunt plures discipuli, & plenius eos certificauit. Per hoc etiam nos instruit moraliter, quod si eum videre volumus, de vitiis ad virtutes migrare studeamus. Galilæa enim transmigratio interpretatur; ipsum autem videre non valemus, nisi de vitiis ad virtutes transeamus. Ex quo etiam mystice intelligi datur, quod in transmigratione de Iudæis ad Gentes esset videndus. Nos autem si mundo corde ipsum in præsenti videamus per fidem, in futuro videbimus eum in monte, quem constituit nobis Dominus. In monte, scilicet, superioris Galilææ, in monte beatitudinis æternæ. Postquam enim ab hoc seculo transmigrauerimus, eum facie ad faciem videbimus, quando tristitia nostra vertetur in gaudium, vt dicere valeamus: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi. Quod gaudium nemo tollit à nobis, sed adimplebit nos lætitia cum vultu suo, Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*Matth.28. Quod Iesus apparuit mulieribus & tenuerunt pedes eius.*

*Gen.45. Quod Maria Magdalene nuncia fuit Dominicæ resurrectionis.*

*Gen.3. Quare in Galilæa videndum se esse dicit Dominus, & in monte.*

## FERIA SECVNDA, THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Luc.24.* *Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta, nomine Emaus.*

*De gaudio dominicæ resurrectionis.* DOMINICAE resurrectionis sancta & venerabilis solemnitas, non est tantùm vnius diei lætitia, sed vsque ad diem ascensionis cantatur Domino canticum nouum in vniuersis Ecclesiis de nouitate resurrectionis, sicut scriptum est: Dominus regnauit, decorem indutus est, lætentur insulę multæ. Dominus regnauit in cruce, dum potenter inimicos debellauit. Decorem indutus est in resurrectione, dum gloriam immortalitatis assumpsit: lætentur insulæ multæ, id est, Ecclesiæ in vniuerso orbe, quæ insulis comparantur, quia fluctibus circumstrepentibus per varias tribulationes tunduntur. Exultat igitur his diebus Ecclesia, nec mouebit tentoria sua, sed stabit in eodem loco castrorũ, donec eleuetur nubes, id est, vsq; ad diem ascensionis. Huius autẽ Paschalis hebdomadæ, dies solemnius celebrãtur, qui per dies azymorum Paschalem solemnitatẽ sequentes designantur: in quibus filij Israël azymis vescebantur.

*Num.9.*

*Exod.12.*

Et nos

Et nos cum omni sinceritate & puritate mentis his diebus Domino seruiamus, vt sit cogitatio sancta, actio pura, intentio recta, vt impleamus quod scriptum est in libro Numeri de Paschali die: Omne opus seruile non facietis in eo. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, & opus seruile facit. Verè autem Pascha facimus, si de vitiis ad virtutes transimus. Non solùm autem de malo in bonum, sed de bono in melius, & de meliori in optimum transire debemus. Hic est triplex transitus, triplex, scilicet, Pascha, quod legimus filios Israël fecisse in Ægypto, in deserto, & in terra promissionis. Et quoniam scriptum est: Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus, offeramus in hac Paschali solemnitate, secundum legis mandatum, grana tosta, & confricata, id est, animas puras & immaculatas, abiecta palea peccatorum, igne charitatis tostas, & asperitate pœnitentiæ confricatas. Offeramus insuper, sicut præcipitur in lege, vitulos de armento duos, id est, iocunditatem mentis & corporis, vt cor nostrum & caro nostra exultent in Deum viuum, sicut scriptum est: Exultabimus & lætabimur in te. Exultabimus corpore, lætabimur corde. Quia hilarem datorem diligit Deus. Propter hanc duplicem exultationem cantauimus in Ecclesia: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Exultemus corpore, lætemur mente. Lætari igitur nos oportet, & vacare sanctis operibus ac gaudio spirituali. Magna enim est multitudo dulcedinis huius solemnitatis, in qua subleuamur ab imis, suscitamur à terrenis, collocamur in excelsis. In qua tartarus, quos habebat, reddit: terra, quos sepeliuit, ad superos trãsmittit, infernus spoliatur, hostes nostri cõfunduntur. Ipũ enim obligati & ceciderũt. Nos autẽ Christo resurgẽte, surreximus & erecti sumus. Post morte enim summi Pontificis reuertitur homicida in patriã suã, id est, genus humanũ, quod seipsum peccãdo occiderat. Dic igitur impie Zabule, quid valet nũc fraus tua? Non solũ enim prima cõditio reformatur, imò nobis amplius exhibetur. Pro terrestri Paradiso cœlestia regna cõmutantur, pro immortalitate, qua potuit homo mori & non mori, felicior nobis immortalitas donatur, qua iam mori nõ poterimus, sed cũ redemptore nostro sine fine feliciter regnabimus. Felix culpa Adã, quę tantũ inuenit redemptorẽ, qui animã suam dat pro nobis in pretium, corpus in ciboũ, sanguinẽ in potum, æternã beatitudinẽ in præmiũ. Saluauit sibi dextera eius, id est, Christus, qui est dextera & brachiũ Dei Patris, orbẽ terrę ad honorẽ suũ saluauit. Ipse enim redemit nos sanguine suo ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecit nos Deo nostro regnũ & sacerdotes, sicut in Apocalyp. dicitur. Et Apostolus ait: Qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Sapientia tenebras ignorãtiæ expellẽs. Factæ enim sunt fenestræ vulnerũ in passione, per quas super nos lux effulsit in resurrectione. Iustitia, funes peccatorũ iustificando nos soluens, sanctificãs nos in suo corpore, & redimẽs in corporis passione. Introeamus igitur ad altare Dei, ad eum qui abstulit tristitiã nostrã, & lætificat iuuentutẽ nostram, qui cõuertit planctũ nostrum in gaudiũ nobis, qui nobis hodie ponit mensam refectionis, vt comedamus panẽ similagineũ, oleo misericordiæ conspersum, vt qui in Quadragesima comedimus hœdũ de capris in fructu pœnitẽtiæ, comedamus hodie vitulũ de armento in actu iustitiæ, & vitulũ saginatũ in cumulũ gratiæ, & pinguedinis internæ. Epulemur igitur hodie cum Christo, & gaudeamus in Domino non in mundo, de nostra salute, non de seculari vanitate. Ita tamẽ de resurrectione gaudeamus, vt semper memoriã passionis eius in mente habeamus. In die bonorũ non simus immemores malorũ, vt non sit in nobis gaudiũ vanitatis, sed sit nobis canticũ, quasi sanctificatæ solemnitatis. Multi enim his diebus, dũ vanitati intendunt, & choreas ducunt, quasi in taberna diaboli vestimẽta virtutũ amittũt. Et dum cantilenis secularibus & transitoria iocunditate delectãtur, quasi per amœna prata ad suspẽdia ducũtur. Qui enim seminãt ventũ secularis vanitatis, turbinẽ metent æternæ damnationis, quia transitoria gaudia sequuntur laméta perpetua. Risus enim dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit. Vnde B. Iob ait: Infantes eorũ exultant lusibus, tenent tympanũ & citharam, & gaudent ad sonitũ organi, ducunt in bono dies suos, & in puncto ad inferni nouissima descendũt. Propterea Dominus in Deuteron. ait: Non seres vineam tuã altero semine, id est, non intẽdes seculari iocunditati, quando vino spiritualis lætitiæ debes exhilarari. Omnes enim arbores faciunt fructum secundum genus suum. Solus miser homo, cuius primũ idioma est luctus, qui eiulãdo & plorando nascitur, contra genus suũ fructũ facit, dum cantilenis vanitatis intendit, dum cõgregantur milui alter ad alterũ, dum sibi inuicem in choreis vlulæ respõdent. De quibus Isaias ait: Habitabunt ibi strutiones & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & syrenæ in delubris voluptatis. Strutiones alas & similitudinem volandi habent, non tamen volant. Hi sunt qui solo nomine sunt Christiani, sed more Gentiũ & Paganorũ viuũt, cùm tamẽ pompis diaboli, id est, choreis & vanitati seculari in baptismo renuntiauerint. Pilosi autem dicuntur, incubi dæmones, qui choreas frequentãt, vt ad illicitos cõcubitus lasciuos & superfluos homines occasione chorearũ pertrahant. Vlulæ autem magnitudinis sunt coruinæ, sed maculis respersæ, quę rostro in palude fixo, horrendè strident. Mulieres autem quę choreas frequentant, coram Deo & Sanctis eius horrendum clamorem emittũt, dum per vocis lasciuiam animas in peccatũ inducũt. Cantilenę siquidẽ ad lasciuiã & libidinẽ pertinẽtes, ignẽ cõcupiscentię in cordibus audientiũ accendũt. Rostrũ in luto figũt, dũ carmina & cantica ad immunditiã incitãtia, canũt. De quibus Salomõ ait: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Sicut enim sus siue porcus nares suos in luto inuoluit, ita huiusmodi mulieres os suũ immũditiis pascunt, & pul-

*De obseruatione Paschalis solẽnitatis.* *Num.28.* *Leuit.23.* *Ioan.8.* *Exod.23.* *De triplici Pascha, & de Paschali obseruatione.* *Leuit 23.* *Num.28.* *Cant.1.* *1.Cor.9.* *De multiplici materia exultandi.* *Num.25.* *De pretio, cibo, potu, & præmio.* *Apoc.5.* *1.Cor.1.* *Leuit.1.* *De pane similagineo, hœdo, & vitulo saginato.* *Contra vanitatem lætitiæ secularis, & specialiter contra choreas, & cantilenas vanitatis.* *Osee 2.* *Prouer.14.* *Iob 21.* *Deut.22.* *Gen.1.* *Isa 14.* *De strutione & pilosis, vlulis, & syrenis.* *Prouer.11.*

& pulchritudinem ornatus ſecularis velut circulum aureum ad laſciuiam & immunditiam libidinis conuertunt. Syrenæ ſunt ſerpentes criſtati & alati, vel vt alij dicunt, monſtra marina in ſpecie muliebri, quæ dulci cantilena decipiunt homines huius ſeculi, naufragium nõ clauſis auribus tranſeuntes. Serpens lubricus & alatus, eſt mulier laſciua, garrula, incõſtans & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians, quemadmodum Salomon ait: Eſt autem ſerpens iſte criſtatus, dum pepli in modum circuli diſpoſitis, in ſuperbiã mulier coronatur ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, ſicut idẽ Salomon ait: Vſum enim velaminis conuertit in ſuperbiam, quod datum eſt mulieribus ad veládi capita, propter erubeſcentiã, quia mors intrauit in mundũ per mulierem. Habet igitur ſerpens iſte caput lucidũ, ſed venenoſum. Nihil enim capite dracone lucidius, nihil venenoſius. Sed & monſtris mariniis, quæ cantus ſuauitate incautos attrahũt, huiuſmodi mulieres cõparantur. Habent enim mel in ore, ſed aculeũ in cauda, dum blandis ſermonibus hominẽ decipiunt, ſed in fine nõ ſolũ pecuniã tollunt, ſed animã occidunt, & teſte Salomone iecur eorũ ſagitta transfigunt. Et iterum ait: Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſsima autẽ illius amara, quaſi abſynthiũ, & lingua eius acuta, quaſi gladius biceps. Hę igitur ſyrenę, vt Iſa. ait, in delubris voluptatis cõmorantur, in locis, ſcilicet, in quibus luxuriantur, in locis diabolo conſecratis, in proſtibulis & in choreis, in quibus quaſi in funda eas diabolus inuoluit, circumducit & rotat, vt in infernũ proiiciat, & tanquã oues vertiginoſas in foueam abyſsi pertrahat. Omnes enim choreæ in partem ſiniſtram tendunt. Omnia enim illarum membra, quæ in choreis inordinatè mouentur, diabolo conſecrantur. Vnde ad Theſſalonicenſes Apoſtolus ait: Denunciamus vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Et in Eccleſiaſtico dicitur: Noli cõſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis eius. Congregantur enim ad victimam, vt in die ſolemni occidantur. Qui enim modò cantant vana & laſciuia, habebunt in inferno vlulatum pro cantu, & ſtridorem dentium pro viella. Fugiendi igitur ſunt huiuſmodi conuentus diaboli, & congregationes mulierum ad ſpectacula vanitatis & choreas conuenientium in plateis. De quibus Iſaias ait: Corruit in plateis veritas. Vix enim huiuſmodi choreæ ſiunt abſque vllo mortali peccato: de quo Dominus ait: Qui viderit mulierem ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Multò fortiùs, qui tetigerit vel oſculatus fuerit. Quaſi enim per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſicut Salomon ait. Et beatus Hieronymus dicit: Nihil prodeſt carnem habere virginem, ſi mente quis nupſerit. Melius eſt igitur ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa, ſecundum conſilium Salomonis. Angulus parietes iungens pacem, ſignificat ſeſsio humilitatem, doma charitatem. Melius eſt enim humiliari & quieſcere in pace & charitate, quàm cum muliere litigioſa ſedere. Cuius cohabitatio, dum prauos motus in nobis ſuſcitat, quaſi nobiſcum mulier litigat. Sicut autem auceps quaſdam aues excæcatas in agro ligat, vt ad eas aliæ aues conueniant & capiantur: ita prædictæ mulieres in plateis ſe oſtendunt, vt poſtquam ad eas incauti homines conuenerint, diabolus rete ſuum trahat, & omnes pariter inuoluat. Vnde Salomon in Prouerbiis ait: Apprehenſum deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur. Et iterum: Irretiuit eum multis ſermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum, ſtatimque eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorat quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius. Velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quia de periculo animæ eius agitur. Et beatus Hieronymus ait: Ianua diaboli via iniquitatis, ſcorpionis percuſsio, nociuumque genus fœmina, cùm proximat ſtipula incendit ignem. Et iterum ait: Memento ſemper quod Paradiſi colonum de poſſeſsione mulier eiecit. Et rurſus ait: Germinant fœminę cum viris habitantes ſpinas, & arcana mẽtium acuto mucrone percutiunt. Sicut enim ignis emollit ferrũ, ita viros fortes cohabitatio mulierum. Quando enim vir mulieri proprinquat, diabolus paulatim ſufflat, & fornacẽ accendit, vt ardeat. Primò enim oculos in mulierẽ proiicit, & tunc diabolus ſcintillã cogitationis malæ immittit. Deinde manus manu tangitur, & tunc ignis magis accenditur. Quãdo verò mamillas palpat, tunc amplius incenditur fornax. Propterea Iſa. ait: Ecce ego creaui fabrũ ſufflantẽ in igne prunas, & proferentẽ vas in opus ſuũ. Diabolus enim fabricator totius malitię, prunas ſufflat, immittẽdo incẽtiua vitiorũ, vt faciat ſibi vaſa malitię ſuæ, & voluntati cõuenientia. Malus eſt faber iſte, qui pedes hominũ clauis infigit, vt eos in via Dei faciat claudicare. Propterea B. Iob ait: Lapides excauant aquæ. Quia duritiam mentis abſorbẽt aſsidua & mollia blandimenta libidinis. Ferrum enim igne domatur, & mentes fortium igne libidinis molliuntur. Non eſt autem ita turpis mulier, quæ pulchra videri non poſsit, dum diabolus illã in corde fatui depingit. Quicunq; autẽ viderit mulierẽ ad cõcupiſcendum eam, quaſi in foueam corruit. Et mulier rea eſt, quæ os ciſternæ aperuit, in qua beſtia cecidit. Quomodo igitur tantum damnum reſtituet Domino, quæ pretium ſanguinis Chriſti aufert ei? Pari modo ſi quis virginẽ corrumpit, quæ poſtea cùm pluribus fornicatur, videtur, quod pro omnibus reſpõdere, & damnũ reſtituere teneatur. Sicut qui vnã domũ incendit, & propter hoc tota villa cõburatur, omniũ reus eſſe iudicatur. Debemus ergo cauere nobis ab huiuſmodi laqueis diaboli, præſertim in his feſtis diebus, quibus diabolus videns ſe ſpoliatũ, valdè dolet, & tanquã leo circuit, quęrẽs quẽ deuoret, vt recuperet damnũ ſuũ, quod diebus Quadrageſimalibus incurrit. Hoc

*Prouer. 7. Quod mulier laſciua & pepliſ ornata, ſerpenti lubrico, alato, & criſtato comparatur.*

*De blanditiis, & ſeductionibus mulierũ. Eccle. 25. Prouer. 7. Prouer. 5.*

*2. Theſſ. 3. Eccle. 9. Ierem. 12.*

*Iſa. 69. Matth. 5.*

*Prouer. 10. Item 21.*

*De auctupe & reti diabolico.*

*Prouer. 7.*

*Contra cohabitationem virorum & mulierum.*

*Iſa 54.*

*Iob 14.*

*Matth 5. Exod. 21.*

*Quod diebus iſtis diabolus recuperat, quos amiſit.*

*1. Petri 5.*

Hoc igitur tempore quo solent Reges ad bella procedere, vires recolligit, videns tempus calescere & clarescere, terram virescere, homines calceos indui, cibis delicatis plus solito impleri, iocis intendere, choreas ducere, laqueos intendit, & incautos iuuenes illaqueat & capit. Quos enim in Quadragesima ad tempus reliquit, istis diebus resumit, sicut murilegus capit murem & paululum abire permittit, & iterum ludendo ipsam resumit. Ipse nobis inuidet, & de nostris solemnitatibus valdè dolet, dicēs: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. Vnde his diebus cautè & honestè nos habere debemus, maximè, quia Christi corpus heri recepimus, ne veniat Rex Aquilonis & comportet aggerem, & capiat ciuitates munitissimas. Non igitur debemus vanis & lasciuis iocis vacare, reliquiæ enim non feruntur cum tripudiis. Sanctiores autem & digniores reliquias ferre nō possumus, quàm illas, quas die sancto Paschæ recepimus. Ecclesia igitur heri consecrata Deo, non conuerti debet ad cōmunes vsus, neq; ad cōmunem & secularem vitam reuerti debemus, neque partem diei festi debemus dare Deo, partem autem diabolo, sed si volumus totum Deum habere, totaliter & integrè debemus nos illi dare. Turpe enim est & ignominiosum, si ancilla nostra, id est, caro, tantum hospitem expellat de domo nostra. Si enim Gentiles & Pagani hospiti fidem seruant, & tu Christo, quem recepisti, fidem nō seruabis. Non igitur debemus exire & curiosè vagari cum Dina filia Iacob, quæ, quia incautè exiuit, virginitatem amisit. De qua beatus Gregorius ait: Dina vt mulieres videat exteræ regionis, egreditur: quando vnaquæque mens studia sua negligens, & actiones alienas curans extra habitum atque extra ordinem suum vagatur. Vnde Sara filia Raguelis ait: Tu scis Domine, quod nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in vanitate ambulant, participem me præbui. Econtrà de vagis & lasciuis mulieribus dicit Dominus per Isaiam: Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticē filiarū Sion, & crinem earū denudabit, id est, chamum diaboli, capillos quos in vanitate ostendunt. Cùm dicat Petrus: Quarū sit nō extrinsecus capillatura, aut circundatio auri aut indumēti vestimentorū cultus. Huiusmodi enim ornatus & superfluitates ad libidinē incitant, superbiā generāt, maritos earū depauperāt, vel faciunt eos fœneratores, & quādoq; fures & raptores. Frenū autē aureum nō facit equum meliorē. Si enim induatur caro purpura & serico, nō erit caro nisi caro, cadauer fœtidū, fimus, & vas stercorum, niue exterius dealbatum. Beatus autē Cyprianus ait: Serico indutæ & purpura, Christū induere non possunt. Auro & margaritis & monilibus ornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt: quando, scilicet, propter huiusmodi ornatum concupisci & placere appetunt viris alienis. Quondā autem in Ecclesia prohibitum fuit, ne caudatis mulieribus daretur communio. Cauda enim mulieris quadriga est diaboli. Propterea Isaias ait: Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. Qui autem de ornatu pomposo & vestibus preciosis inaniter extollitur, de opere textricum gloriatur. Quod si Petrus mulieres admonet coërcendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, quæ excusare possunt ornatus suos per maritos, quantò magis obseruare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competit venia, nec deriuari possit in alterum mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine? His igitur festis diebus nō vanitatibus, sed exercitiis spiritualibus intēdamus, ne ager pectoris nostri malarum cogitationū sentibus occupetur, ne videant nos hostes nostri, & Sabbata nostra irrideant. Multi enim colligunt ligna in Sabbato, id est, peccata mortalia in ocio. Ligna etiam in Sabbato colliguntur, qui occasiones peccatorum, quibus ignis carnalis cōcupiscentiæ accenditur, vitare contemnunt. De quibus Dominus per Isaiam ait: Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et Dominus per Amos ait: Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum. Non enim possumus communicare mensæ Dei & mensæ dæmoniorum, quod est delectari in iocis & vanitatibus huius seculi. Maximè in diebus festis, in quibus debemus vacare spiritualibus, vt diem Sabbati sanctificemus, loquendo cum Deo, orando, vel de Deo prædicando, & proximos instruendo, vt non expendamus argentum nostrum non in panibus, & labores nostros non in saturitate, sicut pueri, qui cum magno labore papiliones sequuntur, & postquam apprehenderint, apertis manibus, nihil inueniunt. Ita illis contingit, qui vanitati seculari intendunt. Iter autem sabbati in lege mille passuum fuisse dicitur, per quod profectio boni operis intelligitur. De Iudith autem legimus, quod erat in diebus festis incedens cum gloria magna, id est, cum spirituali lætitia. In Exodo verò Dominus præcepit, ne succenderent ignem in die Sabbati in omnibus habitaculis suis. Ignem enim libidinis, iræ, & auaritiæ, non debemus accendere in tabernaculis corporis vel animæ. Hujus autem ignis fomenta sunt stipula cogitationis immundæ, fœnum locutionis prauæ, ligna operationis illicitæ. Multoties autem conqueritur Dominus de violatione Sabbati. Vnde per Ezechiēlem ait: Sabbata mea prophanauerunt. Et iterum: Qui quiescit, quiescat: & qui quiescit corpore, quiescat mente. Et Ieremias ait: Non inferatis onera per portas in die Sabbati, onera, scilicet, peccatorū, per portas sensuum. Et per Isaiam Dominus ait: Si auerteris à Sabbato pedem tuū, nō facere voluntatem tuā in die sancto meo, vocaberis Sabbatū delicatum. Gaudere igitur debemus in Domino interiori solemnitate, vt in nobis impleatur, quod

2. Reg 11.

Prouer. 7.

De murilego & mure.

Dan. 11.

De fide hospitalitatis.

Gen. 34.

De curiositate & euagatione.

Tob. 3.

Isa. 3.

Contra ornatum capillorū & superfluitatem vestiū.

De caudatis vestibus & ornatu vanitatis.

Isa. 3.

Contra pigros & otiosos.

Thre. 2.

Num. 15.

Exod. 35.

Isa. 1.

Amos 8.

1. Cor. 10.

De sanctificatione Sabbati.

Exod. 20.

Isa. 55.

Iudith. 5.

Exod. 35.

Ezech. 23.

Item 2.

Ierem. 17.

Isa. 58.

scriptum est: Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. Cantemus igitur & psalmum dicamus Domino in spirituali exultatione, non diabolo in vanitate, sicut scriptum est: Hymnum cantate nobis de canticis Sion, non de canticis Babylonis & dæmoniorum, quæ sunt cantica chorearum. Bene autem cantare est corde, ore, & opere Deum laudare. Vt igitur omnis excludatur vanitas, sit nobis in corde spiritualis iocunditas, in vultu hilaritas, in opere grauitas, in incessu maturitas, in habitu paupertas, in prosperis humilitas, in aduersis soliditas, in omnibus mediocritas. Si corruit Dagon in nobis in quadragesima, nõ subleuemus eum his diebus, neq; muros Iericho reædificemus in nobis, nec cineres Sodomæ dispersos recolligamus. Non reuertamur ad vomitum, ne simus similes Iudæis, qui Christum in die Palmarum cum magno honore receperunt, & paulò pòst ipsum crucifixerunt. Nolite igitur fratres, tabernas frequentare, neq; inebriari vino, in quo est luxuria. Taberna enim, vt ait B. Augustinus, est spelunca latronum, prostibulum meretricum, Synagoga Iudæorum, in quo blasphematur Christus. Sicut autem Deus in sua ciuitate, duo habet hospitia, Ecclesiam, scilicet, & hospitale pauperum, ita diabolus in sua ciuitate, duo habet hospitia, tabernam, scilicet, cauponum, & prostibulum meretricum. Iniustum est autem, vt in solemnitate ad vnum Deum pertinente, alij inebrientur, alij famis periculo crucientur. Non igitur carnis voluptatibus intendamus, neque ocio ignauiæ torpeamus. Dauid enim qui non est superatus in bello, luxuria corruit in ocio, & dum aliis pugnantibus, ipse ociosus extitit: ad vocem ancillæ, id est, carnis suę, Christũ negauit. Si autem vasa quibus bibimus, munda custodimus, quantò magis animas nostras, quibus in die Paschæ cœleste nectar recipimus, mũdas custodire debemus, ne si sanguinem veri Abel in terram fundimus, clamet contra nos vindictam, qui pro dignè sumentibus, clamat indulgentiam & misericordiam? Nemo enim magis iram meretur, quàm amicum simulans inimicus, qui Christum ictè recipit, vel etiam dignè receptum, postmodum de hospitio suo eiicit. Abnegantes igitur omnem vanitatem & lasciuiam, ociosa & vana verba declinemus, spiritualibus vacando & loquendo de Deo, & verbum Domini attento corde audiendo, quod valde necessarium est in diebus istis contra temporis lasciuiam, & animarum distemperantiam. Legimus enim in hodierno Euangelio, quod discipulis euntibus in Emaus, & loquentibus de Christo, comes itineris factus est Christus. Bonum est igitur de ipso loqui, vt nobis societur, sicut ipse promisit, quod vbi duo vel tres in nomine eius congregati fuerint, ipse in medio eorum erit. Loquente autem Domino cum illis, cor eorum ardens erat. Verba enim Domini sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras, quæ tunc maximè corda audientium inflammant, quando de calido igne proferuntur. Ardebant igitur corda discipulorum illo igne, quem Dominus venit mittere in terram: qui sagittas suas ardentibus effecit, id est, ad opus eorum, qui inflammati sunt virtute verbi sui. Altissimus enim dedit vocem suam, grando & carbones ignis. Vox siquidem prædicationis grandini comparatur, quando dura corda feriuntur per increpationem. Comparatur carbonibus ignis, quando accenduntur per amorem. Vnde Psalmista ait: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Hoc igne succensa erat, quæ dicebat: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Et Ieremias ait: Erat ignis flammigerans in ossibus meis. Dominus igitur loquens discipulis, quasi carbones ignis congerebat super capita, id est, super mentes eorum, & idcirco cor eorum ardens erat in ipsis, dum loqueretur in via, & aperiret eis scripturas. Quia verò in fide dubitabant, & Christi resurrectionem nondum credebant, sicut ex verbis eorum patet, cùm dicerent: Nos sperabamus, quod ipse esset redempturus Israël: videtur quod non haberent charitatem, sed tantum quadam naturali affectione Christum diligebant, & cor eorum feruore naturali fuisset accensum. Erant enim quasi carbones extincti, qui carbones succensi sunt à Christo. Quot enim præceptis diuinis homo instruitur, quasi tot facibus inflammatur. Non poterant autem extranei esse à charitate, cum quibus veritas gradiebatur, sicut in expositione huius Euangelij à beato Gregorio dicitur: Charitatem autem, vt plerisque videtur, appellat naturalem dilectionem, vel hospitalitatis desiderium & feruorem. Vnde beatus Augustinus ait: Ambulat Iesus cum eis in via, & ipse erat via, & nondum illi ambulabant in via: & ita videtur, quod charitatem non haberent. Vnde Dominus in specie peregrini eis apparuit, quia adhuc à fide peregrini erant. Dè se enim loquentibus, præsentiam exhibuit: sed de se dubitantibus, cognitionem suam siue speciem non ostendit. Quia enim adhuc in cordibus eorum peregrinus erat à fide, in specie peregrini ostendit se, talem se eis exhibens in corpore, qualis apud illos erat in mente. Præsens igitur adest diligentibus, sed speciem suam non ostendit dubitantibus. Quod autem discipuli tardè credunt, non tam infirmitas fuit, quàm nostra firmitas. Nam illis dubitantibus resurrectio multis argumentis demonstratur. Quæ dum legentes agnoscimus, quasi de eorum dubitatione solidamur. Mysticè autem nobis Iesus in hac via adhuc ambulantibus, faciem suam abscondit, quam tandem ostendet in patria. Adhuc sub specie peregrina in sacramento apparet, sed in fine viæ post hanc vitam apparebit sicuti est. Nunc autem interim in via peregrinus apparet, & colloquendo mentes nostras ad amorem inflammat, sed oculos ad plenam cognitionem adhuc non reuelat. A capite autem viæ non se sociauit, sed à latere, quia nobis eum non natura, sed gratia in huius vitæ via comitem dedit. Omnes enim in principio viæ nascimur filij iræ. Cùm autem pergeret cum eis, incipiens à Moyse & omni-

*Qualiter his diebus bene cantare debemus, & ne reuertamur ad peccata.*
*1. Reg. 5.*
*Ioſ. 6.*
*Gen. 19.*
*1. Pet. 2.*

*Contra illos, qui tabernas frequentant.*

*2. Reg. 11.*

*De mundiția vaſorum.*
*Gen. 4.*
*Heb. 7.*

*Quod his, qui de Chriſto loquũtur, comes eſt Chriſtus.*

*Luc. 12.*
*Ierem. 23.*
*Quod verba Domini corda inflammãt.*

*Cant. 5.*
*Ierem. 20.*
*Rom. 12.*
*Prouer. 25.*
*Expoſitio Euangelii.*

*Quare Dominus in ſpecie peregrini apparuit.*

*Act. 2.*

*Ioan. 3.*

*Epheſ. 2.*

& omnibus Prophetis, interpretabatur eis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Nullus enim fuit Propheta, qui de Christo & mysterio redemptionis nostræ, vel apertè vel occultè locutus non fuerit. Isaias autem præ omnibus aliis, de Christo & de Sacramento Ecclesiæ, & de Gentium vocatione prophetauit: vnde liber eius appellatur visio omnium, quia de omnibus, quæ ventura erant, prophetauit. Propterea ipse ait: Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati. Iudæis autem clausus est liber eius, & signatus vsque ad præsentem diem, qui ea quæ de Christo prænuntiauit, non intelligunt. Cùm autem appropinquassent castello, quo ibant, ipse se finxit longiùs ire. Hoc fuit castellum Emaus in Palæstina situm, quod sexaginta stadiis distabat à Hierusalem, id est, septem miliaribus & medietate vnius. Stadium enim octaua pars est miliaris. Vnus autem duorum discipulorum fuit Cleophas, alius, vt dicunt, fuit Lucas. Et idcirco more sanctorum Doctorum, causa humilitatis, nomen suum tacuit: nomen tamen socij sui aperit, dicens, quod nomen ipsius Cleophas erat.

*De scripturarum interpretatione.*

*Isa.29.*

*De eo quòd Dominus finxit se longius ire, & de castello Emaus, & stadiis.*

Finxit autem CHRISTVS se longiùs ire, non per duplicitatem, vel simulationem, sed ad modum itinerantis & progressuri dispositus erat. Non fuit igitur fictio simulationis, sed in rei veritate tanquam progressurus videbatur. Simili modo dicimus, quod oculi eorum non fuerunt ludificati, sicut fit in præstigiis Magorum, vbi putant homines se videre, quæ non vident. Non fuerunt igitur percussi auritia, sed videbant CHRISTVM sub forma, quæ in rei veritate erat in aëre circumfuso, sicut videtur manus alicuius sub tenui panno. Et hoc modo dicimur videre Christum in altari sub forma panis, quæ non est in ipso corpore. Quibusdam autem visum est, quod Christum in propria forma videbant, sed oculi eorum tenebantur, ne ipsum agnoscerent, sicut homo à longè in propria forma videtur, licèt nondum quis sit, agnoscatur. In fractione autem panis ipsum in propria forma viderunt, quæ sine miraculo oculis non glorificatis videri non potuit. Non fuit igitur in Christo fictio simulationis ad illudendum, sed in veritate omnia fiebant ad eorum commodum & instructionem nostram. Probandi enim erant, vt ait beatus Gregorius, si hi qui eum, & si nondum vt Deum diligerent, saltem vt peregrinum amare potuissent. Voluit autem Dominus cogi ab illis, propter meritum eorum, quia non solùm rogandi sunt peregrini, sed plerunq; compellendi. Multoties autem Dominus suos tribulationibus exponit, vel cùm eos grauiter tentari permittit, quasi se longiùs ire fingit, ab illis tamē nō recedit, sed subuenire dissimulat, vt humilientur & suā agnoscāt fragilitatē, & vt crescat ex dilatione desideriū, atq; maiorem in pugnādo mereantur coronam. Vnde tota nocte luctari voluit cum Iacob, & tandē in aurora illum cum copiosa benedictione dimisit. Factū est autē cùm recumberēt, accepit Iesus panē & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorū, & cognouerunt eum. Prius autem in expositione scripturarum non cognouerunt: nunc autem in fractione panis cognoscūt. Quia nō auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Vt autem in fractione panis Deum cognoscere valeamus in præsenti per fidem, in futuro autem facie ad faciem: studeamus proximis nostris triplicem panem frangere, materialem, scilicet, doctrinalem, & sacramentalem. Panem materialem per misericordiā, panem doctrinalem per scripturarum expositionem, panem sacramentalem, vt incorporentur Christo per fraternā vnitatem. De primo pane Isaias ait: Frange esurienti panem tuum. Et B. Iob ait: Si comedi buccellam meā solus. Et Dominus in Euangelio: Esuriui, & dedistis mihi manducare. De secundo Ierem. ait: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Et Isaias, de his qui seculari scientiæ dediti sunt: Quare appenditis argentum vestrum non in panibus? Et iterum ait: Qui habitatis in terra Austri, cum panibus occurrite fugienti. Sancti enim qui sunt in meridie charitatis & claritatis, cum panibus doctrinæ debent occurrere recedentibus de terra Aquilonis. De his panibus Dominus ait: Pauperes eius saturabo panibus. In fractione huius panis, Dominus cognoscitur, dum fragmenta secretorum mysteriorum agnoscuntur. De tertio pane Dominus ait: Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. In cuius panis fractione Dominum cognoscimus. Nisi enim participes corporis Christi efficiamur, vt de vnitate Ecclesiæ simus, Christum verè cognoscere non valemus. Exemplo igitur discipulorum Domini instruimur, quod non solùm inuitandi sunt peregrini, sed trahendi. Teneamus igitur hospitem, si volumus agnoscere Saluatorem. Vnde Apostolus ad Hebræos ait: Charitas fraternitatis maneat in vobis: & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis in hospitio receptis. Hi fuerunt Abraham & Loth, qui valde hospitales fuerunt. Vnde Abraham non solùm Angelos, sed insuper Dominum Angelorum in hospitio suo recepit. Licèt autem multos haberet seruos & ancillas, proprij tamen corporis labore, ipse cum Sara vxore sua hospites procurabat, & eis in propria persona sua hilariter & deuotè ministrabat. Et beatus Gregorius narrat, quod quidam paterfamiliās, cùm quotidie ad mensam suam pegrinos susciperet, quadam die peregrinus quidam inter alios ad domum suam venit. Dumq; paterfamiliās ex humanitatis consuetudine, aquā vellet in eius manibus fundere, cōuersus vrceū accepit, sed repentè eum in cuius manibus aquam fundere voluerat, non inuenit. Cumq; hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit: Cæteris diebus in membris meis, hesterno autem die in memetipso me suscepisti. Propterea Dominus in Euangelio ait: Hospes fui, & collegistis me. Vndę de Raab meretrice legimus, quod per opera hospitalitatis

*Deperegrinorū receptione, & liberalitate hospitalitatis.*

*Gen.32.*

*Quod in fractione panis Deum cognoscunt, & de fractione triplicis panis.*

*Isa 58.*

*Iob 31.*

*Matth 25.*

*Thre.4.*

*Isa 55.*

*Isa.21.*

*Ioan.6.*

*De hospitalitate et fraterna charitate.*

*Heb.13.*

*Gen.18.*

*Matth.25.*

*Ios.2.*

à subuersione Iericho, aliis pereuntibus liberata est, & plebi Israëliticæ ascripta. Et idcirco Apostolus ait: Necessitati sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Et Petrus in Epistola canonica: Hospitales inuicem sine murmuratione. Quilibet enim pecuniam suam secum ferre potest, hospitium suum secum trahere non valet. Propterea B. Iob inter alia misericordiæ opera, de hospilitate ait: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Et Ioannes Gaio ait: Charissime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. Inter alias autem causas subuersionis Sodomorũ, vna fuit inhospitalitas. Vnde Loth iustum, qui apud eos extraneus erat, opprimebant, & de die in diem cruciabant, sicut in Epistola canonica beatus Petrus ait. Et Angeli, quos inuitauit Loth, responderunt: Manebimus in platea. De Leuita etiam legimus in libro Iudicum, quod cùm intrasset Gabaa, sedebat in platea ciuitatis, & nullus eum recipere voluit hospitio, sed insuper vxore eius abusi sunt. Et idcirco non solùm illi, sed & omnes ferè Beniamitæ, qui de tribu eadem erant, & illos defendere voluerunt, perierunt. Dominus enim in Exodo ait: Aduenam non contristabis, neque affliges eum. De muliere autem Sunamite legimus, quod tenuit Eliseum, vt comederet, & hospitaretur secum. Mittere igitur debemus panem nostrum super transeuntes aquas, id est, super peregrinos transeuntes de loco ad locum, necessaria illis prouidendo, & post multa tempora inueniemus illum, sicut in Ecclesiaste Salomon ait: Deus enim retribuet nobis in iudicio. Et ita quando recedit peregrinus ab hospitio nostro, remanet nobis hospitium nostrum, & adepti sumus præmium bonum. Non solùm autem in hospitio, sed ad mensam peregrinos recipere debemus, vt ad mensam refectionis æternæ recipi mereamur. Felix mensa in qua Christus in paupere reficitur. Felix lectus, in quo iacet in peregrino Christus, Dominus enim amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum, sicut in Deuteronomio dicitur. Et subiungit: Et vos amate peregrinos, quia & ipsi perigrini fuistis in terra Ægypti. Et in Exodo Dominus ait: Peregrino molestus non eris. De sanctis autem Patribus legimus, quod omnes ferè fuerunt peregrini. Vnde Abrahæ Dominus ait: Exi de terra tua, & de cognatione tua. Amici enim carnales, & cura rei familiaris, multum impediunt hominem in seruitio Dei: præsertim quando erubescunt imperfecti crucem Christi baiulare, & inter notos & amicos carnales abiecti & pauperes reputari. Propterea Dominus noster peregrè nasci voluit, vt nobis exemplo suo ostenderet, quod non habeamus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, vt dicamus cum Propheta: Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes Patres mei. Et iterum: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et Iacob Pharaoni ait: Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt, parui & mali. Voluit præterea Dominus cùm adhuc paruulus esset, in Ægypto peregrinari. Sed & tota vita eius fuit peregrinatio, cùm non haberet vbi caput reclinaret. In specie etiam peregrini, non militis vel mercatoris, Dominus post resurrectionem suam, sicut in hodierno Euangelio dicitur, apparuit duobus discipulis suis: nam & ipsi peregrini erant, & eodem die pedibus suis in eundo & redeundo per quindecim miliaria laborauerunt. Eadem siquidem hora, qua Dominum in fractione panis cognouerunt, surgentes regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum eis erant, dicentes, quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Licèt autem Euangelista, qua hora, vel vbi factum sit, non exprimat, tamen quia factum sit, non tacet. In die enim resurrectionis quinquies apparuisse legitur Christus. Primò Mariæ Magdalene, quando dictũ est ei: Noli me tangere. Deinde illi cum aliis, quando ibant nunciare discipulis, & accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Deinde duobus discipulis euntibus in Emaus. Apparuit autem Simoni Petro, sicut in præsenti Euangelio Lucas ait. Quintò apparuit discipulis ianuis clausis, vbi non erat Thomas. Has quinque apparitiones repræsentat Sacerdos in Missa, quinquies vertens se ad populum. Semel autem vertit se cum silentio, quia tempus & locus apparitionis factæ Petro, tacentur in Euangelio. Post resurrectionem etiam quinquies Dominus apparuit discipulis, sicut in sequentibus sermonibus, dante Domino, exponemus. Paulatim enim se discipulis per incrementa temporis ostendit, quia tanta erat virtus miraculi, vt hanc repentè totam capere fragilia mortalium pectora non valerent.

*Rom.12. 1.Pet.4.* — *Contra inhospitales.*

*Iob.31.* — *2.Pet.2. Gen.19. Iud.19.* — *Exod.22. 4.Reg.3.* — *Quod peregrinis beneficiti, et non molesti esse debemus. Ecclesiast.11.*

*Deut.10. Exod.23.* — *Commẽdatio peregrinatiõis. Gen.12. Luc.14. Luc.2. Heb.13.* — *Gen.47. Matth.2. Matth.8. Luc.9.*

*De quinque apparitionibus in die resurrectionis. Matth.28. Luc.24. Ioan.20.*

## FERIA TERTIA, THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Luc.24.*

*Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.*

*Act 1. De variis argumentis resurrectionis Christi.*

DOMINVS noster Iesus Christus post passionem & resurrectionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta, præbuit seipsum viuum, apparens discipulis suis, & loquens de regno Dei. Manducauit enim & bibit cum eis, vt ostenderet se verum esse hominem. Ostendit manus & pedes, & latus, & in illis vulnerum cicatrices, vt probaret veram corporis sui resurrectionem. Et seipsum palpabilem exhibuit, vt discipulis, qui spiritum se putabant videre, probaret corporis resumpti veritatem. Spiritus enim carnem & ossa non habet,

haber, sicut non solùm visu, sed & tactu Christum habere probauerunt. Clausis ianuis ad ipsos intrauit, in quo corporis glorificationem probauit, & ostendit illis. In multis igitur argumentis præbuit seipsum viuum, apparens Discipulis, & diebus quadraginta conuersatus est inter eos antequam ascenderet in cœlum ad dexteram Patris. In his autem diebus multoties Discipulis suis apparuit. Vnde beatus Paulus ait: quod visus est Cephæ: & post hæc vndecim. Deinde visus est plus quã quingentis fratribus simul. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissime autem omnium tanquam abortiuo, visus est & mihi. Asserunt præterea, qui scripta Nicodemi se legisse testantur, quòd primò apparuit Ioseph ab Arimathea in carcere clauso, eò quòd sepelierat Dominum, sicut matri suę dolenti & lugenti, sicut Fulgentij scripta attestantur. Apparuit etiam Iacobo, vt Paulus testatur, qui se, vt dicunt feria sexta, vouerat nõ manducaturum, donec videret Christum à mortuis resurrexisse. In scriptis tamen Euangelistarum, non nisi decem apparitiones reperimus: Inter quas prima numeratur illa, qua apparuit Mariæ Magdalene flenti ad monumentum. Et nos cum desiderio ipsum quæramus, & de eius absentia doleamus, vt ipsum inuenire & videre mereamur. Secundò apparuit mulieribus reuertentibus à monumento, vt agnitam resurrectionis gloriam prædicarent, & Apostolis nuntiarent. Et nos bona, quæ nobis manifesta sunt, proximis fideliter nuntiare studeamus: vt se nobis Dominus amplius manifestare dignetur. Tertiò apparuit Petro lugenti & dolenti, eò quòd ipsum negauerat. Et nos, qui malis operibus frequenter ipsum negauimus, doleamus, & amarè lugeamus: vt ipsum in præsenti per fidem, in futuro autem facie ad faciem videamus. Quartò apparuit duobus Discipulis euntibus in Emaus, qui, cùm ipsum in hospitio recepissent, in panis fractione ipsum cognouerunt. Apparebit & nobis, si esurientibus panem nostrum frangamus, & egenos, vagosque inducamus in domum nostram: si peregrinis & pauperibus bona, quæ possumus, libenter impendere procuremus. Quintò apparuit Discipulis, absenti Thoma, quando clausis ianuis intrauit ad eos: qui in abdito de ipso loquebantur. Et nos ianuas cordis nostri, & aditus quinque sensuum à strepitu mũdi claudamus, & de ipso libenter loquamur, ab exterioribus occupationibus vacando, vt nobis apparere, & ad nos ingredi dignetur. His quinque apparitionibus ipso die resurrectionis seipsum ostendit. Post dies autem octo, cùm esset Thomas cum aliis, & essent omnes in vnum congregati propter metum Iudæorum, iterum clausis ianuis intrauit, & sexta vice illis apparuit. Aderit & ipse nobis, si fuerimus congregati in vnum per concordiam & fraternam charitatem, & propter metum inimicorum nostrorũ, cum omni cautela nos custodiamus, non curiosè euagando: sed clauso ostio cordis nostri, in arcano conscientiæ nostræ cubiculo ipsum deprecemur. Septimò apparuit septem Discipulis piscantibus in mari Tyberiadis, quando stans in littore, in dexteram nauigij partem rete mitti præcepit. Et nos piscatores simus animarum, & iustis laboribus, exemplo Discipulorum victũ sobrium nobis acquiramus: vt Dominus nobis seipsum manifestare, & nobiscum vesci & epulari digne fur. Octauò apparuit Dominus in monte Galilææ, in monte sublimi valdè, id est, in monte Thabor, vt plerique existimant. Et nos in eminentia virtutum eleuati à terrenis, lumen diuinæ gratiæ in nobis recipiamus: vt Christum oculo puri cordis videre mereamur. Thabor enim veniens lumen interpretatur. Nonò apparuit Discipulis recumbentibus simul in Hierusalem, in cœnaculo, scilicet, montis Syon, vt quidam asserunt. Et nos recumbamus simul, non solùm cibo spirituali reficientes animas nostras, sed etiam corporali, vt Deo seruire valeamus, corpora nostra sustentemus. Siue manducemus, siue bibamus, siue aliud quid agamus, omnia in gloriam Dei facientes in cœnaculo montis Syon, id est, in speculatione nobis ab insidiis inimicorum nostrorum cauentes, vt ipsum videre mereamur. Decimò apparuit eis, ducens illos extra ciuitatem in Bethaniam, & à mõte Oliueti, in cœlum videntibus illis ascendit. Et nos in Bethaniam, id est, in domum obedientię ipsum humiliter sequamur, & cordis oculos in cœlum habeamus, vt ipsum videre mereamur. Mons autem Oliueti, mons trium luminum dicitur. Suscipiebat enim ex parte templi lumen lucernæ de templo splendentis, à parte verò orientis recipiebat radios solis. Et quia abundabat oliuis, ex quibus oleum procreatur, quod nobis lumen ministrat, tertij luminis nomen accepit. Et nos in eminentia virtutis constituti, lumen doctrinæ de templo Ecclesiæ, & lumen gratiæ à sole iustitię recipiamus. Et insuper nitorem puræ conscientiæ in nobis habere studeamus, vt nobis Dominus apparere dignetur. De quinta autem apparitione quæ facta est ipso die resurrectionis, quando discipulis reuersis à castello Emaus Dominus noster clausis ianuis intrauit, sicut in hodierno Euangelio Lucas protestatur, hodie prosequamur. Dicit autem Lucas quod inuenerunt vndecim Apostolos. Ioãnes verò dicit quod Thomas absens erat. Ex quo intelligimus, quod Thomas iam egressus erat priusquam Christus ad eos intraret. Egresso enim Thoma cùm alij loquerentur de his quę audierant, & iam serò esset, & fores essent clausæ propter metum Iudæorum, stetit Iesus in medio eorum, & ait: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Ipse autem ostendit eis manus & pedes, dicens: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Prima vox Christi ad discipulos post resurrectionem fuit: Pax vobis, Pacem enim offert, qui propter pacem venit. Reliquit eis testamentum pacis in morte sua, dicens eis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ingressus in mundum, pacem hominibus bonæ voluntatis per Angelos nunciauit. Nunc autem iterum post resurrectionem pacem eis

*De multiplici Christi apparitione. 1. Cor. 15.*

*De decem apparitionibus Christi, & qualiter nos habere debemus, vt nobis dignetur apparere. Ioan. 20.*

*Prima apparitio.*

*Secunda apparitio.*

*Tertia apparitio. Gene. 30.*

*1. Cor. 13.*

*Quarta apparitio.*

*Quinta apparitio. Ioan. 20.*

*Sexta apparitio.*

*Matth. 5.*

*Septima apparitio. Ioan. 21.*

*Octaua apparitio.*

*Nona apparitio. Mar. 16.*

*1. Cor. 10.*

*Decima apparitio. Luce 24.*

*Quare mons Oliueti, mons trium luminũ dicitur.*

*Luce 24. Ioan. 20.*

*De pace & pacis commendatione. Ioan. 14. Luce 2.*

Coloss. 1. cem eis attulit. Per ipsum enim pacificata sunt quæ in cœlis, & quæ in terra. Christo siquidem nato, nuntiata est pax mũdo. Recedens à mundo, ait: Pacem relinquo vobis. More Aduocati, qui in principio & fine causæ suæ ponit ea, quæ magis vult imprimi memoriæ audientium. Ad hoc enim incarnatus, ad hoc passus, ad hoc à mortuis suscitatus, vt nos reconciliando patri, ad Dei pacem reduceret. Dicit igitur, pax vobis. Non, pax ficta, vt in Iuda proditore fuit. Nõ pax inordinata, vt in Adam & in Eua. Adam enim pacem inordinatã cum vxore habuit, quam contristari noluit. Sed pax vera sit vobis, tranquillitas scilicet, conscientiæ vestræ, & in tentationibus securitas & confidentia. Mundus autẽ dat pacem in tranquillitate temporalium, & in sanitate corporũ: Deus verò dat pacem in tranquillitate mentis, & in gaudio contemplationis. Loquitur enim pacem in plebem suam: & in eos qui cõuertuntur ad cor. Pax siquidem in nobis est, quando spiritus noster subditus est Deo: & spiritui nostro subdita est caro. Quia igitur summus sacerdos pacem nunciauit, ob hoc specialis eius vicarius, id est, Episcopus in prima cõuersione ad populum pacem nunciat: quod minoribus sacerdotibus non licet. Ingrediẽs igitur Dominus mundum & egrediens: & iterum regrediens, nobis pacem cõmendauit, pacẽ pectoris sui conferens, tandem collaturus pacem æternitatis. Ex hoc patet quantum delinquit, qui tanti Regis pacẽ & securitatem, seruos Christi opprimendo, violare præsumunt. Si quis enim Rex terrenus pacem suam alicui contulisset, & literas sigillo suo munitas, dicens, quicunq; latori præsentium molestus erit, mihi molestus erit: & quicunq; ei benefecerit, mihi factũ deputabitur: quis auderet Regis edictum infringere, vel eius literis contradicere? Christus autem ait nuntiis & seruis suis: Pacem meam do vobis: qui vos spernit, me spernit: qui vos recipit, me recipit. Quomodo igitur audet homo miser eius pacem infringere, & eius edicto imprudenter contraire? Discipuli autem, quia Dominus clausis ostiis intrauit, & subitò atque improuisus apparuit, conturbati sunt & conterriti, stupentes miraculi nouitatem, & videntes effigiem mutatam. Et quia clausa ostia non obstiterunt illi, putabant se spiritum videre, assumpto corpore aëreo: illi præcipui, qui nondum eum resurrexisse credebant. Petrus verò cui se iam Dominus manifestauerat, & duo Discipuli, quibus in Emaus apparuerat, licèt non dubitarent de resurrectione, præ admiratione tamen & miraculo turbari potuerunt. Cùm etiam de sanctis Angelis reperiamus, quod post eius resurrectionem videntes ipsum glorificatum præ admiratione dicerent. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua: gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Bosra, nomen est ciuitatis, quæ munita interpretatur. Venit igitur Dominus de Bosra, in qua captiui tenebantur inclusi: dum potestatiuè confringens ianuas inferni, victor ab inferis remeauit. Vnde admirantur Angeli cum tanta gloria reuertentem. Ipse enim, qui sanguine passionis vestes corporis sui tinxerat: cum stola immortalitatis formosissimus redibat, candidus simul & rubicundus. Lana enim tincta, pretiosior est post tincturam: & Christi caro post tincturam passionis resurgendo glorioſior apparuit. In veste etiam cruentata, quantum ad reprobos, signa iracundiæ suæ reseruauit. Torcular enim solus calcauit, quantum ad illos, qui suam nolunt imitari passionem. Vnde Ezechiel vidit virum indutum lineis, id est, carne glorificata, quæ multis attritionibus & magno labore ad gloriam immortalitatis peruenit. Venit præterea Dominus de Edom, id est, de hoc mundo, vel de sanguineo Iudæorum populo. Edom enim terrenus & sanguineus interpretatur. Gradiens in multitudine fortitudinis suæ: quia victo principe tenebrarum cum triumpho regrediens glorioſe surrexit. Vnde Isaias: Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Eodem modo discipuli videntes ipsum clausis ianuis introire ad eos, & in multitudine fortitudinis gradientem, conturbati sunt, & conterriti præ admiratione tanti miraculi. Quibus ipse ait: Ego sum, nolite timere. Ipso enim præsente, & pacem afferente, securi esse debemus & confidere. Quia si Deus nobiscum & pro nobis, quis contra nos? Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra. Bonã fidei plantam, quam plantauerat ab eis, exigebat. Malę enim cogitationes tanquam herba mala ab inferioribus ascendunt, & superfluè excrescunt. Bonæ autem cogitationes, de supernis in corda nostra descendunt. Videte, inquit, manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Duo contraria Dominus in corpore suo ostendit, & palpabile eiusdem naturæ, vt formet ad fidem: & incorruptibile alterius gloriæ, vt inuitet ad præmium. Palpabile enim ostendit, vt veritatem corporis & resurrectionis in se ostenderet. Clausis ianuis intrauit, vt subtilitatem & impassibilitatis gloriam demonstraret. Corpori enim glorificato ostia clausa non obstant. Licèt autem corpus glorificatum ex natura corporeitatis sit palpabile, corpori tamen mortali non est palpabile, sicut nec visibile oculis mortalibus. Miraculoſe igitur palpabilem se præbuit, sicut miraculoſe supra mare ambulauit, dum adhuc corpus ponderosum habuit. Corporeus enim fuit Christus post resurrectionem, subtilissima corporeitate. Vnde corpus eius respectu corporis non glorificati est quasi spirituale. Omnes tamen substantiales proprietates corporis retinuit. Alioquin dicere oporteret, quod alius homo moritur, & alius resurgit: quod nephas est dicere, cùm dicat beatus Iob: Quem visurus sum ego ipse, & non alius. Multis igitur argumentis & documentis corporis veritatẽ & resurrectionem veram persuadet, præbendo se & oculis videndum, & manibus contrectandum. Qui dum palpanda ossa carnemque monstrat, statum suæ & nostræ resurrectionis significat, in qua corpus nostrum & subtile

*Contra violatores pacis.*

*Lucæ 10. Matth. 10.*

*De conturbatione & admiratione discipulorum.*

*Isaiæ 63. De Bosra & Edom & formosa Christi stola.*

*Cant. 5.*

*Isaiæ 63. Ezech 3.*

*Isaiæ 51.*

*Rom. 8.*

*Quare clausis ianuis intrare voluit, & quod miraculoſe palpatus est à discipulis*

*Iob 19.*

& subtile erit, per effectum spiritualis potentiæ, & palpabile per veritatem naturæ. Viderunt igitur & palpauerunt, quemadmodum Ioannes in Epistola Canonica ait: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & prospeximus, & manus nostræ contrectauerunt. Fuit autem palpatio argumentum eis: Alioquin si naturam corporis glorificati subtiliter intuerentur & agnoscerent, ipsum quidem impalpabilem esse manibus mortalium aduerterét. Et ita palpatio corporis taliter intuentibus, non esset signum glorificationis vel glorioſæ resurrectionis. Non solùm autem palpari voluit, sed in argumentum passionis & resurrectionis cicatrices ostendit, quas in se retinere voluit, non ex impotentia curandi, sed vt glorioſum victoriæ suæ circumferret triumphum, quemadmodum milites post curationem vulnerum cicatricibus carere nollent, de quibus in signum probitatis gloriantur. Secunda autem ratione reseruauit cicatrices, vt, scilicet ostensis vulnerum cicatricibus infidelitatis, vulnera in suis discipulis sanaret. Tertia ratio fuit, vt patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro salute nostra pertulit, semper ostendat. Interpellat autem pro nobis, non voce, sed miseratione. Ipsum enim pro humana natura rogare, est apud patrem seipsum hominem demonstrare. Quarta ratione eas retinuit, vt sua morte redemptis quàm misericorditer sint adiuti, propositis mortis indiciis demonstraret. Quinta ratione, vt in iudicio quàm iustè damnentur impij, apertè denuntiet. Videbunt enim in quem transfixerunt. Sexta ratio est, vt sancti in gloria signa passionis videntes de redemptione sua illi gratias agant. Quibusdam autem videtur, quod cicatrices non in sua carne retinuit, sed in aëre circumfuso forma earum apparuit, sicut accidit in sacramento altaris. Hæc tamen opinio scripturis sanctorum non videtur concordare. Dominus autem noster non indecenter nudus apparuit, sed vestes de nouo creauit, sicut nouam columbam creauit in baptismo, & nouam stellam quam ostendit Magis, quæ postmodum in prima componentia resoluta sunt. Nulla enim in huiusmodi visionibus phantasia fuit, neq; illusio oculorũ, sed in veritate formæ & species quas videbant, vel in Christo vel circa Christum erant. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Quasi in statu medio constituti discipuli, nundum plenè credebant, sed iam ad credendum inclinabantur, vnde & gaudebant de his quæ videbant. Dicit enim Ioannes, quod gauisi sunt discipuli, viso Domino. Dominus autem vt omnem excluderet dubietatẽ & hesitationẽ, & veram insinuaret resurrectionẽ, non solùm tangi, sed & conuesci voluit, non quia ipse, vel nos post resurrectionem cibo indigere debeamus: sed vt verum corpus, non spiritum esse, vel phantasma manifestaret. Manducauit igitur potestate, non necessitate: vnde cibum illum non sibi incorporauit, sed in primordialem materiam rediit. Aliter autem absorbet aquam terra sitiens, aliter radius solis cadens. Illa indigentia, ista potestate. Sic igitur impletum est quod prædixerat in cœna ante passionem: Non bibam amodò de genimine vitis: donec bibam illud nouum, id est, nouo modo. Quia ea quæ manducauit & bibit, ita consumpta sunt post resurrectionem, quod in eius nutrimentum non sunt conuersa. Piscis autem assus, ipse mediator noster passus in aquis humani generis, hamo crucis captus & laqueo mortis, assatus igne passionis. In hoc autem hamo posita fuit esca, id est, mundi vita, & salus nostra. Hanc escam ipse appetiit, sicut in Euangelio ait: Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiam. In hoc pisce inuentum est pretium illud, quo se & Petrum à tributo redemit. Hunc piscem contra legem suam reprobauerunt Iudæi, cùm ipse haberet squamas & pennulas, quibus super aquas nostræ mortalitatis resurgendo saltũ fecit. Ipse etiam fauus mellis nobis fuit in resurrectione. Mel enim in cera, est diuinitas in humanitate. In huiusmodi autem comestione significatur, quod illos sibi incorporat, qui licèt igne tribulationis coquãtur, ab amore tamen internæ dulcedinis non recedunt. Qui autem hîc pro ipso patiendo assantur, illic melle veræ dulcedinis satiabuntur. Comederunt autem Discipuli fauum cum melle, credentes humanitatem cum diuinitate: Et de petra melle saturauit eos. Suxerunt enim mel de petra: Petra autem erat Christus. Teste autem Salomone, anima saturata tempore coangustiæ conculcabit fauum, quem extraxit Samson de ore leonis: quia à morte non potuit Christi humanitas detineri, neque ab inimico humani generis absorberi. Dominus autem noster quasi diuersa fercula ex seipso nobis ministrat. Fuit enim non solùm panis craticulæ, sed piscis assus in passione, panis subcinericius in sepultura, panis similagineus & mellis fauus in resurrectione. Fercula autem carnis & sanguinis sui nobis ministrat in sacramenti confectione. Lac autem fuit nobis in natiuitate, turtur & columba in templi oblatione. Cùm igitur manducasset Iesus coram eis, sumens reliquias, dedit eis, dicens: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum. Et subiungit illa verba, hæc scilicet. Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Omnes aufert Dominus ambages, & causas dubitationis, visus est, tactus est, mãducauit. Et ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, ostendit per scripturas, quæ prænuntiauerunt de ipso antequam natus esset, quæcunque acciderunt. Propterea Daniël ait: Confirmabit multis pactum hebdomada vna, quæ scilicet, septem habet dies. Primus fuit in annunciatione & conceptione: secundus, in natiuitate: tertius, in eius conuersatione, scilicet, in prædicatione & operatione miraculorum: quartus, in passione: quintus, in resurrectione: sextus, in ascensione: septimus, in spiritus sancti missione. Hęc omnia, sicut acciderunt, ita prænuntiata de ipso fuerunt. Suscitans enim sus-

1. Ioan. 1.

Multiplici ratione cicatrices retinuit. Prima. Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta. Sexta. Zach. 12. Ioan. 19.

Quod non apparuit nudus sed vestitus. Matth. 3.

Matth. 2.

Ioan. 20. Quare cum discipuli Dominus manducauit, & de modo comedẽdi & bibendi

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. De pisce asso, & quid per eũ significatur Luc. 12. Matth. 16. Leuit. 11.

De fauo & melle.

Deut. 32. 1. Cor. 10. Prouer. 27. Iud. 14.

De diuersis ferculis quæ nobis exhibuit, & de pane multiplicat. Leuit. 2. 3. Reg. 19. Luc. 2.

Expositio verborum Euangelii.

Dan. 9.

De hebdomada & septem diebus.

Abac. 3.

enim ſuſcitauit Dominus arcum ſuum,id eſt, Chriſtum, iuramenta tribubus, quæ locutus eſt adimplendo,& pactum promiſionum perſoluendo,ſicut in lege & Prophetis,& Pſalmis prædixerat. Dedit autem Dominus eis reliquias poſtquam manducauit. In futuro autem non reliquias,neque tantum partem piſcis aſſi nobis dabit,ſed perfectè ipſum cognoſcemus,& plenè ſaturabimur cùm apparuerit gloria eius. Interim autem ex parte cognoſcimus,& ex parte guſtamus & videmus,quoniam ſuauis eſt Dominus. Vnde & fauo mellis cõparatur,quoniam mel ſuaue eſt,tenax ſeu glutinoſum & conſeruatiuum. Et Chriſtus ſuauis eſt per manſuetudinem & benignitatem, dulcis per internam dilectionem,glutinoſus animas complectens,& ſibi eas glutino charitatis coniungens, conſeruatiuus ab omni corruptione liberans. Quęcunq; autem ſcripta fuerunt de Chriſto,neceſſe fuit impleri,id eſt,oportunum & vtile. Licèt autem aliter nos ſaluare potuiſſet,nullus alius modus miſeriæ noſtræ ſanandæ fuit competentior. Neceſſe fuit præterea,quod de ipſo prophetatum fuit adimpleri, quia impoſsibile fuit non euenire,& per ſpiritum prophetiæ prænunciatum fuiſſe. Tunc aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas,& dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt,& ſic oportebat Chriſtum pati,& reſurgere à mortuis tertia die,& prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. Poſt viſum, poſt tactum, poſt memoratam legem ſenſum aperit, vt intelligant quod legunt & audiunt in ſcripturis. Deinde poſt ſui corporis commendatam veritatem,commendat Eccleſiæ vnitatem, quia oportet in omnes gentes prædicare pœnitentiam, & omnes vocare ad fidem,vt credentes ſalui fiant. Hic enim eſt fructus paſsionis & reſurrectionis illius. Remiſit enim indignationem & iram ſuam. Deleuit iniquitatem, abſtulit captiuitatem,contulit beatitudinem. Regnauit enim Dominus,expellendo vitia de cordibus hominum. Decorem indutus eſt, multiplicando gratiam bonorum operum, & conferendo decorem virtutum in præſenti,collaturus decorem gloriæ in futuro. Oportebat autem Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die. Per ignominiam,ſcilicet,paſsionis,peruenit ad gloriam reſurrectionis,vt ita ſe nobis oſtenderet,quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnũ cœlorũ. Mori enim ad ſimilitudinẽ mortis Chriſti,& mori vetuſtati peccati. Mortuus eſt igitur, vt nos vetuſtati peccati moreremur. Ipſo autẽ reſurgẽte ſurreximus,& erecti ſumus. Poſt calicẽ ſiquidẽ pœnitentię & doloris,poſt calicẽ patiẽtiæ & laboris,bibemus in reſurrectione calicẽ exultationis, & delectationis. De quo Dominus per Prophetam: Calix meus inebrians quã præclarus eſt. Sí enim veſpere rubeum fuerit cœlũ per ſanguinẽ paſsionis, mane ſerenitas erit per gloriã reſurrectionis. Ad veſperũ enim demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia. Veſpere ſiquidem eſt in tribulatione & morte,nox verò in ſepultura & quiete,mane autẽ in reſurrectione. Propterea Oſee ait: Viuificabit nos poſt duos dies,& die tertia ſuſcitabit nos. Prima dies crucifixi,ſecunda ſepulti, tertia ſuſcitati, ſexta ætas eſt ad laborem, ſeptima ad requiem, octaua ad reſurrectionem. Et idcirco ſexta feria crucem ſanctam ſubiit, ſeptima in ſepulchro iacuit, octaua reſurrexit. Et nos viam trium dierum progrediendo,in prima die crucifigi debemus per pœnitentiam, in ſecunda ſepeliri per quietem,& ligari per diſciplinam,in die tertia reſurgere ad coronam. In prima igitur die mortificamus membra noſtra, ſtigmata Domini noſtri ferentes in corpore noſtro. In ſecunda vinculis diſciplinæ ſenſus noſtros aſtringimus, & ligamus oculos ne videãt vanitatem,aures ne audiant ſanguinem, nares ne peccemus per illicitos & ſuperfluos odores, os ne loquatur mendacium vel iniquitatem aut vanitatẽ: manus,ne extendantur ad illicita: pedes ne currant ad mala. In tertia die reſurgemus, vt iuſtificati & virtutum floribus ornati videamus per intelligentiam,audiamus per obedientiam, olfaciamus per circumſpectionem,geſtemus per dilectionem,ſentiamus per memoriam. Sicut autem per baptiſmum renouamur ab originali peccato,& per pœnitentiam ab actuali commiſſo,ita per reſurrectionem à corruptione ſeruitutis. Propterea Dominus in Euangelio ait: Hodie & cras dæmonia eiicio & ſanitates perficio,& die tertia conſummor. Et per Sophoniã ait: Expecta me in die reſurrectionis meæ in futurum. Oportebat igitur Chriſtũ pati,& reſurgere à mortuis tertia die. Oportunus enim fuit talis modus noſtræ liberationis,& miſeriæ noſtræ ſanãdæ, valdè congruus. Natus eſt enim vt nos renaſceremur. Conuerſatione ſua nos inſtruxit, morte ſua mortem noſtram deſtruxit, reſurgendo vitam noſtram reparauit. Quod autem die tertia reſurrecturus erat prænũciauerat Iacob in benedictione filij ſui,dicens: Catulus leonis Iuda,ad prædam aſcendiſti fili mi, requieſcẽs accubuiſti vt leo. Catulus enim leonis ad rugitum patris,tertia die ſuſcitatur. Leoni autem comparatur Chriſtus,prædicta ratione, & propter multiplicem ipſius leonis proprietatem. Leo enim dum fugatur,per montes fugit,& diuinitatis altitudo Iudæos latuit. Leo cauda ſua delet veſtigia ſua,ne percipiatur à venatoribus, & Chriſtus poſteriori natura, id eſt,carne aſſumpta diuinitatem abſcondit, ne perciperetur à dæmonibus. Leo apertis oculis dormire dicitur,& Chriſtus diuinitate viuente in morte obdormiuit. Rugiente leone,cætera animalia metuunt,& greſſus figunt. Et Chriſtus rugitu & potentia virtutis ſuę dæmones exterruit,& eius potentiam nocendi electis ſuis abſtulit. Vnde Amos ait: Rugiet leo,quis non timebit? Et Oſee dicit: Rugiet leo,& formidabunt filij maris. Rugit leo pro ſuis,non contra ſuos. Leo ſupplicibus parcit,inuadentes ſe inuadit,non nocet niſi prouocatus ad iram. Et Chriſtus ſuperbis reſtitit,humilibus dat gratiam,ſubiectis parcendo,ſuperbos deiiciendo. Non ſolùm autem leoni, ſed & pantheræ propter reſurrectionem Dominus comparatur. Vnde Oſee ſecundum tranſla-

tionem

*De reliqaiis tibi & proprietatibus mellis.* 1.Cor.13.

*De apertione ſenſus ad intelligentiam ſcripturarum.*

*Quod per paſſionem tranſitur ad gloriam.* Actuum 14.

Matth.16.

Oſee.6. *De triplici die,& triplici nocte.* Exod.3. *De via trium dierũ,& morte,& ſepultura, & reſurrectione noſtra.* Coloſ.3. Gal 6. Iſaiæ 33. Prouer.1.

Lucæ 13. Sopho.3. *De oportunitate paſsionis Chriſti.* Gene.49. *De catulo leonis,& quare Chriſtus leoni comparatur, & de leonis proprietatibus.* *Prima proprietas.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* Amos 3. *Sexta.* Oſee 5. Ez.70.

tionem septuaginta ait: Ego panthera Effraim, & quasi catulus leonis domui Iuda. Panthera siquidem animal est speciosum valdè: & Christus speciosus forma præ filiis hominum. Panthera variis coloribus depingitur: & Christus variis virtutibus exornatur. Panthera mansuetum est animal, & non inimicatur nisi draconibus: Et Christus mansuetus est & mitis, & inimicus est dæmonibus. Panthera, postquam comederit & satiata fuerit diuersis cibis, recōdit se in spelunca sua, & dormit, & post triduum à somno exurgit: & Christus, postquam satiatus fuit opprobriis, illusionibus, & flagellis, & variis cōtumeliis obdormiuit, & in sepulchro quieuit. Tertio autem die à somno mortis surrexit. Panthera, postquam à somno surgit, magnum emittit rugitum, & magnæ suauitatis odor de ipsius ore procedit. Cuncta autem animalia ad vocem eius congregantur, currentia post suauitatis odorem, quem ex ore suo emittit. Solus autem draco cùm audierit vocem eius, timore contrahitur, abscondens se à cauernis terræ: non ferens suauitatem odoris: Sic Dominus noster Iesus Christus voce prædicationis & rugitu comminationum, atque odore promissionum omne genus hominum per prædicatores suos ad se traxit. Panthera enim omnia capiens interpretatur. Et quoniam diffusa est gratia in labiis eius, id est, in prædicatoribus, post odorem vnguentorum eius totus mundus cucurrit, quia in omnem terram exiuit sonus prædicationis. Dracones autem, id est, dæmones & reprobi homines hunc odorē sustinere nequeunt, sed bono odore necantur. Vnde Apostolus ait: Christi bonus odor sumus. Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Fuit igitur Dominus quasi Panthera. Effraim, id est, fructificantibus in bonis operibus, & quasi catulus leonis domui Iuda, id est, verè confitentibus, pro quibus mortuus est. Et tanquā catulus leonis die tertia resurrexit. Oportebat enim Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam. Vos igitur fratres charissimi, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite ad intelligendum, quæ sursum sunt, sapite ad delectandum. Et quoniam Christus resurgens à mortuis iam non moritur. Dauid enim noster post secundam vnctionem in pace regnauit, exemplo illius: ita à peccatis resurgamus, quod iam de cetero peccatis non moriamur. Sicut autem ipse regnauit, inimicos suos in morte conculcando, & decorem induit resurgendo. Ita & vos cum ipso & per ipsum regnetis, vitia expugnando. Et induimini Dominum Iesum Christum, atque decorem virtutum contra deformitatem vitiorum. Hæc autem vestis deargentata est per humanitatis splendorem, deaurata per diuinitatis præcellentiam. Sicut enim auro substernitur argentum. Ita in persona Christi humanitas subditur diuinitati. Hac igitur veste nuptiali induti ad nuptias æternæ iocunditatis, & internæ refectionis securi ingrediemur, & cum gaudio suscipiemur, vbi cum Domino nostro Iesu Christo quotidie epulabimur splendidè in secula seculorum, Amen.

*Quod Christus comparatur panthere, et de eius proprietatibus.*
*Prima proprietas.*
*Secunda.*
*Tertia.*
*Quarta.*
*Quinta.*
*Cant. 1.*
*2. Cor. 2.*
*Osee. 5.*
*Ez. 20.*
*Luce 24.*
*Cōclusio cum morali exhortatione.*
*Rom. 6.*
*1. Reg. 5.*
*Rom. 13.*
*De veste nuptiali deargentata, & deaurata, quam debemus induere.*
*Luce 16.*

## FERIA QVARTA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundnm Ioannem. 21.

*Manifestauit se Iesus ad mare Tyberiadis discipulis suis.*

*Matth 8. Mar. 4. Luce 8.*
*Quod Dominus cū septēplici spiritu apparuit & septem dona spiritus sancti eodem apparitionibus adaptantur.*
*Apparitio in spiritu timoris.*
*Matth. 28. Ioan. 20.*
*Apparitio in spiritu pietatis.*
*Apparitio in spiritu scientiæ Luce 24.*
*Apparitio in spiritu fortitudinis. Ioan. 20.*
*Apparitio in spiritu cōsilii.*
*Apparitio in spiritu intellectus.*
*Apparitio in spiritu sapientiæ. 1. Cor. 1.*
*De cithara septē chordarum, quæ septem donis spiritus sancti adaptantur.*

DOMINVS noster Iesus Christus post resurrectionem suam, adhuc in terris conuersari voluit cum discipulis suis per dies quadraginta, vt eos consolaretur, quia de morte eius valdè contristati fuerant & conturbati. Christo enim in cruce tanquam in naui dormiente, orta est tempestas magna in mari, id est, in cordibus discipulorum fluctuantibus & amaritudine repletis. Postquam autem euigilauit in resurrectione, facta est tranquillitas paulatim in cordibus eorum. Ad hoc etiā in terra remansit, vt corda ipsorum in fide confirmarentur, vt idonea essent ad recipiendum spiritum sanctum in die Pentecostes. Vnde & cum septemplici spiritu eisdem se manifestauit. In spiritu enim timoris apparuit, quando mulieribus ad monumentum venientibus Angelus Domini descendit de cœlo, & facto terræmotu, custodes facti sunt velut mortui. Et tunc Dominus Mariæ Magdalene se ostendit, & quando dixit illi, noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrē meum. Ille enim veraciter Christum tāgit, qui patri filium coæternum credit. In spiritu autem pietatis apparuit Simoni, vt consolaretur eum, quem reatus conscientia angebat: quia Dominum suum ter negauerat. In spiritu autem scientiæ apparuit duobus euntibus in Emaus, quibus scripturas exposuit, incipiēs à Moyse & Prophetis. In spiritu verò fortitudinis apparuit, quando ianuis clausis ad discipulos intrauit, ostendens eis manus & latus, sicut solent clypeorum foramina, & vulnerum vestigia in signum virtutis & probitatis demonstrari. In spiritu autem consilij apparuit discipulis, frustra in piscatione laborantibus, consulens eis, vt in dexteram partem rete mitterent. Tota enim nocte laborantes nihil ceperant: tunc autem multitudinem copiosam piscium concluserunt. In spiritu autem intellectus apparuit, quando aperuit eis sensum vt intelligerent scripturas. In spiritu verò sapientiæ apparuit, quando videntibus illis eleuatus est in cœlum, trahens sursum desideria eorum, vt iam de cetero non terrena, sed cœlestia saperent, & desiderio sursum tenderent. Siquidem vsque ad illum diem, quasi per stultitiam prædicationis saluos faciebat credentes. Ex tunc iam cœpit eis sapientia declarari, & iam plenius saporē cœlestium perceperunt. Cantauit igitur Dominus illis ad consolationem illorum canticum nouum, quasi in cithara septem chordarum. Qua-

rum. Quarum prima fuit timoris, quæ grauem reddit ſonum. Secunda chorda fuit pietatis, quæ
*Phil. 2.* grauitatem temperat, & ſonũ ſuauitatis reddit. Tertia chorda fuit ſciẽtiæ, quæ concordẽ reddit
harmoniã per quam ſcimus cõcorditer cõuerſari inter homines prauæ nationis. Quarta chorda
fuit fortitudinis, quæ groſſiorẽ & fortiorem ſonũ reddit. Chordæ autẽ conſilij temperatã valdè
& ſubtilẽ reddit conſonantiã. Chorda intellectus, acutũ & apertum reddit ſonũ. Chorda ſapien
tiæ dulciſſimo & acutiſſimo ſono de celeſtibus reſonat, mẽtes ſpirituales ſuauiter afficiens. Re-
ſpondeamus & nos cithariſtæ noſtro cantantes ei canticũ nouum: quia mirabilia fecit. Canti-
*De cantico nouo, & cantico veteri.* cum nouum cantat charitas, habens citharas & phialas aureas, plenas odoramentorũ, quæ ſunt
*Apoc. 5.* orationes ſanctorũ: ſicut in Apocalypſi dicitur: Canticũ vetus, quod inchoauit ab Adã, cantat cu-
*Iſaiæ 22.* piditas, dicẽs: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Et iterũ: Opprimamus paupere,
*Sap. 2.* & viduã, & canos nõ reuereamur. Et rurſum: Vnum marſupiũ ſit omniũ noſtrũ, ſicut in Parab.
*Prouer. 1.* dicitur. Dominus autẽ plus diligit conſonantiã morum quã vocum. Vna enim virtus ſine alia
eſſe non poteſt. Non enim placet Deo, vel ſuperba caſtitas: vel humilitas inquinata. Vita mala
ſemper coram Deo rauca eſt. Qui autem plus diligit, melius canit. Inſtrumenta autẽ charitatis,
*De inſtrumẽtis quibus tantat charitas.* ſunt cithara mortificationis carnis, & Pſalteriũ quod à ſuperiori reddit ſonum, dum benè ope-
*Iob 1.* ramur pro æternis. Labia autẽ munda ſunt cymbala beneſonantia. Dulcis autẽ ſonus per tym-
*Ephe. 4.* panum redditur, cũ afflictio per patientiã toleratur. Dulcis ſonus tympani: Dominus cledit, Do
*De nouo cantico & multiplici nouitate.* minus abſtulit. Nouus igitur homo renouatus ſpiritu mentis ſuæ nouũ canticũ cantet de nouo
*Iere. 31.* rege: qui nouũ fecit ſuper terrã. Nouum in conceptione: qui ingreſſus eſt ſine macula, abſque
*Iſaiæ 53.* virili ſemine. Nouũ in natiuitate, qui natus eſt ſine matris dolore & corruptione. Nouũ in eius
*1. Pet. 2.* conuerſatione: qui peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Nouũ in miraculorum
*Ioan. 15.* operatione: quia opera fecit, quæ nullus alius facere potuit. Nouũ in prædicatione: quia nunquã
*Heb. 3.* ſic locutus eſt homo. Nouũ in morte, quia per mortẽ ſuã deſtruxit eum qui habebat mortis im-
*Apoc 1.* perium, ſolus inter mortuos liber. Nouũ in reſurrectione: quia primogenitus eſt mortuorum.
*1. Cor. 15.* Surrexit enim à mortuis Chriſtus primitiæ dormientiũ. Quoniam igitur nouus rex, nouæ lex,
noua ſunt omnia: cãtemus Domino nouo regi canticum nouum, quia mirabilia fecit: quia mi-
*De multiplici tantico.* rabiliter Eccleſiam ſibi deſponſauit, & eam reſurgẽdo renouauit. Cantemus ei canticũ nouum
*Primum canticum.* victoriæ, quod cantauerũt filij Iſraël, ſubmerſo Pharaone in mari rubro, agẽtes ei gratias: quia
*Exod. 15.* equũ & aſcenſorẽ proiecit in mare. Cãtemus ei canticum doctrinæ cum Moyſe populũ admo-
*Secundum.* nente, quod cecinit, dicens: Audite cœli quæ loquor. Et cũ Apoſtolis, quorum ſonus in omnẽ ter-
*Deut. 32.* ram exiuit, & in omnes fines terræ verba eorum. Et nos ſimiliter Domino cantemus canti-
*Exod 16.* cum doctrinæ ſpiritualis, vt cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, veni. Cantemus præ-
*Apoc. 22.* terea tertium canticum, hoc eſt canticum lætitiæ & gratiarum actionis, quod cantauit Anna
*Tertium.* mater Samuëlis ſuſcepta prole, poſtquam opprobrium ſterilitatis ab ea Dominus amouit.
*1. Reg. 2.* Exultauit, inquit, cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Et
*Lucæ 1.* beata Virgo ſuſcepta prole de ſpiritu ſancto, hoc canticum cantauit, dicens: Magnificat ani-
ma mea Dominũ: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Cãtemus nihilominus cãti-
*Quartum.* cum quartũ, ſcilicet, liberationis, quod cantauit Dauid poſtquã liberauit eũ de manu Saulis, &
*3. Reg. 18.* omnium perſecutorũ eius, dicẽs: Diligã te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentũ meũ
& refugiũ meũ, & liberator meus. Hoc canticũ cãtauit Ezechias ab ęgritudine liberatus, dicẽs:
*Iſaiæ 38.* Ego dixi, in dimidio dierũ vadã ad portas inferi. Et nos cũ illis cãtemus. Anima noſtra ſicut paſ-
ſer erepta eſt de laqueo venantiũ, laqueus cõtritus eſt, & nos liberati ſumus. Cantemus inſuper
*Quintum. Sextum.* canticum quintũ dilectionis & amoris, quod in laudẽ ſponſi & ſpõſæ Salomon cãtauit, dicẽs:
Oſculetur me oſculo oris ſui. Cantemus igitur non canticum voluptatis & vanitatis, quia ex-
trema gaudij ſecularis luctus occupat, ſed canticum nouitatis & veritatis. Hoc eſt canticum
*Quod lex euãgelica multipliciter dicitur noua, & lex Moſaica vetus.* Euangelij, canticum, ſcilicet, nouæ legis, quæ dicitur noua in præceptis. Vnde Dominus ait:
*Ioan. 13.* Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Et iterũ: Diligite inimicos veſtros, benefã-
*Matth. 5.* cite his qui oderunt vos. Econtra canticum vetus, in lege veteri cantatur, cùm dicitur: Diliges
*Leuit. 19.* amicum, & odio habebis inimicũ. Noua etiam dicitur lex Euangelij in conſiliis, vt cum dici-
*Deut. 20.* tur, ſi quis te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram. Econtra autem canticum vetus eſt:
*Matth. 5.* oculum pro oculo, dentem pro dente. Noua etiam dicitur lex Euangelica in promiſſis, vt
*Exod. 21.* cùm dicitur: centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Econtra canticum vetus,
*Matth 19.* cùm dicitur ad literam: Bona terra comedetis. Et iterum: Dabo vobis terram Chanaan, funicu-
*Iſaiæ 1.* lum hæreditatis veſtræ. Noua etiam dicitur lex Euangelica in intellectu ſpirituali. Litera enim
*2. Cor. 3.* occidit, ſed ſpiritus viuificat & innouat. Econtra canticum vetus, quando lex intelligitur
*Leuit. 11.* ad literam, velut, cùm dicitur: Non tanges morticinum. Canticum verò nouum, quando ſpiri-
*Qualiter in ſolemnitatibus nos habere debeamus.* tualiter intelligitur & obſeruatur. Morticinũ enim non tangimus, ſi peccato mortali non con-
*Leuit. 23.* ſentiamus. Cantemus igitur canticũ nouũ Domino, in inſigni die ſolemnitatis hodiernæ. Tunc
*2. Cor. 9.* autẽ verè feſtũ agimus Domino, cũ ab omni opere ſeruili, id eſt, ab omni peccato declinamus,
*Matth. 5.* cũ diuinis & ſpiritualibus exercitiis vacamus, vt reliquiæ cogitationũ diẽ feſtũ agant Domino,
quando in conſcientia bona hilaritatẽ oſtendimus. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. Quando
bonis operibus ſplendemus, vt glorificetur Deus, ſicut ſcriptum eſt: Luceant opera veſtra bo-
na coram hominibus, vt glorificent patrem veſtrum. Quando vetera indumenta deponimus,
*Ephe. 4.* exuentes veterem hominem cum actibus ſuis, & nouis atque ſpiritualibus exornamur, ſicut
ſcriptum

scriptum est: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Et iterum: Induimini Dominum nostrum Iesum Christum. Quando balneo lachrymarum abluimur, sicut scriptum est: Lauabo per singulas noctes lectum meum. Quando domum nostram asperitate pœnitentiæ tanquam scopa mundamus, vt paremus viam Domino, remouendo lapides, id est, duritiam obstinationis, de qua scriptum est in Isaia: Eiicite lapides de plateis. Et lutum luxuriæ, sicut scriptum est: Deus meus impolluta via eius. Vnde Apostolus ait: Fugite fornicationem. Quando cortinas innocentiæ appendimus, sicut scriptum est: Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Quãdo pannis sericis varietate virtutum picturatis thalamum exornamus, sicut scriptum est: In fimbris aureis circumamicta varietatibus. Quando instrumenta musica pulsamus, psallentes Domino in psalterio decem chordarum, obseruando decalogum, & in cymbalis benesonantibus ipsum puro corde & ore laudando, & gratias illi agendo. Quando spirituale & splendidum conuiuium instauramus. Quale enim conuiuium in corde tuo praueris, tales conuiuas habere mereberis. Vnde Dominus in Apocalypsi: Si quis mihi apparuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo. Dominus autem in hoc conuiuio exhibet nobis seipsum in cibum, varia fercula nobis ministrans, ex semetipso, panẽ, scilicet, similagineũ in sacramento altaris, & vinum pretiosi sui sanguinis. Quasi nuces nobis apposuit in natiuitate, dum virga Aaron fronduit & floruit, & nuces amigdalarum protulit. Vitulum saginatum nobis exhibuit in passione, volatilia verò in ascensione, his autem diebus piscem cum melle nobis exhibet in eius gloriosa resurrectione. Sed & ipse de piscibus nostris valdè refici desiderat. Afferte, inquit, de piscibus, quos prendidistis nunc. Nihil enim magis placet redemptori nostro, quàm zelus animarum, vt simus, scilicet, piscatores hominum. Propterea sicut in hodierno Euangelio habetur, ipse discipulis suis piscantibus apparuit, dicens eis: vt in dexteram nauigij rete mitterent. Quod & fecerunt, atque multitudinem piscium cœperunt. Et hęc fuit tertiæ diei apparitio. Vnde Euangelista ait: Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis. Quod ad numerum dierum refertur, & non ad numerum manifestationum. Ipso enim die resurrectionis quinquies apparuit, postmodum die octauo post resurrectionem seipsum manifestauit. Nunc autem die tertio, de quo fit hodie mentio discipulis piscantibus, seipsum ostẽdit. Apostoli post conuersionem suam non lucra seculi, sed piscatione victum quærere potuerunt. Sicut Paulus propriis manibus laborabat tempore oportuno, nec tamen propter hoc dimittebatur prædicatio. Non fuerunt igitur prohibiti arte sua licita victum quærere, apostolatus integritate seruata. Et sic illis laborantibus adiecit eis Dominus necessaria, quæ promisit: Matthæus autem ad teloneum non rediit. Nam aliud est victum per piscationem quęrere: aliud lucris telonei pecunias augere. Sunt enim quædam negotia quæ sine peccato exerceri vix aut nullatenus possunt. Negotium siquidem quod ante conuersionem sine peccato extitit: hoc etiam post cõuersionem repetere, culpa non fuit. Licitum igitur fuit Discipulis simplici piscatione ad tempus penuriam releuare. Hæc autem penuria deposita est à Deo, vt in illa piscatione magna & profunda exhiberentur sacramenta. Duplex enim legitur fuisse piscatio Petri: Prima, tempore prædicationis Christi: Secunda, ad statum futurum in fine. In prima retibus Petri capiuntur magni pisces & parui, boni scilicet, & mali, & sine numero: quia mali in Ecclesia multiplicati sunt super numerum. In præsenti enim Ecclesia boni pariter & mali congregantur, nec eliguntur qui trahuntur: quia qui sine saluandi vel reprobandi, ignoratur. Et ideo boni & mali trahuntur retibus prædicationis, sicut scriptum est: Cadent in retiaculo eius peccatores. Simile est enim regnũ cœlorum, id est, Ecclesia præsens sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. In hac autem piscatione, quæ pertinet ad solos electos, tantum boni & magni capiuntur. Occurrent enim omnes electi in virum perfectum: quando in die iudicij pertrahentur ad littus quietis æternæ. Vnde in hac piscatione ad littus trahi referuntur. In prima autem piscatione in nauicula bonos pariter & malos congregauerunt. In illa non fuerunt numerati, in ista autem numerati sunt, scilicet, centum quinquaginta tres. Hi sunt perfecti & pœnitentes, quibus remissa sunt peccata ideo trinitatis obseruantes. Centenarius enim numerus est perfectionis, quinquagenarius propter annum iubileum ad remissionem pertinet. Quinquagesimo enim die data est lex, & spiritus sanctus in die Pentecostes missus est de cœlo, per quem fit remissio peccatorum. Septies autem septem, addito vno, faciunt quinquaginta. Septenarius autem ad septiformem spiritum noscitur pertinere. Similiter decies decem, centum faciunt. Per quod intelliguntur sancti, qui decalogum obseruant perfectè. In prima autem piscatione in dexteram & sinistram partem rete mittitur, quia boni & mali capiuntur. In hac autem tantum in dexteram partem rete mitti iubetur, quia soli electi ad dexteram collocabuntur. Ibi rumpitur rete per hæreses & scismata, hic autem manet rete integrum, sicut Euangelista ait. Et cùm tanti essent, non est scissum rete. Quia inter electos nulla poterit esse dissentio. In illa piscatione Iesus stetit in nauicula: quia adhuc mortalis inter fluctus huius seculi commorabatur. In hac autem in littore stetit: quia prius de torrente in via bibit. Nunc autẽ resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Soliditate enim littoris perpetuitas quietis æternæ significatur. Per littus etiam finis seculi designatur. Hæc enim piscatio, vt dictum est, ad illos pertinet, qui in fine seculi ad Dominum colligentur. Vnde & hic septem Discipuli fuisse dicuntur. Illi enim soli in æterna

*Coloss. 3.* *Rom. 13.*

*Isaiæ 62.*

*2. Cor. 6.*

*Apoc. 3.*

*De piscatione Apostolorũ. 1. Cor. 4.*

*Lucæ 5.*

*De duplici piscatione & de vtriusque mysterio, & differentia vnius ad alteram.*

*Matth. 13.* *Ephe. 4.*

*Mysterium numeri qui est centum quinquaginta tres.*

*Leuit. 25.* *Actuum 2.*

*Rom. 6.*

refectione

refectione futuri sunt, qui septiformi spiritu repleti inuenientur. Petrus misit se in mare exfer uore dilectionis. In quo etiam significatur, quod pressuris tribulationum in hoc seculo prælati exponuntur, sed non suffocantur. Alij autem discipuli nauigio venerunt. Per quos designantur subiecti, qui nauigio prælatorum gubernantur. Vt autē descenderunt in terrā, viderunt prunas positas, & piscē superpositū & panē. Et dixit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prēdidistis nunc. Et accepit panem & dabat eis, & piscem similiter. Per piscē assum, intelligimus Christum passum. Ipse etiam panis viuus, qui de cœlo descendit, panis similagineus oleo litus, quia vnxit eum Deus pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Per alios autem pisces Christi Ecclesia designatur, quæ ad percipiendam æternam beatitudinem Christo incorporatur. Dicunt enim sancti, quod Christus cū discipulis in littore de piscibus manducauit, licèt istud ab Euangelista non exprimatur. Nocte autē piscantes, nihil ceperunt discipuli. Vnde Domino quærenti, pueri, nunquid pulmentarium habetis, respondernnt: Non habemus. Pulmentarium autem dicitur quo conditur panis, siue sit caro, siue sit piscis. Nocturna autem piscatio, nocturnam significat prædicationē, quæ ad pseudoprædicatores pertinet, qui non in dexterā partē rete proiiciunt, dū pro lucro animarum non prædicant, sed in partem sinistrā mittunt rete, prædicantes pro lucro temporali, vel pro gloria seculari. Hi sunt qui rete cupiditatis laxant in capturā pecuniarum, non in capturam animarum. Hoc autem rete, dum in aqua expanditur, plenum videtur, cùm autem eleuatur, nihil in eo reperitur. Quia homo, cùm interierit, nō sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria domus eius. Hæc autem retia reficiuntur, qui postquam omnibus renunciauerint ad cupiditates seculi reuertuntur, lauant ea, qui se excusant de auaritia. Siccant autē & quasi dealbando clarificāt hypocritæ, qui in oculis hominum iusti apparere volunt. Rete autē cupiditatis quasi diuersis maculis texunt, qui diuersos habēt modos cōgregandi pecunias per fraudes multiplices, per mendacia & periuria, per calumnias & falsa testimonia, per furta, rapinas & vsuras. Hæc autem retia reliquerunt sancti, de quibus dicitur: Relictis retibus, secuti sunt Christum. Mare autem dicitur mundus iste, salsus, amarus, fœtidus, procellosus, periculosus, plenus monstris, in quo reptilia, quorum non est numerus, in quo venti generantur per superbiam, qui omnia recipit flumina per auaritiam, in quo maior piscis minorem deuorat per violentiam. Fluit & refluit, nunquam quiescit per curiositatem & vanam occupationem, feruet & sæuit per iram. Nubilosus per tristitiam, spumosus per libidinem, profunditate suspectus per malitiam, in quo omnis homo timet propter varia pericula & instabilitatem. Viuos retinet, mortuos proiicit, sicut scriptum est: Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret. In hoc mari diabolus expandit rete deceptionis, de quo Ierem. ait: Expandit rete pedibus meis. Et Salomon ait: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Habet etiam diabolus hamum seductionis, in quo ponit escam illicitæ delectationis. Pisces aquæ dulcis, sicut diuites in voluptatibus & deliciis, pisces aquæ salsæ, qui sunt in angustia & tribulatione. Sed & Dominus noster piscator dicitur, qui in aculeo increpationis apponit escam promissionis. Nauis autem est crux CHRISTI, in qua Christus ascendens transfretauit, qui proiecto hamo in profundum inferni suos extraxit. Latuit autem virtus diuinitatis, quasi hamus sub esca humanitatis. De hoc hamo dicitur in Iob: Nunquid tu capies Leuiathan hamo? Diabolus enim hoc hamo captus est, dum appetiit escam humanitatis, vt deglutiret CHRISTVM in morte, & detentus est ferro diuinitatis. De quo iterum dicitur: Nunquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius? Dominus enim pelle diaboli sagenas suos implet, dum illos qui diabolo adhærebant & exterioribus deditierant, prædicatione cepit, & ex illis Ecclesias suas replet. Per caput autem diaboli, quo Dominus gurgustium piscium implet, maiores intelliguntur, qui gurgustio piscium, sicut sagena capiuntur, & infra Ecclesiā congregātur. Retia autē prædicationis contexunt sancti doctores, ex diuersis scripturarum sententiis, quæ non rumpuntur prędicādo, sed magis augmētantur & solidantur, dū scientiæ talentū à sanctis doctoribus multiplicatur. Si quis autē puluis vel aliqua macula, inanis gloriæ prædicādo adhęsit, ad solē diuinæ gratię desiccātur. Si quando autē per hæreticos vel falsos doctores hæc retia rūpuntur, à sanctis doctoribus reficiuntur, qui diuersis authoritatibus & rationibus cōfutant hæreticos, parati reddere rationē omni poscēti, de ea fide & spe, quę est in eis. Vnde Apost. Si Angelus de cœlo aliud nūciauerit vobis, anathema sit. Hæc retia tandē in iudicio plicabūtur. Cœlū enim sicut liber plicabitur, quia ex tūc nō erit necessaria doctrina, nec docebit tūc vnusquisq; proximū suū, & frātrē suū, dicēs: Cognosce Dominū. Omnes enim cognoscēt me, dicit Dominus, à maiore vsq; ad minorē. Et Apost. ait: Siue prophetię euacuabūtur, siue linguæ cessabūt, siue sciētia dēstruetur. Inter multa autē retia quę Christus habet, valdè efficax ad decipiendū pisces, est rete paupertatis. Rete etiam dicitur sacra scriptura. Linū enim legis naturalis, primo viride in terra cordis humani proiectum, tandem versum est in candorē legis scriptæ, vltimo ductum est in fila tenuissima, quando Christus addidit consilia. Nauis autem piscatoris, id est, Christi, dicitur Ecclesia, quæ facta est quasi nauis institoris, de longè portans panē suum, sicut in Parab. Salomō ait: Hęc autem nauis in tres partes distinguitur. In prorā, quæ est pars anterior & strictior: In carinam, quæ est pars media & latior: In puppim, quę est pars posterior. In prora fuerūt patres antiqui, in carina sunt sancti moderni, in puppi erūt sancti patres in fine mundi. Arbor siue malus huius nauis est ipsa crux Christi, de qua in Cant. dicitur: Sub arbore malo suscitaui te amica mea

Antenna,

*De piste asso, & aliis piscibus. Ioan. 6. Leuit. 2.*

*De nocturna piscatione. Luc. 5.*

*De retiaculo cupiditatis, & refectione eius atque laxatione, & siccatione.*

*Matth. 23.*

*Matth. 4.*

*Tren. 1. Prouer. 1. De retibus et hamo diaboli & de piscibus aquæ salsæ, & aquæ dulcis. De piscatione Domini, & naui, & hamo, atque esca. Matth. 9. Iob. 40. Item.*

*De retibus prædicationis. Matth. 25.*

*1. Pet. 3. Gala. 5. Apoc. 6.*

*Iere. 31. 1. Cor. 13.*

*De naue piscatoris & eius partibus. & de instrumentis nauis. Prouer. 31.*

*De malo nauis & antenna.*

Antenna, scilicet, lignum transuersum in hac arbore, est latitudo crucis, id est, virtus charitatis, quæ ad dexteram & sinistram, ad amicos & inimicos extenditur. Velum quod ex hac antenna & arbore dependet, est spes qua nauis trahitur, & tendit ad portum salutis. Spe enim gaudentes & vento spiritus sancti, quasi vegetati & animati posteriorũ obliti, nos semper ad anteriora extendimus, expectantes beatã spem, & aduentũ gloriæ magni Dei. Funiculi quibus hoc velum dependet ab arbore, sunt quatuor virtutes cardinales, scilicet, fortitudo, prudentia, temperantia atq; iustitia. Gubernaculum quo nauis ipsa per viam rectam dirigitur ad portũ, est fides, qua diriguntur opera nostra, & sine qua omnia sunt distorta. Sine fide enim est impossibile placere Deo. Ancora qua nauis firma stat contra fluctus & ventorũ impulsiones, est patientia: de qua Apostolus Iacobus ait: Patientiã Iob audistis, & finẽ Domini vidistis. Remi quibus ipsa nauis progreditur per viam huius seculi, sunt præcepta diuina, & opera bona. Vnde Psalmista ait: Deduc me in semita mandatorũ tuorum. Et iterum: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Remiges siue nautæ, legislator, & Prophetę, & Apostoli, & alij Doctores, qui nobis mandata diuina tradiderunt. Ventus autem quo hæc nauis pellitur ad littus, est flatus Spiritus sancti, quo nauis vehitur ad portum æternitatis. Nauclerus autem est Dominus noster Iesus Christus, sine quo nihil possumus facere. Hanc autem nauem commisit Petro & aliis Prælatis sub Petro constitutis, vt ducerent in altum, & laxarent retia sua in capturam animarum. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Mittam ad vos piscatores, & piscabuntur vos. Consulit autem Dominus piscatoribus, vt in dexteram nauigij mittant rete, vt, scilicet, prædicent obtentu salutis æternæ in die gratiæ, non in nocte mortalis peccati. Qui enim in nocte mortalis peccati rete mittunt, frustrà laborantes, nihil capiunt, quia opera motui mortua sunt. Econtra diabolus pro posse suo nititur & exhortatur, vt nocte, & in partem sinistrã rete mittamus. Semper enim rectitudinem intentionis nobis auferre conatur. Vnde & de ipso Ezechiel ait: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, summitatem frondium eius auulsit, & transportauit in terram Chanaan: & posuit eam in vrbe negotiatorum. Aquila grandis rapiens animas, est diabolus, qui similis altissimo esse voluit. Magnarum alarum, quia sibi congregat reprobos per totum mundum. Longo membrorum ductu, quia à Caim vsque ad Antichristum, membra eius, id est, impij & reprobi homines extenduntur. Plena plumis & varietate, quia variis nocet artibus, & diuersis circundatur vanitatibus. Venit ad Libanum, id est, ad altitudinem sanctorum, quia escæ eius, escæ electæ. Et tulit medullam cedri, id est, intentionem boni operis, vt arescant ossa virtutum & fortis operationis. Summitatem frondium eius auulsit, id est, præeminentiam & rectam intentionem prædicationis. Et transportauit in terram Chanaan, id est, malæ humiliationis, quæ per hypocrisim habet fieri. Chanaan enim interpretatur humiliatio: de qua in Ecclesiastico dicitur: Est qui nequiter se humiliat, interiora autem eius plena sunt dolo. Et posuit eam in vrbe negotiatorum. Mali autem negotiatores sunt, qui pro laude humana vendunt opus bonum, & vnde emere possent vitam æternam, emunt sibi non solùm fauorem humanum, sed pœnam gehennalem. Hi sunt qui non in dexteram partem, sed in sinistram, rete mittunt, & tota nocte laborantes nihil capiunt. Nos autem in dexteram nauigij partem rete mittamus, pro veris & æternis bonis Domino seruiendo: vt cum multitudine piscium, id est, bonorum operum ad littus æternæ beatitudinis peruenientes, piscem assum cum pane Angelorum in æterna refectione manducare valeamus, Amen.

*De velo & funibus. Rom. 12. Philip. 3. Titum 2.*

*De gubernaculo & ancora. Heb. 11. Iacob. 4.*

*De remis & remigibus.*

*De vento impellẽte & nauclero gubernante. Ioan. 15. Luc. 5. Ierem. 16.*

*Quod in dexteram partẽ, & non in sinistrã mittendum est rete.*

*Ezech. 17.*

*De aquila grãdi & plumis eius, & medulla cedri moraliter.*

*Abacuc. 1.*

*Eccle. 19.*

## DOMINICA IN ALBIS, THEMA SVMTVM DE INTROITV MISSAE, 1. Petri 2.

*Quasi modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.*



OMINVS noster resurgendo, vetustatem mortalitatis & pœnæ deposuit, vt nos deposita vetustate culpæ, in nouitate vitæ ambulemus in præsenti, & tandem deposita vetustate corruptionis & pœnæ, plenius ei conformemur. Ad hanc igitur spiritualem renouationem nos inuitans beatus Petrus, ait: Quasi modò geniti infantes, rationales, sine dolo lac concupiscite: vel secundum translationem nostram: Infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite. Infantes enim esse debemus & paruuli carentes omni malitia, deponentes, scilicet, omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut idem Apostolus ait: Et quoniam omnes filij iræ nascimur secundum carnem, oportet nos nasci denuò secundum spiritum, vt habeamus per gratiam quod pueri habent per naturam, vt simus paruuli & humiles. Vnde Apostolus: Estote paruuli malitia, vt simus etiam mansueti & mites. Verè autem mansuetus, nec irritat, nec irritatur. Mansuetum autem DOMINVS diligit, turbulentum repellit. Puer autem deuotus est & obediens parentibus, patrem sequitur, à matre non longè recedit: pannis vilibus inuoluitur. Innocens est, non lædit dentibus, nemini nocet, nulli iniuriatur. Iram in corde non retinet, non est malitiosus,

*De bona infantia & præcipuis infantis. Ephes. 2. Ioan. 3.*

non est dolosus, abiectus & humilis est in disciplina, simpliciter ambulans, neminẽ odit, offensus citò placatur, diuitias vel mundi gloriã non quærit, paucis cõtentus est, purus est, & inquinamento libidinis caret, lacte nutritur. Hæc pueritia seu infantia gratiæ & sanctæ simplicitatis ad quam nos inuitat B. Petrus prædictis verbis. Et Dominus in Euang. ait: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnũ cœlorum. Et Psal. ait: Ex ore infantiũ & lactentium perfecisti laudem. Et iterum ait: Intellectum dat paruulis. Est autem pueritia stoliditatis & stultitiæ, de qua Salomon ait: Væ terræ, cuius Rex puer est. Et Isaias ait: Dabo pueros Principes eorum. Et iterum: Puer centum annorum morietur, & peccator cẽtum annorum maledictus erit. Et beatus Iob ait: Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Non igitur debemus esse pueri sensu, sed malitia. Propterea Apostolus non simpliciter ait infantes, sed infantes rationales. Qui enim cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam pueri esse, innocentes consistere per simplicitatem possunt. Vnde de beato Iob dicitur, quod erat simplex & rectus, id est, quasi infans rationalis, simplex in bonis, quæ exterius peragebat, rectus in summis, quæ interius sentiebat. Et Dominus in Euangelio ait: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Astutia serpentis instruat, & serpentis astutiam columbæ temperet simplicitas. Non solùm enim spiritum sanctum Dominus in specie columbæ ostendit, sed in specie ignis, vt simplicitas illuminetur, & fit subtilis. Callidus enim seductor humani generis inimicus sapientes decipere nititur imagine boni: vnde & specie diuinitatis Adam decepit. Vnde beatus Hieronymus ait: Venena non dãtur nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt nisi sub specie, vmbraque virtutum. In omnibus igitur discretionem habeamus, quicquid facimus, cum pondere & mensura faciamus. Omnia enim in lege ad pondus sanctuarij ponderantur. Licèt enim Goliam interfecerimus, ad cautelam tamen gladium eius in tabernaculo reseruare debemus, vt peccati memoria à corde nostro non recedat. Sit ergo homo infans, sit rationalis, sit simplex & prudens: simplex opere, prudens fide: neutrum enim per se sufficit: simplex sine duplicitate, prudens cum moderamine. Si enim rectè offerat, sed non rectè diuidat, eius oblatio non est accepta Deo. Rectè offertur cum recta intentione quid agitur. Sed non rectè diuiditur, si non hoc quod piè agitur etiam subtiliter discernatur. Non autem est simplex, qui duabus ingreditur viis. Quando, scilicet, quod Dei est, opere ostendit, & quod mundi est, cogitatio quærit. Si autem oculus intẽtionis fuerit simplex, totum corpus operis lucidum erit. Si enim nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in eius iudicio nostra actio tenebrosa non erit. Non sunt autẽ verè simplices nec discreti, qui cum multa foramina obstruunt per vnũ foramen elationis hostẽ recipiunt. Qui autẽ inhęret veritati, nullo modo succumbit vanitati. Simus igitur verè simplices sine dolo & hypocrisi, quæ est palliũ diaboli. Non simus similes sepulchris dealbatis. Mortuæ enim animæ, sepulchrum est corpus. Simus simplices & infantes sine dolo & malitiæ veneno. Non sunt autem verè infantes, qui iniurios habẽt dentes, quibus proximos laniant detrahendo. Non igitur venenum, sed lac concupiscamus. Non simus sicut serpens, qui venenum habet in lingua, aculeum in̄ cauda, graditur pectore & ventre. Virus linguæ peccatum est in ore. Aculeus in cauda, iniquitas est in opere. Gressus pectoris, vanitas cordis. Depulsa igitur hyeme, id est, gelicidio peccatorum, & depositio veneno transeat coluber per angusta petræ foramina, vt deposita veteri pelle, fiat simplex sicut columba. Similatores enim & callidi prouocant iram. Spiritus enim sanctus disciplinæ, effugiet fictum. Qui autem ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Simplicitas enim iustorum, diriget eos. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Et beatus Augustinus ait: Vnum quęrimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis quęramus eum. Maledictus enim est, vt ait Propheta Ieremias, qui opus Dei facit fraudulenter. Simulatio autẽ aliud habet in ore, aliud in opere. Simus igitur infantes sine dolo, id est, sine ruga duplicitatis, ne rugæ nostræ ferant contra nos testimonũ. Abiiciamus dolum à corde, de quo dicitur: In corde & corde locuti sunt. Et iterũ: Cogitauerunt cõsilia, quæ nõ potuerũt stabilire. Dominus enim nouit cogitationes hominũ, quoniã vanę sunt & dolosę. Abiiciamus dolũ ab ore, de quo dicitur: Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximũ suũ. Et iterũ: Qui nõ egit dolũ in lingua sua. Abiiciamus dolũ ab opere, de quo dicitur: Mendaces filij hominũ in stateris. Et Salomõ ait: Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrunq; abominabile est Domino: vt Dominus de nobis possit dicere: Ecce verè Israëlita, in quo dolus nõ est. Beatus enim cui nõ imputauit Dominus peccatũ, nec est in spiritu eius dolus. Et si enim, vt ait B. Iob: Derideatur iusti simplicitas, tanq; lãpas cõtempta apud cogitationẽ diuitũ, parata tamẽ est in tempus statutũ, quoniã in die iudicij cũ lãpade ardẽte recipietur ad nuptias repulsis duplicibus & dolosis, qui in lampadibus suis oleũ bonæ cõscientię nõ sumpserunt. Seruiamus igitur Domino sine dolo, teste enim sapiẽte, qui effundit sanguinẽ, & qui fraudẽ facit mercenario, fratres sunt. Mercenarius autẽ qui nobis pro lucro animarũ nostrarũ seruiuit, est Christus. Non igitur illi fraudẽ faciamus, ne similes simus his, qui eius sanguinẽ effuderũt: Non remaneat opus huius mercenarij apud nos vsq; manè, sed in hac vita mercedẽ suam illi reddamus, in veritate illi seruiendo. Manè autẽ erit post noctem & tenebras huius mortalis vitæ. Teste autem B. Iacobo: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis, scilicet, qui vult duobus Dominis seruire, qui vult hîc gaudere cum mundo, & regnare cum Christo. Prohibitum enim est Apostolis duas tunicas habere, id est, nõ duplicitęr, sed

*De mala pueritia.*
*Eccle. 10.*
*Isa. 3.*
*Isa. 66.*
*Iob 5.*
*Quod rationabiles infantes esse debemus.*
*Iob 1.*
*Matth. 10.*
*Matth. 3.*
*Act. 2.*
*Sap. 11.*
*Exod. 30.*
*1. Reg. 17.*
*De prudentia & simplicitate.*
*Gen. 4. ex 70.*
*Eccle. 1.*
*Matth. 6.*
*Luc. 11.*
*Matth. 23.*
*De serpẽte & eius veneno, & aculeo.*
*Iob 36.*
*Sap. 1.*
*Prouer. 10.*
*Prouer. 11.*
*Ierem. 48.*
*Iob 16.*
*De multiplici dolo.*
*Prouer. 20.*
*Ioan. 1.*
*Iob 12.*
*Matth. 25.*
*Eccle. 14.*
*Leuit. 19.*
*Iacob. 1.*
*Matth. 6.*
*Matth. 19.*

sed simpliciter ambulare. Est enim qui nequiter se humiliat, & interiora autem eius plena sunt dolo, sicut in Ecclesiastico dicitur. Et iterum: Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabis viis. Simus igitur infantes rationabiles, sine dolo, infantes sine malitia, rationabiles per sapientiam ne decipiamur, sed in omnibus modestè & discretè ambulemus. Sine dolo, ne per sapientiam ad versutias seculi trahamur. Lac autem simplicitatis & munditiæ concupiscamus, non torpentes, sed in candore innocentiæ perseuerantes. De Abraham enim in Genesi legimus, quod Angelis apposuit butyrum & lac, & vitulum quem coxerat. Non solùm enim Angeli, sed ipse Dominus his ferculis delectatur. Butyrum enim pingue est citò liquescens, & raucedinem tollit, per quod pinguedo charitatis designatur, quæ facilè liquescit per compassionem. Raucedinẽ tollit per peccatorũ confessionem & diuinam laudem: de hoc butyro beatus Iob ait: Quis mihi det, vt sim secũdum dies pristinos, quando lauabam pedes meos butyro, id est, mentis affectus pinguedine charitatis. Lac autem cordis munditiam, vel spiritus significat mansuetudinem. Vitulus de armento, opera bona de sanctorum Patrum exemplis. Concupiscamus insuper lac diuinæ gratię cum butyro charitatis. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac: vinum iocunditatis & lætitiæ, & lac diuinæ gratiæ: de quo legimus in libro Regum, quod Dauid pugnaturus contra Goliam, quinque limpidissimos lapides misit in peram, in vase, scilicet, quo mulgetur lac. Lapides in peram mittere, est legem Moysi coniungere legi gratiæ & legi Euangelicæ. Per lac enim gratia designatur. Limpidi sunt quinque libri Moysi, sine admixtione falsitatis. Concupiscamus etiam lac doctrinæ, de quo dicitur: Mel & lac sub lingua tua. In lacte autem doctrinæ seu scripturæ diuinæ, est serum historiæ, caseus allegoricæ, butyrum anagogæ & tropologiæ. Concupiscamus prætereà lac nitidæ famæ propter proximos, de quo dicitur in Threnis: Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Candidiores niue, per innocentiam: nitidiores lacte, per bonam famam: rubicundiores ebore antiquo, per charitatis ardorem. Concupiscamus insuper lac humanitatis Christi, & vitæ æternæ: de quo dicitur: Dabo vobis terram lacte & melle manantem. Melle, scilicet, diuinitatis, & lacte humanitatis Christi. Qui autem facit mortale peccatum, lac eius conuertitur in venenũ. Venialia autẽ peccata, licèt lactis puritatẽ tollere videantur, lactis tamen substantiã non destruunt, sed colatorio indigemus, vt lactis puritatem obseruemus. In lacte autẽ innocentiæ, citò apparet etiam modicum veniale. Sunt autem venialia, vt ait B. Augustinus, quoties in cibo vel in potu plus accipit homo, quàm necesse sit, quoties plus tacet vel loquitur quàm expediat, quoties pauperem importunè petentem exasperat: vel cùm sit corpore sanus, aliis ieiunãtibus, prandere voluerit, aut somno deditus, tardius ad Ecclesiam surgit: quoties, excepto desiderio filiorum, vxorem cognoscit: quoties in carcerem positos tardius requisierit. Si discordes ad concordiam reuocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut vxorem, aut filium, aut seruũ exasperauerit, quàm oportet. Si cui maiori personæ, aut necessitate, aut voluntate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus nimis delicioſa cibaria aut sumptuosa parauerit. Si se in Ecclesia fabulosis & ociosis verbis occupauerit. Si temerè aliquid suspicatus fuerit. Hæc autem prædicta intelligimus esse venialia, quando non placent, nec ex cõsuetudine fieri habent: nam si placuerint, & ex certa scientia in consuetudinẽ vertantur, possumus ex contemptu incurrere mortalia. Ita enim est de Christo, sicut de homine benigno, qui in hospicio suscipitur ab amico suo. Si aliqua incõmoda fuerint in hospicio, vtpotè fumus, vel stilla pluuiæ, vel paruulorũ vagitus, patiẽter sustinet quãdiu viderit hoc hospiti suo displicere. Debemus igitur lac nostrum colatorio cõfessionis diligẽter & frequẽter colare, & non solũ lac candidũ & purũ, sed insuper sine dolo rationabile lac cõcupiscere, hoc est lac gratiæ, lac innocentiæ, lac sinceritatis & sanæ doctrinæ. Huiusmodi autẽ lac rationabile dicitur, quia rationabiles efficit, & rationi consentit, atq; à rationabilibus approbatur. Est enim lac irrationabile & reprobũ, dulcedo, scilicet, carnalis voluptatis: de quo dicitur: Lamiæ nudauerunt mãmas, lactauerunt catulos suos. Diabolus dicitur lamia, quia quasi vultu fœmineo à principio blanditur, sed in bestiã more lamię terminatur. Catulos enim suos sibi, scilicet, cõsentientes, ad finẽ bestialem cõducit. Cuius duæ mammæ sunt pulchritudo & vbertas, vel mundi vanitas & carnis voluptas. Est prętereà lac adulationis, de quo in Parabolis dicitur: Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Est insuper lac acidum & coagulatum, id est, cor malitia induratum. Vnde Psalmus ait: Coagulatum est sicut lac cor eorum. Hoc enim lac coagulatum acescit, & bulliendo eleuatur, maximè postquam butyrum suauitatis & pinguedinem charitatis amisit. Lac enim purum, liquidum, & dulce postquam coagulo & scamonia diaboli corrumpitur, fit turbidũ, spissum & acidum. De quolibet prędicto lacte malo, intelligi potest, quod Isaias ait: Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Et de Abraham legimus, quod magnum fecit conuiuium quando filius eius Isaac ablactatus ad mensãm patris accesit. Et in Exodo Dominus ait: Non coques hœdum in lacte matris suæ. Hœdus est peccator, mater concupiscentia, lac concupiscentiæ suauitas, quod autem in liquido coquitur, dissoluitur: non autem debemus in errore suo peccatorẽ fouere blandiciis, vt dissolutè viuat, sed asperè increpare. Est prætereà lac simplicitatis doctrinę, quã cõcupiscere debẽt, qui adhuc infantes sunt intelligẽtia, & maximè qui de nouo cõuersi sunt ad Dominũ, qui dicũtur infantes seu pueri secundũ tempus cõuersionis ad Dominũ.

*Eccle.28.*

*De bono lacte.*

*Gen.28. De butyro & eius proprietatibus.*

*Iob 29.*

*De lacte munditiæ & simplicitatis.*

*De vitulo. Isa.55.*

*De lacte gratiæ. 1.Reg.17.*

*De lacte doctrinæ & de sero, butyro, & caseo. Cant.4.*

*De lacte nitidæ famæ. Thre.4.*

*De lacte humanitatis Christi. Deut.27.*

*De lacte innocentiæ, & venialibus peccatis.*

*De lacte rationabili.*

*Thren.4. De multiplici lacte malo, & primo de lacte carnalis voluptatis.*

*De lamia & mammis eius.*

*De lacte adulationis, de lacte coagulato. Prouer.1.*

*Isa.28.*

*Gen.21. Exod.23.*

*De lacte simplicis doctrinæ.*

*De infantia nouiter conuersorum.*

Non enim cõputatur in hac ætate gratię, tempus quo mortuus fuerit homo in peccatis. Sed qui heri conuersus est ad Dominum, infans vnius diei dicitur, quia non nisi vno die vixit. Similiter qui per annũ benè vixit, puer duorũ annorũ. Hi igitur pueri, quasi de nouo geniti per gratiam, lac simplicis doctrinæ cõcupiscere debẽt, quia vino subtilioris & profundioris intelligentiæ nec cari possent. Vnde Apost. ait: Lac dedi vobis potũ, nõ escã. Et iterũ: Facti estis, quibus lacte opus est, nõ solido cibo. Et in Gen. dicitur: Dentes eius lacte cãdidiores. Apostoli enim & S. Doctores, qui solidũ cibũ masticare sufficiunt, candidiores dicũtur lacte, id est, antiquorũ simplicitate. Sicut enim panis de mensa traiicitur per matris mamillã, vt sic perueniat ad paruũ infantẽ, alimentũ, ita Christus cũ esset panis Angelorum, verbum in principio apud Deũ, vt panẽ Angelorum manducaret homo, factus est quasi lac puerorum. Quia verbum caro factum est, vt per carnem panis cœlestis trãsiret ad infantes, vt qui capere nõ poterant, in principio erat verbum, caperent lac doctrinæ facilioris, scilicet, verbum caro factum est, & habitauit in nobis. De hoc autem lacte, & de hac infantia simplicis intelligentiæ possumus prędicta verba B. Petri intelligere. Vnde ipse ait: Lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, vt scilicet, tandem postquam ampliori intelligẽtia profeceritis, solidum cibum capere valeatis, ante tempus siquidẽ nõ debet ablactari infans. Vnde Dominus in Euang. Multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modò. Talibus enim qui nondũ dentes habent, vt solidũ possint capere cibum, melius est vt suggãt lac, id est, simplicia fidei rudimenta, donec crescãt & prouehãtur ad maiora. Vnde sicut ad literã triplex ablactatio ante iuuentutẽ assignatur à lacte, scilicet, matris, anno tertio: à lacte infantię anno septimo: à lacte pueritię, anno duodecimo. Ita spiritualiter potest assignari in anima, secundum quod crescit in Domino, & proficit intelligẽdo. Secundũ hunc triplicẽ statũ Salomõ tres edidit libros, quasi tria fercula, tribus hominũ generibus apponẽs: Prouerbia, in quibus parulis tenuẽ potũ propinat: Ecclesiasten, in quo proficiẽtibus cibum tenerũ, quasi paruis ministrat ex farina & lacte: Cantica canticorũ, in quibus perfectis & robustis cibũ solidum administrat. In primo docet qualiter temporalibus licitè vti valeamus. In secundo, vt caduca & temporalia cõtemnamus. In tertio docet, vt Deo per amorẽ inhęrentes, cœlestibus desiderio & cõtemplatione intendamus. De lactis enim simplicis doctrinæ, quæ pertinet ad paruulos, dicitur in Psal. Sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea, quasi diceret: Si nõ humiliter sentiebã, ita mihi cõtingat, sicut paruulus adhuc incumbẽs super matre sua, & indigẽs foueri sinu matris suæ, si fuerit ablactatus, perit & malè est ei, id est, si fuerit ante tempus à matris lacte separatus. Obstringit ergo se maledicto sub cõditione. Sic enim dicere solemus, quando de causa nostra benè confidimus. Sicut autẽ quinq; tempora notãtur in carnali procreatione & alimone, ita & in spirituali: priùs enim concipimur in vtero, deinde ibidem alimur, donec in lucem edamur, deinde manibus matris gestamur, & lacte nutrimur quousque ablactati ad mensam patris accedamus. Primum ergo tempus est in vtero conceptionis: secundum in vtero alimonis: tertium ab vtero emissionis: quartum lactationis & portationis: quintum ablactationis. Ita in vtero matris Ecclesiæ: primò concipimur, dum fidei rudimentis instruimur, deinde quasi in vtero eiusdem alimur, dum in eisdem primordiis proficimus: postmodum in lucem edimur, dum per baptismum regeneramur. Tunc autem plenè formatus est puer, & omnia membra habet, quando nullis Sacramentis, quæ necessaria sunt ad salutem, caret. Deinde quasi manibus Ecclesiæ portamur, & lacte nutrimur, dum post Baptismum in bonis operibus informamur, & lacte simplicis doctrinæ proficiendo nutrimur, donec iam grandiusculi à lacte matris accedamus ad mensam patris, id est, à simplici doctrina, qua prædicatur verbum caro factum est, accedamus ad verbũ in principio apud Deum est. Inde est quod Abraham nõ in natiuitate Isaac, non in circumcisione, sed in ablactatione magnũ conuiuiũ legimus fecisse. Hæc quinq; tempora quondam obseruabantur plenius in sancta Ecclesia, quãdo baptizabantur adulti de gentilitate conuersi. In quarta enim feria quartæ hebdomadæ, militiæ Christianæ vocabantur, vt per exorcismos & catechismos rudimentis fidei imbuerẽtur. Deinde vsq; ad Sabbatũ sanctum, quasi in vtero Ecclesiæ alebantur, & tunc per baptismũ ad lucẽ generabantur. Deinde quasi manibus Ecclesiæ gestabantur, & lacte nutriebantur vsq; ad Pentecosten. Quo tempore nulla difficilia indicebantur, nõ ieiunabant, non media nocte surgebant, quia soror nostra adhuc parula erat, & vbera non habebat, ideoq; paulatim nutrienda, postea spiritu paracleto confirmati, quasi ablatati incipiunt ieiunare, & alia difficilia seruare. Quandiu igitur paruuli sumus, sub alis matris nostræ commoremur & foueamur. Miluus enim infernalis pullis insidiatur. Vnde Ieremias in persona Ecclesiæ, de paruulis, quos diabolus rapit, conqueritur, dicens: Comedit me, & deuorauit me Rex Babylonis, impleuit ventrẽ meum teneritudine mea. Teneri enim paruuli, dum non lac, sed venenum concupiscunt, dum nutriti in croceis amplexantur stercora temporalium, à diabolo absorbentur & deuorantur, & vsque in infernum ęgeruntur. Diabolus enim pro virili sua procurat, ne flores incipientium ad fructum maturitatis perueniant. Econtrà Dominus, floribus incipientium valde delectatur. Verus enim Isaac libenter vescitur hœdis, id est, delectatur in nouis militibus suis, qui de nouo conuersi sunt ad ipsum, sicut ipse per Micheam Prophetam ait: Ficus præcoquas desiderauit anima mea, id est, immaturas, quæ incipiunt dulcescere, per quas incipientes intelliguntur. De quibus ipse per Isaiam ait: Ad vbera portabimini, & super genua blandietur vobis. Dominus enim paruulos amplexatur & blan-

1. Cor. 3. Heb. 5. Gen. 49.

De infantia simplicis intelligentiæ.

Ioan. 16. Cant. 1.

De triplici ablactatione.

De triplici statu, & tribus libris Salomonis.

De quinque temporibus procreationis, & nutritiuæ.

Gen. 21.

Cant. 8.

De miluo infernali. Ierem. 51. Thre. 4.

De flore incipientium Deo seruire. Gen. 27. Mich. 7.

& blanditur eis. Vnde per Isaiam ait: Sicut mater consolatur filios suos, ita & ego consolabor vos. Ipse enim quasi gallina congregat pullos suos sub alis, & quasi aquila super eos volitans, prouocat ad volandum. Et iterum per Isaiam ait: Audite hęc domus Iacob, & residuum domus Israël, qui portamini à meo vtero. Qui in hoc vtero pugnant, maledicti sunt cum Esau, de quibus in Canticis dicitur: Filij matris meæ pugnauerunt cõtra me. Aliquando autem cõminatur & verberat. Sicut mater aliquod terribile filio suo ostendit, vt timeat, & ad ipsam cõfugiat. Ita Dominus cõminatur nobis futurum iudicium & pœnas inferni, & terret nos infirmitatibus & variis tribulationibus, vt ad ipsum fugiamus. Dominus enim filios suos in præcipitium mortis festinãtes, ita misericorditer reuocat, sicut paruulo delinquẽti mater irata, si eum in præceps ire perceperit, accurrit, manum tendit, iræ oblita, pietate plena. Vnde ipse Dominus per Osee dicit: Ego nutritius Effraim, in brachio meo portabo eos. Nutrix siquidem inclinat se in cineres versus infantulum, & Dominus inclinauit cœlos, & ad nostram descendit miseriam. Nutrix vocem mutat, quasi balbutiens & semiplenè loquitur. Vnde beatus Gregorius: Ad paruitatem nostram diuinus sermo se contrahit, sicut pater cùm loquitur filio suo, vt ab eo possit intelligi, sponte balbutit. In brachiis autem in cruce expansis portauit hæc nutrix nos, velut mater parriendo anxia, educando sollicita, custodiendo diligens, & in amore feruens. In brachiis autem portatur onus, quod diligitur, grauia autem onera in humeris portantur. Onerosi enim erant Domino Iudæi reprobi, de quibus ipse ait: Laboraui sustinens. Et per Ieremiam ait: Vos estis onus meum, ego quidem proiiciam vos. Nutrit igitur Dominus filios suos, prębens eis lac mansuetudinis, præbens eis duo vbera in exhibitione præsentium bonorum, & in spe futurorum. Vnde per Ozee ait: Lactabo eam, & adducam in solitudinem. Quos autem Dominus lactat & nutrit lacte bono, mundo, dulci & candido, adducit in solitudinem, à lacte malo separando, quod citò corrumpitur, aresçit & coagulatur. Nos igitur tanquã infantes & quasi modò geniti, retineamus calorẽ materni vteri, vt in Christi dilectione simus feruẽtes. Relinquamus patres coruinos, ne pascamur cadaueribus, sed rore cœlestis gratiæ, tanquã pulli coruorũ à Domino nutriamur. Concupiscamus lac simplicioris doctrinæ, vt in eo crescamus. Et post pueritiam efficiamur infantes per profectũ boni operis, iuuenes in patiẽtia laboris, senes in longanimitate expectationis, vt tandẽ perueniamus ad senĩũ in perseuerãtia, & boni operis consummatione. Generat autẽ Dominus infantes in baptismo, vel in cõuersione cuiuslibet ex matre nostra Ecclesia, in die gratiæ. Est enim duplex dies, vetustatis, scilicet, & nouitatis, dies Adã & dies Christi. In primo nascimur filij iræ, in secundo filij gratię. In primo nascimur, in secũdo renascimur. Nascimur ad miseriã & laborẽ, renascimur ad quietẽ & gloriã sempiternã. Prima generatio reprobatur, secũda eligitur. In cuius rei signũ Caim reprobatur, Abel eligitur: sic Ismaël & Isaac, sic Esau & Iacob, sic Saul & Dauid, sic Heli & Samuël, vnus eligitur & alius reprobatur. De bona & secũda generatione dicitur in Isa. Quis genuit mihi istos? Et iterũ: Multi filij desertę magis, quàm eius quæ habet virũ. Sancti etiam dicuntur generare filios. Vnde Apostolus: Filioli mei, quos iterũ parturio. Sed & filios bonorũ operũ sancti generant. De quibus Psal. ait. Vxor tua sicut vitis abundãs in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ. Domus conscientia, latera autem sunt timor, & spes. Cùm enim timor inferius sollicitat, spes sursum erigit, tunc spiritus tanquã maritus ex vxore sensualitate filios generat, & bonis spiritualibus abundat. Filij autem, id est, bona opera, sicut nouellæ oliuarum, & maximè opera misericordiæ. Nouellæ enim oliuarum dicuntur electissimæ. Et opera misericordiæ electissima dicuntur & præcellunt. Oleum enim pascit, vngit, & lucet. Pascit per pauperum refectionem: vngit per compassionem & cõsolationem: lucet per doctrinam & instructionem. Mali etiam generare dicuntur filios reprobos, de quibus dicitur: Ecce parturit iniustitiã, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Concepit enim impius dolorem, appetitũ, scilicet, terrenorũ, per malã voluntatẽ, in quibus est dolor, anxietas & sollicitudo. Parturit iniustitiã, id est, nititur, vt decipiat próximũ, & iniustè agat cõtra ipsum. Et tandẽ iniquitatẽ parit, id est, ad actũ perducit opus malum perpetrãdo, quod per mala desideria nutritur, & ad maturitatẽ per malã consuetudinẽ perducitur. De hac generatione dicit Isa. De radice colubri egredietur regulus, id est, de serpentina & venenosã cõceptione parietur venenosum opus. Mali prętera generãt filios reprobos. Vnde in Euangelio Dominus ait: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui circuitis mare & aridã, vt faciatis vnũ proselitum, & cùm fuerit factus, facitis eum filiũ gehennæ. Diabolus etiã ex meretrice Babylonia generat filios iniquitatis & perditionis. De quibus Dominus in Euangelio: Vos ex patre diabolo estis. Et iterum: Generatio incredula, quamdiu patiar vos, quamdiu ero apud vos. Hos autem filios lactat mater eorum Babylonia duobus vberibus, quæ sunt carnis voluptas, & mundi vanitas. Sicut mater nostra Hierusalem duo vbera nobis præbet. Ex vno lac doctrinæ sanguinẽ, dũ diuinas scripturas corrumpũt, & sacramẽta Ecclesiæ vilipendunt. Babylonia igitur lactat filios suos, sed priùs sicut aquila probat, si intueátur Solẽ, id est, mũdanã prosperitatẽ, quã Christus passione sua obscurauit. De qua B. Iob ait: Si vidi Solem cùm fulgeret. Illos autem abiicit, qui ab hoc Sole oculos auertunt, & Dominus abiectos recipit. Vnde Psalmus: Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Pater meus, id est, diabolus, & mater mea Babylonia. Et iterum Dauid ait: Tibi derelictus est pauper.

*Isa.66.* *Quod aliquando Dominus blanditur matris, aliquando verberat.* *Matth.23.* *Luc.13.* *Deut.32.* *Isa 66.* *Mal.1.* *Gen 25.* *Cant.1.* *De nutrice & eius proprietatibus.* *Osee 11.* *Isa.1.* *Ierem.33.* *Osee 2.* *De multiplici etate, et profectu spirituali.* *De duplici die & duplici generatione.* *Ephes.2.* *Isa.66.* *Isa 54.* *Gal.4.* *De generatione sanctorum.* *De generatione malorum.* *Isa.14.* *Matth.17.* *Ma.9.* *Luc.9.* *Ioan.8.* *De Babylonia & eius vberibus, & de Hierusalẽ ac vberibus eius.* *De aquila.* *Iob 31.*

Ezech.16. Et per Ezechiëlem Dominus ait: Proiecta es super faciem terræ, in die, qua nata es. Et paulò pòst ait: Expandi super te amictum meum. Per hoc ostendens se esse nutricem proiectorum. Propterea enim in cruce nudari voluit, vt ignominiã nostram & turpitudinem velaret. Simus igitur paruuli humilitate, simus pueri puritate & mansuetudine, quasi modò geniti infantes, lac simplicis doctrinæ concupiscamus, vt in eo crescamus, & veluti pueri de elementis ad syllabas,

*De apertione libri, & septẽ signaculis.* & tandem ad dictiones & plurales constructiones proficiendo transeamus. Aperuit enim nobis librum leo de tribu Iuda, soluens signacula septem, vt in eo legere valeamus, & addiscendo proficere. Vnde in Apocalypsi vnus de senioribus ait Ioanni: Ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum & soluere septem signacula eius. Agnus occisus est, sed leo

*Quod Christus dicitur ouis et leo, & de proprietatibus earum. Hebr.5.* vicit. Mactata est ouis, sed tertia die surrexit leo. Christus enim dicitur ouis, agnus, leo. Ouis dicitur, propter innocentiam & mansuetudinem. Ouis enim pelle sua nos vestit. Et Christus exemplis mortuorum, tanquam pellibus nos induit, & lana conuersationis suæ calefacit & munit. Ouis paruulos lacte nutrit, maiores carne pascit. Et Christus minores simplici doctrina nutrit, maiores autem solido cibo reficit. Agnus etiam dicitur Christus, propter simplicitatem & humilitatem. Balat autem agnus, matrem agnoscit, vnde ab agnoscendo dicitur

*Philip.2. Ioan.19.* agnus. Et Christus patrem cognouit obedientia, factus obediens illi vsque ad mortem, matrem autem agnouit cura, vnde illam de cruce commendauit electo, dilectoque discipulo. Discipulos autem agnouit diligentia, pro quibus orauit. Vnde in celebratione Missæ dicitur ter Agnus Dei, ac si dicatur: Agnus Dei, qui agnouisti patrem obedientia. Agnus Dei, qui agnouisti matrem cura. Agnus Dei, qui agnouisti discipulos diligentia, miserere nobis. Dicitur præterea Christus leo, propter potentiam insuperabilem, & quia die tertia more leonis ad rugitum patris surrexit, & ipse rugitu suo bestias, id est, dæmones, perterruit, & quia apertis oculis, sicut leo dormiuit in cruce, id est, viuente & vigilante diuinitate. Adhuc autem dormire videtur, dum dissimulat peccata hominum, propter pœnitentiam, sed apertos habet oculos ad vindictam. Vicit igitur leo de tribu Iuda radix Dauid, id est, Christus mundum vicit & diabolum,

*Quare Christus dicatur radix Dauid.* non residens in equo, sed in patibulo: non manu armata, sed clauis confixa. Christus autem dicitur radix Dauid, id est, sustentamentum. Sicut autem radix procedit ab arbore, & tamen quicquid viriditatis habet arbor, trahit ex radice. Ita Christus secundum humanitatem à Dauid processit, & tamen quicquid boni habuit Dauid à Christo, tanquam à radice contraxit.

*De libro multiplici. Primus liber diuinæ dispositionis, qui scriptus est intus & foris. Apoc.5.* Aperuit autem nobis multiplicem librum, quorum vnus est dispositio diuina de nostra redemptione, & de humani generis liberatione, quem aperuit, dum ea, quæ de ipso scripta erant, impleuit. Hic autem liber scriptus dicitur intus & foris: intus, quia obscurè de his locuti sunt sancti in veteri testamento: foris, quia euidenter expressus est modus redemptionis nostræ in nouo. Christus etiam liber dicitur, cuius vita nostra doctrina. In quo tot scribuntur literæ, quot

*Secũdus liber Christus, & de literis huius libri, & septem eius sigillis.* in eo fuerunt bonorũ operũ exempla, & virtutes, scilicet, charitas, paupertas, humilitas, benignitas, mansuetudo, veritas, castitas, compassio, tribulatio, obedientia, cum aliis, quæ fuerunt in Christo. Hic liber, quasi septem sigillis signatus fuit, id est, septẽ mysteriis, de quibus obscurè locuti sunt Prophetæ: quæ ipse aperuit, dum illa in seipso impleuit, & impleta ostendit. Primum sigillum incarnatio, secundũ natiuitas, tertium passio, quartũ sepultura & descensus ad inferos, quintum resurrectio, sextum in cœlum assumptio, septimũ spiritussancti missio. Dicitur autem

*Matth.3. Mar.1. Luc.3. Ioan.1.* Ioãnes fleuisse in persona antiquorũ Patrum, quibus clausus erat liber iste. Non enim hęc plenè intelligebãt, & de dilatione redemptionis nostræ dolebãt. Nemo enim inuẽtus est in cœlo, vt Angelus, neq; in terra, scilicet, purus homo, neq; subtus terrã, scilicet, animę à corporibus exutę, qui posset hunc librũ aperire, id est, prædicta in se implere, nisi solus Christus. Nec etiã aliquis

*De tertio libro S. Scripturæ, & de literis eius, & de septem sigillis eius. Luc.24. Deut.6. Leuit.19.* ista plenè poterat intelligere. Vnde Ioãnes ait, se indignũ soluere corrigiã calceaméti eius. Dicitur etiam liber sacra scriptura, qui scriptus est intus & foris. Intus, id est, obscurè in veteri testamento. Foris, id est, euidenter, quantum ad nouum testamentũ. Vel potest dici scriptus foris, quantum ad vetus testamentum, in quo forinseca & temporalia promittebãtur ad literam. Intus autem scriptus erat, quantũ ad nouum, in quo spiritualia, & tam interna quàm æterna bona promittuntur. Hic liber septem sigillis, id est, septiformi spiritu signatus est. Hunc librum

*De quarto libro ordinationis Ecclesiæ, de septem eius sigillis.* Christus aperuit, quia sacras scripturas in se impletas ostendit, & discipulis aperuit sensum, vt intelligerẽt scripturas, quas priùs nemo perfectè potuit intelligere. Literæ autẽ huius libri sunt: præcepta, cõsilia, prohibitiones, promissiones, cõminationes, & similia. Literæ huius libri sunt: Diliges Dominum Deum tuum super omnia: diliges proximũ tuum sicut teipsum. Declina à malo & fac bonũ, & similia. Liber etiã dicitur ordinatio Ecclesiæ Dei à tempore resurrectionis

*De apertione primi sigilli, & de equo albo. Apoc.6.* & ascensione Christi in cœlum vsq; ad finem mundi. Cuius septem sigilla persequitur Ioannes in Apocalypsi. Hęc sunt septem temporum mutationes, & septem euentuũ diuersitates, & successiones in Ecclesia Dei. Hæc sigilla quotidie aperiuntur succesiuè, secundũ quod implentur.

*De apertione secundi sigilli, & de equo rufo.* Apertio enim sigillorũ dicitur reuelatio arcanorum seu mysteriorum. In apertione primi sigilli agitur de his, quæ acciderũt in primitiua Ecclesia circa tempora Christi, de ortu, scilicet, & statu primitiuæ Ecclesiæ per baptismum sanctificatæ. Vnde in apertione primi sigilli exiuit equus albus. Hi fuerunt prædicatores sancti, antequam multiplicarentur persecutiones tyrannorum.

*De apertione tertii, & de equo nigro.* Secundũ sigillũ apertũ est in persecutione tyrannorum, in cuius apertione exiuit equus rufus, per quem aperti persecutores & viri sanguinũ intelliguntur. Tertiũ sigillum apertũ est in persecutione

secutione hæreticorũ, in cuius apertione exiit equus niger, per quem peruersitas hæreticorum intelligitur, qui diuinas scripturas peruertunt, & album cõuertunt in nigrum. Quibusdã etiam exterioribus operibus de genere bonorum vitia sua obfuscant, ne simplicibus manifesta fiant. Quartum sigillum apertum est in persecutione falsorum fratrum & hypocritarum, qui carnem suam ad oculos hominum macerant. Vnde in eius apertione exiuit equus pallidus. In apertione quinti sigilli manifestantur ea, quæ sanctorum spiritibus post hanc vitam cõueniunt vsque ad resurrectionem corporum. In cuius apertione clamare dicuntur animę sanctorum sub altari Dei postulantes iudicium, vt, scilicet, boni separentur à malis, & vindictam, id est, malorum punitionem amore iustitiæ. Consentiunt enim Domino in punitione reproborum. Sub altari autem Dei dicuntur esse, propter absconsionem beatitudinis æternæ. Non enim plenè cognoscimus statum earum: vel altare dicitur Christus, sub quo sanctorum animæ esse dicuntur, quia se illi per humilitatem subiiciunt, & sub eius protectione commorantur. Ostenditur autem consolatio eorum, cùm dicitur, quod modicum sustineant, donec impleatur numerus fratrum ipsorũ. Quotidie enim numerus eorũ augetur, & interim dantur eis stolæ candidæ, quod pertinet ad glorificationẽ animarũ, donec in resurrectione corporũ stola duplici exornẽtur. Sexti sigillũ aperietur in persecutione Antichristi. In cuius apertione dicit Ioãnes, quod factus est terræmotus magnus. Tunc enim totus mũdus perturbabitur: Et factus est Sol niger, tanq̃ saccus cilicinus, quia Christus nullis miraculis tunc resplẽdebit. Sancti etiã nigri erũt, prę nimiis tribulationibus, nec apparebit eorũ virtus, nec aliquibus miraculis coruscabũt. Dicitur etiã quod Luna tota facta est sicut sanguis, quia vbiq; patietur Ecclesia, & occidẽtur electi. Quidã autem qui prius splendebãt, subuertentur: vnde dicitur, quod stellæ ceciderũt de cœlo super terrã. Septimũ sigillũ aperietur in his, quæ euenient post mortẽ Antichristi vsq; ad finẽ mundi. Vnde in eius apertione dicitur, quod factũ est silentiũ in cœlo, quasi media hora. Quia postq̃ Dominus interfecerit impiũ Antichristũ spiritu oris sui, pax reddetur Ecclesiæ Dei, & nõ post multò Dominus ad iudiciũ veniet, & idcirco tẽpus illud media hora nuncupatur. Apertio igitur sigillorũ est euidẽtior declaratio in præsenti sacrorũ eloquiorũ, quæ iam in parte à sanctis cognoscũtur. Magis autẽ aperiẽtur per exhibitionẽ euẽtus, postq̃ impleta videbũtur. Solus autẽ Christus hęc sigilla aperire potuit, quia ipse solus hęc ventura præsciuit & prænũtiauit, & cognosci fecit. Sunt præterea alij libri, quos Christus nobis aperuit, dũ literas in eis scriptas nos cõsiderare facit, & in cordibus nostris imprimit. Est enim liber cõscientiæ, de quo dicitur in Daniele: Sedit vetustus dierũ, & libri aperti sunt. In hoc libro scribũtur bonę cogitationes & malæ. Accusatio vel excusatio, seu defensio. Conscientia enim vnũquemq; in iudicio accusabit vel defendet, & excusabit. Est liber vita præsens, in quo scribitur pronitas ruendi, & difficultas resurgẽdi. Liber etiã dicitur cõditio humana, in quo scribitur cõceptio in culpa, in nascẽdo angustia, labor in viuendo, miseria in moriendo. Liber etiam dicuntur ista caduca & mundana, in quo scribitur breuitas, mutabilitas, & vanitas. Liber etiã dicuntur funera mortuorum, & monumenta sepulcrorum, in quo scribitur: Cinis es, & in cinerẽ reuerteris. Et iterum: Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuũ, mihi heri & tibi hodie, sicut dicitur in Ecclesiastico. Liber etiam dicitur vniuersitas creaturarum, in quo scribitur potentia creantis, sapientia ordinãtis & disponentis, bonitas cõseruantis. Liber præterea dicitur Dei prædestinatio, in quo scribitur in præsenti gratia, & in futura gloria. Liber etiam dicitur præscientia diuina, qui dicitur liber mortis, in quo scribitur iniquitas in præsenti, & pœna æterna in futuro. Liber etiam dicuntur sanctorum exempla, in quo scribitur fides, spes, charitas, iustitia, temperantia, fortitudo, & prudentia, longanimitas, perseuerantia, & consimilia. Liber præterea dicitur beata Virgo, de quo dicitur in Isaia: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis. Grandis liber, quia grandia & mirabilia continentur in eo, scilicet, Virgo mater, conceptio sine semine humano & sine culpa, partus sine pœna, & consimilia. Stilo hominis iubetur scribere Propheta, more, scilicet, hominũ, vt intelligi possit. Vnde ipse planè & apertè ait: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. In hoc scribitur integritas, humilitas, simplicitas, sapientia, fides, obedientia, & cõsimilia, quæ in beata Virgine splenduerunt, quę nobis proposita est in exemplum. In his igitur libris reperiuntur infantes & paruuli, vnde imbuantur & informentur: mediocres & prouecti, vnde proficiant & reficiantur: perfecti, vnde delectentur & saginentur. In his igitur libris legere & studere debemus in præsenti, vt tandem in libro vitæ valeamus legere, & cognoscere illum, in quem desiderant Angeli conspicere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui de se ait: Omnes cognoscent me, à maximo vsque ad minimum. Hæc autem est vita æterna, vt cognoscamus Deum Patrem, & quem misit ipse Iesum Christum, & insuper ab vtroque procedentem Spiritum sanctum. Cognitio enim Trinitatis, vita est æternæ beatitudinis, & beatæ æternitatis.

*De apertione quarti sigilli, & de equo pallido.*

*De apertione quinti sigilli, & de animabus clamantibus sub altare.*

*Apoc. 6.*

*De apertione sexti sigilli, et de terræmotu, & Sole nigro & Luna sanguinea, & casu stellarum.*

*De apertione septimi sigilli, & de silentio in cœlo.*

*Apoc. 8.*

*2. Thes. 2.*

*Isa. 11.*

*De quinto libro cõscientiæ & eius literis.*

*Dan. 7.*

*De sexto libro vitæ præsentis, & literis eius.*

*De septimo libro conditionis humanæ, & eius literis.*

*De octauo libro rerum tãdarum, & eius literis.*

*Eccles. 28.*

*De nono libro sepulturæ mortuorum.*

*De decimo libro vniuersitatis creaturarum, & eius literis.*

*De libro prædestinationis.*

*De libro præscientiæ diuinæ.*

*De decimoctauo libro exemplorũ sanctorum, & eius literis.*

*Isa 2.*

*De decimoquarto libro, id est, de beata Virgine, & eius literis.*

*Isa 7.*

*Matth 1.*

*Luc. 1.*

*1. Pet. 1.*

*Ierem. 31.*

*Ioan. 17.*

## EADEM DOMINICA THEMA sumptum de Epistola Ioannis.

*Omne quod natum est ex Deo vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum: fides nostra.*

*1. Ioan. 5.*

PRAEDIXERAT beatus Ioannes, quod mandata Dei grauiâ non ſunt, conſolando infirmos & neophitos, qui de nouo conuerſi ſunt, & quaſi modò geniti infantes, grauia etiam ferre non poſſunt. Multi enim mandata Dei difficilia reputant. Valde enim graue videtur diligere inimicos noſtros, & benefacere his, qui oderũt nos, hoc enim eſt cordi ſuo vim lentiam inferre. Valde etiam difficile videtur carnem ſuam cum vitiis & cõcupiſcentiis crucifigere, & carni ſuę violentiâ inferre, omnibus abrenunciare, abrenunciare ſemetipſum, & tollere crucẽ ſuã, & ſequi crucifixum vſq; ad ſanguinis effuſionem. Valde etiã graue videtur mundum vincere. Quicquid enim in mundo eſt, vt idẽ Ioãnes teſtatur, cõcupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ. Quàm difficilis autẽ ſit pugna cõtra carnẽ, vbi idem vincit & vincitur, patet ex eo quod in Iob de Behemoth dicitur: Virtus eius in lumbis eius. Peccato enim luxuriæ, quod per lumbos intelligitur, multos ſupplantat diabolus. Valde etiam difficile eſt vincere auaritiam & terrenorum cupiditatem. Beatus enim eſt, qui poſt aurum nõ abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hîc, & laudabimus eũ? quaſi diceret: Valde rari ſunt, qui hoc faciant, & valde difficile eſt, nõ ſolùm poſſeſsiones terrenas, ſed & amorem habendi, abnegare. Vnde Dominus in Euãgelio: Diues difficile intrabit in regnũ cœlorũ, quia, ſcilicet, difficile eſt, vt camelus tranſeat per foramen acus. Vnde Dominus ait: Contendite intrare per angustam portã. Et iterũ: Regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vnde cùm diſcipuli dicerent: Quis poterit ſaluus eſſe? dixit eis Ieſus: Apud homines impoſsibile eſt, apud Deũ autem omnia poſsibilia ſunt. Et in Marco Dominus ait: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnũ Dei introibũt. Et iterũ: Filioli mei, quàm difficile eſt cõfidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. Patet igitur quàm difficilis ſit pugna cõtra auaritiã & terrenorum amorem. Similiter & valde difficile eſt vincere ſuperbiã, quę de Angelo diabolum fecit, & ſatanã de cœlo deiecit, quę omnis peccati eſt initiũ, & omne peccatũ comitatur. Quiſquis enim Dei voluntati cõtradicit, & Domini mãdata tranſgreditur cõtra Deũ ſuperbit, & à creatore ſuo cõtumaciter & ſuperbè recedit. Siquidẽ cùm benè pugnaueris, & cuncta ſubacta putaueris, quæ magis infeſtat, vincẽda ſuperbia reſtat. Difficile enim eſt gratiã hominũ & fauorẽ humanũ declinare & laudẽ oblatã reſpuere. Quomodo igitur Ioãnes ait: Mandata Dei grauia nõ eſſe. Reuera valde difficilia ſunt & valde graue eſt onus Euãgelij, nõ habẽtibus humeros, vt illud valeãt portare, fidẽ, ſcilicet, & dilectionẽ. Nõ ſolũ autẽ omnia poſsibilia ſunt credẽti, ſed omnia facilia ſunt diligẽti. Omne enim quod natũ eſt ex Deo, vincit mundũ. Ex Deo autẽ naſcimur per fidẽ, quę per dilectionẽ operatur. Tunc enim naſci ſeu renaſci dicimur, quãdo per baptiſmũ vel per pœnitentiã filij Dei efficimur. Sicut autẽ vnctio docet de omnibus, ita vnctio iuuat in omnibus, & Domini reddit iugum ſuaue ac onus leue. Duæ enim rotæ dilectionis Dei & proximi, quadrigam noſtram facilè trahi faciunt, licèt multum ſit onerata, & onera grauia ferat, quę multi equi ſine his rotis ferre non poſſent. Mandata igitur Dei cum fide & charitate non ſunt grauia. Non enim deorſum trahunt, ſicut impietas, quæ ſedet ſuper talentum. Vnde Dominus per Ezechiẽlem ait: Puriſſimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quaſi oleum adducam. Hæ ſunt aquæ, quæ intrant vſq; ad animam, aquæ, ſcilicet, tribulationum. Flumen autem adducitur tanquam oleum, quia tribulatio valet ad deuotionem & leuigationem. Oleum enim vngit & ſupernatat. Spes inſuper cum fide & charitate, reddit nobis iugum Domini ſuaue ac leue. Viſo enim præmio, animamur in prælio. Quod enim graue eſt in opere, leue fit inſpecta promiſsione, & æterna retributione. Vnde beatus Gregorius: Si attendatur felicitas, quæ ſine tranſitu attingitur, leue fit quod tranſeundo laboratur. Et iterum: Non mala mundi cor frangunt, quod ſpes cœleſtium bonorum roborat. Periculum etiam pugnæ & timor gehennæ, onera noſtra leuia reddunt. Quando enim miles vndique circumuallatur inimicis, & ſpicula caput eius circumuolant, non multum in tali periculo ponderoſitatem clypei attendit, ſed placent ei arma, quibus munitur, licèt ſint ponderoſa. Nihil autem difficile eſſet ad tolerandum, ſi ex corde attenderemus æternos & acerbos inferni cruciatus, ſi ita Deo crederemus, ſicut ſenſui noſtro credimus, dum carbonem ſuccenſum tangimus. Quamuis autem grauis ſit & ponderoſa pugna, non debemus frangi, vel animo fatigari, ſed confidere in illo, qui ait: Confidite, quia ego vici mundum. Sicut enim natus eſt nobis, & mortuus pro nobis, ita mundum vicit nobis. Et idcirco omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum in illo & per illum. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Et iterum: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Et iterum: Sicut palmes non poteſt fructum facere à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Vnde Apoſtolus ait: In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Viuimus in fide, mouemur in ſpe, ſumus in charitate. Viuimus, quia ipſe eſt vita: mouemur, quia ipſe via: ſumus, quia ipſe eſt veritas. Qui igitur non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed & Deo nati ſunt, regenerati in eo per fidem, ſpem, & charitatem, vincunt mundũ. Sicut qui nati ſunt ex Adam, & non renati ex Deo, vincuntur à mundo. Hanc autem de mundo victoriam principaliter Ioannes fidei attribuit, quæ eſt fundamentum aliarum, & ſine qua aliæ ſubſiſtere non poſſunt. Vnde ipſe ait: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Victoria dicitur, quia eſt victoriæ cauſa. Hoc autem intelligendum eſt de fide illa, quæ per dilectionem operatur, quæ, ſcilicet, informata eſt charitate. Alioquin aridà eſt fides & ſterilis ſine charitate, & bonorum operum fructu. Hæc eſt fides dæmonũ, qui cremunt & contremiſcunt. Vnde beatus Gregorius ait: Sicut

*Quibus grauia ſunt Dei mandata, & quibus leuia.*
*1. Pet. 1.*
*De pugna contra carnem.*
*Matth. 5.*
*Gal. 5.*
*De pugna cõtra mundum.*
*Matth. 16.*
*1. Ioan. 2.*
*Iob 40.*
*De pugna contra auaritiã.*
*Eccle. 31.*
*Matth. 19.*
*Mar. 10.*
*Luc. 18.*
*Matth. 7.*
*Luc. 13.*
*Matth. 9.*
*De pugna contra ſuperbiã.*
*Iſa 14.*
*Luc. 10.*
*Eccle. 10.*
*Matth. 9.*
*Gal. 5.*
*Quod mandata Dei leuia ſunt diligenti.*
*Matth. 11.*
*Zach. 5.*
*Ezech. 32.*
*Matth. 11.*
*Quod fides, ſpes, & charitas, onus alleuiant.*
*Timor in periculo, onera reddit leuia.*
*Ioan 16.*
*Ioan 15.*
*Ioan. 10.*
*Ioan. 15.*
*Qui nati ſunt ex Deo per regenerationẽ, Deo adiuuante, armis fidei vincunt mundum.*
*Act. 17.*
*Ioan. 14.*
*Galat. 5.*

Sicut qui est in via, & non incedit ad metam, non peruenit, ita qui nō operatur & credit. Quia fides sine operibus mortua est. Vnde Apostolus ait: Si habuero fidem, ita vt mōtes transferam. Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Illa igitur fides mundi blandimenta contemnit, quæ per dilectionem operatur, & de se non præsumit, sed in Deo sperat & ab ipso auxilium flagitat. Verè enim credit qui sic viuit, quomodo Deus præcipit. Fides enim dicitur, vt fiant dicta. Hæc est fides, qua Deum corde credimus, ore confitemur, opere fidei nostræ testimonium perhibemus. Vnde beatus Iacobus ait: Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Hæc est fides illa, de quo Ioannes in Euangelio: Qui credit in filium, habet vitam æternam. Et Dominus ait: Fides tua te saluum fecit. Hæc fides quæ per dilectionem operatur, non est ociosa. Qui enim diligit regem, nō negligit eius legem, qui bona præcipit operari, & mundum prohibet diligi. Et ita fides huiusmodi est victoria, quæ vincit mundum, quæ nec prosperitate mundi inaniter extollitur, nec aduersitate frāgitur, vnde iaspadi comparatur. Iaspis enim viridis est coloris & phantasmata expellit. Et fides quæ benè operando viret, vicit mundum, expellendo phantasmata vitiorum somniorum, & caduca atque transitoria contemnendo. Hæc est fides qua credimus in Deum. Siquidem credere in Deum est, credendo in eum tendere, ipsi, scilicet, per dilectionem adhærendo. In Deum igitur credimus, quando per fidem Deo incorporamur, quando, scilicet, veritati, qua Deum percipimus, acquiescimus, ipsius vtique amore non rationis virtute, quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Deum autem credere, est credere ipsum esse: Deo autem credere, est credere esse vera quæ dicit. Dicitur fides multipliciter, fides, scilicet, qua credimus in Deum, fides, qua credimus Deum, fides, qua credimus Deo. Dicitur prēterea, non solum qua credimus, sed insuper fides quā credimus. Hæc est collectio articulorum, de qua dicitur: Hæc est fides catholica, quā nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit, absque dubio inæternum peribit. Et iterum: Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem, id est, omnes fidei articulos, qui nos ad credendum arctāt. Similiter & fidelis multipliciter dicitur. Dicitur enim quis fidelis à fide virtute, quę formata est charitate, iuxta illud: Misericordias Dauid fidelis. Hæc fides reputata est Abrahæ ad iustitiam. Secundum hoc qui operibus Deum negant, infideles dicuntur. Dicitur præterea homo fidelis participatione sacramentorum, secundum hoc paruulus dicitur fidelis, & etiam adultus fictè accedens ad baptismum. Dicitur prætereà fidelis, ratione comprehensionis articulorum, quibus homo acquiescit. Secundum hoc quilibet malus Christianus potest appellari fidelis. Quarto modo dicitur homo fidelis, cui bene credi potest, hoc modo paganus potest dici fidelis, qui non decipit aliquem verbis suis. Secundum hoc igitur homo fidelis in verbis, fidelis in promissis, fidelis in commissis, fidelis in agendis: qui mandata Domini sui fideliter exequitur, sicut scriptum est: Fidelis seruus & prudēs, quem cōstituit Dominus super familiam suam, Secundum hoc fides dicitur honesti pacti executio, scilicet, vt fiant dicta. Vnde religiosus dicitur fidelis, qui pactum baptismi conseruat, & quod Deo promisit, adimplet. Pactio autem baptismi dicitur mutua sponsio Dei, scilicet, spondentis vitam æternam obedienti animæ, & hominis spondentis obedientiam Deo remuneratori. Fides autem Christi, qua homo dicitur christianus, dicitur spontanea perceptio veritatis rerum inuisibilium, ad religionem pertinentium cum assensu. Spontanea dicitur, quia fides non est rationi subiecta, nec per causas potest probari, sic enim non esset fides, sed scientia. Religio autem dicitur debiti finis rectitudo, si causam ad Deum dirigit, religiosus est. Secundum hoc fides ab Apostolo describitur, cùm ait: Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, id est, quæ facit in nobis subsistere res sperandas, nunc in spe, tandem in re. Hæc sunt bona æterna, quæ in nobis subsistere dicuntur, modò per spem, in futuro per experientiam. Dicitur etiam substantia rerum sperandarum, quia subsistit sperandis, tanquam fundamentum totius ædificij. Argumentum autem siue conuictio non apparentium dicitur, id est, præmonstratio & certitudo rerum, quæ non apparent. Dicitur etiam argumentum, id est, probatio non apparentium, quia si fides est, ex eo conuincitur aliqua esse non apparentia, cum fides non sit nisi de non apparentibus. Thomas enim vidit & credidit. Aliud tamen vidit, scilicet, humanitatem, aliud credidit, scilicet, humanitati cōiunctam diuinitatem. Vnde ipse ait: Dominus meus & Deus meus: Sine fide autem res sperandæ in nobis esse non possunt. Quæ enim non credimus, non speramus. Quæ autem non credimus, nec speramus, nec diligimus. Et ita non quærimus ea, nec inuenimus. Ex quo patet quod sine fide non est salus, nec vita æterna: quoniā qui nō credit, non quęrit: qui nō quærit, non inuenit: & qui non inueniet, non intelliget vel cognoscet, & ita vita æterna carebit. Hęc est enim vita æterna, vt cognoscant ipsum verum Deum, & quem ipse misit, Iesum Christum. Fide enim cor mundatur, sicut scriptum est: Fide mundans corda eorum. Et anima illuminatur, vt Christi beneficia cognoscat, & ingratus non existat tanto benefactori, qui natus est vt renascetur: conuersatus est inter homines, vt vitam nostram exemplo reformaret, & docendo instrueret. Mortuus est, vt mortem nostram destrueret. Resurrexit, vt vitam nostram repararet. Ascendit ad cœlos, vt nobis locum præpararet, & desideria nostra sursum traheret. Misit spiritum sanctum, vt in hoc exilio nos illuminando & calefaciendo roboraret, & confirmaret in bono. Venturus ad iudicium, vt suos remuneret, reprobos autem puniat & condemnet. Oportet igitur ad salutem, vt hæc prædicta credamus, ne de tantis beneficiis ingrati simus. Vnde &

*1. Cor. 13.*

*De fide per dilectionem operante.*

*Iacob. 2. Ioan. 3. Matth. 10. Luc. 17. Gal. 5.*

*Isaiæ 54.*

*Quid sit credere in Deū, credere Deū, & credere Deo.*

*Quod fides multipliciter dicitur.*

*Quod homo multipliciter dicitur fidelis. Isaiæ 55. Gene. 15. 1. Tim. 3.*

*Descriptio fidei.*

*Descriptio religionis.*

*Descriptio fidei secundum Apostolum & descriptionis expositio.*

*Ioan. 20. Heb. 11.*

*Quod sine fide non est salus.*

*Ioan. 17. Actuum 15.*

*De articulis fidei.*

*De multiplici fide.*

articulos appellamus, eò quòd ad credendum arctemur. Fides autem articulorum tollit ingratitudinem, & inuitat ad amorem. Fides mandatorum gignit obedientiam. Fides promissorum patientiam. Fides sacramentorum prudentiam. Valet enim ad institutionem nostram, vt per ea, quæ visibiliter fiunt exterius, de inuisibilis gratiæ effectu instruamur interius, dum corporaliter cernimus inuisibilis gratiæ visibile signum. Non solum igitur necessaria est nobis fides articulorum, mandatorum, promissorum, sed insuper fides sacramentorum, qua septem Ecclesię sacramenta credimus, quorum primũ est baptismus, qui ingredientes sanctificat. Secundum, cõfirmatio, quæ sanctificatos roborat. Tertiũ, pœnitentia, quæ lapsos releuat. Quartũ, Eucharistia, quæ Christo per vnitatẽ & dilectionẽ incorporat. Quintũ, est ordo clericorũ, qui animam insignit & gratiam augmentat. Sextum, matrimoniũ, quod corporalẽ fornicationẽ vitat. Septimum, extrema vnctio, quæ ad Dei visionem præparat. Hæc sunt septem ostia, quibus ingredimur ad vitã, ex quibus quatuor principalia, quasi quatuor maiores portæ ciuitatis. Porta quidẽ orientalis, est baptismus. Porta aquilonaris, pœnitentia. Porta australis, Eucharistia. Porta occidentalis, vnctio extrema. Ante reuelationẽ autem gratiæ, quando nondum in omnem terram exierat sonus Apostolorum, minores in fide maiorum saluabãtur, qui fidei eorũ innitebantur. Quia asinæ pascebãtur iuxta boues. Vnde & fides Chananeę magna dicta est, cõstantia, scilicet, & deuotione. Non quia omnes articulos vel sacramenta tunc crederet. Tempore autem gratię, postquã vbiq; prædicauerũt Apostoli omnes articulos fidei, qui in symbolo cõtinentur, credere oportèt. Et magna dicitur fides, nõ solùm deuotione, sed articulorũ, & eorum, quę ad Deum pertinent, cognitione & firmitate seu radicatione, & per vniuersum mundum diffusione. Sine fide autem mediatoris nunquam alicui fuit salus. Licèt enim simplices non crederent explicitè incarnationem, & alios articulos redemptionis nostrę, implicitè tamẽ crediderunt, dũ fidei maiorum, quibus hæc reuelauit Deus, innitebantur. Fuit enim variatio circa fidẽ secundum diuersã tempora. Ab Abel enim vsq; ad Abraham regula sacrificij communis fuit omnibus fideliter viuentibus. Ab Abraham vsque ad Christum regula circuncisionis. Tempore autem gratiæ regula baptismi. Omni autẽ tempore necessaria fuit fides explicita, qua creditur vnũ esse Deum, auctorem omnium, remuneratorem bonorum, & punitorem malorum. Vnde Apost. ad Hebræos ait: Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Sanctissiquidem priores imperitorum multitudinẽ per causam timoris induxerunt in cultũ vnius Dei. Quo timore fideliter intellexerunt, penes omnium rerũ authorem esse potestatem, temporalis miseriæ peccatoribus inferendæ, & præsentis fœlicitatis suis cultoribus conferendæ. Propterea à theos, quod est timor, deductum est hoc nomen Deus, qualicunq; ab humanis ad diuina proportione. Cùm enim timor sit quidam affectus naturalis, quo animus humanus se illi subdit, penes quem putat esse nocendi, & salutis potestatem, id est, quod in hac potestate cæteris excellentius arbitratus est, Deum appellare consueuit. Tempore verò gratiæ timore & amore dirigitur oculus ad æternam miseriam, & fœlicitatem æternam. Fides verò trinitatis ante tempus gratiæ non fuit reuelata, nisi Prophetis & maioribus sanctis. Populo autem rudi licebat tunc trinitatem fideliter ignorare, & alios fidei Christi articulos, dummodo nulla credenda discrederent, nec contraria credendis crederent, sed fidei maiorum inniterentur. Vnde Magdalena in die resurrectionis nondum credebat explicitè filium esse patri æqualem. Et idcirco Dominus dixit ei: Noli me tangere. Nondũ enim ascendi ad patrem meũ, id est, in corde tuo, nondum per fidem ascendi ad patris ęqualitatem. Tempore autem gratię, fides incarnationis non potuit meritoriè haberi, nisi fides trinitatis antè reuelata Prophetis exponeretur iam redemptis. Fide namq; mediatoris credimus filium Dei patris de spiritu sancto esse conceptum. Postquam autem prædicatio vbiq; terrarum claruit, oportuit fidei articulos explicitè credere. Propterea in maiori symbolo dicitur: Hæc est fides catholica, quam nisi quisq; integram, inuiolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternum peribit. Differt autem fides à fidei intelligentia, siue expositione. Simplices enim idiotę percipiunt veritatẽ, sed non veritatis expositionẽ. Similiter rudes fidem habent omnium articulorum, sed non fidei expositionem. Sapiẽtes autem fidei expositionem habent, continentem tam humanas rationes vbi admittuntur, quã diuinas, vbi humanæ nõ admittuntur. Vnde in Salomõ dicit: Collũ tuũ sicut turris Dauid cum propugnaculis suis. Intelligentiã & expositionẽ fidei propugnacula appellat. vnde B. Augustinus ait: Oportet animã christianã intelligere fidẽ, & maximè Doctores & Prædicatores Ecclesiæ, vt habeãt, in quo prosint benè credẽtibus, & malè credẽtibus resistãt. Et Petrus ait: Parati semper ad satisfactionẽ omni poscẽti vos rationẽ de ea, quę in vobis est, fide & spe. Licèt autẽ per causas nõ possit fides probari, ex cõsequentibus tamẽ signis, & ex similitudinibus & miraculis potest plenius intelligi. Dicitur tamẽ quod fides nõ habet meritũ, cui humana ratio præbet experimentũ, id est, si per causas probaretur, meritũ fidei euacuaretur, vel humanæ rationis experimentũ dicit cognitionem, quam habemus per humani sensus experientiã. Fides præterea nõ habet meritũ, cui sola humana ratio præbet experimentum. Fides enim nõ subiacet humanæ rationi, sed est supra rationem humanam. Patet igitur quod simplicibus sufficit simpliciter credere fidei articulos in symbolo expressos. Maiores autem non solum fidem, sed & fidei expositionem habere debent. Vnde Apostoli primo propter simplices symbolum fidei, simpliciter tradiderunt, quasi rudes lapides in fundamento ponentes. Dicitur autem symbolum Apostolorum, quia vnusquisque partem

*De differentia inter fidẽ & fidei intelligentiam.*

*1. Pet. 3.*

*De symbolo Apostolorũ, & quis Apostolus quam partem apposuerit.*

*De septem ostiis & quatuor principalibus portis. Ezech. 48.*

*Iob 1. Quod fides magna dicitur multipliciter. Matth. 15. Mar. 7.*

*De fidei variatione secundum varietatẽ temporum.*

*Hebr. 11.*

partem suam apposuit. Petrus ait: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Andreas ait: Et in Iesum Christum filium eius, vnicum Dominum nostrum. Iacobus ait: Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Ioannes ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Philippus ait: Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomęus ait: Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Thomas ait: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Matthæus ait: Credo in spiritum sanctum. Iacobus ait: Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Simon ait: Remissionem peccatorum. Thadæus ait: Carnis resurrectionem. Mathias ait: Vitã æternam. Prius igitur quàm à se inuicem separarentur, Apostoli per vniuersum mundum Christi fidem prædicaturi, vt vniformis esset eorum prædicatio, symbolum composuerunt, & fidei fundamenta vno spiritu iecerunt, constituentes terminos, quos non licet transgredi vel præterire. Hoc autem symbolum sancti patres in Nicæna synodo exposuerunt in illo symbolo, quod in Ecclesia cantatur, scilicet, Credo in vnum Deum. Postmodum verò per varias hæreses Athanasius adhuc plenius exposuit in maiori symbolo, quod sic incipit. Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicam fidem. Simplices autem huiusmodi expositionem fideliter possunt ignorare, dummodo articulos principales credant, & sanctorum expositioni non dissentiant. Ex prædictis autem manifestum est, quod fides catholica circa quinq; principaliter versatur, scilicet, circa diuinitatem, vt credamus de Deo quod ab æterno est, & præsens omni creaturæ, quod vnus tantum est Deus, quod trinus & vnus, & consimilia, quæ pertinent ad diuinitatem. Versatur præterea circa diuinam potentiam, vt credamus quod omnia fecit, & quod omnipotens est, & nihil potest resistere eius voluntati. Versatur etiam circa eius sapientiam & benignitatem, quantum ad opera redemptionis & recreationis nostræ, scilicet, circa incarnationem, natiuitatem, passionem, descensum ad inferos, sepulturam, & resurrectionem, ascensionem, & spiritussancti missionem. Versatur etiam circa comminationes, & promissiones, quantum ad pœnam æternam, & æternæ vitæ remunerationem, & aduẽtum eius ad iudicium. Attenditur præterea circa mandata & prohibitiones, aliter enim Dei præcepta non implemus, nisi præcipienti fidem adhibeamus. Verè autem in Deum credit, qui veritati, qua Deum & præcepta ad Deum pertinentia percipit, ipsius veritatis amore acquiescit, vt ipse solus, quem speramus, sit nostræ credulitatis finis. Et hæc est fides informata charitate, de qua in Ecclesiastico dicitur. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, id est, in fide & charitate. In fide, scilicet, quæ per dilectionem operatur. Hæc est igitur fides, de qua beatus Ioannes ait: Hæc est victoria quę vincit mundum fides nostra. Non solùm autem mundum, sed & ipsum mundi principem fide vincit miles Christi, omnia tela ignea diaboli scuto fidei repellens. Sed & seipsum fidei virtute vincit homo, vt dominetur carni suæ per patientiam. Valdè autem difficilis est pugna, vbi idem vincit & vincitur, non tamen secundum idem. Fides autem tanquam princeps potentissimus multa habet victoriæ suæ adminicula. Miles eius est spiritus, equus est corpus, frænum temperantia, calcaria timor & desideriũ, lorica iustitiæ, balteus castitatis, galea spei, gladius verbi Dei, scutum charitatis & patientiæ, lancea orationis, quæ sursum dirigitur, arcus sacræ scripturæ, sagittæ exempla sanctorum, & diuinarum scripturarum sententiæ. Et generaliter quot sunt in anima virtutes, tot habet fides in pugna, qua vincit mundum commilitones. Non solùm enim passer inuenit sibi domum, id est, Christus ascendendo in cœlum, sed & turtur, id est, Ecclesia, per hanc victoriam reperit sibi nidum, id est, pacatissimam fidei quietem tribuit, in qua crescentes filios, quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora euolent, charitatis gremio fouet & calefacit. Hæc autem mundi victoria specialiter habetur, per fidem mediatoris & redemptoris nostri, qua credimus ipsum esse verum Deum & hominem. De diuinitate autem eius certum habemus testimonium per patrem & filium, & spiritum sanctum. Tres enim sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, verbum, & spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Et ita dissentire non possunt. Pater enim perhibuit testimonium diuinitatis, voce delapsa, huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Ipse filius perhibuit testimonium diuinitatis suæ, cùm ait: Ego & pater vnum sumus. Et iterum: Ego principium, qui & loquor vobis. Non solum autem verbo, sed opere testimonium maiestatis, & diuinitatis Christo perhibuit, in transfiguratione, in miraculorum operatione, in resurrectione, & ad patris dexteram ascensione. Spiritus etiam sanctus, qui de ipso locutus est, per Prophetas testimonium perhibet de ipsius diuinitate. Vnde per Isaiam ait: Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis. Et quando in specie columbæ super eum descendit, & quando ipso Christo, sicut promiserat illum mittente corda discipulorum repleuit. Igitur spiritus sanctus testificatur, quoniam Christus est veritas, id est, verus Dei filius, qui de se ait: Ego sum via, veritas, & vita. Licèt enim passus sit vt homo, habet tamen testimonium à spiritu sancto, in specie columbę apparẽte, & in specie ignis misso, & qui in sanctis doctoribus & Prophetis locutus est, quod ipse est veritas, id est verus Deus & verus homo, non phãtasma sicut blasphemãt Manichæi. Si igitur testimonium hominum accipimus in causis, & controuersiis & in diuinis scripturis, testimonium Dei maius est. Homines enim mentiri possunt, & decipere atque decipi, Deus autem nec fallere potest, nec falli. Magnum est testimonium Dauid, dicentis: Dixit Dominus Domino meo, id est, pater filio, sede à dextris meis. Et iterum: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego

*Para. 22. Iob 14.*

*Quod fides catholica circa quinque consistit.*

*Hesier. 13.*

*Quid est verè credere in Deum. Eccle. 45. Gal. 5. 1. Ioan. 5.*

*Quod fides vincit nõ solũ mundum, sed & carnem et diabolum. De coadiutoribus in pugnã & armis. Ephe. 6.*

*De testimonio diuinitatis Christi, & de testibus. 1. Pet. 1. Ioan. 10. Ioan. 8.*

*Isaiæ 9. Matth. 3. Ioan. 14. Expositio literæ. Actuum 2.*

*Matth.3. Mar.1. Luc.3. Ioan.1. 2.Pet.1.*

tu,ego hodie genui te. Magnum est testimonium præcursoris dicentis: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed maius est testimonium patris mittentis spiritum de cœlis, & dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Nullum autem testimonium pro pheratum adeo fuit euidens. Et ita qui credit in filium, habet testimonium Dei in se, id est, qui sic credit in filium, quod bene operando tendat in ipsum, securè potest credere cum tanto teste, quia Deus testis est fidei suæ, & de eo sic credente testatur, quod erit in numero filiorum Dei, ipso filio promittente. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cœlis. Non solùm autem testes diuinitatis suæ, sed insuper humanitatis habet Christus. Tres enim sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus, id est, humana anima, quam emisit in passione. Aqua & sanguis quæ fluxerunt de latere, & insuper sanguis, quem emisit per passionem, & etiam sanguis, quē emisit per sudorem. Quæ omnia fieri nō possent, si non haberet veram carnem. Venit enim per aquam & sanguinem Iesus Christus, nō in aqua tantum, sed in aqua & sanguine. Venit per aquam baptismi & sanguinem passionis. Venit, id est, visibiliter mundo apparuit, per aquam purificationis, abluens peccata nostra, & per sanguinem redemptionis, quo nos à morte redemit, & vitæ ianuam aperuit. Inefficax enim esset baptismus, nisi sanguine passionis rubricatus. Testimonium etiam perhibuit, quantum nos dilexerit spiritus, quem pro nobis in morte tradidit, vel spiritus sanctus, quem nobis de cœlo in terram misit, & aqua non solum lateris, sed aqua lachrymarum dum pro nobis fleuit. Sanguis etiam quem pro nobis fudit in circuncisione, in sudore, quando etiā ligatus & flagellatus fuit, & quando spinea corona coronatus, quando clauis in cruce confixus fuit, & tandem in lateris apertione. Hæc sunt signa certa & aperta testimonia maximæ dilectionis. Dicunt autem aliquando amici singulares, vellem pro vobis posuisse de sanguine meo, vt vobis istud non accidisset. Sed fortè duas vel tres guttas pro amicis suis effunderent. Christus autem non fictus, sed verus amicus noster totum sanguinem suum pro nobis fudit. Spiritum etiam suum pro nobis dedit, vt nos redimeret. Sudauit pro nobis, vt nos à febri liberaret: vitā suam dedit, vt nos saluaret & à morte redimeret. Magnum ergo fuit signum dilectionis. Res enim quæ emitur magis amatur, quàm pretium quod pro illa datur. Propterea Propheta ait: Et copiosa apud eum redemptio. Sufficeret enim ad redemptionem nostram, vel vna modica gutta, sed data est copia sanguinis, vt in beneficij redundatione clarescceret virtus diligentis: Et nos quid retribuemus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Nónne dedecus esset tibi, si vicinus tuus semper pro te faceret, & tu nihil faceres pro illo? Reddamus ergo ei animam pro anima, id est, sanguinem pro sanguine, aquam pro aqua, vt lachrymas pro peccatis nostris effundamus, & pro ipso animas nostras ponere, & sanguinem nostrum effundere parati simus. Dant ergo testimonium dilectionis, spiritus, aqua, & sanguis. Dant etiam testimonium veræ humanitatis. In quibusdam autem codicibus inuenitur: Et hi tres vnum sunt, vnione, scilicet, non vnitate, id est, ad vnum sunt sacramentum. Vnum sunt non eiusdem substantiæ, sed eiusdem mysterij operatione. Spiritus enim mentem renouat. Aqua proficit ad lauacrum. Sanguis spectat ad præmium, vno subtracto, non est baptismi sacramentum. Sic igitur verè testes in baptismo sunt spiritus sanctificationis, aqua ablutionis, & sanguis redemptionis. Patet igitur ex iam dictis, quod fides nostra vincit mundum. Non tamen virtute nostra, sed virtute eius, qui ait: Confidite, quia ego vici mundum. Omnis enim victoria ab ipso est, & ad ipsum referenda est. Vnde in Apocalypsi Ioannes ait: Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax, & cum iustitia iudicat & pugnat. Oculi autē eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse solus, & vestitus erat veste aspersa sanguine. Et vocabatur nomen eius verbum Dei, & exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis. Cœlum apertum vidit, quia reuelata sunt ei cœlestia & arcana mysteria. Equus albus caro Christi immaculata, portans verbum Dei ad bellum contra diabolum. Et qui sedebat super eum, id est, verbum, quod secundum diuinitatem naturam humanam excellit, vocabatur fidelis, promissa adimplens & verax, quia ipse veritas & veraces facit, & cum iustitia iudicat, reddens vnicuique secundum opera sua. Et pugnat in se, & in membris suis contra diabolum. Oculi eius sicut flamma ignis, id est, dona spiritus sancti, vel dilectio Dei & proximi, quibus vitia comburuntur, & electi illuminantur ad cognitionem, & inflammantur ad dilectionem. Et in capite eius diademata multa, id est, in diuinitate eius, multæ coronæ sanctorum sunt secundum diuersa eorum merita, per quam diuinitatem ipse & sui coronantur, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse, scilicet, Deus homo, vel verbum Dei, quod nemo infidelis intelligit, sed ipse & sui per eum, id est, ipse totus & nemo alius. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, id est, carne passa, quæ in membris occiditur. Et vocatur nomen eius verbum Dei, quia per ipsum pater in mundo innotuit. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum, id est, fideles contra diabolum, & mundum dimicantes imitabantur eum. In equis albis, id est, in operibus sanctis & corporibus mundis, qui ab illicitis refrenantur. Patet igitur ex verbis Ioannis, quod ipse est capitaneus noster, à quo est omnis victoria. Vnde idem Ioannes subiungit, quod ipse calcauit torcular vini furoris, iræ omnipotentis Dei, id est, mortē, quæ ab irato Deo primo homini inflicta est, resurgēs destruxit, vel quia torcular iræ furoris Dei calcauit, quia ipse præmit impios vindicta, quam Dominus quasi furibundus & iratus pro-

*Ioan.12 De testimoniis humanitatis Christi. Matth.27. Ioan.19. Mar.15. Luc. 22.*

*Actuum 2. Heb.5. Luc. 19. Luc. 2. Luc. 22.*

*Quomodo spiritus, aqua & sanguis vnū sunt.*

*Christi virtute fides nostra vincit mundum. Ioan.17. Apoc.19.*

tus propinat eis. Ad ipsum igitur omnis victoria nostra referenda est. Vnde in Apocalypsi dicitur: Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Dignus est accipere virtutem, id est, à peccato immunitatem & diuinitatem secundum quod homo, quia fuit Deus ab æterno. Et sapientiam, id est, omnium rerum cognitionem. Et fortitudinem, quia vicit mundum & diabolum. Et honorem in resurrectione. Et gloriam, id est, impassibilitatem & immortalitatem. Et benedictionem in exaltatione & dilatatione per vniuersum mundum. Hæc sunt signacula septem, quæ ipse aperuit, id est, in vniuerso mundo cognosci fecit, & omnibus fidelibus hæc se habere manifestauit. Sequamur igitur ipsum in equis albis, vt pugnemus contra equos rufos, nigros & pallidos, quos vidit Ioannes in Apocalypsi: Vidit enim quatuor equorum genera, quorum primus albus, lenis & placidus, & qui sedebat super eum, exiuit, vincens vt vinceret, habens coronam lætitiæ & victoriæ, tenens arcum sanctæ prædicationis, vt emittat sagittas potentis acutas, id est, efficaces diuinæ scripturæ sententias. Secundus autem fuit rufus, id est, sanguineus, habens sessorem cum gladio magno ad tollendam pacem de terra, & ad sanguinem martyrum effundendum. Tertius fuit niger, id est, obscurus, habens sessorem hypocrisim cum statera venditionis, & in ea pondus, & pondus duplicitatis. Quartus fuit pallidus extremę mortis proximus, qui sessorem habet mortem & infernum sequentem. Albus igitur tempus pacis. Rufus, tempus persecutionis. Niger, tempus hæreticorum & falsorum fratrum. Pallidus, tempus anitchristi signat. Ecce quantas & quàm difficiles pugnas imminere Christi Ecclesiæ, prædixit Ioannes. Vnde ad consolationem Christi militum, quibus armis obtinere valeant victoriam ostendit, dicens: Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Ex Deo autem nascitur, qui credit in Deum, diligẽdo Deum & proximum. Si igitur habeamus charitatem & fidei constantiam, nihil proficiet inimicus in nobis, & filius iniquitatis nón apponet nocere nobis, sed mundum & omnia mundi pericula Deo auxiliante superabimus sub pedibus nostris satanam conculcando.

*Apoc. 5. De septem sigillis.*

*Apoc. 6. De equis, albis, rufis, nigris, & pallidis.*

*Prouer. 20.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Ioannem.

*Cùm serò esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.* *Ioan. 20.*

FRATRES Charissimi, si iustus in principio sermonis accusator est sui, quantò magis ego peccator accusare me debeo? Qui si voluero me iustificare, os meum condemnabit me. In Leuitico autem præcipitur, vt os leprosi veste contegatur. Vnde lepra peccatorum maculatus loqui vereor. Veruntamen vt verbis B. Iob vtar, si locutus fuero, non quiescet dolor meus. Si autem tacuero, non recedet. Loqui enim vereor, quia indignus. Tacere vereor, quia ad loquendum ex officio obligatus sum. In libro autem Regum legimus quod obsessa Samaria & famis penuria laborante, leprosi quidam bonum nuncium nunciauerunt, dicentes: Hæc dies boni nuncij est, si tacuerimus & noluerimus nunciare, sceleris arguemur. Venerunt igitur & annũciauerunt, quod hostes qui obsederant ciuitatẽ, nocte fugerunt. Et ego licet lepra peccatorum infectus tacere non audeo, quin vobis gaudium magnum annunciem. Hæc enim dies gratiæ, quæ nobis illuxit, maximè postquam Dominus à morte resurrexit, boni nuncij est. In qua Dominus morte superata & deuictis atque fugatis hostibus, qui nos vndique obsederant, non solùm à fame & penuria bonorum spiritualium, sed à morte animæ, & à morte æterna genus humanum liberauit. Et quoniam teste Salomone: qui confidit in corde suo, stultus est, ego non de me, sed de diuina gratia, & de orationibus vestris confido. Dominus enim conuertit ex Basan, id est, ex confusione peccatorum conuertit illos, qui sunt in profundo maris. Facile est enim in oculis eius subito honestare, & ditare pauperem. Ipse enim de cristallo facit buccellas, dum peccatorum gelicidio induratos conuertit vt alios doceant, & buccella verbi Dei reficiant. Sicut ipse per Isaiam ait: Cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquitur & planè. Orate ergo Deum, vt ipse qui aperuit os asinæ ad loquendum peccatis meis non impedientibus, & meritis vestris cooperantibus, hodie aperiat os meum ad ipsius honorem & ædificationem vestram.

*Prouer. 12. Quod leprosus os tegat & non loquatur. Iob. 9. Leuit. 13. Iob 16.*

*Prouer. 28.*

*Eccle. 20.*

Cùm esset serò die illo vna sabbatorum. In die resurrectionis, quæ vna, id est, prima sabbatorum dicitur, postquam Christus Mariæ Magdalene & aliis mulieribus se ostendit, postquam etiam Petro apparuit, & duobus discipulis euntibus in Emaus, cùm nondum alij ipsum resurrexisse crederent, ne in via absorberentur tristitia in vespere, cùm sero esset, clausis ianuis introuit ad illos. In quo facto resurrectionis suæ gloriam, & corporis glorificati subtilitatem ostendit. Sicut enim solis radius per vitream fenestram absque vlla partium diuisione subtilitate sua transit, ita corpori glorificato solidum corpus resistere, vel obstaculũ præstare nequit, Vnde & Christo trãseunte pariẽs non est diuisus. Vbi autem erat pariẽs, erat corpus Christi suo modo. Sicut vbicunque est aliqua pars carbonis igniti, ibidem est ignis, & vbicunque est

*Quod Christus in vespere resurrectionis clausis ianuis ad discipulos introuit. Matth. 28. Luce 24. Marc. 16.*

vitrum,

vitrum, ibi est radius. Si enim Dominus adhuc mortalis & corpulentus clauso virginis vtero exiuit, patet quod iam glorificatus & non corpulentus, quamuis corporeus clausis ostiis intrare potuit. Stola enim corporis glorificati in quatuor principaliter cõsistit, scilicet, in subtilitate, agilitate, claritate, & impassibilitate. Has quatuor dotes glorificati corporis Dominus cũ adhuc esset passibilis & mortalis in se miraculose ostendit. Subtilitatem demõstrauit, quando clauso virginis vtero in natiuitate prodiit. Agilitatem, quando siccis pedibus super aquas ambulauit. Claritatem, quando in monte Thabor transfiguratus est, & eius facies sicut sol resplenduit. Impassibilitatem, quando in cœna corpus suum discipulis manducandum dedit, nec tamẽ dicimus, quod eius corpus tunc esset glorificatum, neq; prædictas proprietates in se assumpsit. Nõ enim depositi ponderositatem, sed in hoc fuit miraculum, quòd cùm esset corpus ponderosum, aquis nõ est submersum. Similiter miraculose egit, quod cùm esset corpulẽtus nõ facto virginitatis sigillo, de matris vtero exiit. Pari modo in cœna non depositi passibilitatem, sed corpus suũ tale dedit, quale erat per naturã passibile, scilicet, & corruptibile. Sed in hoc fuit miraculum, quod passibile manducabatur, nec tamen patiebatur. Claritatem quam ostendit in transfiguratione, in se nõ assumpsit, sed erat in aëre circunfuso. Nisi fortè alicui videatur, quod formã vel colorem proprium Christus nõ reliquit, & tamen alium accidentalem ad tẽpus assumpsit, sicut homo naturaliter rubeus, aliquãdo accidentaliter fit pallidus. Et ita duos videtur habere colores. Plures tamen ex sanctis doctoribus in hoc cõueniunt, quod sicut in corpore Christi quãdo videtur in sacramẽto altaris, nõ est albedo vel rotũditas, sed illæ formæ sunt miraculose ibi sine subiecto vel in aere circunfuso. Ita in transfiguratione Christi claritas illa non fuit in eius corpore quod adhuc mortale erat, necdum gloriam resurrectionis assumpserat, sed apparuit in aëre circunfuso. Postquam autem à mortuis Christus resurrexit, prædictas quatuor proprietates in corpore suo verè glorificato assumpsit, quas etiã Sancti habebunt in gloria, postquã à mortuis surrexerint, sicut in libro Sapientiæ dicitur: Fulgebunt iusti, ecce claritas contra obscuritatem. Tanquã scintillæ in arũdineto, ecce subtilitas contra grositudinem & corpulentiã. Discurrent, ecce agilitas contra ponderositatem. Regnabit Dominus illorum in perpetuum, ecce immortalitas contrà mortalitatem & passibilitatem. Quia Dominus illorum semper regnabit in illis: cuius regni non erit finis. Vnde Apostolus ait: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Vt autem has quatuor proprietates Dominus ostenderet, ait: Fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris eorũ. In sole enim attẽditur claritas: in splendore, Agilitas: in motu, Subtilitas: in vitrei corporis penetratione, Incorruptibilitas, in perpetuitate. Incorruptibilis enim est & non variatur. Patet igitur quod glorificatio corporis in his quatuor dotibus principaliter consistit. Sicut glorificatio animæ principaliter in tribus attenditur, scilicet, in dilectione, delectatione & cognitione, quod Dominus ostendit, cũ ait: Hic est filius meus dilectus. Ecce dilectio: In quo mihi bene cõplacui, ecce delectatio. Ipsum audite: ecce insinuatur cognitio. Si enim quęcunque audiunt à patre quę necessaria erãt ad salutẽ, nota fecit discipulis in via, multo fortius in patria, vbi omnes erunt docibiles Dei, legentes in libro vitæ, cognoscẽtes, sicut cogniti sunt. Resurgent igitur corpora sanctorum cũ prędictis quatuor dotibus, & immutabũtur in melius. Omnes quidẽ resurgemus, sicut scriptũ est. Ad te omnis caro veniet. Sed non omnes immutabimur ad gloriam, scilicet, quod dicit propter reprobos, qui prædictis proprietatibus carebũt. Erunt enim obscuri, põderosi & grosi, corpulenti, passibiles, sed tamen immortales. Desiderabũt enim mortẽ, & fugiet mors ab eis. Resurgent autẽ de morte ad mortem, de simplici morte quam nunc habẽt in anima, ad duplicem mortem animæ, quia induentur sicut diploide confusione sua. Vera autem erit resurrectio corporũ, vbi erit fletus & stridor dentium. Licèt autem aliqua reproborum corpora hic fuerint mutilata, resurgent tamen integra, vt in omnibus membris puniantur, sicut in omnibus deliquerũt. De corporibus tamen reproborum dubium reliquit Augustinus. Vtrum cum suis deformitatibus resurgant, dicens: Nos enim fatigare non debet incerta eorum habitudo, quorũ erit certa damnatio. De corporibus autem saluandorum nulla est fidelibus dubitandi ratio, quòd absq; vlla deformitate resurgent. Vnde B. Augustinus ait: Iudeorũ quippe aliquid ibi non erit. Sed quicquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit. Et iterum ait: Resurgẽt sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, & difficultate, in quibus tãta facilitas, quãta felicitas erit, propter quod & spiritualia dicta sunt, cùm procul dubio corpora sint futura non spiritus. Ex hoc igitur manifestum est, quod qui mẽbris aliquibus carent in hac vita, resurgent cum omni membrorum integritate. Nec tamen ex aliena materia membrum illud reparabitur, quia iam non esset idem corpus, & ita nõ idem homo qui mortuus est, resurgeret, cùm tamen dicat B. Iob. Quem visurus sum ego ipse, & non alius. Et iterum ait: Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorẽ meum. De totali igitur cinere corporis reparabitur corpus integrum. Non enim oportet quod materia vnius partis ad eandem partem reuertatur, sicut quãdo de veteri statua noua efficitur, omnes partes conflantur. Nec oportet quod illud quod prius fuit in vna parte, ad eandem partem reuertatur. Vnde beatus Augustinus ait: Ipsa terrena materies quæ discedente anima sic cadauer, non ita in resurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias iterum species vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde dilapsa sunt, ad eadem partes, vbi fue-

*De quatuor dotibus corporis glorificati.*

*Sap. 3.*

*Matth. 13.*

*Qualia erunt corpora sanctorum in resurrectione.*

*Quod eadem corpora resurgent, & integra sine aliqua diminutione vel deformitate. Iob 19.*

*Quod nõ oportet quod pars ad partẽ eandem reuertatur, sed totum reuertatur, ad totius corporis reparationem.*

vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis redit, quod tam crebra tonsura detraxit, si vnguibus, quod toties excerpsit sectio immoderata, & indecens cogitantibus resurrectionem carnis, & non credentibus occurrit deformitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli igne liquesceret, vel verteretur in puluerem, vel confunderetur in massam, & eam vellet artifex reparare, nihil interesset ad integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret. Ita Deus mirabiliter & ineffabiliter de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius integritatem, vtrum capilli ad capillos redeant, aut vngues ad vngues. Hactenus Augustinus. Ex quibus patet quod non oportet vt materia vnius partis ad eandem partem reuertatur, sed sufficit si totum reuertatur ad totum, id est, ad totius corporis integritatem. Patet etiam ex his verbis, quod ea quæ dilabuntur, & in alias species vertuntur ad corpora, vbi fuerant, reuertentur. Nihil enim peribit, quod sit de veritate humanæ naturæ. Vnde si pars aliqua corporis humani à bestia comedatur in resurrectione, ad hominem, cuius fuit pars, reuertetur. Similiter si homo comedat partem corporis humani, ad corpus id reuertetur. Quod enim in os hominis intrat, in secessum dimittitur, nec est de veritate naturę illius, sed est tantum nutrimentũ eius. Et ita manifestum est quod fœtus abortiui, qui non fuerunt animati, resurgent in parentibus. Qui autem animati fuerunt, cum propriis resurgent corporibus. Partus autem monstruosi in tali dispositione non resurgent, sed in illa quam secundum cursum naturæ habere debuerunt. Probabile autem videtur, quod corpora paruulorum, qui in limbo inferni detinentur, impassibilia resurgent. Nihil enim patiuntur paruuli illi, nisi quia solummodo Dei visione carebunt. De veritate autem humanæ naturæ esse dicitur, quod seminaliter seu materialiter fuit in Adam, quando formatus fuit à Deo. Nihil autem in corporibus nostris resurget, nisi quod ab illo per decisionem deriuatum est. Illud enim fomento seu nutrimento ciborum absq; vlla additione exteriori in se dilatatum & multiplicatum & in tot partes diuisum, quot futuri fuerint filij Adam resurget in illis. Quod autem in os intrat ad nutrimentum, non resurget, sed seorsum in secessum emittetur. Sicut in Euãgelio Dominus ait: Quod in os intrat, in ventrem vadit & in secessum emittitur. Qui autem ex paucis panibus multiplicatis, multos homines pauit, portiunculam illam quæ decisa est ex Adam adeo multiplicat, quod secundum diuersas eius partes in diuersis hominibus resurget. Sicut autem ex vno grano paruissimi seminis arbor magna nascitur. Ita illud quod est de veritate humanæ naturæ multiplicatur, quod post mortem hominis in cinerem reuertitur, ex quo cinere corpus humanum in resurrectione reparabitur. Qui enim de costa mulierem formauit, & virgam aridam modico tempore virescere & frondescere, florere, & fructificare fecit, qui aquam in vinum conuertit, qui de cineribus phœnicem reparat, & ministerio hominum cineres in vitrum commutat, qui omnia de nihilo creauit, eadem potestate de cinere corpora suscitabit. Vnde beatus Gregorius ait: Longè minus est Deo reparare quod fuit, quàm creasse quod non fuit. Et quid mirum si hominem ex puluere reficit, qui simul ex nihilo cuncta creauit. Et iterum ait: In vno grano paruissimi seminis latet tota, quæ nascitura est arboris moles, & in illo paruo grano seminis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis, odorisque magnitudo, vbertas fructuum, viriditas foliorum. Modicum namq; seminis granum non est validum. Vnde ergo processit ligni duritia? Non est asperum, vnde asperitas corticis erupit? Non est saporosum, vnde sapor in fructibus? Olfactu nihil redoler. Vnde odor in fructibus flagrat? Nihil viride ostendit, vnde foliorũ viriditas exiuit. Cuncta ergo simul latent in semine, quæ tamen non simul ex semine prodeunt. Quid igitur mirum si Dominus ossa, neruos, carnes & capillos reducit ex puluere. Hæc sunt verba Gregorij, quibus consonat prophetia Ezechielis dicentis: Hæc dicit Dominus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextẽdam in vobis cutem. Et iterum ait: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris. Et Ioannes in Apocalypsi ait: Mare dedit mortuos suos. Et Apostolus ad Corinthios ait: Quod seminas, non viuificatur nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, id est, quale futurum est, sed nudum granum vtputa tritici aut alicuius cæterorum. Deus autẽ dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Et paulò pòst ait. Sic erit in resurrectione mortuorum, seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Sicut autem Luna singulis mensibus videtur deficere, & tamen plena redit, sic corpora nostra quasi in nihilum redacta perfecta redibunt. Vnde Isaias ait: Resurgent mortui, & resurgent qui erunt in sepulchris. Et Augustinus ait: Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, sed in quemlibet puluerem cinerémve soluatur, in quoslibet halitus auraśque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa conuertatur, in quorumcunque animalium vel hominum cibum, carnemque mutetur, illi animæ puncto temporis Deus reddit, qui illam primitus vt homo fieret, creseceret & viueret, animauit. Et beatus Iob: de hac resurrectione ait: Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Et per Ioëlem Prophetam Dominus ait: Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat & disceptabo cum eis. Et Daniël ait: Multi de his qui dormierunt in puluerem terræ, euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Et Apostolus ait: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, id est, in veritate naturæ

*Quod nihil peribit, quod sit de veritate humanæ naturæ sed id solum resurget.*

*De partu mõstruoso, & de corporibus paruulorũ decedentiũ ante baptismum.*

*Quid sit de veritate humanæ naturæ.*

*Matth. 15. Ioan. 6.*

*Assertio resurrectionis sumpta similitudine ex aliis miraculis & ex naturalibus.*

*Gene. 2. Num. 17. Ioan. 2.*

*Probatio resurrectionis ex diuersis authoritatibus.*

*Ezech. 37.*

*Apoc. 10. 1. Cor. 15.*

*Isaie 26.*

*Iob 14.*

*Ioël. 4. Dan. 12.*

*De clamore & tuba.*

sine

1. Cor. 15. Matth. 25. sine omni diminutione & deformitate. Dabit enim voci suæ vocem virtutis, id est, effectū resuscitandi mortuos. Media autem nocte clamor fiet, id est, ex improuiso. Vox autem illa dicitur ab Apostolo nouissima tuba, quia terribilis erit & manifesta, postquam non erit alia, & quia quasi ad pugnandum veniet. Tuba autem vtimur in bellis. Nomine autem tubæ aliquod euidens & præclarum signum intelligitur, quod vox Archangeli alibi dicitur. Vnde in Ecclesiaste Salomon ait: Consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis, id est, ad-

Eccle 12. Matth. 25. 1. Thes. 4. res oblectatæ blanditiis, adulationibus & cantilenis secularibus obsurdescent & audient. Ite maledicti in ignem æternum. Sancti autem ab hac auditione mala non timebunt. Vnde Apostolus ad Thessalonicenses ait: Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Prius enim resurgēt qui ante iudicium fuerant mortui, & cum illis qui viuentes & nondum mortui post tempestatem antichristi inuenientur, rapientur in aëra & morientur, statim resurrecturi. Et ita quidam prius, & alij posterius resurgent, quod tamen in ictu oculi dicitur fieri, & in momento propter modi-

De ordine & modo resurgendi. cum interuallum. De ætate autem resurgentium Apostolus ad Ephesios ait: quod occurrimus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. In eadē enim ætate mortui resurgent, qua Christus mortuus est & resurrexit. Et ita vna erit ætas resurgētium, scilicet,

De ætate resurgentium & statura. Ephe. 4. ætas iuuentutis. De statura autem corporum nihil ab Apostolo determinatur. Beatus autem Augustinus ait: Nón dicit Apostolus mensuram corporis vel staturę, sed ętatis, quia vnusquisq; suam recipiet mensuram, vel quam habuit in iuuentute, etiam si senex obiit, vel quam fuerat habiturus, si antè defunctus est. Patet igitur quod nō accidit corporibus magnitudo, quam non habuerunt, vel non essent habituri, nec omnes eandem corporis staturam obtinebunt. Sicut enim modica rosa, recens & rubea non iudicatur minus pulchra quàm maior rosa, ita siue minoris siue maioris staturæ fuerint corpora, nihil intererit quantum ad pulchritudinem. Omnia enim erunt pulchra, clara, agilia, impassibilia, & subtilia. Quam subtilitatem Dominus ostendit

Expositio & prosecutio literæ & de pace multiplici. Rom. 1. Rom. 4. dum clausis ostiis ad discipulos intrauit, sicut in Euangelio hodierno dicitur: Stetit autem in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Magnam pacis commendationem ostendit Dominus. Primum enim verbum, quod ad discipulos habuit, fuit annunciatio pacis. Vnde Apostolus Paulus hanc formam salutationis obseruat in Epistolis ferè vbique, dicens: Gratia vobis, & pax à Deo. Gratia, id est, peccatorum remissio, qua gratis iustificatur impius, & fit iustus. Et pax, id est, reconciliatio ad Deum & mentis tranquillitas. Non solum autem semel, sed iterum postquam manus & latus ostendit eis, dicit: Pax vobis. Iteratio enim confirmatio est. Dat enim Dominus pacem super pacem, id est, pacem æternitatis, super pacem pectoris. Tertiò etiam Dominus dixit discipulis: Pax vobis, quoniam octauo die post resurrectionem, Thoma prę sente, iterum apparuit, triplicem nobis pacem commendans. Pacem, scilicet, temporis, pacem pectoris, pacem æternitatis. Pacem temporis, quantum in nobis est cum omnibus habere debemus, vt & cum his, qui oderunt pacem, pacifici simus. Pax verò pectoris duplex est. Vna, quando non habemus conscientiam peccati mortalis, licèt tentationibus impugnemur. Altera, quando post tentationes, quasi superatis hostibus in mentis tranquillitate quiescimus. Pax autem æternitatis in omnimoda tranquillitate, à mundo, scilicet, & carne, & diabolo attenditur. Post pacem autem discipulis oblatam & nunciatam, ait illis. Sicut misit me pater & ego mitto vos. Non enim mitti debent vt pacem aliis annuncient, qui pacem in se non habent. Quomodo autem alios reconciliare Deo dignè poterunt, qui reconciliati non sunt? Oportet enim quod habeat manus mundas, qui tergere vult sordes alienas. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, id est, ad id quod misit me pater, scilicet, ad prædicandum & pressuras sustinendum. Sicut misit me pater, & ego mitto vos, id est, ex charitate mitto vos ad

De insufflatione spiritus sancti & apertione scripturæ. tribulationes, sicut misit me pater, licèt amaret me. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Insufflando signat spiritum sanctum, non patris solius esse spiritum, sed & suum. Flatus enim à flante procedit. Primò aperit sensum vt intelligant scripturas. Deinde insufflat, & dat eis spiritū sanctum, sine quo omnis intellectus vanus est & cassus.

Ioan 4. Luce 24. Bonus est autem omnibus facientibus eum in spiritu & veritate. Aperuit scripturas, & insufflauit, vt haberent legem in corde, & cor in lege. Multi habent legem in corde qui cognoscunt veritatem, sed non habent cor in lege, quia diligunt vanitatem. Portant legem, sed non portantur à lege. Onerati sunt, non adiuti, quia vbi charitas non est, scientia gra-

Ezech. 9. uat, non adiuuat. Ezechiel autem vidit virum habentem atramentarium scriptoris ad renes.

Ierem. 31. Christus enim cordibus fidelium memoriam sui, & legem charitatis imprimit. Vnde per Ieremiam ait: Dabo leges meas in visceribus eorum & in cordibus eorum scribam eas. In die autem Pentecostes, dedit eis iterum spiritum sanctum ad robur & confirmationem eorum. Datus est igitur spiritus sanctus illis in terra, vt diligatur proximus, datus est è cœlo, vt diligatur Deus. Et quoniam Christus ait: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, dicunt hæretici quod nullus, nisi habens spiritum sanctum, peccata remittit. Vnde prælatus malus non ligat vel soluit. Quomodo (inquiunt) absterget sordes alienas, qui manus habet immundas? Præsertim cùm Dominus per Malachiam dicat: Maledicam benedictionibus vestris. Catholica autem tenet Ecclesia quod ma-

Actum 2. Contra hæreticos qui dicūt quod non potest ligare vel soluere qui est in peccatis. Mal. 2. lus sacer-

lus Sacerdos ligare poteſt & abſoluere, non ex vitæ merito, ſed ex officio. Vnde ante paſſionem dedit Dominus authoritatẽ ligandi & ſoluendi ſine inſufflatione, dicens Petro: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Soli autem boni Sacerdotes habent poteſtatem dignè ligandi atque ſoluendi. Malus autem ligat & ſoluit in detrimentum ſuum, non in detrimentum dignè ſuſcipientis Sacramentum. Vnde & Dominus benedictionibus malorum Sacerdotum maledicere dicitur, id eſt, ad malum indignè miniſtrantium Sacramenta, conuertit benedictiones eorum. Propter quod beatus Gregorius ait: Durum eſt, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, Iudex fiat vitæ alienæ. Et in libro Sapientiæ dicitur: Iudicium durum fiet his, qui præſunt. Malus tamen Prælatus peccata dimittit authoritate Eccleſiæ, cuius ipſe miniſter eſt, quæ connectitur charitate, & cui DOMINVS inſufflando, id eſt, inſpirando, Spiritum ſanctum tribuit. Authoritate igitur Domini dicentis: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Et iterum diſcipulis ait: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Quilibet Sacerdos in ſuſceptione ordinis, claues recipit, licèt executionem clauium vel vſum non ſtatim recipiat. Monachus autem quando in Sacerdotem ordinatur, poteſtatem ligandi & ſoluendi recipit, officium tamen non recipit, donec ei concedit Abbas eius, vt confeſsiones audiat, & pœnitentes abſoluat, tunc claues habet in officio, quando verò abſoluit confitentes, habet eas in vſu. Sunt autem duæ claues regni cœlorum: quarum vna dicitur officium diſcernendi inter lepram & lepram. Alia verò eſt officium ligandi & ſoluendi. Licèt autem literatus, qui non eſt Sacerdos, ſciat inter lepram & lepram diſcernere, ſcientia tamen illa non eſt clauis, quia non habet officium diſcernendi, quod eſt annexum ordini. Sacerdos autem idiota, licèt inter lepram & non lepram diſcernere nequeat, officium nihilominus habet diſcernendi. Aliquibus tamen videtur, quod non eſt niſi vna clauis authoritas, ſcilicet, ligandi & ſoluendi. Dicuntur tamen claues pluraliter propter duos vſus illius potentiæ ſeu authoritatis. Scientia autem diſcernendi annexa eſt clauí, vt quaſi per illam clauis teneatur: ſed non eſt clauis, vt dicunt, nam Sacerdos imperitus claues habet, nec tamen habet ſcientiam diſcernendi. Sed quis eſt Sacerdos, qui non habeat aliquantulam ſcientiam diſcernendi? Officium autem diſcernendi omnes habent in habitu, cuiuſmodi officium clauem dicimus, & ita ſunt duæ claues, duplex, ſcilicet, officium: vnum diſcernendi inter lepram & lepram, & inter mundum & immundum: & diſcernendi, qui ligandi ſint & qui ſoluendi. Aliud ligandi & ſoluendi. Ligat autem Sacerdos vno modo, id eſt, ad pœnitentiam iniungendo. Soluit de pœna debita, relaxando: ligat ſuo modo, ſcilicet, excommunicando: ſoluit ſententiam relaxando. Pœna autem Purgatorij ligat DEVS animam, dum in hoc ſeculo ſuam negligit facere pœnitentiam. Sacerdos autem illa pœna neminem ligat, quia animæ in Purgatorio non ſunt de foro eius. Per ſuffragia tamen Eccleſiæ videtur quod huiuſmodi animas poſsit abſoluere, id eſt, citius à pœna ſoluere vel liberare. Solus tamen DEVS propriè illas à pœna ſoluit, poſtquam per ſe vel per ſuffragia aliorum pœnitentiam egerit, & debitum perſoluerit. Pœna autem æterna DEVS & non Sacerdotes animas ligat. Ab illa autem nec DEVS, nec Sacerdos animam abſoluit vel liberat. Homo etiam dum mortaliter peccat, ſeipſum pœnæ æternæ obligat. Quando autem conteritur, DOMINVS pœnam æternam in pœnam temporalem illi commutat. Et ita ab illa pœna videtur animam abſoluere, cuius prior debitor eſt, ſed poſtquam illa pœna ligatur, nunquam à DEO abſoluitur, quia in inferno nulla eſt redemptio vel liberatio. Cùm autem ſolus DEVS peccata remittat his, qui contrito ſunt corde, cuius eſt animam purgare, impium iuſtificare, & peccata non imputare, quomodo Sacerdos dicitur peccata remittere? Teſte enim beato Ambroſio, ſolus DEVS dimittit peccata, qui ſolus pro peccatoribus mortuus eſt. Et Auguſtinus ait: Nemo tollit peccata, niſi ſolus CHRISTVS, qui eſt Agnus Dei, tollens peccata mundi. Qualis eſt igitur hæc poteſtas, quam Deus diſcipulis contulit, dicens: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis peccata, retenta ſunt? Reuera ſolus Deus remittit peccata authoritate, Sacerdos autẽ miniſterio. Abſoluit enim Deus peccatorem propriè, Sacerdos autẽ ſuo modo dicitur abſoluere, quem Deus iam abſoluit, quia approbat in foro ſuo quod Deus remiſit, & oſtendit ipſum eſſe abſolutũ, ſociando illum fidelibus, & recõciliando Eccleſiæ, vt ſit particeps ſuffragiorum Eccleſiæ, & filius ſpiritualis Sacerdotis, qui eum poſt confeſsionem abſoluit. Et iam ab aliis, quantum ad reatum culpę ſibi dimiſſæ accuſari non poteſt, qui ab Eccleſia teſtimonium habet innocentiæ ſuæ, vt iam à caſtris non eiiciatur. Ad ſacerdotem enim pertinet leprosum à Deo curatum in Eccleſiam introducere, & ipſum iudicare curatum, poſtquam oſtendit ſe Sacerdoti, peccata ſua cõfitendo. Qui igitur prius fuerat extra caſtra, miniſterio Sacerdotis reducitur & introducitur in caſtris Eccleſiæ militantis. Vnde Dominus leproſis, quos mundauerat, ait: Ite oſtendite vos Sacerdotibus. Et poſtquam Lazarum ſuſcitauit, ait diſcipulis, vt eum ſoluerent, quaſi diceret: Suſcitatus eſt à me, vos autem ipſum ſuſcitatum & viuentem oſtendite. Patet autem quod multum valet hæc oſtenſio. Sicut qui iudicatus eſt authoritate Regia, & voce Præconis, dignus ſuſpendio nunciatus, ſi Rex poſtmodũ in aula ſua crimen illi dimittat, ad hoc quod plenè abſoluatur, & à populo recipiatur, præpoſitus Regis voce prætonia æditum emittit, quo oſtendat eum abſolutum à Rege, & ideò liberandum à plebe, vt iam

*Matth.16.*

*Sap.6.*

*Ioan.20. De clauibus Eccleſiæ.*

*Deut.17.*

*De ligatione & ſolutione multiplici.*

*Quo ſenſu dicatur peccata dimittere ſacerdos.*

*Matth.9. Mar.2. Luc.5.*

*Leuit.13.*

*Luc.17. Ioan.11.*

*Simile.*

inter ciues liberè recipiatur. Dicitur præterea Sacerdos absoluere, quia absolutionem, quam Deus inchoat, ipse suo ministerio perficit & consummat. Deus enim ita peccatum in contritione remittit, vt pœnitens postmodum confiteatur Sacerdoti. Tunc igitur plena est & rata absolutio, cùm peccatum confessus fuerit. Adhuc igitur obligatus esse videtur, nec plenè absolutus ante confessionem. Tunc autem perficitur absolutio, quando facta confessione, Sacerdos absoluit eum in suo foro. Si autem articulus necessitatis, non contemptus Sacramenti confessionem excludat, summus Sacetdos supplet, quod non est factum ministerio Sacerdotis. Dimittunt igitur Sacerdotes peccata vel retinẽt, dum dimissa à Deo vel retenta iudicant & ostendunt. Ponunt enim Sacerdotes nomen Domini super filios Israël, & ipse benedicit, sicut in libro Numeri Moyses ait. Primò igitur Deus soluit authoritate: secundò, Sacerdos ministerio: tertiò, curia cœlestis approbando. Et idcirco Dominus ait: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Priùs tamen soluitur in cœlo quàm in terra, sed ideo dicitur: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, quia absolutionem Sacerdotis Deus approbat in cœlis, claue tamen non errante: nam si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Sic igitur intelligendum est quod Dominus ait: Quorum remiseritis peccata, id est, quos discretè absolueritis, absolutos iudico & approbo, vel quos dignos remissione iudicabitis, duabus, scilicet, clauibus potestatis & discretionis. Quorum autem retinueritis peccata, id est, non remiseritis per vos vel successores vestros, vel indignos remissione iudicabitis, claue discretionis non errante, retenta sunt, id est, non remittentur in cœlis. Si enim in terra dum viuunt, non remittuntur, post mortem remitti non possunt. Secus autem est de excommunicatione quàm de absolutione peccatorum vel relaxatione pœnitentiæ. Licèt enim iniustè quis à suo Iudice excommunicetur, tenet tamen sententia, & approbat Ecclesia superior, quod teneat. Sed non approbat quod aliquis iniustè ligetur. Quando autem sacerdos ligat, iusta pœna iniungendo discretè pœnitentiam, ligatur & in cœlis per approbationem. Similiter si discretè de pœna relaxat, curia cœlestis approbat. Alioquin si pro denario vno, quem ponit ad fabricam Ecclesiæ medietatem septennalis pœnitentiæ relaxat, vel si pro ieiunio vnius diei ab omni pœna criminalium, quæ commisit, absoluit, non approbatur in curia cœlesti. Sed tam Sacerdos, quàm ille, qui indiscretè putat absoluere, in foueam cadunt. Ille enim residuum pœnitentiæ in Purgatorio supplebit, & Sacerdos pro indiscretione punietur. Si autem absoluit illum, qui indignus est absolutione: & ligat quem ligare non debuit, viuificans animas, quæ non viuunt, & mortificans animas, quæ non moriuntur, tam decipiens quàm deceptus, tam absoluens de facto quàm absolutus, nihilominus obligatur. Quoscunque enim Petri successores absoluunt, secundum meritum vitæ eorum & discretè absoluit Deus in cœlis. Si autem indiscretè absoluũt, ignorans ignorabitur. Teste enim Salomone: Acceptus est Regi minister intelligens. Econtrà de imperitis & indiscretis per Osee dicit Dominus: Quia repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Et in Baruch dicitur: Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam. Huiusmodi enim relaxationes & indulgentiæ ex causa debita, & ab illo qui habet authoritatem seu potestatem, discretè & non passim debent fieri. Et tunc prosunt credentibus & confidentibus in illis, secundum deuotionem illorum & subsidij quantitatem, quando offerunt sine fraude, bona, scilicet, fide, vnusquisque secundum propriam facultatem. Non enim tantum relaxatur diuiti auaro, qui vnum offert denarium, quantum pauperi deuoto, qui cum vidua Euangelica duo ponit minuta in gazophylatio. Sex igitur considerandæ sunt principaliter circa huiusmodi indulgentias. Primum authoritas relaxationis, vt, scilicet, claues habeat & potestatem obligandi Ecclesiam, vt oret specialiter pro his, quibus indulgentia promittitur. Secundum, vt fiant discretè & ex debita causa huiusmodi relaxationes, pro vtilitate, scilicet, communi, & pro offerentium cõmodo. Si enim dicit Prælatus, remitto tibi tertiam partem pœnitẽtiæ: si dederis mimo vel histrioni summam pecuniæ, talis relaxatio nõ approbatur à Deo. Tertium, est fides offerentis, quæ sit informata charitate. Quartum, est quod considerare etiã debemus, quantum ad quantitatẽ relaxationis, deuotio, scilicet, offerentium. Quintum est maioritas vel minoritas subsidij, secundum vniuscuiusq; facultatẽ, sine fraude & debita æstimatione, vt cogitet offerẽs in suo animo quantum prius vellet dedisse pro habenda huiusmodi relaxatione. Sextum est pluralitas & paucitas suffragantiũ. Vnde & summus Pontifex, qui in persona vniuersalis Ecclesiæ obligare se potest, vel Archiẽpiscopus, qui specialem cõfert participationẽ bonorũ, quę fuerit in prouincia tua, maiorem habet relaxandi efficaciam quàm Sacerdos, qui participationẽ bonorũ vnius parochię suffragalibus concedit. Et quia solus Deus nouit deuotionẽ, tam offerentis quàm suffragantiũ, nemo est qui scire possit quanta fiat in talibus relaxatio, nec Angelis Dei, nec ei fuerit reuelatum. Tanta enim potest esse deuotio offerentiũ & quantitas subsidiorũ, quod non solùm tertia pars pœnitentiæ, sicut exprimitur à Prælato, relaxabitur, sed medietas vel etiam tota relaxabitur. Aliquando autem minus deuotè offerentibus, & plus offerre valentibus, minus tertia parte relaxatur. Quo modo igitur Prælatus certam quantitatem quadraginta vel centum dierum audet taxare? Dicimus quod hoc potest facere bona fide, sicut plerunque accidit quod minorẽ iniungit pœnitentiã confitenti, quàm eius peccata exigant, ne nimis oneratus desperet.

*Num.6.*

*Matth.16. Quod absolutionem & ligationem Sacerdotis, Dominus approbat, vbi claues non errat.*

*De relaxationibus quæ fiũt à Prælatis, qualiter intelligi debeant.*

*Prouer.13. Osee 4.*

*Baruch.3.*

*Luc.21. Mar.12. Quod circa relaxationem et indulgentias, sex attendere debemus.*

*Quod Deus approbat, quia facit illud pro confitentis commodo, & tamen peracta pœnitentiæ*

tia illa, licèt sit absolutus confitens in foro Prælati sui, residuum faciet in foro Dei. Ita plerunque accidit, quod qui offert ad fabricam Ecclesiæ, licèt in foro Prælati sui absolutus sit à tertia parte pœnitentiæ, sicut expressum est in literis indulgentiæ, non tamen penitus absolutur à tanta parte, in Purgatorio diminuitur tamen eius pœna, sed certam diminutionis ignoramus quantitatem. Et ita manifestum est, quod prodest ei relaxatio huiusmodi, & idcirco Deus approbat huiusmodi relaxationes in foro suo. Ob hoc dicitur, quod quicquid remittit Prælatus in terra, remittitur in cœlo. Valent enim non solùm ad pœnæ diminutionem, sed ad impetrationem vel augmentum gratiæ, & ad venialium deletionem. Admonendi autem sunt offerentes, vt pœnitentias moderatas, quas facere commodè possunt, non dimittant propter has indulgentias. Tutius autem est Prælatis, vt has relaxationes de illis pœnitentiis faciant, quas infirmitate præpediti vel morte præuenti, pœnitentes perficere in hoc seculo non possunt, & de illis, quas obliuioni tradiderunt, vel etiam de his, quas in mortali peccato fecerunt, alioquin iterari illas oportet: de his etiam quibus secundum multitudinem & qualitatem peccatorum, quo ad DEVM tenentur, quando, scilicet, maior satisfactio quàm exigant peccata eorum, ad cautelam eis iniungitur. Si igitur discretè & claue non errante, Prælati absoluerint vel ligauerint, tunc in eis perficitur, quod Dominus in hodierno Euangelio ait, dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Et id quod quod ait Dominus Petro: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Ex quibus verbis per consequens præcipitur peccatorum confessio, quomodo enim Prælatus absoluet vel ligabit pœnitentem iniungendo pœnitentiam, nisi vulnera sua confitendo ostenderit Medico? Cùm igitur tantam potestatem Dominus Sacerdotibus contulerit, quicunque potestati Prælatorũ resistit, Dei ordinationi resistit. De his enim per Prophetam Osee Dominus ait: Peccata populi mei comedent, id est, deuorabunt & destruent, absoluendo, scilicet, & orando, & bonum exemplum præbendo. Prælati enim, si rectè vixerint, lux sunt mundi, sicut stellæ in firmamento cœli. Hinc ad detrahentes & murmurantes filios Israël, Moyses & Aaron dixerunt: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Vnde in Euangelio Dominus ait: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et rursum per Zachariam: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Inde autem non superbiant Prælati: Cui enim magis committitur, plus ab eo exigitur. Cùm enim crescunt dona, crescunt & rationes donorum. Ideo in Ecclesiastico dicitur: Quantò maior es, humilia te in omnibus. Et iterum: Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex ipsis. Et beatus Gregorius ait: Impatientia semper est amica potestati. Propterea Propheta ait ad pastores: Vos cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Timeant igitur quod scriptum est: Stellæ non luxerunt, & ideo de cœlo ceciderunt. Hæc sunt verba diui Gregorij contra illos, qui potestate sibi concessa abutuntur, quam tradidit illis Dominus, dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Vnde Psalmus ait: Dum discernit Cœlestis Reges super eam, id est, Prælatos super Ecclesiam, niue dealbabuntur in Selmon, quod interpretatur vmbra, propter refrigerium gratiæ, quod præstat Dominus suis Prælatis, niue, id est, candore innocentiæ dealbatis. Cùm autem hæc dixisset Dominus discipulis, Thomas præsens non fuit. Cui cùm dicerent Apostoli: Vidimus Dominum, credere recusauit. Vnde Didymus, id est, geminus seu dubius est appellatus. Nisi, inquit, videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum meam in latus eius, non credam. Non casu, sed diuina dispensatione defuit Thomas, & audita non credidit. Vnde & palpandum se ei DOMINVS præbuit, quia eius dubitatione & facta probatione nulli relinquitur iam dubitare. Post dies autem octo, cùm iterum Iesus intrasset ianuis clausis, & diceret Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Thomas credidit corde & confessus est ore, dicens: Dominus meus & Deus meus. Videbat hominem & tangebat, & super hoc DEVM credidit. Aliud videbat, & aliud credebat. Fides enim est tantùm de his, quæ sensu non apparent. Excedit enim non solùm sensum, sed humanam rationem. Alioquin fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Videbat ergo & tangebat hominem, sed credebat DEVM. Vnde & Dominus ait illi: Quia vidisti me Thoma, credidisti, id est, quia vidisti me hominem, credidisti DEVM. Visus autem generaliter pro quolibet sensu ponitur. Quia me vidisti, id est, ipso experimento sensibiliter cognouisti. Et postmodum DOMINVS fidem Thomę non reprobans, sed fidem aliorum, qui in auditu auris crediderunt, & obierunt magis commendans, ait: Beati qui non viderunt & crediderunt. Quia beatior est iste modus credendi, fides enim est ex auditu, vt ait Apostolus. Auditus autem per verbum Dei, quod Gentes receperunt: non duro nec tardo corde ad credendum, sicut Iudæi, qui multa signa & innumerabilia miracula viderunt, & CHRISTVM præsentialiter audierunt, & prophetias de ipso legerunt, & tamen rebelles fuerunt veritati, & credere noluerunt. Gentes autem Euangelium CHRISTI in auditu auris receperunt, qui tot signa non viderunt quot Iudæi, neque omnia signa, quæ fecit Iesus, audierunt. Vnde Ioannes ait: Multa quidem alia signa fecit IESVS, quæ non sunt scripta in libro hoc, scilicet, præ sui multitudine. Sancti enim Euangelistæ ita scripserunt, quod vnus aliqua signa, & alius alia, & non singuli omnia scripserunt. Neque ab illis omnia, quæ

*Matth.16.*

*De potestate Sacerdotum, & de honore impendendo illis.*
*Rom.13.*
*Osee 4.*
*Gen.1.*
*Dan.12.*
*Exod.16.*
*Luc.10.*
*Zachar.2.*
*Contra superbiam Prælatorum, & cõtra illos, qui potestate & dignitate abutuntur.*
*Eccle.3.*
*Ezech.35.*
*Luc.21.*
*Apoc.6.*

*Prosecutio literæ, & de dubitatione Thomæ.*

*De fide Thomæ postquam palpauit locá vulnerum.*

*Ioan.20.*
*Rom.10.*

*Ioan.20*

*Quod non omnia facta Christi scripserūt S. Euāgelistæ.*

fecit Iesus, scripta sunt. Vnde Apostolus ait, quod Iesus cum clamore valido & lachrymis offerens preces & supplicationes, in omnibus exauditus est. Ipse enim in cruce, quod in nullo Euangelistarum reperimus. Et in actibus Apostolorum dicit Paulus Christum dixisse: Beatius est magis dare quàm accipere, quod nullus Euangelista scripsit. De his etiam quæ fecit in pueritia vsque ad annos duodecim, nullus scripsit. De his autem quæ fecit anno duodecimo, Lucas pauca dicit, scilicet, quomodo ignorantibus Maria & Ioseph, remansit in templo, & quod reuersus Nazareth, erat subditus illis. Extunc autem de his, quæ fecit vsque ad annos triginta, quando, scilicet, baptizatus est, nullus Euangelistarum aliquid scripsit. Sufficiunt enim ad fidem & bonos mores, ea quæ de CHRISTO scripserunt. Vnde Ioannes in hodierno Euangelio ait: Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia CHRISTVS est filius Dei, vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius, quasi dicat: Hæc scripta sunt, vt fides astruatur & vita habeatur. Præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*Heb.5.*
*Act.10.*
*Luc.2.*

## DOMINICA SECVNDA POST PASCHA THEMA DE INTROITV Missæ, ex Psalmo.

*Psalm.32.* *Misericordia Domini plena est terra, verbo Domini cœli firmati sunt.*

*De immensa Christi misericordia, & de multiplicatione in tempore gratiæ.*

CVM sit proprium Deo misereri semper & parcere, misericordia quę est ipse Deus, ineffabilis est & infinita, sicut Deus infinitus est & immensus. Quantus enim est Deus, tanta est eius misericordia, & sicuti Deus mirabilis est & inuariabilis, ita eius misericordia variari non potest. Effectus tamen misericordiæ eius in creaturis maior extitit, postquam pro nobis mortuus est & resurrexit. Copiosa enim fuit eius misericordia, sicut copiosa apud eum fuit redemptio. Rara enim fuit gratia ante tempus gratiæ, & rara misericordia sub lege, respectu eius, quæ fuit postquam venit plenitudo temporis. Paucas enim stillas super Prophetas, & super paucos alios sanctos stillauit Dominus ante Gentium vocationem. Totus enim ferè mundus aridus erat: sicut scriptum est: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Dederat illi Dominus vuluam sine liberis, & vbera arentia. Vnde Osee dicit: Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Postquam autem verbo eius cœli firmati sunt, id est, Apostoli, & dictum est eis: Ite, docete omnes Gentes: Aperuit Dominus cœli catarrhactas, & copiosam misericordiæ suæ pluuiam effudit in vniuersam terram. Aperuit manum suam, & impleuit omne animal benedictione, id est, de vniuersa Gente animales homines, & incultas Gentes in vnam fidem aggregauit. Vnde Micheas ait: Non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est, reuertetur & miserebitur nostri. Et Propheta Dauid ait: Benedixisti Domine, terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Charitas enim quæ diffusa est in cordibus fidelium, operuit multitudinem peccatorum. Beati ergo fuerūt quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata, vt ea iam non videret Dominus ad vindictā, sed gratis dimitteret per ineffabilem eius misericordiā, sicut scriptum est: Pro nihilo, id est, gratis, sine suis meritis saluos faciet illos. Hanc igitur copiosam misericordiam postulabat Isaias, dicens: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. Rorem diuinæ misericordiæ petebat, & vt verbo Domini, id est, Apostoli confirmati, pluerent iustum, prædicando iustum, & fidem eius in vniuerso mundo, vt exuberante misericordia ipsius, pinguescerent speciosa deserti, & in stillicidiis eius lætaretur, germinans genus humanum, & fonte diuinæ misericordiæ vndique irrigaretur. Propterea in hodierno officio dicitur: Misericordia Domini plena est terra. Homines enim & iumenta saluauit Dominus, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam super timentes se, rationales, scilicet, & animales, electos, scilicet, de Iudæis, & Gentes bestiales, sapientes & insipientes, de quibus Apostolus ait: Sapientibus & incipientibus debitor sum. Vnde per Isaiam Dominus ait: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Postquam enim Christus a morte surrexit, vbiq; in vniuerso mundo cœli confirmati in verbo Dei, id est, sapientia patris, prædicauerunt Euangelium, vbiq; Ecclesiæ fundantur, vbique peccata dimittuntur, vbiq; salus annunciatur, ex fonte misericordiæ riui latè patentes, vniuersum mundum irrigauerunt. Et idcirco Psalmus ait: Misericordia Domini plena est terra. Terram autem dicit, non cœlum, quod non indiget misericordia, vbi nulla est miseria. Alibi tamen idem Propheta ait: Domine, in cœlo misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. In cœlo, id est, in his, qui cœlestem ducunt vitam, quorum conuersatio est in cœlis. Et vsque ad nubes, id est, sanctos Doctores, qui vt nubes volant, compluentes terram doctrinis, tonantes minis, & coruscantes miraculis, peruenit veritas Dei, id est, ipse filius & veritas prædicationis Euangelicæ, atque doctrinæ sanæ. Vel in cœlo, id est, in Angelis, dicitur esse misericordia Dei, id est, effectus misericordiæ seu bonitatis diuinæ, qui stantes Angelos aliis cadentibus misericorditer confirmauit, & sanctorum animas ex affluentia misericordiæ suæ, supra merita remunerat. Et hoc etiam modo misericordia DEI est in inferno. Misericorditer enim, id est, minus quàm

*Gal.4.*
*Osee 9.*
*Osee 4.*
*Matth.28.*
*Mich.7.*
*1.Pet.4.*
*Isa.45.*
*Expositio thematis.*
*Rom.1.*
*Isa.54.*
*Philip.3.*
*Isa.4.*

quàm exigant eorum merita damnatos punit. In omnibus enim Dei operibus est iustitia & misericordia: sicut Prophetaait: Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Diligit enim misericordiam & iudicium: vnde misericorditer impios punit, id est, citra merita, & nihilominus illos iustè affligit, quia iustitia exigit, vt reddat retributionem superbis, & vindictam sumat de inimicis. Vniuersæ igitur viæ DOMINI misericordia & veritas. Misericordia peccata donando, vel de pœna debita relaxando. Veritas, id est, rectitudo iustitiæ peccata puniendo. Misericordia enim & veritas obuiauerunt sibi in CHRISTO. Vnde Psalmus ait: Misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Si autem in omnibus viis Domini est misericordia & iustitia, quomodo iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam? sicut in Epistola canonica Iacobus ait. Iudicium, scilicet, fiet sine misericordia saluante, sed non sine misericordia relaxante, quia culpa est, & austeritas nimia totam culpam persequi. Est autem multiplex DEI misericordia, præueniens, scilicet, & concomitans, & subsequens. Præuenientem & subsequentem, id est, imbrem temporaneum & serotinum postulat Ecclesia, cùm dicit orando: Tua nos Domine gratia, id est, gratuita misericordia, & præueniat, & sequatur. Præuenit enim nos diuina misericordia, stans ad ostium & pulsans, quia, vt ait Apostolus, non est volentis nec currentis, sed DEI miserentis. Et iterum ait: Gratia Dei sum id quod sum. Concomitatur nos diuina misericordia, & cooperatur nobiscum. Vnde idem Apostolus ait: Gratia DEI in me vacua non fuit. Et rursus ait: Non autem ego solus, sed gratia DEI mecum. Subsequitur nos misericodia Dei, sicut scriptum est: Et misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Præcedit igitur nos DEI misericordia, gratis iustificando, comitatur auxiliando, & bona in nobis multiplicando & conseruando. Subsequitur bona nostra remunerando. Subsequitur autem nos misericordia Dei, id est, effectus diuinæ misericordiæ, omnibus diebus vitæ nostræ, id est, in æterna vita sine fine. Subsequitur etiam nos, id est, comitatur, adiuuando omnibus diebus præsentis vitæ nostræ, in qua semper indigemus misericordia, quia nunquam vita ista caret miseria. Multipliciter autem præuenit nos misericordia diuina. Vno modo conferendo bona temporalia. Pluit enim super iustos & iniustos, & Solem suum facit oriri super bonos & malos, vt ipsos ad pœnitentiam & gratiarum actionem prouocet, sicut scriptum est: Dedit illis regiones Gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. In hoc etiam quod bona temporalia confert malis, admonet & instruit iustos, vt bona huiusmodi non multum curent, sed alia bona à DEO expectent. Confert autem ea nobis DEVS ad subsidium & remedium, & solatium. Qui autem abutitur illis in superfluis, vertit ea in grauamen, infirmitatem, & tœdium, & medicinam conuertit in venenum. Vnde beatus Iob ait: Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum. Secundo modo præuenit nos misericordia DOMINI, dum ad pœnitentiam nos expectat. Alioquin non fieret salua omnis caro, si statim percuteret peccatores. Si enim iniquitates obseruaueris, & statim punire volueris, DOMINE, quis sustinebit? Dissimulat enim peccata hominum, propter pœnitentiam, sicut in libro Sapientiæ dicitur. Vnde ad Romanos Apostolus ait: Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? id est, te expectat, & ad pœnitentiam inuitat. Ipse enim, vt ait Petrus, patienter agit propter nos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Tertia est misericordia præueniens, dum non sinit nos in grauiora peccata incidere. Quoniam cùm ceciderit iustus, id est, cùm cadere cœperit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam, sicut scriptum est: Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Et Ieremias ait: Misericordiæ Domini, quoniam non sumus consumpti. Quarta misericordia præueniens est, dum DOMINVS auersos vocat, fugientes insequitur, & frequenter repulsus instat, desertores enim desertus appellat, contemnentes contemptus obsecrat. Offensus reis se ingerit, vt ignoscat: Iniuriam passus pacem offert, & ad concordiam inuitat. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Reuertere, reuertere Sunamitis. Vnde Isaias ait: Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audientes verbum post tergum monentis. Hæc via, ambulate in ea, neque ad dexteram neque ad sinistram declinetis. Quinto modo præuenit nos diuina misericordia, flagella & tribulationes immittendo, vt reuertamur ad ipsum, sicut scriptum est: Cùm occideret eos, quærebant eùm. Tempestas enim Ionam fugitiuum ad Deum reduxit. Et filius prodigus fame compulsus ad patrem rediit. Vnde Dominus per Osee ait: Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc. Misericordia enim diuina sæpè subtrahit nobis quod cupimus: insuper & affligit, vt sic ad eum redire cogamur. Ipse enim mortificat & viuificat, percutit & sanat. Vnde filij Israël sæpè pressi malis ad DEVM clamabant, qui suscitabat eis Saluatorem. Spinis igitur, id est, punctionibus dolorum: & maceria, id est, obstaculo difficultatis, & duris laboribus vias nostras, id est, actiones, DOMINVS misericorditer implicat, ne ad id quod illicitè desideramus, perueniamus: & hac necessitate compulsi, dicamus: Quanti mercenarij in domo patris mei

*Quod in omnibus Dei operibus misericordia & iustitia attenduntur.*

*Iacob.2.*

*1.Cor.15.*

*De multiplici misericordia præueniente.*

*Matth.5.*

*De prima misericordia præueniente.*

*Iob 20.*

*De secunda misericordia præueniente.*

*Matth.24.*

*Sapien.11.*

*Rom.2.*

*2.Pet.3.*

*De tertia misericordia præueniente.*

*Thren.3.*

*De quarta misericordia præueniente.*

*Matth.11.*

*Malach.3.*

*Cant.6.*

*Isa.30.*

*De quinta misericordia præueniente.*

*Ionæ 2.*

*Luc.15.*

*Osee 2.*

*1.Reg.2.*

*Iob.5.*

*Iud.3.*

*Luc.15.*

abundant panibus, & ego fame pereo? Vexatio enim dat intellectum, sicut scriptum est: Ad Dominum cùm tribularer, clamaui. Vnde Dominus iterum per Osee ait: In tribulatione manè surgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum. Sexta misericordia præueniens est, qua Dominus peccatores ab inimico, cui se subiecerunt, & cuius serui peccando facti sunt, tuetur ne sæuiat diabolus in eos quantum vellet: alioquin statim ipsos laniaret & perimeret, & in infernum pertraheret. Religatur igitur vrsus infernalis, ne metas sibi præfixas transgredi possit. Vnde Apostolus Corinthium fornicatorem satanæ tradidit, vt eum affligeret, sed non est permissus illum necare, nec ad infernum pertrahere. Et Saul traditus est spiritui maligno, vt ipsum vexaret, non tamen vt occideret. Propterea Dominus de diabolo sub specie maris loquens per Iob, ait: Quis conclusit ostiis mare? Et paulò pòst: Circundedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Hucusque venies & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Mare, id est, diabolus furore turbidus, peccatis fœtidus, pœnis amarus, elatione tumidus, ostiis & vectibus potentiæ diuinæ concluditur, in chamo & fræno maxillæ eius constringuntur, ne quantum cupit insaniendo nobis noceat. Septima misericordia præueniens est, quando peccatori, licet remaneat in peccato mortali, voluntatem & potestatem tribuit faciendi opera bona, id est, de genere bonorum, quæ licèt non sint meritoria vitæ æternæ, interim tamen cessat actualiter à peccato, & minus punietur in inferno, vel in purgatorio, si sit de numero saluandorum. Et per illa opera reddit se magis idoneum ad gratiam percipiendam: propterea Daniël ait Regi Babylonis: Redime eleëmosynis peccata tua. Licèt enim eleëmosynæ eius & opera, quæ faciebat, mortua essent, per illa tamen posset habilitare se ad gratiam recipiendam, qua conuerteretur, & ei peccata dimitterentur. Sicut Cornelius Centurio, licèt infidelis esset, orando & eleëmosynas largiendo, ad gratiam & fidei illuminationem, diuina misericordia ipsum præueniente, sese præparauit: quemadmodum scriptum est: Prætende misericordiam tuam scientibus se, id est, vt sciant & cognoscant te peccatores. Octaua misericordia præueniens est, quando Dominus peccatorem ad se conuertit, gratiam suam illi conferendo, & gratis iustificando. Surgente enim & recedente Aquilone atque Austro flante, fluunt aromata diuinæ misericordiæ, animam misericorditer per gratiam illuminantis. Vnde ad Ephesios Apostolus ait: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Et ad Timotheum ait: Qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta, non solùm secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis. Et ad Titum ait: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia. Sicut enim ipse fecit nos, & non ipsi nos, ita ipse iustificat nos, & non ipsi nos. Melior est enim misericordia eius super vitas. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei, sicut dicit Apostolus ad Romanos: Melior est igitur misericordia Domini super vitas hominum, id est, vita gratiæ super vitas & obseruationes, quantumcunque religiosè & regulariter viuentium. Non enim prosunt de genere bonorum opera vel institutiones regularium sine misericordia & diuina gratia, quæ præuenit merita nostra. Vnde Petrus ait: Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam. Nona autem misericordia præueniens est, qua Dominus gratis proprio sanguine nos redemit. Ipse enim, teste B. Ioanne, prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et ad Romanos Apostolus ait: Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Et iterum ait: Cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus CHRISTVS pro nobis mortuus est. Et ad Ephesios ait: Eramus naturâ filij iræ, Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in CHRISTO, cuius gratia estis saluati. Præuenit igitur nos misericordia sua vocans, & reconcilians sibi inimicos suos. Deus enim erat in CHRISTO mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. Ipse enim gratificauit nos, id est, gratis nos vocauit in dilecto filio suo, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ipse enim factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: sed & discipulos suos misit in vniuerso mundo, prædicantes, & gratis ad fidem vocans. Vnde beatus Iacobus ait: Voluntariè genuit nos verbo veritatis, scilicet, gratis conuertit nos verbo sanctæ prædicationis. Effudit enim spiritum sanctum in Apostolis, mittens eos in vniuersum mundum. Vnde in hodierno officio dicitur in Introitu Missæ: Verbo Dei cœli firmati sunt, id est, Apostoli, qui nos compluunt doctrinis, & seges Ecclesiæ per totum mundum pullulet. Verbo Dei, id est, sapientia Patris, firmati sunt, id est, plenè instituti. Et spiritu oris eius, id est, spiritu filij, qui dicitur os Patris, dato in die Pentecostes: confirmati sunt, vt cum fiducia inter lupos irent, & tantam virtutem acciperent, vt agni lupos vincerent, & de lupis agnos facerent. Dominus enim per prædicationem Apostolorum posuit in thesauris abyssos, id est, valde malos, & tenebris vitiorum obstructos, atque malitia profundos, posuit inter electos suos, per quos alij ditantur. Talis fuit Paulus, qui de abysso factus est thesaurus, & de cristallo buccella pascens alios, & ad fidem vocans, sicut scriptum est: Abyssus abyssum inuocat. Posuit etiam abyssos, id est, Gentes in profunditate vitiorum prius iacentes in thesauris cœlestibus, & de abysis terræ reduxit eos, sicut scriptum

*Isa.28.* *Osee 6.* *De sexta misericordia præueniente.*

*2. Cor.5.* *1. Reg.18.*

*Iob 38.*

*De septima misericordia præueniente.*

*Dan.4.*

*Act.10.*

*De octaua misericordia præueniente.* *Cant.4.* *Ephes.2.* *2. Tim.1.*

*Titum 2.* *Rom.5.*

*Rom.11.*

*1. Pet.1.* *De nona misericordia præueniente.* *1. Ioan.5.* *Rom.5.* *Ephes.2.*

*2. Cor.5.* *Ephes.1.* *Rom 8.* *1. Cor.1.*

*Iacob.1.*

*Expositio thematis.*

*Matth.10.*

scriptum est: viderunt te aquæ Deus, id est, populi cognouerunt te, & turbatæ sunt abyssi, commouisti terram, & conturbasti eam, scilicet, ad pœnitentiam, sanans contritiones eorum. Abyssos etiam, id est, peccatores nigros ponit Dominus in thesauris inferni, de quibus Apostolus ait: Thesaurizas tibi iram in die iræ. Omnia enim quæcunque voluit, Dominus fecit, in cœlo & in terra & in omnibus abyssis. In thesauris etiam scripturarum ponit abyssos, id est, obscuras & profundas sententias, ad probationem & exercitium, congregans sicut in vtre aquas maris, id est, consolidans amaros prius & fluctuantes populos in vnitate fidei, spei, & charitatis infra Ecclesiam, in qua est caro mortua, & spiritus viuens. Congregat igitur, sicut in vtre aquas maris, id est, populos infideles in confessione mortificati populi, ne liberè per vitia defluant. Aqua etiam in vtre amaritudines sunt in corde. Congregat igitur quasi in vtre aquas maris, id est, amaritudines malorum contegit, dum timent pelli suæ, vt non audeant iam apertè sæuire, intus tenentes amaritudines cordis in pelle mortalis carnis. Hæc autem omnia fecit Dominus per cœlos, id est, Apostolos & cœlestes Doctores, quos verbo suo confirmauit, sicut scriptum est: Liquefacta est terra & omnes habitantes in ea, ego confirmaui columnas eius, id est, Apostolos, quibus dictum est: Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Ipsi autem dicuntur columnæ Ecclesiæ & fundamenta, sicut Dauid ait: Fundamenta eius, id est, Ecclesiæ in montibus sanctis. Ad quorum prædicationem liquefacta est terra, id est, gentilitas, quæ prius liquefacta erat, & dissoluta per carnalem concupiscentiam. Liquefacta est, vt dilectus locutus est per gratiam & Spiritus sancti feruore velut cera. Ad humorem enim gratiæ & diuinæ sapientiæ liquefacta est more niuis & salis. Spiritus igitur Domini cœlos ornauit, id est, Apostolos, & confirmauit, vt cœli enarrent gloriam Dei. Annunciauerunt enim cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Priùs autem verbo Domini cœli firmati sunt promissionibus, scilicet, & comminationibus, & præceptis diuinis, quando aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas. Postmodum amplius corroborati sunt in die Pentecostes, quando confirmauit Deus hoc, quod operatus est in illis. Quando omnis virtus eorum, id est, perfecta virtus data est eis, spiritu oris Domini, id est, spiritu Christi. Tunc enim tanquam vasa in clibano cocta, perfecti solidati sunt, adeò, vt Petrus, qui priùs ad vocem ancillæ Christum negauerat, nullis posteà concuteretur terroribus, nec aliquibus cederet comminationibus, nimis enim confortatus est Principatus eorum. Quantò autem aliquid propinquius est centro, id est, Christo, tantò minus est mobile. Quantò verò magis elongatur ab hoc centro, tanto magis variabile & mobile. Vnde Isaias: Impius tanquam mare feruens, quod quiescere non potest. Verbo insuper Domini cœli firmati sunt, id est, per filium confirmati sunt Angeli, & etiam cœli materiales firmiter constituti. Cœlum, scilicet, empireum, de quo in Genesi dicitur: In principio creauit Deus cœlum & terram. Et cœlum sidereum, de quo dicitur: Fiant luminaria in firmamento cœli. Est etiam cœlum sacræ scripturæ, de quo Isaias: Cœlum sicut liber plicabitur. Et Dauid ait: Extendens cœlum sicut pellem. Quia per vniuersum mundum diuina scriptura extenditur ad protectionem tabernaculi: verbum autem Domini scripturas firmauit, eas adimplendo. Homo etiam assumptus cœlũ dicitur, quod in resurrectione confirmatum est, de quo Dominus per Isaiam ait: Cœlum mihi sedes est. Quilibet etiam sancti, quorum conuersatio in cœlis est, dicuntur cœlum, id est, casa helios, domus, scilicet, veri Solis. Et quia celati sunt virtutibus, & in se celant diuina secreta, quibus datum est nosse mysterium regni Dei. Dicuntur præterea cœli propter virtutum eminentiam, & propter abundantis doctrinæ pluuiam, sicut scriptum est: Rorate cœli desuper. Et propter tonitruum comminationum. Vnde Apostolus: Vultis in virga veniam ad vos? Et propter coruscationem miraculorum. Sicut scriptum est: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, & propter splendorem virtutum, sicut in Euangelio dicitur: Vos estis lux mundi. Et propter stelliferam charismatum decorationem, sicut scriptum est: Diuisiones sunt charismatum. Et propter cursus vniformitatem. Vnde in Canticis dicitur: Manus eius tornatiles, id est, sancti, per quos operatur Dominus, expediti & vniformes. Omnes igitur prædicti cœli verbo Domini firmati sunt, & spiritu oris eius, qui, scilicet, procedit ex ore Patris, id est, à filio, omnis virtus eorum, quia nihil à se habent, sed à Deo. Os autem patris dicitur filius, per quem locutus est pater mundo. De quo Isaias: Os Domini ad iracundiam prouocauerunt. Sermo etiam Dei vel visio diuina, dicitur os Domini. Vnde Isaias: Os Domini locutum est. Tertio modo dicitur os Domini diuina sapientia. Et secundum hoc dicitur, quod filij Israël peccauerunt, quia os Domini non consuluerunt: Cùm igitur terra prius esset inanis & vacua, Christo resurgente, & cœlos confirmatos per vniuersum mundum mittente, misericordia eius repleta est terra. Non solùm misericordia præueniente, sed insuper misericordia comitante seu cooperante, dum bona collata in nobis conseruat, conseruata multiplicat & augmentat, dum nos in tentationibus adiuuat, dum nos ad correptionem flagellat, & vsque in finem perseuerantiam præstat, bona collata conseruat, sicut scriptum est: Custodit Dominus omnia ossa eorum, id est, omnes virtutes sanctarum animarum. Et in Psalmo ait: In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Custodita multiplicat, scriptum est enim: In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Et in Euangelio Dominus ait: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert

*Rom. 2.*

*De confirmatione Apostolorum.*

*Cant. 5.*

*Iob 15.*

*Luc. 24.*

*Matth. 28.*

*Isa 57. De multiplicatione cœlo.*

*Genes.*

*Isa. 34.*

*Isa. 66.*

*Quare sancti dicuntur cœli. Philip. 3.*

*Matth. 5.*

*1. Cor. 5.*

*Cant. 5.*

*Quod os Domini multipliciter dicitur.*

*Isa. 61.*

*Isa. 58.*

*Genes. 1.*

*De misericordia comitante, multiplicatione eius effectus.*

*Epist. 1. Ioan. 2.*

fructum multum. Et Apostolus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. In tentationibus nos adiuuat & defendit. Fidelis enim Deus, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus, sed tribuit cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Vnde Psalmus ait: Liberasti nos de affligentibus nos. Et iterum ait: Adiutor in oportunitatibus in tribulatione. Et beatus Iob ait: Feruescere facit quasi ollam profundum maris, & ponet quasi cum vnguenta bulliunt. Vnguenta enim virtutum ex feruore tentationis maiorem reddunt suauitatem odoris. Quomodo enim mater consolatur filios, ita ipse consolatur nos in omnibus tribulationibus nostris. Ad correptionem Dominus misericorditer nos flagellat. Miseretur enim irascendo in præsenti, vt parcat in futuro, sicut scriptum est: Visitabo in virga iniquitates eorum. Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit. Econtrà malis non miseretur, dum eis non irascitur, sicut scriptum est: Non visitabo super filias tuas cùm fuerint fornicatæ. Perseuerantiam in finem præstat: quia cùm diligit Dominus suos in finem, id est, finaliter diligit eos. Ipse enim tunicam talarem facit filio suo Ioseph, id est, cuilibet electo: finalem tribuit perseuerantiam. Ipse etiam cum electis suis est vsque ad consummationem seculi. Et qui incipit in nobis, ipse perficit, sicut scriptū est: Misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Non solùm autem misericordia Domini præuenientè & comitante plena est terra, sed insuper misericordia subsequentè, dum nobis pro temporalibus, æterna retribuit. Hic enim momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, dum nos supra merita remunerat. Mensuram enim bonam, & confertam, & coagitatam dabit in sinum nostrum. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Misericordia enim eius subsequitur nos, pœnam minuendo, sicut scriptum est: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Patet igitur ex prædictis, quod multiplici misericordia Domini plena est terra, & miserationes eius super omnia opera eius. Oleum enim supernatat: quia, vt ait beatus Iacobus, Misericordia superexaltat iudicium. Samaritanus enim noster plus habet olei, quàm vini. Propterea Psalmus ait: Impinguasti in oleo caput meum, id est, Christum, qui caput est Ecclesiæ. Hoc enim oleum de capite nostro non deficit. Ipse enim vnctus est oleo lætitiæ, suauitatis, & misericordiæ, præ consortibus suis. Lecythus autem huius olei nunquam deficit in Ecclesia, sed vasa vacua & corda humilia hoc oleo impleri vetus Eliseus, vt multiplicetur, & liberetur cum filiis vidua paupercula ære alieno oppressa. Hoc autem oleum descendit à capite Christo in barbam, id est, in sanctos Ecclesiæ Prælatos, fortes & strenuos. A barba autem, id est, à sanctis primitiuis, ab Apostolis, scilicet, & aliis, qui fuerunt in primitiua Ecclesia, descendit hoc oleum seu vnguentum misericordiæ in oram vestimenti Christi, id est, in alios sanctos fortes & perfectos. In ora enim vestimentum consummatur superius, & significat sanctos Doctores, quorum prædicatione Christus nos, tanquam vestimentum induit. Non solùm autem in barbam & oram vestimenti, quia vsq; ad electos, qui futuri sunt in fine mūdi extēdetur misericordia Christi. Non enim obliuiscetur misereri Deus. Christus enim quasi oliua speciosa in cāpis, & quasi oliua fructifera in domo Domini exhibet nobis oleū, quo infirmos vngit ad mitigationē, tristes ad exhilarationē, pugiles ad fortitudinē, Reges & Sacerdotes ad dignitatē, vt facies eorū exhilaret in oleo, mulieres ad pulchritudinem. Afferte, inquit Susanna, oleum quo vngar, & smigmata. Hoc oleo tumores sedantur, dolores mitigantur, dura emolliuntur, vulnera consolidantur, cibi condiuntur, lumen lucernæ nutritur, famelici reficiuntur. Hoc oleo vnguntur Cathecumeni ad institutionem, infirmi ad conualescentiam. Quod mixtum cum balsamo Chrisma conficit, quo omnes inunguntur Christiani, vt balsamo boni odoris, aliis exemplum præbeant, & oleo pietatis in proximos opera misericordiæ exerceant. Hoc igitur oleo de quo beatus Iob ait: Petra fundebat mihi riuos olei, repleta est vniuersa terra. A fructu enim frumenti verbi Dei vini fer-uentis charitatis, & olei diuinæ misericordiæ multiplicati sunt fideles in vniuersa terra, postquam venit plenitudo temporis, tempus, scilicet, acceptabile, postquam misit Dominus redemptionem populo suo, postquam Dominus in solitudine Gentilitatis, dedit myrtum & oliuam. Myrtum temperantiæ & oliuam misericordiæ: postquam venit tempus miserendi eius: postquam Gentilitas tanquam oleaster, inserta est in bonam oliuam, & facta est particeps pinguedinis oliuæ: postquam mirificauit Dominus misericordias suas, vt saluos faceret sperantes in se: postquam clamauit ad nos de Seyr, id est, de asperitate & hispiditate, quam sustinuit in cruce, custos ille, qui de nocte vigilat, quia non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Quid clamauit custos ille? Reuertere ad me, quia redemi te. Postquā in cruce dedit sanguinē suum preciū nostrū, in Ecclesia poculū nostrū, in peregrinatione viaticum nostrum. In exitu nostro de Ægypto, conductū & ducem nostrū, in cœlo aduocatū nostrū. Ipse enim melius clamat pro nobis misericordiam, quàm sanguis Abel, qui de terra clamabat vindictam. Propterea ait: Ego occidam, id est, occidi me permittam, & viuere faciam, viuificando mundum per sanguinem meum. De illo enim pietatis fonte, qui de latere Domini nostri crucifixi emanauit, irrigatus est vniuersus mundus, postquam fracto alabastro, impleta est domus vniuersæ Ecclesiæ ex odore vnguēti. De quo Salomon ait: Vnguento & variis odoribus delectatur cor, postquā ad nos extēdit, quasi terebinthus ramos suos obumbrauit nobis: postquā visitauit terram

2. Corinth. 3.
2. Corinth. 10.
Iob 41.
Isa. 66.
2. Corinth. 1.
Osee 4.
Ioan. 13.
Gen 37.
Matth. 28.
De misericordia subsequēte ac multiplici eius effectu.
2. Corinth. 4.
Luc. 6.
Rom. 8.
Apoc. 21.
Iac. 2.
De oleo diuinæ misericordiæ & eius effusione.
Luc. 10.
Colos. 1.
Eccles. 9.
3. Reg. 22.
4. Reg. 3.
Eccle. 24.
De multiplici pactione, & virtute olei.
Dan. 13.
Cant. 3.
Iob 29.
Gal. 4.
De plenitudine temporis & multiplicatione gratiæ & abundātia misericordiæ.
Rom. 11.
Isa. 21.
De multiplici vsu sanguinis Christi.
Hebr. 12.
Deut. 32.

terram per incarnationem, & inebriauit eam dilectione & spiritualis gaudij iocunditate, & multiplicauit locupletare eam bonis spiritualibus, & diuitiis diuersorum charismatum, postquam apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, postquam desponsauit Ecclesiam de gẽtibus cõuersam in fide & misericordia, & miserationibus, sicut in Osee dicitur: Postquam suscepimus misericordiam Dei in medio templi eius, id est, communiter in vniuerso mundo. Postquam teste Isaia deleuit vt nubem iniquitates nostras, & quasi nebulam peccata nostra, & renouauit faciem terræ. Postquam nubecula parua, quasi vestigium hominis vniuersam terram irrigauit, & abstulit siccitatem. Postquam verus Iosue cepit ciuitatem Hay, quæ Chaos interpretatur, & confregit portas inferni, & Rege Hay suspenso, in crucis patibulo captiuam duxit captiuitatem, quam ab inferno ad cœlum leuauit eius misericordia, attingẽs à fine vsque ad finem fortiter. Postquam Petra facta est refugium erinaciis, id est, Christus peccatoribus aculeis peccatorum circundatis. Postquam lepusculus plebs inualida collocauit cubile suum in hac petra, sicut scriptum est propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Ex tunc ergo misericordia Domini plena est terra, & montes stillauerunt dulcedinem, & colles mel & lac. Exiit ex tunc qui seminat seminare semen suum in vniuerso mundo. Descendit enim de monte, & tetigit leprosum mundum, & curauit eum pontifex noster compatiens infirmitatibus nostris. Ex tunc pius pastor ouem errantem propriis humeris reportauit. Venit enim quærere & saluum facere quod perierat. Et pius pater filium prodigum reuertentem recepit: Ex tunc mulier pia, quę tanquam nutrix fouet pullos suos, inclinauit se ad nos, domum proprij corporis euertit, accendit lucernam gratiæ suæ in vniuerso mundo, vt drachmam, quam amiserat, inueniret. Ex tunc filij eius tanquam nouellæ oliuarum oleum gaudij pro luctu receperunt, vt oleum non deficeret de capite eorum, vt caput suum oleo vngerent & faciem lauarent, & quasi adipe & pinguedine repleretur anima eorum. De hoc oleo in Apocalypsi dicitur. Vinum & oleum ne lęseris, id est, vnctos oleo misericordiæ & pietatis, extunc post odorem vnguentorum ipsius totus cucurrit mundus. Verus enim Iacob vnxit lapidem, id est, lapidea gentium corda emolliuit, vt de lapidibus suscitaret filios Abrahæ, vt sugerent de vniuerso mũdo mel de petra, & oleum de saxo durissimo. Tinxit enim in oleo pedem suum, id est, illos qui prædicando per vniuersum mundum ferunt illum. Ex tunc dedit nobis vbera fragrantia vnguentis optimis, & quasi oleum effusum nomen eius. Ex tunc vnguentarius fecit pigmenta suauitatis, & vnctiones confecit suauitatis, sicut in Ecclesiastico dicitur. Hoc vnguento consilio Noëmi vnxit se Ruth, vt accepta esset Booz. Lauare, inquit, Noëmi & vngere. Aliter enim Boos placere non valemus, id est, Deo. Booz enim in quo est fortitudo interpretatur. Ex tunc filij olei vncti sunt amplexantes illum, de quo pater ait: Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Ex tunc computruit iugum à facie olei, sicut Isaias ait. Ex tũc verus Samaritanus oleum & vinum infudit vulneribus nostris: Ex tunc liuor & vulnus & plaga tumens circumligata est & curata medicamine & effota oleo, liuor, scilicet, auaritiæ, miluus luxuriæ, & plaga tumens superbiæ, ligata sunt diuinis præceptis, curata medicamine sacramentorum, & effota oleo misericordiæ diuinæ. Ex tunc virgines prudentes in vniuersa terra sumpserunt oleum in vasis suis cum lãpadibus. Vngamur igitur hoc oleo fratres, vt simus misericordes, sicut & pater noster misericors est. Beati enim misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Miser enim & miserabilis, qui tantæ & tam copiosæ misericordiæ expers erit. Nunc enim tempus est miserendi, postmodum erit tempus furendi, feriendi & irascendi. Sicut autem misericordia præcipua est virtus, quæ adduxit Christum de cęlo in terram, Ita præcipua est virtus, quæ leuat hominem de terra in cœlum. Vnde Dominus de monte Oliueti ascendit in cœlum. Terrena, siquidem seruando amittimus, largiendo seruamus, Patrimonium enim retentum perit, manet autem erogatum. Propterea Salomon ait: Misericordia & veritas non te deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui. Et Dominus per Prophetam Osee ait: Misericordiam volui, & non sacrificium. Opera enim misericordiæ cum laude remunerabuntur in iudicio. Alia autem opera in silentio. Habeamus igitur in vasis nostris oleum purum, non oleum reproborum, nõ oleum carnalis delectationis quod blande ingreditur. De quo scriptum est: Intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius. Neque oleum adulationis de quo dicitur: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et de Effraim Osee dicit: Oleum in Ægyptum ferebat. Malum oleum crudelis misericordia, qua quis parcit peccatoribus, & eos in errore fouet blandiendo & adulando. Neque oleum laudis humanæ & vanæ gloriæ, quod fatuæ virgines voluerunt emere. Neque oleum hæreticorum & meretricum. De quo Salomon ait: Nitidius oleo guttur eius. Sint ergo simul in nobis misericordia & veritas, ne mentiatur opus oliuæ. Sed simus verè misericordes à nobismetipsis, sicut scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Deinde miseremur proximis nostris ignoscendo illis, scriptum est enim: Dimittite & dimittemini, subueniẽdo illis. Scriptũ est enim: Date, & dabitur vobis, corripiẽdo illos, Scriptũ est enim: Corripiet me iustus in misericordia. Intercedẽdo pro illis exẽplo Moysi, qui ait: Aut dimitte illis, aut dele me de libro tuo. Et quoniã misericordia Domini plena est terra, sit cordis nostri terra plena misericordia, per pietatẽ terra oris, per bonæ locutionis suauitatẽ. Dulce enim verbũ multiplicat amicos & mitigat inimicos, terra manus & operis sit plena misericordia, per eleẽmosynarũ eroga-

*Sap. 8. Proner. 30.*
*Ioel 4. Matth. 24. Luce 8. Heb. 4. Luce 15.*
*Isaiæ 61. Eccle. 9. Matth. 6. Apoc. 6. Cant. 1. Gene. 28. Matth. 3. Luce 3. Deut. 32. Cant. 1. Eccle. 38. Rut. 3.*
*Zach. 4. Isaiæ 18. Luce 10.*
*Matth. 25. Luce. 6. Matth. 5. Conclusio vbi inuitat ad misericordiam, & opera misericordiæ. Abacuc 1. Para. 3. Osee 6. Matth. 25. De multiplici oleo malo.*
*Osee 12.*
*Matth. 25. Proner. 3. Abac. 4. Eccle. 30. Luce 6. De multiplici terra, & multiplici misericordia, & varia eius plenitudine. Exod. 32. Eccle. 6.*

erogationem. Simus igitur pleni, non vacui. Non potest autem esse plenus, qui Deum in se non habet, licèt totum mundum habeat. Sed revera vacuus est & inanis, quem non replet Dei gratia & diuina misericordia, sicut domus licèt in se habeat puluerem & testucam, non dicitur plena, sed vacua. Totus autem mundus respectu diuinæ maiestatis est quasi modica festuca seu puluis & palea. Cùm igitur peccator vacuus sit, non est in tetra, quia misericordia Domini plena est terra, nec est in cœlo, scriptum est enim: Domine in cœlo misericordia tua. Relinquitur ergo quod sit in inferno.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Epistola Petri. 1. Petri. 2.

1. Pet. 2.

*Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.*

Isaiæ 53. Quare Dominus pati voluerit.

TRIPLICI ratione principaliter pati & crucifigi voluit Dominus. Passus est, vt nos sanguine suo redimeret. Eius enim liuore, id est, carne facta liuida, per flagella sanati sumus. Vel liuore, id est, zelo, & amore quo nos dilexit. Ipse enim peccata nostra pertulit in corpore suo, super lignum, id est, pœnam pro peccatis nostris, vt pro nobis patri satisfaceret, & pro redemptione nostra seipsum traderet. Secunda ratione, passus est pro nobis, vt nos ad amorem suum aspera sustinendo pro nobis efficatius incitaret. Si enim solo verbo liberasset nos, non dedisset nobis tantam materiam diligendi ipsum, nec nobis tantum dilectionis signum ostenderet. Maiorem enim charitatem nemo habet, id est, maius dilectionis signum, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde Ioannes in Epistola Canonica ait: In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit. Tertia ratione passus est pro nobis Dominus, vt relinqueret nobis exemplum, quatenus quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Non solum igitur pro nobis redimendis, vel pro nobis ad amorem suum incitandis, sed insuper pro nobis suo exemplo imitandis passus est Christus, relinquens nobis exemplum contumeliarum, tribulationum, flagellorum, crucis & mortis. Propterea Petrus ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Quia eius passio nostra est lectio, eius crux nostra instructio. Instruit igitur nos Apostolus, vt gratiam fideiussoris non obliuiscamur, vt ad memoriam reuocemus, quanta pro nobis Dominus pertulerit, vt nos exultemus ei cum tremore, vt, scilicet, in die bonorum, id est, in gaudio resurrectionis, non simus immemores malorum & dolorum, quos pro nobis sustinuit propter inuidiam siue liuorem Iudæorum. Eius enim liuore liberati sumus. Quia propter inuidiam, quam Iudæi de ipso habuerunt, ipsum in bonum nostrum, & in malum suum crucifixerunt. Reliquit igitur nobis exemplum patiendi. Si enim ipse qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, passus est pro nobis, & nos, qui peccatores sumus pro nobismetipsis exēplo eius pati debemus, sequēdo vestigia eius. Vnde Isa. ait: Semita iusti, id est, Christi recta est, rectus callis eius ad ambulandum. Et in Epistola Canonica Petrus ait: Christo igitur passo, & vos eadē cogitatione armamini, vt, scilicet patiēter toleretis aduersa, sicut ipse sustinuit. Eius enim passio nostra est defensio. Eius angustia & patiētia nostra sunt contra persecutores arma. Eius enim exempla reliquiæ sunt homini pacifico. Vnde Apostolus ad Heb. ait: Recogitate enim, qui talē sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionē, vt nō fatigemini animis vestris deficientes. Et Petrus in hodierna Epistola ait: Tradebat autē iudicāti se iustè. Tradebat voluntariè non repugnans, non se defendens, sed sicut agnus coram tondente se obmutuit. Et nos patiēter, & sine murmure tribulationes sustinere debemus exēplo ipsius. Nō est enim seruus maior Domino. Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius. In aliquibus codicibus reperitur, tradebat autem iudicāti se iustè, id est, Deo patri tradebat eos flagellādos & corrigendos, alioquin condemnandos, nisi pēniterent de eius morte. Tradidit igitur Christus nobis exemplum, vt sicut ipse corporaliter mortuus est, & resurrexit. Ita & nos spiritualiter peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Eius enim mors mortificationi nostræ assimilatur, eius resurrectio viuificationi nostræ conformatur. Cùm autem tota eius vita nostra sit doctrina, tota eius conuersatio nostra sit instructio, in quatuor principaliter hodie nos instruit Petrus Apostolus ipsum nos debere imitari. Ipse enim peccatum non fecit. Et nos à peccatis nobis cauemus. Peccatum non fecit, qui tamen omnia fecit. Ex quo patet, quod peccatum nihil est. Non est enim substantia, non est forma, sed magis deformitas seu priuatio debiti finis, quando, scilicet, actiones, quæ à Deo sunt, ad ipsum nō referimus. Peccatum autē quandoq; dicitur vitium, id est, macula animæ seu corruptio, quæ est pœna iusta inflicta à Deo, passio, scilicet, quædam animæ, & illa est à Deo, quia est iusta pœna. Per quę enim quis peccat, per hæc & torquetur. Sicut malus actus inquātum actus est, à Deo est. Non est inuentus dolus in ore eius, quia nec in verbo peccauit. Et nos à dolosa locutione, & mendacio abstineamus. Quia qui custodit os suum, custodit animam suam. Ipse enim cùm malediceretur, non maledicebat. Et nos neminem maledicere debemus, si filij benedictionis esse volumus. Benedicētes autē hęreditabunt terram, maledicentes autem peribunt, teste enim Apostolo: Maledicti regnum Dei non possidebunt. Cū paterētur Christus, non cōminabatur. Et nos in tribulationibus gaudētes, & persecutiones patienter

Ioan. 15.

1. Ioan. 3.

Ioan. 13.

Eccle. 11. De exemplo Domini imitando, & de vestigiis passionis eius sequendis.

Isaiæ 35.

Isaiæ 26.

1. Pet. 4.

Heb. 12.

Isaiæ 53.

Ioan. 13. Matth. 10.

Sap. 12.

Isaiæ 3. Para. 13.

1. Cor. 5.

patienter sustinentes, non nos defendamus manu vel verbo, sed absq; lite & comminatione cum omni mansuetudine flagella & persecutiones toleremus. Exemplo igitur Domini fugiamus peccatum, vt nihil dicamus, vel faciamus, vel concupiscamus contra legem Domini. Peccatum enim, vt ait Augustinus, est dictum vel factum, vel concupitum cõtra legem Dei. Quod de peccato actuali intelligitur, non de omissionibus. Non solum enim dicto vel facto, vel concupiscẽtia seu mala voluntate peccamus, sed omittendo bona quæ facere debemus, & prætermittendo diuina præcepta. Sicut enim sunt duæ partes iustitiæ, scilicet, declinare à malo & facere bonum: Ita duæ partes sunt iniquitatis, scilicet, omittere bona seu declinare à bono, & facere malum. Boni autem omissio propriè dicitur delictum. Vnde & beatus Ambrosius ait: Peccatum est prævaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum. Prævaricatio refertur ad actualia peccata. Inobedientia ad omissiones. Originale etiam peccatum largè dici potest prævaricatio. Omnes enim in Adam peccauimus, & prævaricati sumus, in quo omnes seminaliter fuimus. Cùm autem tam varia sint peccatorum genera, scilicet, Originale, quod contrahit anima ex vase corrupto cui infunditur, de quo Dauid ait: In peccatis concepit me mater mea. Et veniale, de quo Apostolus ait: quod quidam ædificant ligna, fœnum, stipulam. Et mortale, de quo Iacobus ait: Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem, omnibus his Christus caruit. Nos autem peccato originali, quod dimittitur in baptismo, & peccatis mortalibus, quæ in contritione dimittũtur carere possumus, venialibus autem peccatis prorsus carere non valemus. Si enim dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est, sicut Ioannes Apostolus ait: Debemus tamen diligentiam magnam adhibere, ne venialia multiplicemus. Per venialia enim, dum contemnuntur, vel dum placent & multiplicantur, trahitur anima ad mortalia. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Qui modica negligit, paulatim decidet. Qui igitur vitauit grandia, caueat ne obruatur arena. Peccata autem mortalia, modis omnibus vitare debemus. Quæ multipliciter fieri habent. Interius, scilicet, & exterius. Interius, primò per delectationem morosam, quando, scilicet anima de illicitis cogitando delectatur, & placet ei talis delectatio, & in ipsa libenter commoratur consentiens delectationi, licèt non consentiens operi. Secundo modo fit per consensum, quando, scilicet, consentit operi, & habet voluntatem peccandi. Hi duo modi peccandi significantur per mortuum in cõclaui, quem Dominus suscitauit. Tertio modo fit peccatum exterius, dum voluntas mala perducitur ad effectum, quandoque per locutionem illicitam. Quod genus peccati significatur per secundum mortuum, quem suscitauit Dominus in porta. Quandoque verò per malam operationem: & huiúsmodi peccatum significatur per tertium mortuum, quem Dominus in sepulchro suscitauit, qui tunc quatriduanus spiritualiter dicitur, & fœtens quando peccatum in consuetudinem habetur: vel quatuor dies considerari possunt circa peccatum operis, vt sit primus dies, quando peccatum primo perpetratur. Secundus, quando defenditur, & quærit homo excusationes in peccatis. Tertius, quando de peccato gloriatur. Quartus, quando peccatum in consuetudinem vertitur. Quando verò desperatur de venia, desperatur peccatum illud, quia in spiritum sanctum est, veniam non meretur. Quia qui desperat, veniam non postulat. Hic est quartus mortuus, quem Dominus non suscitauit, quia nec rogatus fuit, sed respondit Dominus: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Patet ergo ex prædictis, quod peccatum mortale septem modis perpetratur. Primo, per delectationem morosam: Secundo, per malam voluntatem. Tertio, per illicitam operationem, siue exerceatur ore, siue alia corporis parte. Quarto modo, per peccati defensionem. Quinto, per peccati gloriationem. Sexto, per nimium contemptum & consuetudinem. Septimo, per desperationem. Hęc est catena diaboli, de qua Isaias ait: Si abstuleris de medio tui catenam. Et iterum: Vę qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Iniquitatem trahit, qui peccatum suum protrahit. Et quia peccatum, quod per pœnitentiam statim non diluitur, suo pondere trahit ad aliud, funiculus vanitatis contexitur, quo anima constringitur, illaqueatur & suspenditur, dum sanguis sanguinem tangit, & peccatum peccato additur. Et ita miser homo tãquam plaustrum oneratum in mortem trahitur funibus illis, de quibus Psalmus ait: Funes peccatorum circumplexi sunt me. Et Salomon ait: Funibus peccatorum suorum quisquunque constringitur. Hæc autem septem peccatorum genera insinuat Moses, dicens: Dixit inimicus persequar, comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Dixit inimicus, dum loquitur nobis suggerendo, & ad noxiam delectationem trahendo. Persequitur dum peccato per malam voluntatem consentit homo. Comprehendit, dum post voluntatem ad peccatum operis perducit. Diuidit spolia, dum homo de peccato gloriatur, & iactat se, atque exemplo prauo alios corrumpit. Gladium euaginat & extrahit, dum homo de peccato suo se defendit. Anima autem eius impletur, dum in consuetudinem peccatum vertitur. Tunc autem demum penitus interficitur, quando de venia desperatur, & tunc miser homo in aquis vehementibus, quasi plumbum submergitur, & claudit super eum puteus os suum, quia ipse claudit os proprium, dum peccatum non confitetur nec Deum deprecatur. Et ita efficitur spiritus vadens & non rediẽs. Quoniam igitur omne peccatum mortale trahit ad mortem & pœnam æternam, summo studio quodlibet peccatum mortale debemus à nobis relegare, siue sit peccatum carnis per fragilitatem

*Rom.12.* *Quid sit peccatũ, & de multiplici genere peccatorum.*

*Rom.5.* *De Originali & veniali, et mortali peccato.* *1.Cor.5.* *Iac.1.*

*1.Ioan.1.*

*Eccle.9.* *Quot modis habeant fieri mortalia peccata.*

*Matth.9.*

*Luc.7.*

*Ioan.11.* *De quatriduano peccato operis.*

*Matth.12.*

*Quòd peccatũ mortale in genere septẽ modis habet fieri.* *Isaiæ 58.* *Isaiæ 5.*

*Osee 4.*

*Prouer.5.*

*Exod.15.*

*Alia peccati distinctio.*

gilitatem & infirmitatem, quod dicitur fieri in patrem cui attribuitur potentia, siue sit peccatum insipientiæ vel simplicitatis per ignorantiam, quod dicitur fieri in filium, cui attribuitur sapientia, siue sit peccatum obstinationis, per malitiam & mentis elationem, quod dicitur fieri in spiritum sanctum, cui attribuitur benignitas, quæ est malitiæ contraria, siue etiam sit peccatum omissionis, vel securitatis per negligentiam. His enim quatuor modis peccat homo, scilicet, per infirmitatem, per ignorantiam, per negligentiam, & per certam malitiam. Nullum autem istorum excusationem habet à toto, licèt peccata fragilitatis & ignorantiæ excusationem habeant à tanto, propter quod Dominus ait: Qui peccat in patrem, remittetur ei, qui peccat in filium, remittetur ei, qui peccat in spiritum sanctum, non remittetur ei. Peccatum enim in patrem, licèt sit damnabile & mortale, dicitur tamen remissibile, quia habet causam remissionis sibi annexam, scilicet, fragilitatem. Similiter peccatum in filium causam remissionis habet sibi annexam, id est, ignorantiam. Vnde Paulus: Veniam promeruit, quia per ignorantiam peccauit. Peccatum autem in spiritum sanctum, non habet causam remissionis sibi annexam. Vnde Lucifer, quia nō ex infirmitate nec ex ignorantia, sed ex præsumptione & certa malitia peccauit, irremediabiliter corruit. Nullum enim peccatum mortale, quantamcunque habeat excusationis causam sibi annexam, penitus excusatur, sed morte æterna, quicunque cum mortali decedit, punitur, siue peccet per infirmitatem & propriam tentationem, sicut scriptum est: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, siue per suggestionem, de quo Psalmus ait: Ab alienis parce seruo, siue peccet incompulsus vt Iudas, siue persuasus vt Adam, siue perterritus vt Petrus, siue ex paupertate, propter quod Salomon ait: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, siue ex superfluitate, sicut scriptum est: Prodiit ex adipe iniquitas eorum, siue ex inconstantia & leuitate, sicut in Ecclesiastico dicitur: Stultus vt Luna mutatur, siue ex obstinatione, sicut Salomon in Prouerbiis ait: Peccator cùm venerit in profundum vitiorum, contemnet, siue fiat peccatum cupiditate mala inflammante, siue timore malè humiliante, de quibus Psalmus ait: Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Incensa, scilicet, feruore cupiditatis, suffossa pusillanimitate timoris malæ humiliantis, siue fiat per tumorem superbiæ, siue per liuorem & venenum inuidiæ, siue per furorem & impetum iræ, siue per ponderositatem & depressionem tristitiæ & acediæ, siue per hypocrisim auaritiæ, siue per voracitatem gulæ, siue per ardorem & fœtorem luxuriæ, siue peccet trāsgrediendo legem naturæ, vel legem scriptam, vel legem gratiæ, siue peccet contra Deum, cuiusmodi peccatum dicitur nefas vel impietas, siue peccet in proximum, cuiusmodi peccatum specialiter dicitur facinus vel iniquitas, siue peccet in seipsum, cuiusmodi peccatum specialiter dicitur flagitium, siue peccet in cœlo, siue in terra. Sunt enim peccatores cœli, qui loquuntur contra Deum blasphemiam. De quibus dicitur: Posuerunt in cœlum os suum, sunt peccatores terræ, scilicet, qui peccant per auaritiam vel carnalem voluptatem. De quibus dicitur: Deficiant peccatores à terra. Et iterum: Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Quibuscunque igitur modis fieri habeat mortale peccatum, vitam tollit, & animam interficit. Et ideo qui diligit iniquitatem, odit & destruit animā suam. Si autem bruta animalia quæ ratione carent, mortem fugiunt & formidant, quantò magis anima rationalis mortem suam debet fugere, & mortale peccatum abominari & abhorrere. Agnus fugit lupum, columba accipitrem, pullus miluum, pulices etiam & vermiculi capi & interfici nolunt, sed quantumcumque possunt, ne capiantur, fugiunt. Auis si semel laqueo teneatur, & valeat euadere, nunquam facile secundo ad laqueum reuertetur. Fugiamus ergo & nos peccatum, sicut auis laqueum, sicut ouis lupum, sicut lepus fugit canem, sicut muta & irrationalia fugiunt mortem. Si enim cum serpente dormire non auderes, multò fortius cum peccato mortali dormire non debes. Qui enim dormit cum peccato, dormit cum diabolo, qui crudelior est omni serpente. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Quasi à facie colubri fuge peccatū: Mortale enim peccatum aufert Deum, aufert proximum homini, non solum sua, sed seipsum. Peccatum aufert Deum. Vnde Isaias ait: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum. Et Jacobus ait: Quicunque voluerit esse amicus huius seculi, inimicus constituetur Dei. Peccatum aufert proximum. Vnde Dominus in Leuitico ait: quod quicunque comederit sanguinem, peribit de populo suo. Sanguinem comedit, qui peccatum mortale facit. Propterea Psalmus ait: Libera me de sanguinibus, id est, à peccatis mortalibus: de populo suo perit, qui sanctorum communionem amittit, vt iam cum Propheta dicere non possit. Particeps ego sum omnium timentium te. Peccatum aufert homini seipsum, iuxta illud: Erraui sicut ouis quæ periit, factus sum tanquam vas perditum. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, id est, qui peccando recedunt à te. Peccatum aufert corpus & animam. Vnde mulier vidua, quæ obligata erat ære alieno, clamauit ad Eliseum: Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos. Hæc est peccatrix & miserabilis persona à Christo viduata, cui diabolus aufert corpus & animam. Vnde in Trenis ait Ieremias. Foris interficit gladius, & domi mors similis est. Foris enim, id est, in corpore, & domi, id est, in anima interficitur peccator. Et iterum ait: Duplici contritione contere eos. Et in Parabolis Salomon ait: Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando cōsumpseris carnes tuas & corpus tuum. Peccatum enim corpus debilitat & consumit. Vnde Isaias ait: Effeminati dominabuntur eis. Et Osee de Effraim ait: Comederunt alieni

*Sap. 9.*
*De multipliti causa peccādi.*
*Prouer. 30.*
*Eccle. 27.*
*Para. 18.*
*De septē criminalibus.*
*Alia peccatorū distinctio.*
*Quod modis omnibus, & cum summo studio vitāda sunt peccata mortalia, & de bestiis quæ mortē fugiūt.*
*Eccle. 21.*
*De variis incommodis ex peccato prouenientibus.*
*Isaiæ 49.*
*Iaco. 3.*
*Leuit. 17.*
*4. Reg. 3.*
*Tren. 1.*
*Ier. 17.*
*Prouer. 5.*
*Isaiæ 3.*
*Osee. 7.*

alieni robur eius. Alieni, id est, dæmones maximè per peccatum luxuriæ & gastrimargiæ corpus eneruãt & debilitant. Vnde Apostolus: peccata carnis appellat passiones desiderij. Et in Ec clesiastico dicitur. In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram, propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam. Peccatum aufert homini animam suam. Vnde Dominus in Euangelio: Quid prodest Homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Et iterum: Stulte hac nocte repetent animam tuam. Peccatum aufert homini bonam conscientiam, remordet & affligit mentem. Vnde Isaias: Vermis eorum non morietur. Et Iob ait: Qui terrenum habẽt fundamẽtum, consumentur velut à tinea, id est, qui terrenis innituntur, tinea malæ conscientiæ corrodentur. Et iterum ait: Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum, intrinsecus, id est, panis delectationis transitoriæ conscientiam reddit amaram. Et per Ieremiam Dominus ait: Mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. Et iterum: Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Nemo enim reus se iudice absoluitur. Remordet enim reum conscientia tetris, circumuolat alis sęua dies animi. Vnde Osee ait: Lappa in tabernaculis eorum. Peccatum aufert famam, & ignominiosum reddit hominem. Vnde Ieremias: Reuelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ, id est, gressus tui immundi & infames. Et iterum: Ego nudaui fœmora tua, contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua. Et per Ezechielem Dominus ait: Nudabo ignominiam tuam coram te, & videbunt omnes turpitudines tuas. Et per Isaiam Dominus ait: Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum. Et Ioël ait: Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit.

Peccatum aufert pecuniam. Vnde & filius prodigus omnem substantiam suam consumpsit viuendo luxuriosè cum meretricibus. Propterea Micheas ait: De mercedibus meretricis congregata sunt, & vsque ad mercedem meretricis reuertentur. Quæ enim malè congregantur, mercedes meretricis dicuntur, quia anima seipsam exponit venalem diabolo pro temporali & incerto lucro. Et quoniam non habet euentus sordida præda bonos, quæ malè congregantur, multoties pessimè expenduntur, vt reducantur quasi ad mercedem meretricis. Vnde Salomon: Pretium scorti, vix est vnius panis. Peccatum aufert libertatem, & inducit seruilitatem. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Vnde Isaias ait: Solue vincula colli tui, captiua filia Syon. Et Dominus per Ieremiam: Seruire te faciam inimicis tuis, in terra quam ignoras. Et Isaias ait: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Et iterum: Gratis venundati estis. Venundati, scilicet, sub peccato, & addicti seruituti diaboli.

Peccatum aufert diuinam gratiam, & Deum prouocat ad iracundiam. Vnde Propheta contra tantum detrimentum supplicans, ait: Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo. Hæc est facies gratiæ, de qua idem Propheta ait: Auertente autem te faciem, turbabuntur. Homo enim subtracta diuina gratia turbatur, & de peccato labitur in peccatum, proiectus à facie Domini, sicut Caym, de qua facie Dominus in Deuteronomio ait: Abscõdam faciem meam ab eis. Et Isaias ait: Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra abscõderunt faciem eius à vobis. Et Dauid ait: Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum ne auferas à me. Peccatum enim aufert spiritum sanctum. Vnde in libro sapientiæ dicitur: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Aufert etiam Dei sapientiam, id est, filium, sicut in eodem dicitur: In maleuolam animam non intrabit sapientia. Et per Oseę Dominus ait: Væ eis cùm recessero ab eis. Peccatum Deum offendit, & ipsum quasi laborare facit. In multis enim offendimus omnes. Vnde Ieremias ait: Vos estis onus Domini: proiiciam quippe vos dicit Dominus. Et per Isaiam ait: Seruire me fecisti in peccatis tuis, prębuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Et per Osee Dominus ait: Ad iracundiam prouocauit me Effraim in amaritudinibus suis, id est, in peccatis. Peccatum inimicum Dei facit. Vnde Iacobus ait: Amatores huius seculi inimici Dei constituuntur. Et in Psalmo: Inimici Domini, mox vt exaltati fuerint deficientes, quemadmodum fumus, deficient. Peccatum aufert omnia bona gratuita, & corrumpit naturalia. Vnde homo ille, qui peccando descenderat de Hierusalem in Iericho, spoliatus est, & vulneratus quasi semiuiuus relictus. Spoliatus gratuitis, quia teste Salomone: Qui in vno offendit, multa bona perdet. Et vulneratus naturalibus, quia ratio & intellectus, & sensus animæ non prorsus tolluntur, sed corrumpuntur. Vnde Dominus per Osee ait: Vastabũtur, quia præuaricati sunt in me. Et per Ioël ait: Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post ipsum solitudo deserti. Recedente enim Domino, anima quæ erat hortus Dei, fit solitudo deserti, & relinquitur sicut tigurium in cucumerario, & sicut vmbraculũ in vinea relinquitur vacua, & sicut ciuitas quæ vastatur, ex qua hostes quęcunque possunt auferre, tollunt, quæ autem non possunt asportare, substernunt vel subuertunt. Propterea Ieremias in Trenis ait: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Et iterum: Vindemiauit me, vt locutus est Dominus in die furoris sui. Peccatum aufert homini vitam ęternam. Vnde in Prouerbiis dicitur: Impij de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea, id est, ex terra viuentium. Et Ierem. in Trenis ait: Proiecit de cœlo in terram inclitam Israël.

Peccatum aufert fortitudinem, & infert debilitatem. Vnde in Trenis Ieremias ait: Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Et iterum ait: Exossauit eum Nabuchodonosor Rex Babylonis. Et Isaias ait: Erit fortitudo vestra, vt fauilla stupæ, & opus vestrum, quasi,

1. Thes. 4.
Eccle. 37.
Iob 20.
Iere. 8.
Osee 9.
Iere. 9.
Ezech. 16.
Esa. 47.
Ioël. 3.
Luce 15.
Mich. 1.
Prouer. 6.
Ioan. 8.
Isaie 52.
Iere. 17.
Isa. 5.
Isaie 52.
Rom. 7.
Deut. 32.
Gene. 4.
Isaie. 63.
Sap. 1.
Luce 10.
Eccle. 9.
Osee. 9.
Ioël. 1.
Isaie 1.
Tren. 1.
Prouer. 2.
Tren. 2.

quasi scintillæ, & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. Et iterum ait: Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Peccatum aufert animæ pulchritudinem, & inducit deformitatem. Vnde vulgariter dici solet: Iste turpior est peccato. Et Ezechiel ait: Abominabilem fecisti decorem tuum. Et in Trenis iterum Ieremias ait: Egressus est à filia Syon omnis decor eius. Et iterum: Denigrata est super carbones facies eorum. Et rursus ait: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Et Ezechiel ait: Nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Peccatum aufert Dei similitudinem, & eius deformat imaginem. Vnde Apostolus: Reformamini spiritu mentis vestræ, qui, scilicet, deformati estis peccatis vestris, sicut lepra deformat hominis imaginem. Vnde & peccatum lepræ comparatur, quia corrumpit & deturpat hominem, & reddit abominabilem. Vnde in Prouerbiis dicitur: Abominatio est Deo vita impij. Et Propheta ait: Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus. Depilat etiam hominem more lepræ: Vnde Ieremias ait: Omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit. Et Isaias ait: In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur. Peccatum omnes sensus animæ aufert, & omnia membra corrumpit, sicut lepra cuncta membra corrodit. Aufert visum, & oculos animæ excęcat. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Excęcauit eos malitia eorum. Et Ioannes in Epistola Canonica ait: Omnis qui peccat, non videt Deum nec nouit eum. Et Isaias ait: Quis cęcus nisi qui venundatus est. Et in Leuitico prohibet Dominus: ne cæcus, vel lippus vel habens albuginem in oculo, accedat ad sacerdotium. Non solum autem cæcum, sed & surdum facit. Vnde Isaias: Educ foras populum cęcum, & oculos habentem: surdum, & aures ei sunt, scilicet, aures corporis, sed non aures cordis. Et iterum ait: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audeat, & corde suo intelligat. Et Ieremias ait: Ecce incircuncisæ aures eorum, & audire non possunt. Non solum auditum, sed & oderatum aufert peccatum. Vnde Ezechiel ait: Nasum tuum, & aures tuas præcident. Et in Leuitico præcipit Dominus: ne paruo vel grandi, vel torto naso offerát panes Domino. Hi sunt qui corruptum habent odoratum discretionis, qui fœtorem peccatorum suorum non sentiunt, sed tanquam porci in volutabro luti & fœtore delectantur. De quo fœtore in Genesi Dominus ait: Clamor Sodomorum ascendit ad me. Et Dauid ait: Sepulchrum patens est guttur eorum. Et in Euangelio quatriduanus est, & fœtet. Peccatum tollit gustum, vt non possit anima gustare & videre, quoniã suauis est Dominus, iuxta illud: Omnem escam abominata est anima eorum. Et Ieremias ait: Omnis qui comedit vuam acerbam, obstupescent dẽtes eius. Peccatum aufert tactum animæ. Et in Euangelio legimus, quod manum aridam sanauit Dominus, & paralyticum cuius omnia membra dilloluta erant. Hi sunt qui tactum spiritualem amiserunt, & cùm tanguntur, non sentiunt. Quia quod putridum, nimis putridum est, non sentit punctionem, de quibus Ioël Propheta ait: Computruerunt iumenta in stercore suo. Peccatum facit hominem mutum, sicut scriptum est: Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea. Tacet enim qui peccatum suum non confitetur. Tacet, à quo Deus non laudatur. Vnde in Prouerbiis dicitur: Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. Et in Ecclesiastico dicitur: non exorauerunt pro peccatis suis, antiqui gigantes. Peccatum aufert animæ manus & pedes, vt iaceat inutilis, præcisis manibus & pedibus, sicut de Dagon legimus. Vnde Isaias ait: Omnes manus dissoluentur. Et Amos ait: Quomodo si innitatur quis manu sua super parietem, & mordeat eum coluber, id est, diabolus, qui mordet manum innitentis super parietem corporis, ne possit bene operari. Et in lege reprobatur à sacerdotio, qui fractum habet pedem, vel manum fractam habet. Fractum habet pedem vel manum, qui claudicat in via Domini. Vnde Isaias ait: Tunc saliet sicut ceruus claudus, restituto ei pede animæ.

Peccatum aufert dentes, ne possit homo cibum spiritualem masticare. Vnde Ieremias in Trenis ait: Ad numerum confregit dentes meos. Peccatum non solum dentes, sed omnia ossa virtutum confregit & eneruat peccatorem. Vnde Isaias: Et erit Ægyptus, quasi mulieres. Et in Trenis Ieremias ait: Vetustam fecit pellem meam, cõtriuit ossa mea. Et Psalmus ait: Non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Peccatum aufert cor & animam euiscerat. Vnde Osee ait: Effraim factus est, quasi columba seducta nõ habẽs cor. Et Isaias ait: Distrũpetur spiritus eius in visceribus eius. Et in Trenis Ier. ait: Subuersum est cor meũ in memetipsa, quoniam amaritudinibus plena sum. Et in Euangelio dicitur de spiritu maligno. Clamans & multum discerpens eum exiuit. Et in Ecclesiastico dicitur: In vita sua, proiecit intima sua. Et in Trenis Ieremias ait: Effusum est in terra iecur meum, id est, in terrena per auaritiam & desiderium temporalium. Vnde & peccator araneę comparatur, quę se euiscerat vt muscam capiat. Iuxta illud: Tabescere fecisti, sicut araneam animam eius. Peccatum animam dirumpit, & dilaniat extra se, trahens animam per auaritiam, supra se per superbiam, infra se per luxuriam. Quia verò pungit & lacerat, spinis comparatur. Vnde in Psal. dicitur: Priusquá intelligerent spinæ vestræ ramnum. Peccatum enim more spinarum, à principio nõ multum pungit, sed delectat, postmodum verò per malam conscientiam, & pœnam æternam animam lacerat.

Peccatum enim, non solum sensus & membra animæ corrumpit, sed varias ægritudines animæ inducit. Facit enim tumidum seu inflatum per superbiam. Vnde Isaias: Liuor & vulnus, & plaga tumens non est circumligata. Et in lege præcipitur, vt vesica gutturis à sacrificio Dei abiiciatur.

Tren. 1. Ierc. 50. Ezech. 16. Tren. 1. Tren. 4. Ezech. 7. Ephe. 4. Prouer. 17. Ierc. 48. Isaiæ 15. Sap. 2. 1. Ioan. 3. Isaiæ 52. Leuit. 21. Isaiæ 43. Isaiæ 6. Ierc. 6. Ezech. 23. Leuit. 21. 2. Pet. 2. Gene. 18. Ioan. 11. Ierc. 37. Matth. 5. Matt. 12. Lucæ 5. Ioan. 1. Prouer. 18. Eccle. 16. 1. Reg. 5. Isaiæ 13. Amos 3. Leuit. 21. Isa. 35. Tren. 3. Isaiæ 10. Tren. 3. Osee 7. Isaiæ 19. Tren. 1. Matth. 9. Eccle. 10. Tren. 2. Isaiæ. 1.

abiiciatur. Peccatum veneno animam inficit, & liuidum atque amarum facit per inuidiam. Vnde in Psalmo: Venenum aspidum sub labiis eorum. Et in libro Sapientiæ dicitur: per quæ peccauit quis, per hæc torquetur. Et per Ieremiam Dominus ait: Cibabo eos absynthio, & potum dabo eis aquam fellis. De peccato autem malitiæ & inuidiæ specialiter Amos ait: Si celauerit se in profundo maris, ab oculis meis mandabo serpenti, & mordebit eum. Peccatum insanum facit & turbulentum per iram. Vnde in Parabolis dicitur: Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit. Et iterum Salomon ait: Homo apostata vir inutilis gradiens ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Et Ieremias ait: Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus vadens ad prœlium. Et Osee ait: Ventum seminabunt, & turbinem metent. Peccatum tristitiam & pigritiam inducit per acediam. Vnde Apostolus ait: Tristitia seculi mortem operatur. Et in Ecclesiastico dicitur: Cor neque aggrauabitur doloribus, & peccator adiiciet ad peccatum. Et Isaias ait contra pigros: Non putabitur & non fodietur, & ascendent super eam vepres & spinæ. Et Ieremias ait: Sicut frigidam facit aquam suam cisterna, sic frigidam fecit malitiam suam. Hernioſi autem seu ponderosi à sacerdotio in lege prohibentur vel repelluntur, & noctua quæ iustitiam seculi significat, reprobatur. Peccatum facit hydropicum per auaritiam. Quantò enim auarus plus bibit, tantò amplius sitit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eius. Et beatus Iob ait: Saluabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter te. Et in Parabolis Salomon ait: Venter impiorum insaturabilis. Qui enim impetiginem habebat, repellebatur à sacerdotio legali. Impetigo enim latenter, & quasi insensibiliter sine dolore totum corpus occupat, per quam auaritia intelligitur, quæ dum mentem delectat, exulcerat. Peccatum bolismum inducit per gastrimarginm. Est autem bolismus caninus appetitus, quando cum nimia cupiditate sumitur cibus, & cum magna anxietate desideratur. Propterea in Euangelio Dominus ait: Videte ne corda vestra grauentur in crapula & ebrietate. Et Apostolus ait: Carnis curam ne feceritis in desideriis. Peccatum febrem inducit per luxuriam & carnis voluptatem. Vnde in Euangelio Dominus socrum Petri sanauit à febribus. Febris autem luxuriæ, quandoque calida est, quandoque frigida. Calida in appetitus anxietate, frigida in operis consummatione. Vnde in Euangelio dicitur, quod spiritus malignus quandoq; in ignem, quandoque in aquam proiiciebat dæmoniacum. Facit præterea hominem dysentericum per fluxum libidinis. Vnde de Sedechia legimus, quod postquã captus est, & exoculatus ductus in Babylonem, laxatiua potione interiit. Peccatum facit hominem vertiginosum, sicut scriptum est: In circuitu impij ambulant. Et Isaias ait: Dominus miscuit in eis spiritum vertiginis, & errare fecit Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens. Hi sunt quos diabolus ad molam laborare facit, sicut legimus de Sampsone. Vnde Isaias ait. Tolle molam, mole farinam, denuda turpitudinem tuam. Peccatum facit hominem meticulosum, sicut scriptum est: Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Et beatus Iob ait: Sonitus terroris semper in auribus eius, & cùm sit pax ille, semper insidias suspicatur. Et in Prouerbiis dicitur: Fugit impius memine persequente. Peccatum facit vagum & dissolutum, & inconstantem. Vnde in Parabolis: Cor stultorum dissimile erit. Et Ieremias ait: Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga? Et Isaias ait: Quasi pilam mittet te in terram latam & spaciosam, ibique morieris. Et Ieremias ait: Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.

Peccatum facit hominem durum & obstinatum. Vnde Iob ait: Indurabitur cor eius quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Et Ieremias ait: Si mutare potest Æthyops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere cùm didiceritis malè. Et iterum ait: Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in vngue adamantino. Et rursum ait: Dura facta sunt peccata tua. Et vxor Loth retro aspiciens, conuersa est in lapidem. Non solum autem facit peccatum animam lapidem, sed & terram. Vnde in Genesi dicitur serpenti: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Peccatum facit vilem & abiectum. Vnde Ierem. Quàm Vilis facta es nimis iterans vias tuas. Et in Ecclesiastico: Mulier fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. Et Dominus per Ezechielem ait: Proiecta es super faciem terræ, id est, abiectionem animæ tuæ transiens, per te vidi te conculcari in sanguine tuo. Et in Trenis Ieremias ait: Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis. Et iterum ait: In sterquilinium super faciem terræ erunt, & eligent magis mortem, quàm vitam. Et Rursus ait: Omnes qui videbant eam, spreuerunt eam, quia viderunt ignominiam eius. Et iterum ait: Operiet nos ignominia nostra, quia Domino peccauimus. Et in Psalmo dicitur: Opprobrium sempiternum dedit eis. Peccatum facit animam meretricem. Vnde Ieremias ait: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Et Ezechiel ait: Ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. Et iterum ait: Immunditia tua execrabilis. Et rursum in persona Christi: Oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum. Et per Isaiam ait: Posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Et in Psalmo dicitur: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Peccatum facit hominem stultum. Vnde in Euangelio: Stulte, hac nocte repetent animam tuam. Et Apostolus ait: Obscuratum est incipiens cor eorum. Et Abacuc ait:

Leuit. 2. Sap. 11. Iere. 9. Amos 9. Prouer. 2. Prouer. 6. Iere. 8. Osee. 8. 2. Cor. 7. Eccle. 3. Isaiæ 5. Iere. 6. Leuit. 12. Leuit. 11. Eccle. 5. Iob 36. Prouer. 13. Leuit. 22. Matth. 8. Mar. 8. Iere. 38. Isaiæ 19. Iud. 16. Isaiæ 47. Iob 15. Prouer. 28. Prouer. 15. Iere. 31. Isaiæ 22. Tren. 1. Iob 41. Iere. 13. Iere. 17. Iere. 30. Gene. 19. Iere. 2. Eccle. 9. Ezech. 16. Tren. 1. Tren. 2. Iere. 3. Iere. 5. Ezech. 16. Ezech. 24. Item. 23. Isaiæ 51. Luce 12. Rom. 1. Abac. 2.

Tiran-

Ioan.8. Tyranni radiculi eius erunt, de his enim ludunt dæmones, quia sunt stulti diaboli. Pecca-
1.Ioan.3. tum facit hominem filium diaboli per imitationem. Vnde in Euangelio: Vos ex patre diabolo
estis. Et Ioannes in Epistola Canonica: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Peccatum fa-
Iob.37. cit animam habitaculum dæmonum. Vnde Iob ait: Ingredietur bestia latibulum suum. Et Isa-
Isaiæ 13. ias ait: Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus & habitabunt ibi stru-
Iob 41. tiones. Peccatum facit hominē mendicum & egenum. Vnde de Behemoth beatus Iob ait:
Lucæ 15. Faciem eius pręcedit ęgestas, id est, bonorum spiritualium defectus. Et de filio prodigo dicitur:
Prouer. 3. quod cępit egere, & pascebat porcos. Et in Parabolis Salomon ait: Ægestas à Domino in do-
Iere. 15. mo impij. Et Ieremias, diuitias tuas, & thesauros tuos in direptionem dabo in omnibus pecca-
Deut. 32. tis tuis. Et in Deuteronomio dicitur: Consumentur fame & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Peccatum facit vanum, & animam redigit ad nihilum. Vnde Ieremias: Ambulaue-
Iere. 2. runt post vanitatem, & vani facti sunt. Et Isaias ait: Cecidimus, quasi folium vniuersi, iniqui-
Isaiæ 43. tates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos. Et in Genesi: Puluis es, & in puluerem reuerteris.
Gene. 3. Et in Prouerbiis dicitur: Quasi tēpestas transiens, non erit impius. Et Ezechiel ait: Nihil factus
Prouer. 10. es, & non eris in sempiternum. Et Isaias ait: Omnes gentes, quasi nō sint, sic sunt coram eo, &
Ezech. 28. quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Et in Euan. dicitur: quod paleæ comburentur igne in-
Isaiæ 40. extinguibili. Peccatum facit hominē retrogradum. Vnde Ieremias: Facti sunt retrorsum &
Matth. 3. non ante. Et in Euangelio de reprobis Iudęis dicitur: quod abeuntes retro ceciderunt. Qui au-
Lucæ 3. tem retrò cadit, non videt quò decidat. Vnde in Parabolis dicitur: Via impiorum tenebrosa,
Iere. 7. nesciunt vbi corruant. Peccatum spoliat animā vestimentis, & reddit nudam. Vnde Eze-
Ioan. 18. chiel ait: Eras nuda & confusione plena. Et Isaias ait: Telas aranęæ texuerunt, telæ eorum non
Prouer. 4. erunt eis in vestimentum. Et per Naum Dominus ait: Reuelabo pudenda tua, in facie tua, &
Ezech. 16. ostendam tibi nuditatem tuam. Et Ioannes in Apocalypsi: beatus qui custodit vestimenta sua,
Isaiæ 59. ne nudus ambulet. Et iterum: Miser es & miserabilis, pauper & nudus, & cęcus. Pedes etiam
Naum 3. denudat, & calciamenta tollit, ne possit comedere peccator agnum Paschalem. Vnde Iere-
Apoc. 16. mias: Prohibe guttur tuum à siti, & pedem tuum à nuditate. Peccatum de homine bestiam
Apoc. 3. facit, vt sit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Vnde in Psalmo: Homo cùm
Exod. 16. in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Facit hominem
Iere. 2. leonem per crudelitatem & superbiam. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Noli esse sicut leo in do-
Eccle. 4. mo tua, euertens domesticos. Et in Psalmo: Et conculcabis leonem & draconem. Facit
Eccl. 21. serpentem per malitiam & inuidiam. Vnde in Ecclesiastico: Quasi à facie colubri fuge
peccatum: & si accesseris ad illa, suscipient te. Et in Ecclesiaste dicitur: Qui disipat
Eccle. 10. sepem, mordebit eum coluber. Facit aprum seu feram per iram. Vnde in Psalmo: Exter-
minauit eum aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. Et in Genesi: Fera pessima de-
Gene. 37. uorauit filium meum Ioseph. Facit asinum per acediam. Vnde in Genesi dicitur: quod pue-
Gene. 22. ri expectarunt Abraham cum asino. Non enim ascenderunt, vt sacrificarent cum illo. Facit
vulpē per fraudem. Vnde in Euan. Dominus de Herode: Dicite vulpi illi. Et in Canticis dicitur:
Lucæ 13. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Facit lupum per rapinam. Vnde
Cant. 2. Ezechiel, Principes eius in medio eius, quasi lupi. Facit canem per gulositatem. Vnde
Ezech. 22. Petrus ait: Canis reuersus ad vomitum. Et Isaias: Canes impudici nescierunt saturitatem.
2. Pet. 2. Facit porcum per luxuriam. Vnde in Euangelio dicitur: quod dæmones intrauerunt porcos.
Isaiæ 56. Facit equum, quia peccator portat supra se diabolū. Vnde in Exodo: Equum & ascensorem
Matth. 8. proiecit in mare. Vnde Ioannes in Apocalypsi: vidit equos rufos, nigros, & pallidos. Facit
Exod. 15. capram. Vnde in Euangelio dicit Dominus: quod separabit agnos ab hœdis. Et in Leuit. iube-
tur capra mactari, quæ designat fœditatem peccati. Facit camelum propter strumam cupi-
Apoc. 6. ditatis terrenæ. Vnde in Genesi dicitur: Rebecca viso Isaac descēdit de camelo. Facit simiā
Matth. 25. per hæresim & hypocrisim. Vnde in libro Regum dicitur: quod simiæ adducebātur ad Salomo-
Leuit. 3. nem. Philosophi enim qui videbātur boni esse & sapiētes, cōuersi sunt ad Dominum. Pecca-
Gene. 24. tum facit hericium. Vnde Isaias: Ibi foueā habebit hericius. Facit & talpā quæ cæca fodit in
3. Reg. 9. terram per auaritiam. Vnde & in Leuitico inter immunda animalia reputatur, & à Domino
reprobatur. Facit lepusculum per mundanum terrorem. Vnde Dominus: Nolite timere eos
Isaiæ 34. qui occidunt corpus. Facit araneam, sicut scriptum est: Tabescere fecisti sicut araneam ani-
Leuit. 12. mam eius. Facit muscam quæ est animal sordidum & importunum. Vnde Isaias ait: Sibilla-
Matth. 10. bit Dominus muscę, quę est in extremo fluminū Ægypti. Facit vermē, vnde Iob ait: Homo
Lucæ 12. putredo & filius hominis vermis. Non solū autem bestiis, sed & volucribus immundis, pro-
Isaiæ 7. pter peccatū assimilatur homo. Facit enim hominē coruum. Vnde in Genesi dicitur, quod
coruus nō est ad arcam reuersus. Et Sophonias propheta ait: Vox Cantantis in fenestra, & cor-
Iob 25. uus in superliminari. Facit miluum, quia cadaueribus peccatorū delectatur. Vnde Isaias: Cōgre-
Gene. 8. gati sunt milui alter ad alterum. Facit strutionem per simulationem, & falsam religionem.
Vnde Dominus in Iob: Pēna strutionis similis est pennæ herodij & accipitris. Facit noctuā
Isaiæ 34. quæ reprobatur in lege, quæ de nocte videt acutè, parum autem videt de die. Hi sunt homi-
Iob. 39. nes seculares, & malitiosi qui astuti sunt in malitia, sed ad lucem veritatis excæcantur. Facit
vulturem, qui rixa gaudet, & cadaueribus viuit, & castra bellica sequitur, vt cibum habeat, per
Leuit. 11. quem bellicosi homines designantur, qui castra sequuntur, & inhiant spoliis aliorum. Facit
buboneṁ,

bubonem, qui abſconditur de die, & quærit eſcam nocte, & alias aues venatur. Quia qui malè agit, odit lucem. Facit vpupam, quæ eſt auis lugubris, nidum faciens in ſtercore, per quam triſtitia & ſollicitudo ſeculi intelligitur. Facit veſpertilionẽ, quæ circa terrã volitans, pennis tanquã pedibus vtitur, per quam illi, qui ſcientiã ſuam vertunt ad lucra terrena, deſignãtur. Sed & piſcibus reprobis cõparatur homo per peccatũ. Peccatum enim facit anguillam per lubricitatem & incontinentiam. Facit cancrum, id eſt, in via retrogradum. Facit delphinum per laſciuiam, qui ludit in aquis imminente tempeſtate. Rebus etiã inanimatis aſſimilatur peccatum. Dicitur enim peccatum lutum, quia inquinat, detinet & abſorbet. Vnde Oſee ait: Effraim cœpit ire poſt ſordes. Et iterum ait: Factus eſt in nationibus, quaſi vas immundum. *Ioan. 3.* *Lenit. 11.* *Oſee 5.*

Peccatum eſt ſanguis, quia inficit & cruentat. Vnde Pſalmus: Libera me de ſanguinibus. Et in Threnis Ieremias ait: Errauerunt cæci in plateis, polluti ſunt ſanguine. Et Iſaias ait: Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. Peccatum glacies eſt & lubricũ, quia corruere facit: iuxta illud: Fiat via illorum tenebræ & lubricum. Et in Threnis Iere. ait: Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum. Et in Parabolis Salomon ait: In impietate ſua corruet impius. Peccatum eſt tinea ſeu ſcabies, & putredo, quia animam occupat & corrumpit. Vnde ſcabioſus à Sacerdotio legali pellebatur. In ſcabie autem feruor viſcerum ad cutem trahitur, & corpus reddit fœtidum. Per quod feruor libidinis ſpecialiter intelligitur. Vnde Propheta Amos ait: Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras. Et in Pſalmo dicitur: Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ. Peccatum eſt onus quod aggrauat. Vnde Iſaias ait: Solue faſciculos deprimentes. Et in Pſalmo dicitur: Miſer factus ſum, & curuatus ſum. Et in Threnis Ieremias ait: Iniquitates meæ conuolutæ ſunt, & impoſitæ ſunt collo meo. Peccatum ignis eſt, qui ſuccendit & comburit. Vnde Dominus per Iſaiam: Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas. Et Dominus in Iob de diabolo ait: Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egredietur. Et Iſaias ait: Spinæ congregatæ igni comburentur. Et Oſee ait: Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. Et in Threnis Ieremias ait: Aſcendit in Iacob quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro. *Amos 4.* *Iſa. 58.* *Thren. 1.* *Iſa. 54.* *Iob 41.* *Iſa. 27.* *Oſee 7.* *Thren. 2.*

Peccatum catena eſt ſeu vinculum, quia ligat & aſtringit. Vnde in Parabolis: Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Et in Pſalmo: Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Peccatum eſt fouea, quia animam abſorbet & demerget, iuxta illud: Et incidit in foueã quam fecit. Peccator enim priùs nocet ſibi quàm alij. Vnde in Parabolis: Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. Vnde Auguſtinus ait: Priùs læditur iniquus damno innocentiæ, quàm proximus damno pecuniæ. Malitia ignis eſt procedens ex te, priùs vaſtans te. Antè enim vrit radicem quàm ramum, antè læditur ſuum actore quàm alium. Facula priùs ſe accendit, & conſumit quàm aliam rem. Qui enim attentat percutere gladio, priùs ſeipſum tranſuerberat quàm alium. Vnde Ezechiël ait: Viam illorum in caput eorum reddam. Et Oſee ait: Facti ſunt quaſi arcus doloſus. Qui, ſcilicet, ſagittam reflectit in mittentem: iuxta illud: Conuerſi ſunt in arcum prauum. Peccatum eſt fel & abſynthium, quia amaram reddit animam. Sicut ſcriptum eſt: Vua eorum, vua fellis. Vnde Iſaias ait: Amara erit potio bibentibus illam. Et Dominus per Oſee: Effraim prouocauit me in amaritudinibus ſuis, id eſt, in peccatis, quæ amara ſunt nimis. Peccatum tempeſtas eſt, quia conturbat & vaſtat. Iuxta illud: Torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Peccatum aggrauat, & ad terram deiicit: iniquitas enim ſedet quaſi plumbum in aquis vehementibus. Et in Baruch dicitur: Facti ſumus ſubtus & non ſupra, quia peccauimus Domino. Et Ieremias ait: Recedentes à me in terra ſcribentur. Peccatum eſt ſagitta, quia penetrat & vulnerat: iuxta illud: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Peccata ſpinæ ſunt & tribuli, quia pungunt: iuxta illud: Spinas & tribulos germinabit tibi. Peccata ſunt mures, quia corrodunt. Vnde in primo Regum legimus, quod mures comedebant inteſtina Philiſtinorum. Et Iob ait: Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt torquentes cor meum. Et in Eccleſiaſte dicitur: Peccatori dedit Deus afflictionem & curam ſuperfluam. Peccatum enim requiem tollit, & laborem inducit. Vnde Ieremias ait: Seruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Et Iſaias ait: Impius quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Et iterum ait: Omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet & conteretur, tortiones & dolores tenebunt, & quaſi parturientes dolebunt. Et in Threnis: Ceruicibus minabamur, & laſsis non dabatur requies. Peccatum vetuſtatem inducit. Vnde in Baruch dicitur: Inueteraſti in terra aliena. Peccatum aqua eſt, quia ſuffocat & ſubmergit, ſicut ſcriptum eſt: Deſcenderunt in profundum quaſi lapis, abyſſus operuit eos. Per peccatum anima conculcatur à dæmonibus. Vnde in Iſaia: Incuruare vt tranſeamus. Et Iob ait: Vadent & venient ſuper eum horribiles. Et in Pſalmo: Conculcauerunt me inimici mei tota die. Per peccatum anima à diabolo deuoratur. Vnde de Behemoth dicitur in Iob: Fœnum quaſi bos comedet. Et iterum: Huic montes herbas ferent. Et in Ieremia dicitur: Comedit me, & deuorauit me Nabuchodonoſor Rex Babylonis, reddidit me quaſi vas inane, abſorbuit me quaſi draco. Et DOMINVS per Ezechiëlem ait: Diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri. Per peccatum proiicitur homo à facie DEI. Vnde Ieremias ait: Argentum reprobum *Gen. 3.* *1. Reg. 5.* *Iob 17.* *Eccleſ. 2.* *Iere. 16.* *Iſa. 57.* *Iſa. 13.* *Thren. 5.* *Baruch 3.* *Exod. 15.* *Iſa. 51.* *Iob 20.* *Iob 40.* *Iere. 51.* *Ezech 35.* *Iere. 16.*

vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Peccatũ nubes est, quæ orationẽ ad Dominũ transire nõ sinit. Vnde Ierem. ait: Oppositisti nubem, ne transeat oratio. Peccatũ stercus est, quod animã sordidã reddit. Vnde in Threnis Ierem. ait: Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora. Et de Iob dicitur, quod in sterquilinio sedens, testa saniem radebat. In sterquilinio sedemus, dum peccata ad memoriã reducimus. Habere enim debemus peccatum in corde per memoriam & contritionem. In ore per confessionem. In facie per confusionẽ & erubescentiam. In opere per satisfactionem. Peccatum meritũ bonorum operũ tollit. Vnde in Parab. Victimæ impiorum abominabiles sunt Domino. Et Aggęus Propheta ait: Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum. Peccatum omnia bona præcedentia mortificat. Quia qui in vno peccat, multa bona perdet, sicut Salomon ait. Et in Threnis Ieremias ait: Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. Et Ezechiël ait: Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. Peccatum alia peccata ad se trahit, dum enim statim per pœnitentiam non diluitur, suo pondere trahit ad aliud, vt qui in sordibus est, sordescat adhuc. Vnde Osee ait: Sanguis sanguinẽ tetigit. Sanguis enim sanguine tangitur, dum peccatum peccato adiicitur, sicut scriptum est: Abyssus abyssum invocat. Peccatum mortale omnia peccata prius dimissa reuerti facit. Qui enim in vno offendit, omnium est reus. Vnde oportet, quod restituat debitum vsq; ad nouissimum quadrãtem, sicut in Euangelio dicitur. Et in Ecclesiastico Sapiens ait: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lauatio eius? Demùm peccatum animam ad infernũ & ad pœnam æternã deducit, sicut scriptum est: Qui bona egerunt, ibunt in vitã æternam, qui verò mala in ignem æternum. Et in Baruch dicitur: Inquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum. Et in Eccles. dicitur: Stupa collecta synagoga peccãtium, & cõsummatio illorum flamma ignis. Et iterum: Via peccantiũ complanata est lapidibus, & in finem illorum inferi & tenebręs, & pœnę. Anima enim quę peccauerit, ipsa morietur. Vnde Dominus per Ezech. ait: Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Ecce fratres, quot & quanta detrimenta peccatoribus inferunt ipsa peccata. Vnde in Parabolis Sapientia ait: Qui in me peccauerit, lædet animam suam. Et Ieremias in Threnis ait: Væ nobis, quia peccauimus. Peccata enim portæ sunt infernales. De quibus dicitur: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Omni igitur studio & diligentia, quasi à facie colubri, fugiamus peccatum. Lata est enim via quæ ducit ad mortem: ardua & angusta quę ducit ad vitam. Ad virtutes difficilè consurgimus: ad peccata sine labore dilabimur. Ab omni igitur peccato abstineamus, ad imitationem illius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui de peccato damnauit peccatum, id est, diabolum. Ipse enim est qui peccatum non fecit, factus est pro nobis peccatum, id est, hostia pro peccato. Per peccatum autem longè fit homo à Deo, non loco, sed dissimilitudine. Vnde filius qui est similitudo patris, peccare non potuit, quia similitudo non recipit dissimilitudinem, sicut albedo non potest esse nigra, nec claritas obscura. Christus igitur peccatum non fecit corde, vel opere, nec etiã ore, quia non est inuentus dolus in ore eius. Quomodo enim simplicitas falleret, vel veritas mentiretur? Nos igitur ad eius similitudinem veraces simus & sine dolo, scriptum est enim: Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem. Mendaciũ enim nihil aliud est, quàm dolus in loquendo, id est, falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Hoc est quãdo aliud habemus in corde, & aliud pronuntiamus in ore, quod est abuti voce. Voces enim institutæ sunt, vt sint notæ earum, quæ sunt in anima passionum. Similiter & linguam ad hoc nobis Dominus dedit, vt esset fidelis interpres cordis nostri. Quicunq; autem mentitur, lingua sua abutitur. Mentiri enim est cõtra mentẽ ire, cùm aliud, scilicet, cogitatur, & aliud pronuntiatur. Propterea Dominus non solùm perdet omnes qui operantur iniquitatem, sed perdet omnes qui loquuntur mendacium. Meritò enim perditur, qui declinat à veritate ad falsitatem, ab eo, scilicet, quod est ad id quod nõ est. Cùm autẽ Deus sit veritas, nihil magis opponitur Deo, quàm falsitas. Et quoniam diabolus mendax est & pater eius, de filio Dei per mendacium efficitur homo filius diaboli. Mendaces autẽ, quantũ in se, faciunt, vt vera dicentibus nõ credatur. Et ita fidem destruunt, quæ est mater omniũ virtutum. Et ideo disperdet Dominus vniuersa labia dolosa. Os enim quod mentitur, occidit animã. Sicut enim fornicatio est corruptio corporis, ita mendacium est corruptio mentis. Fornicatio corrumpit castitatem: mendacium veritatem. Nec enim minor est veritas quàm castitas. Si autem, teste Augustino, mendacium est quod nulli obest vel prodest, sicut mendacium iocosum: & illud quod alicui prodest & nulli obest, non caret culpa, quando, scilicet, quis mentitur, vt liberet hominẽ à morte, quid erit de illis, qui mentiendo nemini prosunt, sed magis obsunt, & fratres suos mentiendo circunueniunt. Sicut caupones & dolosi mercatores, & falsum testimonium dicẽtes, & huiusmodi, de quibus specialiter dicitur: Os quod mentitur, occidit animã. Propterea Dominus per Naum: Væ ciuitas sanguinum, vniuersa mendacij. Non solùm autem mendacium, sed insuper maledictum vitare debemus, ad imitationem eius, qui cùm maledicetur, non maledicebat. Teste enim Apostolo: Maledici, regnum Dei non possidebunt. Filij enim hominum quorum os maledictione & amaritudine plenum est, dentes eorũ arma & sagittæ, dum maledicunt proximis & detrahunt illis. Vnde & Semei, qui maledixit Dauid, interfectus est à Salomone. Balaam etiã filiis Israël auso

*Thren. 3.* *Thren. 4.* *Iob 2.* *Prouer. 15.* *Agg. 1.* *Eccles. 9.* *Thren. 1.* *Ezech. 18.* *Apoc. 22.* *Osee 4.* *Iacob. 2.* *Matth. 5.* *Luc. 12.* *Eccles. 34.* *Ioan. 3.* *Baruch. 3.* *Eccles. 21.* *Eccles. 21.* *Ezech. 18.* *Prouerb. 9.* *Thren. 4.* *Matth. 16.* *Eccle. 21.* *Matth. 7.* *Luc. 13.* *Isa. 53.* *Rom. 8.* *2. Cor. 5.* *Contra dolum & mendatiũ.* *Ioan. 8.* *1. Ioan. 4.* *Sap. 1.* *De multiplici mendatio.* *Num. 3.* *De maledicto.* *1. Cor. 6.* *2. Reg. 16.*

est maledicere, sed ait: Quomodo maledicam, cui non maledixit Dominus. Benedicite ergo fratres, & nolite maledicere. Quomodo enim lingua nostra qua benedicimus Deum patrem, maledicimus homines, qui ad imaginem Dei facti sunt? Propterea B. Iacobus ait: Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Magna igitur est abusio, cùm de eodem ore benedictio simul & maledictio procedit. Propterea in Ecclesiastico Sapiens ait: Cùm maledicit impius diabolum, maledicit animam suam. Nulla enim Dei creatura maledicenda est liuore vindictæ, alioquin maledictio reuertitur in caput maledicentis. Et ita per consequens animam suam maledicit, vel maledicendo diabolum, omnem eius familiam videtur maledicere. Et ita maledicit impius animam suam, quæ est de familia diaboli. Illud tamen maledictum quod fit amore iustitiæ, non odio vel liuore vindictæ, non est peccatum. Sic enim Petrus maledixit Simoni Mago. Et Apostolus ad Corinthios, fornicatori maledixit, tradens illum satanæ in interitu carnis. Et Dominus maledicto pœnæ maledixit Adam, dicens: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. De maledicto autem culpæ dicitur: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Maledicere etiam dicitur aliquis, alij non optando malum illi, sed prædicendo. Sic enim Dauid maledixit Iudæ, dicens: Fiat habitatio eius deserta, & Episcopatum eius accipiat alter. Prohibetur igitur maledictum culpæ, quando, scilicet, aliquis ex ira vel odio alicui imprecatur malum. Opprobria etiam & blasphemiæ dicuntur maledicta. Hoc modo Iudæi Christum blasphemantes maledicebant, dicentes: Vah, qui destruis templum Dei. Maledictum igitur culpæ vitare debemus exemplo Christi, qui cùm malediceretur, non maledicebat. Cùm enim Iudæi dicerent ei: Seductor es, potator es, dæmonium habes: non improperat eis mala, nec eis comminabatur, sed omnem patientiam exhibebat, & cum omni mansuetudine flagellari se permittebat, factus sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Et nos ipsum imitando, nulli maledicamus, ne comminando vel litigando, persecutorum nostrorum malitiam & iram augeamus. Non mittamus ligna in ignem illorum. Si domus vicini nostri accenditur, non ignem igni addamus, sed magis benedicendo, & bonum pro malo reddendo, ignem malitiæ eius extinguere studeamus. Et quoniam Dominus de se ait: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sequamur ipsum qui est via, vt non erremus: veritas, vt non decipiamur: vita, vt non moriamur. Priùs autem quàm ipse mundo visibiliter appareret, eratis sicut oues errantes, extra viam veritatis variis vitiorum spinis lacerati, absq; ducatu pastoris. Sed conuersi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Ipse enim verè est Episcopus, id est, super intendens, seu visitator. Visitauit enim nos oriens ex alto. Ipse pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis, qui relictis nonagintanouem ouibus in deserto, venit quærere & visitare ouem, quæ perierat, & eam propriis humeris ad ouile beatitudinis æternæ reportauit Dominus noster Iesus Christus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Num.12.
Iacob.3.
Eccle.21.
*De multiplici maledicto.*
Act.8.
1. Cor.5.
Gen.3.
Matth.27.
Matth.26.
Luc.7.
*De patientia in aduersis.*
Ioan.8.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Ioannem.

*Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Ioan.10.

DOMINVS per Isaiam ait: Qui habitatis in terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. Panis enim verbi Dei necessarius est his, qui fugiunt de terra Chaldæorum, id est, de captiuitate ferociorum dæmonum, his qui fugiunt de medio Babylonis, & de incendio Sodomæ, id est, de confusione & amore huius mundi. Hi qui habitant in terra Austri, id est, in feruore charitatis, debent occurrere cum panibus diuini eloquij, & sanctæ prædicationis, prædicto modo fugientibus. Vnde valde timendum est nobis, qui verbum Dei annuntiamus, ne in terra Aquilonis, in terra, scilicet, hyemali, in torpore & frigiditate vitiorum commoremur. Nisi enim ardeamus, lucere non debemus: nisi charitatem habeamus, de corde frigido verba calida proferre non valemus. Qui enim non ardet, non incendit. Si linguis hominum loquar aut Angelorum, charitatem autem non habeam, non prodest mihi, sed magis obest, sicut campana quæ alios excitat, & seipsam verberat, & si alios excitem, animam meam lædo. Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Et Apostolus ait: Qui alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? Et iterum: In quo alium iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Orate ergo fratres, Dominum, quatenus illo igne, quem ipse venit mittere in terram, de quo ipse ait: Et quid volo, nisi vt ardeat: hodie cor meum accendat, expulso gelicidio peccatorum. Fugiat Aquilo & veniat Auster, vt ex corde & ore meo, ad honorem Dei & recreationem vestram, fluant aromata sanctarum scripturarum. Et si enim peccator sum, magis debetis attendere doctrinæ veritatem & vtilitatem vestram, quàm vitæ meæ qualitatem. Signum enim campanæ audit & auscultat, qui excitari vult, vt ad Ecclesiã pergat. Illum autem qui chordam pulsando campanam trahit, non multum considerat vel attendit. Pari modo plus attendimus figillum mittentis & literarum contentum, quàm nuntij, literas deferentis, qualitatem seu personam. Similiter & tritici puritatem attendimus, & non sacci vilitatem.

Ego sum pastor bonus. Redemptor noster tanquam lucerna super candelabrum posita, ad

Isa.21.
*Quod recedentibus à peccatis necesse est prædicari.*
*Quod prædicare nõ debet qui charitatẽ non habet.*
1. Cor.13.
Rom.2.
Luc.12.
Cant.4.
*Quod magis attendendum est, quid, quẽ à quo dicatur.*

*De multiplici exemplo.*

hoc in mũdo visibiliter apparêre voluit, vt exemplũ imitationis electis suis relinqueret, astruês fidẽ miraculorũ operatione, informãs mores sancta cõuersatione. In fide enim & moribus tota vita Christiana cõsistit. Vnde Psal. ait: Os meũ loquetur sapientiã, & meditatio cordis mei prudentiã. Sapientiã de fide, prudentiã de moribus. Et quoniã redeundi ad patriã diuersæ sunt viæ, sed nõ aduersæ, diuersis modis Dominus fideles suos informauit. Baptismo quidẽ suo cunctis fidelibus imitabilem se præbuit. Commorando verò post baptismum in solitudine Eremitas & solitariã vitam agentibus, exemplum dedit. Ieiunando autem & multa aspera sustinẽdo

*Matth. 4. Mar. 1. Luc. 4.*

reliquit exemplum pœnitentibus, discipulos congregando reliquit exemplum, in cõuentu sub vno Abbate viuentibus. Nascendo de Virgine, & cõtinenter viuendo, exemplum præbuit virginibus & continentibus. Omni terrena possessione caruit, vt exemplum fieret pauperibus. Infirmos visitando & sanando, & alia misericordiæ opera exercendo, misericordibus & beneficis exemplũ dedit. Vigilãdo & orãdo exemplum reliquit cõfessoribus. Moriendo verò exemplum fuit martyribus. Prædicãdo autẽ & oues suas pascẽdo atq; pro ipsis animã suã ponendo exemplũ præbuit Prælatis & Pastoribus animarũ. Ad quorum informationẽ ipse in hodierno Euang. ait: Ego sum pastor bonus. Et exprimens atq; ostẽdens quid sit propriũ boni pastoris,

*Quid sit proprium pastoris boni.*

ait: Bonus pastor animã suam dat pro ouibus suis. Mali autẽ pastores, qui & mercenarij dicuntur, & si aliquãdo pascant, vt, scilicet, ab ouibus pascantur, (ad hoc enim prædicant, vt manducent) animas tamen suas pro ouibus nõ ponunt, sed viso lupo veniente, fugiunt. Vt autẽ oues suas Dominus separaret, pretiosum à vili, & inter sanctũ & prophanũ haberet distantiã, aliud

*Iere 13. Ezech. 22. 2. Tim. 2.*

propriũ boni pastoris subiungit, dicens: Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscũt me meæ. Nouit enim Dominus, qui sunt eius, agnoscit vultus pecorũ suorum, & greges suos diligenter considerat. Cognoscit oues suas, approbando, diligendo, & dirigendo seu regendo.

*De multiplici ouium cognitione.*

Oues autem eius cognoscunt eum, diligendo, & eius voluntati consentiendo per amorem, & bonam operationẽ illi obsequendo. Teste enim Ioanne: Qui dicit se nosse Deum, & mandata

*1. Ioan. 1.*

eius non custodit, mendax est. Cognoscunt etiã oues pastorem suũ per scripturas, cognoscunt per experientiam gustantes & videntes quoniã suauis est Dominus. Mercenarius autem oues

*Contra mercenarios.*

Christi non cognoscit, quia quæ Dei sunt, nescit. Non cognoscit diligendo, non cognoscit regendo, non cognoscit conscientias eorum diligenter perscrutando. Magis autem attendit nodum bursæ quàm nodum culpæ: non cognoscit, quia salutem earum non approbat nec quærit, lucris animarum non intendit, sed magis lucris pecuniarum, terrenis commodis inhiat, honore prælationis exultat. Lac & lanam desiderat, de salute ouium nõ cogitat. Lucris temporalibus pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. Et quia plus terrenã substantiam

*Alia proprietas boni pastoris.*

quàm oues diligit, meritum pastoris perdit. Est autem aliud boni pastoris proprium, per quod à malo pastore discernitur. De quo proprio Dominus subiungit, dicens: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audiẽt, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Hæ sunt oues de gentibus, quæ non erant de populo Israël, quos Dominus per inspirationem diuinã, & Apostolorum atq; sanctorũ Doctorũ prædicationẽ ad se traxit & ad-

*Ephes. 2. Cant. 6.*

duxit, vt fieret vnum ouile. Ipse enim lapis angularis coniungens duos parietes, qui fecit vtraq; vnum. Vna est enim Ecclesia, vna est Christi columba, vnus pastor Christus. Alij autem pastores vnum sunt in ipso, quia omnes membra illius sunt, cuius oues propriæ sunt. Christus igitur oues de Gentibus congregauit, & in ouile Ecclesiæ, id est, in catholicam Ecclesiam & consortium sanctorũ introduxit, & de lupis oues fecit, quæ tamen oues erant in eius prædestinatione. Sicut econtrariò quidam sunt oues in Ecclesia, qui lupi sunt in Dei præsentia. Dum enim retrò abeunt, de ouibus lupi fiunt, qui enim ab ouili Christi egreditur, statim à lupis deuoratur, sicut

*Abacuc 2.*

scriptum est: Abscidetur de ouili pecus. Bonus igitur pastor oues congregat & multiplicat. In quo discernitur à pastore malo, qui oues dispergit & mactat, dum exemplo prauo à bono retrahit, & in perditionem & damnationem inducit. Sunt igitur boni pastores qui soli propriè

*De pastoribus, mercenariis et furibus, & quæ sit inter eos differentia.*

dicuntur pastores: sunt mercenarij, sunt & fures. Pastor vigilat circa gregem, vt eum reficiat & saginet: Mercenarius, vt emungat & spoliet: fur vt perdat & mactet. Pastor est venerandus, audiendus ac imitandus: Mercenarius audiendus, tolerandus, sed non imitandus: fur cauendus, arcendus, & abiiciendus. Primò igitur de bono pastore, secundò de mercenario, tertiò de fure

*De bono pastore qui est Christus.*

prosequamur. Solus Christus propriè dicitur pastor bonus. Ipse enim solus bonus ex se, bonus in se, bonus essentialiter, bonus æternaliter. Vnde in Euangelio ipse ait: Nemo bonus, nisi solus Deus. Ipse fons & origo boni, à quo bona cuncta procedũt. Ipse bonus tẽporaliter effectu in creaturis, sicut scriptũ est: Vidit cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. Ipse pastor bonus nõ solũ authoritate, sed officio & ministerio corporaliter, sicut scriptũ est: Filius hominis nõ venit ministrari, sed ministrare. Alij autẽ solo ministerio pastores dicũtur, nõ authoritate. Qui etiam boni dicuntur participatione diuinæ bonitatis accidentaliter non essentialiter. Ipse autem Christus ostium, ipse hostia, ipse ouis, ipse ouium pastor pascẽs oues proprias, cùm alij pastores pascant oues alienas sibi commissas. Vnde non est dictum Petro: Pasce oues tuas, sed pasce oues

*De pastu multiplici.*

meas. Nos enim populus eius, & oues pascui eius. Dicitur autem Christus pastor, quia pascit suos corporaliter, spiritualiter, sacramentaliter, doctrinaliter & æternaliter. Pascit nos pastu naturæ, pastu gratiæ, pastu Eucharistiæ, pastu doctrinæ, pastu beatitudinis æternæ. Pascit

*De pastu naturæ.*

nos corporaliter pastu naturæ, id est, cibo & sustentamento corporali, sicut scriptum est:

Qui dat

Qui dat escam omni carni. Pascit nos spiritualiter pastu gratiæ, animas nostras bonis spiritualibus reficiens, id est, specialiter pinguedine charitatis saginans. Tot enim fercula nobis apponit in mensa tua, quot nobis cõfert spiritualia bona. Vnde Propheta ait: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Ipse enim Christus mons coagulatus, mons pinguis, vitulus saginatus, facit nobis conuiuiũ pinguiũ, conuiuiũ medullatorum, vt holocaustũ nostrum pingue fiat. Vnde in Ecclesiastico Salomõ ait: Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, id est, gentilitas cui Dominus de rore cœli & pinguedine terræ dedit benedictionẽ, sicut scriptum est: Pinguescent speciosa deserti. Pascit nos sacramentaliter pastu Eucharistiæ. Hic est panis pinguis Aser, præbens delicias Regibus. De hoc pastu ipse in Euangelio ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ipse enim dedit animã suam pro ouibus suis in precium, corpus & sanguinẽ in pastum, seipsum in præmiũ sempiternũ. Pascit nos pastu doctrinæ: de quo Psalm. ait: In loco pascuæ, ibi me collauit. Et Ezech. ait: In pascuis vberrimis pascam eas, in montibus excelsis erunt pascua eorum. De hoc pastu Dominus ait Petro: Pasce oues meas. Pascit nos pastu beatitudinis æternæ. De quo in Euangelio: Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum. Et iterum: Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Et Dauid ait: Panem Angelorum manducauit homo. Et iterum ait: Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Legimus autem quod Elias pastus est pane subcinericio, & ambulauit vsq; ad montem Dei in fortitudine cibi illius quadraginta noctibus & quadraginta diebus. Panis autẽ ille figura fuit panis Eucharistię, & panis doctrinæ. Si igitur tanta fuit virtus & efficacia in vmbra & figura, quanta & quàm mirabilis est virtus in re ipsa, in ipso, scilicet, pane, vero corporis Christi, quo reficiũtur animæ populi Christiani? De quo pastu in libro Reg. legimus, quod coruus pascebat Eliã, id est, Christus fidelem animã: de quo coruo Dominus in Iob ait: Quis præparat coruis escã suã, quãdo pulli eius clamãt ad Dominũ. Coruus dicitur Christus, propter similitudinẽ carnis peccati. Qui cùm sit candor lucis æternæ, quasi niger factus est, dũ vidimus eum nõ habentẽ speciẽ neq; decorẽ. Vnde & Ecclesia nigra fit propter ipsum mundo despecta, & variis tribulationibus afflicta. Sicut ipsa ait in Can. Nigra sum, sed formosa. Vox autẽ Christi dicitur vox coruina, quia semper in crastinũ sonat, cùm bona futura promittat. Hęc enim vita, quasi hodierna dies est in promissione, crastina autẽ dies erit in exhibitione. Cras enim respõdebit nobis iustitia nostra, id est, Christus, qui factus est nobis à Deo patre sapiẽtia, & virtus, & iustitia. Esca autẽ huius corui, nõ qua pascitur, sed qua pascit nos pullos suos, est caro eius. Hanc escã spiritus sanctus in vtero Virginis præparauit. Mater autẽ in præsepio nobilẽ escã in paupere scutella posuit. Christus autẽ hãc escã in cruce coctã, esibilẽ reddidit, qua pullos suos pascit, dũ eos nigrescere cernit, despectu, scilicet, mũdi & carnis mortificatione. Dicitur prætereà Dominus noster pastor, propter instrumẽta pastorũ. Habet enim panẽ in pera, siue in sacculo, canẽ in fine, baculũ cum virga, cornu cũ fistula. Panis est verbũ vitæ: pera pastoralis seu sacculus, cor humile est. Habet autẽ tot canes, quot habet sub se prędicatores, linguã medicinalẽ, more canum habẽtes, & latratu lupos arcẽtes, sagaces, odoratu discretionis vigẽtes, domino suo fideles, & supra gregis custodiã, nocte vigilãtes. Ligati autem sunt fune diuinorũ eloquiorũ, & habent zelũ secundũ scientiã cum discretione. Habet prętereà pastor noster baculũ cõsolationis, & sustẽrationis, & virgã correptionis. De quibus Psal. ait: Virga tua & baculus tuus, ipsa me cõsolata sunt. Habet cornu prędicationis & terribilis cõminationis. Cornu enim sonum reddit terribilẽ, habet fistulã, id est, promissionum dulcedinẽ. Humiliemur igitur sub potẽti manu huius pastoris, nõ aberrantes à via veritatis, ne nos capiat lupus infernalis, & leo crudelis, qui circuit, quærẽs quem deuoret. Ingrediamur & egrediamur sub ipso, vt pascua vitæ inueniamus. Ingrediamur per contemplationẽ, egrediamur per actiuã vitã. Ingrediamur in cubiculum mẽtis, quiete meditãdo, orãdo, & legẽdo, & cõscientias nostras perscrutãdo. Egrediamur ad pugnã & ad bona opera, proximis subueniẽdo, vt tandẽ ab hac vita egrediẽdo, æternæ beatitudinis pascua inueniamus. Dicitur prætereà Christus pastor, nõ solum quia oues pascit, sed quia oues educit, reducit, & deducit, & custodit. Educit eas de tenebris peccatorum, sicut scriptum est: Reducã captiuitatẽ vestrã de cunctis locis. Deducit eas per semitas iustitię, sicut scriptum est: Qui deducit velut ouẽ Ioseph. Et Isa. ait: Puer paruulus minabit eos. Et Ioannes in Euang. ait. Cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues eum sequuntur. Cùm emiserit eas de tenebris, scilicet, ad lucẽ, de via erroris ad viã veritatis. Ante eas vadit, quasi columna nubis & ignis, pręcedẽdo & præueniẽdo verbo, scilicet, sanctę prędicationis, exemplo bonæ operationis, suffragio orationis, solatio temporalis subsidij, & flagello correptionis. Custodit insuper oues & defendit, sicut scriptũ est: Et võ erit qui de manu mea possit eruere. Ipse enim animam suam dedit pro ouibus suis, defendẽdis, pastor pro ouibus, creator pro creatura, dominus pro seruis. Non solum autẽ pro ouibus, sed etiã pro capris, vt oues fierent. Christus enim mortuus est pro peccatis nostris, iustus pro iniustis. Cùm enim inimici essemus, recõciliati sumus Deo in sanguine eius. Deus enim erat in Christo, mundum recõcilians patri. De huius boni & summi pastoris officio dicitur in Ezech. Ego pascã oues meas, & eas accubare faciam, quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod cõfractum erat, alligabo, & quod infirmum erat, cõsolidabo, & quod pingue & forte custodiam. Pereunt oues mortaliter peccando. Abiiciuntur dum subtracta gratia à Deo, deseruntur & elongantur. Rapit eas lupus infernalis, dilaniat, & deuorat, & ossa earum confringit, dum miser homo de peccato

*De pastu gratiæ.* *Luc. 15.* *Isa. 25.* *Eccle. 31.* *Gen. 27.* *De pastu sacramẽtali seu eucharistiæ.* *Gen. 49.* *Ioan. 6.* *De pastu doctrinæ.* *Ezech. 34.* *Ioan. 21.* *De pastu gloriæ.* *Luc. 14.* *Luc. 22.* *3. Reg. 21.* *De coruo & pullis eius, & esca eorum.* *Iob 38.* *Rom. 8.* *Sap. 7.* *Isa. 53.* *Cant. 2.* *1. Cor. 1.* *De instrumentis pastoris.* *Luc. 2.* *Matth. 6.* *De ingressu & egressu ouiũ Christi.* *Christus educit, reducit, deducit, custodit oues.* *Iere. 29.* *Isa. 11.* *Ioan. 10.* *Exod. 14.* *Iob 10.* *Deut. 32.* *1. Pet. 3.* *Rom. 5.* *2. Cor. 5.* *Qualiter bonus pastor se habeat circa oues.*

in peccatum ruit. Frangitur manus, vt benè operari non valeat: frangitur pes, vt in via Dei ambulare nequeat: collũ frangitur, dum nec Deum laudat, nec peccata cõfitetur. Torquentur ægritudines incurrit miser homo, quot vitiorum incõmodis succumbit. Pius autẽ pastor oues quæ perierãt, quęsiuit, dum ad nos veniens mundo visibiliter apparuit. Quod abiectũ erat, reduxit, dum gratiã infundendo cõuertit. Quod cõfractum erat, alligauit, dum salutaria præcepta dedit, & sacramentorũ medicinã adhibuit: vel cõfractos, id est, cõtritos corde alligat, quia cor contritũ & humiliatũ Deus nõ despiciet, qui sanat cõtritos corde, & alligat cõtritiones eorũ. Vnde Propheta ait: Sana me Domine, quoniã cõturbata sunt ossa mea. Quod infirmũ est, cõsolidat, dum gratiam multiplicat, & virtutes imperfectorũ & debiliũ augmentat. De quibus Apostolus ait: Infirmum in fide susscipite. Quod pingue & forte est, susscipit, custodit, dum in bono perseuerare facit, & à bestiis ne deuoretur, defendit. Pascit oues famelicas & accubare facit, dum post laborem requiẽ tribuit. Vnde ipse in Euangelio ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos. Cùm autẽ verus Iob septem milia ouiũ possideat, id est, sanctos, in quibus est perfecta innocẽtia, singulas oues cognoscit, & ab ouibus suis cognosci se facit. Vnde ipse ait: Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem, & animã meã pono pro ouibus meis. Nemo nouit filium nisi pater, & cui voluerit pater reuelare. Agnouerunt igitur oues pastorem patris reuelatione. Caro enim & sanguis non reuelauit eis, sed pater qui est in cœlis. Sicut igitur filius habet à patre, quod patrem agnoscit: ita oues habent à patre filij notitiã: aliter tamẽ & longè dissimiliter, quia filius per se & si non à se patrem agnoscit. Oues autem non per se, neq; à se, sed à patre & filio habẽt, quod pastorem agnoscant. Filius etiam patrem agnoscit diligendo. Similiter per dilectionem & familiaritatem oues agnoscit. Signum autem dilectionis patris & dilectionis ouiũ est quod ad mandatũ patris animã suam posuit pro ouibus suis. Ea ergo charitate qua pro ouibus mori voluit, quantum patrem diligeret, ostendit. Dicitur prætereà filius patrẽ agnoscere, quia ipsum facit agnosci. Similiter & pater filiũ agnoscit, id est, agnosci facit. Agnoscunt igitur oues pastorẽ, agnoscũt fideles filium. Qui autem nouit filium, nouit & patrem: filiũ, scilicet, vt filium. Et ecõuerso, qui nouit patrem vt patrẽ, nouit & filiũ. Simus igitur oues tanti pastoris, vt ipsum cognoscamus, & ab ipso cognosci & diligi mereamur. Si enim Christum agnoscis, ab ipso agnosceris, & ipsius ouis eris, reddens pastori tuo more ouis lac innocẽtiæ, & mundę vitę, & lanã mansuetudinis in suauitate bonæ cõuersationis. Lac etiã & lanã Christo pręstant, qui Christi pauperibus victum & vestitũ ministrant. Ouis autẽ animal est mansuetũ, ægrotatiuũ, mundũ, fœcundũ, immolationi aptũ. In mãsuetudine intelligitur humilitatis suauitas. In infirmitate cõpassionis pietas. In munditia castitas. In fœcũditate charitas. In immolatione carnis mortificatio vel sanguinis pro ipso effusio. Fimo etiã, id est, exemplis humilitatis & abiectionis terrã Ecclesiæ sancti fertilẽ reddũt. Pelle insuper & vellere temporaliũ Christum in membris suis calefaciunt. Vnde in Canticis dicitur: Dentes tui sicut greges tonsarũ, quæ ascendũt de lauacro. Hi sunt sancti Prælati, qui alios incorporãt Christo, & idcirco dentes vocantur. Oues etiã tonsæ dicuntur à vellere, scilicet, temporaliũ, quæ pauperibus erogant, exoneratæ. Hæ sunt oues Iacob, varios fœtus, id est, varia virtutum opera parientes. Non solùm autem homines, sed & Angeli sancti dicũtur oues, propter suauitatẽ & mansuetudinẽ, & benignitatem. Hæ sunt nonagintanouẽ oues quas Dominus reliquit in deserto, id est, in cœlo ab Angelis corruẽtibus derelicto, & venit quærere ouẽ humani generis, quę perierat. Christus etiã dicitur ouis, secundũ humanitatẽ, quia lacte nos nutrit, carne reficit, pelle pedes munit, vellere vestit, balatu agnos colligit, fimo terrã fertilẽ reddit. Christus lacte humanitatis suæ nos pascit. De quo dicitur: Dabo vobis terrã lacte & melle mananté: lacte, scilicet, humanitatis & melle diuinitatis. Lacte etiã simplicis doctrinæ, quia nõ solũ mel spiritualis & profundioris doctrinę sub lingua eius, sed & lac simplicioris doctrinę. De quo Apost. ait: Lac dedi vobis potũ, non escã. Carne suã nos reficit, sicut scriptũ est: Panẽ quem dabo, caro mea est pro mũdi vita. Pelle pedes nostros munit, quia exemplo exterioris cõuersationis illius, affectuũ nostrorũ pedes muniũtur. Pellem etiã pro pelle dedit pro animabus nostris: pellẽ, scilicet, mortalẽ pro pelle nostra glorificãda tradidit. Vellere autẽ huius ouis vestiũtur, qui suaues sunt pietate, & calidi charitate, & bonis operibus exornati. Vellere etiã bonorũ temporaliũ nos tegit & protegit, dũ panẽ nostrũ quotidianũ & temporale sustentamentũ nobis tribuit. Balatu autẽ prædicationis & doctrinæ suę discipulos multos ad se collegit, & in vnitatẽ fidei cõgregauit. Vnde ipse ait: Oues meę vocẽ meã audiũt. Vox eius: Esto humilis, mitis, pacificus, deuotus, largus, pauper spiritu, sobrius, castus. Vox diaboli: Esto superbus, iracundus, cõtentiosus, piger, acediosus, auarus, gulosus, luxuriosus. Illius vocẽ oues audiũt, cuius admonitioni obediũt. Vocẽ autẽ Christi audiũt oues eius. Voci diaboli obediunt oues infernales. De quibus dicitur: Sicut oues in inferno positi sunt. Fimo autẽ opprobriorũ & sanguinis sui terrã cordis humani Christus fertilẽ reddidit. Habet aũt summus pastor noster alios sub se pastores, sanctos, scilicet, Prælatos & Doctores, quorũ fidei oues suas pascẽdas & custodiẽdas cõmisit. Quorũ officiũ est pascere, & pascere, quia priùs debet ardere q̃ lucere, infundi q̃ infundere, refici q̃ reficere, pasci q̃ pascere. Vnde actibus Apost. Apostolus ait: Attẽdite vobis & vniuerso gregi, in quo spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiã Dei, id est, attẽdite primò vobis & postmodũ vniuerso gregi. Et ad Tim. ait: Attẽde tibi & doctrinę. Primò tibi, & posteà doctrinę, vt pascas oues Christi.

Rom. 13.
Matth. 11.
Matth. 18.
Luc. 10.
Ioan. 14.
Cant. 4.
Gen. 30.
Matth. 18.
Luc. 15.
Deut. 26.
Cant. 4.
Ioan. 6.
Iob 2.
Matth. 6.
Luc. 11.
Ioan. 10.
Act. 20.
1. Tim. 4.

*De cognitione ouium à pastore.*

*De bis quæ ab ouibus suis pastor recepit, & de proprietatibus ouis.*

*De multiplici oue, & quare Christus dicatur ouis.*

*De bonis Ecclesiæ pastoribus, & eorum officio.*

Attendere

Attendere etiã debet doctrinæ,id est,tẽpus & modũ docẽdi,vt sit discretus in silentio,vtilis in verbo,vt tacẽda nõ proferat,& proferẽda nõ reticescat.Gregẽ autẽ pascat,nõ amore nũmi,sed amore Christi.Vnde & Petro Dominus ait:Diligis me,pasce oues meas.Nõ semel autẽ,sed ter dixit ei,pasce. Debet enim pastor bonus pascere corde,ore,& opere. Corde diligendo,ore instruendo,opere sacramẽta ministrãdo,eleëmosynas largiẽdo,exemplũ bonę cõuersationis præbẽdo.Debet enim ouibus suis ignẽ feruẽtis dilectionis, vnguentũ præcõsolationis,pabulũ prędicationis,suffragiũ deuotę orationis,stimulũ rigidę correctionis,exemplũ honestę cõuersationis,præsidiũ honestæ vitæ,subsidiũ tẽporalis sustẽtationis,præsidiũ sollicitę defensionis,beneficium reconciliationis & exhortationis & obsecrationis,exhibere. Debet prętereà bonus pastor tanq̃ arca testamẽti in se habere mãna bonæ vitæ & sanæ doctrinæ,virgã disciplinæ,tabulas legis,& Deuteronomiũ,id est,vtriusq; testamẽti scientiam,vt sit in Ecclesia Dei sicut Sol,clarus sciẽtia. Teste enim Gregorio,Tantũ debet actio Prędis trãscendere actionẽ populi,quantũ distat vita pastoris à grege. Teneat autẽ bonus pastor more Aarõ thuribulũ stãdo inter viuos & mortuos,vt oret pro eis,ne cadãt,& pro peccatoribus,vt resurgãt.Opponat se murũ pro domo Domini,vt possit dicere: Ego murus & vbera mea,sicut turris,scilicet,doctrinæ,per quã cõtra hęreticos fideles defendit.Sint manus eius tornatiles expeditę,& sine errore plenę Hyacinthis, vt omnia fiãt pro æternis,vt possit dicere cũ Apost.Nõ quęro quę vestra sunt,sed vos.Et iterũ ad Corinth.Gratis Euangeliũ euãgelizaui vobis. Et ad Thess.ait: Nõ fuimus aliquãdo in sermone adulationis,sicut scitis,neq; in occasione auaritię,Deus testis est.Et in actib.Apost.ait:Argentũ aut aurũ,aut vestẽ nullius cõcupiui,sicut ipsi scitis. Et ad Philip.ait:Non quæro datũ,sed quæro fructũ.Et Petrus ait:Pascite,qui in vobis est,gregẽ Dei prouidentes,nõ coactè,sed spontaneè,secundũ Deum,neq; turpis lucri gratia.Et Ietri ad Moysen ait:Elige tibi viros prudẽtes, & timẽtes Deũ,in quibus sit veritas,& qui oderũt auaritiã.Pascat igitur & cõseruet oues pingues,sustentet morbidos,pungat lentas,attrahat & colligat vagas,lupos terreat & coërceat.Ad hoc enim habet baculum pastoralem,ad hoc etiã mitrã gerit in capite, vt inimicos fidei catholicæ cornibus duorum testamentorũ potens sit ventilare. Propterea Apostolus ad Titum ait: Oportet Episcopum amplecti eum, qui secundum doctrinam & sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt,arguere. Horum autem officium exprimit Isaias,dicens:Super montem caliginosum leuate signum,exaltate vocem,leuate manum,ingrediantur portas duces. Mons caliginosus est potens in hoc seculo vitiorum tenebris obductus. Super montem istum signum leuare est potentibus mundi sedula correptione crucem Domini baiulandam committere. Non solum autem vocem prædicando,sed manũ benè operando debemus extolliere,qui in adiutorium cordibus amorem mundi conamur destruere,vt portas duces ingrediantur, vt portas,scilicet,cordium & aurium,sermo exhortationis valeat penetrare. Quid enim prodest,si vox foris eleuata fuerit & manus depressa? Cùm dicat authoritas:Noli esse citatus in lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis. Quomodo manus aliorum poterit erigere,qui proprias non studet in sublime leuare? Et Apostolus ad Hebræos ait: Remissas manus & genua debilia erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris. Sed quomodo super montem caliginosum signum leuamus,qui contra potentes huius seculi nec etiam mutire audemus? Destructores Babylonis Dominus describens ait:Ecce ego super vos suscitabo Medos,qui argentũ non quęrunt,& aurum non velint.Ideo Babylonem destruere nõ possumus, quia nihil nisi aurum & argentum sitimus.Et qui iuxta verbum Iudæ Apostoli,personas quæstus causa miramur,signum super montẽ caliginosum leuare non meremur. Qui igitur signiferi summi Imperatoris esse debemus,cùm signum malè viuẽdo deprimimus,quod exaltãdum suscepimus,tanquã proditores cõdemnari debemus. Signifer enim Regis terreni,si in cõflictu vexillum eius negligẽtiæ vel timore depresserit,proditionis reatũ incurrit.Pascat prętereà silentas oues & pauperes,non solùm spiritualiter,sed insuper corporaliter. Teste enim beato Gregorio:Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus ministrare:postremò verò si necesse est,etiam vitam nostram pro eisdem ouibus impendere. Qui autem non dat pro ouibus pecuniã suã,quando daturus est pro his animã suam? Super omnia verò zelũ animarũ habeat pastor fidelis, vt vbicunq; fuerit cadauer,id est, peccatum mortale, statim adsit aquila,vt possit dicere cum Apost. Quotidie morior propter vestrã gloriã. Et cum Propheta: Vidi præuaricãtes,& tabescebã.Et iterũ: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,quia nõ custodierunt legem tuã.Teste enim Domino in Iob:Ceruę incuruãtur ad fœtus & pariũt,& rugitus emittũt. Similiter & Prælati,qui more ceruarum extinctis serpẽtibus, id est, vitiis interemptis ad fontẽ vitæ acrius inardescunt,incuruãtur ad fœtus per cõpassionem,& rugitus emittunt per dolorẽ, vt seminãtes in lachrymis,in exultatione metãt.Vnde Apostolus ad Thes.ait:Tanquã si nutrix foueat filios suos:Ita desiderãtes vos,cupidè volebamus tradere vobis,nõ solũ Euãgelium Dei, sed animas nostras:quoniã charissimi nobis facti estis.Nutrix aũt infirmitatibus paruuli cõdescendit,& cadentẽ sublleuat & suscipit.Boni enim pastoris est,lapsis manũ porrigere,errãtibus viam ostendere,nõ se felicem potestate dominãdi,sed charitate seruiẽdi.Plus autẽ studet amari quàm timeri. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Rectorem te posuerunt,noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.Boni pastoris est,non sua quærere,sed quæ Iesu Christi, non quærere gloriam suã,sed gloriã Domini sui. Vnde Hieronymus ait: Non lætificemur ad laudes hominum,

Ioan. 21.
*Quibus modis oues à bono pastore pascantur, & quid debeat imitari pastor bonus.*
Heb.9.
Num.16.
Ezech.13.
Cant.8.
2.Cor.11.
1.Thess.2.
Act.20.
Philip.3.
1.Pet.5.
Exod.18.
*De baculo pastorali.*
Titum 1.
Isa.13.
*Iterum de officio pastoris ex verbis Isaiæ.*
Eccle.4.
Heb.12.
Isa.13.
*De zelo pastoris & compassione.*
Matth.24.
Luc.17.
1.Cor.15.
Iob 39.
1.Thes.2.
*De proprio boni pastoris.*
Eccle.32.

nec vituperationes eorum ex paueſcamus. Quiſquis autem prædicat, vt in hoc ſeculo laudis vel pecuniæ mercedem accipiat, ab æterna mercede ſe priuat. Licet tamen Prælato à ſubditis neceſſaria accipere: manducare enim debet vt prædicet, non prædicare vt manducet. Vnde in Matheo Dominus dicit: Nihil tuleritis niſi virgam, id eſt, poteſtatem accipiendi neceſſaria à ſubditis. Et Apoſtolus ait: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt. Et iterum: Communicet is, qui catechizatur verbo ei qui ſe catechizat in omnibus bonis, iuxta illud: Sumite Pſalmum, & date tympanum, id eſt, ſumite ſpiritualia & date temporalia. Reddere enim debent oues dominis ſuis lac & lanam, & fœtum, id eſt, oblationes & decimas, & bona opera. Nunc autem de mercenario videamus, de quo Dominus ait: Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues proprię, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Mercenarius enim qui quærit quæ ſua ſunt, & non quæ ſunt Ieſu Chriſti, neque ſalutem ouium, quæ ſeruit non propter Deum, ſed pro mercede temporali, licèt ſit malus paſtor, non tamen ſimpliciter dicitur paſtor, ſicut homo mortuus non eſt homo, ſed cadauer. Si enim eſſet veri nominis paſtor, proprium paſtoris conueniret ei. Verus enim paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Cùm autem hoc ſit proprium boni paſtoris, valde timendum eſt de bonorum paſtorum paucitate. Cadit autem aſella proximi, & multi eam ſubleuant: cadit anima iuſti, & non eſt qui releuet eam ex omnibus charis eius: cùm tamen quilibet plus teneatur diligere animam proximi, quàm corpus proprium. Sed quomodo animam ponet pro eo, qui nec aſinum commodare vellet, vt eam reduceret de Ægypto? Non ſunt autem oues eius proprię, quia non earum amore, ſed pro lucro ſuo prædicat. Licèt autem culpabilis ſit, quia tamen neceſſarius eſt, dum veritatem prædicat, tolerandus eſt. De his enim Dominus ait: Quæ dicunt, facite: que autem faciunt, nolite facere. Et Apoſtolus ait: Siue per occaſionem, ſiue per veritatem, prædicetur Chriſtus, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Et ſi de annuntiante non gauderet, de annuntiato tamen gaudebat. Hi igitur dum bene docent & malè viuunt, linguam offerunt Deo, ſed animam diabolo, ſimiles hiſtrionibus, qui alios in torneamẽtis ad pugnandum incitant, ipſi autem ictus ferientium non tollerant. Sic & tibicines in apparatu præliandi pugnas excitant, ipſi tamẽ ſemper vltimi eſſe volunt in ordine pugnantium. Qui autem recta docet & praua agit, tanquam arcus doloſus ſagittas in ſe reflectit. Velut æs ſonans & cymbalum tinniens, quæ alios excitat, & ſeipſa verberant. Tanquam cereus alios illuminans, & ſeipſum conſumens. Similes canalibus lapideis hortos irrigantibus, ipſis remanentibus abſq; humore. Similes lixiuio cinereo pannos abluenti, & ſeipſum ſordidanti. Sicut crux in compito, quæ viam oſtẽdit, & per viam non incedit. Sicut crucibulum in ſe fœtens, aliis tamen lucem miniſtrans. Verbum autem Dei in ore eorum polluto eſt, velut Solis radius in loco immũdo, vinum bonum in vili vaſculo, granum purum in ſacco prauo, ſemen bonum quod manu leproſi ſeminatur, inſipiens negotiator, qui merces ſuas reponit in ſacco pertuſo. Cuius autem vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Ad amorem enim Dei & proximi plerunq; corda audientium plus exemplis quàm verbis excitantur. Tolerandi tamen ſunt mercenarij, quia vtiles ſunt aliis, & ſi non ſibi. Sicut vlmus quæ vitem fructiferam ſuſtinet, cùm ſit ipſa ſterilis. Non enim comedunt fructus labiorum ſuorum, cùm tamen dicat Dominus per Ieremiam: Ædificate domos, plantate hortos, & comedite fructus eorum. Si tamen omnes expellerentur, pauci hodie remanerent, qui in Eccleſia Dei miniſtrarent: propterea adipem morticinij in varios vſus iubemur reſeruare. Ipſi autem, licèt mali ſint, ſicut & Balaam benedicunt populo Domini. Et quoniam multi veniunt in veſtimentis ouium, transfigurantes ſe in Angelos lucis, cùm ſint intus lupi rapaces, non poteſt veraciter cognoſci, vtrum paſtor an mercenarius ſit, ſi occaſio neceſsitatis deſit, lupus autem veniens indicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat. Mercenarius enim viſo lupo fugit, quia mercenarius eſt, id eſt, quia mercedem propriam & non ouium ſalutem diligit. Sola ſiquidem cauſa eſt, vt mercenarius fugiat, quia mercenarius eſt: ſtare enim in periculo ouiũ non poteſt, quia in eo quod ouibus præeſt, nõ diligit oues, ſed lucrũ terrenũ quærit. Dum enim terrena & tranſitoria diligit, opponere ſe contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat. De his autem Ezechiël ait: Non aſcendiſti ex aduerſo, neque oppoſuiſtis vos murũ pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Fugit igitur mercenarius, non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſubſidium. Fugit, quia iniuſtitiã vidit & tacuit: fugit, quia ſub ſilentio ſe abſcondit. Tacere autem eſt conſentire, cùm poſsis arguere. Fugit, cùm non occurrit reſiſtendo, increpando, arguendo, & patrocinium conferendo. Fugit, timore ſeruili, qui eſt fuga animi, ne, ſcilicet, incurrat quod metuit, vel amittat quod diligit. Fugit fuga corporis, vel peſsimę taciturnitatis. Fugit puſillanimitate, quia timet pelli ſuæ: fugit fuga erubeſcentię & confuſionis. Non enim mala reprehendit, quia eadem ſæpius agit. Fugit cupiditate, quia decimas & oblationes, vel potentis alicuius gratiam timet amittere. Fugiunt mercenarij, & Deus fugit ab eis: deſeruntur & deſeruntur. Quæ Dei ſunt, neſciunt, & à Deo neſciuntur: quia ignorans, ignorabitur. Fugiunt ſicut ſcriptum eſt: Et fugiant qui oderunt eum à facie eius. Fugiunt temporalem pœnam, & incurrunt æternam. Vnde Iob ait: Fugiet arma ferrea, & incidet in arcum æreum: contra quos Apoſtolus ait: Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis. Et iterum Ieremias ait: Facti ſunt Principes eius velut arietes, non inuenientes paſcua: abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequẽtis. Maledictus autem qui gladium ſuum timore lupi prohibet à ſanguine. Vnde

Ieremias

*Quod licet paſtori ab ouibus ſumere neceſſaria.* *Matth. 6.* *1. Tim. 5.* *Galat. 6.*

*De mercenario.* *Philip. 2.*

*Thren. 2.*

*Matth. 23.* *Philip. 1.*

*Contra illos qui benè docent & malè viuunt.*

*Oſee 2.* *Simile.* *2. Cor. 13.*

*Ierem. 29.*

*Leuit. 7.* *Num. 23.* *Matth. 7.* *2. Cor. 11.*

*Ezech. 13.* *De multiplici fuga mercenarii.*

*1. Cor. 2.* *Item 14.* *Iob 20.* *Heb. 12.* *Thren 1.* *Ierem. 48.*

Ieremias ait: Nolite tacere super iniquitatem Babylonis, quoniam tempus vltionis Domino. Et in Threnis ait: Prophetæ tui viderunt falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pœnitentiam vocarent. De his autem mercenariis, qui (viso lupo) fugiunt, dicitur in Deuteronomio: Ne formidolosi procedant ad bellum. Et in Ecclesiaste: Qui obseruat ventum, non seminat, id est, qui timet persecutionem verborum: & qui considerat nubes, non metet, id est, tribulationes operum. Vnde in Deuteronomio præceptum est Leuitis, vt alta voce dicerent, maledictiones, quod est contra canes mutos, qui latrare non audent. Cùm tamen per Osee Dominus Dicat: In gutture tuo sit tuba, id est, prædicatio aperta. Et ad Ezechielem ait. Ne timeas, eos, neque sermonem eorum metuas, quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Et paulò pòst: Audi quæ loquor ad te, & noli esse exasperans, id est, non tibi commissa tacendo, & maledicta non increpando Deum exasperes, sic enim exponit beatus Gregorius: Fugiente autem Sedecia, capta est Hierusalem. Propterea ait Zacharias: O pastor & idolum, derelinquens gregem. Non est igitur fugiendum Prælato vbi grex remanet in periculo. Alioquin fuga cautelæ pro loco & tempore possunt fugere prælati reseruantes se maiori vtilitati, maximè dum vita gregis non quæritur, sed solius pastoris. Hoc enim modo non propriè dicuntur fugere, sed magis persecutioni cedere, vt se reseruēt ouium vtilitati. Sic enim Paulus in sporta per murum dimissus fugit. Et Dominus in Euangelio ait: Si vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam. Fugiunt igitur sancti prædicto modo fuga consilij seu cautelæ. Fugiunt fuga compassionis seu misericordiæ, ne persecutores eorum occidendo eos fiāt deteriores. Vnde Dominus à discipulis Ioānis fugit in Galileā ne fierēt deteriores, eò quòd inuidebant ei, plura miracula facienti, quàm magister eorum. Fugiunt etiam plerumque sancti à consortio malorum fuga munditiæ, ne tāgentes picem, coinquinentur ab ea. Vnde Dominus per Ieremiam: Fugite de medio Babylonis. Et Psalmus ait: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Mali autem fugiunt fuga singularitatis & superbiæ, sicut Cathari, & quidam alij reprobi dedignantes conuersari inter alios, quibus se reputant meliores, dicentes cum Pharisæo: Non sumus sicut cæteri homines. Mercenarij autem seruiliter timentes, & lupo veniente oues dimittunt. Lupus autem est violentus, qui corporaliter vastat, lupus, scilicet, cruentus, id est, tyrannus, lupus est diabolus, qui spiritualiter disfipat mala suggerendo, qui non corpora, sed mentes dilaniat. De quo Abacuc ait, Leuiores pardis equi eorum, & velociores lupis vespertinis. Lupus est hęreticus, qui fraudulenter decipit falsa prædicando, vel falsus frater, qui exemplo corrumpit malè operando. Fugiente autem mercenario, lupus infernalis rapit & dispergit oues, dum aliū ad luxuriam pertrahit, aliū in auaritiam accendit, aliū in superbiam erigit, alium per iracundiam impellit, hunc per inuidiam stimulat, illum per fallaciam supplantat. Mercenarius autem de damno animarum non curans fugit. Non enim nisi quæ sua sunt, quærit, lac & lanam vsque ad sanguinem emungens, & exemplo prauo plerumque oues interimens. Vnde Ezechiel ait: Cùm purissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabitis, & oues meę, bis quæ conculcata fuerant, pedibus vestris pascebantur, & quæ pedes vestri turbabant hæc bibebant. Aquam limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt, sed eandem aquam malè viuendo perturbant. Aquam autem turbatam oues bibunt cùm subiectus quisque non retractat quæ audit, sed sola quæ conspicit, exempla prauitatis imitatur. Illa autem vox efficaciter auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat. Hi autem mercenarij non procurant, vt oues suas & vultus pecoris sui cognoscant, sed vt pecunias emungant. Quomodo autem vultum pecoris sui cognoscunt, qui frequenter absentes sunt, per plateas, ciuitates & oppida curiosè discurrentes? Quotiescunque possunt Ecclesias diuersas, in diuersis locis sibi auarè conquirentes? De his autem mercenariis Ezechiel ait: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nónne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregē autem meum non pascebatis. Et iterum ait: Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmē panis. Hi sunt pastores, de quibus in Euangelio dicitur, quod pascebant gregem porcorum, id est, semetipsos. Quomodo autem qui semetipsos carnaliter pascunt, alios pascere spiritualiter possunt? Teste enim Gregorio, sapientiæ studere non possumus, si mensæ abundantiā cogitamus. Et per Zachariam Dominus ait: Suscitabo pastorem in terra qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum nō sanabit, & id quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, id est, bona temporalia diuitum, quibus adulabitur, & vngulas eorum dissoluet, id est, fortitudinem, iuxta illud: Populus meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum disipant. Et Micheas ait: Principes tui in muneribus iudicabant, & Prophetæ tui in mercede docebant. Et iterum idem ait: Omnes mercedes eius comburentur igni. Et beatus Gregorius ait: Qui suis præmitur delictis, non abluit aliena. Et iterum: Cuncti enim liquido nouimus, quia cùm is qui displicet, ad intercedendum mittitur, toties irati animus ad deteriora prouocatur. Et per Micheam Dominus ait: Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt. Et iterum: Si quis non dederit in ore quippiam, sanctificant super eum prælium. Hi enim claues Petri conuertunt in gladium Neronis, lanxantes retia in capturam pecuniarum, de quibus beatus Petrus ait: Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij. Et iterum ait: Erra-

*Iere 51.* *Tren. 2.* *Deut. 6.* *Eccle. 11.* *Deut. 27.* *Isaiæ 66.* *Osee 8.* *Ezech. 2.* *Iere. 30.* *Zach. 11.* *De multiplici bona fuga.* *2. Cor. 11.* *Matth. 10.* *Ioan. 7.* *Eccle 13.* *Iere. 51.* *Luc. 18.* *De lupo multiplici, de incommodis prouenientibus de mala fuga.* *Abac. 1.* *Phil. 2.* *Ezech. 34.* *De malo exemplo prælatorum.* *De auaritia sacerdotum & quia pascunt seipsos.* *Ezech. 34.* *Ezech. 13.* *Matth. 8.* *Mar. 4.* *Luc. 8.* *Zach. 11.* *Isa. 3.* *Mich. 3.* *Mich. 2.* *Mich. 2.* *Mich. 3.* *Luc. 5.* *2. Pet. 2.*

uerunt secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit. Tales enim non vi-
*Luc. 2.* gilant super gregem suum in eadem regione, in qua Christus natus est, sed sunt in regione
*Isaiæ 1.* dissimilitudinis à Deo elongati. Et Isaias ait: Principes tui infideles, socij furum, omnes di-
ligunt munera, sequuntur retributiones. Et iterum Ieremias ait: Quæsierunt cibum, vt refo-
*Tren. 1.* cillarent animas suas. Et iterum: Defixæ sunt in terra portæ eius, id est, prælati terrena diligen-
*Tren. 2.* tes. Et in Exodo dicitur: Mercenarius non comedet ex eo, id est, ex agno paschali. Mercenarius
*Exod. 12.* scilicet, qui pro mercede temporali seruit. Hi sunt qui alligãt onera grauia & importabilia, &
*Matth. 23.* imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere, cùm tamen scriptum
*Exod. 22.* sit: Non vrgebis fratrem tuum vsuris, id est, non iniunges ei plusquam sustinere possit. In his
autem bruchus & locusta, id est, gulositas & inanis gloria comedunt omnia terræ virentia.
*De superbia & superfluitate prælatorum.* Consumuntur enim omnia bona eorum per gulam, & inanem gloriam. Ipsi enim de Chri-
*3. Reg. 10.* sti paupertate facti sunt diuites, & de eius ignominia glorioſi, cum tamen legatur in libro Re-
*Exod. 12.* gum: quod equi adducebantur Salomoni de Ægypto. Non enim equorum pompam habet
de proprio Christiana religio. Neque vasa aurea & argentea, de proprio leguntur filij Israël
habuisse, sed ab Ægyptiis accommodasse. Vnde beatus Bernardus ad Eugenium Papam ait:
In his non Petro successisti, sed Constantino. Hi sunt qui volunt præesse, & non prodesse
desiderantes esse magistri, cùm nunquam fuerint discipuli. Cùm tamen, teste D. Gregorio, ordo
sit rectæ conuersationis, vt præesse non audeat, qui subesse non didicit, nec obedientiam sub-
iectis imperet, qui prælatis non nouit exhibere. Hæc autem de mercenariis dicta sufficiant,
*Ioan. 10.* quibus longè deteriores sunt fures. De quibus Dominus ait: Fur non venit, nisi vt furetur, &
*De fure, & latrone.* mactet & perdat, Vt furentur alienam rem sibi vsurpando. Mactet praua doctrina à fide ac
bonis moribus retrahendo. Perdat prauo exemplo in æternam damnationem mittendo.
Fur autem propriè dicitur, qui latenter nocet. Latro verò, quando palam & manifesto exem-
plo lædit. Fur quod est alienum suum dicit, id est, oues Dei suas facit. Latro quod furatus est,
occidit. Cùm autem mercenarius sit tolerandus, fur, id est, hæreticus, est abiiciendus qui veri-
tatem destruit, & quasi sub specie religionis animas dolosè interficit. Vnde Ezechiel: Quasi
*Ezech. 13.* vulpes in desertis Prophetæ tui Israël erant. Et Ieremias ait: Grex perditus factus est populus
*Iere. 50.* meus. Pastores eorum seduxerunt eos. Hæ sunt vulpes, quæ vineas Domini dimoliuntur, quæ
*Cant. 2.* foueas habent & sub specie religionis occultant se & latent. De quibus Ieremias ait: Propter
montem Syon, quia disperiit, vulpes habitauerunt in ea, id est, in Ecclesia propter defectum
montium, id est, robustorum prælatorum. Hi sunt sacerdotes Belis, qui intrant per fortium
ostiola. Hi sunt enim fures, qui effodiunt & furantur, de quibus Dominus conqueritur, dicens:
*2. Tim. 3.* Qui deuorant plebem meam, sicut escam panis. Hi sunt teste Apostolo: qui deuorant domos
*2. Cor. 11.* viduarum, & captiuas ducunt mulierculas peccatis oneratas. Operari enim subdoli transfigu-
rantes se in angelos lucis, furtiuè intrant in ouile Domini, vt oues strangulent. Contra
quos in templo Domini factæ sunt obliquæ feneſtræ, quæ lumen admittunt & furem exclu-
*Osee 7.* dunt. Fur etiam dicitur diabolus, de quo Osee ait: Fur ingressus est spolians latrunculus foris.
*Apoc. 16.* Neminem enim fur iste spoliare potest, nisi sit foris, id est, extra Ecclesiam. Beatus autem qui
*Contra eos qui abutũtur patrimonio crucifixi.* vestimenta sua custodit, ne nudus ambulet. Fures enim isti vestimentis virtutum nos expo-
liant. Fures præterea merito dicuntur, qui loculos Domini, sicut Iudas portant, & ea quæ mit
tuntur auferentes de patrimonio crucifixi, parentes suos ditant. De quibus Isaias ait: Principes
tui infideles, socij furum. De his autem sanctus Bernardus ait: Venient ante tribunal Iudicis, hi
quorum vixerunt stipẽdiis, nec diluere peccata, cæci duces, fraudulenti mercatores, mercenarij,
non pastores. Audietur allegatio dura, accusatio terribilis, querimonia grauis. Inde verò in
magna constantia, stabunt contra eos pauperes, quorum necessitatibus non subuenerunt in
sui, & suorum vsus superfluos expendentes, quæ pauperibus debebantur. Duplicis homicidij
rei animarum, scilicet, & corporum. Nec est mirum si dispenset infideliter, & contra Deum
*Matth. 7.* qui per Christum in Ecclesiam non intrant. Manifestam enim facit arborem fructus eius. Qui
enim sibi intrauit, non Deo, sibi quoque fructus expendit, non Domino. Et sicut Micheas ait:
quæ de mercedibus meretricum congregata sunt, ad mercedem meretricis reuertuntur. Me-
retrices enim prostare dicuntur. Isti autem pro pretio temporali, non pro fructu animarum in
Ecclesiis consistunt. Sunt igitur simul mercenarij & fures. Pari modo, qui cum falsis reliquiis
*De venali prædicatore & abbate cornuto.* prædicant, vt per mendacia pecuniam extorqueant, non sunt mercenarij, sed fures. Et idcirco
abiiciendi sunt, & suspendendi caupones diaboli miscentes aquam vino. Abbates insuper cor-
nuti, qui mitram habent, & duorum testamentorum scientiam non habent, qui annulum sicut
Episcopi ferunt, & sponsi Ecclesiæ, qui baculum gerunt, & gregem non regunt, qui se pasto-
res esse ostendunt, & pastores non sunt, sicut mulier quæ instrumenta concipiendi & pariendi
habet, & sterilis manet, vtrum inter mercenarios, & fures deputandi sint, ipsi viderint.
*Simile.* Nos autem fratres relictis mercenariis & furibus, pastori summo, qui animam suam posuit
pro ouibus suis, adhæreamus, ab ipsius regimine nunquam recedamus, vt ipso
ducente ad pascua viriditatis æternæ peruenire mereamur. Ipso
præstante, qui viuit & regnat, per omnia secula
seculorum, Amen.

DOMI-

# DOMINICA TERTIÀ POST PASCHA,

## THEMA DE INTROITV MISSAE ex Psalmo.

*Iubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.* Psalm. 65.

EXVLTAT & laudat his diebus mater nostra Ecclesia specialiter de resurrectione capitis quæ iam præcesſit, & de resurrectione corporis, quam futuram sperat, expectat & credit, inuitans omnes fideles ad iubilationem & canticum, ad Psalmum & laudē atq; gratiarum actionē, vt, scilicet, in aurora resurrectionis canant Christi aues canticum iubilationis & laudis. Laudari autem debet principaliter propter se, sicut & diligi propter se, scilicet, propter bonitatem suam, sicut scriptum est: Confitemini Domino quoniam bonus. Laudare etiam debemus ipsum propter nos, id est, propter bona quæ nobis fecit. Confiteri enim debemus Domino, quoniam bonus est in se, & quoniam in seculum misericordia eius, id est, quoniā bonus est nobis. Tripliciter igitur debemus laudare Deū, & gratias illi agere, quoniam bonus est nobis, id est, pro bonis & propter bona, & per bona quæ fecit nobis. Pro bonis siue de bonis, quæ fecit nobis ipsum debemus laudare. Omnia enim eius bona materia sunt diuinæ laudis. Vnde Psalmus ait: Venite & videte opera Domini. Opera, scilicet, creationis, recreationis, & remunerationis, seu æternæ retributionis, quæ omnia materiam præbent laudandi Deum, sicut opifex in opere suo laudatur. Nam pictura pictorem laudat, & domus bene compacta architectum commendat. Vnde in Cántico trium puerorum quod est, benedicite Domino omnia opera eius: omnis creatura ad Dei laudem inuitatur. Non quod insensibilia propriè Deum laudent, sed quia laudādi materiam præstant. Hoc enim modo laudant illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis. Cœli laudant Deum obsequendo, sicut scriptum est: Cœli aperti sunt super eum. Cœli etiam laudant ipsum materiam glorificandi præstando, sicut scriptum est: Cœli enarrant gloriam Dei. Et sic intelligendum est de aliis creaturis. Omnis namque creatura laudat Deum, non voce, sed opere, quia in creaturis creator intelligitur, & in singulis Dei magnificentia demonstratur. Omnis enim creatura clamat, Deus me fecit. Secundo modo laudare debemus Deum propter bona adipiscenda quæ nobis promittit, vt obsequendo, laudando idoneos nos reddamus, & illa percipere mereamur. Non solùm enim de beneficiis perceptis, sed insuper pro percipiendis & promissis Deum laudare debemus, scilicet, pro bonis æternis, ne nobis improperetur, pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Hæc autem laus siue hoc canticum dicitur iubilus mentis, lætitia voce siue verbis expressa. Hoc enim gaudium ineffabile non potest exprimi, nec tamen potest penitus taceri, de quo Isaias ait: Secretum meum mihi, beatus autem populus, qui per experientiam scit huiusmodi iubilationem. Iubilum enim cordis magis quàm strepitum oris Dominus desiderat. Nihil enim prodest strepitus vocalis vbi cor mutum est à laude Dei. Hic autem iubilus propriè est in contemplationis excessu. Cogitatio enim primò occurrit ex imaginatione, meditatio postea ex ratione, deinde contemplatio ex intellectuali comprehensione, cum suaui affectione, absorpta carne in victoria. Saphyrus enim contemplationis restringit sanguinem carnalis delectationis. Cogitatio sine meditatione, labor est sine fructu. Meditatio, labor est cum fructu. Contemplatio, fructus sine labore. Sara autem sterilis in iuuentute, sed fœcunda in senectute vita est contemplatiua. Hæc est optima pars quam elegit Maria sacrificium vespertinum, quod pinguius est matutino. De quo dicitur: Holocaustum tuum pingue fiat. Et iterum: Holocausta medullata offeram tibi. Postquam enim impinguatur in oleo caput nostrum, postquam sicut adipe & pinguedine repletur felix anima, vngitur ad misericordiam, feruet ad iustitiam, frigitur ad zelum, ardore dilectionis animus liquescit in Deum, suauitate saginatur in seipsum, compassione afficitur ad proximum. Et ita in meditatione deuotionem, in lectione cognitionem, in oratione pinguedinem, in doctrina claritatem, in operatione humilitatem inuenit. In excessu mentis perducitur ad ebrietatem. Bibit enim & inebriatur, dum omnia temporalia obliuiscitur, dum in contumeliis more ebrij ridet, & lætatur, dum quasi titubando incedens nunc infra se cadit per humilitatem, nunc extra se trahitur, dum propriam non sentit infirmitatem, nunc supra se rapitur per desiderium supernorū & ineffabilem lætitiam. Non solum autē pro bonis, & propter bona, sed insuper per bona quæ fecit nobis laudandus est Deus à nobis. Omnia enim bona quæ fecit nobis, incitant nos ad eius laudem, & laudandi præbent occasionem. Incitamur enim ad laudandum creatorem, per opera creationis. Ipse enim fecit nos, & non ipsi nos, & omnia alia quæ in mundo sunt, propter hominem fecit. Inuitamur ad laudandum redemptorem, per opera redemptionis & recreationis. Ipse enim pro redemptione nostra incarnatus est, natus, crucifixus, mortuus & sepultus, à morte surrexit, & in cœlum ascendit. Ascendimur insuper ad laudandum saluatorem per opera reuocationis, & iustificationis, quia rebelles patienter sustinuit, & ad pœnitentiam expectauit, quia fugitiuos reuocauit, quia gratis peccata dimisit, quia gratiam suam cordibus nostris infudit, infusam ampliauit, ampliatam conseruauit, & in variis tribulationibus nobis non defuit. Hunc autem modum redemptionis & iustificationis nostræ in præsenti Psalmo Propheta sufficienter exprimit, vt nos ad laudandum inuitet. Venite, inquit, & videte opera Domini, terribilis in consiliis habitis,

*Quibus modis & pro quibus laudandus sit Deus.*

*Matth. 3.*

*Dan. 3.*

*Quod omnis creatura diuinæ laudis est materia.*

*De secundo modo laudandi Deum.*

*De iubilo.*

*Isaiæ 24.*

*De cogitatione, meditatione, & contemplatione.*

*1. Cor. 15.*

*Gene. 16. Item 25. Luc. 10. Num. 28.*

*De bona ebrietate quæ fit per excessum mentis.*

*Cant. 5.*

*De tertio modo laudandi Deum ex perceptione bonorum.*

*Expositio quorundam quæ in Psalmo dicuntur, quibus ad laudandum inuitamur.*

habitis,

bitis, scilicet, super filios hominum de redemptione eorum. Licèt enim opera reparationis nostræ laudabilia sint, & amabilia valdè, terribilia tamen dicuntur, nō solum dæmonibus, quia per ea confunduntur, sed ingratis, quia sibi illa inutilia reddunt, & pro tantis beneficiis, Deum nec laudant nec diligunt, Propterea Psalmus: quàm terribilia sunt opera tua Domine? Timere enim debemus, ne, quod datum est humili, auferatur ingrato & superbo. Timendum est ingratis, ne accidat illis sicut contigit Iudæis à Deo reprobatis, qui habuerunt consilium pessimum mentiri contra Christum & crucifigendi ipsum, sicut Psalmus ait: In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Et ipse habuit consilium excęcandi superbos & abiiciendi ingratos. Ingratus enim est, qui tacet & non laudat Deum. Vnde Isaias: Qui reminiscimini Domini, ne taceatis. Ingratus est qui sibi tribuit quod à Deo habet, sicut hi, de quibus Propheta ait: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Ingratus est, qui alij attribuit quod est Dei, sicut scriptum est. Retribuebant mihi mala pro bonis. Ingratus est, qui gratiam datam abiicit, & ad vomitum redit. Vnde Isaias ait: Indulsisti Domine genti, nunquid glorificatus es ab eis? Elongasti omnes terminos terræ, quasi diceret: Quia te nō glorificauerūt magis propter hoc à te elongati sunt. Melius enim esset eis viam veritatis non agnouisse, quàm post agnitam retroire. Non igitur ingrati simus, sed pecuniam quam habemus in saccis ad vnum Ioseph reportemus, dicentes cum Propheta Dauid: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et cum Isaia: Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et Apostolus ait: Gratia Dei sum id quod sum. Et iterum: Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Vnde Dominus Moysi ait: Sanctifica mihi omne primogenitum, id est, cuiuslibet boni operis principium mihi specialiter attribue. Non solum autem principium, sed & finem. Vnde in lege præcipitur, quod Deo offerantur primitiæ & decimæ. Quia initium & finem boni operis ad ipsum debemus referre, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Cognari autem Ioannis voluerunt vocare eum nomine patris sui, sed parentes vocauerūt eum Ioannem, qui interpretatur gratia Dei. Filios enim bonorū operū eius gratiæ attribuere debemus. Cain autē reprobus ædificauit ciuitatem & vocauit eam nomine filij sui. Hi sunt de quibus Dominus per Osee ait: Dedi eis frumentum, vinum, & oleum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerūt Baal. Per frumentum lex, per vinum spiritualis intelligentia, per oleum sacramenta vel illuminatio sensus, per argentum eloquij nitor, per aurum sapientia intelliguntur: pro quibus omnibus non Deum, sed dæmones venerabantur. Propterea Dominus per Iob ait: Seruum meum vocaui, & non respondit mihi. Vocat nos Deus collatis beneficiis, sed non respōdent ei ingrati, laudando & digna opera donis eius reddendo. Nos autem canticum graduum Domino cantemus, vt pro singulis profectibus nostris ipsum laudemus, & pro receptione filij prodigi simphonia & chorus audiantur. Ipse enim conuertit mare in aridam, id est, mundum amarum, vt sitiat aquam dulcem, vel fluxum gentilitatis reduxit ad stabilitatem, vt in flumine pertransirēt pede, id est, sine periculo fluxum fragilitatis humanæ & labilitatis huius seculi, in quo omnes ferè, priusquam Christus per sacramenta redemptionis nostræ mare rubrum nobis peruium reddidisset, submersi eramus, aquas nimirum carnalium desideriorum congregando, & constringendo, vt appareret arida, & terra nostra daret fructum suum. Aquas etiam infidelium à terra Ecclesiæ Dominus segregauit, non tam corpore quàm mente, non tam loco quàm merito. Et ideo laudare debent & gratias agere conuersi de gentibus, quia oculi eius super gentes respiciunt eas illuminando. Prospexit enim Dominus de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit, conuersos de gentibus visitando. Iudæi autem reprobi & ingrati, qui Deum per ingratitudinem exasperant, & similiter mali Christiani, non exaltabuntur, in semetipsis, sed magis confundentur & deprimentur, licèt exaltati videantur in mundo. Inuitat igitur mater nostra Ecclesia in hodierno officio omnes filios suos de vniuersis mundi partibus ad fidem congregatos, vt iubilent Deo & Psalmum dicant nomini eius. Quasi diceret: Iubilate filij & laudate, vt vna laus iungat quos vna fides sociat, & vna remuneratio expectat. Benedicere igitur debent gentes Deum, & auditam facere aliis vocem laudis eius: vt eorum exemplo ad laudem prouocentur. In quorum persona Psalmus ait: Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Venite credendo, audite obediendo, narrabo quanta fecit & sustinuit pro redemptione animæ meæ, redemptor meus, qui, scilicet, posuit animam meam ad vitam. Mortuus est enim, vt mortem nostram destrueret. Resurrexit, vt vitam nobis conferret. Pro tantis igitur beneficiis debemus laudare Deum, corde, ore, & opere. De laude cordis Psalmus ait: Confitebor tibi Domine in toto corde meo. De laude oris ait: Semper laus eius in ore meo. De laude operis ait Apostolus ad Corinthios: Siue manducabitis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Semper autem Deum laudat, qui semper benè operatur. Qui autem malè viuunt, non Deum laudant, sed nomen eius blasphemant. Propter vos, inquit, Dominus nomen meum blasphematur in gentibus. In fortitudine enim vocem suam exaltat, qui pro æternis operatur & perseueranter desiderat, bono etiam exemplo Deum laudamus, dum lucent opera nostra coram hominibus, vt glorificetur Deus. Deum autem verè laudare, est omnia bona sua Deo attribuere, & in gloriam eius, nō propriam gloriam quærere. Si enim laudem humanam quærimus, diuinam amittimus. Si hic laus quæritur, in futuro remunerando amittitur. Non nobis igitur, sed nomini eius laudem dare debemus. Vnde in Cas-

*Isaiæ 62.* *De multiplici ingratitudine.* *Deut. 32.* *Exod. 32.* *Prouer. 26.* *2. Pet. 2.* *Isaiæ 26.* *Quod omnia bona nostra Deo debemus attribuere.* *Gene 14.* *1. Cor. 15.* *2. Cor. 3.* *Exod 13.* *Exod. 22.* *Ioan. 15.* *Luc. 1.* *Gene. 4.* *Oseæ 2.* *Iob 19.* *Luc. 15.* *Iterum exponuntur quædam ex Psalmo, quæ ad Dei laudem pertinet.* *Gene. 1.* *De triplici laude.* *1. Cor. 10.* *Isaiæ 54.* *Item 40.* *Matth. 5.* *Quod non nobis, sed nomini Dei laudē & gloriam dare debemus.*

in Canticis dicitur. Dilectus meus similis est capreę, hinnuloque ceruorum. In caprea visus subtilitas. In hinnulo gratię humilitas commẽdatur. Est igitur similis hinnulo, qui dat gratiam. Est similis capreę, quia dat intelligentiam, vt sciamus quę à Deo donata sunt nobis, & opera nostra illi, non nobis attribuamus. Quis enim credat parieti, si se parturire radium dicit? quem à sole per fenestram suscipit? Propterea Isaias ait: Si glorificaueris Dominum Deum tuum, dum non facis vias tuas, delectaberis super Domino. Hic enim verè in Domino delectatur laudando, qui Deum glorificat, vias, id est, opera non faciendo sua, sed attribuendo Deo. Nomen autem Dei laudant, qui virtutes eius prædicant, sicut scriptum est: Exaltabo te Deus meus, Rex & benedicam nomini tuo, id est, notum te faciam prædicando. Teste enim Salomone: Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciẽ amici sui, id est, Deum laudando, alios ad laudandũ excitat & accendit. Debemus igitur Psalmum dicere nomini eius, & dare gloriam laudi eius, non nobis, nec industriæ nostræ. Infirma enim mundi eligit Deus, ne quis in se glorietur. Non igitur debemus meritis nostris iustitiam, neque nobis de operibus nostris gloriam. Psalmum autem Domino dicit, qui benè pro cœlestibus ad ipsius honorem operatur. Nam instrumentum illud manu tangitur, & à parte superiori sonum reddit. Per manum autem operatio intelligitur. Vnde & in Psalterio decachordo psallere dicimur, dum benè operãdo mandata decalogi obseruamus. Debemus igitur laudare ore, quod psallimus opere, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Vnde in Canticis Dominus ait: Ostende mihi faciem tuam, scilicet, bene viuendo, & tunc sonet vox tua in auribus meis laudando. Ex ore enim infantium per innocentiam, & lactentium per internas dilicias, & spirituale gaudium perficit Dominus laudem, quia qui sic laudant, perfecti sunt laudatores. Propterea Isaias ait: Sicut hortus germen suum germinat, sic Dominus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus, primò dicit iustitiam. Postea laudem, quia sine iustitia non placet Domino laus vocalis, sicut scriptum est: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Qui enim malè viuit, non psallit Domino, sed magis tumultuari dicitur. Vnde Dominus per Amos ait: Aufer à me tumultum carminum tuorum. Et iterum ait: Putauerunt se habere vasa cantici, sicut Dauid: bibentes in phyalis vinum, quasi dicat, Cùm in deliciis viuant, sicut cantus Dauid Deo placebat, ita canticum suum Deo placere putant. Sed huiusmodi laus Deo non placet. Quomodo enim cantare possunt canticum Domini in terra aliena, id est, in conscientia per peccatum mortale à Deo alienata. Te decet enim hymnus Deus in Syon, non in Babylonia. Vnde ad Ephesios Apostolus ait: Implemini spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in hymnis, & psalmis, & Canticis spiritualibus. Monet spiritu sancto impleri cantãtes, aliter enim cantus Domino non placeret. Ad hoc enim vt sit verè confitens, oportet quod Iudas vino cõpunctionis lauet stolam suam, vt vestimenta eius sint candida, & sic laus eius erit Deo accepta. Calamus autem quassatus, per peccatum mortale non reddit suauem harmoniam. De malis autem indignis laudatoribus conqueritur Dominus, dicens: Et qui laudabant me, aduersum me iurabant. Mali enim Deum laudant, quidam momentaneè, de quibus dicitur: Confitebitur tibi cùm benefeceris ei, alij scelerosè, qui falsa de Deo prædicant. Deus enim mendaciis nostris non indiget, alij per auaritiam, qui magis cantant pro nummo, quàm pro Deo. Contra quos Isaias ait: Pauperes in sancto Israël exultabunt, pauperes, scilicet, spiritu, non cupidi, non auari, alij superficialiter. De quibus Dominus ait: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Dum enim psallunt ore, vana cogitant corde. Limosa enim est de terrenis cogitatio. Vnde dum limosam mentem inuenit, statim adhęret illi. Propterea Psalmus ait: Psallam & intelligam. Et iterum ait: Ad ipsum ore meo clamaui, non fictè, sed in cordis exultatione. Quia exaltaui sub lingua mea in corde. Iocunda enim pariter & decora debet esse laudatio, vt gaudium sit in conscientia. Sicut in Genesi dicitur: Cuius semẽ in semetipso sit, vt, scilicet, in nobis bonæ cõscientiæ testimonium habeamus. Si enim in deliciis non affluamus in corde, non possumus laudando ascendere. Vnde in Canticis dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit, deliciis affluens? Iubilare ergo debemus Deo corde, vt ascendat in cordibus nostris Deus in iubilatione. Psalmum dicere debemus, nomini eius, non nomini nostro, sicut hi qui vocauerũt nomina sua in terris suis. Laudate, inquit, Propheta nomen eius, quoniam suauis est Dominus, id est, dum laudatur, dulcescit. Et idcirco diabolus pro posse suo nititur, vt quiescere faciat omnes dies festos Dei à terra. Econtra boni gratiter tolerant, quidquid non sonat, id quod amant. Vnde Psalmus ait: Semper laus eius in ore meo. Et quoniam teste Propheta: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime, psalmum dicamus, non solum nomini eius, sed nominibus. Secundum enim multiplex nomen eius, ita & laus eius vsque ad fines terræ. Quodlibet autem ipsius nomen suam speciliter exigit laudem. Habet enim Dominus noster multa nomina, quorum quædam conueniũt ei essentialiter & æternaliter, vt Deus bonus, omnipotens. Quædam personaliter & relatiuè quæ distinctiua sunt personarum, vt pater, filius, & spiritus sanctus. Quædam autem conueniunt ei ex tempore, quæ respectum habent ad creaturas, & consignificauit effectum in creaturis, vt creator, refugium, Dominus, & consimilia. Deus enim dicitur creator, id est, Deus à quo creatura incipit esse: Deus est refugium, id est, Deus est Deus, ad quem creatura habet refugium. Deus est Dominus, id est, Deus est Deus, cui subiecta est creatura. Quædam autem nomina conueniunt ei secundum interpretationem. Vnde ipse dicitur Dauid, quod interpretatur

*Cant. 2.*
*1. Cor. 2.*
*Isaiæ 58.*
*Prouer. 27.*
*Quid sit Psalmum dicere nomini Dei.*
*1. Cor. 1.*
*Quod non sit speciosa laus in ore peccatoris.*
*Eccle. 15.*
*Cant. 2.*
*Isa. 61.*
*Amos 5.*
*Amos. 6.*
*Ephe. 5.*
*Gene. 49.*
*Isa. 42.*
*De indignè laudantibus Deum.*
*Ioh 13.*
*Isaiæ 29.*
*Gen. 1.*
*2. Cor. 1.*
*Cant. 8.*
*De diuersis nominibus Dei, quibus laudem dicere debemus.*
*vt secundum diuersitatem nominum sit diuersitas laudum.*
*Isa. 42.*

Matth.20. pretatur manu fortis. Quædam autem secundum similitudinem creaturarum, & proprietates earum dicuntur de ipso. Vnde ipse dicitur leo, quia more leonis dormit, apertis oculis, & tertia die resurrexit. Quædam autem nomina conueniunt ei secundum adaptationem facti, vnde

1. Reg.17. quia ipse diabolum superauit, sicut Dauid Goliam deuicit, hoc nomine Dauid nuncupatur. Quot ergo nominibus appellatur, tot laudibus exaltatur. Siquidē alma chorus Domini, dū pangit nomina summi secundū diuersitatē nominum multiplicat præconia laudū. Quot enim sunt

Matth.6. Luc.11. Deut.6. Exod.3. nomina Dei, tot habemus materias laudandi, & Psalmum dicendi nomini eius, sicut scriptum est: Sanctificetur nomē tuū. Psalmum enim nomini eius, quod est Deus, dicimus. Dū enim simpliciter, & in seipso de eius maiestate, & æternitate laudamus, sicut scriptū est: Quis Deus magnus, sicut Deus noster est. Et iterum: Audi Israël Deus tuus vnus est. Et in Exodo: Ego sum qui sum: Qui est, misit me ad te. Psalmū dicimus nomini eius, quod est bonus, dum ipsum in se perfectū, & summè beatū prædicamus, sicut scriptū est: Cōfitemini Domino quoniā bonus.

De nominibus essentialibus & laudeerum, & primò de his nominibus, Deus bonus, omnipotens, Matth.19. Mar.10. Luc.18. Apoc.22. Rom.11. Nemo enim bonus, nisi solus Deus. Nomini eius quod est omnipotēs, Psalmum seu laudē dicimus, dum maiestati suæ nihil posse resistere, & ipsum omnia sine difficultate posse facere cōfitemur, sicut scriptū est: Dixit & facta sunt, mādauit & creata sunt. Alpha & Ω laudē dicimus, dū ipsum principium & finē omnium prædicamus, sicut Apost. ait: Ex quo omnia, in quo omnia, per quē omnia, ipsi gloria. Et in titulis Psalmorum frequēter dicitur: In finē Psalmus Dauid. Et in Psal. dicitur: Notum fac mihi Domine finē meum, id est, ipsum Deū.

De his nominibus & ω iustus. Laudē dicimus nomini eius, quod est iustus, dum ipsum omni iniquitate carere, & omnibus quod suum est, reddere prædicamus, hoc est enim nomē, quod vocabūt eum, Dominus iustus noster. Iustus enim Dominus, & iustitias dilexit, & nō est iniquitas in eo.

Iere.23. De his nominibus, Oriens, Adonaii, Sabbaoth. Laudē dicimus nomini eius, quod est oriēs, cū ab ipso radios veræ illuminationis procedere profitemur. Vnde Zachar. Propheta ait: Ecce vir oriēs nomē eius. Ipse enim illuminat omnē hominem venientē in hunc mundum. Laudem dicimus nomini eius, quod est Adonaij, siue Dominus quod idē est, dum ei omnia subiecta esse prędicamus, sicut scriptum est: Domini est terra & plenitudo eius. Laudē dicimus nomini eius, quod est Sabbaoth, vel Deus Sabbaoth, dum cœlestes exercitus sub ipso militare cōfitemur, sicut in Daniēle dicitur: Milia milium ministrabant ei, & decies cētena milia assistebant ei.

Zach.6. Ioan.1. Iudit.9. Dan.7. De his nominibus, pater, filius, & spiritus sanctus. Mich.5. Laudem dicimus nomini eius, quod est pater, cùm ipsum generare filium confitemur, sicut scriptum est: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Laudem dicimus nomini eius, quod est filius, cùm ipsum filium à patre genitum prædicamus, sicut scriptum est: Ego sapientia ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Et Micheas ait: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Laudem dicimus nomini eius, quod est spiritus sanctus, cùm ipsum spiritum à patre & filio procedere confitemur, sicut scriptum est in symbolo Athanasij: Spiritus sanctus à patre & filio, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Et in Euangelio Dominus ait: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri. Paulus enim ipsum spiritum à filio procedere testatur, dicens: Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra. Laudem dicimus nomini eius, id est, Christo, de quo Isaias ait: Ecce nomen Domini venit de longinquo,

Matth.10. Mar.13. Gal.5. Isa.30. De laude Christi multiplici secundū diuersa nomina, quæ illi adaptantur. Matth.1. De his nominibus, Iesus Christus, siue Messias atque Emanuel, & de nomine tetragrammaton. Isaiæ 7. Matth.1. Phil.2. Baruch.4. 1. Pet.2. Isaiæ 53. Osee 6. cùm Dominum nostrum Iesum Christum multipliciter laudamus, cui pater dedit nomē, quod est super omne nomen. Laudē etiam dicimus nomini filij, quod est Iesus, cùm ipsum de salute nostra laudamus, sicut scriptum est: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Laudē dicimus nomini eius, quod est Christus, siue Messias, cùm ipsum secūdum humanitatem vnctum oleo lętitiæ suauē, scilicet, & mansuetum prædicamus, sicut scriptum est: Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Nomini eius quod est Emanuēl, id est, nobiscum Deus laudem dicimus, cùm ipsum incarnatum & humanatum cōfitemur, sicut scriptum est in Apostolo: Et habitu inuentus vt homo. Ipse enim in terris visus est, & cum hominibus cōuersatus est, eiusdē naturæ nobiscū. Laudē dicimus nomini eius, Tetragrammaton quod sonat principium vitæ passionis istę, cùm ipsum pro nobis passum, & morte sua nos viuificasse cōfitemur. Sicut Petrus ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et Isaias ait: Liuore eius sanati sumus. Et Osee ait: Viuificabit nos

Isaiæ 7. Matth.1. Phil.2. Baruch.4. 1. Pet.2. Isaiæ 53. Osee 6. De his nominibus Angelus, Adam, Abel. Isa.14. Isaiæ.9. 1. Cor.15. Isa.63. De his nominibus, Noë, Melchisedech, Abraham. Heb.5. Ioan.16. Heb.7. post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Quædā autem nomina conueniunt ei secundum interpretationem. Vnde & ipse dicitur Angelus, quod missus interpretatur. Nomini eius quod est Angelus laudem dicimus, dum ipsum à patre missum, pro salute nostra confitemur. Sicut in Isaia dicitur: Dominus misit me & spiritus eius. Et iterum ait: Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus. Ipse etiā dicitur Adā, quod interpretatur rubra terra, eò quòd sanguine passionis suę caro eius rubricata est. Vnde Apostolus ait: Primus Adā de terra terrenus, secūdus Adam de cœlo cœlestis. Nomini igitur quod est Adam laudem dicimus, dum ipsum sanguine passionis suæ rubricatū prædicamus. Sicut in Isa. dicitur: Quare rubrū est vestimentū tuū? Ipse dicitur Abel, quod interpretatur luctus. Nomini igitur quod est Abel laudē dicimus, cū ipsum pro nobis fleuisse prædicamus, sicut Apost. ait: Cū clamore valido, & lachrymis emisit spiritū, ipse dicitur Noë, quod interpretatur requies. Nomini igitur, quod est Noë, laudē dicimus, cū nos in ipso requiescere cōfitemur, sicut scriptū est: In mūdo pressurā, in me aūt requiē habebitis. Ipse dicitur Melchisedech, quod interpretatur Rex iustus. Nomini igitur, quod est Melchisedech laudē dicimus, cū ipsum iustū Regē prędicamus, sicut scriptū est: Deus iudiciū tuū regi da, & iustitiā tuā filio regis, id est, Christo, qui est Rex, & filius regis, id est patris. Ipse dicitur Abrahā, quod

quod interpretatur pater excelsus. Nomini igitur, quod est Abraham laudem dicimus, dum ipsum patrem omnium & excelsum super omnia prædicamus, sicut scriptum est: Vnus est pater vester qui est in cœlis. Et in Psalmo dicitur: Excelsus super omnes gentes Dominus. Ipse dicitur Loth, cuius vxor synagoga conuersa est in lapidem salis. Loth interpretatur declinans: Laudem ergo dicimus huic nostro Loth, cùm ipsum perfectè declinare à malo, & facere bonum confitemur. Ipse etiam declinat à malis. Vnde Psalmus ait: Non declines in ira à seruo tuo. Declinatur etiam per humilitatem, sicut scriptum est: Qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Ipse dicitur Isaac, quod interpretatur risus siue gaudium. Nomini igitur eius, quod est Isaac, laudem dicimus, dum ipsum gaudium nostrum esse confitemur. Vnde in Canticis dicitur: Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum. Ipse etiam dicitur Iacob: quod interpretatur supplantator vel luctator: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum contra diabolum luctatum esse, & eum supplantasse prædicamus, sicut scriptum est: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Et iterum: Deiecisti eos dum alleuarentur. Ipse etiam dicitur Israël, quod interpretatur videns Deum: Huic nomini laudem dicimus, dum filium sem per patris faciem videre confitemur, vnde ipse ait: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem. Nomina etiam duodecim filiorum Iacob, scilicet, duodecim Patriarcharum illi conueniunt secundum interpretationem. Ipse dicitur Ruben, quod interpretatur filius visionis: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsius visione gloriam æternam prædicamus, sicut scriptum est: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et Petrus ait. In quem desiderant angeli prospicere. Ipse dicitur Symeon, quod interpretatur audiēs: Huic nomini laudem dicimus, cùm ipsius obedientiam prædicamus, sicut scriptum est: Factus obediens vsque ad mortem. Et iterum: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Ipse dicitur Leui, quod interpretatur additus vel assumptus: Huic nomini laudem dicimus, cùm Christum secūdum humanitatem à Deo assumptum prædicamus, sicut scriptum est: Beatus quem elegisti & assumpsisti. Ipse dicitur Iudas, quod interpretatur confitens: Huic nomini laudem dicimus, dum eius confessionem laudis prædicamus, sicut scriptum est: Confiteor tibi pater cœli & terræ, quia reuelasti hæc paruulis. Ipse dicitur Isachar, quod interpretatur merces: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum mercedem electorum suorum confitemur. Vnde in Genesi ad Abraham Dominus ait: Ego merces tua magna nimis. Ipse dicitur Zabulon, quod interpretatur habitaculum fortitudinis: Huic nomini laudem dicimus, dum in ipso firmum habitaculum nos habere prædicamus, sicut scriptum est. Esto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimici. Et iterum: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Ipse dicitur Beniamin, quod interpretatur filius dexteræ: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum Christum à dextris maiestatis in excelsis sedere confitemur, sicut scriptum est: Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse agnos suos ponet à dextris & hœdos diaboli à sinistris. Ipse dicitur Dan, quod interpretatur iudicans: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum venturum Iudicem confitemur, sicut scriptum est, Pater omne iudiciū dedit Filio. Ipse dicitur Nephthalim, quod interpretatur latitudo: Huic nomini laudem dicimus, cùm latitudinem seu amplitudinem charitatis eius prædicamus. Vnde Apostolus ait: Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Et iterum: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine? Ipse dicitur Gad, quod interpretatur accinctus, vel latrunculus: Huic nomini laudem dicimus, cùm ipsum ad pugnandum pro nobis accinctum prædicamus, sicut scriptum est: Indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se. Et iterum: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Ipse etiam tanquam fur seu latrunculus venturus est ad iudicium, ideò, subitò & improuisus. Ipse dicitur Aser, quod interpretatur beatitudo: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum beatum & sanctorum suorum beatitudinem esse confitemur. Ipse enim beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Et Paulus ait: Beatus & solus potens. Et Dauid ait: Tu autem susceptor meus & gloria mea, id est, beatitudo mea æterna. Ipse dicitur Ioseph, quod interpretatur filius accrescens, vel augmentum: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum rempublicam, id est, Ecclesiam sanctam augmentasse cōfitemur, sicut scriptum est: In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Et in Genesi dicitur: Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli. Ipse dicitur Manasses, quod obliuio interpretatur: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum malos obliuisci prædicamus. Peccatorum etiam nostrorum obliuiscitur, dum illa ad vindictam recordatur, sicut in Ezechiele scriptum est. Omnium iniquitatum eius non recordabor. Et in Iob dicitur: Obliuiscetur eius misericordia, dulcedo illius vermis. Qui enim in verme carnalis voluptatis delectantur, hos misericordia Dei obliuiscitur. Ipse dicitur Effraim, id est, fructificans vel frugifer: Huic autem nomini laudem dicimus, dum ab ipso nos fructificare confitemur, sicut scriptum est: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Et Apostolus ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Ipse dicitur Iob, quod interpretatur dolens: Huic nomini laudem dicimus, dum ipsum pro nobis doluisse, & dolores nostros portasse prædicamus. Ipse enim te ste Isaia: Vir dolorum, & sciens infirmitatem. Et iterum: Dolores nostros ipse portauit. Et Apostolus ait: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Ipse

*De his nominibus Loth, Isaac, & Iacob Israël.*

*Cant. 1.*
*Gene. 27.*

*Matth. 18.*
*Ioan. 10.*
*De nominibus duodecim Patriarcharū, quæ Christo conueniunt secundū interpretationem.*
*Ioan. 17.*
*De his nominibus Ruben, Simeō, Leui.*
*1. Pet. 1.*
*Phil. 2.*
*De his nominibus Iudas, Isachar, Zabulon.*
*Matth. 11.*
*Luc. 10.*
*Gene. 15.*

*De his nominibus, Beniamin, Dan, & Nephthalim.*
*Heb. 1.*

*Matth. 25.*
*Ioan. 5.*

*Ephe. 3.*
*De his nominibus Gad, Aser. Ioseph*

*Gene. 49.*

*Ephe. 2.*
*Gene. 22.*
*De his nominibus Manasses, Effraim, Iob.*
*Ezech. 18.*
*Iob 24.*

*Ioan. 15.*
*1. Cor. 3.*

dicitur

dicitur Moyſes, quod interpretatur aſſumptus ex aqua: Huic nomini laudem dicimus, dum ipſum pro nobis baptizatum fuiſſe prædicamus, ſicut ſcriptum eſt: Baptizatus Ieſus, cõfeſtim aſcendit de aqua. Ipſe etiam ex aquis humanæ mortalitatis aſſumptus eſt in reſurrectione: Sicut Apoſt. ait: Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. Ipſe dicitur Aaron, id eſt, mõs fortitudinis, vel montanus: Huic nomini laudẽ dicimus, dum eius fortitudinẽ & celſitudinẽ prædicamus, ſicut ſcriptum eſt: Mons coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitũ eſt Deo habitare in eo. Et Iſa. ait: Erit mons domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur ſuper omnes colles. Ipſe dicitur Ioſue, quod interpretatur Saluator: Huic nomini laudẽ dicimus, dum ipſum Saluatorẽ noſtrum cõfitemur, ſicut ſcriptum eſt: Qui ſaluos facit ſperãtes in ſe. Duodecim etiã nomina duodecim Iudicum Iſraël illi cõueniunt ſecundũ interpretationes, per quos Iudices ratione numeri duodecim Apoſtoli deſignantur. Ipſe dicitur Othoniel, quod interpretatur reſponſio Dei: Huic nomini laudem dicimus, dum Chriſtũ pro nobis reſpondere prædicamus, ſicut ſcriptũ eſt, Domine vim patior, reſponde pro me. Ipſe enim fideiuſſor eſt pro nobis apud Patrem, & eſt aduocatus noſter in curia cœleſti. Ipſe dicitur Aioth, quod interpretatur inclitus Domini: Huic nomini laudẽ dicimus, dum Chriſti nobilitatẽ prædicamus: Vnde in Parab. Nobilis in portis vir eius, quãdo ſederit cum Senatoribus terræ. Ipſe dicitur Sangar, quod interpretatur aduena vel colonus: Huic nomini laudẽ dicimus, dum ipſum colonum in terra fuiſſe prædicamus. Vnde Iere. ait: Quare, ſicut colonus futurus es in terra? Ipſe etiã aduena fuit in mũdo pro nobis, & peregrinus, qui nõ habuit vbi caput reclinaret. Ipſe dicitur Delbora, quod interpretatur apis: Huic nomini laudẽ dicimus, dum ipſum tanquã apẽ ex flore Virginis ſine ſemine procreatum prædicamus. Vnde in Eccle. dicitur: Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Ipſe etiã mel habuit in primo aduentu, & aculeũ habebit in ſecundo. Ipſe dicitur Gedeon, quod interpretatur tentatio humilitatis: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum pro nobis in humilitate humanę naturę tentatũ fuiſſe prædicamus. Vnde ipſe ait: Cõfidite, quia ego vici mundũ. Et iterũ: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis. Ipſe dicitur Thola, quod interpretatur ager vel vermiculus: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum agrũ plenum, cui benedixit Dominus, cõfitemur, ſicut ſcriptũ eſt: Plenitudo agri mecũ eſt, agri, ſcilicet, floridi & frugiferi, id eſt, Chriſti, qui etiã dicitur vermiculus de terra Virginis, ſine coitu natus ſicut ſcriptum eſt, ego ſum vermis & nõ homo. Ipſe dicitur Iahir, id eſt, illuminans vel vlciſcẽs. Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum vnũ lumẽ bonorũ, & vltorẽ malorũ prędicamus, ſicut ſcriptũ eſt: Ambulate dũ lucẽ habetis. Et in Pſal. dicitur: Et vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Et iterũ: Deus vltionũ Dominus. Ipſe dicitur Iephthe, quod interpretatur aperiens: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum ianuas vitæ fidelibus aperuiſſe prædicamus. Vnde in Apoc. dicitur: Aperit, & nemo claudit. Ipſe etiam diſcipulis aperuit ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Ipſe dicitur Abeſan, quod interpretatur pater vel fortis: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum paternitatem & fortitudinẽ prædicamus. Ipſe enim Deus fortis, pater futuri ſeculi. Et in Iob dicitur: Quis eſt pluuiæ pater, aut quis genuit ſtillas roris. Ipſe dicitur Ahilon, quod interpretatur videns: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum omnia videre prædicamus, ſicut ſcriptũ eſt: Qui finxit oculũ, non conſiderat. Ipſe dicitur Abdon, quod interpretatur ſeruus mœroris: Huic nomini laudẽ dicimus, dum Chriſtum mœrentibus in hoc exilio miniſtraſſe prædicamus. Filius enim hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare. Et factus eſt lugentiũ conſolator. Ipſe dicitur Sampſon, quod interpretatur ſolis fortitudo: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ Chriſtum fortitudinem patris prædicamus. Vnde in Iob dicitur: Apud eũ eſt fortitudo & ſapientia. Ipſe pręterea dicitur Samuël, quod interpretatur Dei poſtulatio. Ipſum enim patres antiqui cũ multis precibus poſtulauerunt: Huic nomini laudẽ dicimus, cũ deſiderium antiquorũ ipſum prædicantium prædicamus, ſicut ſcriptũ eſt: Multi Reges & Prophetæ voluerũt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Ipſe dicitur Dauid, quod interpretatur manu fortis vel aſpectu deſiderabilis: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ eius fortitudinem & pulchritudinẽ prædicamus, ſicut ſcriptum eſt: Fortitudo mea & laus mea Dominus. Et Iob ait: Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Et de pulchritudine in lib. Sapien. dicitur. Candor eſt lucis æternæ ſpeculũ ſine macula. Ipſe dicitur Salomon, id eſt, pacificus: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum pacis authorẽ cõfitemur: Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. Ipſe dicitur Helias, quod interpretatur Deus meus, Dominus meus: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum Deũ & Dominũ cõfitemur, ſcriptũ eſt: Tu es Deus, qui facis mirabilia. Et iterũ: Benedictus Dominus Deus meus. Ipſe dicitur Elizeus, quod interpretatur Dei mei ſalus: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum nos fortiter ſaluaſſe cõfitemur, ſicut ſcriptũ eſt: Induratũ eſt cor Pharaonis, nõ vult dimittere populum meũ niſi in manu forti. Ipſe dicitur Ieremias, quod interpretatur excelſus Domini: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum coëqualẽ patri prędicamus, ſicut ſcriptũ eſt: Ego & pater vnũ ſumus. Ipſe dicitur Ezechiel, quod interpretatur fortis Domini: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ Chriſtũ forte & omnipotentẽ prędicamus, ſicut ſcriptũ eſt: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Ipſe dicitur Daniël, id eſt, iudiciũ Dei: Huic nomini laudẽ dicimus, dũ ipſum iudicẽ viuorũ & mortuorũ prædicamus, ſicut ſcriptũ eſt: Iudicabit orbem terræ in æquitate. Nomina etiã duodecim Prophetarũ, ſecundũ interpretationes de ipſo dicuntur, quæ facile eſt aſſignare Deo, & ex ipſis laudẽ aſſumere cognitis eorũ interpretationibus. Oſee enim interpretatur ſalu-

*De his nominibus, Moſes, Aarõ, Ioſue. Rom. 6.*

*Iſa. 2. Mich. 4.*

*De duodecim nominibus Iudicum, quæ Chriſto interpretatiuè conueniunt.*

*Iſa. 38.*

*Prouer. 30.*

*Iere. 14. Matth. 8. Lucæ 9. Eccle. 11.*

*De his nominibus, Delbora, Gedeon, Thola. Ioan. 16. Lucæ 22.*

*De his nominibus, Iahir, Iephthe, Abeſan. Ioan. 12.*

*Iſaiæ 34. Apoc. 3. Lucæ 24. Iſaiæ 9. Iob 38.*

*De his nominibus, Ahylõ, Ardõn, Sampſon.*

*Matth. 20. Mar. 10. Iob. 12.*

*De his nominibus, Samuel Dauid, Salomon. Math. 12. Lucæ 10. 1. Pet. 1.*

*De his nominibus, Helias, Elizeus, Iſaias. Exod. 7.*

*De his nominibus, Ieremias, Ezechiel, Daniël. Ioan 10. Matth. 28.*

*De duodecim nominibus Prophetarũ, quæ Chriſto conueniunt, & d interpretatione eorum.*

tor, vel saluans, Ioël incipiens Deo, Amos fortis vel honestus, Abdias obsequēs Domini, Ionas columba, Micheas humilitas, Naum consolator, Abacuc luctator, Sophonias speculator, Aggeus solemnis, Zacharias mens vel memoria Domini, Malachias Angelus Dei. His igitur nominibus laudē dicimus, dum ex his quæ per hæc intelligūtur, Deum laudamus. Omnia autem ferè prædicta nomina Deo conueniunt secundū adaptationē eorum quæ gesta sunt ab his, vel circa eos quorū sunt nomina. Christus enim Adā dicitur, quia sicut de latere Adā formata est Eua, ita de latere Christi Ecclesia. Et sicut Adā de virgine terra, ita Christus de virgine Maria. Huic nomini laudē dicimus, cùm prędicta de Christo prędicamus. Similiter Christus dicitur Abel secundū similitudinem, Abel enim virgo fuit, & innocens, & pastor ouium: Christus similiter virgo fuit, & peccatū non fecit, & pastor est fideliū. Abel à fratre suo occisus est. Et Christus à Iudæis fratribus suis est crucifixus. Huic igitur nomini laudē dicimus, cùm Christum de his prædictis laudamus. Sed & Christus dicitur Noë, nō solū propter nominis interpretationē, sed & propter rerū gestarū similitudinē. Noë enim rexit Ecclesiā, & Christus rexit Ecclesiā. Sub ducatu Noë per lignum & aquā, salua facta est familia. Et Christi fideles per lignū crucis, & aquā baptismi, sub Christi regimine, à diluuio peccatorū & mortis æternę euadunt. Similiter & in aliis diligēs lector facta sanctorū Christo adaptare potest, & ipsum pro his omnibus laudate, & nomini eius psalmū dicere. Quædā insuper nomina secundū similitudinē creaturarū, & proprietates earum, Deo conueniunt. Ipse enim dicitur agnus propter mansuetudinē. Huic igitur nomini agnus laudem dicimus, dum ipsum de māsuetudine laudamus, sicut scriptū est in Ieremia: Ego quasi agnus mansuetus, qui vocatur ad victimam. Ipse etiam dicitur ouis propter innocentiam & immolationem. Vnde Isaias ait: Tanquam ouis ad occisionem ductus est. Dicitur vitulus saginatus, qui pro reuersione filij prodigi mactatus est, id est, pro conuersione Gentilis populi occisus, sicut in Euangelio dicitur: Adducite vitulum saginatum, & occidite. Dicitur etiam leo propter fortitudinem. Vnde in Parabolis dicitur: Leo fortissimus animalium ad nullius pauebit occursum. Ipse dicitur aries, quia ductor gregis, & propter cornua duorum testamentorum. Vnde in Parabolis: Aries non est qui resistat ei. Ipse vitula rufa propter sanguinis effusionem, quæ extra castra immolabatur, quia Christus extra portā passus est. Ipse hircus emissarius, propter similitudinem carnis peccati. Et quia peccata populi tulit, sicut in Leuitico dicitur. Ipse dicitur gallus dormiens excitans, & quasi calcaribus cōminationum pungens & stimulans. Vnde in Parabolis dicitur: Gallus succinctus lumbos. Et in Iob dicitur: Quis dedit gallo intelligentiam? Ipse etiam dicitur gallina propter immensum affectum quem habet ad pullos. Vnde in Euangelio: Quoties volui congregare filios tuos, sicut congregat gallina pullos, & noluisti? Ipse etiā dicitur serpens secundum mortalitatē, quam pro nobis assumpsit. Per serpētem enim mors intrauit in nobis: & propter prudentiā, vnde per serpentē æneū eleuatū in palo, figuratus est. Et in Euang. ipse ait: Estote prudētes sicut serpentes. Ipse etiā panthera dicitur, propter virtutū varietatē, & propter prædicationis odorē. Sicut panthera magnū odorem emittit clamando. Vnde Osee secundum aliam translationem: Ego quasi panthera Effraim. Ipse etiam dicitur aquila propter volatus celsitudinem. Vnde Iob ait: Pulli aquilæ lambunt sanguinem. Et iterū: Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila? Ipse dicitur columba propter simplicitatem. Vnde Ieremias ait: Fugite à facie iræ columbæ. Ipse dicitur turtur propter gemitum & castitatem, sicut scriptum est: Turtur inuenit nidum, vbi reponat pullos suos. Ipse etiam dicitur passer, qui in curatione leprosi immolabatur. Hic enim passer inuenit sibi domū in cœlum aduolando. Ipse dicitur accipiter, quia siluestres inuadit. Vnde in Iob dicitur: Nunquid per sapientiā tuam plumescet accipiter? Quot enim sancti adhærent ei, quasi tot plumis exornatur. Ipse vultur dicitur, quia de sublimi ad nostra cadauera aduolauit, & dum mortuum animal appetiit, mortem apud nos inuenit. Vnde Iob in Synagoga ait: Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam, id est, Synagogam oculus vulturis, id est, Christi. Ipse etiam pellicanus dicitur, sicut scriptum est: Similis factus sum pellicano solitudinis. Hæc enim auis super pullos mortuos sanguinem proprium stillat, & sic eos viuificat. Et CHRISTVS sanguine suo nobis vitam reddidit. Ipse etiam nicticorax dicitur. Hæc enim auis nocte volat, & ruinosa loca frequentat, scilicet, in parietinis habitans, quæ sunt domicilia sine tecto. Fuit igitur nicticorax in domicilio seu in parietinis, dum ruinam Synagogæ & Iudæorum visitando, oppressus est ab illis. Rerum etiam insensibilium nominibus Dominus appellatur. Ipse enim dicitur mons, propter eminentiam. Ipse petra, propter firmitatem. Ipse terra, propter incarnationem, & propter fertilitatem. Ipse aqua propter ablutionem & refrigerium. Ipse ignis, peccata consumens, sicut scriptum est: Deus noster ignis consumens est. Ipse hortus, propter amœnitatem. Ipse lignum pomiferum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Ipse lignum scientiæ boni & mali, per sapientiam. Ipse lignum vitæ in medio Paradisi, per æternam refectionem. Ipse oliua suauitatis, cedrus celsitudinis, palma asperitatis in cortice carnis & dulcedinis in fructu nostræ salutis, terebinthus gutturis medicinalis, buxus viriditatis, myrtus temperantiæ, abies cum resina medicinali. Ipse fons totius bonitatis, fluuius fœcunditatis, puteus satietatis, ros refrigerij, pratum recreationis, flos pulchritudinis, rosa charitatis, lilium castitatis, viola humilitatis. Ipse ager fertilitatis, frumentum refectionis, simila puritatis, panis sustentationis, vitis propagationis, botrus iocunditatis,

*Quod prædicta nomina Christo conueniant secundum gesta eorum, quorum sunt nomina.*
*Gen. 2.*
*Gen. 4.*
*Gen. 7.*
*1. Pet. 4.*
*De his nominibus quæ Christo conueniunt per similitudinem secundū proprietates rerum.*
*Iere. 11.*
*Isa. 53.*
*De his nominibus, agnus, ouis, vitulus.*
*Luc. 15.*
*Proverb. 30.*
*De his nominibus, leo, aries, vitula rufa.*
*Num. 19.*
*Heb. 13.*
*Rom. 8.*
*De his nominibus hircus, gallus, gallina.*
*Proverb. 30.*
*Iob 38.*
*De his nominibus serpens, panthera, aquila.*
*Matth. 24.*
*Luc. 16.*
*Num. 21.*
*Osee 5.*
*Iob 39.*
*De his nominibus columba, turtur, passer.*
*Iere. 14.*
*Leuit. 14.*
*De his nominibus accipiter, vultur, pellicanus, nicticorax.*
*Iob 39.*
*Iob 28.*
*De nominibus insensibiliū rerū, quæ Christo conueniunt, ex quibus omnibus Christus laudatur.*
*Isa. 2.*
*1. Cor. 10.*
*Zach. 13.*
*Deut. 4.*
*Isa. 41.*
*Gen. 3.*
*Eccle. 24.*
*Isa. 41.*

manna cœlestis saporis. Ipse firmamentum splendidum, stellarum varietate exornatum: maius luminare quod præest diei per diuinitatem: minus luminare quod præest nocti secundũ humanitatem: stella matutina per resurrectionẽ. Ipse templũ adorationis, Altare immolationis, Cereus splendoris, lampas fulgoris, lucerna ardens & lucens, oleũ pietatis, vnguentũ suauitatis & sanctitatis, thymiama boni odoris. Ipse domus refugij, murus & antemurale defensionis, turris fortitudinis, columna nubis & ignis, nubes obumbrationis, baculus sustẽtationis, virga correptionis. Ipse clypeus protectionis, arcus sagittas emittens, gladius ex vtraq; parte secans. Ipse verbum abbreuiatum, candor lucis æternę, speculũ sine macula, imago patris, scala Iacob, ianua vitæ, salus hominũ, gloria Angelorũ. Horũ omniũ exempla latè patent in scripturis. Quot autem nominibus appellatur, tot laudibus à fidelibus populis exaltatur. Secundum nomina eius, sic & laus eius vsque ad fines terræ. Iubilat enim Domino omnis terra, & psalmum dicit nomini eius, dando gloriam laudi eius, omnia bona ad ipsum referens, & eius, non propriam gloriam quærens, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Cui est honor, laus, virtus, & gloria, in secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA PETRI CANONICA.

1.Pet.2. *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.*

*De multiplici instructione. Matth.11. Pro.11.ex 70. Ephes.5.*

EX hodierna D. Petri Epistola multipliciter instruuntur Christi fideles, qui habent aures audiendi, & palatum gustandi, qui habent dentes masticandi species aromaticas, & non transglutiunt illas integras. Primò igitur instruimur, vt tanquam peregrini & aduenæ in hoc præsenti exilio cautè ambulemus, & à via nostra carnalibus desideriis non retardemur, vbi ait: Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete vos à carnalibus desideriis. Secundò de pugna inter carnem & sanguinem admonemur, vbi ait: Quæ militant aduersus animam. Lumbi enim nostri impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne nostra. Et quoniam vita bona necessaria est nobis propter nos: fama autem propter proximos. Tertiò nos admonet, vt honestè conuersemur, non solùm corã Deo, sed insuper corã hominibus exemplum boni aliis prębendo, & infideles ad bonũ prouocando, vbi ait: Conuersationẽ vestrã inter Gentes habentes bonã, vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis

*Matth.5. 2.Cor.2.*

operibus vos cõsiderantes, glorificent Deũ in die visitationis. Sic enim lucere debent opera nostra corã hominibus, vt Christi bonus odor simus in omni loco. Quartò nos admonet ad subiectionẽ & humilitatẽ, vt, scilicet, qui serui erant ante baptismũ, à dominis suis nõ se subtrahãt, & qui serui non erant, aliis propter Deum se subiiciant, ministrando & honorando, ac sibi eos præponendo, vt eis cõdescendendo ad bonũ inuitentur. Alioquin scandalizari possent, dicẽtes: Religio Christiana mala est, quæ nobis ius nostrũ & dignitatẽ aufert, & maioribus reuerentiã non exhibet. Dicit igitur: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ, id est, tam fidelibus quàm infidelibus. Siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus, quasi ab eo missis. Hoc est

*1.Cor 9. De aduenis et peregrinis. Heb.13.*

quod Apostolus ad Corinth. ait: Cùm essem ex omnibus liber, omniũ me seruũ feci, vt plures lucrifacerẽ. Primò igitur vocat nos aduenas & peregrinos, vt sciamus, quod nõ habemus hic manentẽ ciuitatẽ, sed futurã inquirimus. Aduenæ enim sumus, quia in alieno loco cõmoramur. Peregrini sumus, quia de loco ad locũ transimus, & alibi patriã habemus. Vnde Propheta ait: Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. Omnes enim à principio post peccatum primi parẽtis, cõdemnati sumus exilio, aduenæ à cœlo, & eiecti à Paradiso, antè damnati quàm nati: vnde Apost. ait: Dum viuimus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Omnibus autem

*2.Cor.5. De diætis peregrini, & transitu eius.*

diebus, quibus viuimus, vnam diętã versus mortẽ facimus. Non solùm autẽ de die, sed etiam de nocte, ab hac peregrinatione non quiescimus. Vnde in Paralipom. Dauid ait: Peregrini sumus coram te & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora. Quàm citò autem homo incipit viuere, incipit ire. Vita enim nostra nihil aliud est quàm mors prolixa. Idem autem est finis vitæ & mortis. Similis enim vita & mors terminatur. Propterea Dominus ait: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte. Omnes alloquitur, quia omnes transeunt. Nascendo intramus, viuendo transimus, moriendo eximus. Post hominem vermis, post vermen futuri cinis. Omnis autem qui peregrinatur in hoc mundo, omni die diætam vnam facit versus Paradisum, si est in charitate: aut versus infernum, si est

*De malo peregrino. Luc.15. Isa.1. Ephes.2. Heb.13.*

in mortali peccato. Peccator enim quasi retrogradus, semper elongatur à Paradiso. Hi sunt peregrini diaboli, qui de Hierusalem in Iericho descendunt, & incidunt in latrones. De quibus Isaias: Abalienati sunt retrorsum. Hi cum filio prodigo abeuntes in terram longinquam, in regione dissimilitudinis cõmorantur. Propterea Apost. ait: Iam non estis hospites & aduenæ, sed

*De bono peregrino. Gen.48. Iob 13. Eccles.18.*

estis ciues sanctorum, id est, non estis de his peregrinis, qui cõmorantur in regione dissimilitudinis. Sancti tamen alio modo dicuntur hospites & aduenæ, quia non habent manentem ciuitatem. Vnde Iacob Pharaoni dixit: Dies peregrinationis meæ pauci & mali: pauci dicis, quia breues dies hominis sunt: mali dicit, quia pleni sunt miseriis. Vnde in Ecclesiastico dicitur:

Numerus dierum hominis, vt nullum centum anni, & quasi guttæ aquæ maris reputati sunt. Gutta enim maris parua est & salsa. Sunt ergo mali peregrini, & sunt boni peregrini. Mali peregrini sunt, qui viam quam præterierunt, nō illam quæ supereſt, attendunt. Vnde sero diætam perficiunt. Merita enim nostra præterita non debemus attendere, inde superbiendo, sed ad vlteriora conari semper proficiendo, vt nihil credamus actum, cùm quid superextat agendum. Bonus enim peregrinus seu viator posteriorū oblitus, in anteriora se sempet extendit. Non quot transieris, sed quot tibi quære supersint milia. Malus est peregrinus, de quo beatus Gregorius ait: Stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur quò tendebat. Econtra, bonus viator nec hyeme, nec æstate, nec æstu, nec pluuia diætam suam vult amittere, sicut scriptum est: Transiuimus per ignem & aquam, id est, per aduersa & suauia. Malus est perigrinus, qui innititur super baculum arundineum, qui citò frangitur, & manus innitētis super eum perforatur. Hic est mundus iste, cui inniti non debemus, ne cum ipso ruente cadamus. Bonus autem peregrinus baculo crucis Dominicæ innititur, vt contra canes infernales se defendat & sustenterur in via, ne cadat in luto vel in fouea. De quo in persona Christi Iacob ait: In baculo meo transiui Iordanem istum, id est, per fluxum & humilitatem passionis, transiui ad vitam, & littus æternæ beatitudinis. Per Iordanem enim, qui descensus interpretatur, mortis humilitas designatur. Hic est baculus expugnationis, de quo Golias ad Dauid ait: Nunquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo? Hic est baculus crucis, quo Dauid Goliam superauit. Habet præterea bonus peregrinus baculum correptionis, quo Deus flagellat omnem filium quem recipit. Quo percussus est Saulus & prostratus in via, & surrexit Paulus. Hoc enim baculo percutit Dominus, vt sanet & consoletur, sicut scriptum est: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Habet præterea baculum sustentationis, de quo in Tobia dicitur: Vt quid te misimus peregrinari baculum senectutis nostræ? Habet præterea quartum baculum, scilicet, rectitudinis. De quo præcipitur vt baculum teneant in manibus, agnum Paschalem manducaturi, id est, opera recta. Hunc baculum, id est, bonorum operum rectitudinem accepit Thamar à Iuda, id est, Ecclesia à Christo, in Arram, vt rectos faceret gressus pedibus suis. Habeat autem peregrinus non solùm baculum in manu, id est, crucem in opere, sed peram in latere, sclauinam in humeris, pileum in capite, succinctorium in renibus, & calceamenta in pedibus. Pera est receptaculum memoriæ, in qua panem verbi Dei debemus collocare, & monetam illam, quæ fuit pretium totius mundi, quæ impressa fuit sigillo seu cuneo crucis. Sclauina autem est asperitas pœnitentiæ, quam debemus in humeris nostris portare, quæ tunovsque ad talos protenditur, quando vsque in finem labores pœnitentiæ sustinemus, vt in cruce cum Christo moriamur. Pileus autem in capite, charitas est in corde, qua ab æstu carnalis concupiscentiæ & à pluuia suggestionis diabolicæ, & à turbine perturbationis mundanæ protegitur perigrinus. Succinctorio autem castitatis & continentiæ, peregrini renes astringuntur, sicut scriptum est: Renes vestros accingetis. Calceamentis autem, id est, sanctorum exemplis, pedes affectuum muniantur, vt possint conculcare spinas & lutum atque serpentes, sicut scriptum est: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Via autem peregrini qua tendit ad æternam patriam, ardua est & arcta, grauis & periculosa, & multa habens impedimenta, circunquaque laqueis plena. Quia igitur ardua est, habeat peregrinus alas charitatis, quia arcta, sit lenis ac expeditus per volūtariam paupertatem, fit gracilis & modicus per humilitatem. Quia difficilis est via, sit longanimis & habeat patientiam. Quia periculosa, sit cautus per discretionem. Inflati enim per superbiam, onerati per auaritiam, inconstantes per impatientiam, incauti per imprudentiam, hac via pergere nequeunt. Vnde Dominus in Euangelio ait: Contendite intrare per angustam portā. Arcta siquidem & angusta est via, quæ ducit ad vitam: lata autem & spatiosa, quæ ducit ad perditionem. Melius est autem nobis per breues angustias ad æternam beatitudinem peruenire, quàm per modicam & momentaneam lætitiam ad inferni profunda descendere. Totis igitur viribus debemus laborare, vt & pœnam purpurati diuitis possimus euitare, & ad beatitudinem Lazari pauperis peruenire. Cautè autem in hac via ambulemus, ne contingat nobis, sicut illis, in quorum persona Ieremias ait: Lubricauerunt vestigia nostra in capite omnium platearum. Et Salomon ait: Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruunt. Vnde Apostolus ait: Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes. Et iterum: Gressus rectos facite pedibus vestris. Erunt, inquit Isaias, praua in directa, id est, tortuosa dirigentur, vt, scilicet, quod faciebat homo pro lucro temporali, vel pro vana gloria, faciat pro vita æterna. Propterea Salomon ait: Oculi tui recta videant, & palpabræ tuæ præcedant gressus tuos. Et beatus Gregorius ait: Inoffenso pede iter nostrum agitur, si DEVS & proximus mente integra diligatur. Finis autem viæ est beatitudo æterna, vbi non solùm vnius sancti corpus inuenimus, sicut hi qui peregrè ad sanctum Iacobum pergunt, sed omnes sanctos simul reperiemus, & DEVM nostrum, quem facie ad faciem videbimus. Vt igitur ad finem huius viæ peruenire valeamus ab Elia Propheta exemplum capiamus, qui pergens vt tolleretur in cœlum, de Galgalis venit in Bethel, de Bethel in Iericho, de Iericho ad Iordanem, quo translato curru igneo raptus est in cœlum. Et nos si curru igneo, id est, curru doctrinæ Euangelicæ, vel charitatis, vel quatuor virtibus

*De malis & bonis peregrinis.* *Philip. 3.* *Isa. 38.* *De baculo multiplici bonis peregrinis.* *Gen. 32.* *1. Reg. 17.* *Heb. 12.* *Pro. 3. ex 78.* *Act. 9.* *Tob. 5.* *Exod. 12.* *Gen. 38.* *Heb. 8.* *De pera & sclauina, pileo, & succinctorio, & calceamentis peregrini.* *Isa. 4.* *Exod. 12.* *De via peregrini & eius impedimentis.* *Luc. 13.* *Matth. 7.* *Luc. 18.* *Thren. 4.* *Prouer. 4.* *Ephes. 5.* *Hebr. 12.* *Isa. 40.* *Prouer. 4.* *De meta & fine viæ.* *Gen. 32.* *1. Cor. 13.* *4. Reg. 2.*

tutibus cardinalibus in cœlum aſcendere volumus, primùm peccata noſtra per confeſsionem aperiamus. Galgala enim volutabrum & reuelatio interpretatur, vt ſic in Bethel, id eſt, in domum Dei veniamus. Per confeſsionem enim peccatorum, filij Eccleſiæ efficimur. Deinde veniamus in Iericho, vt defectus noſtros attẽdamus. Iericho enim interpretatur defectus, deinde ad Iordanem veniamus, vt ex conſideratione noſtri defectus humiliemur. Et quoniam qui ſe exaltat, humiliabitur, à Iordane in cœlũ cum Elia eleuabimur. Hæc eſt via boni peregrini, quæ ſanguinea eſt in martyribus, lactea in virginibus, purpurea in ſanctis confeſſoribus. Via autem malorum ærumnoſa eſt in malis pauperibus, laborioſa in auaris, mõtoſa in ſuperbis, ſpinoſa in iracundis, nubiloſa in triſtibus & acedioſis, lubrica & lutoſa in guloſis ac luxurioſis. Sit ergo via peregrini Chriſti æqualis, & plana ſine vallibus & montibus, ſit ſuauis ſine ſpinis & lapidibus, ſit recta ſine anfractibus, vt in illa impleatur quod ſcriptum eſt: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Hæc eſt via fidei, quæ per dilectionem operatur. Vnde Apoſtolus: Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. Et Auguſtinus ait: Bona opera ſine fide non plus valent quàm curſus celerrimus præter viam. Vallis autem facit carnalis concupiſcentia & auaritia. Montes, ſuperbia & inanis gloria. Tortuoſam viam facit curioſitas & intentio mala. Aſperam autem & ſpinoſam facit ira, malitia, & terrenorum cupiditas. Valles igitur implentur per temperantiam. Montes & colles humiliantur per mundi contemptum & propriæ perſonæ abiectionem. Tortuoſa diriguntur per prudentiam. Aſpera & dura emolliuntur per charitatem. Impletur autem vallis cùm dicit, ſufficit, quando renuntiat homo diuitiis & carnalibus deliciis, ſicut ſcriptum eſt: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Ille autem ſolus implere poteſt, de quo dicitur: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Sine illo autem valles auaritiæ, gulæ & luxuriæ impleri non poſſunt. Quia quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ, ſicut ſcriptum eſt: Auarus non implebitur pecunia. Et de filio prodigo legimus, quod ſiliquis porcorum non poterat ſaturari. Vnde Oſee ait: Comedentes non ſaturabuntur, fornicati ſunt & non ceſſauerunt. Sanguiſugæ enim duæ ſunt filiæ, quæ ſemper clamant: Affer, affer. Teſte enim Salomone: Fouea profunda eſt meretrix: vallis, ſcilicet, profundiſsima, & ſordiũ capax, inclinata eſt ad inferos domus eius. Et idcirco ſecundum conſilium Salomonis, longè fac ab ea greſſus tuos, id eſt, longè recede ab hac valle, ne cadas in illam, & abſorbearis ab illa. Similiter & fouea auaritiæ impleri non poteſt. Vnde Philoſophus ait: Fugare inopiam copia quærimus, ſed nobis in contrarium euenit. Certum eſt enim illos multis indigere, qui multa poſsident. Auaritia enim terminum non habet, quia ſolus Deus terminus & finis noſter eſt. Quicquid extra ipſum eſt, ſine fine eſt. Et ita patet quod auaritia & omnis illicita concupiſcentia, quia ad Deum non tendit, infinita eſt. Has ergo vias vitare debet ſapiens peregrinus. Media & autem publica via incedat, vt non declinet ad dexteram neq; ad ſiniſtram. Hæc eſt ſtrata regia, quæ dicitur ferrata via, ſcilicet, non mollis neq; lutoſa, ſed dura, de qua ſcriptum eſt: Propter verba labiorum tuorum, ego ſuſtinui vias duras. Hæc eſt via crucis, quam eligere debet peregrinus. Crux enim ſupra viam ponitur, vt eam greſſus peregrini ne exorbitet, dirigantur. Vt autem peregrinus expeditus ſit, & per viam ſecurè & cautè incedere poſsit, nõ ſe oneret ſuperfluis, habens enim alimenta, & quibus tegatur, his contentus ſit, ferat ſecum monetam non falſam, non reciſam, non fractam. Falſa moneta ſunt opera, quæ fiunt ſine charitate. Reciſa moneta, quæ fiunt ſine finali perſeuerantia. Fracta moneta, quando in tribulatione homo murmurat. Non enim ſereno vel pluuioſo tempore, nõ proſperitate vel aduerſitate, debet dietam ſuam perdere. Et quoniam dies breues & via periculoſa, feſtinare debet ad hoſpitium, ne noctis tenebris ſubitò inuoluatur. Propterea non debet oſtendere peregrinus aurum & argentũ ſuum coram latronibus in via, ſed diuitias ſuas debet abſcondere. Spoliati enim deſiderat, qui theſaurum ſuum in via latronibus oſtentat. Non moratur peregrinus niſi nocte vna in aliqua villa, ſed ſemper ad reditum & finem peregrinationis anhelat. Qui ſi fortè aliqua infirmitate retardetur, poſtmodum vt ſociòs ſuos conſequi poſsit, accelerat, ſicut ſcriptum eſt: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà acceleraverunt. Non multum autem delectatur ſapiens peregrinus, cùm diuitias alienas vel quaſcunque pulchras poſſeſsiones in terra aliena reſpicit, ſed citò præterit, nec multum lætatur donec ad patriam ſuam reuertatur. Fatui autem peregrini, teſte beato Gregorio, vice patriæ diligunt exilium, & in cæcitate, quam tolerant, quaſi in claritate luminis exultant. Sapiens autem peregrinus manè ſurgit, nec eſt ei vanum ſurgere manè ante lucem, exemplo Domini, qui manè exiit conducere operarios ſuos. Et in Canticis dicitur: Manè ſurgamus ad vineas. Iumentum autem cui inſidet peregrinus, eſt caro, cui inſidet ſpiritus: debet autem illi frænum apponere, vt præcipitem cohibeat: calcaria adhibere, vt pigram exerceat: pabulum miniſtrare, vt infirmam ſuſtineat. Viator autem in itinere tutius graditur cum Imperatoris ſigillo. Et homo in hoc ſeculo non graditur ſecurus ſine crucis ſigno. Caueat autem ſibi peregrinus ab hoſpite ſuo, quia infidelis eſt & fraudulentus, quærens proprium commodum, & non multum de commodo peregrini curans. Hic eſt mundus iſte hoſpes fallax & ſeductorius, qui diuites attrahit, & allicit, pauperes aũt abiicit: diuitibus obſequitur & blanditur, quos tamẽ citò obliuioni tradit, poſtquã ab hoſpitio receſſerint, ſicut ſcriptũ eſt: Periit memoria eorum cum ſonitu: hoc fit in morte. Cum ſonitu enim luctus vnius horæ perit memoria diuitis, tanq; memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.

*Matth. 22. Luc. 18.* — *De via malorum.* — *De via bonorum.* — *Iſa. 40. Gal. 5. 2. Cor. 5.* — *Sap. 2.* — *Eccleſ. 5.* — *Luc. 15. Oſee 4.* — *Prouer. 31. Prouer. 23. Prouerb.* — *Prouer. 4.* — *Qualiter pergendum ſit in via & de moneta peregrini.* — *Matth. 20. Cant. 7.* — *De iumento peregrini.* — *De hoſpite peregrini & fraude hoſpitii.*

In re-

In recessu autem suo peregrinus quãtumcunq; diuitiis abundet, ab hospite suo spoliatur, sicut scriptũ est: Diues cùm interierit nõ sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria domus eius. Nec tamen ab hoc merito cõqueri potest de hospite suo, sicut intrauit, ita exit, sicut scriptũ est: Nihil intulimus in hũc mundũ, haud dubiũ quia nec auferre quid possumus. Peregrinus autem multos pascit ingratos, qui post eius discessum nullũ tribuunt ei meritũ. Amici enim carnales magis sunt solliciti de pecunia inter se diuidenda, q̃ de misera defuncti anima. Vnde in Eccles. dicitur: Est amicus secundũ tempus tantũ, & nõ permanebit in tempore tribulationis. Hospes autẽ fraudulentus, vt attrahat peregrinos, ostẽdit plerunq; eis pulchros & suaues lectos, ostẽdit vasa aurea & argẽtea, ostẽdit pannos sericos. Computatis autẽ & persolutis expẽsis pro pannis sericis saccũ, pro puluinaribus paleã vel stramẽ, vel quãdoq; nudam terrã eis relinquit. Et qui blandè est locutus ingredientibus, asperè loquitur egredientibus. Pari modo mundus iste nobis promittit mollia & suauia, & ostẽdit pulchra, postmodũ verò exhibet aspera & dura, teste Domino, qui ait: In mũdo pressurã, in me autẽ pacem habebitis. Et maximè in nocte mortis, subtractis puluinaribus & pannis sericis, nudam terrã defuncto reliquit, qui cum vno linteamine recedit. Vasa autem aurea & argentea secum deferre non potest, sicut scriptum est: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis. Quãdoq; autẽ fallax & mendax hospes bonũ vinũ in principio ad gustandũ exhibet peregrinis. Postquã autem eos in hospitio receperit, tunc id quod deterius est & corruptũ vendit eis. Gustato enim vino trãsitoriæ voluptatis, & mundanæ prosperitatis, sequitur vinum corruptum, acetum, scilicet, & feces peccati mortalis, & malæ cõscientiæ, & tandem acerbitas pœnæ æternæ, sicut in Parab. Salomon ait: Prosperitas stultorũ perdet eos. Et de carnali voluptate idem Salomõ ait: Blandè ingreditur, sed in fine mordebit vt coluber. Domus autẽ in qua peregrinus in hoc exilio hospitatur, lutosa est, fœtida & ruinosa, diebus singulis fulcitur & reparatur, & tamẽ semper ruinã minatur. Hęc est caro nostra, in qua ad tempus hospitatur anima, quæ quotidie nouis cibariis fulcitur, & semper ruinã minatur, in qua tamẽ necessitate cõpulsus, hospitatur, & ad tẽpus quiescit. Sicut autem peregrinus pauper, dum nocte iacet in stabulo, modico tempore iuxta stercora animalium quiescit, & quàm citius potest recedit. Ita nos in carnis nostræ delitiis non multum debemus cõmorari, nec carnis curam facere in desideriis, sed tantùm in necessariis. Qui autem peccatorum suorum stercora ad memoriam frequenter reducit, & quasi iuxta se fimum fœtidum sentit, non libenter in his commoratur, sed ab his elongari cupit. Et idcirco obsecrat nos in hõdierna Epistola beatus Petrus, vt tanquam aduenæ & peregrini, abstineamus à carnalibus desideriis. Cùm autem, vt dictum est, omnes simus aduenæ & peregrini, abstineamus à carnalibus desideriis: specialiter tamen Gentiles aduenæ erant, qui de infidelitate, quasi de longinqua regione ad fidem Christi venerãt. Abstinere ergo debemus à carnalibus desideriis, maximè, quia militant aduersus animam. Dum enim concupiscentiis blandientibus caro euidenter subiugatur, vitiorum exercitus aduersus animam armatur: vt qui in sordibus est, sordescat adhuc, dum sanguis sanguinem tangit, & peccatum peccato additur. Voluptas autem carnis virtutem emollit, hominem effœminat & debilem reddit, hebetat rationem, hominem frugi, temperantémq; esse non patitur. Militant igitur carnalia desideria aduersus animam, eam expugnando & conculcando, faciuntque obliuisci exilij, & sic iter ad patriam impediunt. Castrum enim nostrum obsidet diabolus ex illa parte qua est debilius. Et idcirco per carnalia desideria principaliter militat contra animam. Quia virtus eius in lumbis eius, & in vmbilico ventris eius, sicut in Iob Dominus ait: His autem militibus cruentis Isboseth & Asahel in inguine percussi interfecti sunt. Qui autem innititur super parietem carnis, deditus carnalibus desideriis, mordebit eum coluber, id est, diabolus, & peccato mortali vulnerabit. Postquam verò canalibus vitiis anima vulneratur & fœdatur, iam non est templum Dei, sed prostibulum seu latrina diaboli. Et quia prophanatum est templum, dicunt Angeli sancti: Transeamus ex his sedibus, non est bonum commorari in fimo & stercoribus. Omnis enim fornicator & immundus, teste Apostolo, non habet partem in regno CHRISTI. Dum enim baltheus Regum dissoluitur, Sacerdotes ducuntur inglorij, dæmones enim intrant porcos, id est, homines lutulentis actibus deditos. Aliter autem potest intelligi id quod ait Petrus, vt abstineamus à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, vt carnalia desideria primos motus sensualitatis appellemus, à quibus abstinere debemus, id est, repugnare, & non consentire eis, neque permittere procedere, sed interficere vulpes paruas, ne dimoliantur vineam animæ nostræ, sicut scriptum est: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, id est, prauos motus carnis in initio suggestionis. Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram, quæ est CHRISTVS, vt non eamus post concupiscentias nostras. Vetus enim homo noster crucifigendus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Primi autem motus penitus destrui non possunt. Vnde Propheta ait: Inimici autem mei viuunt. Primos enim motus præuenire nequimus nec vitare, quin contra nos insurgant, eos tamen reprimere possumus ne nimis procedant, sicut scriptum est in Genesi: Peccatum tuum in foribus aderit, sed sub te erit appetitus illius, & tu dominaberis eius. Primi igitur motus militant aduersus animam. Amalech enim nobis exeuntibus de Ægypto occurrit armatus, & ad terram promissionis euntibus transitum negat. Militia est enim vita hominis super terram.

*In recessu autem suo peregrinus quãtumcunq; diuitiis abundet, ab hospite suo spoliatur, sicut scriptũ est: Diues cùm interierit nõ sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria domus eius.* *1. Tim. 2.* *Nec tamen ab hoc merito cõqueri potest de hospite suo, sicut intrauit, ita exit, sicut scriptũ est: Nihil intulimus in hũc mundũ, haud dubiũ quia nec auferre quid possumus. Peregrinus autem multos pascit ingratos, qui post eius discessum nullũ tribuunt ei meritũ. Amici enim carnales magis sunt solliciti de pecunia inter se diuidenda, q̃ de misera defuncti anima. Vnde in Eccles.* *Eccles. 6.* *dicitur: Est amicus secundũ tempus tantũ, & nõ permanebit in tempore tribulationis. Hospes autẽ fraudulentus, vt attrahat peregrinos, ostẽdit plerunq; eis pulchros & suaues lectos, ostẽdit vasa aurea & argẽtea, ostẽdit pannos sericos. Computatis autẽ & persolutis expẽsis pro pannis sericis saccũ, pro puluinaribus paleã vel stramẽ, vel quãdoq; nudam terrã eis relinquit. Et qui blandè est locutus ingredientibus, asperè loquitur egredientibus. Pari modo mundus iste nobis promittit mollia & suauia, & ostẽdit pulchra, postmodũ verò exhibet aspera & dura, teste Domino, qui ait: In mũdo pressurã, in me autẽ pacem habebitis.* *Ioan. 16.* *Et maximè in nocte mortis, subtractis puluinaribus & pannis sericis, nudam terrã defuncto reliquit, qui cum vno linteamine recedit. Vasa autem aurea & argentea secum deferre non potest, sicut scriptum est: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis. Quãdoq; autẽ fallax & mendax hospes bonũ vinũ in principio ad gustandũ exhibet peregrinis.* *Ioan. 2.* *Postquã autem eos in hospitio receperit, tunc id quod deterius est & corruptũ vendit eis. Gustato enim vino trãsitoriæ voluptatis, & mundanæ prosperitatis, sequitur vinum corruptum, acetum, scilicet, & feces peccati mortalis, & malæ cõscientiæ, & tandem acerbitas pœnæ æternæ, sicut in Parab. Salomon ait: Prosperitas stultorũ perdet eos.* *Prouer 1.* *Et de carnali voluptate idem Salomõ ait: Blandè ingreditur, sed in fine mordebit vt coluber.* *Prouer. 24.* *De domo seu hospitio peregrini.* *Domus autẽ in qua peregrinus in hoc exilio hospitatur, lutosa est, fœtida & ruinosa, diebus singulis fulcitur & reparatur, & tamẽ semper ruinã minatur. Hęc est caro nostra, in qua ad tempus hospitatur anima, quæ quotidie nouis cibariis fulcitur, & semper ruinã minatur, in qua tamẽ necessitate cõpulsus, hospitatur, & ad tẽpus quiescit. Sicut autem peregrinus pauper, dum nocte iacet in stabulo, modico tempore iuxta stercora animalium quiescit, & quàm citius potest recedit. Ita nos in carnis nostræ delitiis non multum debemus cõmorari, nec carnis curam facere in desideriis, sed tantùm in necessariis. Qui autem peccatorum suorum stercora ad memoriam frequenter reducit, & quasi iuxta se fimum fœtidum sentit, non libenter in his commoratur, sed ab his elongari cupit. Et idcirco obsecrat nos in hõdierna Epistola beatus Petrus, vt tanquam aduenæ & peregrini, abstineamus à carnalibus desideriis. Cùm autem, vt dictum est, omnes simus aduenæ & peregrini, abstineamus à carnalibus desideriis: specialiter tamen Gentiles aduenæ erant, qui de infidelitate, quasi de longinqua regione ad fidem Christi venerãt.* *Rom. 13.* *De carnalibus desideriis.* *Abstinere ergo debemus à carnalibus desideriis, maximè, quia militant aduersus animam. Dum enim concupiscentiis blandientibus caro euidenter subiugatur, vitiorum exercitus aduersus animam armatur: vt qui in sordibus est, sordescat adhuc, dum sanguis sanguinem tangit, & peccatum peccato additur.* *Apoc. 22.* *Osee 4.* *Voluptas autem carnis virtutem emollit, hominem effœminat & debilem reddit, hebetat rationem, hominem frugi, temperantémq; esse non patitur. Militant igitur carnalia desideria aduersus animam, eam expugnando & conculcando, faciuntque obliuisci exilij, & sic iter ad patriam impediunt. Castrum enim nostrum obsidet diabolus ex illa parte qua est debilius. Et idcirco per carnalia desideria principaliter militat contra animam. Quia virtus eius in lumbis eius, & in vmbilico ventris eius, sicut in Iob* *Isa. 30.* *Iob 40.* *Dominus ait: His autem militibus cruentis Isboseth & Asahel in inguine percussi interfecti sunt.* *1. Regum 2.* *Qui autem innititur super parietem carnis, deditus carnalibus desideriis, mordebit eum coluber, id est, diabolus, & peccato mortali vulnerabit.* *1. Regum 4.* *Postquam verò canalibus vitiis anima vulneratur & fœdatur, iam non est templum Dei, sed prostibulum seu latrina diaboli. Et quia prophanatum est templum, dicunt Angeli sancti: Transeamus ex his sedibus, non est bonum commorari in fimo & stercoribus. Omnis enim fornicator & immundus, teste Apostolo, non habet partem in regno* CHRISTI. *Dum enim baltheus Regum dissoluitur, Sacerdotes ducuntur inglorij, dæmones enim intrant porcos, id est, homines lutulentis actibus deditos. Aliter autem potest intelligi id quod ait Petrus, vt abstineamus à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, vt carnalia desideria primos motus sensualitatis appellemus, à quibus abstinere debemus, id est, repugnare, & non consentire eis, neque permittere procedere, sed interficere vulpes paruas, ne dimoliantur vineam animæ nostræ, sicut scriptum est: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, id est, prauos motus carnis in initio suggestionis. Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram, quæ est* CHRISTVS, *vt non eamus post concupiscentias nostras. Vetus enim homo noster crucifigendus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Primi autem motus penitus destrui non possunt. Vnde Propheta ait: Inimici autem mei viuunt. Primos enim motus præuenire nequimus nec vitare, quin contra nos insurgant, eos tamen reprimere possumus ne nimis procedant, sicut scriptum est in Genesi: Peccatum tuum in foribus aderit, sed sub te erit appetitus illius, & tu dominaberis eius. Primi igitur motus militant aduersus animam. Amalech enim nobis exeuntibus de Ægypto occurrit armatus, & ad terram promissionis euntibus transitum negat. Militia est enim vita hominis super terram.*

*Ecclesiast. 18.* *Rom. 5.* *Quod primos motus non possumus prævenire.* *Gen. 4.* *Exod. 16.* *Iob 7.*

*Iob 14. Mich. 7. Matth. 10.*

Vnde B. Iob ait: Cūctis diebus quibus nūc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Inimici enim hominis domestici eius, id est, motus ex carne eius consurgentes. Vnde Apostolus ad Galatas ait: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Carnem appellat sensualitatem, quæ secundum carnem est in anima, vel caro concupiscit aduersus animam, id est, secundum carnem, ipsa anima concupiscit aduersus spiritum, quantum ad superiorem partem rationis. Caro enim impropriè dicitur concupiscere, sicut auris dicitur audire & oculus videre, cùm potius anima per aurem audiat, & per oculum videat. Caro igitur concupiscere dicitur, cùm anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur, quæ concupiscentia non est in carne, sed in anima. Similiter & primi motus in anima sunt, secundum carnem & non in carne. Nullum enim peccatum est in carne, sed tantummodo in anima. Ipsius tamen carnalis concupiscentiæ causa non est in anima sola, nec in carne sola. Ex vtraque enim emergit, quia sine vtraque delectatio nulla sentitur. Spiritus autem aduersus carnem concupiscit, id est, ratio, spiritu Dei adiuta. Neque enim vllum est vitium, cum caro aduersus spiritum concupiscit, cui vitio contraria est virtus, cum spiritus concupiscit aduersus carnem. De hac iterum pugna Paulus ait. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis, id est, quæcunque bona vel mala vultis, illa facere non permittamini. Quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. In hac igitur pugna meliori credendum est, quo volumus bona, etiam si non omnia perficiamus. Volumus enim vt nullæ sint concupiscentiæ, & vt non insurgant praui motus.

*De pugna carnis & spiritus. Galat. 5.*

*Sap. 9.*

*Rom. 7.*

Sed hæc nō perficimus, quia illis in hac vita carere nō possumus. Vnde Apostolus ad Rom. ait: Video aliam legē in membris meis repugnantē legi mentis meæ, id est, fomitē peccati, carnale,

*Parab. 30.*

scilicet, concupiscentiā, quæ repugnat rationi. Coluber enim reliquit vestigia super terrā, & cinerē, id est, diabolus fomitē peccati super Adā, & filios eius, sed nō super petrā, id est, Christū. In beata etiā Virgine extincto prorsus fomite, deleta sunt vestigia ista. In nobis aūtē insurgūt nobis inuitis. Quia enim inobedientes fuimus nostro superiori, inferiora nostra, id est, primi motus nostri, nō obediunt nobis. Vnde Apost. ait: Quod enim operor, nō intelligo, id est, nō approbo, nec cōsentio, motibus ex homine exteriori & carnali proueniētibus. Et iterū ait: Non enim quod volo bonū hoc ago, sed quod odi malū illud facio, id est, nō ago bonū quod volo, scilicet, nō concupiscere, sed potius facio illud malū, quod odi, id est, cōcupisco ex carne, & si nō præbeā assensum ex ratione. Non enim vado post concupiscentias meas, hoc enim prohibitū est in lege, vbi dicitur: Non cōcupisces, id est, nō eas post cōcupiscentias, cōsentiendo delectationi. Ex hac autē prohibitione perpenditur concupiscentiā vitiū esse, & primos motus cōcupiscentiæ malos esse, licèt veniales, qui tamē nō prohibētur. Non enim prohibemur primos motus sentire, sed prohibemur cōsentire, quia nō est in voluntate vel potestate quin insurgāt. Et propterea Apost. ait:

*Rom. 7.*

Concupiscentiā nesciebā esse peccatū, nisi lex diceret: Non cōcupisces. Sicut enim dicitur: nō eas in cōsortio hominis illius, insinuatur quod sit malus, cuius cōsortium prohibetur. Potest etiā sic intelligi, quod dicitur: Non cōcupisces, id est, carnis concupiscentiā peccatū esse scias, & quantū potes caueas, ne nimis procedat, sed diligēter reprimas. Concupiscētia enim nō est permittēda regnare in corpore nostro. Insurgūt tamē primi motus ex fonte & corruptione naturę, qui nō sunt voluntarij, nec subiacēt voluntati, vnde nobis nō imputātur ad damnationē. Imputātur tamen homini ad veniale peccatū, quia inordinati sunt, & ex vitio & corruptione eius procedūt, & peccatū suggerūt. Qui aūt peccatū suggerit, eo ipso peccat. Brutis nō imputatur, quia ratione carent & peccare nō valent. Nec tamē imputātur primi motus rationi quādo illos reprimit, sed imputatur homini secundum fomitē. Vnde Apost. ait: Nunc autē nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, id est fomes peccati. Homo enim interior nō consentit, sed ex languore & corruptione generantur. Originale enim peccatum, & si deleatur in baptismo quātum ad reatum, quia nō imputatur ad damnationē, remanet tamen actu ad exercitium & humiliationem. Vbi enim nō est pugna, nō est victoria. Licèt enim mens siue ratio libera sit per gratiam, adhuc tamen caro captiua est per concupiscentiam. Quantò autem magis crescit charitas, tantò magis decrescit carnalis cōcupiscentia: sicut scriptum est: Pax multa diligentibus legem tuam.

*Rom. 7.*

Et magis potens est homo ad resistendum. In fine autem plenè liberabimur, sicut Apost. ait: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Gratia Dei per Iesum Christum.

*1. Cor. 15.*

Quando, scilicet, mortale hoc induet immortalitatem. Interim autem, sicut ait Apost. velle nobis adiacet, perficere autem nō inuenimus. Volumus siquidem bonum facere & facimus, dum concupiscentiæ non consentimus, sed non perficimus bonum, scilicet, vt omninò non concupiscamus. Vel sic potest intelligi, quod velle naturæ per se, impotens est, & languidum, & vincitur atq; trahitur à velle vitij, nisi velle gratiæ Dei subueniat. Et potest distingui triplex velle in homine, Velle naturæ, velle gratiæ, & velle vitij. Homo quidem naturaliter vult bonum, sicut scriptū est: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Sed voluntas hęc semper effectu, nisi gratia addiderit velle suum ad diligendum bonum, quod ad effectum possit perduci, finem suum cōsequi non potest. Propterea Apost. ait: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Lex enim membrorum, id est, carnalis concupiscentia repugnat rationi, & superatur ratio, nisi per legem gratiæ adiuuetur, id est, per charitatem. Nisi enim charitas adsit, non vincitur cōcupiscentia carnalis. Et si enim velle adiacet, ex ratione difficultas inuincibilis resistit ex corruptione & consuetudine, sicut æger vult, sed non valet manducare. In

*De triplici voluntate, naturæ, culpæ, & gratiæ.*

pugna

pugna igitur carnis aduersus spiritum, quatuor cõsiderare oportet. Est enim ibi tentatio exterior diaboli suggerentis. Est ibi tentatio interior sensualitatis, quæ mouetur, & ista non caret culpa veniali, de qua Iacobus Apostolus ait: Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua, id est, à sensualitate, quæ est inferior pars animæ, quam habemus communem cum brutis. Et hæc est in spirituali cõiugio quasi serpens. Quando verò delectatione cogitationis anima mouetur, tunc mulier, id est, Eua nostra, manducare dicitur. Quando verò anima peccato consentit, tunc vir comedit, id est, ratio cui imputatur peccatum, quia non resistit. Et hoc est quod Apostolus Iacobus ait: Peccatum cùm cõsummatum fuerit, generat mortem. Reputatur autem consummatum, quantum est in nobis, cùm in nobis nõ stat quin opus perpetremus. Mulier autem dicitur inferior pars rationis, quæ attenditur in temporalium rerum dispositione. Sicut vir dicitur superior pars rationis, quæ attenditur in superiorum & spiritualium rerum consideratione. Delectatio autem cogitationis ad inferiorem partem rationis pertinet, sensualitatis enim non est cogitare, sed rationis. Quando verò delectatio illa morosa est, & ratio negligit illam abiicere, vel habet propositum diutius in ea commorandi, tunc reputatur peccatum mortale. Si autem citò transeat, & ratio non cõsentiat illi, sed eam repellat, tunc est peccatum veniale. Et ita mulier quandoq; mortaliter, quãdoq; venialiter peccat in delectatione. Sensualitas autem seu carnalis concupiscentia venialiter peccat in motu suo & suggestione, licèt quibusdam videatur quod ille primò primus motus, qui surgit ex sensualitate antequam comedat, non sit peccatum veniale neq; mortale. Peccatum enim inchoatur, vt dicunt, in delectatione cogitationis, non à primo motu sensualitatis. Sed nunquid primus motus iræ, peccatum est veniale? Teste enim Augustino, peccatum veniale est leuiter irasci, quod ait propter primum motum iræ. Et Hieronymus super hunc locũ Apostoli: Sol nõ occidat super iracundiam vestram, ait, quod peccatum est leuiter irasci. Similiter peccatũ est leuiter cõcupiscere. Et ita secundum triplicem voluntatẽ, triplex distinguitur peccatũ: primò voluntas dicitur sensualitatis. Sensualitas enim velle dicitur suo modo, dum inordinatè mouetur & appetit. Secunda volũtas dicitur delectatio cogitationis, voluntas, scilicet, inferioris partis rationis. Tertia voluntas dicitur rationis: nõ quia ratio propriè velit, hoc enim ad libertũ pertinet arbitrium, sed ei imputatur, quia nõ cohibet cùm possit & debeat cohibere. Iuxta illud: Error cui nõ resistitur, approbatur. Et iterũ: Nõ caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesta facinora negligit vel desinit obuiare. In hac igitur pugna nos admonet Petrus Apostolus abstinere nos à carnalibus desideriis, id est, nõ assentire primis motibus cõcupiscentiæ. Alioquin veniale dum placet, fit mortale. Non quia veniale possit esse mortale, sed quia ex contemptu resistendi incidit homo in mortale. Teneat igitur Iacob, id est, ratio, plantam Esau, id est, primos motus sensualitatis, non sinat vsq; ad morosam delectationem vel cõsensum procedere. Caue, inquit, Dominus, ne quando ineas fœdus cum eis, id est, non consentias vitiis. Non ergo regnet in nobis peccatum, & si insurgat, sicut in illis, de quibus Apostolus ait: Vnde bella & lites, nónne ex cõcupiscentiis, quę militant in membris vestris? Propterea beatus Iob ait: Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. Aspis paruus est serpens: Vipera sic nascitur, vt violenter exeat. Caput itaq; aspidum sugit, qui initium suggestionis occultè in corde recipit. Sed occidit eum viperæ lingua, quia postmodum veneno violentæ tentationis necatur. Et iterum ait: Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Panis enim delectationis cui consentitur, vertitur intrinsecus in ventre malæ concupiscentiæ in fel aspidum per mortale peccatum, dum lædit quasi vinea in primo flore botrus eius. Botrus enim animæ quasi in primo flore lædit, dum primis motibus consentiendo peccat mortaliter homo. Et Isaias ait: Oua aspidum ruperunt, qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum. Qui enim malignorum spirituum consilia recipit, vitam animæ in se occidit. Quod autem confotum est, prorumpit in regulum, dum consilium maligni spiritus, quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Oua autem aspidum rumpere, est malignorum spirituum suggestiones seu consilia ad effectum consentiendo perducere. Si igitur lactauerint nos peccatores, id est, dæmones, malas cogitationes immittendo, non acquiescamus illis consentiendo. Teste enim Gregorio: Immunda cogitatio non inquinat dum pulsat, sed cùm mentem sibi per delectationẽ subiugat. Percutiatur igitur vrsus in capite, vbi est debilior, id est, diabolus, in initio suggestionis prauæ, ne increpent nos vsque ad noctem renes nostri, id est, vsque ad consensum motus sensualitatis. Ne sit inter nos radix germinans fel, sicut in Deuteronomio dicitur, id est, mala cogitatio generans peccatum. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Basiliscus enim visu venenoso hominem interficit, dum suggestioni diabolicæ miser homo consentit. Vnde Isaias dicit: De radice colubri egreditur regulus, & semen eius absorbens volucrem. Coluber est diabolus, lumbos, id est, luxuriosus colens. Radix colubri, fomes peccati. Regulus, venenosa cogitatio. Semen, delectatio mala, quæ per consensum absorbet volucrem, id est, virum spiritualem. Quod fit dum sentina sensualitatis perforata intrãt aquæ carnalis delectationis, & ita submergitur nauis animæ periclitãtis. Tũc igitur terræ nostræ regnum confunditur, dum nobiles deprimuntur, & ignobiles exaltantur, dum prævalent praui motus & boni conculcantur. Vnde Propheta ait: Miserere mei Deus, quoniam cõculcauit me homo, hominẽ, scilicet, interiorem, homo exterior. Si ergo Sodomitæ,

*Quod quatuor attenduntur in pugna carnis aduersus spiritum. Iacob. 1. Gen. 3.*

*Quod primi motus venialia sunt peccata. Ephes. 4.*

*Quod secundũ triplicem voluntatem, triplex peccatũ distinguitur.*

*Gen. 25. Quod reprimẽdi sunt primi motus. Exod. 24. Deut. 7. Rom. 7. Iacob. 4. Iob 20. Iob 15. Isa. 59.*

id est,cogitationes luxuriosæ,pulsent ad ostium Loth,non aperiat eis,sed tanquã firmamẽtum in medio aquarũ,sub se cõtineat aquas carnalis concupiscentiæ,supra se habeat aquas & fluenta gratiæ. Si insurgat procella,nõ torpeamus, nec Dominũ dormire sinamus,sed clamemus ad ipsum,dicentes: Domine,vim patior,respõde pro me,dissipa Gentes quæ bella volunt,filij matris meæ pugnauerunt cõtra me,id est,primi motus ex sensualitate: lumbi mei impleti sunt illusionibus. Ibi reptilia quorũ nõ est numerus,præoccupauerunt me laquei mortis. Ruben effusus est sicut aqua,non crescat in me. Supplanta insurgentes in me,subtus me. Sæpè enim expugnauerunt me à iuuentute mea. Scio Domine,quod nõ habitat in me,id est,in carne mea bonũ. Dissipa Gentes quæ bella volunt: præcinge me virtute ad bellum,vt possim extinguere ignea diaboli iacula. Doce manus meas ad præliũ,& digitos meos ad bellum. Confundantur qui me persequuntur,& non confundar ego. Tota die enim constituebã prælia. Non igitur regnet peccatum in membris meis,sed da mihi fortitudinẽ ad alligandos Reges eorũ in compedibus. Expugna Domine,impugnantes me,apprehende arma & scutum,& exurge in adiutoriũ,& præcinge me virtute ad bellum. Si hoc modo non fictè clamemus ad Dominũ,ipse imperabit ventis & mari,& fiet tranquillitas magna. Nisi enim fuerit morosa delectatio,nõ reputabitur mortale peccatum: nam secundum ius legale,mulier in breui reuersa,non videtur diuertisse. Peccante autẽ Cham,maledicitur Chanaan. Ex primis enim motibus non incurrimus maledictionem,nisi inde generetur Chanaan,scilicet,proles maledictionis per consensum malæ voluntatis. Licèt enim impellamur primis motibus,vt cadamus, Dominus suscipit nos, quia cùm ceciderit iustus,id est,cùm cadere incœperit,non collidetur consentiendo,quia Dominus supponit manum suam,sicut scriptum est: Si dicebam motus est pes meus,misericordia tua adiuuabat me. Deus enim est qui dat vindictas nobis lachrymas,scilicet,compunctionem & ieiunia, vt retribuamus filiæ Babylonis miseræ,id est,carni nostræ,retributionem,quam retribuisti nobis. Quia enim lumbi nostri impleti sunt illusionibus,zonam pelliceam circa lumbos nostros habere debemus,vt sint lumbi nostri præcincti, sicut scriptum est: Accinxit fortitudine lumbos suos. In chamo enim & fræno maxillas equi nostri debemus constringere. Si autem auferamus equo nostro frænum sobrietatis,feret nos in præcipitium. Quandiu enim equum fræno tenemus,ipsum regere possumus. Desiccemus igitur carnalia desideria,vt arescamus præ timore & expectatione,quæ superuenient vniuerso orbi. Arescant in nobis loca humentia,in quibus Behemoth libenter requiescit. Humores igitur noxios sale confricantes in membris nostris desiccemus,constituentes nobis tabernacula in terra salsuginis,in qua sitim habent,qui sale vescuntur. Sitis autem,vt Physici asserunt,signum est perfectę purgationis,vt possit dicere,qui sapienter carnem suam mortificat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Valde autem confunditur arrogantia dæmonum, quando infirma & debilia castra fragilis carnis nostræ, non possunt expugnare, sed vincuntur debilibus armis, id est, carnis fragilitate. Propterea Isaias ait: In tympanis & citharis,& bellis præcipuis,expugnauit eos, id est, in carnis mortificatione expugnauit inimicos, pugnando pro patria, non pro inani gloria. Eiiciamus igitur ancillam & filium eius, id est, carnalem concupiscentiam,cum primis motibus radendo, sicut præceptum est in Leuitico, omnes pilos carnis nostræ, & si eos non valemus prorsus euellere. Clauus igitur tentationis,clauo pœnitentiæ & doloris retunditur, quia dolor est medicina doloris. Vnde sapiens quidam ait: Vtendum est seruo vt spongia, ex cuius compressione elicitur aqua. Similiter ex compressione & arctatione carnis, eiiciuntur carnalia desideria, sicut scriptũ est: Seruo maleuolo tortura & compedes. Vnde Propheta Nahum ait: Intra in lutum & calca,subigens tene laterem. Intra lutum consistendo immunditias subige, & calca laterem corporis,tene & retine, ne in præcipitium trahat te. Mundare enim debemus cor per confessionem,mundum tenere per carnis mortificationem. Vnde & Dominus contra pruritus carnis,quos senserunt primi parentes, vestiuit eos tunicis pelliceis, & nos contra carnis desideria vti asperis. Fractis enim lagunculis corporum,cum Gedeone hostes poterimus superare, sicut scriptum est: Affligam eos: nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Gladius enim afflictionis deuorabit carnes, id est, carnalia desideria. Ponat igitur vir gladium super femur suum. Qui enim in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Non enim irritandus est canis vel excitandus,ne nos mordeat. Caro autem nostra tanquã canis cibo nimio & poru,& tactu illicito excitatur,& cõtra nos mouetur, sicut scriptũ est: Turbati sunt,& moti sunt sicut ebrius. Et iterũ: Fundamẽta montiũ conturbata sunt,& cõmota sunt. Caro enim quasi canicula nos infestat. Dies autẽ tentationis,quasi dies caniculares,molesti sunt nobis. Dæmoniũ enim meridianũ incendit hominẽ,dum calor vehementior cõtrahit vmbrã refrigerij. Tunc enim filia Chananeę malè vexatur à dęmonio meridiano. Sol enim per diẽ nos vrit,dũ fornacẽ vehementiũ: tius Rex Babylonis incẽdit. Matutinũ autem dæmoniũ vexat pueros,in principio tentationũ: vespertinũ autẽ senes,in fine dierũ suorũ. Cuiuscunq; igitur ætatis aut professionis fuerimus, nunq̃ securi simus,nõ acedia torpeamus, sed cũ omni diligẽtia & cautela cõtra carnis vitia fortiter pugnemus. Abstineamus nos à carnalibus desideriis,quę militãt aduersus animã. Et quoniã nõ sufficit declinare à malo,nisi faciamus bonũ,nõ solũ à carnalibus desideriis abstinere debemus,sed insuper conuersationẽ nostrã inter Gentes habere bonã. Vita enim bona necessaria est nobis propter nos: Fama autẽ bona propter proximos. Vnde & Chrismate vngũtur Christiani,

*Quod clamandũ est ad Dominum in hac pugna, sine quo non possumus vincere.*
*Gen.49.*
*Rom.7.*
*Ephes.6.*
*Ierem.17.*
*Rom.6.*
*Matth.8.*
*Gen.9.*
*Matth.3.*
*Mar.1.*
*Luc.12.*
*Prouer.31.*
*Quod reprimendi sunt motus carnis per abstinentiam.*
*Luc.21.*
*Iob 40.*
*Iob 39.*
*Isa.30.*
*Gen.21.*
*Quod motus superfluos debemus abiicere & resecare asperitate pœnitentiæ.*
*Num.8.*
*Eccle.31.*
*Nahum 3.*
*Gen.3.*
*Iud.7.*
*Deut.32.*
*Exod.32.*
*1.Cor.10.*
*De dæmonio meridiano, matutino & vespertino.*
*Matth.15.*
*Ma.7.*
*Dan.3.*
*Quod fama non est negligenda.*
*Matth.25.*

ſtiani,vt habeãt oleũ bonæ cõſcientię in vaſis cordis interius,& balſamũ odoris boni per bonã famam propter proximos exterius. Vnde Apoſt. ait: Quæcunque bonę famæ ſunt,cogitate. Et B.Ambroſ.ait: Qui conſciẽtiæ fidens famã negligit,crudelis eſt. Non enim debemus materiam peccandi in nos proximis dare, propterea Auguſtinus ait: Quiſquis à criminibus vitam ſuã cuſtodit, ſibi benè facit: Quiſquis autẽ etiam famam, & in alios miſericors eſt. Et in Prouerb. dicitur: Melius eſt nomẽ bonũ quàm diuitiæ multæ. Et in Eccleſiaſte dicitur: Melius eſt nomen bonũ quàm vnguenta pretioſa. Et B. Iob ait: Dies mei tranſierunt, ſicut naues poma portantes, quæ,ſcilicet,poſt ſe bonũ relinquerent odorẽ. Si enim pater noſter,qui eſt in cœlis,ſenſerit veſtimentorũ noſtrorũ,id eſt,virtutũ & bonorũ operũ fragrantiã,vt poſsit dicere de nobis: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni,cui benedixit Dominus: dabit nobis benedictionẽ ſuã,ſicut Iacob à patre ſuo benedictionẽ accepit,poſtquã veſtimenti eius fragrantiã pater eius percepit. Corpus enim noſtrorũ operũ condiri debet aromatibus bonę famę,vt currãt alij poſt odorẽ vnguentorũ noſtrorũ. De his qui malũ exemplũ aliis præbẽt,& fœtore infamię alios corrumpũt, valde conqueritur Dominus. Vnde ipſe per Iſa. Prophetã ait: Propter vos nomẽ meũ blaſphematur in Gentibus. Quod fit dum nomẽ Domini fœtere faciũt corã Pharaone,maximè miniſtri Eccleſiæ corã ſecularibus nõ erubeſcendo peccare. De quibus poteſt dici quatriduanus eſt, iam fœtet. De quibus Iere. ait: Frons meretricis facta eſt tibi,noluiſti erubeſcere. Et Dauid ait: Sepulchrũ patẽs eſt guttur eorũ,id eſt,per blaſphemiã fœtẽs. Dominus enim nõ minus videtur cõqueri de euidentia peccati quàm de ipſo peccato. Vnde ipſe ait: Clamor Sodomorũ & Gomorręorum multiplicatus eſt,& peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Clamor enim,id eſt, euidentia & infamia valdè aggrauant peccata. Timeat igitur ſeruus ille,qui diffamatus eſt apud dominum ſuum tãquam diſſipaſſet bona ipſius. Non enim minus videtur offendi dominus de diffamatione quàm de diſſipatione. Debemus igitur benè viuere propter nos,& bonum exemplum oſtendere propter proximos. Vnde Dominus nomina filiorum Iſraël in rationali ſcribi iuſſit,vt conuerſationem ſanctorũ patrum traheremus in exemplum. In quo etiam rationali & præterea in ſuperhumerali lapides pretioſos præcepit apponi Dominus. Sanctorũ enim exempla,id eſt,dicta & opera animam exornant. Multi enim cibi in noualibus Patrum,id eſt,in dictis & factis eorum, multa eſt refectio per doctrinam & exemplum. Et ob hoc B.Petrus ait: Conuerſationem veſtrã inter Gentes habentes bonam,non propter vanã gloriam,ſed propter Dei gloriam & proximorum vtilitatem. Et ob hoc quod ſubiungit,vt in eo quod detractant de vobis tanquã de malefactoribus ex bonis operibus vos conſiderãtes glorificẽt Deum in die viſitationis. Plerunque enim contigit,vt pagani,qui vituperant fidem Chriſtianorum,cõſiderantes bonam eorum conuerſationem,Chriſtum laudare inciperent in die viſitationis,quando ſcilicet,viſitabat Deus eos,vt agnoſcerent veritatem,quã prius blaſphemabant. Putabant enim Chriſtianos malefactores eſſe & ſtultos, quia deos eorum relinquerant,& propter peccata ſua affligi in hoc ſeculo. Deinde ad humilitatem & ſubiectionem inuitãs,ait: Subiecti eſtote omni humanæ creaturę propter Deum: hoc dicit ſpecialiter propter quoſdam cõuerſos de Gentibus, quibus videbatur quod gentilibus ſeruire non deberent, quia mali domini erãt & Chriſti inimici. dominis etiam Chriſtianis dicebant non debere ſeruire, reputantes omnes Chriſtianos fratres ſuos,& non dominos. Et ita hoc quod Dominus in Euangelio ait: Si filius vos liberauerit,verè liberi eritis,non ſolùm de libertate animæ,ſed de libertate corporis intelligebant. Et ita ius ſuum dominis ſuis auferre volebant,nolentes reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari: Contra quos Petrus ait: Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis,non tantum bonis,ſed etiam diſcolis,id eſt,non tãtum Chriſtianis,ſed & paganis. Eccleſiaſtici dicuntur eruditi. Diſcoli autem dicuntur indiſciplinati,agreſtes,& indocti. Subiici autem debemus dominis in timore Dei,in his,ſcilicet,quę non ſunt contra Deum,exemplo domini, qui ſoluit cenſum. Vnde Paulus ait: Cui honorem,honorem: cui vectigal,vectigal: cui tributum,tributum. Vt igitur,quantum in nobis eſt, cõuerſatio noſtra omnibus placeat,& ne religioni Chriſtianæ poſsit detrahi,ſi per eam turbentur iura conditionis humanæ,non reſiſtamus alicui dignitati hominum,neq; principatui,cui nos Deus ſubdi voluit,quia nõ eſt poteſtas niſi à Deo: Et qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Vnde Paulus ait: Maneat vnuſquiſque in vocatione in qua vocatus eſt. Subiici igitur debemus omni creaturæ humanæ propter Deum,ſiue Regi quaſi præcellenti,ſiue ducibus tanquã ab eo miſis ad vindictam malefactorum,laudem verò bonorum. Non quod ſemper ita fiat,quia abutũtur poteſtate,ſed quę debeat eſſe actio,ducis oſtendit Dominus. Qui etiam ſi bonos damnat,nõ minus ad laudẽ eorum,& remunerationẽ pertinet quod agit,ſi patienter improbitatem eius tollerant. Vnde Gregorius ait: Sancti, cùm malos prædicando corrigere non poſſunt,portando tolerant, quamuis ſi fructum conuerſionis eorum percipere non valeant,ex ipſis tamen præmium longanimitatis acquirant. Vnde Petrus ait: Hęc eſt enim gratia,ſi propter conſcientiã Dei ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſtè, id eſt, hoc exigit gratia fidei,& per hæc efficitur homo Deo gratus. Si enim benefacientes,& colaphizati patienter ſuſtinemus,hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati ſumus vt patiamur. Quæ eſt enim gratia,ſi peccantes & colaphizati ſuffertis,id eſt ſi vos ſuffertis pœnas illatas à dominis peccantes & nolentes obedire eis? Sic igitur in timore Dei, ſubiici debent ſerui dominis, vt nec Deum offendant, nec dominis obedire recuſent. Sic enim benefacientes obmutescere facient imprudentium

*Philip.4.*
*Parab.22.*
*Eccleſ.7.*
*Gen.28.*
*Iſa.52.*
*Rom.2.*
*Exod.5.*
*Ioan.11.*
*Iere.3.*
*Gen.18.*
*Luc.16.*
*Exod.28.*
*Prouer.18.*
*Expoſitio literæ vbi oſtenditur quod omnia ad Deũ et ad vtilitatẽ proximi referre debemus.*
*De humilitate & fraterna ſubiectione, & quod ſeruire debẽt dominis ſuis qui ſubiecti ſunt illis.*
*Ioan.8.*
*Matth.22.*
*Mar.12.*
*Luc.20.*
*Matth.17.*
*Rom.14.*
*Rom.13.*
*1.Cor.7.*

dentium hominum ignorantiam, nec meritò inuenient, quid vituperét in ipſis, dum eos hono rant & ſuſtinent, quamuis ſint mali. Ignorantiam autem dicit, quia ipſi ignorant, quomodo eis vtamur in bonum noſtrum. Licèt enim ſint mali, per eos tamen boni purgantur. Debent igi tur ſerui ſubiici dominis ſuis propter Deũ, & ſecundũ Deum ex volũtate animi, & nõ quaſi coa cti neceſsitate, non quaſi timentes periculum ab eis. Propterea Petrus ait: Quaſi liberi, & non quaſi velamen malitiæ habentes libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Liberi enim eſſe debent à ſeruitute peccati, ſed non à ſeruitio hominum, neque propter libertatem quam habent à peccato, velare debent malitiam ſuam, vt dicant ſicut Iudæi, filij Abrahę ſumus, & nemini ſeruire debemus. Hæc enim intelligi poſſunt, non tantum de his qui ſeruilis conditionis ſunt, ſed etiam de his qui liberi erant ante Baptiſmum, qui propter Deum omnes debent honorare, & potius ſe ſubiicere quàm velle præeminere. Non debent igitur libertatem habere, quaſi velamen malitiæ, vt dicant, liberi ſumus, nulli ſeruire debemus. Et ita abutendo libertate ſua alios contemnebant. Libertatem etiam ſuam non debent habere velamen malitiæ ſuæ, vt tantò licentius peccent, quanto minus iugo ſeruitutis premuntur. Non igitur hæc libertas ſecularis velet, & inuoluat corda eorum, ne nomine dignitatis culpam ſuam tegant. Vnde ad Galatas Paulus ait: Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed quaſi per charitatem ſeruite inuicẽ. Hoc autẽ ſpecialiter de his quibus metus legis non incũbebat, ne ideo carnis deſideria ſequerentur, quia tunc eſſent ſerui, quaſi dicat: Cauere ne audito nomine libertatis, impunè vobis peccandum arbitremini, ſed per charitatem ſeruite inuicem. Vnde idem ad Corinthios ait: Cùm eſſem ex omnibus liber, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerẽ, id eſt, cùm nullius meritis eſſem obnoxius, omnium commodis ſeruire volui. Condeſcendebat igitur infirmis per compaſſionem, conformans ſe omnibus in his, quę contra Deũ non erant per humilitatem. Teſte enim Auguſtino: Exultat qui non dolet. Propterea iterũ Apoſt. ad Corinthios ait: Omnibus omnia factus ſum, ſcilicet, cõpatientis affectu, non eorũ mala agendo, ſed omnium malis tanquam ſua eſſent miſericorditer medicãdo. Vnde Gregorius ait: Qui aliena mala æquanimiter non tolerat, ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt, quia ab omni plenitudine lõgè diſtat. Abel quippe eſſe rennuit, quẽ Cain malitia non exercet. Omnibus igitur Apoſtolus ſe conformans in his, quæ contra Deum non erãt, condeſcendebat. Factus ſum, inquit, Iudæis tanquam Iudæus. Vnde ne ſcandalizarentur, circuncidit Timotheũ, cùm nondum plenè ceſſaret circunciſio, & purificatus aſcẽdit in templum. Factus ſum his qui ſub lege erant, tanquã ſub lege eſſem, id eſt, Samaritanus, qui ſub lege erãt, quinq; librorũ Moyſi factus eſt, quaſi eſſet ſub lege, dum non negat legem à Deo eſſe, ſed ex ea docet Chriſtum. Et his qui ſine lege erant, id eſt, Gentibus, tanquam ſine lege eſſem. Aſſerebat enim eis ſecundum rationes phyſicas mundũ factũ eſſe à Deo, & animã eſſe immortalẽ. Et factus ſum infirmis infirmus. Infirmis, ſcilicet, in fide quibus conformabat ſe abſtinendo à quibuſdam licitis, non tamen cõmittendo illicita. Ita enim imitandi ſunt, quod eorum errores nõ imitentur. Sicut ipſe alibi ait: Nolite conformari huic ſeculo, id eſt, vitiis ſecularium. Ita ergo ſe temperabat diuerſis, quaſi omnium ſectarum eſſet, non penitus diſſentiendo vel alienando ſe, ſicut cathari faciunt, ſed in multis ſe illis conformando. Prudens enim & ſpiritualis medicus omnibus ceſſit, propoſitum tamen veræ religionis non exceſſit. Omnibus ſeruiuit, ſicut ipſe ait: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Hinc eſt quod Dominus cum peccatoribus manducabat, in parte ſe conformans eis, vt eos ad ſe traheret. Emolliri enim debet animus prædicatoris per compaſſionem, & condeſcendere per humilitatem & conformari ad cautelá. Vnum enim ſimile facilius ſuum conſimile attrahit illi cohærendo. In omnibus tamen honeſtaté vitæ & veritatis conſeruet. Pius enim medicus infirmis infirmus efficitur, non febrem aſſumẽdo, ſed compatiendo, & plerumque cibos, quibus non indiget, comedendo. Quandoque enim medicinam, qua non indiget, præguſtat medicus, ne illam abhorreat infirmus. Medicinam dico, nõ venenum. Nõ debet igitur Prædicator à peccatoribus prorſus alienari, ne dum omnia virum perat, omnes à ſe alienos faciat. Spiritu autẽ ſcientiæ ſancti, quandiu ſunt in hoc exilio, tãquam aduenæ & peregrini inſtruuntur, cautè conuerſari inter homines prauæ & peruerſæ nationis.

*Ioan. 8. Quod liberi ſeruire debent aliis propter Deum, & nõ debent abuti libertate ſua.*

*Gala. 5.*

*1. Cor. 9.*

*Quod omnibus conformari debemus per compaſſionem, in his etiã quæ cõtra Deũ non ſunt condeſcendẽdo infirmis.*

*1. Cor. 9. Actuum 21. 2. Cor. 9.*

*Rom. 12.*

*Matth. 9. Mar. 2. Luc. 5.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio ſecundum Ioannem.

*Ioan. 16.*

*Modicum, et iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad patrem.*

*Prouer. 5. De ciſterna puteo & fonte ſacræ ſcripturæ.*

*Eccle. 1. Ioan. 7.*

BIBE aquam de ciſterna tua & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui. Verba ſunt Salomonis in Parabolis: oſtendentis nobis qualiter prædicare debeamus aliis, & mentes audientium aquis diuinæ ſcripturæ irrigare. Quam ſcripturam appellat ciſternam, puteum & fontem. Ciſterna de ſublimi ſuſcipit aquas pluuiales. A ſpiritu autem ſancto traditæ ſunt ſacræ ſcripturæ. Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt. Puteus dicitur propter myſteriorum profunditatem. Fons dicitur, quia ab illa fluunt aquæ viuæ, terram Eccleſiæ irrigantes. Has aquas bibere debet prædicator, antequam aliis potum

potum propinet,vt prius imbuatur, quàm alios velit imbuere,prius irrigetur, quàm alios velit irrigare,prius sit concha,quàm canalis, prius sit discipulus,quàm magister . Acceptus est enim regi minister intelligens,teste Salomone in Parabolis. Et iterum: Cor sapientis erudit os eius, & labiis illius addit gratiã. Prius igitur sapientiã habeat in corde,vt possit & sciat eruditè loqui, & alios erudire. Et ita sermo eius gratus erit audiẽtibus & acceptus. Prius igitur bibit aquam de cisterna sua, & fluenta putei sui,id est,diuinæ scripturæ. Quam debet facere suam,id est,conuertere ad suam vtilitatem, vt non prædicet pro lucro terreno, vel pro inani gloria,seu fauore humano. Et postmodum fontes eius deriuentur foras,vt alios instruat,& in plateas aquas suas diuidat. Aquas siquidem doctrinæ in plateas diuidimus, dum latè prædicationem fundimus. Habeat tamen eas solus,ne sint alieni,id est,spiritus maligni participes eius: Soli autem eas habemus,dum per eas laudes humanas non quærimus , nec prædicationes nostræ dæmones socios seu participes facimus. Ego autem fratres mihi timeo,ne aqua quam de puro fonte diuinæ scripturæ hausi,dum transit quasi per lutosa loca,non sit apta ad peccatorum sordes abluendas. Ego enim lutosus sum & peccator, & valde timendum est mihi,ne fortè vinum bonum,vbi Dei ex corruptione vasis , id est , cordis mei fiat vobis acidum & insipidum . Orate igitur Deum,vt hodie manutergio gratiæ suæ aqua ex ore meo procedens coletur , & purificetur,vt sit apta ad abluendas sordes animarũ,& vinum ex vase meo Deo sit acceptabile & vobis vtile.

*Quod prædicator debet prius bibere, quàm potum aliis propinare.* *Prouer.14.* *Prouer.16.*

Modicum,& iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Dominus noster Iesus Christus nocte illa,qua tradendus erat,imminente iam eius passione, hæc verba dixit ad discipulorum suorum consolationem , ne abundantiori tristitia nimis opprimerentur, quia spiritus tristis exsiccat ossa. Præmonuit igitur eos contra tristitiam gaudium , mox subsecutu-rum subiungens . Modicum,inquit, & iam non videbitis me,id est,modicum erit tempus,in quo non videbitis me,triduum,scilicet,vsque ad diem resurrectionis. Et iterum erit modicum tempus,in quo videbitis me,spacium,scilicet, quadraginta dierum à resurrectione vsque ad ascensionem. Quia vado ad Patrem,ascendẽdo,scilicet,ad cœlum, vt vobis præparem hospitium. Modicum enim tempus erit quo clausus non videbor. Et iterum: Modicum tempus erũt quadraginta dies quibus resuscitatus videbor. Melius est hoc modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Potest tamen intelligi, vt fiat primò mentio de tempore illo,quod erat futurum ab illa hora, qua loquebatur vsque ad eius passionem sub hoc sensu. Paulò pòst patiar,& non videbitis me, & rursum post panlulum resurgam & videbitis me, id est,modicum tempus restat vsque ad passionem & sepulturam meam, & tunc non videbitis me. Et iterum : A morte mea modicum tempus restabit vsque ad resurrectionem meam,scilicet,triduum,& tunc,id est, in resurrectione videbitis me,quia vado ad Patrem,id est,per passionem resurgã ad Patris immortalitatem. Et quia per passionem vado ad Patrem, plorabitis interius & flebitis exterius, in triduo,scilicet,passionis, quando me non videbitis. Dolebitis autem pro absentia mea, sicut gemit turtur amisso marito suo. Mundus autem gaudebit,quia,me occiso,inimici mei gaudebunt. Sed tristitia vestra citò vertetur in gaudium,scilicet,in resurrectione mea,quãdo iterum videbitis me viuentem. Gaudium autem inimicorum meorum vertetur in luctum. Iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum,scilicet,in resurrectione, & gaudium vestrum,id est, meipsum nemo tollet à vobis, quia amplius mori nõ potero,& ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi. Citò igitur transibit tristitia vestra,sicut tristitia mulieris parientis,quæ postquam peperit puerum,iam non meminit pressuræ præ gaudio,quod habet de puero nato. Ita tristitia mortis meæ citò cõuertetur vobis in gaudium resurrectionis. Tẽpore igitur passionis meæ erit vobis tristitia, sed eam vincet statim futura lætitia. Sicut in pariente maius est gaudium sequẽs de fructu,quàm fuerit dolor de partu,adeò quod fructus laboris tollat de memoria immensitatem doloris,sicut portus tollit nauseam maris. Post amaram enim potionem peruenitur ad iocundam sanitatem. Contristati sunt igitur Apostoli in morte, sed tristitia eorum conuersa est in gaudiũ in die Pentecostes,resurrectione. Contristati sunt, quia sine illo reuersi sunt in Hierusalem,sed tristitia eorum conuersa est in gaudium in die Pentecostes. Contristati sunt, quando ab inuicem diuisi per vniuersum mundum dispersi sunt. Sed tristitia cõuersa est in gaudium,quando iterum in vnum conuenerunt,manducantes & bibentes simul ad mẽsam Patris sui in regno cœlorum. Contristati sunt pro peccatis hominum lugentes. Peccata enim malorum frixoria sunt iustorum. Sed tristitia eorum conuersa est in gaudium, postquam peccatores conuersi sunt & multas animas Deo acquisierunt. Contristati sunt in variis tribulationibus. Vnde Paulus : Supra modum grauatus sum vt tæderet me viuere. Contristati sunt secundum carnem, dum occiderẽtur pro Christo,iuxta illud: Alius te cinget,& ducet quò non vis. Sed tristitia eorum citò versa est in gaudium post mortem in æterna beatitudine. Illud autem quod Dominus ait: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, specialiter intelligitur de visione quæ erit in æterna beatitudine,eò quòd posteà subiungit,dicens: In die illo non rogabitis me quicquam. Tunc enim plena erit cognitio. Vnde non oportebit aliquid interrogare. Et sufficientia omnium rerum, vnde non oportebit rogare . Laudabunt enim, sed non rogabunt. Tunc enim Ecclesia pariet,cernendo quæ nunc parturit orando,paritura laudando. Non igitur rogabunt quicquam, vel interrogabunt. Omnes enim erunt docibiles Dei, legentes in libro vitæ,& erit Deus sufficientia in omnibus,cùm peruentum fuerit ad finem. Quod intelli-

*Ioan.16.* *2.Cor.2.* *Para.17.*

*Multiplex literæ expositio*

*Alia expositio.*

*De fletu discipulorum,& gaudio inimicorum.*

*Quod tristitia discipulorum assimilatur dolori parturientis,quæ cito vertitur in gaudium.* *Lucæ 24.*

*Quod multipliciter tristitia Apostolorum conuersa est in gaudiũ.* *Actuum 2.* *Lucæ 22.* *2.Cor.1.* *Ioan.21.*

*De visione æterna & quod in æterna beatitudine sanctis non indigẽt rogare pro se.* *Ioan. 6.* *Iere.31.*

gens

*Mysterium tẽporis, quo non est visus, & illius tẽporis quo iterũ viderunt eum. Ioan. 20.*

gens Philippus ait: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Illud autem modicum tempus, quo non est Christus in morte, signat tempus istud præsens. Sicut enim tunc lugebant discipuli, & gaudebant inimici, ita nunc lugent boni, & gaudent amici huius seculi. Illud autem tempus quadraginta dierum, quo visus est Christus discipulis, in quo gauisi sunt discipuli viso Domino, mundus autem turbatus est, & valdè confusi sunt reprobi Iudæi, signat tempus generalis resurrectionis, in qua boni Deum videbunt & gaudebunt, mali autem dolebunt & turbabuntur, & confundentur. Vnde prædicta verba Euangelij, quę specialiter de apostolis exposuimus, generaliter de vniuersali Ecclesia possunt exponi sub hoc sensu. Modicum & iam non videbitis me mortalem, scilicet, & corruptibilem, qualem me nunc videtis. Et iterum modicum & videbitis me immortalem, scilicet, & incorruptibilem. Modicum enim fuit tempus vsque ad eius resurrectionem, & nunquam postea visus est mortalis vel passibilis. Et iterũ à resurrectione modicum tempus est, vsque ad finem mundi, in quo videbunt eum electi, non in speculo & ænigmate, sicut in præsenti tempore, sed facie à faciem sine fine. Modicum etiam est tempus cuiuslibet Christiani in hoc seculo, in quo Christus non videtur per speciem, sed tantum per fidem. Post mortem autem videbunt eum facie ad faciem. Breues enim dies hominis sunt, homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, sicut beatus Iob ait: Et iterum: Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui. Et iterum: Dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Et Dauid ait: Vidi impium superexaltatum & elevatum, transiui, & ecce non erat. Transiui, scilicet, ad eius nouissima intuenda. Et iterum ait: Mane, id est, in præsenti vita transit homo sicut herba. Omnis caro fœnum. Transit etiam de malo in pœnis, dum ardore tentationis desiccatur. Mane floret prosperitate, & deliciis, & transit, quia non quam in eodem statu permanet. Duo mane ponit: Primum est pueritia, secundum iuuentus, postea verò vespere, id est, in extremis decidit in mortem, inducatur in cadauer, & arescit in puluerem. De hac breuitate humanæ vitæ Iacobus ait: Quæ est vita vestra? Vapor ad modicum parens. Et in Isaia dicitur: Præcisa est, velut à texente vita mea, dum adhuc ordiret succidit me. Dum adhuc orditur tela succiditur, dum homo in iuuentute moritur. Et Psalmus ait: Dies mei sicut vmbra declinauerũt, & ego sicut fœnum arui, dies, scilicet, mei, qui sicut vmbra, id est, obscuri, vani, transitorij declinauerunt, id est, citò ad occasum mortis peruenium, quia parentes nostri à vero die declinauerunt. Et ego sicut fœnum arui, quia filij Adam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad locum vnum. De mane enim vsque ad vesperam succiduntur, sicut dicitur in Iob: Quia ab initio vitæ vsque ad finem, variis afflictionibus atteruntur, & veterascunt. Et iterum beatus Iob ait: Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ & cineri. Et rursum ait: Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam. Homo enim tanquam folium de arbore in Paradiso cecidit, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus mouetur. Et iterum ait: Memento quia ventus est vita mea, inanis, scilicet, mobilis, & vacua. Et iterum ait: Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur. Sicut enim tela filis, sic vita diebus singulis proficit. Sed quò magis crescit, eò velocius ad incisionem tendit. Sed & telæ festinantiam velocitas vitæ transit, quæ semper deficit. Et iterum ait: Dies mei velociores fuerunt cursore. Nam cursor aliquando saltem nocti-bus quiescit, nos autem nunquam quiescimus, sed semper ad defectum tendimus. Et rursus ait: Quasi putredo cõsumendus sum, & quasi vestimẽtum quod comeditur à tinea. Sicut enim vestimentum de se exorta tinea comeditur, ita homo ex se habet putredinem, vnde consumatur. Et multa de breuitate vitæ humanæ dicit in hunc modum. Dauid quoque ait: Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum est ante te. Mensurabiles, id est, breues & inanes, qui essent immẽsurabiles, si homo in veritate perstitisset. Et in Osee Propheta dicitur: Idcirco erunt homines, vt nubes matutina, & sicut ros mane prætereiens, & sicut pulueris turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario, id est, de camino. Teste enim Salomone: Quasi tempestas transiens, non erit impius. In hac autem tempestate ludunt pisces, id est, curiosi huius seculi homines. Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas. Licet autem vanitas vitæ temporalis tanquam vesica, quibusdam videatur plena, in fine tamen hominis apparebit vacua & vana, & quæ nunc videtur substantia, tunc videbitur vacuitas & fallacia. Vnde in libro Sapientiæ dicitur. Transierunt omnia sicut vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam. Sic & nos nati continuò desinimus esse. Et paulò pòst ait: Spes impij tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella despergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntes. Transeunt autem tanquam vmbra, quæ nullam habet stabilitatis soliditatem, & tanquam nuncius præcurrens. Nuntius mortis corporalis est stimulus pasionis, vt cùm illum sentis venire, memẽto te percussisse fœdus cum morte. Huiusmodi autem nuncij citationes faciunt, vt festinanter venias ad diem peremptorium, vel nuncius est mundus iste, præcurrens & prædicens aduentum Domini sui. Dominus autem dicitur mors, quia veli mus, nolimus, apud nos hospitatur. Mundus autem annunciat nobis aduentum hospitis, dum aliquis potens in hoc seculo nobilis, & sapiens moritur. Nam tua res agitur paries cùm

*Tertia expositio eius, quod ait: Modicum & non videbitis me.*

*1. Cor. 14.*

*Iob 14.*
*Iob 10.*
*Iob 17.*

*Iacob 3.*

*Isaiæ 38.*

*Eccle. 1.*
*Iob 4.*

*Iob 30.*
*Iob 13.*

*Iob 7.*
*Iob 7.*

*Iob 9.*

*Iob 13.*

*Osee 13.*

*Prouer. 10.*

*Eccle. 1.*

*Sap. 5.*

*Expositio prædictæ authoritatis.*

cùm proximus ardet. Transit præterea vita noſtra, tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam. Fluctuans aqua, eſt mundus iſte, in quo variis fluctibus tribulationum agitamur. Velocitas autem nauis ab exiſtente in ea non deprehenditur, niſi ad aliquod immobile reſpectus habeatur. Sic tranſitum noſtrum quàm velox ſit, non aduertimus, niſi ad lignum immobile, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, oculos mentis habeamus. Nauis autem tranſeuntis fluctuantem aquam nullum reſtat veſtigium vel ſignum, niſi fortè ſpuma, quæ facilè diſſoluitur. Sic poſt huius vitæ curas vanas, non reſtat aliquid in hoc ſeculo, niſi vana fama, & quædam inanis opinio, quæ facilè tanquam ſpuma euaneſcit. Lanugini etiam ſpes impij comparatur. Lanugo enim ex herbarum flore marcido prouenit. Carnis autem fragilitas à vento ægritudinis & moleſtia corporali, velut lanugo à vento turbinis citò tollitur. Iuxta illud Iacobi: Exortus eſt Sol cum ardore, & areſcit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultis eius deperiit, ita dies in itineribus ſuis marceſcet. Spuma autē gracilis à procella deſpergitur, dum mortis tempeſtate natura fragilis diſſoluitur. Sicut autem fumus à vento diffunditur, ſic humana natura, dum eleuatur, cadit. Iuxta illud: Deiecisti eos, dum alleuarentur. Sicut autem memoria hoſpitis vnius diei citò trāſit, ſic vita humana citò præterit, & facilè more hoſpitis, poſtquam mortuus fuerit, homo traditur obliuioni. Per ſingula autem momenta homo moritur, & more candelæ ad defectum, & fauillam continuè feſtinat, ſpiritus vadens & non rediens. Vadens ad diem craſtinum, & non rediens ad diem heſternum. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus, nihil ex omnibus portare licebit. Anguſtum eſt foramen mortis. Peccatum, quia nihil eſt, nulla poteſt foraminis anguſtia retineri. Cum ſolo originali intrauimus, quod reprobi cum multiplici fœnore ſecum reportauit. Non ſolum autem modicum tempus eſt vita hominis, ſed inſuper tempus illud, quod futurum eſt, vſque ad iudicium; modicum dicitur reſpectu æternitatis. Quo feſtinanter elapſo fine fine ſancti Deum videbunt. Vnde & veſperæ comparatur tempus iſtud, quod vſque ad finem mundi expectamus. Chriſtus enim incarnatus eſt in veſpere mundi, & fine temporum. Vnde in Epiſtola canonica Ioannes ait: Filioli nouiſſima hora eſt. Et in Apocalypſi ait: Tempus reſtat modicum, donec impleatur numerus fratrum eorum, qui clamabāt ſub altare Dei. Et Petrus ait: Mille anni apud Deum, ſicut vnus dies. Nō tardat Deus promiſſionem. Et Paulus ait: Adhuc modicum, qui vēturus eſt, veniet, & non tardabit. Et iterum ait: Præterit figura huius mundi. Et Lucas ait: Oſtendit illi omnia regna orbis terræ, in momento temporis. Regna enim mundi in momento temporis ſunt, quia citò tranſeunt. Et hæc eſt magna conſolatio ſanctorum, breuitas, ſcilicet, huius exilij, in quo ad modicum lugent, ſed tandem ſine fine gaudebunt. Vnde ad conſolationem diſcipulorum Dominus ait. Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Sancti enim in hac valle lachrymarum multiplicem habent lugendi materiam. Vnde Iacobus ait: Miſeri eſtote & lugete. Lugent enim pro peccatis ſuis. Hoc modo lugebat Propheta, dicēs: Lauabo per ſingulas noctes lectū meum. Et iterū: Fuerunt mihi lachrymę meę, panes die ac nocte. Hæ ſunt lachrymæ cōtritionis. Lugent pro peccatis alienis. Vnde Ieremias ait: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem interfectos populi mei? Et in Threnis: Deduc quaſi torrentem lachrymas, per diem & noctem. Hæ ſunt lachrymæ compaſſionis, quibus Dominus fleuit ſuper ciuitatem Hieruſalem: Lugent pro incolatu huius miſeri exilij. Cor enim ſapientis, vbi triſtitia. Et melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quod futurus eſt, ſicut in Eccleſiaſte dicitur: Hæ ſunt lachrymæ peregrinationis, quibus lugebat Dauid, dicens: Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt. Lugent lachrymis deuotionis, orando cum lachrymis, ſicut ad Tobiam Angelus ait: Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Hæ autem lachrymæ pondera vocis habent, quæ imperant, non ſupplicant. Oratio enim Deum linit, lachryma cogit, hæc vngit, illa pungit. Lugent lachrymis pietatis & affectionis in recordatione paſſionis Chriſti. Hoc modo lugebat Maria ad monumentum, cui Dominus ait: Mulier, quid ploras? Et Apoſtoli, de quibus dicitur: Ad veſperum demorabitur, & ad matutinum lætitia, id eſt, in reſurrectione. De hoc fletu poteſt intelligi, quod in Eccleſiaſtico dicitur: Punge oculum, & producet lachrymam. Spinæ enim & claui Chriſti pungunt corda ſanctorum, vſque ad productionem lachrymarum, vt reddant Chriſto aquam pro ſanguine. Aquam plorationis pro ſanguine redēptionis, dum compatiuntur ſuper contritionem Ioſeph. Lugent præterea ſancti lachrymis timoris. Neſciunt enim vtrum ſint digni odio, vel amore. Neſciūt ſi aliquid in ſe habeāt, quod diſpliceat oculis Domini, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine. Neſciūt enim quid craſtina pariet dies. Vnde in Eccle. In die bonorū, non ſis immemor malorū. Neſciūt quo fine dies ſuos clauſuri ſunt. Incerti ſunt de fine belli. Vnde Dominus in Iob: Memēto belli & vltra nō addas loqui, id eſt, murmurare de flagellis. Lachrymis etiā in bonis indigemus, quia quo fine cōſummare debeamus, ignoramus. Timent igitur in tētationibus ſuis ne cadant. Vnde & vēto tentationū reſoluūtur in aquas lachrymarum. Propterea Iob ait: In amaritudinibus moratur oculus meus. Et Ezechiel ait: Vidi in viſione Dei, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Ventus iſte debet à nobis lachrymas extorquere. Terribile eſt iudicium quaſi ventus validus, extorquet lachrymas ab oculis ſancto-

*Iacob.1.*

*De brenitate temporis, vſque ad finem mundi, & quòd prope eſt iudicium.*

*1.Ioan.2.*
*Apoc.6.*
*2.Pet.3.*
*Heb.10.*
*1.Cor.7.*
*Luce 4.*

*De multiplici luctu ſanctorum.*
*Iacob.4.*
*De fletu contritionis.*
*De fletu compaſſionis.*
*Iere.9.*
*Threu.2.*

*De fletu peregrinationis.*
*Eccle.7.*
*De fletu deuotionis.*
*Tob.12.*

*De fletu pietatis.*
*Ioan.20.*

*Eccle.22.*

*Amos 6.*
*De fletu timoris.*
*Eccle.10.*
*Prouer.27.*
*Eccle.11.*
*Iob 41.*

*Iob.17.*
*Ezech.2.*

anctorum. Si enim ventus oculos in lachrymas soluit, multò fortius memoria illius venti ter
Matth. 4. ribilis, qui omnes paleas exufflabit in infernū. Vnde Osee ait: Cōsolatio abscondita est ab ocu
Osee. 13. lis meis, quia ipse, id est, infernus, de quo prius locutus est, inter fratres diuidet vnū, scilicet, acci
Matth. 24. piendo & aliū relinquēdo. Erunt enim duo in lecto, duo in agro, duo in pistrino, vnus assume-
Mar. 13. tur, & alius relinquetur. Lugēt præterea sancti lachrymis affectionis & viduitatis prę absentia
Luce 17. spōsi. Quia nō est vir in domo sua, id est, in præsenti Ecclesia, quia corporalē & visibilē speciem
De fletu viduitatis. suam ab oculis nostris subtraxit. Abiit via longinqua, dum de terris ad cœlos ascendit. Saccu-
Prouer. 7. lum pecuniæ secum tulit, id est, humanitatem, in qua repositi fuerunt omnes thesauri sapiētiæ,
& omnia dona charismatū. In die plenę lunę reuersurus, id est, in fine mūdi, quādo plena & per-
Coloss. 2. fecta erit Ecclesia. Quotidie enim nouos filios parturit Ecclesia. Filius accrescēs Ioseph, quoti-
Gene 49. die sibi incorporat credētes. In fine autē seculi, natis omnibus filiis, omnibus mēbris perfectis
Ephe. 4. in virū perfectū occurret, in mensurā ætatis plenitudinis Christi. Et tūc nō erit filius accrescens
Ioseph, quia nō erit, in quo crescat ista perfectio. Interim autē genuit turtur, id est, Ecclesia, &
tristitiā habet, amisso marito, id est, per corporalem præsentiā sibi subtracto. Vnde Dominus in
Matth. 9. Euan. ait: Nō possunt filij sponsi lugere, quādiu spōsus est cū illis. Veniēt enim dies, quādo sub-
Mar. 2. trahetur spōsus ab eis, & tūc ieiunabunt ieiunio, scilicet, mœroris. Lugēt insuper alij sancti præ
Luce 5. gaudio lachrymis, scilicet, dilectionis, & exultationis, vel lachrymis naturalis pietatis. His lachry
De fletu dilectionis & gaudii. mis, Iacob cū vidisset Rachel cognatā suā ad puteū osculatus eā fleuit. Et Ioseph visis fratribus
Gene. 29. eleuauit vocē cum fletu, quā audierūt Ægyptij, & omnis domus Pharaonis. Et filij Israël sicut
Gene. 45. in Esdra legitur in reædificatione tēpli fleuerūt. Hæ sunt lachrymæ gaudij gratiarū actionis &
1. Esdr. 3. laudis, fluminis impetus lætificās ciuitatē Dei. De quibus Psal. ait: Ploremus corā Domino, qui
De fletu desiderii. fecit nos: Agentes illi gratias, quia ipse fecit nos, & nō ipsi nos. Lugent præterea sancti præ desi-
derio æternæ beatitudinis. Hæ sunt lachrymę desiderij: De quibus dicitur: Super flumina Baby-
Iudi. 2. lonis illic sedimus & fleuimus, dū recordaremur tui Syon. Hoc est irriguū superius quod petiit
à patre suo Axa filia Caleph. Patet igitur quā multiplex sit materia lugēdi sanctis in hoc seculo.
Matth. 5. Propterea Dominus ait: Beati qui lugēt, quoniā ipsi consolabūtur. Et Dauid ait: Sacrificiū Deo
spiritus contribulatus. Qui enim seminat in lachrymis, in exultatione metēt. Vnde Dauid ait:
Potum meū cum fletu miscebā. In terra enim Euilath, id est, lugentiū, nascitur aurū optimum.
Gen. 2. Qui enim addit scientiā, addit & laborē. Isaias enim vidit Dominū, & domus impleta est fumo.
Eccle. 1. Domus cordis, fumo cōpunctionis. Vnde Ezechiel animæ peccatrici ait: In aqua nos es lota in
Isaiæ 6. salutē. Et Mich. ait: Infirmata est in bonū, quæ habitat in Marath, id est, in amaritudinibus. Et
Ezech. 16. B. Iob ait: Antequā comedā, suspiro, & tanquā inundantis aquæ, sic rugitus meus. Et Ezechieli
Mich. 1. dictū est: Panem tuū in perturbatione comede, & aquā tuā festinatione & mœrore bibe. Et
Iob 3. Iohel ait: Plange quasi virgo accincta sacco super virū pubertatis tuę. Iusti enim cantāt lamēta-
Ezech. 12. tiones in via, carmē in patria. Mali autē cantāt vę in pœna æterna. Vnde Hieron. ait: Nō minus
Ioan. 1. laudādus est vir fortis luctu, quā bello. Et Isa. ait: Omne caput languidū & omne cor mœrens.
Ezech. 2. Hi sunt Prælati, qui dicuntur cor, propter affectū dilectionis, qui pro subditis lugere debent, vt
Isaiæ 1. dicāt cum Propheta: Exitus aquarū deduxerūt oculi mei, quia nō custodierūt legē tuā. Lachry-
De lachrymis per totum. mæ enim eius in maxillis eius, id est, in prælatis. Lachrymę Agar potum sibi, & suo puero im-
Tren 1. petrauerunt. Lachrymæ filiorum Israël, iudices sibi à Domino, & liberationē ab hostibus impe-
Gene. 21. trauerunt. Lachrymæ Annæ Samuēlis ortū promeruerunt. Lachrymæ Dauid, iram fœuientis
Exod. 2. & ferientis Angeli placauerūt. Lachrymæ filiorū Israël, victoriā de Beniamitis obtinuerūt. La-
Exod. 32. chrymę Ezechiæ vitam eius annis quindecim protraxerunt. Lachrymę Susannę, ipsam à falso
1. Reg 1. crimine, & à mortis condemnatione liberauerūt. Lachrymę Tobiā illuminauerunt. Dęmoniū
2. Reg 24. à Sara filia Raguelis expulerunt. Filiā Chananęę sanauerunt. Maria Magdalenę crimina ablue-
Iud. 10. runt, plorātibus eis sororibus Lazarum à monumento suscitauerunt. Multaque alia conferunt
Isa. 38. beneficia, quæ longum esset enumerare. Lachrymæ enim claræ sunt, vt sordes abluant, humidæ
Dan. 14. vt terram cordis humani irrigando fructificare faciant. Calidæ, vt omni torpore remoto corda
Tob. 12. lugentium calefaciant. Amarę sunt, vt noxiæ delectationis dulcedinem perimant. Salsæ, vt āpu-
Tob. 3. tredine animam conseruent, & humores prauos desiccare valeant. Vbi enim lachrymæ abun-
Matth. 15. dant, ibi sordidæ cogitationes nō habitāt. Propterea Dominus ait: Plorabitis, & flebitis vos. Et
Mar. 10. Psalmus ait, Rennuit consolari anima mea. Qui enim recolit, quod à bonis æternis cecidit, con-
Luce 10. solationem de bonis temporalibus non admittit. Hæc autem sanctorum tristitia non est sine
Ioan. 11. gaudio spirituali, & consolatione spei. In hac enim desiderij parturitione, non sine gaudio tri-
De proprietate lachrymæ. stes sumus, sed spe gaudentes, & in tribulatione patientes. Quia & ipsa parturiens plus gau-
det de mox futura prole, quā tristis sit de præsenti dolore. Dominus enim in hoc seculo luctū
Rom. 12. sanctorum in gaudium conuertit, dū eos lugendo gaudere facit, & in deserto afflictionis cōfert
Quod luctum sanctorum comitatur spirituale gaudium. māna spiritualis cōsolationis. In tristitia enim tribulationis lucrum animarū suarū attendentes
gratias agūt, & exultāt in Domino. Crescit enim sapiētia eorū, dū verbis exercetur, & patiētia
2. Cor. 6. eorū, dū gladiis attētatur. Vnde Apost. ait: Quasi tristes, semper autē gaudētes. Tristes de exilio,
gaudentes de præmio. Tristes cōpatiendo malis, gaudentes cōgratulando bonis. Flentes cum
Prouer. 30. flentibus, gaudētes cū gaudētibus. Tristatur in afflictionibus homo exterior. Lætatur in cōso-
Iob. 5 lationibus homo interior. Dominus enim dat sicerā mœrētibus, & vinū his qui amaro sunt ani-
mo, sicut scriptū est. Secundū multitudinē dolorū meorū in corde meo cōsolationes tuæ lętificauerunt

uerunt animam meam. Et in Iob dicitur: Qui ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. Lachrymæ enim sanctorum sunt eis panes refectionis & cõsolationis. Fructus enim spiritus est charitas, & gaudium in spiritu sancto. Exultant enim in spe præmij & puritate conscientiæ. Vnde Apostolus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Plus enim gaudent sancti de mox futura prole, quàm tristes sint de præsenti dolore. Gemunt in partu, sed lætantur de fructu. More igitur parturientis, quæ in dolore patturit filios suos, non sine gaudio contristatur. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Lętantur enim hîc in spe, omnes qui sperant in te Domine, quia in ęternum exultabunt, & habitabis in eis, quando vox exultationis erit in tabernaculis iustorum. Beatus autem populus, qui scit iubilationem, id est, qui nouit de eo, quod voce exprimi non potest, gaudendum esse in præsenti per spem, vt tandem gaudeamus per experientiam. Vertitur igitur tristitia sanctorum in gaudium in præsenti, vertetur autem in gaudium perfectum in futuro, quando gaudium eorum nemo tollet ab eis, quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, quando fugiet dolor & gemitus, sicut Isaias ait: Tunc enim vino mero inebriabuntur, quia gaudium dolori non miscebitur. Quando lætabuntur coram Domino, sicut qui lætantur in messe, quia venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Amodò enim iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Consurgent enim in gloria, postquam sederint qui nunc manducant panem doloris. Momentanea enim huius seculi tribulatio, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Mensura enim bona & conferta, superfluens, & coagitata præponderabit meritis nostris, quando de carcere educet animas nostras, & fugiet omnis dolor & gemitus, & non audietur vltra vox fletus & clamoris. Quando auditui nostro dabit gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Lætificabit enim nos in gaudio cum vultu suo, & lætabuntur coram Domino, sicut qui lætantur in messe. Erit enim in die illa exultatio his, qui saluati fuerint ex Israël. Præsentem igitur tristitiam sanctorum finalis lætitia consequetur. Quod Dominus exemplo mulieris parturientis ostẽdit, dicens: Mulier cũ parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cũ autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Ad literam mulier in partu tristatur ex anxietate, in fructu autem lætatur ex fœcunditate. Mysticè mulier dicitur Ecclesia, de qua in Parabolis Salomon ait: Mulierem fortem quis inueniet? Hæc est mulier quæ alabrastrum vnguenti super caput Christi effudit, dum fidem diuinitatis suscepit. Quæ dicitur mulier propter compassionem & benignitatem, propter fœcunditatem, propter nutrituram, & propter vbera duorum testamentorum. Hæc autem mulier parit hîc filios spirituales in baptismo per gratiam. Vnde Isaias ait: Nunquid pariet terra in die illa? Et iterum ait: Quis genuit mihi istos? Prælati igitur dicuntur parere filios per doctrinam. Vnde Apostolus: Filioli mei quos iterum parturio. Et iterum: In Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui. Quemlibet etiam fidelis anima parit, quando bonum quod concepit, in lucem operis producit. Vnde in Apocalypsi dicitur: Clamabit parturiens & cruciabatur, vt pariat, id est, vt non sit infructuosa. Mali etiam parere dicuntur, dum prauam cogitationem in opus perducunt, sicut scriptum est: Parturit iniustitiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Nihilominus tamen steriles & infructuosi dicuntur, quia peccatum quod pariunt, nihil est, & ex tali partu nullum fructum aut commodum assequuntur. Vnde Osee ait: Da eis Domine quod dabitur eis, vuluam sine liberis & vbera arentia. Christus etiam dicitur mulier propter mansuetudinem & compassionem. Hæc est mulier illa, quæ inclinauit se, & lucernam accẽdit, ac domum euertit, vt dragmam perditam recuperaret. Hæc mulier tristitiam habuit, cùm salutem nostram in cruce peperit, sed tristitiã illam in resurrectione euacuauit. Sed & pater parere dicitur, sicut in Isaia legitur: Nunquid ego, qui alios parere facio, non pariam? Dicitur autem Ecclesia, vel quælibet fidelis anima parere puerum, id est, masculum, non fœminam. Actiones enim & opera sanctorum mascula sunt & vitilia. Fœminæ autem reseruantur Pharaoni. Propterea dicitur: Natus est homo in mundo, filius, scilicet, non filia, quæ malè torquetur à dæmonio. Filia enim dicitur, quam carnalis voluptas effęminat. Ad has autem filias hilarem vultum non ostendamus, sed eas vt timeant, castigemus. Parit masculum, nõ fęminam, vel mulierem, de qua in Parabolis dicitur. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Pulchra verbis, fatua sententiis, sicut hæretici. Neque mulierem illam, de qua idem: Melior est iniquitas viri, id est, catholici, quàm mulier benefaciens, id est, patrinus ieiunans. Non parit mulierem illam, de qua Zacharias ait: Mulier vna sedens in medio amphoræ, hæc est impietas, quæ sedet super talentum plumbi, quia semper trahit hominem ad deteriora. Nequæ mulierem carnalis concupiscentiæ. De qua dicitur in Iob: Quasi vna ex stultis mulieribus locuta es mihi. Huiusmodi enim mulier infatuauit Salomonem. Parit igitur masculum, de quo partu dicitur in Apocalypsi: quod draco persequutus est mulierẽ, quæ peperit masculum. Diabolus enim Ecclesiam Dei persequitur & inuidet sanctis, dum bona opera pariunt. Specialiter autem intelligitur de Christo hoc, quod dicitur, mulier peperit masculum. Vnde Ioannes ait: Peperit masculum filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Similiter de Christo principaliter intelligitur hoc, quod ait Euangelista, iam nõ meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum, Christus, scilicet incarnatus, qui lenit & mitigat omnes dolores. De quo Apostolus ait: Primus homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis. Non solum autem de Christo, sed de quo-

Gala. 5.

2. Cor. 1.

Quod tristitia sanctorum in gaudium conuertetur in futuro.

Apoc. 20.
Isa. 51.
Isa. 9.
Prouer. 14.
Apoc. 14.
2. Cor. 4.
Luce 6.
Isaiæ 6.
Isaiæ 45.

Prouer. 31.

Quod mulieri parturienti comparatur Ecclesia.

Matth. 26.
Mar. 13.
Isa. 66.

De partu tribulationis prælatorum.

Gal. 4.

2. Cor. 5.

De partu bonorũ operum.

Apoc. 12.

De partu malorum operũ.

Osee 9.

Quod Christus parturienti mulieri comparatur.

Luce 15.
Isaiæ 66.

Quod Sancti masculum pariunt.

Exod. 1.
Matth. 15.
Mar. 7.
Eccle. 6.

De multiplici muliere mala.

Prouer. 11.

Zach. 5.

Iob. 2.

Apoc. 12.

*De tristitia compassionis.*

de quolibet fideli verum est,quod dicitur:Mulier,cùm parit, tristitiam habet. *Hæc est tristitia* compassionis,quam habent sancti de peccatoribus,antequam conuertantur ad Christum. Ce-

*Iob 39.*
*Ezech.4.*

uæ enim incuruãtur ad fœtus,sicut dicitur in Iob: Hi sunt electi,qui per cõpassionem incurua tur,& affligũtur per tristitiã. Peccata enim malorũ frixoria sunt iustorũ. Hęc est sartago ferrea, quam posuit Propheta inter se & Hierusalẽ. In sartagine cibus frigitur,& caro saginata arefiat & exsiccatur,vt dicere possunt sancti,zelus domus tuæ comedit me. Vnde Apost.ait: Quis scan-

*2.Cor.11.*
*Ezech.4.*

dalizatur,& ego non vror. Et Psalmus ait: Vidi præuaricantes,& tabescebam. Hæc sartago est murus ferreus contra ciuitatem,vt non inde corã Domino subiectus accusare possit prælatum.

*De multiplici parta,& multiplici tristitia parturientis.*

Parit igitur mulier,id est, Ecclesia, fideles conuertendo ad Dominum, & tristitiam habet cõpatiendo,& de peccatis eorum dolendo. Habet etiã angustias laboris prædicãdo. Parit mulier,id est,anima fidelis,filios bonorum operum,& tristitiã contritionis habet de peccatis suis dolẽdo. Habet etiam laboris angustias pœnitentiam agendo. Parit mulier,id est, sensualitas ex ratione tanquam marito suo,& tristitiam habet fomite peccati, seu lege membrorum ei repugnante.

*Rom.7.*

Angustias etiã laboris habet difficultates superando,atq; primis motibus,& prauis cõsuetudinibus resistendo. De qualibet harũ mulierũ,verũ est quod Dominus ait: In dolore paries filios.

*Gene.3.*

Omnis autẽ talis tristitia meritoria est,siue sit tristitia cõpassionis,siue tristitia contritionis,siue sit tristitia pugnæ & laboris. Nemo enim coronabitur,nisi qui legittimè certauerit. Via enim

*2.Tim.2.*
*Prouer.30.*

nauis in medio maris,id est,via Ecclesiæ,laborantis inter fluctus huius seculi,valdè est difficilis. Vnde cõtristantur & lugẽt sancti martyres in periculis variis & concussionibus,donec veniãt ad portũ æternę quietis,& tunc tristitia eorũ vertetur in gaudiũ. Interim autẽ turbati sunt & moti sunt sicut ebrius,dum descendunt mare in nauibus,faciẽtes operationẽ in aquis multis variarum tribulationũ. Anima autẽ eorum in malis tabescit,in malis,scilicet,pœnæ anxiatur,& si nõ in malis criminalis culpæ. Tremor enim apprehendit frequenter eos in periculis vitæ fragilis & dolores,vt parturientis. Vnde Paulus ait: Supra modũ grauati sumus,ita vt tęderet nos

*2.Cor.1.*
*Rom.7.*
*Gal.6.*

viuere. Et iterũ: Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius. Et iterũ ait: Mũdus mihi crucifixus est,quia omnia quę mũdus amat,crux & tormentũ sunt mihi. Iustus enim vix,id est,cũ difficultate saluabitur. Et propterea Dauid ait: Laboraui in gemitu meo,rugiebam

*Ezech.7.*

à gemitu cordis mei. Et Ezech.ait: Qui emit,nõ lętetur,& qui vẽdit,nõ lugeat. Quia qui vendit,ad id quod vendit, non reuertetur,quasi dicat, Qui emit vitam æternam bonis operibus, non lætetur in seculo. In hac enim profunda lachrymarum valle non multũ canticis indulgendum est,sed lachrymis,vt faciamus fructum, iuxta genus nostrum. Legimus enim Christum

*Gene.1.*
*Luc.19.*
*Ioan.11.*
*Heb.5.*

fleuisse,sed nunquã legimus ipsum risisse. Qui autẽ vẽdit bona opera pro vita æterna,nõ lugeat luctu,scilicet,seculi. Quia tristitia seculi mortem operatur. Vnde de Anna matre Samuelis legi-

*2.Cor.7.*
*1.Reg.1.*

mus,quod flebat largiter. Largus est iste,qui dat danda. Similiter largiter flet, qui tantum flet

*Iob.26.*
*Isaiæ 34.*

pro flendis,& non pro temporalibus,sicut reprobi,de quibus dicitur in Iob: Ecce gigantes gemunt sub aquis. Et Isaias ait: Luxit & defluxit terra,id est,terrenorum amatores. Sicut autẽ lu-

*De malo luctu reproborũ & quod gaudiũ eorum tristitia comitatur.*

ctus iustorum comitẽ habet lætitiã & spiritualem consolationem, ita gaudium reproborũ comitem habet tristitiã,dum mordentur & affliguntur per malã conscientiã. Quanto autẽ magis gaudent de possessione tẽporalium,tãtò magis contristãtur de amissione eorũ. Sicut autem gaudium bonorum de spiritualibus verũ est,sed semiplenum,gaudiũ verò de æternis,verũ plenum & perfectum,ita gaudium malorũ falsum & vanum. Miseri igitur sunt in lugendo,miseri

*Quod gaudiũ malorum vertetur in luctũ.*
*Prouer.14.*
*Luc.6.*

in gaudendo. Nã sicut tristitia bonorũ vertetur in gaudium,ita gaudium malorum cõuertetur in tristitiam. Vnde Salomon ait: Extrema gaudij luctus occupat. Et Dominus: Væ vobis,qui ridetis,quia plorabitis. Dolor enim est illis in exitu,horror in transitu, pudor in cõspectu gloriæ magni Dei. Magno autem dolore concutiuntur diuites,quando vno momento amittunt, quod tanto tempore & labore cõgregauerunt. Hunc autem doloré sequitur ęternus cruciatus.

*De malo risu, & lætitia seculari.*
*Eccle.2.*

Non enim candentis ferri,sed candentis incendij ferent iudicium,qui nunc ridere nolunt. Propterea Hieronymus ait: Si qua est præsentis tẽporis lætitia,ita agẽda est,vt nunquam amaritudo sequentis iudicij à memoria recedat. Et Basilius ait: Nullũ habebit accessum cordis cõpunctio,vbi fuerit immoderatus risus aut iocus. De quo risu Salomõ ait: Risum reputaui errorẽ,& gaudio dixi,quid frustra deciperis? Et Hieronymus ait: Vbi tympana sonãt,tibia clamitat,lira garrit, cymbalum concrepat,parasitus in comediis gloriatur, quis ibi timor Dei? Plorant igitur boni in ęrumnis huius seculi,sed mundi amatores gaudent. Vnde Gregorius ait: Ne admirentur reprobi de eorum eleuatione,& iustorum depressione,cùm iusti per iter aspe-

*De multiplici gaudio malorum.*

rum ad salutis patriam, illi per amęna prata tendant ad foueam. Mactãdi vituli,liberis pascuis relinquuntur. Ægris desperatis,omne quod desiderant,non negatur. Et rursus ait: Taurus qui seruatur ad victimam, dimittitur spaciari per prata. Qui verò seruatur ad aratrum, ligatur sub custodia. Sicut autem omnia flumina cadunt in mare, ita omnis dulcedo secularis ad amaritudinem peruenit. Gaudium autem diuitis est gaudium somniantis. Quem enim somnus fecit dũ uitẽ,euigilatio facit pauperẽ,sicut scriptũ est: Dormierũt somnũ suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Propterea Salomon ait: Væ terræ, cuius principes manè comedunt. Teste enim Gregorio,qui de huius mundi prosperitatibus extolluntur,dũ præsentia vehementer curant,futura in vespere mundi non cogitant. Gaudet igitur mundus, id est, mundi amatores,multipliciter,& exaltat inaniter,gloriatur in vanis,vel vanè gloriatur in solidis,scili-

dis, scilicet, de virtutibus vel bonis operibus, de quibus laudari appetunt hypocritę. Sed cõfringet Dominus cedros Libani, illos, scilicet, qui de candore virtutũ attollũtur. Propterea Ierem. ait: Diem hominis nõ desideraui, id est, gloriã humanã seu prosperitatẽ humanã vel mundanã. Gaudent reprobi in nihilo. Teste enim Hieron. Mundus & omnis flos eius, est quasi lenticula tusa. Gaudẽt reprobi de felicitate temporali. Teste enim August. Nihil infelicius felicitate peccantiũ, quia nutritur feralis impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. Gaudent de temporaliũ affluentia, sicut ille, qui dicebat: Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe & epulare. Gaudẽt in malitia sua, scilicet, de malorum perpetratione. Vnde Salomõ ait: Quasi per risum stultus operatur scelus. Gaudent de superba dominatione, & subditorũ oppressione, amãtes primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis. Exultatio eorũ, sicut eius qui deuorat pauperẽ in abscondito. Vnde Dominus ait: Nolite gaudere quod dæmonia subiiciũtur vobis. Gaudent de ruina, & depressione hostium, sicut scriptũ est: Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero. Gaudẽt de humana laude. Vnde in Iob dicitur: Gaudiũ hypocritæ ad instar puncti. Propterea Dominus ait: Mundus gaudebit vos autẽ cõtristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudiũ. Vnde Salomõ ait: Malũ est malũ, dicit omnis emptor, in fine autẽ gloriabitur. Et Apost. ait: Id quod in prẽsenti est momentaneũ & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ glorię pondus operatur in nobis. Et Dominus per Isa. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis colligam te. Postquam enim peperit mulier, iam non meminit pressuræ. Præsentis enim exilij tristitia superabitur finali lætitia. Non meminit per experientiam, recolit tamen ad Dei laudem & gratiarum actionem, sicut sanati dolorum sine dolore recordamur, ita vt amplius propter hoc modico gratias agamus. Hic autem parturit Ecclesia, quæ in futuro pariet, quãdo præmium æternum recipiet. Tunc autem euacuabitur omnis dolor & angustia, postquã enim mulier peperit, iam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundũ, id est, proles virtutũ in mundicia mentis per gratiam, vel proles filiorũ quos generat in lucem mundi. In fine autem nascetur homo in mundum, id est, in munditiam & vitam æternam, quãdo absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum suorum, & mulier quæ nunc cum tristitia parturit, fructu ventris sui exultabit, & gaudiũ eius nemo tollet ab illa. Exultabit enim sine fine in gloria. Quam nobis præstare dignetur Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*Ierc. 9.*
*Luc. 12.*
*Prouer. 10.*
*Matth. 23.*
*Mar. 12.*
*Luc. 11.*
*Abacuc. 3.*
*Luc. 10.*
*Iob 20.*
*Prouer. 20.*
*2. Cor. 4.*
*Isa. 54.*
*Quod tristitia in lætè conuertetur in gaudium, & oblationi tradetur præterita.*

## DOMINICA QVARTA THEMA
### SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, ex Psalmo 97.

*Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Dominus ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam.*

ADHVC perseuerat Ecclesia in cantico exultationis, & gaudio Dominicæ resurrectionis. Adhuc in eodem loco castrorũ permanet. Neq; enim castra mouebuntur, donec columna nubis & ignis eleuetur in die ascensionis. Tunc enim gaudio perfundetur, & quasi alio ferculo anima eius saginabitur. Ascendit enim Dominus in iubilatione, & cordis illius exultatione. Interim autem nõ cessat laudare, & filios suos ad laudandum excitare, dicens: Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Quasi dicat: Reddite Domino vitulos labiorũ vestrorũ, hostiã vociferationis, laudate & inuocate Dominũ, quia sacrificiũ laudis honorificabit eum. Hoc est Sabbatum delicatũ, & reliquiæ cogitationũ, quæ diem festũ agunt Domino, dum exhilarant facie nostrã in oleo, vt offeramus holocaustum cum libamento, secundum mandatum legis, id est, opus bonum cum exultatione mentis, sicut scriptum est in Eccles. In omni dato hilarẽ fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. Vnde in Cant. dicitur: Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum. In choris voces cõsonant: in castris manus dimicãt. Ita enim Deum in præsenti laudamus, quod cõtra spiritales nequitias, gaudio nostro inuidentes, dimicamus. Perfectius autẽ est Deum laudare quàm rogare. Ille nanq; qui laudat, adeptus est quod optabat. Si quis autẽ rectè viueret, & perfectè Deum diligeret, quãdiu in mẽtis excessu & gaudio cõtemplationis permaneret, nõ necesse esset ei Deũ rogare, sed magis laudare. In hac enim exultatione & desiderij ardore Deus illi amplius daret q̃ ipse sciret vel auderet postulare. In die enim illa, in illa meridie claritatis & ardore charitatis non rogabitis me quicq̃, dicit Dominus. Vtrũ autẽ in illa animi ebrietate & mentis alienatione, in illa suiipsius obliuione, in illo suauitatis amplexu, dum caro absorbetur à spiritu mẽtis, radios, vel ad modicũ posset reflectere, vel de alio quàm de Deo cogitare, vtrum orare posset, & à laude diuina cessare, plenius norunt, qui per experientiam gustauerunt & viderunt quàm suauis est Dominus in hoc osculo oris sui, in hac pace quæ exuperat omnem sensum. Non solùm autem orare nequit, sed nec etiam ad plenum verba potest formare quamdiu est in hac mentis ebrietate. Scimus enim quod hi qui multum ebrij sunt, multum loqui gestiunt, sed quia nimio vino madent, plenè & integrè verba formare non valent. Pensẽt igitur qui potest, quæ sit violentia huius quam loquimur

*De cantico Ecclesiæ, & gaudio resurrectionis. Num. 9.*
*Osee 13.*
*Isa. 58.*
*Leuit. 7.*
*Eccle. 35.*
*2. Cor. 9.*
*Cant. 7.*
*Cant. 1.*
*Philip. 4.*
*De ebrietate contemplationis, & spirituali exultatione.*

ebrietatis, quæ tollit copiam sermonis, imò quæ vix sufficit ad inchoationem dictionis. Exeo enim quod agitur exterius, innuitur quid sit quod sentitur interius. Apertè igitur docemur per iubilum oris, quid sentiendum sit de iubilo cordis. Teste autem B. Gregorio: Si interna contemplari volumus, necesse est, vt ab externa occupatione dormiamus. Aurem enim cordis terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit. Qui igitur quiescit, quiescat. Qui quiescit corporaliter, quiescat spiritualiter. Et quoniã vix hora vel dimidia fit in cœlo huiusmodi silentium, nec diu in hoc desiderio fragilitas humana permittit spiritum quiescere, iterum sunt preces necessariæ. Laudibus igitur orationes succedunt, & orationibus laudes permiscentur. Cantando enim columba gemit, sicut lucente Sole quandoque pluit. In his autem laudibus non tam vocis dulcedo exterius quàm mentis affectus interius à Deo exigitur. Cantico enim oris sine cantico cordis uon delectatur. Nihil enim prodest strepitus oris, vbi cor mutum est à laude Dei. Vnde beatus Gregorius ait: Si vitam æternam ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si verò desideramus etiam cum ore tacemus, clamamus. Non solùm autem corde & ore, sed insuper opere cantare debemus Domino, bona pro æternis cum mentis exultatione operando. Vnde in Genesi dixerunt Ægyptij Ioseph: Respiciat nos tantùm Dominus noster, & læti seruiemus Regi. Et in Psalmo dicitur: Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt. Flumina dulcis aquæ, id est, sancti manu plaudunt, dum opera bona cum mentis exultatione faciunt. Montes exultant, id est, sancti maiores altitudine contemplationis aliis præeminentes Deo seruiunt cum mentis deuotione & spirituali exultatione. Cantemus igitur lingua, cantemus & vita, alioquin calamus quassatus per malam vitã non potest dulcem explicare melodiam. Si enim quis malè viuat, quantaslibet laudes lingua resonet, vita blasphemat. Vnde Gregorius ait: Qui terrenarũ rerũ amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Quantò enim maiori studio exercetur ad infima, tantò maiori fastidio torpescit ad summa. Qui igitur malè viuunt, Deo cantare non possunt. Quomodo enim cantabunt, qui suffocati sunt, vel laqueo diaboli collo stricto transgulati. Ebrietas etiam temporalium nõ sinit vocẽ formare, vnde non possunt Domino cantare, qui ebrij sunt terrenorum amore. De qua ebrietate Ieremias ait: Inebriauit me absynthio. Teste autem B. Gregorio: Absynthio ebrius est, qui pro amore seculi à sensu rationis alienus est. Et in Psalmo dicitur: Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius. Teste enim Salomone: Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. Et Isaias ait: Verum hi præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sed & raucitas vocis & instrumentorũ corruptio, linguæ, scilicet, & dentium labiorum palati, & gutturis canticum suauitatis impediunt. Raucus est cuius pectus vnctione spiritus sancti & pinguedine spirituali caret. Lingua corrũpitur dum verbum malum profertur. Labia corrumpitur, dum custodia ori & ostium circunstantiæ labiis non apponitur. Dentes corrumpuntur, dum pro comestione vuæ acerbæ obstupescunt, & panem masticare non possunt. Palatum inficitur dum dulcedo spiritualis in amaritudinem peccatorum, quasi frebricitanti conuertitur. Guttur autem corrumpitur & constringitur, dum peccator crimina sua non confitetur. Non ergo benè cantare possunt, qui prędictorum instrumentorum corruptionem incurrunt. Qui autem cor habet dilatatum per charitatem & concaunum per humilitatem, pectus suaue per compassionem, guttur leue per afflictorum consolationem, palatum sanum per cœlestis saporis delectationem, dentes sanos vt masticare valeat cibum spiritualem, labia munda & circuncisa per circumspectam locutionem, linguam sanam per bonam doctrinam, hic profecto absq; vllo instrumentorum impedimẽto cantare potest corã Domino. Dominus autem vult quod benè & sæpè cantemus. Vnde per Isaiã ait: Benè cane, frequenta canticum. Benè canere est toto corde & opere Deum laudare. Cantemus igitur Domino corde per charitatem dilatato. Cantemus ore ad laudem eius aperto. Cantemus opere, manus aperiendo, eas ad pauperes extendendo. Triplici igitur cantico cantare debemus. Cui cantare? Domino. Quid cantare? canticum. Cuiusmodi? nouum. Quare? quia mirabilia fecit. Quibus autem instrumentis Psalmista ostendit in eodem Psalmo, cùm ait: Psallite Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Domino igitur cantemus non mundo, sicut scriptũ est: Omnis adeps Domini erit iure perpetuo. Adipem igitur cordis, id est, canticum charitatis, & gaudij spiritualis, ad Dominũ referre debemus, propterea Psalmista ait: Iubilate in conspectu Regis Domini, commoueatur mare & plenitudo eius. In conspectu Dei ad eius honorem & ad proximorum vtilitatem, vt, scilicet, mare, id est, mundus, exemplo nostro & prædicatione conuertatur, & ad pœnitentiam moueatur. Cantemus igitur Domino, omnia bona nostra ipsi tribuendo, sicut in Canticis scriptum est: Omnia poma: noua & vetera, seruaui tibi, dilecte mi. Sibi autem non Domino canunt, qui propriã laudem, non Dei gloriam quærunt, iactando opera sua, quasi dicerent: Manus mea excelsa, & nõ Dominus fecit hæc omnia: labia nostra à nobis sunt. Hi sunt qui vocauerũt nomina sua in terris. Propterea Dominus Moysi ait: Sanctifica mihi omne primogenitũ, id est, mihi tribue cuiuslibet boni operis initiũ. Et iterum: Omne primogenitum adaperiẽs vuluã, sanctum Domino vocabitur: Per primogenitum bonę operationis significatur initium: Quod ideo sanctũ Domino vocatur, quia diuinę gratiæ illud attribuere debemus. Hinc est quod Propheta ait: Exultate iusti in Domino, nõ in mundo, sicut reprobi, quorũ exultatio finitur cum seculo. Rectos decet collaudario, quorũ, scilicet, intentio ad Deũ dirigitur, à quibus tam in aduersis q̃ in prosperis Deũ laudamus. Curuus autem

*Ezech. 3. Apoc. 8.*

*De cantico cordis, oris & operis.*

*Gen. 48.*

*De mala ebrietate. Thren. 3.*

*Prouer. 15. Isa. 28.*

*De vocis raucedine & corruptione instrumentorũ spiritualium.*

*Spiritualiter de congruis instrumentis cantandi.*

*Isa. 33.*

*Quod ad honorem Dei cantandum est. Leuit. 3.*

*Cant. 7.*

*Deut. 32.*

*Exod. 13. Exod. 22. Luc. 2.*

autem & non rectus est qui laudat in prosperis, & blasphemat in aduersis. Verè autẽ recti sunt, qui secundum regulam diuinæ voluntatis suam dirigunt voluntatem, dicentes: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Cantare igitur debemus Domino, & non solùm Domino, sed in Domino, & à Domino. In Domino cantant, qui in charitate permanent, sicut scriptum est: In te cantatio mea semper. A Domino cantant, qui diuina gratia inspirãtur ad cantandũ & gaudendum pro æternis, sicut scriptũ est: Immisit in os meum canticũ nouum, carmen Deo nostro. Quidam autẽ cantant de Deo, sed nõ in Deo, quorũ manus ori nõ consonãt. Hi sunt velut æs sonans & cymbalum tinniens. Patet igitur ex prædictis, quod Domino cantare debemus. Quid autẽ illi cantare debemus, videamus, canticum, scilicet, vel hymnum. Est autem hymnus laus Dei cum cantico. Canticum autem propriè dicitur exultatio mentis habita de æternis, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gaudent enim sancti multipliciter in Domino. Quãdoq; de spe quietis æternæ, sicut Apostolus ait: Spe gaudentes. Et in Euang. In hoc autem gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Gaudent de nitore cõscientiæ, sicut idẽ Apost. ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Gaudent de tribulatione, sicut scriptum est: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Gaudent de peccatorum cõuersione, sicut Dominus ait: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meã, quam perdideram. Gaudent de temporali festiuitate: vnde in Esdra dicitur: Comedite pinguia & bibite mulsum, tacete quia dies sanctus est, & nolite dolere. Et in Zachar. dicitur: Ieiuniũ quarti & ieiunium quinti, & ieiuniũ septimi, & ieiuniũ decimi, erit domui Iuda in gaudiũ, & in lætitiã, & in solemnitates præclaras. Gaudent de bonis spiritualibus, sicut Apost. ait: Fructus spiritus est gaudium & pax. Et Propheta ait: Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiã in corde meo. Vultus Dei dicitur animæ ratio, qua cognoscimus Deum. Lumen autem huius vultus, est gratia Dei, qua ratio illuminatur, & reformatur imago Dei in nobis: & propter hoc dicitur lætitia in cordibus nostris, dum exultamus pro spiritualibus bonis. De quo Gaudio in Apocalypsi ait: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum. De hac cœna spirituali dicitur in Psalmo: In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. In hoc conuiuio fides apponit panem, id est, bonum opus in recta intentione: spes deuotionem spiritus in oratione: charitas dulcedinem morum in cordis puritate. Vinum autem est compunctio timoris. Oleum deuotio amoris. Vinum pungit & aliud vngit. Gaudent præterea sancti de æterna beatitudine. De quo gaudio dicitur: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Stulti autem gaudent in hoc seculo de temporali prosperitate & transitoriis bonis. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Fatuus in risu exaltat vocem suam. In risu, scilicet, prosperitatis exaltat vocem suam per iactantiam & inanem gloriam. Sancti verò tot cantica cantant, quot modis exultant in veris & æternis bonis. Est igitur multiplex canticum sanctorum, quorũ quodlibet dicitur nouum. Propterea in hodierno officio Psalmus ait: Cantate Domino canticum nouum, quasi diceret: Vos qui noui estis in Christo, innouati per gratiam, olim veteres in Adam cantate Domino canticum nouum, exuentes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum. Sicut autem vetus canticum cantat cupiditas, ita canticũ nouum cantat charitas, dum renouatur homo in spiritu mentis suæ. Vnde B. Gregorius ait: Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet semper per desideriũ inchoare. Cupiditas autẽ cantat canticũ vetus, dum temporalia desiderat, & in rebus transitoriis exultat. Vnde Dominus in Euang. ait: Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationẽ vestrã. Et Propheta ait: Renuit cõsolari anima mea, id est, gaudere in bonis transitoriis. Teste enim Gregorio: Qui luget quod ab æternis gaudiis cecidit, consolationẽ de temporalibus nõ admittit. Canticũ igitur nouũ cantat, qui amat quãdo spiritum rectũ innouat Deus in visceribus suis, & induit nouũ hominẽ, qui secundũ Deus creatus est. Nouũ igitur canticũ nemo cantare potest, nisi fuerit innouatus charitate, sicut scriptũ est: Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiã tuam, & veritatẽ tuam in perditione. Corpus hominis in mortali peccato dicitur sepulchrũ, corpus, scilicet, fœtidum, vas perditum, carcer tenebrosus, terra obliuionis. Teste autem B. Gregorio: Tantò amplius rubigo peccati consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne crematur. Sicut enim ignis consumit stuppas, ita carnis desideria consumit charitas. Vbi Augustinus ait: Regnat carnalis cupiditas, vbi non est Dei charitas. Si enim linguis hominum canat aut Angelorum, charitatem autem non habeat, nec homini prodest, nec Deo placet. Teste enim Augustino: Tanta est virtus charitatis, quod si desit, frustrà habentur cætera: si adsit, recta habentur vniuersa. Et iterum ait: Sectamini charitatem dulcem ac salubrem cibum, sine qua diues pauper est, & in qua pauper diues est. Et beatus Gregorius ait: Habenti dabitur, & abundabit. Quia quisquis charitatem habet, etiam dona alia percipit. Quisquis charitatem non habet, dona alia quæ percepisse videbatur, amittit. Canticum igitur vetustatis cantatur in miseria peccati. Canticum nouitatis in gaudio spei & feruore desiderij & suauitate charitatis. Canticum autem iubilationis cantabimus in visione speciei. In cantico autem charitatis, quatuor sunt principales notulæ. Prima, vt diligamus quod est supra nos, id est, Deum. Secunda, quod intra nos est, id est, spiritum nostrum. Tertia, quod iuxta nos, id est, proximum. Quarta, quod infra nos, id est, corpus nostrum. Prima autem nota intentior est, & acutius sonat,

Matth. 20.

1. Cor. 13.

De cantico sanctorũ & multiplici exultatione eorum.

2. Cor. 11.
Rom. 12.
Luc. 10.
2. Cor. 1.

Act. 5.
Luc. 15.

2. Esd. 13.

Zach. 8.

Gal. 5.

Apoc. 3.

De ministris & ferculis spiritualis conuiuij.

Ioan. 16.

Eccle. 21.

De cantico nouo, & cantico veteri.

Ephes. 5.
Colos. 3.

Luc. 6.

Ephes. 4.

Quod sine charitate nemo potest canticum nouum cantare. Simile.

1. Cor. 13.

De quatuor notulis in cantico charitatis

quia charitas ſuper omnia diligit Deum. Vnde Dominus ter dicit Petro: Petre, amas me? ac ſi
Ioan.21. diceret: Amas me ſupra te, Amas me ſupra tuos, Amas me ſupra tua. Eſt igitur canticũ nouum,
quod à nouo homine cantatur: & ſpecialiter de nouo homine, id eſt, Chriſto, qui mundum re-
Iſa.43. nouauit, ſicut ſcriptum eſt: Ecce noua facio omnia. Canticum nouum dicitur de Chriſti incar-
Apoc.21. natione & reſurrectione, & hominis redemptione, quia nil tale mundus audiuit. Nouus autem
De multiplici nouitate Chriſti. dicitur Chriſtus, quia nouo modo conceptus, ſicut ſcriptum eſt: Nouum faciet Dominus ſuper
Iere.31. terram, mulier circundabit virum. Nouo modo natus, ſicut ſcriptum eſt: Virgo concipiet, & pa-
Iſa.7. riet filium. Nouo modo locutus, ſicut ſcriptum eſt: Nunquam ſic locutus eſt homo. Nouo mo-
Ioan.7. do operatus, ſicut ſcriptum eſt: Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non ha-
Ioan.15. berent. Noua etiam ſigna dedit in paſſione, in reſurrectione, in aſcenſione. Innouans ſigna &
Eccle.35. immutans mirabilia, nouus Rex, noua lex, renouans omnia. Nouum præterea canticum dici-
De cantico noui teſtamenti, & multiplici eius nouitate. tur nouum teſtamentũ. Sicut canticũ vetus dicitur vetus teſtamentũ ad literã obſeruatum. Lex
autem Euãgelica nouũ teſtamentũ appellatur, propter gratiã innouantẽ. Lex autẽ per Moyſen
data eſt, gratia autẽ & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Dicitur etiã nouum teſtamentũ pro-
Leuit.26. pter ſacramentorũ innouationẽ, ſicut ſcriptum eſt: Nouis ſuperuenientibus, vetera proiicietis.
Ioan.13. Et propter præcepta innouata. Iuxta illud: Præceptum nouum do vobis. In lege enim dicitur:
Leuit.19. Diliges amicũ tuum, & odio habebis inimicũ tuum. In Euangelio verò dicitur: Diligite inimi-
Deut.7. cos veſtros. Et propter promiſſa noua. In lege enim temporalia promittebantur. In Euangelio
Matth.5. verò promittuntur æterna. Canticum igitur nouum cantat, qui nouũ teſtamentũ ad honorem
Dei obſeruat. Canticum autem nouum cantare Domino admonemur, quia noua & mirabilia
fecit Dominus. Mirabilia in incarnatione, dum humanam naturam coniunxit diuinæ, ſimul in
De diuerſis mirabilibus, quæ fecit Dominus. vnũ diues & pauper, ſimplex & cõpoſitus, immenſus & paruulus, æternus & temporalis, paſſi-
Iſa.66. bilis & impaſſibilis, mortalis & immortalis. Quis audiuit vnquã tale? mirabiliter cõceptus abſq;
1.Pet.2. que virili ſemine: mirabiliter natus abſq; matris Virginis dolore vel corruptione. Mirabiliter in
Iſa.53. mundo cõuerſatus, qui peccatũ nõ fecit, neq; inuentus eſt dolus in ore eius. Mirabilia operatus,
Matth.11. dum ſolo verbo cæcos illuminauit, ſurdis auditũ reddidit, claudis greſſum, mutis loquelã, lepro-
Luc.7. ſos curauit, mortuos corpore ſuſcitauit. Et quod mirabilius eſt, mortuis in anima vitã reddidit.
Mirabilia fecit & dixit in prædicatione: Niſi, inquit, renuntiauerit quis omnibus quæ poſſidet,
Luc.14. nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Qui voluerit animã ſuam ſaluã facere, perdet eam. Mirabilia fe-
Iſa.50. cit in cruce, dum manu cruci affixa aëreas poteſtates debellauit. Mirabilia in morte, dum Sole
Apoc.6. obſcurato cœlos tenebris induit. Mirabilia poſt mortem, dum inferni clauſtra confregit, tertia
die ſurrexit. Mirabilia poſt reſurrectionẽ, dum propriã virtute in cœlos aſcẽdit. Mirabilia poſt
Act.2. aſcenſionẽ, dum ſpiritũ ſanctũ in Apoſtolos in die Pentecoſtes effudit. Mirabilia poſt Penteco-
ſten, dum diſcipulos ſuos in vniuerſum mundũ miſit, quibus prædicantibus mundũ illumina-
Rom.1. uit per fidem & in cõſpectu Gentiũ reuelauit iuſtitiam ſuam. Iuſtitiam fidei Gentibus reuela-
Matth.7. uit, de qua dicitur: Primùm quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, qua, ſcilicet, homo iuſtifica-
Abacuc.2. tur, quia iuſtus ex fide viuit, vel ipſum Chriſtum. Qui, vt ait Apoſt. factus eſt nobis ſapiẽtia, iu-
1.Cor.1. ſtificatio, ſanctificatio, & redemptio. Ad nos enim veniens, qui eramus in carcere, primò omniũ
De multiplici iuſtitia et multiplici reuelatione iuſtitiæ. ignorãtiæ tenebras depulit luce ſapiẽtiæ ſuę. Deinde per iuſtitiã, quæ ex fide eſt, peccata remit-
tens, & nos iuſtificans ſoluit vincula delictorũ noſtrorum, ſanctificãs nos in ſuo corpore, & re-
dimens in corporis paſſione. Notum igitur fecit Dominus ſalutare ſuum in conſpectu Gen-
tium, reuelauit iuſtitiam ſuam, id eſt, Chriſtum, qui dicitur ſalutaris, quia ſaluat iuſtitia, quia iu-
ſtificat. Viderunt igitur oculo fidei omnes fines ſeu termini terræ, in quibus, ſcilicet, finita eſt
& terminata terrenitas ſalutare Dei noſtri. Recordatus eſt enim miſericordiæ ſuæ, qua pro-
miſit, & veritatis ſuæ, qua promiſſum reddidit & compleuit. Quibus recordatus eſt? Do-
mui Iſraël, id eſt, videntibus Deum per fidem. Saluauit enim ſibi, id eſt, ad honorem ſui, de-
xtera eius & brachium ſanctum eius, id eſt, Chriſtus ſaluauit orbem terræ, qui dicitur dexte-
ra per quem pater operatur. Qui etiam propter fortitudinem brachium patris dicitur. Dici-
Iſa.40. tur præterea dextera propter ſuorum protectionem, ſicut ſcriptum eſt: Dextera manus tua
Exod.15. protexit me. Et propter hoſtium impugnationem, ſicut ſcriptum eſt: Dextera Domini fe-
cit virtutem, dextera tua Domine, percuſſit inimicum. Propterea canticum nouum cantat
Eccleſia, laudans Deum & annuntians de die in diem ſalutare eius, id eſt, vtriuſque reſta-
menti authoritate, vertitur in ſaluatoris annuntiatione, gratias agens de ſua ſaluatione, de
templi, ſcilicet, ſpiritualis reædificatione, quæ ſignata eſt per templum materiale. Sicut enim
De multiplici templi deſtructione, & multiplici eius reædificatione de qua gaudent ſancti. materiale templum priùs ædificatum eſt à Salomone, & poſtmodum à Babyloniis deſtru-
ctum, deinde reædificatum ab his qui reuerſi ſunt de Babylonica captiuitate, poſteà verò pro-
phanatum eſt, & pollutum à Rege Antiocho, tandem ſanctificatum à Iuda Machabæo, ita
templum ſuum, quod ſumus nos, primò ad imaginem ſuam verus Salomon ædificauit, &
creauit, poſteà per originale peccatum Rex Babylonis, id eſt, diabolus, Domino permit-
tente, nos deſtruxit. Vnde Pſalmus ait: Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, id eſt, deſtruxi
permiſiſti. Deinde per baptiſmum reædificatum eſt hoc templum, iuxta illud: Iratus es, & mi-
ſertus es nobis. Deinde per mortale peccatum poſt baptiſmum pollutum eſt templum hoc &
violatum. Vnde Apoſtolus: Si quis templum DEI violauerit, diſperdet illum DEVS.
Tandem verò per pœnitẽtiam ſanctificamur, & per CHRISTI gratiam iterum renouamur.

Rego-

Renouati autem cantamus Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit, & mirabiliter genus humanũ reparauit, & ad fidem vocauit. In conspectu enim Gentiũ reuelauit iustitiã suam, id est, Christum, qui priùs absconditus erat, & in figuris & occultis mysteriis latebat. Vnde Isa. ait: Vere tu es Deus absconditus. Latuit enim in Adam, dum de latere eius dormientis facta est Eua. Reuelatus est, dum de latere Christi dormientis in cruce, formata est Ecclesia. Latuit in Abel, quando innocens virgo & pastor ouium à fratre occiditur. Reuelatus est dum à Iudæis ipse Christus virgo, & innocens, & pastor animarũ, crucifigitur. Latuit in Noë, qui per lignum arcæ & aquã, familiam suam liberauit. Reuelatus est dum per crucis lignum & aquam baptismi, mundum saluauit. Pari modo sub aliis multiplicibus figuris & occultis mysteriis latebat. Sed tempore gratiæ reuelatus est, dum ea quæ de se scripta erant, impleuit, atque sensum discipulis suis aperuit, vt intelligerent scripturas, sicut scriptum est: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Reuelauit igitur iustitiã suam, id est, Christum per incarnationem, quia in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Reuelauit per miraculorum operationem. Vnde ipse ait: Si mihi non creditis, operibus credite. Reuelauit per Apostolorum prædicationem, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde ipse per Ihepthe designatur, qui aperiens interpretatur. Aperit enim mentis oculos ad veritatẽ, illustrando. Aperit quæ de se scripta sunt, adimplendo. Aperit extrinsecus inspirando. Aperit per visiones & reuelationes. Aperit & non est qui claudat, si claudit, non est qui aperiat. Ipse enim solus dignus inuentus est aperire librum & soluere signacula septem. Eduxit igitur tanquam lumen iustitiam suam, quam reuelauit in conspectu Gentium. Iudæi autem suam volentes constituere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Velamen enim positum est super corda eorum, vsq; in hodiernum diem. Reuelauit insuper Dominus iustitiam suam, id est, doctrinã & præcepta, quæ obseruata iustificant hominem. Vnde Psalmista ait: Doce me iustificationes tuas. Et iterũ: Iustificationes tuas custodiã. Reuelauit præterea Dominus iustitiã suam, vt redderet homo vnicuiq; quod suum est, Deo timorem, tanquã omnipotenti Domino, sicut scriptum est: Illum timete, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Et amorem tanquam patri, ipsum super omnia diligendo. Deinde animæ suæ redderet homo quod suum est, ipsius miserẽdo, sicut scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Corpori etiam suo quod suum est, redderet pabulum ne deficiat. Onus ne lasciuiat, virgam vt gradu composito sessorem suum vehat. Opus etiam ne torpeat ocio, sed vtile sit domino suo. Proximo insuper suo quod suum est, redderet, vt, scilicet, neminem faceret miserum, vel relinqueret miserũ pro posse suo. Mundo etiam quod suum est, reddere nos docuit, id est, odium & contemptum. Nolite, inquit Apostolus Ioannes, diligere mundum, neque ea quæ in eo sunt. Diabolo etiam quod suum est, reddamus, vt omnibus peccatis renũtiemus, ne fortè dicatur de nobis: Mutuabitur peccator & nõ soluet, & ideo scrutabitur fœnerator infernalis omnẽ substantiam eius. Reuelauit præterea Dominus iustitiã suã, id est, peccatorũ iustificationẽ, ad quam quatuor principaliter requirũtur. Quæ sunt gratiæ infusio, sicut scriptũ est: Gratis iustificati estis. Motus surgens ex gratia & libero arbitrio. Tertiũ est cõtritio. Quartũ peccatorũ remissio. Primũ facit Deus in nobis sine nobis. Vnde Isa. ait: Sicut profert terra semen suum, & sicut hortus germen suum germinat, sic Dominus germinabit iustitiã. Terra enim excolitur, vt semen proferat. Arbor plantatur & irrigatur, vt germinet. Non igitur per se fructificãt, sed excolentiũ labore. Ita homo non à se, sed à Deo habet, quod iustificatur. Sicut enim nõ potest se creare, ita nec recreare vel iustificare. Alia autẽ tria facit nobiscũ Dominus propter meritum nõstrũ, & nos cum ipso: vnde & nobis reputatur ad meritum. Propterea dicit Dominus: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet. Maius enim est iustificare impiũ, quàm creare cœlum & terrã. Reuelauit præterea Dominus Gentibus iustitiam suam, qua genus humanum à diabolo liberauit. Deus enim iustitia magis quàm potentia voluit hominẽ liberare, quæ talis fuit. Cùm diabolus potentia quam habebat in homine, iniustè vsus sit, dum innocentem interfici fecit, in quo nihil iuris habebat, iusto iudicio quicquid iuris habuit, amisit. Vnde Isa. ait: Triturabitur Moab sub eo, sicut triturãtur paleæ in plaustro, & extendet sub eo manus, sicut extẽdit natãs ad natandũ. Diabolũ enim Christus crucifixus crucifixit. Exterius enim crucifigebatur visibiliter, & hostis nostet interius crucifixus est inuisibiliter. Hanc autẽ eius virtutẽ Dominus Gentibus reuelabit. Videbatur enim infirmitas & impotentia, quod Dominus crucifixus fuit, nec tamen debilis in cruce fuit, qui omnes infirmitates nostras portauit. Quod enim videbatur infirmũ Deo, fortius est hominibus. Ipse nanq; more grani synapis attritus magnã ex se reddidit virtutẽ, & tanquã herba fullonũ cõculcatus, emundauit nostra delicta, & nos in suo sanguine lauit. Reuelauit insu per Dominus Gentibus iustitiã suam, id est, iustum iudiciũ, in quo præmium æternũ retribuet iustis, pœnã verò æternam reddet impiis. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Cuncta quæ sunt, adducet in iudicium pro omni errato. Et Apostolus ad Heb. ait: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Et Isaias ait: Auditam faciet Dominus gloriã vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet. Pro his igitur mirabilibus quæ Dominus fecit, pro hac multiplici iustitia, quam Dominus in conspectu Gentium reuelauit, gratias Deo agere, & canticum nouum illi cantare debemus. Sed quibus instrumentis? Psallite, inquit Psalmista, Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. In cithara Domino canimus, dum ad ipsius

*Quod Christus multipliciter latuit, & multipliciter reuelatus est.*
*Isa.45.*
*Gen.2.*
*Gen.4.*
*Luc.24.*
*Ioan.10.*
*De multiplici apertione.*
*Apoc.3.*
*Isa.22.*
*Apoc.5.*
*Rom.9.*
*1. Cor.3.*
*De multiplici parte iustitiæ.*
*Matth.10.*
*Luc.11.*
*Eccle.30.*
*De iustificatione peccatorum, & quod quatuor exigũtur ad iustificationem.*
*Rom.3.*
*Isa.61.*
*Ioan.14.*
*De reuelatione iustitiæ, qua genus humanum Christus liberauit.*
*Isa.25.*
*Isa.53.*
*1. Cor.1.*
*Matth.13.*
*Mal.3.*
*Apoc.1.*
*De reuelatione iustitiæ, id est, iusti iudicii Dei.*
*Eccle.11.*
*Heb.10.*
*Isa.30.*
*De diuersis instrumentis psallẽdi Deo.*

*De cithara mortificationis carnis, & quod discretè carnem mortificare debemus.*

honorem carnem nostram mortificamus, temperatè, scilicet, & discretè, vt pœnitentia nec sit nimis arcta, nec sit nimis laxa. Omnia enim ponderatur ad pondus sanctuarij. Chorda enim in cithara si minus tenditur, nō sonat: si nimis tenditur, raucum sonat vel rumpitur. Digito igitur discretionis singulas chordas tangamus, vt sapiēter psallamus, & sit rationabile obsequium nostrum. Psallam, inquit Propheta, & intelligam, id est, cum discretione psallam. Carnis igitur mortificatio chordas deficcat & tendit: discretio, moderatur & temperat: charitas nouum canticum cantat. Caput igitur columbæ & turturis in sacrificio, mortificationis carnis, ad collum retorquetur, quod ex parte rumpitur, sed non penitus abscinditur. Digiti enim nostri pleni debent esse myrrha probatissima, vt discretè fiat mortificatio carnis & pœnitentia. Vnde Apostolus ad Timoth. Noli adhuc aquâ bibere, sed modico vino vtere propter stomachū, & frequentes infirmitates. Et in libro Sapien. dicitur: Diligite iustitiā, qui iudicatis terram, id est, qui terram carnis vestræ affligitis, quod iustum est, ei exhibeatis. Vnde in Exodo dicitur: Non vrgebis fratrem tuum vsuris, id est, non iniunges ei plus quàm sustinere possit. Propterea B. Gregorius ait: Sic necesse est, vt arcem quisq; continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Sæpè enim dum in nobis hostem insequimur, ciuē trucidamus. Nam plerunq; dum plus iusto caro restringitur, ab exercitatione boni operis eneruatur, vt ad orationem vel prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in sē funditus suffocare festinat. Sæpè autem dum conciuem pascimus, ad prælium hostem nutrimus, & dum virtus alitur, plerunque vires vitiis augentur. In cithara præterea canimus, dum Christi crucem mundo abrenuntiando, & nosmetipsos abnegādo tollimus. Per citharā enim crux Christi intelligitur, quia inter duo ligna chordæ tendūtur. Cithara etiam dicitur diuina scriptura, cuius chordæ sunt præcepta & verba sacra. His manus applicantur, dum ad benè operandum aptantur. Manus superior, opus est contemplationis: manus inferior, opus spectans ad subsidia proximorum. In hac autem cithara sunt decem chordæ principales, id est, decem mandata decalogi. Vnde B. Augustinus ait: Decalogus legis decem præcepta habet, quæ sic sunt distributa, vt tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad hominem. Est enim bellum, quod secum agit homo, dimicans contra concupiscentias malas, frænans auaritiā, elidens superbiam, suffocās ambitionem, trucidans libidinem. Has pugnas fac in occulto, & non vinceris in aperto. Ad hoc docentur manus nostræ ad prælium. Non est homo in spectaculis nostris venator qui citharista in spectaculo Dei vnū est. Tangis decem chordas, & occidis decem feras. Tangis primam chordam, qua vnus colitur Deus, & cecidit bestia superstitionis. Tangis secundam chordam, qua non accipis nomen Dei tui in vanum, & cecidit bestia erroris & nefandarum hęresum. Tangis tertiā chordam, vbi pro spe futuræ quietis facis, quicquid facis, & interficitur crudelior cæteris bestiis amor seculi. Tangis quartam chordam, vt honorem parentibus deferas, & cecidit bestia impietatis. Tangis quintā chordam, Non mœchaberis, & cecidit bestia libidinis. Tangis sextam chordam, Non occides, & cecidit bestia crudelitatis. Tangis septimam chordam, Non furtum facies, & cecidit bestia rapinæ. Tangis octauā chordam, Non falsum testimonium dices, & cecidit bestia falsitatis. Tangis nonam chordam, Non concupisces vxorē proximi tui, & cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Tangis decimam chordam, Non concupisces rem proximi tui, & cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestiis, securus & innocens in Dei dilectione & humana societate versaris.

*Leuit. 27.*
*Rom. 12.*
*Leuit. 2.*
*Cant. 5.*
*1. Tim. 5.*
*Sapien. 1.*
*Exod. 22.*
*De cithara crucis.*
*Luc. 14.*
*De cithara sacræ scripturæ, & decē chordis eius.*
*Quod tangendo decē chordas, occidūtur decem vitia.*

*De instrumento psalterii.*

Hæc sunt verba Augustini, qui qualiter in cithara psallendum sit, ostendit. Debemus præterea psallere in vocem psalmi benè operando pro æternis. Psalterium enim à superiori parte dum manu tangitur, sonum reddit. Vnde per psalmum, qui cum tali instrumento canitur, bonum opus, quod fit pro remuneratione æterna, intelligitur. In tubis autē ductilibus psallimus, dum per prædicationem proximos nostros instruimus. Prædicatores autem tubis ductilibus argenteis & æreis comparantur, propter dilationem, quia sub malleo tribulationum proficiunt, & per charitatem in tribulationibus dilatantur, & propter sonoritatem, iuxta illud: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et propter puritatem eloquij & claritatem. Vnde in psalmo: Igne me examinasti, sicut examinatur argentum. Et propter formam compositionis. Tuba enim strictior est ex parte oris, & latior ex parte manus atq; amplior, quia plus debent facere quàm dicere, qui prædicant. Maiora enim debent operari & minora subditis præcipere Prælati, qui ad maiorem tenentur perfectionem. Comparantur præterea sancti prædicatores tubæ corneæ, multiplici ratione, scilicet, propter duritiam, sicut scriptum est: Neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Christi. Et propter acumen, quia verbum Dei penetrabilius est omni gladio ancipiti. Et propter eminentiam, sicut scriptum est: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Propter directionem ad superna, sicut scriptum est: Conuersatio nostra in cœlis est. Et propter fortitudinē, sicut scriptū est: Estote fortes in bello. Dicuntur etiam cornua habere, propter geminā dilectionē. Vnde & Dominus misit eos binos ante faciem suam. Et propter duo testamenta, quibus veluti duobus cornibus Christi inimicos ventilant. Iudæi veteri testamento tantū vtuntur, & hæretici nouo. Vnde tam hi quàm illi dicuntur vnicornes. Dicuntur præterea sancti cornibus vti seu cornuti, propter stoliditatē: fatui enim reputātur à secularibus: stulti enim sunt mundo, vt sapientes sint Christo. Vnde in libro Sapien. dicitur: Nos insensati vitam illorū reputabamus insaniā. Et propter originem. Cornu enim ex carne nascitur, & non est caro, sic sancti in carne positi, non carnaliter viuunt, sed carnē excedunt. Et propter lucidita-

*De tubis ductilibus.*
*De tuba cornea.*
*Rom. 8.*
*Heb. 4.*
*Philip. 3.*
*Luc. 10.*
*Quare sancti cornuti dicantur.*
*Sap. 5.*

tem, sicut

tem, sicut scriptum est: Luceant opera vestra bona coram hominibus, vt honorificent patrẽ vestrum. Et propter perfectionis rotunditatẽ: vnde per sphęrulas rotundas & volubiles in candelabro designantur. Cùm igitur ait: Psallite Domino in cithara, ecce carnis mortificatio per abstinentiam. In voce psalmi, ecce bona opera propter vitam æternam. In tubis, ecce proximi instructio per prædicationem. Ductilibus, ecce tollerantia tribulationum per patientiam. In voce tubæ corneæ, ecce fortitudo & amor æternorũ. Psallamus igitur fratres, Domino in cithara, carnẽ propter ipsum mortificando, crucem nostrã tollendo, præcepta Decalogi obseruãdo. Psallamus in voce Psalmi opera nostra misericordiæ intuitu diuinæ remunerationis exercendo. In tubis ductilibus, vt in tribulatione proficiamus & dilatemur. Talis enim tuba fuit B. Iob, cùm ait: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Psallamus in tubis corneis, carnales affectus à nobis relegando, vt quæ Dei sunt, & non quæ sunt carnis, sapiamus. Psallamus præterea Domino in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benesonantibus, in cymbalis, scilicet, iubilationis, omnis spiritus laudet Dominum. Cantemus igitur & in tympano, vt simus iuuenculæ tympanistriæ per carnis afflictionem. Tympanum enim fit ex corio animalis raso, desiccato & extenso inter duo ligna, quæ significant spem & timorem. Cantemus ei in choro per fraternã concordiam. Cantemus ei in chordis, longos facientes funiculos nostros, & consilia præceptis addendo, vt ad meliora nos semper extendamus. Cantemus ei in organo per virtutum consonantiam, & in diuisionibus gratiarum à nobis inuicem non dissonemus. Cantemus ei in cymbalis benesonantibus, quæ sunt duo testamenta sese inuicem tangentia per concordiam. Rota enim in medio rotæ, & duo Cherubin sese inuicem respiciunt versis vultibus in propitiatorium: vel cymbala benesonantia sunt Dei & proximi dilectio, vel labia nostra cordi concinna, & Deum laudantia. Cymbala autem ænea sunt, & se inuicem tangentia vt sonare valeant. Combinata per concordiam, ænea per sonoritatem & durabilitatem. Cum his igitur instrumentis cantemus Domino canticum nouum in hac via nostræ peregrinationis, vt tandem sine fine iubilemus ei in patria æternæ claritatis. Beati enim qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te, Amen.

*Matth. 5. Exod. 25.*

*Luc. 14.*

*Rom. 8.*

*De tympano.*

*De choro chordis & organo. Isa. 54.*

*1. Cor. 12.*

*De cymbalis benesonantibus. Ezech. 1. Exod. 25.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA IACOBI.

*Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio.* *Iacob. 1.*

DEVS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Superbia autem cordis, quæ dicitur elatio, quàm citò occultius mentem decipit & corrumpit intrinsecus, tantò diligentius contra ipsum debemus vigilare, & eam à nobis longius relegare, quæ principaliter quatuor modis habet fieri. Primo modo, quando homo bonum illud quod habet à Deo, siue sit bonum naturæ, quod dicitur datum, siue bonum gratiæ, quod dicitur donum, sibi adscribit, & à se æstimat illud habere. Cuiusmodi sunt illi, qui dicunt: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia? Contra quos beatus Iacobus in hodierna Epistola ait: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est. Si enim cæcum lumen præstetur, non sibi, sed illuminanti potest attribuere, & non inde propriam gloriam, sed magis gloriam eius, qui lumen præstitit, quærere. Hoc modo tam bona naturæ quàm bona gratiæ, soli Deo debemus attribuere. Vnde Apostolus ait: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Secundo modo superbia habet fieri, quando homo à Deo habere se æstimat, sed pro meritis suis datum putat, sicut ille qui dicebat: Gratias ago tibi Deus, quod non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri. Et quasi pro meritis suis hæc haberet à Deo, cœpit iactare merita, dicens: Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Contra huiusmodi præsumptuosos homines, idem Apostolus in eadem Epistola ait: Voluntariè genuit nos verbo veritatis, id est, gratis, sine meritis nostris. Tertio modo habet fieri, quando non à se, non pro suis meritis, sed plus cæteris habere putat, vnde despectis aliis nullum parem sibi esse æstimat. Vnde Isaias: Dixisti in corde tuo, ego sum, & præter me non est alter. Contra huiusmodi vnicornes & singulares homines, ait Iacobus in præsenti Epistola: Sit etiam omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, quod dicit specialiter contra illos, qui se aliis doctiores reputantes, festinabant esse magistri, cùm ad huc deberent esse discipuli. Hoc etiam contra illos dicit, qui se iactant de scientia, quam non habebant, vel etiam illam, quam habebant, per iactantiam ostendere volebant. Hæc est enim quarta species superbiæ, scilicet, iactantia, quando homo iactat se habere quod non habet. Sicut ille qui dicebat: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Vel etiam quando iactat se de his quæ habet, quærens gloriam propriam. Contra huiusmodi Salomon ait: Non te laudet os tuum. Instruit igitur perfectè Iacobus in hodierna Epistola discipulos summi Magistri, qui ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Primò, vt vitent arrogantiam & sapien-

*De superbia interiori, quæ quatuor modis habet fieri. Deut. 32.*

*Luc. 18.*

*Isa. 47.*

*Luc. 4. Prouer. 27. Quod multipliciter in hodierna epistola instruimur. Matth. 11.*

Eccle.1. sapientiam suã non sibi, sed magistro suo ascribant. Omnis enim sapiẽtia à Deo est. Omne datũ optimum, & omne donũ perfectum, desursum est. Secundò ostendit qualis sit summi Magistri doctrina, certa, scilicet, & inuariabilis, non in opinione, sed certitudine. Ipse enim inuariabilis, & eius doctrina stabilis, quia apud eum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Tertiò ostendit virtutem & efficaciam doctrinæ cœlestis, vbi ait: Voluntariè genuit nos verbo veritatis, id est, per doctrinã Euangelicam, per verbum, scilicet, insitum, quod potest saluare animas auditorũ, dummodo in cordibus eorum plantetur & inseratur, atq; firmiter radicetur. Quartò ostendit, quod priùs debent audire quàm docere, priùs esse discipuli quàm magistri, & magis proni ad audiendum quàm ad docendum, vbi ait: Sit autem omnis homo velox ad audiendum & tardus ad loquendum. Quintò ostendit, quales debent esse discipuli, vt in cœlesti doctrina proficiant, pacifici, scilicet, & sine ira, ac perturbatione animi, vbi ait: Et tardus ad

Iacob.3. iram. Et alibi ipse ait: Sapientia quæ de sursum est, primùm quidem pudica est, deinde pacifica. Sextò ostendit, quod mundi in corde, & sine macula in corde debent esse, vbi ait: Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ. Vnde in libro Sapien-

Sap.1. tiæ dicitur: In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Septimò ostendit, quod cum mansuetudine recipere debent doctrinam, sine discerptatione & contradictione. Discentem enim credere oportet, non se opponere vel contradicere. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas. Hoc autem docet nos cùm ait: In mansuetudine susci-

Quod sit differentia inter datũ & donũ. pientes insitum verbũ, quod potest saluas facere animas vestras. Vbi pariter ostendit, quod firmiter debẽt Christi scholares lectionẽ suam retinere, propter hoc quod ait: Insitum verbũ, id est, in cordibus plantatũ & radicatũ. Et etiam quo fine audire debent lectionẽ suam, scilicet, pro salute æterna. Quod potest, inquit, saluas facere animas vestras. Demum ostendit quod verba cõuertenda sunt in opera, vt quod audimus, opere cõpleamus, vbi ait: Estote factores verbi, & nõ auditores tantũ. De hoc autem vltimo, dante Domino, in Epistola alterius Dominicæ prosequemur. Nunc autẽ de aliis, secundũ quod præcesserunt, diligentius & plenius prosequamur. Omne datum optimũ, & omne donum perfectum desursum est. Datum dicit quantum ad naturalia, donum quantum ad gratuita. Quæ à Deo donata sunt, & ideo non nobis hæc asscribere, sed ad ipsum referre debemus. Data autem optima, id est, valde bona, dicit naturalia bona animæ. Temporalia enim & exteriora, possunt dici bona in gradu positiuo. Bona corporis meliora, in gradu comparatiuo. Bona animæ optima, in gradu superlatiuo. Donum autem, id est, bonum gratuitũ, perfectum dicit respectu naturaliũ, quæ quasi inchoant animam. Bona verò gratuita perficiunt, id est, perfectam reddunt.

Alia expositio. Quicunq; enim charitatẽ habet, & cæteras virtutes, perfectus est perfectione sufficientiæ. Potest tamen datum optimum referri ad virtutes & bona gratuita, secundũ quod habentur in affectu. Donum verò perfectum ad virtutũ executionẽ in actu. Virtutes siquidem & alia dona gratuita, optima dicuntur respectu naturaliũ donorum. Dona autẽ perfecta dicuntur virtutũ executiones, vel ipsa vita æterna, quæ perfecta est, nullo indigẽs, vbi plena est sufficientia & sufficiẽs

Tertia expositio. plenitudo. Datũ etiã optimũ, est gratia quam suscipimus in baptismo, donũ perfectum ipse spiritus sanctus, qui nobis à patre & filio cõfertur. Omnia autẽ bona, tam data quàm dona, descendunt à patre luminũ, id est, ab ipso Deo, qui lux est in se alios illuminãs, & lucẽ habitãs inaccessibilem, qui illuminat omnẽ hominem venientẽ in hunc mundum. A quo tanquã à fonte luminis, luminosa opera procedunt. Dona autẽ spiritus sancti specialiter dicuntur lumina, quæ nos

1.Tim.5. Ioan.1. illuminant. Deus autem pater luminũ dicitur, quia ab illo dona spiritus sancti procedunt, tanquam radius à Sole. Vnde in Psal. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, id est, ab Apostolis, qui radios luminis primi susceperunt. Est igitur Deus pater luminum, amictus lumine,

De patre luminum, & de lumine multiplici. Ioan.8. sicut vestimento, in cuius lumine videbimus lumen. Qui autem sequitur eum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ipse ergo est pater luminum, fons & origo totius boni. Vnde ipse dicitur flos, quia principium est cuiuslibet fructus. Ab eo autem sunt tam data quàm dona,

Quod tam naturalia quàm gratuita à Deo sunt. tam naturalia quàm gratuita. Sicut enim homo bona naturę habet à Deo, ita bona gratię. Sicut non potuit se creare, ita nec recreare vel iustificare. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Ipse iustificauit nos, & non ipsi nos. Sicut enim gratis creauit nos, ita gratis redemit nos, & sine meritis iustificauit. Multa tamen quantum ad ipsum in creando differentia fuit. Qui enim mundum fecit sine labore, & refecit cum labore. Laborare, inquit, me fecisti in iniquitatibus ve-

Isa.43. Sap.8. stris. Ipse enim attingit à fine ad finem fortiter. A fine inchoationis, ad finem consummationis. Quia dixit tantùm, & facta sunt. Disposuit etiam omnia suauiter. Non laborauit in disponendo, sicut non laborat in creando, laborauit autem recreando. Vnde ipse ait: Pœnitet me

Gen.6. De multiplici opere Dei. Gen.1. fecisse hominẽ. Quia & factus offendit, & dũ reficitur crucifigit. Siue igitur sint opera creationis, de quibus dicitur: In principio creauit Deus cœlũ & terrã, siue opera recreationis, de quibus dicitur: Exibit homo ad opus suum & ad operationem suam vsq; ad vesperam, siue opera propagationis, de quibus dicitur: Pater meus vsq; modò operatur: & ego operor, siue opera ultimæ retributionis, de quibus dicitur, quod reddet vnicuiq; secundum opera sua, omnia à Deo

Ioan.5. Rom.2. sunt. Et si enim homo in quibusdam tanquam minister cooperetur, siue in arando & seminando, sibi soli Deus retinuit authoritatem creandi omnia. Nec enim qui plantat, est aliquid,

1.Corinth.3. neque qui rigat, quantum ad creationem, sed qui incrementum dat Deus. Per ipsum enim omnia fa-

nia facta sunt, materia, scilicet, & forma, & concretio formæ ad materiam. Sine ipso autem factum est nihil. Quia solum peccatum quod nihil est, sed tantum priuatio boni & debiti finis indirectio, sine ipso factum est. Si enim non possumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, cogitatio nostra à Deo est per creationem, & non à nobis. Similiter & quælibet alia actio nostra. Malitia autem actionis praue ab homine est, vel diabolo: quia non est aliqua creatura, sed tantum deformitas, & debiti finis priuatio. Sicut autem liberum arbitrium, licèt corruptum sit, à Deo est, ita quilibet eius motus à Deo est per creationem. Et sicut hoc genus actio, sine hoc vniuersale à Deo est, ita quodlibet eius contentum. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Vnde Augustinus ait: Deus omnium quæ sunt, auctor est, quæ inquantum sunt, bona sunt. Et iterum: Omne autem quod est, inquantum est, bonum est. Patet igitur quod voluntas mala, vel actio praua inquantum est, à Deo est, qui solus est principium, & creator omnium rerum. Inquantum autem inordinatè fit, & debito fine priuatur, vt ad ipsum, à quo est, referatur, peccatum est. Inquantum autem peccatū est, nihil est, quia priuationes nihil sunt. Priuant enim, sed nō ponunt. Similiter peccatum, siue malum nihil est. Teste enim Augustino, Totum nomē mali à speciei priuatione repertum est. Et iterum ait: Sicut abstinere à cibo, non est aliqua substantia, tamen substantia corporis si abstineatur à cibo, langueſcit & frangitur, sic non est substantia peccatum: eo tamen natura animæ corrumpitur. Non igitur ponimus diuersa rerum principia, sicut Manichæi, sed ab vno principio & ab vna suprema causa omnia esse dicimus. Cuius autem causa & origo bona est, ipsum quoque secundum quod est à bono principio bonum est. Vnde idem Augustinus ait: Quæ sunt, nisi ab illo, esse non possunt, & intantum bona sunt, inquantum acceperunt vt sint. Peccatum autem ab homine est, vel à diabolo. Ab Aquilone enim pandetur omne malum culpæ, non malum pœnæ. Illud enim à Deo est, nec est malum in ciuitate, quod non faciat Deus. Malum autem culpæ, id est, peccatum non facit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod exponens Augustinus ait: Factum est nihil, id est, peccatum, quia nihil est, & nihil fiunt homines, cùm peccant. Cùm autem omnis pœna à Deo sit, peccatum propriè non est pœna. Dicitur tamen impropriè pœna, sicut ignis dicitur pœna gehennæ, id est, causa vel instrumētum pœnæ, quæ est in ipso patiente. Similiter cùm dicitur crimina criminibus vindicantur, & peccatum est pœna peccati, id est, per peccatum gratia subtrahitur, qua subtracta, homo in peccatum labitur. Cùm igitur omnis res à Deo facta sit vt Deum laudet, vel sit materia laudis diuinæ, inquantum ad hunc finem refertur, bona est. Potest tamen homo re bona malè vti: sicut cultello potest homicidium perpetrare, & medicina potest seipsum necare. Similiter & actione, quæ à Deo est, & bona est, inquantum à bono principio est, abutitur, dum priuat eam debito fine. Res igitur vitiosa à Deo est, sed non est à Deo vitiosa, sed ab homine, qui res, quæ bonæ sunt per naturam, malè viuēdo declinat ad culpam. Vnde & Caiphas à Spiritu sancto prophetauit, & eius actio à Deo fuit, sed intentionis eius prauitas, vel actionis eius deformitas à Deo non fuit. Similiter & comedere pomum in se non fuit malum, & comestio Adæ in eo, quod à Deo fuit, bona fuit. In eo autem quod contra mandatum comedit, & actionem illam ad Deum non direxit, comestio illa vitiosa fuit, & eius vitium seu deformitas non fuit aliqua creatura, sed debiti finis priuatio. Sicut igitur anima à Deo creata munda, sed à vasa in quo infunditur, trahit immunditiam: Ita actio licet sit hominis ministerio, est tamen authore Deo. Mala autem efficitur per abusum hominis, quando priuatur debito fine, id est, charitate, vel ipso Deo, qui est Alpha & Ω, principium scibolo, vnusquisque in suo sensu abundet, dummodo ab errore Manichæorum sibi caueat, qui occasione eius quod ait sanctus Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desuper est, descendens à patre luminum, asserunt bona inferiora quę non sunt optima, neque perfecta esse à principe tenebrarum, & non à patre luminum. Nec etiam bona sunt, vt dicunt ista visibilia, sed mala & vana, transitoria, & caduca. Et ideo ponunt duo principia: Vnum lucis, id est, Deum summum & bonum, qui creauit animas & inuisibilia bona. Aliud malum principium, à quo mundum istum visibilem & omnia visibilia dicunt esse creata. Hic est princeps huius mundi, quidam minor creator rerum visibilium, vt asserunt impij Manichæi: Vnde dicunt quod sine ipso, id est, sine summo & bono principio factum est nihil, id est, mundus iste vanus, & quasi nullius momenti, quia vanitas vanitatum & omnia vanitas. Contra hanc hæresim Ioannes ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Et in Apocalypsi ait: Iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum & ea quæ in eo sunt: & terram & ea quæ in ea sunt: & mare & ea quæ in eo sunt. Et in Actibus Apostolorum Petrus ait: Domine, tu qui fecisti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eo sunt. Et in eisdem Paulus dicit: Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eis sunt. Hic cœli & terræ, cùm sit Dominus, non in manufactis habitat templis. Audet tamen obstrepere Manichæus, & dicere quod mundus per ipsum factus est, id est, animæ mundæ. Cœlum verò creauit Deus, id est, animas eorum cœlestes, & celatas virtutibus. Et terram, id est, terrenas adhuc animas suorum credentium, quorum conuersatio nondum est in cœlo. Mare, id est, eorum animas, qui aquis doctrinæ abundant, & omnia quæ in eis sunt, id est, bona spiritualia, quę sunt animabus eorū. Ecce quomodo impiissimi homines sanctas scripturas corrumpunt, & peruersè exponunt. Quos tamen manifestè confutat Apo-

*Ioan.1. Quodquælibet actio est à Deo, peccatū autē ab homine & diabolo.*

*Rom.11.*

*Iere.1. Amos 3. Ioan.1.*

*Contra Manichæos, qui omnia visibilia dicunt esse à diabolo.*

*Eccle.1. Ioan.1. Apoc.10. Actuum 1. Actuum 17.*

Coloſ.1. ſtolus Paulus ad Coloſſ. dicens de Chriſto: Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt vniuerſa, quæ ſunt in cœlo & in terra viſibilia, & inuiſibilia. Ecce manifeſtè aſſerit, quod viſibilium rerum creator eſt Deus. Et ad Hebræos ait: Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cœli. Si dixerint Manichæi, quod

Heb.1. per terram animæ credentium, qui adhuc imperfecti ſunt, & per cœlum animæ perfectorum intelliguntur, ſed Paulus ſubiungit: Ipſi peribunt, tu autem permanes. Igitur animæ Manichæorum peribunt. Reſtat igitur quod Deus creator omnium, tam viſibilia quàm inuiſibilia creauit in laudem & gloriã nominis ſui. Vnde ſerpẽtes atque noxia & ferocia animalia, ab ipſo etiam

Dan.3. creata ſunt diuinæ laudis materia. Sicut ſcriptum eſt: Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino. Et iterum: Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyſſi beſtiæ, & vniuerſa pecora ſerpentes, & volucres pennatæ. Licèt enim hæc animalia venenata ſint & turbida, & plerumque hominibus noxia, habent tamen locum & ordinem ſuum, & pro modo ſuo implent

Gene.3. vniuerſitatis decorem. Ad laborem enim & exercitium hominis creata ſunt, & in peccatorum iuſtam vltionem. Sicut ſpinas & tribulos creauit Deus in pœnam & vindictam peccati Adæ. Vnde dixit eis: Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Habent præterea aliam vtilitatem: nam ſpinis & tribulis ignem accendimus, ſerpentum naturam ad vſum mortalitatis retorquemus: Muſcas etiam & pulices ad exercitium & humiliationem noſtram creauit Deus. Valdè enim humiliari debet homo, qui fuit ſocius Angelorum, & factus eſt ſocius vermium. Et qui omni creaturæ viſibili ſibi ſubiectæ ante peccatum imperauit, etiam in muſcis & pulicibus dominium poſt peccatum amiſit. Non ſolùm igitur optima & perfecta bona à Deo ſunt, ſed media & inferiora omnia, ſcilicet, tam viſibilia quàm inuiſibilia. Non ſolùm igitur pater eſt luminum, ſed inſuper tenebrarum, quia tam luminoſa, quàm tenebroſa corpora creauit, & inſuper corporum vmbras & aëris obſcuritatem, quæ tenebras appellamus. Non ſolùm enim carentiam luminis tenebras dicimus, ſed prædictam aëris qua-

Gene.1. litatem. Vnde & lucem diuiſit Deus à tenebris, & inter alias creaturas ponuntur tenebræ,

Dan.3. cùm dicitur: Benedicite lux & tenebræ Domino. Sicut igitur ros de ſupernis deſcendit, ita omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. Sed etiam inferiora &

Matth.5. minora, id eſt, temporalia ſunt Dei dona, qui pluit ſuper bonos & malos, ſuper iuſtos & peccatores. Temporalia enim bona confert Deus, tam bonis quàm malis. Dantur enim bonis,

*Quod tã bonis quã malis dãtur à Deo bona tẽporalia, & aliquando ſubtrahuntur.*

ne putentur eſſe mala: dantur malis, ne putentur optima vel perfecta. Auferuntur bonis, vt probentur: malis, vt crucientur. Si autem ſolis bonis daret illa, putaret malus datum eſſe colendũ propter iſta. Si ſolis malis daret, infirmus ad Deum conuerti timeret. Dat ergo bonis, vt conſoletur intrantes: Dat malis, vt diſcant boni quærere alia non communia cum iſtis. Aufert ea bonis, ne per hoc alliciantur, & à veris bonis retrahantur. Aufert ea malis, ne infirmi conuerti timeant, quia & ipſi fortè ſi in malitia remanerent, nihilominus hæc amitterent. Omne igitur datum, non ſolùm optimum, ſed minus bonum: omne donum, non ſolùm perfectum, ſed imperfectum deſurſum eſt. Omnia bona, non ſolùm ſpiritualia & æterna, ſed etiam temporalia & tranſitoria à Deo ſunt. Solum autem peccatum, quia nihil eſt à Deo, non eſt, ſed

*Quod homo per ſe poteſt facere malum ſed non bonũ.*

à diabolo vel homine. Homo enim per ſe poteſt peccare, ſed per ſe non poteſt bonum facere: per ſe poteſt cadere, ſed non per ſe reſurgere. Eſt enim ſpiritus vadens & non rediens, pronus ad malum, difficilis ad bonum. Sicut piſcis per ſe poteſt retia piſcatoris intrare, ſed per ſe, poſtquam captus eſt, non poteſt euadere. Terra per ſe malas herbas & inutiles fructificat, ſed ſine labore, niſi ab alio excolatur & ſeminetur, non fert triticum, vel aliud ſemen bonum. Cùm igitur omnia bona ſint à Deo, bona eius ſemper ſunt lux in eo, apud quem non eſt tranſmutatio,

*Quod apud Deum non eſt mutatio vel obumbratio, ſicut in nobis.*

vel vicisſitudinis obumbratio. In nobis autem non ſemper ſunt lux, dum per peccata mortalia amittuntur, vel per venialia obſcurantur, & quodammodo obumbrantur. Eſt igitur in nobis vicisſitudinis obumbratio, quia aliquando in bonis operibus lucidi, aliquando obſcuri ſumus. Apud Deum autem non eſt vicisſitudinis obumbratio, id eſt, interpolatio vel aliqua obſcuritas. Eius enim lumen nulla nocte interpolatur, nec habent eius bona vmbram peccati, id eſt, ali-

Iſaiæ 63. quam ſpeciem mali admixtam. Quia eius bona purè ſunt bona, noſtra autem mala, teſte Greg. ſunt purè mala, ſed bona noſtra non ſunt purè bona. Iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ. Vix enim aliquis bona facit, quin vmbra admiſceatur, ſaltem dum primis motibus mouetur. Non eſt igitur in Deo vicisſitudinis obumbratio, quia nulla eſt in eo tranſmutatio. Vbi enim eſt mutatio, ibi vicisſitudo, dum vna forma recedit & alia ſuccedit. Hoc autem in Deo

*Quod Deus ſummè ſimplex eſt.*

fieri nequit, qui ſummè ſimplex eſt, & in ſupremo gradu ſimplicitatis carens omni genere compoſitionis. Neque enim partes integrales habere poteſt more corporum, cùm omnis pars naturaliter ſit prior ſuo toto. Nihil autem natura vel intellectu prius eſt ſummo principio, id eſt, Deo. Caret præterea compoſitione, quæ fit ex materia & forma ſubſtantiali. Deum autem nihil conducit ad eſſe, cùm ipſe ſit prima omnium cauſa, id eſt, cauſa cauſalisſima. Sed nec accidentalis forma poteſt eſſe in Deo, vt ſecundum accidentia fiat in illo mutatio, vt vnum expellatur ab eo, & recedat, & aliud loco eius ſuccedat. In Deo enim nulla eſt diuerſitas, vel contrarietas. Mutatio autem ſine aliqua cõtrarietate vel oppoſitione fieri nequit. Vnum enim ex ſimilibus, ſuum ſimile nõ expellit. In Deo autem nihil eſt cui fiat oppoſitio, neq; aliquid opponitur Deo. Oppoſita enim ſimul ſunt natura. Deus autẽ omnia præcedit, tanquã principiũ, & prima cauſa. Eſt igitur

Est igitur inuariabilis Deus, & absque vlla transmutatione. Ipse enim æternus sine tempore, immensus sine quantitate, vbique sine loco. Supra omnia non elatus, infra omnia non depressus, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus, ſtabilisque manens, dat cuncta moueri. Nihil autem est in ipso, quod non sit Deus. Licèt enim dicatur bonus, iustus, misericors, diuersis nominibus eadem diuina substantia significatur. Ipse enim est sua bonitas, ipse sua iustitia, ipse sua misericordia. Bonitas eius est, iustitia eius. Si enim aliud esset Deus, & alia eius bonitas vel eius iustitia, cùm eius iustitia sit summè bona, & Deus summè bonus, duo essent summè bona. Teste autem Boëtio: si duo sunt summè bona, vtrumque est superfluũ, & vtrumque diminuitur. Ergo neutrum esset summè bonum. Illud enim summè bonum dicimus, quod perfectissimum est, sibi per omnia sufficiens, & nullo alio indigens. Deus igitur, cùm sit summè bonus, seipso iustus est, nec indiget iustitia, quæ non sit Deus, ad hoc quod sit iustus. Sicut enim albedo efficit album, & idcirco prior est naturaliter albedo quàm album. Ità si iustitia alia à Deo faceret ipsum iustum, prior esset natura iustitia Dei, Deo iusto quod nephas est dicere de summo principio. Deus igitur non indiget cùm sit per omnia sufficiens & perfectus, & in nullo diminutus. Illud enim Deum appellamus, quod ita summè bonum est, vt aliud magis, vel æquè bonum excogitari non possit. Aliquid enim excogitabile est, quo melius excogitari non potest. Illud est, aut non est. Si dixeris illud non est, sed melius est esse, quàm non esse. Igitur aliquid melius illo excogitari potest. Si dixeris illud est, quicquid autem illud sit, Deum appello. Per omnia igitur sibi sufficiens est. Vnde nullo alio indiget ad hoc quod sit iustus, vel bonus, vel potens, vel sapiens. Et ita nihil est in eo, quod non sit Deus. Ex quo apertissimè liquet, quod nullo genere motus mouetur, nec aliquo modo mutatur. Et hoc est quod ait Apostolus Iacobus: Apud quem non est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio. Vnde ipse per Prophetam ait: Ego sum Deus & non mutor. Et Dauid ait: Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idẽ ipse es, id est, immutabilis. Et Apost. ait: Qui solus habet immortalitatẽ, id est, incommutabilitatẽ. Cùm igitur ipse sit summũ bonũ, & ab eo sit omne bonũ, ad ipsum omnia bona nostra debemus referre, & nõ nobis attribuere. Nõ enim meritis nostris vocati sumus. Non nos enim elegimus, sed ipse elegit nos. Neque enim meritis nostris ad eum accessimus. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, id est, gratuita voluntate regenerauit nos in baptismo per filium suum, qui est verbum patris, verbum, scilicet, veritatis, vel verbo veritatis, id est, per doctrinam Euangelicam genuit nos, vt essemus filij Dei, qui prius eramus filij tenebrarum. Vt simus aliquod initium creaturæ eius. Aliquod initium modicum, scilicet, & tenue. Hic enim initiamur per fidem, sed tandem cõsummabimur, & perficiemur in vitam æternam, quando occurremus omnes in virum perfectum. Hic autem ratio incipit reformari, & ex parte reformatur. In futuro autem plenè reformabitur, vel simus aliquod initium, id est, in adeptione filiorum simus primitiæ, & quasi primum principium creaturæ, id est, recreationis eius. Initium etiam creaturæ eius dicuntur, qui per hanc spiritualem genituram initiati sunt, id est, dedicati, & consecrati Deo in nouam, scilicet creaturam, & in filios adoptionis. In alia translatione habetur, vt simus primitiæ creaturarum eius, id est, primatum quendam habentes inter creaturas, eò quòd nos in filios adoptionis adoptauit. Generat igitur Deus filios verbo veritatis. Generauit diabolus filios verbo falsitatis, quando primis parentibus ait: Eritis sicut dij. Quicunque enim diabolicæ persuasioni acquieſcit, filius diaboli efficitur. Sicut in Euangelio dicitur: Vos ex patre diabolo estis. Generant etiam hæretici filios proditionis. Hi sunt generatio praua atque peruersa & infideles filij, qui matrem suam Ecclesiam lacerãt more viperarum: Vnde in Euangelio dicitur: Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Generatur autem homo in vtero per conceptionem. Vnde in Euangelio: In peccatis natus est totus. Et Dauid ait: In peccatis concepit me mater mea. Generatur in vtero, in mundo per naturam. Vnde in Euangelio dicitur: Cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundo. Generatur in baptismo per gratiam. Vnde in Euangelio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum. Generatur etiam à sanctis doctoribus per prædicationem. Vnde Apostolus: In Christo ego vos genui. Et de Oneſimo dicit: Quem genui in vinculis. Generatur etiam per pœnitentiam, & cordis cõtritionem. Vnde in Psalmo: Hæc est generatio quærentium Dominum. Et iterum: Vt cognoscat generatio altera. Generabitur in fine per resurrectionem. Vnde in Euangelio: In regeneratione cùm sederit filius hominis, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël. Hæc est generatio gloriæ, quàdo reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Cùm igitur multiplex sit generatio, de generatione gratiæ vel doctrinæ intelligitur, quod ait Apostolus: Voluntariè genuit nos verbo veritatis. Vt autem initium creaturæ Dei in hominem perseueret, & vt data, & dona in se conseruet, sit omnis homo velox ad audiendum verbum, scilicet, Dei. Nam sicut per verbum Dei homo generatur, ita per verbum Dei gratia in ipso conseruatur & multiplicatur. Qui igitur sapientiam diligit, primo illam à Deo postulet, à quo omne datũ & donũ est: & postmodũ magistrum audiat, magistrũ veritatis. Frumentũ enim desiderat nubes, sicut in Iob dicitur, id est, mentes sapientiũ prædicatores. Maluit enim audire quã audiri. Veloces igitur debemus esse ad audiendũ. Sed tardi, & nõ præcipites ad loquendum, id est, ad prædicandũ. Vnde Iacobus ait: Nolite plures magistri fieri fratres mei. Veritas enim tutius auditur,

*Quod nihil est in Deo, quod non sit Deus.*

*Necessariò probatur Deum esse.*

*Mala. 3.*

*Quod sine meritis nostris regenerati sumus. Ioan. 15.*

*Ephe. 4.*

*Quod multipliciter dicimur initium creaturæ eius.*

*De bona & mala generatione. Gene. 3.*

*Deut. 32. Luc. 3. Ioan. 9.*

*De multiplici generatione hominis. Ioan 10. Ioan. 3. 1. Cor. 5. Phil. 2.*

*Matth. 19.*

*Quod veloces esse debemus ad audienda bona. Iob 37.*

*Quod non debemus esse præcipites ad prædicãdum, sed prius debemus addiscere & benè vivere.*

*Apoc.22.* *Eccle.18.* *Eccle.3.* ditur quàm prædicetur. Et quoniam scriptum est: Qui audit, dicat, veni, prius debet audire disciplinam suscipiendo, & postmodum dicere, veni prædicando. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Prius quàm loquaris, disce. Tempus enim tacendi, & tempus loquendi. Prius dicit tacendi, & postea loquendi, quia prius debemus esse concha quàm canalis, prius irrigari quàm irrigare, prius esse discipuli quàm magistri, Vnde Hieronymus: Caue ne ante sis magister quàm discipulus, antè miles velis esse quàm tyro. Et iterum: Nulla ars absque magistro discitur, multo tempore antè disce quàm doceas. Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus tuis aurem ne accõmodes. Non appetas maiora viribus tuis, quia melius est, & in humilioribus pergere, quàm pendulo gradu in altioribus fluctuare. Vnde Dominus per Moysen ait: Audi Israël, & tace. Prius igitur sit homo doctus in regno cœlorum, quàm proferat de thesauro suo noua & vetera, scriptum est enim: Quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quomodo igitur prædicabit, qui non audiuit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Et iterum: Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. Et rursus: Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Et Isidorus ait: Plus dilige audire quàm dicere, plus auscultare quàm loqui. Antè autem quàm Ezechiel prædicaret, dictum est ei: Venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto. Non sit igitur homo pronus ad loquendum seu docendũ, sed dicat cum Ieremia A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Sic enim notantur tria impedimenta prædicandi, scilicet, indignitas vitæ, insufficientia scientiæ, impotentia eloquentiæ. Dicat etiam sicut in Isaia dicitur: Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere ducem populi. Non sum medicus, id est, linguam medicinalem non habeo per sapientiam. In domo mea non est panis doctrinæ per eloquentiam, neque vestimentum, id est, ornamenta virtutum per bonam vitam. Prius igitur ardeat quàm luceat. Quando autem erit tanquam Sol clarus scientia, fulgidus doctrina, calidus vita, tunc pronus sit ad loquendum & prędicandum. Neophiti igitur non festinent prædicare, nec arare præsumant in primogenito bouis. Ioseph enim triginta annorum erat, quando constitutus est super Ægyptũ. Ezechiel triginta anno ætatis suę cœpit prophetare. Et Christus ante annos triginta non legitur prædicasse. Et in libro Numeri dicitur: quod Leuitæ quinquagenarij conseruabant vasa tabernaculi. Propterea in Ecclesiaste dicitur: Væ tibi terra cuius Rex puer est. Et Dominus per Isaiam: Dabo pueros principes eorum. De Moyse autem legimus, quod trepidauit: dicens: Quis ego sum, vt eam ad Pharaonem. Vnde Gregorius ait: Moyses suadente Domino trepidat, & infirmus quisque ad honoris onus anhelat. Et Seneca ait: Vi tam tumultuosam sapiens feret, non eliget. Tardi igitur simus ad loquendum, dicentes cum sponsa: Laui pedes meos, quomodo coinquinabo eos? Puluis enim contrahitur in prædicando, & quandoque lutum peccati mortalis, dum prædicat quis pro inani gloria, & fauore humano. Teste autem beato Gregorio, qui charitatem ad proximum non habet, prædicatoris officium assumere non debet. In Ezechiele enim legimus, quod alæ animalium extentæ erant, alterius ad alterũ. Audiat igitur prius pastor, & faciat antequam doceat. Paulus nõ audet aliquid eorum loqui, quæ per eum non fecit Christus. Multi enim assumunt testamentum Dei per os suum, qui oderunt disciplinam, & proiecerunt sermones eius retrorsum. Docẽt alios, quæ retro sunt obliuisci & in anteriora se extendere, cùm ipsi semper more cancri retrocedant. Messis quidem multa, operarij pauci. Multi qui loquuntur, pauci qui operantur. Habeat ergo pastor ligulas pontificalis infulæ super humeros, vt faciat quod docet, ne sit diues mendax, aliud habẽs in ore, aliud in corde vel opere. Prius relinquat pallium cum Ioseph, hydriam cum Samaritana, Syndonem cum Ioanne, quàm præsumat prædicare. Propterea beatus Gregorius ait: Admonendi sunt, qui nimis citò prædicare appetunt, vt considerent quod pulli auium, si ante pennarum perfectionem volare appetunt, vnde in alta ire cupiunt, inde ima merguntur. Nam si structuris recentibus, nondum solidatis lignorum pondus superponatur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. Vani autem homines & ambitiosi prius volunt instruere quàm instrui, prius docere, quàm doceri, prius erudire quàm erudiri, antequam discãt ordines syllabarum, cupiunt philosophari. Nunquam fuerũt discipuli, & volunt esse magistri. Nunquam subiici voluerunt, & subiectos habere cupiunt. Prudentes verò tardi sunt ad loquendum, non præcipites vel inconsiderati ad prædicandum, attendentes tempus prædicandi. Iuxta illud. Tempus tacendi & tempus loquendi. Attendentes insuper locum, quia nõ in omni loco, sed oportuno est loquendum. Vnde in Ecclesiastico dicitur: In medio sensatorum non audeas loqui. Attendunt etiam qualitatem personarum, quia non omnibus eadem dicenda sunt. Vnde Apostolus ait: Sapientiam loquimur inter perfectos. Attendunt quantitatem verborum, ne nimietate in fastidium vertatur, vel retineri non possint. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Isidorus ait: Vir linguosus imperitus est, sapiens paucis verbis vtitur. Et iterum ait: Sit in verbo mensura, in sermone statera. Suspendunt etiam sapientes prædicationem quandoque propter indignitatem auditorum, quia immũdi sunt, & nolunt spargere margaritas ante porcos, eò quòd in corpore subito peccatis non introeat sapientia, vel quia obstinati sunt. Vnde nolunt sanctum dare canibus. Teste autem Cassiodoro, genus obstinationis est, obstinatis prædicare, vel propter eorum insufficientiã. Vnde Dominus ait: Multa habeo vobis dicere, quę non potestis portare modò. Vel propter misericordiam parcendo malis, ne de-

*Deut.27.* *Matth.13.* *Matth.10.* *Lucæ 12.* *Eccle 3.* *Eccle.20.* *Eccle.33.*

*Ezech.2.* *Hier.1.* *De tribus impedimentis prædicandi.* *Isa.3.*

*Deut.17.* *Gene.41.* *Ezech.1.* *Lucæ 3.* *Num.4.* *Eccle.10.* *Isa.4.* *Exod.3.*

*Cant.5.*

*Ezech.1.*

*Rom.15.*

*Phil.3.* *Lucæ 10.*

*Actuum 1.* *Eccle.25.* *Gene.29.* *Ioan.4.* *Matth.13.* *Simile.*

*Quod in prædicatione diuersæ circumstantiæ sunt attendendæ.* *Eccle 3.* *Eccle.32.* *1. Cor.2.*

*Eccle.20.*

*Matth.7.*

*Ioan.16.*

ne deteriores fiant. Vnde Dominus: Si dixero vobis, non creditis, vel ne vilescat prædicatio mia assiduitate, sicut scriptum est: Vt det illis escam in tempore, id est, non semper, sed quando viderit expedire. Non solùm autem de prædicatoribus intelligitur, quod tardi ad loquendum esse debemus, sed quemlibet admonet Iacobus, vt custodiat os suum & cautè loquatur, vt verbum prius veniat ad limam, quàm ad linguam, vt plura audiamus, & pauciora loquamur. Debemus enim multa loqui nobiscum, pauca autem & rationabilia ad proximum. Duas autem aures dedit nobis Deus & os vnum, vt plura audiamus, & pauciora loquamur. Teste enim Salomone: In multiloquio non deerit peccatum. Propterea in Ecclesiastico dicitur: Verba iustorum statera ponderabuntur. Et in eodem dicitur: Argentum tuum, & aurum tuum confla, & verbis tuis facito stateram. Et de Samuële dicitur: quod nullum verbum eius cecidit in terram. De hac loquendi cautela Gregorius ait: Plerumque dictorum virtus perditur, si intempestiuè proferantur. Ille enim scit rectè dicere, qui ordinatè nouit tacere. Et Hieronymus ait: Discat reticere qui nunquam didicit loqui, qui loquacitatem facundiam putat. Et iterum: Nihil est impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem authoritatem putant, & parati semper ad lites, in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus intonant. Et quoniam lingua in vdo posita est & facilè labitur, ponere debemus custodiam ori nostro, & ostium circunstantiæ labiis nostris, ne fortè dicatur nobis. Tu Galilæus es, id est, ad loquendum præceps & volubilis, nam loquela tua manifestum te facit. Vanus enim sermo, vanæ conscientiæ est index. Qualis sermo egreditur, talis animus comprobatur. Qui autem ociosa verba non reprimit, ad noxia citò tran sit, & dum praua non cauemus, in magnis prolabimur. Vnde Salomon ait: Propter verba labiorum ruina proximat malo. Et Isidorus ait: Discerne quid loquaris, vel quid taceas. Lingua tua non te perdat. Et Hieronymus ait: Incauta locutio in errorem protrahit indiscretus silentio, hos quos etudire poterat in errorē reliquit. Teste autem Salomone: qui consideratus est ad loquendum, sentiet mala. Et iterum ait: Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata est, conterit spiritum. Et quoniam ira auditum, & loquendi modum perturbat, subdit Apostolus: Et tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Maturitas siquidem & perfectio sapientiæ non nisi tranquilla mente præcipitur.

*Luc. 12.* *Matth. 25.* *Quod cum omni cautela & circumspectione quodlibet verbum debemus proferre.* *Prouer. 10.* *Eccle. 21.* *Eccle. 28.* *1. Reg. 3.* *Matth. 26.* *Eccle. 19.* *Prouer. 13.* *Prouer. 15.* *Contra iram*

*Impedit* (enim) *ira animum, ne possit cernere uerum.* Sicut scriptum est: Supercecidit ignis iræ, & non viderunt solem iustitiæ. Et si enim iratus aliquando iustum iudicat, non tamen iustè, quia diuini examinis iustitiam, in qua perturbatio non cadit, non imitatur. Si quis cum ira iudicat quod debet, non eo affectu quo debet, iudicat, & ideo indebito modo iudicat. Ira autem est quasi tempestas, vastans animæ vineam, & quasi ignis ædificium virtutum consumens. Vnde Isaias ait: Concipiet ardorem, parietis stipulam, spiritus vester tanquam ignis consumet vos. Homo autem iratus non habet dominium suipsius. Vnde Dominus ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et Salomon ait: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Non simus igitur veloces, & proni ad irascendum. Sicut enim in aqua turbida hominis imago non cernitur, ita in mēte turbida non relucet Dei imago, nec ipse Deus in tali mente commoratur, quia in pace factus est locus eius. Teste autem Salomone: Ira in sinu stulti requiescit. Iracundia ergo, velut equus indomitus freno discretionis, & verberibus diuini sermonis coercëatur. Sicut autem ventus validus in mari, ita ira in corde fatui excitat tempestatem. Vnde Salomon ait: Vir iracundus prouocat rixas, qui autē patiens est, mitigat suscitatas. Et iterū ait: Fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat, callidus est. Si autem ira insurgat, non permittatur procedere, neque Sol occidat super iracundiam nostram. Sicut enim acetum corrumpit vas, ita ira cor hominis, si duret vsque ad alium diem. Ignis igitur, ne sit tibi sicut ignis fulguris, non tibi inhęreat, ne te comburat, sed statim vbi oritur, moriatur. Ignis autem charitatis sit tibi quasi ignis solaris, qui nunquam moritur, sed semper viuit. Irascimini, inquit, Propheta, & nolite peccare. Si enim vsq; ad nimiam perturbationē ira peruenerit, peccatum mortale facile furibundus incurrit. Siquidem: *Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret, imperat. Qui enim non moderabitur iræ, infectum uolet esse furor, quod suasit & ira.* Qui autem facilis est ad iram, sentiet iram diuinam, sicut scriptum est. In me transierunt iræ tuæ. Ex ira enim oriuntur discordiæ, rixæ, & homicidia. Vir enim iracundus prouocat rixas, sicut Salomon ait: Sicut autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis, ita nihil desiderabilius est diabolo extinctione charitatis. Est autem duplex ira: Vna per zelum, altera per vitium. Per zelum, dum aliquis peccatis suis & alienis irascitur, & proximis delinquentibus non liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ vel correptionis amore. Sicut Petrus contra Simonem Magum, & Moyses contra illos, qui fecerant vitulum conflatilem, & Phynees contra fornicantes, & Dominus noster contra vendentes & ementes in templo, quando mensas nummulariorum euertit. Ira autem per zelum ad tempus oculum turbat, vt postmodum homo limpidius videat, huiusmodi autem ira meritoria est, licèt ardor & perturbatio quædam, quæ comitatur huiusmodi iram, sit veniale peccatum, nec tamen permittenda est procedere, vsque ad nimiæ perturbationis excessum, ne fortè incurrat homo mortale peccatum, si zelum habeat cum discretione, & temperet motum iræ, ne Sol, id est, Christus occidat in eo super iracundiam, id est, propter iracundiæ immoderatam perturbationem. Irascimini, inquit, Propheta. Irascimini contra peccata, sed nolite peccare, id est, non permittatis iræ perturbationem supra modum

*Versus.* *Isa. 33.* *Luc. 21.* *Prouer. 16.* *Simile.* *Prouer. 15.* *Prouer. 12.* *Ephe. 4.* *Versus.* *De incōmodis iræ diuersis.* *Prouer. 15.* *De bona ira, quæ fit per zelum.* *Actuum 8.* *Exod. 32.* *Num. 25.* *Ioan. 2.* *Ephe. 4.*

modum excrescere, ne collyrium si nimis acuatur, extinguat oculum. Bona est igitur ira per zelum, iniqua est illa, quæ transit in odium. Vnde beatus Gregorius ait: Necesse est autem, vt ante omnia qui zelo rectitudinis mouetur, attendat ne ira, quæ instrumento virtutis assumitur, extra mentis dominium transeat, sed in vltione peccati tempus, modumque considerans, surgentem animi perturbationē restringat. Et iterum ait: Ira per zelum bona est. Vnde Salomon ait: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Ira quidem per vitium mentis oculum excæcat, Ira autem per zelum turbat, quia inquietudine mentem agitat, & ad tempus aciem obscurat, vt altiora in commotione non videat, sed inde subtilius ad alta reducitur, vnde ad tempus, ne videat, reuerberatur. Sic infirmāti oculo collyrium mittitur, sed inde lucem post paululum veraciter recipit: Vnde hanc ad tempus amisit. Ad iram per zelum tardus fuit Heli, qui filios zelo, quo debuit, non correxit, & idcirco peccauit. Ad iram autem per vitium tardi esse debemus, quæ est furor mentis turbidæ, & est quasi gladius diaboli, cui vix potest resisti, sicut scriptum est: Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Hoc gladio armatus Lamech interficit puerum suum Absalom fratrem suum, Tyranni choros martyrum. De hac ira Dominus ait: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Non dicit de primo motu, de quo Gregorius ait: Quidam citius iræ flammam faciunt, sed protinus in fauillam frigescunt. Sed de ira consensus, quæ odium conceptum, si oportunitas adesset, vellet adimplere. De furore & perturbatione huiusmodi, iterum idem Gregorius ait: Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit, exasperantur oculi, ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquitur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longè est, qui actionis suæ conscius non est? Aliquando autem manus non erexit, sed in maledictionis iaculo linguam vertit. Fratres namque interitum precibus exposcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse peruersus homo facere, vel metuit, vel erubescit. Fitque vt voto & prece homicidium peragat etiam cùm à læsione proximi manus cessat. Quando autem ira procedit ad contumelias vocis, vel ad iniurias operis, tunc maius est peccatum. Vnde Propheta ait: Turbatus sum, & non sum locutus. Quandoque tamen prodest, vt ignem iræ iniuriam nostram exponendo, quasi euaporare & exire permittamus. Vnde beatus Gregorius ait: Aliquando ira perturbato animo, quasi ex iudicio silentium indicit, & quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius igneſcit, vt iratus quisq; collocutionem suam proximo subtrahat, & nil dicendo quàm sit auersus, dicat. Per silentium enim clausa intra mentem æstuat vehementius, & clamosas tacitè voces format. Verba sibi quibus exasperatur, obiicit, & quasi in causę exanime posita durius exasperatare spōdet. Vnde benè ante nos quidam sapiens dixit: Cogitationes iracundi viperæ sunt, quarū generationes comedunt matrem suam. Debemus igitur vitare huiusmodi malam iram, quæ fit per vitium. Iram verò per zelum bonū est habere, licet nō possit fieri in puro homine sine aliquantula perturbatione. In Christo autem fuit ira per zelum, sed non fuit in illo huiusmodi perturbatio, sicut scriptum est: Non erit tristis neq; turbulentus. Dicitur insuper ira signum iræ, secundū quod Deus dicitur irasci. Aliquando ira indignationis, de qua dicitur: Misit in eos iram indignationis suæ. Et iterum: Mitigasti omnem iram tuam. Quandoq; ira correptionis, de qua scriptū est: Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Quandoq; ira consumptionis vel cōsummationis, de qua dicitur: dies illa, dies iræ. Vt igitur vitemus iram diuinam, tardi simus ad iram per turbationum, vt mites & mansueti simus, & abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, cum mansuetudine suscipiamus insitum verbum, quod potest saluare animas nostras. Immunditiā in exterioribus, malitiā in interioribus, quæ in nequitia cordis, & in faciendo malam proximis consistit. Ostendit igitur quales debent suscipere verbum Dei, scilicet, qui quieti sunt, qui mundi sunt sine luxuria, qui simplices sunt, & mites sine malitia. Ostendit etiam qualiter suscipi debeat, scilicet, sine repugnantia & contradictione, id est, cum mansuetudine. Vnde Lucas ait: Qui non acceperit regnum Dei vt puer, non intrabit illud. Regnum Dei, id est, scripturam sanctam, vt puer cum omni humilitate & mansuetudine. Non enim reuelatur nisi paruulis & mansuetis, qui non opponunt se sanctis doctoribus, nec eis cōtradicunt sicut hæretici, qui aquas Siloë, quæ fluunt cum silentio, conuertunt in aquas contradictionis. Ostendit præterea, quo fine recipi debeat verbum Dei, vt, scilicet, per illud salutem animarum cōsequamur, poteſt enim saluare animas nostras. Hoc autē quod ait: insitum, dictum est per similitudinē ab insitione arborū, quæ in truncis siluestribus apertis inseruntur, & cum quadā lanugine, quę cortici arborū adhęret, trunco ligantur, per quā mansuetudinē intelligimus. Licèt autē truncus siluester sit, arbor tamen insita nō facit fructū siluestrem, sed naturalē. Virga enim insita truncum, quasi in naturā suam conuertit, vt faciat fructū bonū. Ita cor peccatoris, quod est siluestre dū à Deo recedit, quādo ad Dei verbū aperitur, & illud in se recipit, bonū fructum facere incipit, & quasi ad aliam naturam trahitur, dum verbo Dei conformatur. Vnde Apostolus ait: Commendo vos Deo, & verbo gratiæ eius. Verbum autem Dei arbori comparatur, cuius radix est in corde iusti, & vsque in cœlum porrigitur, vel verbum insitum dicitur Christus, qui per incarnationem insitus fuit, & plantatus tanquā lignū secus decursus aquarū. Aperiamus igitur cor nostrū, & suscipiamus verbū doctrinæ, vt inseratur & plātetur, & firmiter in cordibus nostris radicetur, ne forte nobis illud improperetur, verbum Dei habetis in codicibus nō in cordibus.

*Eccle. 7.*

*1. Reg. 3.*
*Iterum de ira per vitium.*
*Prouer. 28.*
*Gene. 4.*
*2. Reg. 14.*

*Isaiæ 42.*
*Quod ira multipliciter dicitur.*
*Prouer. 3.*
*Ex 70.*
*Sopho. 1.*
*Expositio literæ.*

*Lucæ 18.*
*Matth. 11.*
*Lucæ 10.*
*Isa. 8.*
*Num. 20.*
*De verbo insito.*
*Simile.*

*Actum 20.*

*Cōclusio cum morali instructione.*

De hac

De hac diuini verbi plantatione dicit Apostolus: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Et Ieremias ait: Plantabitis vineas in montibus Samariæ, plantantes plantabunt, & donec veniat tempus, non vindemiabunt. Samaria interpretatur custodia. In pastorali siquidem custodia non debet esse mons vnus, sed plures, vt habeant pastores vitam bonam & sufficientem scientiam, doctrinam sinceram, operationem sedulam, & curam diligentem. In his montibus boni prælati vineas plantant, id est, fideles animas verbo Dei radicant. Dum enim verbum Dei in cordibus audientium inseritur, in his montibus fideles plantantur: plantantes plantant, id est, plantantes bono verbo plantant, bono exemplo, non pro terreno lucro, vel aliquo temporali commodo. Non enim vindemiare volunt, donec veniat tempus, id est, æternæ retributionis Autumnus. In quo regnabunt cum Christo & Christus cum eis in secula seculorum, Amen.

*De plantatione verbi Dei.*
*1. Cor. 3.*
*Iere. 31.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Ioannem.

*Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis.*

*Ioan. 16.*

DOMINVS dicit in Euangelio, qui habet aures audiendi, audiat: Ex quo per consequens debet intelligi, vt qui habet os siue linguam loquendi, loquatur: Alioquin muta est eloquentia, quã ægra reprehendit conscientia: Maximè cùm in Leuitico præceptum sit vt os leprosi contegatur veste, ne halitu noxio vicina corrumpat, id est, qui spirituali lepra laborat, docere non præsumat. Qui enim dicit & non facit, est velut fatuus medicus, qui verbis & non operibus vult ægrotũ sanare. Frustra autẽ iactat legis notitiã, qui operibus destruit doctrinam. Qui enim bene docet, & malè viuit, & si linguam videatur offerre Deo, animam offert diabolo. Teste autem Isodoro, qui benè docet & malè viuit, seipsum occidit. Qui enim recta dicit & non agit, tanquam arcus prauus & dolosus sagittas in se retorquendo iacit. Melius siquidem docet vita quàm litera, melius docent opera quàm verba, melius fama bona quàm lingua. Cuius enim vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Vtrumque tamen necessariũ est doctori bona, scilicet, vita, & sana doctrina, vt tintinabula coniungantur malogranatis. Scriptum est enim in Ecclesiast. Splendidum in panibus benedicent labia multorum. Illum, scilicet, qui doctrinam suam splendidam reddit per bonam vitam. Et ideo non immeritò mihi timeo, qui cùm sim peccator, & loqui de Deo præsumo, & testamentum Dei per os meum pollutum assumo. De diuina autem clementia, & de vestris meritis & orationibus magis quàm de vita mea confido, vel de scientia quàm modicam in me non ignoro. Si enim Apostolus qui spiritu sancto erat repletus, pro se orare fecit, dicens ad Colossenses: Orate pro me, vt Deus aperiat mihi ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi, multò magis ego qui nihil sum, respectu illius, vestris indigeo orationibus? Teste enim Salomone, cum obsecrationibus loquitur pauper. Vnde cum ego tam vita quàm scientia pauper sum, vestris indigeo orationibus & obsecrationibus. Orate igitur Deum, vt peccatis meis non impedientibus verbum ipsius hodie fructificet in cordibus vestris, ad ipsius laudem & gloriam & animarum vestrarum salutem. Vado ad eum, qui misit me, Dominus noster Iesus Christus imminẽte sua passione, vt suos consolaretur discipulos, ne nimia absorberentur tristitia, hæc verba dixit eis, quos nouerat de absentia magistri fore conturbandos. Quantò enim magis diligebant præsentem, tantò de eius absentia magis dolebant, præsertim cùm nondum alium consolatorem haberent. Neque enim alium paracletum dederat illis, quandiu visibiliter fuit cum eis. Nullam autem iam habebant huius seculi consolationem, qui omnia pro Christo reliquerant, patres, scilicet, & matres, filios, & vxores, cognatos & amicos suos, & terrenas possessiones. Et quoniam quadum spiritus cõsolationis corda eorũ repleuerat, cõtristabantur matre recedente, paruuli, licet si paruuli à nutrice relinquebantur agni nouelli inter lupos, columbæ inter accipitres, quia non propter eorum commodũ mater recederet, vt, scilicet, filiis, & cibũ, & hospitiũ præpararet. Dolebant ipsum oculis carnalibus exterius subtrahi, cũ tamen ipsum melius interius essent visuri. Sicut autẽ in actibus Apost. legimus, dicente Paulo discipulis suis, quod amplius faciẽ eius nõ essent visuri, cõtristati sunt valdè & fleuerũt. Ita & Apost. dicẽte Christo. Vado ad eũ qui me misit, doluerũt & tristitia impleuit corda eorũ. Nondũ sciebãt cogitare futura quos delectabat præsentia, nec multũ curabant spiritualia, qui tantum attendebant carnalia. Verbo enim carne facto, quasi lacte contenti erant, & solidum cibum diuinitatis, non multum attendebant more infantium lac sine pane desiderantium. Lacte enim humanitatis, & dulcedine corporalis conuersationis, ita allecti erant, quod de diuinitate non multum curabant. Et idcirco, dum diceret Dominus eis: Vado ad eum qui me misit, contristati sunt valdè. Vado ad eum, qui misit me, id est, in proximo vadam moriendo, & per resurrectionem ad patris immortalitatem transeundo, & paulò pòst: ad cœlos ascendam. Ita autem apertè ascendam in cœlum coram oculis vestris, quod nulli ex vobis opus erit interrogare quò vadis. Nullis enim verbis quesierunt quò vadis, cùm ascenderet Dominus in cœlum coram ipsis, sed eum oculis deduxerunt, donec nubes excepit eum ab oculis eorum. Cùm autem de passione sua prius loqueretur, & dixisset: quò ego vado, non

*Matth. 11.*
*Leuit. 13. Quod nõ debet prædicare, qui negligit benè viuere.*
*Osee. 7.*
*Quod vita et doctrina sunt doctori necessaria.*
*Exod. 28.*
*Eccle. 31.*
*Coloss. 2.*
*2. Cor. 2. De tristitia Apostolorũ & quod Dominus cõsolatus est illos.*
*Matth. 19.*
*Actuum 9.*
*Quod Apostoli adhuc carnales erant et infirmi.*
*Heb. 5.*
*Actuum 1.*

vado, non poteſtis venire modò, Petro quærenti, Domine, quò vadis, reſpondit: Quò ego vado, non potes me modò ſequi, ſequeris autē poſteà: Quia paſſionis, mortiſque eius myſterium nondum intelligere poterant vel imitari. Maieſtatem verò aſcenſionis ſtatim, vt viderunt, cognouerunt, totiſque animi votis, vt ſequi poſſent, optabant. Vnde & Lucas ait. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalē cum gaudio magno. In eius igitur aſcenſione gauiſi ſunt. Imminente enim paſſione, quia triſtitia impleuerat corda eorum, & dolebant de proxima paſſione, conſolatur eos de ſpirituſſancti miſſione, qui paracletus dicitur, id eſt, conſolator. Et quia nondum ſpiritus ſancti conſolationē habebant, ne contriſtarentur, ſicut & cæteri, qui ſpē non habēt, conſolatur eos Dominus, dicēs: Expedit vobis vt ego vadā, quaſi diceret: Gaudere debetis de meo receſſu, quia ad vtilitatē veſtrā ego recedo, vt ſcilicet, ſpiritualiter iā me noſcatis, & carnaliteriā me noſſe deſiſtatis. Viſus enim internus melior eſt, quo eos cōſolaturus fuerat ſpiritus ſanctus. Vnde Apoſt. ait: Et ſi nouimus ſecundū carnem Chriſtū, ſed nunc iā non nouimus. Teſte autem Auguſt. etiam ipſam carnem Chriſti nō ſecundū carnē nouit, qui verbū carnem factū ſpiritualiter nouit. Quamdiu igitur carnē videbant, Chriſtum carnali affectu diligebant, & carnaliter cognoſcebant. Vnde expediens fuit, vt ipſe ab eis carnē ſubtraheret, & aſcendendo in cœlū deſideria eorū ſurſum traheret, & à carnali affectu ad ſpiritualē affectum eos perduceret. Propter hoc enim quibuſdā dicentibus, mater tua & fratres tui ſtant foris, volentes te videre, reſpondit mater mea & fratres mei, hi ſunt qui verbum Dei audiūt, ſicut dicitur in Luca: Sic enim oſtendit ſpiritualē affectum præponendū eſſe materno & fraterno affectui, quæ eſt ſecundū carnem, & religioſiores eſſe copulas mentiū, quā corporum. Quod etiā ipſe exemplo mōſtrauit, quādo Maria & Ioſeph ignorātibus, ipſe cùm annorū eſſet duodecim, remanſit in tēplo, in Hieruſalem vbi Doctores legis de ſcripturis ſacris differebant. Et in libro Regum legimus, quòd duæ vaccæ reclusis vitulis earum ibant in directum, trahentes arcā per viā, quæ ducit Betſamis: Mugiebant quidem, ſed colla non reflectebant, & non declinabant ad dexteram vel ad ſiniſtram. Betſamis domus Solis interpretatur: Si igitur ad æternī Solis habitationem tendimus, licèt mugiamus per cōpaſſionem, non tamen deuiare debemus per carnalē affectionem. Teſte enim Hiero. Facilè rumpit hæc vincula amor Chriſti, & timor gehennæ. Et iterum ait: Quanti monachi dum patri & matri miſerentur, ſuas animas perdiderunt: Propterea Dominus in hodierno Euang. ait: Si non abiero, Paracletus nō veniet ad vos, id eſt, ſi hanc carnalem dilectionē à vobis abiero non fecero, non eritis digni vt Paracletus in tanta effuſione & abundantia veniat ad vos. Potens enim erat manens in terra ſpiritum ſanctum dare, ſed illi non erant idonei accipere quouſque magis eſſent affecti in amplexanda eius diuinitate, & eum ſecundum carnem deſinerent noſſe. Dicit ergo, ſi non abiero, non veniet ad vos, quaſi dicat: Si carni, qua alui & educaui vos tanquam paruulos, carnaliter adhæſeritis, vt non deſinatis de me carnaliter ſentire, capaces ſpiritus non eritis. Nolo vt lacte carnis meæ cōtenti ſemper infantes eſſe cupiatis. Si alimenta tenera quibus vos alui, non ſubtraxero, ſolidum cibum non eſurietis: Si autem abiero, mittā eum ad vos, id eſt, ſi mētes veſtras à carnalitate abire fecero ſubtractione humanitatis meæ, vt amor meus arctius cordibus veſtris imprimatur, tunc mentibus veſtris anhelantibus & raptis ad cœleſtia aderit ſpiritus ſanctus, & momentāneos fletus veſtros æterno gaudio conſolabor, & efficiemini ſpirituales. Non enim oculis carnalibus, ſed credentium pectoribus ſeipſum erat inſurus. Non ſolum autem ſpiritus ſanctus, ſed tota trinitas deſcendit in eos plenius inhabitans, ſicut ſcriptum eſt: Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Eo igitur aſcendente, totum deſiderium ad eum ſurſum trāſtulerunt. Vbi enim amor, ibi oculus: vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Et ita ad percipiendam gratiam aptiores & capaciores facti ſunt. Non enim ſine ſpirituali conſolatione & gaudio ſancti ſpiritus, ad expugnandum principem huius mundi pergere debuerunt, nec cum triſtitia aut puſillanimitate. Quando enim duo ſunt pugiles, & vnus aduerſarium ſuum triſtem, & puſillanimem videt, minus timet. Nos autem exemplo diſcipulorum, Chriſti toto mentis deſiderio poſt Chriſtum ſuſpirare debemus, & ſpe promiſſionum Chriſti conſolationem, in hac præſenti miſeria recipere. Et quoniam ſcriptum eſt: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, inter ſpem & timorem ſemper ambulemus. Teſte enim beato Gregorio: ſi qua eſt lætitia præſentis temporis, ſic agenda eſt vt nunquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria. Et Iſidorus ait: Sic ſpes indulgentiæ erigat, vt metus gehennæ ſemper affligat. Ex vna igitur parte deſolationem, & timorem nobis incutiunt iudicis ſeueritas, propria fragilitas, redeundi ad patriam difficultas, diuinę iuſtitiæ diſtrictio, Dei omnipotentis terribilis comminatio, peccatorum noſtrorum magnitudo & multitudo. Ex alia parte multiplex eſt conſolatio, ſicut ſcriptum eſt: Conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Conſolationem enim præbent nobis Chriſti paſſio, Dei miſericordia, & multiplex eius promiſſio. Suſcepta pœnitentia peragenda vel paracta. Lachrymæ cum cordis contritione, ſanctorum orationes, & Eccleſiæ ſanctæ ſuffragia, virtus ſacramentorum, & opera bona. Conſolatur nos Chriſti paſſio. Non enim facilè nos deſeret qui tanto pretio animas noſtras emit Dei miſericordia, quia miſericors & miſerator Dominus, patiens & multum miſericors. Multiplex promiſſio. Ipſe enim ait: Quacunque horā ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et quia non permittet nos tentari ſupra id quod poſſumus. Suſcepta pœnitētia, quia pariter placent Deo pœnitentia peccatorum, &

*Lucæ 24.*

*1. Theſ. 4.*

*Quod ad vtilitatem eorū corporaliter receſſurus erat Dominus*

*2. Cor. 5.*

*Contra carnalem affectum.*

*Lucæ 8.*

*1. Reg. 6.*

*Expoſitio literæ.*

*Ioan. 14.*

*Quod Chriſto aſcendente facti ſunt idonei ad recipiendū ſpiritum ſanctum.*

*Matth. 6.*

*Lucæ 12.*

*De ſpe & tōſolatione, & de timore vt inter hæc ambulemus.*

*Prouer. 28.*

*De his quæ faciunt ad timorem.*

*De his quæ faciunt ad conſolationem.*

*Ezech. 18.*

*1. Cor. 10.*

rum,& fortia opera iuſtorum. Lachrymæ & cordis contritio. Quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Sanctorum orationes, ſcriptum eſt enim: Petite & accipietis. Suffragia Eccleſiæ, ſcriptum eſt enim: Frater fratrem adiuuans, quaſi ciuitas firma. Sacramenta Eccleſiæ. Quia Samaritanus noſter vulneribus ſauciatorũ infundit vinũ & oleum. Opera bona, ſcriptum eſt enim in Danièle: Redime eleëmoſynis peccata tua. Et in Apocalypſi: Opera eorum ſequuntur eos. Inter ſpem igitur & timorem, inter deſolationem & conſolationem, quaſi media & ſecura via ſemper gradiamur. Ne ergo deſperet mundus, dicit Dominus Spiritum ſanctum ſe miſſurum in mundum. Sed rurſus vt non præſumat mundus, vel ſecuritate torpeat, ait quod arguet mundum, id eſt, increpabit & reprehendet. Cùm venerit, inquit ille, Spiritus ſanctus, arguet mundũ de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. Arguet, ſcilicet, per vos, qui modò timidi eſtis, mundũ, id eſt, mundi amatores. Vnde & poſt miſsionẽ Spiritus ſancti, dixerunt Apoſtoli: Non poſſumus non loqui quę audiuimus & vidimus? Arguit mundum per eos, quia diffudit in cordibus eorum charitatem, vt timore depulſo, arguendi haberent libertatem, vbi enim ſpiritus Dei, ibi libertas. Non prohibebunt gladios ſuos à ſanguine, ſed ponet vir gladium ſuper fœmur ſuum, trãſeundo de porta ad portam. Vnde Dominus per Ieremiam: Nolite tacere ſuper iniquitatem Babylonis, quia tempus vltionis Domino. Et Apoſtolus ait: Argue, increpa, obſecra. Arguebant igitur mundũ Apoſtoli cum omni fiducia, excelſa voce dicẽtes maledictiones, ſicut in Deuter. præceptũ eſt Leuitis. Vnde & canes dicuntur ſancti, latrantes contra peccata, & arguentes peccatores, ſicut ſcriptum eſt: Lingua canum ex inimicis. Econtrà autem in Deuteronomio præcipitur, ne formidoloſi ad bellum procederent. Arguet igitur Spiritus ſanctus mundum per Apoſtolos. Quos autem vult argui, vult corrigi. Arguet mundum, vt deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint. Spiritu enim oris ſui interficiet impium, ſicut ſcriptum eſt: Verte impios, & non erunt. Quod ſi verti vel conuerti impij noluerint, arguet condemnando. Propterea Propheta ait: Domine, ne in furore tuo arguas me. Arguit enim Dominus in furore, non parcendo. Arguit in miſericordia, id eſt, redarguit caſtigando, ſicut ſcriptum eſt: Ego quos amo, arguo & caſtigo. Arguit præterea conuincendo, ſicut ſcriptum eſt: Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Quidam autem arguuntur & corriguntur. In quorum perſona Propheta ait: Corripiet me iuſtus in miſericordia. Et Salomon ait: Argue ſapientem, & diliget te. Quidam enim arguuntur, & contra ſtimulum calcitrando bis pungunt, & deteriores efficiuntur. Vnde Salomon ait: Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum. Qui enim cognoſcit quantum offenderit, tantò cum maiori patientia reprehenſionem ſuam tolerabit. Teſte enim Gregorio: Tantò quiſque ferrum Medici patitur, quantò putridum conſpicit eſſe quod ſecatur. Ergo qui meminit illicita ſe commiſiſſe, ſtudet ſe etiam à licitis abſtinere, & quando arguitur, cum omni humilitate ſuſtinere. Vnde Dominus per Naum ait: Increpans mare, id eſt, mundum, & exiccans illud à noxiis, ſcilicet, humoribus & amaritudine, quantum ad eos, qui dum arguuntur, emendantur. Arguit igitur Spiritus ſanctus mundum. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur de lapide luteo lapidandus eſt piger, id eſt, de cordis duritia & vitæ immunditia, eſt durè arguendus. Et Pſalmus ait: Increpaſti Gentes, & periit impius, ſcilicet, ab impietate ſe conuertit, & ita in eo quod impius periit. Et quoniam ſcriptum eſt: Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum, quomodo ſpiritum Dei haber, qui arguere non audet? Fiunt hodie abominabilia in Eccleſia Dei, & Phineës dormit, qui malè coëuntes pugione increpationis transfigere debuit, cùm dicat Apoſtolus: Peccantem coram omnibus, argue. Et iterum ait: Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes. Et in Leuitico dicitur: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. Et in Exodo dicitur: Non coques hœdum in lacte matris ſuæ, id eſt, non mollibus verbis peccatorem mulcebis, ſed aſperis increpabis. Quod tamen fieri debet modeſtè. Vnde in Eccleſiaſtico: Quàm bonum eſt arguere quàm iraſci. Legimus enim in plagis Ægypti, quod grando & ignis pariter mixta ferebantur. Grando enim increpationis debet eſſe cum igne charitatis. Arguit igitur Spiritus ſanctus mundum per Apoſtolos. Vnde in Apocalypſi Ioannes ait, quod accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus. Hic eſt Angelus magni conſilij, qui accepit thuribulum, id eſt, chorum Apoſtolorum, quem acceptabilem habuit. Apoſtoli autem thuribulo comparantur, propter ignem charitatis & thus orationum. Pleni enim fuetint igne ſancti Spiritus, & orationes eorum tanquam incenſum ſuperius aſcenderunt. Impleuit autẽ eos Chriſtus de igne altaris, id eſt, de eodem ſpiritu, quo ipſe repletus fuit, qui dicitur altare. Omnia enim ſacrificia noſtra ſuper ipſum debemus offerre, & ad ipſum referre. Et miſit in terrã. Quia ad prędicandum in omnem terram chorum Apoſtolorum direxit. Quibus prędicantibus facta ſunt tonitrua cõminationum, dum mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio arguerent, factæ ſunt etiam voces exhortationum & promiſsionum. Et fulgura, id eſt, coruſcationes miracorum. Et terræmotus, dum alij moti ſunt ad pœnitentiam, alij verò ad iram & perturbationem, alij moti ſunt ad credendum, alij ad perſequendum. Odor ſiquidem thuribuli factus eſt aliis odor vitæ in vitã, aliis odor mortis in mortẽ. Vnde & idem Ioánes ſubiungit, quod primò de ſeptem Angelis tuba canente facta eſt grãdo & ignis mixta in ſanguine, & miſſum eſt

*Ioan.16. Prouerb.18. Luc.10. Dan.4. Apoc.14.*

*Quod ſpiritus ſanctus mundum arguit.*

*Act.4. 2.Cor.3. Ierem.48. Exod.32. Ierem.51. 2.Tim.4. Deut.27. Iſa.11. 2.Theſſ.2. Prouer.7.*

*De multiplici arguitione.*

*Apoc.3. Prouerb.11.*

*De his qui arguũtur, & recalcitrant, & de his qui arguũtur et corriguntur.*

*Prouer.17. Naum 1. Eccleſ.22.*

*Cõtra eos qui arguere nolũt. Matth.18. Num.25. 1.Tim.5. Leuit.20. Exod.24.*

*Quod modeſta debet eſſe increpatio, & cũ charitate. Eccleſ.20. Exod.9. Apoc.16.*

*De thuribulo & igne altaris, & tonitruo, & vocibus, et fulgure ac terræmotu.*

*2.Cor.2. Apoc.8.*

in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne fe-
*De septē Angelis & tuba, grandine, igne ac sanguine.*
num viride combustum est. Per septem Angelos, vniuersitas prædicatorum intelligitur. Primus Angelus, id est, primus prædicatorum ordo, tuba cecinit, dum sonus prædicationis Apo stolorum in vniuersum mundum exiit. Et facta est grando comminationum, dum mundum arguerent & increparent. Et ignis, quia ignito eloquio mūdum inflammabant, & peccata con sumebant. Facta est etiam prædicatio Apostolorum aliis grando contundens, & cōterens qui bus videbatur grauis, aliis ignis succendens, quibus videbatur suauis. Grando autem & ignis in sanguine mixta dicuntur, propter flagellū persecutionis, & crudelitatē occisionis, dum san guis sanctorū ab impiis funderetur, & missum est in terra. Grando, scilicet, & ignis, id est, san ctorum prædicatio in vniuersam terram peruenit. Vel in terra, id est, in reprobis, terram sapien
*De cōbustione tertiæ partis terræ, & arborum, & de fœni combustione.*
tibus, quia prædicatio vel persecutio non nocet bonis, sed malis. Vnde & tertia pars terræ com busta esse dicitur, id est, à Deo excæcata, & ab eius ministris pluentibus super eos grandi nem & ignem consumpta. Duæ partes hominum in Ecclesia, sunt actiui & contemplatiui, vel perfecti & imperfecti, maiores, scilicet, & minores, quos sibi Deus assumit, quia pusillis cum maioribus benedicit. In tertia parte intelliguntur omnes reprobi, qui non sunt perfecti vel imperfecti: per tertiam partem arborum intelliguntur maiores in numero reproborum, qui se ad cœlum vsque erigere videbantur. Per fœnum verò viride omnes in flore & prosperitate mundi quiescentes, designantur. Multi enim qui fructificare videbantur, igne inextinguibili
*Matth. 3. Luc. 3.*
comburentur. Sic igitur Spiritus sanctus, postquam in sanctos Apostolos descendit, mun dum, id est, mundi amatores, per ipsos Apostolos arguit. Qui enim diligit mundum, teste Ioan
*1. Ioan. 2. 1. Ioan. 5. Ioan. 15. Ioan. 13.*
ne Apostolo, non est charitas patris in eo. De quo mundo idem Ioannes ait: Mundus in ma ligno positus est. Et in Euangelio Dominus ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Et iterum: Princeps mundi eiicietur foras. Nunc autem de quibus Spiritus sanctus mundum ar guit, videamus. Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. De pec
*Qualiter de peccato, & de iustitia, & de iudicio, mundus arguatur.*
cato, scilicet, quod habet de iustitia, quam non habet: de iudicio, quod non timet. Hoc est enim quod Spiritus sanctus exigit à mundo, vt peccatū non faciat, & iustitiam exerceat, id est, vt de clinet à malo, & faciat bonū. Sed quoniā timor omniū virtutum est custos, oportet non solùm quod sit iustus homo, sed insuper quod sit timoratus. Hæc est bona temperantia, & cōpetens animæ cōplexio, vt, scilicet, sit homo iustus & timoratus. Alioquin arguitur à Spiritu sancto de peccato, quod vitare negligit, & de iustitia quā facere cōtemnit, & de iudicio, quod nō metuit.
*De peccati arguitione. Marc. 16.*
De peccato quidem meritò mundus arguitur, maximè postquā nos Christus redemit, & gratiā remissionis peccatorū omnibus obtulit. Postquam sub generali edicto vbiq; clamatū est, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Meritò igitur arguitur, qui venire cōtemnit, qui pro
*Gen. 25.*
vili & modica voluptate vitam æternā amittit, qui pro lenticula rufa, id est, pro vana mūdi glo ria, dignitatē suam, more Esau, vendit. Beatus autem cui non imputauit Dominus peccatum,
*De triplici peccato mūdus arguitur, scilicet, de luxuria, auaritia, & superbia.*
vt de peccato à Domino non arguatur. Mundus autem vniuersaliter de triplici peccato argui tur. Teste enim beato Ioanne: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupi scentia oculorum, & superbia vitæ. Sub his enim tribus, omnia peccata continentur, id est, lu
*1. Ioan. 2. Exod. 11.*
xuria, auaritia, & superbia. Vnde de decima plaga Ægypti dicitur in Exodo, quod percusit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius: Ecce superbia. Vsq; ad primogenitum captiuæ, quę erat in carcere: Ecce auaritia. Et omne primogenitum iumētorum: Ecce luxuria. Ex his tribus primogenitis, tanquam principalibus,
*Act. 10.*
omnia alia peccata generantur. Et in vase quod vidit Petrus, sicut in actibus Apostolorū dici tur, erant volatilia: Ecce superbia. Et quadrupedia: Ecce auaritia. Et reptilia: Ecce luxuria, quæ
*Exod. 20.*
velut serpens lubricus hominē inuoluit. Et in Exod. dicitur: Non facies sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ in cœlo est desuper: Ecce superbia. Et quæ in terra deorsum: Ecce auaritia. Nec eorum quæ sunt sub aquis: Ecce luxuria, id est, non assimilaberis huiusmodi, nec sequeris
*Apoc. 16.*
imitando. Et in Apocalypsi vidit Ioannes tres spiritus immundos exire de ore draconis in modum ranarum. Ranæ garriunt & saliunt: Ecce superbia. Quietem tollunt: Ecce auari tia. Et in lutosis locis commorantur, & molles habent ventres: Ecce luxuria. Et in Iob
*Iob 40.*
dicitur, quod Leuiathan sub vmbra dormit: Ecce auaritia, quæ in rebus transitoriis quiescit. Dormit etiam in secreto calami: Ecce superbia, exterius nitens, sed interius vacua. Et in locis humentibus: Ecce luxuria. Arguit igitur spiritus per Apostolos mundum de hoc tri plici peccato. His enim tribus pestibus totus erat occupatus miser mundus. Conuersi sunt
*Osee 4.*
autem ad Dominum superbi, auari, & luxuriosi, sicut ipse per Osee prædixerat: In illa die percutiam fœdus cum bestia agri, & cum volucri cœli, & cum reptili terræ. Per bestiam agri intelligitur luxuria, quæ reddit hominem bestialem. Per volucrem cœli, superbia. Per re ptile terræ, auaritia. Qui autem huiusmodi sunt, & si ore Deum confitentur, operibus ne
*Expositio litteræ specialiter de peccato infidelitatis.*
gant, & pro infidelibus reputantur. Vnde specialiter ad peccatum infidelitatis refertur il lud quod Dominus subiungit: De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De hoc igitur specialem fecit mentionem, quia hoc manente, cætera manent: hoc discedente, cætera discedunt. Sicut enim fides mater est & fundamentum omnium virtutum, ita infidelitas om nium vitiorum. Non solū autem de maioribus peccatis, sed insuper de minoribus spiritus san ctus mundū arguet. Sicut enim radius Solis atomos manifestat, ita gratia spiritus sancti minuta

etiam peccata latere non sinit. Arguit præterea mundū de iustitia, non de iustitia sua, sed de iustitia, quam habere debuit & non habet. De iustitia etiam credentiū arguitur, sicut arguuntur à lumine tenebræ. Omnia enim quæ arguuntur, vt ait Apostolus, à luce manifestantur. Quantum enim sit malum eorum, qui non credunt, non solùm per seipsos, sed etiā ex bono eorū, qui credunt, manifestius apparet. Contraria enim ad seinuicem cōparata, amplius innotescunt. Hoc modo arguit pusillanimes, qui pœnitentiā agere nolunt, vel sanguinem pro Christo effundere, iustitia Agathæ & aliarū virginū, quę in sexu fragili viriliter martyriū sustinuerūt. Arguitur etiā mundus de iustitia Apostolica exuberāte, quam imitari cōtemnunt. Ipsa enim sanctorū cōparatio, reproborū est vituperatio. Vnde B. Iob ait: Instauras testes tuos cōtra me. Bona enim quæ facere ipsi negligimus, hæc ad correptionē nostrā ab aliis fieri demonstrat, vt qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur. Omnipotens enim Deus vbique oculis nostris, quos imitari debemus, obiicit. In fide lapsus est aliquis, aspiciat Petrum, qui amarè fleuit. Alius contra proximum malitia crudelitatis exarsit, aspiciat latronem, qui in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans, aliena diripuit, aspiciat Zachæum, qui, scilicet, quod alicui abstulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit, aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis igne diuini amoris excepit. Vbique igitur nobis occurrit superna medicina, quia & Deus dedit homini præcepta ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia ne desperet. Quia si perfectè peccatum lugeat, & sanctorum iustitiam imitetur, adhuc in maxilla Leuiathan foramen inuenit, vt euadat. Sumamus igitur exemplum à sanctis, qui totum mundum pedibus suis supponentes, quasi per scalam eleuati sunt, imò seipsos sub pedibus conculcantes corpus proprium, vt in cœlum ascenderent, animæ substrauerunt. Hi sunt quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt. Omnis autem iustitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in obliuionem coram Domino. De tepida dicitur: Quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo. De transitoria dicitur: Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ suæ, quas fecerat, non recordabuntur. De vendita dicitur: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. De qualibet autem istarum dicitur: Ego iustitias iudicabo. Huiusmodi enim iustitiæ arguuntur & condemnabuntur coram Domino. De iustitia autem falsa arguitur is, cui per Salomonem dicitur: Noli esse multum iustus. Sic tamen non arguitur iustitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui enim est multum iustus, ipso nimio fit iniustus. Multum enim se facit iustum, qui dicit se non habere peccatum, aut qui putat se sola voluntate sua sine gratia posse effici iustum. Vera autem iustitia in quinque principaliter consistit. Primum est, vt reddamus Deo, quod suum est, id est, amorem tanquam patri, timorem & reuerentiam tanquam Domino, nos & nostra tanquam creatori & redemptori nostro, quia bona temporalia nobis tribuit. Corpus autem & animam nostram redemit. Secundum est, vt reddamus proximo quod suum est, id est, vt neminem faciamus miserum, vel relinquamus miserum, quantum in nobis est. Tertium est, vt reddamus nobisipsis quod nostrum est, corpori nostro onus ne lasciuiat, stimulum ne acedia torpeat, opus vt sit vtile domino suo, pabulum ne deficiat. Similiter & animæ nostræ reddamus ius suum, vt corpus ei subiiciamus, & pabulo verbi Dei illam reficiamus, & saluti eius diligenter intendamus. Quartum est, vt reddamus mundo quod suum est, id est, odium & despectum. Quintum est, vt reddamus diabolo quod suum est. Ipse enim exactor durus, & fœnerator pessimus, monetam peccatorum nobis accōmodauit. Reddamus ei peccata sua, ne fortè dicatur de nobis: Mutuabitur peccator & non soluet. Si igitur hoc modo iusti fuerimus, de iustitia nō arguemur. Mundus autem de iustitia meritò arguitur, quia ad cœnā æternę refectionis, & ad nuptias spōsi vocatus, ire negligit, cùm iam plana sit via, aperta & trita, & tamen tot sanctorum milibus iam præcedentibus, sequi cōtemnit. Arguitur autem specialiter de iustitia fidei per dilectionē operantis. Fides enim totius iustitiæ nostræ mater est & stabile fundamentum. Vnde ad iustitiam fidei specialiter referri potest, quod Dominus ait: De iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. Stephanus enim & Paulus posteà ipsum viderūt, sed passibilē & mortalem non viderunt. Hæc est enim iustitia fidei Apostolorum, vt credant in eum, quem non vident. Fides enim est de non apparentibus. Quia igitur vox infidelium est, Quomodo credemus, quem non videmus? Ideo credentium iustitiam definiens, ait: Ad patrem vado, & iam non videbitis me. Credetis tamen in me, & per hanc fidei vestræ iustitiā mundus arguitur, quia iustitiam vestram non imitatur. Potest tamen hæc arguitio generaliter de qualibet parte iustitiæ Apostolorum intelligi sub hoc sensu. De iustitia verò, id est, de iustitia mundum arguet, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me, id est, carnis præsentiam à vobis subtraho, & spiritum consolationis vobis mitto, quo amplius in me credetis spiritualiter, atque magis ardenter me diligetis, & Spiritu sancto confirmati exemplum bonæ vitæ mundo ostendetis, & coram ipso miracula facietis, & tamen iustitiam vestram mundus contemnet imitari, & idcirco de iustitia vestra meritò arguetur. Non solùm autem de peccato & de iustitia, sed insuper de iudicio Spiritus sanctus arguet mundum. De iudicio, scilicet, quod nō timet cùm videat diabolum iam damnatum. Et per hoc complices eius damnandos esse intelligere debuit, & de sua damnatione timere. Vnde & Dominus ait: De iudicio autem, quia Princeps huius mundi iudicatus est, iudicio, scilicet, condemnationis, id est, foras missus, & iudicio ignis æterni

*Qualiter de iustitia mundus arguitur.* *Ephes. 5.*

*Iob 10.*

*Quod sanctorum exempla ad correptionē nobis proponuntur.* *Luc. 23.* *Luc. 22.* *Luc. 19.*

*Exech. 18.* *Matth. 6.* *Eccles. 7.*

*De vera iustitia & partibus eius.* *Malach. 1.*

*Luc. 14.* *Matth. 22.* *Gal. 5.*

*Expositio literæ specialiter de iustitia fidei.*

*Alia expositio generaliter de qualibet parte iustitiæ.*

*Qualiter de iudicio mundus arguitur.*

reseruatus. Per hoc igitur arguit spiritus sanctus mundũ, terrens illum supplicio diaboli, quasi dicat: Si illum secuti fueritis in culpa, sequemini in pœna. Beatus autẽ qui manus suas lauat in sanguine peccatoris. Est igitur diabolus iudicatus, id est, ex toto condemnatus. Aliter autẽ accipitur verbũ iudicãdi, cùm dicitur: Qui nõ credit, iam iudicatus est, id est, causam habet suæ condemnationis infidelitatẽ. Non enim cum illo agetur & disceptabitur, sicut cum illo qui Christi characterẽ habet. Nondũ tamẽ infideles penitus iudicati sunt iudicio cõdemnationis. De nemine enim quamdiu est in via, desperandum est. Meritò igitur arguitur, qui non timet dum attendit diuinæ iustitiæ seueritatem. Qui, teste B. Petro, peccantibus Angelis non pepercit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reseruari. Et originali mundo non pepercit, diluuium mundo impiorum inducens. Et ciuitates Sodomorum & Gomorreorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. Ecce qualiter per os Petri Spiritus sanctus arguit mundum de iudicio, quod non metuit. Si leo timet dum coram ipso catulus verberatur, quantò magis timere debet catulus dum coram ipso leo perimitur. Quid enim faciet virgula deserti, vbi concutitur, imò expellitur & condemnatur cedrus Paradisi? Nunquid seruus ignobilis à Rege captus valde trepidaret, si virum nobilem à Rege torqueri videret? Quis autem Lucifero nobilior, qui pro vno elationis peccato eiectus est à regno? Pestilente autem flagellato sapiens astutior erit. Econtrà teste Sapiente in Ecclesiastico: Cor nequam indurabitur doloribus, & adiiciet ad peccandum. Si enim interfectis primogenitis coëgerunt Ægyptij filios Israël de Ægypto exire, quantò magis interfectis illius primogeniti & dignioris inter alios Angelos, & mors potentium huius seculi compellere nos debent, vt timeamus, & de hoc seculo corde exeamus. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Noli esse sine metu, & non adiicias peccatum super peccatum, & dicas, Miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Quantò magis autem differtur iudicium reproborum, tantò grauius in fine punientur. Quantò enim arcus plus tenditur & chorda diutius trahitur, tantò cum maiori impetu sagitta emittitur. Vnde Gregorius ait: Plerunque iniqui se toties in peccatis suis à Deo videri non credunt, quoties inultè peccauerunt, quibus per quendam sapiẽtem dicitur: Ne dicas peccaui, & quid mihi accidit triste? Distinctus enim Iudex, quò tardius venit, eò seuerius percutit. Nihil autẽ difficile esset ad tolerandum in hoc seculo, si ex corde attenderemus & timeremus æternos cruciatos. Quicquid autem arridet animo de præsenti prosperitate, totũ amarescere debet ex ignis æterni cõsideratione: propterea, sicut dicitur in Apocaly. Angelus in Euphraten phialam effudit, id est, prædicator, diuitibus huius seculi, irã Dei vt timeãt, nuntiat. Simus igitur timorati, non securi in peccatis nostris, sicut hi, in quorum persona dicitur per Isaiã: Percussimus fœdus cum morte, & cũ inferno fecimus pactũ. Flagellũ mundans cùm transierit, nõ veniet super nos. Hi sunt homines desperati, qui dicunt se habere dæmones amicos, qui gloriãtur in malitia. De quibus in Eccles. dicitur: Qui iocundatur in malitia, deuorabitur. Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus interitus superueniet, & nõ effugiẽt. Vnde Isa. huiusmodi securè peccãtibus ait: Audi derelicta & quę habitas cõfidenter, quæ dicis in corde tuo, ego sum, & nõ est præter me altera: amplius nõ sedebo vidua, & ignorabo sterilitatẽ. Venient tibi subitò hæc duo in die vna, sterilitas & viduitas. Et B. Gregorius ait: Cùm ab authore relinquimur, destitutionis nostræ damna nõ sentimus. Quò enim longè nos Conditor deserit, eò mens nostra insensibilibus obdurescit, & quantũ lugẽda sit misera nõ agnoscit. Qui igitur irreuerẽter & securè peccãt, similes sunt leonibus, qui dimenti canem, & tamen cõcupiscenti prædam. Beatus autẽ homo, qui semper est pauidus. Timenti enim Deum, benè erit in extremis, sicut in Ecclesiastico dicitur. Et iterum: Timor Dei expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Teste autem Gregorio, Deum timere, est nulla bona quæ facienda sunt, præterire. Et Isidorus ait: Timor semper emũdat, timor expellit peccatum, timor reprimit vitium, timor cautum atque sollicitum facit hominem. Et iterum ait: Cùm mens secura redditur, in torpore animus laxatur. Quantò ergo sumus de præteritis securi, tantò simus solliciti de futuris. Simus prudentes & cauti sicut serpentes, vt more aspidis cauda, id est, timore finis nostri, incantatori nostro diabolo aures cordis obturemus. Teste enim Gregorio: In via Domini à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Vnde Salomon ait: In timore Domini & fiducia fortitudinis. Sicut enim in via seculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit. Et sicut in via seculi timor debilitatem, ita in via Domini timor fortitudinem gignit. Et iterum ait: Praua mens, si non priùs per timorem euertur, ab assuetis vitiis non emendatur. Timeamus igitur Deum, timeamus Dei iudicium, & mandata eius obseruemus, hoc est omnis homo. Timeamus & diligamus Deum, vt exultemus ei cum tremore, quia prope timentes eum salutare ipsius. Teste enim Isa: Timor Domini ipse est thesaurus salutis. Timor enim omnes virtutes custodit. Vnde Tobias filio suo ait: Habebis multa bona, si timueris Deum. Et Iob ait: Verebar omnia opera mea, sciens quòd nõ parceres delinquẽti. Teste enim Isa. A timore Domini cõcipimus, vt pariamus spiritũ salutis. Terra enim cordis humani vltrò fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica, sicut in Euangelio dicitur. Per herbam timorem, per spicam cordis contritionem, per frumentũ charitatẽ & bona opera intelligimus. Sancti ergo semper timent, & quasi in serenitate

Ioan. 3.

2. Pet. 2.

Cõtra hos qui timorem non habent.

Isa. 14.

Prouer. 19.

Eccles. 3.

Exod. 11.

Eccles. 5.

Contra securè peccantes.

Apoc. 16.

Isa. 28.

Eccles. 19.

Isa. 47.

Prouerb. 28.

Eccles. 1.

Matth. 11.

Prouerb. 14.

Isa. 33.

Tob. 4.

Iob 9.

Isa. 16.

Matth. 14.

serenitate gratiæ tempestatem iudicij cum tremore expectant. Amatores autē huius mundi, qui nō timent de iudicio, arguuntur vt timeant. Arguit igitur spiritus sanctus mundum de peccato quod habet. De peccato, scilicet, infidelitatis, specialiter exemplo fidelium. De iustitia, quam nō habet exemplo iustorum. De iudicio quod non timet exemplo damnatorum. Credamus igitur in Christum fide, quæ per dilectionem operatur, ei adhærentes, ne de infidelitate arguamur & condemnemur. Transeamus in consortium iustorum, ne de iustitia eorum arguamur, quos iustificatos non imitamur. Timeamus futurum iudicium, ne cum principe mundi iudicemur, si iudicatum imitemur. Si spiritus sanctus per sanctos Apostolos nos arguit, non calcitremus, sicut hi, de quibus in Ecclesiastico dicitur: Peccator homo vitabit correptionem. Sed cum Dei timore eorum disciplinam humiliter suscipiamus, & eis confidenter acquiescamus, quorum fides firma, & doctrina vera. Vnde Dominus in hodierno Euangelio ait: Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Credamus igitur spiritui veritatis, ne nos decipiat spiritus falsitatis & vanitatis. Spiritus siquidem veritatis à veritate procedens, & veritatem docens, in Apostolos descendit, vt mundum per ipsos arguerer, sicut ex supradictis patet. Descendit etiam, vt omnem veritatem Apostolos doceret, quam priùs non poterant capere pro infirmitate capacitatis humanæ. Propterea Dominus ait illis: Adhuc habeo vobis multa dicere, sed non potestis portare modò. Quæ nullus, scilicet, sufficit explicare nisi ego. Hæc sunt diuinæ sapientiæ arcana, quæ Christus post Spiritus sancti missionem ex parte docuit & reuelauit in via, plenius autem reuelabit in patria. Omnem autem veritatem docuit, vt comprehendantur genera singulorum, non singula generum. Veritatem, scilicet, viæ, & veritatem patriæ, veritatem cordis in recta intentione, veritatem oris in recta locutione, veritatem operis absque vana gloria & iniquitate. Omnem autem veritatem saluti necessariam docuit in via, sicut in Epistola canonica Ioannes ait: Vnctio docet de omnibus. Non quia Apostoli vel illi qui vnctionem spiritus habent, omnia sciant. Sed de omnibus docere dicitur, quæ necessaria sunt credentibus ad salutem. Omnem etiam veritatem docere dicitur, quia nulla nisi per eum docetur. Sicut Christus illuminare dicitur omnem hominem venientem in hunc mundum: quia nemo illuminatur, qui per ipsum non illuminatur. Missus est præterea spiritus, vt annuntiaret futura. Vnde Dominus ait: Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Nec tamen omnia ventura annuntiauit, sed illa quæ scire expedit. Licèt enim de aduentu Antichristi, & de signis iudicij, & de fine seculi, & de quibusdā aliis annuntiauerit, quādo tamen hæc cōtingerent non expresit. Sicut de morte nostra sumus certi, sed nō de mortis hora, vt semper nobis timeamus, & simus parati. Vnde ipse ait: Non est vestrū nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, id est, nō expedit vobis scire, vt semper vigilemus, quia qua hora venturus sit, ignoramus. Non solùm autē quæ ventura erant in tempore spiritussanctus docuit, sed magis quę ventura erant in æterna beatitudine. Missus est præterea Spiritussanctus, vt Christo testimoniū perhiberet. Vnde ipse ait: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Clarificatus est Christus per Spiritum sanctū, quia per ipsum mundo innotuit, vt vbiq; cognoscerent ipsum per Apostolorū prędicationem, per internā inspirationem, per miraculorū operationem, per visiones, somnia, & reuelationes, per meditationē, lectionem & orationē. His enim & aliis modis Spiritussanctus nobis loquitur, & per ipsum Christus & Christi veritas mundo annuntiatur. Dicitur autē Spiritussanctus spiritus veritatis, id est, Christi, qui est veritas. Ex quo patet, quod à Christo procedit, quod tamen negant Græci. Idem autē est Spiritui sancto loqui quod procedere. Vnde sicut non procedit à se, ita non loquitur à se, & hoc est quod Dominus in hodierno Euangelio ait: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur. Audire illius idem est quod scire: idem est illi scire & esse. A quo est illi essentia, ab illo est ei scientia & audientia. Propterea Dominus ait: Non loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet, loquetur. Audit autem à patre & filio, quia procedit à patre & filio. Processum autem eius à patre exprimit Christus, cùm ait: De meo accipiet, id est, à patre meo accipiet: & iterum quod dixerat plenius exponens, ait: Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod enim accepit spiritus à patre, accepit à filio. Nihil enim habet pater quod non habet filius. Eadem est essentia patris & filij, eadem natura, eadem bonitas, eadem iustitia. Et sic de omnibus aliis, quæ substantialiter dicuntur de Deo. Cùm autem idem sit iustitia quod bonitas, quod diuina natura, dicit tamen omnia propter nominum pluralitatem, non propter rerum diuersitatem. Omnia etiam mundana, quę sunt in cœlo & in terra, sicut sunt patris, ita sunt filij, sunt etiam spiritus sancti. Dicit igitur Christus: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: quasi dicat: Ille me clarificabit in vobis, quoniam æqualitatem meam cum patre vobis reuelabit, & per vos aliis annuntiabit. De meo accipiet, id est, de patre meo, à quo ego sum. De patre enim accipit spiritus, à quo accipit & filius. Gloriam igitur refert filius ad patrē, propter principij authoritatem. Ipse enim pater est principium sine principio, filius principium de principio. Alpha & Ω, principium & finis, à quo nos sumus, & ad quem nos tendimus, ad quem ipso duce peruenire valeamus, vt cum ipso, & per ipsum, & in ipso regnemus in secula seculorum, Amen.

*Breuis prædictorum recapitulatio.*

*Eccles. 32.*

*De spiritu veritatis & spiritu falsitatis, ac vanitatis.*

*1. Ioan. 2.*

*De multiplici veritate, & exponitur litera.*

*Ioan. 1.*

*Ad quid miserit Christus spiritū sanctū.*

*Quod diuersis modis clarificatus est Christus à spiritu sancto.*

*Quod spiritus sanctus procedit à Christo, & exponitur litera difficultatis.*

*Apoc. 22.*

# DOMINICA QVINTA, THEMA SVMPTVM EX ISAIA.

Isa.48. *Vocem iocunditatis annuntiate & audiatur, annuntiate vsque ad extremum terræ: Liberauit Dominus populum suum.*

Eccle.3. De lamentationibus, carmen, & væ.

TEMPVS flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus saltandi. Verba sunt Salamonis in Ecclesiaste. Vnde cùm à principio Septuagesimæ vsque ad gaudium resurrectionis Dominicæ in luctu continuo fuerit Ecclesia mater nostra, quæ adhuc peregrinatur in terris, recolendo lamentationes, & væ, reducens ad memoriam væ culpæ, & lamentationes laboris & pœnæ. Hoc Paschali tempore vsq; ad diem ascensionis, carmen cantat, recolendo gaudiũ nostræ liberationis, & vbiq; annuntiando, sicut scriptum est: Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus. Et iterum: Labia mea non prohibebo Domine, tu scisti. Circa hæc tria cantica vicissim occupatur tota vita Christiana. In libro enim memoriæ nostræ prædictas lectiones debemus semper legere & firmiter retinere. Vnde corã Ezechiële expansus est liber iste, in quo scriptæ erant lamentationes, carmen, & væ. Et nos cum omni diligentia & studio debemus in lege Domini meditari die ac nocte recolendo lamentationes huius præsentis miseriæ, carmen iocunditatis æternæ, væ damnationis sine fine, vt in die bonorum nõ simus immemores malorum. Et rursus in die peregrinationis nostræ, bona æterna habeamus in mente. Recolendo lamentationes, prouocamur ad cõpunctionem, ne cor nostrũ per obstinationẽ obduretur. Carmen memorãdo roboramur ad spẽ & consolationẽ, ne desperemus. Vę autẽ ad memoriã reuocãdo incutitur nobis timor, ne præsumamus, vel securitate torpeamus. Lamẽtationes recolebat Propheta Dauid, cùm dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et Apost. ait: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Carmen recolebat Dauid, cùm diceret: Transibo in locũ tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei. Et Apost. ait, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et iterum: Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem serui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in die illa iustus Iudex. Væ memorabat Propheta, cùm dicebat: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Hoc est væ culpæ. Similiter & væ pœnæ æternæ, cùm dicebat: Circundederunt me gemitus mortis, pericula inferni inuenerũt me. Similiter & Apostolus væ culpę recolebat, dicẽs: Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiã Dei. Et væ pœnæ æternæ, cùm dicebat: Castigo corpus meũ, & in seruitutẽ redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Non solùm autẽ sancti lamentationes, carmen, & væ, meditãdo cõmemorant, sed & aliis annuntiãt. In his enim tribus tota ferè diuina scriptura cõsistit. Annuntiãt sancti lamẽtationes. Vnde Iere. ait: Docete filias vestras lamentũ. Contrariũ autẽ faciunt quædã mulieres, quæ libentius docent filias suas cantilenas lasciuiæ ad vanitatẽ & luxuriã pertinentes. Audiant sancti carmen, vt incitent desiderium, & accendant charitatẽ per promissiones. Annuntiant væ doloris, & pœnæ gehennalis, vt timorẽ incutiant per cõminationes, propterea Psalmus ait: Filij qui nascentur & exurgent, enarrabunt filiis suis. Et iterũ: Deus, auribus nostris audiuimus, patres nostri annuntiauerũt nobis. Et Dominus per Isa. Clama, ne cesses. quasi dicat: Annuntia populo meo vocem lamentationis, vt pœniteant. Annuntia carmẽ siue vocẽ iocunditatis, vt consolationẽ recipiãt, & spiritualiter exultent. Annuntia væ, vt timeant, & peccare desistãt. Lamẽtationes annuntiat Isaias, cùm ait: Sume citharã, circui ciuitatẽ, meretrix obliuioni tradita. Loquitur ad animã peccatricem, admonendo vt sumat citharã confessionis, & plangat peccata sua, circumeundo ciuitatem animæ suæ, ne remaneat in illa aliquod peccatũ, quod nõ confiteatur & lugeat. Carmen annuntiat, cùm ait: In terra sua duplicia possidebunt, id est, duplicẽ stolam corporis & animæ, & lætitia sempiterna erit eis. Væ annuntiat, cùm ait: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Vermis malæ cõscientiæ remordentis, ignis flammæ succendẽtis & cremãtis reprobos sine fine. Lamentationes annuntiat Ieremias, cùm ait: Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectã. Hæc est via recta, lugere, scilicet, in amaritudine peccata sua, & quasi à specula circunspectionis, insidias diaboli vitare. Et in Baruch ait: Anima quę tristis est super magnitudine, scilicet, iniquitatis, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dabit gloriam & iustitiam Domino. Oculos deficientes habẽt, qui de se non præsumunt, quorum non sunt elati oculi per superbiam, sed in se debiles sunt, vt fortes sint in Domino. Anima esuriens dicitur, quæ bona spiritualia desiderat. Gloriam dat Domino, qui omnia bona sua attribuit Deo. Iustitiam dat Domino, qui contra flagella non murmurat, & se iustè affligi confitetur. Carmen annuntiat, cùm ait: Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vltra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum, ait Dominus. Et in Baruch ait: Exue te Hierusalem stola luctus & vexationis tuæ, & indue te decore & honore. Væ annuntiat, cùm ait: Sic conteram populum istum & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra restaurari. Hoc erit in iudicio, quando ciuitas reproborum conteretur, & non poterit restaurari,

Ezech.2. Rom.7. Philip.1. 2.Tim.4. De duplici væ, culpæ, & pœnæ. 1.Cor.15. 1.Cor.9. Quod aliis annuntiare debemus lamentationes, carmẽ, & væ. Ierem.9. Isa.58. Isa.32. Ierem.61. Ierem.66. Baruch 2. Ierem 31. Baruch 4.

staurari, quia nõ poterit à tormẽtis liberari. Lamẽtationes annũtiat Iob cùm ait: Anteq̃ comedam: suspiro. & quasi inundãtes aquę rugitus meus. Comedere, teste Grego. est cõtemplationis luce pasci, quod nõ habet, nisi qui priùs in hoc exilio, quasi vbi non sunt bona, gemit & suspirat ex desiderio. Rugitus autẽ pœnitẽtis aquę inundanti cõparatur, quę secũ trahit obstacula corporũ. Ita lachrymæ pœnitẽtium expellunt obstacula vitiorum. Carmen annuntiat, cùm ait: In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Per senarium præsens vita intelligitur, quæ sex ætatibus ab initio distinguitur per septinarium, ætas quiescẽtium post hanc vitam designatur. In sex igitur tribulationibus Deus nos liberat, ne in septima malũ tangat. Quia in præsenti vita, vt erudiat, flagellis & tribulationibus nos atterit, sed in die iudicij ab omni verbere & tribulatione nos liberabit, quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neq; dolor erit vltrà, quę prima abierunt. Væ annuntiat Iob, cùm ait: Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum. Arma ferrea, teste B. Gregorio, sunt necessitates vitæ præsentis, quæ durè premunt, & vitam inopis insequuntur. Ferro igitur necessitatis transitoria cõparantur, quia ferrum ærugo consumit. Ære quod difficilius consumi solet, sententia æterna designatur. Reprobi igitur dum præsentes necessitates metuendo, fugiunt æternam damnationem incurrunt. Annuntiant igitur sancti lamentationes, carmen & væ, & in his tribus lectionibus meditantur die ac nocte. Attendentes carmen cantant beati in patria: lamentationes quas cantãt exules in via: væ quod cantant damnati in pœna æterna. In præsenti etiã seculo carmen canunt, qui peccatorũ lapsum nõ sensẽrũt. Lamentationes canunt, qui per pœnitentiã surrexerunt. Væ canunt, qui peccant & pœnitere cõtemnunt. Væ cantant peccatores in Ægypto. Lamentationes cantant laborantes in deserto. Carmen cantant perfecti & contemplatiui viri in terra promissionis, quæ fluit lacte & melle. Ipsi enim lactei sunt & candidi per innocentiam & vitæ munditiam. Melliflui autem per spiritualem iocunditatem. Væ cantauit mundus ab initio, postquam peccauerant primi parentes vsque ad legem Mosaycam. Ex tunc vsq; ad Christi incarnationem cantauit lamentationes in his, qui cum lachrymis & desiderio aduentũ expectabant Saluatoris. Vnde & tractus in Quadragesima cantantur in signũ doloris. Qui enim dolent, vocem protrahere solent. Aduenientẽ autẽ Saluatore cœpit carmen cantare, agens gratias & laudans de sua reparatione. Vnde à principio Septuagesimæ inchoauit Ecclesia canticum suum, quasi à dolore & væ, peccatum primi parentis recolendo, & mundi damnationem in diluuio, postmodum subsecutæ sunt lamentationes, dum legimus in Ecclesia, in exitu filiorum Israël de Ægypto & labores in deserto, & ea quæ pertinent ad pœnitentiã, & insuper dum recitamus Christi passionem. Nunc autem in hoc Paschali gaudio tempus est, vt annuntiemus carmen & vocẽ iocunditatis, recolendo gaudium Dominicæ resurrectionis, & beneficia nostræ liberationis. Christus enim per crucẽ & mortem suam, nostrã mortẽ destruxit, & à morte resurgendo, vitam nostrã reparauit. Vnde gratias illi agere debemus, & alios ad laudandum inuitare, vt audiatur symphonia & chorus in filij prodigi reuersione, vt sit vox exultationis & confessionis in tabernaculis iustorum. Quod enim in aure cordis per inspirationem audiuimus super tecta, apertè, scilicet, & publicè aliis annuntiare debemus. Venite, inquit Propheta, audite & narrabo omnes qui timetis Deum. Et iterum ait: Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius. Et in Tobia dicitur: Opera Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Non igitur talentum tanti beneficij debemus abscondere, ne nobis auferatur pro ingratitudine. Vnde Apostolus ait: Spiritum nolite extinguere, id est, spiritus sancti benignitatem, & dona, quæ ab illo habetis, nolite suppremere. Vnde secundum aliam literam ibi habetur, Gratias nolite celare. Teste enim Sapiente in Ecclesiastico: Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ in sepulchro. Huiusmodi enim epulæ mortuis non prosunt. Propterea Dominus ait: Quod dico vobis in tenebris, id est, in arcano cordis, dicite in lumine, id est, apertè in Ecclesia prædicate: nihil sit occultum quod non reueletur, ne manna reseruatum computrescat. Vnde in Deuteronomio Moyses ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis, populos vocabunt ad montem, ibi immolabũt victimas iustitiæ, qui inundationes maris, quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarũ. Zabulon interpretatur tabernaculũ fortitudinis, & signat sanctos fortes in opere. Lætantur autem sancti viri in exitu suo, id est, in operis exercitio, dum ea, quæ habent in mente, exterius ostendunt in voce vel ópere, vt per eos Deus glorificetur. Lætantur igitur in exitu & in tabernaculis suis, lætantur in actiua, lætantur in contemplatiua. Populos autem vocant ad montem, id est, ad Christum, & ad vitæ præeminentiam. Vnde Isaias ait: Venite ascendamus ad montem Domini. Ibi victimas iustitiæ immolant, dum fideles ad gratiarum actionem, & vt Deo reddant quod suum est, inuitant. Inundationes maris, quasi lac sugunt, dum multitudinẽ Gentium cum magno desiderio Christo incorporãt. Thesauros etiã arenarũ absconditos, id est, prædestinatos & electos in thesauros Ecclesiæ transtulerũt. Qui enim priùs infructuosi, postmodũ pretiosi facti sunt. Non solũ igitur sancti salutẽ suam procurauerũt, sed de aliorũ salute solliciti, aliis vocem iocunditatis & salutis annuntiauerunt, sicut specialiter de Apostolis scriptum est: Annuntiauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. De his etiam in Canticis dicitur: Facies tua decora, & eloquium tuum dulce. Aliter enim eloquium non placet Christo, nec potest esse dulce, nisi decora sit facies animæ.

*Iob 3.*

*Apoc. 21.*

*Iob 20.*

*De lamẽtationibus & carmine. & væ, huius seculi. Alia expositio.*

*Exod. 3. Thren. 3.*

*De tripliti cantu in triplici tẽpore.*

*De voce iocunditatis quã debemus cantare & aliis annuntiare in hoc Paschali tempore.*

*Luc. 15. Matth. 10. Luc. 12.*

*Tob. 9.*

*1. Thes. 5.*

*Eccles. 30. Matth. 10. Mar. 4. Luc. 12. Exod. 16. Deut. 33.*

*Isa. 2.*

*Cant. 2. Quod non debent aliis vocem iocũditatis annũtiare, qui sunt in peccatorum amaritudine.*

Eccles.13. Iud.14. Amarum enim os mel spuere non potest, nec est speciosa laus in ore peccatorum, sicut scriptum est in libro Iudicum: De comedente exiit dulcedo. Quod fit quando is, qui priùs benè operatur, alios ad benè operandum inuitat, vt cortina cortinam trahat. Vnde & per Isaiam Dominus ait: Laude mea infrænabo te, ne intereas. Qui enim Deum laudare vult ad salutem animæ suæ, non currat passim per per campos licentiæ, sed sicut gallus priùs seipsum alis verberat, quàm cantet vel alios excitet. Ita qui aliis vocem iocunditatis dignè annuntiare desiderant, quicquid in se corrigendum est, priùs corrigãt, & tunc aliis annuntient. Beati enim qui seminant super aquas multas. Quia anima quæ benedicit, benedicetur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Vnde Psalmus ait: Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum, id est, Christum, qui iustitia est & salus omni credenti. Cœli enim, id est, viri spirituales, enarrent gloriam Dei, narrantes laudem Domini, & virtutes eius, & mirabilia quæ fecit. Annuntiauerunt enim cœli iustitiam eius populo qui nascetur. Sanato siquidem dęmoniaco, dicit ei Christus: Vade, & annuntia quanta tibi fecit Dominus. Vnde mulier Samaritana cucurrit in ciuitatem, verba Christi nuntiare, & alios ad Christum adducere. Et de Andrea legimus, quod adduxit Petrum ad Christum: & Philippus Nathaëlem. Paulus etiam in carcere reclusus, prædicabat. Quid igitur de illis, qui cùm liberi sint, veritatem Dei in iniustitia detinent, & alios docere non curant, nec cùm Propheta dicere valent: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Quid autem prodest clauis aurea scientiæ, si non referat? Quid obest clauis lignea, si aperiat? dum tamen ita Deum habeamus in sermonibus, quod ipsum habeamus in moribus. Discipulis autem transeuntibus per sata, legimus quod spicas euellebant in Sabbato confricabant & manducabant. Spicas à terra euellunt, qui mentes audientium verbum Dei nuntiando ab amore terrenorum diuidunt. Spicas fricant, dum eas à palea vitæ veteris spoliant. Grana manducantur, dum Ecclesiæ incorporantur. Et hoc in Sabbato faciunt, dum à terrenis vacantes, spiritualibus intendunt. Lucerna igitur verbi Dei, non debet sub modio abscondi. Vnde & in actibus Apostolorũ, Apostolus discipulis suis ait: Cõtestor vos hodierna die, quoniam mundus sum à sanguine omnium vestrûm. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Et Ieremias ait: Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput Gentium, id est, audacter annuntiate, non metuatis capita populorum, id est, huius mundi potentes. Et beatus Iacobus ait: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animã eius à morte, & operit multitudinẽ peccatorum. Vnde Dominus Ezech. ait: Sume laterem, & pones coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, id est, gaudia ciuitatis supernæ. Hæc est similis vitro mundo, sicut dicitur in Apocalypsi: Omnia enim peruia sunt visui, vbi vnus videt conscientiam alterius. Hanc ciuitatem in cordibus audientium Ieremias describere intendebat, cùm ait: Recordamini procul, & Hierusalem ascendat super cor vestrum. Et Isaias cùm ait: Lætamini cum Hierusalem, quia declinaui super eam fluuium pacis. Non solùm autem Apostoli & Prophetæ sancti laudant, & aliis vocem iocunditatis annuntiant, sed Dominus mutum curauit, & os asinæ aperuit, quia Gentilitas laudat, & aliis vocem iocunditatis annuntiat. Laudemus & nos Dominum ad imitationem sanctorum, & aliis vocem iocunditatis annuntiemus: Hyems enim abiit & recessit. hyems, scilicet, torporis & infidelitatis, erroris & horroris. Flores virtutum apparuerunt in terra Ecclesiæ, Domino à mortuis resurgente, & Austro per vniuersum mundum flante. Audiatur igitur vox turturis in terra nostra. Vox animæ exultantis & laudantis, gratiarum actio & vox laudis. Liberauit enim Dominus populum suum. Liberauit docendo & prædicando, liberauit exempla sanctæ conuersationis præbendo, liberauit miracula faciendo, liberauit patiendo, & in cruce moriendo, liberauit portas inferni confringendo, liberauit à morte resurgendo, liberauit Spiritum sanctum tribuendo, liberauit Apostolos in omnem terram mittendo, liberat quotidie inspirando, peccata remittendo, ad pœnitentiam conuertendo. Liberat à temporali pœna, sicut scriptum est: Liberasti nos de affligentibus nos. Liberat à culpa, sicut scriptum est: Si ergo filius vos liberauerit: verè liberi eritis. Liberat à pœna æterna, sicut scriptum est: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Vocem igitur iocunditatis annuntiemus, & tanta Christi beneficia enarret omnis Ecclesia sanctorum. Vox iocunditatis: Quotiescunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Vox iocunditatis: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Vox iocunditatis: Hodie mecum eris in Paradiso. Vox iocunditatis: Pro nihilo saluos facies illos. Vox iocunditatis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vox iocunditatis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Vox iocunditatis: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Vox iocunditatis: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Vox iocunditatis Christo nato: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vox iocunditatis: Resurrexi, & adhuc tecum sum, Vox iocunditatis: Pax vobis, ego sum. Vox iocunditatis: Vado parare vobis locum. Vox iocunditatis: Petite & accipietis. Vox iocunditatis: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Vox iocunditatis: Mittam vobis spiritum paracletũ. Vox iocunditatis: Leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Vox iocunditatis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis. Ecce quanta abundantia benedictionis, quanta copia exultationis & laudis. Igitur qui reminiscimini Domini, ne taceatis, sed qui audit,

Exod.26. Isa.48.

Isa.32. Prouer.11.

Matth.5. Luc.8. Ioan.4. Ioan.1. Act.16. Rom.1.

Contra illos qui Dei veritatem annuntiare contemnunt.

Matth.12. Marc.2. Luc.6. Matth.5. Mar.4. Luc.11. Act.20.

Ierem.31.

Iacob.5.

Ezech.4. Apoc.21.

Ierem.51. Isa.65.

Matth.7. Luc 11. Num.22. Cant.2.

Isa.51.

De multiplici libertate.

Ioan.8.

De multiplici voce iocunditatis.

Eccles.31. Ezech.18. Ezech.34. Luc.23. Mar.16. Matth.11.

Isa.9. Luc.2. Ioan.20. Ioan.14. Ioan.16. Luc.21.

Matth.25. Isa.62.

audit, dicat, veni, & cortina cortinam trahat. Miseri enim & exules valdè gaudent, & magnam consolationem recipiunt, quando de liberatione sua iocundos rumores audiunt. Gaudere igitur nos oportet his diebus nostræ liberationis, vt holocaustum nostrum pingue fiat, sicut scriptum est: Holocausta medullata offeram, id est, meipsum cum medulla intimæ dilectionis. Gaudeamus igitur in Domino mala nostra, in quibus fuimus, & à quibus liberati sumus, recolendo. Teste enim Gregorio, plerumque incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos sine dolore reducimus, & quo ęgros nos fuisse recolimus, eo de incolumitate plus Deum laudamus. Dum autem doloris sui animus sine dolore reminiscitur, & debitorem se medico seuerius intelligit & magis acceptam salutem diligit. Annuntiemus igitur ex corde iocundo vocem iocunditatis, qui toties annuntiauimus vocem peruersitatis & secularis vanitatis. Tunc enim infernus reddit mortuos, quando, qui animas peruertit conuersus ad Dominũ, alios conuertit & damnum Domino restituit. Vocem iocunditatis annuntiate & audiatur. Infelix est miser & miserabilis, qui vocem tantæ iocunditatis audire contemnit, cui diabolus aurem cordis obturat & claudit. Furor illi secundum similitudinem serpentis obturãtis aures suas, cauda autem carnalis voluptatis & terra mundanæ cupiditatis, ne audiat vocem tantæ suauitatis. Sicut autem qui percussus est paralisi, nihil sentit, ita qui absorptus est luto libidinis, vel fouea terrenæ cupiditatis, vocem iocunditatis cordis auribus non percipit. De hoc autem Dominus per Zachariam ait: Sicut non audierunt, sic non clamabunt, & non exaudiam. Et per Isaiam: Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis. De his autem qui audire nolunt Psalmus ait: Noluit intelligere, vt bene ageret. Et Ieremias ait: Ecce incircũcisæ aures eorum, & audire non possunt. Et Apostolus ait: A veritate quidem auditum auertent, & ad fabulas conuertentur. Et Dominus in Euangelio: Quare loquelam meam non cognoscitis, quia non potestis audire sermonem meum. Et iterum: Oues meæ vocem meam audiunt. Et in Parabolis dicitur: Qui obturat aurem suam ne audiat legem eius, oratio erit execrabilis. Timeãt igitur isti, ne post multas vocationes & citationes dies eis peremptoria assignetur, in qua in corpore & anima moriantur seu perimantur. Vasthi enim regina repudiata est, & regnum amisit, quia ad cõuiuium magni regis Assueri venire contempsit, frater maior qui erat in agro, audita voce symphoniæ, intrare renuit, sed magis hędum concupiens cum amicis suis dæmonibus manducare voluit. Audiamus igitur auribus cordis, de quibus Dominus ait: Qui habet aures audiendi, audiat. Et Propheta ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Qui enim ex Deo est, verba Dei audit. Vnde Sapiens in Ecclesiastico ait: Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientum, & in prouerbiis illorum conuersare. Et Dominus per Prophetam: Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, scilicet, cordis, inclina per obedientiam. Teste enim Sapiente in Ecclesiastico. Qui obedit Patri, id est, Deo præcipienti, refrigerat matrem suam, id est, Ecclesiam. Populus quem non cognoui, ait Dominus, credidit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Hic est populus gentilium, cui Dominus reuelauit aurem cordis, dum surdos fecit audire, & mutos loqui.

*Apoc. 2.*

*Apoc. 20.*

*Contrà illos qui vocem iocunditatis audire nolunt.*

*Similes.*

*Zach. 7.*

*Isaiæ 1.*

*Iere. 6.*

*2. Tim. 4.*

*Ioan. 8.*

*Ioan. 10.*

*Prouer. 28.*

*Hester. 2.*

*Luc. 14.*

*Matth. 11.*

*Ioan. 8.*

*Eccle. 8.*

*Eccle. 3.*

*Mar. 7.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Epistola Beati Iacobi.

*Iacob. 1.*

*Estote autem factores verbi: & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.*

*Quod in audiendo et in operando ex maiori parte consistit religio Christiana.*

IN duobus principaliter consistit Christiana religio, In audiendo, scilicet, & operando. Fides enim, teste Apostolo, est ex auditu: fides autem sine operibus mortua est. Oportet igitur Christianum audire, & bona opera facere. Et ita auditus, ex quo fides est & bonum opus exiguntur ad hoc quod aliquis sit verè religiosus. Vnde prima parte hodiernæ Epistolæ ostendit beatus Iacobus, quod audire & nõ operari non sufficit ad salutem. Propterea ipse ait: Estote factores verbi & non auditores tantùm: fallentes vosmetipsos. Tandem ostendit in quibus consistat religio, scilicet, in declinando à malo & faciendo bonum. A malo autem declinat homo, dum custodit se immaculatum ab hoc seculo. Bonum autem specialiter agit misericordiæ opera exercendo, dum visitat pupillos & viduas in necessitatibus eorum. Et hanc operis religionem ostendit in fine Epistolæ, vbi ait: Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. In audiendo igitur & operando homo religiosus efficitur. Ad hoc tamen, vt perfectè sit religiosus, oportet quod cautus sit in loquendo, & cum omni moderamine & circumspectione os suum studeat custodire. Quia qui custodit os suum, custodit animam suam. Si quis enim putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Primò igitur ostendit, quod non sufficit audire, nisi bene operari studeamus. Estote, inquit, factores verbi, & non auditores tantùm: fallantes vosmetipsos. Si putatis, scilicet, per solum auditum vos saluos esse. Teste enim Apostolo Paulo: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Beati enim qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Audiunt aure cordis intelligendo, custodiunt retinendo & operando, vt memores sint mandatorum ipsius ad faciendum ea. Aliter enim non prodest bonum in memoria retinere, imò magis obest. Quia seruus sciens voluntatem domini, & non faciens, vapulabit multis. Melius enim est viam Domi-

*Prouer. 13.*

*Quod non sufficit auditus vel scientia sine operibus.*

*Luc. 11.*

*Luc. 12.*

*Actuum 1. Parab. 11.*

ni non agnouisse, quàm post agnitã retroire. Intellectus enim legis bonus est omnibus facientibus eum. Vnde de Domino dicitur: Cœpit Iesus facere & docere. Et Salomon ait: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Pulchra docendo vel audiendo, fatua malè viuendo. Qui enim nõ facit quod audit vel prædicat, ieiunus fert quod alius mãducat. Sicut enim fauus mellis dulcior est comedenti quàm intuenti. Sic sermo dominicus dulcior est operanti quàm audienti. Vnde beatus Iob ait: Nónne auris mea diiudicat, & fauces comedentis saporem? Aliud est enim aliquid de Deo audire, aliud est id quod auditur opere adimplendo gustare. Vnde beatus Gregorius ait: Qui mandata eius memoria retinet, sed nequaquam facit, hic in doctrinæ verbis sententias quibus damnetur, tenet. Vnde in Zacharia dicitur: Video volumen volans, & dixit Angelus ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super vniuersam faciem terræ. Volumen volans est sacra scriptura, quæ mentem ad superiora leuat. Et quia sacra eloquitur ad damnationem, sunt eis qui illa scire nolunt, vel cognita contemnunt: rectè dicitur. Hæc est maledictio, quæ egreditur super vniuersam faciem terræ. Sicut autem cribrum in aqua plenum videtur, post quam autem extractum fuerit, vacuum reperitur, ita cor fatui, dum verbum Dei audit, plenum videtur. Ipso autem recedente, vacuum apparet, quia nec benè operatur, nec verbum auditum retinet. Est enim velut asinus ad lyram, qui verbum Dei audit, & libenter auscultat, sed postmodum male viuendo sub pedibus conculcat. Vnde Ezechiel ait: Audiunt sermones tuos, & non faciunt: in canticum oris sui, vertunt illos, & est eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulciq́ue sono canitur. Et Sophonias ait: Disperierunt omnes inuoluti argento, hi, scilicet, qui eloquiis diuinis non interiori refectione se replent, sed exteriorè ostentione se vestiunt. Maledictus autem qui gladium suum prohibet à sanguine, id est, qui per verbum Dei sanguinem peccatorum suorum contemnunt effundere, vel carnem suam macerare. Qui enim verbum Dei audiunt & non faciunt, similes sunt illis, qui gesta proborum militum libenter auscultant, illos tamen imitari non curant. Teste enim beato Iacobo: Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro considerãti vultum natiuitatis suæ in speculo. In speculo siquidem materiali nõ ipsam rem, sed rei vmbram vel imaginem intuemur. Pari modo, qui speculum diuinæ scripturæ inspicit, & operari negligit, vmbram tantum habet verborum, sed non corpus operum. Diuina autem scriptura speculo comparatur, in qua contemplari debet homo vultum natiuitatis suæ, quem, scilicet, habet à natura statum, scilicet, miseriæ, & fragilitatis humanæ. Cuius conceptio, culpa nasci pœna, labor vita, necesse mori. Qui pronus est ad lapsum, difficilis ad resurgendum. Natus de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miseriis: qui quasi flos egreditur & conteritur, & nunquam in eodẽ statu permanet. Nõ solum autem inspicere debemus, in speculo scripturarum vultũ natiuitatis nostræ secundũ carnem, sed qualiter nati sumus, prima natiuitate in paradiso, in Adã, quẽ fecit Dominus ad imaginẽ & similitudinem suã. Qualiter etiã nati sumus Deo per gratiã in baptismo, & qualiter nascituri sumus cœlo, in regeneratione, scilicet, cũ sederit filius hominis, & reformabit corpus humilitatis nostrę, configuratũ corpori claritatis suę. Hoc igitur speculũ, id est, diuina scriptura, & os Domini quod semper interrogare debemus, vt sciamus qualiter ambulare debeamus, qualiter scilicet, deo bemus operari, qua via incedere, quę sint pericula & impedimẽta huius vię, quã districtè punie mur, si negligamus bene operari. Quã beati erimus, si bona agẽtes vsq; in finẽ perseueremus, & alia quę ad salutẽ animarum nostrarũ sunt necessaria. Sicut autẽ mulier prospicit in speculo, vt ornet se, & placeat viro suo, sic in hoc seculo intueri debemus, vt bonis spiritualibus exornati Christo placeamus, si quã autẽ maculam in nobis reperiamus, statim abluamus. Nõ solũ autem diuina scriptura speculũ dicitur, sed & fides Christi. Vnde Apost. Videmus nũc per speculum in ęnigmate. Et exẽpla sanctorũ dicuntur speculũ. In quo consideramus formã cui conformemur. Vnde Iere. ait: State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Speculum etiã dicitur mundus iste, vel creaturæ huius mundi, in quibus cõsideramus potentiã & sapientiã, & bonitatẽ artificis. Vnde Apost. ad Romanos ait: Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciuntur. Speculum etiã dicitur sepulchra mortuorũ, quę frequenter debemus inspicere. Vnde & in Ecclesiaste Salomon ait: Cor sapientium vbi tristitia. Et iterum: Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorũ admonetur hominum: & viuens cogitat, quid futurus sit. Speculum etiam dicitur humanæ fragilitatis miseria, in quo frequenter debemus inspicere. Vnde Ierem. dictum est: Surge, & descende in domum figuli, id est, humiliare, fragilitatem humanam intuendo. Et iterũ: Vade, & accipe lagunculã figuli testeã, & de senioribus populi, & de senioribus sacerdotum, & egredere ad vallem filij Ennon, quæ est iuxta introitũ portę fictilis. Ire est in bonis proficere: Accipere lagunculam figuli testeam, est considerare humanæ fragilitatis conditionẽ, quæ bene apparet in morte seniorum populi, id est, principum huius seculi, & seniorum sacerdotum, id est, maiorum prælatorum. Ennon interpretatur fons tristitiæ. Vnde & filius Ennon dicitur homo variis incõmodis, & tribulationibus repletus in hoc seculo. Vallis autẽ filij Ennon est mũdus iste, vallis, scilicet, siluestris. In qua sunt multi putei bituminis. Ad hanc vallẽ egrediuntur, dum à tumultu malarũ cogitationũ semoti, mala mundi huius cõsideramus. Introitus portę fictilis est ingressus nostrę miserę natiuitatis, iuxta quẽ est vallis Ennon, quæ cũ homine nascẽte nascitur miseria illius, & ingressum illius in hunc mundũ multiplex miseria comitatur.

*Iob 12.*

*Zach. 5.*

*Ezech. 34.*

*Sopho. 1. Iere. 48.*

*De speculo multiplici.*

*De speculo diuinæ scripturæ.*

*Iob. 14.*

*Gene. 1. De multiplici vultu natiuitatis. Matth. 19. Phil. 3. Isaiæ 30.*

*De speculo fidei. 1. Cor. 13. De speculo boni exempli. Iere. 6. De speculo huius mundi. Rom. 1. De speculo sepulchrorum mortuorum. Eccle. 7. De speculo fragilitatis humanæ. Iere. 18. Iere. 19.*

In his

In his igitur speculis vultum natiuitatis nostræ, statum, scilicet, & modum conditionis humanæ diligenter debemus considerare & imprimere memoriæ nostræ. Homo enim sanctus in sapientia permanet sicut Sol, stultus vt luna mutatur. Considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Huiusmodi autem viro stulto, & instabili comparatur, teste Iacobo, auditor verbi & non factor, qui ad tempus credit, & in tempore tribulationis recedit. Quando Dei verbum audit, compungitur, sed citò compunctionis obliuiscitur, hic est qui libenter audit & facere negligit, asinus ad lyram obliuiosus & brutalis ad doctrinam. His autem Psalmus loquitur, dicens: Intelligite qui obliuiscimini Deum. Et de seipso idem Propheta ait: Non obliscar sermones tuos. Et iterum: In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. De his autem qui ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt, dicitur in Prouerbiis: Quasi tempestas transiens, non erit impius. Et in Euangelio Dominus ait: Omnis qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & cecidit. Per pluuiam carnis tentatio, per flumina mundana persecutio, per ventos diabolica suggestio intelligitur. Econtra autem beatus Iob de se ait: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, & iustificationem, quam cœpi, non deseram. Et iterum ait: Quis mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum ipse audeat, & librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & quasi principi offeram illum? Librum in humeris portare est, scripturam sacram operãdo perficere. Si autem bene portatur in opere, postmodum corona victoriæ exhibebitur in remuneratione. Et quia viribus suis ad hoc homo non peruenit, Christum adiutorem quærit, qui in corde suo librum scribat, & memoriæ imprimat, vt mandata diligendo illa implere valeat. Redemptor autem noster, quandoque erit author iudicij, qui nunc est conditor libri, vt exigat districtus, quod nunc iubet mansuetus. Per singulos autem gradus lib[…]brum pronunciat, qui per singula virtutum incrementa libri sententiam se præcepisse, non tam verbis, quàm operibus demonstrat. Principi autem suo librum offert, qui ad Christum tam sententiam suam, quàm operationem refert. Vel secundum Gregorium: quia quod offerimus, manu tenemus, venienti ad iudicium librum offerre, est verba præceptorum eius in actione tenuisse. De his igitur, qui librum in humeros portant, & quod audiunt, operibus implent, subiungit beatus Iacobus: Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Legem perfectæ libertatis appellat Euangelium Christi, quod perfectè liberos facit à timore seruituris, & perfectè liberat à seruitute timoris, quem lex Mosayca incutiebat. Charitas autem Euangelij huiusmodi timorẽ foràs mittit. Qui igitur in hac lege perspexerit, id est, tota dilectione cognoscere studuerit, & permanserit in ea adimplendo, & in bono perseuerando, hic beatus in facto suo erit, id est, pro facto, & non pro auditu solo. Vnde Psalmus ait: Tunc non confundar cùm perspexero in omnibus mandatis tuis. Et iterum: In custodiendis illis retributio multa. Debemus igitur esse factores legis, & non auditores tantum, quam tamen implere non valemus, nec verè religiosi esse, nisi linguam nostram refrenemus, abstinendo, scilicet, ab omni praua & inutili locutione. Quia corrumpunt bonos mores colloquia praua. Propterea idem Apostolus ait: Si quis autem se putat religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio, id est, si quis per fidem, & per bona opera, quæ ait, se esse religiosum æstimat, non refrenans linguam suã à vaniloquio, turpiloquio, stultiloquio, & multiloquio, à mendaciis, detractionibus, maledictionibus, & contumeliis, adulationibus, irrisionibus, & blasphemiis, & aliis huiusmodi, sed seducens cor suum, dum pro vitio linguæ putat se non esse puniendum: eiusmodi vana est religio, scilicet inutilis & infructuosa, non placens Deo. Linguam igitur nostram refrænare debemus ad hoc quod verè religiosi simus. Quid enim prodest, si tota ciuitas custodiatur, & vnum foramen per quod hostes intrent, relinquatur? Sicut autem vrbs patens absque murorum ambitu, ita homo qui non potest cohibere in loquendo spiritũ suum. Talis erat Heliu, qui dicebat: plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En vẽter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Prohibere ergo debemus linguam nostram à malo, & labia nostra ne loquantur dolum. Nam sicut aër corruptus assiduo flatu tractus corpus corrumpit. Ita praua locutio assiduè prolata animam inficit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Noli esse citatus in lingua tua: & inutilis, & remissus in operibus tuis. Et Apostolus ait ad Collossenses: Sit sermo vester in gratia sale conditus, vt sciatis, quemadmodum vos vnicuique respondere oporteat. Linguam ergo nostram refrænemus, & verbis nostris stateram faciamus. Sit digitus noster super os nostrum, ne capiamur in verbo indiscipli nato. Vnde sapiens in Ecclesiastico: Quis dabit ori meo custodiam, & sigillum super labia mea, ne cadam in ipsis. Et Osee ait: Cadent in gladio principes eorum, & à furore linguæ suæ. Diues autem epulo, quia linguosus inter epulas fuerat, cruciabatur in lingua, siquidem vir linguosus non dirigetur in terra. Teste autem Gregorio: Lingua cùm non restringitur, nequaquam vbi cecidit, iacet, sed semper ad deteriora labitur. Et rursum ait: Sæpè dum ab ociosis verbis nequaquam lingua compescitur ad tenuitatem stultæ locutionis effrenatur, quia qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Totum igitur se insidiantis vulneribus detegit, qui nulla se silentij censura circunclusit. Et in Ecclesiastico dicitur: In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum

*Eccle. 27.* *Luce 8.* *Prouer. 10.* *Matth. 7.* *Luce 6.* *Iob. 31.* *Exposito lineæ, & de lege perfectæ libertatis.* *1. Ioan. 4.* *1. Cor. 13.* *De refrænatione linguæ.* *Prouer. 25.* *Iob. 32.* *Eccle. 4.* *Coloss. 4.* *Eccle. 28.* *Item 5.* *Eccle. 22.* *Osee. 7.* *Luce. 15.* *Prouer. 17.* *Eccle. 21.*

os illorum. Et beatus Iacobus ait: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam fręno circumducere totum corpus. Hoc tamen non intelligimus de quolibet verbo, quia nemo est qui in aliquo verbo non offendit, sed de illo intelligimus in quo grauior est offensa. Qui igitur linguam potest comprimere, facilius poterit cætera membra à prauis actibus reuocare, & ad recta opera dirigere, & circumducere tanquam fręno, ne diuertat à recto itinere. Teste autem eodem Iacobo: Sicut fręna mittimus in ore equorum ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus, & sicut naues cùm sint magnæ & à validis ventis minantur & impellantur, modico gubernaculo diriguntur & circumferuntur vbi impetus, id est, voluntas dirigentis voluerit, ita & lingua, cùm sit modicum membrum, magna exaltat, id est, magna præmia acquirit hominem exaltando, si benè eam regit: Sed si malè, magna & alta supplicia consequitur. Mors enim & vita in manibus linguæ. Lingua igitur licèt sit modicũ membrum, magnam tamen habet efficaciam, tam in bono quã in malo. Multum enim nocere potest, nisi refręnetur. Quod ostendit Iacobus per similitudinem ignis, dicens: Ecce quàtus ignis, id est, quã paruus, quàm magnam siluam accendit? Et lingua nostra ignis est, id est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Hæc sunt verba Iacobi, quibus ostendit, quod lingua hominis est quasi ignis, siluam virtutum inflammans, & omnia bona hominis quasi in cinerem & ad nihilum redigens. Dicitur etiam vniuersitas iniquitatis, quia artifex est omnium ferè malorum & vitiorum, & per eam omnia mala fieri habent, vt furta, stupra, homicidia, liites, prelia, dolositates, circumuentiones, prauæ suggestiones, periuria, garrulitates, & cõsimilia. Est autem familiaris inimicus, quia cõstituitur in membris, id est, de membris corporis est, quę maculat totum corpus, id est, operum nostrorum vniuersitatem. Quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, id est, volubilem atque instabilem vitam nostram, & decursum huius vitæ mortalis, quæ nunquam in eodem statu permanet, quæ ab infantia vsque ad senium labitur & decurrit. Et cùm de puluere simus, volubilitate nostra in cinerem reuertimur, & quasi ad idem punctum redimus. Inflammat igitur lingua, id est, corrumpit rotam natiuitatis nostræ, id est, instabilitatem nostræ naturæ. Inflammata à gehenna, id est, suggestione diabolica. Adhuc autem aliud attenditur in lingua detrimentum. Cùm enim in vdo posita sit, facilè labitur, nec penitus eam domare valemus, quin aliquando in lingua saltem venialiter peccemus. Propterea Iacobus ait: Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cęterorum domatur, & domita sunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest. Est enim inquietum malum, plena veneno mortifero. Ostendit linguam malam esse bestiarum comparatione, quæ domari possunt à natura humana, id est, ab homine. Legimus enim in Plinio, vt ait Augustinus: Immanissimam aspidẽ in Ægypto à quodam patrefamiliàs domitam quotidie de cauerna sua egressam, à mensa eius annonam percepisse. Legimus præterea in Marcellino tigridem factam mãsuetam, ab India Anastasio principi missam. Lingua enim cum omni cautela refręnanda est, quæ bestias ferocitate, volucres leuitate, serpentes virulentia excedit. Comparat autem linguam bestiis, volucribus, & serpentibus, bestiæ sunt detractores alios lacerantes, qui linguam exacuunt, sicut gladium, & lingua eorum gladius acutus. Volucres sunt homines superbi, leues & instabiles qui posuerunt in cœlum os suum, quorum os locutum est vanitatem, qui de magnis maiora loquuntur. Serpentes sunt venenosi atque dolosi, atque malitiosi homines, de quibus dicitur: Venenum aspidum sub labiis eorum, linguis suis dolose agebant. Est igitur lingua plena veneno mortifero more serpentum, id est, verbis venenosis, Inquietum malum, sicut bestiæ & volucres inquietæ sunt. Vix enim quiescit, sed de vno malo ad aliud transit. De otiosis ad lasciua & scurrilia, de scurrilibus ad detractiones, dehinc ad contumelias & maledictiones. Cùm igitur tanta sit linguæ malitia, cum omni studio & diligentia niti & laborare debemus, vt ipsam refręnare valeamus. Alioquin quicquid boni faciamus, vana est religio nostra. Postquam autem linguam nostram refrænauerimus, tunc verè religiosi erimus, si à malo abstinentes, opera bona faciamus. Et hoc est quod ait Iacobus in fine hodiernæ Epistolæ: Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hęc est, Visitare pupillos, & aduenas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Ostenderat prius quid sit vana religio. Nunc autem ostendit, quæ sit vera religio. Dixerat enim factorem operum beatum esse. Nunc autẽ quæ opera maximè placeant Deo, ostendit misericordia, scilicet, & innocentia. Per hoc autẽ quod ait: Visitare pupillos & viduas, quia hæc opera præcipuè ad misericordiam pertinent, omnia alia misericordiæ opera intelliguntur. Huiusmodi enim personæ miserabiles sunt patrum & maritorum carentes præsidio, & facilè ab hominibus opprimuntur. Vnde & illas præcipuè visitare debemus multiplici beneficio, consolando, subueniendo & defendendo, & earum compatiendo tribulationibus & necessitatibus condescendendo. Vnde Dominus per Isaiam ait. Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et in Psalmo conqueritur Dominus, de his qui huiusmodi personas miserabiles opprimunt, vbi ait: Viduam & aduenam interfecerunt & pupillos occiderunt. Religio igitur munda in cordis intentione, & immaculata in operis executione apud Deũ & patrem, qui nouit opera & intentiones, & non fallitur sicut homines: hæc est visitare, scilicet, pupillos & viduas, id est miserabilibus personis succurrere fa-

*Iacob. 3.*

*Prouer. 15.*

*Iacob. 3.*

*Quod lingua comparatur igni.*

*1. Cor. 15. Gala. 5.*

*Iob. 13. Gene. 3.*

*Quod valdè difficilè lingua domatur.*

*Quod lingua bestiis, volucribus & serpentibus comparatur.*

*De vera religione.*

*De multiplici beneficio & consolatione. Isaiæ 1.*

rere, famelicum pascendo, potum sitienti dando, vestiendo nudum, visitando infirmum, paupe- *Matth.25.*
res & peregrinos recipiendo in hospitio, his qui in carcere detinentur, subueniendo, mortuis
etiam exhibendo sepulturam, & immaculatum se custodire ab hoc seculo, vt misericors sit ad *Tob.1.*
proximum, & innocens ad seipsum. Non solùm autem corporaliter pupillos, & viduas visita-
re debemus, sed & spiritualiter orãdo pro peccatoribus, & eos salutaribus monitis à malo retra
hendo. Hi enim orphani dicuntur, qui Deum patrem peccatis suis amiserunt. Viduæ etiã sunt
peccatorum animæ, à Christo sponso viduatæ. Et quoniam scriptum est: Beati misericordes, *Matth.5.*
quoniam misericordiam consequentur. Et iterum: Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit *De misericor-*
misericordiam: præ omnibus aliis bonis operibus, misericordiæ operibus abundare debemus. *dia & operi-*
Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem. Exercitatio autem corporalis, licèt sit *bus miseri-*
vtilis ad modicum, tamen valet respectu pietatis. Sicut enim oleum supernatat, ita miseratio- *cordiæ.*
nes hominis super omnia opera eius. Propterea Salomon ait: Qui pronus est ad misericordiam, *Iaco.2.*
benedicetur. Et iterũ: Fœnerator Domino, qui miseretur pauperis, & vicisfitudinem suam red *Prouer.22.*
det ei. Et rursum ait: Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, bea- *Prouer.19.*
tus. Et Tobias ait: Panem tuum cum esurientibus & egenis manduca, & de vestimentis tuis *Prouer.14.*
nudos tege. Et beatus Iob ait: Oculus fui cęco, & pes claudo. Pater eram pauperum. Et iterum: *Tob.4.*
Si negaui quod volebãt pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellã meam *Iob.29.*
solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia creuit mecum misericordia. Et Isaias ait: Car *Iob 31.*
nem tuam ne despexeris. Carnem suam despicit, qui proximorum necessitatibus non condes- *Isaiæ 58.*
cendit. Vnde beatus Iob ait: Visitans speciem tuam non peccabis. Et iterum Isaias ait: Cithara *Iob 1.*
& vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis. Opus Domini specialiter paupe- *Isaiæ.5.*
res appellat, qui expresse Christo pauperi assimilantur, similes illi in paupertate secundum quod
homo, ad eius imaginem facti secundum quod Deus. Visitemus igitur pupillos & viduas, de
quibus Dominus ait: Quãdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Et in Deu *Matth.25.*
teronomio ait: Anno tertio separabis decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, *Deut.14.*
venietque Leuites, qui nõ habet alium partem & peregrinus, & pupillus, & vidua, & comedẽt,
& saturabuntur. Anno tertio designatur, quod corde, ore, & opere, debemus benefacere. Vnde
Cyprianus ait: Neque enim mereri Dei misericordiam poterit, si misericors ipse non fuerit, nec
impetrabit à diuina pietate aliquid in precibus, qui ad preces pauperis non fuerit humanus. *Eccle.31.*
Hæc est igitur vera religio, visitare pupillos, & viduas, vt patrẽ nostrum in hoc imitemur. De *De innocentia*
quo dicitur: Pupillum & viduam suscipies. Et iterum: Tibi derelictus est pauper, pupillo tu *& munditia,*
eris adiutor. Propterea Psalmus ait: Domine quis similis tibi. Et respõdet in persona Domini: *& de huius*
Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Hic, sci- *mundi coin-*
licet, qui talis est, similis erit mihi. Et quoniã scriptum est: Miserere animæ tuæ placẽs Deo, an- *quinatione.*
tequam aliorum misereamur, primò, nostri misereri debemus, vt, scilicet, innocentes, & mun- *1.Ioan.2.*
di simus, & ab hoc seculo nos custodiamus immaculatos, id est, à peccatis huius seculi, quę sunt
concupiscentia carnis, id est, gastrimargia & luxuria, & concupiscentia oculorum, id est, auari-
tia & superbia vitæ. Per seculum igitur vitia intelligimus. Vnde & peccatores seculares dicun- *Rom.12.*
tur. Propterea Paulus ait: Nolite conformari huic seculo, id est, peccatis huius seculi. Et in Psal-
mo dicitur: Speculũ nostrum in illuminatione vultus tui, id est, peccata nostra tibi sunt mani- *Leuit 11.*
festa. Qui autem diligit mundum & amplexatur, quia maculatus est mundus, necesse est vt ma *Eccle.13.*
culetur. Qui enim morticinum tetigerit, immundus erit. Et qui tetigerit picem, coinquinabi-
tur ab ea. Vnde quia mundus iste cadaueribus plenus est, cum omni cautela per ipsum transea-
mus, ne fortè morticinum contingamus aliorum peccatis consentiendo. Plenus est insuper *Exod.22.*
mundus iste luto, & variis immunditiis. Vnde necesse est calceamenta in pedibus habere, & ve
stigmẽta decurtare, vt absq; inquinamẽto valeamus pertrãsire, & immaculatos nos ab hoc seculo
custodire. Pedes calceatos habemus, dum diuinis scripturis & sanctorũ exemplis affectus men- *De duplici*
tis communimus. Vestimenta constringimus & decurtamus vel subleuamus, dum omnem su- *munditia.*
perfluitatem à nobis resecamus. Renes igitur accingat, qui mũdus mundum transire & agnum *Exod.28.*
paschalem manducare desiderat. Vestimẽtis igitur de byssо retorta induamur, vt duplicem con
tinentiam animæ, scilicet, & corporis habeamus. Ezechiel enim vidit virum ad renes accin- *Ezech.9.*
ctum. Hæc est munditia corporis. Et Ioannes vidit virum cinctum ad mamillas, hæc est mun- *Apoc.1.*
ditia cordis. Et in tabernaculo Domini erant cortinæ interius, ecce cordis munditia, & saga ci- *Exod 26.*
licina exterius. Ecce munditia corporis per afflictionem carnis. Teste enim Hieronymo:
Nihil prodest carnem habere virginem, si mente quis nupserit. Et iterum: Nihil prodest *Exod.25.*
exterorum membrorum sanctificatio, si in vno solo inueniatur corruptio. Simus igitur *Prouer.31.*
immaculati; corde pariter & corpore. Offeramus ligna Cethim, id est, corda munda & impu- *Gene.22.*
tribilia, sine corruptione luxuriæ, ad constructionem tabernaculi. Accingamus autem fortitu- *Heb.12.*
dine, non solùm lumbos corporis, sed & lumbos mentis. Iacob enim benedictionem non rece *Iere.13.*
pit, donec neruus fęmoris emarcuit. Vnde Apost. ad Hebrẽos ait: Pacem sequimini cum omni-
bus & sanctimoniã, sine quâ nemo Deũ videbit. Separare igitur debemus pretiosum à vili, id
est animam à sordibus & inquinamentis huius seculi. Aliter enim veram religionem non ha-
bemus nisi immaculatos, ab hoc seculo nos custodiamus, nisi omnia membra nostra constrin- *De membro-*
gamus & religemus, & ab omni inquinamento mentis & corporis arceamus. Religio enim à *rum religa-*
religando *tione.*

religando dicitur,& est propriè membrorum. Per peccatum enim primi parentis membra nostra in motus inordinatos proruperunt, qui nisi sub timore Dei religentur, in ruinam turpitudinis feruntur. Propterea Propheta ait: Confige timore tuo carnes meas. Caro enim primi hominis post peccatum per carnalē concupiscētiam corrupta fuit, & quasi furiosa in præcipitium fertur, nisi religetur & refrenetur. Dominus autem variis infirmitatibus & afflictionibus illam ligauit, nec tamen sic ab impetu,& furore suo retinere potuit. Non solùm autem ligatur infirmitatibus, sed timore Domini,& funibus mandatorum eius, in his qui Deo seruiunt, religatur. Vnde & religiosi dicuntur,& specialiter monachi & alij regulares, qui arctius sub regula & institutis patrum astringuntur, ligantur & religantur. Non solùm enim vinculis præceptorum ligati sunt, sed præceptis consilia addiderunt. In vase igitur electionis, vt firmiter religetur, tres circuli apponuntur. Circulus superior, medius,& inferior, id est, circa fauces, circa pectus, & circa renes, ne effluat per malam locutionem, vel cogitationem, vel operationem. Omnis autem Christianus, qui non solùm compedibus pœnalitatis ligatur, sed insuper compedibus gratiæ & præceptorum Dei, ne ad malum procedat, religatur, religiosus dicitur. Vnde & Christianæ religionis, secundum hoc tres partes siue status assignantur. Status incipientium, qui egrediuntur de Ægypto. Proficientium in deserto, peruenientium in terra promissionis, id est, perfectorum, qui post longas tentationes, pugnas, requiescunt in pace pectoris, & gaudio contemplationis. Hi tres status notantur à Domino, vbi ipse ait in Euangelio: Ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor. Dæmonia eiicit in exitu de Ægypto. Sanitates perficit in proficientibus, qui dicuntur esse in deserto, tertia die consummatur, quantum ad statum perfectorum, qui in terra promissionis esse dicuntur. Designantur etiam hi tres status, per triplex Pascha quod filij Israël in tribus locis celebrauerunt. Primum in exitu de Ægypto. Secundum in deserto. Tertium in terra promissionis. Designantur præterea in Canticis, vbi dicitur. Descendi in hortum nucum, id est, in Ecclesiam. In nuce autem est amaritudo corticis exterius. Ecce status incipientium siue pœnitentium, & contritorum spiritu. Duritia testę: Ecce status proficientium. Dulcedo nuclei: Ecce status perfectorum. Significantur etiam per hoc quod Dominus in Euangelio ait: Vltro enim terra fructificat primò herbam: Ecce status incipientium. Deinde spicas: Ecce status proficientium. Deinde plenum frumentum in spica: Ecce status perfectorum. Hos tres status designauit Apostolus, cùm ait: Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona: Ecce status incipientium. Benè placens: Ecce status proficientium. Et perfecta: Ecce status perfectorum. Salomon etiam iuxta hos tres status, tres libros composuit, quorum primus dicitur Parabolæ siue prouerbia Salomonis, in quo instruit incipientes. Secundus Ecclesiastes, id est, concionator, in quo prouehit proficientes. Tertius dicitur: Cantica canticorum, qui pertinet ad perfectos. In primo admonet vitia relinquere. In secundo mundum contemnere, dum omnia caduca esse demonstrat. In tertio sponsam ad sponsi amplexus inuitat. Vnde & tribus nominibus nuncupatur, quæ tribus prædictis statibus & tribus libris aptantur. Dicitur enim Idida, id est, dilectus Domini, dum paruulos, quos etiam filios vocat, blandè allicit,& quandoque timorem incutit. Dictus est Ecclesiastes, id est, concionator, dum diuersorum propositiones, opiniones, tandem rei veritatem aperit, dicens: Deum time, & mandata eius obserua. Dicitur Salomon, id est, pacificus, quod pertinet ad perfectos, qui in tranquillitate pectoris, sponsi iunguntur amplexibus. Designantur præterea tres status Christianæ religionis, non solùm secundum viam, sed secundum patriam simul & viam, vt duo pertineant ad Ecclesiam militantem, tertium ad ecclesiam triumphantem, vt sit primus status pœnitentium. Secundus iustorum. Tertius beatorum. Primus pœnitentiæ. Secundus iustitiæ. Tertius gloriæ. Quorum exempla latè patent in scripturis. Secundū enim hos tres status Hierusalem tribus nominibus appellatur. Dicitur enim Iebus, id est, conculcata. Ecce status pœnitentiæ. Dicitur Salem, id est, pax. Ecce status iustitiæ, post flagella & conculcationes pœnitentiæ, dicitur Hierusalē, id est, visio pacis: Ecce status gloriæ, in qua facie ad faciē Deū videbimus, & oculo mentis per experientiam videbimus pacem tranquillitatis æternæ. Legimus præterea in Euangelio: quod Samaritanus sauciato infudit vinum & oleū, & sanatus est. In vino austeritas, & feruor pœnitentiæ. In oleo leuitas iustitiæ. In eo quod sanatus est, innuitur consummatio glorificationis æternæ. Et in Psal. dicitur: Dedit eos in misericordias in cōspectu omniū qui ceperāt eos. Ecce primus status pœnitentiæ, qui notatur liberatio à captiuitate. Saluos nos fac Domine Deus noster. Ecce secundus status, quo notatur status iustitiæ. Et congrega nos de nationibus. Ecce tertius status gloriæ, quādo colliget nos ad se, vt simus cū illo in æterna ciuitate. Hi tres status signantur, per Pascha, Pentecosten, & Scenopegiā in lege. In Paschā agnum immolabant, & cum lactucis aggrestibus illum comedebant, & spicas igne torrebant, per quæ carnis mortificatio, & pœnitentium amaritudo designatur. In Pentecoste panes calidi, & recentes de nouis frugibus offerebātur. Ecce status iustitiæ, per quā in nouitate vitę ambulamus. In Scenopegia, quæ dicitur fixio tabernaculorum de cunctis frugibus anni offerebant. Ecce status futuræ gloriæ, quando post seculi huius viā tabernacula nostra, id est, mansiones immobiliter figemus in cœlis, portantes manipulos nostros cum exultatione, dicente Domino: Ecce homo & opera eius cum eo. Hi etiam tres status per crucem, sepulturam, & resurrectionē Domini designātur. In cruce labor pœnitentiū, in sepulchro quies iustorū, in resurrectione gloria beatorum

*De triplici circulo, & tripli ligatura.*

*De triplici statu religionis christianæ.*

*Luc. 13.*

*Exod. 12. Num. 9. Iosue 5.*

*Cant. 6.*

*Matth. 4.*

*Rom. 12.*

*Eccle. 12.*

*Alia assignatio trium statuū religionis.*

*Gene 32. 1. Cor. 13.*

*Luc. 10.*

*Exod. 12. Leuit. 23.*

*Leuit. 23.*

*Ioan. 19.*

beatorum designatur. Propterea etiam tres psalmorum quinquagenæ distinguuntur. Prima signat statum pœnitentiæ, & terminatur in misericordia, ibi: Miserere mei Deus. Secunda signat statum iustitiæ, & terminatur in gratiarum actione: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Tertia signat statum gloriæ, & terminatur ibi: Omnis spiritus laudet Dominum. Hoc est quod Osee dicit: Viuificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos. Et in Ecclesiastico dicitur: Amauit eum Dominus, conuertendo, scilicet, per gratiam, infundendo per pœnitentiam, & ornauit eum per iustitiam. Stola gloriæ induit eum per beatitudinem æternam. Et iterum Psalmus ait: Tenuisti manum dexteram meam, quantum ad statum pœnitentiæ, & in voluntate tua deduxisti me, quantum ad statum iustitiæ, & cum gloria suscepisti me, quantum ad statum gloriæ. Et rursus ait: Domine Deus virtutum conuerte nos, scilicet, remittendo peccata per pœnitentiam. Ostende faciem tuam, illuminando per gratiam & iustitiam. Et salui erimus, & ita perueniemus ad gloriam. Et in Genesi dicitur: Benedicam tibi. Ecce primus status. Et magnificabo nomen tuum. Ecce secundus status. Et eris benedictus. Ecce tertius. In primo statu pascit Dominus pœnitentes, quinque panibus hordeaceis per pœnitentiæ asperitatem. In secundo pascit iustos septem panibus triticeis, per septiformem spiritum. In tertio carne sua & sanguine discipulos reficit ad satietatem. Vnde & Dominus Moysi ait: Sanctifica mihi populum hodie & cras. Ecce primus status pœnitentiæ, & secundus sanctificationis iustitiæ, & sint parati in diem tertium: Ecce status gloriæ. Hi etiam tres status designantur per tabernaculum, in quo erat atrium pœnitentium, & sancta, id est, status iustorum, & sancta sanctorum, id est, status bonorum. Hoc etiam in apparatu Ecclesiæ, mystice designatur quæ primò mundatur. Ecce status pœnitentium. Secundò cortinis exornatur: Ecce status iustorum. Tertiò pannis sericis pretiosis decoratur: Ecce status beatorum. Propterea in Psalmo dicitur: Confessio & magnificentia opus eius. Confessio, quo ad statum pœnitentiæ. Magnificentia, quo ad statum iustitiæ, & iustitia eius, id est, merces iustitiæ, manet in seculum seculi, quo ad statum gloriæ. Et in Canticis dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit tanquam aurora consurgens? Ecce status pœnitentię. Pulchra vt Luna: Ecce status iustitiæ. Electa vt Sol: Ecce status gloriæ. In quolibet igitur statu, siue sit incipientium, siue proficientium, siue perfectorum. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Huiusmodi etiam religio pertinet, non solum ad statum pœnitentiæ, & ad statum iustitiæ, sed insuper & ad statum gloriæ. Sancti enim in æterna beatitudine nos visitant orationibus suis, & negotia nostra apud Deum promouent, qui sordibus huius seculi, iam non possunt inquinari. Sunt enim sine macula ante thronum Dei laudantes, & benedicentes ipsum in secula seculorum.

*Osee.6. Eccle.40. Gene.12. Ioan.6. Matth.8. Matth.26. Exod.19. Exod.26. Cant.6.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Ioannem.

*Ioan.16.*

*Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*

DOMINVS noster terribiliter loquitur nobis, prælatis & prædicatoribus per Ezechiélem dicens. Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Speculatores debent esse quicunque animas ad curandum, & custodiendum suscipiunt. Statuere enim debet sibi speculam in montem excelsum, ascendentes per sanctæ conuersationis pereminentiam, vt Euangelizent Syon. Vnde per Ieremiam ait: Statuæ tibi speculam, pone tibi amaritudines. In amaritudinibus enim morari debet oculus prælati, vt non solùm lugeat pro peccatis suis, sed pro totius populi, sicut scriptum est: Et lachrymæ eius in maxillis eius, id est, in prælatis. Et Dominus ad Ezechielem ait: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël. Ascendere ergo debet prælatus speculam, vt aliis præemineat, sicut de Saule legimus: quod altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum. Tantum enim præcedere debet vita prelati vitam inferioris populi, quantum distat nomen pastoris à nomine gregis. Debet autem vigilare super gregem Domini, & vndique circunspicere, & diligenter considerare insidias inimici, vt attendat sibi, & vniuerso gregi, sicut scriptum est: Qui præest in sollicitudine. Si enim viderit gladium venientem, id est, periculum peccati mortalis, vel diabolicam suggestionem imminentem, vel iram diuinam, & non insonuerit buccina apertę prædicationis, vt populus sibi caueat, sanguinem animarum de manu ipsius requiretur, id est, peccata omnium imputabuntur illi, qui tanquam preco mutus clamare neglexit. Vnde Isaiais ait: Væ mihi, quia tacui, præsertim, cùm dicat Dominus: Clama, ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum. Et per Ieremiam ait: Prophetæ tui non aperierunt tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Et Apostolus ait: Contestor vos hodierna die, quoniam mundus sum à sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi, quò minus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Et per Isaiam Dominus ait: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte imperpetuum non tacebunt. Non enim nocte aduersitatis vel die prosperitatis silere debent, qui custodes sunt Ecclesiæ, & in excubiis vigilant. Valdè igitur metuendum est nobis, qui licèt in propria perso-

*Ezech.34. Contra prælatos qui debent esse speculatores & negligunt prædicare Isa.40. Ierc.31. Iob.17. Tren.1. Ezech.3. 1.Reg.10. Luce 2. Actuum 20. Rom.12. Quod prælatus aliis debet præeminere, & super gregem vigilare. Isaiæ 6. Isa.64. Thren.2. Actuum 20.*

na, ipso

na, ipso actu non peccaremus, pro peccatis nostris, & negligentia & taciturnitate damnaremur. Sicut de Heli sacerdote legimus: quod filiorum suorum peccata imputata sunt ei ad condemnationem & mortem, qui filios suos, sicut debuit corrigere, contempsit. Et idcirco diuina vltione de sella cadens confractis ceruicibus expirauit, & morte subitanea interiit. Licet de peccatis quæ in propria persona cõmiserit, nulla fiat mẽtio in scriptura. Teste enim Hieronymo: Innocens & absque sermone conuersatio quantum prodest exemplo, tantum nocet silentio. Qui enim non arguit cùm possit, consentit. Ecõtra teste Isidoro: Dum vnus corripitur, plures emendantur. Orate igitur fratres Dominum, quatenus ad sonitum buccinæ diuini sermonis vobis à gladio diaboli, ita præcaueatis, quod animabus vestris non noceat, & sanguinem de manu mea

*2. Cor. 2.* Dominus nõ requirat. Amen, amẽ dico vobis, Dominus noster Iesus Christus, à discipulis suis recessurus, ne nimia absorberentur tristitia, subtracta eis carnali præsentia, secundum quod no-

*De quadruplici consolatione discipulorum.* uerat eorum infirmitatẽ, multiplicem eis cõfert consolationẽ. In hodierno autẽ Euãgelio inter alia quæ dicit quadruplicis solatij remedio dolores cordis eorum voluit mitigare. Prima con-

*Prima consolatio.* solatio est magna valdè, cũ ait illis: Si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis, quasi dicat, Cõfidenter & securè postuletis, non timeatis repulsam, quia petita à patre meo, obtinebitis. Ipse enim promptior est ad dandũ, quã nos ad petendum vel ad accipiendũ. Secũdo modo,

*Secunda consolatio.* cõsolator eos promittens eis, perfectã sapientiã & arcanorũ reuelationẽ, vt iã decipi nõ queãt per ignorantiã, nec oporteat eos laborare ad cognoscendum veritatem, quã agnituri sunt per inspirationem diuinam, vbi ait: Hæc in Prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora cùm iã nõ in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de patre meo annuntiabo vobis, docendo enim discipulos multa obscura interposuerat. Vnde ne ob hoc mouerentur, promittit se eis in proximo missurum spiritũ sanctum, qui etiam omnia quæ eis videbantur, ænigmata & obscura aperiat, & ita nõ videbuntur eis prouerbia & obscura, sed palam annũtiabit intus in aure cordis. Prouerbia autẽ dicta sunt breuia & obscura, aliud in superficie verborum, aliud in veritate sententiarum habentia. Vnde Prouerbia in hoc loco dicuntur obscurę locutiones & parabolæ, in quibus Dominus eis loquebatur, vt secreta mysteria absconderet indignis, qui seorsum parabolas

*Matth. 13.* ediffĕrebat discipulis. In Parabolis etiã, id est, per similitudines locutus fuerat adhuc carnalibus vt melius intelligerẽt. Vnde Matthæus ait: Loquebatur Iesus in Parabolis discipulis suis, & sine parabolis nõ loquebatur illis. Postquam verò facti sunt spirituales sine exterioribus similitudinibus palàm reuelauit eis spiritus sancti veritatem. Tertio modo consolator eos asserens,

*Tertia consolatio.* quod à patre diliguntur, & intantum accepti sunt illi, & gratiam ipsius habent, quod nõ est necesse, vt pater pro ipsis rogetur, qui absque vlla prece paratus est, quicquid necesse fuerit, illis dare, vbi ait: Et non dico vobis, quia rogabo patrem de vobis. Ipse enim amat vos, quia vos me amastis. Aliam tamen locus iste, quia difficilis est, habet expositionẽ, sicut patebit inferius. Quar-

*Quarta consolatio. Ioan. 13.* tam etiam subiungit consolationem, ostendens eos de recessu suo non debere contristari, quia de labore transit ad requiem, de maris tempestate ad portus tranquillitatem, de mundo ad patrem, vbi ait: Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrẽ. Exiuit à secreto, & inuisibilitate patris assumpta carne, & venit factus passibilis. Iuit autem ad patris inuisibilitatem, quia etiam secundum quod homo factus est, inuisibilis nobis. His autem verbis duplicem in se naturam ostendit. Sicut autem non reliquit patrem, cùm in mundum venit, sic non relinquit electos cùm ad patrem vadit. Manens igitur cum patre per diuinitatem, venit in mundum per humanitatem, & rediens ad patrem per humanitatem, mansit cum electis per diuinitatem. Licèt autem obscurè loqueretur, visum est tamen discipulis, quod loqueretur apertè. Vnde & dixerunt: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Vnde super hunc locum Augustinus ait: Palam loqui existimant, cum dictorum eius nequeant intelligere mysteria. Adeò enim animales erant, quod nescierunt se non intelligere dicta à Domino, imò quæ non intelligebant, se intelligere putabant. Ideo quæ magis obscura erant, apertiora iudicabant. Nihil enim magis obscurum supra dixerat eis, quàm quod in proximo dixerat, licet, non dico vobis, quia rogabo patrem de vobis. Postmodum verò Apostoli subiunxerunt. Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo existi. Ostendit Euangelista his verbis, quia loquens ad eos, de his maximè agebat, quæ illos magis delectabat audire, & quæ ipsi interrogare volebant, hæc ipse præueniens vltro proferebat. Et ideo illum, quia cogitationes nouerat, confitentur scire omnia. Non est opus, inquiunt, vt quis te interroget. Præscis enim quid velit & cogitet vnusquisque, non erat opus illi, vt quis eum interrogaret, vel quod interrogaret aliquem, à quo aliquid sciret vel addisceret, cùm ipse cogitationes omnium præueniret, sicut scriptum est: Intellexisti cogitationes

*De petitione & qualiter petere debeamus, vt exaudiamur.* meas de longè. Si autem aliquando interrogauerit, vel interrogatus fuerit, non ei, sed aliis opus fuit. Cùm autem Dominus ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Paucis verbis sufficienter eos instruit, quid & qualiter, à quo, & quibus debeant postulare, & quales esse debeant, vt mereantur accipere. Quod petere debeant, scilicet, bona spiritualia,

*Quod æterna & spiritualia simpliciter sunt petenda. Gene. 25.* & æterna, innuit, dicens: Si quid petieritis, id est, si petieritis aliquid, rem, scilicet, alicuius momenti. Temporalia enim & caduca siue transitoria, quasi nihil reputantur respectu æternorum. Sub hoc sensu dicitur in Genesi: Dedit Abraham cuncta quæ possiderat Isaac. Filiis autem concubinarum largitus est muneta, id est mobilia, quæ, scilicet nulla reputantur respectu hæreditatis

ditatis quam dedit Isaac. Vn de dicitur, quod dedit illi omnia quæ habebat. In aliis etiam facultatibus res modicæ & parui pretij, nihil dicuntur. Iuxta illud: Nil habuit cedrus, quis enim neget, & tamen illud perdidit infelix, totum nihil. Per hoc etiam quod Dominus ait: Si quid petieritis in nomine meo, dedit intelligi quæ bona petenda sint. Bona, scilicet, ad salutem pertinentia. In nomine siquidem Iesu petit, id est, Saluatoris, qui salutem & vitam æternam petit, vel ea, quæ faciunt ad salutem, vt virtutes. In nomine etiam Christi petit, qui vnctionem spiritualium, id est, virtutes & dona charismatum petit, Christus enim vnctus interpretatur. Terrena autem, quæ nulla sunt respectu æternorum, petere solebant Apostoli cùm adhuc carnales essent. Vnde Philippus cùm diceret: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis: visionem corporalem videtur petisse. Cui Dominus de visione spirituali respondit: Qui videt me, videt & patrem, quia qui credit filium vt filium, credit, id est, oculo fidei videt patrem vt patrem. Similiter & discipuli corporaliter liberationem petierunt à Domino, dicentes: Salua nos, perimus. Similiter & Petrus cùm ait: Faciamus hîc tria tabernacula, non cœlestem, sed terrenam habitationem petebat. Pari modo & filij Zebedæi cùm peterent, quod vnus à dextris & alius à sinistris sederet, non videntur illud intellexisse de sessione gloriæ in regno cœlesti. Vnde responsum est eis: Nescitis quid petatis. Adhuc enim animales erant & terrena sapiebant. Vnde & Dominus in hodierno Euangelio ait: Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Quidquam, scilicet, quod sit aliquid respectu rei permanentis & æternæ. Et rursus ait: In die illo in nomine meo petetis, quasi diceret: Spiritus sanctus ita vos contemnere terrena faciet, vt solummodo quæ ad salutem animarum pertinent, petatis, & petenda intelligatis. In nomine enim quod est Iesus petit, qui rem huius nominis petit, id est, salutem. Nam Iesus Saluator vel salutaris intelligitur seu interpretatur. Secundum hoc ergo videtur, quod in oratione Dominica, cùm dicerent orantes: Adueniat regnum tuum, non intelligerent de regno æterno, sed de materiali, de quo etiam interrogauerunt, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Confisi enim de præsentia Christi hominis, non multum cogitabant de bonis inuisibilibus & æternis. Si tamen alicui videatur, quod aliquando licet ratiò petissent bona æterna, nihilominus verum est, quod Dominus ait: Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo, id est, nomine diuinitatis meæ, quam non cognouistis, sicut cognoscenda est. Magis enim nitebantur humanitati, quàm diuinitati eius. Vnde & Dominus subtraxit eis humanitatẽ, vt amplius ad eius aspirarent diuinitatis præcellentiam. Propterea ipse superius ait: Expedit vobis, vt ego vadam. Secundum hoc illud quod Dominus ait: In illo die in nomine meo petetis, ita intelligendum est: In me Deum spiritualiter credetis, & limpidam cognitionem de diuinitate mea habebitis, cognoscendo me esse æqualem patri, & omnia dare me posse cum patre credetis. Et idcirco in nomine meo, id est, diuinitatis meæ petetis, & petita impetrabitis. Nondum enim plenam habebant cognitionem de eius diuinitate, sicut habuerunt postquam à Spiritu sancto illuminati sunt in die Pentecostes, nec firmiter credebant ipsum esse patri æqualem. Ante passionem enim modicam habuerunt fidem, in passione verò nullam. Vnde in passione ab eo recesserunt. Et discipuli euntes in Emaus dixerunt: Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israël. Et Mariæ Magdalene dictum est: Nondum ascendi ad patrem meum, id est, in corde tuo ad patris æqualitatem non ascendi, quia nondum me esse æqualem patri credis. Ostendit igitur Dominus quid petendum sit, & qualiter, cùm ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, id est, si quid petieritis saluti necessarium, in nomine meo, habentes, scilicet, cordis oculum ad diuinitatem meam, & credentes me esse patri æqualem, & bona æterna posse dare cum patre meo, dabit vobis. Et secundum hoc intelligi potest, quod Dominus ait: Non dico vobis quod ego rogabo patrem de vobis, id est, dico vobis quod nõ tantùm rogabo patrem de vobis, imò etiam, vt Deus idem cum patre vos exaudiam, quod tamen ipse priùs faciebat, sed ipsi nondum hoc plenè credebant. Vel, non dico quod rogabo patrem de vobis, scilicet, secundum diuinitatem, quia secundum illam omnipotens est, & æqualis patri, & omnia postulata dat cum patre. Rogat tamen filius patrem pro nobis secundum quod homo, dat autem quæcunque pater tribuit, & exaudit secundũ quod Deus. Quod autẽ subditur: Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui, ad hoc refertur, quod de eorũ exauditione prædixerat, scilicet, quicquid peterẽt, obtinerẽt, & quod palã annuntiaret eis de patre, quasi dicat: Ideo sic exaltabimini, quia pater amat vos, quia vos amastis me, id est, quod inde patet, quia vos me amastis. Non enim notatur causa, sed signũ, & adiectiuè nõ causaliter ponitur hæc dictio, quia, cùm dicitur: quia vos me audistis, amastis. Dilectio enim patris, vestram præcedit dilectionem. Ipse enim amat vos spontaneè. Similiter & fidem vestram præcedit. Cùm igitur ait ipse: Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui, id est, à patre, siue per generationis patris designatur. Potest etiã aliter intelligi, quod Christus ait: Nõ dico vobis, quia ego rogabo patrẽ de vobis, id est, dico q, nõ rogabo, vt referatur ad tempus glorificationis animarũ vel ad diẽ iudicij. Tunc enim superflua esset petitio vbi nulla erit indigẽtia, quasi diceret: Nõ rogabo patrẽ de vobis, licèt non rogem eũ, vt homo, & etiã se Deũ rogat, secundũ quod homo. Ostendit igitur quod ad tantã venturi sint beatitudinẽ, vt nullius auxilio vel prece indigeant.

*Quod Apostoli adhuc carnales terrena petere solebant.*
*Ioan.14.*
*Matth.8.*
*Mar.4.*
*Luc.8.*
*Matth.17.*
*Mar.9.*
*Luc.9.*
*Matth.20.*
*Mar.10.*
*1.Cor.3.*
*Matth.8.*
*Luc.11.*
*Act.1.*
*Ioan.5.*
*Luc.24.*
*Ioan.16.*
*Secunda expositio eius quod ait Dominus: Non dico vobis.*
*Tertia expositio.*
*Osee 4.*
*Quarta.*

Luc. 22. Quamdiu autem in mundo fuerunt, Christus rogauit pro eis. Vnde & ipse ait: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Nunc etiam intercedit pro nobis apud patrem. Vnde & ad Hebr. 7. Hebræos Apostolus ait: Quod Christus sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Interpellat autem pro nobis, vt ait B. Gregorius, non voce, sed miseratione. Teste enim eodem Gregorio, Christo pro humana natura rogare, est apud patrem seipsum hominē demonstrare, eandemq; naturā in diuinitatis suæ celsitudine suscepisse. Christus igitur pro nobis orat, dum affectu humanitatis salutem nostram desiderat, dum merita passionis suæ quam pro nobis pertulit, patri repræsentat. Vnde & cicatrices vulnerum retinuit, quas patri repræsentat pro nobis. Aduocatum igitur habemus apud patrem Iesum Christum pro nobis, qui cicatrices, id est, signa passionis, & humanitatem, quam pro nobis accepit, patri ostendit. Vnde & nos dicimus patri: Respice in faciem Christi tui. Sanguis etiam eius pro nobis dicitur orare, & melius quàm sanguis Abel pro nobis clamare, quia ille clamabat vindictam, iste clamat misericordiam. Licèt autem Christi orationes supra modum necessariæ sint nobis, Ecclesia tamen non rogat ipsum, vt ipse roget pro nobis. Dicimus enim sancta Maria, ora pro nobis: Sancte Petre, ora pro nobis. Non tamen dicimus sancte Christe, ora pro nobis, vel Domine Iesu, ora pro nobis, quod facimus propter ipsius reuerentiam. Rogamus enim eum tanquam omnipotentem & patri coæqualem, vt nos adiuuet, nec tamen vt pro nobis tanquam homo & patre minor. Sicut propter reuerentiam non consueuimus Sacerdotem appellare Subdiaconum, licèt Subdiaconus sit, nec Episcopum Sacerdotem, neque Abbatem Monachum, sed à digniori officio ipsos nominamus. Similiter & in Christo facimus. Dignius est enim illi iuuare nos ex diuinitate, quàm orare pro nobis ex humanitate. Ostendit autem Dominus non solùm quid & qualiter, sed insuper à quo petere debeant, scilicet à Deo patre. Ait enim: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Licèt enim sciat quid nobis necessarium sit, vult tamen vt petamus, vt sua gratuita dona faciat esse merita nostra, & vt ab illo omnia bona esse fateamur, & ad ipsum gloriam referamus. Vnde & Christus cùm orabat, oculos in cœlum leuabat, vt omne bonum à Deo ostenderet esse petendum, & vt nos petenda cœlestia informaret. Vult igitur Christus nos orare, vt sciamus quod non meritis nostris, sed gratia eius & precibus ab ipso bona cuncta obtinemus. Licèt autem Dominus cogitationes nostras non ignoret, voce tamen supplicando illas exprimimus, & vocaliter oramus, vt linguæ nostræ obsequium exhibeamus Deo, & insuper pro excitanda deuotione ne torpeamus in oratione, & pro instructione proximorum, quibus exemplum orandi præbemus, & pro rei petendæ commemoratione. Per hoc autem quod Dominus dicit: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Insinuat quod quandoque sancti petunt pro aliis, & non exaudiuntur pro illis, sed meritum orationis reuertitur ad petentes. Vnde & Samuël orauit pro Saule, cuius malitia obsistente, non est exauditus. Propterea Ieremiæ Dominus ait: Tu verò noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. Et iterum: Si steterint Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum. Non tamen à fructu orationis priuamur, licèt pro iniquis orantes exaudiri non meremur. Quia & si illi non sunt digni accipere, nobis tamen merces redditur pro bona intentione. Vnde non dicitur simpliciter: Si quid petieritis, dabit, sed dabit vobis, quasi diceret: Et si illi non merentur accipere, nobis tamen pro affectu charitatis merces retribuetur, & oratio nostra in sinum nostrum conuertetur, & ad nos reuertetur. Quales autem esse debeant, quibus dicitur: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, ostendit cùm ait: Patrem. Oportet enim quod sint filij, id est, quod careant peccato mortali. Peccatores enim non exaudit Deus, maximè quando vita eorum contraria est eorum petitioni. Sicut si dicat fœnerator: Domine, da mihi æternam vitam, nihilominus tamen cōmodat ad vsuram: vel si dicat aliquis: Domine, ignosce mihi, quia interfeci filium tuum, & statim occidit alium. Similiter si dicat mulier: Da mihi vt faciam mundum caseum, & statim conspuat in lacte suo. Sit igitur filius Dei patris, qui orat & vult exaudiri, non filius diaboli, neq; seruus peccati. Vnde B. Gregorius ait: Qui admissa plangunt, nec tamē deserunt ante districti Iudicis oculos se esse similes his agnoscant, qui venientes ad faciem quorundam hominum magna eius submissione blandiuntur, recedentes autem inimicitias ac damna quæ valent, atrociter inferunt. Ita enim plerunque mali inutiliter compunguntur ad iustitiam, sicut plerunq; boni innoxiè tentantur ad culpā. Patet igitur quales esse debeant, quibus dicitur: Petite & accipietis. Oportet enim quod tales sint vt digni sint exaudiri. Vnde Salomō ait: Longè est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudiet. Et in Threnis Iere. ait: Oppositi nubem ne transeat oratio. Nubes enim peccati, orationem ad Dominum peruenire non finit. Et Dominus per Isa. Cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Et iterū ait: Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Discedat ergo ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Inanis siquidem est oratio, vbi praua est actio. Teste enim Gregorio: Vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat. Pleriq; Deum vocibus sequuntur, sed moribus fugiunt. Hinc ad Titum Apostolus ait: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hæc sunt verba Gregorij ex quibus

*Quid est Christum rogare pro nobis, & quibus modis pro nobis orat*

1. Ioan. 2.

Hebr. 12.

*Quare non rogamus Christum vt ipse pro nobis oret.*

*A quo petendum sit, & quare Deus, qui omnia scit velit rogari.*

Ioan. 15.

*Quare Deum vocaliter oramus.*

*Quod quandoque sancti pro aliis non exaudiuntur.*

1. Reg. 15. Ierem. 7. Ierem. 15.

*Quales mereantur exaudiri.*

Ioan. 9.

*Quod peccatores nō exaudit Dominus.*

Prouer. 15. Thren. 3. Isa. 1. Item 59.

Titum 1.

quibus apertè ostenditur, quod non omnis qui dicit: Domine, Domine, introibit in regnũ cœlorum. Nam & Ethnici hoc faciunt. Qui tamen sicut Ætna igne gehennali ardore, scilicet, peccatorum succensi sunt. Vnde & ab Ætna Ethnici meritò nuncupãtur. Dominus autẽ in Euangelio ait: Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes, accipietis. Oportet igitur quod qui exaudiri vult à Domino, habeat fidem operantem per dilectionem. Si enim fecerimus Dei voluntatem, & ipse nostram faciet voluntatem, & erimus de numero illorum, quibus dictum est: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, id est, si tales sitis quod Deus pater vester sit, & vos eius filij per adoptionem, exaudiemini. Si enim aliter petimus, non petimus piè, quia contradicimus opere. Cùm enim Dominus ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, intelligitur piè ad salutem pro vobis, & perseueranter. Piè vt petamus, sicut filij: deuotè, scilicet, & ex charitate, quod datur intelligi per hoc quod ait: Patrem. Ad salutem, quod datur intelligi per hoc quod ait: In nomine meo. Pro vobis, quod datur intelligi per hoc quod ait: Dabit vobis. Quod autem perseueranter petendum sit, ex alio loco scripturæ habemus manifestè expressum, & maximè vbi Dominus ait: Pulsate & aperietur vobis. Non sufficit enim petere orando, & quærere bene operando, nisi pulsemus perseuerando, propter improbitatem enim surgit amicus, & dat nobis panes quotquot habemus necessarios. Oportet enim semper orare & non deficere. Vnde Iacobus ait: Multum valet oratio iusti assidua. Et in Euangelio Dominus ait: Vigilate omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere omnia quæ venitura sunt. Et Apostolus ad Colosſ. ait: Orationi instate vigilantes in ea. Perseuerare igitur debemus in oratione. Nihil enim prodest incipere & non consummare. Vnde Salomon ait: Melior est finis orationis quàm principium. Et in Ecclesiastico dicitur: Ne impediaris orare semper. Martinus siquidem oculis ac manibus in cœlum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et Dauid ait: Benedictus Dominus qui non amouit orationẽ meam, & misericordiã suam à me. Quæ, scilicet, non priùs amouebitur, nisi oratione amota. Luctari igitur debemus sicut Iacob cum Angelo magni consilij, & nõ deficere, donec benedictionẽ accipiamus. Moyses enim ad præceptũ Domini, primò percussit lapidem, & tamen aquæ non exierunt, secundò percussit & exierunt. Similiter Eliseus palleo Eliæ primò percussit fluuium Iordanis, & non est diuisus, secundò percussit & diuisus est. Deus enim non statim vult audire, sed differt dare postulata multiplici ratione. Vnde beatus Gregorius ait: Dissimulat Deus audire dolentium vocem, vt augeat vtilitatem, vt purgetur vita per pœnam, & quieta tranquillitas, quæ hîc inueniri non potest, alibi quæratur. Et in Canticis sponsa ait: Quæsiui, & non inueni eum. Aliquando enim quærentibus se abscondit, vt fortius quæratur, & à tenentibus videtur declinare, vt fortius teneatur. Vnde Gregorius ait: Absconditur se sponsus cùm quæritur, vt non inuentus ardentius quæratur, & differtur quærens sponsa, ne inueniat, vt tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inueniat quod quærebat. Tardius igitur exaudiuntur quorundam orationes, vt dum differuntur, maioribus præmiis cumulentur. Plenius etiam accenditur desiderium orandi per difficultatem impetrandi. Quandoque aunque enim quantò semina tardius exeunt, tantò ad fruges cumulatius crescunt. Vehementem sanctos Dominus non exaudit, quando, scilicet, ignoranter talia petunt, quæ sibi non expediunt. Non enim in nomine Iesu petit, qui ea quæ saluti suæ non expediunt, orando requirit. Sicut Paulus stimulum satanæ, qui datus erat sibi ad conseruationem humilitatis, à se remoueri petiit. Teste enim Gregorio: Si id quod nõ expedit, petitur, in nomine IESV non petitur. Vnde non est exauditus ad voluntatem, licèt sit exauditus ad salutem. Ait enim Isidorus: Sæpè multos non exaudit Dominus ad voluntatem, licèt exauditi sint ad salutem. Credimus tamen quod Paulus non simpliciter orauit stimulum amoueri, sed piam quandam conditionem intellexit, scilicet, si Deus sciret illud sibi expedire, & tamen in hoc redarguitur, quia magis inclinabatur eius animus ad hoc, quod tolleretur stimulus, quod tamen non expediebat. De his ergo de quibus ignoramus vtrum expediant nobis vel non expediant, nunquam simpliciter debemus orare, sed piam cõditionem apponere. Nescimus enim in huiusmodi quid oremus, sicut oportet, id est, quam partẽ in oratione petere debeamus. Bona autem spiritualia & æterna simpliciter à Deo postulare debemus. Sed nunquid orat simpliciter Ecclesia pro peste amouẽda, pro pluuia impetrãda, pro terræ fructibus, & pro infirmis, vt Deus illis restituat sanitatem. Dicimus quod in talibus licèt non apponatur, subintelligitur conditio, scilicet, sicut vis & scis, ita Domine, tribuas nobis. Raro tamen & non sine necessitate magna peti debent ista temporalia, maximè cùm Dominus dicat: Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Ista enim adiectiua sunt quæ sine substantiuo in spiritu & veritate oportet adorare, id est, pro veris & spiritualibus bonis, nõ simpliciter pro temporalibus & caducis, nõ pro lucro temporali, vel abundantia frugũ, quia nescimus vtrũ magis expediat nobis, vt egeamus quã vt victualibus abundemus. Quãdo tamẽ necessaria huius vitæ generaliter poscimus, & sustentamentũ corporis, sine quo Deo seruire nõ valemus, sicut cùm dicimus: Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie, videtur quod sine aliqua cõditione illa piè petere valeamus, dũmodo ad Deũ petitionẽ nostrã referamus. Sicut dicimus: Da nobis Domine, necessaria corpori nostro, victũ, scilicet, & vestitũ, vt tibi seruiamus. Panẽ nostrũ comedemus,

*Matth. 7.*
*Item 8.*
*Marc. 11.*
*Gal. 5.*
*Quod quatuor exigantur ad hoc quod qui petit, repulsam non patiatur.*
*Matth. 7.*
*Luc. 11.*
*De perseuerãtia petendi.*
*Luc. 17.*
*Iacob. 5.*
*Luc. 21.*
*Colos. 4.*
*Eccles. 7.*
*Eccles. 18.*
*Gen. 32.*
*Num. 20.*
*4. Reg. 2.*
*Quod Deus differt exaudire multiplici ratione.*
*Cant. 5.*
*QEod Dominus aliquando nõ exaudit ad voluntatẽ sanctos petentes pro se.*
*2. Cor. 12.*
*Rom. 8.*
*Quibus orationibus apponenda est conditio vel subintelligenda.*
*Matth. 6.*
*Luc. 12.*
*Quod temporalia possumus petere sine cõditione, sed non specialiter.*
*Matth. 6.*
*Luc. 11.*
*Isa. 4.*
*1. Tim. 6.*

vestimentis nostris operiemur, habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Quoniam igitur temporalia ad æterna adipiscenda sunt necessaria, possumus ista generaliter & simpliciter petere, dummodo principaliter oculum habeamus ad Dei seruitium, & bona æterna promerenda. Rogare eum possumus, quæ ad pacẽ sunt Hierusalẽ, siue sint bona visibilia & corporalia, siue sint bona inuisibilia & spiritualia. Possunt igitur peti temporalia, nõ vt finẽ constituamus in eis, sed ne mens humana sollicitudine distrahatur. Vnde Salomon ait: Diuitias & paupertatẽ ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. Econtrà teste Augustino: Qui Deum petit vt aliquid assequatur, non Deum quærit, sed quod adipisci concupiscit. Beda autem ait: Non prohibentur ciues patriæ cœlestis in terra peregrinantes pro pace temporum, pro salute corporum, pro vbertate frugum, pro serenitate aurarum, pro cæteris huius vitæ necessariis Deum petere, si ob id solùm petantur, vt abundante viatico in præsenti, liberius ad futura bona tendatur. Non tamen credimus, quod ista specialiter peti debeant sine conditione expressa vel intellecta. Generaliter tamen & simpliciter peti possunt, non vt in his finem constituamus, sed vt ea ad Dei seruitium referamus. Quidam autẽ temporalem prosperitatẽ à suo creatore quærunt, non vt eidem creatori deuotioribus animis obediant, sed vt abundãtius comessationibus & ebrietatibus vacent. Huiusmodi petitores accipere non merentur, eò quòd malè petant. Plerunq; enim in rerum opulentia regnat carnis culpa, & valde difficilè inter opulas seruatur pudicitia. Ex supradictis igitur manifestum est, quod boni aliquando bona petunt, & non exaudiuntur, aliis pro quibus petunt effectũ orationis impedientibus. Vnde & Samuel non est exauditus pro Saule. Aliquando petunt bona & audiri differuntur, vt crescat desideriũ, & desiderantis meritũ. Aliquando petunt bona, & eorũ petitio in præsenti non impletur. Sicut cùm dicitur: Adueniat regnum tuum. Quod regnum post vniuersale iudicium creditur aduenturum. Aliquando petunt boni non bona, id est, sibi non expedientia, & non exauditur. Sicut Paulus carnis stimulum à se remouendum petiit, & non est exauditus. Similiter filij Zebedæi non sunt exauditi, qui priùs volebant regnare, quàm pati. Delectabãtur culmine honoris, quos nondum exercuerat via laboris. Et Petrus qui priùs volebat quiescere quàm laborare, priùs habere præmium quàm meritum, non est exauditus, cùm ait: Faciamus hîc tria tabernacula. Similiter & Iacobus & Ioannes non sunt exauditi, cùm dixerunt: Domine, si vis, dicimus vt ignis descendat de cœlo & consumat eos. Quoties autem boni bona vera petunt piè & perseueranter & ad salutem & pro se, nunquam repulsam patiuntur. Pari modo mali quandoque bona petunt, & non exaudiuntur, quia exaudiri non merentur. Superfluè quippè se à Domino exaudiri putant in suis orationibus, qui eum audire contemnunt in suis sermonibus, Salomone attestante, qui ait: Qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Scriptum est enim: Subditus esto Domino, & ora eum: Nisi enim Deo subditi simus benè viuendo, quomodo ab eo exaudiemur? Vnde Gregorius ait: Esau non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eum, quia fructum non habent lamenta, quæ fudent cum gemitu desiderare peritura. Aliquando mali petunt mala, & non exaudiuntur, de quibus Iacobus ait: Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis. Aliquãdo mali petunt mala, & exaudiũtur ad voluntatẽ suam, sed nõ ad salutẽ. Sicut diabolus petiit vt læderet substantiã Iob, & exauditus est, sed inde deterior factus est. Similiter Iudæi gulosi petierunt & venit coturnix, sed ad malum ipsorum. Adhuc enim escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Respexit igitur Dominus in orationem, sed non in orationem, sicut econuerso aliquando respicit in orantem, & non in orationem, quemadmodum dictum est de beato Paulo. Nos igitur fratres charissimi, vera bona ita petamus, vt exaudiri mereamur. Quemadmodum Dominus denuntiat, dicens: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Teste enim Beda: Regnum Dei & iustitiam eius quærere, est cœlestis patriæ dona desiderare, & quibus iustitiæ meritis ad illud peruenire debeamus, indesinenter quærere. Et Isidorus ait: Primùm est quærere Deum, deinde honestatem vitæ cum innocentia operis bona, scilicet, æterna, & bona spiritualia. Et Dominus in hodierno Euangelio ait: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum, id est, petite plenum & verum gaudium, & accipietis. Gaudium enim mundi non plenum, sed vacuum est, nisi fortè dicatur plenum vento. Sicut gaudium carnis plenũ est luto. Gaudium autem æternum plenum est omni bono. Hîc autem inchoatur spirituale gaudium, sed est quasi semiplenũ. Implebimur autem & perficietur in futuro. In temporalibus autem bonis non est plenum neq; verum gaudium. Subitò enim lætitia à tristitia absorbetur. Gaudium in doloreẽ vertitur: sanitas infirmitate læditur: ampla possessio paupertate tenuatur: prosperitas aduersitate sternitur: iuuentus tendit ad senectutem: vita ad mortem. Hanc autem vitam miseram & caducam dolores excruciant, labores exasperant, humores tumidant, afflictiones extenuant, ardores exsiccant, aëris corruptiones morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, gaudia dissoluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiarum copia auaritiam & superbiam facit, paupertas deiicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, frangit infirmitas, mœror cõsumit, & post hæc omnia mors succedit. Et ita vniuersis gaudiis carnalibus finem ponit, vt cùm esse desierint, nec fuisse putentur. Pro nihilo enim reputatur quicquid finẽ clauditur. Et quoniam magnam nobis tribuit DOMINVS fiduciam petendi, cùm ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit

*Prouerb. 30.*

*1. Reg. 15.*

*Matth. 6.*
*Luc. 11.*
*2. Cor. 12.*
*Matth. 20.*
*Marc. 10.*
*Matth. 17.*
*Mar. 9.*
*Lucæ 9.*
*Lucæ 9.*

*Quod boni repulsam non patiuntur.*

*De petitione malorũ, quando exaudiũtur & quãdo nõ.*

*Prouerb. 28.*
*Gen. 27.*

*Iacob. 4.*

*Iob 1.*

*Conclusio cum morali exhortatione.*

*De incommodis vitæ.*

dabit vobis, adeamus cum fiducia thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno, atque ipsum suppliciter exoremus, vt det nobis gratiam in præsenti & gloriam in futuro, vt gaudium nostrum, quod hîc inchoatur in ipso, in æterna beatitudine plenum efficiatur, & perficiatur ab ipso, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen. *Heb.4.*

## IN MAIORI LÆTANIA, SCILICET, SANCTI MARCI, THEMA DE INTROITV MISSAE, sumptum ex Psalmo.

*Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.*

CVM omni tempore rogandus sit Deus, sicut scriptũ est: Sine intermissione orate. Maximè exorandus est in tempore tribulationis, & imminente articulo necessitatis. Vnde & Propheta ait: Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Et Dominus ad instructionẽ nostram, imminente passione, factus in agonia prolixius orabat. Propterea in Eccles. dicitur: Fili mi, in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Deum, & curabit te. Et Psalmus ait: Pro eo vt me diligerẽt, detrahebãt mihi, ego autẽ orabam, quasi diceret: In omni tribulatione mea, confugi ad orationem. Sicut enim in lætitia & gaudio spirituali debemus Deum laudare, ita in tribulatione & tristitia ad orationis remediũ semper debemus confugere. Inuocabis me, ait Dominus, in die tribulationis, & eruã te, & honorificabis me, id est, in tribulatione inuocabis orãdo, postquam verò liberatus fueris, honorificabis me laudando & gratias referendo. Propterea licèt diebus Paschalibus vsque ad diem ascensionis de Dominica resurrectione gaudeat vniuersalis Ecclesia, hodie tamen orationes & ieiunia, luctum & supplicationes gaudiis Paschalibus interponit, vt in die bonorũ non sit immemor malorum, quæ quondã his diebus peccatis exigẽtibus, Dominus immisit specialiter Romanis, & frequenter diebus Paschalibus, his qui indignè corpus Christi in Pascha susceperunt, vel post susceptionẽ ad peccata redierunt, mortẽ subitaneã, & alia iracundiæ suæ flagella, Dominus immittit. Quemadmodũ Apost. ait de indignè recipiẽtibus: Idcirco multi infirmi sunt inter vos, & dormiũt multi. Propterea constitutũ est in Ecclesia Dei, vt hoc tempore Pascali interponatur omnibus hymnis, paucis exceptis, versus iste: Quæsumus author omniũ in hoc Paschali gaudio, ab omni mortis impetu, tuum defende populum. Legimus autẽ in historiis Romanorũ, attestante Paulo Montis Cassiani monacho Longobardorũ historiographo, quod tẽpore Pelagij Papæ, immisit Dominus triplicẽ pestẽ Romanis. Prima fuit diluuiũ aquarum, quæ tantũ dicitur excreuisse, quod vsq; ad superiores fenestras templi Zenonis, quod erat in vrbe ascendissent. Cuiusmodi diluuiũ à diebus Noë nõ est auditũ. Secunda fuit pestis, quod per fluuiũ Tiberim magna serpentũ multitudo ciuitatẽ inuasit. Inter quos draco magnus valde dicitur aduenisse. Ex horũ autẽ serpentũ venenosis flatibus corruptus est aër, & inde pestis tertia exorta est, quã inguinariã appellãt, eò quòd ex aëris corruptione apostema in inguine subitò oriebatur, & statim duobus diebus vel tribus transactis, homines moriebãtur. Contra hanc pestẽ Papa Pelagius indixit omnibus ieiuniũ, & processionẽ fieri præcepit. In qua etiã processione ipse Papa & septuaginta alij expirauerunt. Postmodum B. Gregorius, qui prędicto Pelagio successit, cùm iterum processionem fieri præcepisset, dum esset in processione, vidit Angelum Domini gladium sanguine infectum, extergentẽ, & in vagina ipsum reponentem. Ex quo signo intellexit, quod ira Dei placata esset, & vltio diuina cessaret, & instituit hanc processionem singulis annis fieri in Ecclesia Dei, & vbiq; terrarum ieiunia obseruari. Et quia cum orationibus hæc processio habet fieri, Lætania appellatur, id est, supplicatio vel rogatio, eò quòd hodie specialiter Deo supplicamus, vt à morte subitanea & ab omni aduersitate nos defendat. Dicitur autem hæc Lætania maior, respectu aliarum, quæ fiunt ante ascensionem, tum quia ab ipso Papa instituta est, tum quia vbiq; terrarũ obseruatur, & insuper ratione loci, quia instituta est in Ecclesia Romana, quæ caput est aliarũ Ecclesiarũ. A quibus autẽ & quare alię Lętaniæ, quæ dicuntur minores, institutæ sint, loco & tempore suo, Domino concedente dicemus. In hac autem processione non debemus vti veste solemni vel ornatu seculari, sed cum omni humilitate incedere. Mulieres autẽ non debẽt choreas ducere, nec cantare cantilenas ad lasciuiam pertinẽres, sed cum silentio Domino supplicare vel Kyrieẽleyson cantare. Hæc enim processio alicubi nigra appellatur, & etiam nigræ cruces dicuntur, eò quòd cum nigris vestibus, & etiam discalceatis pedibus vbiq; solebant incedere, sicut adhuc incedunt Romę, & propter tristitiã ac mortem subitaneã, quam in memoria debemus habere, & Domino supplicare, vt Deus à nobis illam auertat. Et nõ solùm à peste inguinaria corporali, sed insuper à peste inguinaria spirituali nos defendat, ne moriamur in inguine percussi per luxuriã, sicut interfectus est Abner, percussus in inguine Asaël impetuose currens. Per quem designantur illi, qui impetum libidinis nimis permittunt procedere & retinere contemnunt. Vnde Naum Propheta ait: Intra in lutũ & calca, subigens tene laterem. Intrare enim debemus in lutũ, cogitãdo nos esse vas stercorũ, & calcare carnalem concupiscentiam, ac tenere laterem, id est, ante oculos mentis habere nostram fragili-

*1. Thessa. 5.* *Quod in tribulatione instantius debemus orare.* *Luce 21.* *Eccles. 38.* *Eccles. 11.* *1. Cor. 11.* *De triplici peste immissa Romanis.* *De causa institutionis huius processionis, & latanie.* *Quare hec latania maior dicatur, & qualiter fieri debeat.* *De peste inguinaria spiritualiter.* *2. Reg. 2.* *Naum. 3.*

fragilitatem, vel tenere, id est, retinere laterem carnis nostræ, ne frangamur per luxuriam. Similiter & Isbozeth interfectus est à duobus latronibus, ac percussus in inguine, in meridie obdormiente ostiaria. Per quem designantur illi, qui per abundantiam & secularem lætitiam tanquam per duos homicidas ac latrones in meridie, id est, in tentationis ardore corruunt per libidinem, dum ostiaria purgans triticum, id est, ratio, cuius officium est purgare virtutes à vitiis, obdormit, errore ignorantiæ decepta, vel torpore negligentiæ depressa, dum non benè mentis ostiũ custodit. Luxuria autem pestis inguinaria dicitur, quæ ferè omne genus hominũ occupat, & tanquam pestis corpus eneruat & debilitat, bona gratuita prorsus tollit, naturalia autẽ corrumpit, pecuniã emungit, famã denigrat, personã hominis maculat, quæ tunc specialiter inguinaria dicitur, quando relicto naturali vsu, Sodomitico vitio masculi inuicem vel fœminæ ignominiosè polluuntur. Alienati enim sunt huiusmodi peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, semen propaginis humanæ extra vas debitum effundentes, & tanquam falsi monetarij cuneum abominationis suæ ad fabricam alienam conuertentes, ex qua naturalis moneta procedere non potest. Sed quoties inguinarij isti pessimi semen turpiter fundunt, quantum in se est, hominem perdunt: vnde non Sodomitæ, sed homicidæ sunt. De quibus Psalmus ait: Percussit eos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. In posteriora percussi sunt, id est, in secretiori parte natium, sicut Philistæi. Non solùm autem in inguine est eorum conuersatio, sed habitant in extremis maris, id est, in posterioribus masculorum, de quibus Isaias ait: Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus. Hodie etiam Saraceni post immunditias & abominationes suas aquis abluentes corpora sua, se mundari æstimant à peccatis. Similiter & hi in hortis & in locis amœnis luxuriãtur, non solũ cum mulieribus, sed insuper cum masculis, post ianuam intrinsecus, id est, retro, quod turpe est dicere, sed turpius est facere. Vnde ad confusionem illorũ ista dicuntur, qui hæc facere non erubescunt, in quo etiam canum immunditiam excedũt. Bruta enim animalia cum sexu consimili non coëunt. Vnde isti meritò plusquam canes & canum præcessores nominari possunt. In Genesi autem dicitur, quod Onan qui semen fundebat in terram Dominus interfecit, quia nequã erat, id est, non quis, scilicet, non homo. Et isti abusores, non solùm infra homines, sed infra pecudes à Domino reputantur. Vnde & Sodoma reputatur muta, quia Sodomitæ legem loquendi inter homines non habent. Gomorrha autem aspera interpretatur. Hæc enim abominatio supra alias Deum exasperat. Vnde Augustinus ait, quod Deus ferè incarnari rennuit, qui tam nefandum flagitium viderit in humana natura esse perpetrandum. Vnde in Leuitico dicitur: Cum masculo ne commiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est. Et in Exodo Dominus ait: Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Vnde in iure ciuili Iustinianus ait: Cùm vir nubit in virum, insurgant leges, armentur iura, vltore gladio feriantur, quicunque huius criminis sunt vel futuri sunt rei. Alexander etiam huiusmodi si fuerint clerici, deponi præcepit, & in monasterio ad agendam pœnitentiam retrudi. Hoc est de exceptis criminibus, crimen, scilicet, læsæmaiestatis: vnde arcet ab omni prælatione. Propterea sicut in Ioël dicitur: Dominus assignans causas suæ disceptationis in valle Iosaphat, ait: Posuerũt puerum in prostibulo, & puellã vendiderunt pro vino vt biberent. Et in lamentationibus suis Iere. ait: Adolescentibus impudicè abusi sunt. Et Isa. ait: Proiecisti populũ tuum domũ Iacob, quia pueris alienis adhæserunt. Hoc enim vitio Dominus videtur quasi amisisse patientiã suam. Post iudiciũ enim aquæ, iudiciũ ignis reseruauit in fine mundi futurũ. Sed nõ expectãs mundi finẽ, ait: Clamor Sodomorũ & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatũ eorũ aggrauatũ est nimis. Descendã & videbo, quasi increbile & admirabile videretur homines tantũ flagitiũ posse perpetrasse. Et pluit super Sodomam & Gomorrham ignẽ & sulphur propter ardorẽ peccati & fœtorem. De quo Apost. ait: Dedit Deus eos in passiones ignominiæ, nam fœminæ eorũ mutauerũt naturalẽ vsum in eum, qui est contra naturam. Similiter & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos, turpitudinẽ operãtes, & mercedem quam oportuit in semetipsis recipientes, id est, fœtorem & coinquinationẽ. In detestationẽ autẽ & memoriã tanti criminis, postquã subuertit Dominus Sodomã & Gomorrhã, & omnẽ circa regionẽ, id est, quinq; ciuitates, remanet vsq; hodie in eodẽ loco mare mortuum, id est, stagnũ quoddã, in quo nil potest viuere, nec nauem aliquã, vt dicitur potest sustinere. Si quis autem in eo pannũ aliquẽ intermiserit, statim putrescit, & quasi in puluerẽ redigitur. Iuxta ripã eius dicuntur esse arbores poma portãtes in cortice nitentia, sed intus plenã sunt cinere & fauilla. Dominus autẽ masculũ & fœminam creauit ad multiplicãdos homines. Masculum enim & fœminã creauit eos, nõ masculum & masculum, vel fœminam & fœminã. Sodomitæ autem quantũ in se est, illos destruunt, tanquã hostes Dei & generis humani. Vnde & in canonica Epist. Iudas ait: Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates, simili modo exfornicatæ & abeuntes post carnem alterã, factæ sunt exemplum ignis æterni. Exfornicatæ dicit, quia extra omnem fornicationẽ peccauerunt. Vel exfornicatæ, id est, extra naturalẽ locum fornicatæ, abierunt post carnẽ alteram, quia non possunt fieri vna caro, sicut vir & mulier. Asserunt autẽ pleriq; Hieronymũ dixisse in scripturis suis, quod nocte illa & eadẽ hora qua Dominus natus est, quod omnes Sodomitæ percussi à Domino, morte subitanea perierunt. Pro solo autẽ aspectu retro ad Sodomam vxor Loth versa est in statuã salis, vt nobis daret exemplũ, quod nec cogitatione debemus respicere ad tam detestabile

*De peste luxuriæ, & principaliter de peste vitii Sodomitici, quæ specialiter pestis inguinaria dicitur.*

*Rom. 1.*

*1. Reg. 5.*

*Isa. 66.*

*Gen. 38.*

*Leuit. 20.*

*Exod. 22.*

*Ioël. 4.*

*Thren. 4.*

*Isa. 2.*

*Gen. 18.*

*Gen. 19.*

*Gen. 1.*

*Gen. 19.*

detestabile vitiũ. Rogare igitur debemus Deum, & ieiunare contra hanc pestem inguinariam. Hoc enim genus dæmonij non nisi in ieiunio & oratione eiicitur. Causa autem peccati Sodomorum, sicut in Ezechiële dicitur, fuit abundantia panis & superbia. Abundantiæ opponitur ieiunium, superbiæ oratio. Tertiam etiam causam assignat, quia manum egeno non porrigebant. Cui vitio opponitur eleëmosyna. Debemus igitur hodie ieiunare, orare & eleëmosynas pauperibus erogare, vt Deus à nobis prædictam pestem, & alias tam corporis quàm animæ auertat. Propter hoc enim instituta est hodierna lætania, id est, supplicatio. Vnde de modo orandi & supplicãdi, & de spe & de fiducia exaudiendi, instruimur in officio Missæ, vbi dicitur: Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. Si enim templũ Dei sumus, vt ipsum intus in corde habeamus, tunc possumus habere fiduciam, quod nos exaudiet Dominus. Alioquin si per peccatum à nobis Deum eiiciamus, & templũ Dei destruxerimus, nõ exaudiet, sed destruet nos Dominus, sicut scriptũ est: Iniquitatẽ si aspexi in corde meo, nõ exaudiet Dominus. Scimus quia peccatores nõ exaudiet Deus. Vnde Propheta ait: Quoniã ad te orabo Domine, manè, id est, repulsis vitiorũ tenebris, exaudies vocẽ meam. Aliter enim non exaudires, sicut idẽ ait: Introibo in domũ tuã, adorabo ad templum sanctũ tuum. Priùs enim in domũ Dei intrare debemus, vt de numero fidelium simus. Et tunc ad templum Dei adorare debemus, vt ad vera & æterna bona mentis oculum habeamus, vel ad ipsum Christũ, cuius meritis exaudimur. Propterea iterum Psal. ait: Exaudi Domine, iustitiã meam. Iustitia enim vocẽ habet apud Deum, & penetrat vsq; ad cœlum. Iniquitas autẽ nos impedit, & orationẽ nostrã in cœlum ascendere nõ sinit. Igitur ante orationem præparet homo animã suam, vt à peccatis purgẽtur, & exaudiri mereatur. Teste enim Gregorio: Virtus orationis est celsitudo charitatis. In mensa enim propositionis super patenã aurea thus ponebatur. Tunc enim incensum orationis in cõspectu eius ascendit, quando ex patena aurea, id est, ex corde, per charitatem dilatato procedit. Sine igne charitatis non ascendit ex hoc thure fumus suauitatis. Vnde Iacobus ait: Postulet in fide, nihil hæsitans, id est, sic credat & viuat, vt dignus sit exaudiri, ne remordeat eum conscientia, nec propter immundã cõscientiam de præmiis cœlestibus hæsitet, & se exaudiri diffidat. Teste enim Isodoro, inaniter oramus, si spei fiduciam non habemus. Si enim voce oramus & opere cõtrarij simus, respondet Dominus: Incensum tuũ abominatio est mihi. Vnde Salomon ait: Longè est Dominus ab impijs, & orationes iustorũ exaudiet. Et Iacobus ait: Petitis & nõ accipitis, eò quòd malè petatis. Malè quidem petunt, qui perseuerãtes in peccatis, vt sibi ea dimittãtur, impudenter orant. Malè petunt, qui vocem Domini iubentis audire obtemperãdo cõtemnunt, & nihilominus Deũ vocẽ suam exaudire deposcũt. Qui enim declinat aurẽ suã ne audiat legẽ, eius oratio erit execrabilis. Vnde in Euang. Dominus ait: Quid vocatis me Domine, Domine, & nõ facitis quę dico? Et Psal. ait: Subditus esto Domino, faciẽdo, scilicet, quod præcepit, & tunc ora eum. Exaudit igitur Dominus de templo, id est, orationẽ illã recipit, quæ de templo procedit, id est, de corde puro & mundo, quod est templum Dei. Vel de templo exaudit nos Dominus, id est, de Christi corpore. Christo enim incarnato cõsecuti sunt effectũ orationis suę. Et hi præcipuè, qui in limbo inferni tenebantur captiui. De templo etiã, id est, de cœlo exaudire dicitur, quia magis apparet ibi effectus potẽtiæ suæ, & quia ibi præcipuè quiescit, & sedẽ habet in sanctis cœlestibus, qui nunquã illum offendunt, nec in aliquo illi contradicunt. Exaudit autem Dominus non solùm vocem, verùm etiam cor & opera bona. Vnde & Moysi tacenti ore, sed clamãti corde, Dominus ait: Quid clamas ad me? Et Susanna tacens, exaudita est à Deo. Erat enim cor eius fiduciã habẽs in Domino. Similiter opera bona Cornelij Dominus exaudiuit, & eleëmosynę eius cõmemoratę sunt in cõspectu Dei. Propterea Psal. ait: Accipe lachrymas meas. Lachrymæ enim põdera vocis habẽt. Aures autẽ Dei dicuntur auditus clemẽtiæ eius vel maiestatis ipsius præsentia. Vnde in Psalm. Verba mea auribus percipe Domine, id est præsentia maiestatis tuæ. Est igitur triplex oratio, cordis, scilicet, oris & operis. Oratio cordis dicitur cordis affectus, de qua Psal. ait: Apud me, id est, in corde, oratio Deo vitæ meæ. Os enim sapiẽtis in corde ipsius. Et iterũ de oratione cordis Propheta ait: Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te facies mea. Et Paulus ait: Orabo spiritu, orabo & mente. Et Isidor. ait: Si tacitè quis orat & vox sileat, quãuis hominẽ lateat, Deũ latere nõ potest, cui cõscientia præsens est. Internus enim Iudex mentẽ potius q̃ verba cõsiderat. Et S. Benedictus ait: Non in multiloquio, sed in puritate cordis & cõpunctione lachrymarũ nos exaudiri sciamus. Oratio oris est, de qua Psal. ait: Voce mea ad Dominũ clamaui. Licèt enim Dominus cogitationes nostras non ignoret, exigit tamẽ oris deprecationẽ, vt linguã nostrã in eius obsequiũ cõuertamus, & propter deuotionẽ excitandã. Sicut enim flatus ignẽ accendit, sic pronuntiatio deuotionẽ. Quod enim flatus facit carboni, hoc facit pronũtiatio deuotioni. Et quoniam vis est nõ solũ in herbis vel lapidibus, sed etiã in verbis, quædã sunt orationes vocales, quibus Dominus virtutẽ dedit & efficatiã spiritualẽ, sicut credimus de oratione Dominica, & de quibusdã aliis: vnde & versus iste: Disrupisti Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis, si dicatur imminente morte, multũ dicitur prodesse: vnde tales orationes plus credũtur valere, si vocaliter proferãtur, q̃ si tantũ mentaliter cogitẽtur. Licèt enim virtutes verborũ speciales ignorẽmus, Dominus illas agnoscit, & diabolus virtutẽ verborũ cõtra se sentit: sicut serpẽtes verborũ efficatiã sentiunt, dũ proferãtur ab incãtatore, & potestatẽ nocẽdi amittunt, licèt incantator

*Ezech.16.*

*Expositio thematis. 1. Cor. 3. Sit templum Dei qui vult exaudiri. Ioan. 9.*

*Eccles. 35. Thren. 3. Eccles. 18. Leuit. 24.*

*Iacob. 1.*

*Isa. 1. Prouerb. 15. Iacob. 5. Contra peccatum temeritatem dirigunt. Prouerb. 28. Luc. 6.*

*Alia expositio eius, quod sit de templo. Tertia expositio. Quod Dominus nõ solùm orationẽ cernit, sed cordis & operis exaudit. Exod. 14. Dan. 13. Act. 10. Quod triplex sit oratio. Eccles. 21. De mentali oratione. 1. Cor. 15. In regula sua.*

*De oratione vocali.*

*Iob 41.*

verborum efficatiam non agnoscat. Quidam tamen virtutem verborum abundantiâ malitiæ in se impediunt, sicut impeditur virtus medicinæ ex vi morbi prævalentis. Vnde Dominus in Iob ait: Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Quod de verbis, id est, de iniquis, intelligitur. Oratio autē operis est, de qua dicit Apost. Sine intermissione orate. Non enim desinit orare, qui non desinit benè agere. Hoc modo Phineës orauit, quando accensus zelo, iram diuinā placauit. Hoc modo Christi merita pro nobis intercedūt, & ipse est Sacerdos semper viuēs ad intercedendū pro nobis. Sicut igitur omne opus misericordiæ largè dicitur eleëmosyna, sic omne opus bonū largè oratio nuncupatur, quia orationis habet effectū, & impetrat quod mens desiderat. Vnde Beda ait: Odoramēta phyalarū sunt orationes sanctorū, quia quicquid boni operātur aut dicūt, qui simplici intētione Deo seruiūt, totū profectò hoc vicem orationis implet pro eis, nec aliter posset impleri illud Apostolicū: Sine intermissione orate. Et in Eccle. dicitur: Ne impediaris semper orare. Bona enim vita est oratio cōtinua. Semper etiā dicitur orare, qui horas debitas & institutas obseruat, & nō prętermittit ex negligētia. Vnde Psalmus ait: Benedictus Dominus, qui nō amouit orationē suam me, id est, qui me perseuerare fecit orando. Et in Eccles. dicitur: Qui cōseruat verbū, multiplicat orationē. Ergo legē seu verba seruare, idē est quod orare. Vnde ibidē dicitur: Deprecatio pro peccatis, est recedere ab iniustitia. Et de Moyse Gregorius ait: Vtrobiq; legatus fortis, vtrobiq; mediator admirabilis, causam populi apud Deū precibus, causam Dei apud populū gladiis allegauit. Patet ergo quod Moyses ipso facto orauit, & veniam populo impetrauit, dum quosdam ex malefactoribus interfecit. Exaudit igitur Dominus vocem cordis, vocem oris, vocem operis. Clamemus ergo ad Dominum corde, ore, & opere. Vnde in Introitu hodiernæ Missæ dicitur: Et clamor meus in cōspectu eius introiuit in aures eius. Clamor dicitur deuota oratio cum cordis desiderio. Vnde Psalmus ait: Ad te Domine, clamabo, ne fileas à me, id est, responde mihi, exaudiendo me. Intensum autem desiderium, clamor est apud Deum. Vnde in Leuitico dicitur: Nebula & vapor operiat oraculum, quod est super testimonium, vt non moriatur, scilicet, offerens. Super oraculum seu propitiatorium diuinæ misericordiæ, oportet ascendere nebulam & vaporem, vt feruor desiderij & deuotio orationis ascendat ad Dominum. Tantò magis ascendit fumus, quantò vi ignis sursum pellitur, sic oratio tantò magis ascendit, quantò maiori feruore charitatis impellitur. Sit igitur oratio nostra deuota, vt clamor noster ascendat ad Deum. Qui enim indeuotè orat, iudicium sibi postulat. Maledictus enim omnis qui opus Dei facit fraudulenter & desidiosè. Vnde Hieronymus: Malo vnum Psalmum cum deuotione cantare, quàm totum Psalterium cum tædio & torpore. Et Propheta ait: Delectare in Domino, mentis, scilicet, deuotione, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et iterū ait: Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea, id est, in corde per deuotionis suauitatē. Et in Eccle. dicitur: Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur. In oblectatione, id est, cum mentis hilaritate & deuotione. Cauemus igitur ne orando negligenter & indeuotè oratio nostra fiat in peccatum. Qua enim fronte dicere audemus Deo: Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, orando vt Deus intendat, cùm nos intendere non velimus. Timendū est ne Dominus dicat de nobis: Populus iste labiis me honorat, cor autē eius longè est à me. Mens igitur hominis qua thuribulū, dum orat sit clausum inferius ad terrena, apertum autem superius, vt deuotè cogiter cœlestia. Vnde in Eccles. dicitur: Ante orationē prępara animā tuam, id est, attende, quātus sit cui supplicare intendis, & excita animā tuam ad deuotionem & supplicationē intentam, ne torpeas in oratione. Quia intenta supplicatio, dormire cor mundum vetat. Econtrà, quando negligenter & corde frigido oramus, muscæ morientes perdunt suauitatē vnguenti, id est, importunę cogitationes sibi inuicem succedentes, tollunt deuotionē orationis. Propterea Dominus ait: Vigilate & orate, id est, vigilanter orate, vt abigamus muscas & aues importunas cum Abraham à sacrificio nostro, & auertamus oculos nostros ne videant vanitatem. Si quis autem cum Rege vel Imperatore loquens, non curaret quid diceret, sed tantùm labiis oris & non cordis loqueretur, nónne ridiculum seu fatuus haberetur. Sic Dominus orationem tanquā ridiculosam contemnit, quæ de summitate labiorū tantū procedit. Sicut autē illa pars orationis, quæ subest deuotioni, deuota est: ita illa, quæ subiacet vanæ cogitationi, vana est. Si tamen homo non negligat, licèt vanas cogitationes sentiat, & ipse illas nō admittat, sed expellere studeat, meritoriam dicimus orationem, licèt muscæ morientes perdant suauitatē deuotionis. Vnde Gregorius ait: Quantò grauiori tumultu carnalium cogitationum premimur, tantò orationi insistere ardentius debemus. Non enim possumus vanis cogitationibus prorsus carere. Elias enim qui claudere fit cœlum oratione, non prorsus potuit claudere animum à vana cogitatione, vt facilius posset cœlū obserare quàm animū. Non tamē ob hoc debemus in oratione torpere. Teste enim Greg. Cogitatio immūdi nō inquinat cùm pulsat, sed cùm mentē sibi per delectationē subiugat. Licèt autem turba cogitationū nos increpet vt taceamus, debemus semper magis ac magis clamare, vt non finamus Deum per torporem in cordibus nostris dormire, sed cum intenso desiderio clamare: Exurge, quare obdormis Domine? Et ita clamor noster in conspectu eius introibit in aures eius. Diligenter autem attendendum est quod ait Propheta: In conspectu eius, id est, clamor, quem intus habeo in conscientia, non coram hominibus, vt non sit oratio vana. Propterea ipse alibi ait: Adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium, id est, in cor-

*Iob 42.*
*De oratione reali siue operis.*
*1. Thess. 5.*
*Num. 25.*
*Hebr. 7.*
*Eccles. 18.*
*Eccles. 35.*
*Exod. 23.*
*De triplici clamore.*
*Leuit. 16.*
*De orationis deuotione contra indeuotè orantes.*
*Ierem. 48.*
*Eccles. 35.*
*Isa. 30. ex 70.*
*Eccles. 18.*
*Eccles. 10.*
*Matth. 26.*
*Gen. 15.*
*Quod importunæ cogitationes repellendæ sunt.*
*3. Reg. 7.*
*Matth. 10.*
*Luc. 18.*
*Contra vanā orationem.*

in conſcientiis, vbi veri adoratores adorant patrem in ſpiritu & veritate & non in vanitate, ſicut Phariſæi qui orabant in angulis platearum, vbi diuerſæ plateæ coniunguntur, vt à pluribus viderentur. Orant in angulis, vt abſconditi videantur, & tamen in plateis, vt à multis videãtur. Sicuit Poëta quidam ait: *Et fugit ad ſalices, & ſe cupit antè uideri.* Fugit ad ſalices vt in vmbraculo latere velle videatur, & tamen cùm fugit, videri appetit. Labia igitur doloſa habet, qui ſic orat in vanitate, non in veritate. Vnde Pſalmus ait: Auribus percipe orationem meam, nõ in labiis doloſis ſupple prolatam. Vnde Iſidorus ait: Qui laudem humanam appetendo iactanter orat, non ſolùm eius oratio non delet peccatum, ſed ipſa vertitur in peccatum, ſicut ſcriptũ eſt: Et oratio eius fiat in peccatum. Hi ergo non poſſunt dicere cum Propheta: Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Non enim orant in cõſpectu Dei, ſed in cõſpectu ſeculi. Clamor igitur noſter ſit in conſpectu eius, vt introëat in aures eius, id eſt, in conſcientia interius, vbi conſpicit Dominus. Sit in conſpectu eius vt ad ipſum, non ad mundum reſpectum habeamus, vt ſit recta intentio, & ad ipſum cor noſtrum ſurſum leuemus. Legimus enim in Exodo quod Moyſe orante, Hur & Aaron manus eius ſuſtẽtabant. Hur interpretatur ignis. Aarõ mõtanus. Ignis enim charitatis & recta atq; præeminens intentio manus noſtras debet in oratione ſuſtentare. Ob hoc enim Dominus in monte orare voluit, & dum oraret, oculos ſurſum eleuare, vt nos, dum oramus, doceret cor ſurſum habere. Aſcendat itaque oratio noſtra ſicut virgula fumi ex aromatibus, vt ſit recta, ſubtilis, odorifera. Recta, per intentionem: ſubtilis, per diſcretionem & contemplationem: odorifera, per deuotionem, vt in hora incenſi introëamus vſque ad interiora velaminis intra ſancta ſanctorum. Teſte autem Gregorio, dum conditori omnium mens iungitur, poteſtate quadam ſuper omnia ſubleuatur. Leuemus igitur corda cum manibus ad Deum. Rectos enim decet collaudatio, ſimiliter rectos decet oratio. Idcirco enim erecti & manibus eleuatis plerumque oramus, vt oſtendamus quod cœleſtia debemus petere & ſurſum cor habere. Aliquando tamen flexis genibus oramus propter humilitatem, & propter deuotionem excitandam. Dicitur enim quod puer ſuper genua faciem habeat in vtero matris. Vnde & à genis genua dicuntur. Et ideo vt fragilitatis & conditionis noſtræ memores ſimus, genas in oratione verſus genua inclinamus. Dicunt etiam quod flexis genibus oculi naturaliter prouocantur ad lachrymas tanquam collectaneis naturali reſpondentes affectione, eò quòd in vtero matris ſuper oculos genua habeat. Aliquãdo autem proſtrati oramus, ſcilicet, in profeſtis diebus, vt per hoc magis humiliemur, infirmitatem corporis oſtendentes, quia puluis ſumus, & in puluerem reuertemur. Et ſimiliter infirmitatem animi, quia per nos cadimus, & per nos reſurgere non valemus. Et propter peccatorum erubeſcentiam, quia oculos ad cœlum erigere non audemus. Et in ſignum cautelæ, quia qui cadit ante faciem, videt quò cadat. Boni enim antè cadunt per humilitatem & cautelam, mali retrò corruunt per indiſcretionem, nec vident vbi cadant, dum autem proſtrati oramus, ſignificamus ſtatum pœnitentium. Quando autem flexis genibus oramus, reliquo corpore eleuato ſignificamus ſtatum proficientium. Orantes autem ſtando ſignificamus ſtatum perfectorum. Qui etiam proſtratus in terram orat, gerit figuram illius, qui dicebat: Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Qui flexis & expanſis manibus orat, gerit figuram illius, qui dicebat: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Qui autem ſtando orat, gerit figuram illius, qui dicebat. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, ſtantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Aliud inſuper myſterium ex hac triplici corporis diſpoſitione intelligimus: Nam oſculum ad pedes repræſentat Eccleſia, dum orat proſtrata. Oſculum ad manus, dum orat flexis genibus. Oſculum ad caput, dum orat erecta. Quidam aut ſupini orant per ſuperbiam, ſicut Phariſæus: dicens: Gratias tibi ago Deus quod non ſum ſicut cæteri hominum. Quidam curui per auaritiam, ſicut mercatores, qui orant ſibi pecuniam multiplicari. Quidam diſtorti per malam intentionem, qui non propter Deum, ſed propter nummum legunt Pſalterium. Tales erant hi, de quibus in Euangelio legitur, quod deuorabant domos viduarum, ſub obtentu prolixæ orationis. Diſtorti etiam ſunt in orando, qui voluntatem ſuam, voluntati diuinæ volũt præponere, ſicut Petrus, cùm ait: Abſit hoc à te Domine. Econtra Dominus ad patrem ait: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. De ſitu autem & diſpoſitione corporis, in orando diuerſi diuerſa ſentiunt: Ioannes Caſſianus magis approbat, vt oremus erecti, dicẽs: Diutius procũbentes, non ſolũ cogitationibus, ſed etiã ſomno grauiũ impugnamur. De his tamen non poſſumus generalem dare doctrinam. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, ſecundum quod viderit ſibi magis competere. Quidam autem, dum orant, ſeipſos affligunt, ponentes genua nuda ſuper terram vel lapides. Alij autem ſedere volunt ſuauiter, vt nulla ſentiant corporalem leſionem, per quam à ſuauitate ſpiritus retrahantur vel à deuotione retardentur. Moyſes autem cùm orabat, manus leuabat. Maria Magdalena inclinauit ſe ad pedes Ieſu, & Dominus tam hunc, quàm illam exaudiuit. Cùm ergo aliquis vult orare, eo modo ſe adaptet, quomodo deuotius poſſit orare, ſiue ſedendo, ſiue ſtando, ſalua tamen inſtitutione Eccleſiæ in publicis orationibus. Sacerdos enim in miſſa ſtare debet erectus & diſcooperto capite. De qua oratione intelligitur, quod ait Apoſtolus: Vir non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt. In profeſtis autem diebus proſtrati ſolemus orare, dum preces dicuntur in fine horarum. In priuatis autem orationibus, quilibet aptet ſe

*Exod. 17.* *Matth. 14.* *Cant. 3.* *Heb. 6.* *Thren. 3. De uario ſitu orationum, ac uaria corporis diſpoſitione.* *Gene. 3.* *Luce 18.* *Iob 10.* *Cant. 1.* *Contra orantes indebito modo.* *Luce 18.* *Matth. 23.* *Mar. 12.* *Matth. 26.* *Mar. 14.* *Luce 22.* *Rom. 14.* *Exod. 17.* *Ioan. 20.* *1. Cor. 11.*

secundum quod sibi viderit expedire, dummodo intra cubiculum conscientiæ suæ, clauso ostio cordis, & quinque sensuum contra vanas cogitationes animum erigat ad Dominum, vt clamor eius prædicto modo fit in cõspectu Domini. Et ita introibit in aures eius penetrando vsq; ad maiestatẽ Dei in excelsis ad similitudinem fidelis nuntij. Turba enim fantasmatum seu inanium cogitationum Dominum cõprimit, sed sola deuota oratio illũ tangit, & vsque ad tribunal eius ascendit. Oratio enim iusti quasi auicula est, quæ virtutum plumis distincta ieiunio & eleëmosyna alata cœlos penetrat. Vnde Ieremias ait: Leuemus corda nostra cum manibus ad Deũ, id est, bonis operibus tanquã alis ieiunãdo, scilicet, & Eleëmosynas erogãdo. Et Psalmist: Intret oratio mea in conspectu tuo, quæ, scilicet, quasi quędã persona ad Deũ intrat, & mandatum peragit, quo caro peruenire nõ potest. Vnde in Eccles. dicitur: Oratio humiliãtis se, nubes penetrat, & donec propinquet nõ cõsolabitur, & nõ discedet donec altissimus aspiciat. Nõ consolabitur orãs vel oratio, de qua loquitur tanquã de legato. Hæc est enim pacis legatus, quẽ præmittere debemus, priusquã cum Rege lõgè potentiore nobis ineamus cõgressum. Quãdo enim iudicaturus venerit, vnum pro mille nõ valebimus respõdere. Quantò autẽ à profundo cordis oratio emittitur, tãtò magis ascẽdit & sublimius eleuatur. Sicut sagitta tãtò longius emittitur, quãtò arcus fortius tenditur, & magis chorda trahitur. Præcedat igitur faciẽ nostrã pura oratio, quæ velut aquila in altum se eleuat, & radiis irreuerberatis solẽ iustitiæ intuetur. Aliquãdo tamen visum ad ima reflectit & declinat, dũ cadauera peccatorum nostrorum orãdo respicimus, & ea quasi rostro confessionis & orationis laceramus. Breuis autem oratio cœlos penetrat, id est, humilis eius, scilicet, qui breuem & quasi nullum se æstimat, dum se peccatorem agnoscit.

Matth. 6. De oratione quæ sursum ascendit ad aures Domini introeundo.
Matth. 9.
Tren. 3.
Eccle. 35.
Luc. 14.
Iob 9.
Simile.
Iob. 39.

Quoniam autem in hoc aëre caligino so habitant aëriæ potestates, & orationes nostras impedire nituntur, atque per regionem suam transitum negant, necesse est nobis, quod per Angelos sanctos ante tribunal iudicis vehantur. Vnde & in Tobia Angelus ait: Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Non hoc ideo dicit, quod orationes nostræ Domino per Angelos innotescant, sed dicuntur Angeli orationes nostras Domino offerre, id est, Dominum super orationibus nostris consulere, & nobis orantibus, vt benè agamus, & ad Dominum orationes nostras referamus suggerere. Similiter & pro nobis, tam Angeli quã sancti, qui sunt in patria orare Deum dicuntur, dum vota nostra cupiunt impleri, quod ramẽ non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda cognouerint. Quod enim cognoscunt esse in Dei voluntate, id solum volunt. Adeò enim addicti sunt voluntati diuinæ, vt nihil præter eius possint velle. Intercedere etiam dicuntur pro nobis meritis suis, dum eorum meritis nobis suffragantur. Oramus igitur sanctos, vt intercedant pro nobis, id est, vt merita eorũ nobis suffragentur, & vt ipsi velint bonum nostrum, quia ipsis volentibus Deus vult, & ita fiet. Ipsis igitur cooperantibus & adiuuantibus, exaudit Dominus de templo sancto suo vocem nostram, & clamor noster in conspectu eius intrat in aures eius. Et ita patet, quãta sit virtus & efficatia purę orationis. Orante enim Moyse in mõte, & manus ad Dominum leuante, victi sunt Amalechitæ. Orante Petro in cœnaculo dimissus est discus de cœlo, cum reptilibus mactandis & Christo incorporandis. Oráte Ecclesia, rupta sunt Petri vincula. Oráte Ezechia, prolongata est eius vita. Orante Christo, aperti sunt cœli in baptismo. Orante Helia, missus est ignis de cœlo. Ad eius etiã orationes clausum est cœlũ, & postmodum apertum. Orante Dauid, impetrata est populo vniuerso venia peccatorum. Orationibus liberata est Susanna. Et orante Moyse, ignis consumens extremam partem castrorum extinctus est. Audierat autem Balaa, quod filij Israël non vincebant armis, sed orationibus. Vnde ait: Ita delebit hic populus omnes, qui in finibus nostris morantur, quomodo solet bos herbam carpere, vsque ad radices. Sicut autem nebula fugit, & dissipatur ante solem, sic diabolus ante orationem. Orationibus enim sanctorum diabolus confunditur & perdit viros, ac velut igne succenditur. Serpens enim tortuosus virtute orationis incantatur, & nocendi potẽriam amittit. Pessimum enim genus dæmonij, ieiunio, id est abstinentia à malo, & oratione eiicitur. Alioquin nisi à malo abstineamus, virtutem orationis amittimus. Et idcirco fratres abstinere à peccatis debemus, vt Deus orationes nostras exaudiat, & lętanias atque processiones nostras gratas habeat & acceptas, & flagella iracundiæ suæ à nobis amouear. Nisi enim peccare desierimus, non solùm in præsenti, sed in æternũ, quod Deus auertat, flagellabimur. Vnde in Ieremia legimus: quod Prophetæ conquerenti & dicenti: Vsquequo concideris mucro Domini? Vsquequo non quiescis? ingredere in vaginam tuam, refrigerare & sile, respondetur: Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei aduersus Ascalonem, & aduersus maritimas Regiones? Mucro Domini, dicitur flagellum diuinæ vltionis, quod nõ quiescit, nisi quiescamus nos à peccatis. Nõ refrigeratur, nisi ignis peccati in nobis refrigeretur. Et idcirco Dominus præcipit illi aduersus Ascalonem, quę ignis immobilis interpretatur, & aduersus maritimas Regiones. Quia propter ignem luxurię & auaritiæ, & propter iræ, inuidiæ, & aliorum peccatorum amaritudines Dominus irascitur populo Christiano, immittendo ei mortem subitaneam, pestem inguinariam & varias afflictiones. Ignis enim succensus est in furore suo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, nisi per gratiam suam, & piissimam misericordiam Deus illum extinguat in nobis. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Quod Angelis mediantibus orationes nostræ ad Deum ascendunt, & qualiter Angeli, & sancti qui sunt in gloria dicuntur orare pro nobis.
Tob. 12.

De multiplici virtute & efficatia orationis.
Exod. 17.
Actuum 10.
Actuum 12.
Isaiæ 38.
3. Reg. 17.
Dan. 13.
Num. 22.

Matth. 9.

Conclusio vbi ostenditur quod inaniter oramus nisi à malis abstineamus.
Ierem. 47.

Deut. 32.

FERIA

## FERIA SECVNDA IN LÆTANIA MAIORI, siue in Rogationibus, Thema de Epistola.

*Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini.* Iacob. 5.

DIES isti dicuntur rogationes, seu rogationum dies, quia sanctos rogamus specialiter his diebus, vt pro nobis ad Dominum intercedant. Dicitur autem hodierna Lætania minor, respectu præcedentis, quæ fit in festo sancti Marci, quia à minore fuit instituta, scilicet, à beato Mamerto Viennensi Episcopo, & Viennę primo fuit celebrata, nec adeò generaliter celebratur cum ieiunio in Italia, sed tantùm circa montes in Occidentali prouincia. Alia autem dicitur maior Lętania, quia à summo pontifice fuit instituta, & in vrbe Romana, & celebratur tam circa montes, quàm vltrà. De minori autem Lętania, quæ his tribus diebus ante ascensionem celebratur, dicit Gregorius Turonensis Archiepiscopus, quod tempore beati Mamerti Viennæ & circa fines eius crebri terræmotus fierent, adeò quòd magna ædificia, tam domorum, quàm Ecclesiarum corruerent, & multos opprimerent. Quæ tempestas per annum integrum durauit: Sabbato etiam Paschali dum beatus Mamertus diuinũ celebraret officium, igne de cœlo misso, regale palatium, quod erat in ciuitate, cõbustum est. Tertium etiam flagellum addidit illis Dominus. Nam bestiæ crudeles, lupi scilicet, apri, & cerui à nemoribus exeuntes & ciuitatem intrantes, non solùm paruulos & fœminas, sed viros deuorabant. Attendens autem beatus Mamertus huiusmodi trinam pestem pro peccatis populi à Domino fuisse immissam, triduanum indixit ieiunium, vt qui trinum Deum tribus modis, id est, corde, ore, & opere offenderant, tribus diebus ipsum placarent, ad similitudinem etiã Niniuitarum, quorum subuersionem cùm Ionas prædiceret, quia humiliauerunt in ieiunio animam suam vestiti saccis, & abstinentes à cibis, misertus est illis Dominus. Quantò magis miseretur Dominus his, qui in fide & charitate pœnitent? Homines enim Niniuitæ gentiles erant, ignorantes veritatem Dei, nescientes quid esset inter dexteram & sinistram suam. Similiter de Achab legimus, quòd cùm comminatus ei fuisset per Heliam, Dominus scidit vestimenta sua, ieiunauitque, ac dormiuit in sacco, & ambulauit dimisso capite. Et ait Dominus ad Heliam: Nónne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia humiliatus est coram me, non inducam malum in diebus eius. Si tantum fecit Dominus propter pœnitentiam fictam hominis reprobi, qui ei displicebat, quid faciet propter pœnitentiam iusti, qui placet illi? Non solùm autem triduanum ieiunium indixit beatus Mamertus, sed & processiones triduanas cum Lętaniis fieri præcepit, & ita pestis cessauit. Vnde & Liberius Papa ad petitionem sancti Mamerti concessit, quod singulis annis huiusmodi fierent processiones in Ecclesia Occidentali Cisalpina, non solùm pro prædictis pestibus amouendis, sed insuper pro aliis aduersitatibus. Vnde hoc tempore præcipuè habent fieri, quo bella frequentius solent emergere, & fructus terræ, qui adhuc in viriditate sunt, facilè solẽt corrumpi per nebulam & tempestatem & aliis modis, & præcipuè ante festum Ascensionis, vt sicut ante Pascha præparamus animas nostras ieiunio quadragesimæ, & ante natale Domini ieiunio Aduentus, & ante Pentecosten ieiunio, quod dicitur Apostolorum. Ita ante Ascensionis solemnitatem ieiuniis & orationibus animas nostras præparemus. Faciamus ergo has Lętanias, vt Dominus hæc omnia à nobis auertat, defendendo nos à peste & fame, ab intemperie aëris, à beluis & ab hostibus Christianæ religionis. In his autem Lætaniis ieiunare solebant in principio in quadragesimalibus cibis. Nunc autem pauci ieiunant primis duobus diebus, nisi in caseo & ouis. Omnes autem debent ab operibus mundanis cessare, sicut in diebus festis, donec facta sit processio, cui debent interesse. Draco autem in pluribus locis primis duobus diebus deportatur & cruces præcedit, cum cauda longa & inflata. Tertio autem die retrò vadit, cauda incuruata & dimissa, quod non vacat à mysterio. Per draconem enim diabolus designatur. Per tres dies, tria tempora significantur. Tempus, scilicet, ante legem, sub lege, & sub gratia. Duobus primis diebus, princeps huius mundi, tanquam Dominus præcedebat, & ferè omnes ad se trahebat. Tempore autem gratiæ conculcatus est à Christo, nec iam audet ita apertè sæuire. Latenter tamen per suggestiones, & fraudes homines seducit, præcipuè illos quos inuenit pigros, & quasi in posteriore parte exercitus fessos remanentes, sicut homines infirmi & debiles, qui vltimi remanent, ab insidiantibus interfici solẽt. Patet igitur ex prædictis, quod huiusmodi processiones principaliter institutæ fuerint propter lupos & bestias crudeles. Et insuper, vt Dominus flagella trina à nobis amoueat. Nam ante legem per diluuium, & sub lege in deserto, & in terra promissionis, & etiam tempore gratiæ populum suum multipliciter legitur afflixisse. Nos enim non tam lupos visibiles, quàm lupos infernales timere debemus, & Domino supplicare vt malas bestias, id est, malignos spiritus à nobis propellat, & ab illorum infestatione nos defendat. Ferus enim singularis, bestia crudelis, quæ deuorauit Ioseph, tãquam leo circuit ouile Christi, quærens quem deuoret, cuius fames satiari non potest. Auidius enim deuorat animas, quasi canis famelicus frustum panis. Hi igitur lupi infernales rapaces & voraces sanguinolenti, & crudeles absentiam canum, & pastorum considerant, ouibus insidiantur, oues supra dorsum suauiter ferre solent, timentes ne si dentes eorum sentirent, oues nitentur vt euaderẽt, & cursum eorum retardarẽt. Et ita pastoribus vel canibus subsequentibus, citius

*Quare tẽpus istud dicatur tẽpus rogationum, & quare dicatur Lętania minor.*

*De causa institutionis huius lętaniæ, et ieiuniorum, & processionũ, scilicet, pro trĩplici flagello Dei.*

1. Reg. 21.

*Contra multiplicia incommoda fiunt lętaniæ triduanæ, & processiones, & quare ante ascensionẽ fiãt.*

*Qualiter hæ processiones & hi dies debẽt obseruari.*

*De draconе qui fertur in pluribus locis ad processionem, & assignatur mysterium.* Ioan. 13.

*Quod contra lupos & bestias crudeles principaliter institutæ sunt hæ processiones.*

*De lupis inuisibilibus & malis bestiis.* Gene. 37. 1. Pet. 5.

citius possent apprehendi: Quando verò securi sunt de præda, confestim de entibus illam lacerant & deuorant: Sic diabolus rapax & crudelis, quando suauiter animas miseras per delectationem carnis vel mundi huius vana blandimenta ad se trahit & seducit. Quando verò securus est de præda, scilicet, in morte peccatoris, nec iam pastores Ecclesiæ metuit, miseram animam dilanians in infernum protrahit. Dicitur autem quod lupus primò visus non nocet, prius autem videns hominem, vocem aufert & rauce scere facit. Et nos prius diabolum inspicere debemus, vt eius præcauentes insidias, vocem orationis, confessionis, & laudis præuenti ab ipso nō amittamus. Tandem de his lupis quàm de membris eorum dicit Sophonias: Iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane. Dæmones enim lupi vespertini dicuntur, in vespera tenebrarum commorantes. Non relinquentes in mane, quia ab omnibus bonis animam spoliant, vt non habeat quod comedat in mane veræ lucis. De his etiam lupis Ezechiel ait: Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædā ad effundendum sanguinē, & ad perdēdas oues, & auarè sectando lucra. Supplicare igitur Domino debemus, vt nos ab his lupis custodiat, & alias pestes tam corporis quàm animæ à nobis auertat. Et specialiter illas quatuor, de quibus Dominus comminatus est Iudæis per Ezechielem, quod mitteret in eos quatuor iudicia sua pessima: gladium, & famem ac bestias malas, & pestilentiam. Ad literam Dominus gladium immittit populo pro peccatis, dum contra eum bella & occisiones insurgere permittit. Similiter & famem corporalem, dum victualia ab inimicis tolluntur, & bona terræ ab hostibus vastantur, vel à locustis, vel per tempestatem, vel per auruginem seu auram noxiam, vel propter defectum pluuiæ terra non dat fructum suum. Bestias autem malas, sicut lupos, vrsos, & apros quandoque in homines sęuire permittit, & vt peccatores puniat, rabiem in eis immittit. Pestilentiam insuper ex aëris corruptione, vel aliquo morbo ingruente, & homines occupante, immittit peccatoribus, sicut Ægyptiis vesicas turgentes, & Philistęos, qui arcam Domini detinebant, in posteriora percussit. Spiritualiter autem Dominus immittit famem, id est, defectū verbi Dei, & aliorum bonorum spiritualium subtrahendo gratiam suam. Bestias immittit, dum dæmones in nos sæuire permittit. Bestiæ etiam peccata dicuntur, quibus anima deuastatur. Leo scilicet superbię, aper iræ, vulpes fraudis & malitiæ: Et generaliter quot vitiis anima peccatoris occupatur, quasi tot bestiis vastatur & laniatur. Per gladium autem peccati defensionem vel dæmonum impugnationem intelligere possumus, vel etiam detractionis peccatū, de quo dicitur: Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Famē verò solet pestilentia sequi, quæ dicitur morbus latè peruagans. Ex fame autē & defectu verbi Dei sequitur mors animarum, sicut scriptum est: Vbi non est gubernator, corruet populus. Pestilentiam etiam exempli mali corruptionem, vel peccati persuasionem ex verbo noxio intelligimus, sicut pestilentia prouenit ex aëre corrupto. Contra huiusmodi pestes his diebus fiunt lætaniæ & processiones. Vnde & Iacobus in hodierna Epistola ad lætanias, id est, supplicationes nos admonens ait: Cōfitemini & orate pro inuicē, vt saluemini. Alterutrum, id est, coęqualibus peccata quotidiana, & leuia confiteri possumus, quæ ex ignorantia vel infirmitate humana committuntur, quæ facilè dimittuntur. Huiusmodi ergo sociis nostris sufficit confiteri peccata leuia. Vnde & canonici in Ecclesiis conuentualibus mutuò confessionem suam facere solent, dicentes: Cōfiteor Deo rem. Grauiora autem peccata, quæ ex deliberatione fiunt, sacerdotibus tenentur cōfiteri. Vnde Ioan. ait: Est peccatū ad mortem, non pro illo dico vt oret quis, id est, quisquis, quia soli sacerdoti confitendū est peccatū mortale, si copiā sacerdotis habere possumus, & ille debet nos absoluere, & pro nobis orare. Absoluēdo enim orat, & orādo absoluit. Venialia etiā peccata tutius est cōfiteri sacerdoti, si paratū illum habeamus. Sed quia frequēter peccamus venialiter, & huiusmodi peccata retinere memoriter diu nō valemus, conceditur nobis vt ea socijs cōfiteamur. Confiteri autē ante orationem peccata debemus, vt puram ad Deum orationem habeamus, & ante orationem animam nostram per confessionem, & compunctionem præparemus. Teste enim beato Gregorio: sine macula faciem in oratione leuamus, cùm nos nec prohibita mala committimus, nec ea quæ in nobis commissa sunt, retinemus. Iustus igitur in principio sermonis accusator sit sui, vt qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confiteatur. Nam propter hoc pectus tūdimus, dum oramus, vt per pectus contritio, per sonum confessio, per manum designetur operatio. Teste autem Isidoro: qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione postulat, non merebitur. Si autem id quod Deus præcipit, facimus, id quod petimus, sine dubio obtinebimus. Et in libro Regum dicitur: Si quis cognouerit plagam cordis sui, expandet manus suas ad Deum in loco isto, tu propitiaberis ei. Multi plagas cordis non cognoscunt. Vnde medicinam confessionis non quærunt. Manus autem expandimus, dum pro æternis orando benè operamur. Confiteamur igitur peccata nostra, vt sit oratio pura. De peccatis nostris conteramur, vt contriti & compuncti ad orationem accedamus, vt oremus in spiritu & veritate, id est, in spiritus cōtritione, & pro veris bonis. Teste enim Augustino: Qui non habet compunctionem, non habet mundam orationem. Et iterum ait: Anima quæ in oratione compungitur, valdè illi proficit ad salutem. Et Basilius ait: Vbi fuerint lachrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat. Isidorus quoque ait: Vbi lachrymę abundant, ibi cogitationes sordidæ non appropinquant, quia compunctio animæ est illuminatio. Et beatus Gregorius ait: Quia post baptismum inquinauimus, vitam nostram baptizemus

*Sopho. 3.*

*Ezech. 22.*

*De quatuor iudiciis pessimis seu pestibus.*

*Ezech. 14.*

*Prouer. 11.*

*Expositio thematis.*

*1. Ioan. 5.*

*Eccle. 18.*

*Quod cōfessio debet præcedere orationes, vt oremus sine peccatis.*

*Prouer. 18.*

*3. Regum 9.*

*Quod oratio debet fieri cū cordis contritione.*

*Ioan. 4.*

ptizemus lachrymis conſcientiam noſtram. Siquidem cordis compunctio excitat purum orationis affectum. Sicut autem dum nubes ventis agitatur, ſi reſoluatur in pluuiam, ſedantur venti, ſic homo cogitationibus malis impulſus, ſi in lachrymas reſoluatur tentatio, citius ſedatur. Parua enim aqua lachrymarum mitigat magnum ventum tentationum. Propterea Dominus per Ieremiam ait: In fletu venient, & in miſericordia reducam eos, & adducam eos per torrentes aquarum in viam rectam, & non impingét in ea. Et Gregorius ait: Tantò compunctionis bibat lachrymas, quantò à Deo meminit ſe aruiſſe per culpas. Et iterum ait: Si frequenter lachrymis irrigemur, virtutes in nobis non ſiccantur. Et Effrem ait: Lachrymæ fiduciam Dei acquirunt, & ſordidas cogitationes expellunt. Dum enim Dominus aquas emittit, ſubuertit terram, id eſt, terrenas cogitationes, ſicut dicitur in Iob: Vnde dicere debemus, ſicut idem Iob ait: Verboſi amici mei, ad Deum ſtillat oculus meus. Verboſi ſunt & garruli ſenſus noſtri, niſi cuſtodiantur. Quando autem per cordis compunctionem ad Deum ſtillat oculus noſter, ne verboſitate ſua nos inquietent, comprimuntur. Confiteri igitur debemus peccata noſtra, & affligere his diebus animas noſtras, vt ſit oratio pura & compuncta, ne fortè dicat de nobis Dominus, ſicut per Iſaiam reprobis Iudæis ait: Vocabit Dominus in die illa, ad fletum & ad planctum, & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Prius igitur confiteri debemus peccata noſtra, & purgare animas noſtras. Quia qui peccatis ſuis premitur, aliena non diluit. Poſtquam autem purgati fuerimus per confeſſionem, & ad compunctionẽ præparauerimus animas noſtras, orare debemus, non ſolùm pro nobis, ſed orare pro inuicem vt ſaluemur, id eſt, alter pro altero Domino ſupplicare debemus. Vnde beatus Gregorius ait: Plus pro ſe valere ſuas preces efficit, qui has aliis impẽdit. Libentius quippe ſacrificium orationis accipitur, cùm in conſpectu miſericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quædam autem oratio fit ex charitate, quam Deus approbat, quædam ex infirmitate, quam tollerat, quædam ex cupiditate, quam reprobat. Ex charitate fit, dum oramus pro ſalute proximorum. Ex infirmitate Paulus orauit, quando ſtimulum carnis à ſe amoueri petiit. Ex infirmitate etiam Chriſtus orauit, quando calicem à ſeſe transferri poſtulauit. Ex cupiditate orant mercatores, dum pro lucro temporali Deo ſupplicant. Ex carnali etiam cupiditate orauerunt Iudæi, quando petierunt & venit coturnix. Dum autem pro inuicem oramus vt ſaluemur, quia ex charitate oramus, facile à domino quod petimus, obtinebimus. Vnde Dominus de beato Iob ait: Iob ſeruus meus orabit pro vobis, facié eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia. Magnam igitur habet efficaciam aliena oratio. Vnde & Chananæa exaudita eſt pro filia ſua. Et pro paralytico exauditi ſunt, qui per tegulas ipſum ad pedes Chriſti in grabato ſubmiſerunt. Et in Marco dicitur, quod ſurdus & mutus ad preces aliorum curatus eſt. Et de oratione Moyſi Pſalmus ait: Dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius. Et in Exodo Dominus ait: Si minor eſt numerus quàm ſufficere poſſit, ad veſcendum agnum aſſumet vicinum, qui coniunctus eſt domui eius, Id eſt, ſi minus ſufficiens eſt accedere ad corpus Chriſti, rogabit proximum, quatenus oret pro eo. Pennæ enim animalium quæ vidit Ezechiel, iunctæ erant alterius ad alteram. Frater enim fratrem adiuuans quaſi ciuitas firma. Vnde Apoſtolus ad Romanos ait: Obſecro vos fratres per Dominum Ieſum Chriſtum & per charitatem ſpiritus ſancti, vt adiuuetis me in orationibus veſtris ad Deum. Rogat autem Apoſtolus minores ſe, vt orent pro ſe. Multi enim minimi dum congregantur in vnum, fiunt magni. Et multorum preces impoſsibile eſt, vt nõ impetrẽt. Vnde iterum ad Coloſſenſes ait: Orate pro nobis vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, id eſt, ad exponendum illud quod ſecretum eſt de Chriſto. Et ad Timotheum ait: Obſecro primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt. Obſecrationes ſunt adiurationes pro rebus difficilibus, vt pro conuerſione impij, & pro malis remouendis. Orationes in hoc loco dicuntur, quando iam cõuerſis virtutes, & bona opera petuntur. Poſtulationes ſunt, quando iuſtis gloria cœleſtis poſtulatur. Gratiarum autem actiones ſunt de beneficiis acceptis. Obſecratio igitur & oratio, atq; poſtulatio ſunt de futuris. Gratiarum actio de præterito. Quandoque tamen oratio largè ſumitur, pro qualibet ſupplicatione. Aliquando autem inter orationem & deprecationem diſtingui ſolet. Sicut cum dicitur in Pſalmo: Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam. Eſt enim oratio de bonis adipiſcendis, deprecatio de malis amouendis. Inter orationem autem, & adorationem differentia eſt. Orationibus enim petimus, adorationibus reuerentiam exhibemus. Orationes finem habent, adorationes ſemper erunt. Collecta autem propriè dicitur oratio dominica, quæ colligit ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & ea quæ imitanda ſunt & declinanda. Qualiter autem orare debemus pro inuicem oſtendit Iacobus cùm ait: Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. Iuſtus ergo debet eſſe, qui exaudiri vult in oratione. Teſte enim Gregorio: Cùm is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Et iterum ait: Qua mente apud Deum intercesſionis locum pro populo arripit, qui familiarem ſe eius gratiæ eſſe per vitæ meritum neſcit? Aut quomodo ab eo aliis veniam poſtulat, qui verum ſit placatus, ignorat. Generales tamen orationes, quæ in perſona Eccleſiæ fiunt, & ſi à malis pronuntiantur, proſunt. Speciales autem, quæ in perſona propria fiunt à malis, nec illis proſunt

*Ierem. 31.*

*Iob. 12.*

*Iſa. 22.*

*Quod orare debemus pro aliis, & quantum proſunt orationes aliorum.*

*2. Cor. 12. Matth. 26.*

*Num. 11.*

*Iob. 42. Matth. 15. Mar. 7. Mar. 2. Luc. 5.*

*Exod. 12.*

*Ezech. 1. Prou. 18. Rom. 15.*

*Coloſ. 4.*

*De diuerſis modis, & variis ſpecibus deprecandi.*

*Differentia inter orationem & deprecationem, & de collecta.*

*Quod iuſtus debet eſſe, qui vult in ſpecialibus orationibus exaudiri.*

*Mich.3.* prosunt nec aliis, quando vita mala eorum petitionibus contradicit. Vnde Micheas ait: Clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eiis. Excommunicatis autem non prosunt horæ canonicæ, vel generales orationes Ecclesiæ, quia dum ab Ecclesia excluduntur, ab omni Ecclesiæ subsidio priuantur. In secreto tamen speciales orationes pro ipsis fieri possunt, & illis aliquando prosunt. Multum enim valet deprecatio iusti assidua, siue frispecialis in persona sui, siue generalis in persona Ecclesiæ. Vnde per Isaiam Dominus ait: Iudicate pupillo, defendite viduam, subuenite oppresso, & venite arguite me, supple nisi dedero quod petieritis. Et in Ecclesiastico dicitur: Oratio iusti impinguat altare, id est, mentem per deuotionem. Econtra oratio iniusti sterilis est & macillenta. Si igitur exaudiri volumus, oportet quod iusti simus. Primum enim debemus quærere regnum Dei, & iustitiã eius, vt cętera nobis adiiciantur. De his autem qui malè viuunt & iniusti sunt. Gregorius ait: Flendo inaniter mundant, qui nequiter viuẽdo se inquinant, & idcirco se lachrymis lauãt, vt mundi ad sordes redeãt: & quasi lutosa aqua semetipsos voluunt, quia dum fletibus suis vitę mũditiam subtrahunt, ante Dei oculos, sordidas ipsas lachrymas faciunt. Valet ergo multũ deprecatio iusti, præsertim quãdo est assidua. Non solũ enim pura, sed assidua debet esse oratio. Vnde Apost. ait: Orationibus instãtes. Et iterũ: Sine intermissione orate. Et B. Gregorius ait: Citius animus in oratione lassatur, cùm Deus in ea nõ quęritur. Et in Euãg. dicitur: quod Dominus in oratione pernoctauit. Et de Anna prophetissa dicitur: quod nõ discedebat de tẽplo orationibus, & ieiuniis seruiẽs Deo die ac nocte. Et ad Timoth. Apost. ait: Quę verè vidua est, speret in Domino, & instet orationibus. Vagę autẽ mẽtis & instabilis est, nõ posse diu in oratione subsistere. Vnde Greg. ait: Quidã terreno iudici, etiã toto die assistere fortes sunt, in oratione verò corã Domino etiam vnius horæ momẽto lassantur. Et in Luca Dominus ait: Oportet semper orare & nõ deficere. De sancto auem Iacobo dicitur, quod ex assiduitate orãdi camelorũ duritiem genua eius traxisse credantur. De beato etiam Bartholomęo legimus: quod cẽties in die ac centies in nocte genua flectebat. Et de Daniële legimus: quod ter in die Dominũ rogabat, nec timore mortis nec Regis edicto inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. De assiduitate autem, siue de frequentia orationis Hieronymus ait: Sicut militi inermi ad bellum exire nõ conuenit, ita homini Christiano non licet quolibet procedere sine oratione. Et Greg. ait: Quãtò grauiori tumultu cogitationum carnalium præmimur, tantò orationi ardentius insistere debemus. Si igitur turba increpat nos vt taceamus, sicut de cæco in Euangelio legimus: tantò amplius clamemus. Teste enim Gregorio: Cùm vehementer orationi insistimus, stat Iesus vt lucem restituat, quia Deus in corde figitur, vt lux amissa reparetur. Vnde in Ecclesiastico: Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum & curabit te. Et Isidorus ait: Dei seruus quoties quolibet vitio tangitur, toties ad orationem se subdit. Quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Quando autem oramus, importunas cogitationes patimur, & dæmones vt orationes rolant, acrius nos infestant. Plerumque autem diabolus nequã & inuidus nos non pulsat, cùm in domo quiescimus vel in lecto iacemus, venimus ad orationem, mille cogitationum stimulis perturbamur. Nos autem deficere vel cessare ab oratione non debemus, sed clamare ad Dominum cum Chananęa: Miserere mei Domine, filia mea, id est, anima malè à dæmonio torquetur. Fatuus enim est, qui in maris tẽpestate, naui penè dissoluta non clamat ad Dominũ. Cùm enim Rex Babylonis fornacem incendit, rore lachrymarum & orationum extinguitur, ne, scilicet, fęces tentationis turbent vinum compũctionis. Flumina autem lachrymarum tempestatibus & procellis tentationum augmentantur. Instanter igitur orare debemus, quia teste B. Augustino: Orationibus mundamur, lectionibus instruimur, vtrumque bonum est si liceat, si non liceat, melius est orare quàm legere, quia in lectione cognoscimus, quid facere debeamus, in oratione quę postulamus, accipimus. Non solùm autẽ frequẽs & assidua, sed & deuota debet esse oratio. Vnde vigilare debemus in oratione, ne muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti. Oratio siquidem dicitur vnguentum, quia sanat vulnera animarum, sicut vnguentum lenit dolores corporum. Cùm igitur oramus, debemus intrare cubiculum, id est, cordis arcanum. Cubiculum enim intrare est totum hominem, collegendo sursum cor leuare. Clauso autem ostio orare debemus, id est clausis sensibus, per quos hæc exteriora improbè se ingerũt, & turbę fantasmatũ orationibus obstrepũt. Vel clauso ostio, id est, Christo, qui est ostiũ in corde nostro incluso. Pura quidẽ & deuota est oratio, quã suo tẽpore seculi cura nõ interrumpit. Debemus igitur seculares curas à nobis abiicere. Dũ oramus. Vnde de Domino scriptũ est, quod facies eius, dum oraret facta est altera. Omnis igitur carnalis cogitatio absistat. Intentio cordis sincera Deũ non tam sono vocis, quàm sensu animi oret. Propterea Psalmus ait: Os iusti meditabitur sapiẽtiam. Ori attribuit quod est cordis, quia os debet coniungi cordi, & ex cordis abundãtia debet os loqui. Vnde in Ecclesiastico: Os sapientis in corde ipsius, cor autem stultorum in ore eorum est. Et Petrus ait: Vigilate in orationibus, ne, scilicet, animus cogitet aliquid, præter id quod in oratione petitis. Ore quidem orantes, sed mẽte foris vagantes, omni orationis fructu priuãtur. Putas à Deo preces exaudiri, quas nec ipsi qui fundunt, audiunt? Os enim orat, & cor peccunias numerat. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua cordis eorũ transiit in terram. Propterea Psalmus ait: Eructauit cor meum verbum bonum. Non enim de labiorum summitate, sed de cordis profunditate debet oratio procedere. Loquatur igitur cor, & lingua meditetur, sicut scriptum

*De multiplici virtute orationis iusti. Isaiæ.1. Eccle.35. Matth.6.*

*De assiduitate orandi. 1.Thess 5. Lucæ 6. Lucæ 2. 1.Tim.5. 1.Tim.5.*

*Lucæ 18.*

*Dan.6.*

*De instantia orandi in tentationibus. Matth.20. Mar.10. Lucæ 18. Eccle.28.*

*Matth.15. Mar.7.*

*Rom.8. De orationis deuotione, & intẽtione orãtis absque negligentia & feruore orationis. Eccle.10. Matth.6.*

*Lucæ 9.*

scriptum est: Sed & lingua mea meditabitur iustitiam tuam. Et ad Colossenses Apostolus ait: Instate orationi, vigilantes in ea, ab ea scilicet, quæ dormit in sinu nostro custodiendo claustris oris nostri. Dum enim oramus, inimici hominis domestici eius, id est, sensualitatis motus. Propterea Psalmus ait: Vacate & videte. Multitudo enim curarũ & inutilium cogitationũ cordis oculos claudit. Vnde in Reblatha quod interpretatur multa hic, exoculatus est Sedechias. Non enim tam solitudo loci quàm pectoris in oratione requiritur. Multi siquidem in solitudine tumultuantur, in claustro forum inueniunt, in diuersorio quadriuium. Propter hoc Psalmus ait: Psallam & intelligam. Econtra plurimi quã multa dicant, attendunt, sed qualiter dicant, non perpendunt, quasi non melius sit ei, qui vnum panem habet in manibus, & illo reficitur, quàm asino qui centũ forsitan portat, & nullo vescitur. Vnde in Ecclesiast. dicitur: Ne iteres verbum in oratione, id est, ne ita negligenter ores vt te oporteat iterare. Et Psalmus ait: Oratio mea in sinu meo conuertetur, id est, foris nõ vagabatur. Spiritus enim est Deus, & eos qui adorãt eum in spiritu & veritate, oportet adorare, id est, spiritualiter in corde, non tantum ore. Teste enim Isidoro: Longè est à Deo animus, qui in oratione curis seculi fuerit occupatus. Tunc ergo veraciter oramus, quando aliundè non cogitamus. Qui enim curis seculi se implicant, à Deo se separant, & requiem mentis non habent. Quale enim conuiuiũ in corde paraueris, tales conuiuas habere mereberis. Sicut autem non potest aliquis videre faciem suam in aqua turbida, sic anima nostra, nisi à vanis cogitationibus purgata fuerit, Deum videre non potest. Ipse enim amor est, & non sentitur nisi palato puri cordis. Sicut autem lingua dispersa non facilè accenditur, sic cogitationes dispersæ, & non in vnum collectæ igne deuotionis accendi nequeunt. De quibus Iob ait: Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum. Sicut autem lac frigidum muscas attrahit, calidum autem fugat eas & expellit, sic qui torpet in oratione, muscis inutilium cogitationum infestatur. Feruor autem orationis muscas prauarum cogitationum abiicit. Propterea Gregorius ait: Si interna contemplari volumus, necesse est vt ab externa occupatione dormiamus. Aurem enim cordis terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit. Quomodo enim deuotè orare possunt, qui amore huius mundi, quasi in inferno submersi sunt, qui nõ cogitant nisi de mundanis, sicut illi qui in inferno positi sunt, nõ possunt nisi de tormentis? Vnde Hieronymus ait: Caim egressus est à facie Domini, habitauit in Naym, quod interpretatur fluctuatio, quia recedentes à Deo necesse est fluctuare. Non simus igitur vagi cogitatione, ne aperiamus pharetram nostram contra omnem sagittam, nec omni transeũti diuaricemus pedes nostros. Qui enim loquitur de formica, cogitat de illa. Qui verò Deum orat, non cogitabit de illo? Dum enim oramus, loquimur cum Deo, sicut cùm legimus nobis, loquitur Deus. Quomodo enim exaudiet te Deus, nisi tecũ fueris cùm oraueris. Si enim amicum tuũ inuitares, & ipso veniente in domum tuã fugeres, quomodo ipse intraret. Si igitur in oratione tua Deum præsentem vis habere, caue ne vanis cogitationibus cor tuum discedat à te, neq; diuidas illud innumeris cogitationibus, sicut Balthazar patrẽ suũ diuisit in trecẽres partes, & dedit illas totidẽ vulpibus. Propterea in Eccles. dicitur: Cor fatui tanquã vas cõfractum, omnẽ sapientiam nõ retinebit. More enim vasis confracti magis retinet lutũ, versando in mẽte obscœna & inania, dũ orat, quã aquam limpidã puræ cogitationis, & deuotæ orationis. Huiusmodi enim homines nõ sursum corda habent ad Dominũ, sicut promiserunt in missa, sed magis illa habent in bursa per cupiditatem, vel in coquina per gulositatẽ, vel in renibus per luxuriam. Propterea Greg. ait: Qui terrenarum rerũ amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Quantò enim maiori studio exercetur ad infima, tantò maiori fastidio torpescit ad summa. In quorum persona dicitur in Iob: Qui me comedunt, nõ dormiunt, quia maligni spiritus, qui tales consumunt, tantò magis quiescere nesciunt, quantò nullo carnis põdere grauãtur. Huiusmodi autẽ mens diuisa nõ impetrat, dũ enim exterius auditũ aperit, interius obsurdescit. Quid enim prodest strepitus oris, vbi cor mutũ est à laude Dei? Vigilare igitur debemus in oratione, & muscas sordidas & importunas abiicere. Sicut scriptum est: Fili si te lactauerint peccatores, id est, dæmones prauas cogitationes immittẽdo, ne acquiescas eis, scilicet, cõsentiendo, sed statim abiiciendo. Musca enim prauę cogitationis non multum lædit, si citò abiiciatur. Corrumpit autem & coinquinat, si diutius commoretur. Retinere igitur nitamur cor nostrum quod mobile est, velut vnum argentum. Corde enim hominis nihil fugacius. Fugit per oculos, dum vana libenter intuetur, fugit per aures, dum fabulosis & ociosis delectatur, fugit per quoslibet sensus, dum ad exteriora foras euagatur. Cor Dauid visa Bersabea fugit, sed rediit quando pœnituit. Propterea in secundo Regum ipse ait: Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te. Non solum autem deuota & feruens, sed etiam fidelis debet esse oratio. Vnde Iacobus ait: Postuler in fide, nihil hæsitans, id est, firmus & constans, non in fide dubitans. Fundamentum enim debet esse stabile. Vnde non debemus hæsitare in fide. Propterea Dominus in Euangelio ait: Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Potest etiam hoc modo intelligi. Postulet in fide, id est, fiducialiter nihil hæsitans, sed talem habeat conscientiam, vt confidat se esse de numero illorum, de quibus dicitur: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. Sic igitur postulet, quod mortali peccato non remordeatur eius conscientia; sed confidenter petat, quia timida oratio ad aures Dei non accedit. Vnde in Marco Dominus ait: Videte, vigilate, & orate. Videte per fidem, vigilate per spem, orate per charitatem.

*Quod abiicienda sunt inutiles cogitationes.*

*Eccle. 7.*
*Ioan. 4.*

*Iob. 17.*

*Eccle. 6.*

*Iob 30.*

*1. Pet. 5.*
*Gene. 15.*

*Prouer. 1.*

*2. Reg. 12.*
*2. Reg. 7.*

*Quod oratio debet esse fidelis, & quod tripliciter exponitur.*

*Mar. 14.*

*De duplicibus et hæsitãtibus in oratione.*
*1. Cor. 9. Iacob 1. Ezech. 34.*

tatem. Postulet prætereà nihil hæsitans, quin Deus possit peccata dimittere. Nec duos fines sibi constituat, quia homo duplex mente diuisa non impetrat. Vnde Apostolus ait: Sic curro, non quasi in incertum. Hinc est quod Iacobus ait: Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino. Nõ igitur hæsitemus in fide, vel de eius misericordia. Ipse enim timori nostro fiduciam dat, qui per Prophetam clamat. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Vnde Gregorius ait: Ipse Deus noster sibi testis est, qui admonet, vt inuocetur, quod inuocantibus misereri desiderat. Sicut per Psalmistam ait: Inuocabis me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Non igitur hæsitemus, neq; duplices simus. Teste enim Iacobo: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Duplex est qui genu ad precem flectit, & mordente conscientia de impetratione diffidit. Duplex est, qui vult regnare cum Christo, & gaudere cum seculo. Duplex est, qui de bonis quæ agit, non Dei amorem, sed humanũ fauorem quærit. Non igitur hæsitemus fluctuando, sed firmi & constantes simus orando. Vnde de Domino Iob ait: Qui fecit

*Iob 28.*

ventis pondus. Superna enim sapientia animas quas replet & inhabitat, maturitate & cõstantia graues reddit. Econtra de reprobis & inconstantibus ait: Qui extendit aquilonẽ superuacuum.

*Quod oratio debet esse iusta, et discretè debemus orare.*

Illa enim corda possidet diabolus, qui diuini amoris igne nõ replentur. Debet prætereà oratio iusta esse & discreta, vt tantum quod petendum est, petamus. Discretè autem petit, qui ait: Domine sicut vis & scis miserere mei. Quidã enim aliud petunt quã debeant, sicut mater filiorum Zebedæi. Similiter & milites, qui petunt à Domino inimicos suos conculcare. Et plerumque dum ad torneamenta pergunt, missas cantari faciunt, vt victoriã vanitatis obtineant. Qui postquam redierunt, cappam sacerdotis, qui missam celebrauit, libenter raperent si valerent. Recedant ergo vetera de ore nostro, vt oremus in spiritu & veritate, id est, pro veris & spiritualibus bonis. Aliquando autem homines reprobi, dum orant inimicis suis, mala postulant. De quibus Gregorius ait: Qui maledictionibus inimicum appetunt, quid aliud in illo Deum facere volunt, nisi quod ipse facere, aut nequeunt, aut erubescunt? Quid est ergo dicere Deo, occide quẽ odio, nisi apertis vocibus clamare, hoc fac meo aduersario, quod me in illum facere nec peccatorem decet? Et quoniam oratio dicitur oris ratio, discretè oremus, & os cordi cõiungamus, vt ea quę petere debemus, eo modo quo debemus, postulemus. Sit præterea humilis oratio. Scriptum est enim: Respexit in orationem humilium. Non igitur iactemus merita nostra, dum oramus sicut Pharizęus dicens: Ieiuno bis in sabbato. Sed more pauperum, qui dum eleëmosynam petendo mendicant, infirmiora sua ostendunt, ostendamus & exponamus miserias nostras in conspectu Domini, vt discamus cum Dauid: Miserere mei Deus, quoniã infirmus sum. Si igitur prędictis modis orauerimus, vt, scilicet, iusti simus, & iusta ac iusto modo petamus, & orando non deficiamus, tunc implebitur in nobis, quod in hodierna Epistola Iacobus ait: Multum valet deprecatio iusti assidua. Quod etiam exemplo Heliæ ostẽdit, dicens: Helias homo erat similis nobis

*Quod oratio debet esse humilis. Lucæ 17.*

*Expositio & prosecutio literæ. 3. Reg. 17.*

passibilis, & oratione orauit, vt nõ plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Si igitur vnus Helias vna oratione tantum impetrauit, multi fideles, multis orationibus assiduè orando quantũ impetrabunt? Erat enim homo Helias mortalis & fragilis similis nobis passibilis, similis origine carnis fragilitate corporis. Mente etiam aliquando fragilis fuit, quando mulierem expauit, licèt magnus esset, & nulli hominum virtute secundus. Ne igitur trepidaret nostra fragilitas repu-

*4. Reg. 2.*

tans se non posse facere, similia tanto Prophetæ qui curru igneo rapi meruit ad cœlos, consulte de eius oratione locuturus ab humilitate inchoauit, dicens: Similis nobis passibilis. Carne enim

*3. Reg. 17. Item 19. Mysterium de tribus annis & dimidio siccitatis, & de nubecula, & irrigatione terræ.*

infirmus à vidua pascitur. Mente infirmus vnius mulierculæ, minis exterritus per loca deserta fugit. De quo beatus Gregorius ait: Vnde sic potens Helias fuit, vt tot virtutes faceret? Vnde sic infirmus, vt fœminam pertimesceret. In virtutibus quid à Deo accepisset, in infirmitatibus quid de se posset, agnoscebat. Miraculis monstrabatur, infirmitatibus custodiebatur. Orauit igitur Helias, vt non plueret super terram ad conuincendam malitiam Regis Achab, & idololatriæ gentis duritiam. Postquam autem tabe longę inediæ cor superbi Regis, & gentes idolatriæ ad pœnitentiam flexum vidit, vna oratione iterum orauit, & aquas atque fructus quos negauerat, terra restituit. Per tres autem annos & dimidium siccitas fuit. Et postmodum nubecula parua apparente, quasi in similitudinem hominis, cœlum pluuiam, & terra fructum suum dedit. Mysticè autem per tres annos & dimidium tempora illa, quæ ante Christi incarnationem fuerunt, intelligimus. Primus annus siccitatis ab Adam vsque ad Noë fuit. Secundus à Noë vsque ad Abraham. Tertius ab illo tempore vsque ad Moysen. Ex tunc autem vsque ad Christum, quasi dimidius annus fuit. Postmodum verò nubecula parua, id est, Christi caro de mari, id est, de mundo ascendit, quasi vestigium hominis. Quia quidquid est hominis, præter peccatum, habuit. Et ita Christo incarnato, & ascendente in cœlum de mundo, irrigata est terra pluuia doctrinæ, & gratiæ, & copiosæ benedictionis. Dicitur autem in libro Regum: quod puer Eliśei sex vicibus, primo contemplatus est contra mare. Septima autem vice prædictam nubeculam vidit, ascendentem de mari quasi vestigium hominis. Quia non nisi per septiformem spiritum potest quis agnoscere mysterium doctrinæ incarnationis, & gloriam ascensionis eius in cœlum. Post cuius ascensionem missus est spiritus sanctus, & pluuia doctrinæ per vniuersum mundum. Nos autẽ septiformi spiritu cordis nostri re-

*3. Reg. 18.*

spiciamus

spiciamus amaritudinem, donec Deus nobis conferat pluuiam lachrymarum. Potest etiam per tres annos siccitatis & dimidiũ annum, intelligi tempus illud, quod erit in diebus Antichristi. Ipse qui seducet homines per tẽpus, & tempora, & dimidiũ temporis, id est, per annũ & annos, & dimidiũ anni, sicut dicitur in Apoc. Et tũc erit siccitas magna cessante Christi doctrina. Postmodũ verò interfecto Antichristo, multi pœnitentiã agẽt, & reliquię Israël cõuertentur ad Dominũ, & tunc terra Ecclesiæ dabit iterũ fructũ suũ. Quæcunq; autẽ de siccitate & vbertate reddita, & de aliis quæ Elias egit, primò cœlũ precibus claudẽdo, & postmodũ aperiendo, in libro Regũ scripta sunt, ad nostrã instructionẽ conuertuntur. Elias enim in spiritu libertatis audacter respõdit Regi Israël, nõ metuens eos, qui corpus occidunt, animas autem occidere nõ possunt. Ego, inquit, non cõturbo Israël, sed tu & domus patris tui, qui dereliquisti mandata Domini, & secuti estis Baal. Postmodũ autẽ nõ timuit reprehendere multitudinẽ populi idololatrię dediti. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eũ. Si autẽ Baal, sequimini illum. Ipsi enim duobus dominis seruire volebãt, & nunc Domino, nunc Baal sacrificabant. Baal interpretatur superior. Hi igitur Baal seruiunt, qui magni in hoc seculo videri appetunt. Hi autẽ in duas partes claudicãt, qui volunt regnare cum Christo, & magni esse appetunt in hoc seculo. Postmodũ Elias ait: Dentur nobis duo boues, Prophetæ Baal eligãt bouẽ vnum, & in frusta cædentes, super ligna ponãt, ignem autẽ non supponãt. Ego autẽ faciã bouem alterum, & imponã super ligna, ignemq; nõ supponã. Inuocate nomina deorũ vestrorũ, ego inuocabo nomẽ Dei mei, & Deus qui exaudiet per ignem, ipse sit Deus. Deus habet victimam magnã suã, & diabolus suã. Qui carnẽ macerãt & labores sustinẽt, vt efficiantur superiores in hoc seculo, sunt victima diaboli, & bos qui à Prophetis Baal interficitur. Qui verò pro Deo carnem macerant, & semetipsos Deo immolant, boue ab Elia mactato designantur. Per ignem enim exaudiuit Deus in die Pentecostes. Per ignem etiam exaudit, quoties per spiritum sanctum nos audit. Cùm autem Prophetæ Baal immolassent, inuocabant nomẽ Baal de mane vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox quæ responderet. Elias autem illudebat eis, dicens: Clamate voce magna, Deus enim vester est, & forsitan loquitur, aut est in diuersorio, vt, scilicet, purget ventrem, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant se cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Clamant seculares qui semper sunt in tumultu, & inciduntur, dum cor eorum variis curis distrahitur. Baal autem non respondebat, nec eos iuuare valebat. Quando enim maior necessitas instabit, scilicet, in articulo mortis, relinquet nos gloria mundi. Vnde Ezechiël ait: Argentum eorum & aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Tunc Elias altare curauit, quod destructum fuerat, & de lapidibus duodecim illud reædificauit, & fecit aquæductum in circuitu altaris, & composuit ligna, diuisitque bouem per membra, & imposuit super ligna, & quatuor hydrias aquæ impleri iussit, & tribus vicibus super holocaustũ aquam fudit, & fossa aquæductus circa altare repleta est aquis. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu. Et posteà zelo Dei succensus Elias quadringentos & quinquaginta Prophetas Baal occidit. Tunc verus Elias curat altare, quando purgat cor ab iniquitate. Duodecim lapides tulit, quia in fide Apostolica altare Domino construitur. Vt autem Deus holocaustum nostrum incendat, facere debemus fossas per humilitatem, & aquæductum infundentes aquam lachrymarum, vt in Threnis Ieremias ait: Deduc quasi torrentem lachrymas. In circuitu autem altaris fossam & aquæductum facimus, dum humilitate & lachrymarum effusione, mentem nostram munimus. Ligna autem, id est, sanctorum exempla in altari mentis ordinare debemus, vt iuxta sanctorum exempla Domino immolemus. Bouem per membra diuidimus, dum particulatim opera nostra discutimus. Quatuor hydriæ, quæ aquis implentur, quatuor sunt genera fletus, pro peccatis, scilicet, propriis per contritionem, & pro peccatis proximorum per cõpassionem, pro incolatus nostri prolongatione, & pro cœlestis patriæ recordatione. Triplex autem holocausti infusio, triplex est mortificatio, cogitationis, locutionis, & operationis. Cecidit ignis de cœlo & vorauit holocaustũ, & ligna, & lapides, puluerem atq; aquam, quia spiritus sanctus bonis operibus nostris delectatur. Quod enim voramus, cum delectatione sumimus. Per holocaustum mortificatio carnis, per ligna exemplum boni operis, per lapides constantia mentis, per puluerem humilitas cordis, per aquam fletus compunctionis intelligitur. Cùm hæc præ dicta in nobis sunt, acceptum est Deo sacrificium nostrum. Prophetas autem Baal occidimus, dum maleficos viuere non sinimus, dum, scilicet, in eis malitiã destruimus. Vnde Petro dictum est: Macta & manduca. Huiusmodi enim sacrificium valde est Domino gratum & acceptum. Vnde Iacobus hodiernam Epistolam in huiusmodi sacrificium concludens, ait: Si quis à vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Ostendit quanti sit meriti peccatores conuertere, orando pro ipsis, vel ipsos admonendo, vel exemplum bonum ostendendo. Si enim magni meriti est à morte eripere corpus quandoque moriturum, quanti meriti est liberare spiritum, sine fine victurum? Qui enim hoc agit, ab aspectu interni Iudicis superpositione vitæ melioris multitudinem peccatorum abscondit, sicut scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

*Isa.10.*

*Rom.15. 3.Reg.18. De respõsione Eliæ, & eius sacrificio, & de Sacerdotibus Baal, et sacrificio eorũ, quæ omnia mystice exponuntur. Matth.10. Luc.12. 3.Reg.18. Matth.6. Luc.16. 3.Reg.18.*

*Ezech.7. De altari Eliæ et aquæ ductũ & ligni, & boue, & quatuor hydrii, et trina infusione, & igne et combustione, & occisione Prophetarum Baal. 3.Reg.18.*

*Thren.2.*

*Exod.22. Act.10.*

*Quãti sit meriti peccatores ad Deum conuertere.*

Quidam autem codices habent, Saluabit animam suam à morte, animam, scilicet, propriam à morte, quam incurreret, si proximorum salutem negligeret. Si igitur prædicto modo ad imitationem Eliæ, Domino immolauerimus, securè ipsum deprecari poterimus. Sicut enim qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione postulat, non meretur: ita si præceptis Dei obedimus, postulata sine dubio obtinebimus. Non enim se negabit petentibus, & quærentes eum inuenient, qui non quærentibus dedit vt inuenirent. Et pulsantibus aperiet cœlum, vt terra det fructum suum, qui clamat: Ego sum ad ostium & pulso. Ipse enim prior dilexit nos, merita nostra præuenit Dominus noster Iesus Christus. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*Apoc.3.*
*1.Ioan.4.*

## FERIA TERTIA IN ROGATIONIBVS, thema sumptum de Euangelio.

*Luce 11.*

*Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes.*

*Sapien.6. Quod prædicator tria debet habere scientiam, doctrinã & bonã vitã.*
*Ezech.2.*
*Matth.24.*
*Isa.3.*

FRATRES, teste Sapiente, multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Vnde qui vult recipere sanitatem, audiat sapientium doctrinam. Sapiens autem dicitur, qui bonum quod cognoscit, docet & operatur. Hæc enim tria exigit Deus districtè à quolibet prædicatore, scientiã, scilicet, doctrinã, & bonam operationẽ, seu bonã vitam. Vnde Ezechielis dictũ est: Surge & sta, & comede librũ. Surge vita seu doctrina, comede librũ scientia. Et in Euang. Dominus ait: Quis putas est fidelis seruus? ecce vita. Et prudens? ecce scientia, vt det illis escam in tempore, ecce doctrina. Vnde Isaias ait: Non sum medicus, habens, scilicet, scientiam medicinalem per scientiam. In domo mea non est panis, doctrinæ, scilicet. Neq; vestimentum bonę vitæ. Hæc enim tria exiguntur in Prælato. Vnde idem Propheta subiungit: Nolite me constituere Principem populi.

*Eccles.27.*

Hoc est quod in Ecclesiastico dicitur: Homo sanctus permanet in sapientia sicut Sol. Calidus, scilicet, vita, clarus scientia, splendidus doctrina. Ex claritate procedit splendor, sic ex scientia doctrina procedit.

*De his qui dicunt & non faciunt.*

Qui autem scientiam habent & benè loquuntur, sed non benè operantur, sunt sicut tubicines, qui in apparatu belli tubas tenentes pugnam excitant, sed semper aliis pugnantibus vltimi remanent. Sic histrio pugnantes excitat, & ociosus laborantes, & vigilans somnolentos. Et quoniam prædicta tria in me non habeo, diuina indigeo misericordia, & orationibus vestris, vt vires quas imperitia denegat, Dominus per orationes vestras mihi ministret. Et quoniam scriptũ est: Cum obsecrationibus loquitur pauper, ego pauper scientia, doctrina & vita, vestris orationibus & obsecrationibus adiutus, loqui vobis instrã. Quis vestrũ habebit amicũ, &c. Legimus in hodierna Epist. quod tempore Elię magna fuit

*Prouerb.19.*
*3.Regum 17.*
*Luce 11.*

*De siccitate, fame, & defectu spiritualiũ*

siccitas in terra, & defectus bonorũ temporaliũ, exigentibus peccatis populorũ. Nostris autem temporibus magis lugere debemus pro defectu bonorũ spiritualium, quàm pro temporaliũ penuria. Peccatis enim nostris hodie clausum videtur cœlum. Arida enim sunt corda hominum, pluuia gratiæ nobis subtracta. Pluuia etiã doctrinę ad fœcunditatẽ irrigati nõ sumus, quia verba Dei in opera non cõuertimus. Et idcirco terra sterilis & maledicta, sicut in siccitate & defectu pluuiæ fieri solet, hiatu magno aperitur, & non potest impleri. Auarus enim non implebitur pecunia, & qui diligit diuitias, fructum non capiet ex ipsis. Et vt verbis vtar Propheticis, non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendaciũ, & homicidium, & furtum & adulteriũ inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit, quia frater fratrem ad peccandum inducit. Ex quo patet quod iam instant tempora illa, de quibus ad Timotheum Apostolus ait: In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptuosi, voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem eius abnegantes. Erunt homines amantes seipsum, non Deum. Ex qua radice oriuntur omnia mala, quæ sequuntur. Erunt enim cupidi pecuniæ, elati ad Deum, superbi de honoribus sibi impensis à subditis, blasphemi in Deum per hæreses, non obedientes parentibus carnalibus vel spiritualibus, ingrati de beneficiis sibi impensis, scelesti in grauibus perpetrandis, & modum peccandi excedentes, sine affectione, non compatiendo infirmis, sine pace alios inquietando: criminatores, crimina, scilicet, aliis imponentes. Et detractores, famam, scilicet, bonorum maculare conantes. Incontinentes, gulam vel renes non refrænantes. Immites, id est, crudeles, exercendo lites. Sine benignitate, id est, largitate, dum nolunt aliis subuenire. Proditores, aliorum secreta reuelantes. Proterui vel procaces habitu, vel verbis pudorem non seruantes, sed humanam verecundiam inuerecundè agitantes. Tumidi, inflato corde. Cæci, scilicet, non intelligentes neque de quibus agunt. Voluptatum amatores magis, quàm Dei, id est, religionis, carnales delitias spiritualibus præponentes. Speciem quidem pietatis habentes, id est, religionis, quia eadem habent sacramenta cum piis. Virtutem autem eius abnegantes factis. Confitentur enim se esse Christianos, sed operibus Christum negant. Virtus autem religionis est charitas

*Ecclesi.5.*
*Osee 4.*
*De diluuio vitiorum.*
*2.Tim.2.*
*1.Tim.1.*

charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Hæc omnia iam videmus impleta. Ex quo manifestum est, quod ad illa deuenimus tempora, de quibus in Euangelio Dominus ait: Quoniam abundabit iniquitas: frigescet charitas multorum. Et iterum: Putas cùm venerit filius hominis, inueniet fidem in terra. Et in Deuteronomio Dominus ait: Sit cœlum, quod super te est, æneum, & terra, quam calcas ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. Hodie peccatis nostris exigentibus cœlum illud, quod extendit Dominus, sicut pellem factum est nobis æneum. Sonum diuinæ scripturæ tantùm audimus, sed non fructificat in cordibus nostris. Cœlum etiã æneum est, id est, prædicatores & prælati Ecclesiarum, quia verba habent & non opera, sonori sunt, sed aridi. Terra autẽ ferrea est, id est, subditi, duri & obstinati. Cœlum etiã æneum est, quando transgressores mandatorum Dei nullam à sanctis merentur clementiam, nec rore doctrinæ infunduntur, homines duri, sicut scriptum est: Mandabo nubibus ne pluant super illam. Ostium enim clausum est, id est, intelligentia scripturarum, & pueri iam sunt in cubili cum patre suo, id est, sancti, qui terrã solebant irrigare prædicãdo, iam sunt in æterna quiete. Dat etiã nobis Dominus pro imbre puluerem, id est, pro fœcunditate virtutũ, sterilitatẽ vitiorũ. Et cinis combustionis æternæ, de cœlo descendit, dum diuina vltro peccatores æternaliter punit. Quid igitur restat nobis miseris, nisi lugere, orare & ieiunare his diebus si fortè cõuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem. Et sicut in Iona dicitur: Reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus. Dominus enim nobis immittit tribulationes, vt humiliemur sub potenti manu Dei, & clamemus ad ipsum, qui adiutor est in oportunitatibus in tribulatione. Sicut enim accepta est pluuia in tempore siccitatis, ita gratior est misericordia in tẽpore tribulationis. Quemadmodũ scriptũ est: Inuoca me in die tribulationis, & eruã te. Inuocemus igitur Deũ in tribulatione, ibi enim saluator ponetur murus & antemurale, & si impellatur ciuitas, nõ tamẽ subuertitur. Media enim nocte surgere debemus, vt in tenebris tribulationũ amicum nostrũ excitemus. Non enim obliuiscitur misereri Deus, nec cõtinebit in ira misericordias suas. Vnde Psal. ait: Ego autẽ cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabã in ieiunio animã meã, & oratio mea in sinu meo conuertetur, quia, scilicet, armatus omnibus tentationibus resistere potest Christianus. Cùm autem tria mala principaliter nos impugnent, superbia, scilicet, & luxuria, ac auaritia, oratio medicamentum est contra superbiam: ieiunium contra luxuriam: eleëmosyna contra cupiditatem. Vnde ad Tobiã Angelus ait: Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosyna, magis quàm thesauros auri recondere. Oratio enim quasi his duabus alis sursum fertur. Sicut enim Christus orauit in cruce, ita & nos in cruce orare debemus, vt oratio comites habeat eleëmosynam per compassionem, & carnis afflictionem. Illa enim oratio in cõspectu Dei pinguescit, quam carnis maceratio pascit. Affligatur igitur asina per ieiuniũ, vt Balaã videre mereatur Angelũ. Teste enim Gregor. ea quæ perscrutati in nobismetipsis plenius nitimur, sæpè verius orando quàm inuestigando penetramus. Qui igitur ieiuniũ coniungit orationi, quasi mitra electa dat suauitatem odoris. Frustrà quidam manus suas ad Deum in oratione expandit, qui pro posse suo eas ad pauperes non extendit. His igitur diebus Rogationum eleëmosynę pro nobis rogant, sicut Cornelij eleëmosynæ pro ipso orauerunt. Qui enim tantùm orat, vel ieiunat, quasi per se pugnat. Quot autem pauperibus eleëmosynas damus, tot adiutores in pugna habemus. Oratio autẽ sine eleëmosyna, est quasi lucerna sine oleo. Propterea in Prouerb. Salomon ait: Qui obturat aurem suã ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur. Et Ieremias ait: Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Teste autem Gregorio: Corda cum manibus ad Deum leuat, qui orationem suam bonis operibus roborat. Debemus igitur his diebus orare, ieiunare, & eleëmosynas pauperibus dare, vt Deus auertat à nobis pestilentiã animarum, quam longè magis timere debemus, quàm pestem seu afflictionem corporũ. Pro peccatis enim amouendis, & pro bonis spiritualibus conferendis, simpliciter debemus orare. Pro flagellis autem & tribulationibus huius vitę remouẽdis & pro bonis temporalibus cõferendis, non simpliciter, sed sub cõditione expressa vel intellecta. De his enim vtrũ nobis expediant, ignoramus. Aliquando enim Deus cõfert nobis ista temporalia ad consolationem, ne deficiamus in via, aliquando autẽ subtrahit nobis ista ad vtilitatẽ nostram. Permittit enim nos affligi transitoriis tribulationibus, vt magis desideremus æterna. Macilentus enim accipiter magis desiderat prædam, & homo fessus magis appetit requiem. Temporalia enim nõ nisi rarò & in necessitate petenda sunt, sicut pluuia in necessitate sterilitatis. Et tamen sub cõditione, si Dominus nouerit expedire nobis. Spiritualia autem assiduè petenda sunt, & absque vlla conditione: Cuiusmodi sunt panis, ouum, & pisces. De quibus postulandis Dominus in hodierno Euangelio nos instruit, vt sciamus orare, sicut oportet. Vnde in Marco Dominus ait: Videte, vigilate, & orate. Videte, scilicet, quid petere debeatis, vt oretis sicut oportet. Vigilate, ne, scilicet, in oratione torpeatis, & ita debito modo orare poteritis. Instruit etiam nos Dominus de instantia orandi, vt non sit oratio momentanea, quod facit per similitudinem amici ad ostium pulsantis, qui importunè pulsat, & sic per instantiã impetrat. Multò magis aliquis à pio & benigno Domino, quod petierit, impetrabit, si perseueranter & quasi oportuna importunitate ab eo postulauerit. Dat ergo fiduciam, vt nõ hæsitantes petamus. Et dormientẽ instanter petendo excitemus, & ex humana circa amicos beneuolentia paternã diligentiã circa nos cõmendat. Si enim

*Matth.24. Luc.18.* — *Deut.28.* — *De cælo æneo & terra ferrea.* — *Isa.5.* — *Ioan.2.* — *Ionæ 3. 1.Petri 5.* — *Quod media nocte tribulationũ clamare debemus ad Deum.* — *Eccles.25. Isa.26.* — *De oratione, quæ duas alas debet habere, ieiunium, scilicet, & eleëmosynam. Tob.12.* — *Num.22.* — *Eccles.2.* — *Act.10.* — *Prouer.21. Thren.3.* — *Quãdo simpliciter, & quãdo cõditionaliter orare debemus. Marc.8.* — *De instãtia et fiducia orãdi, & quod Deus libenter & facilè exaudit.*

amicus homo surgit, & dat non amicitia, sed tædio compulsus, quantò magis dat Deus, qui dat omnibus affluenter & nõ improperat. Si igitur amicus audit amicũ, quãtò magis pater audiet filium? Quæ est mater, quæ posset ægrotanti filio reddere sanitatem, quæ non libenter audiret
*Isa.49.* filium ad se clamantem? Dominus autem de se ait: Et si mater oblita fuerit infantis sui, ego tamen non obliuiscar tui. Quæ enim mater tantum pro puero in partu laborauit, quantum Christus in cruce cruciatus est pro nobis. Non igitur libenter amittet animas, quas tanto pretio redemit. Posito autem (licèt impossibile sit) quod Deus misericors non esset, si quis rogaret eum de honore suo, & de eo quod desiderat, nunquam negaret. Ipse autem salutem nostram
*Prouerb.10.* & morum honestatem suum reputat honorem. Filius enim benefaciens, honorat patrem. Eruam te, inquit, & honorificabit me: Vnde & ipse in Euangelio, vt nobis fiduciam orandi tribueret, exemplum ponit de iudice iniquo, qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur,
*Hebr.5.* & tamen per instantiam petendi viduam exaudiuit. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum maiestatis eius. Pulsemus instãter ad ianuam misericordiæ ipsius. Animus ab errore conuersus, spirituali inopia diutius non tabescat. Quærat amicum verum, qui promptior est ad dandum, quam nos ad accipiendum. Magnã enim spem tribuit, qui nos rogare admonet, & ex-
*Expositio literæ, vbi assignatur mysterium.* audire promittit, & in promittendo non decipit. Quis, inquit, vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice, commoda mihi tres panes, quoniã amicus meus venit de via ad me; & non habeo quod ponam ante illum. Mysticè autẽ de Christo hæc possunt intelligi sub hoc sensu: Si quis vestrũ habebit amicum, Christum, scilicet, qui dilectionẽ, qua nul-
*1.Ioan.3.* la maior est, nobis exhibuit, cum pro nobis animã suam posuit, & ibit ad eum, passibus, scilicet
*Gal.5.* fidei, per dilectionẽ operantis, media nocte, id est, in medio huius vitæ, in qua sumus in tribulationibus, & quasi tenebris ignorãtiæ circundamur, & dicet potius intentione deuotionis cordis, q̃ clamore oris: amice, cõmoda mihi tres panes, id est, inspira mihi intelligentiã sanctæ trinitatis, vel tres panes fidei, spei & charitatis: vel panẽ gratiæ, panẽ scripturæ & panẽ Eucharistiæ:
*Ioan.14.* vel ipsum Christũ, qui est via, veritas, & vita. Quoniã amicus meus venit de via ad me, id est, animus meus, qui extra ad temporalia euagãdo recesserat, rediit ad me, id est, ad contemplandũ
*2.Regum 7.* superna. Vnde & Dauid ait: Inuenit seruus tuus cor suũ vt oraret. Amicus igitur qui de via venit, ipse noster est animus, qui quoties ad temporalia petenda euagatur, toties à nobis recedit. Redit autẽ cum superna meditatur, & cœlesti alimonia refici desiderat. Non habeo quod ponã ante illũ, quia animæ post tenebras ad Deũ suspiranti nihil præter ipsum cogitare, vel loqui, vel intueri libet, solis spiritualibus delectatur, quę nõ habet nisi ab amico illi dentur. Et ille deintus respondens, dicat: Noli mihi esse molestus, iam ostiũ meũ clausum est, & pueri mei mecũ sunt in cubili, nõ possum surgere & dare tibi. Et ille, id est, Christus deintus dicat inspirãdo: Noli mihi molestus esse. Ipse enim molestias nostras reputat suas. Si statim nõ impleo petitionẽ tuã, quia si differo, non aufero. Non enim aufert spẽ impetrandi, sed vehemẽtius accendit desideriũ orandi per difficultatẽ obtinẽdi. Iam ostium clausum est, id est, intelligẽtia scripturarũ, & nõ est qui
*Coloss.4.* aperiat propter peccata populorũ. Hoc est ostiũ quod Paulus in Epistola ad Coloss. sibi aperiri petit, ad loquendũ mysterium Christi, & quod Ioannes sibi apertũ vidit, hoc est, intelligẽtia
*Apocalyp.4.* diuini sermonis, quæ clausa est tempore siccitatis & famis. Ostiũ etiã diuinę clemẽtiæ clauditur nobis tempore tribulationis pro peccatis nostris. Pueri mei mecũ sunt in cubili, id est, illi, qui Euangelicã sapientiã per orbem terrarum prædicauerunt, mecũ æterna quiete fruuntur, & iam in terra pauci, & quasi nulli, respectu illorũ, remanserunt. Non possum surgere & dare tibi, id est, nolo statim exaudire. Iacere autẽ vel dormire dicitur Christus, quãdo differt dare quod petimus, vel quia indigni sumus, vel quia nõ expedit animę nostrę, vel vt magis ad perendũ accendamur. Amicus igitur amicũ orat, & nõ vult surgere, quia Deus orantis animæ instantiã vult expectare, & constantiã probare. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Melior est finis orationis q̃ principium. Quia qui perseuerauerit, saluus erit: vel finis, id est, præmiũ vitę melius est q̃ principiũ, id est, adeptio gloriæ. Sequitur: Et si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si nõ dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget & dabit illi quotquot habet necessarios. Et si ille perseuerauerit nõ deficiens tædio, vel pusillanimitate, non diffidens de misericordia timore, sed quasi cõpulsus necescitate, attendẽs illud quod ait Dominus: Regnũ cœlorũ vim patitur, & violẽti rapiunt illud. Dico vobis, & si ille, id est, Christus surgẽs ad dandũ, non dabit illi, eò quòd amicus eius sit, id est, citò, & sine dilatione, sicut amicus solet amico dare: propter improbitatẽ tamen, id est, propter instantiã & oportunã importunitatem dabit illi, vel per se inspirando vel Doctorem mittendo. Et si non quantũ ille voluerit, tamen quotquot habet necessarios, secundũ quod viderit saluti eius expedire. His igitur verbis insinuat Dominus quod nocte, id est, in tribulatione, nõ debemus deficere, sed necessanter orare. Nocte etiam
*Quod orandũ est nocte.* ad literã orare debemus, iuxta illud: Media nocte surgebã ad cõfitendum tibi. Et iterũ: De die
*Exod.12.* mandauit Dominus misericordiã suã, & nocte canticum sibi. Nocte enim Dominus primogenita Ægypti percusit, & filios Israël ab Angelo exterminatore liberauit. Nocte Christus nasci
*Lucæ 2.* voluit. De quo etiã legimus, quod in orationibus pernoctauit. Nocte Iudas eũ tradidit. Nocte
*Lucæ 6.* cõsputus est, & illusus à Iudæis. Nocte Petrus ipsum negauit. Nocte etiam cùm adhuc tene-
*Matth.26.* bræ essent, resurrexit. Nocte etiam venturus est ad iudicium, iuxta illud: Media nocte cla-
*Marc.14.* mor factus est: Ecce sponsus venit. Vel nocte venturus dicitur, quia tunc veniet, quando
*Ioan.20.* *Matth.25.*

non sperabitur. Iudæis autē mos erat tribus vicibus orare de die, hora, scilicet, tertia, quia tunc datus est eis in monte Sinai decalogus. Et nos eadem hora oramus, quia tunc missus est nobis de cœlo spiritus sanctus. Hora etiā sexta orabāt, quia tali hora est erectus in palo serpens æneus in deserto. Et nos eadem hora oramus, quia, scilicet, tunc in cruce Christus est eleuatus. Hora insuper nona Iudæi orabant, quia tali hora Dominus in Cades aquā de petra dedit illis. Et nos oramus eadē hora, quia tūc de Christi latere fluxerūt sanguis & aqua. Hora etiā prima orat Ecclesia, quia illa hora ante Pilatū Christus est flagellatus & iudicatus. Vesperi etiā oramus, quia hora illa fuit sepultus. Oramus etiā in cōpletorio, quia hora illa Christus in cœna cū discipulis agnum Paschalem comedit, pedes discipulorū lauit, sacramentum Eucharistiæ confecit, surgēs de cœna trans torrentem Cedron, vbi captus est, abiit. Quod autem instanter & perseuerāter orare debemus, ostendit iterū Dominus in hodierno Euang. vbi ait: Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Petite orando, quærite recte viuendo, pulsate perseuerando. Sic enim notatur orationis ac bonæ operationis continuatio. Vel petite in fide, quærite in spe, pulsate in charitate. Petite & dabitur vobis illud, scilicet, sine quo non est salus. Regnū autem cœlorū non otiosis & torpentibus, sed petentibus & quærentibus atq; pulsantibus datur, inuenitur, & aperitur. Petendū est ergo orādo, quęrendū rectè viuendo, pulsanda est ianua perseuerando. Non sufficit petere, nisi quæramus. Non enim omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnū cœlorū. Sed iterū nō prodest quærere vel bona inchoare, nisi quisq; studeat ea, quę benè inchoauit, vsq; ad finem perducere. Vnde Psal. ait: Quærite Dominū & cōfirmamini, quærite faciē eius semper: quasi dicat: Non deficiatis, donec de carcere præsentis exilij erepti portā cœlestis patriæ mereamini introire. Nemo igitur securus sit, vel de innocētia sua sibi blandiatur, vt cesset à precibus, sed semper clamet cū Propheta: Non intres in iudiciū cum seruo tuo Domine, quia nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Et cum B. Iob: Si iustificare me voluero, os meū cōdemnabit me: si innocentē ostendere, prauū me cōprobabit. Et Ioānes ait: Si dixerimus, quia peccatū nō habemus, nosmetipsos seducimus. Teste enim Iacobo: In multis offendimus omnes: & idcirco cōtinuè clamandū est: Dimitte nobis debita nostra. Ergo cui nō datur, & cui nō inuenit, & cui non aperitur, manifestū est quod nō benè petierit, quæsierit, & pulsauerit. Qui autē prout debet petierit, quæsierit, & pulsauerit, accipiet, inueniet, & aperietur illi. Propterea Dominus subiūgit: Omnis enim qui petit, accipit, & qui quęrit, inuenit, & pulsanti aperietur. Iniusta autē petitio, nō reputatur apud Deum oratio. Non enim omnis qui corā hominibus orare videntur in conspectu interni Iudicis, petere, vel quærere, vel cœlestis regni aditū pulsare iudicantur. Neq; enim Propheta diceret: Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, si non aliquos Deum inuocare non in veritate, sed fictè cognosceret. Deum autem in veritate inuocāt, qui suas illi preces oblaturi, primò iussa eius implere studeant. Voluntatem enim timentium se faciet, & deprecationem illorum exaudiet. Illi igitur in veritate illum inuocant, qui illū timentes à peccatis abstinent. Propterea Sixtus ait: Qualis vis esse cùm oras Deum, talis semper esto. In veritate autem & benè petūt, qui ea, quæ Dominus iussit, orando quærunt, & quales nos esse docuit, tales ad orandum proceduntt, & intenti precibus donec impetrant, insistunt. Malè autem & non in veritate petunt, qui non intuitu mercedis supernè, sed ad imitationē Pharisæorum humanę laudis gratia longis incubant precibus, vel qui causa cupiditatis orātes sub obtentu prolixæ orationis domos viduarum deuorant. Malè etiam petunt, qui terrena magis in oratione quàm cœlestia requirunt. Malèetiā petunt, qui mortem inimicorum postulant, & quos non possunt gladio, lingua persequuntur. Malè petunt, qui magna & sibi nō cōpetentia petunt ex præsumptione, vel nimis parua, & quasi nulla ex pusillanimitate. Nimia & supra merita sua petierūt filij Zebedæi, ad dexteram, scilicet, & ad sinistrā Christi sedere in regno Dei. Sicut præsumptuosè peteret miles, si Regi diceret: Da mihi dimidiū regni tui. Fatuè & tanquā pusillanimis peteret, qui à Rege postulare æterna. Quandoq; non exaudit eos, sed pro fatuis habet illos. De Rege autem Alexandro dicitur, quod cùm militi cuidam vellet dare ciuitatem, & diceret miles: non sum dignus tantum accipere. Respondet Rex: Non attendo quid te oporteat accipere, sed quid me deceat dare. Cùm igitur à summo Rege munera postulamus, non paleam temporalium, sed æterna & tanto Regi cōpetentia postulare debemus, vt cum beato Iob dicere valeamus: Lux vultus mei non cadebat in terra. Lux vultus eius nō cecidit in terram, quia quæ terrena erant in oratione, non aspexit. Vnde Dominus ait: Primùm quærite regnū Dei, & omnia adiicientur vobis. Regnum autem Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax, & gaudiū in spiritu sancto. Ista sunt quæ petere debemus. Illud autem principaliter & primò petendum est, à quo sunt omnia bona, & in quo omnia alia possidemus, id est, summū bonū, quod est substantiuū. Alia autem adiectiua sunt, & adiicientur nobis. Quicquid igitur petimus, propter ipsum petere debemus, & ad ipsum referre, vt ipse sit finis & principiū petitionū nostrarū. Hæc est enim voluntas eius, vt ipsum principaliter, & alia propter ipsum petamus, & ita obtinebimus. Vnde Ioan. ait: Quicquid petierimus secundū voluntatē eius, audit nos. Ipse enim dat spiritū bonū petentibus se. Si igitur præmodo in veritate & vera bona petamus, profectò accipiemus. Propterea Dominus ait: Omnis qui petit, accipit, id est, qui piè & ad salutem, & perseueranter, & pro se petit, accipit.

*Quibus horis orare debemus, & quare magis illis horis quā aliis.* *Act. 2. Lucæ 23. Num. 21. Ioan. 19. Ioan. 13. Ioan. 8.*

*Quid sit petere, quærere, et pulsare.*

*Matth. 7.*

*De perseuerātia in orando.*

*Iob 9. 1. Ioan. 1.*

*Iacob. 3. Matth. 6. Lucæ 11.*

*De his qui malè petunt, & non inuocant Deū, nec quærunt, vel pulsant in veritate.*

*Matth. 7.*

*Matth. 20. Marc. 10.*

*Quod æterna, nō transitoria à Deo sunt petenda, vera bona et nō vana.* *Iob 29.*

*Qualiter petere debeamus, vt accipiamus.*

Quod Dominus prædictis verbis innuit. Piè enim petit, qui Deũ bonis operibus quærit. Proterea ipse ait: Quęrite & inuenietis. Dicendo autẽ accipietis, quod pro se petunt, innuit: Multi enim piè & ad salutẽ, & perseueranter pro aliis petunt, & non exaudiuntur pro illis, quia forte
1. Reg 15. reprobi sunt & indigni. Sicut Samuël pro Saule, non est exauditus. Propterea non ait Dominus: Petite, & excipient hi, pro quibus petitis, sed ait: Petite & accipietis. Et si enim illi indigni sint, fructus tamen orationis ad piè petentem reuertitur. Qui enim pro aliis orat, pro seipso laborat. Quod autem perseueranter petere debeamus, innuit vbi ait: Pulsate & aperietur vobis.
Pulsare enim dicimur, cùm perseueranter oramus, nec petendo deficimus, licèt non statim acci-
Cant. 5. piamus, quia instando & perseuerando magis meremur. Vnde in Canticis sponsa ait: Quæsiui eum & nõ inueni. Quandoq; requiritur per bonã fidẽ & operationẽ, & non inuenitur statim per dulcedinis experientiã, vt ex dilatione crescat desideriũ, & ex desiderio meritũ, & cumuletur præmiũ. Quod autẽ ad salutẽ petere debeamus, ostendit, cùm subiungit: Quis ex vobis patrem petit panẽ, nunquid lapidẽ dabit illi? Aut si piscẽ, nunquid pro pisce, serpentem dabit illi? Aut si petierit ouũ, nunquid porriget illi scorpionẽ? Docet igitur nos per tria hæc, petere bona spiritualia, scilicet, fidem, spem & charitatem. Vnde Propheta ait: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Diuitiæ non sunt ad pacem, sed magis ad sollicitudinem & mentis perturbationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua. Fiduciam autem bonam impetrandi à Deo ostẽdit, sumpta similitudine ex hominibus, & per illam similitudinem mysticè docet tria petere, quę præcipuè ducunt ad regnũ Dei, quod est petendũ, Panem, scilicet, piscem, & ouum. Per panẽ autem charitas designatur, propter maiorẽ appetitũ & vsum necessarium. Sine pane autẽ omnis mensa inops est, quantumcunq; aliis ferculis videatur abundare. Ita sine charitate aliæ virtutes nullius momenti reputantur, nec sunt veræ virtutes, quæ nõ sunt informatæ charitate. Nulla etiã bona opera sine charitate sufficiũt ad salutẽ. Huic autẽ est cõtrarium odium seu cordis duritia, quę lapidi cõparatur. Qui enim aliis nõ vult dimittere, & à rigore duritiæ nequit flecti, lapidem habet, non panem. Sicut igitur filius cùm à patre postulat panẽ, non dat illi lapidem, multò fortius qui rectè petit à Deo, quę petenda sunt, non dat quę danda non
Ioan. 5. sunt. Per panem etiam Christus intelligitur: Ipse enim verus est panis qui de cœlo descendit. Petentibus autem Christum fide recta, & intentione sincera, non dabitur lapis offensionis vel duritia cordis. Per piscem autem fides designatur, quia fides in aquis baptismi nascitur, & aquis spiritus sancti gignitur, & in corde nutritur, ne deficiat. Sicut autem piscis crebris fluctibus maris tunditur nec perimitur, ita fides aduersitatibus non frangitur. Cui contraria est infidelitas, quam comparat serpenti, propter infidelitatis venenum, quod serpens in primos parentes euomuit. Dicitur præterea piscis fides inuisibilium, quia latet sub aquis scripturarum. Piscis sine aqua moritur, & fides sine gratia & dilectione mortua reputatur. Petentibus igitur piscem fidei, humiliter, instanter, & non fictè, non dabitur serpens, id est, venenum perfidiæ. Per ouum autem, spei nostræ certitudo figuratur. Quia sicut in ouo nondum perfectus fœtus cernitur, sed futurę auis pullus speratur, ita in spe est expectatio futurę beatitudinis.
Rom. 8. Vnde Apost. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Huius autem contrarium, id est, desperatio, per scorpionem designatur. Cuius venenatus aculeus retro
Philip. 3. in cauda metuendus est. Sicut autem spes in anteriora ad futurã gloriam se extendit, ita desperatio retrò ad temporalia respicit. Cùm igitur in veritate virtus spei vel ipsius virtutis augmentum petitur, à pio patre desperatio non dabitur. Quod ostendit per locum à minori. Vnde & subiungens ait: Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Mali dicuntur non solùm amatores huius seculi, sed etiam Apostoli, & quicunq; alij quantumcunq; iusti sint: mali, scilicet, re-
Matth. 19. Marc 10. Luc. 18. spectu diuinæ bonitatis. Nemo enim bonus, nisi solus Deus, sicut in Euãgelio Christus ait: Homines autẽ & si in se, non tamen ex se habent bonitatẽ, sed magis corruptionem. Omnes enim peccatores sumus. Et si enim à maioribus peccatis immunes sint sancti homines, non tamẽ ve-
Matth. 10. nialibus carẽt. Nã & puluis pedibus Apostolorũ adhęsit. Est igitur sensus: Quandoquidẽ patres carnales mali, id est, peccatores vel quicunq; alij fragili carne generati, petẽtibus filiis tribuunt bona data, quę, scilicet, bona sunt in rerũ natura, & ad vitã istã vtilia, nec tamen de suo tribuũt, quia à Deo illis data sunt, multò magis pater vester cœlestis, qui incõparabiliter bonus est, petentibus filiis dabit spiritum bonũ, id est, spiritũ sanctum, in quo obtinebimus panem, piscem
Rom. 8. & ouum. Non enim dabit, nisi bona qualiacunq; nobis videantur. Omnia enim filiis in bonum cooperãtur. Ecce quantã fiduciã petẽdi tribuit nobis, & quantã spem obtinẽdi, si tamẽ iustè & debito modo petamus. Ipse enim filiis non canibus panem, piscem & ouum se promittit daturum. Intremus igitur cubiculum nostrum, scrutando diligenter conscientiam nostram, & ante
Matth. 6. orationem præparemus animam nostram ad humilitatem, cõpunctionem & deuotionem. Attendamus multitudinem, magnitudinem & turpitudinem peccatorũ in nobis. In Iudice verò
Eccles. 18. potentiam, quam non possumus effugere, sapientiã, à qua nequimus nos abscondere, iustitiam, quã nõ possumus corrumpere. Compungamur igitur & humiliemus animas nostras in cõspectu tanti Iudicis, vt sit oratio humilis, lachrymosa, affectuosa seu deuota, pura, pia, iusta, discreta, fidelis, morosa, frequens, intenta. Sit humilis: oratio enim humiliãtis se, penetrat nubes, sicut
1. Petri 5. Qualis debet esse oratio.
Eccles. 35. in Eccles. dicitur. Sit lachrymosa & cõpuncta, quia cor contritũ & humiliatũ in oratione, Deus non

non despiciet. Vnde Propheta ait: Auribus percipe lachrymas meas. Sit affectuosa. Quia qui indeuotus orat, iudiciũ sibi postulat. Vnde Psalmus ait: Clamaui in toto corde meo, exaudi me. Sit pura & munda. Aliter enim fœteret in conspectu Dei, & diceret Dominus: Incensum tuum abominatio est mihi. Vnde per Isaiam ait: Cùm oraueritis, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Sit pia, ne petat alterius læsionem, sicut satan, qui petiit, vt traderetur Iob in manus suas. Sit iusta, vt petat ea, quæ sunt ad salutem, sicut scriptum est: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Sit discreta, vt sapiẽter oremus, exemplo Christi dicentis. Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Non dicamus sicut Petrus: Exi à me Domine, quia peccator sum. Ægroti enim non debent abiicere medicum. Sit fidelis, vt speret se adepturum in fide nihil hæsitans. Sit morosa: Nam de Apostolis legimus, quod perseuerabant in orationibus. Et Christus factus in Agonia prolixius orauit. Sit frequens, iuxta illud: Sine intermissione orate. Ex frequenti enim collocutione cum Deo familiares ipsius efficimur. Ipse autem Dominus ad instructionem nostram frequenter orauit. In nocte qua captus est ter legitur orasse. In quo etiam instruit nos orare pro venia præteritorũ, pro tutela præsentiũ, pro cautela futurorũ, & orationes nostras ad trinitatẽ dirigere, & cõtra triplicẽ tentationẽ carnis, mundi, & diaboli orationi insistere. Et insuper cõtra triplex peccatũ, superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ. Sit oratio intẽta, iuxta illud: Vigilate in orationibus. Qua fronte enim negligentes audent dicere Deo: Deus in adiutoriũ meum intende. Quomodo enim intendet, nisi tu intendas? Teste enim Greg. Sæpè immunda quædam vel illicita animo versamus, quoties à precibus vacamus, sed cùm mens se ad studia orationis erexerit, earum rerũ imagines reuerberata patitur, quibus libenter priùs ociosa premebatur. Et idcircò vt intẽta sit oratio debemus vigilare, & cum omni custodia cor nostrũ custodire. Quærere præterea debemus, ita vt inueniamus. Multi enim quęrunt, qui nõ inueniunt, quia indebito modo quærunt. Vnde Dominus Iudæis reprobis ait: Quæretis me, & non inuenietis. Et per Prophetã Osee ait: In gregibus suis quęrunt me. Iudæi enim non petebant corde, sed sacrificando animalia putabant Deum inuenire. Sicut fœneratores, qui restituere nolunt, & eleẽmosynas conferunt in bursa sua, Deum inuenire credunt. Hæretici etiam ieiunãdo & orando Deum quærunt, sed non inueniũt, quia extra viam fidei sunt, & illũ vbi est, id est, in Bethlehem, seu in Ecclesia catholica nõ quærũt. In corde autẽ nostro ipsum quærere debemus, si ipsum volumus inuenire. Sicut in Deut. scriptum est: Propè est verbum in corde tuo & ore tuo. Et in Euang. dicitur: Regnũ Dei intra vos est. Quidã igitur quærũt, & nõ inueniunt. Alij inueniunt, sed non quærũt, sicut paruuli, qui post baptismũ decedunt, nulla tamẽ bona opera fecerũt. Alij nec quærunt, nec inueniunt, hi sunt qui nulla bona opera facere volunt, sed gloriantur in malitia sua, & lætantur cùm malefecerint, exultantes in rebus pessimis. Alij autẽ quærũt & inueniunt, hi sunt qui bona opera in charitate & perseueratẽr faciunt. Pulsare præterea debemus ad ianuã, ita vt aperiatur nobis: pulsemus manu benè operãdo: pulsemus pede, id est, mentis affectu diligẽdo, & omni bono cõsentiendo: pulsemus humeris, iugũ Christi ferẽdo, & eius crucẽ baiulando. Et quoniã regnũ cœlorũ vim patitur, pulsemus demũ fuste vel lapide, dura vel aspera pro Christo, sustinendo. Festinemus autẽ pulsare ad ianuã, nõ expectemus cũ fatuis virginibus, donec spontaneo ingresso cũ his quas paratas inueniet, claudatur ianua diuinæ misericordiæ, ita quod nunquã de cætero aperiatur. Pulsemus igitur ad ostium Christi, nam ipse pulsat ad ostium cordis nostri, sicut scriptum est: Ego sto ad ostium & pulso. Si enim aperiamus illi ostium nostrum, ipse nobis aperiet suum. Ipse enim ad ostium nostrum clamat, percutit & pulsat. Pulsat manu beneficia nobis exhibendo. Pulsat lapide, tribulationes & infirmitates nobis immittendo. Si autem illi qui Dominus est, aperire nolumus, ipse tandem ostium destruet & confringet, & ianuas igni inextinguibili cõburet. Vt igitur nobis ipse pulsantibus aperiat ianuas regni sui, apetiamus nos illi pulsanti ianuas cordis nostri. Ipse enim stat ad ostiũ & pulsat, & clamat ad nos: Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum. Hæc est cœna refectionis internæ, & beatitudinis æternæ. Ad quam nos perducere dignetur Dominus noster Iesus Christus, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat, per omnia secula seculorum, Amen.

*De trina Christi oratione.*

*Qualiter quærendus est Deus.*

*Qualiter pulsandum est ad ianuas.*

*Quibus modis Christus ad ostiũ pulsat.*

Deut. 30. Luc. 17. Osee 5. Prouer. 2. Matth. 11. Luc. 14. Matth. 25. Apoc. 3. 1. Pet. 5.

## IN ROGATIONIBVS FERIA QVARTA IN VIGILIA Ascensionis, thema de Euangelio secundum Ioannem.

Ioan. 17.

*Subleuatis Iesus oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.*

SALOMON in Parabolis ait: Noli vendere sapientiam & doctrinam atq; intelligentiam. Sapientiam & doctrinam vendit, qui pro inani gloria, vel pro lucro temporali verbum Dei docet. Quidam autem vanam gloriam ab initio non appetunt, qui tamen oblatam non respuunt, sed ad laudes hominum exultant, dum eorum prædicationem auditores laudant. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Fatuus in risu exaltat vocem suam. Cùm enim homines applaudunt ei, & laudatur, tunc grandia & profunda ad ostentationem sapientiæ suæ loqui audet, vnde valde timendum est his, qui verbũ Dei in cõgregatione hominũ prędicant, ne pro

*Contra illos qui prædicant pro inani gloria.*

Prouer. 23. Eccles. 22.

laude humana prædicatione suam vendant, vnde vitã æternam si pro lucro animarũ prædicarent, emere potuissent. Multa quidem sunt pericula in loquendo: vnde longè tutius est audire quàm loqui. Melior est humilis auditor quàm superbus vel incautus prædicator. Et idcirco fratres charissimi, valde timere debemus, dum verbum Dei vobis prædicamus. Primũ periculum prædicando est, quod difficilè potest homo moderari oris sui molendinũ, ne loquatur aliquando plus quàm oporteret. Vnde in Parab. Salomon ait: In multiloquio non deerit peccatum, qui autẽ moderatur labia sua, prudentissimus est. Et in Ecclesiastico dicitur: Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam, multis, id est, superfluis. Paulus enim aliquando protraxit sermonem vsque ad mediam noctem, & multa locutus est, sed vtilia. Quod agendum est vbi cum desiderio verbum Dei ab auditoribus recipitur, fastidientibus autem pauca dicenda sunt. Aliud est periculum in prædicando, dum tempus loquendi non obseruatur. Vnde in Euangelio Dominus ait: Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Ideo dicit mensuram, quia prædicandum est secundum capacitatem audientiũ. Ideo dicit in tempore, quia tempus tacendi & tempus loquendi. In festis enim diebus, quando populus ad Ecclesiam congregatur, loqui debet, qui verbo ædificationis ex officio populum Dei instruere tenetur, maximè quando populus vult audire. Alioquin inuitis, & his qui conculcant margaritas, non est prædicandum. Vnde in Ecclesiastico Sapiens ait: Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Et in Parabolis dicitur: Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit. Aliud periculum est in prædicando, & maius cæteris, quando opera sunt contraria prædicationi. Qui enim malè operatur, & bene dicit, ex verbis suis seipsum iudicauit, illaqueatus est verbis oris sui, & captus propriis sermonibus. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Noli citatus esse in lingua tua: & inutilis & remissus in operibus tuis. Plus enim debet operari & minus loqui. Tuba enim prædicationis latior esse debet ex parte manus, & strictior ex parte oris. Propterea in Ecclesiastico Sapiens ait: Musicam ne impedias. Quia cùm vox vitam non remordet, dulcis est harmonia. Et beatus Gregorius ait: Sunt nonnulli, qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutantur, sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant. Repentè docent, quod non opere, sed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, operibus impugnant. Propter prædicta pericula & multa alia, timeo loqui. Sed ex alia parte auresteri illius hominis timeo sententiam, si talentum mihi creditum abscondam. Vnde loqui vereor, & tacere non audeo, cùm ad me ex iniuncto pertineat officio latratibus prædicationis abouili Christi lupos arcere, ne obiiciatur mihi: Canis mutus, non valens latrare. Scio enim quid scriptum sit in Parab. Erue eos qui ducuntur ad mortẽ, & qui trahuntur ad meritũ, liberare non cesses. Et in Ecclesiastico dicitur: Sapientia abscondita & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtroque? Quid igitur in hoc ambiguo faciendum est mihi, nisi ad Dei misericordiã & ad orationes vestras recurrere? Noui enim quid Sapiens dicat in Parab. Noli inniti prudẽtiæ tuæ. Et iterum dicitur: Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus illius. Orate igitur fratres, pro me, vt Deus hodie gressus intentionis meæ ad ipsum dirigat, & prædicationis gressus atq; verbum Dei vsque ad interiora cordium vestrorum perducat, ad ipsius honorem & vestram instructionem. Subleuatis oculis Iesus in cœlum, pridie & heri cum ieiuniis, processionibus, & lætaniis, Domino supplicãtes, pro nobismetipsis orauimus. Hodie autem, id est, in hodierno Euangelio Christus pro nobis orat. Nihil enim orationes nostræ nobis prodesse potuissent, nisi eius orationibus fulcirentur. Ex virtute enim orationum Christi, orationes nostræ propriã virtutẽ sortiũtur, sine quibus nullã haberẽt efficatiã. Et idcirco in hodierno Euang. ad consolationẽ spei nostræ recitatur eius dulcissima & deuotissima oratio, quã patri obtulit in odoré suauitatis & spiritu dilectionis & ardoris, commendans patri suos discipulos, quos relicturus erat in morte & in triduo sepulturæ suæ, & postmodũ tanq̃ oues inter lupos corporaliter erat relicturus in ascensione. Vnde inter cætera dũ oraret, ait: Iam nõ sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio: quasi diceret: Prope futurũ est, vt non sum in mundo corporali, scilicet, & visibili præsentia. Et ego ad te venio, id est, in proximo veniã, ascẽdendo ad dexterã tuã. Et hi, id est, discipuli mei in mũdo sunt, id est, corporaliter remanẽt in mũdo. Et quia tardius exituri sunt, ideo cõmendo tibi quos corporaliter relinquo. Et iterũ in oratione sua melliflua, cuius prima pars hodie recitatur, ait: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, id est, ad honorẽ tuũ, custodi illos: vel in nomine tuo, id est, diuina potẽtia. Et rursus cõmendans eos patri in recessu suo ait: Cũ essem cũ eis, ego seruabã eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur, quasi dicat: Pater, modò seruo eos in nomine tuo, in quo ego seruabã eos, nõ tamẽ sine te. Cùm enim essem cũ eis præsentialiter, ex præsentia mea magnam consolationem habebãt. Et in hoc apparet quòd benè seruaui eos, quia nemo ex his periit, nisi filius perditionis, id est, Iudas, qui prædestinatus erat, & præscitus perditioni, & sic de eo prænuntiatum erat in scripturis. Et iterum tanquam fidelis aduocatus pro eis allegans & supplicans, ait: Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, & non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo, quasi diceret: Commẽdo eos tibi, & verbo gratiæ tuæ relinquens eis in custodiam sermonem tuum. Solent enim patres filiis chariora & magis necessaria relinquere. Dedi eis, inquit, sermonem tuum. Et quia veritas odium parit, mundus eos odio habuit, id est, in proximo habebit odio. Ama-

*De diuersis periculis prædicationis.*
*Primum periculum.*
*Prouer. 10.*
*Eccles. 20.*
*Secundum.*
*Luc. 12.*
*Eccles. 3.*
*Matth. 7.*
*Eccles. 32.*
*Prouer. 9.*
*Tertium.*
*Eccles. 4.*
*De periculo taciturnitatis.*
*Matth. 25.*
*Isa. 56.*
*Prouerb. 24.*
*Eccles. 20.*
*Prouerb. 3.*
*De oratione Christi, & quod discipulos suos patri cõmendauit.*
*Matth. 10.*
*Luc. 10.*
*Act. 20.*

Amatores enim seculi detestantur dissimiles sibi. Vnde odiunt eos, quia non sunt de mundo, id est, de numero eorum, qui diligunt mundum, id est huius mundi vanitatem. De mundo enim non erant, & si in mundo essent. Prima generatio facit esse de mundo & in mundo, quia omnes nascimur filij iræ. Secunda tollit de mundo, id est, de mundanorum amore, sed non tollit esse in mundo. Tertia generatio, de qua dicitur: In regeneratione cùm sederit filius hominis, tollet vos de mundo, & de esse in mundo, & faciet vos esse supra mundum. Iterum autem ait: Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, & ego pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sancti in veritate, quasi dicat: Sicut ad tribulationes & flagella misisti me, ita ego mitto eos tanquam oues inter lupos, qui eos cruciabunt. Vnde amplius eos sanctificari & confirmari oportet. Pro eis enim, id est pro eorum sanctificatione, sanctifico meipsum, id est, sanctum ostendo, vel vt eis prosit, ego me hominem sanctifico in me verbo, quod fuit ab initio conceptionis suæ, quando verbum factum est caro. Ab ipsa enim conceptione sanctificauit se hominem per se verbum, vt sanctificarentur in veritate, id est in ipso, membra sua, fideles, scilicet, illi adhærentes. Non est igitur negligenter prætereunda, sed diligenter attendenda, hæc tam sancta & suauis, & saluberrima Christi oratio, in qua pro discipulis suis patrem deuotissimè orauit, & fideliter pro ipsis allegauit atque patri commendauit. Est autem ipsius tripertita oratio. In prima enim parte pro se orauit, secundum quod homo, vbi ait: Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Secundò orauit pro discipulis præsentibus, vbi ait: Non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi. Tertiò orat pro his, qui crediturí sunt vsque in finem mundi, vbi ait: Non pro eis tantum rogo, sed pro eis, qui crediturí sunt, per verbum eorum in me. Christus autem multipliciter dicitur orasse pro nobis. Orauit enim ore prædicta verba proferendo. Orauit corde salutem nostram desiderando. Orauit opere pro nobis moriendo. Quæcunque enim ipse fecit pro oratione nobis reputantur. Vnde & sanguis eius melius clamare dicitur, quã sanguis Abel. Omnia igitur merita & opera reales sunt orationes pro salute nostra. Orat etiam nunc patrem semper viuens ad interpellandum pro nobis, dum humanitatem suam illi repręsentat, & vulnerum vestigia, id est, cicatrices, quas in corpore suo ad hoc specialiter retinuit. Orauit autem aliquando pro se, aliquando pro membris, sicut ex prædicta hodierni Euangelij oratione apparet. Quandoque etiam pro inimicis orauit, dicens: Pater, dimitte illis, quia nesciũt quid faciunt. In quo etiam formam & exemplum nobis reliquit orandi pro inimicis. Disciplina nobis est orare pro interfectoribus & persecutoribus nostris. Huiusmodi autem oratio fieri habet amplo affectu, quę vsque ad inimicos extenditur. Quandoque autem fit oratio verecundo affectu, quando, scilicet, peccator non audet tangere Dominum per se, sed quasi fimbriam tangit, accedens ad Deum per alium, quem rogat, vt orat pro ipso. Quædam autem oratio fit puro, & immediato affectu quando pro se, & sine medio aliquis Deum exorat. Quædam autẽm fit intenso & grato affectu, quando quis orat cum gratiarum actione, sicut orauit Christus Dominus, dicens: Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me. Hæc est oratio perfectorum, in quibus iam siccatus est humor carnalis concupiscentiæ, & idcirco sine fumo perturbationis ardent, & suis orationibus laudes & gratiarum actiones admiscent. Christus autem licèt sit omnipotens, & patri coëqualis secundum deitatem, quia tamen secundum quod homo, minor est patre, vt exemplum nobis humilitatis ostenderet, & in omnibus patri reuerentiam & honorem exhiberet, subleuatis oculis in cœlum, orauit primò pro se, dicens: Pater, venit hora clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, id est, notam faciat claritatem tuam, quantum ad hominum cognitionem. Patris enim claritas in se est, augeri non potest. Orauit igitur Christus homo pro clarificatione immortalitatis, quæ data est ei in resurrectione. Pro clarificatione gloriæ & honoris, quæ data est ei in ascensione, & in consessu ad dexteram patris, pro clarificatione iudiciariæ potestatis, quę cunctis manifestabitur in iudicio. Clarificauit enim pater filium in resurrectione, in ascensione, in spiritus sancti missione, clarificaturus in iudicio, quando veniet in potentia & maiestate. Non solùm autem clarificatus est secundum quod homo, sed secundum quod Deus, non quantum in se est, sed quantum ad cognitionem nostram. Pro cuiusmodi clarificatione ipse subsequenter orat, vbi ait: Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate quam habui antequã mundus fieret apud te. Rogat vt claritas, quam habuit ab æterno secundum diuinitatem, manifestetur hominibus. Quod tamen de claritate humanitatis potest intelligi, quam ab æterno in prædestinatione habuit, quasi diceret: Clarifica me apud temetipsum, id est, ad dexteram tuam in potioribus bonis collocando. Christus autem oculos orando subleuauit, vt orationes nostras ad Deum dirigendas esse ostenderet, & bona cœlestia à Deo petenda esse monstraret, & vt mentis oculos orando ad Deum dirigamus, & non cogitemus inania dum oramus. Propter hoc etiam ipse aliquando in monte orare voluit, vt nos in eminentia virtutum oculos mentis sursum leuando doceret orare. Orat igitur Christus pro se vt clarificetur. Orat etiam pro nobis, vt tam ipse quàm pater clarificetur in nobis, vt scilicet, cognoscamus tam patrem quàm filium in præsenti per fidem, & in futuro per speciem. Beata enim vita est cogitatio diuinitatis. Propterea ipse in hodierna oratione ait: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam, quasi diceret: Sicut dedisti ei secundum humanitatem, potestatem omnis carnis, id est, super omnem hominem, sic dedisti ei vt omnibus, quos ei dedisti, det vitam æternam, scilicet, quæ habetur per patris & filij

*Luc.3.*

*Matth.19.*

*Profectio literæ, et de sanctificatione Christi et discipulorum eius.*

*Matth.10.*

*Quod triparti ta est Christi oratio.*

*Quod Christus multipliciter orauit pro nobis.*

*Heb.11.*

*Heb.7.*

*Luc.23.*

*De multiplici affectu in orando.*

*Ioan.11.*

*De clarificatione patris & filij.*

*Quare Christus oculos in oratione subleuarit.*

*Matth.14. Mar.6. Ioan.6.*

clarificationem. Vnde ipse subiungit. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. In duobus autem tertius intelligitur, qui est nexus & ambor amborum. Quod autem pater filium clarificare debeat, ostendit, dicens: Ego te clarificaui super terrã, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam, quasi diceret: Rogo quod me clarifices, & debes, quia ego clarificaui te super terram prædicãdo, & miracula in nomine tuo faciendo, & multiplex opus quod mihi iniunxisti cõsummando. Vnde nihil restat, nisi vt meá remuneres obedientiam. Hoc est quod Apostolus ait: Christus factus est obediens patri vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum. Potest tamen de futuro intelligi, quod ait: Ego te clarificaui super terram, id est, in proximo te clarificabo, consummando in breui opus totius generis humani, & spiritum sanctum mittendo, atque per prædicationem Apostolorum, teipsum per vniuersum mundum annunciando. Igitur clarifica me, vt clarificem te. Postquam autem Christus orauit pro se, scilicet, pro sua clarificatione, accedit ad orãdum pro discipulis. Stat Moyses noster in monte cum Domino ad patris dexteram, orans sine intermissione pro populo quem redemit. Prius autem more boni oratoris ostendit tales esse discipulos, pro quibus orandum sit, & pro quibus debeat exaudiri. Vnde sic ait: Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem meum seruauerunt, & nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperũt & cognouerũt verè, quia à te exiui, & crediderũt, quia tu me misisti. Quasi diceret: Manifestaui iam ex parte, & plenius manifestabo nomen tuum, illud præcipuè quo diceris pater meus, quia pauci prius cognoscebant. Manifestaui, scilicet, hominibus, id est, Apostolis & aliis credentibus, quos dedisti mihi instruendos & saluandos. De mundo, scilicet, quia iam de mundo non sunt, & si sint in mundo. Tui erant in præsentia seu prædestinatione dedisti mihi homini eos ad docẽdum, & boni scholares fuerunt, quia sermonem meum seruauerunt, sermonem, scilicet, doctrinæ & fidei, & adhuc plenius seruabunt. Et intantum profecerunt in fide, quod iam cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, id est, quidquid habeo à te, tanquam à primo & supremo principio habeo. Credunt enim quod ego habẽs omnia à te sum per æternam generationem, id est, quod genuisti me omnia tecum habentem. Per hoc autẽ hæc prædicta cognouerũt, quia verba quę dedisti mihi, dedi eis interius, scilicet, inspirãdo & exterius docẽdo, & ipsi acceperũt & cognouerũt verè, id est, intellexerunt per fidẽ, & tenuerũt quod à te exiui per generationẽ, vel ab inuisibilitate tua factus homo, quia tu me misisti, id est, mũdo visibilẽ exhibuisti. Postquã autẽ ostẽdit, quod tales sunt discipuli pro quibus debeat exaudiri, orat pro ipsis, dicẽs: Ego pro eis rogo, nõ pro mundo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, & omnia mea tua sunt, quasi dicat: Rogo pro eis, qui nõ sunt de mũdo, quia dedisti eos mihi, & per hoc nõ sunt de mũdo. Non rogo autẽ pro mundo, id est, pro his qui in præsentia tua dediti sunt mũdo. Multi autẽ in præsenti dediti sunt mũdo, qui tamẽ prædestinati sunt ad vitã, & in Dei prędestinatione nõ sunt finaliter de mũdo, pro quibus etiã Christũ orare intelligimus, quia nouit Deus qui sunt eius. Omnia mea tua sunt, quasi dicat: Dedisti eos mihi, & nihilominus tui sunt, sicut sunt mei, quia omnia mea tua sunt tã ipsi sancti, q̃ naturalia atq; gratuita quæ in eis sunt tua, similiter & mea sunt. Eadem enim est possessio patris & filij. Vnigeniti enim filij sunt omnia quæ sunt patris, per hoc quod ipse est Deus, & de patre natus ęqualis patri. Ostẽdit adhuc alia ratione fidelis aduocatus noster, quod pro discipulis debeat exaudiri. Vnde subiungit: Et clarificatus sum in eis, & iã nõ sum in mũdo, & hi in mũdo sunt, & ego ad te venio, quasi dicat. Exaudire me debes pro eis, quia clarificatus sum in eis, id est, per eos, & adhuc amplius manifestabor. Ipsi præterea indigẽt vt exaudiar pro eis, quia corporaliter recedo ab ipsis, & ad te venio, id est, in proximo veniã in cœlum ascẽsurus, & ad dexterã tuam collocãdus. Reliqua autẽ quę in oratione Domini subsequuntur, quia in hodierno Euang. nõ continentur, nec hodie in Ecclesia recitantur, prætermittimus exponere. Licèt autẽ obscurè dicta sint, & ad intelligendum difficilia intelligentibus, tamen dulciora sunt super mel & fauum, & spirituali consolatione fœcunda. Non solùm autem Christus pro nobis orare voluit, sed exemplum orandi nobis tribuit, & qualiter orare debemus, ostendit. Quia verò teste Apostolo nescimus quid oremus, sicut oportet diligẽter nos instruit, tam de rebus petendis, quàm de circunstantiis orationis, id est, de loco & tempore, de modo & fine. De loco vbi ait: Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Loca enim secreta & pacifica ad literam aptiora sunt orationi, quàm loca tumultuosa, cuiusmodi sunt angusti platearum, vbi plures viæ concurrunt. In biuiis enim vel in triuiis non est locus aptus orationi, sed in locis pacifici & secretis, & maximè Deo cõsecratis, in quibus ex virtute cõsecrationis spiritus nequam non potest adeo impedire nos in orationibus nostris. Propterea Dominus ait: Domus mea domus orationis vocabitur. Et Psalm. ait: Adorate Dominum in aula sancta eius. In templis enim Deo dicatis est frequentia Angelorum, qui orationes nostras Deo offerunt, & ab immundis spiritibus nos defendunt. Sancti etiam quorum reliquiæ in templis requiescunt suis precibus nostras adiuuãt orationes. In omni tamen loco Deũ orare dignè possumus, dummodo solitudine pectoris non careamus. Vnde Apost. ait: Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine disceptatione. Quod etiam Dominus innuit in Euangelio, vbi ait: Mulier crede mihi, quia venit hora quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis patrem, sed veri

*Phil. 2.*

*Exod. 17.*
*1. Thess. 5.*
*De oratione Christi pro discipulis.*

*De trina generatione.*

*2. Tim. 2.*

*Eccle. 24.*
*Qualiter Christus nos orare docuit.*
*Rom. 8.*
*De loco orãdi*

*Matth. 6.*

*Matth. 21.*

*1. Tim. 2.*
*Ioan. 4.*

sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Videtur igitur velle, quod non multum curandum sit de loco materiali, quantum pertinet ad naturam loci, sed magis in domo interiori, id est, in corde adorandus est Deus in spiritu & veritate, id est, pro spiritualibus & veris bonis, vel spirituali & vera oratione. Spiritus enim hominis templum Dei est, in quo vult adorari, Deus enim spiritus est. Vnde magis requirit locum spiritualem quàm materialem. *Ioan. 4.* Et ideo intra cubiculum, id est, in cordis arcano, clauso ostio sensuum, contra vanas cogitationes debemus orare. Quia tamen loci materialis solitudo, & consecratio ad pacem corporis & pectoris cooperantur, quantum ad hoc vnus locus materialis præferendus est, aliquando alij loco materiali. Similiter & situm loci attendit Ecclesia in publicis orationibus propter mysterium, quia versus Orientem adorat, vt nobis orantibus vera lux oriatur in cordibus nostris, & illuminet nos oriens ex alto. Vnde in lib. Sapiętię dicitur. Ad ortũ lucis oportet adorare. Tẽpus etiam orandi obseruat Ecclesia in horis canonicis, id est, primã horam, tertiam, sextam, nonam vespertinã, id est, vndecimã, & in fine diei quæ est hora duodecima, dicere cõsueuit completorium. Huius autem obseruationis rationem in præcedenti sermone assignauimus. In priuatis autem orationibus non multum attenditur tempus, vbique enim & omni tempore orandum est ore, corde, vel opere. Vnde Apostolus ait: Sine intermissione orate. Et in Luca Dominus ait: Oportet semper orare & non deficere. Et subiungit exemplum de iudice iniquo, qui Deum non timebat, nec hominem reuereberatur. Et de vidua quæ per instantiam orationis iustitiam obtinuit de aduersario suo. Multò magis faciet Deus vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, sicut in eodem loco dicitur. De modo etiam orandi nos instruit, vbi ait: Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Deus enim non tam verborum multitudine, quàm cordis deuotione delectatur. Non multiloquio vel polita oratione flectitur, sed lachrymis & cordis deuotione ac puritate. Vnde in Iob Dominus de Behemoth ait: Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Quod sic exponit Gregorius: Hoc de eius corpore, id est, iniquis omnibus intelligitur. Sunt namque nonnulli intra Ecclesiam, qui prolixas ad Deum preces habent, sed vitam deprecantium non habent. Veraciter namque orare est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare. Qui igitur flores verborum in compositione orationis colligunt & excerpunt, caueãt sibi ne fructum amittant. Non tamẽ simpliciter Dominus prohibet multiloquium in oratione, nam & ipse in oratione pernoctauit, & factus in agonia prolixius orauit. Sed prohibet ne in multitudine verborum confidamus, si in oratione cor non apponamus, & ne multiloquio vtamur in oratione, eo fine quo vtebantur gentiles idololatræ, qui triplici de causa multiloquio & oratione vocali vtebantur. Prima causa, quia dæmones, quos inuocabant, secreta cordis humani penetrare non valent, & nescirẽt quid illi peterent, nisi verbis & signis exterioribus instructi essent. Secunda causa, quia putabant dæmonibus, sicut hominibus multiloquio, & verbis persuasibilibus quod intendebant, persuadere. Tertia causa, quia dæmones quos inuocabant, absentes esse putabant. Vnde Elias sacerdotibus Baal irrisorie dicebat: Clamate voce maiore: Deus enim vester forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere. Non igitur simpliciter prohibet Dominus multiloquium vel orationem vocalem, licèt enim cogitationes nostras non ignoret, vult tamen nos vocaliter orare pro excitanda deuotione, pro proximi instructione, pro linguæ obsequio, pro rei petendæ cõmemoratione, pro diligentiori custodia rei impetratæ. De fine etiã orationis nos instruit Dominus, vbi ait: Cùm oratis, non eritis sicut Hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum orare, vt videantur ab hominibus. Non est igitur orandum pro vana gloria, vel pro fauore hominum. Non autem simpliciter prohibet ne videamur, sed ne videri appetamus. Sit igitur oratio pura, vt nihil ab ipso, nisi propter ipsum quæramus. Sit deuota vt in pinguedine spiritus eam protendamus. Sit ampla, vt tam ad inimicos quàm ad amicos eam extendamus. Sit continua, ne intermissione fiat remissior. Sit discreta, ne dicatur nobis, nescitis quid petatis, sicut dictum est filiis Zebedæi, qui delectabantur culmine honoris, quos nondum exercuerat via laboris. Sit plurialis, vt non solùm sibi soli petat, sed pro communi hominum salute fiat oratio. Quantò enim pro pluribus effunditur, tantò Deo gratior habetur, quia charitas amplitudine conditur. Sit pacata, vt leuemus manus puras sine ira & discepratione ad Deum, cogitationibus animus noster non conturbetur. Sit verecunda, vt erubescamus peccata nostra in conspectu Dei nostri, & tantæ maiestatis reuerentiam deferamus. De rebus etiam petendis instruit nos Dominus. Vnde & orationem dominicam nobis composuit, & eam nobis specialiter tradidit, in qua plenariè & sufficienter nos docuit, quæ sunt à patre cœlesti postulanda. Vnde speciali priuilegio dicitur: Oratio dominica, quia à Domino est instituta, & quia dominium vitæ æternæ nobis per eam acquiritur, si pura intentione, & mundo corde Domino offeratur. Et quia inter alias orationes dominium obtinere comprobatur. Verba enim huius excellentissimæ orationis ponderis grauitate sunt plena, sensuum maiestate fœcũda, per singulos articulos dictionum continent ponderа sententiarũ. Vnde & cæteris omnibus præcellit mysteriorum profunditate, sermonis breuitate, & auctoris dignitate, petitionum sufficientia & vtilitate. Est enim mysteriis fœcunda, quia diuina & profunda continet in se mysteria, breuitate sermonis compendiosa. Hoc est enim verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus in terra, vt nulli eam liceat ignorare, & ipsam memoriter

*2. Pet. 1. Luc. 1.*

*Sap. 16.*

*De tempore orandi.*

*1. Thess. 5. Luc. 18.*

*De modo orandi.*

*Iob. 41.*

*Luc. 6. Luc. 22.*

*Quare gentiles multiloquio vtebantur in oratione.*

*3. Reg. 18.*

*De fine orãdi.*

*Qualis debet esse oratio.*

*1. Tim. 2.*

*De oratione dominica & eius sufficientia & præeminentia.*

*Isaiæ 28.*

memoriter valeamus retinere, vt nullus ignorantiæ suæ habeat excusationem, nec multiloquio incurramus tædium, vel acediam. Dignitatem habet ab authore, quia edita est & prolata ab ipso saluatore. Præeminet insuper vtilitate petitionum & sufficientia, quia vtriusque vitæ continet necessaria. Dum enim dominicam orationem dicimus, æterna & spiritualia atque temporalia petimus. Aeterna, in præmium: spiritualia, in meritum: temporalia, in sustentamentum. Aeterna petimus in præmium quando dicimus, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum. Spiritualia in meritum poscimus vbi dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Temporalia petimus in sustentamentum vbi dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, secundum vnum huius petitionis intellectum. Non solùm autē pro prædictis bonis gratiæ, gloriæ & sustentationis nostræ adipiscendis oramus, sed insuper pro malis remouendis: Quorum quædam sunt præterita, pro quibus remittendis oramus, vbi dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Alia futura, pro quibus præcauendis oramus, vbi dicimus: Et ne nos inducas in tentationem. Alia sunt præsentia, pro quibus vincendis oramus, cum dicimus: Sed libera nos à malo. Sunt autem in hac oratione dominica septem petitiones. Quarum tres primæ pertinēt ad patriam, quatuor vltimæ ad viam. Media tamen quæ est panem nostrum quotidianum, da nobis hodie, secundum diuersas eius expositiones, partim pertinet ad patriam, partim ad viam. Tres priores ad patriam pertinentes, præponuntur ratione dignitatis, licèt quatuor subsequentes priores sint ratione temporis. Ponuntur igitur in hac oratione septem petitiones, vt septem dona spiritus sancti obtineamus, quibus recipiamus septem virtutes, quibus à septem principalibus vitiis liberati, ad septem perueniamus beatitudines. Dona enim petitionibus, virtutes donis, beatitudines virtutibus obtinentur. Homo enim est quasi ægrotus, Deus medicus, vitia sunt ægritudines, petitiones sunt planctus, dona sunt antidota, virtutes sanitates, beatitudines verò sunt gaudia & fœlicitates. Septem dona spiritus sancti sunt illa, de quibus Isaias ait: Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cōsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Septem autem virtutes & totidem beatitudines Dominus in Euangelio coniunctim ponit, vbi ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebūt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Septem autē capitalia vitia sunt: Superbia, Inuidia, Ira, Acedia, Auaritia, Gula, & Luxuria. Cùm autem vnus ex discipulis diceret Christo: Doce nos orare, sicut Ioannes docuit discipulos suos. Dominus sub compendio verborum formam orandi, tradens discipulis comprehendens sufficientiam omnium petendorum, tam donorum quàm virtutum & beatitudinum, & omnium ad præsentem, & futuram vitam pertinentium, ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis, & cętera quę sequūtur. Huic autē orationi suæ breuem prologum prępmittit Dominus, scilicet, pater noster qui es in cœlis. Quia ita est præparatio eius, vt per primum verbū quod est Pater, corda orantiū confortet per fiduciā. Per secundū, quod est, noster, dilatet per fraternitatis amorem. Per tertium, quod est qui es in cœlis, eleuet à terrenis per supernorum inspectionem. Pater seipsum negare non potest, sicut enim si mater est, diligit, ita multò fortius de illo qui pater est, non solùm per creationem, sed insuper per adoptionem, verum est si pater est, diligit, Vnde ipse per Isaiam ait: Et si mater oblita fuerit pueri vteri sui, ego tamen non obliuiscar tui. Ad hunc igitur patrem fiducialiter accede, cum incenso arietum, id est, cum oratione Dominica, quam Deus principaliter arietibus gregis dominici ductoribus tribuit. Accede & confide, etiam si de longinqua regione malè consumpta substantia tua reuersus fueris cum choro & symphonia recipieris. Vt igitur daret fiduciam impetrationis, noluit dicere: Domine, cui seruitur timore, sed pater, cui seruitur amore. Per hoc etiam quod dicit: Pater exhortatur nos ad seruandam gratiam adoptionis ne degeneres simus, nec nos tāto patre indignos reddamus, sed cum omni reuerentia & honore, tanquam regis filium honestè nos habeamus. Per hoc etiam quod ipsum recognoscimus patrem, prouocamur ad eius dilectionem. Si enim pater noster est, à nobis diligendus est. Qui autem ipsum non diligit, à patre diabolo est. Qua fronte igitur audet eum patrem nominare? Dominus enim, nugaris vel mentiris potest ei respondere. Si igitur filius patrem carnalem diligit, qui tamen corpus eius vel ipsius animam non fecit, sed tantum semen fœtidum proiecit, quantò magis diligere debemus patrem spiritualem, qui nobis tribuit corpus & animam? Si quis sibi manum abscinderet vel oculum erueret, ipsum forsan odio haberes. Cur igitur non diligis illum, qui tibi non solum manum aut oculum, sed omnia membra dedit? qui nō solum corpus & animam creauit, sed insuper te perditum recreauit & redemit? Dicitur autem Deus pater omnium generaliter per creationem. Specialiter verò dicitur pater iustorum per adoptionem. Singulariter autem dicitur Pater Christi per æternam generationem. Accipitur tamen pater essentialiter, & non personaliter in hac oratione. Dirigimus enim sermonem ad totam trinitatem. Cùm autem dicimus noster, ad effusionem charitatis erga omnes prouocamur. Si enim pater noster est, omnes fratres sumus. Sicut ergo dicendo pater, prouocamur ad dilectionem Dei, ita dicendo, noster, incitamur ad fraternam vnitatem, & ad dilectionem proximi. Nisi enim dilectionem Dei & proximi habeamus, exaudiri non meremur. Qui autem pater est omnium per creationem, noster est per adoptionem. Per hoc etiam

*De postulatione æternorū, spiritualiū et temporalium.*

*De malis præteritis, præsentibus, & futuris, pro quibus remouendis oramus.*

*Quod hæc oratio septem cōtinet petitiones, & quæ per ipsas obtinemus. Isa. 11.*

*De petitionibus, donis, virtutibus & beatitudinibus & vitiis criminalibus.*

*Lucæ. 11.*

*De prologo orationis dominicæ. 2. Tim. 2.*

*Quare in principio dicatur pater noster. Isaiæ 49.*

*Quare dicimus noster.*

hocetiam quod pluraliter noſter dicimus,præſumptionis & ſingularitatis vitium vitamus, ne, ſcilicet, quod commune eſt,proprium reputemus. Soli enim Chriſto competit dicere: Pater mi,qui eſt filius per naturam.Aliis autem pater noſter,qui filij ſunt per gratiam.Hinc eſt quod ipſe ait: Vado ad patrem meum & patrem veſtrum,meum per naturam,veſtrum per adoptionis gratiam. Cùm igitur omnes ab eodem carnali patre,id eſt,Adam proceſſerimus, & de eodem limo formati ſimus,atque ab eodem patre Deo plaſmati,non elati eſſe debemus,tanquam alij aliis clarioribus orti ſint natalibus,nec de genere noſtro ſuper alios attolli,ſed ſocialiter viuere &omnes fratres coęquales reputare.Dicitur autẽ,qui es in cœlis,licèt vbiq; ſit Deus. Quia ibi plenius cum ſuis gloriatur,vbi facie ad faciem mirabilis inſpicitur.In cœlum igitur cogitare debemus ipſum, ne ſi vbique cogitetur,affectus noſter nimis diffundatur, & mens noſtra quaſi nuſquã ſit,ſi vbique ſit. In cœlis igitur cogitatur, vt vbi eſt theſaurus tuus,ibi ſit & cor tuum.Illuc anhelas & aſpires,& cum omni deſiderio tendas, vbi eſt pater tuus,vbi patria tua, vbi patrimonium tuum, vt ibi fixa ſint corda noſtra,vbi vera ſunt gaudia.In cœlis etiam eſſe dicitur,id eſt,in Angelis cęleſtibus,& in ſanctis animabus per gratiã quę cęlatę ſunt virtutibus, & ſecreta Dei in ſe cælant. Sic autem fiduciã pręſtat,vt ſi fuerit in nobis, ſanctos efficiat: vel in cœlis eſſe dicitur,id eſt,in ſecreto diuinæ maieſtatis,per quod ſpes nobis tribuitur habendi bonum occultum,quod oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcendit. Per hoc igitur admonemur & ſanctos imitari in conuerſatione, & ſecretis cœleſtibus inhiare. In hoc igitur breui proœmio captatur beneuolẽtia à perſona cognitoris,cùm dicitur,pater,à perſona petitoris,cùm dicitur noſter,à perſona aſſeſſoris, cùm dicitur,qui es in cœlis, id eſt,in Angelis & in animabus ſanctis. Præmiſſo compẽdioſo proœmio ſubiungitur dominica oratio. Quæ principaliter inſtituta eſt contra ſeptem criminalia peccata, vt Deus à nobis auertat illa, vnde ſeptem continet petitiones.Inſtituta eſt etiam contra leuia & quotidiana peccata, quibus in hac vita carere non valemus. Vnde ad abluendas ſordes quotidianas hac oratione tanquã aqua Deiquotidie indigemus, ſicut aqua materiali manus noſtras ſingulis diebus abluimus. Valet inſuper cõtra omnia corporis & animę pericula,& contra omnia huius vitę impedimẽta & infortunia.Prodeſt nõ ſolũ viuis ſed & mortuis.Prodeſt in omni articulo neceſsitatis. Quę enim à Domino ſpecialiter inſtituta eſt,& ipſius ore prolata ac ſanctificata ineſtimabilẽ habet efficatiam,tam ad impetrandum quæ expediunt,quàm ad vitandum quæ impediunt. Vnde pro qualibet re impetrãda vel amouenda generaliter dici ſolet,& cuilibet negotio adaptari poteſt,ſicut cera mollis & tenera cuilibet ſigillo adaptatur.Et ſicut Mãna ſecundũ vniuſcuiuſq; appetitum varios ſapores habebat.Similiter & cãpanę ſonus cõmunis,varias adaptationes recipit,& ad diuerſa conuertitur ſecundũ intentionẽ & voluntatẽ adaptantis.Pari modo dominica oratio cõmunis eſt,& quælibet ipſius petitio variis cordis affectionibus valet applicari,id eſt,ſecundum diuerſas animi intentiones & varias expoſitiones.Vnde nõ debet integra tranſglutiri,ſed dentibus meditationis deuotè maſticari,& quaſi particulatiter diuidi. Quanto enim magis in cordе attrita fuerit, tantò maiorem nobis reddet ſuauitatem odoris.De hac enim oratione ſpecialiter intelligitur,quod Salomon ait: Vnguentis & variis odoribus delectatur cor. Hoc eſt enim vnguentũ ſuauitatis,tot ex ſe emittens odores,quot habet adaptationes.Vnde & quælibet ipſius petitio varias recipit expoſitiones.Nos tamen propter certitudinis compendium ſingulas petitiones tantũ tribus modis exponemus, vt dum illas in conſpectu Domini maſticamus,per quamlibet illarum tria principaliter poſtulemus,Prima igitur ex ſeptem petitionibus eſt: Sanctificetur nomen tuum,per quam tria à Domino petimus, dum illam in mente triplicando tribus vicibus repetimus.Sanctum dicitur,quod eſt ſtabile & firmum.Sanciri enim eſt confirmari,& ſanctum idem eſt quod ſtabiliter firmatum.Primò igitur petimus nomen patris ſanctificari in filiis,id eſt,confirmari,vt in gratia filiationis ſeu adoptionis perſeueremus,& nunquam filij eſſe deſinamus,nec amittamus nomen patris facti filij diaboli. Hæc autem ſanctificatio in præſenti inchoatur,ſed in futuro conſummabitur. Tunc enim à gratia filiationis nullo modo poterimus ſeparari. In præſenti autem quaſi mobile manet nomen patris in filiis. Quantò autem magis in bono proficimus,tantò ſanctificatio in nobis augetur. In futuro autem plenam obtinebimus ſanctificationem,id eſt,confirmationis plenitudinem,vt iam nomen iſtud amittere nequeamus.Sed & nomen patris,ita in cordibus noſtris cõfirmabitur, quod ſemper cogitabimus de illo,& nunquã à noſtra excidet memoria, ſed indelebiliter mentibus noſtris adhærebit.In præſenti autem variis neceſsitatibus abſtracti non valemus continuè de Deo cogitare. Sanctum autem ſecundo modo dicitur, quod eſt à communi vſu hominum ſequeſtratum & diuino ſeruitio mancipatum.Hoc enim modo vaſa Deo conſecrata ſancta dicimus. Petimus igitur nomen patris ſanctificari in nobis, vt ſanctificationis effectum in nobis operetur.Neq; enim ipſum in ſe ſanctificari petimus,quia ſummè ſanctum eſt,& amplius ſanctificari non poteſt.Sed petimus,vt in illis,in quibus eſt ſanctificationis augmentum operetur, vt amplius ſanctificẽtur,& in illis,in quibus non eſt ſanctificatio,conferatur. Sanctificatur igitur nomen patris in nobis, quando ſanctè & honeſtè viuimus, & tanta patre dignos nos eſſe oſtendimus. Pater enim honoratur in filiis honeſtis.Qui autẽ inhoneſtè ſe habẽt quantũ in ſe eſt,nomẽ patris blaſphemant.Vnde Dominus cõqueritur per Prophetã,dicẽs: Propter vos nomen meum blaſphematur in gentibus.Nomen igitur patris ſanctificatur,dũ pater in filiis ſanctificationem operatur,

*Ioan.20.*

*Quare dicatur qui es in cœlis.*

*Matth.6. Luc.11.*

*Iſaiæ 6.*

*Ad quid principaliter inſtituta ſit dominica oratio, et de eius efficatia.*

*Sap.16.*

*Prouer. 27. Quod quælibet petitio tribus modis expenitur, quia per quamlibet tria petuntur.*

*Expoſitio primæ petitionis.*

*Secunda expoſitio primæ petitionis.*

*Eccle.4. Iſaiæ 52.*

operatur, & per hanc filiorum sanctificationē pater in filiis honoratur, & nomē ipsius sanctum habetur. Et ita clarificatur in filiis, & blasphematur in malis seruis & in filiis inhonestis. Et ita filij sanctificantur in patre effectiuè, pater autē in filiis ostensiuè. Vnde filius ait: Manifestaui nomen tuū hominibus quos dedisti mihi. Nō solum enim prædicatione, sed honesta cōuersatione nomē patris sanctificare debemus, id est, sanctū prædicare, sanctū ostendere. Et ita nomē patris in nobis sanctificatur, dum sicut est sanctū, in nobis ostēditur, huiusmodi autē sanctificatio inchoatur hīc in via, sed perficietur in patria. Tunc enim perfectè sancti erimus, & in nobis patris nomē sanctū omnibus apparebit. Tunc enim manifesti erunt, qui modò sunt occulti, quādo reprobi dicturi sunt. Nos incēsati vitā illorū reputabamus insaniā, & finē illorū sine honore. Quomodo igitur computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorū est? Is igitur est sensus huius petitionis: Sanctificetur nomē tuū, id est, sanctitatē operetur in nobis, & sanctū appareat in nobis, & ex nobis per prædicationē, & bonā cōuersationē nostrā. Tertio modo sanctificari idem est quod glorificari & laudari: Vnde & nomē Dei sanctificatur, dum à nobis glorificatur & laudatur, dum gloriā nostram non quærimus, sed ad ipsum omnē gloriā reportamus, & nomini eius laudem dicimus. Nomen eius nō sanctificauerunt Philosophi conquisitores huius seculi, qui, cùm cognouissent Deū, teste Apostolo, nō sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerūt in cogitationibus suis. Nomen autē eius, id est, filiū, per quem pater mūdo innotuit sanctificamus, dū illi de salute nostra gratias agimus. Nomen istud nos sanctificat, dū nos à peccatis purgat, & mentē nostram illuminat, vt ipsum timeamus, veneremur, & laudemus, & ad ipsum bona referamus. Secunda petitio est, Adueniat regnū tuum, per quā similiter tria perimus, dū eam diligenter masticando & in corde reuoluendo quasi in tres partes diuidimus. Regnū enim Dei dicitur Ecclesia militās, in qua Deus regnat & quæ regitur à Deo. De quo dicitur: Colligent de regno eius omnia scādala. Regnum etiā Dei dicitur Ecclesia triumphans, quę regnat cū Deo, de quo dicitur quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abrahā, Isaac, & Iacob in regno cęlorū. Primò igitur petimus, cùm dicimus: Adueniat regnū mundi, vt regnum veniat ad regnū. Regnum militantis Ecclesiæ ad regnū triūphantis, vt sit vnum ouile, vnus pastor, vt regnum fidei, de quo dicitur: Regnum Dei intra vos est, transeat in regnū speciei, de quo dicitur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnū. Hæc est enim vita æterna, vt qui nunc vident Deum per fidē: videant ipsum facie ad faciē. Oramus igitur dicētes: Regnum tuū adueniat, id est, ad videndū te veniat. Huius autē petitionis effectus inchoatur, dum sanctorū animę post hanc vitā ad æternę beatitudinis regnū quotidie trāsferuntur, sed in futuro perficietur in carnis resurrectione, quando mortale hoc induerit immortalitatē, & omnes sancti duplici stolā recipientur in gloria. Cùm tradiderit filius regnū Deo & Patri. Tunc enim solus Deus manifestè regnabit, cū euacuerit omnē principatum & potestatē & virtutē, nec amplius angelo, vel homo homini, vel dęmon dæmoni præerit vel imperabit. Huius autē regni aduentū, quod erit post finē seculi sancti desiderāt, vt recipiāt duplicē stolā, & plenè recuperent hęreditatē suā. Interim autē sub altare Dei animæ sanctorū magna clamāt, vsquequo Domine nō vindicas sanguinem nostrū? Desiderāt enim vt Deus de malis plenam faciat iustitiā, & sanctis suis plenā reddat retributionē, quod erit in fine seculi, postquā regnū militās perfectè venerit ad regnū triūphans. Vnde responsum est eis, sicut in Apoc. dicitur: vt requiescāt adhuc modicū, donec impleatur numerus fratrū eorū. Interim autē sub altari Dei, id est in secreto æternę quietis, in quo sub Christo requiescūt, datæ sunt eis singulæ stolę, id est, simplex glorificatio. Postquā autē regnū venerit ad regnū, omnes sancti duplicē corporis & animæ recipiēt stolā. Cū igitur regnū Dei perfecta sit salus sanctorū, cū magno desiderio orare debemus, adueniat regnū tuū, id est, regnū tuum, vt reniat ad regnū. Repetamus autē, & peccatoribus cōpatientes dicamus. Adueniat regnū tuū, id est, regnū tuum, vt regnes in illis per gratiā, in quibus nūc diabolus regnat per culpā. Regnū igitur tuū adueniat, id est, ad illos veniat, qui sub diaboli tyrānide deprimūtur, vt inimici potestatē in illis destruas, & eas de manu cōtrarię potestatis eripias. Regnū igitur diaboli ad Deū cōuertatur, & veniat adregnū Dei, Hoc autē specialiter fiet, quādo reliquię Israël in fine ad Deū cōuertentur, & synagoga Ecclesię cōiungetur. Repetamus tertiò & dicamus: Adueniat regnū tuū, id est, regnū triumphās ad regnū militās, quod multipliciter habet fieri. Adueniūt enim sancti, cū Christo regnātes nobis cōpatiendo, pro nobis orādo, & nos in hoc exilio visitādo. Veniat ad nos regnū triumphans, id est, prælibatio & pręgustatio dulcedinis patrię cœlestis, vt gustata illa dulcedine deficiat omnis caro, vt cōprehendamus per fidē, & gustemus per charitatē, quod in regno cœlesti cōprehēdemus per experientiā. Adueniat, tertio modo regnū triūphans ad regnū militās, regnū supernæ potentię corroborādo nos cōtra infirmitatē, regnū sapientiæ illuminādo nos cōtra ignorantiā, regnū benignitatis & suauitatis perfundēdo nos lætitia contra huius exilij tristitiam. Adueniat igitur ad nos regnum sanctæ trinitatis, regnum potentiæ ad infirmos, regnum sapientiæ ad ignorantes & minus prudentes, regnū benignitatis ad flebiles & miseros. Sic igitur tribus modis exponitur secunda petitio, primus implebitur in patria, secundus & tertius in via. Tertia petitio est: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Voluntas Dei dicitur beneplacitum, & hæc voluntas est, ipse Deus & semper impletur, sicut scriptum est, voluntati eius quis resistet. Voluntas Dei quandoque dicitur signum diuinæ voluntatis. Sunt autem signa diuinæ voluntatis. Præceptio, prohibitio, consilium, admonitio & permissio. Hæc autem voluntas

*Ioan. 17.*

*Sap. 5.*

*Tertia expositio primæ petitionis.*

*Rom. 1.*

*De secunda petitione, adueniat regnū tuum.*

*Matth. 13.*

*Prima expositio secundæ petitionis.*

*Ioan. 10.*

*Luc. 17.*

*Matth. 25.*

*Gene. 32.*

*1. Cor. 15.*

*Prouer. 31.*

*2. Cor. 15.*

*Apoc. 6.*

*Secunda expositio secundæ petitionis.*

*Isa. 10.*

*Tertia expositio secundæ petitionis.*

*De tertia petitione, fiat voluntas tua.*

*Hester. 13.*

*Prima expositio tertiæ petitionis.*

voluntas non ſemper impletur: Vnde oramus vt impleatur. Primo autē modo ita intelligitur, vt eius impletio inchoetur in via, & perficiatur in patria ſub hoc ſenſu. Fiat voluntas tua, id eſt, opere impleatur quod præcipis, quod admones, quod conſulis: ſicut in cœlo, id eſt, in angelis & in animabus ſanctis, quæ regnant cum Chriſto: Ita & in terra, id eſt, in his, qui adhuc ſunt in via, vt ſicut illi, qui in cœlo ſunt, tuæ obediunt voluntati: ita qui in terra ſunt, tuæ per omnia ſubditi ſint & aſſentiant voluntati: Vel ſicut fit in Chriſto, cuius anima cœlum eſt, & principalis thronus Dei: ita fiat voluntas tua in terra, id eſt, in Eccleſia: Vel ſicut fit in mente, ita fiat in carne, vt caro non concupiſcat aduerſus ſpiritum, ſed carnis & ſpiritus omnimoda ſit concordia. Hæc autem prædicta in via inchoantur, ſed in patria conſummabuntur, vbi nil poterimus velle, niſi quod ſcimus Deum velle: Vbi etiam caro in nullo repugnabit aduerſus ſpiritum, ſed implebitur ſcriptura quæ dicit: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Secundo autem modo intelligitur ita quod in via inchoatur & perficitur: Vt per cœlū perfectos intelligamus, quorum conuerſatio eſt in cœlis: Per terram imperfectos & etiam peccatores terrena diligentes, pro quorum conuerſione oramus, & ſimiliter pro imperfectorum perfectione, ſub hoc ſenſu: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra, id eſt, in imperfectis iam conuerſis, & in peccatoribus conuertendis, ſicut fit in cœlo, id eſt, in viris cœleſtibus & perfectis, vt ſicut iſti, ita & illi perfectæ tuæ obediant voluntati. Repetamus tertiò & iterantes dicamus. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra, vt per terram omnes adhuc commorantes in terra, tam perfectos quàm imperfectos, & etiā peccatores intelligamus. Per cœlum verò ſanctos Angelos & ſanctorum animas, quæ cum Chriſto regnāt, deſignemus & oremus Dominum, vt ſicut Angeli ſecundum ſtatum patriæ, & gratiam ſibi à Deo collatam, diuinam adimplent voluntatem, ita homines in hoc ſeculo viuentes, ſecundum ſtatum viæ diuina mandata perficiant. Et ſecundum modum iſtum petitio iſta inchoari poteſt, & conſummari in via. Ne ergo petitioni noſtræ contradicamus, conſentiamus in omnibus voluntati diuinę, & quicquid nobis accedat, dicamus: Fiat voluntas Domini. Fiat Domine voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Qui enim ſic orat, inſinuare videtur ſibi placere, quicquid placet voluntati diuinæ. Caueat igitur ſibi, ne mens eius ori ſuo contradicat, & contra Dei flagella murmurare non præſumat, ſed ſeipſum prorſus voluntati diuinæ ſubiiciat. Dei autem voluntas per ſe fit. Vnde nō laborat, niſi qui propriam facere voluntatem conatur. Hę igitur tres primæ petitiones tripliciter expoſitæ, tria quæ Deo debentur, continēt implicitè. Vbi namque dicitur: Sanctificetur nomen tuum, ecce timor: vbi dicitur: Adueniat Regnum tuum, ecce honor: vbi dicitur: Fiat voluntas tua, ecce amor. In ſanctificatione namque timor eſt, iuxta illud. Timorem eorum ne timueritis. Deum autem venerantes ſanctificare. Sic in Regno ſplēdet honor, & in voluntate feruet amor. Quarta & media petitio eſt, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. In hac petitione ſicut in præcedentibus tria principaliter petimus. In triplici enim die triplici pane indigemus. Prima dies vita carnalis, quæ indiget pane temporalis ſuſtentationis, qui etiam quotidianus dicitur, quia diebus ſingulis illo indigemus. Per hoc autem quod hodie dicitur de craſtino cogitare prohibemur. Sufficit enim cuilibet præſenti diei malitia ſua. Secunda dies vita eſt ſpiritualis, quæ indiget pane ſpiritualis refectionis, id eſt, pane pœnitentiæ ad obtinendam veniam. De quo dicitur: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Pane operationis bonæ ad promerendam vitam æternam, de quo dicitur: Operamini cibum qui non perit. Pane doctrinæ ad eruditionem, de quo dicitur: Paruuli petierunt panē, & non erat qui frangeret eis. Pane Euchariſtiæ ad expugnationem & animæ confortationem. De quo dicitur: Qui manducauerit panem hunc indignè, reus erit corporis Domini. Pane gratiæ ad informationem, de quo dicitur: Amice commoda mihi tres panes. Hi ſunt fides ſanctæ trinitatis, vel per tres panes, fides, ſpes, & charitas deſignantur. Omnes hi prędicti panes quotidiani dicuntur. Quotidie enim ſpiritualiter refici indigemus. Homo enim duarum eſt naturarum, corporalis, ſcilicet, & ſpiritualis. Vnde quamdiu eſt in hac vita, duplici indiget refectione. Tertia dies eſt vita cœleſtis, quæ ſuſtentatur pane beatitudinis æternæ. Hic eſt panis ſuperſubſtantialis. Vnde & Matthæus ait: Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Per quem ſpecialiter Chriſtus intelligitur, qui eſt ſuper omnes ſubſtantias. Qui etiam dicitur quotidianus, quia ſingulis diebus illo indigemus, nec ſine illo viuere valemus. Hic eſt panis pulcher & candidus, panis ſemper recens & calidus, nunquam tollendus in ſabbato, nunquam mutandus pro altero. Si autem cùm dicitur: Superſubſtantialem, duas dictiones intelligamus, is eſt ſenſus. Da nobis panem, id eſt, Chriſtum ſuperſubſtantialem, id eſt, præter panem ſubſtantialem & corporalem, quaſi diceret: Da nobis vtrumque panem animæ, ſcilicet, & corporis. Matthæus autē in Hebręo dicit: Sogolla quod æquiuocum eſt ad egregium & peculiarem. Pro egregio poſuit Græcus interpres, Matthæi epiuſion, id eſt, ſuperſubſtantialem. Lucas autem pro peculiari poſuit quotidianum. Chriſtus autem panis eſt egregius, id eſt, ſuper omnes ſubſtantias, & extra gregem omnium creaturarum. Eſt etiam panis peculiaris, id eſt, proprius, quia quotidie neceſſarius. Quinta petitio eſt: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hac autem oratione, ſicut aliis prædictis tria petere debemus, ſecundum quod tribus modis intelligitur. Primo modo, vt debita appellemus peccata mortalia, quæ per conſenſum fecimus noſtra. Non enim hîc agitur de debito pecuniarum, ſed de debito offenſarum, quibus debitores penè apud Deum conſtituimur, & debitores

*Gal. 5.*

*Secunda expoſitio tertiæ petitionis. Phil. 3.*

*De hac petitione, quæ eſt quarta, panē noſtrum, & de multiplici pane.*

*Prima expoſitio quartæ petitionis.*

*Secunda expoſitio quartæ petitionis. Ioan. 6. Tren. 4. 1. Cor. 11.*

*Tertia expoſitio quartæ petitionis. Leuit. 24.*

*De quinta petitione, quæ eſt, dimitte nobis debita noſtra. Prima expoſitio quintæ petitionis.*

debitores satisfactionis penes eum in quem peccauimus. Per hæc etiam debitores diabolo constituimur, à quo peccata mutuata sunt nobis. Ipse enim fœnerator pessimus scrutabitur omnẽ substantiam nostrã, & repetet cum vsura quicquid nobis commodauit, nisi à Deo absoluamur. De reprobis autẽ, qui de peccatis conteri nolunt, ait Psalmus: Mutabitur peccator & nõ soluet. Hoc autem pacto peccata nobis dimittuntur, si nos debitoribus nostris, id est, peccãtibus in nos dimittamus: Alioquin etiam dimissa prius in debitum reuocãtur. Vnde de seruo nequã dicitur, quia noluit misereri conserui sui, nec illi debita remittere, quod omnia etiam sibi dimissa reddere vsque ad vltimum quadrantem. Eadem quippè mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Nullus igitur est totius orationis fructus nisi debitoribus nostris dimittamus. Qui enim odio fraterno laborat, magis videtur hac oratione grauari quã iuuari. Ex quo enim non dimittit, videtur per consequens petere vt sibi nõ dimittatur, & ita in ipso impletur, quod scriptum est. Et oratio eius fiat in peccatum. Et iterum: Ore suo benedicebant, corde autem suo maledicebant. Per hoc igitur Dominus ostendit, quantũ fraternum odium detestetur. Vnde & conditionaliter nobis peccata dimittit, id est, si aliis dimiserimus. Alioquin iudicium sine misericordia ei, qui noluerit facere misericordiã. Quidam autem quærentes in peccatis excusationes, vnam dictionem, sicut in duas diuidunt, dicẽtes hunc esse sensum: Dimitte nobis debita nostra, sic, id est, hoc modo, vt & nos dimittimus, id est, dimittamus debitoribus nostris. Sed hãc expositionem friuolam reputamus. Nã Dominus finita oratione expresse subiungit. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autẽ non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata. Qui igitur in fraterno odio pecta sibi dimitti postulant, contra id quod agunt, orant, & ita indeuotè orantes, iudicium sibi postulant. Non enim ante orationẽ præparat animã suam, dum non dimittit, cùm habeat aliquid aduersus fratrem, & ita quicunq; dicit orationem dominicam in fraterno odio, nõ prodest illi, sed magis obest, nisi fortè dicatur sicut aliquibus videtur, quod non orat in persona sua, sed in persona vniuersalis Ecclesiæ, & idcirco nõ obest illi, qui sic orat, iuxta illud Gregorij: Interim fac quicquid boni potes, vt Deus cor tuum illustret ad pœnitentiã. Nulli tamen dubiũ est, quin rancorem animi quilibet fratri suo debeat dimittere, siue perfectus siue imperfectus sit, siue veniam postulet qui offendit, siue veniam petere contemnat. Imperfectus quidem, si qui petatur ab ipso venia, non solum odiũ interius, sed signa rancoris exterius dimittere debet, & dicere, aue veniã postulanti. Perfectus autẽ, & si venia non petatur, ab eo tamẽ debet dimittere rancorem interius, & signa rancoris exterius, & cum aduersario suo loqui, atq; illũ ad bonum inuitare. Licet autẽ peccatum in se, & quantũ ad rancorem, & quantum ad satisfactionem perfectus debeat dimittere, peccatũ tamẽ in Deum atq; peccatũ in proximũ debet in alio punire. Quamuis autẽ peccata mortalia nobis dimissa, quantũ ad maculã & quãtum ad reatũ, id est, quantũ ad obligationẽ ęternę pœnę, nihilominus tamẽ debemus orare, vt nobis amplius dimittãtur, quantũ ad pœnæ purgatorij & pœnę tẽporalis diminutionẽ. Et quia peccatis venialibus, & quotidianis carere non valemus. Secundò repetere debemus, ac dicere: Dimitte nobis debita nostra, id est, qui nos à maioribus liberasti, emunda nos à minoribus, ne fœnum, lignũ, & stipulam nobiscum deferamus. Tertiò etiam debemus orare ac dicere. Dimitte nobis debita nostra, id est, dimitte debitorũ omissiones. Dimitte nobis, quod nõ fecimus id quod facere debuimus, dimitte quod debita nõ persoluimus. Tria siquidẽ debemus Deo, totidẽ proximo: Deo debemus reuerentiã, obedientiam & dilectionẽ. Reuerentiam maiestati, obedientiã veritati, dilectionẽ benignitati. Proximo debemus posse nostrũ, nosse nostrũ, velle nostrũ. Posse nostrum in subsidiis, nosse nostrũ in cõsiliis, velle nostrũ in desideriis. In subsidiis mẽdico. In consiliis indiscreto. In desideriis peruerso. Diligẽdo proximũ nostrũ, beneficio, verbo & voto. In beneficio est opus bonum. In verbo sanum cõsilium. In voto piũ desideriũ. Et quia hęc debita nõ soluimus, vt nobis debita nostra dimittãtur, frequenter orare debemus. Sexta petitio est: Et ne nos inducas in tentationẽ. Quę tripliciter intelligitur. Primò quidẽ orationibus, vt tẽtationibus nõ succũbamus. Nõ enim nõ tẽtari petimus, sed ne tẽtationibus succũbere permittamur. Cũ enim duplex sit tẽtatio. Interior à carne, exterior ab hoste, id est, à mundo vel diabolo, interior parum obest, & multũ prodest si nõ cõsentiamus, quia pugnãdo cõtra carnẽ, & si primis motibus venialiter peccemus, resistendo tamen meremur. Quia igitur primis motibus carere nõ valemus, nec possumus nõ tentari interius, nunquam petere debemus, vt tentatione interiori nõ tentemur. In tentatione quidẽ ducimur, quãdo prauis motibus mouemur. Quando autẽ consentimus, tunc in tentationem inducimur. Non est igitur petendum, ne in tentatione ducamur, sed ne inducamur, id est, ne victi tẽtationi succũbamus. Exterior autẽ tẽtatio, si resistamus nõ obest, sed multum prodest. Beatus enim qui suffert tentationẽ, quia cum probatus fuerit, accipiet coronã vitę. Nõ igitur orare debemus, ne tentatione exteriori careamus, sed no cadere permittamur, ne nos permittat induci, quod est omnino seduci. Triplicem autem tentationem breuibus verbis Psalmus exprimit, vbi ait: Nõ me demergat tẽpestas aquæ. Ecce violẽta in aduersis tribulario. Neque absorbeat me profundum. Ecce fraudulenta in prosperis delectatio. Neque vrgeat super me puteus os suum. Ecce periculosior cæteris desperatio. Prima tentatio Petrum impulit ad negandum. Secunda Dauid illexit ad mœchandum. Tertia Iudam traxit ad laqueum. Prima tentatio vincens in aduersis. Secunda demulcens in prosperis. Tertia puteus desperationis vrgens super

*De his qui aliis dimittere nolunt. Matth. 17. Matth 5. Lucæ 12. Matth 7. Lucæ 6.*

*Iacob. 2.*

*Eccle. 28.*

*Secunda expositio quintæ petitionis. 1. Cor. 3.*

*Tertia expositio quintæ petitionis.*

*De sexta petitione, quæ est: & ne nos inducas in. Prima expositio sextæ petitionis.*

*De triplici tentatione. Matth 26. 2. Reg. 11. Matth. 27.*

gens super miserum os suum, ne aperiat ad confessionem os proprium. Masticemus iterando, & repetamus orando: Et ne nos inducas in tentationem, id est, ne permittas nos tentari supra id quod possumus. Refræna aduersarium, ne sæuiat quantum desiderat, ne sit nimis violenta tentatio. Tu enim nouisti fragilitatē nostram & figmentū nostrum. Repetamus tertiò, & dicamus: Et ne nos iuducas in tentationē, id est, si tentati cadamus, & tentationi succumbamus, ne permittas nos diu in peccato teneri, sed citò resuscita ad pœnitentiā, vt in breui reuersi nō discessisse videamur, sed fortiores resurgamus. Sequitur septima & vltima petitio: Sed libera nos à malo. Non est aduersaria cōiunctio, sed subiunctiua, quasi dicat: Non tantū prædicta facias, sed id quod sequitur, adiungas: Libera nos à triplici malo. A malo, scilicet quod inquinat, id est, à peccato. A malo quod inquietat, id est, à diabolo. A malo quod deuorat, id est, ab inferno. Hæc est triplex miseria, culpæ, pœnæ & pugnæ. Repetamus & dicamus: Libera nos à malo. A triplici, scilicet, incommodo. A malo innato siue contracto, id est, ab originali. A malo addito seu comisso, id est, ab actuali. A malo inflicto, id est, pœnali, quasi dicat: Libera me à malo peruerso, & malo aduerso. Repetamus tertiò, & dicamus: Libera nos à malo, id est, à periculis, quæ nobis imminent in hoc seculo, ab hoste visibili & inuisibili, id est, ab hoste triplici, mundo, carne, & diabolo. Hæc autem petitio prima est ordine temporis, sed Dominus est ordo dignitatis. Primò ponens illas tres, quæ principaliter pertinent ad vitam æternā, postmodum subiungens quatuor, quæ pertinent ad hanc vitam. Inter quas primum est ratione temporis, vt homo tendens ad patriam, liberetur à malis huius mundi. Variis enim malis homo circundatus, impeditur in via vnde procedere non potest, nisi fuerit expeditus. Postquam autem liberatus fuerit à malis, quasi de captiuitate Pharaonis, occurrunt tentationes in deserto, vnde petit, ne tentationibus vincatur. Et quia dum est in hac via, semper est in aliquo saltem veniali peccato. Nam si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus: petit vt debita dimittātur. Cùm autē fuerit liberatus à malo, cùm vincit tentationes, cùm debita fuerint dimissa, quia per se stare non potest, ne diu expectando deficiat in via: petit, vt panis quotidianus sibi detur, per quem in bonis roboretur. Deinde cùm fuerit liberatus à malis, & roboratus in bonis, ac pane quotidiano ad bene agendum confortatus: petit, vt secundum voluntatem Dei bona operetur, vt voluntati Dei in omnibus consentiat, vt fiat Dei voluntas, sicut in cœlo & in terra. Quæ quoniam in hac vita perfectè fieri non potest, petit consequenter, vt regnum Dei aduenìat, & ita assequitur illud quod mox petitur, scilicet, nominis sanctificationem. In illo enim regno nomen patris sanctificabitur in filiis, vt nunquam de cætero possint à sanctificationis gratia separari. Quod fieri perfectè nō potest, nisi aduenerit regnum Dei, ad quod peruenire nō valemus, nisi eius voluntatē faciamus, quam implere nequimus, nisi pane cœlesti confortati simus. Quo pane indigni sumus, nisi nobis peccata dimittantur. Quæ nobis non dimittuntur, si à tentationibus superemur, quas vincere non valemus, nisi à malis liberemur. Hæ sunt igitur septem petitiones orationis Dominicæ, quæ prædicto ordine adimplentur. In quarum primis tribus principaliter petuntur æterna. In quatuor autem vltimis petuntur temporalia seu spiritualia, quę tamen propter æterna sunt necessaria. Amen autē à sanctis subiungitur, tanquā subscriptio ad omnium prædictorū confirmationē, quasi dicant: Ita fiat Domine, sicut præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione informati, te admonente & fiduciā præstante ausi sumus postulare. Nunquam enim te rogare præcepisses nisi exaudire velles, qui das omnibus affluenter & non improperas, virtutes conferens & merita remunerans. Quantumcunque enim augeatur nobis, nihil tibi minuitur, quoniam apud te est fons vitæ indeficiens, plenitudo cunctis sufficiens, perfectio sine diminutione, vita sine fine.

*Secunda expositio sextæ petitionis.*

*Tertia expositio sextæ petitionis.*

*De septima petitione: Sed libera nos à malo.*

*Prima expositio septimæ petitionis.*

*Secunda expositio septimæ petitionis.*

*Tertia expositio septimæ petitionis.*

*De duplici ordine petitionū & breui recapitulatione.*

1. *Ioan.* 1.

*De eo quod subiungitur, Amen.*

*Iacob.* 1.

## IN DIE SANCTO ASCENSIONIS THEMA

### DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM ex Actibus Apostolorum.

*Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet.* *Act.* 1.

SANCTA & præclara Dominicæ ascensionis festiuitas omnium aliarum festiuitatum finis est & conclusio. Ad hoc enim incarnatus est Christus, ad hoc natus & passus, ad hoc surrexit vt ascenderet in cœlum, & nos cum ipso & per ipsum ascenderemus ad requiem & gloriam sempiternam. Sicut scriptum est: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc ergo fuit præmiū passionis suæ & omnium quæ operatus est in terra. Vnde Apostolus ait: Christus factus est obediens Patri vsq; ad mortē, propter quod & Deus exaltauit illū. De torrēte enim mortis in via bibit, propterea exaltauit caput. Et nos cum ipso exaltati sumus, vt membrorū humilitas capitis sublimitatē subsequeretur. Cassa igitur & inutilis esset ipsius natiuitas, & infructuosa passio atque resurrectio, nisi esset eius in cœlum ascensio. Sicut autem morte sua mortem nostrā destruxit, & resurrectione sua vitam nostrā reparauit. Ita ascensione sua aditum in cœlū nobis patefecit,

*Quod hæc solemnitas finis est omnium aliarum.*

*Ioan.* 12.

Ioan.14. Ioan.17. *Quod hodie cõsummata est Christi peregrinatio.*

cœlestes mansiones nobis præparauit. Vado, inquit, parare vobis locum. Et ad patrem ait: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. In hac igitur admirabili & venerabili solemnitate Christi peregrinatio consummata est, dum reuersus est ad patriam suam, & post varios labores & multas tribulationes ad patris dexteram residẽs, in gloria sua requieſcit. Dixit enim Dominus meus pater, Domino meo filio, sede à dextris meis, secundum consuetudinem nostram loquitur. Illi enim consessus offertur, qui opere cõsummato & hostibus superatis, victor aduenies, honoris gratiã promeretur. Ita & filio suo postq̃ de mũdo & diabolo fortiter triumphauit, pater throni sui glorioſum & sublimẽ offert cõsessum, & ad dexterã suã, id est, in potioribus bonis suis illum in æterna sede cõstituit. Gloria enim & honore coronasti eum Domine.

Isa.45. Philip.2.

Gloria resurrectionis & honore ascensionis. Vnde & ipse pater ait: Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ, quasi dicat: Subiiciã tibi gentes & regna, tibiq; flectetur omne genu, cœlestiũ, terrestrium, atq; infernorũ. Ostendit igitur Dominus hodie in se,

*Hodie ostẽdit Dominus se esse cœli Dominum.*

quod Propheta de ipso testificatus erat: Deus vniuersorum tu es. Ipse enim fecerat miracula in terra, infirmos sanando, & mortuos suscitando: fecerat miracula in mari, fluctus eius cõpescendo, & siccis pedibus super illud ambulando: fecerat etiã mirabilia in inferno, portas eius cõfrin-

Hester.13. Matth.8. Matth.14. Marc.6. Sap.8.

gendo, & educẽdo captiuos. Qui igitur ostenderat se esse Dominũ terræ, & maris, atq; inferni, hodie ostendit se esse Dominũ aëris & cœli, attingendo à fine ad finẽ fortiter, dum virtute propria à terra vsq; ad cœlũ ascendit. Vnde & Psalm. ait: Eleuata est magnificentia tua super cœlos Deus. Et per Isaiã Dominus ait: Ecce puer meus exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde. Et iterum: In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. In hac igitur festiuitate magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lętantes. Natura enim humana cui dictum est: Terra es & in terram ibis, hodie mutata sententia super omnes cœlos est exaltata, vt terra cœlo præemineret, & humanitas glorificata, cœlos exornaret.

Isa.11.ex70. Isa.4. *De exaltatione humanæ naturæ.* Gen.3.

Magnificauit enim Dominus facere nobiscum. Qui enim priùs fuit nobiscum in humilitate & particeps naturæ nostræ, hodie societatẽ istam magnificauit, vt sicut socius fuit infirmitatis nostræ, ita nos faceret socios gloriæ suæ. Abstulit enim à nobis opprobrium & contemptum, dum naturam nostram, quæ vilis erat & abiecta nimis, ad antiquam dignitatem restaurauit. Imò longè facta est excellentior quàm ab initio fuerat. Priùs enim fuerat immortalis, id est, potens non mori, nunc autem immortalis facta est, id est, non potens mori. Priùs erat in Paradiso terrestri, nunc autem super omnes Angelorum choros collocata est, in excelso throno ad dexteram patris. Hæc est illa glorioſa festiuitas in qua restaurata est ruina Angelorum, in qua cœlestis militia lætata est consortio hominum. Teste enim Gregorio, tanta illuc ascensura hominum multitudo creditur, quanta Angelorum multitudo remansit, sicut scriptum est: Statuit terminum populorũ, iuxta numerũ filiorum Dei. Sic enim in alia translatione habetur: Hæc est illa glorioſa solennitas, in qua Christus ascendens in altum, captiuã duxit captiuitatẽ. Ipsam enim carnem, quam à terris assumpsit, quasi peregrinam in cœlum deduxit. Vel captiuitatem appellat illos, quos ab inferis extraxerat. Non enim solus ascendit, sed illos hodierna die secum adduxit. Nihilominus tamen verum est quod ipse ait: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo. Sic enim membra eius non excluduntur: Christus enim cum membris suis ascendit, & tamen solus Christus descendit. Simili modo cùm dicitur: Vnus homo tantum est in hac domo, vestimenta eius non excluduntur. Sancti autem vestimenta sunt Christi, sicut in Isaia scriptum est: Viuo ego, dicit Dominus, omnibus his tanquam vestimento indueris. Sic igitur notatur vnitas capitis & membrorum. Nemo enim ascendit in cœlũ in se vel in membris, nisi qui de cœlo descendit. Potest tamen intelligi de solo Christo, exclusis omnibus sanctis sub hoc sensu. Nemo ascendit in cœlum hoc modo, scilicet, sicut ego, qui existens in cœlo, de cœlo descendi. Descendit enim secundũ humanitatem, id est, mundo visibilis apparuit, & tamen in cœlo remansit secundũ deitatẽ. Et idcirco dicit filius hominis, qui est in cœlo. Nemo etiam hoc modo, id est, propria virtute ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit. Sancti enim virtute Christi, & non propria virtute ascenderunt. Vnde tracti dicuntur ab ipso Christo, sicut scriptum est: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Et de beata Virgine dicimus, quod assumpta est in cœlum. Nam & solemnitas ilཀ, dicitur festum assumptionis non ascensionis. De Christo igitur legimus ascensionem, de matre eius assumptionem. Ille ascendit propria virtute, hæc filij sui gratia subleuante. Possumus autem per cœlum intelligere sublimitatem diuinitatis. De quo cœlo Lucifer ait: Ascendam in cœlum, ponam sedem meam ad Aquilonem. Ipse enim in cœlo empireo erat, nec erat supra se aliud cœlum materiale, sed ipse ad diuinitatis celsitudinem ascendere voluit, vt esset similis altissimo. Solus autem Christus ad celsitudinem diuinitatis ascendit, qui de cœlo descendit, id est, de celsitudine diuinitatis, dum paulominus minoratus est ab Angelis, & factus homo, qui tamen semper est in cœlo. Vnde Apostolus ait: Qui descendit, ipse est & qui ascendit. A summo enim cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Vnde Daniël de ipso ait: Ecce in nubibus cœli filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, id est, vsque ad celsitudinem æterni patris, & dedit ei potestatem & regnũ, & omnis populus & tribus, & linguæ, ipsi seruiunt. Hæc est igitur festiuitas illa in qua Dominus ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum. Ascendit enim super choros Angelorum,

*Exposítio multiplex eius, quod dicitur: Nemo ascẽdit in cœlũ, &c.* Ioan.3. Isa.49. *Alia expositio.* *Tertia expositio.* *Quarta expositio.* Isa.14. Ephes.4. Dan.7. *Iterum multis aliis authoritatibus & mysteriis ostenditur excellentia huius solennitatis.*

rum,& exceſsit omnes virtutes animarum. Vnde Pſalmus ait: Pſallite Domino, qui aſcendit cœlum cœli ad Orientem, id eſt, ſuper omnes cœlos & ſuper omnes creaturas, vt nihil ſupra ſe habeat,niſi illum,qui creauit eum. Aſcendit autem ad Orientem,id eſt, in Orientem. Nam Hieruſalem ſita eſt in partibus Orientis. Vel aſcendit ad Orientem noſtræ illuminationis,vt lumen gratiæ nobis faceret oriri. Vel ad Orientem aſcendit, id eſt, virtute orientis verbi,ſcilicet,à patre geniti. Chriſtus enim homo virtute diuinitatis aſcendit, & à diuinitate aſſumptus eſt in cœlum. Hæc autem ſolemnitas ſignificata eſt per feſtum Scenopegiæ, quod Dominus Iudæis celebrari præcepit. Scenopegia enim fixio tabernaculorum interpretatur. Chriſto autem aſcendente & reſurgente,reſidente ad patris dexteram, poſtquã cucurrit huius peregrinationis viam,fixum eſt tabernaculum corporis eius. De quo Pſalmus ait:In Sole poſuit tabernaculum ſuum.Tempore autẽ Sylueſtri Papę,in aſcenſionis Dominicæ honore,quinta feria per ſingulas hebdomadas celebrabitur,ſicut dies Dominica in honore reſurrectionis, ſingulis hebdomadis celebratur. Vnde inoleuit conſuetudo,vt dies Iouis diei Dominicæ frater vel cognatus eſſe dicatur. Hæc autem feſtiuitas ante legem, & ſub lege prænuntiata eſt, & præfigurata. Enoch enim tranſlatus de mundo,& Elias in cœlum aëreum ſubleuatus, aſcenſionis Dominicæ glõriam ſignificauerunt. Aſcenſionis igitur ſuæ duos teſtes habere voluit, Enoch ante legem,& Eliam ſub lege. Elias tamen non ſupra cœlos,ſed in cœlum aëreũ,quod eſt terræ propinquum,eleuatus eſt.Chriſtus autem in cœlum empireũ. Elias curru igneo,tanquam homo purus,qui per ſe aſcendere non poterat,ſublatus eſt. Chriſtus autem propria virtute aſcendit,Angelorum comitatus obſequio, non fultus auxilio,quia gradiens in multitudine virtutis ſuæ. Legimus autem quod Elias cùm ſublaturus eum eſſet Dominus,venit ad Iordanem,& exutus pallio ſuo,percuſsit aquas & diuiſit.Et Chriſtus antequam in cœlum aſcenderet,venit ad fluuium mortis,quo genus humanum mergi conſueuerat. Et exuens ſe ad tempus,habitu carnis,id eſt,carnem ab anima ſeparans, mortem moriendo percuſsit,ac vitæ nobis iter reſurgendo patefecit.Iordanis autem humilis deſcenſus interpretatur,per quem mors ſignatur.Vel per palliũ Elię Chriſti incarnatio deſignatur.Per aquas Iordanis,decurſus huius mortalitatis.Aquæ percuſſæ pallio Eliæ,diuiſæ ſunt,& præbuerunt meatum tranſeunti. Et Dominus noſter per carnem,quam aſſumpſit,tranſitum nobis per fluxum huius vitæ mortalis præparauit. Tranſito Iordane Elias,dedit optionem Eliſeo poſtulandi quæ vellet, & Dominus impleta reſurrectionis gloria,ait: Quodcunq; petieritis in nomine meo,hoc faciam. Eliſeo autem reſpondente: Obſecro vt fiat ſpiritus tuus duplex in me. Ait Elias: Rem difficilem poſtulaſti. Attamen ſi videris quando tollar à te,erit quod petiſti: ſi autẽ non videris,nõ erit. Per Eliam Chriſtus deſignatur, per Eliſeum, Chriſti diſcipuli,qui gratiam ſancti ſpiritus acceperunt,qua non tantùm genti Iudæorum, quam Chriſtus præſens in carne docuit, ſed cunctis nationibus ſufficerent prædicare. Vel per Eliſeum in hoc loco etiã accipitur Eccleſia. Spiritus quidem ſimplex fuit in Chriſto ad plenitudinem donorum,non ad remiſsionem peccatorum,quibus Chriſtus prorſus caruit. Eccleſia verò indiget ſpiritu ſancto ad duo,ſcilicet,ad remiſsionem culpæ, & collationem gratiæ.Vel ad declinandum à malo,reſiſtendo tentationibus,& faciendum bonum.Chriſtus autem habuit ſpiritum ſanctum ad faciendum bonum,nec indigebat ſpiritu ſancto ad motus aliquos reprimendos,quia motus carnalis concupiſcentiæ non ſenſit. Poteſt tamen intelligi,quod Elias ſpiritum duplicem habuerit ſub hoc ſenſu: Obſecro vt ſpiritus tuus, qui eſt duplex, fiat in me. Duplex autem fuit, quia ad collationem gratiarum & ad miracula facienda vterque ſpiritum ſanctum habuit. Duplex fuit, quia illuminans intellectum & purgans atque calefaciens affectum. Rem difficilem petebat Eliſeus. Pauci enim ſunt in terra,qui huiuſmodi duplicem ſpiritum habeant. Nam & Apoſtoli,quãdo aperuit eis Dominus ſenſum, vt intelligerent ſcripturas,& ſi illuminatũ habuerunt intellectũ,nondũ tamẽ vſq; in diem Pentecoſten purgatũ habuerunt affectũ.Illis autem datur ſpiritus Eliæ,qui vident ipſum aſcendentem,id eſt,qui præ oculis habent Chriſti aſcenſionem, qui vident non ſolùm oculo cognitionis,ſed oculo dilectionis. Pallium autem Eliæ,quod ſublatus in cœlum reliquit Eliſeo,ſacramentum corporis Chriſti deſignat,quod Chriſtus corporaliter aſcendẽs, Eccleſiæ ſuæ reliquit. Vnde in Exodo Dominus ait Moyſi: Eſt locus apud me,& ſtabis ſupra petrã. Cumq; tranſibit gloria mea,ponam te in foramina petræ,& protegam dextera mea,donec tranſeam,tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea. Faciem autem meam videre non poteris. Locus iſte eſt Eccleſia,extra hunc locum Deum videre non poſſumus. Stabis ſupra petrã,id eſt,ſupra fidei ſoliditatẽ,vel ſupra Chriſtũ,qui eſt Eccleſiæ fundamentũ.Cumq; tranſierit gloria mea,id eſt,filius aſcendẽdo de mundo ad patrẽ, ponã te in foramine petræ,id eſt, in fide paſsionis filij mei.Quia ſine fide paſsionis Deũ nõ videbimus.Protegã te dextera mea,quia ſine filij protectione,nõ eſt niſi caſus & ruina.Tollamq; manũ meã,id eſt,exaltabo filiũ meũ in aſcẽſione.Et videbis poſteriora mea.Chriſtũ enim incarnatũ & ipſius humanitatẽ videre poſſumus.Faciem autẽ diuinitatis eius in hac carne mortali videre nõ valemus,ſicut ſcriptũ eſt:Nõ videbit me homo & viuet:Deũ enim nemo vidit vnq̃.Ipſe enim rigat mõtes,id eſt,Angelos,de ſuperioribus diuinitatis ſuæ,terrã autem irrigat de inferioribus humanitatis ſuæ. Non ſolum autẽ in Enoch & Elia in hac manus patris exaltatione præfigurata eſt Chriſti aſcenſio, ſed inſuper in Samſone. Qui cùm clauſus eſſet in Gaza ciuitate Philiſtinorum, nocte conſurgens,portas ciuitatis tulit,

Lenit.23. De ſcenopegia.

De Elia & Enoch, per quos præfigurata eſt Chriſti aſcenſio. Gen.6. 4.Reg.2.

Iſa.63. Myſterium de Elia & Eliſeo, cui reliquit Elias pallium ſuum, et datus eſt illi duplex ſpiritus Eliæ.

Ioan.14.

Luc.24.

Exod.33. Myſterium de Moyſe,qui vidit poſteriora Domini trãſeuntis.

Exod.33. Ioan.1. Myſterium in Samſone deſignatum, qui portas Gazæ tulit, & in montis vertice aſcendit. Iudic.16.

tulit,& in montis verticem aſcendit.Et Dominus noſter nõ ſolùm de inferno liber exiuit,ſed inferni clauſtra deſtruxit,& in montis ſupercilium,id eſt,in altitudinem cœli conſcendit.Legimus autẽ in Numeris,quod cũ ablata eſſet nubes,quę tabernaculũ protegebat,tunc proficiſcebãtur filij Iſraël,& in loco vbi ſtetiſſet nubes,ibi caſtra metabãtur.Columna nubis,id eſt,Chriſtus,ablata eſt & eleuata in aſcenſione.Tabernaculũ autẽ eſt præſens Eccleſia. Viri autẽ Eccleſiaſtici dum Chriſti aſcenſionẽ in corde aſpiciũt,proficiſcũtur de virtute in virtutem.Locus autem vbi ſtetit hæc nubes,id eſt,Chriſtus,fuerunt opera humilitatis & pœnitentiæ. Et nos in his ſtare debemus,& maximè in cruce,vbi ſtetit & confixus fuit, tabernacula noſtra debemus figere. De hac iterum nube in eodem libro Numeri dicitur:Eleuata eſt nubes de tabernaculo fœderis,profectiq́ue ſunt filij Iſraël per turmas ſuas de deſerto Sinai,& recubuit nubes in ſolitudine Pharan . Nubes eſt humanitas ſeu caro Chriſti, de qua Iſaias ait : Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem. Hæc nubes hodie eleuata eſt de tabernaculo , id eſt , de Eccleſia, & illi viſibiliter ſubtracta . Filij Iſraël nubem ſequentes , ſunt fideles Chriſtum imitantes, proficiſcentes poſt Chriſtum de virtute in virtutem . De deſerto autem Sinai debent proficiſci, quia debent deſerere mundum , & deſerti eſſe à mundo. Sinai interpretatur rubus, in quo aſperitas vitæ eorum deſignatur. Si hoc modo proficiſcamur poſt Chriſtum,nubes,id eſt, Chriſtus,recumbet in ſolitudine Pharan. In ſolitudine enim mentis quietæ, & à mundi ſtrepitu remotæ Dominus requieſcit. Pharan autem interpretatur onager . Sancti verò onagris comparantur, quia portant onera pœnitentiæ : Onager autem eſt aſinus ſilueſter . De quo Iob ait : Quis dimiſit onagrum liberum,& vincula eius quis ſoluit ? Dominus enim à curis & ſtrepitu mundi ſanctos ſuos liberat, & maximè contemplatiuos atque ſolitarios,& vinculà mundi atque peccatorum diſſoluit in illis. Ecce quot figuris & ænigmatibus atque occultis myſteriis præſignata eſt aſcenſio Saluatoris . Vnde & nos non negligenter debemus pertranſire,ſed diligenter intueri & inueſtigare tempus, locum & modum,& alias circunſtantias aſcenſionis Dominicæ. Noluit autem ſtatim poſt reſurrectionem ſuam aſcendere, ſed quadraginta diebus cõuerſatus eſt in terra cum diſcipulis ſuis, vt eos in fide multis argumentis & oſtenſionibus roboraret,& eis conſolationem præberet. Sicut enim quadraginta horis in ſepulchro iacens eis triſtitiam intulit: Ita quadraginta diebus eos lætificare voluit . Quadraginta autem diebus ſe viuere cõfirmat,quia quadraginta horis mortuus fuerat. Per numerum etiam quadragenarium inſinuauit, quod hi qui decalogum & quatuor Euangelia adimplent poſt ipſum aſcenſuri ſunt in cœlum. A monte Oliueti aſcendere voluit Dominus, vt illos,qui in præeminentia ſanctæ conuerſationis commorantur,& operibus miſericordiæ abundant in cœlum aſcenſuros eſſe moneret. Per montem enim virtutum præeminentia: per oliuas,miſericordiæ opera deſignantur. Mons autem Oliuarum,mons trium luminum vocabatur.Lucernæ,ſcilicet, de templo reſplendentis,Solis ex altera parte Orientis,& olei ad lumen accommodi . Quæ tria ſanctæ Eccleſiæ conueniunt, propter diuini verbi lucem de Eccleſia fulgentem, propter Solis iuſtitiæ fulgorem, propter puræ conſcientiæ nitorem. A monte ergo Oliueti, per quem ſancta Eccleſia deſignatur Chriſtum in cœlum ſequi debemus . Vnde & Rabanus ait: De monte Oliueti aſcendit Chriſtus,vbi Antichriſti morte Satanas eſt caſurus . Mons iſte typum gerens,Eccleſiæ doloris eſt remedium & veri luminis ſolatium. Sicut autem miſericordia præcipua virtus eſt, quæ CHRISTVM de cœlo ad terram adduxit, ita miſericordia de terra in cœlum principaliter animam duxit. Et ideo de monte Oliueti Dominus aſcendere voluit.Nunc autem de modo aſcendendi audiamus . Aſcendit Deus in iubilatione,Dominus in voce tubæ.Lætantibus enim de eius exaltatione diſcipulis,cœlum petiit. Vnde Lucas ait,quod reuerſi ſunt in Hieruſalẽ cum gaudio magno.In voce etiã tubę aſcendere dicitur, quia præconizãtibus Angelis reditũ eius,ad iudicium ſurſum aſcendit.Terribilis autẽ impijs eſt vox illa,qua ipſum venturũ ad iudicandũ mundũ Angeli dixerũt.Et idcirco voce tubę quę terribilis eſt,deſignatur.Eleuatis autẽ manibus,ferebatur in cœlũ.Quia qui manus bonorũ operũ ſurſum leuãt,benè operãtes pro æternis,hi profectò in cœlũ aſcenderunt.Vnde Iere.ait:Leuemus corda noſtra cũ manibus ad Deũ.Per manus enim actiuæ vitæ ad celſitudinẽ cõtemplationis attollimur:Actiua enim contemplatiuã præcedit. Si igitur ipſum ſequi volumus,omnia bona,quæ agimus pro ęternis faciamus,ſcriptũ eſt enim: Quis aſcẽdet in monte Domini,aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Et ſubiungit propheta: Innocẽs manibus & mũdo corde,qui nõ accepit in vano animã ſuã,nec iurauit in dolo proximo ſuo.Hîc notatur triplex gradus : primus innocẽtia:ſecũdus mũdicia:tertia dilectio & beneuolẽtia.Manus enim leuamus,ſi innocẽtes & mũdi ſumus,& per charitatẽ bona operemur.Cùm autẽ diſcipuli intuerẽtur euntẽ illũ,apparuerunt eis duo Angeli,qui & dixerũt: Viri Galilæi,quid admiramini aſpiciẽtes in cœlũ? Quemadmodũ vidiſtis eũ aſcendentẽ in cœlum,ita veniet.Diſcipuli enim,qui hucuſq; ſecuti fuerãt eum in terra & in mari,libẽter eũ in aëre & in cœlo ſequerentur,niſi corpus,quod corrumpitur,eos aggrauaret,vt non poſſent aſcendere,ſicut ſcriptum eſt: Quò ego vado,vos nõ poteſtis venire. Licèt autem gauderent de Magiſtri exaltatione, non poterant tamen non lugere , ablato ſibi ſponſo,quia nondũ induti erant virtute ex alto.Faciebant igitur quod poterãt,oculis & corde quantũ poterãt ipſum cõducebant.Vbi enim theſaurus eorũ,ibi cor ipſorũ. Vbi amor,ibi oculus. Cùm autẽ nubes aſſumſiſſet eum,& occultaſſet ab oculis ęorum, adhuc tamen admirantes ſtabant

*Num.9. Myſterium de eleuatione nubis & ignis.*

*Num.10.*

*Iſa.19.*

*De onagro. Iob 39.*

*Quare poſt dies quadraginta à reſurrectione voluit Dominus aſcendere.*

*Quare à mõte Oliueti aſcendit, & quare dicatur mons triũ luminũ.*

*De modo aſcendendi.*

*Triplex gradus aſcẽſionis. De angelis loquẽtibus cum diſcipulis, & de Galilæa, ſecundum diuerſas eius interpretationes.*

*Sapien.9. Ioan.8. Matth.9. Luc.24. Matth.6. Lucæ 12.*

stabant sursum aspicientes,& quasi subitò reuersurum sperãtes. Et quoniã præceptum erat,vt reuerterentur,& sederent in ciuitate, donec induerẽtur virtute ex alto, dixerũt Angeli eis: Viri Galilæi,quid statis,vel quid admiramini aspiciẽtes in cœlum.Galilæi autẽ transmigrãtes interpretatur,quasi dicerent:Non debetis stare vel attoniti esse,cùm prædicatio Euãgelica vobis sit cõmissa,& ad vniuersas mundi partes transmigrari debeatis. Quid igitur statis ? Sic currite,vt cõprehendatis.Vel secundum quod Galilæa rota interpretatur,vocant eos Angeli Galilæos,ad eorum correptionem,id est,volubiles,& incõstantes,quasi citò oblitos verbi,quod dixerat eis Dominus,vt reuerterentur,& sederent in ciuitate. Quemadmodũ,inquiunt,vidistis eum ascendentem in cœlum,ita veniet. In eadem,scilicet,forma,& carnis substantia,cum nubibus,apertè & præsentibus,tam Angelis quàm hominibus ad iudicium reuertetur.Primò autem descendit occultus,nunc autẽ ascendit manifestus.Descendit humilis,ascendit sublimis: descẽdit iudicandus,ascendit iudicaturus : descendit ad miseriã,ascendit ad gloriã. Sicut autẽ ascendit,ita venturus est ad iudicandũ mundum.Ascendit benedicens eos, ita venturus est cum benedictione, quando electis suis dicturus est:Venite benedicti patris mei. Veniet autẽ non solùm in iubilatione,quantum ad bonos,sed insuper in voce terribilis valde, quantum ad reprobos. Quantò enim gladius magis est eleuatus,tantò vehemẽtius percutit.Gladius Domini est filius,cui pater omne iudicium dedit.Ita quidem eleuatus est,quod amplius eleuari nõ potest,vnde ictus venturus valde timendus est.Nisi enim cõuersi fueritis,gladiũ suum vibrauit,arcum suum tẽtendit & parauit illũ.Quãtò autẽ chorda arcus diutius & amplius tenditur,tantò percutit vehementius. Propterea Deus pater per Prophetã ait: Leuabo ad cœlum manũ meam,id est,filium,qui dicitur manus patris,quia pater omnia creauit per illum.Et dicã:Viuo ego in æternum.Hoc est patris iuramentũ:quasi diceret: Sicut verũ est,quod viuo in æternũ,ita verũ est quod dicturus sum.Scilicet,si acuero vt fulgur gladiũ meũ,& arripuerit iudiciũ manus mea,id est,filius subitò venturus,reddã per eum vltionem hostibus eius. Quasi dicat:Sicut vidistis eum ascendentẽ in cœlũ,ita veniet iudicare mundũ manifestè,ita quod omnes videãt eum cum Angelorũ multitudine & nube.Vnde in Apocal.Ioannes ait: Vidi,& ecce nubes candida,& super nubẽ sedentem similẽ filio hominis.Vos igitur fratres charissimi,estote viri Galilæi,stantes,id est,in bono constantes,& corde aspicientes in cœlum . Estote viri,virentes,scilicet,& virtuosi,& vires in Dei seruitio habentes. Stetis in culmine virtutum erecti,& in bono perseuerantes, aspicientes in cœlum per contemplationem & desiderium.Et si adhuc teneamur infirmitate corporis,sequamur eum passibus animorum. Sicut enim carnalibus dictum est:Terra es,& in terram ibis,ita spiritualibus dicitur : Cœlum es,& in cœlum ibis. Exeamus à tabernaculis,& stantes in ostio intueamur Moysen nostrum ingredientem tabernaculum cœlorum, quod nunquam transferetur. Simus præterea Galilæi,id est,transmigrantes.Nam Galilæa transmigratio facta interpretatur. Transmigrare igitur debemus de vitiis ad virtutes,de malo in bonũ,de bono in melius,& inde in optimũ tendendo semper,& ascendendo de virtute in virtutẽ.Hi sunt boni Galilæi,qui nõ habent hîc manentẽ ciuitatẽ,sed futurã inquirunt. Vnde de Moab Ierem.ait:Non est transfusus de vase in vas,nec abiit in transmigrationẽ.Non enim migrauit à vase cõtumeliæ in vas gloriæ.Sunt autẽ mali Galilæi,qui volubiles sunt & incõstantes,& in rota positi,in circuitu ambulant.Galilæa enim secundum aliam interpretationem,rota vel volubilis interpretatur. De his autem Dauid ait:Domine,pone illos vt rotam,& sicut stipulam ante faciem venti. Impij autem in circuitu ambulant,& ponuntur in rota,quia in circuitu laboris missi,dum ea, quæ deserenda sunt,sequuntur,& posterioribus eleuantur,& in anterioribus cadunt.Sicut scriptum est: Deiecisti illos dum alleuarentur. Ifruente verò aura tentationis,dum nulla subnixi sunt ratione grauitatis,quasi stipula eleuantur,vt corruant. Tolluntur in altũ,vt lapsu grauiore ruant.De his autem beatus Iob ait:Eleuati sunt ad modicum,& non subsistent.Super hoc beatus Gregorius ait : Carnis gloria dum nitet,cadit. Sicut enim aurarum flatu in altum stipula rapitur , sed casũ concito ad ima reuocatur , sicut nubila fumus attollitur, sed repentè in nihilum tumescendo, dissipatur. Sic ab infimis nebula se erigit,sed exortus Solis radius,hanc,ac si non fuerit,extergit. Sic in herbarum superficie nocturnus roris humor aspergitur, sed diuini luminis subitò calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluuiis exsiccatæ, ab imis certatim prodeunt , sed eò celerius diruptæ pereunt, quò inflatæ altius extenduntur.Cumque crescunt,vt appareant, crescendo peragunt,ne subsistant. Voluuntur igitur impij in rota diaboli, quos superbia attollit, luxuria deprimit , cupiditas circumuoluit. Vnde & in libro Regum mulier dixit ad Dauid : Erit anima Domini mei custodita,quasi in fasciculo viuentium , porrò anima inimicorum tuorum rotabitur quasi impetu in circulo fundæ. Quidam propter calorem tentationis discingunt se, laxantes fasciculum , & tunc diabolus apponit manum suam , quod non poterat quando erat strictum . Quos autem in manu sua retinet rotando circumuoluit, immittendo spiritum vertiginis . Et sicut Allophili Samsonem ad molam posuerunt, ita miseros homines ad molã circumuoluunt,dum circuitum mundanorum sequi faciunt. Qui enim terrenorum volubilitati adhærent,cum volubilibus voluuntur,& curis secularibus inuoluuntur,& multiplici circuitu per exteriora vagantur. Vnde in Parabolis Salomon ait:Ventilator impiorũ Rex sapiens mittit illis rotã malorum,id est,ambitum temporalium,quæ ranquã rota voluuntur,& nunquã in eodem statu permanẽt. In hac autem

*Quod ita veniturus est ascendit.*

*Ioan.5.*

*Deut.32. Ioan.1.*

*Apoc.19.*

*Quod debemus esse viri Galilæi,& sursũ atque cœlũ aspicere.*

*Gen.3. Isa.31. Exod.33.*

*Heb.13. 2.Tim.2.*

*De malis Galilæis,& malâ volubilitate.*

*Iob.34.*

*De mala elevatione.*

*De rotâ diaboli.*

*1.Reg.25.*

*Isa.19. Iudit.16.*

*Prouer.20. ex 70.*

*Iob 14.*

*De triplici rota. Gen.3. Iob 1.*

mundi miseria, triplex nos circumuoluit rota: Prima est conditionis humanæ: secunda vanitatis mundanæ: tertia illusionis diabolicæ. Prima rota ad idem punctum reuoluitur, dum puluis in puluerem reuertitur. Secunda autem rota voluitur homo temporalium vicissitudine, & ad idem punctum post multas reuolutiones redit. Nudus ingressus est, & nudus egreditur.

*1. Tim. 1.*

Nihil, inquit Apostolus, intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Tertia rota est suggestio diabolica, quæ à cogitatione mala in prauam locutionem, & à locutione inutili ad opus peruersum, ab opere malo in consuetudinem peccati, miserum voluit hominem. Peccatum autem quasi in rota ad idem punctum reuertitur, dum sæpius iteratur. Ad idem etiam punctū redit, dum ab amaritudine incipit, & in amaritudinem reuertitur. Amaritudo anxietatis est in appetitu, & amaritudo malæ conscientiæ in peccati consummatione. His igitur miseris Galilæis dicitur: Quid statis aspicientes in cœlum? Quasi enim de cœlestibus loquitur, & pedem affectus terræ imprimit, hic cœlum stando aspicit. Stare etiam dicitur, qui de suis meritis confidens, ocio torpescit, & ad ampliora non tendit. Cùm autem Paulus posteriorum oblitus in anteriora se semper extendat, fatuus est qui tanquam emeritus stat, & proceder atq; proficere non curat. Qui autē bona quæ percipit, & mala quæ reddidit, diligenter pensare voluerit, grandem sibi restare viam non dubitabit. Non igitur simus volubiles in malo, & stationarij in bono, sed progressiui simus, & post odorem vnguentorum Christi ascendentes

*De bono circuitu. Eccles. 1.*

curramus. Ipse enim bonus Galilæus fuit, & quasi in circuitu ambulās, regressus vnde venerat, ad cœlos ascendit. Propterea in Ecclesiaste Salomon ait: Oritur Sol & occidit, & ad locū suum reuertitur, vbiq; renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Lustrās vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Sol, id est, Christus, oritur in natiuitate. Oritur etiam in cordibus iustorum, sicut Propheta ait: Vobis timentibus nomen meum, oriet̄ur Sol iustitię. Occidit in morte, ad locum suum reuertitur in ascensione. Gyrat per Meridiem, dum in die Pentecostes per spiritum sanctum Apostolos feruentes redd̄idit charitate, & splendidos sapientiæ claritate. Posteà flexus est ad Aquilonē, id est, ad Gentes, quas per prædicationem Apostolorum conuertit ad fidem. Vniuersa enim lustrans in circuitu pergit spiritus, quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Per Apostolos siquidem vniuersas regiones lustrauit & illustrauit. In circulos autem suos reuertetur, quando reliquiæ Israël ad Deum conuertentur. Postquam igitur Sol verus, quasi in Meridie summè eleuatus est, cōtractæ sunt vmbræ, nec fuit qui se absconderet à calore eius. Vniuersum enim mundum calefaciens, illuminauit. Propterea Apostolus ait: Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia, id est, omnes in vniuerso mūdo gratia sua repleret. Qui igitur non impletur, sed vacuus & inanis remanet, nihil est: quia à vero esse alienus est. Cùm igitur caput præcesserit, qui membra ipsius sunt, & illi adhærent, post ipsum trahentur, sicut scriptum est: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Adhæreamus igitur capiti nostro, vt ipsum sequi mereamur. Sit dilectus noster in nobis similis capreæ, hinnuloq; ceruorū. Similis capreæ, vt faciat præmium cœleste acutè desiderare. Similis hinnulo, vt ad illud cōprehendendum faciat nos hilariter currere,

*De capreæ & hinnulo.*

vt post cursum præsentis vitæ, postquam cōpleti fuerint dies purgationis nostræ, in templo eius repręsentemur illi in ciuitate sancta Hierusalem, in illo felici regno, cuius Rex veritas, cuius lex charitas. Ad quod nos perducere dignetur Dominus noster Iesus Christus, qui præcessit, vt nobis locum præpararet, & ascenderet membrorum humilitas, quo præcessit capitis sublimitas. Ipso præstante, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

## EADEM DIE THEMA SVMPTVM de lectione Actuum Apostolorum.

*Actæ.*

*Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere.*

*Iob 5. Apoc. 4. Ezech. 1.*

DOMINVS noster Iesus Christus, homo natus ad laborem, & auis ad volandum. Natus, scilicet, ad laborem super terram, auis ad volādum super cœlum. Homo in natiuitate, vitulus in passione, leo in resurrectione, hodie factus est aquila in ascensione. Relicta enim mortalitatis sarcinula, hodierna die super omnes cœlos eleuata est eius magnificentia. Hodie obtulit se patri in cœlo, qui priùs obtulerat se in templo. Secundò obtulit se in crucis patibulo. Quotidie autem offertur in altaris Sacramento. Quarta autem eius oblatio est, quando

*De oblatione Christi multiplici. 1. Cor. 15. Isa. 9.*

offeret regnum Deo & Patri, cuius regni non erit finis. Sicut autē multiplex est ipsius oblatio, ita multiplex legitur eius ascensio. Ascendit enim supra carnem humanam in incarnatione, sicut scriptum est: Ascendet Deus super nubem leuem, id est, super carnem ab omni peccato immunem. Ascendit super crucem in passione, sicut scriptum est: Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius. Ascendit supra montem in resurrectione, sicut scriptū est: Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Ascendit super cœlos hodierna die, sicut scriptū est: Ascendo ad patrem meū & patrē vestrū, Deum meū & Deum vestrū. Primò ascendit ingrediēdo: secundò egrediēdo: tertiò regrediēdo: quartò ad dexterā patris residēdo. De quo ascēsu Psal. ait: Exaltare super cœlos Deus, & super omnē terrā gloria tua. Propheta enim qui priùs dixerat: Domine, inclina cœlos tuos & descende, visis innumeris iniuriis & opprobriis, quę Christus in terra sustinuit,

*De multiplici Christi ascensione. Isa. 19. Cant. 7.*

stinuit,ex cõpassione ad Christum,& indignatione ad Iudæos,ait:Exaltare super cœlos Deus. Quasi diceret:Domine reuertere ad gloriã tuã,relinque canes impudicos,qui te dilaniare desiderant. Eodem spiritu spõsa in Cant.ait: Fuge dilecte mi,assimilare capreæ,hinnuloq; ceruorũ super mõtes aromatũ. Fuge super mõtes aromatum,id est, super ordines,& omnẽ altitudinẽ Angelorum virtutibus redolentẽ.Fuge inimicos & persecutores: fuge fictos amicos & illusores: fuge Herodis insidias: fuge populum te Regẽ facturum: fuge à Iudæis ad Gentes: fuge à terris in cęlum. Assimilare capreę,quę visum habet acutũ,vt videas quos fugias,& quò fugias. Per capream autem naturadiuinitatis exprimitur in Christo, cuius oculis omnia sunt aperta, quia scrutans corda & renes Deus. In hinnulo alacritas saltus,& celeritas cursus intelligitur. Celeriter enim ab indignis fugit,& celeriter ad pœnitentes redit. Non solùm autem cõpatiendo,sed aggratulãdo,ait: Fuge dilecte mi,quasi dicat: Fugies ad cœlos ascendẽdo. Expedit enim vt recedas à nobis secundũ carnalem præsentiam, vt magis desideremus te secundũ gloriosam deitatẽ,& vt sursum ascendendo desideria nostra sursum trahas. Licèt autẽ fugias,assimilare capreæ,in qua est perspicacitas visus,vt oculis misericordiæ tuæ nos videas . Assimilare hinnulo ceruorũ,in quo est alacritas saltus,vt sæpè redeundo nos visites. Fuge vt videã quãdo tollaris à me,& duplicetur spiritus tuus in me: dũ enim meus exinanitur,tuus crescit. Quãtò autẽ te magis nobis exhibes,magis fugis,dũ ex ipsa experiẽtia immẽsitas tua mihi magis innotescit. Ascendente enim homine ad cor altũ exaltabitur Deus . Fuge dilecte mi, in nobis, vt fugere nos facias. Assimilare capreæ in nobis,vt acutè nos videre facias quò fugere debeamus. Assimilare hinnulo,vt celeriter nos fugere facias,vt non sit fuga nostra in hyeme,id est,pigra,sed festinãter fugiamus de medio Babylonis. Partes siquidem auium,quæ plus mouẽtur,saniores sunt,& esui aptiores. Vnde in Eccles.dicitur: In omnibus operibus tuis esto velox,& nõ occurret tibi infirmitas. Assimilatur autem Christus capreæ,hinnuloq; ceruorum,dum venit saliens in mõtibus, transiliens colles. Saltus enim fecit primò de cœlo in vterũ Virginis. Secundò,de vtero in præsepio. Tertius saltus in cruce. Quartus in inferno. Quintus de inferno ad terrã in resurrectione. Sextus de terra in cœlũ in ascẽsione. Septimus autẽ est de cœlo in aëre,quãdo rapiemur cũ ipso obuiã Christo in aëra,& sic semper cum Domino erimus in æterna beatitudine. Venit saliẽs in mõtibus,id est,imprimens vestigia cõuersationis & passionis suæ sanctis maioribus, aliquãdo tangẽs eos per contemplationẽ,aliquãdo recedẽs,dũ ad se redeũt per infirmitatẽ. Colles autem trãsilit,dũ sanctis minoribus,quasi desuper volitãdo verbũ refrigerij tribuit. De hac igitur Christi ascẽsione Lucas Euãgelista in hodierna Epist.plenè agit secundũ historiã,scribẽs Theophilo de Christi ascẽsione,& actibus Apost.& per ipsum,cuilibet Dei amico ad exemplũ & fidei confirmationẽ ista proponit. Theophilus quidẽ Dei amicus interpretatur. Primò autẽ ipsi Theophilo scripserat Euangelium Christi. Vnde & ipse ait: Primum quidem sermonem feci de omnibus,ó Theophile,quæ cœpit Iesus facere & docere. Primum sermonem appellat Euangelium propter dignitatem,& quia priùs scripsit Euangeliũ,quàm actus Apostolorum. Scripsit autem in Euangelio de omnibus, licèt non omnia scripserit. Sed scripsit de omnibus,id est, de factis & miraculis,& prædicatione.De omnibus,scilicet,quæ iudicauit idonea informationi nostræ, quæ cœpit Iesus facere & docere. Hic est enim ordo rectus. Vnde & Paulus ait,se non audere aliquid loqui de his,quæ per ipsum non operatur Christus . Et Psalmista ait : Mihi autem adhærere Deo,bonum est,per dilectionem,scilicer,& bonam operationem,vt annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion . Sermonem igitur fecit de omnibus quæ fecit Iesus & docuit,vsque in diem, qua, scilicer, assumptus est à diuinitate, vel à nube . In qua die præciens Apostolis, id est, præcepta dans per spiritum sanctum, vel præcipiens prædicare,scilicer, per spiritum sanctum,vel quos elegit per spiritum sanctum,quia quod facit filius,facit spiritus sanctus : Indiuisa enim sunt opera Trinitatis . Dicuntur autem electi esse per spiritum sanctum,cui gratia & benignitas attribuitur : electio tamen fuit totius Trinitatis. Quibus discipulis præbuit seipsum viuum,id est,ostendit quod viueret. Corpus ostendit viuum non phantasma,sicut mentiuntur hæretici. In multis argumentis,id est,ostensionibus & probationibus, per dies quadraginta apparens eis. Non quia quolibet die apparuisset,sed quia tanto spatio plures apparuit,comedens cum eis, & se palpabilem præbens,& signa passionis suæ, id est, cicatrices eis ostendit. Et ita multis argumentis resurrectionem suam,& se verè viuere comprobauit. Per dies autem quadraginta,tempus præsentis vitæ vsque ad finem mundi intelligimus, quo Christus se viuere confirmat, & credentes consolatur,& est nobiscum vsque ad consummationem seculi. Apparuit ergo eis,loquens de regno Dei,& conuescens præcepit eis,ne discederent à Hierosolymis. Recumbentibus enim vndecim in cœnaculo montis Sion, Dominus ad eorum consolationem,& ad probationem veræ humanitatis & resurrectionis, cum eis comedit. Et postmodum, vt ait Lucas , eduxit eos foras in Bethaniam . Vnde intelligitur, quod circa horam sextam in cœlum ascendit. Et præcepit eis, vt sederent in ciuitate quousque induti essent virtute ex alto, id est , donec recepissent spiritum sanctum in die Pentecostes . Corroborandi enim erant virtute spiritus sancti , sicut vasa limosa igne consolidantur . Debiles enim & pusillanimes non expedit pergere ad prælium. Sedeat igitur homo quamdiu debilis est , & antequam alas habeat, volare non præsumat . Sedeat & lateat, donec dicat ei Dominus : Lazare, exi foras . Vnde Propheta ait : Ecce elongaui fugiens , &

*Isa.61.*
*Cant.8.*
*Qui sancti Christi ascensionem desiderabant, & de multiplici fuga Christi.*
*Ioan.6.*
*Mat.23.*
*De capreæ & hinnulo, quibus Christus assimilatur.*
*Hebr.4.*
*Apoc.2.*
*4.Reg.2.*
*De saltibus Christi.*
*Cant.2.*
*1.Thess 4.*
*Expositio & prosecutio literæ.*
*Rom.15.*
*Luc.24.*
*Matth.28.*
*Matth.16.*
*Luc.24.*
*Deut.20.*
*Quod sedendũ est nobis quamdiu debiles sumus, vt non volemus sine alis.*
*Ioan.11.*

manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Sedete, inquit Dominus, in ciuitate, quouſque induamini virtute ex alto, id eſt, donec

*Rom.13. 1.Cor.1.* perfectè induamini Dominũ Ieſum Chriſtũ, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapiẽtia. Virtus vt adiuuet, ſapiẽtia vt erudiat & informet. Infirmitas auxilio, ignorãtia indiget eruditione, & conſilio. Præcepit ergo Dominus eis à Hieroſolymis ne diſcederẽt, ſed expectarent promiſſionem

*Ioan.14.* patris. Promiſerat eis filius, quòd præcederet præparare eis locum, & quòd mitteret eis ſpiritum ſanctum. Dicitur autẽ hæc promiſsio patris, quia in eius verbo promittitur. Vnde ſubiungitur:

*Iohel.4. Ezech.36.* Quam audiſtis per os meũ. Promiſerat etiã Dominus longè antè per Prophetã, quod diffunderet de ſpiritu ſuo ſuper omnem carnem. Et per Ezech. Prophetã prædixerat, quod auferret ab eis cor lapideũ, & daret illis cor carneũ, molle, ſcilicet, & ad bonũ flexibile. Non autẽ ſtatim poſt

*Quare non ſtatim poſt aſcenſionem miſſus eſt ſpiritus ſanctus. Act.1. Luc.24.* aſcenſionẽ miſſus eſt ſpiritus ſanctus, ſed voluit eos expectare, ad probationẽ fidei eorũ, & patientiæ, & obedientiæ, quia voluit eos præparari, vt eſſent idonei ad tantum donum accipere. Vnde Lucas in actibus Apoſt. ait, quod poſt aſcenſionem reuerſi ſunt in Hieruſalem, & aſcendentes in cœnaculum, perſeuerauerũt vnanimiter in oratione. Et in Euang. dicit, quod regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno, & erant ſemper in templo orantes & benedicentes Deũ. De die ergo erant in templo, & in veſpere reuertebãtur in cœnaculũ montis Sion. Et nos in cœnaculo ſublimis & cœleſtis cõuerſationis aduentũ ſancti ſpiritus orando & ieiunãdo debemus expectare. Licèt autẽ non ſit expreſſum in ſcriptura, Apoſtolos his diebus ieiunaſſe, ex

*Matth.9. Marc.2. Luc.5.* hoc tamẽ coniici poteſt, quod in Euang. Dominus ait: Veniet tempus cùm auferetur ſponſus ab eis, & tunc ieiunabunt. Vnde & multi ex deuotione his diebus vſq; ad Pentecoſten ſolẽt ieiunare, & appellatur à pleriſq; huiuſmodi abſtinẽtia ieiuniũ Apoſtolorũ. Præcepit igitur eis Dominus quod expectarẽt promiſsionẽ patris. Cuiuſmodi autẽ ſit promiſsio illa, oſtẽdit cùm ait:

*De baptiſmo ſpiritus ſancti ſiue in ſpiritu ſancto. Ioan 13. Ioan.20.* Quia Ioãnes quidẽ baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini ſpiritu ſancto, nõ poſt multos hos dies. Baptiſmũ appellat purgationẽ, qua amplius purificati ſunt aduenientẽ ſpiritu ſancto. Baptiſmũ quidẽ aquæ iam receperãt in remiſsionẽ peccatorũ. Conueniens quidẽ erat illos baptizatos eſſe, qui alios baptizabãt. Baptiſmũ autẽ vnctionis ad maius robur & maiorẽ purgationẽ in die Pentecoſtes receperũt: Pugiles enim vngi ſolẽt. Vnde & Dominus: Vnxit eos, vt aptiores eſſent ad pugnandũ. Priùs igitur ſpiritũ ſanctũ receperãt in baptiſmo ante Chriſti paſſionẽ. Vnde & Dominus dixit eis: Qui loti ſunt, nõ indigẽt niſi vt pedes lauẽt. Et ſecundò poſt reſurrectionẽ, quãdo Dominus inſufflauit in eis, dicẽs: Accipite ſpiritũ ſanctũ. Tertiò autẽ in die Pentecoſtes ad confirmationẽ ſpiritũ ſanctũ receperunt. In baptiſmo autẽ Ioannis non tardebatur ſpiritus ſanctus, quia tãtum in aqua baptizabat, vt homines ad Chriſti baptiſmum præpararet. Et quia tunc regnabãt alienigenæ, & poteſtate Romanorum deprimebantur Iudæi, & tributa ſoluebãt

*De interrogatione diſcipulorum, & chriſti reſponſione.* Cæſari, diſcipuli qui cõuenerant interrogabãt eum, dicẽtes: Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? id eſt, populo Iſraëlitico. De carnali regno Iudæorum, adhuc carnales quærebant, an id ſtatim reducturus eſſet ad ſtatum priorem, ſicut fuit in tempore Dauid, vt, ſcilicet, à ſeruitute & tributorum exactione liberarentur. Dominus autem reſpondit eis de regno ſpirituali, dicẽs: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, id eſt, non expedit vobis ſcire, quando venturus ſim ad iudicium, vt ſemper timeatis & parati ſitis. Hac etiã ratione, Dominus incertum nobis eſſe voluit diem mortis noſtræ: vel quia adhuc carnales erant, non expediebat eis noſſe arcana myſteria, donec eſſent ſpirituales. De his autem, quæ magis expediebant eis, ſubiungit: Sed accipietis virtutem ſuperuenientis in vos ſpiritus ſancti. Hoc enim expediebat carnalibus & infirmis: præſertim, quia futuri erant teſtes Dominicæ reſurrectionis, & prædicatores fidei Chriſti, & multos habituri erant contradictores in factis, & calumniatores in verbis. Vnde & Dominus ait: Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem, quia de Sion

*Iſa.2. Mithe.4.* omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Primò dicit in Hieruſalem, quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Spiritualiter autem in viſione pacis, & in confeſsione veræ fidei: & in Samaria, id eſt, in cuſtodia præceptorum Dei, & vſque ad extremum terræ, id eſt, in his qui alienos fecerunt à terrenitate illos prædicaturos eſſe prædicit. Et cùm hoc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt. Cùm autem prædicta verba dixiſſet eis in cœnaculo, in quo recumbebant, eduxit illos foras in Bethaniam, quæ erat in monte Olueti. Et tunc in il-

*Luce 24.* lis diebus eleuatus eſt. Quod manifeſtum eſt ex Euangelio Lucæ, vbi ait: Vos autem eſtis teſtes horum, & ego mitto promiſſum patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate, quouſque induamini virtute ex alto. Et poſteà ſubiungit: Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus ſuis, benedixit eis. Et factum eſt cùm benediceret illis, receſsit ab eis, & ferebatur in cœlum. A Bethania autem, id eſt, à domo obedientiæ, aſcenſus eſt nobis in cœlum, &

*Quod à Bethania in cœlum eſt aſcenſus.* per obedientiam aſcendere debemus poſt Chriſtum. Deus enim excelſus, non ſuperbia, ſed humilitate & obediẽtia attingitur. Victo autẽ Principe tenebrarum, Saluator noſter in locum pacis & luminis fideles educit, & montẽ Oliueti aſcẽdit, Spiritum ſanctum miſſurus, cuius vnctio

*1.Ioan.2.* docet nos de omnibus. Eduxit in Bethaniam, & benedixit. Sicut enim cõtemptus & ſuperbia meruit maledictionem, ita obedientia benedictionem promeretur. Videntibus autem illis, eleuatus eſt, vt ſicut fuerant teſtes reſurgentis, eſſent teſtes aſcendentis. Videntibus illis, eleuatus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Viderunt ingreſſus tuos Deus. Nubes autẽ ſuſcepit eum ab oculis eorum. Quia aſcendentẽ in cœlum inceſſu ſequi non poterant, oculis & corde ſequebantur.

Oculi

Oculi Christum deducunt vsque ad nubem, sed vsque ad cœlos & sydera deuotio cordis deducit. Nubes autem ad literam Christum ascendentem suscepit. Magnificentia eius & virtus eius in nubibus. Creatura enim vbique obsequitur creatori. Stella indicat nascentem: Sol compatitur patienti: Ascendentem nubes suscepit, redeuntem ad iudicium comitabitur. Vnde Daniël ait: Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat. Et Dauid ait: Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. In nube enim ascendit Christus, sic & sancti rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra. Mysticè autem nubem posuit ascensum suum, quia post ascensionem dedit spiritus sancti refrigerium. Sicut autem astensus nebulæ pluuiam parit, sic Christus post ascensionem gratiam spiritus sancti in mundum misit. Ventus autem dicitur motus aëris, cuius velocitas per pennas signatur. Sed Deus hanc velocitatem superat, quia vbique præsens est. Vnde in Psalmis: Velociter currit sermo eius, id est, filius. Mysticè autem venti sunt animæ, pennæ virtutes, quæ sunt in duabus alis, id est, in duobus præceptis charitatis: Sed charitatem omnium superat charitas Christi. Ambulat igitur super pennas ventorum: quia excedit agilitatem cognitionis vel charitatis Sanctorum. In nube etiam Christus ascendit, id est, in humana carne, quia secundum diuinitatem ascendere non potuit. Sicut enim ascendit super nubem leuem, vt ingrederetur Aegyptum, id est, mundum istum, ita ascendit super nubem leuẽ, vt ingrederetur cœlum. Mysticè autem nubes suscepit eum, dum pater obumbrando illi præstitit refrigerium. Cùm autem Discipuli intuerentur in cœlum euntem illum: ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis. Duo viri, id est, Angeli in specie hominum. Apparuerunt autem in vestibus albis, propter gaudium ascensionis. Vnde in iubilatione Deus ascendisse dicitur, quia ineffabiliter Apostoli exultabant, quoniam ipsum euntem in cœlum aspiciebant. Duabus autem causis Angeli sancti apparuerunt, vt, scilicet, discipulos regredi in Hierusalem, & spiritus sancti aduentum admonerent expectare, & vt Christum verè in cœlum ire, & ad iudicandum mundum reuersurum esse ostenderent, ne fortè aliqui crederent ipsum sicut Eliam quasi in cœlum sublatum esse, & non verè in cœlum ascendisse. Dicit autem Sulpicius, quòd loco illi, vnde Christus ascendit, impressa sunt vestigia eius: & quia pauimento continuari non potuerunt, adhuc impressa cernuntur. Apparuerunt ergo duo viri, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Teste enim Propheta: Dominus in cœlo parauit sedem suam, & regnũ ipsius omnibus dominabitur: Hoc erit in iudicio, quando posuerit Deus pater omnes inimicos Christi scabellum pedum ipsius. Et rursus ait: Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Qui enim prius in vna gente regnabat, postquam ascendit in cœlum, super omnes gentes regnauit. Et data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, & Pater omne iudicium dedit Filio. Sicut igitur apertè ascendit, ita apertè veniet ad iudicium. Quemadmodum in Parabolis Salomon ait: Non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum detulit, in die plenæ lunæ reuersurus. Vir, id est, Christus non est in domo sua, id est, in militãte Ecclesia iam non apparet, abiit via longissima, id est, à terra in cœlum perrexit. Hic est enim homo, qui peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Abiit enim in longinquam regionem capere regnum, & reuerti. Sacculum pecuniæ secum tulit, id est, humanitatem suam, quæ dicitur sacculus pecuniæ, quia in eo reposiri fuerunt omnes thesauri scientiæ. In die autem plenæ Lunæ, quando perfecta erit Ecclesia ex omnibus membris suis, scilicet, in fine mundi reuertetur. De hac autem terra longinqua Dominus per Isaiam ait: Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. Ab Oriẽte enim, id est, à partibus Iudææ quæ sita est in Oriente, vocauit auem, id est, Christum: & de terra longinqua, id est, de mundo reuocauit eum in ascensione. Postquam autem locuti sunt Angeli, reuersi sunt discipuli in Hierusalem, vt ait Lucas: in cœnaculo, scilicet in quo commorabantur Apostoli. Et erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus & Maria matre Iesu. Principium enim nascentis Ecclesiæ, flore virginitatis, id est, matre Christi exornatur. Quoniam autem Dominus præcepit discipulis, vt egrederetur in Bethaniam, & iterum regrederentur in Hierusalem, quousque induerentur virtute ex alto, hodie consueuit Ecclesia solennem facere processionẽ. In processione enim duo attenduntur, egressus, scilicet, & regressus. Præcipuè autem felix illa, & gloriosa processio repræsentatur, qua Christo ascendente, & captiuam captiuitatem secum ducente, multitudo Angelorum obuiam illi occurrit: Vbi enim fuit corpus, illic congregatæ sunt aquilæ. Ipso autem cum exercitu sanctorum, quos ab inferno deduxerat, ascendente, Angeli sancti qui ipsum concomitabantur, aliis Angelis in cœlo residentibus dixerunt: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ, quasi dicerent: O Principes cœli reserate cœlestes aditus Domino veniẽti. Et vos portę ęternales, quæ hominibus hactenus clausę extitistis, id est, aditus cęli & ingressus paradisi, eleuamini, id est, aperiamini, & introibit Rex gloriæ in cœlũ, vt sedeat ad dexterã Dei patris in excelsis. Ipsę autẽ virtutes angelicę nouo miraculo, quasi stupescerẽt quęrunt cũ admiratione. Quis est iste Rex glorię? Quibus respõdent Angeli qui cũ Christo veniebant in hac processione. Dominus virtutum, id est, Angelicorũ spirituũ, vel virtutũ, id est, gratiarũ, quarũ est distributor, ipse est Rex glorię. Eodẽ modo legimus in Isaia: quod quidã Angeli non plenè cognoscentes mysteriũ incarnationis, passionis, & resurrectionis.

*De nube Christum suscipiẽte ab oculis discipulorum. Sap. 10. Matth. 1. Lucæ 23. Dan. 7. 1. Thess. 3.*

*De vento & pennis ventorum.*

*Isa. 19.*

*De habitu angelorum & quare apparuerunt.*

*Quod ita veniet sicut recessit.*

*Matth. 28. Ioan. 3.*

*Prou. 7.*

*Matth. 25. Lucæ 19.*

*Col. 2.*

*Isa. 46.*

*Actuum 1.*

*Lucæ 24.*

*Quare hodie fiat solemnis processio.*

*Matth. 24. Lucæ 17.*

*De eo quod dixerunt cum Christo ascendentes & ipsum comitantes. Isaiæ 63. Hebr. 1.*

ctionis, videntes ad cœlum ascendere Christũ cum multitudine Angelorum, nõ tamen eorum auxilio sicut animæ sanctorum ab Angelis feruntur in cœlum, sed propria virtute, admirabantur dicentes: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens, in multitudine virtutis suæ. Edom terrenus vel sanguineus interpretatur, & signat mundum istum. De quo Christus in cœlum cum multitudine exercitus veniebat. Bosra autem munita vel firma interpretatur, & signat mundum istum. Per quam infernus designatur, in quo sub multis custodibus animæ tenebantur. De mundo autem sanguineo, & de inferno spoliato Christus rediebat cum signo seu vexillo passionis suæ, quia tũc etiam apparebant vulnerum cicatrices. Vnde tinctis vestibus, id est, membris corporeis venire dicebatur. Vel tinctis prius in cruce vestibus corporis sanguine passionis. Formosus autem dicitur in stola sua, id est, in habitu humanitatis: Quia speciosus forma præ filiis hominum. Gradiens in multitudine virtutis suæ, id est, nullo indigens auxilio, ita potens, vt scilicet & aliis aperiat regnum cœlorum. Gradiebatur autem non solùm in fortitudine, sed in multitudine fortitudinis, quia nulla fortitudo fortior est, quã diabolum vincere, morte superare, genus humanũ redimere, & terrã super cœlos collocare, & ad dexterã in gloria collocare seu residere: Angelis tamen tacentibus ipse respondet: Ego qui loquor iustitiã, & propugnator sum ad saluandũ. Iustitiã loquor, non solùm ore, sed opere, reddens vnicuique iuxta opera sua. Et propugnator fuit ad saluandũ, pugnans contra dæmones, vt saluaret genus humanũ. Rursus autem quærunt Angeli: Quare ergo rubrum est indumentũ tuum, & vestimenta tua sicut calcantiũ in torculari? Quasi dicãt: Si talis es quod loqueris iustitiã, & salus omniũ in tuo est arbitrio, quare vestimẽta tua sunt velut musto tincta? Et tunica tua, quæ ab vtero virginali tantum candorem habuit, quantũ fullo nõ potest facere super terram, quare sanguine cruentatur? Hoc dicunt propter signa passionis quæ in eius corpore apparebãt: Vel tincturã sanguinis dicunt signa iracundiæ. Quasi dicerent: Cùm tu clemens & pius sis, cur in veste corporis iracundiæ signa prętendis? Dominus autẽ respondet, dicens: Torcular calcaui solus, & de gentibus nõ est vir mecum. Torcular appellat passionis prælsuras, quas sustinuit. Licet autẽ calcatus sit in pressura crucis, dicit tamen torcular passionis à se calcatũ, id est, pressuram passionis à se superatã. Qui enim mortẽ moriendo superauit, calcatus à morte, mortẽ superauit, calcauit. Solus autẽ calcauit, quia nullũ habuit in pugna adiutorẽ, recedentibus cunctis discipulis. Et de gentibus non est vir mecũ: Quod dicit præcipuè ad eorũ confusionẽ, qui passionẽ eius nolũt imitari. Si cui tamen videatur quod omnes Angeli de mysterio redẽptionis nostræ, & de Christi præsentia nõ dubitarẽt, legatur admiratione, nõ dubitatione, quod dicunt Angeli: Quis est iste qui venit de Edom? id est, quã potens, quã formosus, quàm admirabilis? Vnde & Dauid hãc Christi glorioſam exaltationẽ admirãs, ait: Domine Dominus noster, quã admirabile est nomẽ tuũ in vniuersa terra. Et rursus ait: Exaltare Domine in virtute tua, id est, in altum ascẽde propria virtute, & tũc cantabimus ore laudãdo, & psallemus operibus bonorum operũ niti debemus, & sanctos coadiutores inuocare, vt cor nostrum sursum leuantes, Domino id offerãmus. Descendamus cum Rebecca à tortuositate cameli, vt nobis venerit Isaac occurrat & trahat nos post se, vt curramus in odorem vnguentorum ipsius, qui ait: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Et iterum ait: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Postquam autem tempus fuit, vt reuerteretur ad illum qui miserat eum, non est reuersus vacuus fidelis iste legatus. Reuersus est Iacob à domo Laban in patriam suam cum duabus turmis, actiuorum, scilicet, & contemplatiuorum. Reuersus est Raphael Angelus sanitatis, liberata Sara à dæmonio, & Tobia à cæcitate. Reuersus est Dauid percusso Philistæo. Porrigamus ergo illi manus, vt cum ipso eleuatis manibus bonorũ operum feramur in cœlum. Venite igitur & ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Festinemus ingredi in illam requiem, & adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius. Habemus enim fiduciam, vt ait Apostolus, in introitu sanctorum in sanguine Christi, id est, quod introibimus in sancta sanctorum per sanguinem Christi. Et subiungit Apostolus, quod initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei. Initiauit viam nouam, quia primus ostendit, & nullus ante ipsum intrauit. Et viuentem, id est, permanẽtem & peruiam, quia nulli fidelium postea clausa fuit. Caro autem eius dicitur velamen, quia velabat & celabat deitatem. Habentes igitur pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, introëamus post ipsum vsque ad interiora velaminum, vbi præcursor noster pro nobis introiuit Iesus, secundum ordinem Melchi-sedech, pontifex factus noster in æternum. Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, vt esset nobis pontifex factus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.

*De interrogatione Angelorum, admiratiũ ex verbis Isaiæ.*

*Rom. 2.*

*Isaiæ 63.*

*Matth. 9.*

*Mar. 14.*

*1. Ioan. 2. Quod ad imitationẽ Christi ascendere debemus.*

*Col. 3.*

*Gene. 2.*

*Sap. 9.*

*Gene. 24.*

*Cant. 1.*

*Ioan. 12.*

*Ioan. 6.*

*De Christi reuersione in cœlum. cum multo comitatu, & quod dedit nobis fiduciam ascendendi.*

*Gene. 32.*

*Tob. 12.*

*1. Reg. 17.*

*Isaiæ 2.*

*Mich. 3.*

*Heb. 4.*

*Heb. 5.*

*Item. 10.*

*Exhortatio ad ascendendum ex verbis Apostoli.*

*Heb. 4.*

*Item. 6.*

*Item. 7.*

Talem

Talem enim habens pontificem, qui considet in dexteram sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo. Christus enim assistens pontifex futurorum bonorum, per sanguinem proprium introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Non enim in manufactis sanctis Iesus introiuit, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Si autem mater sine pietate filij sui vulnera non potest intueri, quantò magis pater misericordiarum & fons pietatis cicatrices filij sui nõ potest aspicere, quin erga nos moueatur pietate? Stat Elias noster in vertice montis, & mittetur ad eum quinquagenarius primus, qui igne consumptus est: & secũdus similiter: Tertius verò merito deuotionis & humilitatis reseruatus est. Elias stans in monte, est Dominus noster Iesus Christus, qui sursum assistit vultui patris ad interpellandum pro nobis. Qui misit ignem in terram, & vult vt accendatur & deuoret quinquagenarium primum, id est, veterem hominem cum actibus suis, quem ignis spiritus sanctus deuorat, peccata cõsumendo, & ab opere seruili facit quiescere. Secundus quinquagenarius est vita actiua. In qua per opera misericordiæ remittũtur, non solùm peccata, sed pœna peccatis debita. Hæc quoque vita consumitur & finem habet, & eam in holocaustum diuinus ignis assumit. In primo quinquagenario hircus immolatur & crematur: In secundo aries incenditur. Tertius verò, qui est contemplationis, finem habet, sed cum Elia semper viuit, & in æternum reseruatur. Intrauit autem hodie summus pontifex noster intra velum in sancta, vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, sicut in Leuitico de sacerdote dicitur: Christus enim ascendẽs in cęlum, posuit aromata orationum & diuersorum charismatum super ignea corda Apostolorum, vt oraculum operiatur, id est, Ecclesia protegatur, & ipso ascendente, sursum trahatur. Vnde Iob ait: Ecce testis meus in cœlo, & conscius meus in excelsis. Christus enim nostræ infirmitatis conscius subleuatus est in cœlum, & testis est nostræ subleuationis. Vnde ipse ait: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Et quoniam peccatorum pondere grauati post ipsum ascẽdere non valemus, reiectis peccatorum sarcinulis vt ascendere valeamus, carnem, mundum, & diabolum pedibus nostris substernamus. Ascendamus asinam cum Axa filia Caleph. Ponamus lunam, id est, mundi varietatem sub pedibus nostris, cum muliere amicta sole. Conculcemus etiam leonem & draconem, id est, conteramus Sathanam sub pedibus nostris. Diuitias autem calcando, & ipsas pauperibus erogando, schalam nobis in cœlum præparemus. Est autem quadruplex ascensus sanctorum. Primus incipientium. Secundus proficientium. Tertius perfectorum. Quartus peruenientium seu beatorum. Primus, de malo in bonum. Secundus, de bono in melius. Tertius, de meliori in optimum, quantum ad perfectionem viæ. Quartus, de via in patriam, quantum ad gloriam vitæ æternę. Ascendamus igitur & in altum eleuemur sicut aquila, vt vbicunque fuerit corpus Christi glorificatum, illic congregentur aquilæ, id est, sancti spirituales. Ascendamus in cœnaculo cum Petro, in Bethel cum Elia, in sycomoro cum Zachæo, in montana cum Maria, in palmam cum Christo. Ascendamus in schalam cum Iacob, in qua ipse vidit Angelos ascendentes & descendentes. In ascensu enim & descensu quid aliud intelligimus, nisi exaltationem descendere, & humilitatem ascendere? Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Humiliemur ergo sub potenti manu Dei, vt exaltet nos in die visitationis. Non efficiamur similes Lucifero, qui prius vŏluit ascendere quàm descendere, & ideo miserabiliter corruit. Sicut scriptum est: Videbam Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem: Ante ruinam siquidem exaltatur cor. Similiter Adam prius ascendere voluit quàm descendere, & idcirco comparatus est iumentis insipientibus, de horto deliciarum proiectus in sterquilinium. De ipso enim & de eius misera vxore psalmista ait: Deiecisti eos dum allenarentur. Descendamus igitur vt ascẽdamus. Qui enim descendit, ipse est qui ascendit. Sedeamus in ciuitate per humilitatem, quousque induti virtute ex alto surgamus postquam sederimus ascendendo de virtute in virtutem, donec videamus Deum Deorum in Syon. Ipso præstante, &c.

*Item 8.*
*Item 9.*
*2. Cor. 1.*
*Mysterium de quinquagenario.*
*4. Reg. 1.*
*Heb. 7.*
*Luce 12.*
*Ephe. 4.*
*Col. 3.*
*Leuit. 16.*
*De aromatibus, & igne, & nebula, & vapore.*
*Iob. 16.*
*Ioan. 17.*
*Item. 12.*
*De impedimentis ascendendi.*
*Iudic. 1.*
*Apoc. 12.*
*Rom. 16.*
*De quadruplici ascensu sanctorum.*
*Conclusio vbi admonemur ad ascendendũ*
*Matth. 24.*
*Actuum 10.*
*4. Reg. 2.*
*Luce 19.*
*Item 1.*
*Cant. 7.*
*Gene. 28.*
*Matth. 24.*
*Luce 18.*
*1. Pet. 5.*
*Isaie 14.*
*Quod prius debemus descendere quàm ascendere.*
*Luce 10.*
*Prouer. 16.*
*Ephe 4.*
*Luce. 24.*

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Marcum.

*Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* *Mar. 16.*

MESSIS multa, operarij pauci. Vnde rogandus est Dominus messis, vt mittat operarios in messem suam. Vos siquidem messis Domini estis. Ipse enim crucis aratro terram Ecclesiæ excoluit, & sanguinem proprio irrigauit, vt inde fructum colligeret, salutem, scilicet, animarum. Operarij autem siue messores sunt doctores Ecclesię. De quibus Isaias ait: Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe. Hi autem messores inclinari debent ad messem colligendam per humilitatem & compassionem, & tenere falcem in manu, id est, verbum Dei in opere, vt quod alios dŏcent facere, ipsi prius faciant. Debent igitur messores isti à terrenorum amore sursum attollere. Nam & discipulos Domini legimus spicas à terra auulsisse,

*De messe Domini & operariis.*
*Matth. 9.*
*Luce 10.*
*Isaie 9.*

auulsisse. Debent diuersas spicas simul in vnum constringere per charitatem & firmam concordiam, & in horreum Domini, quod est sancta Ecclesia, recondere, donec variis flagellis grana à paleis purgata, in æterna beatitudine reponantur. Cùm autem multa sit messis in vniuerso mundo, Dominus de paucitate operariorum conqueritur. Operarij, inquit, pauci sunt. Multi enim sunt qui loquuntur, sed pauci qui iuxta illud quod prædicant, operentur. Cùm tamen dicat Apostolus, quod non audet loqui aliquid eorum, quæ per se non operatur Dominus. Multi sunt prædicatores, & pauci sunt prædicatores. Multi numero, pauci merito. Et idcirco messis Domini in terra computrescit & à bestiis conculcatur. Pauci sunt qui se velint inclinare per compassionem, & corda peccatorum sursum attollere. Qui autem in terra iacent, quomodo alios à terra sursum eleuare poterunt. Vnde Dominus ait Petro: Duc in altum & laxate retia vestra. A terra igitur debet remoueri prædicator, id est, à terrenorum amore, vt laxet retia sua in capturam animarum, sicut scriptum est: Statuit supra petram pedes meos, & tunc immisit in os meum canticum nouum sanctæ prædicationis. Sit prius sal terræ carnem suam mortificando, & postmodum lux mundi alios docendo, quemadmodum Apostolis Dominus ait: Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Petra autem salis brutis animalibus apponitur, vt illam lambendo meliorentur. In Ecclesiastico Sapiens sic ait: Quasi qui arat & qui seminat, accede ad sapientiam. Prius enim arare debemus in nobis carnem nostram affligendo, & postmodum seminare aliis prædicando. Prius gallus seipsum alis ter percutit, & postea alios excitando vocem emittit. Gallus est prædicator, quemadmodum in Iob Dominus ait: Quis dedit gallo intelligentiam, id est, prædicatori, qui stimulos habet seu calcaria, vt pũgat comminando, & gallinas, id est, animas sibi commissas defendere valeat. Prædicator igitur more galli nocte debet cantare, id est in tenebris huius seculi, & dormientes atque pigros excitare. Prius tamen quàm aliis prædicet, seipsum ter debet percutere, id est, cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione. Pauci autem sunt hodie huiusmodi galli, sed facti sunt plures galli gallinacei, id est, vt iam non audeant pugnare, nec gallinas valeant fœcundare. De quibus Dominus per Isaiam ait: Asportaberis quasi gallus gallinaceus. Dæmones enim tales asportant in infernum pertrahendo. Pauci sunt hodie fideles operarij in agro Domini. Et idcirco rogare debetis Dominum messis, vt inter operatios suos & messores me reputare dignetur, vel saltem inter illos qui spicas colligunt post messores, vt si non possum plenos manipulos in horreum Domini mei reponere, saltem paucas spicas illi valeam præsentare. Si enim vel vnam animam Deo lucrari possem, in vita mea, magnum esset paruitati meæ talentum mihi commissum duplicare. Non enim habeo nisi animam vnam. Vtinam cum illa per diuinam misericordiam, & merita vestra vnam aliam tanquam minister, & non auctor salutis lucrari possem. Recumbentibus vndecim discipulis, Saluator noster fratres charissimi, ad hoc inclinauit cœlos & descendit, vt iacentes erigeret. Ad hoc in cœlum ascendit, vt erectos secum traheret. Descendit igitur & ascendit, quia non haberet quo ascenderet altissimus, nisi prius descendisset humillimus. In descensu quatuor fuerunt gradus, similiter & in ascensu quatuor. Primus descendendi gradus, à summo cœlo vsque ad carnem. Secundus ad crucem. Tertius ad mortem. Quartus vsque ad infernum & mortis auctorem. In carne exercuit sapientiam. In cruce patientiam. In morte charitatis beneuolentiã. In inferno potentiam. Primus eius ascensus fuit supra montem in præminentia conuersationis. Secundus supra mortem in gloria resurrectionis. Tertius supra cœlos in consensu ad dexteram maiestatis. Quartus supra thronum iudiciarię potestatis. Ipse enim attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. A fine vsque ad finem, id est, à terra vsque ad cœlum: vel à fine meritorum, vsque ad finem præmiorum. Disponit autem omnia suauiter, id est, cogitationes, verba, & opera. Cogitationes puritate, verba veritate, opera honestate. De hoc autem multiplici ascensu Dominus per Isaiam ait. Nunc exurgam, nũc exaltabor, nunc sublimabor ait Dominus. Et Amos ait: Qui ædificauit in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit. Christus enim ascensionem in cœlo suam ædificauit, dum ipse in cœlum ascendendo alios ascendere fecit. Super terram verò multiplicem fasciculum fundauit, fasciculum, scilicet, fidelium, quos vinculo charitatis ligat & astringit. Qui enim triumphantem Ecclesiam ascendere facit, gregem fidelium in Ecclesia militante ligat indissolubili vinculo charitatis. Fasciculum præceptorum in terra ædificauit, quem fidelibus suis portandum commisit. Et insuper fasciculum tribulationum, quas ipse in terra sustinuit. In terra enim habuit dolorem, in excelso gloriam. Vnde non dicitur gloria in terra nostra, sed gloria in excelso Deo. Ascensionem igitur in cœlum ædificauit præcedens, & fidelibus suis viam præparans. Vnde & Michæas ait: Ascendit, pandens iter ante eos. Nos autem in baptismo secuturos promisimus, & frequenter in Ecclesia cantamus, lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Ex quo patet, quantum ipsum contemnimus, dum post ipsum ascendere recusamus. Vado, inquit Dominus, præparare vobis locum. Si autem aliquem præmittens, vt hospitium tibi præpararet, magnam illi faceres iniuriam, si ad locum alterum diuerteres, præparatum hospitium contemnendo. Iniuriam igitur & dedecus illi faciunt, qui terram cœlo præponunt. Vnde beatus Gregorius ait. Peruersa mens dum delectationi creaturæ se subdit, à creatoris se societate disiungit. Hi sunt velut ericij pomis siluestribus onerati, id est, malo sapore mundi aggrauati, vt non possint ascendere, nec saporem cœlestium gustare. Si autem cum Christo

*Matth.13. Mar.2. Luc.6.* — *De paucitate operariorum.*

*Rom.15.*

*Luc.5.* — *Quod bona vita præcedere debet prædicationem.*

*Matth.5.*

*Eccle.6.*

*Quod prædicator assimulatur gallo. Iob.37.*

*Isaiæ 22.*

*Matth.25.*

*De quatuor gradibus descendendi, & totidem ascendendi.*

*Sap.8.*

*Isaiæ 33. Amos 9.*

*De fasciculo multiplici.*

*Luc.2.*

*Mich.2.*

*Ioan.14.* — *Quod Christũ offendunt, qui ad hospitium quod præparauit, ore contemnunt.*

cum Christo surrexissent, quæ sursum sunt, saperent & gustarent, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Delectationes autem in dextera eius vsque in finem. Peruersi autem homines has delectationes non percipiunt, nec tantam intuentur claritatem. Si autem cęcus est qui solis claritatem nō percipit, quantò magis est cæcus, qui claritatem nō intuetur à quo sol illuminatur. Vnde de synagoga reproba beatus Iob ait: Semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculos vulturis. Teste enim Gregorio auis nomine ille significatur, qui corpus carneum quod accepit, ascendendo ad ęthera liberauit. Iudæa autē semitam ignorauit auis, quia humilitatis Christi vias quibus nos in altum subleuamur, considerare noluit, nec est intuita oculos vulturis, id est, Christi. Ait enim idem Gregorius: Redemptor noster vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine deitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi cadauer nostræ mortalitatis conspexit in infimis, & se de cœlestibus ad ima dimisit. Et dum animal mortuum petiit, mortem apud nos inuenit. Huius vulturis oculus, fuit intentio nostræ reparationis. Populus ergo Iudaicus vulturem quidem conspexit, sed oculos vulturis non aspexit. Vnde & prædicatores eius repulit. Propterea Psalmista ait: Nescierunt, neque intellexerunt. Et Isaias ait: Incrassatum est cor populi huius. Istius igitur auis semitam ignorat, qui Christum in cœlum ascendisse negat vel dubitat. Vnde ad Romanos Apostolus ait: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum, id est, Christum deducere. Aut quis descēdit in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare. Quasi dicat: Cùm audieris prædicare Christum ascendisse in cœlum, noli dicere in corde tuo, mendacium est. Quis enim ascendit in cœlum? Hoc autem dicere, est Christum deducere de cœlo ad terram, id est negare Christum ascendisse. Et similiter cùm audis prædicari, quod Christus ad infernum descendit, noli dicere mendacium est. Quis enim descendit in abyssum? Hoc autem dicere, est Christum reuocare à mortuis, quantum in te est, id est, credere quod ipse non descendit in infernum. Hæc autem verba adhuc hodie dicunt Iudæi, qui non credunt Christum in cœlum ascendisse, neque descendisse ad infernum, cùm tamen ex lege eorum istud possent aduertere. Ipsi autem duri ad credendum, vsque hodie remanent in cordis duritia, id est, in infidelitate sua. De qua cordis duritia & tarditate ad credendum Dominus ascensurus in cœlum, discipulos suos redarguit, sicut in hodierno Euangelio Marcus ait: Quod recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus. Et exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Non enim mendaces debuerunt æstimare, quorum sinceritatem agnoscebant. Sed nec eos deceptos fuisse putare debuerunt, cum omnem deceptionis suspicionem Christus amouerit, qui coram ipsis manducauit & bibit, & cicatrices ostendit, atque se palpabilem præbuit, præsertim cùm ipsi ex scripturis de Christi resurrectione possent certificari, & ex verbis saluatoris, qui ante mortem dixit se tertia die resurrecturum à mortuis. Cùm igitur gentes quibus prædicaturi erant Apostoli, in auditu auris creditura essent, in ipso ascensionis die cùm recumberent Apostoli in cœnaculo montis Sion, exprobrauit eis duritiam cordis. Vnde statim subiunxit: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Ecce quantum est fidei meritum, & quantum vitium infidelitatis. Et idcirco de duritia cordis, & de tarditate credēdi eos Dominus arguit. Teste enim Marco: Cùm Maria Magdalene nuntiasset eis, quia vidisset Dominum, illi audiētes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt. Post hoc, duobus ambulantibus in Emaus apparuit. At illi euntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt. Magnum autem est infidelitatis vitium, bonis viris fidem non adhibere. Similiter & Petrus viderat Christum viuentem, & postquam nuntiauit aliis, illi non crediderunt. Postquam enim in ipso die resurrectionis apparuisset Mariæ Magdalene, & Petro, & duobus euntibus in Emaus, & audissent ab eis quod Christus resurrexisset, in ipso vespere, cùm stetit Iesus in medio eorum, non credebant, sed vt ait Lucas: æstimabant se spiritum videre. Teste autem Matthæo: cùm Dominus postmodum appareret eis in monte Galilææ, videntes eum adorauerunt, quidam autem eorum dubitauerunt. Illorum tamen tarditas & duritia cordis nobis vtilis fuit. Vnde beatus Gregorius ait: quod resurrectionem dominicam discipuli tardè crediderunt, non tam illorum infirmitas quàm nostra, vt ita dicam, firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta mōstrata est. Quod dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quàm de eorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalene præstitit quæ citius credidit, quā Thomas qui diu dubitauit. Ille enim dubitādo vulnerū cicatrices tetigit, & de nostro pectore vulnus dubietatis amputauit. Increpata autē eorū duritia, ait Dominus: Eūtes in mundū vniuersum, prędicate Euangeliū omni creaturę, id est, omni gentiū nationi. Omni autē creaturæ Euangeliū prædicatur, cùm soli homini prædicatur. Quia ille docetur, propter quē cuncta creata sunt in terra, & qui aliquid habet cōmune cū omni creatura. Vnde & microcosmus dicitur homo, id est, minor mūdus, quia multiplicē habet cum mundo conuenientiam. Et maximè quia ex quatuor constat elementis, sicut maior mundus. Quod autem Dominus subiungit. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, intelligitur de fide illa quæ per dilectionē operatur. Dilectio enim est anima fidei. Vnde sicut homo mortuus, non est homo, ita fides mortua, non reputatur fides. Non enim verè credunt, qui operibus negant, quia pactum baptismalem non obseruant. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, opere adimplemus. Fides igitur cum baptismo exigitur ad salutem

*Col. 3.*

*Iob 38. De semita auis & vulture.*

*De extremitate Iudæorum*

*Isaiæ 6. Deut. 30. Rom. 10.*

*Contra cordis duritiam & incredulitatē*

*Ioan. 20. Luc. 24. Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24.*

*Mar. 16. Quod discipuli his qui viderant Christū resurrexisse, credere nolverint. Luc. 24.*

*Luc. 24. Matth. 28. Quod tarditas credulitatis illorum nobis profuit.*

*Prosecutio et expositio literæ.*

*Gal. 5. Tit. 1.*

lutem, vbi baptismus haberi potest. Alioquin quando baptismum non excludit contemptus religionis, sed necessitas articuli si desideret homo baptizari, licèt non baptizetur, ob hoc salute non priuatur. Fides enim cum tali voluntate pro baptismo reputatur. Vnde Dominus: Qui non crediderit, condemnabitur. Multi enim Martyres sine baptismo aquæ obierunt, quibus vnda sanguinis cum voluntate baptizandi reputata est pro baptismo. Paruuli autem in baptismo fidem recipiunt in habitu, sicut & alias virtutes, licèt non credant in actu. Baptizantur autem in fide Ecclesiæ, quæ reputatur eis ad salutem cum baptismo. Per alios enim paruuli credunt, sicut per alios peccatum originale contraxerunt. Si cui tamen videatur quod paruuli baptizati non credant. Vniuersitas illa restringenda est ad adultos. Et tantum intelligenda est de illis, quibus Euangelium prædicatur. De quibus dixerat: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Paruulis enim Euangelium non prædicatur, sed adultis, quibus solis credere conuenit, secundum quod fides dicitur voluntaria certitudo supra opinionem & infra scientiam. Voluntaria dicitur, vt fides habeat meritum. Certitudo, quia nō dubitat qui credit. Pro fide enim paratus est mori priusquam à fide discedat. Firmius autem credimus traditioni Ecclesiæ & sanctorum auctoritatibus, quàm sensibus nostris. Supra opinionem dicitur, quia plus est credere quàm opinari. Infra scientiam, quia minus est credere quàm scire. Fides enim non haberet meritum, si per causas probaretur, vel si ratio humana daret nobis experimentum. Imò iam non esset fides, sed potius scientia. Quomodo autem fideles ab infidelibus discernantur, ostendit subiungens. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Si de signis visibilibus prædicta miracula intelliguntur, vniuersitas ad tempora primitiuæ Ecclesiæ restringitur sub hoc sensu. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, quando, scilicet, necessarium erit vt sequantur. Hæc siquidem necessaria fuerunt in exordio Ecclesiæ. Vt enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra conualuisse videamus. At si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Ad hoc quippe visibilia miracula corruscant, vt corda videntium ad fidem inuisibilium pertrahant, vt per hoc quod foris agitur, hoc quod intus est, longè mirabilius esse sentiatur. Vnde nunc quoque cum fidelium numerus ita excreuit, intra sanctam Ecclesiam multi sunt qui vitam virtutum tenent, & signa virtutum non habent. Quia frustra miraculum foris extenditur, si deest quod intus operetur. Nam iuxta magni doctoris gentium vocem, linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. Vnde cùm Apostolus multos infideles verbo sanaret, Timotheum iam credentem, & infirmitate stomachi laborantem, verbo sanare non voluit, sed arte medicinali vti admonet, dicens ei: Modico vtere vino propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Spiritualiter autem sancta Ecclesia quotidie facit, quod tunc per Apostolos visibiliter faciebat. In exorcismo enim & baptismo in nomine Christi dæmonia eiiciuntur. Quando etiam ad prædicatorum exhortationem peccatores conuertuntur, dum criminalia peccata deserunt, ab eis dæmonia exeunt. Linguis autem nouis loquuntur, dum secularia verba quæ ad vitam veterem pertinent, relinquunt. Serpentes tollunt, dum bonis exhortationibus virus malitiæ ab aliorum cordibus auferunt. Hoc autem ad literam Paulus impleuit, dum à manu sua viperam illæsus excussit. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Quod spiritualiter habet fieri, dum mortiferas persuasiones audiunt, nec vsque ad operationem perducunt. Ad literam autem Ioannes venenum hausit, nec ei in aliquo nocuit. Super ęgros vt bene habeāt, manus imponimus, dum fragiles & imperfectos exēplo bonę operationis cōfirmamus. In extrema etiā vnctione manus super ęgros imponimus, & nō solū à peccatis alleuiātur, vel à pœna peccatorum, sed ex virtute vnctionis corporaliter etiā melius habēt, si placuerit Domino, vt ab illa infirmitate euadāt. Vnde Iacobus ait: Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesię, vt orēt super eū, vngentes eū oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmū, & alleuiabit eū Dominus, & si in peccatis sit, dimittētur ei. Hæc autē miracula tantò maiora sunt, quantò spiritualia. Per hæc enim animæ nō corpora suscitātur. Prædicta autē verba dixit Dominus in cęnaculo mōtis Sió, vbi vndecim Apostoli recūbebant, & alij plures cum eis erāt. Sed de his quia maiores erāt specialiter mentionē facit Euāgelista Marcus. Deinde eduxit eos foras in Bethaniā, sicut habetur in Luca, id est, in montē Oliueti versus Bethaniā. Et tūc factū est quod in hodier. Euāgelio Marcus asserit, dicēs. Et Dominus quidē Iesus postquā locutus est eis, assumptus est in cœlū, & sedet à dextris Dei, id est, in potioribus bonis patris quiescēs secundum quod homo, & ei, secundum quod Deus conregnans. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Non statim profecti sunt, sed sederunt in ciuitate, donec in die Pentecostes confirmati essent virtute ex alto. Recepto autem spiritu Sancto, tempore competenti profecti prædicauerunt. Christus autem assumptus dicitur à nube, vel à diuinitate, qui propriè dicitur ascendisse, quia virtute propria ascendit. Enoch autem dicitur translatus & Elias subuectus. Ascendens igitur Dominus in altū, captiuam duxit captiuitatē, id est, eos qui in inferno captiui prius tenebantur, secum ducens. Et postmodum dona spiritus sancti dedit hominibus, nō solū in die Pentecostes, sed postmodum in vniuerso mundo ad fidē conuertendo

*Descriptio fidei.*

*De signis visibilibus & miraculis, quæ necessaria fuerunt in primitiua Ecclesia.*

*1. Cor. 13.*
*1. Tim. 5.*

*De signis spiritualibus & inuisibilibus.*

*Actum 28.*

*Iacob. 5.*

*Luc. 24.*

*Gene. 5.*
*4. Reg. 2.*
*Quod Christus post ascēsionem dedit dona hominibus.*

uertendo innumeras gentes. Operuit enim cœlos gloria eius in ascẽsione: & postmodũ laudis eius plena est terra in gentium conuersione. Vnde in Genesi Iacob ait: Neptalim ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis. Neptalim interpretatur dilatatio, & signat Christum, cuius fides dilatata est in vniuerso mundo. Ipse autem ceruus transiliens lutosa & spinosa huius seculi, qui hodie saltum fecit vsque ad cœlum. Qui emissus fuerat à patre in mundum. Post ascensionem verò vbique per Apostolos dedit eloquia pulchritudinis & veritatis. Et in Exodo dicitur: Ascende in montem, & esto ibi, daboque tibi lapideas tabulas, & legem & mandata quæ scripsi: Quasi diceret pater filio: Ascẽde in cœlũ, & sede à dextris meis, & dabo tibi in discipulis tuis legẽ scriptam firmiter in cordibus eorũ, & mãdata scripta in tabulis lapideis, id est, in mentibus per spiritum sanctũ corroboratis. Vnde Dauid ait: Exaltare super cœlos Deus, & ita erit super omnem terrã gloria tua. In natiuitate enim apparuit eius humanitas. In passione patientia. In resurrectione victoria. In ascensione & spiritussancti missione, atq; Apostolorum prædicatione apparuit eius gloria. Lignum enim quod plantatum est secus decursus aquarum, germinauit in natiuitate, transplantatum est in passione, floruit in resurrectione, fructificauit in ascensione. Fructum autem cõmunicauit in die Pentecostes, & in gentium conuersione. De hoc autem ligno beatus Iob ait: Lignum habet spem, & si præcisum fuerit, rursum virescet & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluerem emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquę germinabit, & faciet comam quasi cùm primum complantatum est. Lignum dominici corporis præcisum fuit in cruce. Spem habuit, quia caro eius requieuit in spe, virorem habuit in resurrectione. Postquam autem in cœlum ascendit, rami eius pullulauerunt, id est, fideles in vniuerso mundo creuerunt. Radix eius, id est, prædicatio in terra senuit, quia in perfidis viluit. In puluerem autem truncus eius moritur, quia inter manus persequentium corpus eius examinatur. Ad odorem autem aquæ germinauit, quia per virtutem Dei caro ad vitam rediit. Fecit autem comam quasi prius, quia Apostoli qui aruerunt ad fidem, vt prius viruerunt & capiti suo adhęserunt reuertentes. De huius autẽ ligni plantatione Dominus per Ezechielem ait: Sumam de medulla cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius, tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem. In monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit, & scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Humanum genus in Paradiso plantatum, cedro Libani comparatur propter excellentiam rationalis naturæ, sed auulsa est arbor ista ad ventum suggestionis diabolicæ. Vnde Iob ait: Dixi, pereo, & tanquam auulsæ arbori abstulit spem meam. Plantata erat arbor ista in firma terra, id est, in soliditate status primæ immortalitatis. A quo statu est auulsa, dum mortalitati est addicta. Auulsa tamen arbor ista tot ramos protulit, quot homines procreauit. In vertice autem ramorum tenerum habuit ramum Iesum Christũ mortali carne indutum. Ramus auulsus humore est plenus: Et ipse igitur plenus fuit, in quo nulla virtus emarcuit. Quod autẽ ait: tenerum restringam, hoc est variis tribulationibus exponam, vt humorem gratiæ copiosum emittat, vel distringam, id est, ab aliis abrumpam & discerpam, & à massa perditionis seorsum assumam. Qui bene dicitur, assumptus esse de medulla cedri, in quo veritas humanæ naturæ in Christo ostenditur. Nam medulla cor est arboris, quasi vera ipsius substantia. Deus autem non ex parte radicis hanc arborem replantauit. Adam enim huius arboris radix fuit, per quem in statum pristinum genus humanum non poterat reparari, sed à cacumine & à ramo superiori replantatum est, & reparatum genus humanum, non in Paradiso terrestri, sed longe ẽlegantius in paradiso cœlesti, dum hodie super choros Angelorum exaltata est gloriosa caro Christi. Super montem excelsum & eminentem plantata est arbor ista, & germen dedit, atque in vniuerso mundo post ascensionem fructum fecit. Fuit enim in cedrum magnam, dum vniuersam terram impleuit. Et habitauerũt sub eius protectione omnes sancti, & nouerunt omnia ligna Regionis, id est, omnes fideles populi, quod Dominus humiliauit lignum sublime, id est, Iudęos, & exaltauit lignum humile, id est, gentiles: & exsiccauit lignum viride, id est, Iudæos florentes in lege: & frondere fecit lignum aridum, id est, populum nationum, vel lignum sublime humiliatum ad passionem saluatoris refertur. Humile autem exaltatum, ad resurrectionem & ascẽsionem. Quod autem prius virens fuit, siccatum est in morte, & postea reuiuiscens, pristinum recepit virorem. Propterea Psalmista tanta considerans beneficia, ait: Cantate Domino Psalmum, dicite nomini eius, iter facite ei: qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi, Cantate Domino: Ecce gaudium spirituale, & gratiarum actio. Psalmum dicite nomini eius. Ecce operatio bona ad honorem ipsius. Iter facite ei: Ecce mundatio conscientiæ & intentio pura, quibus Domino aperiuntur corda nostra. Qui ascendit super occasum, id est, super mortem in resurrectione illam destruendo. Et in ascensione super occasum, id est, super mundana omnia & occidua ascendit. Super occasum vitiorum insuper ascendit, dum per Apostolos vbique vitia destruxit. Dominus nomen illi, quia omnis potestas in cœlo & in terra data est ei. De hac autem Christi ascensione & gratiæ multiplicatione Abacuc ait: Eleuatus est Sol in loco suo, & Luna stetit in ordine suo, inter spem, scilicet, & timorem immobiliter perseuerans. Eleuato enim sole iustitiæ in ascensione, postea missus est spiritussanctus, rigans montes

*Abacuc.3. Gene.49.*

*Exod.24.*

*Iere 31.*

*De ligno vitæ & fructu eius.*

*Iob.14.*

*De plantatione arboris in monte excelso ex verbis Ezechielis, quod impletũ est in ascensione.*

*Iob.19.*

*Matth.28. De Christi elevatione & ordinatione Ecclesiæ. Abacuc.3.*

1. Cor. 12. montes de superioribus suis, & facta est distributio carismatum. Et ita Luna, id est, Ecclesia militans ordinata est secũdum diuisiones gratiarum, & distinctiones personarum, vt sicut in vno corpore diuersa sunt membra, ita in sancta Dei Ecclesia. Quidam enim sunt oculi aliis videntes, atq; alios deducendo regentes. Hi sunt Ecclesiæ prælati atq; animarũ pastores. Alij sunt manus alios defendẽtes. Hi sunt Reges & Principes. Alij pedes alios sustẽtantes. Hi sunt simplices laici & pauperes, laboribus suis alios sustinentes. Ordinata est etiam Ecclesia militans, vt sint alij quasi in inferiori mansione: Hi sunt cõiugati. Alij in media mansione: Hi sunt gementes & vi-

Gene. 6. 3. Reg. 6. duæ. Alij in superiori mãsione: Hi sunt cõtemplatiui & virgines. Est igitur arca Noẽ tricamerata, id est sancta Dei Ecclesia. Tria enim sunt tabulata in templo veri Salomonis, id est, in Ecclesia militante. Possunt tamen prædicta verba intelligi de Ecclesia triumphante. Sole enim eleuato in loco suo, Luna quę illuminatur à Sole, id est, cœlestis Ecclesia stetit in ordine suo. Quia

Abacuc. 3. decimum ordinem in sanctis recuperauit, quem in Angelis corruentibus amisit. Vnde Psalmista ait: Thronus eius sicut sol in conspectu meo, quantum ad Christi humanitatem, & sicut Luna perfecta inæternum, quantum ad Ecclesiam triumphantem, quæ perfecta est, & nullam habet diminutionem vel mutabilitatem. Vbi autem in alia translatione habetur. Eleuatus est Sol in

Gal. 5. loco suo, & Luna stetit in ordine suo, in nostra translatione dicitur, Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, id est, Christus & Ecclesia. Christus enim stetit in ascensione ad dexteram patris, & Ecclesia suum locum recuperauit. Passer enim, id est, Christus inuenit sibi nidum in cœlis. Quia Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Et turtur, id est, Ecclesia, nidum fidei per dilectionem operantis, vbi reponat pullos bonorum operum. Vel Sol diuinitatis & Luna humanitatis Christi, Christo ascendente in cœlum, in habitaculo suo steterunt. Habitaculum humanitatis est ad dexteram patris, id est, in potioribus eius bonis. Diuinitas autem in seipsa cõsistit. De hac iterum Christi ascensione & gratiæ multiplicatione Dominus in Iob

Iob. 39. ait: Nunquid per sapientiam tuam plumescet accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? Accipiter dicitur

De accipitre & pluris eius, & duabus alis. Christus, qui de cœlo aduolauit, vt aues syluestres caperet, id est, peccatores fugitiuos & alienos à Deo. Capta autem præda more nobilium volucrum, Christus cor sibi dari desiderat. Nihil enim cor nostrum demus ei per dilectionem, totum residuum non curat. Accipiter iste pennas

Lucæ 23. veteres exuit, & nouas assumpsit, dum proiectis Iudæis gentes ad se conuertit. In cruce autem totus deplumatus fuit, vna sola pluma ei adhęsit. Latro enim qui prius fuerat pluma structionis, factus est pluma accipitris. Per sapientiam autem diuinã quotidie plumescit accipiter iste. Quia

1. Cor. 15. per prædicationem sanctorum nouas plumas recuperat, donec omnibus plumis in fine sibi ad-

Isa. 11. hærentibus auis pulcherrima circundata varietate prædam suam offerat Deo patri. Hic autem accipiter nouẽ mensibus fuit in mutatorio veteri virginalis supra virgam rectissimam, virgam de radice Iesse. Exiens autem à mutatorio multam prædam cepit, & tandem in die ascensionis in cœlum aduolauit. Alas autem suas accipiter iste ad austrum expandit, dum diligentibus sensum aperuit, vt intelligerent scripturas. Duo enim testamenta dicuntur alæ Christi. De quibus

Lucæ 24. Isa 40. dicitur: Sub vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Nos autẽ ad Austrum spiritussancti alas cogitationum expandamus, & nouas virtutum pennas abiecta conuersatione

Quod Christus assimilatur aquilæ, et maxime propter ascẽsionẽ dicitur aquila, & assignãtur proprietates aquilæ. vetusta, assumamus. Non solum autem accipiter sed & aquila dicitur Christus. Omnibus enim sanctis sublimius volauit, sicut aquila cunctis aliis auibus altius volat. Aquila etiam vt dicitur, magis diligit pullos suos aliis auibus. Vnde & ad volandũ prouocat & super eos volitat expandens coram eis alas suas. Sic Dominus ex immensa dilectione qua diligit nos, prouocat nos ad volandum, & inuitat vt sequamur eum ascendentem in cœlum. Aquila pullos suos radio solis

Deut. 32. Gene. 19. Iob. 39. Ephe. 1. Iob 7. Phil. 3. Matth. 6. Lucæ 12. obiicit, & quos viderit tenere immobilem oculorum aciem contra solem, velut dignos genere conseruat, quos autem viderit flectere oculos, tanquam degeneres abiicit. Et Dominus noster indignos se eos iudicat, qui ad solẽ iustitiæ mẽtis oculũ nõ dirigunt, sed cũ vxore Loth oculos ad terrena reflectẽtes retro aspiciunt. Hæc igitur aquila, id est, Christus ad patris præceptũ hodie est eleuata: Ponẽs nidũ suũ in arduis, quia illos, in quibus residet, in sublimè attollit. Vnde Apost. ait: Qui cõsedere nos fecit in cœlestibus in Christo. In terra autẽ ambulãs iam in cęlis. Vbi enim cadere gloriatur, quia suspendiũ elegerat anima ipsius, & cõuersatio eius erat in cęlis. Vbi enim ca-

Amos. 1. put, ibi mẽbra sunt spe & desiderio. Vbi thesaurus eorũ, ibi corda eorũ. Propterea per prophetã Amos Dominus ait: Cõteram vectẽ Damasci, & trãsferetur populus Syriæ Cyrenẽ. Primus pa-

Quod Christus membris suis dedit spẽ ascendendi post ipsum. rens post peccatũ emissus est in agrũ Damascenũ, sed hodie atterũtur vectes Damasci, & datur spes quod trãsferemur Cyrenẽ, quod sonat hereditas, id est, in ęternam hęreditatẽ. Syria interpretatur ara, per quã carnis immolatio & maceratio designatur. Damascus autẽ saccus sanguineus interpretatur. Hæc est caro nostra peccatrix, quæ quasi duobus vectibus cõterit, & secũ in cœlestimitate, scilicet, & immunditia peccati. Hos vectes Christus in nobis cõterit, & secũ in cœlestibus nos residere facit. Assumamus igitur pennas sicut aquilę & in arduis ponamus nidũ nostrũ,

Isa. 40. Iob 39. Item 48. Cant. 7. Isaiæ 40. nidificemus in summo ore foraminis, vbi malę bestiæ nõ attingũt. In foraminibus Petræ, id est, in fide passionis Christi more colũbæ habitemus. Qui enim sperãt in Domino, sicut Isa. ait: mutabũt fortitudinẽ. Assumẽt pẽnas sicut aquilę, current & nõ laborabunt: ambulabunt & nõ deficient. Muremus fortitudinẽ seculi in fortitudinẽ Dei, fortitudinem carnis in fortitudinẽ spiritus, vt sicut fortes fuimus in malo, simus fortes in bono. Assumamus pennas sicut aquilæ, pẽnas, scilicet,

Quid ascendere debemus more aquilæ, & renouari ad fontem vitæ.

scilicet, dilectionis Dei & proximi, quibus sursum volare valeamus. Aquila cū senuerit, grauantur alæ eius, & obducūtur oculi eius caligine. Tunc quærit fontē aquæ, & supra illū in altū volat, & incendit alas suas ardore Solis, & caliginē oculorū radiis solaribus cōburit. Tunc demū descendēs ad fontē ter se immergit, & cōtinuò renouata lumen oculorū, & alarū velocitatē recuperat. Et nos in altū volantes Solē iustitiæ intueamur, & fonte diuinæ gratiæ in nomine sanctæ Trinitatis abluamur, & ita renouabitur sicut aquilę iuuentus nostra. Vt autē in altū volare valeamus, caueamus ne alæ nostræ vento superbiæ elidantur, viſco luxurię cōstringantur, ponderе auaritiæ aggrauētur, temporaliū rerū sarcina deprimātur, nec impediātur gressus nostri superfluitate vestiū. Non distendamur nimietate ciborū, vt curramus post Christū, & nō deficiamus. Equus autē grano pastus, licèt macilētus, melius ascēdit, & velocius currit q̄ equus pinguis furfure plenus. Ponamus mundū sub pedibus nostris, & de ipso schalam faciamus, vt omnibus temporalibus cōculcatis, facilius ascēdere valeamus, Christo adhærēdo facilè sursum feremur. Qui enim adhęret veritati, nullo modo succumbit vanitati. Adhæreat vestis corpori, ne refrigescat. Vestis énim ita à corpore calorē cōtrahit, quia corpori calorē reddit. Nos igitur vestis sumus, adhæreamus illi, ne frigescamus, & ad ipsum calorē nostrū reportemus. Vt autē ascendere valeamus, priùs descēdere nos oportet. Qui enim se humiliat, exaltabitur. Scriptū est enim: Superbū sequitur humilitas, & humilē spiritu sequitur gloria. Descēdamus igitur per subiectionē, per compassionē, per abiectionē. De primo descensu Petrus ait: Subiecti estote omni humanæ creaturę propter Deū. De secūdo dicit Apost. Quis infirmatur & ego nō infirmor? De tertio dicit Dominus: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Et Apost. de mūdi abiectione ait: Mihi mūdus crucifixus est, & ego mūdo. Non solū enim debet homo descēdere per abiectionē sui, sed per abiectionē mundi. Qui autē sic descendit, subleuabitur, quia Dominus pauperē facit & ditat, humiliat & subleuat. Qui autē hîc se nō humiliat, hunc sequēs gloria nō exaltat. Superbi autē ascendere volunt, sed nō descendunt. Sursum corda habent, sed nō ad Dominū. De quibus dicitur: Accedet homo ad cor altū & exaltabitur Deus elongādo, scilicet, ab eo, iuxta illud: Et alta à longè cognoscit. In maiori autē dignitatū secularių exaltatione maius est periculum. Alta enim arbor ventis fortius agitatur, excelsæ turres grauiori casu procumbūt. Cùm autem facilè sit descēdere per humilitatē, difficilè autē ascendere per mundi huius gloriā, pauci sunt qui descendere velint, vt exaltentur, sed magis appetunt & nituntur ascendere cum labore. De quibus sanctus Bernardus ait: Agè, nunc sequere ducem tuum, oculi tui sublimè videant, multiplica prębendas huic, ad Archidiaconatum aduola, deinde aspira ad Episcopatum. Paulatim ascendis, sed non paulatim descendis, imò tanquā fulgur in spiritu vehementi. Videbam, inquit Dominus, satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Caduca autem & fragilis est secularis potentia. Qui hoc modo ascendere festinat, tolluntur in altum vt lapsu grauiore ruant. De capite autem superborum dicit Ioannes in Apocalypsi: Vidi bestiam de mari ascendentem. De mari autem ascendere dicitur, quicunque in hoc mundo inaniter attollitur. Vnde & de filio perditionis Apostol. ait: Quod extollitur supra omne, quod dicitur, aut quod colitur Deus. Propter huiusmodi elationis volatū, diabolus aliquādo aquila dicitur. Vnde & Iob ait: pulli aquilæ lambunt sanguinē, id est, imitatores diabolі peccati sanguinē cum auiditate bibunt. Hæc est aquila grandis magnarū alarū, de qua Salomō ait, quod difficilis est via aquilæ in cœlo, id est, suggestio diaboli in viro sancto. De hoc ascensu reproborū dicitur in Zachar. Quod duæ mulieres leuauerunt amphorā, scilicet, superbiā, & vanā gloriā, quę leuāt superbos & attullūt ambitiosos. Spiritus autē erat in alis earū. Elatio enim est in actibus superborū, & vana superstitio in actibus hypocritarū. Vnde Iob ait: Cùm tempus venerit, in altū alas eriget, id est, opera sua ostēdet. In medio autē amphoræ sedebat: mulier hæc est impietas. Massa autē plumbi in os eius mittitur, quia impietas auaritię peccati sui pondere grauatur. Eidem amphoræ ædificatur domus in terra Sennaar. Quodlibet enim malū per auaritiā gignitur. Vnde dignū est, vt domus auaritiæ in fœtore cōstruatur. Sennaar enim fœtor interpretatur. Qui enim malè ascēdunt, per aues immūdas, quæ in lege reprobātur, designātur, & specialiter mali cōtemplatiui & hęretici, qui nimia inquisitione arcanorū Dei, in foueā hæresis prolabūtur. Sicut autē mali malè ascēdunt, ita boni benè ascēdunt. Aliquādo per desideriū æternorū, iuxta illud: Ad te leuaui animā meā Deus meus. Aliquādo per bonā operationē, iuxta illud: Leuemus corda nostra cū manibus ad Deū. Ascēdunt per cognitionē. Vnde in Ezech. dicitur: Cùm eleuarentur animalia, eleuabātur pariter, & rotæ. Ascendūt per prædicationē, & per sanctæ cōuersationis eminentiā, sicut scriptū est: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Ascendunt per cōtemplationem. Vnde Apost. ait: Siue excedamus Deo, siue sobrij simus vobis. Ipse enim erat velut aquila, quę dum in altum eleuatur acumine oculorū pisces rapit, atq; ad littus trahit. Et idcirco ait: Siue sobrij sumus vobis cōdescendendo, scilicet, per cōpassionem. Ascendunt etiā sancti leuādo se supra se per contentiam. Dum enim in carne præter carnem viuunt, ad statum Angelorū accedunt. Prędictis igitur modis debemus post Christū ascendere, & nō tanquā reptilia terrenis adhęrere. De quibus Salomon ait: Oculi stultorum in finibus terræ. Quia hoc solùm tota cordis intentione conspiciunt, per quod ad finē terreni desiderij deducantur. Reprobi enim de peccato in peccatum ruentes ad vallem obstinationis cum magno impetu descendunt. Habent enim pondus peccatorū, quasi collo appensum. Diabolus autē retrò impellit. Vallis autē adiuuat ad descēsum.

*De impedimentis ascendendi, & qualiter ascēdere debeamus.*

*Qui vult ascendere & exaltari, oportet ipsum prius descendere, et humiliari, & de multiplici descensu. Matth. 23. Prouer. 29. 1. Petri 2. 2. Cor. 11. Matth. 18. Galat. 6. 1. Reg. 2. Contra superbos.*

*Iob 41.*

*Luce 10.*

*Apoc. 13.*

*Iob 39. Ezech. 17. Quod diabolus aliquando dicitur aquila & de ascensu malorum. Prouer. 30. Zach. 5. Iob 39.*

*De ascensu bonorum multiplici. Thren. 3. Ezech 1. Isa. 40. 2. Cor. 5.*

*De descensu malorum. Prouerb. 27.*

Nos igitur fratres, ad superiora semper cum cautela nitamur. In hoc enim caliginoso aëre habitant aëriæ potestates, & animabus in cœlũ transire volẽtibus, modis quibus possunt transitum negant per regionẽ suam. Nos autẽ Capitaneo nostro, qui iam transiit, manũ porrigamus. Ipse enim qui iam pontẽ transiit, nõ vult sequentibus se pontẽ destruere, sed magis vt transeant adiuuare. Et quoniã homo à laborioſa peregrinatione reuersus, postq̃ in domo sua in pace quiescit, facilè miseretur peregrinorũ: rogemus ipsum qui in hoc exilio nostro plurimũ laborauit, quatenus miseriis nostris cõpatiatur, & ab hac præsenti miseria ad regna cęlestia perducere nos dignetur Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat per omnia sęcula sęculorum, Amen.

*Conclusio, vbi admonemur, vt Christũ sequendo ascendere nitamur.*

## DOMINICA POST ASCENSIONEM,
### THEMA DE INTROITV MISSAE sumptum ex Psalmo.

*Psalm. 26.*

*Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te: tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum: vultum tuum, Domine, requiram: ne auertas faciem tuam à me.*

*Exod. 19. Quod ad aduentum spiritus sancti sanctificari & præparari debemus. Eccles. 9.*

ILIIS Israël legem à Domino susceпturis, præceptum est vt se præpararent & sanctificarent, & sic idonei redderentur. Vade ad populum, ait Dominus Moysi, & sanctifica eos hodie & cras, lauentq̃ vestimenta sua, & sint parati ad diem tertium. Sanctifica populum, id est, præcipe vt sanctificentur, abluendo vestimenta cordium ab omni sorde peccatorum, iuxta illud Salomonis: Omni tempore vestimenta tua sint candida. Hodie autẽ & cras mundari debemus, id est, in præsenti & futuro tempore. Vel in statu pœnitẽtiæ & statu iustitiæ, vt in diẽ tertiũ gloriæ parati reperiamur, habẽtes vestem nuptialẽ, ne cum rubore & confusione ab æterni Regis cõuiuio eiiciamur, sicut ille cui sponsus ait: Amice, quomodo huc intrasti, nõ habens vestẽ nuptialem? Si igitur legẽ Mosaicã

*Matth. 22.*

recepturi, sanctificari & mundari iubentur, quãto magis legẽ gratiæ susceпturi, quæ digito Dei, id est, spiritu sancto, nõ in lapideis tabulis, sed in corde puro scribitur, sanctificari debẽt, & tanti

*2. Cor. 3.*

hospiti idoneũ prępparare hospitiũ? vt possint dicere cũ Propheta: Paratũ cor meũ Deus, paratũ cor meũ Deus, paratũ cor meũ. Parare enim debemus vasa, vt verus Eliseus oleũ infundat. Sicut scriptũ est: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Os enim cordis per desideriũ maximè his diebus aperire debemus, vt spiritualiũ donorũ magis capaces efficiamur, & pessulũ ostij aperiamus

*Cant. 5. Quare præceptum est Apostolis, vt sederẽt in ciuitate. Lucæ 24.*

dilecto. Propterea præceptũ est Apostolis quatenus sederent in ciuitate, orationibus, scilicet, vacando, & corda sua præparãdo, quousq; induerẽtur virtute ex alto. Vinũ enim nouum in vtres veteres infundi nõ debuit, ne rumperẽtur, sed innouari debuerunt, vt tanto munere idonei reperirẽtur. Inuenit enim ignis diuinus corda discipulorũ receptacula mũda, & tribuit eis charismatũ dona. Inuenit corda cœlesti desiderio sursum aperta, vt copiosam benedictionẽ de sursum acciperẽt, & de rore cœli cõpluerentur. Ad hoc enim ipsis vidẽtibus sursum ascenderat, vt eorũ desideria secũ traheret, & ita ore cordis dilatato vasa discipulorũ cœlesti nectare adimpleret. A

*Quod Apostoli se præpauerunt vt idonei essent recipere spiritum sanctum. Lucæ 24. Act. 1.*

die igitur ascẽsionis vsq; ad diẽ Pentecostes, erãt in oratione perseuerãtes, prępparãtes se, & patris promissionẽ cum magno desiderio expectãtes. Teste enim Luca, regressi sunt in Hierusalẽ cum gaudio magno, & erãt semper in templo laudãtes & benedicẽtes Deũ. Et in actibus Apost. alt: Quod regressi sunt in Hierusalẽ à mõte, qui vocatur Oliueti, & erãt omnes perseuerãtes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus eius. Hos igitur dies orationis & præparationis hoc tempore repræsentat Ecclesia, vt nos exẽplo Apostolorũ, sedeamus in ciuitate Ecclesiæ per pœnitentiã & humilitatẽ, orationibus & bonis operibus ad aduentũ spiritus sancti corda nostra prępparãdo. Vnde & ab oratione incipit officiũ pręsentis Dominicę, vbi in persona Apostolorũ, & etiã totius Ecclesiæ dicitur: Exaudi Domine, vocẽ meã, qua clamaui ad te. Et in Epist. dicitur: Estote prudẽtes, & vigilate in orationibus. Licèt igitur corda discipulorũ iam purgata essent & receptacula munda, adhuc tamẽ erãt infirma. Vnde de ipsis secundũ

*1. Petri 4.*

statũ illũ in Cant. dicitur: Soror nostra paruula est, & vbera nõ habet. Paruulus fuit Petrus, dũ

*Cant. 8. Matth. 26. Lucæ 24. 1. Cor. 3.*

ad vocẽ ancillę expauit. Vbera nõ habebat, quia adhuc simplices & idiotæ erãt. Nondum enim erãt adulti nec induti virtute ex alto, nec fortes prædicatores habebãt, qui infirmis lac doctrinæ prębere possent. Quales autẽ in proximo futuri essent, subiungitur in Cant. vbi dicitur in persona Patrum antiquorũ & Prophetarũ. Quid faciemus sorori nostræ in die quãdo alloquẽda est?

*Cant. 8.*

id est, in die Pentecostes, quando danda est ei linguarum scientia? Et statim subditur: Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea. Si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis. Murus fuit Ecclesia primitiua in die Pentecostes, per fortitudinem & constantiam. Murus, scilicet, ex viuis lapidibus cum cæmento charitatis constructus. Vnde & super

*Quod Ecclesia primitiua fuit ostium & murus.*

murum istum ædificauit propugnacula argentea, id est, inuincibiles sententias, diuino eloquio splendentes, quibus Ecclesiã Dei possent defendere. Ostium autem fuit alios ad Christũ introducẽdo, claudẽdo, & aperiẽdo, id est, ligãdo & soluẽdo. Compactum autẽ & cõmunitum fuit ostiũ istud tabulis cedrinis, id est, sanctorũ Patrũ exẽplis. Vel tabulis cedrinis, quibus decor multus, & odor bonus, id est, charismatũ donis. Fuit igitur murus, vt quos retineret, non perderet. Fuit ostiũ, vt quos oporteret, reciperet. Vnde & ipsa de se ait: Ego murus, & vbera mea sicut turres, ex quo facta sum corã eo, quasi pacẽ reperiẽs. Murus fuit glutino charitatis cõpactus, &

calce,

calce,id est,virtutũ dealbatus candore. Vbera autẽ eius,prædicatores,sicut turres fuerũt,doctrina & exemplis aliis præeminẽdo,& minoribus refugiũ atq; protectionẽ præbẽdo. Et maximè in die Pentecostes consecuta est hanc gratiã: Ex quo facta est corã Domino pacẽ reperiens,vt tantã pectoris pacẽ haberet,quod inimicos nõ formidaret,nec aliqua persecutione turbaretur, sed magis in tribulatione gauderet. Dum igitur adhuc paruuli erant discipuli,& vbera nõ habe rent,sedentes in ciuitate quoadusq; induerẽtur virtute ex alto,vnanimiter in oratione perseue rabant. In quorũ persona intelligi possunt hæc prædicta verba,scilicet,Exaudi Domine vocem meã,interiorẽ,scilicet,qua clamaui ad te,intẽso,scilicet,cordis desiderio,& forti intẽtione. Hęc enim per clamorẽ designãtur. Quid autẽ de intimo cordis clamore intelligat,ostendit Prophe ta cùm ait: Tibi dixit cor meum,id est,cordis mei desideriũ tibi supplicat & cõfabulatur. Loquimur enim cum Deo,non solùm ore,sed corde atq; opere. Vnde Apost. ait: Nemo potest dicere Dominus Iesus,nisi in spiritu sancto,id est,corde,ore,& opere cõfiteri. Alioquin multi solo ore dicunt: Dominus Iesus,non tamen in spiritu sancto,quia nõ omnis qui dicit mihi: Domine,Domine,intrabit in regnũ cœlorũ. Confabulamur igitur cũ Deo corde,sicut scriptũ est: Quæ dicitis in cordibus vestris & in cubilibus vestris,cõpungimini,id est,de his quæ tractatis in corde vestro,& de malis cogitationibus,quę voluitis in cubilibus,id est,de carnalibus cogitationibus,quas intus in anima habetis,per pœnitentiã cõpungimini. Loquimur etiã Deo ore, sicut scriptũ est: Si dicebã motus est pes meus,misericordia tua Domine,adiuuabat me. Loquimur opere: Vnde Dominus in Euãg. ait: Quid est facilius dicere: Remittũtur tibi peccata tua,an dicere: Tolle grabatũ tuũ,& ambula? Opere enim tollere grabatũ dixit, dum ipse facto illud ostẽdit. Et Paulus ait: Confitentur se nosse Deũ,factis autẽ negãt. Qui autẽ solo ore Deo loquitur,& nõ corde vel opere,hic profectò dicere nõ potest: Tibi dixit cor meũ,exquisiuit te facies mea. Qui enim ore tantũ,& nõ facie quęrit Deum,id est,præsentia sua,ille Deo non adhæret,sed ab ipso elongatur. Ratio enim & intellectus,atq; liberũ arbitriũ dicuntur facies animæ interior,quibus quærimus Deũ meditãdo,cõtemplando,& bonis assentiẽdo. De qua facie Propheta ait: Emitte spiritũ tuũ,& creabuntur,& renouabis faciẽ terræ. Quando enim Dominus inspirat in faciẽ nostrã spiraculũ vitæ,tunc renouabitur in nobis per spiritũ sanctũ facies terræ, id est,liberũ arbitriũ,vt viroré recipiat,& bono consentiendo fructũ faciat. Renouatur enim facies terræ,id est,cõscientia mentis humanæ. Renouãtur etiã in nobis ratio & intellectus. Per has enim virtutes quæ dicũtur dona spiritus sancti,naturalia bona reformãtur in nobis atq; iuuantur. Verbi gratia: Intellectus naturalis peccato obtenebratus,per virtutẽ illã & gratiã,quę dicitur spiritus intelligẽtiæ reformatur & iuuatur,& ad cœlestia intelligẽda sursum eleuatur. Similiter per donũ illud,quod dicitur spiritus sapiẽtię,illuminatur ratio,& iuuatur,& erigitur,ad contemplationẽ & dilectionẽ veritatis æternæ. Propterea Apost. ait: Nos omnes reuelata facie gloriã Domini speculãtes,in eandẽ imaginẽ transformamur à claritate in claritatẽ,tanq̃ à Domini spiritu. Reuelata facie,id est,amoto velamine & expedita ratione. Speculãtes,id est,per rationis speculũ intuẽtes gloriã Domini, Deũ,scilicet,glorioſum. In eandẽ imaginẽ transformamur,id est,in imaginẽ Dei,vt illa in nobis reparetur. De forma enim in formã mutãtur,de forma,scilicet,obscura in lucidã,de forma deformi in formosam tendẽtes,scilicet,de virtute in virtutẽ,à claritate in claritatẽ: à claritate creationis,in claritatẽ iustificationis: à claritate spei & fidei in claritatẽ speciei. Cùm autẽ perfectè fuerit imago reformata in nobis,& facies terrę renouata, tunc plenè Deo assimilabimur. Vnde Ioan. ait: Scimus,quia cũ apparuerit,similes ei erimus. Hęc autẽ trãsmutatio,& faciei terræ renouatio,à spiritu Domini nobis datur. Et hoc est quod petit Propheta,cùm ait: Emitte spiritũ tuũ,& creabũtur. Liberũ autẽ arbitriũ quod per peccatũ defor matũ est,& si velle illi adiaceat,perficere tamẽ nõ inuenit,nisi spiritu sancto adiuuetur: quia nõ est volẽtis efficaciter velle sine ipso. Renouat igitur Dominus per spiritũ sanctũ faciẽ terrę,ima ginẽ,scilicet,naturalẽ,quæ deformata erat in Adã. Emittit spiritũ suũ,& creantur creatione gratiæ in bonis operibus & nouitate vitæ. Vnde & idẽ Propheta iterũ orat,dicẽs: Cor mundũ crea in me Deus,& spiritũ rectũ innoua in visceribus meis,id est,cordis munditiã crea in me,& spiritũ meũ innoua,faciẽdo ipsum rectũ,qui tortuosus fuit,& ad terrena incuruatus. Spiritus autẽ mundi curuus est,spiritus Dei rectus,& rectificãs spiritũ hominis,vt fiat homo quasi vitulus nouellus cornua producẽs & vngulas. Nouellus per spiritũ sanctũ innouatus,producens cornua duorum testamentorum,quibus se defendat,& vngulas quibus terrena conculcare valeat. Hoc igitur modo facies hominis innouata Deum exquirit,& nihil extra ipsum quærit, sicut scriptum est: Vnam petij à Domino,hanc requiram. Et hoc est quod Propheta ait: Exquisiuit te facies mea. Et rursum ait: Faciem tuam Domine requiram. Vel sicut in alia translatione habetur: Quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram. Quasi dicat: Quæsiui vultũ præsentiæ tuæ,vt illum valeam contemplari, & in illo delectari, & in hac inquisitione perseuerabo donec illum inueniam, & te facie ad faciem videam. Et hoc est quod ait: Quæsiui vultũ tuum,vultum tuum Domine requirã. Quæsiui & adhuc quæram faciem tuam. Vnde & Psalmus ait: Quærite faciem eius semper. Faciem siquidem diuinitatis eius semper quærere debemus,vt illam aliquando inuenire valeamus & videre. In hac enim vita perfectè videri nõ potest. Propter quod Dominus ait: Nõ videbit me homo & viuet,id est,in hac præsenti vita. Cùm enim diceret ei Moyses: Ostende mihi faciẽ tuã. Dominus ait illi,quod po-

*Rom.12. Luc.24. Act.1.*

*Expositio thematis.*

*Quod triplicitèr loquimur cum Deo.*

*Matth.7.*

*Matth.9. Ioan.5.*

*Titum 1.*

*De multiplici facie animæ, & eius renouatione.*

*Gen.1.*

*1.Ioan.3.*

*Rom.7.*

*Quod Dei faciem semper quærere debemus, & de multiplici facie Domini.*

*Exod.33*

steriora eius videret, id est, ipsius humanitatē, sed diuinitatis faciē videre in hac vita non posset. 1. Cor. 13. Videmus tamē illā oculo fidei, quasi in speculo & in ænigmate, more viatoris, nō more cōprehensoris. Vnde & Iacob ait: Vidi Dominū facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Facies Gen. 32. enim Domini siue vultus, dicitur filius, per quem pater agnoscitur. Hanc faciē semper quærere debemus, meditando, orādo, benè operando, vt tandem ipsam plenè inuenire mereamur. Vnde Isa. 22. Propheta ait: Si quæritis, quærite. Si quæritis ore, quęrite opere. Si quęritis in aduersitate, quærite in prosperitate. Facies etiā Domini dicitur gratia eius. De qua in hodiernæ Dominicæ officio Psalmus ait: Ne auertas faciem tuam à me, id est, spiritus sancti gratiā, quasi dicat: Illustra faciem tuā super seruū tuū, illuminando me per gratiā. Auertente enim te faciē, turbabuntur omnes quibus subtrahis gratiā tuam, iuxta illud: Auertisti faciem tuā à me, & factus sum cōturbatus. Hoc est igitur quod ait Propheta: Ne auertas faciem tuā à me. Et subiungit: Non declines in ira à seruo tuo. Dominus enim quandoq; declinat in misericordia, quādoq; in ira. In misericordia declinat, quādo auertit faciē suā à peccatis nostris, ne videat illa ad vltionē, sed magis tegat illa seu deleat per misericordiā. Secundo modo declinat & nō in ira, quando aliquē cadere permittit, vt humilietur, & fortior atq; cautior resurgat. Secundū hoc ait Propheta: Nō declines in ira à seruo tuo, id est, nō me sic cadere permittas, quod resurgere nō facias. Tertiò modo declinat Dominus in misericordia, quādo abscōditur, vt ardētius quęratur. Vnde sponsa ait: Quęsiui, Cant. 5. & nō inueni eū. Quęritur per contemplationē, & lōgiùs recedit, quia accedet homo ad cor altū, Iob 13. & exaltabitur Deus. Propterea B. Iob ait: Cur faciē tuā abscōdis? In ira autē Dominus declinat, quādo gratiā suā subtrahit, & peccatorē relinquit, iuxta illud: Dimisi eos secundū desideria cordis eorū. Vnde Dauid ait: Ne proiicias me à facie tua: à facie, scilicet, gratię tuę, vnde lumē & sanitas venit. Et spiritū sanctū tuū, id est, gratiā spiritus sancti, ne auferas à me. Ne proiicias me à facie tua, id est, ne auertas faciē tuā à me, & facies nostrę nō cōfundentur. Auertēte enim Domino faciē gratię, cōfundetur facies hominis, id est, mēs vel cōscientia ipsius, iuxta illud: Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereāt peccatores à facie Dei, proiecti, scilicet, à facie gratiæ diuinæ. Cera si- De liquefactione cerę. quidē ad ignē priùs mollescit, secūdò liquescit, tertiò euanescit. Ita diabolus primò ignē tētationis accēdit, & incipit anima mollescere & delectari. Secundò liquescit, quādo peccato cōsentit. Tertiò magis accēditur & euanescit, dū peccatū opere perficitur. Primò igitur distemperatur, secūdò infirmatur, tertiò moritur. Quibus autē Dominus faciē gratię vel misericordię abscōdit, De facie iræ, & facie misericordiæ. faciē iræ ostēdit, sicut scriptū est: Vultus autē Domini, id est, vultuositas & indignatio super faciem mali. Ab hac facie non potest peccator se abscondere. Vnde Psalmus ait: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Et iterum ait: Non est sanitas in carne mea à facie iręe tuæ. De facie autem clementiæ dicit idem Prophera: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Hæc est facies hominis, id est, benignitatis ipsius, quā cōsiderare debemus, vt in ipso cōfidamus. Expedit autē intueri, nō solū faciē hominis, sed insuper faciē leonis, vt timeamus & faciē viruli, vt De quadrupli ci facie Christi. ipsum pro nobis immolatū imitemur. Et insuper faciē aquilæ, vt ipsum in cœlum ascendētem, sequi studeamus. Dicit igitur Propheta in persona discipulorū & quorūlibet fideliū post ascensionem, expectantiū spiritus sancti aduentū: Ne auertas faciē tuā à me, quasi dicat: Et si auertis faciē corporalis præsentię ascendēdo in cœlū, & recedēdo à nobis, ne auertas faciē gratię tuę, sed De desiderio expectantium spiritum sanctum, & gratiam eius inuocantium. Cant. 4. spiritū sanctū nobis mitte. Hoc autē desideriū discipulorū & vniuersalis Ecclesiæ Christi, expectantiū spiritū sanctū, ostenditur in Cant. vbi dicitur: Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortū meū, & fluent aromata illius. Vt enim Christus desideriū Ecclesię suę adimplear, pręcipit Aquiloni, id est, diabolo, vt surgat & recedat, & spiritui sancto cedat, vt veniente Austro, id est, spiritus sancti gratia, fluant aromata virtutū & bonorum operum suauiter redolentiū. Dicit igitur: Surge Aquilo, id est, discede Satan, vel surge, id est, impugna. Et est vox permittentis, vt magis per tribulationes purgetur Ecclesia. Impugnāte autem diabolo, venit Auster, id est, spiritus sanctus in maiori abundātia mittitur. Sicut enim ignis vento solet crescere, & fluuius tempestatibus augmētari, ita charitas in tribulatione dilatatur, & patiētia sanctorū augetur. Per Austrum igitur, qui ventus est calidus & lenis, spiritus sanctus intelligitur, quasi diceret: Veni creator spiritus, mentes tuorū visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Veni, vt fluāt aromata, vt impleta gaudeāt viscera afflata sancto spiritu, & redoleant vnguenta igne sancti spiritus feruentia. Vel per Aquilonē & Austrum, duas acies intelligere possumus, quas producit mundus, dum aduersatur vt frangat, blanditur vt fallat. Per hæc autem Ecclesia probari permittitur, vt fluant aromata patientiæ, dum nec aduersis frangitur, nec prosperis eleuatur. Aromata autē dici Quod dona spiritus sancti aromata dicūtur & vnctiones. Cant. 1. 1. Ioan. 2. possunt spiritus sancti dona, quæ pinguedine charitatis animam vngunt. Vnde in Canticis dicitur: Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Vbera enim Euangelicæ doctrinæ meliora sunt vino, id est, legis austeritate. Fragrant autem vnguentis optimis, id est, spiritus sancti donis. Hæc est vnctio illa, de qua Ioannes ait: Vnctio docet vos de omnibus. Spiritus enim sanctus animam illuminat, & docet de omnibus quę necessaria sunt ad salutem. Vel Ioan. 1. Quare spiritus sanctus dicatur vnguentum. Simile. de omnibus dicitur, quia nulla sine ipso docētur. Sicut dicitur, quod Christus erat lux vera, quę illuminat omnē hominē venientem in mundū hunc, id est, nullus illuminabitur, nisi per ipsum. Vnde idem Ioan. ait: Vnctionem habetis à spiritu, & nostis omnia, id est, omnia saluti vestræ necessaria. Vel omnia nostis, quia nulla nisi per ipsum nouistis. Quæcunq; enim nostis, ab ipso cognoscitis. Vnguenti autem nomine, spiritus sanctus designatur. Sicut enim vnguentum ex diuersis

diuersis conficiuntur peciebus, ita spiritus sanctus vngit animas diuersis charismatibus. Hoc vnguentum tumores superbiæ sedat, liuorem inuidiæ lenit, & ardorem iræ temperat, fracturas tristitiæ & acediæ consolidat, vulnera cupiditatis sanat, & auaritiæ duritiam emollit, gulositatis & luxuriæ carnes corrodit, & noxios humores deficcat. Curramus igitur post vnguentorum istorum odorē, non reptemus circa terrā. Post hæc autem vnguenta incedit, qui necessariis contentus, vltima sui parte terram tangit. Currit, qui quādoq; plura ex necessariis corporis ex desiderio transilit, volat, qui mente Deo excedit. Perflante igitur Austro in die Pentecostes, fluxerunt aromata in horto Domini, id est, in Apostolis, qui quādiu latuerunt in conclaui, sedentes in ciuitate, fuerunt quasi hortus conclusus. Adueniente autem spiritu sancto, apertus est hortus, & de fructibus eius satiatus est vniuersus mundus. De odore autem fructus eius ait Apostolus: Christi bonus odor sumus in omni loco. Expectabant igitur Apostoli in cōclaui, donec fructus ad maturitatem peruenirent, orantes & supplicantes, vt flante Austro, fluerent aromata, quæ adhuc timore Iudæorum, quasi in pyxide cordium suorum erant conclusa. Iam enim apertuerat eis Dominus sensum vt intelligerent scripturas, sed nondum confirmati erant, vt publicè prædicare auderent. Et ita aromata prædicationis diuinæ nondum fluebant. Sedebant in ciuitate, vt in eis spiritus sanctus resideret. Ipse enim sedere dicitur in sedentibus, & quiescere in humilibus & quietis, sicut scriptum est: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? Et in actibus Apost. Lucas ait: Sedit super singulos eorum spiritus sanctus. Sedit super sedentes, quia quieuit super quiescentes. Perfectè autē in Christo requieuit, qui nunquā ipsum à se expulit. Propterea de ipso Isaias ait: In die illa apprehendent septem mulieres virū vnum, id est, septem dona spiritus sancti Christum. Teste enim Isaia: Requieuit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini. Christū autem apprehenderunt, id est, firmiter illi adhæserūt. Vnde Dominus in Euang. Ioanni ait: Super quem videris spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat. In nullo autem alio plenè, id est, sine aliqua perturbatione, saltem venialium quieuerunt. Vnde in persona illorum septem donorū, quę per mulieres designātur, quia dulcia sunt & suauia. Dicit Isaias: Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur: tantū inuocetur nomē tuū super nos, aufer opprobriū nostrum. Panem autē suum comedunt, id est, comedere panē spiritualē faciunt, sicut spiritus dicitur orare inenarrabilibus gemitibus, quia gemendo facit orare. Similiter vestimētis virtutū septē dona operiri dicuntur, dū nos per illa operimur. Vel vestimētis operiuntur, id est, Dei sermone, dona spiritus sancti exornātur, cōmendantur & exaltantur. Tantū inuocetur nomen tuū super nos, vt à te dicantur Christiani, qui nostro cōsortio cupiūt perfrui. Aufer opprobrium nostrū, ne amplius fœtore vitiorū expulsi à cordibus hominū sæpè cogamur mutare hospitiū. Qui enim spiritū sanctū à se eiicit, nō solū verecundiā vel opprobriū infert illi, sed teste Apostolo, spiritui gratiæ contumeliā facit. Vnde Apost. ad Ephes. ait: Nolite cōtristare spiritum Dei, in quo signati estis, id est, à malis discreti & diuisi, vel imagine eius in nobis impressa insigniti. Spiritū autem sanctū, quantū in se est, cōtristat, & ei contumeliā facit, qui de hospitio suo illum expellit, vel qui ad ipsum recipiendū, maximè in die Pentecostes, se idoneū nō reddit. Seamus igitur fratres, in ciuitate exemplo Apostolorū. Sedeamus per humilitatē, sedeamus & quieti simus per pacificā & tranquillā conscientiā. Expectemus in alto cœnaculo, id est, cū cœlesti desiderio, sursum corda habēdo ad Dominū promissum spiritū sanctū. Clamemus ad Dominum tota cordis intentione & desiderij, atq; internę deuotionis intētione cum Apostolo dicentes: Exaudi Domine, vocē meā, qua clamaui ad te. Clamemus insuper per bonā operationē. His enim tribus modis clamauerunt iusti ad Dominū, & Dominus exaudiuit eos. Clamauit Moyses ad Dominū, & diuisum est mare rubrū. Clamauerunt filij Israël cùm tribularentur ad Dominū: & ipse misit eis saluatores, & dedit illis Iudices. Clamauerūt socij Gedeonis: Gladius Domini & Gedeonis, & turbata sunt castra Madian. Clamauit ad Dominū Samson sitiens, & aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, ex quo hausta aqua, refocillauit spiritum. Clamauit Eliseus post Eliā cùm tolleretur in cœlū, & factus est spiritus Eliæ duplex super Eliseū. Clamauit Daniēl de lacu, & clausa sunt ora leonū. Clamauerunt tres socij eius de fornace, & fecit Dominus mediū fornacis tanquā ventū roris flantē. Clamauit Ionas de ventre ceti, & euomitus est in atidā. Clamauit Susanna ad Dominū, & liberata est ab iniquo iudicio impiorū. Clamauit Christus: Lazare, veni foras, & suscitatus est quatriduanus à monumento. Clamauit Iarro de cruce, & audire meruit: Hodie mecū eris in Paradiso. Clamemus & nos ad Dominum, quatenus super nos mittere dignetur spiritum sanctū, vt mentes nostras Paracletus, qui ab ipso procedit, illuminet & inducat in omnem, sicut filius eius promisit, veritatem, Dominus noster Iesus Christus qui viuit & regnat.

*Quod currendum post vnguentorum odorem.* 2. Cor. 5. Lucæ 23. Cant. 4. 2. Cor. 2. Lucæ 24.

*De sessione Apostolorū, & residentia spiritus sancti.* Isa. 66. Act. 2. Isa. 4. Item 11. *De septē mulieribus Christum apprehendentibus.* Ioan. 1.

Isa. 4.

*Contra illos, qui moraliter peccando, spiritui gratiæ contumeliam faciunt.* Ephes. 4. *Conclusio cū morali recapitulatione.*

*De multiplici clamore iustorum.* Exod. 14. Iudic. 2. Iudic. 7. Iudic. 15. 4. Reg. 2. Dan. 6. Dan. 3. Ionæ 2. Dan. 13. Ioan. 11. Lucæ 24. Ioan. 19.

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM de Epistola Petri Canonica.

*Estote prudentes, & vigilate in orationibus: ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* 1. Petri 4.

*Qualiter spiritui sancto præparandũ sit hospitium.*
*Matth.9.*
*Marc.2.*
*Lucæ 5.*
*1.Thess.4.*
*Sapien.1.*

IN Dominica proxima aduentum spiritus sancti expectamus, magnum hospitem recepturi sumus. Vnde cum omni diligentia diebus istis hospitium illi præparare debemus. Ipse enim spiritus est, & mentes spirituales nõ carnales inhabitat. Vinum enim nouum in vtres veteres nõ mittitur. Sanctus est, & domum eius decet sanctitudo. Hæc est enim voluntas eius sanctificatio nostra, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore, vt templum pudici pectoris spiritui sancto consecretur in veritate. In maleuolam, siquidem animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ, id est, dator disciplinæ, effugiet fictum, qui non ambulat in veritate, qui loquitur in corde & corde, quia spiritus est veritatis, & aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, id est, quæ vanæ sunt. Sine intellectu siquidem sunt illi, qui non intus in libro conscientiæ legunt, & qui inter omnia quod melius est, id est, Deum non eligunt. Vnde in libro Sapien. post prædicta verba subiungitur. Et corripietur à superueniẽte iniquitate. Qui enim fictus est, cum venerit dies retributionis peccatorũ, corripietur ab iniquitate superueniente, id est, rapietur & cõfundetur pro iniquitate opprimente. Vt igitur spiritui sancto honestũ & idoneũ hospitium

*De multiplici admonitione ex hodierna epistola.*

præparemus, multipliciter in hodierna Epist. nos instruit B. Petrus. Primò nos admonet, vt prudentes simus, cõtra ignorãtiæ cæcitatẽ & indiscretionis errorẽ. Secũdò, vt vigilemus in orationibus, cõtra negligentiã & torporẽ. Tertiò, vt mutuã habeamus charitatẽ cõtra inuidiã, odiũ, & rancorẽ. Hortatur insuper quod continuã habeamus charitatẽ, vt in bono perseueremus, cõtra lapsum, inconstantiã, & ruinã, & quod in nobismetipsis dilectionẽ habeamus, nõ externis, id est, nõ propter exteriora diligamus per fictã dilectionẽ. Ad hospitalitatẽ etiã nos admonet, ne simus inhumani, & sine affectione per cordis duritiã, vbi ait: Hospitales inuicẽ sine murmuratione. Admonet nos etiã, vt inuicẽ nos iuuemus, ministrãtes proximis cõtra acediã, & talenti cõmissi absconsionẽ, vbi ait: Vnusquisq; sicut accepit gratiã, in alterutrũ illã administrãtes. Exhortatur præterea, vt cauti simus in loquẽdo cõtra vitiosam & inutilẽ locutionẽ, vbi ait: Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Ad vltimũ autẽ admonet, vt omnia ad Dei honorem referamus, & gloriã Dei nõ nostrã quęramus, vbi ait: Si quis ministrat tanq̃ ex virtute quã administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus. His ergo modis præparari debemus, vt spiritũ sanctũ dignè recipere valeamus. Vnde B. Petrus ad prædicta nos inuitãs, ait: Estote prudẽtes. Prudẽtia enim valde necessaria est Christi militibus, quæ custos est & moderatrix omniũ virtutũ. Omne siquidẽ sacrificiũ in cõspectu Dei insipidũ est, nisi hoc sale fuerit conditũ, mediãte enim prudẽtia, diligẽda à nõ diligẽdis, & à noxiis vtilia separamus, vt inter sanctũ & prophanũ habeamus distantiã, & separemus pretiosum à vili, vt æterna transitoriis, virtutes vitiis, exilio patriã, seruituti libertatẽ præferamus. Vnde B. Augustin. ait: Virtus nihil aliud est q̃ diligere id quod diligendũ est. Illud autẽ eligere prudẽtia est. Prudẽtia siquidẽ est appetendarũ & vitandarũ rerũ scientia, siue discretio cũ fuga mali & electione boni. Si enim discernit & nõ eligit, nõ est prudẽtia, quæ virtus appellatur, cuius vna pars cõsistit in cognitione eorũ quę ad fidẽ pertinẽt, & ad cognitionẽ scripturarũ, alia autẽ ad cõpositionem morũ. Nõ solũ autẽ in discretione boni à malo, prudẽtia attenditur, sed nouit discernere inter leprã & leprã, & inter duo mala, quod magis fugiendũ sit, agnoscit, & insuper inter duo eligẽda, quid magis sit eligendũ subtili cõsideratione aduertit. Ad ipsam etiã pertinet circunspectio, qua ita vnũ vitiũ fugimus, quod contrariũ nõ incurrimus. Ita fugimus auaritiã, quod nõ incurrimus prodigalitatẽ. Sic castrimargiã fugimus, quia nimia abstinẽtia nõ deficimus. Propterea Salomõ ait: Omni custodia serua cor tuũ. Dicturus custodia præmisit omni. Ne, scilicet, ita vni vitio ostiũ ex vna parte claudamus, quod ex alia parte aditũ pandamus. Ad prudentiam insuper pertinet ab insidiis diaboli & fallacia, atque seductione mundi huius sibi cum omni cautela attendere, & vitia virtutum speciem prætendentia sedula examinatione cauere. Teste enim Isidoro, vitia virtutũ speciem præ se ferunt. Vnde pernicios ius seductores suos decipiunt. Nam sub prætextu iustitiæ aliquando crudelitas agitur, & remissa segnities, plerunque mansuetudo creditur. Non solùm autem in agendis prudentia bonum à malo secernit, sed insuper in credendis verum à falso subtili indagatione discernit: quoniam non omne quod verisimile est, continuò verum est, sicut quod prima facilè incredibile videtur, non statim falsum est. Crebro siquidem faciem mendacij veritas prætendit, & plerunq; mendacium specie veritatis occultatur. Sicut aliquando tristem frontem amicus, & blandam adulator ostendit. Prudentis igitur est non facilè credere, quia non omni spiritui credendum est, sed probandi sunt spiritus, vtrum ex Deo sint. Vnde Paulus ait: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Nihil igitur de dubiis prudens diffinit, nec præcipitat sententiã, sed suspensam tenet, & causam quam ignorat diligenter inuestigat. Nihil incognitum vel inexpertum affirmat, vt non fallatur. Prudentis enim est examinare consilia & circunstantias negotiorum, & non facilè credulitate ad falsa prolabi. Qui enim facilè credit, sicut in Eccles. dicitur, leuis est corde. Prudẽs igitur facilè falli non poterit, opiniones eius iudicia sunt. Vagas autem & velut somno similes, cogitationes non recipit, sed cogitationes eius certæ sunt & stabiles. Propterea Salomon ait: Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia, melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti. Et iterum in Prouerbiis: Sapientia sanctorum est prudentia. Discretio igitur seu prudentia sanctorum, condimentum est aliarum virtutum. Non solùm autem à malo propter se, sed ab omni specie mali, propter proximos se abstinet. Crudelis enim est, qui famam

*De prudẽtia.*
*Leuit.2.*
*Leuit.10.*
*Ezech.22.*
*Ierem.15.*

*Descriptio prudentiæ.*

*Quod sit officium prudentiæ, & in quibus consistat.*
*Deut.17.*

*1.Ioan.4.*
*Quid sit proprium prudentis multipliciter ostenditur.*
*1.Thess.5.*
*Iob 29.*

*Prouerb.4.*
*Prouerb.9.*

*1.Thes.5.*

famam negligit. Prudentis animus tribus temporibus accommodatur. Futura præuidet, præsentia ordinat & disponit, præterita recordatur. Sancta enim animalia, quæ vidit Ezechiël, plena erant oculis antè & retrò. Habet igitur vir prudens memoriam præteritorũ, intelligentiam præsentium, prouidentiã futurorum. Ex præteritis futura coniicit, ex apertis obscura æstimat, ex paruis magna, ex proximis remota. Omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur. Nihil ei subitum vel improuisum. Ad omnia quæ contingere possint, mentis aciem dirigit, & palpebræ eius præcedunt gressus suos. Ædificaturus turrim computat sumptus, ne dicatur ei: Ecce homo qui cœpit ædificare, & non potuit consummare. Omnia igitur agit cum cõsilio, vt post factum non pœniteat, & cùm initium negotij repererit, exitũ cogitabit. Constans igitur est & stabilis, non vagus aut variabilis, prout rerum aut temporum varietas exigit, ita se accommodat tempori, loco, personæ, & causæ. Ita enim omnibus omnia efficitur, quod non mutatur per inconstantiam, sed variis negotiis aptatur, propter aliorum vtilitatem. Sicut manus quæ eadem est cùm in pugnum constringitur, & cùm in palmam extenditur. Sapiens igitur permanet inuariabilis sicut Sol, stultus autem vt Luna mutatur. Teste enim Salomone: Cor stultorum dissimile erit. In omnibus quæ agit sapientia, à filiis suis iustificatur. Non enim alta sapit, qui prudens est, sed humilibus consentit. Non est sapiens apud semetipsum, sed communi vtilitati prouidet. Non plus sapere quàm oportet sapere, ait Apostolus, sed sapere ad sobrietatem. Moderatè igitur in omnibus agit, non vult esse nimis iustus, sed in omnibus modum tenet, sicut scriptum est: Rationabile obsequiũ vestrum. Hæc igitur prudentia in aduersis reddit securum, in prosperis temperatum. Non est præceps vel turbulenta, non pusillanimis vel remissa, sicut scriptum est: Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Non declinat ad dexteram vel ad sinistram. Cum deliberatione omnia agit, cum consideratione promittit: minus promittit & amplius soluit. Labia sua moderatur, sermones eius statera ponderantur, parcè laudat, parciùs vituperat. Nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, sicut immoderata vituperatio. Illa adulatione, ista malignitate suspecta est. Hæc est igitur sanctorum prudentia, hæc est sapientia quæ vincit malitiam, sapientia, scilicet, Dei, non carnis. De qua Apostolus ait: Sapientia carnis mors est. Et iterum: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Non sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum & inimica est Deo, quæ non nisi terrena & caduca quærere nouit. Neque sapientia diabolica, quæ est astutia decipiendi. De qua dicitur: Sapientes sunt, vt faciant mala. Sed prædicta sapientia seu prudentia in fide & moribus consistit, de qua scriptum est: Os meum loquetur sapientiã, & meditatio cordis mei prudentiã. Sapientiam de fide, & prudentiã de moribus. Et Salomon ait: Cor sapiẽtis in dextera eius, id est, in bonis spiritualibus, cor autem stulti in sinistra illius. Et Dominus de hac prudentia ait: Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam. Fidelis, vt diligat: prudens, vt cognoscat voluntatem domini sui. Et iterum ait: Estote prudentes sicut serpentes. Ne autem de vulpina astutia intelligeremus, subiungit: & simplices sicut columbæ, scilicet, sine hypocrisi & simulatione. Serpens siquidem, vt caput illæsum seruet, totum residuum corporis exponit periculis. Caput autem occultat & protegit, quia in illo vita eius consistit. Ita & nos ne caput nostrum, quod est Christus, amittamus, & vt fidem conseruemus, corpus nostrum mortis periculo exponere debemus. Serpens accedens ad balneum aquæ, venenum dicitur deponere. Et nos, vt ad aquas spirituales, id est, ad fluenta gratiarum pertingere valeamus, omne venenum peccatorum deponamus. Ad aquas etiam baptismi vel lachrymarum non prodest accedere, nisi depositio veneno peccatorum. Adhuc alia est serpentis prudentia, quam nos imitari debemus. Postquam enim senuerit serpens, abstinentia maceratur, & corpus attenuat, vt pellem veterem postquam laxior fuerit, per angustum foramen transeundo, deponat. Et nos per abstinentiam corpus affligendo, per angustam viam, quæ ducit ad vitam, transeuntes, veterem hominem cum actibus suis exuamus, & in nouitate vitæ ambulemus. Dicitur autem quod serpens hominem nudum timeat, vestitum non adeò metuit. Et nos nudi nudum Christum sequamur, abrenuntiãdo cunctis quę possidemus. Eos enim qui omnia pro Christo relinquunt, serpentes, id est, dæmones, valde metuunt. Simus igitur prudentes in bono, sicut serpentes, & absque omni veneno malitiæ nos custodiamus: simus simplices sicut columbæ. Sumamus oleum in vasis nostris, more prudentum virginum. Hæc est vera prudentia, vt pro vita æterna, & non pro laude humana, bona opera faciamus. Fatuus enim est, qui pro vana gloria opera sua vendit, vnde regnum æternum emere potuit. Teste enim Salomone: Stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupiunt. Et iterum ait: Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit? Et Apostolus ait: Ignorans ignorabitur. Quare? Quia noluit intelligere, vt benè ageret. Vnde Dominus per Osee ait: Quia tu scientiam repulisti, repellam te. Proterea igitur in hodierna Epistola Apostolus ait: Estote prudentes. Prudentia siquidem valde necessaria pugnantibus. Militia autem est vita Christiani super terram. Vnde Prophera ait: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ, vt, scilicet, discretè & prudẽter pugnem. Per digitos enim discretio intelligitur. Vt igitur prudẽter pugnare valeamus, discreti & circunspecti esse debemus. Multiplex enim nobis imminet bellũ externũ, scilicet, ciuile, & plusquã ciuile, id est, intestinum. Externũ inter diabolũ & hominem. Ciuile inter hominẽ & hominem, inter fratrẽ & fratrem. Intestinum inter corpus & animam.

*Exech.1.* *1.Cor.2.* *Parab.4.* *Lucæ 14.* *Eccles.32.* *Simile.* *Eccles.27.* *Par.15.* *Rom.12.* *Para.3.* *Eccles.7.* *Para.4.* *Eccles.22.* *Sap.8.* *Rom.8.* *1.Cor.3.* *De sapientia carnis & sapientia mundi, & sapientia diaboli.* *Quod sapẽtia Dei in fide et moribus consistit.* *Matth.24.* *Matth.10.* *De prudentia serpentis.* *Matth.7.* *Lucæ 13.* *Ephes.4.* *Coloss.3.* *Rom.6.* *Lucæ 14.* *Matth.25.* *Prouerb.1.* *Prouer.17.* *1.Cor.13.* *Osee 4.* *Quod virtus prudẽtiæ valde necessaria est pugnantibus, & de multiplici pugna.*

*De multiplici exemplo pugnandi sapienter & prudenter.*

Pugil autem in arena, luctator in palestra, cursor in stadio, natator in naufragio, nauta in naui gando, pugnandi exemplum prudenter nobis præstant. Pugil siquidem siue gladiator in arena cùm de vita contendat, nihil circa se relinquit, quod eius certamẽ impedire valeat. Similiter qui luctatur in palestra, reiectis vestimẽtis, vt vnde teneatur nõ habeat, nudus atq; oleo vnctus, vt habilior & labilior sit, pugnã aggreditur. Similiter qui currit in stadio, ab omnibus se abstinet, quæ sibi possent esse impedimento, nec aliquibus oneratur, quibus cursus eius retardetur. Pari modo in naufragis, nemo cum sarcinulis enatat, sed omnia abiicit, vt nudus euadat. Nauta etiã cùm nauẽ in tempestate nimis oneratã attẽdit, nõ solũ vilia, sed plerunq; pretiosa, ne nauis submergatur, abiicit. Vnde B. Iob ait: Semper enim quasi tumẽtes fluctus super me, timui Deum. Hæc est prudẽtia sanctorũ, abiicere omnia transitoria pro Christo, & tanquã stercora reputare. Abrenũtiare omnibus quę possidẽt, vt expediti sequãtur Christũ. Hęc autẽ sapiẽtia nõ inuenitur in terra suauiter viuentiũ, sed à Domino Deo est. Sine illo enim prudẽtes esse nõ valemus. Propterea B. Iacobus ait: Si quis vestrũ indiget sapiẽtia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Et Petrus in hodierna Epist. postquã dixit: Estote prudẽtes: subiungit: & vigilate in orationibus. Prudentiã enim à Deo postulare debemus, & nõ cõfidere in sensu nostro. In orationibus autẽ dormiunt, qui in peccatis mortalibus Deum exorãt. Somno autẽ peccati mortalis oculos clausos habẽt, nec eos ad lucẽ supernę claritatis aperiũt. Hi igitur in orationibus dormiunt, qui in ore habent Deũ, & in corde diabolũ. In oratione autẽ dormitat, qui licèt peccato mortali reat, negligenter tamẽ orat. In orationibus non vigilant, qui in charitate cum omni diligentia Deum deuotè exorẽt. Abigentes cum Abrahã à sacrificio suo aues importunas, & muscas mordentes, ne perdant suauitatẽ vnguenti. Et si enim turba increpat nos vt taceamus, tantò fortius ad Dominũ clamare debemus. In oratione enim vigilamus, dum intenso desiderio ad Dominum clamamus, & eum in cordibus nostris dormire nõ sinimus. Quãtò autẽ grauiori tumultu carnalium cogitationũ premimur, tantò ardentius & vigilãtius orationi insistere debemus. Et hoc est quod Petrus ait: Vigilate in orationibus, id est, nõ torpeatis per negligentiã, nec quantum in vobis est, animus aliquid in oratione cogitet præter id solũ quod precatur. Vt autem impetrare quod postulatis, possitis, charitatem in vobis habeatis. Et hoc est quod Petrus ait: Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes. Quinque dicit de charitate. Primum, quod ante omnia habenda est. Secundum, quod mutuò inter fratres haberi debet. Tertium, quod cõtinuanda est dilectio & non interrumpenda. Quartum, quod interius in nobismetipsis habenda. Quintum, quod charitas operit multitudinẽ peccatorum. Ante omnia autẽ habenda est charitas, quæ omnium virtutũ obtinet principatũ, quæ mater est & origo omnium charismatũ. Quæ si desit, teste Augustin. frustrà habentur cætera: si adsit, rectè habentur omnia. Ipsa enim est ante alias virtutes dignitate, & sine ea non prosunt aliæ, sed deformes sunt & inutiles, nisi informẽtur charitate. Cùm autem aliæ virtutes simpliciter donum Dei dicantur, charitas non solùm Dei donum, sed & Deus dicitur. Deus enim charitas est, & qui mãnet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sicut autem amor mundi, mater est omniũ malorum, ita dilectio Dei & proximi, fons & origo est omniũ bonorum. Vbi autem fuerit charitas, non regnat carnalitas aut cupiditas. Ipsa siquidem omnia vitia ab anima relegat. Mentem enim quam charitas occupat, superbia non inflat, inuidia non stimulat, ira non vastat, tristitia mala non vexat, auaritia non obducat, gula non inquinat, luxuria non inflãmat. Hæc est enim quæ fornacis ignem tribus pueris extinxit, fortis siquidem est, vt mors dilectio. Quia sicut illa sensus corporis extinguit, sic ista carnales concupiscentias & omnia vitia perimit. Charitas autẽ nunquã excidet. Ipsa enim pugnantibus est meritũ, triumphãtibus præmiũ. In via inchoatur, in patria consummatur. Ipsa enim est ignis in Sion, & caminus in Hierusalem. Teste autem Augustin. si per viam charitatis volumus currere, ad æternã patriam possumus feliciter peruenire. Qui autem charitatem non habet, inimicus est Dei, & amicus diaboli. Meritò igitur ante omnia charitatem habere debemus, quia habita, alia habentur. Habenti enim dabitur, & abundabit, quia qui charitatem habet, alia dona percipiet. Mutuam autem charitatem habere debemus, quia non potest haberi dilectio Dei sine dilectione proximi. Vnde Ioan. ait: Qui enim fratrem quem videt, non diligit: Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Neque enim Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Qui enim diligit Deum, non potest contemnere illum, quem Deus præcipit diligi. Qui diligit Regem, non contemnit eius legem. Qui autem diligit proximum, quid in eo diligit nisi DEVM? Quia vna & eadem charitate DEVM & proximum diligimus, vnde vnum sine alio diligere non valemus. Dilectio enim dicitur, quasi duos ligans, Deum, scilicet, & proximum. Licèt autem dilectio Dei prima sit in præcepto & dignitate, dilectio tamen proximi prima est in operatione, quia per dilectionem proximi peruenitur ad dilectionem Dei, id est, per opera dilectionis reddit se idoneum, vt DEVM diligat, & à DEO diligatur. Mutuam igitur charitatem inter nos habeamus, vt quæcunque volumus quod faciant nobis homines, eadem illis faciamus. Bonum est enim & iocundum fratres habitare in vnum. Omne enim animal ad sibi simile coniungitur. Totum enim CHRISTVM non diligit, qui hominem odit. Lata est igitur charitas, quæ non solùm ad amicos, sed vsq; ad inimicos extenditur. Alta est, quæ vsque ad Deum dirigitur. Longa, quæ nunquã excidit. Profunda, quę ab intimo cordis procedit. Non

*De exemplo pugilis.*
*De exemplo luctatoris.*
*De exemplo cursoris.*
*De exemplo nauigantis.*
*Iob 31.*
*Philip. 3.*
*Lucæ 14.*
*Iob 28.*
*Eccles. 1.*
*Iacob. 1.*
*De vigilantibus in oratione, et dormientibus, & dormitantibus.*
*Gen. 15.*
*Eccles. 10.*
*Matth. 20.*
*Marc. 10.*
*Lucæ 18.*
*De charitate, et his quæ charitati conueniunt.*
*De præeminentia charitatis.*
*1. Ioan. 4.*
*Quod charitas septem crimialia expellit.*
*Dan. 3.*
*Cant. 8.*
*1. Cor. 13.*
*Isa. 32.*
*Matth. 25.*
*Lucæ 23.*
*De dilectione proximi.*
*1. Ioan. 4.*
*Matth. 7.*
*Lucæ 6.*
*Eccles. 13.*
*De dimensionibus charitatis.*

Non solùm autem mutuam, sed & continuam debemus habere charitatem, licèt enim ex fragilitate carnis non semper orationi, vel hospitalitati, aut aliis exterioribus operibus valeamus intendere, ipsam charitatem, cuius instinctu hæc foris aguntur, quæ interiori homini præsidet, semper debemus habere, licet illam in publicum non ostendamus. Sicut Sol sub nube latés non ostenditur mundo, nihilominus tamen feruet in cœlo. Continuemus igitur charitatem & non deficiamus. Teste enim Hieronymo, sanctus amor impatientiam non habet, falsus amor citò deprimitur. Et Augustinus ait: Charitas, quæ amitti potuit, nunquam vera fuit. Quod de perfecta charitate intelligitur, quæ facilè non amittitur, sed magis continuatur. Aquæ enim multæ nō potuerunt extinguere huiusmodi charitatē, & flumina nō obruent eā. Non enim qui perfectè diligit, cuius domus fundata est supra petrā, aqua prosperitatis emollitur, vel fluminibus aduersitatis obruitur, neq; mors, neq; vita poterit illum à charitate Christi separare. Cōtinuam igitur habeamus charitatem non fictam, neque per exteriora commoda, sed in nobismetipsis, vt non ad oculum, scilicet, exterius, neque verbo seu lingua, sed in veritate interius corde diligamus. Exterior autem dilectio, id est, amor fortunę cum prosperitate accedit, & cum aduersitate recedit. *Cùm fueris felix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

*De continuatione charitatis.*

*Simile.*

*Hieronymus.*

*Augustinus.*

*Can. 8.*

*Matth. 7.*

*Luc. 6.*

*Rom. 8.*

*De vera charitate & de ficta.*

De his amicis in Ecclesiastico dicitur: Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in tempore tribulationis. Et iterum ait: Est amicus socius mensæ & non permanet in die necessitatis. Econtra autem vera dilectio non quærit quæ sua sunt, sed diligit proximum propter bonum proximi, & non propter commodum proprium. Qui enim propter aliud hominem diligit, non propriè hominem, sed illud quod adipisci desiderat, diligit. Econtra de fideli amico in Ecclesiastico dicitur: Amico fideli nulla est comparatio, non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Qui inuenit illum, inuenit thesaurum. Quanta autem sit efficacia sinceræ charitatis consequenter ostendit Petrus, cùm ait: Charitas operit multitudinem peccatorum. Vnde in Euangelio Dominus ait: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ignis enim charitatis rubiginem peccatorum consumit. Non solùm enim spinas mortalium, sed & paleas venialium comburit, & luce sua tenebras expellit. Teste enim Salomone: Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas. Licèt autem per alias virtutes peccata diluantur, hoc fit principaliter ex virtute charitatis: Sicut medicina purgare dicitur, quod tamen principaliter fit ex virtute scāmoniæ. Præcipuè autem charitas illā, qua proximo dimittimus, operit multitudinem peccatorum. Vnde scriptum est: Dimittite, & dimittetur vobis. Illa est charitas qua proximorum animas Deo lucramur. Vnde beatus Iacobus ait: Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eū: scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum, id est, abscondit à facie Dei, ne videat illa ad vindictam. Hoc est velamen pretiosum, de quo Propheta ait: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Postquam autem de prudentia & oratione, & mutua charitate habenda nos admonuit Petrus subiungit de operibus charitatis, inter quæ ponit vnum quod in conspectu Dei plurimum est pretiosum, hoc est hospitalitas, de qua in iudicio dicturus est Dominus: hospes fui, & collegistis me. Qui autem pauperem excludit à tecto, ipsum Christum excludit à pectoris hospitio. Quomodo enim se recipi confidit in regnum æternum, qui Christi membris negat vnius noctis hospitium. Propterea Petrus ait: Hospitales inuicem sine murmuratione. Hilaritas enim vultus condimentum est hospitalitatis, sine qua & rem & meritum perdit, qui cum murmuratione hospitem recipit. Quoniam super omnia vultus accessere boni. Charitas igitur hospitis recipiat, affabilitas & vultus hilaritas illos retineat. Felix hospitium in quo Christus in paupere recipitur. Vidua quæ Eliam in hospitio suscepit, filij defuncti suscitationem promeruit. Laban, quia Iacob aduenam recepit hospitio, ditatus est & bonis omnibus ampliatus. Raab meretrix, quia exploratoribus hospitalitatem exhibuit, cum omni domo patris sui liberata est cùm Iericho vastaretur. Vnde ad Hebręos Apostolus ait: Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hāc enim quidam placuerunt Angelis hospitio receptis. Abraham, scilicet, & Loth, qui valde hospitales fuerunt. Et ad Romanos ait: Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Et Isaias ait: Egenos vagosque induc in domum tuam. Non solùm autem aduenas in domo materiali, sed spiritum sanctum in hospitio cordis recipere debemus. Tota enim trinitas statad ostium cordis nostri & pulsat. Si quis aperuerit, continuò intrabit, sicut scriptum est: Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Non solùm autem hospitalitatem, sed & alia charitatis opera debemus in proximos exercere, secundū gratias nobis à Deo concessas, vt talentum sibi commissum vnusquisque studeat multiplicare. Propterea Petrus subiungit.

*Matth. 25.*

*De hospitalitate.*

*3. Reg. 17.*

*Gene. 29.*

*Iosue 2.*

*Heb. 13.*

*Genc. 17.*

*Rom. 12.*

*Isa. 58.*

*Apoc. 3.*

*Ioan. 14.*

*De talenti multiplicatione, & mutuę fraternæ dilectionis.*

Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Instruit igitur illos, qui spiritum sanctum receperunt, vel recepturi sunt quatenus dona charismatum ad vtilitatem proximorum conuertant, vt dona spiritus sancti ad seruiendum aliis, tam in spiritualibus quàm in temporalibus suscipiant, secundum quod vnusquisque gratiam accepit. Deus enim hospitalitatem vel alia bona supra id quod possumus à nobis non requirit. Alter igitur alterius secundum propriam virtutem onera portemus: inuicem supportantes in ædificio spirituali, sicut in materiali ædificio vnus lapis alij superponitur, & ab alio sustentatur. Attendat vnusquisque diligenter quæ à Deo donata sunt sibi,

*Gal. 6.*

*De vsurpatione gratiæ alienæ.*

& cuiusmodi vtensilia à Deo sibi concessa sunt, ad officium suum peragendũ, ne aliquando incipiat operari, quasi alieno instrumento quod sibi nõ est concessum, & idcirco deficiat cõtinuò, dum gratiam sibi non concessam vsurpat, & illam prætermittit, in qua posset aliis ministrare, & proximis vtilitatem conferre. Si enim manus velit ambulare, & pes cultello panem scindere, vel eleëmosynas erogare, neutrum officium peragit proprium, sed vsurpat alienum. Et sic cuncta confunduntur, dũ aliena officia vsurpantur, & prorsus inutilia redduntur. Attendat igitur vnusquisque gratiam sibi collatam, & illã conuertat ad proximorum vtilitatẽ. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes. Quod ostẽdit de gratia prædicationis, vel de scientia locutionis, dicens: Si quis loquitur quasi sermones Dei, id est, si gratiam loquẽdi habeat, vtatur illa ad ædificationem proximi, neque aliquid loquatur propter voluntatem Dei, vt ad vtilitatem fratrum doceat, & non quod docendum est, taceat. Caueat sibi ab inutili, vel noxia locutione. Nihil loquatur sine necessitate, vel proximorũ ædificatione. Vnde Apostolus ad Timotheum ait: Ineptas & aniles fabulas deuita. Et iterum: Profana & vaniloquia deuita. Teste autem Hieron. Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium. Corrumpũt siquidem bonos mores colloquia praua. Et ad Neopotianum Hieronymus: Officij tui sit frater charissime non tantum oculos seruare castos, sed & linguam. Et Sixtus ait: Sermo vanus conscientiæ vanæ index est: qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. Fluxus siquidem verbi, fluxum designat animi. Et qualis sit homo in mẽte, verbositas depingit in ore. Garriens temeritas non in doctrinam vertitur, sed in infamiam. Melior est sancta rusticitas, quàm peccatrix eloquentia. Pretiosa est lingua quæ non nouit nisi de rebus sanctis construere verba: & sanctũ est os, vnde semper cœlestia proferuntur. De omni autem verbo otioso reddituri sunt homines rationem. Teste autem Gregorio: Otiosum est verbũ, quod caret vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis. Verbositas est semen quod fructum non facit, sal infatuatum quod ad nullius conuertitur vtilitatem. Teste autem Salomone: In multiloquio non deerit peccatũ. Qui autem moderatur sermones suos, prudẽtissimus est. Si quis igitur loquitur, quasi sermones Dei loquatur. Qui autem habet scientiam loquendi, quasi sermones Dei loqui dicitur, dũ nõ sibi sed Deo ascribit quod loquitur. Nõ præsumptuose sibi arrogat loquẽdi scientiam, sicut hi, in quorum persona Psalmus ait: Labia nostra à nobis sunt. Propterea Dominus ait: Non enim vos estis qui loquimini. Non solùm locutio nostra ad Deum referenda est, sed quodlibet aliud opus bonum. Propter quod Petrus subiungit: Si quis ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus, id est, si eleëmosynam, vel aliud bonum opus faciat, non sibi, sed Deo attribuat, quia nihil habet à seipso, qui impendit, sed à solo Deo. Propterea Petrus ait: Vt in omnibus honorificetur Deus, id est, in omnibus operibus nostris Dei honorem & gloriam quæramus, vt ea non meritis nostris, sed gratiæ eius attribuamus, & vt alij videntes, opera nostra bona glorificent Patrem, qui in cœlis est. Si igitur prędicto modo prępărati fuerimus, ad recipiendum spiritum sanctum in die Pentecostes idonei erimus. Arduum enim est, quò ascendere molimur, arctum quid penetrare cupimus. Ideo nos expeditos & subtiles esse oportet. In altum enim repere onustum, & per angustam viam hominem inflatum intrare valde difficilè est, vel etiam impossibile. Spiritus autem sanctus tanquam apis fauum mellis incolit & inhabitat, illum scilicet, qui carnis munditiam habet pro cera, & pro melle cordis dulcedinem. Sicut autem columba non requiescit in palude, ita nec spiritus sanctus in peccatore. Abiiciamus igitur omnes sordes peccatorum, vt spiritui sancto purum & mundum præparemus habitaculum, vt ignis diuinus non comburens, sed illuminans: non vrens, sed lucens: inueniat corda nostra receptacula munda, & tribuat nobis charismatum dona. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui in proxima Dominica missurus est ipsum in corda Discipulorum suorum.

*Similc.*

*De cautela loquendi.*

*1. Tim. 4.*

*2. Cor. 15.*

*Matth. 12.*

*Matth. 5. Mar. 11. Prouer. 10.*

*Quod omnia bona sunt ad Deum referenda.*

*Matth. 5.*

*Conclusio vbi ostendit quod corda pura & præparata inhabitat spiritus sanctus. Matth. 7.*

*Simile.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Ioannem.

*Ioan. 15. 26.* *Cùm venerit paraclêtus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, quì à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis: quia ab initio mecum estis.*

*2. Cor. 3. Quod verbum prædicationis non prodest sine gratia Dei. Ioan. 6.* NEQVE qui plantat est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Nos plantamus vel seminamus, dum verbum Dei vobis annunciamus: Vos rigatis, dum cum deuotione vel lachrymis verba Domini auditis. Deus autem incremẽtum tribuit, dum verbum suum in cordibus vestris fructificare facit. Aliter siquidem, nec qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, nisi Deus incrementum tribuat. Nihil enim valet eloquentia linguæ, nisi Dei dirigatur regimine. Scriptum est enim: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Clamat prædicator, trahit Deus. Quando enim aliquid ponderosum trahitur, clamor vocis, & tractus funis exiguntur. Quid autem peccatore ponderosius. Trahitur tamen à Domino, sicut ipse per Prophetam Osee ait: In funiculis Adam traham illos, in vinculis charitatis. Funiculi Adam sunt variæ tribulationes, quibus Deus flagellat omnem filium quem recipit. Non solùm flagellis, sed consolationibus, & blanditiis, quasi vinculis charitatis nos

*Osee. 11. Heb. 12.*

nos ad se trahit. Ego autem fratres vos trahere non valeo, sed ad mẽ pertinet clamare. Vnde Dominus per Prophetam ait: Clama, ne cesses. Prædicator est quasi præco verbi Dei. Nam sicut præco vinum venale clamat, ita prædicator regnum Dei venale annuntiat. Clamare igitur debemus, maximè dum domos vicinorum nostrorum ardere & comburi peccatorum igne videmus: Quis enim non currit & clamat aquam afferri, dum domum vicini sui videt incendi? *Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.* Clamare igitur debemus, quia totus mundus igne gehennali est succensus. Sed quomodo clamabit, quem mala conscientia non solum raucum, sed & mutum reddit? Quem lupus infernalis respiciens raucum facit? Si enim clamare præsumat & alios docere qui seipsum non docet, dum ipse æger vult sanare aliũ, respondebitur ei: Medice cura teipsum. Quomodo enim qui infirmas manus habet, alios reprehendere audet? Ne fortè manum infirmam lædat, si alios per capillos fortiter trahat. Vnde valdè mihi timeo, qui me infirmum & peccatorem agnosco. De misericordia tamen Domini ex meritis vestris confisus licèt indignus loqui præsumo, non quęrens gloriam meam, sed ædificationem vestram. Et idcirco patienter sustinere debetis sermonem ædificationis. Nam pleruмque pulchrum hominem pingit turpis pictor, & crucibolum, licèt sit fœtidum, lumẽ tamen aliis ministrat, & cos licèt sit hebes, aciem tamen ferri acutam reddit. Non igitur me peccatorem contemnere debetis, neque paruitatem meam attendere, sed magis vtilitatem vestram. Nam Balaam voci asinæ acquieuit, & Dauid increpationem Nathan minoris prophetæ cum omni humilitate suscepit. Et Petrus Apostolorum princeps Pauli correptionem, dum ei in facie resisteret, non respuit. Moses etiam consilio Iethro hominis gentilis acquieuit. Magis enim considerare debemus, quid dicatur quàm à quo veritas proferatur. Orate igitur Dominum, vt emittat hodie in os meum canticum nouum, carnem Deo nostro, id est, verbum sanctæ prædicationis ad eius honorem & innouationem vestram. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis, &c. His diebus fratres charissimi ieiuniis & orationibus debemus locum spiritui sancto præparare, & corda ac corpora nostra à noxiis humoribus desiccare. Lignum enim desiccatum citius accenditur. Ab humido autem quod diu in aquis iacuit priusquã clarè ardeat, oportet quod fumus cum aqua eliciatur. Nos igitur fumum compunctionis emittamus cum aqua lachrymarum, vt in die Pentecostes clarè ardeamus, & lucem bonorum operum à nobis emittamus. Magnum quidem hospitẽ recepturi sumus. Vnde necesse est vt tergat sordes praui operis, qui Deo vult præparare hospitium cordis. Non venit autem vacuus hospes iste, sed cũ abundantia & copiosa benedictione. Vnde in hodierno Euangelio promittitur à Domino, & prænuntiatur venturus cum augmento diuinæ cognitionis, & constantia humanæ persecutionis vincendæ, id est, ad illuminationem scientiæ, & robur constantiæ. Ille testimonium perhibebit de me, ecce augmentum diuinæ cognitionis. Et vos testimonium perhibebitis. Ecce metu sublato fortitudo & constantia exercendæ prædicationis & tollerandæ persecutionis. Aduenientе enim spiritu sancto discipuli, & deitatis gloriam amplius cognouerunt, & cognitam constantius aliis prædicauerunt. Prius quidem discipuli minus capaces erant ad intelligẽda diuinæ sublimitatis arcana, & minus fortes ad toleranda humanæ prauitatis aduersa. Aduenies autẽ spiritus sanctus corda eorũ, & scientia veritatis illustrauit, & ad docẽda quæ noscent culmine virtutis erexit. Ipse enim spiritus est scientiæ. Vnde per ipsum quæ rectè agere debeamus, agnoscimus. Ipse spiritus fortitudinis. Vnde quod nouimus, vt operemur ab ipso accipimus, & ne aduersitate aliqua à bonis quæ cepimus, deficiamus. Ipse enim ignis lucẽs ad cognitionem & corroborans ad fortitudinem & constantiam. Ad consolationem igitur discipulorum Dominus ait: quod spiritus sanctus aduenies testimonium perhibebit de ipso, vt maiorem habeãt cognitionem. Et vos inquit testimonium perhibebitis, vt quod agnoscitis, prædicare audeatis. Et subiungit: Quia ab initio mecum estis, quasi dicat, Idonei testes eritis, secundum quod vidistis & audistis. Post etiam hoc modo intelligi, quod spiritus sanctus testimonium perhibebit auctoritate, & discipuli ministerio. Ipse testimonium perhibebit, quia vos non estis qui loquimini, sed spiritus sanctus qui loquitur in vobis, testimonium perhibebit, quia testimonium faciet perhiberi. Dabit enim fortitudinem & audaciam nobis, vos autem testes pro veritate, vsque ad mortem eritis. Vnde & Martyres testes nuncupantur. Equus enim paratur in die belli, Dominus autẽ fortitudinẽ tribuit. Verbo siquidẽ Domini cœli, id est, Apostoli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Dabit igitur fiduciam testimonium perhibendi, charitas diffundenda in cordibus vestris per spiritum sanctum qui dandus est vobis. Perfecta enim charitas foras mittit timorem Petri, qui prius ad vocem ancillæ negauit. Prius enim diligebat & negabat, quia amor infirmus erat & angustus, donec illum roboraret spiritus sanctus & dilataret. Ille testimoniũ perhibebit, & vos perhibebitis. Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris. Ille inspirando, vos sonando, vt impleatur scriptura quæ dicit: In omnem terram exiuit sonus eorum. Cùm venerit ergo paracletus, quem ego mittam vobis, ille testimonium perhibebit. Paracletum autẽ appellat spiritum sanctum, id est, consolatorem vel aduocatũ, has enim duas habet interpretationes. Paracletum autem insuper appellat illum spiritum veritatis. Paracletum appellat, vt det eis fiduciam ex suauitate consolationis, & protectione defensionis. Spiritum autem veritatis appellat, vt sit eis fiducia prædicationis. Dicitur autem Paracletus, quia orphanorum & viduarum, & lugentium est consolator, iuuans pusillanimes, refouens flebiles.

*Quod prædicator præconi cõparatur. Simile.*

*Versus.*

*De muto vel rauco præcone Lucæ 4.*

*Quod à malis plerumque vera & vtilia dicuntur. Num. 22. 2. Reg. 13. Gala. 2. Exod. 18.*

*Ioan. 15.*

*Quod præparari debemus vt spiritum sanctum dignè recipiamus.*

*Quod tantus hospes illuminat & corroborat.*

*Isa. 11.*

*Alia expositio. Matth. 10.*

*Prouer. 21.*

*Rom. 5.*

*Matth. 2. Mar. 14. Lucæ 21.*

*Quare spiritus sanctus dicatur paracletus, id est, consolator & aduocatus.*

Lugentes

*De cõsolatione spiritus sancti.*

Lugentes enim & non ridentes consolabuntur. Qui autem consolatorem postulat & inuocat, necesse est vt se miserum & desolatum agnoscat. Lachrymæ enim præuenire debent consolationem. Teste autem sancto Bernardo: Non consolantur lachrymæ cachinnantes, qui autem mundi vanitatibus exultãt, dum consolatorem petunt, ipsum irrident. Miseri estote & lugete, & tunc consolatorem inuocate. Ridentes enim consolatione non indigent. Mulierem autem, quæ luget mortuum filium, & ęgros atque dolentes, pium est consolari. Hoc modo lugentes animam suam & ęgrotantes pro peccatis Dominus consolatur. Vnde per Isaiam Dominus ait:

*Ioan. 4.*

*Isaiæ 61.*

Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me: ad annuntiãdum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem consolationem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Super Christum hominem fuit spiritus Dei, quia maior illo, & Christus minor secundum quod homo. Vnxit autem eum pater oleo sancto lætitiæ & spirituali gratiæ. Et misit illam ad annuntiandũ gaudium vitæ æternæ mansuetis, id est, humilibus spiritu & mitibus, de quibus dicitur: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Missus est etiam vt mederetur remissione peccatorum contritos corde, quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Prædicauit etiam captiuis, qui sub diabolo & variis erroribus tenebantur, indulgentiam. Vnde ipse ait: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et iterum ait: Pœnitẽtiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et clausis in carcere infidelitatis & ignorantiæ prædicauit apertionem, vt scilicet, educerentur de tenebris & vmbra mortis. Prædicauit insuper annũ placabilem Domino, id est, fidem & salutem hominum, vel tempus gratiæ, de quo Paulus ait: Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Et diem vltionis Deo nostro, quæ scilicet, vltio facta est per Romanos. Hanc etiam vltionem prædicauit, cùm ait: Venient dies quãdo circundabunt te inimici tui, & non remanebit lapis super lapidem. Diem etiam vltionis, id est, extremę damnationis prædicauit, cùm ait: Ibunt hi in vitam ęternam, illi autem in supplicium æternum. Missus est etiam, vt consolaretur omnes lugentes, de quibus dicitur: Beati qui lugẽt, quoniam ipsi consolabuntur. Non solum autem lugentes peccata sua, consolatur, sed insuper ponit consolationem lugentibus Sion, id est, plorantibus populum Iudęorum, vel lapsos de Ecclesia. Vnde Apostolus ait: Tristitia est mihi & continuus dolor pro fratribus meis. Dedit etiam coronam Dominus pro cinere, id est, remunerationem æternam pro dolore & humilitate, atque habitu pœnitentiæ. Dedit etiam oleum gaudij pro luctu, id est serenitatem conscientiæ, facta peccatorum remissione. Dedit præterea pallium laudis pro spiritu mœroris. Vestimentum enim iocunditatis pro lugubri habitu commutatur, quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Pro luctu etiam & dolore fratrum suorum, qui in infidelitate remanserunt, receperunt Apostoli gaudium & consolationem facta recompensatione, dum viderent gentes confluentes ad fidem. Ex his igitur Isaiæ verbis manifestum est, quod Christus spiritu sancto vnctus est ad consolationem lugentium, & idcirco paracletus appellatur. Illos enim qui transeunt per ignem pœnitentiæ & aquam lachrymarum, in refrigerium consolationis inducit. Gratiæ enim suauitas omnes amaritudines tribulationum dulcorat, fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, & vnctio suauitatis dolores lenit. Vnde Dominus ait: Si quis sitit, veniat & bibat. Qui sitit per desiderium & amorem, veniat per bonam operationem, & bibat per delectationem & consolationem. Dicitur præterea spiritus sanctus paracletus, id est, aduocatus, quia pro errore delinquẽtium apud patris clementiam interuenit, & interuenire facit iuxta illud Apostoli: Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare facit. Spiritus enim adiuuat infirmitatem nostram, & promouet causam nostram, excusans nos & allegans pro nobis apud patrem, proponens ex vna parte fragilitatem nostram, diuinam clementiam Christi, crucẽ, passionem & mortem: sustinet & promouet causam nostram, & fere perditam optimus causidicus & fidelis aduocatus reparat, & nos in conspectu iudicis excusat. Ex alia parte fraudem & malitiam diaboli obiicit, accusat aduersarium & confundit, & confutat inimicum, & causam partis aduersæ annihilat, & in conspectu Dei iniustam & iniquam esse demonstrat. Et idcirco Paracletus, id est, consolator & aduocatus appellatur. Et hoc est quod Dominus ait: Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis. Propterea dicit spiritum veritatis, quia est spiritus falsitatis, qui decipit & loquitur falsa. Est spiritus iniquitatis qui suggerit iniqua. Dicitur etiam diabolus spiritus immundus, dum immunda suggerit & ad luxuriam trahit. Dicitur etiam spiritus vanitatis, quia vana & inania diligit. Dicitur igitur spiritus falsitatis in mendacibus, spiritus nequam & malignus in malicioſis, spiritus immundus in luxuriosis, spiritus vanitatis in amatoribus huius mundi. Et etiam spiritus mundi appellatur, iuxta illud Apostoli: Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui à Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Dicitur etiam spiritus erroris, dum facit homines errare. Vnde Ioannes ait: In hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris. Dicitur præterea spiritus seruitutis, dum aufert libertatem, & in seruitutem peccatorum hominem inducit. Vnde ad Romanos Apostolus ait: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Sicut autem septiformis dicitur spiritus sanctus, ita septiformis dici potest spiritus malus. Spiritui enim timoris opponitur

*Plena expositio authoritatis Isaiæ, vbi ostenditur operatio spiritus sancti in Christo homine.*

*Matth. 9.*

*Matth. 3.*

*2. Cor. 6.*

*Luc. 19.*

*Matth. 25.*

*Matth. 5.*

*Rom. 9.*

*Apoc. 21.*

*Ioan. 7.*

*Quod spiritus sanctus aduocatus noster est in causa contra diabolum.*

*1. Ioan. 2.*

*Rom. 8.*

*De bono spiritu veritatis, & de multiplici spiritu malo.*

*1. Cor. 2.*

*1. Ioan. 4.*

*Rom 8.*

*Quod septiformis spiritus*

opponitur ſpiritus præſumptionis & elationis, qui reddit hominem quaſi ſecurum & incautum. Spiritui pietatis opponitur ſpiritus impietatis, qui reddit hominem durum ſine affectione, obſtinatum & inhumanum. Spiritui ſcientiæ opponitur ſpiritus ignorantiæ & cęcitatis, qui reddit hominem idiotam & inſcium atque ignarum. Spiritui fortitudinis opponitur ſpiritus puſillanimitatis, qui reddit hominem acedioſum, & inconſtantem & meticuloſum. Spiritui conſilij opponitur ſpiritus præcipitationis, qui reddit incompoſitum, & improuidum, & indiſcretum. Spiritui intellectus opponitur ſpiritus ſtoliditatis, qui reddit hominem animalem, hebetem & quaſi brutum, ſicut ſcriptum eſt: Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Spiritui ſapientiæ opponitur ſpiritus inſipientiæ, qui reddit hominem indeuotum & terrena ſapientem, atq; cœleſtia faſtidientem, ſicut ſcriptum eſt: Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Ad excluſionem igitur prædictorum ſpirituum, Spiritus Domini appellatur ſanctus. Dicitur etiam ſpiritus veritatis, quia à Chriſto, qui eſt veritas, procedit: & quod promittit, ſine fraude perſoluit, & in omnem veritatem inducit. Si igitur ſpiritum ſanctitatis & veritatis habere volumus, ſimus veraces & ſancti. Veraces ſumus ſi pactum baptiſmi obſeruamus. Sancti ſumus, ſi munditiam vitæ teneamus. Per hoc autem quod Dominus ait: Mittam vobis à patre ſpiritum veritatis, dat gloriam Deo patri. Quod enim filius mittit ſpiritum, hoc habet à patre. Pater etiam mittere dicitur ſpiritum ſanctum, ſicut ad Galatas Apoſtolus ait: Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra. Vterque igitur mittit ſpiritum ſanctum, id eſt, tam pater quàm filius, vnde vtriuſque ſpiritus dicitur. Patris namque ſpiritus dicitur, ſicut ad Romanos Apoſtolus ait: Si ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora veſtra. Spiritus filij dicitur, ſicut in eadem epiſtola Apoſtolus ait: Si quis ſpiritũ Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. Ex quo patet, quòd ab vtroque procedit. Quod tamen negant Græci, dicentes, quod à ſolo Patre procedit. Licèt autem in hodierno Euangelio dicat Dominus: Mittam vobis ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, vt honorem & gloriam daret Deo Patri, propter authoritatem principij, nihilominus tamen vult intelligi quod ab ipſo filio procedit: Vnde & ipſe diſcipulos ſuos inſufflauit, dicens: Accipite ſpiritum ſanctum. Certum autẽ eſt quod flatus à ſufflãte, & ſpiritus à ſpirante procedit. Quod autem in hodierno Euangelio ſubiungit Dominus: Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini, propterea dicit vt conſoletur & præmuniat diſcipulos multa dura & aſpera pro Chriſti nomine paſſuros, quaſi diceret: Hæc locutus ſum vobis, ſcilicet, quod ſpiritus ſanctus veniet in vos, qui vos cuſtodiat & protegat, & defendat, vt non ſcandalizemini. Promiſi vobis mittere paracletum, qui conſoletur vos, & corda veſtra ad amorem incendat, & ſic ab omni ſcandalo cuſtodiat, ſicut ſcriptum eſt. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Prænuntiat igitur illis Dominus ad conſolationem mala, quæ ipſi eſſent paſſuri, quia iacula præuiſa minus lędunt. Vnde ipſe ait: Abſq; ſynagogis facient vos. Eadem autem eſſet ſynagoga Iudęorum & Eccleſia gentium ſi vellet recipere Chriſtum, ſed quia noluerunt, à ſynagogis Iudæorum Apoſtoli receſſerunt. Diligentes autem magis gloriam quæ à Deo eſt, quàm gloriam hominum, licèt expellerentur nõ erubeſcebant, ſed ibant gaudentes à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, ſicut ſcriptum eſt: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, quoniam gloria virtutis eorum tu es, & idcirco expulſi ab hominibus non erubeſcent. De his igitur perſecutionibus ſpecialiter ſubiungit, quas à gente ſua & contribulibus paſſuri erant. Pro his enim magis grauari poſſent, quàm ſi ab alienis nationibus torquerentur, maximè quia Iudęi expellentes Chriſti diſcipulos à ſynagogis & affligentes eos, zelum Dei habere videbantur, licèt non ſecundum ſcientiam. Non enim nouerunt patrem nec filiũ eius. Vnde arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo, non ſolùm Chriſti diſcipulos à ſe expellendo, ſed etiam Chriſtum ipſum occidendo. Vnde & dixerunt: Expedit vt vnus moriatur pro populo. Putabant ergo ſe placere Deo Chriſti diſcipulos perſequendo. Vnde beatus Auguſtinus ait: O horrendus error, ita ne vt placeas Deo, percutis placentes Deo. Gentiles autem occidendo Chriſti diſcipulos non arbitrabãtur obſequium ſe præſtare Deo, ſed magis diis ſuis, id eſt, dæmonibus. Iudæi verò credentes Chriſti diſcipulos deſerere Deum Iſraël, & legem Moſaicam occidendo eos, putabant obſequium ſe præſtare Deo. Et idcirco magis moueri poſſent, & conturbari Chriſti diſcipuli, niſi à Domino conſolationem recipiſſent. Vnde & Dominus ſubiungit. Hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis: Inſtruit igitur eos, ne ignaros atque imparatos animos mala inopinata perturbent, ſed præcognita patienter tolerata ad bona ſempiterna perducat. Dicit igitur: Cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia prædixi vobis. Hora eorum, ſcilicet, nocturna, hora tenebroſa quæ tamen diem fidelium nulla obſcuritate obfuſcare potuit. Carnem occidere potuit, ſed fidem extinguere vel obtenebrare nequiuit. Expulerunt igitur Iudęi diſcipulos Chriſti à ſynagogis ſuis. Ipſi tamen diſcipuli multos ex Iudæis ad Dominum conuerterunt, & de illis etiam qui Chriſti morti conſenſerunt. Teſte enim Auguſtino: Chriſti ſanguis ſic in remiſſionem omnium peccatorum fuſus eſt, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere quo fuſus eſt. Hæc autẽ magna fuit diſcipulorum cõſolatio, vnde & illud quod Dominus ait: Abſque ſynagogis facient vos, ſic intelligere poſſumus, quaſi diceret: Non ſcandalizemini ſi abſque ſynagogis ſitis, quia tot acquiretis ex Iudæis, vt videamini ad gloriam Dei pro eis occidi. Tot ad Deum conuertetis, vt non ſatis

*bono, opponitur ſeptiformis ſpiritus malus.*

*Rom. 8.*

*Phil. 3.*

*Ioan. 14. De veritate & ſanctitate, & quod à filio ſicut à patre procedit ſpiritus ſanctus.*

*Gal. 4.*

*Rom. 4.*

*Rom. 8.*

*Ioan. 20. Expoſitio literæ.*

*Conſolatio tẽtra præſſuras imminentes.*

*Ioan. 12.*

*Actuum 5.*

*Rom. 10.*

*Ioan. 11.*

satis siteis vos pellere, sed nec sinent viuere ne omnes acquiratis & à Iudaismo auertatis. Et hoc est quod Dominus ait: Absque synagogis facient vos: sed venit hora in qua omnis qui occiderit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, ideo, scilicet, quod multos de Iudæis ad Christum conuertetis. Ipso enim die Pentecostes ad prædicationem Petri appositæ sunt animæ circiter tria milia. Alia autem voce cùm Petrus & Ioannes ascenderent ad horam orationis nonam, & Petrus claudum curasset ad prædicationem suam. Petrus quinque milia hominum ad fidem conuertit. Singulis autem diebus, augebatur in Domino credentium multitudo virorum ac mulierum, sicut dicitur in Actibus Apostolorum. Non solùm autem ex conuersione Iudæorum consolationem receperunt Apostoli, sed magis ex conuersione gentium, quas ex vniuerso mundo ad Christum conuerterunt: quemadmodum Dominus per os Dauid prænuntiauerat, dicens: Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius. Qui enim prius liquefacti erant & dissoluti igne cupiditatis, sicut cera quæ fluit à facie ignis, & aqua carnalis voluptatis more salis postmodum liquefacti sunt, & emolliti igne charitatis. Qui congelati erant, sicut glacies aqualachrymarum & compunctionis, sicut nix liquefacti sunt. Quædam enim liquefiunt ad ignem, quędam ad aquam. Mundus autem liquefactus est ad ignem pariter & aquam, sicut scriptum est: Flauit spiritus eius & fluent aquæ. Vnde in Canticis sponsa ait: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, quasi dicat: Quæ prius frigida erat, est calefacta, quæ rigida, liquefacta, & per compunctionem resoluta. Liquefactio autem quatuor operatur, quod enim liquescit, fit molle: clarescit, dilatatur, & currit. Terra igitur liquefacta est, quia emollita per pietatem, clarificata per cognitionem, dilatata per charitatem, currit per desiderium & bonam operationem. Liquefacta est crescens, currens, clarescens, virtute crescens, votis currens, veritate clarescens. Liquefacta est terra postquam confirmauit Dominus columnas eius, id est, Apostolos igne sancti spiritus corroboratos. Ignis enim quædam indurat sicut testam, quædam emollit sicut ceram. Apostoli autem simul emolliti fuerunt ad pietatem, & indurati ac roborati ad constantiam. Vnde in Ieremia dicitur: De excelso misit ignem in ossibus meis, id est, in Apostolis, qui prius erant caro, postmodum ossa, prius infirmi, postmodum robusti. Emollit igitur spiritus sanctus, & indurat, calefacit, & infrigidat. Calefacit torpentes & frigidos, refrigerat autem igne tentationis feruentes: sicut hominis flatus ore aperto & gutture laxato calefacit, ore autem constricto infrigidat. Et solis radius cutem hominis denigrat, qui tamen pannos lineos albificat. Habet igitur spiritus sanctus multiplices & varios effectus, sed non contrarios. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Quod spiritus intelligentiæ est sanctus, multiplex, vnicus, subtilis, modestus, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum actum, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus intelligibiles, mũdus, subtilis. Sanctus dicitur in se & ab effectu, quia sanctos facit. Multiplex dicitur, quia multiplicem habet effectum secundum diuisiones gratiarum. Vnicus dicitur, quia simplex in essentia, & quia facit vnum in Domino, sicut scriptum est: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Et ad Corinthios de multiplicitate & simplicitate Apostolus ait: Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidẽs singulis prout vult. Subtilis dicitur, id est, penetrans, omnia enim nuda sunt & aperta oculis eius: Ipse enim penetrabilior omni gladio ancipiti, nec est qui se abscondat à calore eius. Modestus dicitur, quia sobrium reddit & temperatum, & modum in omnibus seruare facit. Disertus dicitur, id est, facundus, quia disertas facit infantium linguas, iuxta illud Isaiæ: Lingua balborum velociter loquetur ac planè. Mobilis dicitur, & postmodum dicitur stabilis. Mobilis quia facit proficere in bono, stabilis, quia facit stare & perseuerare in bono, & maturas ac graues animas reddit, iuxta illud: In populo graui laudabo te. Sunt igitur sancti stabiles & mobiles, sicut fluuius, qui continuè fluit & alueum non deserit, vel stabilis in se: mobilis autem quia motum præstat omnibus, iuxta illud: *Stabilis q; manens, dat cuncta moueri.* Mobilis etiam dicitur in via & stabilis in patria. Mobilis in via, quia aliquando accedit, aliquando recedit. Accedit per gratiam, recedit per culpam, vel accedit vt eleuemur per contemplationem. Recedit vt deprimamur per humilitatem. Incoinquinatus dicitur in se & ab effectu, quia purificat & mũdat corda hominum. Certus dicitur, quia nec fallit nec fallitur, & certificat, atq; in omnẽ inducit veritatem, id est, veritatẽ cordis, veritatẽ oris, veritatẽ operis. Suauis dicitur, id est, mitis, humilis, & misericors. Vnde & vnctioni atq; oleo cõparatur. Amãs bonum actũ dicitur, quia nõ gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Sapientia enim quæ desursum est, bonis cõsentiens est. Dicitur qui nihil vetat benefacere, nõ enim impedit bonum, sed cooperatur ad bonũ. Humanus autẽ dicitur, quia cõpatiens vel humanus, id est, omnibus communis & homines diligens. Magna dest gnatur gratiæ efficatia, quod diuinus efficitur humanus. Dicitur etiã benignus in se natura & bonitate humanata, & in nobis, quia bona nobis faciẽs. Postulat enim pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vel dicitur humanus, quia misericors: benignus, quia miseratur, vt humanitas ad affectum, benignitas referatur ad effectũ. Securus dicitur ab effectu, nõ quia hominẽ in præsenti sine timore faciat, quia beatus homo qui semper est pauidus, sed quia facit securũ spe. Vnde in Prouerbiis Salomon ait: Nõ contristabit iustũ quicquid ei acciderit. Et iterũ: Iustus vt leo cõfidit. Dicitur etiam securus, quia sine cura temporali & sollicitudine facit esse. Omnem virtutem habens

*Actuum 2.* *Actuum 3.* *Actuum 5.*

*De gentium conuersione & liquefactione terræ.*

*Cant. 5.*

*De quadruplici effectu liquefactionis & de Apostolorum confirmatione.*

*Trem. 2.*

*Simile.*

*De variis effectibus spiritus sancti.* *Sap. 7.*

*Plena expositio authoritatis.* *Actuum 4.*

*1. Cor. 12.* *Heb. 4.*

*Sap. 11.* *Isa. 32.*

*Simile.* *Versus.*

*Ioan. 16.*

*1. Cor. 13.* *Iaco. 3.*

*Parab. 28.* *Prouer. 12.* *Prouer. 28.*

habens dicitur, quantum ad omnipotentiam, & quia omnis virtus ab illo est. Ipse enim via, veritas & vita, qui dat lasso virtutem. Dicitur autem omnia prospiciens, quia nihil occultum ei, & futura à longe prænoscit, & ab effectu, quia est lumen omnium. Dicitur quod capiat omnes spiritus intelligibiles, quia in manu eius sunt omnes fines terræ. Ipse enim omnia continet & in esse conseruat. Vnde & ei attribuitur benignitas. Dicitur mundus, superius autem dictus est incoinquinatus: mundus in se, incoinquinatus ab effectu: vel mundus, quia præstat munditiam: incoinquinatus, quia facit declinare à sordibus, vel coinquinatum facit in via, in patria autem faciet prorsus mundum, quando palea penitus à grano separabitur. Dicitur subtilis, prius etiam dictus est subtilis, sed vnum refertur ad donum sapientiæ, aliud ad donum intelligentiæ. Subtilis etiam dicitur in se, & subtilis in effectu. Subtilis insuper dicitur, quia subtilem facit inquirendo in via. Et secũdò dicitur subtilis, quia subtilẽ faciet cõprehendendo in patria. Ecce quot floribus spiritus sanctus animas sanctorum exornat: sicut scriptum est in Iob: Spiritus eius cœlos ornauit. Variis enim charismatum donis, tanquam diuersis stellis sanctos qui cœli dicuntur, illustrat, vt sit homo spiritualis, tanquam vas auri solidum omni lapide pretioso exornatum, sicut in Ecclesiastico dicitur: Sicut aurum mundum varias suspicit celaturas, & cera mollis varias impressiones, sic homo spiritualis varias recipit virtutum distinctiones, veluti regina assistẽs in vestitu deaurato, circũdata varietate. Studeamus igitur fratres vt simus spirituales, tales enim spiritus sanctus inhabitat & diligat, quia similis similem quærit. Non simus animales seu carnales. Teste enim Apostolo: si secundum carnem vixerimus, morte animæ moriemur. Si spiritu viuitis ait idem Apostolus & spiritu ambuletis. Simus igitur sancti, quia ipse qui sanctus est, non potest manere nisi cum sanctificatis, sicut scriptum est: Cum sancto sanctus eris. Non potest esse lux cum tenebris, nec munditia cum sordibus. Vt igitur legem spiritus in cordibus puris recipiamus, abluamus his diebus vestimenta nostra, & sanctificemur, vt spiritus sanctus in die Pentecostes inueniat corda nostra munda receptacula, & in nobis plenius inhabitare dignetur. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per infinita seculorum secula, Amen.

*Ioan.14. Isa.40.*

*Matth.3.*

*De vario ornatu sanctorum & ablutione vestiũ. Iob.26. Eccle.50. Simile.*

*Rom.7. Gal.5.*

*Exod.19. Col.1.*

## IN VIGILIA PENTECOSTES THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Ioannem.

*Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* *Ioan 14.*

IN Ecclesiastico sapiens ait: Loquere tu maior natu. Decet enim te primum verbum diligentem scientiam, & musicam non impedias. Maior natu dicitur, qui multa nouit per experientiam, & non est paruulus sensu. Maior etiam natu est, qui regeneratione gratię aliis præeminet. Tales decet loqui & prædicare, & verbo sanctę prædicationis alios instruere, maximè quando diligunt scientiam & musicam non impediunt, id est, quando sciunt & volunt bene agere, quod est scientiam diligere, alioquin qui ore loquitur, & corde non consentit, atque opere contradicit, hic profecto musicam impedit. Musicam autem obseruat, qui quod cogitat corde & prędicat ore, operibus adimplere procurat. Primò igitur debet prędicator à se incipere, & postea alios docere, sicut Apostolus ad Timotheum ait: Attende tibi & doctrinæ. Quidam autem dicunt & non faciunt. Primò igitur tibi & postmodum attende doctrinæ. Iob enim dicit de dicentibus & non facientibus: Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Dentes sunt prædicatores, ad quos pertinet panem doctrinæ aliis masticare. Circa dentes tantummodo labia relinquuntur, dum doctores loquuntur & non operantur, vel quando motum locutionis retinuerunt, & morsum correptionis amiserunt, blandientes adulando & mordere non audentes increpando, ne fortè obiiciatur illis. Medice primò cura teipsum. De his autem labiis, quæ tantum circa dentes remanserunt. Salomon in Prouerbiis ait: Qui attonitis oculis cogitat praua mordens labia sua, perficit malum. Attonitos mentis oculos habere perhibentur, qui luce sapientiæ vel gratiæ diuinæ non delectantur. Labia autem sua mordent, quia dum male perficiunt, prædicationem suam corrumpunt. Oportet igitur secundum mandatum legis, quod in veste sacerdotali, id est, in conuersatione doctoris mala granata coniungantur tintinnabulis, id est, bona vita comitetur sonum prædicationis. Mala granata exterius sunt aspera in cortice & interius candida. Et sancti prædicatores innocentiam mentis interius habent, & exterius in corpore asperitatem afflictionis & pœnitentiæ sustinent. Per grana autem rubea & sibi inuicem adhærentia fraternæ charitatis concordia intelligitur. Teste enim Gregorio: qui charitatem ad alterum non habet, nullatenus assumere debet prædicationis officium. Propterea binos misit Dominus discipulos ad prædicandum. Vnde in Canticis dicitur: Sicut vitta coccinea labia tua, id est, prædicatores, qui coccinei sunt charitate, & tanquam vitta pectus constringunt, dum fluxas cogitationes tam in se quàm in aliis reprimunt. Ecce fratres non qualis sum, sed qualis esse debeo, vobis ostendi, qui prædicationis officium incœpi. Et quoniam imperfectum

*Eccle.32. Quod tales prædicare debent qui dicũt & faciunt, et scientiam diligunt.*

*1.Tim.4. Iob.19.*

*Prouer.16.*

*Exod.28.*

*Quod prædicare non debet qui charitatẽ non habet. Luce 10. Cant.4.*

perfectum meum & defectum viderunt oculi Domini, vestrum est orare pro me quaremus defectum meum ipse suppleat, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, qui Discipulis suis & Doctoribus ait: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.

*Iaco.1. Matth.10.*

*Quod vigilare debemus & diligenter spiritui sancto hospitium præparare.*

Si diligitis me, mandata mea seruate. In hac sancta vigilia Pentecostes fratres Charissimi vigilare debemus, vt ad lucem tam splendidæ solemnitatis oculos cordis apertos habeamus. Hodie enim spiritus sancti præuenimus aduentum. Præoccupemus igitur faciem eius in confessione, in ieiunio & oratione, & eleëmosynarum distributione, vt tantæ solemnitatis & tanti hospitis aduentui nos aptos reddamus. Oportet enim præuenire Solem ad benedictionem. Cras enim nobis erit salus, cùm incaluerit Sol iste, & mentes suorum accenderit ad amorem, & illuminauerit ad cognitionem. Ipse namque accendit affectum, & illuminat intellectum. Crastina die erit vobis salus, cùm descenderit super vos spiritus sanctus.

*1. Reg.11.*

Cras enim egrediemur obuiam illi, & Dominus erit nobiscum. Interim autem præparemus illi hospitium, & exornemus cordis nostri habitaculum. Delitiæ enim sunt illi esse cum filiis hominum, in quibus mundum & honestum repperit habitaculum. Hodie igitur intenso cordis habitaculo summo desiderio ipsum continuè debemus inuocare, & incessanter supplicare, vt nobiscum hospitari dignetur. Clamemus igitur toto corde ad ipsum. Veni

*Qualiter inuocandus est spiritus sanctus vt veniat.*

sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium. Veni medicus ad ęgrotos, liber ad captiuos, beatus ad miseros, diues ad pauperes, consolator ad lugentes. Veni visita infirmos, consolida debiles, consolare flebiles, solue compeditos, illumina cæcos, libera incarceratos, erige claudos, munda leprosos, suscita mortuos. Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. Lauа quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, fone quod est frigidum, rege quod est deuium. Reple tuorum corda fidelium. Si enim non repleueris, vacui erimus, licèt vento temporalium inflati simus. Sicut nihil est in arca, licet aëre sit plena. Nihil etiam dicitur esse in domo, in qua non est nisi modica festuca. Nisi igitur spiritus sanctus corda nostra repleuerit, vacua sunt sicut vesica. Teste enim Salomone, spes impiorum vacua. Animæ enim nostræ capaces sunt spiritus sancti. Vnde mineri mensura nunquam repleri possunt. Totus enim mundus quasi modicus puluis est respectu ipsius. Qui autem in peccato sunt tanquam vase cordis confracto, puram aquam gratiæ ex fonte spiritus sancti retinere nequeunt. Vnde Ieremias ait: Foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Reparemus igitur & renouemus cisternas mentium nostrarum, vt retinere valeamus liquorem purum. Abiiciamus à nobis spiritum immundum, & demus locum spiritui sancto. Eiiciamus à nobis tres spiritus immundos, quos vidit Ioannes in Apocalypsi exire de ore draconis & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ in modum ranarum. Hi sunt spiritus diaboli, spiritus carnis & spiritus mundi. De ore draconis, id est, diaboli procedit spiritus superbiæ, & malitiæ. De ore bestiæ, id est, carnis bestialis, procedit spiritus luxuriæ & immunditiæ. De ore Pseudo-prophetæ, id est, mundi fallacis, procedit spiritus auaritiæ. Vnde in modum ranarum procedere dicuntur. Rana enim saltum facit. Ecce superbia. In luto commoratur: ecce luxuria, quietem tollit: ecce auaritia. Spiritus diaboli suadet iniqua, spiritus carnis suauia, spiritus mundi vana & transitoria. Quartus autem spiritus, id est, spiritus hominis, quantum in se est, suadet rationabilia, licèt aliquando captiuus ducitur carnis illecebra. Spiritus autem Dei suadet sancta & vtilia. Consentiamus igitur spiritui sancto & ipsum corde, ore, & opere inuocemus, & ei in quieto cordis talamo mansionē præparemus: In pace enim factus est locus eius super quietos, quiescit & elongat se ab inquietis & turbulentis. Vnde in tertio Regum legimus, quod Dominus dicit Eliæ: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & cōterens petras ante Dominū: non in spiritu Dominus, & post spiritum cōmotio: non in cōmotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis & ibi Dominus. Quod cùm vidisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. Spiritus grandis & fortis, id est, spiritus superbiæ montes subuertit, superbos, scilicet, & potentes huius seculi, & petras conterit duros, scilicet, & obstinatos deprimit. Dum enim eleuantur, opprimuntur. Tollūtur in altum, vt lapsu grauiore ruant. Post spiritum commotio, id est, auaritiæ sollicitudo. Post commotionem ignis, id est, ardor libidinis. In spiritu autem superbiæ non est Dominus neque in commotione auaritiæ, nec in igne luxuriæ. Sed commoratur in sibilo tenuis auræ, id est, in domo tranquillæ & pacificæ conscientiæ super humilem, scilicet, & quietum. In corde autem huiusmodi Dominus sibilat, dum per spiritum sanctum voluntatem suam illi inspirat. Vnde & per Zachariam Dominus ait: Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos. Teste autem Gregorio: sibilum audire, est aliquid tenuiter de diuinitate agnoscere. In ostio speluncæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo ad cognitionem veritatis exire. Elias vultum pallio operit, quia in ipsa contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur, agnoscit. Vnde & Moyses, postquam locutus est Dominus illi, ne Dominum videret, faciem suam abscondit. Abiiciamus igitur à nobis spiritum grandem superbiæ, & commotionem auaritiæ, atque ignem luxuriæ, in quibus spiritus sanctus non moratur, & per bona opera mandatorum Dei obseruantiam

*De repletione & vacuitate.*

*Iere.2.*

*De triplici spiritu immundo. Apoc.16.*

*De proprietatibus ranæ et quinque spiritibus.*

*Quod non nisi super quietos spiritus sanctus requiescit 3. Reg.19.*

*Isaiæ 66. Zach.5.*

aduentui

aduẽtui ſpiritus ſancti idoneos nos reddamus. Propterea in hodierno Euãgelio Dominus ait: Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Qui enim mãdata eius cõtemnit, ipſum nõ diligit. Exhibitio autẽ operis, ſignũ eſt dilectionis. Dilectio autẽ eſt cauſa obſeruãtiæ mandatorũ, & exhibitio operis. Charitas enim legẽ implet, id eſt, mouet & excitat hominẽ ad mandatorũ impletionem. Non enim eſt otioſa charitas aut extinguitur, aut operatur, aut deficit. Sicut autẽ lignis nutritur ignis, vt nõ extinguatur, ſic bonis operibus charitas, ne deficiat, nutritur. Propterea Dominus in hodierno Euang. ait: Qui habet mãdata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui habet in memoria & ſeruat in vita. Qui habet in ſermonibus & ſeruat in moribus. Qui habet audiendo, & ſeruat faciẽdo, & perſeuerãdo. Opere enim dilectio eſt demonſtrãda, ne nominis appellatio ſit infructuoſa. Quantũ autẽ fructũ ex obſeruatione mandatorũ aſſequamur, oſtẽdit Dominus cũ ſubiũgit: Ego rogabo patrẽ meũ, & aliũ Paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiſcũ in æternũ. Qui enim diligũt & præcepta cuſtodiũt, licèt Spiritũ ſanctũ iam habeãt, tamẽ vt magis habeãt, promerẽtur. Diſcipuli autẽ quibus loquebatur Dominus, iam Spiritũ ſanctũ habebant, ſed quantũ habẽdus fuerat, nondũ habebãt. Habebãt minus, & dandus erat eis amplius. Habebãt ad aliquẽ vſum, & dandus erat illis ad aliũ. Vnde & Dominus ait: Aliũ Paracletũ dabit vobis, id eſt, ad aliũ vſum q̃ habeatis. Ante paſsionẽ enim ſuã, dedit Dominus Spiritũ ſanctũ diſcipulis ad peccatorũ ſuorũ remiſsionẽ & miraculorũ operationẽ. Vnde & ipſi reuertẽtes dixerunt: Domine, in nomine tuo etiã dęmonia ſubiiciũtur nobis. In die autẽ reſurrectionis, dedit eis ſecundò Spiritũ ſanctũ, aperiens eis ſenſum, vt intelligerẽt ſcripturas. Et dedit eis poteſtatẽ remittẽdi peccata & retinẽdi, id eſt, ſoluẽdi & ligãdi. Teſte enim Ioãne, inſufflauit, & ait illis: Accipite Spiritũ ſanctũ, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retẽta ſunt. Et ita ad aliũ vſum q̃ priùs dedit illis ſpiritũ ſanctũ. In die autẽ Pentecoſtes aliũ Paracletũ dedit eis, id eſt, ad alium vſum quàm priùs. Tunc enim datus eſt eis ad maiorẽ illuminationẽ, & ad ſcientiã linguarũ, & principaliter ad robur & conſtantiã. Vnde in Iob ait Dominus: Nunquid præbebis equo fortitudinẽ, aut circundabis collo eius hinnitũ? vt, ſcilicet, audacter valeat prædicare. Vnde & Petrus qui priùs mori timuit, & ideo vitam negauit, qui, ſcilicet, timuit ad ancillæ verba, poſtmodũ gauiſus eſt ad verbera, quando, ſcilicet, in die Pentecoſtes verbo Domini cœli firmati ſunt, & nimis confortatus eſt Principatus Apoſtolorũ. Datus eſt igitur Spiritus ſanctus in terra, vt diligatur proximus, datus eſt de cœlo, vt diligatur Deus. Datus eſt bis ante Pentecoſten in terra, propter duo præcepta fraternæ charitatis cõmendanda. Quorum vnum eſt, vt nemini faciamus quod nobis fieri non volumus. Aliud eſt, vt quæcunque volumus, vt faciant nobis homines, eadem illis faciamus. Datus igitur Spiritus ſanctus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ad robur & confirmationem, qui priùs datus erat illis ad purgationem & operationem miraculorum, & ad ſolutionem & ligationem peccatorum. Sicut in Baptiſmo ſpiritus ſanctus cõfertur ad purgationem, & innocentiam, & virtutum infuſionem. In confirmatione datur ad robur & ad pugnam. Et hoc modo ſolebat dari in primitiua Eccleſia per ſolam manus impoſitionem. Nunc autem propter Sacramenti reuerentiam, iſtud ſolemnius efficitur. Hodie enim ad hoc quod ſit confirmationis Sacramentum, quatuor exiguntur. Intentio, officium ſeu dignitas confirmantis, forma verborum ad hoc inſtituta, quæ eſt: Conſigno te ſigno ſanctæ Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti. Hæc forma vel æquipollens ad confirmationẽ exigitur. Quartum autẽ eſt ſanctũ Chriſmatis in fronte inunctio. Sicut autem in Baptiſmo character imprimitur animæ ad diſtinctionem, vt, ſcilicet, baptizatus ab infidelibus diſcernatur, ita in confirmatione imprimitur character animæ ad elegantiam & præeminentiam, qui ſignum eſt roboris & interioris vnctionis. Inſignitur enim anima, quaſi characterе nouæ armaturæ. Sicut aries robuſtus ductor gregis, ſolet ſignari ad præeminentiam. Eſt enim Sacramentum Confirmationis character ſiue ſignaculum Chriſtianæ religionis, ex intentione & officio confirmantis, & verborum benedictione ac Chriſmatis vnctione proueniens. Hæc enim quatuor, vt prædictum eſt, ſunt de ſubſtantiã huius Sacramenti. Exterior autem Chriſmatis vnctio, ſpiritualem in anima deſignat vnctionem, & quantum in ſe eſt, efficit quod figurat. Huiuſmodi autem Sacramentum ad ſolos pertinet Epiſcopos, qui ſunt Apoſtolorũ ſucceſſores. Ipſi enim officium gerunt Apoſtolorũ in manus impoſitione, dum huiuſmodi conferunt ſacramentũ. Sicut minores Sacerdotes officiũ implẽt ſeptuaginta duorũ diſcipulorũ in baptizãdo. Hoc aũt Sacramentũ inſtitutũ eſt partim ab Apoſtolis, quantũ ad manus impoſitionẽ, partim ab Eccleſia, quantũ ad vnctionẽ Chriſmatis in fronte, quod nõ legimus Apoſtolos feciſſe. Licèt autẽ in eminẽtiori parte hominis ab eminẽtioribus perſonis prędictũ cõferatur Sacramentũ, aliquãdo tamẽ propter defectũ vel paucitatẽ Epiſcoporũ minoribus ſacerdotibus diſpẽſatiuè eſt cõceſſum. His autẽ temporibus ceſſante diſpẽſatione, ſi cõtra inſtitutionẽ Eccleſiæ à ſimplicibus ſacerdotibus attẽtaretur, nec ſignaculũ characteris imprimi diceremus, ſed cõfirmandus eſſet ab Epiſcopo, qui priùs à minore ſacerdote fuit in frõte Chriſmatis. Hoc autẽ ſacramentũ quidã ita cõiungũt baptiſmo, vt ſtatim velint ipſum poſt baptiſmũ debere cõferri, quia per hoc cõfirmatur fides, quę in baptiſmo ſuſcipitur. In baptiſmo quidẽ recipimus hęreditatẽ, in cõfirmatione tutorẽ, Quę cõſuetudo ſatis approbãda eſt, vbi haberi poteſt copia ſeu preſentia maioris ſacerdotis.

*Quod pluries datus eſt ſpiritus ſanctus, & ad plures vſus.*

*Luc. 10.*

*Luc. 24.*

*Ioan. 20.*

*Iob 39.*

*Matth. 26.*

*Leuit. 19.*

*Tob. 4.*

*De ſacramẽto confirmationis.*

*Quod quatuor exiguntur ad confirmationem.*

*Deſcriptio Sacramenti Confirmationis.*

*De Chriſmatis vnctione & ad quos pertineat confirmare.*

Ante Baptismum autem conferri non debet, cùm Baptismus ianua sit & fundamentum aliorum Sacramentorum. Virtutem autem huius Sacramenti Melchiades Papa conuenienter exprimit, dicens: Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam. In confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victurus inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum roboramur & confirmamur ad pugnam. Rabanus quoque de virtute huius Sacramenti sic ait: Signatur baptizatus cum Chrismate in capitis summitate per Sacerdotem, per Pontificem in fronte, vt in priori vnctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio ad habitandum. In secunda quoque eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, scientiæ, & virtutis, venire in hominem declaretur. Sed quomodo plenitudo scientiæ confertur idiotæ vel paruulo in confirmatione? Nunquid aliquis literatus non confirmatus, maiorem habet scientiæ plenitudinem? Reuera maiorem habet industriam & exercitium scientiæ, sed non habet scientiam, quæ est virtus, donum, scilicet, Spiritus sancti, si est in peccato mortali, nec habet in tanta plenitudine, licèt peccato mortali careat. Paruulus enim in habitu, maius habet donum scientiæ: & idiota virtutem illam, quæ scientia dicitur, magis habet radicatam ex virtute confirmationis, licèt non habeat tantum exercitium, quantum habet literatus, qui non est confirmatus, & minorem habet charitatem. Licèt autem continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Confirmatio enim armat, instruit, & roborat ad agones huius seculi & prælia reseruandos. Vnde valde delinquunt Episcopi, si ex defectu & negligentia eorum, hoc tam necessario Sacramento, eorum Parochiani priuentur. Sed etiam statim transituris credimus hoc Sacramentum valere ad maiorem coronam, vnde nec magni, nec paruuli, nec morientes, nec victuri, huiusmodi priuandi sunt adiumento Sacramenti. Chrisma autem quo in fronte vnguntur, ex oleo & balsamo conficitur, vt per eorum proprietates, spiritualis gratia declaretur. Oleum enim ardendo illuminat, medicando sanat, commixtum aquis ipsas purificat. Vnde per ipsum Spiritus sanctus intelligitur, qui ardore charitatis mentem inflammans illuminat, peccatorum vulnera sanat, ad ueniens aquis Baptismi, ipsas sanctificãdo purificat. Balsami liquor odorem bonũ ex se emittit, & à putredine custodit. Et Spiritus sanctus bonum odorem virtutũ tribuit, & mentem incorruptam conseruat. Debet autem hoc Sacramentum conferri ieiunis, propter reuerentiam, & corde priùs contritis, quando confertur adultis, & ab Episcopo ieiuno per impressionem crucis & inuocationem Trinitatis, sicut ex ipsa verborum forma superiùs expressa, manifestum est. Efficitur autem Episcopus patrinus seu pater spiritualis eius quem confirmat. Similiter & is qui eum tenet, vel frontem ligat, vnde non est tenendus à patre suo, ille qui confirmatur, sic enim compaternitas cum vxore sua, quæ mater est confirmati, contraheretur. Pari ratione non est tenendus vel ligandus à matre. Debet autem pannus, quo ligatur in fronte, tertio die à Sacerdote deponi, & comburi, & cinis eius in piscina reponi. Similiter & frons hominis confirmati reuerenter super fontes Baptismi, vel super piscinam debet ablui.

*De virtute huius Sacramenti.*

*Contra negligentiam Episcoporum, qui Sacramẽtum istud ministrare cõtemnunt.*

*De mysterio Chrismatis.*

*Quod ieiunis, & à ieiunio hoc sacramentum debet conferri propter reuerentiam.*

*Quòd tã Episcopus quàm ille qui tenet illum, qui confirmatur patrinus eius efficitur.*

*Quod vsque ad tertium diem propter reuerentiã ligato frõte incedit confirmandus.*

Hæc autẽ de Sacramento Confirmationis dicta sufficiant, quæ ad festum sancti Spiritus specialiter pertinere noscuntur, in quo Spiritus sanctus, qui priùs in Baptismo collatus est, ad incrementum datur, ad robur & fortitudinem, & ita alium Paracletum, id est, ad aliud nobis confert DOMINVS. Propterea in hodierno Euangelio CHRISTVS ait: Ego rogabo Patrem, scilicet, secundum quod homo, nam secundum quod DEVS, ipse cum Patre dat Spiritum sanctum, & alium Paracletum dabit vobis, id est, Spiritum sanctum ad alium vsum. Vel alium Paracletum quàm ego sim, id est, alium Consolatorem seu Aduocatum, dabit vobis. CHRISTVS enim quamdiu cum illis erat, eos visibiliter consolabatur: Spiritus autem sanctus inuisibiliter. Ipse enim CHRISTVS Aduocatus est suorum, sicut & Spiritus sanctus. Vnde Apostolus ait: Aduocatum habemus apud Patrem, IESVM CHRISTVM. Licèt autem alium Paracletum Pater eis daturus esset, non tamen CHRISTVS relicturus erat eos, sed semper eorum Paracletus fuit. Sicut ipse ait: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos: quasi dicat: Non ita Spiritum sanctum mittam, quod vos dimittam, sed ero vobis in Patrem. Vnde ipse alibi ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Et si absens sit per humanitatem, præsens tamen est per diuinitatem. Nobiscum etiam est in Sacramento Altaris, secundum humanitatem, præsens enim est, licèt inuisibilis. Qualis autem sit ille alius Paracletus, quem daturus erat à Patre, ostendit, cùm ait: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Non enim inuisibiles & spirituales oculos habet mundana dilectio. Si autem Spiritus sanctus non sit in nobis, non potest eius scientia vel notitia esse in nobis. Spiritum igitur veritatis non potest mundus accipere, quia spiritum habet falsitatis. Nulla autem est conuentio Christi ad Belial, vel veritatis cum falsitate. Contraria enim in eodem esse non possunt. Non potest ergo accipere mundus spiritum veritatis, quia non habitat cum spiritu vanitatis, sicut scriptum est: Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Mundi ergo amatores, quia inimici sunt DEI, non possunt accipere spi-

1. Ioan. 2.

Matth. 28.

*Quod mundi amatores spiritũ sanctum accipere non possunt.*

2. Cor. 6.

pere ſpiritũ Dei. Amatores enim falcitatis, neceſſe eſt priuari ſpiritu veritatis. Spiritũ igitur veritatis non poteſt accipere mundus, remanens amator mundi, cum quo nunquã eſt amator Dei. *Expoſitio literæ.*

Vos autem, ait Dominus, cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit: & idcirco, ſcilicet, vos illuminabit, & eius notitiam vobis inſpirabit: vt cognoſcatis eum in præſenti, non ſolùm per fidem, ſed per dulcedinis experientiã. In futuro autem per ſpeciem. Vnde ad Romanos Apoſtolus ait: Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij DEI, id eſt, recognoſcere facit mentem noſtram, quod facta remiſsione peccatorum, per ipſum in filios adoptati ſumus. Cognoſcimus enim per fidem, quod in Eccleſia ſit peccatorum remiſsio in Spiritu ſancto. Et ad Corinthios ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Multi enim habent dona Dei, & neſcientes vnde habeant, impia vanitate iactantur. Nemo autem de donis Dei beatus eſt, qui donanti eſt ingratus. Qui enim non habet, ſcilicet, prout debet habere, id eſt, qui neſcit vnde habeat, etiam id quod habet, auferetur ab eo. Illuminat igitur Spiritus ſanctus illos, in quibus eſt, vt cognoſcant ipſum, & dona, quæ ab ipſo habent. Mundus autem non poteſt accipere eum, vnde non cognoſcit eum. Propterea Apoſtolus ad Corinthios ait: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus DEI. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Animalis homo dicitur ſenſu animi ſtolidus, ſcilicet, beſtialis, ſicut illi, qui de Deo, iuxta corporum phantaſiam, vel legis literam, vel rationem Philoſophicam tantùm iudicant. Huiuſmodi homo animalis non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi ſecundum humanum ſenſum, quia nihil æſtimat poſſe fieri, niſi quod nouit quomodo fiat: Vnde Virginis partum, & reſurrectionem corporum & conſimilia, ſtultitiam reputat, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur, id eſt, per ſpiritualia, quæ improbat, quod ſit animalis comprobatur, vel examinatur, legatur imperſonaliter, ſub hoc ſenſu: Quia examinatur ſpiritualiter, id eſt, examinatio & comprobatio illorum ſpiritualium tantum à ſpirituali homine habet fieri. Spiritualis autem iudicat, id eſt, diſcernit & intelligit omnia, quæ, ſcilicet, ad iuſtitiam & vitam ſufficiunt, ſcilicet, omnia iudicanda, & ipſe à nemine iudicatur, id eſt, à nullo animali homine intelligitur, vtrum benè an malè intelligat. Vel non iudicatur, id eſt, non reprehenditur ab animali, qui nec ſenſum DEI, nec ſenſum hominis ſpiritualis agnoſcit. Quod autem ſubiungit DOMINVS: *Expoſitio literæ.* Adhuc modicum, & mundus me iam non videt: vos autem videtis me, intelligi poteſt de viſione, qua viſus eſt ſolis bonis, poſt reſurrectionem apparens eis. Mundo autem, id eſt, mundi amatoribus, ſe non oſtendit. Vel de viſione gloriæ, qua in iudicio & poſt iudicium oſtendet ſe ſuis. Mundus autem illum non videbit in gloria, quia tolletur impius ne videat gloriam DEI. Modicum autem eſt tempus vſque ad iudicium, reſpectu æternitatis. Et idcirco dicit Dominus: Adhuc modicum, & mundus iam me non videt: vos autem videtis me, id eſt, in proximo videbitis poſt reſurrectionem, quando apparebo vobis, vel in æterna beatitudine. Vnde Dominus ſubiungit: Quia ego viuo, & vos viuetis, id eſt, in proximo reſurgam in vera immortalitate, & vos in futuro reſurgetis, & vſque in finem veſtra reſurrectio differetur. Vel cauſaliter intelligi poteſt ſub hoc ſenſu: Quia ego viuo, vos viuetis, quia per me viuentem viuetis, vita mea erit cauſa vitæ veſtræ. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in CHRISTO omnes viuificabuntur. Quod autem de vita æterna intelligat, oſtendit, dicens: In illo die vos cognoſcetis, quia ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. In hoc autem die ſeculi per fidem ambulamus, & non per ſpeciem, nec habemus cognitionem plenam, quia videmus nunc in ſpeculo & in ænigmate. Sed in illo die æternitatis, quando, ſcilicet, viuetis, vos cognoſcetis, quia ego in patre meo. Hæc eſt enim vita æterna, cognoſcere filium procedentem à patre. Tunc enim per ſpeciem videbitur ſicuti eſt, quando, ſcilicet, viuemus vita illa, qua mors abſorbetur. Tunc enim perficietur, quod hîc inchoatur, vt, ſcilicet, ipſe ſit in nobis, & nos in ipſo. Ipſe eſt in nobis tanquam cauſa in effectu per eſſentiam. Ipſe in iuſtis per gratiam: Ipſe in beatis per gloriam: & nos ſumus hîc in ipſo fide, ſpe & charitate, illi adhærendo. Tunc autem plenè in ipſo erimus, quando indiſſolubili charitate illi adhærebimus. Ad hanc autem gloriam perueniemus per dilectionem & mandatorum Dei obſeruantiam. Propterea Dominus ait: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum, id eſt, ad hoc diligam, vt meipſum illi manifeſtem. In cognitione enim & dilectione atque perfruitione, vita beata conſiſtit. Quantò autem magis Deus cognoſcetur, tantò amplius diligetur: & qui magis diliget, magis perfruetur. Nunc enim ad hoc diligimus, vt credamus, & mandatũ fidei teneamus. Tunc ad hoc diliget nos, vt ipſum videamus, & in ipſa viſione mercedem fidei capiamus. Nunc enim diligimus credendo, quod vidimus, tunc videndo diligimus quod credidimus. In præſenti Spiritus ſanctus quaſi in arrã datus eſt nobis, in futuro traderetur nobis in preciũ. Vnde ad Epheſ. Apoſt. ait: Signati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtrę. Signati, id eſt, à grege diaboli diuiſi, vel ſignati imagine Dei in nobis reformata. Spiritu ſancto promiſsionis, id eſt, per Spiritũ ſanctũ, qui promiſſus eſt nobis, hîc in pignus, in futuro autem in

*Rom. 8.*

*1. Cor. 2. Homo ſpiritualis cognoſcit, quæ data ſunt illi: animalis nõ percipit, quæ Dei ſunt. Matth. 25.*

*1. Cor. 2.*

*2. Cor. 5. Ioan. 17. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13.*

*De arra ſpiritus ſancti. Epheſ. 1.*

præmium. Vnde ipse subiungit: Qui est pignus hæreditatis nostræ. Quidam autem codices melius habent arram. Nam arra pars est pretij: pignus verò soluto eo pro quo datur, aufertur, sed vnum ponitur pro alio, id est, pignus pro arra. Datur igitur in præsenti Spiritus sanctus tanquam arra ad peccatorum remissionem, & virtutum infusionem, atque infusorum roborationem. Datur insuper ad consolationem, vbi enim multiplex tribulatio, multiplici indigemus consolatione. Ipse autem verè Paracletus est, id est, consolator, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Ipse pater pauperum, ipse dator munerum, ipse lumen cordium. In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

*De multiplici consolatione spiritus sancti.*

Quem die crastina ad gratiæ multiplicationem & virtutum confirmationem, id est, ad robur & constantiam recepturi sumus, si eius aduentum cum desiderio expectantes, purum cordis hospitium illi præparemus. Præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum.

AMEN.

# IN DIE SANCTO PENTECOSTES, THEMA DE INTROITV MISSÆ, SVMPTVM EX LIBRO SAPIENTIAE.

*Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & ad hoc continet omnia, scientiam habet vocis.* Sapien. 1.

VOs qui spirituales estis in hac Spiritus sancti solemnitate, in spiritu gaudeatis & spiritualiter exultetis. Fructus enim spiritus, vt ait Apostolus, est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, & castitas. Nisi enim tales fuerimus, festum sancti spiritus non valemus celebrare, nec tantæ solemnitatis fructum percipere. Fructus enim huius solemnitatis est charitas, id est, dilectio Dei & proximi. Gaudium, id est, puritas conscientiæ & eleuatio animi spiritualiter exultantis. Pax, id est, tranquillitas conscientiæ ad Deum, & concordia ad proximum. Patientia, id est, tolleranția tribulationum sine murmuratione. Longanimitas, id est, cœlestis remunerationis expectatio. Bonitas, id est, animi dulcedo. Benignitas, id est, rerũ largitas in exhibitione beneficiorum. Bonitas enim dicitur in affectu: Benignitas in effectu. Mansuetudo, vt sit homo mitis & tractabilis. Fides, id est, de inuisibilibus certitudo. Modestia, vt, scilicet, in dictis & factis modum seruet homo. Continentia, qua etiam à licitis homo abstineat. Castitas per quam ab amplexibus illicitis abstinemus. Si igitur his virtutibus exornati fuerimus, festum sancti Spiritus oportunè celebrare poterimus. Si ergo spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Spiritu ambulate, ait Apostolus, & desideria carnis non perficietis, quia gustato spiritu, desipit omnis caro. Vincit autem omnis carnalis cupiditas, vbi non est Dei charitas. Seminemus igitur hodie in spiritu, id est, semen spirituale à Spiritu sancto, cuius messis est æterna retributio. Teste enim eodem Apostolo: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Festum igitur Spiritus sancti, spiritualiter agamus. Festum ignis est, ferueamus. Festum est columbæ, simplices & benigni simus. Festum est vnctionis, suaues estote, & vncti charitate. Scriptum est enim in libro Sapientiæ: O quàm bonus & suauis Domine, est spiritus tuus in nobis. Festum est fluminis & aquæ salientis in vitam æternam. Lauamini igitur & mundi estote. Festum est fontis de Paradiso egredientis, omnes sitientes venite ad aquas. Festum est Paracleti, currite ad consolationem lugentes. Festum est luminis, festum, scilicet, illuminatoris cordium, accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Hodie siquidem Eliseus noster oleo spirituali vasa vacua, id est, humilium corda impleuit. Hodie fluuius egrediens de loco voluptatis, Paradisum irrigauit, id est, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens, Ecclesiam irrigando virescere & fructificare facit. Hodie rore cœlesti compluta est area Gedeonis, dum Spiritus sancti gratia corda fidelium irrigauit. Hodie columna nubis & ignis contra vitiorum ardorem refrigerium præstitit, & contra ignorantiæ tenebras veros Israëlitas in deserto huius exilij illuminauit. Hodie oleo de cornu sumpto, vnctus est Dauid, id est, Apostolorum chorus, manu fortis & aspectu desiderabilis. Cornu autem quod de carne oritur, sed carnem excedit, CHRISTVM hominem significat. Hodie de excelso, id est, de patre, misit Deus ignem in ossibus Ecclesiæ, id est, in Apostolis, qui priùs erant carnei, & facti sunt ossei, fortes, scilicet, & robusti, & erudiuit eos, id est, extra ruditatem posuit, vt de idiotis & rudibus, sapientissimos efficeret. Vnde in Threnis Ieremias ait: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Hodie puer septies oscitando reuixit, dum os cordis aperiens per desiderium septiformem spiritum sanctum attraxit. Hodie Dominus legem daturus in igne & fumo descendit. Humiles enim sua illuminauit claritate, & superbos erroris caligine obscurauit. Mons Sinai tremuit, quia commota est, & contremuit terra. Audita sunt tonitrua prædicationum & vox tubæ, vox, scilicet, terribilis comminationum, & corruscationes miraculorum. Hodie vox Domini super aquas, id est, super congregationem populorum, Deus maiestatis intonuit. Die isto velut in anno iubileo, debita peccatorum remissa sunt, & propriam hæreditatem exules recuperauerunt, & ad pristinam libertatem serui redierunt. Hodie Dominus rigauit montes, id est, Apostolos præeminentes de superioribus suis. Hodie Dominus in spiritu iudicij & spiritu ardoris, sordes filiarum Sion abluit. Ignis enim corda discipulorum purgauit illuminando. Hodie enim ignem venit mittere in terram, vt arderet, & peccatorum rubiginem consumeret. Hodie terra mota est, etenim cœli distillauerunt, id est, Apostoli pluuia gratia irrigati stillas doctrinæ emiserunt. Vel cœli distillasse dicuntur, dum Spiritus sanctus ad irrigandam terram de cœlo transmittitur.

*Galat. 5. De multiplici fructu spiritus sancti, & exponitur authoritas Apostoli.*

*Quales in hac solemnitate esse debeamus & de diuersis appellationibus spiritus sancti.* *Sapien. 12. Ioan. 4. Isa. 1. Gen. 2. Isa. 55.*

*De diuersis mysteriis, quibus hæc solemnitas præfigurata est.* *4. Reg. 2. Gen. 2. Iud. 6. Exod. 13. 1. Reg. 16.*

*Thren. 1. 3. Reg. 4. Exod. 19.*

*Leuit. 25.*

*De præeminentia huius solemnitatis, et de multiplici effectu spiritus sancti.*

*Exod.15.* Hodie flant ſpiritus Domini,& operuit eos mare, id eſt,dæmones,exufflauit dum fideles inſpirauit. Renouauit homines & deſtruxit dæmones. Vel eos mare operuit,id eſt, Chriſti inimicos,amaritudo contritionis. Vnde & Petro dixerunt: Viri fratres,quid faciemus? Vnde & in tribus milibus pœnitentium hodie fundata eſt Eccleſia primitiuorum. Ipſe enim dedit hodie niuem ſicut lanam, quia priùs erant frigidi, poſtmodum per donum pietatis facti ſunt ſuaues, & per ignem ſuperni amoris calidi & feruentes. Hodie ignis ſpiritus ſancti ante ipſum præceſsit, præparans viam Domino, & inimicos inflammauit, quia perſecutores ad Chriſtum conuertit,& prauos motus deſtruxit. Sicut enim pater dederat filium vt ſuos redimeret, ita hodie dedit ſpiritum ſanctum, vt in filios adoptaret. Hodie, ſicut legimus in Iob, pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos dedit, quia pro infirma actione fortitudinem tribuit robuſti operis, & pro robuſto opere doctriam intimæ prædicationis. Hodie enim Spiritus ſanctus mentes carnalium ſpirituales fecit, & in ſui amorem permutauit. Hodie Apoſtoli ſuxerunt mel dulcedinis de petra,id eſt, CHRISTO: & oleum,id eſt, vnctionem chariſmatum,de ſaxo duriſsimo, id eſt,de filio Dei,immortali & impaſsibili facto. Hodie mandragoræ dederunt odorem in portis noſtris,quia ex donis ſpiritus ſancti in portis Eccleſiæ,id eſt,in Apoſtolis, odor ſuauitatis & recreationis emanauit. Hæc herba figuram habet humanam, & vtilis eſt ad ſoporem inducendum,& vomitum excludit. Ita virtutes & dona ſpiritus ſancti inducunt quietem contra mundi ſollicitudinem,& tædium excludunt. Hodie miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem: Abba pater. Abba idem eſt quod pater, Hebræum verbum,quod ad conuerſos de Iudæis pertinet, Pater ad conuerſos de Gentibus. Spiritus autem ſanctus facit nos clamare: Abba pater. Quod nunquam præſumeremus,niſi ſpiritum adoptionis filiorum reciperemus. Hodie oſtendit Dominus abundantes diuitias gratiæ ſuæ,ſicut Apoſtolus ait: Nam ſpiritum ſanctum in magna abundantia ſuper diſcipulos effudit, quemadmodum per Ioël Prophetam prædixerat: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Priùs enim lex Moſaica ſcripta fuit in tabulis lapideis. Hodie autem Dominus abſtulit cor lapideum & dedit cor carneum,tractabile,compatiens & affectuoſum. Vnde Ieremias ait: Dabo leges meas in mentes eorum,& in corda eorum ſcribã eas,& ero eis in Deũ. Ipſe enim ſcriba velox,verè ſcribens in cordibus hominum. Regula enim Euangelica regulauit pergamenum cordium noſtrorum. Hodie ſapientia patris ſpecialem domum in diſcipulis ædificauit, quemadmodum Salomon ait: Et excidit columnas ſeptem, quia ſeptem donis ſpiritus ſancti roborati ſunt diſcipuli. Hodie vox Domini ſuper aquas, id eſt, ſuper populos ex omni natione congregatos,quia Deus maieſtatis intonuit, quando de cœlo factus eſt repente ſonus. Hodie calida facta ſunt veſtimenta Apoſtolorum, cùm perflata fuit terra Auſtro, id eſt, ſpiritu ſancto,qui veſtimenta virtutum reddidit feruentia. Vnde in Iob Dominus ait: Nónne calida ſunt veſtimenta tua, cùm perflata fuerit terra Auſtro? Hodie ſpiritus ſanctus tanquam thebintus extendit ramos ſuos,præſtans vmbram refrigerij & chariſmata gratiarum, diuidens ſingulis prout vult. Hodie enim dũ diſcernit cœleſtis Reges,id eſt, Apoſtolos ſuper eã, id eſt, ſuper Eccleſiam,niue dealbati ſunt in Selmon, id eſt, in candore innocentiæ incomparabiliter dealbati ſunt, & refrigerati ſpiritu ſancto eius obumbrante. Selmon enim vmbra interpretatur. Hodie melliflui facti ſunt cœli, id eſt, Apoſtoli. Stillauerunt enim montes dulcedinem prædicando, dum cœli enarrauerunt gloriam Dei. Hodie vinum nouum gratiæ miſit Deus in vtres nouos, id eſt, in Apoſtolos, per gratiam innouatos. Sicut enim aſcenſus nebulæ pluuiam parit, ita Chriſtus poſt aſcenſionem dedit dona hominibus & abundantia cœleſtis pluuiæ corda Apoſtolorum irrigauit. Hodie ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum,& hoc quod continet omnia,ſcientiam habet vocis, quemadmodum in libro ſapientiæ dicitur: Ecce quanta præeminentia huius ſanctæ ſolemnitatis, quanta materia laudis & gratiarum actiones. Repleuit enim ſpiritus Domini donis chariſmatum orbem terrarum, id eſt, Eccleſiam per vniuerſum orbem dilatatam. Repleuit orbem terrarũ,id eſt,hominem,qui cum omni creatura habet conuenientiam. Vnde & Microcoſmus, id eſt, paruus mundus appellatur. Spiritus autem Domini,qui ab initio ferebatur ſuper aquas,maieſtate ſua omnem implet creaturam, quia vbique præſens eſt eſſentialiter, & omnia continet atque in eſſe conſeruat. Replet igitur orbem terrarum, id eſt, mundanam machinam, & omnia quæ in ea continentur eſſentialiter: ſolum autem hominem iuſtum replet donis chariſmatum. Repleti autem ſunt diſcipuli, vt alterum non reciperent ſpiritum, quia plena non recipiunt augmentum. Replet autem ſpiritus ſanctus orbem terrarum multipliciter. Replet ſui eſſentia, replet efficientia, replet ſufficientia, replet inanimata ineſſe conſeruando, replet animata inſenſibilia vegetationem conferendo, & ſenſibilia virtutem ſenſibilem largiendo,replet rationabilia dotes ſuas conferendo. Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem, dedit ſpiritus ſanctus in ſinum fidelium ſuorum. In Chriſto fuit menſura ſupereffluens & plenitudo ſuperabundantiæ,in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi fuerunt. Sapientiæ de diuinis,ſcientiæ de humanis: ſine menſura enim datus eſt ei ſpiritus ſanctus. In beata Virgine fuit menſura coagitata,id eſt,plenitudo affluentiæ. In Apoſtolis fuit menſura conferta, id eſt, plenitudo copiæ. In aliis fidelibus fuit menſura bona, id eſt, plenitudo ſufficientiæ. Illa autem corda vacua ſunt & inania, & à diabolo poſsidentur, quæ ſpiritui ſancto non

*Iob 22.*
*Deut. 32.*
*De mandragoris. Cant. 7.*
*Galat. 4.*
*Rom. 8.*
*Epheſ. 3.*
*Ioël. 2.*
*Exod. 24.*
*Ezech. 36.*
*Ierem. 31.*
*1. Eſd. 7.*
*Prouer. 9.*
*Act. 2.*
*Iob 37.*
*Eccleſ. 24.*
*2. Cor. 12.*
*Ioël. 3.*
*Matth. 9.*
*Marc. 2.*
*Luc. 5.*
*De repletione orbis per ſpiritum ſanctum, & de multiplici orbe terrarum, & multiplici repletione.*
*Gen. 1.*
*Luc. 6.*
*De menſura multiplici.*
*Coloſ. 2.*
*Ioan. 3.*

non implentur. Vnde in Iob dicitur: Qui extendit Aquilonem super vacuum, id est, diabolum, super vacua corda reproborum. Econtrà de electis in Iob dicitur: Qui fecit ventis pondus. Spiritus enim sanctus ventis pondus facit, quia animas illas, quas replet maturitate, graues reddit. Replet igitur Dominus corda suorum plenitudine abundantiæ. De qua abundantia per Zachariam Prophetam Dominus ait: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratię & precum. Et in Ecclesiastico dicitur: Implet Dominus quasi Phison sapientiam, & sicut tigris in diebus nouorum. Per Phison qui oris mutatio interpretatur, Apostoli designantur. Dominus autem Apostolis dedit abundanter sapientiam, mutans ora eorum, vt qui priùs timebant Christum confiteri, posteà dicerẽt: Non possumus non eloqui quæ audiuimus & vidimus. Phison autem circuit terrã Euilath, quod interpretatur dolens vel parturiens. Illos enim Dominus implet & protegit, qui de peccatis suis dolent & bona opera parturiunt, ac filios spirituales Deo generant. Tigris autẽ fluuius est, sic dictus à velocitate cursus. Tigri autẽ cõparantur Apostoli propter prædicationis velocitatẽ, qui repleti sunt in diebus nouorũ, id est, in die Pentecostes. Tunc enim panes noui, recentes q;, & calidi offerebãtur. De hac iterũ copia repletionis Propheta Zachar. ait: Erit fons patens domui Dauid in ablutionẽ peccatorum & menstruatæ. Fons patens dicitur abundantia gratiæ, per quam sordes peccatorum abluit Dominus. Et paulò pòst idem Propheta subiungit: Erit omnis qui offenderit sicut Dauid, & sicut domus Dauid, & sicut Angelus Domini exercituum. Sicut Dauid per confessionem & pœnitentiam. Et sicut domus Dauid per bonam operationẽ, per quam spiritui sancto in nobis cõstituimus habitaculum. Et sicut Angelus Domini aliis prædicando & bona nuntiando. Hæc enim in Ecclesia facta sunt post spiritus sancti missionẽ. De hac iterũ orbis terrarum repletione & gratiæ plenitudine Dominus per Ioël Prophetam ait: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Verbũ effusionis abundantiã notat, quasi dicat: In modũ fluminis effundã gratiæ flumẽ, & charismatũ dona super omnem carnem, masculũ, scilicet, & fœminam, Iudæum & Gentilem, super omnes credentes in vniuerso mundo, quia non est distinctio Iudæi & Græci, sed in omni gente quicunque credit in eum, acceptus est illi. Vel super omnem carnem, id est, super cor carneum & non lapideum. Et prophetabunt filij vestri, qui, scilicet, maioris sunt meriti: & filiæ vestrę, hi, scilicet, qui minoris sunt meriti. Ad literã autem tam masculos quàm fœminas, post spiritus sancti missionẽ legimus prophetasse. Agabus enim prophetauit in Cæsarea, plures Prophetæ in Antiochia. Filiæ etiam Philippi Euangelistæ leguntur prophetasse. Senes vestri somnia somniabunt, qui, scilicet, maiores sunt inter vos, & sapiẽtia pleni, vel proiectioris ætatis. Quædã autẽ prophetiæ & reuelationes per somnia fiunt. Vnde & in somnis dictũ est Paulo cùm iam senex esset, vt in Macedoniã transiret. Somnia etiã figuras & vmbras possumus accipere, quæ futurorũ significationẽ prætendunt. Iuuenes vestri visiones videbunt, vt Petrus, qui vidit discũ cum reptilibus, quando dictũ est ei: Macta & mãduca. Et Paulus cùm adhuc iuuenis esset, postquã in via Damasci visionem vidit, postmodum raptus in extasi, vidit & audiuit mirabilia, quæ non licet homini loqui. Iuuenes etiam dicuntur per gratiam innouati, qui visiones vident, vel interius inspirati, sicut Ioannes in Apoc. vel exterius per figuras & rerũ similitudines, multa illis reuelantur. De hac rursus spiritus sancti effusione, idẽ Prophera consequenter subiungit: Sed & super seruos meos & ancillas meas in diebus effundã spiritum meum, & dabo prodigia in cœlo sursum, & in terra deorsum, sanguinem, ignem, & vaporem fumi. Et paulò pòst: Et erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Hi igitur, id est, serui & ancillæ, & si non prophetauerint, sola spiritus effusione contenti sunt. Prodigia propriè dicuntur, quæ oculis produntur. Prodigium in cœlo dedit, cùm stella noua apparuit in natiuitate, & cùm Sol obscuratus est in passione, & quando auditus est repentè de cœlo sonus. Prodigia autem dedit in terra, quando in passione petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & quando super Apostolos spiritus sanctus in specie ignis apparuit. Dedit autem prodigium sanguinis, quando de latere eius mortui sanguis cum aqua exiuit. Prodigiũ ignis dedit, quando spiritum sanctum in specie ignis super Apostolos misit. Vaporem etiam fumi dedit, id est, cordium compunctionem cum lachrymis. Per vaporem enim humor lachrymarum cum feruore designatur. Per fumum, qui procedit ex igne, compunctio, quæ procedit ex spiritu sancto, significatur. Sicut scriptum est: Tange montes & fumigabunt. Magnus autem fumus signum est magni hospitis. Fumum compunctionis dedit in ipso die Pentecostes, quando compuncti dixerunt Apostolis: Quid facimus viri fratres? Hæc igitur tria sunt signa quibus agnoscuntur milites CHRISTI, & ipsius vexilla. Sanguinis signum seu vexillum secuti sunt Martyres CHRISTI. Ignis verò vexillum sequuntur, qui charitate feruentes sunt. Fumi autem signum sequuntur pœnitentes, qui corde contriti sunt. Sed & diabolus milites suos habet, qui signa eius & vexilla sequuntur in ornatu corporis superfluo, & in pompis huius seculi. Quod autem Propheta ait: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, intelligimus de inuocatione cordis, oris, & operis. Vel inuocauerit, credendo, scilicet, & operando. Alioquin non omnis qui dicit: Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum. Vnde ad Corinthios Apostolus ait: Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu, & nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Nemo enim in spiritu sancto loquens

*Iob 26.* *Iob 28.*

*De plenitudine & abundãtia gratiæ.* *Zach. 12.* *Eccles. 24.*

*Act. 4.* *Gen. 2.*

*Leuit. 23.* *Zach. 13.* *Isa. 4.*

*Rom. 10.* *Act. 10.* *Ezech. 36.*

*Act. 21.*

*Act. 10.*

*Act. 9.*

*Matth. 2.*

*Luc. 23.* *Act. 2.* *Matth. 27.* *Ioan. 19.*

*De sanguine, igne, et fumo.*

*De triplici inuocatione.* *Matth. 8.* *Luc. 13.*

*1. Cor. 12.*

corde,ore,& opere,dicit anathema Iesu,id est,aliquam separationem à Iesu,quodcunq;,scilicet,mortale peccatũ,per quod à Domino Iesu separetur. Vel dicit anathema Iesu,id est,aliquã blasphemiam Christo. Anathema etiam Iesu dicit,qui eum separat à Deo,dicẽdo illum à Deo non esse,vel minorem esse patre. Et nemo potest dicere cogitatione, ore, & opere,Dominus Iesus,id est,Iesus est Dominus,& ego seruus eius,nisi per spiritum sanctum. Et ita omne bonum est à spiritu sancto. Nemo enim potest facere bonum vel vitare malum,nisi ab illo. Ipse enim omnia continet & gubernat,& omnia in esse suo conseruat. Non solùm enim spiritus sanctus replet orbẽ terrarũ,sed insuper hoc quod cõtinet omnia,scientiã habet vocis,id est,spiritus sanctus,qui omnia cõtinet,& vbiq; prẽsens omnia cõseruat,scientiã habet vocis,id est,dat loquendi scientiam. Dicitur enim scire,quia nos scire facit. Sicut filius de die illa dicitur non scire,quia non facit scire. Vnde ad Romanos ait Apostolus: Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est,postulare nos facit & gemere,plusquam dici possit. Vel gemitibus inenarrabilibus,id est,de re inenarrabili. Et ad Corinthios ait: Spiritus omnia scrutatur,etiam profunda Dei,id est,scrutari & intelligere facit arcana & profunda mysteria. Facere igitur dicitur,quod per illum facimus, & sine illo non facimus. Potest etiam intelligi de Ecclesia,illud quod ait: Hoc quod continet omnia,scientiam habet vocis,id est,Ecclesia,quæ de omni Gente continet aliquos,omnibus linguis scit loqui. Sicut autẽ extra orbẽ terrarũ nulla corporis creatura viuere potest, ita nulla spiritualis viuere potest extra Ecclesiam, & idcirco Ecclesia orbis terrarum appellatur. Homo etiam continet omnia,qui,scilicet,cum omnibus rebus habet conuenientiam, scientiam habet vocis per spiritum sanctum, id est, scientiam verbi incarnati, vel Euanglicæ prædicationis. Habet præterea spiritus sanctus scientiam vocis,tam interioris quàm exterioris. Ipse enim omnia nouit. Vnde & in libro Sapientiæ dicitur: Benignus est spiritus sapientiæ,& non liberabit maledictum à labiis suis,quoniam renum illius testis est Deus,& cordis illius scrutator est verus,& linguæ eius auditor. Non liberabit maledictum à maledicente à labiis suis,id est,à pœna,quæ debetur ei pro peccatis labiorũ,vnde non liberabit maledicentem corde,quamuis ore benedicat,à labiis suis, id est,propter labiorũ suorum benedictionem,teste enim Isa. Non secundũ auditũ aurium iudicabit,id est,nõ secundũ os,sed secundũ cor. Quomã renum testis est Deus,id est,cogitationũ interiorũ & delectationũ. Vnde per Prophetã Ierem. ait: Ego sum Iudex & testis. Et cordis illius scrutator est verus. Vnde nõ fallitur scrutans corda & renes Deus. Et linguæ eius est auditor,nõ exauditor,sed cognitor. Ipse enim linguas & cogitationes agnoscit. Auris enim cœli,id est,spiritus zelantis,audit omnia,& tumultus murmurationũ non ascondetur. Custodite ergo vos fratres,à murmuratione,quę nihil prodest,& à detractione parcite linguæ. Quia sermo obscurus inuacuum non ibit,sed à Domino punietur,cui omne cor patet,& omnis lingua loquitur. Ipse enim scientiam habet vocis,ipse scientiã etiam habet cogitationis. Omnia enim continet,& vbique præsens est: Non latent eum secreta cordium vel idiomata linguarum. Hoc enim quod continet omnia,scientiã vocis habet,& omnes linguas agnoscit,sed & illas agnosci facit. Vnde & hodierna die in specie linguæ igneæ spiritus sanctus apparuit, dum super discipulos descendit, vt constantes essent & sitientes. In igne constantiæ robur,in lingua,quæ mentis conceptum exprimit,scientia designatur,& maximè,quia in vdo commoratur. Per aquam autem sapientia intelligitur: Sicut scriptum est in Parabolis: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens inundans sapientiæ fons. Ignis autem linguis sociatur,quatenus sic arderet igne dilectionis in corde,vt lingua prædicationis sonaret in ore. Vnde & Dauid ait: Spiritu principali confirma me. Et postmodum subiungit: Docebo iniquos vias tuas. Oportet enim priùs igne Spiritus sancti animam confirmari,& ad dilectionem accendi,& posteà iniquos docere vias Domini. Dicitur autem idem spiritus rectus, propter sapientiam, sanctus propter munditiam, principalis propter fortitudinem. Vnde Psalmus ait: Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Idem etiam spiritus rectus dicitur in catechismo, sanctus in baptismo, principalis in confirmatione. Potest tamen intelligi pater per spiritum principalem,propter authoritatem principij, & quia illi ascribitur potentia. Per spiritum autẽ rectum,filius,cui attribuitur sapientia. Per spiritum sanctum,tertia persona intelligitur, quæ specialiter spiritus sanctus appellatur, quia sanctificat & peccata remittit. Quod specialiter pertinet ad benignitatem,quæ appropriatur spiritui sancto. Vnde & Christus de spiritu sancto cõceptus esse dicitur,licèt conceptionem illam tota Trinitas operata sit,quia indiuisa sunt opera Trinitatis. Attribuitur tamẽ specialiter spiritui sancto,quia ex immensa benignitate & dilectione voluit Christus incarnari. Similiter, licèt tota Trinitas orbem terrarum repleat, & linguarum scientiam tribuat,specialiter tamen propter benignitatem & largitatẽ,de spiritu sancto dicitur. Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarũ, & hoc quod continet omnia,scientiã habet vocis. Hic est spiritus ille,qui in principio ferebatur super aquas, id est,super fluidos peccatores,qui licèt deserant Deum,Deus tamen eos non deserit,sed super eos fertur,sicut auicula super nidum suũ volat,quando pulli eius rapiuntur. Super aquas etiam baptismi fertur,quia fœcundat eas,vt per spiritum sanctum fideles regenerentur. Fertur etiam super aquas lugentiũ,vt eos consoletur. Hæc est illa virtus altissimi,quæ Mariæ obumbrauit. Hæc est virtus illa quam Dominus dixit exiisse de se,quando mulier illum retigit. Hic est digitus ille quo Christus eiiciebat dæmonia. Sicut enim in digitis plures sunt articuli, ita idem spiritus

*Professio et expositio thematis, & de scientia vocis.*
*Matth.24.*
*Marc.13.*
*Rom.8.*
*1.Cor.2.*
*Sign.1.*
*Ysa.11.*
*Ierem.30.*
*Sapien.1.*
*Act.2.*
*Multiplex assignatur ratio quare spiritus sanctus in specie linguæ igneæ datus est discipulis.*
*Prouerb.17.*
*De spiritu recto, sancto, & principali.*
*Quod multipliciter in scripturis designatus est spiritus sanctus.*
*Gen.1.*
*Luc.1.*
*Matth.5.*
*Matth.11.*

Spiritus sanctus diuersa tribuit dona charismatum. Vnde dicitur digitus propter distinctionem gratiarum. Hic est ignis ille, qui flamigerans erat in ossibus Ieremiæ. Hic est spiritus ille, quem Dominus insufflás in discipulos, dixit: Accipite spiritum sanctum. Hic est funis coccineus, quo liberata est Raab aliis pereuntibus: Hoc enim quasi fune coccineo ad se nos trahit Deus, sicut scriptum est: Traham illos in vinculis charitatis. Hæc est vnctio illa, qua vnctus est Christus. Vnde per Isaiam ait: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me. Hic est ignis ille, quem Dominus venit mittere in terram vt arderet: De quo in Deuteronomio dicitur: Deus noster ignis consumens est. Hic est ventus ille, quo perflante hortum Domini fluunt aromata illius. De quo vento dicitur: Flauit spiritus eius & fluent aquæ. Hoc vento puluis & palea peccatorum exufflantur, & ignis charitatis vehementer accenditur. Hæc est virtus illa, de qua Psalmus ait: Magnificentia eius & virtus eius in nubibus, id est, in Apostolis. Hæc est virtus, de qua in Euangelio dicitur: Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Hic est spiritus ille bonus, de quo Propheta dixit: Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam. Nã spiritus noster malus sæpe deduxit nos in terram inuiam, indirectam & peruersam. Ipse enim via est, & ductor in via, lumen in via, & comes iocundus in via. Ipse dè via ad patriam, de pugna ad victoriam & coronam, de exilio ad regnum, de terra ad cœlum, de luctu ad gaudium, de tenebris ad claritatem, de miseria ad æternam beatitudinem nos perducit, qui cum patre & filio sine fine viuit & regnat, Amen.

*Ierem.20.* *Iosue.2.* *Osee.11.* *Luc.12.* *Deut.4.* *Cant.4.* *Luc.5.*

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE lectione Actuum. 2.

*Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem locò.* *Actuum 2.*

QVIA de spiritu sancto hodie locuturi sumus, ipse spiritus adiuuet infirmitatem nostram, vt in spiritu & veritate dignè, & spiritualiter de tanta solemnitate loqui valeamus. Hodie enim Dominus discipulos suos nouos milites fecit, & arma noua illis tradidit, vt de Principe mundi triumpharent, & mundum fidei Christi subiugarent. Deuota siquidem sanctorum fides, inuicta spes credentium, æterna Christi charitas, mundi triumphat Principem. Hæc enim tria armorum genera Dominus illis fabrificauit à die resurrectionis vsque ad ascensionem in fide illos corroborans. Vnde & multis argumentis illis apparens armis fidei corda illorum muniuit. Ascendens autem in cœlum, vt prępararet eis mansiones cœlestes, armis spei illos roborauit. Tunc enim spem certam dedit, vt membra caput sequerentur, & tandem peruenirent corporis humanitas, qua præcessit capitis sublimitas. Sed quoniam fides sine charitate mortua est, charitas enim anima fidei est. Et iterum: Spes sine charitate præsumptio est, hodie compleuit armaturam, & eorum consummauit malitiam, vt essent milites perfecti fide, spe & charitate armati. In pugna enim tria principaliter necessaria sunt: Prudentia, Fortitudo, & Audacia. Fide illuminati sunt ad prudentiam. Spe confirmati & roborati ad fortitudinem. Charitate feruentes ad audaciam, vt quod fide nossent, & spe facere confiderent, charitate vellent. Nihil enim prodest nosse bonum, & posse vel confidere benefacere, nisi habeatur & velle. Hæc igitur sunt principalia arma, quibus discipulos suos armauit, sine quibus nemo potest efficaciter pugnare, vel de inimicis triũphare. Oportet ergo quod his armis omnes Christi milites muniãtur. Alia autem sunt arma secularia, quibus suos exornat milites spiritus sanctus prout vult, cum quibus, & sine quibus potest esse victoria. Diuisiones enim gratiarum sunt, quibus exornantur sancti, sicut scriptum est: Spiritus eius ornauit cœlos. Quot enim sunt dona prædicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. Teste autem Apostolo, alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, de diuinis, scilicet: Nam sapientia attenditur in contemplatione æternorum. Alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, id est, intelligentia de humanis. Scientia enim est in actione temporalium. Cui autem sapientia datur, velut sol in cœlestibus reputatur. Qui autem donum scientiæ habet, quasi luna est in huius seculi nocte. Hi autem quibus dona cætera dantur, quasi stellæ esse dicuntur. Vnde Psalmus ait: Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis. Alteri datur fides in eodem spiritu, id est, constantia fiduciæ, vel sermo fidei. Alteri gratia sanitatum, id est, donum infirmos curandi. Alij operatio virtutum, id est, maiorum miraculorum, quæ sunt contra naturam, sicut est suscitatio mortuorum. Alij prophetia, vt valeat, scilicet, prædicere futura. Alij discretio spirituum, vt discernat quod audit, dum alius loquitur, quo animo, aut bono aut malo dicatur: vel discretio boni spiritus à malo, quod valdè necesse est, quia angelus Sathanæ transfigurat se in angelum lucis. Alij genera linguarum, vt scilicet, linguis variis sciat loqui. Alij interpretatio sermonum, id est, diuinarum scripturarum vel linguarum visionum & allegoriarum: Hęc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Sicut enim idem Sol in diuersis rebus diuersas habet operationes. Alia enim emollit sicut ceram, alia indurat sicut testam luteam, & aquam conuertit in salem, alia albificat sicut pannum lineum, alia reddit nigra sicut cutem hominis. Ita idem spiritus in diuersis diuersos habet effectus, vt ex multarum personis facierum eius quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis, sicut ad Corinthios Apostolus ait. Personas autem multarum facierum dicit secundum diuisiones gratiarum, vt in Iob fuit facies patientiæ. In Moyse

*Rom.8.* *Ioan 4.* *De nouis militibus, & armis eorum principalibus.* *De multiplici genere armorum, & de diuersitate gratiarum.* *1.Cor 12.* *Iob.28.* *2.Cor.11.* *De diuersis operationibus eiusdem spiritus.* *Iob 5.* *Num.12.*

facies mansuetudinis. In Dauide facies humilitatis. In Daniele facies virginitatis, & sic intelligitur de aliis. Nõ enim oportuit vt omnes gratiæ vni conferrentur, sed diuersæ diuersis, quibus fratres fratribus in charitate & humilitate mutuo sibi deseruirent. Vnde Petrus ait: Tanquam boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Et ad Corinthios Apostolus ait: Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, id est dignitate & tempore primos vice Christi prædicantes, & omnium ordinatores & Iudices. Secundò Prophetas, mysteria, scilicet, scripturarum, & quædam futura reuelantes: quod de illis intelligimus, qui post Christi aduentum fuerunt. Tertiò doctores, sicut Augustinum, Hieronymum, Gregorium, & alios qui præcepta viuendi dederunt, vel alios literis instruxerunt: deinde virtutes, id est, eos qui miracula faciunt, qui tamen ponuntur post prædicatores, quia maius est docere quàm miracula facere. Exinde gratias curationum, id est, eos qui infirmos curant. Opitulatores, id est, eos qui maioribus opem ferunt, vt Titus Paulo, & Archiepiscopo Episcopi. Gubernatores, scilicet, minorum personarum, prælationes sicut presbyteri simplices. Genera linguarum, id est, gratiam loquendi variis linguis. Diligenter igitur vnusquisque attendere debet, quid sibi collatum sit à spiritu sancto, vt talentum sibi commissum multiplicet aliis ministrando. Quot ergo sunt gratiarum diuisiones, tot sunt Christi militum varietates. In primitiua autem Ecclesia contra tria hostium genera valdè necessaria fuit triplex gratia. Inuenerunt enim Apostoli Philosophos & sapientes huius seculi, contra quos necessaria fuit sapientia Dei, quæ absorbuit & stultam fecit sapientiã huius seculi, sicut scriptũ est: Absorpti sunt iuncti petræ, id est, cõparati Christo, & Christi sapientiæ iudices eorum, id est, Philosophi, qui aliis præeminentes videbantur. Cõtra autem rudes & simplices qui sapientiã prædicationis intelligere nequiuerũt, necessaria fuit gratia miraculorũ, vt qui non mouebantur prædicatione, mouerentur miraculorũ admiratione. Contra Reges autem & potentes huius seculi, qui corpora occidebant, necessaria fuit patientia. Vnde & in bello Gedeonis tubas habebant in manibus: Ecce sapientia prædicationis. Confregerunt lagunculas: Ecce sanctorum patientia, qui corporum lagunculas conteri cum omni patientia sustinuerunt. Fractis autem lagunculis cœperunt micare lampades, quæ in lagenis inclusæ fuerãt, quia sancti afflicti & occisi miraculis coruscare cœperũt. Et ita hostes fidei Christianæ superati Christi iugo colla subiecerunt, hoc est quod in Cantico Delbore dicitur: Noua bella elegit Dominus. Et quoniam in mundo vniuerso mittendi erant, & Christi Euangelium prædicaturi, necessarium valdè fuit, vt linguis omnium loquerentur, vt interpretibus non indigerent. Vnde & spiritus sanctus, sicut ex hodierna lectione habetur, non solùm in specie ignis, sed in similitudine linguarum super discipulos descendit, linguis vt essent perfui, & charitate feruidi. Omnes autem quos spiritus sanctus repleuerit ardentes, pariter & loquentes facit. Non solùm autem ardent in se, sed aliis loquendo accendunt: Nam otiosus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Ad literam autem apparuerunt exterius igneo colore dispertitæ linguæ, id est, radioli ignei in modum linguæ formati super capita discipulorum dispersi. Spiritualiter autem designatur, quod ignea debet esse prædicatoris lingua. Quia dum Deum amando prædicat, audientium corda inflammat. Linguæ igitur igneæ datæ sunt discipulis, vt essent zelo succensi & verbo eruditi. In lingua autem virtutem compassionis intelligimus, nam pro omnibus membris loquitur, & aliorum incommoda in se transformat. Si enim pes lędatur, lingua dicit: Quid me lędis? Sed & virtus discretionis in lingua intelligitur. Nam per illã sapores discernuntur. Nouum autem fuit sanctificationis signum, vt in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum. Diuisio autem linguarum facta est in ædificatione turris Babel, vbi nullus alium intellexit. Collectio autẽ linguarum facta est in ędificatione spiritualis turris in cœlum, vbi discipuli omnes linguas intellexerunt, & omnibus loquebantur. Quod superbia dispersit, humilitas recollegit. Qui igitur contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionẽ vnius linguæ perdiderunt. In his autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes vnitę sunt. Hic ergo humilitas vnitatem meruit, illic superbia confusionem. Linguæ autem septuaginta duæ esse dicuntur, & discipuli secundi ordinis sub hoc numero sunt electi, vt numerus prædicatorum concordet numero linguarum. Et per diuersitatem linguarum multarum gentes in vnitate fidei congregarentur. Diuersas autem linguas gentium in vnitatem fidei congregauit, eadem fidei lingua. Omnibus enim vnus Deus, vna fides, vna fidei lingua. Apparuit præterea spiritus sanctus in specie linguæ, vt conuenientia eius ad filium ostendatur. Lingua enim magnam habet cum verbo conuenientiam & cognationem. Et spiritus sanctus eiusdem est substantiæ cum filio. Omnibus autem linguis loquebantur. Sic enim futura Ecclesia in omnibus linguis pronuntiabatur. Omnes linguæ in homine vno, quia omnes gentes in vnitate erant congregandæ. Varia autem loquendi genera, id est, diuersos loquendi modos sancti prædicatores habent, dum aliis simplicia, aliis mediocria, aliis autem alta & profunda mysteria prædicant, aliis blanda allíciendo, aliis dura increpando. Vnde & per Phison intelliguntur, sicut in Ecclesiastico dicitur: Qui replet Phison sapientiam. Phison enim oris mutatio interpretatur. Missus est autem spiritus sanctus in linguis igneis, diebus Pentecostes impletis. Pentecostes aliquando dicitur ipsa solemnitas, quæ diebus octo durabat, quandoque autem illius solemnitatis dies primus. In hoc autem loco Pentecostes dicuntur omnes dies à solennitate Paschali, vsque ad primum diem huius solemnitatis, qui simul sunt quinquaginta.

Hic au-

*1. Pet. 4.* *1. Cor. 12.*

*Actuum. 21.*

*Matth. 25.* *Luc. 19.*

*De triplici genere hostium.*

*1. Cor. 1.*

*Iudi. 7*

*Iudi. 5.*

*De linguis igneis.*

*Gene. 11.*

*De diuisione & collectione linguarum.*

*Luc. 10.*

*Ephe. 4.*

*De variis loquendi modis.*

*Eccle. 24.*

Hic autem numerus in sacra scriptura multipliciter commendabilis reperitur. Quinquagesimo enim die egressionis de Aegypto data est lex in monte Sinai populo Iudæorum. Quinquagesimus annus iubileus fuit, quo debita dimittebantur, hæreditas amissa reddebatur, exules reparabant, serui manumittebantur. Iubileus autem initians, vel remissiuus interpretatur: Quia tunc possessiones ad suum initium reuertebantur, & debita remittebantur. Similiter & die quinquagesimo post Pascha super Apostolos missus est spiritus sanctus. Quinquagenarius autem sexies, septem continet & insuper octo. Septenarius ad vetus testamẽtum refertur. Nam septimo die Dominus requieuit, & diem septimum obseruãt Iudæi. Octonarius autem ad nouum pertinet Testamentum. Christus enim octauo die resurrexit, & octaua ętate futura corporũ resurrectio speratur. Nouæ etiã legis mandata in octo beatitudinibus consummatur. Descendit igitur spiritus sanctus die quinquagesimo, Qui numerus constat ex septenario multiplicato per sex & octonario, quia vtrumque testamẽtum per spiritum sanctum impletur, & vtriusque legis docet completionem. Sicut autem in anno quinquagesimo, scilicet, iubileo fiebat debitorum remissio, ita die quinquagesimo missus est spiritus sanctus, per quem fit remissio peccatorum, & exules recuperant æternam hęreditatem, & libertatem suam, quam peccatis suis amiserant. Septenarius siquidem numerus est remissionis, vnde sub tali numero psalmi pœnitẽtiales decantantur. Quaternarius enim ad remissionem peccatorum corporalium pertinet, quia corpus ex quatuor cõstat elementis. Ternarius ad animam pertinet propter vim rationalem, concupiscibilem, & irascibilem. Quinquagenarius autem numerus ex septenario in se multiplicato consistit. Septies enim septem faciunt quadraginta nouem. Cui additur vnitas, vt consummetur & perficiatur remissio, quæ non fit nisi in vnitate Ecclesiæ. In vno enim cubito arca consummatur. In vltimo autẽ iubileo, quando fiet vniuersaliter remissio, omnibus discipulis cõgregatis in alto cœnaculo, id est, in æterna patria, effundetur super illos spiritus sanctus in abundantia. Tunc enim mensuram bonam in mundi renouatione, & confertam in corporum glorificatione, & coagitatam in glorificatione animarum, & supereffluentem in ipsius diuinitatis gloria dabit spiritus sanctus in sinum vestrum. Post ascensionem autem expletis decem diebus, mittitur spiritus sanctus. Qui enim decalogum obseruant, ad maiorem perfectionem, & ad augmentum virtutum merentur accipere spiritum sanctum. Voluit præterea Dominus decem diebus differre, vt interim ieiuniis & orationibus Apostoli corda sua præpararent. Post Pascha autem & ascensionem missus est spiritus sanctus ad robur & confirmationem. Post festum enim incipientium qui resurgunt per pœnitentiam, & proficientium, qui ascendunt per iustitiam, festum perfectorum sequitur, qui per spiritum sanctum roborantur. Die autem quinquagesimo ab immolatione agni paschalis data est lex Mosaica in tabulis lapideis exarata digito Dei, & die quinquagesimo ab immolatione veri agni data est lex Euangelica in cordibus per spiritum sanctum roboratis. Quę digito Dei id est, spiritu sancto scripta est in illis. Hora tertia data est lex in monte Sinai. In cuius memoria hora tertia orant Iudæi. Hora autem tertia datus est spiritus sanctus, per quem prædicanda erat fides trinitatis. In datione legis audita sunt tonitrua, hodie factus est repentè de cœlo sonus. In legis datione cœperunt micare fulgura, hodie apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, & coruscauerunt diuina. In datione legis vox tubæ audita est, & hodie audita est vox prædicationis. Petro enim prædicante conuersa sunt tria hominum milia. In legis datione mons fumigabat, hodie autem fumum compunctionis emiserunt, qui ad Petri prædicationem compuncti sunt. In legis datione factus est motus terræ. Mons enim Sinai tremebat hodie, qui ad Dominum conuersi sunt ad pœnitentiam, sunt commoti & timuerunt. In Exodo autem dicitur, quod iam aduenerat dies tertia, & ecce cœperunt audiri tonitrua. Tertio autem tempore, id est, tempore gratiæ datus est spiritus sanctus, & audita sunt tronitua comminationum, in his qui legẽ Euangelicam cõtempserunt. Nubes operuit montem, quia quantò magis Deus comprehenditur, tantò magis incomprehensibilis perpenditur. Vnde in libro Regum Salomon ait: Dixit Dominus vt habitaret in nebula: & domus, in qua Dominus Isaiæ apparuit, repleta est fumo. Perstrepente buccina, totus mons fumabat. Et nos debemus emittere fumum compunctionis perstrepente buccina prædicationis. Sonitus autem buccinæ paulatim crescebat in maius. Quia Christi prædicatio paulatim creuit, quousque totum mundum impleuit. Et hoc significatur in Ecclesia, vbi vna campana prius pulsatur, postmodum duæ vel omnes simul. Sonitus buccinæ paulatim crescere dicitur, quia lac simplicis doctrinæ prius dandum est patuulis, postea quãdo adulti facti sunt, maiora illis prædicanda sunt. Sanctorum etiam conuersatio semper proficit in meliùs, teste Salomone, qui ait: Iustorum semita quasi lux splendens, postea crescit vsque ad perfectum diem. In monte Sinai data est lex Mosaica. In Ecclesia quę dicitur mons propter eminentiam & cœlestem conuersationem, data est lex Euangelica. Sina autem interpretatur rubus vel asperitas, per quod Ecclesia designatur, propter austeritatem vitæ & asperitatem pœnitentiæ. Dicitur autem quod totus mons terribilis erat. Iuxta illud: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Eccę qualiter datio legis Mosaicæ, figura fuit legis Euangelicæ dandæ, id est, legis gratiæ, quæ data est in die Pentecostes. Sicut solemnitatem quam celebrant in memoriam legis datę Iudæis, Pentecosten appellabant. Multa tamen est differentia inter figuram & figuratum, inter vmbram & lucem, inter dationem vnius, & dationem alterius. In datione enim legis pleba

*De numero quinquagenario & de mysterio eiusdem numeri & de anno iubileo. Exod. 32.*

*Gene. 2.*

*Leuit. 25.*

*Gene. 8.*

*Luce 8.*

*Quare decem diebus post ascensionẽ missus est spiritus sanctus, & qua hora datus sit. Exod. 32.*

*Multiplex assignatur conuenientia inter dationem legis, & dationem spiritus sancti. Actuum 2. Exod. 19.*

*3. Reg. 8. Isa. 6.*

*1. Cor. 2.*

*Prouer. 4.*

*Cant. 6.*

*Multiplex differentia inter dationem legis, & dationem spiritus sancti.*

gis plebs longè ſtabat præ timore. Hic autem veniente ſpiritu ſancto, congregati erãt in vnum ex amore. Lex enim vetus data eſt duris in timore, lex noua filiis in amore. Illi timuerunt, illi dilexerunt. Lex vetus data eſt in fumo & igne & nube. Lex noua data eſt in ſereno & puro igne. Ibi non auſus eſt populus accedere ad montem, ſed ſolus Moyſes in monte aſcendit. Hic autem omnes in cœnaculo congregati erant, & ſuper ſingulos ſpiritus ſanctus deſcendit. Lex dura duris, & lapideis promulgata eſt parata percutere, neſcia miſereri, vinum durum & acidum de botris amariſſimis propinatũ. Lex ſpiritus ſcripta eſt in cordibus carneis & affectuoſis, dulcis & ſuauis & parata miſereri. Vnde in Canticis dicitur: Meliora ſunt vbera tua vino, id eſt, vbera legis Euangelicæ meliora ſunt vino, id eſt, legis auſteritate. Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Lex Euangelica reddit perfectos: Lex Moſaica neminem duxit ad perfectum. Vnde & Dominus mulieri dixit: Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir. Quinque enim legibus, quaſi quinque viris humana anima ab initio mundi vſque ad legem Moyſi ſubiecta fuit. Prima, ante peccatum in prohibitione ligni. Secunda, poſt peccatum de multiplicatione generis humani. Tertia, imminente diluuio de arca fabricanda. Quarta, poſt diluuium de diuiſione gentium. Quinta data eſt Abrahæ de ſua, & ſuorum circunciſione. Pòſt data eſt lex literæ, quæ nullam ſalutem contulit, cum qua fornicata eſt Synagoga. Propterea Dominus ait: Et nunc, quem habes, non eſt tuus vir. Lex vetus data eſt in ſeruitute, lex gratiæ in libertate. Teſte enim Apoſtolo, vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Quinquageſimo igitur die, dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Teſte enim Auguſtino, venit in die Pentecoſtes ſpiritus ſanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus & omnes Apoſtoli erant. Hoc etiam ex hoc coniici poteſt, quod ait in actibus Apoſtolorum. Dicit enim quod in electione Mathiæ erat turba hominum ſimul ferè centum viginti. Hic autem dicit, quod erant omnes diſcipuli in eodem loco congregati. In vna autem domo ſedentibus, ſpiritus ſanctus infunditur, vt Eccleſiæ vnitas cõmendetur. Erant autem pariter & in eodẽ loco, id eſt, ſimul loco & animo. Multi enim in eodẽ loco ſunt, ſed nõ ſunt pariter, quia nõ conueniunt animis, nec habent vnitatẽ pacis, ſuper quos nõ deſcendit ſpiritus ſanctus, ſed ſpiritus diabolicus, ſpiritus diſcordiæ, & murmurationis. Diſcipuli autẽ in eodẽ loco pariter erãt, inuenit eos ſpiritus ſanctus concordes charitate, & corda illorum illuſtrauit. Sicut autem ſancti & ſpirituales viri vnitate gaudẽt, ſic mali & animales homines diſſentionibus ſtudent. De quibus Iudas in Epiſtola canonica ait: Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos animales, ſpiritum non habentes. Huiuſmodi autem ligna diſperſa non facilè ignis accendit. Ligna autem in vnum in camino congregantur, vt facilius accendantur. Vnde per Zachariam Dominus ait: In die illa ponam duces Iuda, id eſt, Apoſtolos, ſicut caminum ignis in linguis. Congregati erant, per quod Eccleſiæ vnitas deſignatur. In cœnaculo erant, per quod prædicationis refectio denotatur. In alto etiam erant, per quod ſanctæ conuerſationis præeminentia & donorum cœleſtium ſublimitas ſignificatur. Cùm igitur congregati eſſent in cœnaculo montis Sion. Factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Cum ſono, ſcilicet, in ſimilitudinem venti flantis venit ſpiritus ſanctus, ſicut ſcriptum eſt: Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & nõ ſilebit. Factus eſt etiam ſonus Apoſtolorũ, diuerſis linguis Deum laudantiũ. Repente autem factus eſt ſonus, quia neſcit tarda rerũ molimina, ſpiritus ſancti gratia, qui tanquã fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Vnde in libro Sapientiæ: Spiritus ſanctus dicitur ſtabilis & mobilis. Stabilis, quia facit conſtantem, mobilis, quia facit currentem, ſicut ſcriptum eſt: Surge, propera amica mea. Surge, ne ſis ocioſa, propera ne tarda ſis vel curioſa. Vnde & Pſalmus ait: In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis, id eſt, mentes gaudium ſeculi explorantes. Tarſis enim exploratio gaudij interpretatur. Huiuſmodi autem explorationem ſeculi, ſpiritus vehemens deſtruxit in amatoribus mundi. Periit enim cum ſonitu, & quaſi impetu gratiæ memoria eorum, id eſt, gaudiorum huius ſeculi, quæ ſine violentia quadam non poteſt à cordibus hominum auelli. Et propter hoc vehemens dicitur ſpiritus ſanctus. Dicitur etiam vehemens quaſi ve adimens, vel mentes ad ſuperna vehens, & propter repentinam inſpirationem. Licet autem vehementer, & quaſi cum impetu deſcenderet, non tamen terruit vel conturbauit eos, ſicuti in lege conturbati ſunt Iudæi. In iudicio autem fiet repente de cœlo ſonus, qui conturbabit impios & mulcebit pios. Ita conturbati ſunt increduli Iudæorum per ſonum illum, qui tamen dulcis fuit diſcipulis. Cum ſono autem venit, quia ſonos venerat docere, vt in omnem terram exiret ſonus Apoſtolorum. Propterea enim cum ſono venit, vt ad ſonum prædicationis eos inuitaret. Sonus de cœlo factus eſt, vt ſignificaretur ſpiritus cœleſtis aduenire. De cœlo autem datur ſpiritus, vt diligatur Deus ſicut prius datus eſt, de terra Chriſto inſufflante, vt diligatur proximus. De cœlo autem in maiori abundantia datur ad omnes vſus gratiarum. Die vero Dominica datus eſt, vt hoc priuilegio dies Dominicæ reſurrectionis amplius conſecraretur, & magis inſigniretur. Venit ergo tanquam ventus flans, ſed non inflans. Flatus enim iſte non inflat, ſed vegetat. Ignis iſte non cremat, ſed viuificat. Sonus autem factus de cœlo repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, id eſt, omnes qui in domo erant, quibus dictum erat. Sedete in ciuitate, vel etiam ventus cum ſono, totam domum repleuit, id eſt, concuſſit & tremere fecit. Et apparuerunt eis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum ignis, ſcilicet,

*Exod. 19.* *Exod. 24.* *Deut. 32.* *Ezech. 35.* *Cant. 1.* *Ioan. 1.* *Heb. 7.* *Ioan. 5.* *De quinque legibus datis ante legem Moyſi.* *Gene. 2.* *Gene. 6.* *Gene. 11.* *Gene. 17.* *Ioan. 4.* *Quod exiſtentibus in vnitate datur ſpiritus ſanctus.* *Zach. 12.* *Actuum 2.* *Expoſitio literæ, & de ſono repentino & ſpiritu vehementi.* *Sap. 7.* *Cant. 2.* *Luc. 24.*

scilicet, vel spiritus sanctus in specie ignis . Sedit autem super sedentes, quia quiescit super quiescentes. Sedit supra quia superior est omnibus, supra singulos, quia singulis totus. Sedet autem & requiescit spiritus sanctus super sedentes, id est, super quietos & humiles, sicut scriptum est: Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos? Qui enim inquieti sunt, & curis se implicant seculi, à spiritu sancto seipsos separant, & mentis requiem non habent. Super trementem autem Dominus sedet, vult enim sedem tremẽtem habere, quia non innititur sedi, sed vult quod sedes tremens innitatur illi, vt de nobis non confidamus, sed semper timeamus. Primum enim donum spiritus sancti est timor, quasi in porta. Et Dominus in hac porta vult sedere, vt sit custos totius ciuitatis. Apparuerunt autẽ linguæ dispertitæ, quia in partes diuisas partitæ & per singulos diuisæ. Linguæ igneę dantur vt ardeant & loquantur. Non prodest docentis lingua, nisi fuerit ignea. Vnde in Iob dicitur: Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos: Quod intelligitur, teste D. Gregorio, de prædicatoribus illis, qui virtutem bonæ operationis amiserunt, sed sola de illo confabulationis verba retinuerunt. Ignis igitur & lingua, id est, dilectio & sermo coniungi debent. Qui enim non ardet diligendo, lucere non debet prædicando. Datæ igitur sunt discipulis linguæ igneæ, & cęperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Ipse enim diuidit singulis prout vult. Varietas linguarum varietatem designat gratiarum. De hac linguarum varietate Dominus per Isaiam Prophetam ait: Aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic. Statim autem cęperunt loqui, quia ignis in sinu non potest abscondi. Sicut autẽ flatu quædam instrumenta sonant, ita flante spiritu sancto, tacere non potuerunt, sed statim cęperunt loqui, prout flatus eos mouebat, & prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Variis autẽ linguis loquũtur sancti Doctores, dum proferunt de thesauro suo noua & vetera. Noua, scilicet, consolationes: Vetera, increpationes. Vetus lex pœnam proposuit, qua terreret: noua misericordiam, qua foueret. Non solùm autem varias linguas, sed & varia idiomata, id est, diuersos pronuntiandi modos docuit spiritus sanctus: Nam Cappadocia, Pontus & Asia minor, Phrygia, & Pamphilia græca lingua loquitur, sed ex patria consuetudine diuersitas est in modo pronuntiandi. Similiter & Galilæi idiomate, id est, modo pronunciationis differebant à Iudæis: vnde ab aliis discerni poterant ex modo pronunciandi, sicut scriptum est: Galilæus es, nam & loquela tua manifestum te facit. Vnde illi qui habitabant Iudæam, id est, partem illam, quæ erat tribuum Iudæ, & Beniamin circa Hierusalem, admirabantur, sicut alij, dicentes: Nónne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo audiuimus vnusquisq; linguam nostram in qua nati sumus? Fieri autem potuit, vt quolibet discipulorum nunc vna, nunc alia lingua loquẽte vnusquisque eorum, qui conuenerant, linguam suam agnosceret in qua natus erat. Aliquibus autem visum est quod sermo eorum qualibet lingua pronuntiatus à quolibet audiente, secundum linguã suam intelligeretur. Et hoc maius fuit miraculum, quod vno, scilicet, loquente, vna lingua quilibet suam linguam intelligeret. Facta autem hac voce, id est, repentino sonitu de cœlo, vel voce Discipulorum Deum laudantium, conuenerunt ad eos Iudæi, qui ex omni natione, quæ sub cœlo est, ad diem festum conuenerant, vel etiam reædificata ciuitate, ad patriam suam reuersi erant. Gens enim Iudæorum ex captiuitate, quæ sub Antiocho facta erat, vbique dispersa fuerat. Erant ibi Elamitæ, qui & Persæ. Aduenæ autem Romani dicuntur Iudæi, qui Romæ erant, peregrini & captiui, vel aduenæ Romani, id est, proseliti, qui ad Iudæos conuersi erant de gente Romanorum. Stupebant autem omnes, scilicet, Iudæi, viri religiosi, qui ex omni natione conuenerant in Hierusalem. Alij autem, qui religiosi non erant, irridebant discipulos, dicentes: quia musto pleni sunt. Discipuli, quia pleni erant, Deum laudabant: alij, quia vacui & inanes, eos irridebant. Qui pleni sunt, loquuntur: qui vacui, admirantur: quàm stulta insipientium calumnia, ebrius non alienam linguam addiscit, sed suam perdit. Ebrios autem putabant musto, id est, vino feruenti & forti. Illo enim tempore nõ est mustũ, id est, vinũ nouum in partibus illis. Musto quidem materiali illos ebrios putabant, illi autem musto spirituali, id est, vino feruẽris gratiæ repleti erant. Iam enim vinum nouum positum fuerat in vtres nouos. Ebrij siquidem erant Apostoli, sui immemores & eloquentes. Vnde ipsi dixerunt. Non possumus non eloqui quæ vidimus & audiuimus. Hi autem, qui lingua sua audiebant eos loquentes, & tantam gratiam in eis cognoscebant, nihilominus tamen irridebant eos, & gratiam spiritus sancti impugnabant, grauissimè peccabant. Impugnatio enim fraternæ gratiæ peccatum est in spiritum sanctum. Quatuor siquidem modis fit peccatum in spiritum sanctum: Ex desperatione: Ex præsumptione: Ex impugnatione veritatis agnitæ: Ex inuidentia fraternæ gratiæ. Hi autẽ qui simpliciter admirabantur, postmodum ad Petri prædicationem compuncti veniam meruerunt. Multi autem ex Pharisęis, cùm tantam gratiam in Apostolis cognoscerent, & tamen inuidentes eis, gratiam spiritus sancti impugnabant, quia in spiritum sanctum peccauerunt, ex certa, scilicet, malitia, remissionem non obtinuerunt. Qui enim peccat in spiritum sanctum, nec in hoc seculo nec in futuro remittetur ei, id est, non facile remittetur, cùm huiusmodi peccatum non habeat causam remissionis sibi annexam, sicut illa peccata quæ fiunt ex ignorantia contra filium, vel infirmitate contra patrẽ. Peccatum etiã in spiritum sanctum, quod fit per certam malitiam, irremissibile dicitur, licèt homo postmodum conteratur, quia secundum rigorem canonum punitur, cum nullam habeat excusationẽ. Postquam autẽ grauiter punitus fuerit

*Isaiæ 66.* *2. Tim. 2.*

*Iob 19.*

*1. Cor. 12.*

*Isaiæ 28.* *Prouer. 6.*

*Matth. 13.*

*De diuersis idiomatibus.*

*Matth. 9.* *Mar. 2.* *Luc. 5.*

*De ebrietate Apostolorũ. Actuum 4.*

*De peccato in spiritum sanctum.*

*Matth. 12.* *Mar. 3.* *Luc. 12.*

fuerit homo, veniã consequetur de peccato nõ remisso, sed grauiter & districtè punito. Spiritus autem sanctus in die resurrectionis in specie flatus datus est Apostolis, quia inspirat & vegetat animam, & illam viuere facit. In specie autem ignis hodie super Apostolos descendit, vt per varias ignis proprietates, & multiplicem eius effectum ostendatur in spiritu sancto diuersitas gratiarum. Ignis enim calidus est, vt calefaciat frigidos: splendidus vt illuminet obscuros: acutus vt penetret duros: leuis vt subleuet ponderosos: mobilis vt excitet pigros. Hæc omnia igni spiritus sancti facilè & spiritualiter adaptantur. Ignis præterea vrit, mulcet, purgat, roborat, emollit, constringit, liquefacit, torporem excutit, & feruorem inducit, fumum ex se emittit, materiam accendit & in cinerem redigit, terrorem incutit, ignem expellit, in altum semper tendit, cibos decoquit & sapidos reddit, candorem inducit, rubeum etiam & nigrum facit, tenaces materias dissoluit & teneras consolidat. A ligno viridi aquam cum fumo elicit sarmentum, quod ad nihil aliud vtile est, accendit. Faculas non eligit, materiam suam sequitur, sub cinere custoditur. Non solùm pretiosa, sed vili materia pascitur, humores superfluos deficcat & consumit, scintillas ex se emittit, vnam materiam in aliam conuertit. Sine sui diminutione pluribus distribuitur, nam ex vna candela plures accenduntur. Ignis igne procreatur. Ignis materia, quam accendit, nutritur, qua deficiente, deficit. Ignis vento, terra, luto, aqua extinguitur. Ignis vehementer accensus, vento & tempestate crescit & augmentatur. Igne largo domus serenatur. Vas luteum igne solidatum aqua non dissoluitur. Ignis spiritus sancti vrit spinas, & paleas peccatorum consumendo. Omnia etiam ligna cupiditatis consumit ignis charitatis. Sicut autem ignis stuppam comburit, sic spiritus sanctus venialia peccata consumit. Vrit etiam per comminationes, sicut mulcet per consolationes & promissiones: purgat corda & purificat, sicut aurum in fornace materiali purgatur. Purgat igitur ignis spiritualis animam à rubigine peccatorum. Vnde Ezechiel ait: Væ ollæ cuius rubigo est in ea. Et Gregorius ait: Tantò amplius peccatorum rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne crematur. Ignis roborat, & spiritus sanctus infirmos confortat & constantes reddit. Vnde Petrus, qui prius ad vocem ancillæ expauit & negauit, postmodum minas Neronis non timuit. Ignis dura emollit, sicut ferrum & plumbum. Et spiritus sanctus obstinatos & duros, molles & tractabiles reddit. Sicut autem ignis emollit ceram, sic spiritus sanctus mentem. Sicut autem ferrum emollitum ferro coniungitur, igne mediante, sic spiritus sancti glutino corda diligentium se in vnum coniunguntur. Econtra diabolus magis eligit dissipare cõgregata, quàm cõgregare dispersa, sicut scriptum est: Qui non colligit mecum, dispergit. Vnde Ieremias ait: Nũquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, id est, diabolo. Ignis constringit fluida, vt aquas, quas in salis soliditatem conuertit. Et spiritus sanctus peccatores fluidos & vagos consolidat & stabiles reddit. Ignis liquefacit & ductilem atque tractabilem materiam reddit. Et spiritus sanctus corda, quæ tangit, ad deuotionem & lachrymas liquescere facit, & tractabiles atq; castigabiles homines reddit. Ignis feruorem inducit. Et spiritus sanctus torporem excutit & feruentem reddit. Ignis fumum ex se emittit. Et à spiritu sancto fumus compunctionis procedit, sicut scriptum est: Tange montes, & fumigabunt. Ignis ligna accendit & in cinerem redigit. Et spiritus sanctus corda accendit ad amorem, & in cinerem redigit per humilitatem, dum nobis memoriã & metum mortis incutit, sicut scriptum est: Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Ignis terribilis est & maximè vehemẽter accẽsus fuit. Et spiritus sanctus donũ timoris tribuit & comminando terrorem inducit. Vnde in specie nubis & ignis columna filios Israël præcessit. Qui blanditur iustis, & terrorem incutit iniustis. Hinc est etiam quod spiritus sanctus tam in specie columbæ legitur apparuisse, quàm in specie ignis. Ignis ignem expellit. Vnde & qui lẽsionem adustionis in manu sentiunt, manum iuxta ignem apponunt & melius habent, eò quòd ignis exterior ignẽ attrahat interiorẽ, vel quia maior calor absorbet minorẽ. Et spiritus sanctus ignem peccati ab anima tollit. Ignis in altũ semper tendit. Et spiritus sanctus corda quæ tangit, sursum attollit. Ignis cibos decoquit & sapidos reddit. Et spiritus sanctus saporẽ deuotionis & internæ dulcedinis tribuit, & cibos spirituales aptos esui reddit, atq; appetitũ inducit. Ignis candorẽ inducit, vnde & ferrũ candens reddit. Et spiritus candorẽ munditiæ & innocentię tribuit. Ruborem etiam inducit. Vnde & carbo accẽsus rubeus efficitur. Et spiritus sanctus feruore & dilectione, & fide passionis Christi animam rubeam reddit, iuxta illud: Amicus meus candidus & rubicundus. Nigredo etiã ex igne procedit. Adusta enim materia increscit, & ex ligno albo carbo niger igne mediãte procedit. Et spiritus sanctus despectos, & contẽptibiles mũdo nos reddit, sicut scriptũ est: Nigra sum sed formosa. Ignis tenaces materias dissoluit, vt ligna & lapides, & teneras consolidat, vt lutũ. Et spiritus sanctus pertinaces mẽtes humiliat & dissoluit, reneras autem & pusillanimes fortes reddit. Ignis de ligno viridi vel humido, quod diu in aqua iacuit, aquam cum fumo educit. Et spiritus sanctus à corde peccatoris nuper cõuersi, & qui diu in peccatis fuit aquas lachrymarum educit, quas comitatur fumus tẽtationis in initio, donec lignum plenè siccatum clarè, & sine fumo ardere incipiat, quod fit dum anima post tentationes cum pace & serenitate conscientiæ Deo seruit. Ignis sarmentum, quod ad nihil aliud vtile est, accendit, & ad vsum perfectum conuertit. Et spiritus sanctus senes & debiles, qui laborare non possunt, & illos qui seculo inutiles sunt, recipit, & spiritalibus exercitiis vtiles reddit.

*De multiplici effectu ignis, qui spiritui sancto adaptatur.*

*Assignantur triginta duæ proprietates ignis qui spiritui sancto adaptantur.*

*Prima proprietas.*

*Secunda.*
*Tertia.*
*Sap. 3.*
*Ezech. 24.*
*Quarta.*
*Matth. 26.*

*Quinta.*

*Matth. 22.*
*Lucæ 11.*
*Iere. 15.*
*Sexta.*
*Septima.*

*Octaua.*

*Nona.*
*Decima.*

*Vndecima.*
*Exod. 13.*

*Duodecima.*

13.
14.
15.

16.

17.

18.

Ignis faculas nõ elegit. Et spiritus sanctus non est acceptor personarum. Ignis materiam suam 19.
sequitur. Et spiritus sanctus, nisi prius deseratur, non nos deserit, sed quos incendat, quærit, & 20.
fugientes insequitur. Ignis sub cinere custoditur. Et spiritus sancti gratia sub humilitate con- 21.
seruatur. Ignis non solùm pretiosa, sed vili materia pascitur. Et spiritus sanctus infima & con- 22.
temptibilia huius seculi ad se conuertit & recipit. Ignis desiccat & humores superfluos consu-
mit. Et spiritus sanctus noxios humores carnalitatis tollit. Sicut autem ignis cõsumit stuppam, 23.
ita charitas carnis & animæ superfluitatem. Ignis scintillas ex se emittit. Et spiritus san- 24.
ctus, atque feruens charitas, quæ nunquam est otiosa, bona verba & opera à nobis educit.
Ignis vnam materiam in aliam conuertit. Vnde Iob ait: Lapis solutus calore, in æs vertitur. *Iob 28.*
Et spiritus sanctus de lapideis & obstinatis constantes & fortes facit, & vasa cõtumeliæ trans- 25.
mutat in vasa gloriæ. Ex terra etiam virtute ignis argentum & aurum habent fieri. Et spiritus 26.
sanctus ex terrenis mẽtibus efficit spirituales, reddens homines eloquentes & sapientes. Ignis
sine sui diminutione pluribus distribuitur. Et spiritus sanctus idem manens diuersis mentibus 27.
illabitur. Ignis ignem ex se procreat & gignit. Et per amorem Dei, Teste Gregorio, gignitur
amor proximi. Ignis lignis & materia, quam incendit, nutritur, & sine illa deficit. Et charitas 28.
spiritus sancti gratia bonis operibus nutritur, bonis autem operibus deficientibus, extinguitur.
Vnde Gregorius ait. Nunquam est amor Dei otiosus, operatur magna si est, si verò operari
tennuit, amor non est. Ignis vento, terra, luto & aqua extinguitur. Et spiritus sancti gratia ven 29
to superbiæ, terra auaritiæ, luto & aqua gulæ & luxuriæ in nobis destruitur. Vnde Apostolus *1. Thess 5.*
ait: Spiritum nolite extinguere. Ignis vehementer accensus vento & tempestate crescit & au- 30.
gmẽtatur. Et charitas radicata & ampla in tribulatione crescit & ampliatur, sicut scriptum est.
In tribulatione dilatasti mihi. Igne domus serenatur. Et spiritus sanctus serenitatem conscien- 31.
tiæ tribuit. Vnde Apostolus ait. Gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ. Vas igne *2. Cor. 1.*
solidatum aquam non timet, alioquin aqua dissoluitur. Qui autem igne spiritus sancti coctus 32.
est & corroboratus, aqua transitoriæ, prosperitatis, vel carnalis voluptatis non dissoluitur.
Septem verò dona spiritus sancti, septem proprietatibus ignis specialiter adaptãtur. Ignis enim *Quod septem dona spiritus sancti; septem proprietatibus ignis ei adaptantur.*
materiam in cinerem redigit, humiliando per spiritum timoris, dura emollit & indifferenter
omnia ligna recipit & accendit per spiritum pietatis. Obscura illuminat per spiritum scientiæ,
& discretionis. Infirma consolidat per spiritum fortitudinis. Subtilis est & penetratiuus, in quo
notatur spiritus consilij. Fluida etiam astringit, quia spiritus consilij maturum & stabilem red-
dit. Ignis purificat & sursum tendit. Et spiritus intellectus mentem purificat & sursum tollit.
Ignis cibum decoquit & delectabilem atque sapidum reddit. Et spiritus sapientiæ saporem af-
fert spiritualem, & in contemplatione diuinitatis mentem delectatione afficit. Ad hunc igitur *Conclusio cũ morali recapitulatione.*
ignem fratres accedamus, vt vos calefaciat ad amorem, & illuminet ad cognitionem, vt accen- *Leuit. 6.*
datur affectus, & illuminetur intellectus. Ad hunc ignem cibaria nostra decoquamus, vt gustu
suauitatis reficiamur. Hic ignis in altari cordis nostri semper ardeat, vt omnia holocausta & sa-
crificia nostra hoc igne succendantur. Et nos ligna bonorum operum continuè ministremus
illi vt non deficiat, sed semper augmentetur in nobis & crescat. Præstante Domino nostro
IESV CHRISTO, qui ignem venit mittere in terram, & non vult vt extinguatur, *Luc. 12.*
sed ardeat, Amen.

## EODEM DIE THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Ioannem.

*Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* *Ioan. 14.*

DOMINVS in Deuteronomio ait: Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, *Deut. 22.*
& præteribis, sed reduces fratri tuo. Frater noster est Christus secundũ humanitatẽ. Bo- *Quod errãtes ad viam veritatis debet prædicator reducere.*
ues eius errant, quando maiores peccant. Oues autem sunt simplices & minores in Ec-
clesia. Tam hos quàm illos, si viderimus errare, & extra viam veritatis deuiare, ad Christum ver-
bo sanæ doctrinæ & exemplo boni operis debemus reducere, & proximos nostros pro posse
nostro iuuare. Vnde ibidem Dominus ait: Si videris asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in
via, non despicies, sed subleuabis cum eo. Debemus enim onera fraterna portare, & eos qui *Gala. 6.*
corruerunt mortaliter peccando, pro posse nostro subleuare, ne maledictionem Caim incurra-
mus, qui ait: Nunquid custos fratris mei sum ego? Quilibet enim fratrem suum debet custodi- *Gene. 4.*
re. De his enim qui fratribus non compatiuntur, nec eos custodire volunt, Iudas Apostolus in
Epistola canonica ait: Væ eis qui in viam Caim abierunt. Non solùm autem amicis nostris, *Quod inimicis nostris debemus benefacere.*
sed insuper inimicis & detractoribus, atque odientibus nos beneficium prędicationis & corre-
ptionis debemus impendere, & ad diligendũ nos prouocare. Vnde in Exodo Dominus ait: Si *Exod. 23.*
occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum odiẽtis te, sub onere,
non pertransibis, sed subleuabis eum. Valde ergo delinquunt, qui verbum prædicationis tem-
pore oportuno abscondunt. Propterea in Prouerbiis Salomon ait: Qui abscondit frumentum, *Prouer. 11.*
maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium frumentum: verbũ Dei ven-
dũt, qui per illud animas Deo acquirũt. Fœlix negociatio, vbi moneta verbi Dei traditur, & sa-

lus ani-

*Quod aliis prædicando proficit prædicator & de buccina prædicatoris.*
*Isaiæ 58.*

lus animarum acquiritur. Qui ergo hoc modo vendunt frumentum, benedicuntur, sicut scriptum est in Parabolis. Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Et Propheta ait: Os meum aperui & attraxi spiritum. Qui enim alios docendo os aperit, spiritum sanctum ad se trahit. Vnde & prædicatores buccinare dicuntur, sicut scriptum est: Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Qui enim buccinat, spiritum attrahit & emittit & in longum protrahit. Et prædicator spiritum sanctum debet attrahere alios docendo, & emittere bene operando & in longum protrahere in bono perseuerando. Qui igitur os

*Prouer. 16.*

suum aperit vt alios instruat, spiritum sanctum attrahit. Sicut scriptum est in Parabolis: Qui

*Iere. 48.*

dulcis est eloquio, maiora percipiet bona, siquidem vita eloquium dulce reddit. Econtra de his qui alios docere negligunt. Dominus per Ieremiam ait: Maledictus qui prohibet gladium

*Eccle. 20.*

suum à sanguine. Gladio enim verbi Dei sanguinem peccatorum debemus effundere. Vnde in

*Eccle. 30.*

Ecclesiastico dicitur: Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Et iterum: Bona abscondita in ore clauso quasi appositiones epularum circumposito sepulchro.

*Matth. 25. Lucæ 19.*

Huiusmodi enim epulæ mortuis non prosunt: Ita sapientia abscondita aliis non prodest, & abscondenti obest, qui talentum domini sui abscondit in sudario. Et ideo fratres licèt modicum scientiæ talentum Dominus mihi commiserit, illud abscondere non audeo, sed vobis id libenti animo erogabo. Vestrum autem est Domino supplicare quatenus per me licèt indignus sim, Dominus illud talentum hodie ad salutem vestram dignetur multiplicare. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, &c. Festum ignis dignè celebrare non possumus, nisi igne charitatis ferueamus. Spiritus enim sanctus ignis est, vnde non habitat in frigido corde, sed pascit & cubat in meridie, id est, in charitatis ardore. Et quoniam charitas otiosa esse non potest, ignem enim ardere necesse est, vel deficere, in hac ignea solemnitate torpere non debemus vel

*Eccle. 23.*

otiosi esse, neq; vacui in cõspectu Dei nostri apparere. Offeramus igitur spiritualiter quod Do-

*Leuit. 23.*

minus præcepit offerri figuraliter in diebus nouorum in festo primitiuorũ, id est, in solemnitate Pentecostes, de qua Dominus in Leuit. ait: Vocabitis hunc diẽ celeberrimũ atq; sanctissimum. Et iterum ait: Numerabitis ab altera die sabbati, in qua obtulistis manipulos primitiarum septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septem, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis nouum sacrificium Domino. Numeratio ista fiebat ab altera die sabbati, id est, post sabbatum, id est, à die Dominica in qua nos celebramus Pascha, & numerantur septem hebdomadæ, in quibus sunt dies quadraginta nouem, & altera die expletionis hebdomadæ septimæ, id est, die dominica post expletionem septem hebdomadarum erat solẽnitas Pentecostes, in qua nouum sacrificium offerrebatur Domino, id est, panes noui & recentes de

*Rom. 6.*

frugibus nouis. Vnde dies nouorũ & festũ primitiuorũ appellabatur festiuitas Pentecostes. In Pascha autẽ offerebantur grana tosta ex manipulis adustis. Quod pertinet ad pœnitentes, qui contritionis igne à palea peccatorum, per asperitatẽ & confricationẽ exuuntur. In Pentecoste autẽ offerebantur noui panes de simila fermentata. Quod pertinet ad iustificatos, qui post contritionẽ, & confessionem nouã inchoant vitã, & in nouitate vitæ incipiunt ambulare. Simila autem vitæ puritatẽ & mundiciam significat, quæ debet esse fermẽtata charitate. In eadẽ etiam

*Leuit. 23.*

solemnitate præcepit Dominus offerri septẽ agnos immaculatos. Et nos agninã mansuetudinẽ & cordis simplicitatẽ per septiformẽ spiritum hodie Domino offeramus. Iussit insuper Domi-

*Lucæ 15.*

nus offerri vitulum & arietes duos & hircum vnum pro peccato, & agnos anniculos duos, hostias pacificorum. Et nos vitulum fortis operationis, vel vitulum saginatum, id est, Christum Deo patri offeramus. Offeramus arietes ductores Gregis, vt gregem dominicum de-

*Ioan. 1. Iacob. 3.*

fendamus. Et quoniam teste Ioanne: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. In multis enim offendimus omnes, offeramus hircum asperè pœnitẽdo pro peccatis nostris, & fœtorẽ peccatorum in nobis mactemus. Et in-

*Quod omnia sacrificia nostra igne caritatis debent accendi.*
*Simile.*

super duos agnos pro pace obtinẽda vel obseruanda, vt mites & pacifici simus, habẽtes pacem ad Deum, & pacem ad proximum. Hæc autem omnia sacrificia igne charitatis accẽdamus. Nullum enim sacrificium Deo placet, nisi charitatis igne fuerit accensum. Sicut enim in cõfectionibus medicinæ, cũ omnibus specierũ diuersitatibus mel cõuenit & cõcordat, sic ex charitatis dulcedine omnia genera virtutũ & bonorũ operũ cõdiuntur. Nec habet aliquid viriditatis ramus

*De excellentia charitatis.*
*1. Cor. 13.*
*1. Ioan. 4.*
*Rom. 13.*
*1. Cor. 13.*
*Exod. 28.*
*Prouer. 5.*
*1. Ioan. 4.*
*Ephe. 3.*

boni operis, nisi processerit ex radice charitatis. Nã sine charitatis humore arescit anima, & sempiternis incẽdiis deputatur. Ipsa enim charitas aliis virtutibus excellentior est propter essentiã, propter efficaciã, propter permanentiã, & propter singularitatis priuilegiũ, & propter amplitudinẽ, propter excellentiã, quia Deus charitas est. Et propter efficaciã, quia plenitudo legis est charitas. Qui enim charitatẽ habet, legẽ impleuit. Similiter & plenitudo scientiæ, est charitas: quia cuilibet habenti scientiam, siue paruã siue magnã, sufficit, dummodo habeat charitatẽ. Propter

*De diuersionibus charitatis, et quod charitas finis est mandatorum.*
*Matth. 10.*
*Mar. 23.*

permanentiam, quiã charitas nunquam excidit, sed inchoatur in via, & perficitur in patriã. Vnde & cocco bis tincto comparatur. Tingitur enim in præsenti, in futuro plenius tingenda. Rubicundi sumus in præsenti, sed rubicũdiores in futuro. Propter priuilegium singularitatis, quia ipsa est fons proprius, cui nõ cõmunicat alienus. Homo enim potest credere, sperare, continens esse, & ita de aliis virtutibus, & tamen esse alienus à Deo. Qui autem charitatem habet, alienus à Deo nõ est. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo. Qui autẽ à charitate se dissociat, à Deo & à Dei regno seipsum separat, propter amplitudinem. Ipsa enim lata est,

vt Oceanus,

vt Oceanus, sicut scriptum est: Latum mandatum tuum nimis. Hoc est mandatum charitatis, cuius latitudo nō solùm vsq; ad amicū, sed vsq; ad inimicū protenditur. Habet autem charitas nō solū latitudinē, sed longitudinē, altitudinē, & profunditatem. Longitudinē habet, dum perseueramus vsq; in finē diligendo. Altitudinē, vt omnia faciamus propter Deum, & obtineamus vitam æternā. Profundū autē charitatis est, cùm homo sibi nihil ascribit, sed totū gratiæ Dei, cuius causam inuestigare nō valemus. Occultū enim nobis est, quare vnus eligatur & alius reprobetur. Charitas autē finis est & cōsummatio omniū virtutū, sicut scriptū est: Omnis cōsummationis vidi finem, latum mandatū tuum nimis. Omnia enim mādata ad hoc dantur, vt Deus & proximus diligatur. Charitas autē omnia mandata perficit, & ad omnia extenditur. Plenitudo enim legis, est charitas. Qui enim Deū diligit, eius mādata nō cōtemnit, neq; eius volūtati contradicit. Vnde in hodierno Euāg. Dominus ait: Si quis diligit me, sermonē meū seruabit. Probatio enim dilectionis exhibitio est operis. Vnde Ioan. ait: Qui dicit, quia diligo Deū, & mādata eius nō custodit, mendax est. Vnde in Cant. dicitur: Recti diligūt te, id est, qui rectè sentiūt, nec factis dissentiunt. Cor siquidē rectū dicitur habere, qui nō vult nisi quæ scit Deū velle. Qui autē adhuc per illicita desideria defluit, hic profectò Deū nō diligit, quia illi in sua voluntate cōtradicit. Tantò siquidem vnusquisq; à superno amore disiungitur, quantò inferius delectatur. Mens enim visibilibus dedita, inuisibilia intueri vel diligere nescit. Ex his igitur manifestū est quod si quis Deū diligit, mādata eius custodit. Qui autē mandata eius non custodit, non diligit. Vnde Isodorus ait: Qui Dei præcepta cōtemnit, Deū non diligit. Neq; enim Regē diligimus, si legem eius odio habemus. Et Dominus ait: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Et ita custodia mandatorū facit amicū Dei. Et econuerso, Dei amicitia seu dilectio mandata Dei custodire facit. Charitas enim mouet & incitat animam ad faciendum eius, quem diligit voluntatem. Qui ergo charitatē habet, in illa omnia habet, & per illam omnia mandata adimplet. Dilectio enim causa est, quæ probatur in custodia sermonum. Vnde B. Augustinus ait: Charitas virtus est, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, vel in Deo. Qui enim amat homines, vel quia iusti sunt, vel vt iusti sint, amare debet, id est, in Deo vel propter Deum. Huiusmodi duo sunt mandata: Vnum pertinens ad dilectionē Dei, quod est maximum in lege mandatum: alterum pertinens ad dilectionem proximi, simile illi. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetę. Finis enim præcepti est dilectio, & hæc gemina, Dei, scilicet, & proximi. Hæc Augustinus. Patet igitur quāta sit virtus charitatis, propter quam lex & Prophetæ trāditi sunt, & per quam omnia mandata legis & Prophetarum adimplentur. Et hoc est quod Dominus in hodierno Euang. ait: Si quis diligit me, sermonē meū seruabit, quasi dicat: Si quis diligit me per affectū interiorē, sermonem meum seruabit per effectum exteriorem, sermonem, scilicet, verbi Dei. De quo dicitur: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. De his autem qui diligunt, & mandata custodiunt, Moyses ait: In dextera eius ignea lex. Per sinistram intelliguntur, qui frigido corde verba Dei audiunt, vel proferunt. Per dexteram electi, qui diuina mādata frigido corde non audiunt, sed ad hoc amoris intimi facibus inflammantur, quot enim mandatis instruuntur, quasi tot facibus accenduntur. Diligentibus autem filium, & eius sermonem conseruantibus, quanta tribuatur gratia, Dominus ostendit. Diligunter enim à Patre, & fiunt habitaculum totius Trinitatis. Et hoc est quod subiungit: Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Pater diliget eum, conferendo gratiam in præsenti & gloriam in futuro. Qui autem diligit Deum, habet in se Deum: Deus enim dilectio est seu charitas. Qui igitur mente integra Deum diligit & deliderat, profectò iam habet quem amat. Neque enim aliquis potest Deum diligere, & eum quem diligit non habere. Vnde Augustinus ait: Deus trinitas, pater, & filius, & spiritus sanctus, veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt subueniendo, venimus obediendo. Veniunt illuminando, venimus intuendo. Veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit nobis eorum, non transitoria mansio, sed æterna. In quorundam autem mentes Deus venit, sed mansionem non facit, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Vnde ad Corinthios Apostolus ait: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et ad Thessalonicenses ait: Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Spiritum extinguit, qui malis operibus ipsum à se excludit. Et sicut ad Hebræos dicitur: Spiritui gratiæ contumeliam facit. Et ad Ephesios ait: Nolite contristare spiritum Dei, in quo signati estis. Contristari enim quodammodo dicitur, quando de domo sua expellitur. Ipse etiam habitat in sanctis. Et sicut facit eos gaudere de bonorum profectibus, ita & contristari de lapsibus eorum. Venit igitur Deus in animam, & mansionem facit, quando habitat & remanet in nobis, & fit homo domus Dei & templum spiritus sancti. Sanctificatur etiam & exornatur, sicut scriptum est: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Et in Iob dicitur: Spiritus eius ornauit cœlos, variis, scilicet, virtutibus, & specialiter septem donis principalibus, quæ sunt quasi quidā fontes, ex quibus cæteræ virtutes deriuantur. De quibus Isa. ait: Requiescet super eū spiritus sapiētię & intellectus, spiritus cōsilij & fortitudinis, spiritus sciētię & pietatis, & replebit eū spiritus timoris Domini. De his autē loquitur Zachar. Super lapidem vnum septem oculi sunt, id est, septem dona spiritus sancti super lapidem vnū, id est, Christum.

*Expositio literæ, vbi ostēditur quod dilectio mandata implet, & sermones custodit.*
*1. Ioan. 2.*
*Cant. 1.*
*Ioan. 15.*
*Matth. 22.*
*Lucæ 11.*
*Deut. 33.*
*Quod dilectio & mandatorum adimpletio, fatit habitaculū totius Trinitatis.*
*Quod trinitas multipliciter venit ad animā, & de his qui spiritum sanctū à domo sua repellunt.*
*Lucæ 8.*
*1. Cor. 3.*
*1. Thess. 5.*
*Hebr. 10.*
*Ephes. 4.*
*Ioh 16.*
*De ornatu animæ & septē donis spiritus sancti.*
*Isa 11.*
*Zach. 4.*
*Quod septem dona spiritus sancti, septem oculis, & septem lucernis, & septē infusoriis, & septē cornibus, & septē lampadibus cōparātur*

Et iterum ait: Ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius. Candelabrum totum aureum, est Ecclesia. Lampas, Christus, qui fulget super Ecclesiam, de quo Isaias ait: Saluator eius tanquam lampas accendatur. Septem lucernæ, septem dona sunt spiritus sancti. Et similiter septem infusoria, quia per illa oleum diuinæ misericordiæ infunditur Ecclesiæ. Oleum autem lucernas pascit, quia opera misericordiæ dona spiritus sancti custodiunt in nobis. Prædictas etiam lucernas idem Zacharias oculos appellat, dicens: Isti sunt septem oculi, qui discurrunt in vniuersam terram. Quia his donis tanquam spiritualibus oculis illuminati, sunt fideles in vniuerso mundo. Vnde in Apocal. Ioannes ait: Vidi agnū stantē tanquā occisum, habentē cornua septē, & oculos septem, qui sunt septē spiritus Dei, missi in omnē terrā. Quia per septiformē spiritus sancti gratiā & regni spiritualis sublimitatē suæ veritatis præbet agnitionē. Oculi enim eius flamma ignis, sicut in eodem Ioannes ait: Quia dona spiritus sancti accendunt & illuminant. Vnde idem Ioannes ait: Septem lampades ardētes ante thronū, qui sunt septem spiritus Dei. Dicuntur autem lampades, quia illuminant & accendunt. Ante thronum Dei esse dicuntur, quia corā illis, in quibus Deus sedet, ardent & lucent, atq; illis lumen & ardorē ministrant. Vnde in Cant. dicitur: Lampades eius lampades ignis atq; flammarū. Lampades ignis dicuntur intus in affectu, lampades flammarū exterius in effectu. Vel lampades ignis in desiderio, lampades flammarū iu gaudio. Hi sunt septem spiritus, de quibus in Apocal. Ioannes ait: Gratia vobis & pax à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, id est, à septiformi spiritu illuminante illos, in quibus sedet Deus. Dicitur autē septiformis, propter septem dona charismatum. Quorum primum dignitate & excellentia dicitur donum sapientiæ, quo mens hominis illuminatur, simul & afficitur in cognitione & dilectione diuinitatis, & in cōtemplatione & delectatione seu prælibatione æternæ beatitudinis. Vnde & à sapore specialiter sapientia dicitur, cuius est videre & gustare, quoniam suauis est Dominus. Interna enim dulcedine hoc dono mediante, anima reficitur & suaui iocunditate de intelligentia diuinorum interius delectatur. De qua suauitate seu iocunditate Apostolus ait ad Corinthios: Exhibeamus nos tanquam Dei ministros in suauitate, in spiritu sancto, id est, in suauitate, quę per spiritum sanctum habetur, per donum, scilicet, sapientiæ. De quo in Canticis dicitur: Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum, id est, donorum spiritus sancti, à quibus læ consolationis recipimus super vinum austeritatis legis vel desideriorum carnalium. Secundum donum dicitur spiritus intellectus, de quo Iob ait: Spiritus est in homine, & inspiratio omnipotentis dat intellectum. Et Apostolus ad Corinthios ait: Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis? Ita & quę Dei sunt, nemo cognoscit, nisi spiritus Dei, id est, diuina cognoscere facit. Hoc autem dono purificatur animus, & sursum leuatur, atq; illuminatur ad quorumlibet inuisibilium comprehensionem, id est, Dei & Angelorum, & animarum virtutum, atque aliarum animæ proprietatum. Intellectus enim non solùm est de æternis, sed de rebus inuisibilibus & spiritualibus temporaliter exortis, id est, de animabus & earū affectionibus, & de Angelis sanctis. Huiusmodi autem comprehensio sine spiritu sapientiæ, quo Deus diligitur & anima in Deo delectatur, non prodest. Vnde beatus Gregorius ait: Inutilis est intellectus sine sapientia. Si enim sine ea altiora penetrat, sua illum leuitas ruiturum leuat. Tertium donum est spiritus consilij, quod specialiter attenditur in eligendis. Consilium enim dicitur præcedēs cum deliberatione electio, qua transitoriis æterna, vitiis virtutes, exilio patriam, seruituti libertatem præferimus. Spiritu enim consilij diligenda à non diligendis, & à noxiis vtilia separamus. Et insuper inter duo bona, quod melius sit, vel inter duo mala, quod magis sit fugiendum, diligenti circunspectione pensamus. Vnctio enim docet de omnibus. Hoc autem dono redditur homo compositus, grauis, maturus & circumspectus. Consilium enim, vt ait Gregorius, prohibet hominem esse præcipitem. Sicut autem sapientia huius seculi suadet quærere nocitura, & amare peritura, negligere salutaria & pro nihilo habere bona inuisibilia, & æterna: Sic spiritus consilij docet amare vera & inuisibilia bona, & illa præponere transituris & caducis bonis, docet vt Dei voluntatem nostræ præponamus voluntati, vt, scilicet, relinquentes voluntatem nostram, Dei voluntatem faciamus, vt cum Christo dicamus: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Spiritu enim consilij, Dei voluntas inquiritur, vt à nobis impleatur. Docet insuper nos non omni spiritui credere, sed probare spiritus vtrum sint ex Deo. Docet nos misericordes esse, & dare temporalia, vt acquiramus æterna. Docet abrenuntiare omnibus quæ possidemus, vt expediti Christum sequamur. Non solùm enim præcepta, sed & consilia spiritu consilij perficimus. Suadet insuper spiritus consilij libenter aliis consulere, & prudentum consiliis acquiescere, vt, scilicet, prudentiæ nostræ non innitamur, sed omnia cum consilio facientes, post factum non pœniteamus. Ædificaturis siquidem turrem, necesse est computare sumptus, ne fortè dicatur nobis: Ecce homo, qui cœpit ædificare, & non potuit consummare. Spiritu etiā consilij, quibus cōsulendum sit, attendimus. Teste enim Greg. dare stulto consilium charitatis est, sapienti ostentationis. Quartum donū est spiritus fortitudinis, quo anima roboratur, & in bono opere constans redditur, vt non sit meticulosa vel pusillanimis, vt nō trepidet timore, vbi non est trepidandum, vt non timeat eos, qui occidunt corpus, & amplius facere nequeunt, vt nō frangatur aduersis, nec prosperis inaniter extollatur. Hoc igitur donum est, quasi oleum

*Isa. 62.* *Exod. 25.* *Zachar. 4.* *Apoc. 5.* *Cant. 8.* *Apoc. 1.* *De dono sapientiæ.* *2. Cor. 6.* *De dono intellectus.* *De dono consilii.* *1. Ioan. 2.* *Matth. 25.* *1. Ioan. 4.* *Luc. 14.* *Prouerb. 3.* *Eccles. 32.* *Luc. 14.* *De dono fortitudinis.* *Matth. 10.* *Luc. 12.*

oleum de cornu sumptũ, quo vnctus est Dauid. Per cornu enim fortitudo designatur. Unde & regnum Dauid durabile & stabile per cornu olei designatum est. Oleo autem ex cornu spiritualiter vnguntur, in quibus gratia Dei per donum fortitudinis perseuerat. Econtra Saul vnctus est oleo ex lenticula sumpto. Est autem lenticula vas fictile quadrangulum, habens foramen in latere, per quod fragilitas regni Saulis & eorum, qui in gratia Dei non permanent, designatur. Spiritu igitur fortitudinis confirmat Deus hoc quod operatus est in nobis. Scriptum est: Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. Et iterum: Quoniam gloria virtutis eorum tu es. In se enim debiles, per donum fortitudinis, facti sunt virtuosi & constantes. Petrus quidem cùm adhuc esset debilis, nec roboratus dono fortitudinis, credebat tamen quod esset fortis. Medicus autem magis agnoscit quid agatur in altero, quàm ipse qui ægrotat, quid agatur in seipso. Petrus quidem tunc infirmus, Dominus autem est Medicus. Dicebat se habere vires, quas non habebat. Medicus autem tangens venam cordis eius, dicebat quod eum esset negaturus. Et ita factum est quomodo prædixit Medicus, non quomodo præsumpsit ægrotus. Postmodum verò dono fortitudinis roboratus, factus est sicut tabernacula Cedar, qui fuit filius Ismaëlis. Manus enim eius contra omnes inimicos fidei Christi, & manus omniũ contra ipsum. Ipse autẽ tam hostes visibiles quàm inuisibibiles, fortiter expugnauit. Sic & Paulus non solùm, quasi leo confidens, absq; terrore fuit, sed ipse terror factus est leoni, id est, diabolo. Ad nullius siquidẽ bestiæ, id est, bestialis tyranni expauit occursum. Ipse enim tanquã aries fortis ductor gregis dominici, cornibus duorũ testamentorũ ventilãs inimicos fidei Christi, nec fuit qui resisteret ei, vel ipsum superare valeret. Fremuerũt Gentes, astiterũt Reges, & sæuiẽtibus aduersum eũ Regibus, legibus, ducibus, crucibus, trucibusq;, excogitatis tormentis, inuictissimus aries Christi subiecit populos Christi fidei & mundũ Domino strauit. Spiritu igitur fortitudinis Dominus Ecclesię columnas cõfirmauit, sicut scriptum est: Ego cõfirmaui columnas eius. Lateres siquidẽ ceciderũt, id est, ipsi qui priùs latericij & infirmi erãt, à sua ceciderunt fragilitate, & cõuersi sunt in lapides fortes & quadros, qui quantò magis malleis tribulationũ concutiebãtur, tantò maior ignis charitatis ab illis eliciebatur. Quintũ donũ dicitur spiritus sciẽtiæ, per quod scimus rectè & discretè cõuersari in hoc seculo inter homines prauos & peruersæ nationis. Sicut autẽ sapiẽtia ad vitã contemplatiuã, ita sciẽtia ad vitã pertinet actiuã. Vnde August. ait: Distat ab æternorũ contemplatione actio, qua bene vtimur temporalibus rebus. Et illa sapiẽtię, hęc scientię deputatur. Et Psal. ait: Os meũ loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiã. Sapientiã de diuinis, prudentiã, id est, scientiã de moribus, & de rebus humanis. Sapiẽtia enim pertinet ad cognitionẽ & dilectionẽ, scientia ad morũ compositionem. Teste enim Apostolo: Alij datur sermo sciẽtiæ, alij sermo sapiẽtiæ. Sapientia propriè consistit in rerũ diuinarum cognitione, & dilectione, seu delectatione. Scientia autem propriè dicitur humanarũ rerum cognitio, quæ cõsistit in recta administratione rerũ temporaliũ, & in bona cõuersatione inter homines huius seculi, & in fidei defensione. Sicut autẽ ad sapientiã pertinet cognitio diuinitatis Christi, ita ad scientiã pertinet cognitio humanitatis illius. Fides autẽ pertinet ad vtrunq;. Spiritus igitur scientiæ ignorantiã pellit, & hominẽ discretum reddit. Vnde ad Rom. Apostolus ait: Spiritus adiuuat infirmitatẽ nostrã: nam quid oremus sicut oportet, nescimus, scilicet, ex nobis, sed ex spiritu sancto, qui nostrã infirmitatẽ, id est, ignorantiam adiuuat. Et Iere. in Threnis ait: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me, id est, extra ruditatem posuit, quod fit per spiritũ sanctũ scientiæ, sicut scriptũ est: Spiritus scientiæ eruditio disciplinæ. Et in Cant. dicitur: Nasus tuus, sicut turris Libani. Nasus Ecclesiæ sunt sancti per spiritum scientiæ, quo sciunt inter odorem bonum & malum discernere. Non solùm autem donũ scientiæ pertinet ad cognitionem, sed & ad vitæ rectitudinẽ, quæ dicitur discretio in agendis. Sicut autẽ spiritu fortitudinis aduersis resistimus, ita spiritu scientiæ in prosperis nobis temperamus, vt sciamus abundare & penuriam pati, & rebus cõcessis ac licitis prudẽter vti. Spiritu fortitudinis molestias sustinemus, spiritu scientiæ ab imminentibus periculis, & ab insidiis diaboli nobis cauemus. Spiritu autẽ sciẽtiæ cognoscimus peccata nostra ad cõpunctionem, sicut scriptũ est: Qui addit scientiam, addit dolorem. In terra autem Heuilath, id est, lugentium reperitur aurum bonum scientiæ. Aurum autem melius, est spiritus intelligentiæ. Aurum optimum, spiritus sapientiæ. Vnde in Canticis dicitur: Caput eius aurum optimum. Sapientia enim caput est aliorum donorum. Sextum donũ est spiritus pietatis, qui facit gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, vt dicere possit anima pietatis spiritu affecta: Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ vror? Felix autẽ anima, quæ sic afficitur, & ad pietatem vngitur, vt omniũ necessitates suas reputet, & omnibus cõpatiatur. Spiritus autẽ pietatis ad omnia opera misericordiæ se extendit. Qui autem habet substantiam huius mundi, & videt fratrem suum necesse habere, & claudit viscera sua ab eo, spiritus pietatis non est in illo, neque charitas Christi, teste Ioãne Apostolo. Spiritu autẽ pietatis efficimur mites & mansueti. Vnde & in specie columbę spiritus sanctus se demonstrare voluit. Septimũ donũ est spiritus timoris, quod tamẽ primũ est in ascendendo, sed vltimũ in descendendo. Per spiritũ enim timoris affligitur anima, vt declinet à malo, quod priùs occurrit in Christiana religione, & consequenter bonum facere. Spiritus autem timoris humiliat animam, & reddit cautam, atque sollicitam, & custos est omniũ virtutum. De spiritu timoris dicitur in Iob; Cùm spiritus præsente me transiret, inhor-

1. Reg. 16.

Matth. 16. Marc. 14. Luc. 22.

Cant. 1. Gen. 16.

Prouerb. 28. Prouerb. 30.

Isa. 9.

De dono scientiæ, & quæ sit differentia inter scientiam & sapientiã.

Philip. 2.

1. Cor. 12.

Rom. 8.

Thren. 3.

Cant. 7.

Philip. 4.

Eccles. 1. Gen. 2.

Cant. 5.

De dono pietatis. Rom 12. 1. Cor. 12.

1. Ioan. 3.

De dono timoris & multiplici timore.

Iob 4.

ret, inuerunt pili carnis meæ, id est, superfluæ ac carnales cogitationes meæ, & motus carnis timorem mihi incusserunt. De hoc spiritu Salomon ait: Beatus homo qui semper est pauidus, vt, scilicet, nō torpeat ocio, ne sit nimis securus. Timor enim expellit peccatum & reprimit vitiū, & reddit hominem cautū atq; circunspectū. Ipse est stimulus in corde, ne pigri simus, frænū in ore, ne prauis sermonibus effluamus, fascia pectoralis, ne prauis cogitationibus cōsensum præbeamus. De his qui spiritū timoris nō habēt, ait Iudas Apost. Conuiuātes sine timore. Et iterū ait: Animales spiritū nō habētes, id est, animę cōcupiscentias sequētes. Timor autem iste, qui dicitur spiritus sancti donū, nō potest esse sine charitate. Timorē autē seruilē & timorē mundanū, foras mittit charitas. Timor autē seruilis, teste August. dicitur, quādo homo timet pœnā & nō amat iustitiā, quādo timore gehēnę cōtinet se à peccato, quo præsentiā Iudicis & pœnā metuit, & timore facit quicquid boni facit, nō timore amittēdi bonū æternū quod nō amat, sed timore patiēdi malū quod formidat. Bonus autē est iste timor & vtilis, licèt enim nō sufficiat ad salutē, præambulus tamē est ad charitatē. Est igitur donū Dei, sed nō est meritorium, nec cōputatur inter dona spiritus sancti. Licèt enim sit à spiritu sancto, nō tamē est in spiritu sancto. Quædā enim sunt à spiritu sancto, & cū spiritu sancto, vt virtutes. Quædā à spiritu & non cū spiritu, vt timor seruilis. Quædā nec à spiritu sunt, nec cū spiritu esse possunt, vt mortalia peccata. Est igitur timor seruilis bonus & vtilis, quia facit abstinere à malo ad modū vinculi, quo ligatur phreneticus, vt facilius possit ei medicina adaptari. Nam qui inuitus per seruilē timorē abstinet à malo, habilitatur, vt quādoq; diuina mādata impleat voluntariè. Sicut enim fera introducit filū, ita timor seruilis charitatē. Vnde dicitur: Principiū sapiētiæ timor Domini, quia præambulus est ad sapientiā, & introducit charitatē. Timor autē mundanus semper malus est, quo timore pœnæ aliquis omittit bonū ad quod tenetur, & facit malū, timens pelli suæ vel damnum temporale incurrere. Propterea Dominus ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Huiusmodi autē timorē Cassiodorus appellat humanū, dicēs: Humanus timor est, quādo timemus pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod delinquimus. Hic timor malus est, & in primo gradu cū mundo deseritur. Quem Dominus in Euang. prohibet, dicēs: Nolite timere eos, qui occidūt corpus. Hęc sunt verba Cassiodori, qui timorē mundanū impropriè appellat humanum. Nam timor humanus propriè dicitur, quo aliquis naturaliter abhorret mortē vel aliā pœnam: Et talis timor etiam fuit in Christo. Est præterea quartus timor, qui dicitur initialis, quia timet pœnā quod amat iustitiā. Timor iste donū est spiritus sancti, & habetur cum charitate, qua crescēte, crescit motus timoris, sicut & aliarū virtutū motus intēduntur, crescēte charitate. Acerbitas tamē quæ est quædā pœna cōcomitans motū illū, decrescit. Cùm autē perfecta fuerit charitas, foras mittit timorē, id est, timoris pœnā seu acerbitatē, sed donū timoris nō tollit. Quintus autē timor dicitur specialiter timor sanctus & filialis, qui non timet puniri, sed timet separari. Vnde August. exemplū ponit de duabus matronis, quarū vna virū offendit, & timet: altera nō offendit & timet atq; diligit. Illa timet, ne maritus puniat: ista, ne maritū offendat. Illa timet, ne torqueatur: ista, ne separetur. Illa, ne maritus veniat: ista, ne recedat. Huius aūt casti timoris duplex est effectus in præsenti. Timet enim homo, ne separetur, & præterea reuerētur. Primus effectus cessabit in futuro. Quantū autē ad secundū effectū, timor Domini sanctus permanebit in seculū seculi. Timebūt enim sancti timore reuerētiæ, sed nō timebūt separari. Patet igitur ex prædictis, quod timor seruilis à spiritu est & bonus, nō tamē est in spiritu sancto, siue cū spiritu. Timor mūdanus malus est, nec est à spiritu nec cū spiritu. Timor humanus quasi indifferēs est, prouenies ex corruptione naturæ. Non enim est à spiritu, licèt sit cū spiritu. Timor autē initialis & timor filialis à spiritu sunt & cum spiritu, & vterq; donū est spiritus sancti. Est autē donū timoris, quasi principiū & fundamentū aliorum donorū. Vnde primò enumeratur ascendendo. Primum enim oportet, quod homo humilietur & declinet à malo, quod fit specialiter per donū timoris. Secūdò autē oportet, vt faciat bonū, quod fit per spiritū pietatis. Tertiò, vt fiat bonum sicut debet fieri, id est, discretè & ordinatè, quod fit per spiritū scientiæ. Quartò, vt in bono quod inchoatur, perseueret, & nō deficiat in operando, quod fit per spiritum fortitudinis. Quintò, vt caueat sibi ab insidiis diaboli, qui quandoq; malū occultat sub specie boni. Et idcirco in omnibus est deliberatione & maturitate consilij opus, vt nō simus præcipites, sed omnia cum consilio faciamus. Scriptū est enim: Ego sapientia in consiliis habito, & eruditis interfum cogitationibus. Per spiritum autē consilij, prouida consilia nobis reuelantur. In dubiis enim consilio opus est & deliberatione, & diuersarū rerum collatione. Et quoniam manu bonæ operationis cor leuatur in cœlum, post prædicta sexto loco sequitur spiritus intellectus, sicut scriptum est: A mandatis tuis intellexi. Per obseruationem enim mandatorum peruenitur ad intelligentiam spiritualium, & mundatur cor, vt videamus Deum. Actiua enim præcedit contemplatiuam. Stellio enim manibus nititur benè operando, & in domum regum commoratur, id est, in profunda cognitione scripturarum intelligens dicta sanctorum. Teste enim Gregorio, custodia mandatorum aperit oculta scripturarum. Quantò autem homo magis illuminatur ad cognitionem, tantò amplius accenditur ad dilectionem. Vnde septimo loco per spiritum sapientiæ delectari incipit, videndo & gustando, quoniam suauis est Dominus, & quasi quodā melle dulcedinis, quæcunq; operatur, cōdiuntur ad dulcedinē & spirituale lætitiā. Vnde & B. Iob ait: Nónne auris verba diiudicat, & fauces comedētis saporē? Aliud enim est aliquid de Deo

*Prouer. 28.* *2. Ioan. 4.* *Prouerb. 1.* *De timore mundano. Matth. 10. Luc. 12.* *De timore humano.* *De timore initiali.* *1. Ioan. 4.* *De timore filiali & casto.* *De ordine donorum secundū ascensum.* *Eccles. 32. Prouer. 8.* *Prouer. 30.* *Iob 12.*

de Deo cognoscere, aliud hoc quod cognoscitur, quasi faucibus cordis purificati & sano mentis palato degustare. De quo gustu dulcedinis Apostolus ad Heb. ait: Impossibile est eos, qui semel *Hebr. 6.* sunt illuminati, gustauerunt etiã donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonũ Dei verbum, virtutesq; seculi futuri, & prolapsi sunt: rursum renouari ad pœnitentiã. Quod intelligitur de renouatione, quæ fit in baptismo, qui non iteratur. Per spi- *1. Reg. 14.* ritum igitur sapientiæ mel comedit & exhilaratur, & oculi eius per spiritũ intelligẽtiæ illuminantur. Hic autẽ sapor dulcedinis omnia mandata leuia facit. Vnde de Iacob legimus, quod vi- *Gen. 29.* debantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Sapientia autem & intellectus cõbinantur in *De combinatione donorũ & eorum affinitate.* enumeratione donorum, quia quod intellectus apprehendit, sapientia dulce reddit. Consilium autẽ & fortitudo cõbinantur. Consilium enim inter aduersa succurrit, & quod consulit spiritus consilij, adimplet spiritus fortitudinis. Consilio enim adhibenda est fortitudo & cõiungenda, vt ad tenendũ, quod prudenter & cõsultè eligimus, insurgẽtibus molestiis fortiter resistamus. Aduersis enim ad victoriã difficilè resistitur, nisi prouidẽtiæ consilij fortitudinis cõstantia copuletur. Spiritu siquidẽ cõsilij, filij Israël exierunt de Ægypto, sed fortitudinẽ non habuerunt mur- *Exod. 12. Item 16. Num. 14.* murãtes in deserto. Scientia autẽ & pietas meritò cõbinantur. Quod enim per scientiã cognoscimus, per pietatẽ facimus. Timor autẽ per se ponitur tanquã principiũ aliorũ donorũ. Timor enim ad omnia dona refertur, & omnia per timorẽ conseruãtur. In moralibus autẽ super hunc locũ vbi in Iob dicitur, quod filij eius faciebãt cõuiuia vnusquisq; in die suo. Beatus Gregor. de *Iob 1.* hac donorũ cõbinatione siue cõiunctione, plenius nos instruit, dicẽs: Sapiẽtia in die suo animũ pascit, dum de æternorũ spe & certitudine mentẽ reficit. Intellectus suo, dum de auditis cor illustrat. Consiliũ suo, dum ratione implet, prohibens esse præcipitẽ. Fortitudo suo, dum confidentiã cõtra aduersa tribuit trepidanti. Scientia, dum ignorantiã pellit. Pietas, dum opera misericordiæ docet. Timor, dum mentẽ premit, ne de prẽsentibus superbiat. Inuicẽ pascũt, quia alia aliis suffragãtur, sine quo vnaquæq; valde destituitur. Minor est sapiẽtia sine intellectu. Inutilis est intellectus sine sapiẽtia. Si enim sine ea altiora penetrat, sua illum leuitas ruiturũ leuat. Vile est consiliũ sine fortitudine, quia quod tractando muenit sine viribus, ad actum non perducit. Fortitudo quo plus potest sine moderamine rationis præceps ruit. Nulla est sciẽtia sine pietate. Quia qui bona cognita nõ exequitur, grauius iudicatur. Pietas sine sciẽtiæ discretione, quomodo misereatur, ignorat. Timor sine aliis nõ valet, quia ad omnia trepidãs, à bonis operibus torpet. Filij igitur Iob cõuiuia faciunt, quia singulæ virtutes iuxta propriũ modũ, mentẽ pascunt. In die autẽ suo pascunt, quia quæq; virtus propriã habet illuminationẽ. Alium diem habet sapientia, alium intellectus, & sic de aliis intelligitur. Ecce videtur velle D. Gregorius, quod septem dona quasi septem stellæ siue septem oculi, septẽ habeãt illuminationes. Vnde & ipse ait, *Quod dona spiritus contraria expellunt, & contra illa nos illuminant.* quod contra singula tentamenta, septem virtutibus spiritus sanctus nos instruit. Contra stultiam sapientia instruimur, contra hebetudinẽ intellectu, contra præcipitationẽ consilio, contra pusillanimitatem & timorẽ fortitudine, contra ignorantiã scientia, contra duritiam pietate, contra superbiam timore. Legimus autem in Iob, quod ipse per singulos offerebat holocausta, ne forte peccarent filij eius. Teste autem Gregorio, per singulos offerimus, dum pro vnaquaq; virtute Deo preces immolamus, ne sapiẽtia eleuet, ne intellectus aberret, ne consiliũ, dum se multiplicat, confundat, ne fortitudo per audaciã præcipitet, ne scientia inflet, ne pietas extra rectum vertat, ne timor plus iusto trepidans, desperet. Licèt autem quodlibet donum suam dicatur habere illuminationẽ, timor tamen & pietas, atq; fortitudo, specialiter pertinent ad mentis affectionẽ: Scientia verò & consiliũ atq; intellectus ad cognitionem. Sapiẽtia partim ad cognitionem, partim ad affectionem. Ex his autem septem donis, tanquam ex septem fontibus, omnes virtutes oriuntur, vel ad ipsa referuntur. Et septem criminalia vitia per hæc eliminãtur, & pro- *Quod septem dona, septem virtutes generant, & septẽ criminalia, expellunt.* pter hoc per se ab aliis virtutibus distinguuntur. Spiritus enim timoris generat in nobis paupertatem spiritualem, & eliminat superbiam, dum inducit humiliratem. Vnde Dominus ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Spiritus pietatis eliminat inuidiã, & facit suauem ac mitem. Vnde Dominus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Spiritu scientiæ, peccata nostra cognoscimus: vnde & lugemus, & ita tertium donum tertiam generat virtutem, de qua Dominus ait: Beati qui lugent, quoniam ipsi cõsolabuntur. Expellit insuper scientia tertiũ capitale vitiũ, id est, iram, quæ in sinu stulti requiescit. Spiritus fortitudinis eliminat acediã, & animat hominẽ, vt esuriat & sitiat iustitiam, & non torpeat per pusillanimitatẽ. De qua virtute Dominus ait: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniã ipsi saturabũtur. Spiritus cõsilij docet libẽter misereri & dare temporalia, vt acquiramus æterna. Vnde eliminat auaritiã, ac generat misericordiã. De qua Dominus ait: Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam cõsequentur. Spiritus intellectus purgat tenebras, & oculum mentis reddit luminosum, & generat munditiam cordis. De qua Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Eliminat insuper gastrimargiam, quæ spiritum deprimit, quia venter pinguis non generat sensum tenuem. Spiritus sapientię pacem generat & mentis tranquillitatem. Vnde Dominus ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Eliminat autem sapientia luxuriam, quia gustato spiritu, desipit omnis caro. Spiritus enim sapientiæ concupiscit aduersus carnem, id est, desiderare facit bona spiritualia, & carnales delectationes absorbet. Non solum autem prædictæ virtutes, sed & omnes aliæ ab istis oriuntur, vel ad eas retorquentur.

*Quæ sit differentia inter virtutes & dona.*

Quomodo autẽ fortitudo, quę est vna cardinaliũ virtutũ ad donũ fortitudinis se habeat, vel vtrũ eadẽ sit virtus, disputationi relinquimus. Difficile est enim differentiã assignare, nisi fortè dicatur quod virtus dicatur habitus in anima, prouenies ex frequenti benè agere: vnde recedente spiritu fortitudinis, per peccatũ mortale remanet habitus fortitudinis. Similiter & prudentia, quæ est de moribus, remanet, recedente spiritu scientiæ. Si tamẽ alicui videatur quod naturalia non fiant gratuita, sed adueniente spiritu sancto nouæ virtutes infunduntur, dici potest quod fortitudo aliunde dicitur virtus, aliunde donũ. Virtus enim dicitur secundũ quod nitimur ad expugnationem vitiorũ: donũ autẽ dicitur, quia gratis datũ. Scientia autẽ, quæ per industriã & ingenium, atq; exercitiũ acquiritur, differt à dono scientiæ, quod per spiritum sanctum gratis datur. Nam homo parum literatus, qui illuminatur & afficitur ad vitæ rectitudinẽ & rectã conuersationem, inter homines prauæ nationis donum habet sciẽtiæ, licèt modicã habeat scientiã literarũ. Literatus autẽ cognitionẽ habet, sed nõ affectionẽ, & vt ita dicã scientiã habet in capite, sed non in mente, mores habet in cõprehensione, sed non in dilectione vel affectione. Patet igitur ex prædictis, quod qui diligit & sermonẽ seruat, ad eum venit hospes delectabilis, munificus, & vtilis valde, qui domum suam septem luminaribus illustrat, & variis virtutibus exornat, &

*Breuis prædictorum recapitulatio.*

hospitem suum, qui illi præstat hospitium, liberaliter remunerat. Vnde valde magnum est, quod

*1. Ioan 4.*

Dominus promittit his qui diligunt & sermonem custodiunt, cùm ait: Ad eum veniemus & mansionẽ apud eum faciemus. Et ita templum Dei diligẽdo & sermonẽ seruando efficimur, & ipse in nobis manet & nos in ipso. Per hoc autẽ quod Dominus alibi ait: Si manseritis in me, &

*Ioan 15.*

verba mea in vobis manserint, manifestum est quod nisi verba custodierimus mandata obseruando, ipse nõ manet in nobis, nec nos in illo. Ex dilectione autẽ cordis sequitur dilectio operis, id est, signũ dilectionis. Qui autẽ verbo diligunt & nõ facto, similes sunt sambuco, quæ florem habet bonũ & fructũ prauũ. De his igitur qui mãdata nõ obseruãt & operari cõtemnunt, dicit Psal. Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Patet igitur quod dilectio sermonẽ seruat, id est, mandata. Et specialiter illa duo, quorũ vnũ est, vt malũ quis proximo nõ inferat, alterũ vt bonũ impendat. Primũ est, vt caueat lædere, secundũ vt discat præstare. De primo Paulus ait: Dilectio proximi, malum nõ operatur. De secundo idẽ ait: Plenitudo legis, est dilectio. Sequitur: Qui nõ diligit me, sermones meos nõ seruat. Sine charitate enim anima mor-

*Rom. 13.*

*Prosecutio expositionis literæ.*

tua est, nec sermonẽ seruare potest. Vnde Ambros. ait: Sine charitate, quæ via est ad Deum, ambulare nõ possunt homines, sed errare. Et sermonẽ, quem audistis nõ est meus, sed eius qui mi-

*Matth. 10.*

sit me, patris. Ab ipso secundum quod homo, non erat eius sermo, iuxta illud: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Potest etiam sic intelligi, vt sermo, quem loquitur filius, non sit filij: Filius enim verbum est patris. Et ideo sermo quem loquitur filius, non est filij, sed patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Recedebat corpore, sed manebat diuinitate. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. Paracletus dicitur, id est, cõsolator, quia de peccatis lugentibus dum spem veniæ tribuit, ab afflictione tristitiæ mentẽ releuando dolores lenit. Ipse verò docebit omnia. Nisi enim intus spiritus sanctus doceat, Doctoris lingua exterius inuacuum laborat. Vnde Ioannes ait: Vnctio docet de

*1. Ioan. 2.*

omnibus. Per vocem igitur nullus instruitur, quando mens per spiritum non vngitur. Hic igitur paracletus, quem misit pater in nomine Christi, id est, pro nomine Christi, exaltando, quod priùs erat in opprobrio, docuit omnia interius reuelando, & suggessit, id est, subministrauit, & ad memoriã reduxit occultè inspirãdo quæcunq; dixerat Christus illis, apertè prędicãdo. Vnde & nullũ scripturæ volumẽ Christus discipulis tradidit vel reliquit, quia in cordibus fidelium per spiritum sanctum quæcunq; vult, scribit. Ipse enim scriba velox, sicut scriptũ est: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis. Hic

*1. Esdræ 7.*

*De pace duplici.*

relinquo, illic do, sequentibus relinquo, peruenientibus do. Pacem relinquo vobis iturus ad patrem, pacẽ meam do vobis ducturus ad patriã. Pacem relinquo, pacem do, pacem, scilicet, super

*Eccles. 45.*

pacem. Non enim dat Deus pacem æternitatis, nisi super pacẽ pectoris. Pacẽ relinquo vobis in testamentum, sicut scriptum est: Statuit ei Dominus testamẽtum pacis. Nec poterit ad hæreditatẽ peruenire, qui testamẽtum noluerit obseruare. Pacẽ relinquo vobis, id est, pacis reliquias. Hîc enim aliqua pax est nobis, quoniã cõdelectamur legi Dei secundum interiorẽ hominẽ, sed

*Rom. 7.*

nõ est plena, quia videmus aliã legẽ in membris nostris repugnantẽ legi mentis nostræ. Pax igitur quã reliquit nobis, nõ est absq; aliqua repugnãtia. Et idcirco nõ dixit: Pacẽ meã relinquo vobis, sed pacẽ meã do vobis, id est, in proximo dabo illã, quę specialiter est mea. Hîc igitur pacem nobis relinquit, in qua manẽtes hodie vincimus. In futuro pacẽ suã nobis dabit, quãdo sine pugna regnabimus. Illic igitur dabitur nobis pax gloriæ, hîc relinquitur nobis pax gratiæ, pax, scilicet, charitatis, serenitas mentis, trãquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculũ, cõsortium charitatis. Hæc est pax veræ dilectionis, quæ simultates tollit, bella cõpescit, cõprimit irã, calcat superbiã, humiles amat, discordes sedat, inimicos cõculcat, cunctis est amica, omnibus benenola. Non quomodo mundus dat ego do vobis. Mundi amatores propterea sibi dant pacẽ, vt sine molestia litium arq; bellorum, nõ Deo, sed amico suo, mundo, scilicet, perfruãtur. Non est autẽ pax vera, vbi diuisa sunt corda. Deus autẽ dat pacẽ, vt cõcordes simus, id est, vt simul corda iungamus, & cor vnum sursum habeamus, vt nõ in terra corrumpatur. Dat pacẽ, vt in trãquillitate animi

animi deuotè seruiamus, vt nos nō remordeat cōscientia, sed gloria nostra, hæc sit testimoniū cōscientię nostræ. Specialiter autē Deus tantā pacē pectoris dedit Apostolis, postquā spiritu sancto cōfirmati sunt, vt cor eorū nō turbaretur, vel formidaret, sicut scriptū est: Non contristabit iustū quicquid ei acciderit. Vnde ad bonū pacis potest referri quod ait Dominus: Non turbetur cor vestrū neq; formidet, quasi dicat: Hanc pacē relinquo vobis, vt in tribulationibus gaudeatis, & nō formidetis illos, qui corpus occidunt. Sancti tamē expositores ita exponūt hoc quod ait Dominus: Nō turbetur cor vestrū neq; formidet. Nō turbetur cor si recedo, quia secundū diuinitatē maneo. Nō formidet cor vestrū, quia si oculos desero, cor nō relinquo. Vnde & subiungit: Audistis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos, quasi dicat: Si dixi vado, quod vos terret: dixi venio, quod vos mulcere potest. Etsi enim vt homo vado, vt Deus præsens sum, & citò veniā in morte cuiusq; vel ad iudiciū. Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad patrem, quia pater maior est, scilicet, secundū humanitatē, sed æqualis secundū diuinitatē. Naturę igitur humanæ congratulandū est, eò quòd sic assumpta est à verbo vnigenito, vt immortalis constituatur in cœlis, & sic fiat terra sublimis, vt glorificatus puluis, sedeat ad dexterā patris. Quis igi tur nō inde gaudeat, qui sic diligit Christū, vt & suā naturā iā immortalē esse glorietur in Chri sto, atq; id se speret futurū per Christū? Hoc autē quod ait: Si diligeretis me, non ponit dubitatiuè, sed magis cōfirmatiuè. Si diligeretis me, quod vtiq; cōstat, vel si diligeretis me, id est, quia diligitis me. Et nunc dixi vobis priusquā fiat, vt cùm factū fuerit, credatis, id est, prędixi vobis, hoc, scilicet, quod vado ad patrē, vt cùm impletū fuerit, credatis, non quod factū videritis, quia nō est meritū fidei, nec etiā fides est de eo quod videtur. Si credatis me esse filiū Dei, nō noua fide, sed ampliori. Quia cùm hęc diceret, fides eorū parua, & cùm morerētur nulla. Plenius ergo crediderunt, quod ipse esset filius Dei, qui potuit hoc facere, cùm prædixisset, & prædicere antequā faceret. Iam nō multa loquar vobiscū, quasi diceret: Hucusq; locutus sum vobis, sed amodò pauca loquar, quia hora passionis meæ appropinquat. Venit enim Princeps mundi huius, & in me nō habet quicq̄, id est, diabolus, Princeps amatorū mūdi venit, accepta licētia à Deo, vt me tradat in manus Iudęorū. Et in me nō habet quicquā, quod sit suū vel quod pertineat ad ipsum, nullum omninò peccatū. Noluit autem Dominus aliquā habere possessionē. Pauper venit, noluit habere quod perderet, ne inueniret diabolus quod auferret. Pauper venit, vt nobis paupertatis exemplū præberet, & quærendi meliora bona, quàm sunt hæc trāsitoria. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrē, & sicut mandatū dedit mihi pater, sic facio, quasi enim diceretur ei: Cur ergo moreris, si nullum habes peccatū, cui debetur mortis suppliciū, cōtinuò subiecit. Quia pater mandauit, & sicut mandauit, sic facio, vt per hoc cognoscat mundus, quia patrē diligo, cuius mandata adimpleo. Exhibitio enim operis, signū est dilectionis. Et nos fratres charissimi ad imitationē Christi, si patrem diligimus, eius mandata impleamus, si Deum diligimus, eius sermonem seruemus. Ipse enim diligentes se, diligit, & apud eos mansionē facit, cuius delitiæ sunt esse cum filiis hominum. Ipse dulcis hospes sanctus, sanctificās tabernaculum suum, altissimus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

2. Cor. 1.

Proner. 12. Rom. 12. Matth. 10. Luc. 12.

Matth. 26.

Conclusio cū breui recapitulatione.

Proverb. 8.

## FERIA SECVNDA POST PENTECOSTEN

### THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Ioannem.

*Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3.

PETRVS Apostolus ait: Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Sermones suos & non Dei loquitur, qui in nomine suo prædicans ea, quæ dicit prudentiæ suæ, & non Deo ascribit. Contra huiusmodi arrogantiā seu præsumptionē Apost. ait: Neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementū dat, Deus. Qui enim prædicat, est quasi qui ignem sufflat. Flatus autē nihil proficit, nisi Deus ignē apponat. Clamat prædicator, trahit Deus, sicut scriptū est: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eū. Hęc enim duo adhiberi solēt, quod aliquod ponderosum trahatur, scilicet, clamor vocis, & tractus funis. Quid ponderosius peccatore, qui fert illum supra se, quem super mentem nequit sustinere, id est, diabolū. Solo igitur clamore prædicatoris, peccator non potest sursum leuari, nisi fune charitatis à Domino pertrahitur, sicut ipse per Osee dicit: Traham illos in vinculis charitatis. Cùm igitur sine diuina gratia nihil possimus facere, ad orationes vestras necesse est nos recurrere, vt eius pro nobis imploretis auxiliū. Quia impossibile est multorum pias orationes non exaudiri, quando pro salute animarum habent fieri. Ad vos igitur pertinet orare, & nos sermones Dei non nostros debemus prædicare, vt sint oculi sponsæ columbarum, id est, simplices, vt bona intentione prędicemus, & sermones exhortationis ipsi ascribamus, & illos non de corde nostro fingamus, sed de agro sacro scripturæ assumamus, & ea quæ dixerimus authoritate scripturarum roboremus. Quemadmodum Hieronymus ait: Sermo Doctoris scripturarū sale sit cōditus. Licèt autē peccator sim, de eius misericordia nō differo. Balaam enim, licèt malā habeat intentionē, & filiis Israël maledicere vellet, Dominus tamē in ore eius posuit benedictionē. Quantò magis orationibus vestris Dominus aliquod verbū benedictionis in ore meo ponet, licèt indignus sim, cū nō habeā malā intētionem,

1. Pet. 5. Quod sermones nostros ad Deum referre debemus, & contra arrogantiam prædicatorum. 1. Cor. 3. Ioan. 6. Osee 11. Cant. 1.

nec ad maledicendũ venerim, ſed potius ad benedicendum & inſtruendum animas veſtras ſecundum quod inſpirauerit Deus. Quãuis enim peccatis meis pollutus ſim, potẽs eſt Dominus, bonũ vinum ex vili vaſculo propinare, & de ſpina roſam procreare: verbũ Domini ex ore polluto, quantũ in ſe eſt, immunditiã non contrahit, ſicut nec Solis radius ex loco immũdo. Nam & ſemẽ purũ, licèt manu leproſa in terrã proiiciatur, nihilominus fructificat Domino illud, irrigãte & præſtãte incrementũ. Qui autẽ labia Prophetę calculo ex altari ſumpto purgauit, potẽs eſt labia mea purgare, & ex ore meo ſemen verbi prolatũ in cordibus veſtris multiplicare. Sic Deus dilexit mundum, &c. Deus charitas eſt, & Spiritus ſanctus Patris ac Filij nexus & amor eſt. Feſtũ igitur Spiritus ſancti, feſtũ eſt dilectionis. De hac igitur ſolemnitate dilectionis dignè loqui nõ valemus, ſi ipſam dilectionẽ in nobis nõ habeamus. Qui autẽ cũ Apoſtolo dicere poteſt: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. Hi profectò feſtũ dilectionis dignè valẽt celebrare. De diffuſione autẽ ſeu ampliatione huius dilectionis loquitur Ioannes vbi ait: Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ ſuum vnigenitũ daret. Propter hanc autẽ diffuſionẽ ſeu charitatis amplitudinẽ, ipſa dilectio ſeu ſpiritus ſanctus, nã & ipſe charitas eſt, fluuio cõparatur. Vnde in Gen. dicitur: Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Fluuius iſte eſt ſpiritus ſanctus, qui de loco voluptatis egreditur, id eſt, à patre & filio procedit. Sicut enim odor ſuauitatis ſpiratur ex arbore aromatica & pomo, ſic ſpiritus ſanctus ſpiratur à patre & filio. Vnde in Eccleſ. dicitur: Ego quaſi fluuius Dorix, & quaſi aquæductus exiui de Paradiſo. Dorix interpretatur medicamentũ generationis. Hic eſt ſpiritus ſanctus, qui omniũ hominũ generationi præſtat medicamentũ. Exit autẽ à Paradiſo, id eſt, à patre & filio. Dorix impetuoſe currit, & ſpiritus vehemẽs omnia impedimenta ſalutis noſtræ, quaſi impetu gratiæ tollit. Dicitur autẽ quaſi aquæductus, quia hortulos conſcientiarũ irrigat. Hic eſt fluuius ille de quo in Danielẽ dicitur: Fluuius igneus, rapidusq; ex ore eius procedebat. Fluuius autẽ ille, qui de loco voluptatis egreditur, in quatuor capita diuiditur, ad irrigandũ Paradiſum. Quia quatuor Euãgelia, quę per ſpiritũ ſanctũ tradita ſunt, vniuerſam irrigãt Eccleſiã. Vel quatuor cardinales virtutes à ſpiritu ſancto procedunt, Paradiſum animæ irrigantes, ſcilicet, iuſtitia, prudentia, fortitudo & temperantia. Teſte autẽ Auguſtino: Iuſtitia attenditur in ſubueniendis miſeris, prudẽtia in præcauẽdis inſidiis, fortitudo in perferendis moleſtiis, temperãtia in coërcendis delectationibus prauis. Et Ambroſ. ait: Vnũ eſt flumen, ſed multi ſpiritualium donorũ meatus, id eſt, vnus ſpiritus, ſed multa dona ex ipſo emanantia. Spiritus autẽ ſanctus cõparatur flumini, quia rigat, ſicut ſcriptum eſt: Rigans montes de ſuperioribus ſuis. Quia reficit & ſatiat, ſicut ſcriptum eſt: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Quia cum abundantia fluit, ſicut ſcriptum eſt: Flumen Dei repletum eſt aquis. Quia amœnus eſt & delectabilis, ſicut ſcriptum eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Quia abluit & mundat, ſicut ſcriptum eſt in Ezech. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Quia copiam piſcium generat. Et ſpiritus ſanctus diuerſos fidèles in Eccleſia & diuerſa Chariſmat dona, ſicut in Ezechiẽle ſcriptum eſt: Et erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illuc aquæ iſtæ. Quia occultam habet originem. Et de ſpiritu ſancto dicitur: Neſcitis vnde veniat, aut quò vadat. Et propter fœcunditatem & vtilitatem. Quia rigat & refrigerat, & multa dona ſecum adfert. Fluuius autem communis eſt omnibus. Diuites tamẽ inde bibere dedignãtur. Per loca humilia defluit & à tumẽtibus curſum diuertit. Aqua autem huius fluminis limpida & perpetua eſt. Econtra aqua torrentis, quæ pluuialis eſt, turbida eſt. Et licèt cum impetu magno fluat, citò deficit, ſicut ſcriptum eſt: Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius. Aquæ enim temporalium bonorum & carnalium voluptatum citò tranſeunt, & non permanent in æternum, ſicut aqua gratiarum. De quibus dicitur: Contribulaſti capita draconum in aquis, id eſt, dæmonum, in gratiarum fluentis. Et iterum: Tranſiuimus per ignem & aquam, id eſt, per aduſtionem tribulationum & fluenta gratiarum & induxiſti nos in refrigeriũ. De his etiam aquis dicitur in Iob: Si cõtinuerit aquas, omnia ſiccabuntur, ſi emiſerit eas, ſubuertent terrã, id eſt, terrenitatẽ deſtruent, ſiue terrenorũ amorem. De his enim Iſa. ait: Dabit tibi Dominus arctũ panem & aquã breuem. Arctũ panẽ, id eſt, ſacrã ſcripturam, & aquã breuẽ, id eſt, ſancti ſpiritus gratiã. Arctum dicit & breuẽ, quia nõ permittũt nobis retinere, niſi ſufficientia, ſicut ſcriptum eſt: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Hæ ſunt aquæ viuæ ſalientes in vitam æternã, id eſt, ſalire facientes. Hæ ſunt aquæ medicinales, quę valent cõtra omnẽ infirmitatẽ, valent cõtra tumorẽ ſuperbię per ſpiritũ timoris. Contra liuorẽ inuidiæ per ſpiritũ pietatis. Contra phreneſim ſiue furorẽ iræ, quæ in ſinu ſtulti requieſcit per ſpiritũ ſciẽtiæ. Contra languorẽ triſtitiæ & paralyſim diſſolutionis & acediæ per ſpiritũ fortitudinis. Contra hydropiſim cupiditatis & auaritiæ per ſpiritũ cõſilij, quo dicitur nobis: Date, & dabitur vobis. Et beatius eſt dare quàm accipere. Valẽt cõtra boliſmũ guloſitatis, per ſpiritũ intelligẽtiæ, quo ſpiritus ſurſum attollitur, vt nõ deptimatur & grauetur crapula & ebrietate. Contra febrẽ etiã luxuriæ, qua homo iumẽtis inſipientibus cõparatur, valent per ſpiritum ſapiẽtiæ, quo guſtato deſipit omnis caro. Has igitur aquas effudit Dominus, vt irrigaret vniuerſum mundũ. Non ſolũ enim copioſa apud eũ redẽptio, ſed copioſa apud eũ fuit dilectio. Nec mirũ, quia quãtus eſt ipſe, tanta eſt eius dilectio, infinita, ſcilicet, & immenſa. Sic enim dilexit mundũ, id eſt, homines huius ſeculi intantũ dilexit, vt filiũ ſuum vnigenitũ daret pro eis, ſicut

*Quod verbum Dei purũ eſt in ſe à quocunque proferatur.*

*1. Ioan. 4.*

*Rom. 5.*

*Gen. 2.*

*Eccleſ. 24.*

*Dan. 7. De quatuor partibus fluuii.*

*De proprietatibus fluminis, quæ ſpiritualiter conueniunt ſpiritui ſancto.*

*Ioan. 7.*

*Ezech. 36.*

*Ezech. 47.*

*Ioan. 3.*

*Prouerb. 30.*

*Iob 12.*

*Iſa. 30.*

*1. Timoth. 6.*

*Ioan. 4.*

*Quod aqua ſpiritus ſancti valet contra ſeptẽ agritudines, quæ ſunt ſeptem criminalia.*

*Eccleſ. 7.*

*Luc. 6.*

*Act. 20.*

*Luc. 21.*

*Proſecutio et expoſitio literæ.*

ſicut in hodierno Euangelio Ioannes ait: Ipſe enim à ſua charitate quaſi victus eſt, vt filium ſuum morti traderet. Teſte enim Auguſtino, nihil adeo probat amicum, vt oneris amici portatio. Vnde Chriſtus ſe verè probauit amicum, qui peccata noſtra portauit in corpore ſuo ſuper lignum. Cauſa autē humanæ ſalutis fuit dilectio Patris, qui filium ſuum per ſpiritum ſanctum incarnari voluit. Vnde & à ſpiritu ſancto conceptus eſſe dicitur, licèt conceptio illa & incarnatio opus ſit totius trinitatis. Specialiter autē propter inæſtimabilem benignitatem attribuitur ſpiritui ſancto. Nimis igitur dura eſt glacies cordis, quæ nō liqueſcit ad ardorem huius Solis, id eſt, ad feruorem tantæ dilectionis, dum attendit quod Pater filium ſuum in mortem dedit pro nobis. Venit autem filius cum vnctione ſpiritus ſancti, venit mitis & ſuauis, non ad condemnandum, ſed ad ſaluandum: non ad mortificandum, ſed ad viuificandum, vt omnis, qui credit in eum, fide, ſcilicet, operante per dilectionem, illi adhærendo, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Venit igitur cum oleo miſericordiæ & benignitatis. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Non venit ad condemnationem, ſed ad ſaluationem. Quantum enim in medico fuit, ſanare venit ęgrotum. Qui autem præcepta Medici cōſeruare contemnit, ex ſeipſo & nō ex defectu Medici perit. Si enim ab ipſo ſaluari non vis, ex teipſo iudicaberis. Vnde & Dominus ait: Qui credit in eum, non iudicatur, quia, ſcilicet, per fidem dimittuntur ei peccata, pro quibus condemnaretur. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, id eſt, cauſam iudicij ſui, hoc eſt condemnationis ſuæ iam habet ſcilicet, infidelitatem. Infideles autem, qui non habent characterem religionis Chriſtianæ, iam iudicati eſſe dicuntur, quia cum talibus non fiet diſcuſſio in iudicio, cùm conſtet curiæ tales eſſe de reprobis, & apertis inimicis, & non de familia regis. Vnde ſine diſcuſſione & ſententia ſtatim rapientur in ignem æternum. Qui autem characterem regis habent, & ſignum religionis Chriſtianę, & tamen operibus negant, iudicabuntur iudicio ſeparationis ab agnis, & fiet cum illis diſcuſſio, dicēte Domino. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Et hi qui tales ſunt, iam iudicati ſunt iudicio diſcretionis apud Deum. Iam enim in hoc ſeculo diſcreti ſunt reprobi ab electis, licèt iudicium nondum appareat. Iudicium autem ſeparationis euidens erit in futuro, quādo ſeparabuntur localiter agni ab hędis. Vnde Auguſtinus ait: Nondum apparuit iudicium, ſed iam factum eſt. Nouit enim Dominus, qui ſunt eius, nouit in area ſua triticum, nouit & paleam, nouit ſegetem, nouit zizaniam. Quare autem iudicatus ſit, oſtendit. Quia, ſcilicet, non credit in nomine vnigeniti filij Dei, in quo ſolo eſt ſalus credentiū in eū. Ex Deo igitur ſaluatur homo, ſed ex ſe damnatur, quia ex ſe habuit, quod credere recuſauit. Quæ autem ſit cauſa dānationis reproborū, oſtendit, dicēs: Hocautē eſt iudiciū, quia lux venit in mundū, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, id eſt, hæc eſt cauſa iudicij & condemnationis, quia lux venit in mundum, id eſt, verbum in carnem, lux, ſcilicet, diuinitatis in teſtam noſtræ fragilitatis per formam viſibilem mundo apparuit. Vel lux ſpiritus ſancti miſſa eſt in mundum. Ignem enim venit Dominus mittere in terram, id eſt, in corda terrenorum, & non vult aliud, niſi vt ardeat. Et idcirco, qui ardere non vult, meritò condemnatur. Hi ſunt qui magis volunt in tenebris commorari, quàm hoc igne illuminari, qui magis diligunt tenebras, quàm lucem. Vnde iā iudicati ſunt, quia ad partē ſiniſtram cū hœdis propria voluntate vadunt, & lucem dexteræ fugiunt. Diligunt etiam homines carnales magis tenebras peccatorum, à quibus exire nolunt, quàm lucem, id eſt Chriſtum peccata arguentem. Quare magis dilexerunt tenebras homines reprobi, quā lucē? Quia erant opera eorū mala. Omnis enim qui malè agit: odit lucem? Qui enim eſt in intentione mali, & cui malum placet, non coniungitur luci, ſed fugit lucem. Deformis enim non vult videri de die, ſed tenebras quærit, quia de nocte latent maculæ. Egris autem oculis odioſa eſt lux. Vnde & diabolus qui ſenex eſt, & habet oculos tenebris aſſuetos, quia diu commoratus eſt in aëre caliginoſo, lucem ſuſtinere non poteſt. Hi ergo odiunt lucem quorum ſunt opera mala. Quæ ſunt impietas, incredulitas, odium æternæ lucis, & nolle eam aſpicere, & velle in tenebris peccatorū remanere. Quando ergo aliquis peccata ſua diligit, odit lucem confeſſionis. Odit arguentem, fugit lucem vt nō arguantur opera eius mala, quæ diligit. Odit igitur lucem, quæ detegit mala, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Oſtenſo qua iuſtitia damnetur, qui non credit, oſtendit, qua iuſtitia ſaluetur, qui credit. Vnde & ſubiungit: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta, quaſi dicat. Qui non credit, iudicatur, quia lux venit, quæ admonet & excitat homines cognoſcere ſua mala, in quibus omnes ſunt. Sed alij oderunt admonentem lucem, & fugiunt, ne arguantur eorum mala, quæ diligunt. Alij admoniti per lucem, accuſant ſua mala, quod eſt veritatem facere, & ſic illuminantur. Qui igitur facit veritatem, accuſat in ſe mala ſua quæ ſibi diſplicent. Non ſibi parcit, vt Deus parcat, non ſibi ignoſcit, vt Deus ignoſcat. Nam ſicut mali fugiunt lucem, dum nolunt peccata accuſare per confeſſionem, ita boni veniunt ad lucem peccata non occultando, ſed aperiendo. Patet ergo, quod qui facit veritatem, id eſt, bona opera, quæ veritas iubet, venit ad lucem accuſando ſe, vt peccata ſua deleantur. Initium enim boni operis eſt accuſatio mali. Et ita opera eius, ſcilicet, quod ſibi diſplicet & quod ſe accuſat, vt Deus excuſet, manifeſtantur, quia in Deo ſunt facta. Niſi enim lux illi luceret, ſibi non diſpliceret. Hi ergo qui veritatem faciunt, & ad lucem veniunt, per ipſam lucem, quę eſt Chriſtus, ſaluantur. Mali autem à ſeipſis & non à Chriſto habent, quod iudicantur & condemnantur.

*Iſaiæ.53. 1.Pet.1.*

*Quod Deus non venit ad condemnandum vel iudicandum mundum, ſed ad ſaluandum. Gal.5.*

*Quod infideles iam iudicati ſunt.*

*Titum.1.*

*2.Tim.2.*

*Matth.25.*

*Lucæ12.*

*Quòd mali lucem odiunt et fugiunt.*

Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Venit enim in primo aduentu in spiritu mansuetudinis & suauitatis, venit cum oleo & vnctione spirituali, sicut per Isaiam ipse dicit: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me: Hæc est vnctio spiritus sancti, quæ docet de omnibus. Hoc est oleum lætitiæ, quo vnctus est Christus præ participibus suis. Spiritus autem sanctus oleo comparatur, quia ipse est fons viuus, cui non communicat alienus, sicut oleum aliis liquoribus non miscetur. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Surrexit Nathan Propheta, sicut adeps separatus à carne. Et iterum: Quasi balsamum non mixtũ odor meus. Ipse enim more olei illuminat, pascit, sanat hgrotos, penetrat duros, supernatat, quia ad superna nos eleuat. Hac vnctione paruuli fouẽtur, ęgri sanãtur, robusti ad certamina præparãtur, vt dupliciter vncti & lenes sint aliis & pingues sibi. Septem etiam dona spiritus sancti, septem proprietatibus olei possunt adaptari. Oleum enim tumores sedat, Ecce spiritus timoris. Lenit & pascit: Ecce spiritus pietatis. Illuminat: Ecce donum scientiæ & discretionis. Læsa membra consolidat: Ecce spiritus fortitudinis. Penetratiuum est & subtile: Ecce spiritus consilij. Supernatat & sursum fertur: Ecce spiritus intellectus. Cibos condit & sapidos reddit: Ecce spiritus sapientiæ. De hoc oleo Isaias ait: Computrescet iugum à facie olei. Iugum enim peccati, quo caput ad terram inclinatur, adueniente spiritu sancto destruitur. De hoc etiam oleo in Deuteronomio Moyses ait: Benedictus in filiis Aser, sic placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum: ferrum & ęs calceamentum eius, sicut dies iuuẽtutis tuæ, ita & senectus tua. Aser interpretatur beatus & signat Christum, qui placens fuit fratribus suis, id est, discipulis, nam pro eius amore sanguinem suum fuderunt. Tinxit in oleo pedem suum, id est, spiritus sancti gratia chorum Apostolorum, qui singulariter dicitur pes, quia multitudinis credentium est anima vna & cor vnum. Ferrum & ęs dicitur eius calceamentum, id est, prædicatio acuta & incisiua, quæ per ferrum signatur, & durabilis atq; sonora quæ per æs designatur. Quod autẽ subiungitur sicut dies iuuẽtutis tuæ, ita & senectus tua, innuit quod ecclesia talis erit in fine seculi, qualis in principio fuit. In fine enim erunt robustissimi, sicut fuerunt in principio, debiles autem sunt in medio. Non solum autẽ per oleum, sed per vnguẽtum seu vnctionẽ spiritus sanctus designatur. Vnde in Canticis dicuntur: verba sponsæ fragrãtia vnguentis optimis, id est, spiritus sancti donis. Et Psalmus ait: Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron. Vnguentum in capite gratia spiritus sancti in Christo. Vnguentum enim non fit sine pinguedine. Et spiritus sanctus mentem impinguat deuotione & charitate. Vnguẽtum tumores sedat, dura emollit, aspera lenit, vulnera sanat, carnem putridam corrodit & cõsumit. Et spiritus sanctus tumorẽ superbiæ tollit, corda dura per obstinationem, & acediam mollia reddit. Asperitatem inuidiæ & iræ in mansuetudinem conuertit. Vulnera, id est, hiatus auaritiæ sanat & claudit. Carnem putridam gastrimargiæ, & luxuriæ desiccat & penetrat. Vnguentum autem ex pluribus speciebus conficitur. Et spiritus sanctus plura gratiarum dona in se cõtinet, & cõprehendit. Hoc igitur oleo pietatis, hoc vnguẽto suauitatis vnctus venit filius Dei, vt mundũ saluaret & non cõdemnaret. Vnde ad eius mansuetudinẽ ostendẽdam in specie columbæ, spiritus sanctus super Christum apparuit, super Apostolos autẽ in specie ignis. In Christo enim mansuetudinem ostendit. In Apostolis peccatorũ rubiginem cõsumpsit, & eos corroborauit, sicut scriptũ est: Vestimentũ concretũ sanguine erit in cõbustionẽ & cibus ignis, vt, scilicet, à spiritu sancto sanguis peccatorũ cõsumatur. Super Christũ etiã in columba spiritus apparuit, quia homo pro hominibus factus mitem se hominibus præbuit. Quis enim iustitiã iudicis ferret, si priusquã nos per mansuetudinẽ corrigeret, culpas nostras per zelũ rectitudinis examinare voluisset? Noluit prius peccatores ferire, sed colligere. In colũba igitur super illum apparare voluit spiritus sanctus, qui nõ veniebat vt peccata per zelum iã percuteret, sed adhuc per mãsuetudinem tolleraret. Per ignẽ autem Apostolis apparere debuit, vt peccatorum rubiginem in eis consumeret, & contra semetipsos spirituali feruore accensi peccata, quibus Deus per mansuetudinem parceret, ipsi per pœnitentiam pœniterent, & in aliis prædicando & detestando destruerent. In vespere siquidem mundi fuit cœlum rubeum, id est, sancti igniti, & charitate accensi, quod signum fuit futuræ serenitatis. Ipsis enim mediantibus per spiritum sanctum recõciliati sumus Deo. De huiusmodi ignis feruore dicitur in Iob: Ferrum de terra tollitur, & lapis calore solutus. Qui enim prius erant duri & obstinati, de terrenorum amore sunt sublati. Et lapis calore spiritus sancti solutus in æs vertitur, vt qui prius quasi lapides & insensibiles extiterant, postmodum per operationes fortes, & per prædicationem clari & sonori essent. In igne autem & columba potius quàm in alia specie spiritus sanctus monstratur, quia simplices facit & ardentes. Simplices puritate, ardentes æmulatione. Non enim placet Deo simplicitas sine zelo, vel zelus sine simplicitate. Vnde de beato Iob dicitur: quod erat simplex & rectus. Cor enim quod spiritu sancto tangitur, & mansuetudinis lenitate fit tranquillum, & zelo rectitudinis & iustitiæ accensum. Sancti enim prudentes sunt, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Vnde Apostolus ait: Nolite pueri effici sensibus. Ecce prudentia serpẽtis. Sed malitia paruuli estote: ecce simplicitas colũbæ. Habet autẽ spiritualis columba septẽ oculos, qui sunt septẽ dona spiritus sancti, de quibus in Canticis: Oculi tui columbarum. Hi autẽ oculi per septẽ proprietates, quę materiali colũbę cõueniunt, designantur. Columba enim gemitum habet pro cantu. Ecce spiritus timoris, felle caret, & pullos alienos nutrit.

Ecce

*Isaiæ 61.*
*1. Ioan. 2.*
*Isaiæ 10.*
*Deut. 33.*
*Actum 4.*
*Quare spiritus sanctus in specie columbæ apparuit super Christum, & in specie ignis super discipulos.*
*Matth. 3.*
*Actum 2.*
*Isaiæ 9.*
*2. Cor. 5.*
*Iob 28.*
*Matth. 10.*
*Lucæ 10.*
*De septẽ proprietatibus columbæ, quæ septem donis spiritus sancti adaptantur.*
*Cant. 4.*

Ecce ſpiritus pietatis. Super aquas reſidet, vt percipiat vmbram accipitris: Ecce ſpiritus ſcientiæ. Gregatim volat: ecce ſpiritus fortitudinis. Scriptum eſt enim: Væ ſoli, quoniam ſi ceciderit, non habebit ſubleuantem. Et iterum: Frater fratrem adiuuans, quaſi ciuitas firma. Meliora grana eligit, & cadaueribus non paſcitur. Ecce ſpiritus conſilij. Non requieſcit in palude, ſed in altum ponit nidum ſuum, nidificans in ſummo ore foraminis, ſicut Ieremias ait: Ecce ſpiritus intellectus, puro grano veſcitur, & per ſpiritum ſapientiæ delectatur homo in grano puro, quod cadens in terram, multum attulit fructum. Non ſolùm autem in ſpecie columbæ apparuit ſpiritus ſanctus in baptiſmo, & in ſpecie ignis in die Pentecoſtes, ſed & in ſpecie flatus datus eſt diſcipulis in die reſurrectionis, quando Chriſtus inſufflauit, & ait: Accipite ſpiritum ſanctum. Sicut enim ſpiramine flatus homo viuere non poteſt, ita ſine ſpiritus ſancti inſpiratione anima non poteſt viuere. Ex flatu autem aliquando calida refrigeramus, quandoque etiam flando & aſpirando frigida calefacimus. Et ſpiritus ſanctus calefacit torpentes, & refrigerat feruore tentationum æſtuantes. Refrigerat, quia ipſe eſt fons aquæ viuę ſalientis in vitam æternam. Calefacit, quia ipſe eſt ignis quem Dominus venit mittere in terram. De quo igne in Exodo dicitur: Si quid reſiduum fuerit, igni reſeruetur. Occulta enim myſteria quæ non valemus perſcrutando attingere, igni ſpiritus ſancti debemus humiliter reſeruare. De hoc etiam igne in tertio Regum dicitur: Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus. Et poſtmodum ait: Cecidit ignis Domini & deuorauit holocauſtum, & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Per ignem exaudiuit Dominus maximè in die Pentecoſtes, quando, ſcilicet, in ſpecie ignis ſpiritum ſanctum ſuper Apoſtolos miſit. Ignis autem Domini holocauſtum bonorum operum vocare dicitur, quando ſpiritus ſanctus ſacrificiis noſtris delectatur. Quod enim voramus cum delectatione ſumimus. Per holocauſtum, mortificatio carnis. Per ligna, exemplum operis. Per lapides, conſtantia mentis. Per puluerem, humilitas cordis intelligitur. Aquam quæ erat in aquæductu lambit ignis, quia minimam guttam lachrymarum non relinquit Dominus irremuneratam. De hoc etiam igne in libro Iudicum dicitur, quod cùm diceret Angelus Gedeon. Tolle carnes & panes azymos, & pones ſuper petram, & ius deſuper funde. Cumque feciſſet ita, extendit Angelus ſummitatem virgæ, quam tenebat, & tetigit carnes & panes azymos, aſcenditq; ignis de petra, & carnes, azymosque panes cõſumpſit. Gedeon interpretatur circuiens in vtero, per quem ſancti intelliguntur, qui ſuas circueunt conſcientias. Hœdum cum Gedeone occidimus, cùm carnalem appetitum Domino immolando in nobis deſtruimus. Per petram Chriſtus intelligitur. Carnem igitur ſupra petram ponimus, cùm corpus noſtrum Chriſti imitatione cruciamus. Ius etiam carnium deſuper fundit, qui in conuerſatione Chriſti ipſas etiam à ſe carnales cogitationes exinanit. Quaſi enim ius ex carne in petra funditur, quando mens à carnalium cogitationum fluxu euacuatur. Quæ Angelus virga tangit, quia intentionem noſtram nequaquam poteſtas diuini adiutorij deſerit. De petra autem ignis exit, & ius carnesque conſumit, quia afflatus à redemptore ſpiritus tãta cor noſtrum compunctionis flamma cõcremat, vt omne quod in eo eſt, illicitum operis & cogitationis exurat. Ad hunc igitur ignem fratres debemus accedere vt calefaciamur ad amorem, & illuminemur ad cognitionem, ſicut ſcriptum eſt: Accedite ad eum & illuminamini. Hoc igne omnia ſacrificia noſtra debemus accendere, ne fortè conquerẽdo dicat de nobis: Ecce ignis & ligna, vbi eſt victima holocauſti. Ignis in terram miſſus eſt, vt ardeat. Ligna crucis dominicæ, & ſanctorum exempla nobis reliquit Dominus, quibus ignem iſtum in cordibus noſtris accendamus. Rara tamen eſt victima holocauſti, quia pauci hoc igne ſunt accenſi. Et quoniam ſcriptum eſt in Iſaia: Viuit Dominus cuius ignis eſt in Sion, id eſt, in præſenti Eccleſia, & caminus in Hieruſalem, id eſt, in æterna patria, congeramus in hoc mundo, quaſi in aliena domo aliquot carbones, vt exinde copioſum ignem in domo propria faciamus. Accendamus igniculum in Sion, vt caminum ignis copioſi in ſuperna patria habeamus. Faciamus veritatem, vt veniamus ad lucem ſpiritus ſancti, vt amplius illuminemur & manifeſtentur opera noſtra, vt luceant aliis ad exemplum, quia in Deo ſunt facta. Qui autem malè agit, hanc lucem odit, & claritatem huius ignis fugit. Fumum autem ſequitur & tenebris inuoluitur. Vnde in igne & fumo lex data, vt per ignem illuminatio gentium, per fumum excæcatio Iudæorum intelligeretur. Accedamus igitur ad hunc ignem, vt illuminemur in præſenti luce gratiæ, in futuro verò luce gloriæ & claritatis æternæ. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

*Ecclę.4.*

*Iere.48.*

*Quare in ſpecie flatus datus ſit ſpiritus ſanctus. Ioan.20.*

*Ioan.4. Luc.12. Exod.12.*

*3. Reg.18. Quod multiplici ratione ſpiritus ſanctus igni comparatur, & quod omnia ſacrificia noſtra hoc igne debent accẽdi.*

*Iud.6.*

*Concluſio vbi de igne ſpiritus ſancti breuem facit recapitulationẽ. Leuit.6. Gene.2. Luc.12. Iſa.32.*

## FERIA TERTIA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Ioannem.

*Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde: ille fur eſt & latro.* *Ioan.10.*

DOMINVS

*Deut 20. Quod pax in principio à prædicatoribus est offerenda.*

DOMINVS in Deuteronomio præcipit filiis Israël, quod quando accesserint ad expugnandam aliquam ciuitatem, offerant eis primùm pacem, iuxta illud: primùm dicite pax huic domui. Debemus igitur vobis pacem offerre. Paratus est enim Dominus reconciliari vobis, si vultis cum illo pacem habere. Conuertimini ad me, dicit Dominus, & ego conuertar ad vos. Quod si pacem recipere nolueritis, reuertetur pax ad prædicatorem. Eius enim bona intentio & prædicationis labor, & si non prosunt his qui pacem recusant, non priuabuntur præmio competenti. Scriptum est enim: Sagitta Ionathæ nunquam abiit retrorsum,

*2. Reg 1.*

Quia sermo prædicationis vel sibi vel aliis prodest. Qui autem pacem recusat cum Domino facere, durum est ei contra stimulum calcitrare. Ipse enim potens est, & de inimicis suis se vlciscit,

*Afflunt 9. Deut. 32. Eccle. 13. Matth. 21. Deut. 10. Contra illos qui pacē cum Domino nolunt habere. Gene. 18.*

Reddam, inquit, vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam: durum est testæ luteæ pugnare cum duro lapide. Siue enim super petram ceciderit, siue petra super ipsam, confringetur. Timeāt igitur qui pacem oblatam respuunt, quod in Deuteronomio dicitur: Si enim ciuitas cui pax offerebatur, pacem recusabat, præcepit Dominus quod omnes viri interficerentur, mulieribus & paruulis reseruatis. Heræsiarchæ enim & obstinati, & maiores cui populus innititur, ab Ecclesia debent expelli, vt simplex populus liberetur. Arbores etiam steriles scindi iubentur & fructiferæ reseruari, ne, scilicet, iustus pereat cum impio. Si autem homines ciuitatis pacem recipere vellent, aperiebant portas & sub tributo seruiebant. Qui enim aperiunt portas per confessionem, soluunt tributum per satisfactionem. Nos igitur qui vobis verbum Dei prædicamus, quasi ciuitates animarum vestrarum, contra peccata pugnando obsidere venimus. Dominus autem consulit nobis, vt consentiatis nobis & pacem faciatis. Esto, inquit, Dominus

*Exod 32.*

consentiens aduersario tuo, dum es cum eo in via. Verbum enim Domini peccatis vestris, & vobis secundum quod carnales estis, aduersatur. Prædicator autem ad imitationem Moysi pugnare debet & dicere: Si quis est Domini, iungatur mihi, ponat vir gladium suum super femur suum. Hic est gladius verbi Dei, quo carnalitatem à nobis resecare debemus, & transire per medium castrorum, id est, absque personarum acceptione peccata impugnare, vt non parcamus patri vel fratri, vel amico, vel alicui potenti personæ. Pauci autem sunt hodie, qui cum tanta libertate & sine personarum acceptione prædicare audeant. Mirantur enim plerique personas quæstus causa, eò quòd veritas odium pariat: adulatio autē amicitias seculi conciliat. Procurauerūt

*Ephe. 6. 1. Reg. 13.*

enim Philisthæi, id est dæmones, quod non sit faber ferrarius in Israël vsque ad stimulum corrigendum, sicut in libro Regum dicitur: Faber ferrarius debet esse prædicator, qui arma spiritualia debet fabricare & stimulos acuere, quibus increpando pungat pigros & obstinatos. Primò tamen debet seipsum pungere, vt compungatur & aspera sustineat, qui alios ad asperitatem pœnitentiæ inuitat, sicut scriptum est: Ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. Postquam autem animam eius ferrum pertransiit, eloquium Domini inflammauit eum. Ego autem fratres valdè debilis sum, & insufficiens ad impugnationem peccatorum. Retusus est stimulus meus peccatis meis exigentibus. Bona enim vita stimulum prædicationis exacuit. Vnde pro me qui athleta vester sum, licet debilis & infirmus, rogare debetis Dominum, quatenus ad impugnanda vitia, & contrarias potestates mihi vires ministrare dignetur. Qui non intrat per ostiū, &c. Vt ea quæ in hodierno Euāgelio dicūtur facilius intelligere, & planius exponere valeamus quid sit ouile, quid ostium, quid ostiarius, quę pascua, quid pastor, & quis fur, videamus. Ouile est catholica Ecclesia, siue consortium sanctorum. Oues fideles sunt in Ecclesia. Ostium est Christus. Ostiarius spiritus sanctus. Pascua doctrinæ, diuina scriptura. Pascua gratiæ, Eucharistia. Pascuā gloriæ, vita æterna. Pastor principalis, Christus. Pastor secundarius, bonus Ecclesiæ prælatus. Fur, diabolus, hæreticus, simoniacus & quilibet malus prælatus. Præsens Ecclesia dicitur ouile, sicut scriptum est, vt fiat vnum ouile & vnus pastor. Ex conuersis enim de Iudæis & gentibus facta est vna Ecclesia. Vnde & sponsus in Canticis ait. Vna est co-

*De ouili & ouibus, ostio, & ostiario, pascuis & pastore atque fure.*

*Cant. 6. Isaiæ 11.*

lumba mea, quia vno spiritu vegetata, vnius spiritus nexu in vnum coniuncta. In hoc ouili teste Isaia: accubabit lupus cum agno, id est, raptores & tyranni ad Deum conuersi cum mitibus & mansuetis. Ab hoc ouili exierat, qui ait: Erraui sicut ouis quæ periit. Qui enim ab hoc ouili

*Osee. 7.*

exit, lupus infernalis continuò ipsum rapit. Vnde Osee ait: Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. Diabolus enim non potest aliquem spoliare, nisi foris, id est, nisi eum prius ab Ecclesia traxerit. Oues sunt fideles in Ecclesia, benigni, mansueti & suaues, vtiles Domino suo, vellere,

*De ouibus & ouium proprietatibus.*

pelle, carne, fimo, fœtu & lacte, & butyro. Vellere, id est, exteriori conuersatione. Pelle, id est, re poraliū distributione. Carne, id est, proprij corporis immolatione & mortificatione. Fimo pœnitentiæ. Fœtu bonorum operum. Lacte pietatis & innocentiæ. Butyro, id est, charitatis pinguedine. De his ouibus in Canticis dicitur: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt

*Cant. 4. De dentibus & eorū proprietatibus.*

de lauachro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Dentes dicuntur in Ecclesiæ corpore qui peccata rodunt, scripturas atterunt, alios in corpus Ecclesiæ traiiciunt, in ordine disponuntur, fortes, candidi, sibiipsis quodammodo insensibiles, sed cęteris membris vtiles, sine carne, sine cute, ab omni superfluitate alieni, sibi inuicem coniuncti, ita quod nihil inter se possunt pati. Hi autem sunt sicut greges, quia in pascuis vitę æternæ pariter gradiuntur, & pastorem bonum sicut oues sequuntur. Tonsæ autem dicuntur oues istæ, per terrenę superfluitatis depositionem. Gemellis fœtibus propter vitam & doctrinam, vel propter Dei & proximi dilectionem, vel propter duplex præmium. Centuplum enim accipiunt in præsenti, & vitam æternam

*Matth. 19.*

in futuro.

in futuro. Ascendere autem dicuntur, quia semper in melius proficiunt, tendentes de virtute in virtutem. De lauacro autem ascendunt, quia fluentis gratiarum ex fonte spiritus sancti abluuntur & refrigerantur. Hic est fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Fons hortorum quo irrigantur & fœcundantur hortuli conscientiarum. Puteus aquarum viuentium, propter fœcunditatem doctrinæ & abundantiam gratiæ. Aqua viuens, spiritus sancti dona. Aqua viuens, sacra scriptura. Aquas non viuas habent, qui sine inspirationis affectu & absque opere sola memoria scripturas retinent. Hæ autem aquæ de Libano fluunt, id est, de candore cœlestis gratiæ, vel diuinæ sapiẽtiæ, quæ candor est lucis æternæ. De his etiam fluunt qui virtutibus candidi sunt, sicut scriptum est: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuę. Impetu autem fluunt, quia nihil eis resistit, sed omnia impedimenta salutis subuertunt. Bonus est impetus iste. De quo dicitur: Fluminis impetus lætificauit ciuitatem Dei. Est autem impetus malus, scilicet, impetus carnis, qui impulit Dauid in Bersabee. Et impetus mundi, qui impulit socium Pauli, vt eum relinqueret. De quo ipse ait: Demas me reliquit, diligẽs hunc mũdum. Et impetus diaboli, qui Iudam impulit, vt traderet Christum. De hoc autem fonte spiritus sancti Isaias ait: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris: Pluraliter dicit fontibus propter donorum pluralitatem. Cum gaudio enim spirituali haurire debemus aquas refrigerij de septem fontibus saluatoris. Aquas autem seculares cum hydria cupiditatis hauriunt auari, de quibus dicitur: Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: quia auarus non implebitur pecunia. Fontis autem spiritus sancti, seu putei hausterium est humilitas, quæ inclinatur ad ima: funis mandata, manus operatio: Funem manu tenemus, vt hauriamus aquas, quando mandata opere conseruamus. De hoc fonte Zacharias ait: Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatorum. Fons iste sordes abluit, sed sordes non contrahit. Sitim temporalium tollit, ignem vitiorum extinguit, refrigidat contra tentationum feruorem, refrigerat contra laborem, humectat & virescere facit contra siccitatem, fructificare facit contra sterilitatem. Fons iste in æstate frigidus est contra feruorem vitiorum, calidus in hyeme contra reporem & frigus peccatorum. In Hyeme etiam aduersitatis nos calefacit amore. Riuus enim fontis augmentatur ex niuibus, pluuia, & tempestate, quia amor & gratia ampliatur in tribulatione. In æstate autem prosperitatis nobis præstat refrigerium, vt non excedamus modum. Fonti autem comparatur spiritus sanctus, quia septem habet proprietates, quæ septem donis spiritus adaptantur. Fons ad valles & ad ima fluit: Ecce spiritus timoris, humilians animam & non quærẽs gradum altum, quia timet ruinam. Fons ex se emittit dulcem aquam, & iuxta illum recreantur peregrini & fessi: Ecce spiritus pietatis. Fons citò & facilè turbatur, & conscientia iusti etiam pro modico veniali conturbatur: Ecce spiritus scientiæ, quo homo peccata sua cognoscit, & propriam attendens miseriam, luget & contristatur. Fons indeficiens iugiter fluit: Ecce spiritus fortitudinis, qui hominem in bono perseuerare facit. Fons refrigerat & ardorem tollit: Ecce spiritus consilij, tollens ardorem cupiditatis, dum consulit tribuere temporalia, vt acquiramus æterna. Opera autem misericordiæ dicuntur refrigerare. Vnde & Paulus ait: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit. Fons purus est & clarus & arenulas scaturiendo sursum leuat: Ecce spiritus intellectus, quo mentis oculos ad cœlestia contemplanda purgatur, & mentes humilium sursum attolluntur. Vnde & dicitur vehemens, id est, mentem sursum vehens. Tantum autem potest ascendere aqua fontis, quantum descendit, & spiritus sanctus animam vsque ad cœlum attollit. Fons amœnus est & delectabilis, & homines satiat & reficit: Ecce spiritus sapientiæ, quo delectatur anima in contemplatione diuinitatis. Sicut autem ceruus desiderat ad fontes aquarum, hausto serpente, ita & nos, qui venenum à primis parentibus hausimus, ad hũc fontem currere, & aquas eius desiderare debemus. Hic est fons de quo Psalmus ait: Quoniam apud te est fons vitæ. Et in Genesi dicitur: Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Hic enim fons de Paradiso oritur & renouat faciem terræ, quia terram liberi arbitrij facit virescere. De hoc etiam fonte Ioël Propheta ait: Egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum, & Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis. Torrens spinarum dicitur spiritus hominis, qui prius fuit quasi alueus spiritus sancti, sed postmodum deficientibus aquis repletus est spinis & inutilibus herbis. Misso autem spiritu sancto, & torrente spinarum irrigato: Ægyptus, id est, mundus factus est in desolationem, qui prius habebat consolationem temporalium. Vnde Propheta ait: Rennuit consolari anima mea. Qui enim aquis spiritus sancti irrigatur, consolationem in temporalibus non quærit. Idumæa autem fuit in desertum perditionis. Niniue enim vastata est, & domus peccati deserta facta est. Ex hoc autem fonte septem emanant riuuli. Primus aquæ, dum homo conteritur & incipit peccata lugere. Secundus aceti in principio pœnitentiæ, quæ grauis est in initio & quasi acetosa, his qui non consueuerunt ieiunare, vigilare & alia opera pœnitentiæ facere. Tertius riuus est vini, quando incipit anima in pœnitentia delectari. Vinum enim forte est, iocundũ & delectabile: Ita & pœnitentia licèt sit grauis in se, redditur tamen leuis & delectabilis ex charitate & deuotione. Quartus riuulus est olei, quando homo iam non solùm sibi intendit, sed insuper aliis compati nouit, & operibus misericordiæ erga proximos affluit. Quintus riuus est quasi lactis, quando purgata est anima, & ad plenum mundificata prædictis riuulis, & fit innocens & candida more

*De fonte spiritus sancti.* *Cant. 4.*

*Sap. 7.* *Ioan. 7.*

*De bono & malo impetu.* *2. Reg. 11.* *2. Tim. 4.*

*Isaiæ 12.*

*Ioan. 4.* *Eccle. 5.*

*Zach. 13.*

*De proprietatibus fontis.*

*Quod septem proprietates fontis septem donis spiritus sancti adaptantur.*

*2. Tim. 1.*

*Gene. 2.*

*Ioël. 3.* *De torrente spinarum.*

*Naum. 1.* *De septem riuulis ex fonte spiritus sancti fluentibus.*

dida more lactis, & in hoc ſtatu pro modico veniali frequenter ad collatorium confeſſionis recurrit. Sextus riuulus eſt mellis, quando iam prouehitur ad dulcedinem contemplationis, videndo & guſtando, quoniam dulcis & ſuauis eſt Dominus. Septimus fluuius eſt nectaris, quando homo in hoc ſtatu perfectionis recolit beneficia à Deo ſibi exhibita. Hæ ſunt quaſi ſpecies aromaticæ & delectabiles. Ex alia autem parte recolit mala quæ fecit. Hæ ſunt quaſi amaræ ſpecies, quas omnes ſimul conterit in mortariolo cordis, laudando & gratias agendo pro malis dimiſſis, & pro beneficiis exhibitis, & ex irriguo ſuperiori prædictas ſpecies diſtemperans, & quaſi riuulo cœleſtis nectaris mentem ſuam reficiens. Et in his ſeptem riuulis, quaſi ſeptē balneis abluta & purificata anima, velut ouis Chriſti, aſcendēs de lauacro à paſtore proprio, cuius vocem agnoſcit, deducitur velut ouis Ioſeph, cum quo ingreditur & egreditur, & paſcua vitæ inuenit. Oſtium autem per quod ingrediendum eſt in ouile, eſt Chriſtus, ipſo teſte qui ait: Ego ſum oſtium ouium. Ipſe enim ianua eſt paradiſi. Clauis autem eſt crux eius. De qua Iſaias ait: Ponam clauem domus Dauid ſuper humerum eius, hæc dicit, qui tenet clauem Dauid. Chriſtus igitur ianua eſt, & oſtium humile. Vnde ſi volumus per hoc oſtium intrare, oportet nos humiliare. Elati enim in humilem ianuam offendūt, & erecta ceruice intrare non poſſunt. De hoc oſtio in Ioſue dicitur: Si quis egreſſus fuerit oſtium domus ſuæ, ſanguis ipſius ſupet caput eius. Et in Apocalypſi dicitur: Oſtium magnum apertum eſt in cœlo. Hæretici autem per hoc oſtium intrare dedignantur, ſed per furtiua oſtia nituntur introducere illos quos ſeducunt. Teſte autem Auguſtino: In pariete ſingulariter erecto, & non coniuncto aliis ſi oſtium facias quicquid intrauerit, foris eſt. Oſtiarius autem per quem ſanctificamur, & in Eccleſiam introducimur, eſt ſpiritus ſanctus. Per hoc oſtium non intrant Symoniaci, qui per pecuniam, nec Corithæ, qui per violentiam in ouile ouium tanquam fures intruduntur. Teſte autem Apoſtolo, qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et ita nemo poteſt membrum Chriſti vel ouis eius eſſe, niſi ſpiritum Chriſti habeat, nec intrare debito modo, niſi per oſtium iſtud. Ipſe enim ſicut ad Epheſios dicitur, quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores & doctores. Et ita ſecundum gratiarum diuerſitatem, diuerſos in Eccleſia gradus conſtituit, & diuerſos diuerſis modis introducit. Sicut enim ex auro puriſſimo diuerſa vaſa fabricantur, ita ſecundum diuerſas gratias ſpiritus ſancti, diuerſis conformatur. Ipſe enim artifex mirabilis, quos ſemel impleuerit, variis officiis idoneos reddit. Conſideremus Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum. Implet citharœdum pue rum, & pſalmiſtam facit. Implet paſtorem armentarium ſicomoros vellicantem, & facit Propheram. Implet abſtinentem puerum, & facit iudicem ſenum. Implet piſcatorem & facit prædicatorem. Implet perſecutorem, & facit gentium doctorem. Implet publicanum, & facit Euangeliſtam. Humanum autem animum ſubitò, vt illuſtrat, immutat. De hac etiam gratiarum diuiſione dicit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi. Sicut autem candela ſine ſui diminutione multis aliis lumen impertiendo miniſtrat, ita de ſpiritu ſancto, qui erat in Moyſe, Dominus aſſumpſit & aliis diſtribuit: dicit igitur, auferam de ſpiritu tuo, id eſt, ſumam de ſpiritu ſancto qui eſt in te. Myſticè autem pater de ſpiritu filij ſui ſumpſit, & ſeptuaginta diſcipulis diſtribuit. Hic igitur artifex mirabilis eſt, velut Beſeleél, de quo in Exodo dicitur, quod impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ, & ſcientiæ, & Dei doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento, & ęre ſculpendisque lapidibus. Beſeleel vmbra Dei interpretatur. Et ſpiritus ſanctus nobis vmbram refrigerij præſtat. Facit autem opus in auro, in illis, ſcilicet, quos implet ſapientia. Opus in argento, in his quos implet diuina eloquentia. Opus in ære, in illis quos implet conſtantia in prædicatione. Æs enim ſonorum eſt & durabile. Lapides autem pretioſos ſculpit, dum ſanctorum animas variis virtutibus exornat & inſignit. Propter huius ſiquidem ſubtilē operationem & operum varietatē, ſpiritus ſanctus dicitur digitus Dei. Per digitum enim operatio intelligitur. Vnde in Exodo Magi dixerunt Pharaoni: Digitus Dei eſt hic, id eſt, diuina operatio. Per digitum tamē Magi illi ſpiritum ſanctum non intellexerunt. Dicitur enim quod in tertio ſigno defecerūt Magi, quia benignitatē quę attribuitur ſpiritui ſancto, illā maximè quā nobis in incarnatione ſua exhibuit, nulli Philoſophi cognoſcere potuerunt. Qui tamē de duabus aliis perſonis, id eſt, de patre & filio aliquā notitiā per creaturas habuerūt. Oſtiariū ergo nō cognouerunt, nec per oſtiū intrauerunt. Erecta enim ceruice ambulātes, & ſcientiam ſuā ſibi attribuētes, euanuerūt in cogitationibus ſuis. Noluerūt enim ſe humiliare, & idcirco nō potuerūt per humile oſtium intrare. Neq; enim ſapientia, nec legis obſeruantia, nec bona vita valet ſine illo. Dicunt autem gentiles, dicunt etiā Iudęi nō fur tum facimus, non adulterium: à peccatis abſtinemus, bene viuimus, opera bona facimus, ſufficit nobis. Sed ſi per oſtium non intrant, quid eis prodeſt vnde gloriantur? Ad hoc enim debet cuique prodeſſe bene viuere, vt detur ei ſemper viuere. Non enim dicendi ſunt bene viuere, qui finem bene viuendi, vel cęcitate neſciunt, vel inflatione contemnunt. Qui igitur incredu li ſunt, id eſt, Gentiles & Sarraceni, ac Iudæi per hoc oſtium non intrant. Alij autem intrant in ouile ouium, ſed non per oſtium. De quibus Dominus in Euangelio hodierno ait: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Cùm autem duplex ſit introitus in ouile, id eſt, in Eccleſiam, vnus paſtoris pro paſcendis ouibus, alius ouiculæ, vt fiat

*De oſtio ouiłs & claui.*

*Iſaiæ 22.*
*Apoc. 3.*

*Ioſue 2.*
*Apoc. 4.*

*De oſtiario.*

*Rom. 8.*

*Ephe. 4.*
*De gratiarū diuerſitate et multiplici effectu ſpiritus ſancti.*

*Amos 7.*
*Dan 1.*
*Matth. 4.*
*Actuum 10.*
*Matth. 9.*
*Num. 11.*
*Simile.*

*Exod. 31.*

*Exod 8.*

*Ioh. 15.*
*Rom. 1.*

vt fiat de grege, primò agit de ingressu pastoris, postmodum de ingressu ouis: Et est expressa similitudo inter ostium ouilis & Christum. Quia sicut per ostium ingreditur pastor ad præbenda ouibus cibaria, & ponendum in præsepio fœnum, & posteà oues egrediuntur per eum ad pascua virentia, quæ non ministrantur eis à pastore. Sic per Christum ingreditur pastor Ecclesiæ ad saginanda ouium corda, & postmodum egrediuntur ad pascua æterna, quæ non ministrantur nisi ab æterno pastore. Hæretici autem intrant in ouile ouium, sed non per ostium. Licèt enim Christum prædicét, infideliter tamen ipsum annuntiant, quia doctrinam eius in parte adulterant & falsa veris admiscent. Vnguentum enim eorum non est pisticum, id est, fidele, quia species adulterinas admiscent. Ascendunt etiã hæretici ad culmen prælationis, nõ per Christum neq; per spiritũ sanctum, & idcirco ex alto corruentes conteruntur. Similiter & mercenarij atque hypocritæ & quicunque mali prælati, & si veritatem prædicent, quia tamen non sincerè, sed pro lucro temporali, vel gloria inani Christum prædicant, non per Christum, sed aliundè intrant. Non enim Chriſtum pro Christo prædicant, & idcirco prædicando ad corda audientium per Christum non intrant. Similiter, qui non per electionem canonicam intrant ad prælationem, sed per pecuniam vel carnalem affectum vel violentiam vel quamcunque aliam turpem & inhonestam causam, non per ostium intrãt, sed tanquam fures & latrones, quia aliundè ascendunt, patibulo gehennali suspendi promerentur. Fur dicitur à fulua nocte, qui scilicet, de nocte furripit aliena. Latro qui latitat in nemore, vt transeuntes spolíet & occidat. Fur ergo dicitur in hoc loco, qui, quod alienum est, suum ducit. Latro, quia quod furatus est, occidit. Fures igitur, qui officium prælationis sibi vsurpant, & oues Christi suas reputant, non intrant per ostium, sed effodiunt & furantur: Effodiunt, occultè intrando, operarij subdoli transfigurantes se in angelum lucis. Diabolus etiam dicitur fur & latro, fur est, quia paulatim, & quasi latenter more furis ad ostium pulsat: Postquam autem percipit quod custodes dormiũt, audacius pulsat & ingreditur, atque more latronis perimit & mactat, & idcirco semper bonis pastoribus vigilandum est. Postquam autem de fure & latrone, qui aliundè ascendunt, permisit Dominus, subiungit de bono pastore, dicens. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Christus propriè & principaliter pastor est, quia pascit oues. Ostium etiam est, quo intratur ad oues, Christus autem per ostium, quod ipse est, intrat, quia seipsum prædicat, & per seipsum, id est, per veritatem intrat. Ipse enim veritas est. Quicunque autem sub eo pastor est, per seipsum intrat ad corda hominũ. Omnes enim qui veritatẽ docẽt & tenent, in Christo pastore sunt, vnus pastor. Quod autẽ ostium est, sibi soli Christus retinuit, quia non est alius qui prædicetur ouibus, vel in quem credatur. Non est alius, per quem ad corda ouium intret prædicator, vel per quem oues intrẽt ad Deum. Nomen autem pastoris aliis communicat. Et idcirco ipse ait: Qui intrat per ostium, rectè scilicet, de Christo sentiendo, & fideliter prædicando, non quærendo quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi, & per canonicam electionem, ille pastor est ouium, non lupus, non mercenarius, nõ fur vel latro. De huiusmodi autem pastore Dominus subiungit: Huic ostiarius aperit, & vocem eius oues audiunt. Ostiarius aperit, id est, spiritus sanctus, qui docet omnem veritatem, per quem etiã ad corda auditorum prædicator intrat, & cuius inspiratione super gregem canonicè promouetur prælatus. Oues autem vocem eius audiunt obediendo. Qui verò prẽconem veritatis audit, Christum audit. Quia & quando Iudex loquitur per prẽconem, non dicitur prẽco dicit, sed Iudex dicit. Quod autem sequitur: Et proprias oues nominatim de primo pastore, id est, de Christo intelligitur, qui prædestinatorum nomina in libro vitæ scribit, quia nouit Deus, qui sunt eius. Vocat etiam nominatim, id est, vnumquemque merito suo. Vnde dicitur: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sed alij pastores sub Christo oues suas nominatim vocare dicuntur, sicut scriptum est: Diligenter attende vultum pecoris tui, & greges tuos considera. Non tantum autem bonus pastor oues suas nominatim vocat, sed educit eas quasi de Ægypto, in doctrinam sanam & operationem bonam. Educit eas primò in regnum Ecclesiæ militantis, tandem ad pascua virentia, in regnum, scilicet, Ecclesiæ triumphantis. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit. Emisit, scilicet, de tenebris, scilicet, ad lucem. Ante eas vadit, quasi columna nubis & ignis verbo sanctæ prædicationis, exemplo bonæ operationis, solatio beneficij temporalis, suffragio orationis, & flagello correptionis. Christus etiam oues suas præcesit, non solùm verbo & exemplo, sed in cœlum ascendendo, vt vbi præcesit sublimitas capitis, sequatur humilitas gregis. Si quis autem per actum foramen transire vellet, postquam caput eius pertransisset, multum laboraret, vt membra cętera pertransirent. Et nos cum omni diligentia laborare & procurare debemus, vt post caput nostrum transeamus. Vnde subiungit. Et oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Sequuntur imitando, sequuntur quocunque ierit in bono perseuerando, sequuntur ad vitam æternam post pastorem intrando. Quia sciunt vocem eius, à quocunque, scilicet, proferatur. Nam de calice terreo quandoque bonum bibitur vinum. Si Christum prædicat, oues Christi hanc vocem audiũt & cognoscunt, si aliud non cognoscunt. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Alienum, scilicet, in quo non est vox Christi, & si bonus videatur, nec audiunt nec sequuntur. Sed nunquid Christi oues aliquando seducuntur, & vocem hæreticorum audiunt, atque ad ipsos transeunt? Et si aliquando aberrauerint, finaliter tamen non nouerunt, qui ad vitam prædestinati sunt. Aliqui enim verè sunt oues in prædestinatione,

*De his qui intrant non per ostiũ, scilicet, hæreticis & mercenariis & hypocritis.*

*De fure & latrone.*

*Quod diabolus furi comparatur.*

*De intrantibus per ostiũ. Ioan. 14.*

*Phil. 3.*

*Ioan. 10.*

*De pastore oues nominatim vocante, & eas educente & præcedente. 2. Tim. 2. Ioan. 14. Prouer. 27.*

*Quod oues pastorem sequũtur, et eius vocem audiunt.*

ſtinatione, quia nouit Dominus qui ſunt eius. Adhuc tamen vocem alienorum in multis foris audiunt. Econtra lupi ſunt intus, & vocem paſtoris in multis audiunt. Sed eſt vox quædam propria paſtoralis, quam nullus reprobus implet, vel audit obediendo. Hæc, ſcilicet, Quicunq; perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit. Hanc nulla propria ouis, id eſt, nullus prædeſtinatus contemnit, nullus alienus, id eſt, reprobus audit. Electi enim & ſi ad tempus deuiant, in fine tamen perſeuerant. Econtra lupi, & ſi ad tempus intrant & audiunt, tandem retrò abeunt. Hoc prouerbium dixit illis Ieſus. Illi autem nõ cognouerunt quid loqueretur eis. Parabolicè enim loquitur, vt obſcuris exerceatur, & ſuperbos, qui de ſcientia gloriãtur, ad humilitatẽ prouocet. Paſcit autem manifeſtis, dum parabolam conſequenter exponit, dicens: Amen dico vobis, quia ego ſum oſtiũ ouium. Quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audierunt eos oues, Chriſtus ſecundum diuerſa officia, oſtium & oſtiarius, paſtor & ouis nuncupatur. Quod autem ait: Quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, intelligendũ eſt: Quotquot venerunt præter me. Nõ enim præter eum, ſed cũ eo venerunt, qui cum veritate venerunt. Ipſe enim eſt veritas. Prophetæ igitur qui præceſſerunt, cum eo, hoc eſt cum veritate venerunt. Alij verò quotquot per ſe venerunt, quærẽtes quæ ſua ſunt, nec veritati adhærentes, fures ſunt & latrones. Intelligendũ eſt quotquot venerunt præter me, vt comprehendantur mẽbra cũ capite, ſicut cùm dicitur. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo. Solus enim Chriſtus, id eſt, mẽbra cum capite in cœlum aſcendit. Vel quotquot venerunt, ſupple, niſi per me, qui ſum oſtiũ. Venerunt quidem Pſeudo-prophetæ non miſſi ab eo, ſed aliunde aſcenderũt. Fiat ergo vis in verbo veniendi. Mercenarij enim qui non per Deum veniunt, per ſe venire dicuntur, ſicut mimi & ioculatores veniunt ad epulas non inuitati vel vocati. Venire igitur hoc modo dicuntur quando non mittuntur, ſed veniunt per ſe nõ vocati vel miſſi. Hoc modo Ioannes hõ venit, ſed fuit homo miſſus à Deo. Venerunt igitur nõ per eum, ſed propter eum fures & latrones, ſed nõ audierunt eos oues, id eſt, prædeſtinati eos finaliter non audierunt. Repetit autem Dominus vt addat, & vt nomen oſtij ſpecialiter ſibi appropriet, dicens: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Per hoc autem quod ait: ſaluabitur, euidenter oſtendit, non ſolùm paſtores, ſed & oues intrare per oſtium. Vnde communiter ſubiungit de ingreſſu & egreſſu, tam ouiculæ, quàm veri paſtoris. Ingredietur, inquit, & egredietur. Ingredietur per contemplatiuam, egredietur per actiuam. Ingredietur credendo & operando, egredietur contra hæreticos pugnando. Ingredietur mentis ſuæ ſecretum cubiculum, eam interius perſcrutando. Ingredietur ſacram ſcripturã inquirendo, & addiſcẽdo. Egredietur ad pugnã & ad bona opera proximis ſubueniẽdo. Ingredietur & paſcua inueniet. Egredietur & paſcua inueniet. Hic enim paſcitur paſtu gratię, & quaſi fœno in præſepio, id eſt, viatico in altari. Egrediendo autem ab hoc ſeculo, id eſt, de militãte Eccleſia, in triumphantẽ, paſcua vitæ æternę inueniet, & pane Angelorum paſcetur, iuxta illud: Nihil mihi deerit in loco paſcuę ibi me collocauit. Et quoniam prædixerat de ingreſſu furis, nunc ſubiungit de ipſius progreſſu oſtendens ad quid ingrediatur. Vnde ait: Fur non venit niſi vt furetur & mactet, & perdat. Furetur alienam rem ſibi vſurpando, mactet à fide retrahendo. Perdat in æternam damnationem inducendo. De his furibus Iſaias ait: Principes tui infideles, ſocij furum. In fine autem ad quid venerit, Dominus oſtendit, dicens: Ego veni vt vitam habeant, id eſt, in præſenti conſeram vitam gratiæ, & in futuro in maiori abundantia vitam gloriæ. Vitam gratiæ per fidem in ſpe, vitam gloriæ, per ſpeciem in re. Vitam etiam gratiæ primò confert ad iuſtificationem & poſtmodum gratiam ampliat & augmentat ad perfectionem. Sicut enim exeunti à tenebris lux primò grauis eſt, ita cùm homini primò gratia infunditur, non ſtatim dulceſcunt illi opera pœnitentiæ. Poſtmodum verò creſcente charitate, quando abundantius cõfertur ei vita gratiæ. Dulceſcunt illi opera pœnitentiæ, vt acetum ei conuertatur in vinũ. Poſtquam verò perfectè Deo adhæſerit, non aliud quàm Deus velit, velle vel ſapere poterit. Quemadmodum ſtilla aquæ vino infuſa calorem pariter & ſaporem contrahit. Quod inchoatur hîc in perfectione viæ, ſed plenè conſummabitur in perfectione patriæ, quando Deus erit omnia in omnibus. Et qui nobis in præſenti confert vitam gratiæ, tunc nobis abundantius conferet vitam gloriæ, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Ad quam nos perducere dignetur ipſe, qui eſt hoſtia & oſtium, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum patre & ſpiritu ſancto, viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

*Mat.10. Mar.13.*

*De his qui præter Chriſtum ſeu ſine Chriſto venerunt. Ioan.14. Phil.2.*

*Ioan.4.*

*Ioan.1.*

*De multiplici ingreſſu & egreſſu.*

*De progreſſu furis.*

*Iſaiæ 1.*

*Ad quid venerit Dominus.*

*Iſaiæ 64. 1. Cor.2.*

## FERIA QVARTA THEMA SVMPTVM de Euangelio ſecundum Ioannem.

*Ioan.6.*

*Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum.*

*Iob 1. Matth.11. De bobus arãtibus, et aſinis paſcentibus. Prouer.14.*

BOVES arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, quemadmodum in Iob dicitur: Boues ſunt prædicatores in agro Domini laborantes, aratro crucis Chriſti terram Eccleſiæ excolentes, iugum Domini ſuper ſe ferentes. De his bobus Salomon ait: Vbi boues non ſunt, præſepe vacuum eſt. Vbi enim deſunt prædicatores, corda ſimplicium omni bono ſpirituali vacua ſunt. Teſte enim Salomone, qui ait in Parabolis: Cum defecerit Prophetia, diſſipabitur po-

bitur populus. Econtrà sermone diuino in vnitate fidei & concordia charitatis fideles congregantur. Debent igitur boues errare, vt asinæ, id est, simplices subditorum animæ pascantur & reficiantur. Si enim Dominus in iudicio de pane corporali dicturus est: Esuriui, & non dedistis mihi manducare, quantò magis improperabit illis, qui panem spiritualem abscondunt, & animas simplicium fame perire permittunt, sicut scriptum est: Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit. Non solùm autem pane spirituali pascit esurientem, qui verbum Dei prædicando populum Domini docet, sed omnia misericordiæ opera specialiter adimplet. Dat enim esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrino hospitium, infirmo solatium & medicinam, incarcerato visitationem. Pascit esurientem, dum dat ei cibum in tempore, quia non in solo pane materiali viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Potum tribuit sitienti, sicut scriptum est: Lac vobis potum dedi, non escam. Et in Canticis dicitur: Bibite amici & inebriamini charissimi. Nudo tribuit vestimentum, sicut scriptum est: Cùm videris nudum, operi eum. Nudus est qui vestimenta virtutum amisit, & maximè vestem nuptialem charitatis. De his vestimentis Ioannes in Apocalypsi ait: Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Hæc vestimenta recuperat, qui verbum Dei audit & conseruat. In hospitio autem prædicator recipit peregrinum, dum ipsum verbo sanctæ prædicationis ad ouile Christi, id est, ad Ecclesiã reducit, sicut scriptũ est: Egenos, vagosq; induc in domum tuam. Infirmo medicinã confert, & solamen impẽdit, dum diuinis eloquiis cordis eius dolores linit. Sicut in Ecclesiast. Sapiens ait: Nónne ardorem refrigerabit ros. Sic & verbũ melius quàm datum. Et iterum ait: Non desis plorantibus in cõsolatione. Visitat incarceratos, qui cõpedibus peccatorũ in carcerem diaboli detinentur. Dominus enim per verbũ prædicationis soluit cõpeditos. Vnde per Isaiã ipse ait: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me Dominus vt prædicarẽ captiuis indulgentiã, & clausis apertionẽ. Orate igitur fratres charissimi, quatenus prædicta opera misericordiæ, virtute verbi sui, hodie dignetur in nobis spiritualiter implere. Nemo potest venire ad me, &c. His diebus spiritus sancti fratres charissimi, in quibus charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctum, qui datus est nobis, spiritualiter gaudere debemus, & extendere more accipitris alas nostras ad Austrum spiritus sancti, vt plumis veteribus proiectis, nouas virtutum plumas assumamus. Igne igitur ex ipso altari holocausta nostra accendamus, & nõ igne alieno, igne, scilicet, malo & reprobo, cuius tria sunt fomenta in homine, stipula cogitationis immundæ, fœnũ locutionis peruersæ, lignũ operationis illicitæ. Vt autẽ ignẽ spiritus sancti in nobis nutriamus, de spiritu sancto loqui in spiritu & veritate debemus. Sicut ad Thess. Apostolus ait: Spiritũ nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Spiritum sanctũ maiores, quantũ in se est, extinguunt, dum gratiã eius laudãdo & prædicando minoribus aperire negligunt, sed tacẽdo abscõdunt. Minoribus autẽ dicitur prophetias nolite spernere, id est, nõ cõtemnatis, si qui per spiritũ sanctũ vobis prophetias exponunt, sed diligenter audiatis. Secundo etiã modo spiritus extinguitur, dum à nobis malis operibus expellitur. Spiritus enim sanctus per mortale peccatũ eiicitur, per veniale autẽ quasi cõturbatur. Vnde Apostolus ait: Nolite cõtristare spiritum sanctũ in quo signati estis. Lætificemus igitur spiritum sanctũ in nobis bona opera faciendo, & de ipso his diebus ad honorẽ Dei loquẽdo. Hoc enim festũ solemnitas primitiuorũ appellatur, quia noui panes in lege de primitiis frugũ hodie offerebantur. Venerabilis solemnitas in qua animæ nostræ renouantur, & noua opera Domino offerimus. In hac igitur renouatione Ecclesiæ, quæ fit per spiritũ sanctum, buccinare debemus in neomenia tuba in insigni die solemnitatis tam præclarẽ. Qui autem buccinat, attrahit spiritum, attractum emittit, emissum in longum protrahit. Et nos aperientes os cordis, per desiderium nostrum sanctum spiritum attrahamus, sicut scriptum est: Os meum aperui & attraxi spiritum. Attractũ benè operando in publicum emittamus, emissum perseuerãdo in bono protrahamus. His autẽ buccinis in pugna vti debemus. Ad robur enim & pugnam datus est spiritus, maximè his diebus: vnde & ipse pignus dicitur. Ad hoc enim accipimus, vt de promissione, quę nobis fit, certitudinem teneamus. Dono igitur spiritus sancti animæ nostræ per spei certitudinem ad pugnam roborantur, & ad coronam victoriæ animantur. Qui autẽ sine spiritu sancto est, inermis est. Dona enim spiritus sancti, quasi crines Samsonis, quibus abscisis anima vires suas amittit. Pugnanti autem necesse est vt sit armatus. Vnde & arma ignea Apostolis suis dedit Dominus, vt sit doctus, sicut scriptum est: Qui docet manus meas ad prælium, quod fit igne illuminante. Vt sit robustus, sicut scriptum est: Estote fortes in bello, quod fit igne consolidante. Vt sit audax, sicut scriptum est: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quod fit igne torporem excutiente. Quod perseueret vsque in finem, sicut scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit, quod fit ex charitatis radicatione. Aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. Aquæ, id est, blanditiæ emollientes. Flumina, id est, aduersitas obruens. Teste enim Salomone: Fortis est vt mors dilectio, id est, charitas vera, non ficta, sed firmiter radicata. Instabilis autem & debilis est amor ille, quem nummus copulat non gratia, quia non à corde procedit, sed à pecunia. Ignis enim stipulæ eadem facilitate extinguitur, qua solet accendi. Talis est amor huius seculi, amor, scilicet, fortunæ vel consanguinitatis etiam dilectio, quæ ita se habet ad DEI amorem sicut Sol pictus ad lucentem. Amor siquidem terrenus inuiscat alas animæ, ne possit ad

*Prouer. 29.*

*Matth. 25.*

*Quod prædicator omnia opera misericordiæ prædicando adimplet.*

*Matth. 24.*

*1. Cor. 3.*

*Cant. 5.*

*Isa. 58.*

*Apoc. 16.*

*Isa. 58.*

*Eccles. 7.*

*Isa. 61.*

*Rom. 5.*

*Iob 39.*

*Leuit. 6.*

*De bono igne & malo, & nutrimento mali ignis.*

*Ioan. 4.*

*1. Thes. 5.*

*Leuit. 22.*

*De buccinatione.*

*Iud. 16.*

*De his quæ necessaria sunt pugnanti.*

*Matth. 10.*

*Luc. 12.*

*Matth. 10.*

*Marc 13.*

*Cant. 8.*

*De falsa amicitia.*

*De triplici funiculo quo anima trahitur. Eccles. 4. Deut. 6.*

ſuperna volare. Amor autẽ diuinus viſcum iſtum ſoluit, ſicut fluit cera à facie ignis. Gemina autem dilectio Dei & proximi, duæ ſunt alæ, quibus anima excelſa conſcendit poli. Amor autem Dei fortis eſt, tanquã funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, dum homo Deũ diligit toto corde, tota anima, & totis viribus. Hoc fune dilectionis anima trahitur ad Deum. Ruptis autem vinculis charitatis, quaſi fune rupto, trahi non poteſt. Niſi enim hoc funiculo triplici DEO adhæreamus, nequaquam trahi valemus. Qui igitur trahitur homo eſt: id quo trahitur amor eſt: qui trahit, pater eſt. Vnde in hodierno Euangelio Dominus ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum. Homo enim per ſe poteſt cadere, ſed nõ poteſt per ſe reſurgere. Spiritus vadens & non rediens. Credere enim in Deũ non poteſt, niſi gratia ipſum præuenerit. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Palmes enim niſi manſerit in vite, non poteſt fructificare. Non eſt enim volentis velle, neq; currentis currere, ſed Dei miſerãtis. Quia ſpiritus vbi vult ſpirat. Auis enim ſine pennis volare minimè poteſt. Homo enim delapſus in foueam, niſi fune diuinæ gratiæ demiſſo, extrahi non poteſt. Sicut quadriga in luto per ſe moueri non poteſt, ita homo, niſi pater traxerit eum, ad Chriſtum non poteſt venire. Quæcunque autem trahit pater, trahit filius, trahit & ſpiritus ſanctus. Illud tamen ſpecialiter patri attribuitur, quia opus maximæ potentiæ eſt, impium iuſtificare. Maius enim ſignum virtutis eſt & potentiæ, iuſtificare impium, quàm creare cœlum & terram. Ibi enim nulla eſt repugnantia, hîc autem iniuſtitia peccatoris contraria eſt diuinæ iuſtitiæ, & vanitas opponitur veritati, mors vitæ, tenebræ claritati. Non ſolùm igitur Deus recipit pœnitentes, ſed trahit peccatores, ſicut ſcriptũ eſt: Et cõpelle intrare. Trahit de profundo maris, ſicut ſcriptũ eſt: Ex Baſan cõuertam: conuertã in profundũ maris. Baſan confuſio interpretatur. Conuertit igitur ex Baſan, id eſt, ex confuſione. Conuertit in profundũ maris, id eſt, illos, qui in profundũ vitiorum cõmorantur. Trahit autem de profunditate confuſionis, quæ latet in corde per prauam cogitationem, quæ patet in ore per prauam locutionẽ, quæ manet in opere per malã conſuetudinẽ. Trahit tamẽ non violentia, ſed amore, id eſt, funiculis charitatis, & bona voluntate. Trahit ſua quemq; volũtas. Non eſt enim bonũ meritoriũ, niſi fuerit voluntariũ: Deus autẽ voluntatẽ hominis præuenit, incitãdo eũ per flagella, per beneficia, per documẽta, cõminando, promittẽdo. Trahit inſuper per exẽpla. Omnia enim terrena mala ſuſtinuit homo Deus, ne in illis timeretur infelicitas. Omnia terrena bona cõtempſit, ne in illis quæreretur felicitas. Trahit tribulationibus, trahit conſolationibus. Vnde per Oſee ipſe ait: In funiculis Adã trahã illos, in vinculis charitatis. In funiculis Adã immittẽdo varias tribulationes. In vinculis charitatis, præbendo varias cõſolationes. In funiculis Adã comminando, terrendo & affligendo. In vinculis charitatis promittẽdo, cõſolando, & pro illis patiendo. Poſſumus autẽ diſtinguere inter verbũ trahendi, & verbũ extrahendi, vt qui à peccatis cõuertuntur, dicãtur extrahi, & hoc pertinet ad incipiẽtes. Qui autẽ iuſtificati ſunt, dicãtur trahi, & hoc pertinet ad proficientes. Vnde in Canticis ſponſa ait: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Timor ergo compellit, gratia præueniens extrahit, ratio adducit. Deſiderium trahit & currere facit. Trahe me poſt te, ait ſponſa, quia ſine te nihil poſſum facere. Trahe me poſt te, vt non eam poſt cõcupiſcentias meas. Trahe me poſt te, vt ſequar imitando te, & non præcedam quaſi ſapiens in oculis meis. Trahit autem Dominus animã ſeptem donis ſpiritus ſancti, quaſi ſeptem funiculis. Trahit animam ad tribunal ſuum terribilis iudex, vt territam purget per ſpiritum timoris. Trahit ad templũ ſuum Deus verus, vt in ſpiritu & veritate colatur per ſpiritũ pietatis. Trahit ad auditoriũ ſuum magiſter bonus ad apprehẽdendam diſciplinam per ſpiritum ſcientiæ. Trahit ad agrum ſuum potens ad excitandum in bonis operibus per ſpiritum fortitudinis. Trahit in domum ſuam magnus paterfamiliâs ad habitandum vnius moris in domo ſub abbate per ſpiritum conſilij. Trahit in cellaria ſua Rex ditiſsimus ad ſcrutandas ſcripturas & myſtica quæq; penetranda per ſpiritum intellectus. Trahit in cubiculum ſuum ſponſus amantiſsimus ad fruendum gratiſsima præſentia ſua per ſpiritum ſapientiæ.

*Quod ſine Deo nullum bonũ facere poſſumus. Ioan. 15.*

*Rom. 9. Ioan. 3. Simile.*

*Lucæ 14. Quod Deus multipliciter trahit venientes ad ſe.*

*Quod Deus multipliciter nos incitat ad bonum.*

*Oſee 11.*

*Cant. 1.*

*Ioan. 15.*

*Quod ſeptem donis ſpiritus ſancti anima ſeptempliciter trahitur.*

*De funiculo multiplici ex verbis Petri Apoſtoli. 2. Petri 1. Iacob. 2.*

Quot ergo ſunt chariſmata gratiarũ, quibus ſpiritus Deo cõiungitur, quaſi tot funiculis ad Deũ trahitur. Qualiter autem huiuſmodi funiculis contexatur Petrus Apoſtolus oſtendit, vbi ait: Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Primò igitur oportet quod habeamus fidem. Et quia fides ſine operibus mortua eſt, in fide miniſtremus virtutem, id eſt, bonam operationem. In virtute autem ſcientiam, & tanquam prudentes virgines oleum in corde reponamus, & non propter vanam gloriam bona opera faciamus. Et quia hæc tria poſſumus habere & vitia perpetrare, ſubdit in ſcientia abſtinentiam, vt, ſcilicet, ab omni peccato abſtineamus. Et quia poſt hæc tribulationes & tentationes occurrunt, ait in abſtinentia patientiam. Ne autem patientia ſimulatoriè prætendatur, ait in patientia pietatem, vt quod monſtramus in facie, teneamus in corde, & benè faciamus his, qui nos perſequuntur. Sed ne pietas iſta pro commodo noſtro & non pro fraterna dilectione habeatur, ait in pietate fraternitatis amorem, vt, ſcilicet, ita benè faciamus eis exterius, quàm diligamus interius: vt autem omnis iſta virtutum cõnexio in charitate perficiatur, & propter Deum amorẽ concludit in amore fraternitatis charitatẽ. Hac igitur quaſi catena virtutũ, ſpiritus hominis Deo aſtringitur, & poſt ipſum trahitur. Oſtendit autẽ Dominus quantũ fructum cõſequantur, qui ad eum veniunt, & à patre trahuntur, dicẽs: Et ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.

*Matth. 5. Lucæ 6.*

Tunc

Tunc enim apprehendet quod dilexit, videbit quod credidit, manducabit quod esuriit. Per hoc autem quod subiungit: Scriptum est in Prophetis, Erunt omnes docibiles Dei, ostendit quod illuminatione fidei & doctrina trahitur homo, quasi dicat: Prophetæ prædixerunt & testantur, quod omnes homines illius regni, id est, Christianæ fidei, erunt docibiles Dei, qui, scilicet, facilè doceantur à Deo. Prædicator enim loquitur exterius, Deus autem spiritum aperit interius. Intus enim instruit Spiritus sanctus cognitione & amore veritatis. Per prædicationem autem & illuminationem animæ trahuntur ad Deum. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Memento creatoris tui antequã rumpatur funis argenteus, id est, antequã cesset prædicatio, per quam ad Deũ animę trahuntur. Per funem enim argenteũ, prędicatio diuinę scripturę intelligitur. Dicit autem scriptum esse in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei. Quæ tamen verba solus Ioël dicit, sed in aliis Prophetis eadem forma reperitur. Omnes enim Prophetæ vno & eodem spiritu locuti sunt, & vnusquisque concordat cum alio, & ad vnum omnes Prophetæ tendunt. Quod autem per reuelationem & doctrinam trahatur homo ostendit, subiungens: Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Audiuit, scilicet, verbum patris, id est, audiendo, interius credidit, fide operante per dilectionem, & didicit profectu & opere, venit ad me passibus fidei & dilectionis. Licèt autem pater doceat & audiatur, ipse tamen inuisibilis est. Vnde & subiungit: Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, vidit patrem, id est, filius, qui est à patre, hic vidit patrem, quasi dicat: Pater inuisibilis est, docet tamen vos, dum auditis verbum eius, id est, filium, qui factus est homo, vobis loquitur. Et idcirco illum audire debetis, & credere in eum. Vnde & ipse continuò subiungit: Qui credit in me, habet vitam æternam, quasi dicat: Ego noui patrem, quia ab eo sum, & idcirco mihi credatis, vt vitam æternam habeatis, id est, meipsum, qui sum vita æterna. Vnde ipse statim ait: Ego sum panis vitæ. Ipse enim pascit nos hic pane gratiæ, & tandem pascet pane gloriæ. Panis autem iste significatus est per manna, quod dedit illis Dominus in deserto. Iudæi autem gloriabantur de vmbra, id est, de manna materiali, quod dedit Deus Patribus eorum in figura, & verum panem, id est, CHRISTVM, contemnebant. Ideo assignat Dominus præeminentiam huius panis ad illum, dicens: Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Non dicit de morte carnali, quæ communis fuit, tam bonis quàm malis, qua morte Moyses & Aaron, & alij mortui sunt in deserto, sed de morte spirituali, à qua liberantur qui panem vitæ manducant. Vnde ipse ait: Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Si quis manducauerit intus, scilicet, in corde, intelligendo, credendo, & amando, quod de re Sacramenti intelligitur, de qua Augustinus ait: Res huius Sacramenti omnibus sumentibus est in vitam æternam & nulli ad mortem, vnitas, scilicet, sanctorum. Adhuc autem huius panis effectum & virtutem ostendit Dominus, dicens: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Viuus, id est, in me viuens, & vitam aliis præbens. De qua autem vita intelligat, determinat, dicens: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, id est, non solùm in præsenti per iustitiam, sed in futuro per gloriam. Non solùm autem Christus est panis, secundum verbum, quo viuunt omnia, sed insuper secundum carnem assumptam pro mundi vita, id est, secundum humanitatem. Vnde ipse ait: Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Hoc autem Iudæi reprobi & malitia sua excæcati, quia Dei docibiles non erant, non intelligebant, nec Christo dicenti credebant, sed adinuicem de his verbis litigabant. Non enim tracti erant à patre, malitia sua eos impediente, & idcirco ad CHRISTVM venire non poterant, quia collyrium diuini sermonis, quo illuminari possent, contemnebant. Propterea in Apocalypsi Ioannes ait: Collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Est autem collyrium diuini sermonis, quod mentis oculos mundificat, de quo Dominus ait: Iam mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis. Est collyrium tribulationis, de quo dicitur: Vexatio dat intellectum. Hoc est fel piscis quo illuminati sunt oculi Tobię. Est collyrium humilitatis, de quo dicitur: Confitebor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia reuelasti ea paruulis. Dominus enim intellectum dat paruulis. Est collyrium orationis, de quo dicitur: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Vnde orante Martino illuminati sunt oculi Hilarij, vt intelligeret scripturas. Est collyrium perturbationis, id est, iræ, per zelum quo ad tempus turbatur oculus, vt postmodũ videat limpidius, de quo scriptũ est: Conturbatus est in ira oculus meus. Est collyriũ fidei, quo liniuit Dominus oculos cęci nati, de quo dicitur: Fide purificans corda eorũ. Est collyriũ pręceptionis, de quo dicitur: Pręceptũ Domini lucidum, illuminans oculos. Est collyriũ operationis, quo ad impositionẽ manus Ananiæ, Paulus visum recepit, sicut scriptum est: A mandatis tuis intellexi, scilicet, benè operando, secundum quod mandasti. His omnibus collyriis reprobi Iudæi oculos vngere noluerũt, sed magis collyrio confusionis, id est, astutia diaboli locutione, qua aperti sunt oculi primorum parentum collyrio etiam excæcationis, id est, iræ per vitium vngentes oculos, excæcati sunt, dum Christi prædicatione offendebantur: & idcirco nõ illuminabãtur. Pater autẽ illos quos trahit, qui docibiles sunt Dei, paulatim illuminando semper in melius proficere facit, sicut scriptũ est: Iustorũ semita, quasi lux splendẽs, crescit vsq; ad perfectũ diẽ. Vnde & cęcus à Christo illuminatus, primò dicit se videre homines tanquã arbores ambulantes, postmodũ verò plenius & limpidius

*Ierem. 31. Quod omnes credentes in Christũ sunt docibiles Dei.*

*Eccles. 12.*

*Expositio literæ.*

*De manna, & pane vitæ.*

*Apoc. 3. De illuminatione fidelium & collyrio multiplici. Ioan. 15. Isa. 28. Tob. 12. Matth. 11. Iacob. 1.*

*Ioan. 9. Act. 15.*

*Act. 9.*

*De malo collyrio. De modo illuminandi & profectu seu augmento diuinæ cognitionis, tacta similitudine ex igne.*

eos agnouit. Sicut autem agnitio, ita & dilectio semper in melius crescit. Charitas enim proficit aut deficit. Ignis enim dum lignis succenditur, à principio est cum flamma & fumo, postmodum cum flamma & sine fumo, nouissimè autem postquã tota materia in ignem conuersa fuerit, nec fumum nec flammam ex se emittit. Fumus perturbatio tentationis. Flamma imperfecta charitas, vel splendor bonæ operationis. Ignis sine flamma, consummatio charitatis, cùm enim à principio homo diligere incipit, non caret tentationibus, nec fumo perturbationis. Flammam etiam ex se emittit per splendorem exterioris operationis, postmodum verò cùm validius ardere cœperit, & amplius claresc̃ere, fumus perturbationis recedit, remanente flamma splendidæ operationis. Tandem verò cùm homo totus ignitus fuerit, & ad Dei contemplationem toto animi affectu transierit, flamma exterioris operationis intercidente in sola Dei visione delectatur. Et si enim aluear apum exterius lutosum sit per humilitatem vel humanã fragilitatẽ, interius tamen melle plenũ est per spiritualem dulcedinem. In hac igitur plenitudine delectationis, spiritus hominis quasi insensibilis factus à pace Dei, quæ exuperat omnem sensum, totus absorbetur, quod tamen in hac vita nunquam homo plenè potest obtinere, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & idcirco ab hac sui alienatione citò retrahitur. Vix enim hora dimidia huiusmodi silentium fit in cœlo, quia quantumcunque spirituali in hac vita pax ista non diu conceditur. Postquam verò à stilla ad fluuium, ab igniculo ad caminum, à minimo transierimus ad maximum, tunc plenè satiabimur ab vberrate domus Domini, & torrente voluptatis æternæ potabit nos Dominus, quando omnes vere erimus docibiles Dei, legentes in libro vitæ, & cognoscentes sicut cogniti sumus, atque facie ad faciem videntes Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate. Cui est honor, virtus & gloria sine fine, Amen.

## DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS PENTECOSTES, THEMA DE INTROITV Missæ, sumpum ex Psalmo.

*Psal. 12.* *Domine, in tua misericordia speraui: exultauit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.*

*Eccles. 2. Postquã spiritum sanctum accepimus ad robur, acrius impugnamur.*

*De historiis, quæ leguntur in Ecclesia ab Octauis Pentecostes vsque ad aduentum Domini. Primò libri Regum.*

*Salomonis & Sapientiæ & Ecclesiastici. Libri Iob, & Tobiæ.*

*Quartò libri Esdræ, Iudith & Hester.*

*Quintò Machabæorum.*

*Simile.*

*Sextò Ezech.*

ILI, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Maiores enim magis tentantur, & fortiores fortius impugnantur. Vnde legimus de Saule: Et totum pondus prælij conuersum est in ipsum. Diabolus enim gulosus est, & electas escas ac delicatas appetit. Arrogãs est & superbus, & gloriatur congredi cum fortioribus & robustis. Vnde post festum Spiritus sancti, his diebus incipit Ecclesia libros Regũ recitare, & eorũ bella & victorias retractare, vt ad spirituales congressus nos instruat, & ad victorias nos inuitet. Quia post collatam gratiam Spiritus sancti, statim nos infestat inuidia spiritus maligni. Egredientes de Ægypto, Pharao insequitur & persequitur, & laborantes in deserto impugnat Amalech, id est, diabolus lingens sanguinem. Et postquam filij Israël manna à Deo susceperunt, graues insultus ab hostibus sustinuerunt. Similiter recepta Spiritus sancti gratia, instant tentationes & prælia. In bello autem valde necessaria est cautela & sapientia, vt nobis diligenter caueamus, & conatus atque ictus nostros non proiiciamus in vacuum. Non pugnemus quasi aërem verberantes, sed malignos spiritus, quorum habitatio est in aëre, pugnando percutiamus. Et ideo subsequenter libri Salomonis & Sapientiæ & Ecclesiastici leguntur, vt doceantur manus nostræ ad prælium, & digiti nostri ad bellum. Et quoniam sapientia non sufficit sine patientia, sequuntur libri Iob & Tobiæ, qui patienter sustinuerunt aduersa. Et nos exemplo eorum, si spiritus potestatis super nos ascenderit, grauiter nos affligendo, locum nostrum non deseramus, sed immobiliter & constanter in pugna perseueremus, quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. In hoc etiam post certamina subsequuntur solatia, quoniam secundum multitudinem dolorum in cordibus nostris, consolationes Domini lætificant animas nostras. Non solùm autem patientia indigemus ad sustinendum, sed fortitudine ad resistendum, & impugnandum aduersarios. Vnde postmodum leguntur Esdræ, Iudith, & Hester, qui in populi sui defensione fortes extiterunt. In his enim instruimur moribus, qui valde necessarij sunt in pugna spirituali. Posteà verò quia serpens antiquus calcaneo insidiatur, post prædictos libros legitur liber Machabæorum, in quo de bellis acriribus agitur. Et diabolus imminente fine mundi, per filium perditionis grauissimè Ecclesiam impugnabit. Vnde Ioannes in Apocalypsi: Væ terræ & mari, quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Similiter imminente fine hominis, magis nititur diabolus ad eius ruinam, & grauioribus tentationibus vrget. Sicut enim venatores in angusto loco laqueos tendunt, sic venator infernalis imminentibus mortis anguſtiis, laqueos tendit ad animas capiendas, more præpositorum, qui in fine villicationis suæ quantumcunque possunt acrius emungere, & extorquere conantur. Post prædicta autem nihil restat, nisi corona post victoriam, & æternæ beatitudinis fruitio.

fruitio. Vbi enim grauior pugna, ibi glorioſior corona. Vnde in fine libri Ezechiēlis legitur, vbi agitur de ciuitate glorioſa, & templi reædificatione. Ac ſi dicatur: Sancti mei, qui in hoc ſeculo certamen habuiſtis, mercedem laboris ego reddam vobis. Leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Erit enim vobis, ſicut Iſaias ait, Sabbatum ex Sabbato, id eſt, quies Paradiſi, ex quiete & pace animī, quam habuiſtis ſuſtinendo tribulationes ſine querela, & murmuratione. Leuate cordis oculos, & intuemini gaudium poſt luctum, requiem poſt laborem, vt non cōtriſtemini, ſicut & cęteri, qui ſpem non habent. Nam qui arat, & qui ſeminat, citò deficeret, ſi ſolùm labores in præſenti, & non fructum attenderet in futuro. Et ideo neceſſe eſt pugnanti & afflicto ſperare in miſericordia Dei, ne deficiat in agone. Vnde Pſalmus: In Domino ſperans non infirmabor. Spes enim non cōfundit, id eſt, athletam Chriſti à cōfuſione puſillanimitatis & deſperationis defendit. Non ſolùm autem in ſpirituali certamine prædicta exiguntur, ſed valde neceſſarium eſt, vt Chriſti athleta in virtute ſua non cōfidat, & de viribus ſuis nō præſumat, ſed dicat cum Propheta: Domine, in tua miſericordia ſperaui, non præſumens de me, ſed confidens in te. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. In tua miſericordia ſperaui, nō in propriis viribus. Teſte enim Propheta Amos: Si quis innitatur manu ſua ſuper parietem, id eſt, ſupra corpus vel corporis fortitudinē, mordebit eum coluber, id eſt, diabolus, ſerpens tortuoſus. Fallax enim equus corporis ad ſalutem. Præcipitata ſiquidem arrogantia, quia plus audet quàm poſſit, incipit ædificare, & non valet conſummare. Vnde Iſaias: Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde. Superbia & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quàm fortitudo eius. Præſumptuoſi enim & arrogantes, vltra fortitudinem ſuam ſuperbiunt. Domine, in tua miſericordia ſperaui, non in propria ſapientia. Proterea Salomon ait: Non innitaris prudentiæ tuæ. Et iterum: Non ſis ſapiens apud temetipſum. Teſte enim Beda, ſapientiæ ſuæ innititur, qui ea quæ ſibi agenda vel dicenda viderit, Patrum decretis præponit. Sapiens verò apud ſemetipſum eſt, qui in illis, quæ ex Patrum magiſterio potuit rectè cognoſcere, ſeſe præ cæteris, quaſi doctior, extollit. Teſte enim Iacobo: Non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Terrenam dixit ſapientiam, qua homines terram ſapientes, terrena & tranſitoria, ardenti deſiderio congregare nituntur. Hæc eſt ſapientia mundi, quæ apud Deum ſtultitia eſt. Animalis eſt ſapientia, id eſt, beſtialis, per quam more beſtiarum homines bruti & carnales deſideria carnis adimplere nituntur. De qua Apoſtolus: Sapientia carnis mors eſt. Diabolicam autem dicit ſapientiam, verſutiam quandam malitioſe nocendi aliis. De qua Ieremias: Sapientes ſunt, vt faciant mala. Domine, in tua miſericordia ſperaui, non in iuſtitia mea. Quia omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ. Et ſi enim ieiuno bis in ſabbato, & decimas do omnium quæ poſſideo, de operibus vel vita mea non confido, quia melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Domine, in tua miſericordia ſperaui, non in mundo ruinoſo, quia qui labenti innititur, cum labente labitur. Via enim mundi tenebroſa eſt & lubrica, ſicut ſcriptum eſt: Fiat via illorum tenebræ & lubricum. Propterea Iſaias ait: Pro eo quòd ſperaſtis in calumniam & in tumultum, & innixi eſtis ſuper eo, erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniàm ſubitò dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur. Tumultuoſus eſt mundus ſine quiete, calumnioſus ſine fidelitate & pace. Qui autem ſuper eum, quaſi ſuper baculum arundineum innititur, confracto baculo, manus ipſius perforatur. Sicut autem interruptio muri excelſi dum caſum minatur, & iam citò venit dum non ſperatur: ſic confidentes in mundo, ſubitò & ex improuiſo corruunt, & in puncto ad inferna deſcendunt. Cùm enim dixerint pax & ſecuritas, repentinus eis ſuperueniet interitus, & non effugient. Veniet enim Dominus mali ſerui, die qua non ſperat, & hora qua neſcit. Bonum eſt igitur ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus huius ſeculi ſeu in mundo. Vnde in Eccleſiaſtico Sapiens ait: Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & cōfuſus eſt: permanſit in mandatis eius & derelictus eſt. Et Iſaias ait: Non adiiciet teſiduum Iſraël, & qui fugerunt de domo Iacob, inniti ſuper eo qui percutit eos, ſed innitetur ſuper Dominū, nō ſuper mundū, qui amatores ſuos in præſenti vanis curis & anxietatibus perurit, & in futuro æternis incendiis mancipabit. Domine, in tua miſericordia ſperaui, non in caducis & tranſitoriis bonis, nec in incerto diuitiarum, neq; in theſauris pecuniæ ſperabo. Teſte enim Ezech. Argentum eorum & aurū, non valebit eos liberare in die furoris Domini. Et Bauch ait: Qui argentum theſaurizant & aurū, in quo cōfidunt homines, exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum ſurrexerunt. Dominus autē diuites dimiſit inanes & vacuos, quia diuites eguerunt & eſurierūt. Diuitiæ enim nō minuunt famē mentis, ſicut ventus nō poteſt imminuere famem corporis. Spiritus enim rationalis rebus corporalibus nō ſatiatur, ſed magis inflatur. Quemadmodū homo famelicus ſi buccis hiantibus ventū attrahat, non implebitur, ſed inflatur. Domine, in tua miſericordia ſperaui, nō in multitudine cognatorū, vel nobilitate ſtirpis meæ. Generatio enim præterit, & generatio aduenit. Breues enim dies hominis ſunt, & citò tranſierunt amici carnales, & pauci dum viuunt, reperiuntur fideles. Teſte enim Michæa: Vir fratrem ſuum minatur ad mortem. Multi enim mortem proximorū ſuorum deſiderant, vt eorū bona aſſequātur, & maiori tumultu planguntur nummi, quàm funera. Proterea idem Michæas ait: Noli credere amico, & ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui,

*Lucæ 21. Iſa. 66.*

*De ſpē. Rom. 5.*

*De viribus nō ſtris non debemus cōfidere.*

*Amos 5.*

*Iſa. 16.*

*De ſapientiā noſtra nō debēmus cōfidere.*

*Iacob. 3.*

*De mala ſapientia.*

*Rom. 8.*

*Non debemus confidere in iuſtitia.*

*Nō eſt cōfidendū in mundo.*

*Simile.*

*Eccle. 2.*

*Non eſt confidū in diuitiis.*

*Simile.*

*Non eſt confidum in cōſanguineis.*

*Mich. 7.*

oris tui, quia filius contumeliã facit patri, filia cõsurgit aduersus matrem suã, & nurus cõtra socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Et Sapiens in Eccles. ait: Ne iocunderis in filiis impiis si multiplicẽtur: vtile est enim mori magis sine filiis, quàm relinquere filios impios. Domine, in tua misericordia speraui. Renuit enim consolari anima mea in temporalibus, quia est cupiditas. Renuit consolari in voluptatibus, quia est fœditas. Renuit consolari in cibo & potu, quia ibi gulositas. Renuit consolari in dignitatibus, quia ibi vanitas. Renuit consolari in possessionibus, quia ibi anxietas & curiositas. Consolari autem & sperare in misericordia Dei desiderat, quia ibi est inæstimabilis suauitas. Bonum est igitur sperare in diuina misericordia, & cogitatum suum iactare in Domino, vt sit anima innixa super dilectum suum, qui non deserit sperantes in se. Vnde Petrus: Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Et Isaias ait: Quis ambulat in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Qui enim est in tenebris tribulationis vel peccatorum, de Dei misericordia non desperet. Propterea ad Hebræos ait Apostolus: Fortissimum solatium habemus, qui cõfugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, & firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, id est, vsque ad sancta sanctorum. Illuc enim anchorã spei nostræ debemus proiicere, nõ in luto temporalium, vt firmiter stemus, & non vacillemus animo fluctuantes, vt dicamus cum Propheta: Tu Domine, singulariter in spe cõstituisti me, vt vnum desiderem, & in te solo spem habeam, & nihil extra te quæram. Qui enim à spe cœlestium auellitur, & in fæce temporalium spem suã, quasi radicẽ, figit, spes eius de facili eradicatur. Vnde Iob: Quasi auulsæ arboris abstulit spem meam. Et iterum: Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum, quasi Rex interitus. Fiducia de tabernaculo hominis auellitur, cùm in morte, omnia quæ parauerat, dissipantur. Et calcat super eum quasi Rex interitus, cùm hîc vitiis premitur, & in inferno morti perpetuę subiugatur. Econtrà: Beatus vir cuius nomen Domini spes eius. Si enim Dominus, & nos serui eius, tunc in eo cõfidere possumus, quod fidelis Dominus seruos suos remunerabit. Spes enim est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis proueniens, siue ex gratia & bona conscientia. Præsumptuosa enim & arrogans est spes illa, cui fiduciam expectationis virtutum experientia non præstat, & bonorum operum conscientia. Quæcunque ex merito spes venit, æqua venit. Semper enim malè viuere, & de Dei misericordia sperare, non est spes, sed præsumptio. Propterea Psalmus ait: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Alioquin sine meritis à Deo sperare retributionem, non est spes, sed præsumptio. Non tamen qui in peccatis mortalibus sunt, & carent tam gratia quàm meritis, debent desperare, sed interim, secundum consilium Gregorij, debent facere quicquid boni possunt, vt Deus corda illorum illustret ad pœnitentiã. Debent enim sperare veniã à Deo, & se habituros merita digna vitæ æternæ. Licèt enim, qui tales sunt, spe virtutũ careant, spe tamẽ informi sperant in misericordia saluatoris. Est enim triplex spes, scilicet, spes veniæ, spes gratiæ, spes gloriæ. Qui enim in peccato mortali sunt, spem veniæ debent habere. Iudas enim veniã nõ meruit, quia veniã non speranit. Qui in tribulationibus, spẽ gratię tenẽtur habere, vt cadere nõ permittãtur. Fidelis enim Deus, qui nõ permittit nos tentari vltrà quod possumus, sed per gratiã suã facit cũ tentatione prouentum. Qui autẽ tẽtati sunt, & in tribulationibus probati, spẽ gloriæ debẽt habere, & certã exspectationẽ retributionis æternæ. Propterea Apost. ait: Tribulatio patientiã operatur, id est, vsum & exercitiũ patientię, patientia autẽ probationẽ. Nam tribulationũ patientia animã reddit examinatã & purgatã, sicut fornax aurũ examinat & plumbũ. Aurũ purgãdo, & plumbũ cõsumendo. Nam in patientia aduersorũ ostenditur, & probatur cõstantia sanctorũ: & hæc probatio & examinatio sanctorũ spem operatur, quę spes nõ cõfundit, sed subleuat animã, & in tribulationibus gaudere facit. Propterea Psal. subiũgit: Exultauit cor meũ in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi. Ecce quod spei cõsolatio iam habet, quasi arras præmij sui, & quasi in expensis Domini seruit eidem, nec propriis stipendiis permittitur militare, dum expensas cõsolationis & gaudij Dominus illi tribuit affluẽter. Epulatur enim ad mẽsam Domini, & cùm adhuc sit in terra, iam in cœlis cõuersatur, transiens animo in locũ tabernaculi admirabilis vsq; ad domũ Dei. Spes siquidẽ æternæ retributionis, omniũ tribulationũ ferculis saporẽ delectationis apponit. Hęc est enim in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatiũ. Teste enim Salomone in Prouerb. Secura mens, quasi iuge conuiuiũ. Hęc est quę lapides torrẽtis Stephano dulces, quasi melle cõditos reddidit, Laurentio super craticulã ex carbonibus ardentibus refrigerium præstitit. Hæc enim inundationes maris, quasi mel fugit, dũ omnes afflictionũ amaritudines in dulcedinem conuertit. Hæc est illa festiua ioculatrix, cui, sicut in Iob dicitur, dedit Dominus in nocte carmina, quia Deus illi mãdauit canticum exultationis in nocte tribulationis. Hæc enim gaudifera nostra semper reddit in tribulatione gaudentem. Cythara iocunditatis, nullo interdicto, organa sua suspendit, nulla filet chordarum ruptura, nulla distemperatur lignorum fractura, cuius dulcis cantilena est: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, si insurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Lætata sum pro diebus quibus me humiliasti, annis quibus vidi mala. Et cum beato Iob ait: Soluat manum suam & succidat me, & hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore, non parcas. Spes igitur misericordiæ & retributionis æternæ cantat DOMINO, dicens: Exultauit cor meum in salutari tuo, id est, in salua-

*De quibus debemus cõsolationẽ quærere.*

*De vera consolatione.*

*Hebr. 6.*

*Descriptio spei.*

*De triplici spe.*

*1. Cor. 10.*

*Rom. 5.*

*Simile.*

*Consolatione & gaudio.*

in saluatore, quem remuneratorem expecto. Et ne forte ingratitudinis possem argui, cantabo Domino qui bona tribuit mihi. Ex memoria enim beneficiorũ, velut ex compositione lignorum crescit, & nutritur ignis charitatis in altari cordis nostri. Qui autem ingrati sunt acceptorum beneficiorum, assimulantur pullis euculorum, qui suas deuorant nutrices, malum pro bono parentibus reddentes. Cantabo igitur Domino qui bona tribuit mihi. Bona temporalia in sustentationem, bona gratiæ in meritũ, bona gloriæ traditurus in præmium. De hoc cantu Isa. ait: Vinea meri cantabit Deo, ego Dominus, qui seruo eam repẽtè propinabo ei, ne fortè visitet contra eam: nocte ac die seruo eam, indignatio non est mihi. Vinea meri, bona est conuersatio cum labore disciplinæ, & puritate conscientię. Multus quidem labor est in vinea excolenda. De qua in Prouerb. dicitur: De fructu manuum suarum plantauit vineam, id est, de operibus suis bonam conuersationẽ. Per merum autem, id est, purum vinum, puram conscientiam & iocundam intelligimus. Repentè autem propinat Deus iustis, quos transitoriè punit. Malos autem in æternum puniendos expectat, quos post multos dies visitabit. Sed hæc visitatio erit contra eos in malum eorũ, quãdo corpora cum animabus cruciabũtur. Iusti autẽ hic visitantur à Deo, tam flagellis quàm consolationibus. Sed hæc visitatio non est cõtra eos. Nam Dominus nocte aduersitatis & die prosperitatis seruat eos, quos ex misericordia punit, & non ex indignatione flagellat. Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi. Bona naturæ, bona fortunæ, & bona gratiæ & bona gloriæ. Bona naturæ, rationẽ & intellectũ: bona fortunæ, victũ & vestitũ: bona gratiæ, ornamenta virtutũ: bona gloriæ, affluentiã omniũ bonorũ, quæ possessuri sumus sine fine, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*De memoria beneficiorum. Simile.*

*De vinea meri.*

*De multiplici bono.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM de Epistola Ioannis.

*Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* 1. Ioan. 4.

NOBILE operculum charitas, quæ operit multitudinem peccatorũ, & quasi fornax ignis omnem animæ rubiginẽ excoquit, & cor mundũ custodit. Qui autem huius operculi velamine carebit, eius turpitudo in fine nudabitur, sicut per Amos Prophetã Dominus ait: Inducam super omne dorsum vestrũ saccum, & super omne caput vestrũ caluitium. Per saccum pœnæ asperitatẽ, per capitis caluitium, secretorũ mentis manifestationem Propheta designat. Hoc operculum vasis, iugũ est sancti amoris, quod premit suauiter, onerat delectabiliter, fortiter frangit, dulciter vrit. Cuius singularem præeminentiã in hodierna Epist. multipliciter Ioannes Apostolus cõmendat, qui certo experimento eius suauitatem & virtutem, præ cæteris agnouit. Commendat eam priùs ab essentia, cùm ait: Deus charitas est. Commendat eam à potentia & efficacia, vbi subiungit: In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniã filiũ suũ vnigenitum misit Deus in mundũ, vt viuamus per eum. Charitas enim Deum patrẽ superauit, vt traderet filium pro redemptione seruorũ. Christus etiã victus est à sua charitate, vt moreretur pro nostra salute. Luctatus est Iacob cum Angelo & præualuit, quia charitas Christũ superauit, vt pateretur pro nobis, quemadmodũ ipse de se ad patrẽ dicit: Zelus domus tuę comedit me, id est, consumpsit in morte. Zelo etiã dilectionis in sacramento quotidie comeditur Christus, vt corpus Ecclesiæ nutriatur. Ipse enim Deus zelotes, ex feruore dilectionis, quam ad nos habuit, quasi reliquit patrẽ & matrẽ, propter amicã suã, scilicet, Ecclesiã. In cœlo patrẽ, in morte matrẽ, vt sicut homo zelotypus infatuatur amore, ita ipse quasi fatuus reputaretur, dũ vestẽ pretiosam suæ diuinitatis daret pro sacco nostræ humanitatis. Sed tamen, teste Apostolo, quod stultũ fuit Dei, sapientius fuit hominibus. Sapientius enim egit, quàm homines excogitare valerent. Ipse enim factus est nobis à Deo sapiẽtia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Sapientia prædicatione instruẽdo. Iustitia, impiũ gratis iustificãdo. Sanctificatio, cõuersationis exẽplo. Redemptio pro nobis patiẽdo. Ipse enim illuminat cæcos, soluit cõpeditos, reduxit erroneos, recõciliauit reos. In hoc igitur apparuit charitas Dei patris in nobis, quoniã filiũ suũ misit in mundũ. In hoc autẽ apparuit charitas filij, quia mortuus est pro nobis. Hoc autẽ verbis sequentibus pleniùs ostendit Apostolus, cùm subiungit: In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, id est, in hac filij missione manifestata est in nobis gratuita dilectio patris. In huius enim dilectionis experimentum, misit filium suum in mundum. Gratis autem nos dilexit. Non enim dilectioni nostræ dilectionem reddidit, sed eius præcedens dilectio nobis dedit, vt eum diligeremus. Non enim ipsum elegimus, sed ipse nos elegit, non priores eum dileximus, sed ipse prior nos dilexit. Nec enim merito nostræ dilectionis ipse nos dilexit, sed vt præcedente eius dilectione ad dilectionem eius prouocaremur. Nihil enim magis accendit ignem quàm ignis, id est, amor amorem accendit in nobis, dum recolit homo quod amatus est, cùm non esset dignus amari, turpis & fœdus, vilis, & abiectus. Vnde per Ieremiam ipse ait: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Ex misericordia enim nos præuenit, qui dilectionem non reddidit, sed addidit. Dilexit non existentes, adiecit etiam diligere resistentes. Cùm enim inimici

*Vas quod non habuit opertu lum, immundum erit. De operculo charitatis.*

*De multiplici cõmendatione charitatis.*

*Psal. 68. Ioan. 2.*

*Quod Deus prior dilexit nos.*

*Simile.*

*Ezech.16. Rom.5.* essemus in sanguine filij sui reconciliati sumus. Vnde ipse per Ezech. ait: Eras nuda & confusione plena, expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. Amictum, scilicet, charitatis, quę operit ignominiam, & multitudinem peccatorum. Postquam dixit Apostolus de dilectione Dei, quam habet ad nos, subiungit de dilectione proximorum, dicens: Si Deus dilexit nos, & nos debemus inuicē diligere. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione. Sicut enim Deus prior dilexit nos, nec expectauit vt eum diligeremus: sic nos non expectemus vt alij nos diligant, sed priores diligamus. Ad hoc enim charitatem habere debemus, vt diligamus Deum propter se, & proximos in Deo, vel propter Deum, id est, vel quia iusti sunt, vel vt iusti fiant. Qui enim diligit proximū, quid in illo diligit nisi Deū? In peccatore enim Deum diligimus, non quem habet, sed vt habeat. Sicut Medicus in ægro diligit salutem, quam cupit reuocare, non morbum, quem venit expellere. Qui enim optat de inimico vt frater fiat, dicitur fratrē diligere. Non enim diligit in eo quod est, sed quod vult esse. Diligo ergo proximum, dum opto Deum esse in eo. Sicut enim diligo Deum, id est, volo ei summum bonum, quod ipse habet: ita diligo proximum, id est, volo ei summum bonum non per essentiam, sed per gratiam. In proximo igitur non diligitur nisi Deus, vel quia habetur, vel vt habeatur. Licèt enim in homine non diligamus nisi Deum, tamen quia Deus in infinitum magis est bonus in se, quàm sit bonus alicui, in infinitum magis est diligēdus quàm proximus. Sicut enim ignis magis est calidus in se, quàm calefaciat aliud, sic Deus magis est diligendus in se, quàm in alio diligatur. Dulcedo siquidem Dei, est causa dilectionis, attrahens hominem ad diligendum Deum super omnia. Sicut enim fides suum habet delectabile, scilicet, summam & primam veritatem, cui propter se, & super omnia adhæret: & spes suum proprium delectabile summā largitatem, cui innititur, & de qua confidit: ita charitas suum propriū habet delectabile, scilicet, summum bonum, cui inhæret propter se, & super omnia: fides ergo delectatur in prima veritate, spes in prima largitate & liberalitate, charitas in prima bonitate. Nam sicut fidei finis est veritas, in qua quiescit spei liberalitas: sic charitas finis est diuina bonitas. Maior tamen iocunditas est in charitate quàm in fide vel spe, sicut magis delectamur in tactu quàm visu vel odoratu: vnde & charitas omnium virtutum est perfectio, & omnes mouet ad suos actus: fides enim quasi Deo generat, spes nutrit, charitas consummat. Quæ si fuerit perfecta, diligit summum bonum tantum propter seipsum, non habens oculum vel respectum ad aliam remunerationem. Imperfecta autē charitas, & si principaliter diligat Deum propter Deum, nihilominus habet respectum ad æternam gloriam, & præmium creatum, & insuper ad bona temporalia, quibus excitatur ad Dei dilectionem. Vnde & mercenarij dicuntur, qui sic diligunt, scilicet, habentes oculum ad mercedem æternam, cogitantes dies antiquos, & annos æternos in mente habentes. Vnde in Euangelio mercenarij appellantur, vbi dicitur: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Non tamen principaliter Deum diligunt propter aliud. Sic enim magis diligeret creaturam quàm Deum. Magis enim diligitur propter quod aliud diligitur, & ita non diligerent Deum super omnia: hoc autem est fornicari à Deo, scilicet, magis diligere creaturam quàm creatorem. Propterea Psalmus ait: Perdidisti omnes qui fornicātur abs te. Et B. Augustinus super locū istum: Nunquid gratis colit Iob Deum? ait: Prouocamur ab aduersario, vt gratis Deū colamus, quando ille quærens, quod obiiciat, pro magno se putauit inuenisse, quia dixit: Nunquid gratis colit Iob Deum? Qui enim dilecturus es Deum propter præmiū, quale præmium est quod tibi daturus est Deus? Quicquid tibi aliud dederit, minus est quàm ipse. Colis nō gratis, vt aliud ab ipso accipias. Gratis cole, & ipsum accipies. Auelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, vt inhæreas creatori, & dicas: Mihi adhærere Deo bonum est. Si autem deseris illum, qui te fecit, & amas ea, quę fecit, adulter es. Iacobus: Adulteri, nescitis quia amicitia huius mūdi inimica est Dei. Expressit quod dixerat: Adulteri. Nam deserto creatore, amans creaturam, adulter est. Hæc sunt verba Augustini, quibus ostendit, quod quisquis Deum propter aliud diligit principaliter, adulterium spirituale committit. De talibus enim Psalmus ait: Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Siquidem: *Vulgus amicitias utilitate probat, Et cum fortuna stat & cadit & fides.* Tam perfecto autem quàm imperfecto dictum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota mente tua, & totis viribus tuis. Quatuor enim sunt, quæ nos ab amore Dei abstrahunt, error, voluptas, negligentia & tribulatio. Diligendus est igitur Deus ex toto corde, id est, sapienter, ne decipiamur per errorem. Et tota anima, id est, dulciter, ne alliciamur per voluptatem. Ex tota mente, id est, memoriter, ne auertamur per obliuionem. Ex totis viribus, fortiter, ne opprimamur per tribulationem. Propterea in Cant. Salomon ait: Fortis est, vt mors dilectio: Dura, vt infernus æmulatio. Et iterum: Aquę multæ non potuerunt extinguere charitatem. Lampades eius lampades ignis atq; flammarum. Ex quibus verbis patet, quod charitas fortis est, vt suscipiat mortem: dura, vt sustineat quotidianam afflictionem: ignea, vt accendat desiderium: flammea, vt aliis luceat per exemplum: inextinguibilis, vt non cedat fluctibus voluptatis, vanitatis & malitiæ, seu iniquitatis. Fortis est, vt mors dilectio, quia sicut mors corpus interimit, & illud insensibile reddit: ita dilectio animam à concupiscentiis mundi perimit, & ad omnia terrena desideria insensibilem reddit. Fortis est, vt mors dilectio, quia sicut mors omnes reprobos traxit ad interitum, ita dilectio Dei, omnes electos traxit ad gaudiū. Dura est, sicut infernus æmulatio, quia sicut infernus durè, quos absorbuerit, tener,

*De dilectione proximorum. Ephes.5.*

*Quid est diligere Deum et diligere proximum. Simile.*

*Simile.*

*De delectatione fidei, spei & charitatis.*

*Simile.*

*De dilectione perfectorum. De dilectione imperfectorū.*

*Quod gratis diligendus est Deus.*

*Ouid lib.2. de Ponto.*

*De modis diligendi Deum, & de his quæ nos ab amore retrahunt. Cant.8.*

*Simile.*

tenet,ita anima fortiter per dilecti onem Deo adhæret,vt propter aliquam mundi duritiam non deserat spiritualem conuersationē. Dura est vt infernus,quia sicut infernus omnes æmulatores, id est,imitatores diaboli absorbet, ita aula cęli omnes æmulatores,id est,imitatores Christi,recipiet.Hæc autem de perfecta charitate intelligimus,quę expellit timorē,vt dicere possit: Dominus fortitudo mea,& salus mea,quem timebo? Appetit laborem,vt dicat cum Propheta: Ingrediatur putredo in ossibus meis,& subter me scateat. Non refugit pudorem,sicut scriptum est:Propter te sustinui opprobrium. Si autem intelligimus secundum quod B. Augustinus exponit,vt toto corde Deus diligatur,id est,intellectu sine errore:tota anima,id est,volūtate sine contrarietate: tota mente,id est,memoria sine obliuione,quis potest hoc mandatum in via adimplere,& omnes motus suos in Deum transferre? Propter hoc B. Augustinus ait,quod in via potest inchoari,sed non impleri. Ad hoc tamen datum est,vt sciamus quò peruenire debeamus. In via enim inchoatur,sed in patria adimplebitur. Quidam tamen in contemplationis excessu, ita omnes motus animi in Deum conferunt,& ad Deum referunt,vt Deum toto corde diligāt, quia non nisi de Deo cogitant,& intellectu sine errore Dei faciem speculantur. Diligunt tota anima,id est,voluntate sine contrarietate:quia nullus motus sensualitatis insurgit in eis,qui sit contrarius dilectioni. Diligunt tota mente,id est,memoria sine obliuione. Ita enim feruntur in Deum,quod non habent in memoria nisi ipsum. Quantò enim à carnalibus anima moritur, tantò ad spiritualia consurgit,& quasi reuelata facie gloriam Dei speculantur, atque in eandem transformantur imaginem. Qui enim sic adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo, iacente corpore sine motu & sensu. In hoc quasi in dominico sepulchro,nihil agit sensualitas,sopita est imaginatio,& omnino inferior vis animæ,proprio induatur officio,& facta diuisione inferioris partis à superiori,id est,animæ à spiritu,moritur feliciter,sicut scriptum est: Non videbit me homo & viuet. In hoc enim sabbato delicato,non solùm carnis concupiscentia,sed & memoria consopitur. Huiusmodi autem silentium vix fit in cœlo,id est,in anima spirituali,hora dimidia. Stare enim diu supra semetipsam non potest,quia & si hanc spiritus ad summa euehit,caro tamē corruptionis pondere citò deorsum premit,vt ad semetipsam immensitate luminis reuerberata anima reuocetur,dū ad infinitatis suæ tenebras facta relabitur. Rara enim est hæc hora, & breuis mora. Et idcirco dicit B. Augustinus,quod in vita ista non potest prædictum præceptum impleri,quia in hoc statu non potest homo diu commorari. Gustamus enim,sed non satiamur. Corpus enim quod corrumpitur,aggrauat animam & retrahit, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantē. Hic est igitur modus diligendi Deum,vt ipsum in infinitum diligat homo super omnia propter ipsum. Christum autem secundum quod homo, debemus supra nos & plusquam nos diligere. Plus tamen secundum quod Deus,quàm secundum quod homo est diligendus. In hoc enim attenditur rectus ordo charitatis,vt diligens homo quod est diligendum,nec minus diligat,quod amplius est diligendum, vel plus diligat quod minus,aut minus vel amplius,quod æquè est diligendum. Propterea sponsa in Canticis ait: Introduxit me Rex in cellaria sua,ordinauit in me charitatem. Qui enim vino spiritualis lætitiæ repletur,prædictum ordinem charitatis non prætergredietur. Primò enim diligere debemus,quod est supra nos,id est,Deum,sicut superiùs ostensum est. Secundò,id quod intra nos est,id est,animā propriam. Tertiò,id quod iuxta nos est,id est,proximum. Quartò,id quod infra nos est,id est,corpus nostrum. De dilectione suiipsius non oportuit homini dari mandatum,quia natura ad hoc hos admonet. Sicut enim,teste Apostolo,nemo carnem suam odio habuit,ita nec animā suam. Nam quod scriptum est: Qui diligit iniquitatem,odit animam suā,sic intelligendū est: Ad modum odientis se habet,dum animam suam lædit. Ita & sancti homines,licèt carnem affligant & torqueant,non naturam carnis vel substantiam corporis odiunt,sed pondus & corruptionem, & carnalia desideria persequuntur,& odio habent. Implicitè tamen datur homini præceptum de dilectione suiipsius,vbi dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum . Licèt autem homo naturaliter diligat seipsum,longè excellentior est spiritualis dilectio,quæ est in præcepto. Talis enim est dilectio naturalis ad charitatem,qualis Sol pictus ad Solem in meridie feruentem. In dilectione autem proximorum hic obseruandus est ordo, vt in primo gradu diligamus parentes. Alioquin ingrati essemus & infidelibus deteriores, præsertim cùm speciali mandato teneamur honorare patrem & matrem, vt simus longæui super terram. In secundo gradu tenentur parentes diligere filios,de quibus tamen non datur speciale mandatum,quia natura ad hoc vehementer inducit. Licèt autem affectu interioti & reuerentia exteriori magis teneamur parentes diligere,effectu tamen exteriori fortè tenemur magis filios diligere, & necessaria tam spiritualia quàm temporalia prouidere. Filij enim non thesaurizant parentibus,sed parentes filiis. Post filios magis astricti sumus his, quos natura linea consanguinitatis nobis astrinxit . Qui enim suorum & maximè domesticorum curam non habet,fidem negauit. Nam & si mali sunt cōsanguinei,magis dolere debemus,& maiori affectu tenemur eis velle bonum,quàm alienis. Licèt enim sanctior sit copula spiritualis quàm corporalis, magis tenemur amicis carnalibus. Nam duplici copula eis astringimur,& tam spiritualem copulam quàm alia bona spiritualia magis debemus eis velle quàm alienis. Boni tamen extranei præferendi sunt malis parentibus & consanguineis malis,quia magis approbandi,& bonum eorum magis est diligendum in se. Minus tamen bonum magis debes velle parentibus,quàm extraneis maius. Sicut Linus magis di-

*De perfecta charitate.*

*De excessu cōtemplationis.*

*De ordine charitatis.*

*De ordine diligendi proximos.*

ligit se quàm Petrum, licèt minus bonus sit quàm Petrus. Magis enim tenetur diligere minus bonum sibi, quàm maius alij. Licèt enim bonum Petri maius sit & magis diligendum, id est, dignum diligi, habito tamen respectu ad proprium subiectum, Linus magis sibi diligit minus bonum. Post consanguineos debemus diligere domesticos, & amicos nostros magis quàm inimicos. Magis enim teneor velle bonum amico quàm inimico. Nam detestabilius est odire amicum quàm inimicum. Motus tamen quo diligo inimicum, licèt minus intensus sit illo, quo diligo amicum, elicitur tamen ex charitate cum maiori pugna & difficultate, & quo ad hoc magis commendatur plerunque dilectio inimici quàm amici. Et quia signum est maioris perfectionis diligere inimicos, interiori affectu, & exteriori effectu, dum benè facimus his, qui oderunt nos. Vnde & maius reputatur diligere inimicos, quia melior est status & perfectior diligentis prædicto modo inimicos, vt fiat cõparatio status in diuersis personis, non motus ad motum in eadem persona, quæ maiori & intensiori motu diligit amicum quàm inimicum. Nunc autem alia verba hodiernæ Epistolæ breuiter prosequamur, prout materiæ dignitas & profunditas permiserint. Multiplici enim ratione nos inducit Apostolus ad diligẽdum Deum & proximum. Dilectio enim Dei & proximi sunt alæ, quibus anima excelsa conscendit cœli, de quibus scriptum est: Si sumpsero pennas meas diluculo. Duæ enim pennæ charitatis sunt dilectio Dei & proximi, sine quibus volare non valemus. Tanta est enim virtus charitatis, quod licèt Deus inuisibilis sit, qui lucem habitat inaccessibilem, tamen quasi cõtra naturam videmus eum per charitatem, more tamen viæ, non more patriæ. Ignis enim charitatis aufert rubiginem mentis, vt purgato & mundato corde, Deum valeamus videre. Sicut enim oportet oculum corporalem purgare, vt corporalia videantur, ita purgari oportet oculũ cordis per amorem, vt in anima ab omni sorde mundata, velut in splendido speculo spirituales formæ resultent. Et hoc est quod ait Apostolus: Deum nemo vidit vnquam, eo, scilicet, modo, quo videtur in patria, sicut est in maiestate sua. In hoc enim consistit vita æterna. Magnũ tamen remediũ habemus, si diligimus. Sic enim quoquo modo Deũ videre valemus, & ipsum in nobis manentẽ, ipso experimento sentire & intueri. Et hoc est quod subiũgitur: Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas in nobis perfecta est. Cùm enim incipimus diligere, incipit Deus esse in nobis. Et quoniam charitas non potest esse ociosa, aut enim proficit, aut deficit, crescente dilectione amplius habitat Deus in nobis, & tantum proficimus, vt in charitate perficiamur. Cuius perfectio in duabus principaliter attenditur in satietate & ebrietate. Qui satiatus est, fastidit quælibet cibaria: qui ebrius est, gaudet inter opprobria. Qui igitur omnia oblectamenta mundi fastidit, & inter aduersa gaudens, non deficit, hic perfectam habet charitatem. Cùm enim perfecta charitate Dei & proximi mens fuerit inflammata, & ad plenum excocta & purgata, postquam terrenarum atque cœlestium rerum phantasmata & omnes corporum vmbras ab oculis mentis compescuit, tantò deuotius quantò tranquillius ad ipsius diuinitatis iocundos amplexus anhelat, ita vt nimio desiderio succensa, velamen carnis excedat, factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, & omnibus mutabilibus inter suos amplexus dilecti delicato sabbato delectantur. Et hoc est experimentum perfectæ charitatis in affectu, sicut benefacere inimicis, signum est perfectæ charitatis exterius in effectu. Propterea Apostolus subiungit: In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu sancto dedit nobis, id est, quia dulcedinem & iocunditatem, quæ est à spiritu sancto, nobis tribuit. Nam dulcedo charitatis diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vt igitur certo experimento cognoscere valeamus, si nos in Deo manemus, & ipse in nobis, viscera nostra interrogemus, si gustauimus & vidimus quoniam suauis est Dominus in visceribus nostris. Spiritus enim vbi vult spirat, & eius vocem audis. Vnde & Apostolus in secunda ad Corinthios ait: Ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Iesus Christus in vobis est. Alio autẽ experimẽto ostendit Apostolus in hodierna Epistola, quod nos sumus in Deo, & ipse in nobis, & quod de spiritu sancto dedit nobis, dicens: Et nos vidimus & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi, quasi dicat: Per illuminantem spiritum fide nouimus, & per confortantem spiritum testificamur fidei veritatem, ita quod non hæreticorũ fraudibus, nec persecutorũ tormẽtis, nec carnalium fratrũ exemplis, nec propria fragilitate titubamus, vel à fidei confessione declinamus. Et hoc est signũ perfectæ charitatis in nobis, vt dicere possimus cum Propheta: Veritatẽ tuã non abscõdi in corde meo, labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Vnde & de confessione fidei subiungit: Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Hoc autem de plena & integra confessione intelligitur, quæ corde fit per assensionem, ore per professionem, opere per attestationem. Vt si corde credimus & ore confitemur, opere non negemus. Nam fides dicitur, vt fiant dicta. Propterea Paulus ait: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Oportet enim quod fides operetur per dilectionem. Similiter si ore confitemur, oportet quod corde credamus. Vnde Apostolus ait: Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Sic confitebantur Christum illi exorcistæ Iudæorum, qui licèt non crederẽt, in nomine tamen Christi dæmones expellebant, dicentes: In nomine Domini, quem Paulus prædicat, exi ab eo. Dæmones autem expulsi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, eos verberauerunt. De quibus in Isaia: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Similiter & si credi-

*Expositio literæ, vbi tangitur de Dei visione, & de effectu charitatis.*

*Simile.*

*De experimento perfectæ charitatis.*

*Secundũ experimentum.*

*De cõfessione fidei, quæ procedit ex charitate.*

mus

mus corde, oportet quod confiteamur ore. Nam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vnde & Dominus ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram patre meo. Et in Actibus Apostolorum: Non possumus nõ eloqui quæ audiuimus & vidimus. Hæc est confessio fidei, à qua quidam silent propter timorem, vt Petrus, cùm ait: Non noui hominem. Quidam propter pigritiam, de quibus Isaias ait: Canes muti, non valentes latrare. Alij per ignorantiam, de quibus in Psalmo legitur: Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Alij propter cauteriatam cõscientiam, de quibus scriptum est: Omnis iniquitas oppilabit os suum. Patet igitur ex prædictis, quod ex fidei illuminatione, & charitatis dulcedine, experimento cognoscimus, quod nos in Deo sumus, & Deus in nobis. Vnde & subiungit: Et nos cognouimus & credimus charitati, quam habet Deus in nobis. Cognoscere enim ad illuminationem, credere autem charitati, pertinet ad dulcedinis experientiam. Aliud autem experimentum seu charitatis effectum subiungit, dicens: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ecce singularis laus charitatis, quæ secundum essentiam Deus nuncupatur. Vnde beatus Augustinus ait: Fraterna dilectio, qua diligimus inuicem, non solùm ex Deo est, sed Deus est. Et rursum ait: Qui diligit proximum, consequens est vt ipsam dilectionem diligat. Deus autẽ dilectio est. Consequẽs est ergo, vt Deum præcipuè diligat. Ecce summa charitatis præeminentia. Cùm enim fides & spes, & exteræ virtutes, habitus sint animarum, ex quibus motus eliciuntur. Hoc priuilegiũ contulit Deus dilectioni, vt immediatè absq; vllo habitu Deus incitet nos, & faciat diligere. Si tamẽ aliquibus videatur, quod prima bonitas, mediãte charitatis habitu, inflammet animũ & mouet ad diligendũ, sic tamen illo habitu diligere dicitur homo, sicut dicitur, quod medicina purgat humorem noxium, cùm hoc principaliter fiat ex virtute scammoniæ. Ita prima & principalis causa diligendi est ipse Deus, qui est in anima diligentis. Et ob hoc Ioannes ait: Deus charitas est. Charitas enim multiplici priuilegio præeminet aliis virtutibus, secundum essentiam, sicut prædictum est: Deus charitas est, & propter singularitatem. Ipsa est enim fons proprius, cui non communicat alienus. In fide enim possunt nobiscum communicare, qui alieni sunt à Deo, sicut scriptum est: Et credunt dæmones, & contremiscunt. Similiter in patientia, & persecutionum sustinentia. Multi enim hæretici mortem leguntur sustinuisse pro erroris sui defensione. Similiter & in castitate, & eleëmosynarum largitione, & aliis consimilibus, nobiscum possunt aliter participare, quia virtutes inferiores possunt habere, sed non in charitate, quæ non potest esse informis, cùm sit formę dator, & perfectio aliarum virtutum. Tertium charitatis priuilegium est permanentia. Charitas enim nunquã excidet: fides autem & spes euacuabuntur. Fidei enim succedet cognitio, spei autem eius boni, quod expectauit possessio. In charitate autem euacuabitur, quod ex parte est. Ipsa autem in se non extolletur, sed magis perficietur. Quartum charitatis priuilegium est ipsius efficatia. Ipsa est enim finis præcepti, sicut Apostolus ad Timotheum ait. Finis, scilicet, complerionis & consummationis. Omnia enim præcepta per charitatem implentur, quia plenitudo legis est dilectio. Ipsa etiã finis dicitur, quia in fine quies est, & ipsa facit nos quiescere in Deo. Ipsa etiam omnes virtutes complet & informat, & reddit speciosas, ac Deo placentes. Si enim habuerimus fidem, ita vt montes transferamus, absque charitate nihil prodesset vel Deo placeret. Nisi enim fides in prima veritate delectetur, vt ipsam diligat, nũ sufficit ad salutem, quantacunque cognitio, absque dilectionis delectatione. Nec etiam potest esse vera cognitio sine charitate. Vnde in Ezech. dicitur: Mensus est latitudinem ædificij calamo vno, altitudinẽ quoque calamo vno. Teste enim beato Gregorio: Vnaquæq; anima quantùm dilatatur in amore, tantùm exaltatur in cognitione. Latitudo pertinet ad dilectionem: altitudo verò ad cognitionem. Omnis ergo moneta in foro Dei reprobatur, nisi auro charitatis decoretur & deauretur. Quinta charitatis præeminentia est ipsius amplitudo. Lata enim est, vt Oceanus, dilectio, quæ omnes in sinu suo recipit. Neminem à benignitate sua excludit, tam ad amicos quam ad inimicos se extendit, sicut scriptum est: Latum mandatum tuum nimis. Ipsa enim non quærit quæ sua sunt. Quæ enim communia sunt, optima sunt. Vnde animum quem afficit, efficit non sibi, sed toti genitum credere mundo. Ipsa enim non est ociosa vel solitaria, quia alia est in cœlo, alia in proximo, alia in vtroque. Hinc Tobias ait: Plateæ Hierusalem sternentur auro mundo. In plateis designatur latitudo, à quibus nullus excluditur. In auro autem mundo, puritas sanctæ dilectionis ostenditur. Teste enim Apostolo: Charitas est dilectio procedẽs ex corde puro, quantum ad Deum: & conscientia bona, quantum ad seipsum: & fide non ficta, quantum ad proximum. Sextum charitatis priuilegiũ est ipsius fortitudo, quia fortis est, vt mors dilectio. Vnde beatus Augustinus ait: Nihil fortius animo habenti charitatem, præter illum, qui dedit charitatem. Domus enim quæ per charitatem fundata est supra firmã petram, pluuia, ventis & fluctibus impletur, sed non obruitur. Et beatus Antonius: Vnica est ratio vincendi inimicum, scilicet lætitia spiritualis. Charitas enim quæ radix est omnium virtutum, more radicis, calore Solis, id est, æstu tribulationis nutritur, non arescit. Ipsa enim, teste beato Augustino, est dulce & salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tempestate tutissima, in hospitalitate serenissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Patet ergo quod charitas, quantum in se, est inuincibilis. Nunquam enim deserit, nisi deseratur. Vnde

*Quid sit charitas, & quid operetur in nobis.*

*De multiplici præeminentia charitatis. Primum priuilegium. Secundum.*

*Tertium.*

*Quartum.*

*Quintum.*

*Sextum.*

Boëtius

Septimum.

Boëtius ait: Talia tibi arma contuleramus, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te fraternitate tuerentur. Vnde habenti charitatem dicit diabolus: Incuruare vt transeamus. Septimum est charitatis priuilegium, quod ipsa facit animam Dei templum seu domum, & ipsum Deum efficit animæ hominis tabernaculum. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In quo secretissimè habitamus tanquam in vmbraculo diei ab æstu, & est nobis in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia, sicut dicit Isaias. Hoc enim tabernaculum confert nobis refrigerium contra æstus tentationum, & præstat securitatem, vt non frangamur turbine aduersitatis, nec inaniter attollamur pluuia blandientis prosperitatis. Habitat Deus nobiscum tanquam hortulanus in horto, radices malas extirpans, & virtutum plantas inserens. Habitat in nobis tanquam summus Sacerdos in templo, ipsum sanctificando, sicut scriptum est: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Habitat in nobis tanquam Princeps potentissimus in tentorio, in nobis & per nos hostes expugnando. Habitat in nobis tanquam dominus in domo, omnem familiam membrorum & sensuum regens & disponens. Dicit enim vni: Vade, & vadit: alij veni & venit. Habitat in nobis tanquam rectissimus Iudex in consistorio, dum per ipsum nosmetipsos accusamus & iudicamus, ne tandem ab ipso diiudicemur. Habitat in nobis tanquam Magister doctissimus in scholis, instruendo nos, & flagellis atq; verberibus castigando. Habitat in nobis tanquam paterfamiliâs liberalissimus in cœnaculo, dum nos copiosè refocit, dispensans vnicuique prout opus habet. Habitat in nobis tanquã familiaris amicus, in thalamo secreta sua nobis reuelando. Habitat in nobis tanquam amantissimus sponsus in lecto, brachiis charitatis nos amplectens, & filios spirituales in nobis generans. Habitat in nobis tanquam Rex munificus in Palatio, thesauros diuitiarum suarum & præeminentiam dignitatis suæ nobis ostendendo. Habitat in nobis tanquam hospes curialis in hospitio, omnes expensas persoluens, & hospitem suum manu largitatis remunerans. Mundat hospitium ne sordeat, sustentat ne corruat, illuminat ne sit tenebrosum, lætificat vt iocundum habeat habitaculum, pacificat ne sit tumultuosum. Qui igitur manet in charitate modis prædictis, in Deo manet, qui cõtinet & qui cõtinetur. Habitas in Deo, sed vt cõtinearis: habitat in te Deus, sed vt contineat ne cadas. Habitas in Deo fide, spe, & charitate, illi adhærendo, sicut scriptum est: Mihi autem adhærere Deo, bonum est. Adhæret fides primæ & summæ veritati: adhæret spes primæ & summæ potestati: adhæret charitas primæ & summæ bonitati. Manet Deus in te prima & summa veritate, fidem illuminans: prima & summa potestate, spem confortans: summa & prima bonitate, charitatem accendens.

Octauum.

De multiplici timore.

Octauum est charitatis priuilegium, quod subiungit Apostolus, vbi ait: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Timor humanus, quo aliquis delinquit excedendo modum, in timendo pelli suæ, non est ex charitate, nec est à Deo, sed magis cõtra Deum, qui ait: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Similiter timor mundanus, quo aliquis delinquit excedendo modum in timendo, ne damnum temporale incurrat, nec est in charitate, nec est à Deo, sed contra, qui præcipit se amari supra omnia. Hoc præceptũ transgreditur, qui Deum offendit, illi temporalia præferendo. Vnde in Prouerbiis dicitur: Si dederit homo omnem substantiam domus suę pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, quia pro dilectione Dei retinenda, despicienda sunt omnia temporalia. Omnis enim substantia mundi, dilectioni Dei non potest comparari. Timor etiam seruilis, quo aliquis abstinet à malo, vel facit bonum, habito tamen respectu ad pœnam æternã, non est in charitate. In hac enim affectione homo timet peccatum, sed non amat iustitiam. Teste autem beato Gregorio, cùm pœna timetur & amissa Dei facies non amatur, timor est ex more, non ex pietate, id est, cum timore obedientiæ & superbiæ, dum ceruicem suam iugo amoris Christi inclinare recusat. Talis enim timor cohibet manum non animum. Viuit enim intus peccandi voluntas, & peccaret exterius in opere, si speraretur impunitas. Hæc enim voluntas conditionalis est. Vellet enim peccare si auderet. Talis enim, teste beato Augustino, præsentiam Iudicis & pœnam metuit, & timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi æternum bonum quod non amat. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Talis timor non est ex charitate, sed tamen est à spiritu sancto. Vnde Apostolus: Non accepistis iterum spiritum seruitutis in timore. Iudæi enim hunc timorem acceperunt, qui præparatorius est ad amorem, sicut datur præparatiua potio ante medicinam. Licèt enim non sit meritorius, est tamen vtilis & bonus, ad modum vinculi, quo ligatur phreneticus, sicut carcer, in quo clauditur gyrouagus, vt de inuito aliquando fiat voluntarius. Necessarius est igitur timor seruilis, quia generat in homine suiipsius discussionem, discussio cognitionem, cognitio pœnitentiam & dolorem, dolor confessionem, confessio emendationem, emendatio purgationem, purgatio puritatem & perfectam charitatem. Timere autem seruiliter, id est, timere & non amare, nõ est simpliciter bonum, si potest dici partim bonum, partim malum. Si tamen sic intelligatur, timere seruiliter, id est, timere sine amore, hoc bonum est, & præparatorium ad amorem & sapientiam. Iuxta illud: Principium sapientiæ timor Domini. Omnes prædictos timores quantulacunq; charitas excludit. Est autem quartum genus timoris, qui est à Deo & cum Deo, scilicet, timor initialis. Tam istũ, quàm omnes prædictos timores excludit charitas perfecta. Hic autem timor duos habet oculos, vnum ad Deum, quo timemus ne Deum offendamus, vel ab eo separemur. Alium quo timemus pœnas gehennæ. Et ita medius est inter

Rom. 8.

Quod perfecta charitas foras mittit timorem.

timorem

timorem seruilem, quo pœna gehennæ timetur, & timorem filialem, quo tantũ timet, qui perfectam habet charitatem, Dei offensam vel separationem à Deo. Et quia charitas mouet & incitat initialem timorem, principaliter habet respectum ad Deum ne separetur. Secundario ad pœnas ne torqueatur. Ibi enim est mixta cum pauore dilectio. Ita enim timet pœnã quod amat iustitiam. Quantò autem charitas magis crescit, tantò timor initialis magis decrescit, quantum ad pœnam & conscientiæ anxietatem. Adueniente autem charitate perfecta, omnis anxietas & pœnæ timor euacuatur. Qui enim perfectè diligit, perfectè sperat & confidit, habens mortem in desiderio, & vitam in patientia. Vnde desiderat sponsi aduentum, & timet eius recessum. Ad pœnam autem nullum habet timoris respectum. In hoc statu sancti Martyres cum omni securitate & gaudio mortem sustinuerunt pro Christo. Vnde in hodierna Epistola Ioannes ait: In hoc est perfecta charitas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, scilicet, absque timore, & cum desiderio & securitate aduentum sponsi expectantes. Et hoc facit perfecta charitas. Vnde ipse ait: Sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Per hoc enim habemus fiduciam & securitatem, quia imitamur eius perfectionem in mundo diligendo inimicos, sicut ille pluit super iustos & iniustos. Sicut autem perfecta charitas in diligendo Deum non habet respectum ad aliquod aliud præmium, sed tantùm diligit Deum propter Deum, licèt non sit priuanda præmio: ita perfectus timor in timendo, non habet respectum nisi ad Deum, quem timet offendere, non habito respectu ad aliquam pœnam, nisi quod separetur à Deo. Solus enim amor ipsum sollicitat, nec tamen si offenderit, priuandus esset à pœna. Vnde cauet ne offendat, & per consequens, cauet ne pœnam æternã incurrat: vnde tantùm timore cautelæ timet pœnam absq; vlla anxietate. Sicut qui marina pericula attẽdit, cùm iam sit in firmo littore, nec aliquo modo vult se mari exponere, timet pericula maris cum securitate absque vlla mentis anxietate. Et de hoc timore dicit beatus Hieronymus: Prudẽter timetur, quicquid potest accidere. Et Salomon ait: Beatus homo qui semper est pauidus, qui tamen pauor non est pungitiuus in charitate perfecta, nec habet pœnam. Initialis autem timor, pœnam habet conscientiæ remordentis, quia nondum plenè purgatio facta est, nec plenè confidit se habere charitatem, nec adhuc habet mortem in desiderio, nec diem iudicij securus expectat. Quantò autem incipit magis in amore Dei proficere & iocundari interius, tantò magis minus anxiari incipit ex cõscientia remordente. Postquam autem ad perfectam charitatem peruenit, euacuatur timor quantum ad pœnam, sed non quantum ad essentiam. Quantò autem magis crescit in charitate, tantò magis proficit in timore filiali. Dum enim perfectam facit iustitiam, non habet vnde pœnam timeat, sed sponsum desiderat. Adultera timet sponsum ne recedat, cuius præsentiam desiderat. Hic est timor sanctus, qui permanet in seculum seculi, sanctus, scilicet, quantum ad vsum reuerentiæ, non quantum ad vsum, quo timet separari vel offendere: quę est mixta cum subiectione dilectio, dum omnia ab altitudine Dei in propriam resilit paruitatem. Patet igitur ex prædictis, quod perfecta charitas foras mittit tam timorem seruilem quàm initialem. Ferrum enim durum est timor seruilis, sed tamen dura, sed tamẽ pungitiua est timor initialis. Adueniente autem filo molli & suaui perfectæ charitatis, non solùm ferrũ eiicitur, sed & seta egreditur. Timorem autem filialem secum sustinet perfecta charitas, & insuper timorem naturalem, qui licèt nõ sit ex charitate, est tamen cum charitate. Hoc autem timore timet homo nocumentum, id est, nocium naturæ suæ ante deliberationem rationis: hoc timore cœpit Iesus pauere & tædere. Non enim vitiosus est talis timor, cùm non subsit rationi. De quo dictum est Petro: Alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc etiam timore timent perfecti, id est, abhorrent pœnas æternas, quando cogitant de ipsis, & imaginantur eas, sicut aliquis existens in terra, abhorret mare. Est insuper tertius timor, qui est in charitate perfecta. Nam perfecti timent pœnam Purgatorij propter dilationem visionis Christi, eò quòd per eam ad tempus ab æterna gloria separentur. Peccatum enim veniale infert pœnam, differt gloriam, & minuit feruorem, ac mentis puritatem. Perfecta enim charitas, licèt semper proficiat quantum ad intensionem aut temporis cõtinuationem, potest tamen minui, quantum ad feruorem & exteriorem operationem, ipsa tamen remanente in sua perfectione. Quemadmodum si luto aspergatur aurum, adeò sicut priùs est pretiosum, sed tamen in thesauris Regis non reponitur quousque à luto purgetur. Ita & perfecta charitas, si venialibus fuerit respersa, in thesauris summi Regis nõ reponitur, quousque fuerit in Purgatorio excocta & purificata. Et idcirco singuli quique perfecti, licèt pœnam gehennæ non timeant, pœnam tamen Purgatorij inquantum dilatoria est, à præsentia dilecti formidant. Nonum charismatis priuilegium est, quod Apostolus ponit in fine hodiernæ Epistolæ, scilicet, quod sese necessario cõcomitantur dilectio Dei, & dilectio proximi, nec vnum ab altero potest separari. Vnde ait: Si quis dixerit quià diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suũ, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Reuera Deum non videt, qui extinctum habet mentis oculum per fraternum odium. Non enim Deum videre possumus, nisi purgatum per dilectionem habeamus oculum. Præterea si diligimus Deum Patrem, diligimus Deum Filium à Patre genitum. Qui autem Filiũ diligit, necesse est vt membra illius diligat, alioquin non diligeret totum Christum. Cùm autem Christus Deus sit & homo, quomodo totum Christum diligit, qui hominem odit? Quomodo Deum diligimus, si filios eius non amamus? Quomodo diligimus Regem, si contemnimus eius legem? Quomodo

*Similè.*

*Similè.*

*De peccatis venialibus.*

*Similè.*

*Nonum. Quod se necessariò comitentur, dilectio Dei & proximi.*

Deum

Deum diligimus, si mandatum eius spernimus, qui ait: Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem. Propterea Apostolus hodiernam Epistolam sic concludit: Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Qui igitur diligit Deum, non potest odisse fratrem, quem Deus diligit, & vt diligatur, præcipit. Patet ergo quod qui non diligit proximum, non potest diligere Deum. Non quia dilectio proximi sit causa dilectionis Dei, sed magis ecõuerso. Dilectio autẽ proximi, est nutrimentũ dilectionis Dei. Eam enim magis accendit per opera charitas, quæ proximo exhibentur, & absq; hoc nutrimento extinguitur. Si igitur diligimus Deum, necesse est vt diligamus proximum. Similiter si diligimus proximum, diligamus Deum. Non enim potest non diligere Christum, qui membra ipsius diligit. Et teste beato Augustino: Qui diligit fratrem, diligit ipsam dilectionem, quæ est Deus. Et ita diligendo proximum, diligimus ipsum Deum. Nam & Deus diligitur in proximo, & proximus in Deo, vel propter Deum. Nos igitur fratres diligamus Deum, diligamus & proximum. Si enim donabilis est amor, nullus eo dignius est vt Deus: si venalis, nullus carius emit, quàm qui præ minio zelo mortuus est pro nobis. Si precium exigitur, nulla merces æternæ retributioni cõparatur. Si nec sic diligere volumus, ipse Deus quasi violenter & velut euaginato gladio exigit, vt diligatur à nobis, mortem nobis cõminando, nisi amauerimus ipsum. Quomodo igitur euademus? quomodo amorem amori negabimus? Deus amor est, Deus ignis est. Sicut ignis accendit & attrahit alium ignem, ita amor amorem. Vt igitur in nobis accendatur ignis, achibeatur cordibus nostris ignis Dei. Pensemus quantum nos dilexit, & ad diligendum incitauit, qui mortuus est pro nobis. Ipse enim velut aquila, nos ad volandũ alis charitatis prouocauit, quasi super nos volitans, & alas suas in cruce expandens Dominus noster Iesus Christus. Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Simile.*

*Simile.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Luc. 16.*

*Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendidè.*

*Act. 11. De tribus generibus animalium.*

LEGIMVS in actibus Apostolorum, quod Dominus ostendit Petro tria genera animãlium, scilicet, quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, & dictum est ei: Surge Petre, occide & manduca. Per quadrupedia intelligimus auaros, terrenis adhærentes, qui oculos suos more brutorum statuerũt declinare in terram. Qui quatuor mentis affectionibus, quasi quatuor pedibus terram perambulant, per affectum spei seu cupiditatis temporalibus acquirendis inhiantes: lætantes inaniter de acquisitis per affectum vani gaudij cum metu & anxietate, acquisita possidentes, & per affectum timoris relinquendo ea cum mœrore & tristitia, per affectum doloris. Per reptilia terræ intelligimus homines serpentinos, lubricos per luxuriam, venenosos per odium & inuidiam, tortuosos per tergiuersationes & dolos. Per volatilia cœli, intelliguntur homines superbi & elati, qui seculari potentia & diuitiarũ abundantia, quasi duabus alis inaniter attolluntur. Prædicta autem genera hominum peccatorũ, gladio verbi Dei occidi præcipiuntur, vt mortui mundo, Deo viuant. Mactanda enim sunt & immolanda Deo, sanguine peccatorum effuso. Manducari iubentur, vt in eorum conuersione Prælati delectentur, & per eos in corpus Ecclesię traducti, Christo incorporentur per fidem. Vnde & in lintheo panno, id est, in blanda fidei quiete ostensa sunt Petro. De hac occisione in Threnis Ieremias ait: Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame. Melior est occisis gladio spiritus, quod est verbum Dei, quàm interfectis fame, id est, penuria eiusdem verbi. Hi enim occiduntur vt viuant, illi interficiuntur vt pereant. Gladio enim verbi Dei mors perimitur, vt vita sequatur. Peste famis perdimus vitam, & incurrimus mortem. Orate igitur fratres, Dominum, vt ipse qui percutit & sanat, mortificat & viuificat gladio verbi sui, ita vos hodie dignetur occidere, vt mortui vanitati, viuatis veritati: mortui peccato, viuatis Christo.

*Eccles. 18. Debemus meminisse paupertatis in tempore abundantiæ. Eccles. 11.*

Homo quidam erat dives, &c. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum. Verba sunt Ecclesiastici, quibus nos admonet, vt in diebus bonorum non simus immemores malorum, sed recordemur paupertatis & miseriæ futuræ post hanc vitam, & faciamus, dum valemus, amicos de mammona iniquitatis, qui nos in æterna tabernacula recipiant, ne fortè aliquando velimus & nõ valeamus. Vnde idem Ecclesiasticus ait: Ne dicas sufficiens sum, & quid ex hoc pessimabor? id est, quid mali amodò sustinebo. Similiter cogitare debemus necessitatem pauperum in die diuitiarum. Quid enim fecit dives iste reprobus, de quo in hodierno Euangelio valde terribiliter loquitur Dominus. Qui cùm epulabatur quotidie splendidè, non cogitabat satiatus de famelicis, dives de pauperibus, sanus de infirmis, delicatus de afflictis. Sed quotidie festum carnis celebrabat, cùm tamen tota vita præsens quasi vigilia sit magnæ solennitatis futuræ post hanc vitam, in qua vigilare debemus & ieiunare, atque animas nostras affligere, quia non est transitus de deliciis ad delicias, sed per multas tribulationes & afflictiones oportet nos intrare in regnum cœlorum. Hic igitur dives nobis proponitur in exemplũ ad timorẽ, vt lauemus manus nostras in sanguine peccatoris, sicut pauper Lazarus

*Act. 14. De exemplis imitationis in bonis, et terrore in malis.*

Lazarus nobis proponitur in exemplũ ad imitationẽ, vt de paupertate ad diuitias, de afflictione ad delicias, de fame ad satietatẽ, de labore ad requiẽ, cum ipso trãsire satagamus. Non solũ enim bonorum actiones ad imitandum commemorantur, sed insuper tormenta reproborum narrantur, vt quos ad bonum non prouocant exempla iustorum, saltem terreant supplicia damnatorum. Horum igitur exemplis in hodierno Euangelio multipliciter instruimur à Domino, scilicet, de diuitiis & paupertate, de superbia & humilitate, de gastrimargia & sobrietate, de auaritia & largitate, de prosperitate mundana & aduersitate transitoria, de requie iustorum, de tormentis & sera pœnitẽtia reproborum. In multis siquidem ostenditur reprehensibilis dives iste. Gulosus erat. Epulabatur enim quotidie splendidè. Vanus erat, indutus purpura ad ostentationem. Delicatus & mollis erat, indutus bysso interius propter suauitatem. Byssus enim genus est lini candidissimi & mollissimi. In purpura igitur color ostentationis & pretium superfluitatis, in byssо autem mollities reprehenditur. Absque pietate & compassione erat, quia de Lazaro famelico nõ curabat. Iniquam familiã & impios ministros sibi similes habebat, quia petebat Lazarus micas, & nemo de familia illi dabat, nec enim à vulneribus Lazari canes amouere curabat. Linguosus fuerat & verbosus inter epulas. Vnde & post mortẽ cruciabatur in lingua, quia per quæ peccat homo, per hæc torquetur. Auarus fuerat ardore cupiditatis sitiens diuitias: vnde & siti cruciabatur in flamma, vt pœna responderet culpæ. Non solùm enim rapacitas, sed & tenacitas à Domino condemnatur. De diuitiis autem non legitur fuisse reprehensus. Diuitiæ enim si iustè acquirantur & benè dispensentur, nec cum tenacitate vel elatione possideantur, suis possessoribus non obsunt, sed prosunt, vt peccata sua redimant eleëmosynis. Redemptio enim animæ viri propriæ diuitiæ, dum non reseruantur in malum domini sui. Propterea Seneca ait: Infirmi animi est, non posse pati diuitias. Scio, inquit Apostolus, abundare, & scio penuriam pati. Neque minoris virtutis est scire abundare, vt in abundantia paupertas spiritus retineatur, quàm scire penuriam pati, vt in egestate patientia non deseratur. Magnus est (inquit Philosophus) qui sic vtitur fictilibus quemadmodum argento, nec minor est ille, qui sic vtitur argento, quemadmodum fictilibus, id est, qui non gloriatur in argento, sicut non gloriaretur in fictilibus. Non minor est eo cui sua sufficit paupertas, ita contentus fictilibus, sicut alij argento. Sed quoniam, teste diuo Augustino, vermis diuitiarum superbia est, difficile est, vt non sit superbus, qui dives est: Tolle superbiam, diuitiæ non nocebunt. Hæc sunt verba diui Augustini, quasi dicat: sicut ex pinguedine & superfluitate nascitur vermis, ita ex diuitiis superbia, sicut scriptum est: Prodiit ex adipe iniquitas eorum. Vnde Apostolus ait: Diuitibus huius seculi præcipe non sublimè sapere. Et in Ecclesiastico dicitur: Domus quæ nummis locuples est, annullabitur superbia. Et in libro Sapientiæ dicitur: Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Non conqueritur de diuitiarum substãtia, quibus benè vti possimus, sed de diuitiarum iactantia. Valde autem difficile est diuitiis affluere, & in illis cor non apponere. Vnde in Euãgelio Dominus ait: Quàm difficilè, qui diuitias habent, intrabunt in regnum Dei: & subiungit: Facilius est per foramẽ acus camelum transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. De his diuitibus intelligit, qui in diuitiis confidunt, & eas ardenter diligunt. Vnde in Marco sic habetur: Quàm difficile est cõfidentem in pecuniis, introire in regnum Dei. Camelus autem, id est, dives, deposito gibbo, id est, superbia diuitiarũ, & tortuositate declinandi animum ad trãsitoria per angustam & arctam viam, & angustias passionum Christi, potest intrare in regnum cœlorum. Qui autem diuitias nimis diligunt, si tales permãserint, in regnum cœlorum intrare non possunt. Locus enim vitij occasionaliter est in diuitiis, locus autem humilitatis paupertas, locus virtutum humilitas. Propterea paupertas in diuinis scripturis frequenter commendatur, & diuitibus Dominus terribiliter comminatur, dicens: Væ vobis diuitibus, qui hîc habetis cõsolationem vestrã. Econtrariò de pauperibus ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non solùm ad habendum, sed ad cõmunicandum aliis, quibus datum, recipiant benefactores suos in æterna tabernacula. Item de diuitibus dicitur: Diuites eguerunt & esurierunt, quia auarus non implebitur pecunia. De pauperibus autem dicitur: Pauperes eius saturabuntur panibus. Hi sunt pauperes spiritu, qui omnibus possessionibus abrenunciãt in se deficientes, & se abiectos & viles reputantes, vt dicere possint cum Propheta: In deficiendo ex me spiritum meum, id est, dum paruus sum in oculis meis, tu cognouisti approbando semitas meas. Et iterum: Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Hi igitur tanquam nihil habentes, omnia possident, dum possessorem omnium habent, vt dicere possint: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Cui enim Deus adest, nihil abest. Cui Christus sufficit, nihil ei deficit. Vnde voce prophetica confidenter clamant ad Dominum: Inclina aurem tuam, & exaudi me. Quis autem auderet dicere: Miserere mei Deus, adiuua me, quia dives sum, cùm enim scriptũ sit: Parcet pauperi & inopi, & animas pauperũ saluas faciet. Econtrà de diuitibus dicitur: Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo obtinuerũt diuitias. Deus autẽ esurientes impleuit bonis spiritualibus, & diuites dimittet inanes. Patet igitur quod diuitias expauescunt sancti, non propter ipsas, sed propter adiuncta pericula, & propter multiplicem morbum concomitantem illas. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Si dives fueris, non eris immunis à peccato. Valde enim difficile est diuitias sine peccato possidere. Et Iob ait: Nunquid potetit comedi insulsum quod non est sale conditum? id est, diuitiæ, in quibus non est salutis condimen-

*In præsentî Euangelio instruimur multifariã de vitiis & virtutibus Lazari & diuitis.*

*Simile.*

*Quod ex diuitiis naturaliter nascitur superbia. Eccles. 22. Sap. 5.*

*Quam periculosum sit diuitias possidere, & inde multa mala prouenium.*

*De pauperibus & diuitibus. Matth. 5.*

*Iob 6.*

condimentum, sed potius mortis detrimẽtum. Et per Zachariam Dominus ait: Ira magna ego iraſcar ſuper Gentes opulentas. Ideo Apoſtolus tanquam ſtercora reputabat eas. Sancti autem potius ab his ſtercoribus exire voluerunt, quàm in eis commorari & delectari. Quod attendens Philoſophus cùm omnem ſubſtantiam ſuam in mare proieciſſet, ait: Ite in profundũ peſſimæ diuitiæ, ſubmergã vos, ne ſubmergar à vobis. Vnde & Dominus his quos diligit, plerunque diuitias ſubtrahit: ſicut mater cultello ſubtrahit filio ne lædatur ex eo. Sicut enim cibus paruulis ſubtrahitur, quando ab ipſis conculcatur, ſic Dominus diuitias ſubtrahit quos diligit, ne fortè illis abutantur. Quemadmodum illi, de quibus ait Iudas in Epiſtola canonica: Olim proſcripti ſunt in iudicio impij, Dei noſtri gratiam in luxuriam transferentes, id eſt, gratuitis donis in ſuperfluitate abutẽtes. Sicut enim fluxus ſanguinis ex ſuperfluitate, ita iniquitas procedit ex diuitiarum adipe. Vnde ſicut dicitur in Geneſi Dominus congregationes aquarũ appellauit maria. Congregationes enim diuitiarum & carnalium voluptatũ ad amaritudinem æternam miſerabiliter pertrahunt. In diuitiis autem ſeptem incommoda principaliter attẽduntur. Faciunt enim ſuperbum, auarum, anxium, & ſollicitum, luxurioſum, Dei obliuionem adducunt, fallaces ſunt, & diu permanere non poſſunt. Diuitiæ faciunt ſuperbum. Vnde Abacuc: Væ qui congregat auaritiam in malum domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, id eſt, requieſcat in elatione ſuperbiæ, & liberari ſe putat de manu mali, vt, ſcilicet, mala æterna ipſum non apprehendant, cùm tamen in Prouerbiis Salomonis dicat: Proſperitas ſtultorum perdet illos. Diuitiæ faciunt auarum. Quia, *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

Iguis enim auaritiæ, teſte Salomone, nunquam dicit ſufficit, ſed ſemper auarus eget. Vnde in Prouerbiis Salomõ ait: Sapiens ſibi videtur diues, pauper autem ſapiens ſcrutabitur eum, quia bona tranſitoria extrinſecus paruipendens interiorem eius inopiam ſpiritualibus oculis inueſtigat. Diuitiæ faciunt anxium & ſollicitum, pungentes velut ſpinæ, & grauantes corda hominum curis huius ſeculi. Vnde Pſalmus: Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium, id eſt, vanas & tranſitorias diuitias, quæ mentem deprimunt, & confundunt. Vnde Ieremias: Congrega de terra confuſionem tuam, quæ habitas in obſidione. De terrenis enim congregant confuſionem ſuam, qui terrena ſapiunt & diuitias diuitiis accumulant. Habitãtes in obſidione, id eſt, in mundo, qui vndique ab inimicis obſidetur, non tanquam peregrini tranſeundo, ſed tanquam hæreditati illi adhærendo. Et iterum Dominus per Ieremiam: Ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo ei aquam felis. Abſynthium amaritudo eſt ex terra: fel amaritudo eſt ex carne. Cibatur ergo homo abſynthio & felle, id eſt, amaritudinem contrahit ex temporalium delectatione, & carnali delectatione. Patet ergo quanta ſit amaritudo in diuitiis, quæ in vita poſſeſſorem ſuum affligunt, in morte relinquunt, poſt mortem à regno excludũt. Diuitiæ enim ſunt quaſi ſpinæ. Sicut autem qui faſciculum ſpinarum amplectitur & aſtringit, ſic qui diuitias mente complectitur, quantò magis illas ſibi aſtringit, tantò grauius pungitur & magis læditur. Stulti autem dum eſſe ſub his ſentibus delicias reputant, veris & intimis punctionibus lacerantur, dum falſis & breuibus delectationibus illuduntur. Spinæ enim in pede, diuitiæ in affectu & ſollicitudine huius vitæ. Hæ ſunt ſpinæ multos habentes aculeos. Pungunt enim in preſenti per ſollicitudinem & timorem. Caim enim, id eſt, poſſeſsio, tremorẽ capitis habuit, quia terrenæ poſſeſsioni ſemper comunis eſt trepidatio mentis. Pungent in iudicio per improperationem quando dicetur: Eſurriui, & non dediſtis mihi manducare. Pungent in inferno per pœnam æternam. Hæ ſunt enim ſpinæ pungentes, ſuffocantes, & ignem gehennæ accendentes. Teſte enim Beda: Voluptates & diuitiæ ſuis oportunis cogitationibus obſtruunt guttur mentis, ne bonum deſiderium ad cor poſsit intrare, & quaſi aditum vitalis flatus ſtrangulant, atque anhelitum animæ nimiis curis ſuffocant. Hæ ſpinæ, quaſi tribus aculeis pungunt, dum labore acquiruntur, timore poſſidentur, dolore amittuntur. Tripliciter autem animam vulnerant & occidunt, dum iniuſtè acquirũntur, auarè detinentur, ſuperfluè expenduntur. Diuitiæ faciunt luxurioſum. Vnde Ezechiel: Ventus Auſter cõtriuit te, id eſt, proſperitas corrupit. Ab augẽdo enim dicitur Auſter, per quem affluentia diuitiarum intelligitur, quæ multos corrumpit & reuocat à via veritatis. Non habet vnde ſuum paupertas paſcat amorem. Diuitiis alitur luxurioſus amor. Vnde in Ieremia dicitur, quod lumbare putrefactum eſt iuxta Euſraten, quæ frugifer interpretatur. Abundantia enim temporalium caſtitatis lumbare corrumpit. Diuitiæ Dei obliuionem adducunt. Manaſſes enim qui obliuio interpretatur, frater eſt Effraim, id eſt, fructificationis. Obliuio enim Dei abundantiam diuitiarum comitatur. Vnde per Ieremiam ait Dominus: Saturaui eos & mœchati ſunt, & obliti ſunt mei. Et de pincerna Pharaonis dicitur, quod ſuccedentibus proſperis, oblitus eſt interpretis ſui. Vnde in Iob dicitur: Operuit faciem eius craſſitudo. Quia diuitiarum abundantia mentis oculum excæcat, & velut nubes Solis aſpectum impediens, Dei cognitionem auertit. Diuitiæ fallaces ſunt & mendaces. Vnde Oſee ait: Comediſti frugem mendacij, id eſt, fallaces diuitias, quæ iocunditatem promittunt & anxietatem afferunt. Vnde Seneca: Diuitiæ & honores, quas ſic appetis tanquam daturas lætitiam, cauſæ ſunt dolorum. Et Matthæus ait: Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum, & non facit fructum. Fallaces enim ſunt, quia promittunt copiam & inferunt inopiam, & ſitim animi non extinguunt. Vnde Zacharias ait: Simulachra locuta ſunt inutile, & diuini viderunt mendaciũ, & ſomniatores vana locuti ſunt. Auaritia enim

*Similе.*

*Similе.*

*De ſeptem incommodis diuitiarum. Primum. Secundum.*

*Verſus.*

*Tertium.*

*Ierem. 10.*

*Similе.*

quæ

quæ est idolorum seruitus suggerit congregare diuitias, vt tollatur sitis, sed magis inde crescit. Diuini autem dicuntur auari diuites, qui sibi longam vitam & bonorum copiam mendaciter promittũt, sicut ille qui dicebat: Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos. Cui responsum est: Stulte, hac nocte repetent animã tuam à te. Hi igitur somniatores seipsos decipiunt, & vana sibi promittunt. Diuitiæ transitoriæ sunt & diu permanere non possunt. Vnde Apostolus: Diuitibus huius seculi præcipe non sperare in incerto diuitiarum. Et in libro Sapientiæ: Transierunt hæc omnia tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens dominum suum, qui, scilicet, quod futurum est, nuntiat. Sic temporalis abundantia, inopiam & dolorẽ futurum denuntiat, quia extrema gaudij luctus occupat. Vnde Naum ait: Flos Libani emarcuit. Candor enim mundanæ prosperitatis citò euanescit. Vnde & diuitiæ caducæ dicuntur, quia citò cadũt, & animam ad casum peccati mortalis pertrahunt. Patet igitur quàm periculosæ sunt diuitiæ, & quanta ex ipsis proueniunt detrimenta. Vnde in hodierno Euangelio diuitis nomen tacetur, & mendici Lazari nomen exprimitur, quod iam in libro vitæ scriptum erat. In quo familiaris & notus atque probatus esse Deo ostenditur. Vnde & Moysi Dominus ait: Noui te ex nomine. Dives autem qui nomen suum in hoc mundo volebat inaniter extollere, sicut scriptum est: Vocauerunt nomina sua in terris suis, tanquam ignotus & reprobus ante Deum nomine non designatur. Talibus enim Dominus in fine dicturus est: Nescio vos. Vnde in Parabolis Salomon ait: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Dominus enim actus & nomen impiorum detestatur, laudesq; eorum, qui sibi nomen in hoc seculo iactanter faciunt, putribus & fœditis gehẽnæ suppliciis deputauit. Iusti autem in Dei laudibus viuentes, tam in hac vita, quàm in futura, laudibus bonorum cõmendantur, qui tamen de laudibus suis non attolluntur. Postquã enim humilitate fuerint radicati, & in solo Deo nouerũt gloriari, nomen suum & famã cõuersationis suæ propter aliorũ vtilitatẽ & exempli boni odorẽ sustinent propalari. Vnde secundo Reg. dicitur, quod Dauid fecit sibi nomen, cùm reuerteretur capta Syria, quæ interpretatur sublimis. Postquã enim sublimitatẽ elationis sancti deuicerũt, tunc securè nomen boni odoris ad ædificationẽ aliorũ sibi faciũt, vt nõ abscondatur ciuitas supra montẽ posita, nec ponatur lucerna sub modio, sed super candelabrũ. Hic igitur dives reprobus, sicut in Euangelio habemus, induebatur purpura & bysso. Ecce sepulchrum foris ornatũ & dealbatũ, intus autem fœtore & spurcitia repletum. Licèt autem Regibus & nobilibus in potestate constitutis, cõcedatur vti purpura & vestibus pretiosis, non propter mundi vanitatẽ, sed propter authoritatẽ & dignitatis præcellentiã, iste tamen nõ legitur in aliqua potestate constitutus. Vnde meritò tam de superfluitate habitus, quàm de superfluitate victus reprehenditur. Non enim putandum est in luxu & studio vestium peccatum deesse. Alioquin de appetitu pretiosarum vestium. Petrus mulieres non compesceret, dicens: Non in veste pretiosa. Et Dominus de vilitate & asperitate vestium Ioannem non laudaret. Pretiosus enim habitus quo nemo indui appeteret, si non videretur ad inanem gloriam pertinere dignoscitur. Vnde in Ecclesiastico Sapiens ait: In vestitu ne glorieris vnquam. Et Beda super Lucam ait: Ita est de eo, qui multa habet adminicula infirmitatis humanæ, & de illis gloriatur, sicut de infirmo, qui multitudine gaudet emplastrorum. Non solum autem vanus & superfluus erat in habitu, sed gulosus & delicatus, in victu abstractus & illectus. Abstractus à spiritualibus & illectus carnalibus. Vnde subditur: Et epulabatur quotidie splendidè. Induebatur splendidè, & epulabatur splendidè. Non epulabatur in azymis sinceritatis & veritatis, sed in fermento carnalis voluptatis. Vtrunque autem reprehensibile est comestio superfluitatis in gulosо & lecacitatis in delicato. In comestione enim considerare debemus tempus, modum, qualitatem & quantitatem. Tempus, vt non præueniatur hora: modus, vt non sumantur cibaria cum nimia auiditate, sed cum modestia: qualitas, vt non sint cibi nimis exquisiti vel pretiosi: quantitas, vt non sumantur frequẽtius quàm oportet, vel in nimia quantitate. Sicut enim piscis auiditate cibi, recipit hamum, ita homo per gulam in se recipit inimicum. Et sicut flamma crescit iniecta pinguedine, ita concupiscentia vires sumit ex gulositate. Gula autem sordet homo vt porcus. Nam gula corpus inquinat & debilitat, gignit crapulam, sepelit & absorbet rationem, prouocat luxuriam, conficit stercora, auget sterquilinia, implet stomachum & non animum, implet ventrem & non mentem. Quantò autem delicatiora sunt cibaria, tantò fœtidiora sunt stercora. Sicut autẽ diuites suos habẽt ianitores, qui pauperes arcent & diuites admittũt, sic gulosi diuites gulæ suæ sunt ianitores, nõ sinunt intrare lesum, sed pisces magnos & cibaria pretiosa. De his autẽ gulosis, qui carnis curã in desideriis facium, ait Iudas in sua Epist. canonica: Hi sunt in epulis suis maculæ cõuiuantes sine timore. Ipsi enim nõ solùm se, sed & alios epulãtes exemplo suo maculant, nullo timoris fræno ab appetitu gulositatis suæ seipsos retrahentes. Propterea B. Iob pro conuiuantibus filiis per singulos dies holocausta offerebat. Sciebat enim quod sine culpa vix possunt celebrari conuiuia. Epulas enim comitari solet voluptas & loquacitas. Propterea conuiuantibus Salomon ait: Statue cultrum in gutture tuo, vt, scilicet, discretè loquaris, & cum timore & modum non excedas in comestione. Consideremus autem in hoc diuite circunstantias, quę eius aggrauant peccatum, & in Lazaro circunstãtias, quæ ipsius augent meritum. Ille dives & gulosus: Lazarus pauper & famelicus. Non solùm autem paupertatem habuit necessitatis, de qua dicitur. Pauperes semper vobiscum habebitis, sed paupertatem spiritus & voluntatis. Ille purpura & bysso indutus.

*Quare diuitis nomẽ tacetur, & Lazari nomen exprimitur.*

*2. Reg. 7.*

*Eccle. 11.*

*Simile.*

*De gulosis & delicatis.*

*Simile.*

*Collatio diuitis ad Lazarũ & de circunstantiis eorũ.*

Lazarus autẽ vlceribus plenus. Vlcera autẽ Lazari diues faſtidioſus abhorret. Dominus autẽ qui ſolo verbo leproſum ſanare potuit, nõ ſolũ ipſum videre, ſed & tangere voluit. Hic ſuperbus in diuitiis, iſte humilis & patiens in anguſtiis. Ille epulabatur quotidie ſplendidè. Hic quotidiana torquebatur egeſtate, ad exercitiũ ſiquidẽ patientiæ, & augmentũ coronę. Mendico Lazaro inopia ciborũ accidit infirmitas vlcerũ, vt tantò probabilior corã Deo eſſet, quantò acrius igne tribulationis excoctus fuiſſet. Ad augmentũ autẽ coronæ cernebat diuitẽ quotidie epulari ſplendidè, ſe verò micarũ fragmẽtis indigere. Cernebat illum multis circundari miniſtris, ſe verò obſequio cunctorũ deſtitui. Vnde & canes licenter accedebant, & nõ erat auxiliator, & forſitan diues tædio & clamore mendicantis affectus, à canibus eum fugari præcepit. Canes autem illi parcebant nõ mordentes, ſed vlcera lingẽtes, ſicut Danielem in lacu nõ terigerunt leones. Et fortè inopia mortuus eſt, dum maluit fame mori q̃ furari. Vnde in hoc paupere magnũ exemplum & conſolatio relinquitur mendicis. Vnde ergo Lazaro præmiũ inde diuiti videnti, & non cõpatienti, iuſto Dei iudicio creſcebat ſuppliciũ. Vnde factum eſt, vt cùm mortuus eſſet Lazarus, portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Diues autem mortuus, ſepeliretur in inferno. Ecce qui nutritus fuerat in croceis, amplexatus eſt ſtercora infernalis fœtoris, ſicut ſcriptum eſt: Qui veſcebantur voluptuoſe, interierunt in viis. Duxit enim diues iſte in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendit. Vnde Ierem. Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt. Dormiuit ſomnũ ſuum, & nihil inuenit vir diuitiarum in manibus ſuis. Priùs enim quàm intelligerent, ſpinæ eius ramnum, epulabatur ſplendidè. Priùs, ſcilicet, quàm aduerteret, quod diuitiæ & deliciæ generarent æternas punctiones. Arietes enim vepribus diuitiarum adhærẽtes, à ſummo patre Abrahã quotidie mactantur, dum diuites occiduntur, qui ſic moriuntur in opulentia, quemadmodum mus pleno ore in muſcipula. ſicut ſcriptũ eſt: Adhuc eſcæ eorũ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Teſte enim B. Gregorio: Inde in perpetuum ſpiritus interit, vnde ad tempus caro ſuauiter viuit. Et Ioël ait: Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum flamma vrens. Qui enim in hac vita vitiorum igne voratur, in inferno poſt hanc vitam igne perpetuo vritur & crematur. Sepultura autem inferni pœnarum profunditatem ſignat. Sicut autem nulla eſt ſpes de ſepulto vt reuertatur, ita in inferno nulla eſt reuerſio. Sicut autem animæ mortuæ in inferno, corpus eſt ſepulchrum, ita viuentis in Paradiſo, corpus quod nunc eſt tabernaculum, erit domus deliciarum. Sepultus eſt in inferno, qui in ſepulchris concupiſcentiæ morari conſueuerat in mundo. Sicut autem qui ſepulti ſunt manus & pedes habent ligatos, ita ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores eſt proiectus. Lazarus autem in ſinu Abrahæ, id eſt, in loco quietis collocatus eſt ab Angelis, qui ſinus Abrahæ dicitur, quia Abraham fuit prima credendi via, & primus vnum Deum publicè prædicauit. Ille autem quietis locus aliquid ſplendoris & lucis habebat, ſed dicitur tenebroſus reſpectu æternæ claritatis. Dicitur præterea locus ille ſinus, quia ſicut de ea re quam in ſinu habemus certi ſumus, ſic electi poſt mortem, æterna ſecuritate fruuntur, & quaſi in ſinu Chriſti ſomnes

linguam nominat, vt notetur quod pro peccato linguę puniretur. Teste enim B. Gregorio, pene semper epulas loquacitas sequitur. Cumq; venter reficitur, lingua diffrænatur. In conuiuiis enim loquacitas, cachinnationes, & ioci solent abundare. Lingua etiam & palato in saporibus, & comessationibus superfluis fuerat delectatus. Vnde in Ecclesiast. dicitur: Notus à longè, potens lingua audaci. Qui enim audacter loquitur detrahendo, cachinnando, absq; vllo moderaminis fræno, noti sunt à longè Deo. Et ideo punitur in lingua, vt pœna respondeat culpæ. Proterea Abdias ait: Iusta est dies Domini super omnes Gentes, sicut fecisti, tibi fiat. Nihil autem melius est homini quàm omnia mala sua recipere in præsenti vita. Teste enim Naum Propheta: Non consurget duplex tribulatio, nec iudicabit Deus bis in idipsum. Vnde bonum est puniri in hoc seculo, vt parcatur nobis in alio. Nihil autem infelicius, quàm omnia bona sua recipere in hac vita, quæ sæpè dantur in signum diuinæ exprobrationis. Et forsitan diues iste aliquid de genere bonorum fecit in vita sua, pro quo in hoc seculo bona recepit, & Lazarus in aliquo peccauit, pro quo in hac vita punitus est flagellis. Æquissimus enim Iudex, nullum malum impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Quod autem Abraham ait: Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possunt, neque inde huc transmeare: non solùm intelligitur de distantia locorum, sed de differentia status ad statum. Magnum est chaos inter bonos & malos, quia post mortem merita mutari non possunt. Istis autem voluntas, illis facultas non potest esse peccandi. Chaos enim quasi murus & diuisio, atque inaccessibilitas firmatum est inter eos auctoritate Iudicis, omnia disponentis. Chaos enim non solùm dicitur profunditas seu vorago, sed firmatum vel pactum. Quoniam igitur sancti à Dei iustitia & voluntate recedere non possunt, qui volunt transire, id est, qui vellent ex naturali pietate, si posset esse, non possunt transire ad iuuandum vel consolandum, neque etiam orare possunt, nisi pro quibus vident esse orandum. Ex voluntate igitur & gratia diuina non possunt. Sicut enim carent miseria, etiam carent compassione & mentis dolore. Sicut enim non compatimur piscibus, quos in gurgite natare videmus, ita sancti non compatiuntur his, qui sepulti sunt in inferno. Cùm autem de se desperare cœpit, ad rogandum pro fratribus se conuertit, dicens: Rogo te pater, vt mittas eum in domo patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Ad augmentum malorum memoriam habuit & anxietatem suorum. Vnde pro fratribus rogabat, quos similiter perire videbat. Si autem mali pro suis rogant existentes in pœna, multo magis sancti pro nobis orant in gloria. Conseruata est igitur diuiti ad pœnam cognitio pauperis, quem despexit, & memoria fratrum, quos reliquit, vt de visa gloria Lazari despecti, & de imminentibus periculis charorum, acrius torqueatur. Non profuit igitur illi fratrum compassio, vel sera pœnitentia, quæ ante mortem prodesse potuisset. Vnde Dominus in Euangelio ait: Videte ne fuga vestra fiat in hyeme vel Sabbato, id est, in tempore mortis frigidæ, vel in alia vita, in qua non licet operari. Et rursus Dominus ait: Iam securis ad radicem arboris posita est. Tunc autem Dominus securim eleuat, cùm peccatores expectat. Quantò autem magis eleuatur, tantò peccator fortius in fine percutitur. Dominus autem patiens est redditor. Ipse enim pœnam differens est, velut aries retrocedens, vt fortius irruat, & quasi sagitta retracta, vt grauius vulnus infligat. Nunc autem quid Abraham respondit, videamus: Habent, inquit, Moysen & Prophetas, audiant illos. Non enim quærenda est visionum curiositas, vbi manifestas habemus scripturas, quæ sine fallacia concorditer de omnibus, quæ ad salutem pertinent, nos instruunt. Teste enim Ezechiële: Vna est quatuor rotarum similitudo, id est, legis, Prophetarum, & Euangeliorũ, & doctrinæ Apostolorum. Quod enim prædicat lex, hoc & Prophetæ docent, & quod à Prophetis prænuntiatur, hoc in Euãgelio exhibetur, & Apostolorũ doctrina cõfirmatur. Diuina enim eloquia, & si in temporibus sint disiuncta, sensibus tamen sunt vnita. Diuiti autem respondenti: Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent, dixit Abraham: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Si enim Moysi & Prophetis, qui de Christo multa prænuntiauerunt, Iudæi credidissent, Christo à mortuis resurgenti crederent. Vnde Dominus in Euangelio: Si Moysi credideretis, mihi forsitan credideretis. Hæc autem tota parabola allegoricè ad populum Iudaicum refertur, qui cùm diuitias spirituales per legis notitiam accepisset, magis vsus est illis ad vanitatem & iactantiam, quàm ad ædificationem. Indutus autem fuit purpura in Martyribus, bysso in Virginibus, quotidie splendidè epulando in legalibus, & Patrum eloquia meditando. Pauper Lazarus, Gentilis populus, extra legis ianuam iacens, & Dei legem prorsus ignorans, plenus vlceribus peccatorum, quæ canes eorum, id est, Philosophi & adulatores lingebant blandiendo. Superbus autem populus Iudæorum, nec illi condolebat, nec de sententiis, quibus abundabant in sacris scripturis, ipsum reficere curabat. Micæ enim, quæ de mensa diuitis cadebant, verba sunt quæ de legis scientia profluebant. Dominus autem & alta à longè cognoscit, canes suos, id est, prædicatores, qui linguam habent medicinalem, misit ad lingendum & sanandũ vulnera peccatorũ. Vnde & Lazarus adiutus interpretatur. Sicut autem vlcus ab interioribus visceribus foras in cutem erumpit, sic peccata quæ per confessionẽ meditatis aperiunt. Iudæi autem reprobi Gentium saluti inuidebant, sicut scriptum est: Multiplicasti Gentem, & non magnificasti lætitiam. Vnde cupientibus saturari de micis, quæ cadunt

*De diuisione bonorum & malorũ post mortem.*

*Simile.*

*Simile.*

*Quod ex diuinis scripturis quærendũ est consilium, & nõ visionibus confidendum.*

*Ioan. 5.*

*Simile.*

de mensa diuitis dare nolebāt, & ideò meritò in lingua puniuntur, quia verba legis, quæ in ore tenuerunt, nec alios docebāt, nec opere adimplebāt. Et insuper cōtra Christū, tanq̄ serpētes illas exacuerunt. Dum autē in pœna cruciātur, gutta aquę, id est, sanctorū minimis beneficiis, si fieri posset, optarēt fieri participes. Ipsi autē dolēt de perditione quinq; fratrū suorū, id est, Iudæorū, qui quinq; libros Moysi carnaliter intelligūt. Horū igitur exēplo sibi caueāt literati, superbi & falsi religiosi, qui virtutibus exterius ornātur ad ostentationē, & peccatoribus nō cōpatiuntur. Epulātur igitur quotidie splēdidè in scripturis sanctis ad inflationē, nō ad refectionē, vel aliorū ædificationē, nō cōpatiendo vlceribus laicorū, quos etiā minimis bonis dedignātur cōsolari. Talem igitur linguā habeāt Prælati, quod vlceribus Lazari velint & valeāt mederi. Timeāt insuper raptores, adulteri, fœneratores, & alij huiusmodi peccatores. Si enim sic punitus est, qui sua nō dedit, quid fiet illi, qui aliena rapuit? Propterea Eccles. dicit: Qui gloriatur in superbia, id est, in diuitiis, paupertatē vereatur. Et B. Augustin. ait: Non dixit calūniator, nō dixit pauperū oppressor, nō dixit pupillorū spoliator, nō dixit viduarū persecutor. Quod igitur eius crimē, nisi iacens ante ianuā eius vlcerosus, & nō adiutus? Desiderauit guttā, qui nō dedit micā. Sepultus est in inferno, si hęc est pœna auarorū, quę est pœna raptorū? Patet igitur quàm copiosa sit ædificatio in hodierno Euāgelio, quātus terror malis diuitibus incutitur, & quāta cōsolatio bonis pauperibus adhibetur, dum transeunt de paupertate ad veras diuitias, de tormentis ad delicias, de inopia & fame ad æternas epulas. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*De his qui peccatores contemnunt.*

*Quod exēplo diuitis timere debēt, qui deteriores esse videntur.*

## DOMINICA SECVNDA, THEMA DE INTROITV MISSAE SVMPTVM EX PSALMO.

*Psal. 17.* *Factus est Dominus protector meus, & deduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me.*

*De diuina protectione, & liberatione bonorum.*

RAEVALVIT Dauid in funda & lapide aduersus Philistæū, sicut dicitur in primo Reg. Et factus est Dominus protector populi sui, & eduxit eū in latitudinē fuis gatis Philistęis, qui priùs erāt in angustia, & oppressus ab inimicis. Et ita saluū fecit Dominus populū suū, quoniā voluit, scilicet, gratis & miraculosè, dum per puerū gigantē superauit. Vnde & in nocturno respōsorio, quod adaptatur officio hodiernæ Missæ, dicitur: Dominus qui eripuit me de ore leonis, & de manu bestiæ liberauit me, ipse me eripiet de manib⁹ inimicorū meorū. Dauid enim priùs interfecerat leonē & vrsum. Vnde ipse experimēto de Domino cōfidens, processit ad singulare certamē cōtra Goliā. In secūdo autē

*2. Reg. 21.* Reg. dicitur, quod percussit Adeodatus filius saltus Polymitarius Bethleēmites Golith Gethęū. Adeodatus dicitur Dauid, quia Deus elegit eū, & dedit populo suo, vt esset Rex super eū filius saltus, quia de pascuis sumptus. Polymitarius, quia de genere Beseleēl, ex parte matris, qui fecit

*Eccles. 27.* tabernaculū, & opere polymico exornauit. In Eccles. de eodē dicitur Dauid: In tollēdo manum & in saxo fundę, deiecit exultationē Golię. Hęc autē omnia contingebāt in figura. Pugna enim

*De pugna dæmonum cōtra electos.* Philistinorū cōtra Israël, pugnā dæmonū & satellitū diaboli cōtra Ecclesiā signat. Golias autē qui transmigrās interpretatur, caput omniū malorū, diabolū designat, qui propter peccatū superbiæ de cœlo transmigrās, corruit. Altitudo Goliæ, sunt diaboli versutię, & homines reprobi,

*De Golia & armis eius, & de victoria et armis Dauid.* per quos impugnat Ecclesiā Dei. Geth enim quæ ciuitas erat Goliæ, & interpretatur torcular, mundum istum significat vel infernū, in quo velut in torculari diabolus peccatores torquet & cōculcat. Dauid autē qui manu fortis, & aspectu desiderabilis interpretatur, Christū significat. Hic enim Dauid à patre missus, vt fratres visitaret, id est, genus humanū, quod perierat, singulari certamine Goliā aggressus in cruce superauit, qui ante aduentū eius superari nō potuit. Processit autē obuiā illi cum baculo crucis. Vnde & Golias deridēdo, ait: Nunquid ego sum canis, quia tu venis ad me cum baculo? Ita impij crucis Christi virtutē derident. Reuera ipse canis est immundus & insanus, qui latrare nō cessat, homines tentando. Mordet autē & vulnerat, ad peccatum inducēdo. Dauid autē lapide, quem sumpsit ex pera, id est, vase pastorali, quo mulgetur lac, Goliā prostrauit. Christus enim lapis est, quo diabolus contritus est, sumptus secundū carnem ex vase gratiæ, id est, ex beata Virgine, quæ lacte candoris & gratiæ plena fuit. Lacte autē gratia designatur. Lac enim cibus est gratuitus, quia mater nō quęrit accipere lac, sed dare filiis. Gratis autem dat, & contristatur si desit, qui accipiat. Per lapidem etiā proiectū ex funda, potest intelligi spiritualis sensus scripturarū. Cum funda siquidē diuinę scripturę, & sensu spirituali, qui exinde elicitur, diabolus superatur. Vnde & Dauid quinq; limpidissimos lapides elegit de torrēte, & misit eos in perā pastoralē, per quos quinq; libri Moysi designātur. Lapides autē in aqua, lex carnaliter secundū temporalia promissa intellecta. Hos autē in vase lactis posuit, dū legē Euāgelicæ doctrinæ sociauit. Lex enim per se erat inutilis, sicut lapis in aqua, nec sine gratia impleri potuit, & idcirco legē gratiæ Dominus cōiunxit, vt lex vitalis redderetur, & spiritualiter impleretur. Vnde & arma Saulis, quæ pōderosa nimis erāt, Dauid proiecit, id est, carnalia seu legalia legis sacramēta deposuit. De quibus Petrus ait: Hoc est onus quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus. In vno autē lapide Golias eiicitur, quia in vnitate & cōcordia charita-

*Act. 15.*

charitatis, diabolus prosternitur. Plenitudo enim legis, est charitas. Quinq; igitur lapides accepit, sed vnū misit. Quinq; enim libri electi sunt, sed vnitas vincit. Golia enim in frōte percusso & eiecto, Dauid gladium illi abstulit, quo caput eius abscidit. Golias in frōte percussus, ruit, & subiicitur Dauid: & diabolus in frōte suorum percutitur, cùm signum crucis eo loco infigitur, & ita Christo in membris suis subditur. Proprio autē gladio Golię caput abscinditur, dum illi, qui priùs arma diaboli erāt, post conuersionē diabolū impugnāt & Christi fidē prædicāt, sicut Dionysius, Cyprianus, Augustinus, & multi alij, quos diabolus priùs in manu habebat, & per illos alios trucidabat. Vnde Dauid gladium Golię in Hierusalē detulit, quia Christus quos de diaboli potestate rapuit, in Ecclesiā trāstulit ad ipsius defensionē. Cui etiā ab hostium cæde reuertenti, mulieres, id est, sanctę animę, laudē decantāt, & decē milium victorē prędicāt. Ipse enim omnes hostes Ecclesiæ, tam visibiles q̄ inuisibiles perfectè cōtriuit. Patet igitur quomodo Adeodatus, id est, Christus, de quo dicitur: Paruulus datus est nobis, filius saltus de stirpe, scilicet, peccatorū natus, quasi hœdus sapidus de capris fœtidis. Polymitarius, quia mira varietate virtutū & operum, Ecclesiā exornat. Bethleēmita, quia in Bethlehē natus, Goliā, id est, diabolū superauit. Leonem autē & vrsum necauit, scilicet, diabolum & Antichristum. Vnum nunc latēter insidiantē, & alterum postmodū manifestè sæuiturum. In tollendo siquidē manū in cruce, & in saxo fundæ, sicut suprà dictū est, deiecit exultationē Golię, elationē diaboli cōfundendo. Et nos exemplo illius, manus bonorum operum leuādo cum baculo crucis ipsum expugnemus, de funda sacræ scripturæ lapides fortes, id est, morales & efficaces sentētias proiicientes in ipsum. Proprio autē gladio caput eius abscindimus, dum per sentētias scripturarum, quas cōtra nos hęretici proferunt, eosdē cōuincimus. Arma autē Saul debemus deponere, vt discamus nō de virtute hominum, sed de diuino auxilio cōfidere. Si autē volumus Goliā, id est, diabolum superare, oportet vt priùs occidamus in nobis leonē superbię & iracundiæ, & vrsum luxurię, qui debilis est in capite, id est, in initio suggestionis prauæ, sed fortis in renibus, dum non resistitur primis motibus, quia virtus eius in lumbis eius. Deuictis igitur Philistæis, & Golia superato, cantat hodie Ecclesia, gratias referens Domino, cùm ait: Factus est Dominus protector meus. Vnde & Psalmum illum, ex quo sumitur introitus Missæ, cāuit Dauid, gratias agēs, postq̄ deuictis inimicis, cœpit regnare in pace. Similiter Ecclesia post Christi mortē & resurrectionē, postq̄ in pace potoris & serenitate cōscientiæ sub Christo regnare cœpit, laudat Dominum, qui factus est eius protector. Priùs enim circundederunt eum dolores mortis, id est, diaboli auctoris mortis, qui vsq; ad aduētum Christi regnabāt, & torrētes iniquitatis cōturbant eā, id est, abundās iniquitas. Dolores inferni circundabāt eā. Omnes enim secum ad inferos diabolus deducebat. Præoccupauerāt eā laquei mortis, id est, reatus originalis peccati, omnes ad mortē trahētes. Postq̄ autē inclinauit cœlos, effundēdo in terrā miseticordiā suā, & descēdit per incarnationē, caligo, id est, caliginosus diabolus, cōculcatus est sub pedibus eius. Cōmota est enim terra, id est, terreni homines ad pœnitentiā, & cōtremuit cōminationibus perterrita. Et ita ascēdit fumus cōpunctionis in ira eius, id est, prę timore irę eius, & ignis charitatis exarsit in cordibus hominum à facie cognitionis ipsius, & hoc igne carbones priùs extincti, accēsi sunt ab eo. Nubes autē prę fulgore, id est, præfulgidę, scilicet, Apostoli, trāsierunt ad Gentes in cōspectu eius, id est, in cognitione Dei, quia oculi Domini super iustos. Per eos autē facta est grādo, id est, cōminatio æternę dānationis, & carbones ignis, id est, promissio gloriæ, per quā succensi sunt desiderio ardoris. Intonuit enim per eos dominus cōminando, & altissimus dedit vocē suauitatis, ęterna bona promittēdo. Misit sagittas suas, Apostolos, scilicet, & alios prædicatores, corda hominum diuinis verbis penetrātes, & cum pennis virtutum rectè volātes. Et dissipauit eos, id est, diuisit ab inuicē. Quibusdā enim fuerunt odor vitæ in vitā, aliis odor mortis in mortē. Fulgura multiplicauit, id est, cōmotiones, & miracula, & cōturbauit eos ad pœnitentiā. Et ita eripuit de inimicis fortissimis, id est, à peccatis, à dæmonibus & persecutoribus, qui priùs cōfortāti fuerāt super eos, & præualerāt eos improuisos in die afflictionis, cùm adhuc sub peccatis tenerētur captiui. In die, scilicet, carnalitatis, vexationis & tentationis. Sed ait Ecclesia: Dominus factus est protector meus cōtra prędictas miserias & voluptates. Eripuit enim me à tentatione, ne succumberē, & in Deo meo trāsgrediar murū, quē inter homines & cœlū peccata extruxerūt, scilicet, congerie & duritiā, & obstacula peccatorū. Ecce quomodo factus est Dominus protector suorū cōuertendo inimicū retrorsum, & humiliando calumniatorē. Multipliciter autē factus est Dominus protector noster, protegēs cor à cōtumacia, linguā à cōtumelia, manus à violētia, gustū à vinolētia & crapula. Obturat aures, ne audiāt sanguinē: claudit oculos, ne malū videāt: pedes custodit, ne ad malū currāt, & omnē mēbrorum familiā ordinat & cōponit, dū in domo cordis habitat & quiescit. Propterea Isa. ait: Qui proiicit auaritiā ex calūnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinē, & claudit oculos suos ne videat malū, iste in excelsis habitabit. Protegit nos, vt nō obducamur blāditiis, nō seducamur fallatiis, nō frāgamur iniuriis. Protegit nos quasi scuto triāgulo, scilicet, eleēmosyna cōtra auaritiā, ieiunio cōtra carnis voluptatē, oratione cōtra superbiā. Protegimur in pugna cōtra mundum, ipsum cōtemnendo: cōtra carnē, ipsam affligēdo: cōtra diabolum, ipsi resistēdo: & cōtra omnia vitia, ipsa repellēdo. Protegit nos à facie impiorum sub vmbra alarum suarum, sicut gallina pullos suos. Alę eius misericordia & charitas, quibus nobis refrigerium pręstat cōtra æstus tentationum & incētiua vitiorum,

*Qualiter pugnare debemus exemplo Dauid.*

*Expositio thematis, & quorundā, quæ in Psalmo, ex quo sumptum est, dicuntur.*

*De multiplicā protectione.*

*Isa. 33.*

*De vmbratione diuina.*

Isa.35. sicut scriptum est: Obumbrasti super caput meũ in die belli. Et Isa. ait: Factus est fortitudo pauperi, egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu. His enim qui se pauperes cognoscũt, & reputãt egenos, tribuit Deus fortitudinẽ: alioquin non possent resistere illi, qui factus est vt nullũ timeret, nec est potestas super terrã, quę cõparetur illi, sicut dicitur in Iob. Et Isa.23. Isa. ait: Ecce terra Chaldęorũ, id est, dęmonũ ferociũ. Chaldęi enim feroces interpretãtur. Talis populus nõ fuit tam fortis, scilicet, ad impugnandũ, tam callidus ad seducendũ, tam crudelis ad nocendũ. Factus est autẽ Dominus nobis spes à turbine pœnæ æternæ, spes à turbine tribulationis, dũ eam patiẽter tolerãdo, spem habemus misericordię diuinę, sicut in Osee dicitur: Dabo eis vallẽ Achor, id est, cõturbationis & tribulationis, ad aperiendã spem. Fit autẽ Dominus nobis vmbraculũ ab æstu, refrigerãdo nos cõtra tentationes. Ipse enim vmbra est æstuãtibus, portus nauigãtibus, esuriẽtibus cibus, pręmiũ laborãtibus. Factus est Dominus protector Ecclesiæ contra violentiã Paganorũ, cõtra versutias hæreticorũ, cõtra falsorũ fratrũ corruptionẽ, contra Antichristi & discipulorũ eius tempestatẽ. Hæc sunt quatuor cornua, quę vidit Zacharias Propheta ventilãtia, Iudæã & Hierusalẽ varias, scilicet, persecutiones Ecclesię Dei inferẽtia. Contra quæ, sicut in eodẽ Propheta dicitur, missi sunt quatuor fãbri, scilicet, quatuor Euangelistæ, & quatuor Euangeliorũ prædicatores, vt prædicta cornua deterrerẽt & cõfringerent. Fabri enim dicuntur, quia ædificant bonos & destruunt malos. Fabri sunt Prælati, igne spiritus sancti & aqua baptismi purgationẽ peccatorũ operantes, tanquã ministri illius fabri, qui fabricatus est auroră & Solẽ. Artifex enim est prædicator: Materia, auditorũ corda: Ignis, gratia purgans & corda calefaciẽs: Folles, gemina gratia in prædicatione, bona cõscientia & bona fama: Malleus, doctrina scripturarũ: Incus, cõstantia sanctorũ. Non solũ autẽ per quatuor cornua, sed insuper per quatuor ventos, quos vidit Daniẽl in mari pugnãtes, id est, in mundo sanctos impugnantes, prædictæ quatuor persecutiones designãtur. Dominus autẽ sanctos suos protegit, ne nauicula submergatur, & immittit tranquillitatẽ magnã in cordibus sanctorũ, quos in tribulatione non solũ patientes efficit, sed gaudentes. In prima persecutione cõtra tyrãnos, qui corpora sanctorũ occidunt, protegit Dominus Ecclesiã spiritu fortitudinis & patientiæ. In secunda contra hæreticos, spiritu intellectus & sapientiæ, aperiendo sensum vt intelligant scripturas. In tertia contra falsos fratres, spiritu pietatis, vt bonum pro malo reddant: & spiritu scientiæ, vt sciant cautè cõuersari inter homines prauæ & peruersæ nationis, tanquã granũ inter paleas, & lilium inter spinas. In quarta persecutione protegit Deus Ecclesiam, interficiẽdo impiũ Antichristum spiritu oris sui. Primis aduersariis opposuit Dominus Apostolos & Martyres fortissimos inter omnes alios sanctos, ad nullius pauẽtes occursum. Secundis aduersariis opposuit Dominus sanctos Doctores, tanquã arietes, cornibus duorũ testamentorũ hæreticos ventilantes, & non fuit qui resisteret eis. Tertiis aduersariis opposuit Dominus sanctos Prælatos & Prędicatores, tanquã gallos succinctos limbos suos per castitatẽ, & vigilias noctis custodientes supra gregem suũ, & vocẽ prædicationis euigilãtes eos, qui dormiunt in peccatis. Quartis aduersariis, scilicet, Antichristo & discipulis eius, opponet Dominus Eliã & Enoch, & Dominus Iesus Christus in propria persona semetipsum opponet Antichristo, vt stultus appareat postquã fuerit cõtra Deũ supra modũ eleuatus. Et hoc est quod in Parab. Salomon ait: Tria sunt quæ benè gradiũtur, & quartũ quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarũ ad nullius pauebit occursum, Gallus succinctus lumbos & Aries, nec est qui resistat ei. Et qui stultus apparuerit, postquã eleuatus est in sublime. Hic est Antichristus, qui secundũ transitoriã prosperitatẽ ad tempus feliciter incedet. In prima persecutione vidit Ioãnes in Apocal. equũ rufum. Hi sunt aperti persecutores Ecclesię sanguine sanctorũ inquinati, de quibus subiungit: Datus est illis gladius magnus, id est, à Deo cõcessus, ad probationẽ sanctorũ. Vnde idem Ioãnes postmodũ ait: Quod primo Angelo tuba canẽte, facta est grando & ignis mixta in sanguine. Prædicantibus enim sanctis Apostolis, qui primò fuerũt missi, prædicatio eorũ quæ bonus fuit, suauis facta est, quasi grãdo dura peruersis. Qui succensi igne malitiæ suæ grãdini prædicationis, & igne iræ suæ sanguinem sanctorũ, quem effuderunt, miscuerũt. In secunda persecutione, sicut in Apoc. dicitur: Stellæ de cœlo cadẽt in terrã, id est, Lucifero data est clauis putei abysi, id est, potestas in cordibus hęreticorũ, qui profundi sunt corde ad decipiendũ, & tenebrosũ malitia sua excæcati, quorũ corda diabolus reserat, vt pessimè proferãt, quod pessimè cõceperunt cõtra Ecclesiã. Vnde subditur: Fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, id est, teterrima hęreticorũ doctrina, qua excęcati sunt, quos hæresiarchæ peruerterunt. Hoc enim fuit velut fornax incinerãs malos & purgãs bonos. Vnde subiungitur, quod de fumo putei exierũt locustæ, discipuli, scilicet, hæreticorũ, & de hoc fumo procreati, qui more locustarũ corrosores sunt bonorũ, saltum habentes decidiuũ, dum ad tempus per superbiã eleuantur, sed citò decidunt in pœnã æternam, sicut scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Ipsi præterea volare videntur propter hypocrisim & simulationẽ sanctitatis, sed occultè ad carnalia desideria dilabuntur. Vnde dicitur, quod habebant capillos quasi capillos mulierũ, quia mores habent lubricos & effœminatos, qui eis adhærent, & ab eis dependent, imitando eos velut erroris magistros, & vnanimiter Ecclesiã impugnando. Vnde dicitur, quod similes erant equis paratis in prœliũ, & quod dentes habebant leonũ, lanientes, scilicet, & fœtentes, & loricas habebãt ferreas, id est, corda obstinata, quæ sagittis veritatis penetrari non possunt: & habebãt potestatẽ sicut scorpiones, blandiẽtes facie in principio, sed cauda venenata pungunt

*De quatuor cornibus, & quatuor fabris.*

*De quatuor ventis, & quatuor persecutionibus.*

*Quomodo per quasdã similitudines ostensæ sunt quatuor persecutiones.*

*De persecutione Antichristi. Prouerb. 30.*

pungũt in fine, animas seducẽdo. In tertia persecutione, sicut ostensum est Zacharię, mulier, quę dicitur impietas, sedet in medio amphoræ, & mittitur massa plũbea in os eius, & duæ mulieres habẽtes alas quasi milui, leuãt amphorã inter cœlũ & terrã: & spiritus in alis earũ, & deferũt amphorã, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar. Hæc amphora os habẽs patulũ, est auaritia, quæ nõ potest satiari: habẽs quasi duas ansas, quarũ vna est retinere sua, alia rapere aliena. Hoc vitio laborãt hodie falsi Christiani vbiq;. Vnde dictũ est Prophetę, quod hęc est oculus in vniuersa terra. Teste enim Greg. Multos obtusi sensus homines cernimus, & tamẽ in his quæ appetũt auaritię stimulis excitãtur, & qui ad bona videda cęci sunt, ad mala peragẽda vigilãtes fiũt. Semper autẽ auaritiã, quæ est idolorũ seruitus, impietas comitatur, vel etiã ipse auarus, qui ab auaritia absorbetur emphaticè, impietas nuncupatur. Talentũ autẽ plumbi seu massa plumbea, in os amphorę vel in os impietatis proiicitur, quia secularių negotiorũ sollicitudine auarus pręgrauatur. Et nisi plumbũ obstaculũ cõfessionis inueniat, animã deprimit in inferno. Duæ autẽ mulieres, scilicet, superbia & inanis gloria, secundũ Greg. leuãt amphorã inter cœlũ & terrã, quę per ambitũ rerũ & desideriũ dignitatũ, eum quẽ semel captũ tenẽt, in honoris altitudinẽ eleuãt. Quasi autẽ inter cœlũ & terrã ima deserit, & ad cœlũ nõ pertingit. Superbi autẽ & inaniter gloriãtes, alios despiciẽtes, deserunt, tamẽ ad summa nõ pertingunt. In terra enim esse dedignãtur æqualitatẽ fraternitatis deserẽtes, & ad cœlũ peruenire nõ possunt. Prædictæ autẽ duæ mulieres amphorã deportãtes, possunt dici superbia & luxuria. Auari enim inhiãt acquirẽdis, vt luxuriã suã pascãt, & volunt abundare diuitiis, vt super alios attollãtur. Alas autẽ habere dicũtur, quia velociter & impetuose feruntur ad desideriũ suũ adimplendũ. Spiritus autẽ malignus, id est, diabolus, qui eos ad malũ incitat, dicitur esse in alis earũ. Alæ siquidẽ superbię, sunt abundãtia rerũ, & inflatio dignitatũ & honorũ. Alæ verò luxurię, sunt gastrimargia, & superflui ornatus, lasciuia. Huiusmodi alę dicũtur, quasi alę milui, quia actiones prędictorũ similes sunt actionibus diaboli, qui semper velut miluus rapturę paruulorũ insidiatur. Ædificãtur autẽ amphorę, id est, auaritiæ domus in terra Sennaar, id est, in fœtore, & dentiũ excussione. Sennaar enim fœtor eorũ & excussio dentiũ interpretatur. Ex vitio fœtor procreatur, ex fœtore autẽ & putredine dentes excutiũtur. Et quia radix omniũ vitiorũ est auaritia, dignũ est vt in fœtore domus ædificetur auaritiæ. Sennaar autẽ vallis est latissima, quæ pro cõfusione linguarũ atq; mentiũ, Babylõ nuncupatur. Et quia per auaritiã & impietatẽ omnia mala procreãtur, meritò in cõfusione habitare perhibẽtur. Per Sennaar etiã infernus designatur, vbi erit fœtor & excussio, atq; stridor dentiũ. Ibi autẽ domus auaritiæ, superbię, & luxurię instituitur in perpetuũ. Vnde in Zachar. subditur: Vt stabiliatur & ponatur ibi super basem suã. In quarta persecutione omniũ peruersorũ hominũ genera, & omnia Iudæorũ monstra cõtra Ecclesiã Dei consurgunt. De qua Psal. ait: Aduersum te testamentũ disposuerunt tabernacula Idumæorũ & Ismaëlitæ, Moab & Agaræni, Gebal & Amon, & Amalech, alienigenę cũ habitãtibus Tyrũ. Tempore enim Antichristi omnes reprobi, qui per prædictas nationes intelligũtur, vnanimiter Ecclesiã Dei persequẽtur: disponẽtes testamentũ, id est, firmũ pactũ cõstituentes cõtra Christũ, & membra ipsius, scilicet, tabernacula, id est, cõgregationes Idumęorũ, id est, hominũ terrena amantiũ, & sanguinẽ sitientiũ. Idumęi enim terreni & sanguinei interpretãtur. Hi sunt qui post desideria sua abeuntes, nõ Deo, sed proprię obediũt voluntati. Per Moab, qui interpretatur ex patre diabolo, intelliguntur qui diabolũ patrem suũ faciunt, ipsum imitãdo, & specialiter superbi: nam ipse pater est & Rex super omnes filios superbiæ. Agaræni autẽ, aduenę vel alieni interpretãtur. Hi sunt falsi fratres, qui de Ecclesia sunt numero, sed non merito. Qui non sunt ciues, sed falsi nominis Christiani, subintrantes, explorare Ecclesiæ libertatẽ: & inuenta occasione nocendi se ostendunt. Gebal autẽ vallis vana interpretatur. Hi sunt hypocritę, fallaciter humiles & veraciter fallaces, per quos Antichristus multos seducet. De quibus in Ecclesiastico dicitur: Est qui nequiter se humiliat, interiora autem eius plena sunt dolo. Amon turbidus interpretatur, per quem iracundia & violentia tyrannorum designatur. Quibus vtetur Antichristus, incutiendo terrorem populo Dei, & ipsum occidendo. Amalech interpretatur populus lingens terram. Hi sunt amantes terrena, quos muneribus alliciet Antichristus, & peruertet. Alienigenæ autem appellantur Iudæi & Pagani, qui contra Ecclesiam adhærebunt Antichristo. In Hebræo autẽ pro alienigenis habetur Philistiim, id est, potione cadentes. Hi sunt qui calice aureo Babylonis, id est, luxuria seculari inebriabuntur, & corruent cum filio perditionis. Habitantes autem Tyrum, dicuntur, qui in seculo variis curis & sollicitudinibus anxiantur. Tyrus enim tribulatio vel angustia interpretatur. Hos autem attrahet Antichristus, falsas cõsolationes immittendo. Hi autem omnes sub Principe diabolo contra Ecclesiam militabunt. Vnde Propheta subiungit: Etenim Assur venit cum illis, id est, diabolus elatus, Christi sanctos deprimendo. Assur enim deprimẽs vel elatus interpretatur. Hi omnes facti sunt in adiutoriũ filiis Loth, id est, filiis Antichristi, semper de malo in peius declinantes: Vel diaboli, qui de cœlo in terrã declinauit. Loth enim interpretatur declinãs. Dominus autẽ pro Ecclesia sua pugnabit, abbreuiãdo dies, quia nõ diu permittet Antichristũ regnare, alioquin nõ fieret salua omnis caro. Proteget autẽ electos suos in tribulatione eorũ, charitatẽ & patientiã dilatãdo, sicut scriptum est: In tribulatione dilatasti mihi. Quia dum superbit impius, ingenditur pauper, & eius charitas igne tribulationis augmentatur. Vnde Propheta ait: Dilatasti gressus meos subtus me, id est, latam fecisti charitatem, hilariter operantem, etiam de his

quæ sunt sub mẽ,administrando prudenter temporalia,& regendo corporis membra. Augustiæ enim cordis,quam facit amor sui, contraria est cordis latitudo,quam facit amor Dei. Hæ sunt plateæ Hierusalem,quæ sternuntur auro mundo charitatis. Propterea in hodierno officio

*De multiplici latitudine.*

Psalmus ait: Eduxit me Dominus in latitudine,ab angustiis,scilicet,carnis,in latitudinẽ spiritus. Quod fit quando calcatis desideriis carnalibus,educimur in spiritualis vitæ libertatem. Eduxit me in latitudine,ab angustiis,scilicet,pravæ & remordentis conscientiæ,in cordis exultantis latitudinẽ & serenæ cõscientiæ tranquillitatẽ. Eduxit me in latitudine,ab angustiis,scilicet,& cunctis rerum temporaliũ,in pacem & tranquillitatẽ voluntariæ paupertatis. Licèt enim angusta sit via & arcta relinquere temporalia,& seipsum abnegare,dicitur tamen lata,quia in amore cœlestium cor dilatatur cogitantium quod centuplum recipient, & vitam æternam possidebunt. Eduxit me in latitudine,ab angustiis,scilicet, timoris, & cordis contriti & humiliati. Quod pertinet ad incipientes & pœnitentes, in latitudinem fiduciæ & amoris & perfectæ charitatis, quæ foras mittit timorem. Eduxit me in latitudinem,ab angustiis,scilicet,peccati,in latitudinem sanctæ conuersationis. Vnde Isaias: Sicut auis fugiens & pulli de nido auolantes:sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. Auis fugit de nido aliquo faciente strepitum. Et nos fugere debemus de dulcedine huius mundi & voluptate carnis,Domino comminante pœnam gehennæ. Iuxta illud Osee: Rugiet Dominus & formidabunt filij maris. Sicut autem in nido duo abundant,scilicet,mollicies & stercora,ita in hoc mundo & in carne nostra. Filiæ autem Moab, id est,animę peccatrices à tenebris peccantiũ,transeunt ad illuminationem gratiæ. Arnon enim illuminatio interpretatur. Dilatata est Ecclesia per tribulationes & numero & merito, sicut de filiis Israël legimus in Exodo,quod quantò magis affligebantur,tantò amplius multiplicabantur. Dilatata est Ecclesia per vniuersum mundũ,sicut prædixerat Isaias: In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius, id est, crux Christi, vel fides passionis dilatabitur in vniuerso mundo, vt vbique sit laus crucifixi,& memoria beneficiorum ipsius. Dilatata est Ecclesia,non solùm in membris,sed in capite in vniuerso orbe. Oleum enim effusum,nomen Christi,qui priùs concluſus fuit in sepulchro. Lapis enim præcisus de monte sine manibus creuit in montem magnum,& impleuit vniuersam terram. Et sicut in Hester legitur: Paruus fons creuit in fluuiũ,& in lucem,Solemq; conuersus est,& in aquas plurimas redundauit. Educet eandem Dominus Ecclesiam ab angustiis huius miseri incolatus in atria Hierusalem,& in latitudinem beatitudinis æternæ,vt possit dicere: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Vndę Psalmus subiungit: Saluum me fecit,quoniam voluit me,id est,gratis me elegit & saluauit. Antequam eum vellem,ipse me voluit,& saluum me fecit in hac vita salute gratiæ,& in alia salute gloriæ,Dominus noster Iesus Christus,qui viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

*Isa.16. Simile.*

*Osee 11.*

*Isa.19.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA IOANNIS CANONICA.

*1.Ioan.3.*

*Fratres,nolite mirari,si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam,quoniam diligimus fratres.*

*De odio secularium,quod habẽt ad bonos. Versus.*

SICVT abominatio superbo humilitas,sic execratio diuitis pauper. Verba sunt Ecclesiastici. *Diligitur nemo nisi cui fortuna secunda est.*

Et Salomon in Prouerbiis: Abominantur impij eos,qui in recta sunt via. Propterea Ioannes in principio hodiernæ Epistolæ dicit: Nolite mirari fratres,si odit vos mundus. Ægyptij siquidem abominantur oues. Vita enim & conuersatio simplicium,opprobrium est abundantibus,& despectio superbis. Amator mundi odit separatum ab amore mundi. Et vera religio peccatori est abominatio. Qui enim renuunt adorare statuam auream Nabuchodonosor,nec volunt cõformari huic seculo,affliguntur hodie à ministris Chaldæorum. Sed quia electis Dei omnia cooperantur in bonum, à fornace Babylonica, & à persecutione secularium euadunt illæsi. Licèt enim ad tempus sustineant onus deserti maris,id est,mundi à Deo deserti,sicut lium à spinis punguntur, sed non corrumpuntur: sicut granum à palea premuntur, sed non deiiciuntur. Nolite mirari si odit vos mundus,quia Christum priùs odio habuit. Vnde in libro Sapientiæ impij de viro iusto dicũt: Grauis est nobis ad videndum. Et beatus Iob ait: Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur verbum mortis. Et iterum ait: Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus statutum. Seculares enim & malitiosi simplicitatem iustorum fatuitatem reputãt, qui tandem serò pœnitentes dicturi sunt: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. Diuites autem qui sericis vtuntur, & splendorem secularis vanitatis sectantur,lampades cõtemnunt,id est,humiles & pauperes,qui intus ardent flamma charitatis,sed exterius nulla resplendent gloria decoris. Ardet igitur iustus & contemnitur,quia flagrans virtutibus despectus æstimatur. Vnde in Psalmo: Memor esto opprobrij seruorum tuorum. Et iterum: Exprobrauerunt commutationem Christi tui. Exprobrant enim commutationem,quam Christus operatur in electis,dum de superbo facit humilem,de iracundo mitem,de ebrioso sobriũ,de luxurioso castum. Hæc est enim mutatio dexteræ excelsi. Hæc autem

*Simile.*

*Sapien.2.*

autem lampas contempta in præsenti, parata est lucere in tempus statutum, scilicet, in die iudicij. Tunc enim quanta virtute & præeminentia fulgeat, demonstrabitur. In hoc autem seculo nigra est, sed formosa filia Hierusalem. Nigra aduersitate pressurarũ, formosa decore virtutum: Nigra oculis insipientium, formosa iudicio prudentium: Nigra exteriori tribulatione, sed interius formosa charitate: Humilitatis studio nigra, sed cœlesti desiderio formosa: Nigra enim per corporis vilitatem, sed formosa per animæ sanctitatem. Et si nigra in terris, formosa tamen in cœlis. Nigra enim est mala transitoria sustinendo, sed formosa bona cœlestia sperando. Nigra est peruerse viuentibus, sed formosa æterna gaudia promittẽdo. Non ergo mirari debemus aut moueri si odit nos mundus. Vnde Philosophus: Mouerer si hoc iudicio facerent, sed non mouetur, quia morbo hoc faciunt. Non pro veritate, sed pro cõsuetudine latrant. Æquo enim animo audienda sunt imperitorum conuitia, & improborum contemptus est contemnendus. Et beatus Augustinus ait: Quomodo omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, quia omnes mali persequuntur bonos, nõ ferro & lapidibus, sed vita & moribus. Omnis enim qui iustus est, pius est, & ita luget cum Apostolo eos, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Nolite mirari si odit vos mundus, quia stultus est, iniquus, falsus, vanus & sordidus, fimus, limus, fumus & immundus, vnde fugiendus est & contemnendus. Propterea Augustinus ait: Si transitoriis innitamur, oportet quod cum illis transeamus: si labilibus, quod cum illis labamur. Et Osee ait: Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra, homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt. Non est veritas in terra, quia falsus est mundus. Non est misericordia, quia iniquus: non est scientia, quia stultus: homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, quia iniquus & sordidus. De vanitate autem & transitu eius, ait Naum Propheta: Niniue quasi piscinæ aquarum aquæ eius. Ipsi verò fugierunt, state, state, & non est qui reuertatur. Niniue quę interpretatur speciosa, dicitur mundus iste, propter exteriorem ornatum. Sicut autem aquæ piscinæ steriles sunt & inutiles, ita voluptates huius seculi & multitudo secularium hominum. Non continet mundus iste aquas fluminis lætificantes ciuitatem Dei, nec habet pisces illos, quos Petrus ad littus extraxit. Homines autem huius seculi fugiunt ad mortem & perditionem festinantes. Mundus autem fugitiuos suos nõ potest retinere quantumcunque laboret, & inuitet homines in deliciis transitoriis remanere. Omnibus enim ad interitum properantibus, non est qui reuertatur. Ipse etiam mundus aduocatus est cõtra se, & ipso facto clamat: state, state, id est, in lege Dei permanete, & me imitari nolite. Facilis enim transitus mundanorum, suadet non multum debere appeti, quod tam citò oportet amitti. Ægyptij enim compellunt filios Israël exire de Ægypto, dicentes, id est, ipso facto clamantes: omnes moriemur. Non est autem qui reuertatur, id est, rarus est, qui relictis mundi vanitatibus, ad Deum conuertatur. De falsitate autem & mendacio huius mundi, idem Naum ait: Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacij. Vel totum mendax, secundum Septuaginta, dilaceratione plena. Non solùm enim homines seculares, sed & mundanæ res mendaces sunt, felicitatem promittentes, & miseriam persoluentes. Vnde Ieremias ait: Apprehenderunt mendacium, & noluerũt reuerti. Et Psalmus ait: Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium, id est, diuitias temporales, quæ mentitæ sunt diuiti, dicenti: Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos. Mendaces sunt, quæ promittunt delectationem, & soluunt anxietatem & curam superfluam. Vnde dicitur dilaceratione plena. Animus enim secularium variis vitiis & anxietatibus laceratur, incursu cogitationum dissipatur, appetitu adimplendi desiderium scinditur. Dilaceratur autem dum impulsu desiderij opere malum perficitur. Idcirco viri sancti mundum fugiunt. Et teste Isidoro: Plus formidant prospera quàm aduersa, quia seruos Dei prospera decipiunt, aduersa verò erudiũt. Et beatus Gregorius ait: Vir sanctus ne dies aliqua vacua à labore transeat, vitæ fomenta formidat, aduersis gaudet, passionibus reficitur, mœrore refouetur, quot in mundo tribulationes exhibet, tot remunerationis pignora infra spei suæ cubiculum clausa tenet. Ideoq; temporalem pœnam lucrũ æstimat, quia per eam futuram pœnam euadere non formidat. Nolite mirari, si odit vos mũdus, ne blandiẽdo vos seducat. Pharao enim & Moyses, id est, stimulus vrgens & funiculus trahens, educunt filios Israël de Ægypto, id est, de amore mundano. Malus siquidem viuit bono, & expedit paleam esse cum grano. Non enim sine palea nutritur, nec ad maturitatem perducitur. In messe autem iudicij, quando venerit tempus ventilandi, exufflabitur palea, quę modò est necessaria. Expedit enim in agro huius seculi paleis circundari triticum. Fornax autem Dei non caret carbonibus, follibus, malleo, incude, & forcipibus. Mali enim in hoc mundo non sunt ociosi, sed per eos velut per instrumenta fabrilia formantur vasa gloriæ in fabrica Dei. Exemplo igitur Samsonis duas columnas domus, id est, timorem & amorem mundi huius fortiter cõcutiamus, quibus euersis & prostratis, cadat domus peccati, & interfectis Philistæis, id est, dæmonibus & vitiis, moriatur anima nostra cum Philistiim, vt mortui mundo, decætero viuamus Deo. Et si mundus nos odit, si mundani homines nos persequantur, reddamus eis bonum pro malo, & dilectionem pro odio. In hoc enim scimus quod translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Dilectio enim certum signum est, quo discernuntur viui à mortuis, filij Dei à filiis diaboli. Fonti enim charitatis cõmunicare nõ potest alienus. Alia cõmunia esse possunt bonis & malis. Quicquid vis habe, hoc solũ si non habeas, mortuus es: vita enim animę est charitas, sicut vita corporis est anima rationalis. Ecõtra,

*De exteriori nigredine Ecclesiæ, & interiori pulchritudine.*

*Osee 4.*

*Simile.*

*Expositio litteræ.*

*De odio & charitate.*

fraternum odium est mors animæ. Qui enim non diligit fratrẽ, manet in morte. Et alibi dicit Apostolus: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, id est, in carcere tenebroso cõmoratur. Carcer enim est illi cor ipsius. Ex quo patet, quàm detestabile vitium sit odium fraternũ, quod directè opponitur charitati. De quo dicitur in Gen. quod Ioseph accusauit fratres suos pessimo crimine, id est, fraterno odio. Hoc est vitiũ propter quod omnia peccata prius dimissa redeunt.

*Quod multa bona procedunt ex charitate.*

Ecõtrà, omnia bona comitãtur charitatẽ, quod manifestè ostendit Psal. vbi ait: Inflãmatum est cor meũ, igne, scilicet, charitatis, ex quo bona sequẽtia procedunt. Commutati sunt renes mei: ecce castitas: & ego ad nihilum redactus sum: ecce humilitas. Et nescíui: ecce bona simplicitas, quæ merita sua nõ attẽdit, sed posteriorum oblita, ad anteriora se extẽdit, vt dicat cum B. Iob: Si oculus meus fuerit simplex, hoc ipsum ignorat anima mea. Vt iumẽtum factus sum apud te: ecce patientia: & ego semper tecum: ecce perseuerãtia. Tenuisti manum dexterã meã ne caderem, & in voluntate tua deduxisti me ne deuiarẽ. Et cum gloria suscepisti me, cõferendo vitam æternã. Ecce quot & quãta bona proueniũt ex charitate & cordis inflammatione. Vnde Psal. ait: Funes ceciderunt mihi in præclaris, id est, vincula charitatis, quibus anima mea ad æternam claritatẽ protrahatur. Amor autẽ tepidus, vomitum prouocat, sicut scriptum est: Vtinã esses calidus aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiã te euomere ex ore meo. Calidus, scilicet, cordis inflammatione: frigidus, diuino timore. Diligamus igitur proximos nostros, vt pignus debitori reddamus, sicut in Ezech. dicitur: Ei enim qui nobis charitatẽ tenetur impendere, mutuã dilectionẽ tenemur reddere. Tunc autẽ pignus debitori reddimus, cùm nihil debiti eius apud nos retinemus. Adhuc plenius prosequitur Apost. de fraterno odio, dicẽs: Qui odit fratrẽ suum, homicida est. Primò animę suę, velut qui traiicit gladium per corpus propriũ, vt interficiat alium.

*De multiplici odio.*

Secundò, quantũ in se est, homicida est proximi, cui malũ optat, vel cuius mortẽ desiderat. Qui enim odio prosequitur fratrẽ, prouocat eum ad irã & discordiã, & ita quãtum in se est, occidit eius animã. Non solùm enim in diuinis scripturis, homicidium manus cõdemnatur. De quo dicitur: Qui accipit gladium, gladio peribit: sed insuper homicidium odij, de quo hîc habetur. Est præterea homicidium auaritię. De quo B. Ambrosius: Pasce fame morientẽ, nisi paueris, occidisti. Et homicidium linguæ. De quo Eccles. Flagelli plaga liuorẽ facit. Plaga autẽ linguæ cõminuit ossa, id est, fortitudinẽ virtutum. Est homicidium praui exẽpli. Vnde B. Gregorius: Sciant debẽt Prælati, quoniã tot mortibus digni sunt, quot perditionis exẽpla in subditos trãsmittunt. Est homicidium negligẽtię. Teste enim Ezech. Si speculator, viso gladio, buccinã nõ insonuerit, sanguis animarum requiretur de manu negligẽtis. Est homicidium fraudis. De quo Eccles. Qui effundit sanguinẽ, & qui fraudẽ facit mercenario, fratres sunt. Est homicidium rapinę. De quo in Eccles. dicitur: Qui aufert in sudore panẽ, quasi qui occidit proximum suum. Est homicidium incautæ reprehensionis. De quo in Deut. dicitur: Si is qui abiit in siluã ad ligna scindẽda, elapso ferro à manubrio proximum occiderit, ad vnã trium ciuitatum refugij cõfugiat. Securi increpationis in silua peccatorum ligna succiduntur, vitia, scilicet, tortuosa & infructuosa. Ferrum autem durioris sermonis à manubrio moderationis profiliẽs prolata cõtumelia, mentẽ auditoris ad odium inducit. Vnde necesse est ad vnã trium ciuitatum, id est, ad vnitatẽ fidei, spei & charitatis incautum reprehensorẽ cõfugere, vt veniã à Domino possit obtinere. Decimum autẽ homicidium est malę persuasionis, quãdo aliquis alium ad peccandum inducit. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Omnes autẽ prędicti homicidę priùs seipsos ą alios occidũt. Proterea Apost. subiungit: Omnis homicida nõ habet vitã æternã in se manentẽ, id est, Deum, qui est vita æterna. Qui enim se vel alium occidit, prædictã vitã amittit. Propositis autẽ multis rationibus de Dei & proximi dilectione, tandẽ subiungit de perfecta charitate sub exemplo Dominicæ passionis, dicẽs: In hoc cognouimus charitatẽ Dei, quoniã ille pro nobis animã suã posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere? hęc enim vera est & perfecta dilectio. Charitas enim primò cõcipitur, secundò nascitur, tertiò nutritur, quartò roboratur, quintò perficitur. Cõcipitur in voluntate, nascitur in misericordia & operatione, nutritur in gratia & deuotione, roboratur in patiẽtia & tribulatione, perficitur in sapiẽtia & cõtemplatione. Cuius certum signum est animã pro fratribus ponere. In hoc autẽ, teste August. magnum onus imposítum est infirmis, sed qui imposuit, rogetur, vt vires donare dignetur. Verã autẽ dilectionẽ à carnali dilectione distinguens, August. ait: Sunt amores hominum peruersi, sed ipse qui se peruerse amat, alterum nõ rectè amat. Qui autem se rectè amat, & alterum rectè amat. Licitus autẽ amor incipit à coniugio, sed adhuc carnalis est. Videtis quia cõmunis est cum pecoribus. Passeres coniugia habent, & nidos faciunt, simul oua confouent, simul pullos nutriunt. Licitus quidem est amor iste in hominibus, sed videtis quia carnalis est. Secundus amor filiorum est, sed adhuc ipse carnalis est. Non enim laudandus est qui amat filios, sed detestandus est qui non amat. Serpentes amant filios suos, leones & lupi amant filios suos. Noli ergo magnum putare quod amas filios tuos, si non amaueris, à serpentibus vinceris. Alius est amor, qui est propinquorum. Iam iste videtur proprius hominum, si non sit consuetudinis: nam maior est qui extenditur vltra propinquos, quàm qui tenetur intra propinquos. Qui amat propinquos suos, adhuc sanguinẽ suum amat. Ament alios qui non sunt propinqui. Iam multum dilatatus est amor iste. Tantum autem crescit, vt à coniuge ad filios, à filiis ad propinquos, à propinquis ad extraneos, ab extraneos ad inimicos perueniat. Hæc sunt verba diui Augustini de carnali & vera dilectione.

*De perfecta charitate.*

*De differẽtia inter veram & falsam dilectionem.*

De amí-

De amicitia autem consuetudinis ait: Quædam amicitia adhuc carnalis est pro consuetudine cohabitandi, colloquendi, similis & conuersandi, vt contristetur homo quando deseritur ab amico, cum quo solet colloqui & habere coniunctiones. Est igitur ista amicitia consuetudinis, non rationis, habent illam & pecora. Duo enim equi manducant similiter: & volatilia ad sibi similia conueniunt. Vera autem & perfecta charitas in hoc attenditur, vt sicut Christus sanguinem suum dedit pro nobis, ita & nos sanguinem demus pro proximis, vel ipsum effundendo, vel saltem ipsis obsequendo, & onera eorum supportãdo, vt sudemus & laboremus pro ipsis, & pallidi atque macilenti efficiamur, hoc enim pro sanguinis effusione nobis reputatur. Quod si ad tantam perfectionem peruenire non possumus, subditur remedium, vt saltem res nostras pauperibus distribuamus. Vnde Apostolus ait: Qui habuerit substantiã huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Exhortatur autem nos ad opera charitatis. Non enim sufficit charitatem habere in affectu, nisi illam habeamus in effectu, vbi fratrum necessitatibus subuenire valemus. Non enim debemus claudere viscera, sed compati: neq; manum claudere, sed subuenire. Quomodo enim pro fratre ponet animam, qui negat temporalem substantiam. Iudicium enim sine misericordia est ei, qui non facit misericordiam. Et quoniam pauci sunt diuites, qui in hoc non delinquant, tutius est vt vendat homo omnia quę habet, & det pauperibus, & fiat pauper. Vera autem charitas temporalem substantiam necessitatibus fratrum non præponit, sicut scriptũ est: Si dederit homo vniuersam substãtiam pro charitate, quasi nihil despiciet illam. Charitas enim transitoria bona, vilia reddit. Vniuersæ siquidem substantiæ mundi non potest charitas comparari, quia Deus charitas est, quæ sola morte est mercanda, & sine fine tenenda. Omnia autem quæ habet homo, nihil sunt respectu charitatis. Subueniamus igitur fratrũ necessitatibus, sicut scriptum est: Frange esurienti panem tuum. Panem, scilicet, temporalis substantiæ, cibando & potando egenum, vt quod substrahimus corpori nostro per abstinentiam, pauperibus erogemus per misericordiam. Egenos, vagosq; induc in domum tuam, hospites recipiendo. Cùm videris nudum, operi eum, nudos vestiendo. Et carnem tuam ne despexeris, infirmos visitando, sepeliendoq; mortuos. Dimitte eos qui cõfracti sunt liberos, incarceratos liberãdo, vt dicere possis.

*Exhortatio ad opera charitatis.*

*Vestio, poto, cibo, tectum do, uisito, soluo.* *Versus.*

Et quoniã non sufficit multiplicatio bonorũ operũ sine cordis contritione, præmisit Propheta: Dissolue colligationes impietatis. Pari modo non sufficit cordis cõtritio, sine bonorũ operum multiplicatione, valẽti, scilicet, & nõ volenti operari. Quãdo enim Maria per se, & Ioseph seorsum reuertitur, non reuertitur Iesus cum ipsis. Maria, mare amarum interpretatur, per quam cordis contritio. Ioseph, augmentum, per quem bonorum operum multiplicatio designatur. Sicut enim ieiunium sanat pestes corporis, & oratio pestes mentis, ita eleëmosyna pestes diabolicæ impugnationis. Vnde in Ecclesiastico de eleëmosyna dicitur: Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit. Magis enim valet eleëmosyna cõtra inimici iacula, quàm arma terrena. Et iterũ ibidem Ecclesiasticus ait: Perde pecuniam propter fratrem & amicũ, & non abscondas illam sub lapide, id est, sub cordis duritia. Perdenda est enim pecunia temporaliter, vt recuperetur æternaliter. Teste enim Sapiẽte: Iustus est qui negligit damnũ propter amicum, id est, Christum, non æstimando damnum, abiectionem corporis sui pecuniæ vel honoris propter ipsum. Bona enim est pecuniæ perditio, quando propter Christum conferetur ingrato. Malè autem pecunia perditur, quando contra pauperum necessitatem in arca per auaritiam absconditur. Non solùm autem pecuniam, sed seipsum perdit auarus. Non enim à seipso possidetur, dum pecunię seruus efficitur. Et sicut pauperibus rapit, sua bona pauperum detinendo: ita sibi ipse rapitur, seipsum amittendo. Si autem ea iudicamur rapere, quæ pauperibus non tribuimus, quid iudicandum est de illis, qui pauperum miserias, suas faciunt delicias? Et Isaias ait: Erit pro crispanti crine caluitium, id est, æternæ paupertatis defectio, & omnium bonorum spoliatio, pro temporalibus retentis, & non ad pauperes extentis. Dicente enim Domino: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: erit opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Econtrà, pauperes honorabuntur, quos elegit Dominus in fide diuites, & regni sui hæredes, sicut ait Iacobus Apostolus: Debemus igitur necessitatibus fratrum subuenire, & eos diligere interiori affectu, & exteriori effectu. Propterea Ioãnes in hodierna Epistola subiungit: Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Verbo & lingua diligunt, qui se diligere iactanter dicunt: Opere autem & veritate diligimus, si effectu ostendimus, & opere exhibemus, quod verbo promittimus. In veritate diligit, qui in Deo, qui est veritas, fratrem diligit, & propter Deũ ei bona impendit simplici intentione, non pro temporali remuneratione vel pro humana laude. Verbo autẽ & lingua diligunt adulatores, dũ ab eis laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Hi sunt aucupes diaboli, quia *Fistula dulcè canit uolucrẽ dum decipit auceps.* Vnde Salomon in Prouerbiis: Qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Hoc est quod Isaias ait: Populi meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Isti enim venatores diaboli vias peccatorum melle liniunt, vt ipsos in foueam inducant. De quibus Isaias ait: Rugiemus quasi vrsi omnes. Rugitu enim intensi desiderij laudibus suis velut melle delectantur. Melius autem est à sapiẽte corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti, quemadmodum in Parabolis Salomon

*De vera & falsa dilectiõe.*

*De adulatiõe. Simile. Prouerb. 29.*

Salomon ait: Adulator enim & seipsum cõsumit, peccata sua multiplicando, & animam illius cui blanditur, inflammat, inaniter attollendo. Ipse enim quasi coquus diaboli, carnes in olla coquit, dum carnales homines inani gaudio dissoluit, vt sint quasi sorbitiunculæ à diabolo absorbendæ. Pessimus est coquus iste, qui salsamento vanæ laudis peccata reddit sapida his, qui cordis palatum habent corruptum. Vbi autem totum occupat charitas, non est vbi se immisceat vanitas. Sancti enim non delectantur laudibus suis, sed magis cruciantur & purgantur. Vnde in Parabolis: Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantium. Non igitur fauendum est adulatoribus, qui lingua diligunt, & quasi aurugo segetem bonorum operum denigrant, & reddunt inanem. Vnde Amos: Percussi aurugine multitudinem vinearum vestrarũ. Et in libro Sapientiæ: Fascinatio nugacitatis, id est, adulationis, obscurat bona. Et Ieremias ait: Filij colligunt ligna, patres accendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli, id est, Lunæ defectiuæ potestati huius seculi. Placentas faciunt, qui placere adulando quærunt. Patres autem sunt Prælati, qui cõsuunt puluinaria sub capite vniuersæ ætatis. Filj autem, id est, subditi, ligna, id est, materiam adulationis colligunt, dum fauent adulationi maiorum. Mulier quæ adipem aspergit, est mundana vanitas, quæ adulationis ignem accendit. Hi igitur caupones diaboli, aquam vino miscentes, sunt amici fortunæ, nec permanent in tempore necessitatis. Vnde in Parabolis: Dens putridus & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. Dens siquidem putridus, inutilis efficitur, & noxius vbi debuit esse necessarius, scilicet, in comestione. Pes autẽ lassus, hominem facit corruere, & ad terram ceruicem illidere. Tales sunt amici falsi, omnibus confidentibus in ipsis. De his autem, qui variis laudibus alios per adulationem attollunt, dicit Salomon in Parabolis: Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis est, id est, qui fauore superfluæ laudis eum attollit, vel malis fauendo, vel bona plus æquo laudando, quod est nocte consurgere, & in tenebris ambulare, maledicenti assimilatur, vel, quia in malo opere laudando confidentiam tribuit, vel in bono opere simplicitatem puri cordis minuit, vt quod superni amoris causa inceperat, humano fauore consummet. Fugiamus igitur amicos falsos, qui diligunt verbo & lingua, & adhæreamus vero amico, qui nos dilexit opere, pro nobis moriendo, & veritate vitam æternam, sicut promisit seruis suis, largiendo. Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Similes.*

*Prouer. 27.*

*Prouer. 27.*

## EADEM DOMINICA SECVNDA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Lucam.

*Luc. 14.*

*Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*

*Apoc. 16. De prædicatoribus & his qui audiunt, & vitam nõ mutant.*

LEGIMVS in Apocalypsi, quod Angelus effudit phialam suam in terra, & factum est vulnus sæuum ac pessimum in homines, qui habent characterem bestiæ, & eos qui adorauerunt imaginem eius. Angelus dicitur prædicator, qui nuntius est diuinæ voluntatis. Per phialam autem propter eius amplitudinem, copiosa prædicatio intelligitur. Vnde dicitur in Exodo, quod in mensa Domini, id est, in sacra scriptura, erant cyathi minoris, scilicet, capacitatis, per quos minimorum prædicatio, & phialæ maioris capacitatis, per quas maior prædicatio, & maiorum instructio designatur. Erant autem phialæ aureæ, vt prædicatio Doctorum auro diuinæ sapientiæ resplendeat. Philalas autem aureas Angelus, id est, prædicator effundit: dum verbum Dei terrenis hominibus proponit. Effusio enim phialæ, comminatio est vltionis diuinæ. Effusa autem phiala diuinæ prædicationis fit vulnus sæuum & pessimũ in his, qui verbum Dei contemnunt, & bestialiter viuunt, diabolum imitando. Characterem enim bestiæ adorant, id est, imaginem diaboli venerantur, qui eum imitantur. Et maximè in elatione superbiæ, quæ est specialiter diaboli character, quo eius imitatores illi assimilantur, sicut Christi imitatores per humilitatem & tribulationum tolerantiam, crucis charactere signari dicuntur. Fit autem vulnus sæuum & pessimum, id est, damnatio nociua & insanabilis super eos, qui verbum Dei audiunt, & nihilominus bestiæ characterem retinent, dum ex prædicatione deteriores efficiuntur, & Prælatis suis obedire contemnunt. Characterem enim bestiæ & elationem superbiæ in se ostendunt, qui contumaciter Doctoribus contradicunt. De his autem beatus Iob ait: Halitum meum exhorruit vxor mea, id est, anima, quam in baptismo desponsaui, prædicationem meam abominatur, vt sit ei odor mortis in mortem, quæ aliis est odor vitæ in vitam. Ecce quanta est miseria verbum Dei cõtemnere. Contritio enim & infelicitas in viis eorum, quia viam pacis & patriæ cœlestis ex diuinis scripturis cognoscere cõtemnunt. Contritio, scilicet, in præsenti, & infelicitas in futuro. Hîc enim pede diaboli conculcantur, sicut dicitur in Iob: Vadent & venient super eum horribiles. In futuro autem æternæ infelicitatis cruciabuntur supplicijs, nisi pœniteant, & clament: Miserere mei Deus, quoniam conculcauit mę homo. Orate ergo Dominum, vt ex phiala verbi sui hodie animas vestras reficiat, & vulnus sæuum ac pessimum à vobis amoueat. Homo quidam fecit cœnã magnam, &c. Animaduertamus parabolam & interpretationem, verba Sapientiæ & ænigmata eorum. Consilium est Salomonis in Para-

in Parabolis. Vnde subtiliter & profundè intelligere debemus verba Euangelij hodierni, & animaduertere parabolas Christi. Homo enim peccãdo tam longè à deliciis Paradisi factus est, vt vix eas nominatas recordari valeat, nisi per parabolas & exempla. Ait igitur per similitudinem: Homo quidam fecit cœnam magnam. Homo, scilicet, ille, de quo scriptum est: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus, id est, Christus in beata Virgine, velut in gloriosa ciuitate, quam tamen ipse altissimus, id est, Christus, secundum quod est Deus, fundauit. Cœnam fecit, quia cœlestem gloriam nobis præparauit. In qua tot sunt fercula, quot delectationes & gaudia. Tria enim principalia fercula sunt, cognitio, quæ succedit fidei, possessio seu fruitio, quæ succedit spei, caminus ardentis charitatis, quæ succedit igniculo dilectionis, quam habemus in præsenti. Quia teste Isa. Ignis est in Sion, id est, in præsenti Ecclesia, & caminus in Hierusalem, scilicet, in ciuitate superna. In hac autem gloriosa cœna propinat Dominus pigmentum ex omnibus speciebus, & delectationibus Paradisi confectum, sicut scriptum est: Calix meus inebrians, quàm præclarus est. Et Isaias de huius cœnæ dulcedine, ait: A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. In Matthæo autem dicitur: Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et loquitur de inuitatis ad prandium præsentis Ecclesiæ, ad fidem, scilicet, & Ecclesiastica sacramenta. Lucas autem hîc loquitur de inuitatis ad cœnam æternæ refectionis. Cœna autem vltima est, & in ea delicatiora cibaria apponuntur. Hæc est beatitudo æterna. Tantò igitur ad hanc cœnam festinantius currere debemus, quãtò post eam nulla restat, quam inuenire possumus. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, sicut in Apocalypsi dicitur, non solùm prædicatione, sed prædestinatione vel interna inspiratione, quia, scilicet, interius tracti sunt, & venire non contemnunt. Multi autem vocati sunt exterius, qui venire noluerũt, sicut in hodierno Euãgelio dicitur. Dominus enim stat ad ostiũ & pulsat, & multipliciter nos vocat, vt homo respõdeat ei in via virtutis suæ, id est, pro posse suo, vel in charitate, quæ via est virtutis nostræ, per quam gradimur ad Deum. Vocat Deus interius inspirãdo, & respondet ei homo, cordis ostium aperiendo. Ostium enim pulsanti aperit, qui gratiam oblitam recipit, sicut in Canticis dicitur: Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, id est, remotis impedimentis, ipsum in cubiculo cordis mei recepi. Vocat Deus verbo & præcepto, & respondet ei homo per obedientiam. Vocat per somnia & reuelationes, & respondet ei homo per subtilem intelligentiam, & mandati impletionem. Vocat flagello compellendo intrare, & respondet ei homo per patientiam. Vocat beneficio, & respondet ei homo per gratiarum actionem. Vocat exemplo, & respondet ei homo per imitationem. Multi autem vocantur, & venire contemnunt. Væ qui spernunt, quoniam ipsi spernentur. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorũ. Quia, scilicet, Domino vocante, dorsum verterunt, sicut idem Ieremias ait: Recesserunt & abierunt, & non dixerũt in corde suo: metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, id est, legem vel gratiam præuenientem, & serotinam in tempore suo, id est, Euangelium, vel gratiam subsequentem, plenitudinem animæ messis custodientem nobis, id est, gratiam saluantẽ, quam reddet in anno benignitatis. Ecce quàm ingrati extiterunt, quos Dominus tot beneficiis vocauit, & quos Deus non semel, sed multoties vocauit, sicut ipse per Ierem. ait: Laboraui rogans, quasi dicat: In vanum rogaui, quia venire recusant. Vel laboraui rogatus, secundum aliam translationem, id est, crebro ignoscendo. Dominus enim ab his, qui frequenter cadunt, frequenter rogatur, & ipsi gratiam redditam peruipendunt, & facilè abiiciunt. De quibus Ieremias ait: Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Non solùm autem Dominus delicias nobis præparauit æternas, sed insuper earum dulcedinem nobis nuntiauit, sicut scriptum est: Annuntiaui & locutus sum. Misit enim seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Ex quo patet, quod nullam de ignorantia habent excusationem. Inuestigandæ enim essent deliciæ Domini, si fuissent absconditæ, & rogandus esset, qui rogat. Nunc autem præparãtur & annuntiantur, & gratis offeruntur, & tamen pigritia torpemus fastidientes manna cum reprobis Iudæis. De quibus dicitur: Omnem escam abominata est anima eorum, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Rogat nos Dominus, & paratus est dare non rogatus. Misit autem Dominus seruum suum, id est, chorum Doctorum, hora cœnæ, id est, sexta ætate, scilicet, tempore gratiæ, in mundi fine. Nos enim sumus, in quos fines seculorum deuenerunt. Et quoniam nocuit differre paratis, dicitur inuitatis: quia parata sunt omnia. Occisus enim est & præparatus Agnus, in quo omnia bona possidemus. Præcesit nobis parare locum, posita est mensa refectionis iocundæ, præparatæ sunt epulæ satietatis æternæ, amota est romphea, aperta est ianua, publicata est via. Nullum est exemplum virtutum, quod non sit manifestatum ad instructionem nostram ex operibus præcedentium sanctorum. Iam enim innocentiam Abel audiuimus, longanimitatem Noë, obedientiam Abrahæ, constantiam Isaac, tolerantiam Iacob, castitatem Ioseph, mansuetudinem Moysi, misericordiam Dauid, patientiam Iob, & aliorum sanctorum virtutes & sanctas conuersationes. Quorum exemplo & doctrina fulget Ecclesia vt Sol & Luna. Nunc autem videamus, qui sint illi, qui venire noluerunt: Sed cœperunt simul omnes excusare, vt, scilicet, proprię vocis professione, à cœlorum regno meritò excludantur. Qui enim terrenis & caducis bonis inhiant & inhærent, ad cœnã Domini venire recusant. Quia non potest

*De mensa Domini & ferculis.*

*Isa. 64.*

*De multiplici vocatione, & responsione diuina.*

*De his qui vocati, venire contemnunt. Ierem. 18. Ierem. 5.*

*Ierem. 15.*

*De præparatione dominicæ cœnæ.*

dulcis esse

dulcis esse ei Christus, cui adhuc dulcis est mundus. Et qui terrenis allecti sunt deliciis, ad veras & cœlestes delicias non aspirant. Amor enim temporaliũ, viscus est spiritualium pennarum. Spirituales siquidem deliciæ in fastidio sunt, cùm non habentur: cùm autem habitæ eduntur, quantomagis deguſtantur, tantò amplius desiderantur. Vnde Psal. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Nisi enim priùs gustauerimus, ad eius plenam suauitatem peruenire non valemus. Econtrà, carnales deliciæ cùm habentur, in fastidio sunt, cùm non habẽtur, in desiderio. Tria autem hominum genera sunt, qui ad cœlestes epulas inuitantur & venire recusant, superbi, auari, & luxuriosi, qui per villam, & iuga boum, & vxorem designantur. Villam enim emit, qui superbit, & dominationem quærit. Quam videre exit, qui studiosè dominari intendit. Quinq; iuga boum emit, qui quinq; sensus corporis terrenis apponit. Probat ea dum terrena requirit, & anxia mentis cogitatione terrena versat. Vxor est voluptas carnis, quæ à cœna Domini obscœnis delectationibus deditos retrahit. Emptio igitur villæ, ad ambitionem seculi & superbiam vitæ pertinet. Probatio boum, ad curiositatem & concupiscentiam oculorum. Ductio vxoris, ad cõcupiscentiam carnis. Primos superbia inflat, secundos auaritiæ curiositas, tertios luxuria inquinat. Teste enim beato Ioanne: Quicquid est in mundo, vel est superbia vitæ, vel concupiscentia oculorum, vel concupiscentia carnis. Ninive enim, id est, mundus iste, ciuitas est horum trium dierum. Et accipitur dies in malo, secundum quod Ieremias ait: Diem hominis non desideraui, id est, lucem transitoriæ prosperitatis. De his autem tribus vitiis Dominus per Amos ait: Conteram vectes Damasci, & disperdam habitatores de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis. Conteram vectes, id est, superbos inflexibiles & rigidos. Disperdam habitatores de campo idoli, id est, de lata via auaritiæ, quæ est idolorum seruitus. Et tenentem sceptrum de domo voluptatis, id est, luxuriosos, qui tanquam mali duces, alios corrumpunt. Diabolus etiam sceptrum de domo voluptatis dicitur tenere, quia plenè regnat in homine, cui voluptas dominatur in corpore. De his etiam tribus dicitur in Iob: An extrahere poteris Leuiathan hamo? Ecce curiositas auaritiæ, quæ per aquas temporalium discurrit. Nunquid illudes ei, quasi auî? Ecce leuitas & elatio superbiæ. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in ymbilico ventris illius. Ecce vehemens impetus luxuriæ. De his etiam Isaias ait: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api quæ est in terra Assur, & venient & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis. Musca fluminum Ægypti, est voluptas carnis, inquieta, & immunda. Per apem terræ Assyriorum, id est, dæmonum, contra Christum se erigentiũ, superbia designatur, & auaritia, quę dulcedine lucri temporalis, velut melle delectatur, sed aculeus sollicitudinis in præsenti, & pœnæ in futuro latet in dorso, & ideo non videtur, dum mel gustatur. Musca autẽ in torrentibus valliũ requiescit, id est, in his, ad quos confluunt immunditiæ sordiũ. Apis autẽ requiescit in cauernis petrarũ, id est, in duris & vacuis, & cauernosis cordibus superborũ, & in fractis, id est, auaris multis punctionib⁹ plenis. Primus igitur qui ad cœnã Domini venire noluit, ait: Villã emi, & necesse habeo exire & videre illã: rogo te habe me excusatũ. In villa, teste beato Augusto, superbia, dominatio & ambitio notatur. Hanc villã Lucifer emit, dato pretio Paradisi. Qui autẽ sequitur ventũ pompæ secularis, rem vilissimã carè emit, dũ pretiosam animã dat diabolo, pro qua Christus sanguinẽ effudit. Vnde in Threnis Iere. ait: Dederunt pretiosa quæq; pro cibo, ad refocillandã animã, id est, animalitatẽ. Homines enim animales vento vanitatis refocillantur, non satiantur, sed inflantur, & à bonis spiritualibus & pretiosis euacuantur. Vnde Chrysost. ait: Qui desiderãt primatũ in terris, confusionẽ inuenient in cęlis, quãdo, scilicet, astabunt ante tribunal Iudicis. Hi sunt qui amore dominãdi more Semei exeunt de Hierusalẽ, & veniunt in Geth, sequẽtes seruũ fugitiũ, id est, honores caducos, & fugitiuas, atq; transitorias seculi vanitates, relinquẽtes pacẽ pectoris & quietẽ contemplationis, transeundo ad torcularia curarũ, & pressuras tribulationũ. Geth enim torcular interpretatur. Cùm tamen oliua vitis & ficus noluissent relinquere dulcedinẽ suam, amore dominandi lignis siluarũ, sicut dicitur in libro Iudicum. Præceperat autem Salomon Semei, vt ædificaret domũ in Hierusalem, & nõ transiret torrentem Cedron. Et Christus nobis præcepit, vt cõuersatio nostra sit in cœlis, & mente in superna Hierusalẽ habitemus, & nõ transeamus tristitiã pœnitentię & mœroris. Cedron enim tristis mœror interpretatur. Sicut igitur à Salomone interfectus est Semei, ita qui mũdi vanitatẽ sequuntur, subtracta diuina gratia moriuntur. Seruus enim fugiens, est caro nostra, dũ refugit spiritui obedire. Spiritus autẽ illã sequitur post cõcupiscentias suas abeundo. Dũ autẽ quis villã emerat, ait: Habe me excusatũ. Humilitas sonat in voce, dũ se excusari petit, sed superbia in actione, dũ venire renuit. Multi hodie quasi postulãt se excusari, dicẽtes: Orate pro me, veruntamẽ quæ dicitis nõ possum facere, propter homines qui me derideręt, propter vxorẽ & filios, qui pauperes remanerẽt si restituerẽ ablata, propter ingenuitatẽ meã, & potestatẽ mihi traditã. Alioquin terram nõ possem regere, si vitã secularẽ vellẽ relinquere. Oportet me negotiis secularibus implicari, nõ possum diuinis vacare, vel Ecclesiã frequẽtare, oportet me rebus familiaribus intẽdere. Quàm friuola excusatio, quę trãsitoria præfert æternis, & vanitatẽ veris bonis. Hi igitur pro se orari petunt, & se iuuari nõ permittũt, dum orationis effectũ malè viuẽdo impediũt. Sicut si infirmus dicat: Accipe hanc potionem pro me, non possum eam bibere. Nunc autem de alio differamus, qui ait: Iuga boũ emi quinq;, & eo probare ea: rogo te habe me excusatum.

*De tribus generibus hominum venire recusantium. De villa, bobus & vxore.*

*De superbia, auaritia, & luxuria.*

*Isay.*

*De superbis, qui villam emerunt.*

*Simile. De auaris, qui iuga boũ emerunt.*

Ecce

Ecce homines auari more boum per cupiditatem terrā versantes, & in terrenis conuersantes, quinq; sensus corporis, quos receperunt ad vsum naturæ, in vsum conuertunt culpæ. Nemo enim militans Deo, implicat se secularibus negotiis. Difficilè enim qui pecuniam habent, intrabunt in regnum cœlorum. Vnde & beatus Gregorius ait: Quidam dum se terrenis abundare conspiciunt, veras diuitias non requirunt, & æternam patriam non amant, quia temporalia sufficere putant. Non ergo census est in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit, bona sunt, sed qui bonis malè vtitur, hoc agit vt per edacitatis ingluuiem, eo quo debuit viuere pane, moriatur. Iuga boum emi quinque. Quàm fatuus mercator, qui regno cœli contempto, infelici commercio quinq; sensuum se subiicit seruituti. In hac enim fame & penuria virtutum, sicut in libro Regum dicitur, stercus columbinum, id est, temporalia, quæ sancti stercora reputant, quinque siclis totidem sensuum emitur. Quàm miseri, qui iugum Christi suaue tollere renuunt, & iugum grauissimum curiositatis & auaritiæ sibi imponunt. Quæ tanquā mulier multiuola nequit satiari. sicut scriptū est: Non implebitur oculus visu, nec auris auditu. Iuga boum emi quinque. Væ tibi terra cuius Rex est puer, id est, cuius ratio non quærit nisi puerilia & temporalia. Propterea in Parabolis Salomō ait: Prosperitas stultorum perdet illos. Copia enim & amor temporalium, facit stulto quasi patibulum, quo suspendatur. Cuius duo brachia sunt potentia & opulentia. Lignum autem superius est inanis gloria, cui alligatur, dum per iactantiam diuitiarum extollitur. Quinque autem iuga boum dicuntur, propter quinque sensuum combinationem. Duæ enim sunt aures, duo oculi, duæ nares. In gustu, lingua & palatum. In tactu principaliter, duæ sunt manus, vel gemina carnis, exterius & interius voluptas. Quod autem ait, eo probare illa. Probatio ad curiositatem pertinere solet. Multi dum semetipsos non attendunt, aliena opera ad derogandum magis, quàm ad corrigendū curiosè inquirunt, vt non compatiantur vel doleant, sed vt diiudicent vel condemnent, & qui trabem in oculo suo nō vident, de aliorum oculo festucam eiicere nituntur, vt sanctiores aliis videantur. Et dum alienas actiones iudicant, seipsos obliuiscuntur. Hi igitur velut Dina, dum curiosè exeunt explorare, quod non pertinet ad ipsos, plerunque corrumpuntur. Qui igitur in puellari est ætate, & adhuc neophitus & nouellus, maneat in domo secreti pectoris & curiosè non exeat. Illi verò ad aliorum actiones corrigendas foras exeant, quos ætatis maturitas, & morum grauitas, & diuturna sanctitas, & temperantia discretionis, idoneos reddit & modestos. Consequenter videamus de alio, qui respondit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Licèt autem bonum sit coniugium, & ad propagationem humani generis institutum, multi tamen per hoc expetunt, non fœcunditatem, sed fœditatem voluptatis. Quidam etiam ne vxores offendant, Deum offendere non timent. Vnde Dominus ait ad Adam: Pro eo quòd obedisti voci vxoris tuæ, plus quàm meæ, maledicta terra in opere tuo. Per vxorem etiam intelligitur carnalis voluptas vel sensualitas, quam habere debemus velut ancillam, non tanquam vxorem. Teste autem Salomone, per odiosam mulierem mouetur terra, cùm fuerit in matrimonium assumpta. Non solùm enim per fumum mundanæ vanitatis, vel per stillicidium diabolicæ suggestionis, sed per vxorem malam & litigiosam sensualitatis, dum eius carnalibus desideriis irretitur, eiicitur homo de domo sua, sicut per Euam eiectus est de Paradiso Adam. Non igitur consentiendum est mundo decipienti, nec diabolo suggerenti, nec carni blandienti. Hæc est mulier illa vaga & quietis impatiens, de qua in Parabolis Salomon ait: Quod præparata ornatu meretricio ad decipiendas animas, occurrit iuueni, id est, rationi: dū primordia tentationis opponit, quæ loquitur spiritui, dicens: Intexi funibus lectulum meum, breuem, scilicet, & transitoriam voluptatem, quæ funibus peccatorum & carnalium desideriorum intexitur, straui tapetibus pictis, id est, varietate desideriorum, ex Ægypto mœroris & tenebrarum. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Neminem enim potest seducere, nisi in nocte tenebrarum & ignorantiæ. Mulieri autem sic loquenti, respondeamus sicut Iob: Quasi vna ex stultis mulieribus locuta es mihi. Nō ergo vtamur sensualitate ad voluptatē, neq; carnis desideria complexamus. Teste enim Seneca: Quidam seruiunt voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua, quod malorum est vltimum, amant. Tunc enim consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerāt vitia, mores sunt. Pensandum autem est, quod qui vxorem duxit, non se rogat excusari. Carnalis enim voluptas totum hominem absorbet, vt efficiatur quasi caro, & nullum habeat respectum ad Deum. De huiusmodi Osee dixit: Omnes calefacti sunt, quasi clibanus, & deuorauerunt Iudices suos. Ardore enim praui desiderij calefactus homo, æstuat intus quasi clibanus. Et hoc igne Iudices deuorantur, id est, ratio & intellectus, dum captiui tenentur & excæcati, non iudicant de peccato, nec cogitant de Deo. Supercecidit enim ignis luxuriæ, & non viderunt Solē iustitiæ. Est enim luxuria parte prima Leo, dum audacter & impetuosè fertur ad desideria sua. Media Caper, fœtet enim postmodum infamia. Anguis ad ima, quia aculeum habet in cauda, pungendo per malam conscientiam, & per pœnam æternam. Cùm igitur, teste Salomone, tria sunt valde difficilia, scilicet, via aquilæ, id est, superbia: via colubri, id est, inuidia, & quælibet spiritualis nequitia: via nauis in mari, id est, auaritia: quartum est quod penitus ignorat Deus, id est, via viri in adolescentia. Luxuriosus enim penitus ignoratur & reprobatur à Deo, quia ignorat Deum, nec attendit ipsum abstractus & absorptus, & feruore libidinis illectus. Siquidem igneus ille feruor

*De curiosis.*

*De luxuriosis qui vxores duxerunt.*

nescit

*Versus.* nescit habere modũ. *Nil nisi turpe iuuat, grata est sua cuiq; voluptas. Hei mihi, quòd nullis amor est sanabilis herbis. Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper, Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus.*
Vnde Ierem. de populo Iudęorũ ait. Prius comedet eum Rex Assur, nouissimus exossabit eum Nabuchodonosor Rex Babylonis. Assur significat superbiã, quæ licet erigat se contra Deũ, non tamen ita absorbet hominem, quin faciat opus de genere bonorum. Rex autem Babylonis ita cõfundit hominẽ & exossat atq; debilitat per carnis voluptatẽ, vt sit omnino carneus, mollis &
*Iob. 8.* effœminatus, vt sicut teste B. Iob: nõ potest virescere scirpus absq; humore, ita nõ possit viuere homo carnali voluptati deditus absq; humore luxuriæ. Vnde Moyses noluit legatos mittere, nec fœdus inire cum Og Rege Basan, vt transiret per terram eius, sed statim illum expugnauit & occidit, licèt ad alios reges, scilicet, Edom & Moab mitteret nuncios, vt per terram eorum posset pacificè trãsire. Og interpretatur cõclusio, Basan ignominia vel turpitudo. Per Og igitur spiritus fornicationis intelligitur, qui hominẽ ignominiosa turpitudine absorbendo concludit. Cum quo nullum fœdus inire debemus, nec per terram eius transire, sed statim eliminandus & puniendus, & cum suis circunstãtiis exterminãdus omnino est. Cum Moabitis, id est, cũ superbis, qui ex patre diabolo sunt, & Edõ, id est, auaris qui terrã diligũt. Edõ enim terrenus interpretatur, cõuersari possumus in hoc seculo, nõ est tã periculosus eorũ cõuictus, sed occasiones
*De eis qui vocantur in plateis.* luxuriæ penitus expugnandę sunt & destruẽdæ. A vestimẽto enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Nunc autẽ videamus quid respõderit Dominus seruo nũcianti, quod inuitati ad cœnã nollent venire. Exi, inquit, citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cęcos & claudos introduc huc. Ciuitas est mundus iste. Mittit ad plateas cũ peccatores de lata via quę ducit ad mortẽ, vocat vt per angustam viã intrare possint ad vitam. Ad vicos autẽ mittit, dum vocat illos quos rerũ inopia coarctat & cõstringit, vel per plateas latè patẽtes iniquitatis
*De quatuor generibus hominum.* via designatur. Per vicos autem cõtubernia inhonestæ cõuersationis, quæ nõ adeo manifestatur, possunt etiam per plateas, hi qui in maioribus sunt peccatis intelligi. Per vicos autẽ qui in minoribus sunt, designari. De plateis igitur & vicis quatuor genera hominũ ad cœnã Domini vocãtur, scilicet, pauperes, debiles, cęci & claudi. Infirma enim mundi eligit Deus. Infirmitas siquidem corporis nullum à regno cœlorũ excludit. Quinimo citius ad Deum cõuertuntur, qui nihil habent in mundo vnde delectentur, & quos mundi prosperitas diuersis occupationibus nõ ligat. Licèt enim ab amatoribus mundi huiusmodi homines viles habeantur & reputentur inutiles, per prędicationem tamen vocati & per gratiã iustificati, apud Deũ iudicantur glorioli & sublimes. Nã seruum Ægyptiũ à Domino suo viro Amalechite abiectũ verus Dauid suscipit & exercitus sui ducẽ facit. Per prædictos etiam humiles peccatores intelliguntur, quos Dominus ad cœnã suam introduci præcipit, reprobatis peccatoribus superbis & obstinatis. Licèt enim pauperes sint spiritualibus bonis carẽtes, & debiles, infirmi, scilicet, ad bonũ peragendum languentes, cæci peccatorũ suorũ tenebris inuoluti, claudi, id est, à via veritatis deuiantes, quia tamen non seipsos superbè iustificant à Domino vocantur, & iustificantur vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Tales fuerunt qui ex gentibus conuersi sunt Iudæis propter superbiam reprobatis. Introducuntur insuper pauperes spiritu, qui de suis virtutibus nõ pręsumunt. Debiles qui se infirmos reputant, & ad faciendum malum non sunt fortes. Cæci, id est, simplices laici, qui lumen ingenij non habẽt, neq; sctipturas intelligunt. Claudi, quorum pedes non sunt veloces, vt currant ad malum, claudicantes sicut Iacob, habentes pedem suspensum id affectum ad superna erectum. Tales autẽ vocati sunt ex Iudęis & quotidie vocantur & cõuertũtur ex Christianis. Qui licèt peccatores sint & charitate careãt, multa tamẽ de genere bonorum opera faciunt, & ad gratiam Dei recipiendam se præparant. His igitur introductis ait seruus, qui eos vocauerat, Domine factum est vt imperasti & adhuc locus est. In domo enim cœlesti multæ sunt mansiones, in quibus vsq; in finem mundi quotidie recipiuntur electi, & singulis diebus ad Dominum peccatores cõuertuntur, quousque domus eius impleatur. Vnde &
*De viis & sepibus.* Dominus ait seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. De viis tortuosis & spaciosis quæ ducunt ad mortem, adducũtur peccatores vt per viã rectam incedãt. De sepibus etiã colliguntur, qui tortuosis flexibus more sepiũ, variis, scilicet, criminibus & peccatis erant obligati. Possunt tamen in bono hæc intelligi, vt dicatur mittere ad vias, dum illos vocat, qui sunt in via boni propositi & in via fidei. Ad sepes mittit, cùm illos vocat, qui se muniunt contrà ventũ diabolicæ suggestionis, & ab occursu bestiarũ segetes bonorum operũ defendunt, & culta ab incultis secernũt. Tales enim ad cœnam æternæ beatitudinis Dominus introducit. Quod autem dicitur: Cõpelle intrare, ad tempus ante conuersationẽ eorum refertur.
*De triplici vocatione. Simile.* Triplex siquidem in hodierno Euãgelio fit vocatio. Primò vocantur contumaces & obstinati, qui venire contemnunt allecti cadaueribus more corui, & fugitiui sicut Cain exeuntes foras. De quibus Amos: In cũctis quę foris sunt, dicetur, væ, væ, id est, væ culpæ & væ pœnæ. Secũdò vocantur de plateis & vicis humiles & abiecti peccatores, qui in auditu auris obedierunt & venerunt. Tertiò vocantur de viis & sepibus rudes & agrestes homines, qui verbis &
*De his qui compellantur intrare.* exhortationibus nolunt venire, sed flagellis & verberibus compelluntur intrare, quibus vexatio dat intellectum, sicut scriptum est: Cùm occideret eos, quærebant eum. Et iterum: Reple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Hoc est quod Michæas ait: Veniesque in Babylonem, ibiq; liberaberis. Sic enim filius prodigus compulsus est ad patrem reuerti. Et Ionam fugi-

nam fugitiuum tempestas reduxit ad Deum. Et Paulus venit prostratus, qui priùs venire noluit, vocatus. Vnde B. Augustinus ait: Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Et Seneca dicit: Est genus hominum, qui cogi ad rectum, compelliq; possunt, quibus nō duce tantùm opus est, sed adiutore, & vt ita dicam, coactore. Dominus enim sepit vias nostras spinis & macerta, obiiciens nobis varia impedimenta, vt nō apprehēdamus amatores nostros, sed reuertamur ad virum nostrū priorem, id est, ad Christum, quem dereliquimus: sicut scriptum est: Eruisti animam meam ne periret. In verbo eruendi difficultas notatur. – *Inuita sæpè iuuamur ope.*

*Sæpè tulit lassis succus amarus opem.* *Versus.*

Vnde super hunc locum: Onus Tyri in Cethim consurgens, transfreta: ibi quoq; non erit requies tibi, dicit B. Hieronymus. Sępè videmus quosdā à proposito suo transire ad aliud. A militia ad negotiationē, à causis ad arma. Mutant industriam, vt mutent felicitatem. Sed Domino disponente, omnia eueniunt cōtraria, vt per miserias coacti nō in se, sed in Domino creatore confidant. Possumus autē per illos, qui ex vicis & plateis venerunt, populū Iudæorū allegoricè intelligere, qui tenere lege suburbana cōuersatione nouerant. Per eos autē qui de vicis & sepibus vocatur, agrestis populus Gentiliū designatur: sicut scriptum est: Inuenimus eam in campis silux. Tunc enim exultauerūt omnia ligna siluarum, agrestes, scilicet, & infructuosi, qui ad fidem vocati sunt. Vnde seruus ait: Factū est vt imperasti, & adhuc locus supereſt: quasi dicat: Multi collecti sunt ex Iudęis, & adhuc restat locus, vbi suscipiatur Gentiū multitudo. Per eos autē qui venire noluerunt, intelligimus eos, qui ex vtroq; populo perierūt. Contra quos terribilis valde profertur sentētia, cùm dicitur: Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnā meam. Qui enim non gustant prandiū in hoc seculo, nō gustabunt cœnā in alio, sed dicetur eis: Nescio vos. Quàm miseri qui nolunt habere vbi spiritualiter gaudeāt, & desiderāter appetunt vbi carnaliter gemāt. Difficultas enim prędentis vitæ nō sine luctu agitur, & tamē cum lachrymis amatur. Vnde contra cōtemptores in Parab. dicitur: Vocaui & renuistis, extendi manū meā, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consiliū meū, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro gaudebo: tunc inuocabūt me, & nō exaudiā. Vocaui, & renuistis: Ecce vocatio per verbū. Extendi manū meā: Ecce vocatio per beneficiū. Despexistis omne consiliū meū: Ecce vocatio per exemplū. Increpationes meas neglexistis: Ecce vocatio per flagellū. Vocat nos verbo, & nō credimus: flagellat, & murmuramus: beneficia cōfert, & nos abutimur, & superbimus: exemplum dat, & nō imitamur. Extendit pater manum, mittendo filium. Extendit filius manum in cruce ad redimendum. Exrendit manum vt redeat auis, quæ auolauerat, ad reclamatorium. Porrigit manū adiutorij, vt extrahat nos de lacu miseriæ & de luto fæcis: sicut scriptū est: Operi manuū tuarum porriges dexteram. Extendit manum suā ad deducendū, sicut scriptum est: Tenuisti manum dexterā meā, & in voluntate tua deduxisti me. His autem qui contemnunt, ipse tandem tetendet manus vt percutiat. Venientibus autem ad cœnam, extendet manum, vt præmium æternum retribuat. Quod nobis præstare dignetur, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*De his qui contemnunt audire, quod a Deo cōtemnuntur.*

*De multiplici vocatione & cōtradictione.*

*Quod Deus multis modis manū extēdit.*

## DOMINICA TERTIA, THEMA DE INTROITV MISSAE, SVMPTVM EX PSALMO.

*Respice in me, & miserere mei Domine: quoniam vnicus & pauper sum ego. Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea, Deus meus.* *Psalm. 24.*

NON exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigātes, qui destructi sunt cōfidentes suę virtuti, sicut in Ecclesiastico dicitur: Gigas enim nō saluabitur in multitudine virtutis suę. Quia, scilicet, elatus est & magnus in oculis suis, & fortis ad portandū. Hi igitur destructi sunt, quia non in Domino, sed in sua virtute confidunt. Deus enim superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Resistit enim resistētibus. Vnde Isa. ait: Væ qui contradicit factori suo, testa de Samiis terræ. Magna est enim abusio, lutū cōtradicit figulo. De Samiis terræ dicit, quia in Samos insula fiebant lutea vasa. Vnde in hodierno officio introducit Psalmus pœnitentem humiliter ad Dominum clamantem, qui grauiter afflictus & per flagella correptus, respectum diuinæ misericordiæ supplex implorat, insinuādo pio Iudici multiplicem miseriā suam & afflictionē, vt eum incitet ad misericordiā: sicut scriptū est: Tribulationē meā ante ipsum pronuntio. Ipse enim de cœlo prospicit, vt audiat gemitus cōpeditorū. Vnde Abacuc: Aspexit & dissoluit Gentes. Aspexit oculo misericordiæ, dū mundū illustrauit. Dissoluit Gentes, dū à gelicidio peccatorū calefaciendo liquescere fecit, sicut scriptū est: Liquefacta est terra, & omnes qui habitāt in ea. Pœnitēs igitur expertus in se diuinā misericordiā, qua reuocatus est: & diuinā iustitiā, qua flagellatus est, tanquā à phreneſi liberatus, suā attendens delilitatē, qui dum phreneticus esset vel litargycus, suā non senserat infirmitatē, diuinum implorat auxilium, dicens: Respice in me & miserere mei, vide humilitatē meam. Ecce confessio humilitatis, & humilitas cōfessionis, quę valde efficax est ad impetrandam misericordiam. Propterea B. Iob ait: Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Et Isaias: Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster es, & opera

*De præsumptionibus Dei inuocātibus. Eccles. 16.*

manuum tuarum omnes nos, ne iraſcaris ſatis, & ne vltra memineris iniquitatis noſtræ. Videſ igitur pœnitẽs nõdum ad ſtatum perfectionis attingẽs ſeſe vndiq; perturbari, & fluctibus tentationũ nauiculã ſuã operiri, humiliatur ſub potẽti manu Dei, & cõfidens de miſericordia eius, qui ouẽ errantẽ propriis humeris reportauit, clamat ad Dominũ: quaſi dicat: Domine, ſalua nos, perimus, qui ſolus imperare potes ventis & mari, vt fiat trãquillitas in corde fluctuãti. Hoc modo clamauerũt filij Iſraël ad Dominũ, cùm in arcto poſiti, viderẽt de vna parte Pharaonẽ cũ curribus & equitibus ſuis, & mare rubrũ ex alia parte. Ita diabolus cum exercitu vitiorũ exeuntes de tenebris peccatorũ perſequitur, & mũdus ſanguineus ex alia parte nititur impedire fugiẽtes. Terra autẽ carnis ſpinas & tribulos praui deſiderij gignit: ſicut ſcriptũ eſt: Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & nõ eſt ſanitas in carne mea. Premit igitur corpus, fremit mundus, perſequitur & inſidiatur diabolus. Vndiq; ſiquidẽ ſunt anguſtiæ, & pericula ex omni parte. Surſum ſuperbia, deorſum auaritia, intus terrena deſideria, retrò præteritæ voluptatis memoria, quæ Ægyptiacã octodecim annis impugnauit, antè autẽ ſunt imminentia pericula. Neſcit enim quid craſtina paritura ſit dies. A dextris proſperitas emolliens, à ſiniſtris aduerſitas frangens. In circuitu infideles & falſi fratres. Ventus vehemens à regione deſerti, id eſt, à diabolo, qui derelictus eſt à Deo, quatuor angulos domus, id eſt, quatuor cardinales virtutes concutit, vt nõ prouideat ſibi homo cõtra fallacias per prudentiã, contra voluptates per temperantiã, cõtra tribulationes per fortitudinẽ, contra iniurias per iuſtitiã. Inſuper autẽ & quatuor venti, ſecundũ viſionẽ Danielis in medio mari pugnãt, id eſt, in corde humano mutabili & fluctuãti. Mutabilitate enim propoſiti quo ad ipſum, promiſſi quo ad proximũ, voti quo ad Deum, fluctuãdo variatur. Pugnat autẽ quatuor ventorum, fortis eſt impulſus quatuor tentationum. A diabolo per ſuggeſtionẽ, à mundo per vanitatẽ, à carne exterius per luxuriã, à corde interius per illicitã delectationẽ & ſpiritualẽ malitiã. Vnde in eadẽ viſione ſubditur: Quatuor beſtiæ grãdes aſcendebãt de mari. Quia motus beſtiales & impetus irrationales poſt tentationum violentiã, quaſi poſt ventorum pugnam de cordis inſtabilitate cõſurgunt. Prima beſtia erat leæna, per quam præceps & præſumptuoſa temeritas ſuperbię deſignatur. Leęna ſiquidẽ proteruior & impetuoſior eſt leone. Vnde dicitur in viſione Danielis, quod habebat alas aquilę. Aquila enim cęteris auibus celerius & celſius volat. In volatus celeritate præcipitatio ſuperbiæ, in volatus celſitudine eiuſdẽ præſumptio intelligitur. In terra igitur eſt leæna & in cœlo aquila, dum ſuperbus & arrogans præſumit ſe fortius incedere aliis per actiuam, & altius volare per contemplatiuã. Et quoniam qui ſe exaltat, humiliabitur: dicitur in Daniele, quod auulſæ ſunt alæ eius. Hoc eſt quod Abdias Propheta ait: Si exaltatus fueris vt aquila: & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te. Secunda beſtia ſimilis erat vrſo, & tres ordines erant in dentibus eius. Hæc eſt voluptas carnalis, quæ tanquã vrſus mel carnalis delectationis diligit. Vnde dictum eſt ei: Surge, comede carnes plurimas. Tres ordines habet dentium, propter victum, veſtitum, & coitum. His enim tribus modis carnalis voluptas principaliter deuorat delicatos. Vrſus autẽ deforme eſt animal, & in locis abditis ſolet habitare: per quod turpitudo carnalium hominum & eorum ſecreta contabernia deſignantur. Tertia beſtia erat quaſi pardus, & alas auis habebat, & quatuor capita. Pardus variis maculis aſpergitur, per quem fraudulentia hypocritarum intelligitur, qui exterius albi apparent, ſed nigri ſunt interius. Alas habent dum ſe per iactãtiam eleuant & oſtentant. Quatuor autem modis ambitionis, quaſi quatuor capitibus præeminere nituntur. Primum caput ambitio libertatis, dum aliis nolunt ſubeſſe. Secundum caput ambitio dignitatis, dum ſemper de gradu in gradum volunt aſcendere. Tertium caput ambitio authoritatis, dum ſententias & conſilia ſua aliis volunt præferre. Quartum caput ambitio poteſtatis, dum aliis affectãt præeſſe. Quarta beſtia terribilis erat & fortis nimis, dentes ferreos habens, comedens atque cõminuens, & reliqua pedibus cõculcans, & habebat cornua decem: per hanc præceps & effrænata malitia ſeu crudelitas intelligitur, quæ beluina feritate verbis & operibus in proximos ſæuit, quaſi ferreis dentibus & vnguibus deuorãdo, & per deſpectũ cæteros cõculcando. Malitia autẽ tria vitia principaliter ſub ſe cõtinet: inuidiam, iracundiã, & auaritiã. Inuidia tria habet cornua, dum gaudet de aliorum detrimẽtis, dolet de aliorũ cõmodis, & proximis, quibus inuidet, detrahit. Iracundia quaſi tria cornua habet, iram, ſcilicet, in corde latentẽ, in voce prodeuntẽ per iurgia & cõtumelias, in opere per prælia & homicidia. Auaritia quaſi quatuor cornibus ſuã exercet malitiam per fraudes, per vſuras, per furta, & per apertas rapinas. Et hæc ſunt huius vltimæ beſtiæ, id eſt, crudelitatis & malitiæ, decẽ cornua. Hæ igitur quatuor crudeliſſimæ beſtiæ valde moleſtant, & frequenter ventilant pœnitẽtes: vnde neceſſe eſt vt clamẽt ad Dominũ: Domine, vim patior, id eſt, inſultus violẽtos à carne, à mundo, à diabolo: reſpice in me, & miſerere mei. Rex Babylonis incẽdit fornacẽ cordis mei pice libidinis, quę ſemel apprehẽſos facilè nõ dimittir. Stuppa mũdanę & trãſitorię vanitatis. Naphtha, id eſt, oſſibus oliuarũ, hęc eſt auaritia, abſq; oleo pietatis, arida quę ignẽ cupiditatis ardere facit, malleolis, id eſt, ſermẽtis pręciſis, & igni deputatis. Hi ſunt falſi fratres ad malum incitantes. Mitte ventum roris flantẽ, id eſt, gratiã ſpiritus ſancti refrigerantẽ, quia crucior in hac flamma. Hæc eſt vox pœnitẽtis & afflicti, qui quaſi Daniël in lacu præſentis miſeriæ, inter leones, id eſt, ſpiritus malignos cõmoratur. Qui fornacẽ cordis humani, & ollam ſenſualitatis, flatu Aquilonis ſuccendunt. Reuera mors eſt in olla, quæ ebullit per iracundiã, ſpumat per luxuriã, fumat per ſuperbiã, ardet & inflammatur per auaritiã.

Sedatur

*De quatuor angulis domus.*

*De quatuor ventis, & quatuor tentationibus.*

*De quatuor beſtiis, & pugna earũ.*

*De Leæna.*

*De Vrſo.*

*De Pardo.*

*De quarta beſtia aliis crudeliore.*

*De fornace Babylonis, & qualiter incenditur.*

Sedatur autẽ & ebullire desinit infusa aqua lachrymarũ. Super huiusmodi aquas spiritus Domini fertur, vt per eas extinguatur incendiũ vitiorũ. Duobus enim brachiis, more Iacob, debemus luctari cum Angelo magni cõsilij, oratione & lachrymis. Vnde Osee de Iacob: Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit & rogauit eum. Similiter pœnitens orare debet & flere, & luctari cũ Angelo, ac vincere eũ, vt vincere possit hostes suos, sicut Iacob qui triplicẽ habuit persecutionẽ. Vnã ab Esau pilosõ, & nos à carne, quę vatiis desideriis & superfluis pilosa est, persecutionẽ habemus. Iacob autẽ valde timebat Esau, ne fortè veniens percuteret matrẽ cum filiis. Et vir iustus valde timet carnis desideria, ne interficiãt affectus pugnãtes sanctis desideriis. Aliã à Laban socero suo, qui interpretatur candidatio. Et nos à mundo isto exterius dealbato, multas sustinemus persecutiones. Septẽ enim diebus, id est, tota vita præsenti, insequitur Labã Iacob. Ipse autẽ socer noster est, generãs nobis terrenã concupiscentiã. Vnde in Eccles. Noli cõciliari cũ socero, id est, cõsiliis mũdi noli acquiescere, qui cõsulit & suadet inania, sicut caro suauia, & diabolus iniqua & aspera. Tertiã habuit à fratribus & amicis Labã. Et nos à dęmonibus & amatoribus huius mũdi graues sustinemus insultus. Similiter & Dauid tres hostes habuit: Saul, qui interpretatur abutẽs, per quẽ carnis voluptas intelligitur, quæ rebus nobis à Deo ad necessitatẽ cõcessis, abutitur, dũ carnis curã facit in desideriis. Vnde & potẽtissimus pastorũ Saul, sicut in primo Reg. dicitur, fuit Doech Idumęus, id est, carnalis affectus, quo bestiales homines pascũtur & delectãtur. Doech enim malũ agens, Edom à quo Idumęi, sanguineus interpretatur. Absalon, quẽ aliquãdo fugiit, aliquãdo tolerauit. Absalon, qui patris pax interpretatur, hic est mundus, cũ quo pacẽ, quantũ in nobis est, habere debemus, licèt ipse fictã pacẽ nobiscũ habeat, sicut Absalon cũ patre suo. Mundũ autẽ aliquãdo fugere, aliquãdo nos ei opponere, & cõtra ipsum pugnare debemus. Cũ igitur tot & tantos hostes habeamus, quid restat, nisi clamare ad Dominũ, vt apprehẽdat arma & scutũ, & exurgat in adiutoriũ nobis. Sicut in Exo. dicitur: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Tacere enim & nõ cõqueri vel murmurare debemus, licèt graues sustineamus tentationũ molestias, cùm tantũ pro nobis propugnatorẽ habeamus, qui apprehendit arma crucis & clauorũ, vt hostes nostros interimerer. Et scutũ, id est, protectionẽ bonæ voluntatis suæ, vt nos defenderet, qui oculis vltionis & vindictæ respexit super castra Ægyptiorũ per columnã nubis, quantũ ad humanitatẽ, & ignis quantũ ad diuinitatẽ, & submersis Ægyptiis, terra apparuit arida, vt inuenirẽtur illæsi in aquis validis, id est, in fluctibus tentationũ & persecutionũ, & fecit eis in mari rubro viam sine impedimẽto, id est, in mundo isto, sanguine peccatorum cruentato. Vnde per Isa. ait: Propter vos misi in Babylonẽ, & detraxi vectes vniuersos, & Chaldæos in nauibus gloriantes. Pater enim propter salutẽ nostrã misit filiũ in mundum, & filius Apostolos, vsq; in fines orbis terrarum. Et detraxit vectes, id est, impedimenta peccatorum principum atq; dæmonum, qui gloriantur in nauibus, id est, in mentibus vitiosis, quas per fluctus & tempestates huius seculi circunducunt. Verè Chaldæi, id est, feroces sunt, & nautæ pessimi, qui de periclitatione & submersione nauium suarum gloriantur. Confidens igitur pœnitẽs de misericordia eius, qui de tenebris facit splendescere lucẽ: sicut scriptum est: Orietur in tenebris lux tua. De tenebris, scilicet, tribulationis & mœroris, lucem diuinæ consolationis: sicut in Michæa dicitur: Cùm sedero in tenebris, lux mea Dominus: confidenter in eo, qui ait: In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Quia oculi Domini super iustos. Petit respectum diuinæ misericordiæ, dicens: Respice in me Domine, & miserere mei. Respicit Dominus exaudiendo, sicut scriptum est: Respexit in orationem humilium. Respicit approbando, sicut scriptum est: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem non respexit. Respexit subueniendo: vnde Iudith ait, cùm vellet occidere Holofernẽ: Respice Domine, in hac hora ad opera manuũ mearũ. Respicit cõpatiendo: sicut scriptũ est: Oculi eius ad pauperẽ respiciũt. Respicit prædestinãdo: sicut scriptũ est: Cùm esses sub ficu anteq̃ Philippus vocaret te, vidi te. Sub ficu erat, id est, in lumbis Adę in Paradiso, & iã viderat Dominus prædestinãdo. Respicit reuocãdo peccatorẽ & gratiã cõferendo: sicut scriptũ est: Respexit Petrũ, & fleuit amarè. Respicit cognoscẽdo: sicut scriptũ est: Qui finxit oculũ, nõ cõsiderat? Et Boët. ait: Magna nobis indicta est necessitas probitatis, cùm omnia agimus sub oculis Iudicis, cuncta videntis. Respicit animaduertẽdo & puniẽdo: sicut scriptũ est: Respice inimicos meos, quoniã multiplicati sunt. Cùm igitur tot modis Dominus respiciat, postulat aspectus illos, qui ad misericordiã pertinẽt. Vnde etiã subiungit: Et miserere mei. Quamdiu sumus in præsenti miseria, semper indigemus misericordia. Licèt enim misertus sit dominus multipliciter pœnitentis. Vno modo tẽporalia largiẽdo, quibus tamẽ nõ erat dignus: sicut scriptũ est: Qui dat escam omni carni, & facit Solẽ suũ oriri super bonos & malos. Alio modo defendẽdo à diabolo, cuius seruus effectus est, ne sęuiat in eum quantũ velit: sicut scriptũ est: Misericordię Domini, q. nõ sumus cõsumpti. Tertio modo fugitiuũ vocãdo & insequẽdo: sicut scriptũ est: Aures tuę audient vocẽ post terga monẽtis: hęc via, ambulate in ea. Quarto modo cõremptorẽ & cõtumacẽ ad pœnitentiã expectãdo, sicut scriptũ est: Dissimilat peccata hominũ, ppter pœnitentiã. Et iterũ: Audibit dominus, & distulit. Quinto modo gratiã infundẽdo, & vitã inspirãdo: sicut scriptũ est: Dixi tibi cũ esses in sanguine tuo, viue: quasi dicat: Viue dixi, id est, vt viueres inspirauí. Sexto modo peccata delendo, sicut scriptũ est: Dixi cõfitebor, & tu remisisti. Adhuc tamẽ multiplici indiget misericordia: vna ad gratię collatæ cõseruationẽ: sicut scriptum est: Custodit Dominus omnia ossa eorũ, id est, virtutes animę: vnũ ex his nõ cõteretur. Secunda ad gratię collatę augmẽtum

*De luctatione Iacob & triplici persecutione. Oseæ 12.*

*De tribus hostibus Dauid.*

*De diuino adiutorio, & quod pro nobis pugnat Deus.*

*Isa. 45.*

*Mich. 12.*

*De multiplici respectu Dei.*

*De multiplici misericordia & miseratione diuina.*

& multiplicatione virtutũ, vt iustus iustificetur adhuc: sicut scriptũ est: Multiplicabis in anima mea virtutẽ. Tertia cõtra casus quotidianos: sicut scriptũ est: Cùm ceciderit, scilicet, per veniale, nõ collidetur per mortale: quia Dominus supponit manũ suã. Septies enim cadit iustus, & resurgit. Quarta, vt in tribulationibus & tentationibus habeat consolationẽ: sicut scriptũ est: Quomodo si cui mater blãdiatur, sic cõsolabor vos. Et in Deut. dicitur: Portauit te Dominus, Deus tuus, vt solet gestare mater puerũ suũ. Quinta ad perseuerantiã finalẽ, sicut scriptũ est: Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Sexta ad pœnæ diminutionẽ, scilicet, vt puniatur citra merita. Vnde Iob: Non ostẽdit omnẽ irã suã, nec vlciscetur scelus valde. Septima, vt prorsus tollatur pœna: sicut scriptũ est: Absterget Deus omnẽ lachrymã ab oculis sanctorũ. Octaua, ad æternę coronę retributionẽ: sicut scriptũ est: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ. Nona autẽ misericordia attenditur in retribuẽdo supra merita. Mensurã enim bonã & superefluentẽ, id est, merita excedentẽ, dabit Deus in sinum electorũ suorum. Ecce quindecim gradus diuinæ misericordiæ, quibus ad templũ nostri Salomonis fit ascensus. Cùm igitur misericordię Domini superexaltent iudiciũ, & miserationes eius super omnia opera eius, cùm tot sint oculi miserationis diuinę, meritò clamat pœnitẽs: Respice in me, & miserere mei. Caueat autẽ ne sibi ipsi crudelis sit, sed misereatur sui, qui diuinã implorat misericordiã: sicut scriptum est: Miserere animæ tuæ placẽs Deo. Qui enim sibi ipsi nõ parcit, quomodo Deus parcet illi. Propterea per Ezech. ait: Non pepercit super te oculus meus, quia, scilicet, adeò crudelis fuisti, quod tibi nõ pepercisti. Et in Threnis Iere. ait: Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto, quæ, scilicet, oua ponit in terra, nec ea fouet vel calefacit. Tales sunt qui opera sua in terra relinquunt, & ad terrena referunt. Videat insuper, vt misericors sit aliis, qui vult à Deo cõsequi misericordiã. Iuditiũ enim sine misericordia erit ei, qui nõ facit misericordiam. Propterea in Eccles. dicitur: Da suauitatẽ & memoriã similaginis, impingua oblationẽ, & da locũ Medico. In suauitate siquidẽ deuotionis & similagine puritatis cordis, & impinguatione oblationis per pietatẽ & cõpassionem mentis datur locus cęlesti Medico, vt vnctione misericordię suę mediatur infirmitatib⁹ nostris, & misericordibus misericordiã impẽdat. Pari modo respiciamus in ipsum, si velimus quod ipse respiciat in nos. Respiciamus ad ipsum oculo rectæ intentionis, omnia opera nostra ad ipsum referẽdo: sicut scriptũ est: Prouidebã Dominũ in cõspectu meo semper. Respiciamus in ipsum oculo charitatis & gratiarũ actionis, beneficia nobis exhibita recolẽdo, & ipsum inde laudãdo: sicut scriptũ est: Qui reminiscimini Domini ne taceatis. Oculi enim sapiẽtis in capite eius, id est, in Christo. Et per Isa. Dominus ait: Laude mea infrænabo te, ne intereas, id est, impensis beneficiis, quibus me laudare debes, infręnabo te. Vt memoria mei & dilectione tanq̃ frẽno retinearis à peccato. Respiciamus in ipsum oculo spei, donec à prẽsenti miseria nos trãsferat in regnũ beatitudinis æternæ. Vnde sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominũ Deũ nostrũ, donec misereatur nostri. Sic igitur cõfidenter dicere poterimus: Respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Vide humilitatẽ meã & laborẽ meũ. Ostendit miseriã suã, vt impetret misericordiã. Vnicus plus amatur, pauper plus doletur: humilitas attrahit gratiã, labor prouocat cõpassionem. Vt igitur Deus misereatur hominis, oportet quod sit vnicus, nõ per schismata diuisus, nõ per inconstantiã varius, nõ per curiositatẽ distractus, nõ duplicitate rugosus, ne rugæ eius testimoniũ dent cõtra ipsum: sicut in Iob dicitur: Sit vnicus, nõ bilinguis, nõ susurro, ne seminet inter fratres discordiã. Scriptũ est enim: Quos Deus cõiunxit, homo nõ separet. Et in Eccles. dicitur, quod tertia lingua multos cõmouit. Hæc est lingua diabolica. Vna est lingua hominũ loquẽs de necessariis, & vtilibus. Secunda lingua Angelorũ loquens de spiritualibus. Tertia est lingua dæmonũ veneno malitiæ intoxicata. Sit vnus secum. Scriptũ est enim: Sapiẽs permanet vt Sol: stultus autẽ vt luna mutatur. Sit vnus cũ Deo, vt placeat ei, quicquid placet Deo. Væ enim qui cõtradicit factori suo. Et Seneca ait: Placeat homini quicquid placet Deo ob hoc ipsum quia placet Deo. Sit vnus proximo, vt fraternã seruet cõcordiã. Teste enim Osee: Diabolus inter fratres diuidet. Et iterũ: Diuisum est cor eorũ, nunc interibunt. Cor enim tenerrimũ est mẽbrum, & delicatum, & modico vulnere diuisionis expirat. Sit autẽ nõ solùm vnicus, sed pauper, vt Deus misereatur eius: sicut scriptũ est: Tibi derelictus est pauper, quasi dicat: Derelictus est à mundo tanq̃ opprobriũ abundãtibus, & despectio superbis, vt à te suscipiatur. Sit igitur pauper Dei nõ pauper diaboli: de quo in Apoc. dicitur: Nescis, quia tu pauper es & miserabilis, carẽs, scilicet, spiritualibus diuitiis. Nõ sit pauper diaboli per hypocrisim: de quo in Eccles. dicitur: Est qui nequiter se humiliat, interiora autẽ eius plena sunt dolo, Nõ sit pauper diaboli paupertate coacta, quę cõtra Deũ murmurat. De qua Salomõ ait: Diuitias & paupertatẽ ne dederis mihi. Sit pauper Dei paupertate voluntaria, vt renuntiet omnib⁹ quæ possidet volũtate & opere: sicut scriptũ est: Filius hominis nõ habet vbi caput suũ recliner. Vel sola volũtate: sicut Abrahã & Iob, qui diuitias habuerũt, sed cor nõ apposuerunt, tanq̃ nihil habẽtes, & omnia possidẽtes, iuxta illud: Simul in vnum diues & pauper. Sit insuper homo pauper paupertate afflictionis & laboris: de qua scriptum est: Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me. Et Ieremias ait: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis tuæ. Hæc igitur paupertas bona est, quando afflictio flagellorum & penuria temporalium in voluntate sunt: non in sola necessitate. Quales sunt pauperes mundi, de quibus dicitur: Pauperes semper vobiscum habetis. Est insuper octaua paupertas, scilicet, humilitatis. Hæc est paupertas spiritualis, de qua spiritualiter dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est reg-

*Quod sibi & aliis misericors esse debet, qui vult quod Deus misereatur eius.*

*Ezech. 16.*

*Eccles. 38.*

*Quod respicere debemus in Deum, si volumus quod respiciat in nos.*

*De simplicitate vnitatis.*

*Osee 13.*

*De multiplici paupertate, et paupere.*

est regnũ cœlorũ. Hi sunt qui nõ alta sapiẽtes, sed humilibus cõsentientes, seipsos reputãt parvos, nõ ambulãtes in magnis, neq; in mirabilibus super se, nõ se iustificãt, sed peccatores reputãt: nolũt apparere, sed abscõdi: nõ appetũt honorari, sed viles reputari. Talis paupertas humilitatis à Deo maximè approbatur. Vnde subditur: Vide humilitatẽ meã & laborẽ meũ, & dimitte omnia peccata mea. Humilitas enim cũ labore & afflictione, & labor cum humilitate à Domino videntur & approbãtur. Per multas enim tribulationes & labores multiplices, oportet introire in regnũ cœlorum. Paupertas enim afflictionis, animã purgat. sicut scriptũ est: Probaui te in camino paupertatis, vt velut aurum probatũ & purgatum, dimissis peccatis, non solũ quantum ad culpã, sed quantum ad pœnam, sit apta anima reponi in cœlestibus thesauris. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM De Epistola Petri Canonica.

*Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die visitationis.* 1. Petri 5.

*De quatuor virtutibus cardinalibus & vsu earũ.*

SOBRIETATEM & prudentiã, iustitiã & virtutẽ docet sapiẽtia, quibus vtilius nihil est in vita hominibus: sicut dicitur in lib. Sapientiæ. Christus enim, qui est sapientia Patris, nõ solũm quatuor cardinales virtutes tribuit nobis, sed insuper docet nos, & instruit qualiter vti debeamus illis in pugna cõtra diabolum aduersarium nostrum, qui quasi leo rugiẽs, circuit, quærẽs quem deuoret. Docet enim sobrietatẽ, id est, temperantiã & prudentiã, iustitiã & virtutem, id est, fortitudinẽ, quæ super omnia necessarię sunt nobis & vtiles, quamdiu pugnare debemus cõtra vitia, & maximè cõtra hostẽ antiquum, qui nos impugnat per superbiã. Vnde oportet humiliari nos sub potenti manu Dei per iustitiã. Humilitas autem qua reddimus Deo quod suum est, species est iustitiæ. Impugnat nos per carnalẽ voluptatẽ: vnde oportet quod sobrij simus per temperantiã. Impugnat nos per fraudulentiã, insidiatur in abscõdito, quasi leo in spelunca sua. Vnde oportet quod vigilemus, & nobis ab eius insidiis caueamus per prudentiam. Propterea B. Petrus ait: Sobrij estote & vigilate. Impugnat nos per violẽtias & persecutiones apertas, vnde oportet quod ei resistamus per fortitudinem: sicut in hodierna Epist. dicitur: Cui resistite fortes in fide. Armari igitur debemus cõtra rugientẽ leonem iustitiã, humiliando nos superiori nostro, & subueniẽdo proximis. Temperãtia in cohibẽdo motus illicitos, & resistendo delectationibus prauis: prudẽtia in præcauẽdis insidiis: fortitudine in perficiẽdis molestiis. Fortitudo enim cõsistit in susceptione periculorum, & tolerãtia laborum. Prudẽtia in vitãdis fallaciis, cum electione boni, & fuga mali. Temperãtia autẽ in duobus cõsistit: in sobrietate, quę cohibet motus illicitos pertinẽtes ad gustum, & cõtinentia quę cohibet motus illicitos pertinẽtes ad tactum. Iustitia autẽ cõsistit in fide, spe, & charitate, obediẽtia & humilitate, & in aliis quæ pertinent ad Dei cultum, & in subueniẽdo indigẽtibus, quãtum ad proximum. Absq; his armis nõ possumus vincere leonẽ fortissimum bestiarum, qui factus est, vt neminẽ timeret, nec est potestas super terrã, quæ cõparetur ei: sicut dicitur in Iob. Et iterum: De ore eius lampades procedunt, sicut ollæ ignis accensæ. Os eius sunt, qui prauis colloquiis mores bonos corrumpunt, & alios ad peccãdum incendunt. Vnde & subditur: De naribus eius procedit fumus, sicut ollę succensæ atq; feruẽtis. Quod fit dum per eius suggestionẽ cordibus humanis praua cogitatio inspiratur, aciẽ mentis obtundẽs, ne lux æterna videatur. Quasi enim fumi obscuritatẽ multiplicat, cùm vitę huius curas in cordibus hominum coaceruat. Quę quasi olla succẽduntur, dum prauis suasionibus instigãtur. Quod tunc feruere dicitur cùm per cõsensum in desideriis prauis accenditur, & tot vndas quasi feruendo proiicit, per quot nequitias se vsq; ad opera praua extendit. Quod apertius ostẽdit, dicẽs: Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Mentes enim reproborum prauis suggestionibus accendit, & inflammando malis desideriis ad illicitas delectationes inducit. Multa insuper alia de fortitudine & nequitia prædicti aduersarij subdũtur. Vnde & beatus Apost. in præsenti Epist. nos admonet, vt nõ cõsidamus de viribꝰ nostris præsumẽdo, sed humiliemur sub potẽti manu Dei, nõ diffidẽdo de eius adiutorio, sed omnem sollicitudinẽ nostrã proiiciamus in ipsum, quoniã ipsi cura est de nobis. Vnde teste B. August. ipse Athletas suos cõsolans, ait: Ego pugnantẽ aspicio, cadentẽ subleuo, vincentẽ corono. Et in Iob ait: Nõ quasi crudelis suscitabo illũ: quasi dicat: Per eius fortitudinẽ & multiplices insultus electos meos misericorditer purgo, & vt coronẽtur, victores facio. Humiliari igitur oportet nos sub potẽti manu Dei, qui in humilitate nos visitat, gratiã cõferendo, & fortitudinẽ, & super hostes nostros nos exaltat: sicut scriptũ est: Qui se humiliat, exultabitur. Et B. Augustin. ait: In rebus visibilibus, vt excelsa quisq; cõtingat, in excelsum erigitur. Deus autẽ cùm omniũ sit excellẽtissimus, nõ elatione, sed humilitate cõtingitur. Excelsus enim Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Erunt siquidẽ nouissimi primi. Qui enim nouissimi sunt & abiecti, humilitatis gratia primi erunt, & præeminentes in cœlesti patria. E contrà, dum homo, qui cinis est, super alios eleuatur, fiunt vesicæ turgentes in his, qui proiiciuntur à manu Moysi: sicut in Exod. dicitur: Et hęc est magna plaga Ægyptiorũ. Alta enim corruunt, & inflata crepãt. Nam sicut humilitas caput serpẽtis conterit, ita superbia caput serpentis in sinu nutrit. Hi siquidem velut Absalon capillis suspenduntur & pereunt, dum vanis cogitationibus, quasi vento elationis,

*De fortitudine & malitia diaboli.*

*Simile.*

*De humilitate & superbia.*

tionis,inaniter eleuantur. Propterea Seneca ait: Redige te ad parua,ex quibus cadere nō possis. Qui enim in imo est,tutus est. Humilitas enim nō cupit in altū volare,ne cadat: nō appetit ascendere,ne corruat: nō vult attolli,sed magis vilis & abiecta reputari. Teste enim B. Bernardo: Vere humilis vult vilis haberi: nō humilis prędicari. Et rursum ait: Humilitas est virtus qua homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit. Vera siquidē humilitas abscondit se quasi racemus modicus, vt nō vindemietur à diabolo,sed à Christo,qui colligit vites remanentes. Vnde Isa. ait: In tribus annis,quasi annis mercenarij,auferetur gloria Moab,& relinquetur in eo, sicut racemus paruus & modicus. In tribus siquidē annis cōtritionis,cōfessionis & satisfactionis, quorū quatuor sunt tempora,dū homo luget,cōfitetur & satisfacit pro peccatis cogitationis,locutionis,operis & cōsuetudinis: auferetur gloria Moab,id est,vana mundi gloria à peccatore pœnitentiā agēte. Qui velut filius prodigus ad patrem reuersus,& factus sicut vnus de mercenariis eius seruiēs,scilicet pro mercede ęterna,aridis pascitur,& vilib⁹ induitur,& plus aliis laborat ad modū mercenarij. Relinquitur autē in eo quasi racemus paruus humilitatis,dū modicus efficitur in oculis suis,& reputat se velut vineā à diabolo vindemiatā,in qua pauci racemi,id est,pauca & rara bona post vindemiā remāserunt. Qui igitur prædicto modo seipsum per humilitatē euacuat,& se inanē & vacuū æstimat,prępărat se vt à Domino repleatur,quia vasa vacua replet Eliseus. Vbi enim maior vacuitas,ibi maior capacitas. Euacua dicit Dominus per cōfessionem peccata eiiciēdo, euacua per humilitatē teipsum vacuū ab omni bono reputādo. Et ego implebo per gratiā bona spiritualia largiēdo. Vnde & B. Gregor. ait: Tantò vnaquæq; anima pretiosior est ante oculos Dei,quātò præ amore veritatis despectior ante oculos suos fuerit,& tātò fit vilior Deo,quātò sibi pretiosior,quia Deus humilia respicit,& alta à lōgè cognoscit. Vnde Sauli diuina increpatione dicitur: Nónne cùm esses paruus in oculis tuis,caput te cōstituì in tribubus Israël,& cùm te paruū respiceres,te præ cæteris magnū feci? quia verò tu te magnū cōspicis,& à me paruus æstimaris,& despectus factus es mihi. Paruus quippè in oculis suis est, qui in eo quod semetipsum cōsiderat,imparē se meritis alienis pensat. Nam quasi grandē se cōspicit, quisquis se super aliena merita elatione cogitationis extēdit. Hęc sunt verba Greg. ex quibus patet, quod qui se humiliat sub potēti manu Dei, ab ipso exaltatur in tēpore visitationis, vt liberetur à rugiētibus præparatis ad escā,& qui mōticulosus nō fuerit per superbiā, imperare poterit dæmonibus,& dicere mōti,id est,diabolicæ superbiæ: trāsi hinc,& trāsibit. Non solū autē in tempore visitationis exultabitur in præsenti,sed in futuro,scilicet,in die iudicij,quādo bonos visitabit cōsolando, malos autē flagellādo. Humiliamini igitur sub potēti manu Dei,qui potenter diabolū per superbiā de cœlo proiecit in terrā. Manū enim potētiæ eius cōsiderare debemus, vt humiliemur,& timeamus illū,cuius potētię nemo resistit. Propterea Psal. ait: A fortitudine manus tuæ ego defeci,id est,cōsiderando manū fortitudinis,& potētiæ tuæ in me defeci,& meipsum nullius fortitudinis reputaui. Manu potētiæ suæ Dominus omnia creauit,& omnia quæcunq; voluit,fecit. Vnde in Cant. Manus eius tornatiles,id est,ad operandū expeditæ. Humiliemur etiā attēdendo manū flagelli & vindictæ diuinæ: De qua Psal. ait: Aggrauata est super me manus tua. Et B. Iob ait: Manū tuā longè fac à me. Hanc manū cū humilitate & tremore cōsiderās Iere. ait: A facie manus tuę solus sedebā,quoniā amaritudine repleuisti me: quasi diceret: Dū manū tuā semper expecto, & ne ferias,trepido à tumultu mūdi & strepitu desideriorū prauorū,mihi solicitudinē elegi, & maximè pœnā æternā, quæ qualibet tēporali in infinitū maior est à lōgè pręcaueo. Quod B. Greg. exponit,dicēs: Dū cōsidero quid iam per iudicij experimentum patior,à tumultu temporalium desideriorū trepidus mentis secessum peto. Quia adhuc illā quæ minaris,æterna supplicia formido. Hoc est quod Psal. ait: A iudiciis tuis timui. Manus etiā Dei patris dicitur filius,per quē fecit & secula: de qua Psal. ait: Emitte manum tuā de alto. Sub hac manu humiliari debemus,dum ipsius humilitatē attēdimus. Propterea Psal. ait: In veritate tua humiliasti me, id est,in filio tuo, dum attendo quod humiliatus est vsq; ad mortē pro me. Et ipse Dominus ait: Discite à me,quia mitis sum & humilis corde. Quasi diceret: Exēplo meo discite vos humiliari, nō solùm exterius in gestu, vestitu,& opere, per humiliationē,sed intus in corde per humilitatē. Propterea Isa. ait: Descendisti & à facie tua montes defluxerunt. Dum enim Dominus descendit humiliando se per incarnationē,montes,id est,superbi,defluxerunt, submittendo se per humilitatē. Montes etiā,id est,dęmones,defluxerunt. Ad nihilum enim redacti,virtutē suam amiserunt. Humiliari insuper debemus sub potēti manu Dei,quę affixa cruci,debellauit aëreas potestates. De qua manu Abacuc ait: Cornua in manibus eius. Et Isaias ait: Tota die expādi manus meas ad populum nō credentē. Quarto modo humiliari debemus sub potenti manu Dei,attendendo eius manificentiā & largitatē. De qua manu Psal. ait: Aperis tu manū tuā,& imples omne animal benedictione. Quantò enim Deus magis placet homini eius bonitatē intuendo,tantò amplius humiliatur,& magis sibi displicet,seipsum de ingratitudine arguēdo. Quinto modo humiliari debemus sub potēti manu Dei,sub manu,scilicet,protectionis ipsius. De qua scriptū est: Posuisti super me manū tuā. Et Isa. ait: In vmbra manus suę protexit me. Sexto modo humiliari debemus sub manu diuinę misericordię. De qua dicitur: Cùm ceciderit,nō collidetur,quia Dominus supponit manū suā. Sed & manus Dei dicitur Iudaicus populus,ex cuius reprobatione valde timere & humiliari debemus,dū attēdimus,quod manus Moysi lēprosa facta est extracta à sinu ipsius. Manus etiā Moysi dicūtur legales obseruātię,quæ graues erāt valde,vel ipsa lex,quę grauiter puniebat delinquētes. Qui igitur modis prędictis sub potenti

Isa. 16.

De manu potentiæ Dei.

Isa. 64.

potenti manu Dei se humiliauerit, cõfidat in ipso & securus sit de ipsius adiutorio, quẽadmodum in hodierna Epist. B. Petrus subiungit: Omnẽ sollicitudinẽ vestrã proiicientes in eũ, quoniã ipsi cura est de vobis. Omnẽ, scilicet, sollicitudinẽ corporis & animæ, & omnẽ cogitatũ vestrum iactãtes in ipso, vt relinquatur æger Medico. Si enim cũ tãta cura & diligẽtia ouẽ errantẽ humeris propriis reportauit, confidendũ est in eo, qui ait: Ego feci, & ego ferã, q, custodiet reportatã, nisi steterit per ipsam. Non igitur solliciti simus, nec de Deo diffidamus. Pusillanimes enim nõ sunt idonei ad pugnã cõtra fortẽ aduersariũ & rugientẽ leonẽ. Non inhibetur prudẽtia, sed anxietas curarũ, ne cadamus per cancellos cum Ochozia, id est, per sollicitudinũ perplexitates. Sedechias autẽ in Reblatha exoculatus est, quod interpretatur multa hic. Multitudo enim curarũ multos perturbat, & spirituales oculos obscurat vel excęcat. Dagon igitur, id est, piscis curiositatis & tristitię mutiletur in limine cõsiderando introitũ & exitũ nostrũ: quia nihil in hunc mundum intulimus, nec aliquid nobiscũ portare valemus. Alio modo ostẽdit Apost. quomodo pugnandũ sit cũ antiquo aduersario, qui circuit, quęrẽs quẽ deuoret, scilicet, sobrietatis temperãtia & prudẽtiæ cautela, dicens: Sobrij estote & vigilate. Sobrietate opus est in bello. Qui enim in agone cõtendunt, ab omnib⁹ se abstinẽt. Si enim Goliã, id est, diabolũ vincere volumus, oportet quod vrsum gastrimargię & luxurię priùs vincamus, vt melle carnalis voluptatis, quod in Dei sacrificio reprobatur: nõ delectemur. Cùm autẽ ait Apost. Sobrij estote, largè sumitur sobrietas, scilicet, pro tẽperantia à gustu & coitu illicito, sicut Paulus, cùm ait: Sobriè & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Sicut igitur Athleta pugnaturus, nõ inebriatur, nec cibis superfluis aggrauatur, ita pugnaturus cõtra diabolũ, necesse est esse sobrios. Propterea Ambros. ait: Vide quãta sit vis ieiunij, vt sputo suo homo ieiunus terrenũ serpentẽ interficiat: quãtò magis spiritualẽ? Et Apost. ait: Habẽtes alimẽta, & quibus tegamur, his cõtenti simus. Alimẽta dicit, nõ gulę incitamẽta, & quibus tegamur, nõ quibus in vanitate exornemur. Similiter & Psal. ait: Salua me ex ore leonis, ne, scilicet, habeã os leonũ, quod amplũ est per voracitatẽ, & fœtidũ corã Deo & hominibus per gulositatis immunditiã. Homo siquidẽ os paruũ habet, respectu aliorũ animaliũ. Ipsa enim natura docet nos, q, nõ debemus esse voraces, nec vngues habeamus aduncos, in quo similiter instruimur, q, non debemus esse rapaces. Percutiat igitur Aod Regẽ Eglon pinguẽ & gulosum, ita q, per posteriora exeãt stercora, nec gladius à ventre extrahatur. Sic enim verbo increpationis feriẽdus est gulosus, vt nõ statim delimatur blandimẽtis, sed arguatur assiduè, donec videatur, quãtus sit fœtor in vitio gulę. Eglon festiuitas eorũ interpretatur. Hi sunt gulosi, qui festũ ventris celebrãtes, epulãtur quotidie splendidè. Aod inclitus & laudatio interpretatur. Hi sunt prędicatores incliti benè viuẽdo, & Deũ laudãtes prædicãdo. Nõ solũ autẽ sobrios, sed & castos oportet nos esse, si diabolũ superare volumus. Ipse enim, teste B. Iob, dormit in locis humẽtibus per luxuriã & virtus eius in lũbis eius, id est, in luxuriosis, quorũ lũbi impleti sunt illusionibus & obscœnis voluptatibus. Nisi enim familiarẽ inimicũ intra nos vicerimus, nunq̃ hostes extraneos extra nos superare poterimus. De quibus Psal. ait: Alieni insurrexerũt aduersum me. Iumẽta enim diaboli, quę in stercoribus suis putruerũt, omnẽ pugnãdi fortitudinẽ amiserũt, sicut Samson in gremio Dalidę, crines virtutis amisit. Multi enim ad vocẽ saltatricis, id est, luxuriosæ carnis, Ioannẽ interficiũr, dũ Dei gratiã amittũt. Vnde Ezech. in persona Dei ait: Oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuũ. Hoc enim illi faciũt, qui saluti animę suę carnis voluptatem anteponũt. Et quia Deũ abiiciũt, viles & abiecti sunt corã Deo & hominibus. Vnde in Eccles. dicitur: Omnis mulier fornicaria, quasi stercus in via cõculcabitur, quod, scilicet, tãtò magis fœtet, quãtò amplius cõculcatur. Similiter quãtò frequẽtius peccat luxuriosus, tãtò à Deo & hominibus fœtidior reputatur. Vt igitur accincti simus & expediti ad pugnã, oportet q, lũbi nostri præcincti sint per continentiã. Et insuper q, vigilemus per prudentiã & cautelã cõtra timores nocturnos. Hoc est quod ait Apost. Sobrij estote & vigilate. Teste enim B. Iob, qui nos comedũt nõ dormiũt. Dæmones enim semper vigilãt, vt nos variis tentationib⁹ corrodãt & cõsumant. Vnde calliditates eorũ & vigilias præuenire debemus, sicut scriptũ est: Anticipauerunt vigilias oculi mei. Et excubare cũ omni diligẽtia, vt sciamus, qua hora latro infernalis domũ nostrã nititur suffodere. Et vigilare animo, hostiũ insidias sagaciter explorãdo, deprehẽdere laqueos & tendiculas, arq; retiacula disipare. Licèt autẽ dormire dicatur diabolus: sicut dicitur in Iob, q, dormit in locis humẽtib⁹, id est, in luxuriosis, & in secreto calami, id est, in hypocritis, in quibus requiescit, semper tamẽ more leonis oculos habet apertos, & insidiatur incautis, licèt ad tẽpus simuler se dormire: sicut Osee dicit: Cessauit paululũ à cõmixtione fermẽti, donec totũ fermẽtaretur. Quiescit enim quãdoq; à multitudine tentationũ nõ diu, sed paululũ, vt hominẽ totũ in luxuriã involutũ, vel quolibet alio vitio totum fermẽtatum, postmodũ facilius trahat ad aliud vitiũ, & alio vitio fermẽtet & corrũpat ipsum: vna enim tentatio aliquãdo aliã impedit & debilitat, dum simul fuerint, sicut tentatio iræ tentationẽ luxuriæ, & tentatio gulę tentationẽ auaritiæ. Et idcirco diligenter oportet vigilare, ne nos apprehẽdat callidus tentator, & nõ circumueniamur à satana, vt possimus dicere cum Apostolo: Non ignoramus cogitationes eius. Quàm miseri, qui tota nocte vigilãt ad vanitates & choreas, ad talos & aleas, solliciti computare deciorum puncta, & cauentes diligenter, ne circumueniantur vel fraudentur in ludendo, vt obulum non amittant: & vigilare negligunt, ne seducantur à diabolo, & animas perdant. Vigilia siquidem honestatis tabefaciet carnes: sicut dicitur in Ecclesiaste: Honestæ

*De Deo tũ confidere, & in illo nostrã sollicitudinẽ proiicere debemus.*

*De sobrietate et temperãtia*

*De castitate.*

*Ezech. 23.*

*Eccles. 9.*

*De vigilantia & cautela in pugnando.*

*Osee 7.*

enim vigiliæ carnes macerant,& carnalia desideria reprimunt. Inhoneſtæ autem vigiliæ tabernarum & chorearum, carnalibus desideriis vires augent. Sobrij igitur estote & vigilate,quia aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens,circuit,quærẽs quem deuoret.Leo dicitur dum apertè sæuit.Serpens autẽ & draco,dum occultè venenũ infundit.Vnde Isa.ait:In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grãdi,& forti,super Leuiathã serpentẽ vectẽ,& super Leuiathan tortuosum,& occidet cetũ,qui in mari est. Vectis dicitur,quia durus,dũ sæuit apertè. Serpẽs tortuosus,quia mollis,dũ suggerit occultè. Vbi autẽ nos habemus vectẽ,alia translatio habet claudentẽ.Ipse enim tanquã vectis ferreus,fortiter claudit,& retinet peccatores in peccatis.Leuiathã enim dicitur,id est,additamentũ eorũ,quia peccatũ peccato addere & cumulare nõ cessat.Cetus dicitur,quia in mari huius seculi alios pisces,id est,securos & curiosos homines absorbet & deuorat . Gladius autẽ Dei dicitur sententia iudicij, de quo B.Iob ait:Fugite à facie gladij,quoniã vltor iniquitatis est gladius.Durus autẽ dicitur,quantũ ad pœnæ acerbitatẽ,grandis,quantũ ad pœnæ durationẽ.Fortis,quia nõ est qui ei valeat resistere,& vsq; ad interiora penetrabit.Circuit igitur leo iste,sicut scriptum est: In circuitu impij ambulant. In quo calliditas insidiarũ eius notatur. Vnde Iob ait:Circuiui terrã,& perambulaui eam. Corda,scilicet,terrenorũ explorando.Semper ergo circuit.Superari non potest,sed quiescere nescit.Circuire etiam dicitur, quia nõ audet intrare,sed iuxta iter scandalũ ponit, & iuxta semitã pedicas tendit,vt si quis à semita egrediatur,statim capiatur.Vnde & Psal.ait: Inimici mei animã meam circumdederunt,adipem suũ cõcluserunt,id est,superbiã retinuerũt . Ex hoc adipe prodit omnis malitia eorũ.Circumeundo autẽ quęrit,quem deuoret in pace subdolus,in persecutione violẽtus.Contra quẽ animus tantũ debet esse paratus ad resistendũ,quantũ ipse paratus est ad impugnandũ. Ipse enim quem semel arripit,deuorat & conterit,sicut scriptũ est: Quasi oleo sic cõtriuit omnia ossa mea.Vnde in Eccles.dicitur: Quasi à facie colubri fuge peccatũ.Et subdit:Dentes leonũ dentes eius,interficiẽtes animas hominũ.Diabolus enim primò lingit,vt serpẽs voluptuosã suggerendo,postmodũ mordet vt leo,animã dilaniãdo.Vnde Chaldæi,id est,dæmones ferę & mamillæ interpretantur.Feræ sunt dum lacerãt,mamillæ sunt,dum suggerẽdo lactant. Propterea idem Ecclesiasticus de diabolo ait:Sicut auis deponẽs ad sedendũ aspergit niuẽ,& sicut locusta demergens descensus eius,gelu sicut Solem effundet super terram,& dum flauerit,fiet tanquã cacumina tribuli.Diabolus enim tanquã auis,quærit vbi sedeat, & cùm locum ad sedendũ inuenerit,gelicidiũ malitię suę velut niuẽ infundit,& tunc velut locusta deuorat & corrodit quicquid viriditatis in anima repperit . Et sicut sal terrã cordis sterilẽ reddit,& suggestionibus suis quasi quibusdã tribulis pungit.Rugire autẽ dicitur diabolus propter intẽsum desideriũ,animas deuorãdi,sitit enim sanguinem more leonis. Vnde Amos Propheta ait:Nunquid rugiet leo in saltu,nisi habuerit prædam? Ita & diabolus rugit donec prædam ceperit animarũ. Sicut autem vehemens rugitus leonis impedit aures circunstantiũ,vt audire nõ valeant aliũ sonũ,sic diabolus mentes hominũ terrendo vel suggerẽdo,ne Christi vocẽ audiãt à via veritatis auertit.Resistendum est igitur illi maximè per fortitudinem fidei operãtis per dilectionem . Vnde Apost, subiungit: Cui resistite fortes in fide. Vt,scilicet,fides sit quasi clipeus. Qui enim firmiter per fidem adhæret primæ veritati,non facilè succumbit fallitati . Propterea Apost.ait: In omnibus sumentes scutũ fidei.In omnibus enim prœliis scuto fidei nos munire debemus.Sicut autẽ scutum primos ictus recipit, & alia arma defendit , ita fides inter virtutes prima occurrit, & alias virtutes protegit.Hanc enim diabolus primò impugnat,vt destructo fundamento,totum subuertatur ædificium . Et ideo: *Prima petit campum dubia sub sorte duelli* : *Pugnatura fides.* Fortitudine igitur fidei resistere debemus rugiẽti leoni,vt in principio tentationis occurramus illi.Ipse enim,teste Iob,stringit caudã sicut cedrus,id est,in fide peccati fortiter astringit animã, postquã opere & consuetudine fuerit perpetratũ.Quoniã autem valdè difficilè est & periculosum contra tantũ aduersariũ dimicare,subiungit Apostolus in fine hodiernæ Epistolæ duplicem consolationẽ,vt Christi Athleta non paueat,vel pusillanimitate deficiat,dicẽs: Scientes eandem passionẽ ei,quæ in mũdo est vestræ fraternitati fieri: quasi dicat: Tanto maiorẽ habere fiduciã debetis,quantũ cõstat quod vos nõ soli tentamini,sed ipsa passio,quę nos fatigat est eadẽ,id est, cõmunis vestræ fraternitati,id est,supernę ecclesię per vniuersum mundũ. A cõstitutione enim mũdi semper passi sunt viri sancti.Pudeat ergo vos solos prę omnib⁹ nõ posse pati. Hęc est magna cõsolatio,quoniã lenius cõmunia tangũt.Cõmunis etiã dicitur passio omnib⁹ sanctis,quia omnes cõpatiuntur patientibus,& orãt pro ipsis.In quo multum sperare debemus,quia plures sunt nobiscũ q̃ cũ aduersariis.Frater siquidẽ fratrẽ adiuuãs,quasi ciuitas munita,sicut dicitur in Salomone.Aliã autẽ subiũgit consolationẽ Apost.dicẽs:Deus autẽ omnis gratię,q̃ vocauit nos in æternã gloriã suã modicũ passos,ipse perficiet,cõfirmabit,solidabit q̃;. Deus siquidẽ dator est omnis gratię,sine cuius dono nec pugnare,nec vincere valemus. Qui ideo vicit,vt pugnemus, vt victores suos ad ęternã gloriã vocatos,per victoriã coronet,& modico tẽpore passos in ęternum remuneret.Interim autẽ ipse faciet cũ tentatione prouentũ.Ipse enim perficiet,id est,illis virtutib⁹,quas habetis alias superaddet.Et cõfirmabit vt exercitati ad pugnã fortiter & cõstanter in tribulationib⁹ perfistatis.Et solidabit sicut vas luteũ solidatur igne fornacis excoctũ.Solidare etiã dicitur dũ membra timore vel errore soluta in vnitatẽ Ecclesiæ reducit . De hac autẽ perfectione & solidatione sanctorũ in Cant.dicitur: Statura tua assimilata est palmæ. Statura Ecclesiæ

*Quod diabolus comparatur leoni & draconi.*

*Isa.27.*

*Iob 1.*

*De circuitu diaboli.*

*Eccles.21.*

*Eccles.43.*

*Simile.*

*De rugitu diaboli.*

*Simile.*

*Fide resistendum est diabolo.*

*Versus.*

*Expositio literæ.*

Ecclesiæ est perseuerãtia charitatis, quæ semper in melius proficit, sicut palma semper dũ crescẽdo eleuatur, superius dilatatur & roboratur. Licèt autẽ sancti more palmæ exterius habeãt asperitatẽ in cortice corporis, suauẽ tamẽ faciunt fructũ gaudẽtes interius: quia digni sunt persecutiones pati pro nomine Christi. Vnde & ad ipsum victorias suas & omnẽ gloriã referunt: sicut scriptũ est in Apocal. quod sancti coronas suas mittunt ante thronũ Dei. Propterea Apostolus hodiernam epistolam sic concludit. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Ecce quomodo humiliantur sancti sub potenti manu Dei, laudem & gloriam tribuentes Domino nostro Iesu Christo, qui viuat & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Lucam. 15.

*Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores vt audirent illum.* Luc. 15.

DOMINVS per Ieremiam ait: Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos. Sicut enim ignis incinerat ligna, sic verbum Dei auditores ad humilitatem inducit, vt suam fragilitatem agnoscãt. Ignis enim iste paleas consumit, id est, amorem posfidendi temporalia: dum mundi contemptus efficaciter prædicatur. Consumit etiã in auditoribus lignum, fœnum, stipulã, maiora, scilicet, & minora peccata, dum corda eorum reddit feruentia: Iuxta illud: Ignitum eloquium tuum vehementer. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Fulgebunt iusti, alios, scilicet illuminando, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent corda, scilicet, peccatorum, intus vacua, foris nitida, per scintillas diuini sermonis accendendo. Hoc est quod per Zachariam Dominus ait: In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram & ad sinistram ad omnes populos in circuitu. Duces Iuda, id est, Apostoli & Apostolici viri, velut caminus ignis circumquaque alios accendunt, & spinas peccatorum in eis cõsumunt, & velut à tione succenso fumum compunctionis cum aqua lachrymarum eliciunt. More autem facis fœnum, id est, gloriam mundi quæ citò arescit, in auditoribus consumit. Quidam autem nõ sunt sicut ligna, vt igni verbi Dei accendantur, sed velut trunci putridi, lutei, & terra repleti, succendi non possunt. Luto enim inuoluti sunt per luxuriam. Corda eorum plena sunt terra, quia opera eorum non sapiunt nisi terram. Os plenum terra, quia de terra sunt, & non nisi de terra loquuntur. De his autem ait Ierem. Da eis Domine scutũ cordis, id est, cor induratũ ad repellenda iacula prædicationis. Orate ergo Dominum fratres, vt igne verbi Dei corda vestra velut ligna in altari Domini hodie succendantur, qui à vobis auferat cor lapideum & det vobis cor carneum, molle, scilicet, & tractabile, vt virtute verbi Dei animæ vestræ hodie afficiantur, & ad bonum incitentur. Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, &cæt. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, id est, Christus inter peccatores, quos inuenerit filios diaboli per imitationem, & velut ligna syluarum infructuosos. Ipse autem conuersari humiliter voluit inter peccatores vt eos conuerteret vmbram refrigerij præstando, & alliciens odore boni exempli, atque reficiens fructu suauissimo verborum Dei. Vnde & malo comparatur Christus, quæ arbor est humilis in substantia multos habens ramos, & folia condensa, cuius fructus pulcher visu, delectabilis odoratu, suauis tactu, reficit gustu. Conueniebãt igitur ad Dauid hi qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, id est, peccatores in amaritudine vitiorum & in angustia malæ conscientiæ positi, & diabolo duto exactori tanquam fœneratori obligati conueniebant ad Christum, qui recipiebat eos, non solum ad docendum, sed ad conuescendum. Teste autem beato Gregorio, bonis nõ nocet esse cum malis corpore, sed mente, si desit spiritus non adiuuat locus. Loth in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit. Et princeps nostri generis in Paradyso. Infirmi autem prauorum societatem declinare debent, ne mala quæ frequenter intuentur, & corrigere non valent, imitentur. Et Seneca ait: Quidam ornent cęcum, quia digni sunt, quidam vt sint. Si quid enim in illis sordida conuersatione seruile est, honestior conuictus excutiet. Plus viua vox & conuictus quàm epistola prodest: homines amplius oculis quàm auribus credunt. Et Isa. ait: Non dicat filius aduenæ qui adhæret Domino separatione diuidet me. Dominus à populo suo, id est, peccator qui filius fuit diaboli, si velit reuerti & adhærere Deo, non desperet, sed accedat æger ad medicum, naufragus ad portum, pereuntes ad Saluatorem, rudes & simplices ad Doctorem. Vnde in hodierno Euangelio dicitur quod erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores. Videntes enim principem suum tam benignè à Christo, non solùm receptum, sed in ordine Apostolorum vocatum, tandem resumpta fiducia quasi ęgroti ad medicum accesserũt, & quasi discipuli ad magistrum vt audirent eum. Publicani autem dicebantur, qui publicè vectigalia exigebant & conducebant, lucris pecuniarum & negotiis secularibus inhiantes. Vel Publicani appellabantur, quasi publicè peccantes. Pharisæi enim occultè peccabant, & detectius per hypocrisim & simulationem sanctitatis. Vnde & peccatores publicos contemnebant viscera pietatis ignorãtes. Similiter etiam Scribæ, qui periti erant in lege de scientia sua, inflati, rudes & simplices spernebant, non humilibus condescendentes, sed alta sapientes. Illos enim scientia inflabat, chari-

*Iere. 5. Quod verbũ Dei assimilatur igni, et auditores ligni.*

*Zach. 12.*

*Quod Christus peccatores recipit.*

*Isaiæ 6.*

bat, charitatē quæ ædificat prorſus carentes. Vnde & dicebant murmurando & detrahendo, hic peccatores recipit, & manducat cum illis. De falſa enim iuſtitia præſumentes iudicabant cohabitatione ſua indignos eſſe peccatores. Vnde in duobus errabant. Nam de iuſtitia ſua præſumebant, de ieiunio, ſcilicet, & exterioribus operibus gloriantes, & peccatores ſpernebant, & cum indignatione abiiciebant, cum vera iuſtitia compaſſionem habeat, nō indignationem. Hi igitur de falſa iuſtitia ſuperbientes dum cæteros deſpiciunt, & nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt, quò ſe peccatores eſſe non credunt, eò deterius peccatores fiunt. Sancti autem teſte beato Gregorio: ita indignantur vitiis quod compatiuntur vitiatis. Qui & ſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem ſeruant. Proponunt ſibi in animo ipſos plerunque quos corrigunt, & meliores æſtimāt eos quos iudicant. Quod, videlicet, agentes & per diſciplinam ſubditos & per humilitatē cuſtodiunt ſemetipſos. Nō ſis igitur plus iuſtus quā iuſtum eſt: & noli eſſe nimis iuſtus ſicut Phariſæi & Cathari noſtri tēporis, qui ſeipſos ſeparant, & cum peccatoribus habitare dedignātur. De quibus Ieremias ait: Recedite polluti, clamauerunt eis. Et Iſaias de talibus ait: qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es, iſti fumus erunt in furore meo ignis ardens tota die. Teſte enim beato Ioanne in Apocalypſi: Fumus tormentorum eius qui talis eſt, aſcendet in ſecula. Et per Moyſen Dominus ait: Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Scribæ igitur & Phariſæi arenti corde ipſum fontem miſericordiæ reprehendentes, dicebant: Hic peccatores recipit & manducat cum illis. Dominus autē per parabolas & ſimilitudines reſpondit eis: Vt qui more phreneticorum ita ægri erant, quòd ſe ægros neſcirēt ſuam agnoſcerent infirmitatem cœleſti medico obiiciēte paradigma, vt in eorum cordibus tumor elationis cōprimatur. Ad reprimendā igitur Phariſęorū ſuperbiā, & ad peccatorū cōſolationem & ſpē veniæ conferendam, tres inducit parabolas. Vnam de oue quæ errauerat, quam propriis humeris reportauit. Aliam de dragma, quam perdiderat, & illā accēſa lucerna & euerſa domo repperit. Tertiam autē de filio prodigo conſequenter addidit reuertente ad patrē quā poſt hodiernū Euangeliū Lucas ſtatim ſupponit. Quis, inquit, ex vobis homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnā ex illis, nónne dimittet nonagintanouem in deſerto, & vadit ad illā quæ perierat donec inueniat illā? Per hanc autē parabolā arguit illos qui vident proximos errare, & dedignātur vel negligūt ad viā veritatis reducere, cū tamen in Deut. Dominus dicat: Non videbis bouē & ouē fratris tui errantē & præteribis, ſed reduces fratri tuo, id eſt, Chriſto. Centum vtiq; oues Dominus habuit, dū rationalis naturæ numerus angelorū, ſcilicet, & hominum integer in ſua perfectione permāſit. Vna errauit, ſcilicet, cēteſima, cū homo peccauit & paſcua vitæ reliquit. Valdè diues eſt paſtor ille, cuius omnes homines centeſima portio reputatur. Quis enim quæ perierat, in Adā eſt genus humanū. Quis autē centeſimæ requiſitio, diuina eſt incarnatio. Quis reportatio humani generis redēptio. Vadit etiā ad illā quæ perierat, cū per prędicationē vocat. Inuenitur & reportatur, dū ad eum cōuertitur. Nonaginta autē nouem oues ſunt, nouē angelorū ordines, qui numerus nō peruenit ad perfectionē centenarij. Imperfectus enim fuit numerus altero pariete cadente, vnde vt ſumma reintegraretur in cœlo, hominem quæſiuit in mūdo. Angelicā autē creaturā quaſi reliquit in deſerto, id eſt, in cœlo ab homine peccante derelicto, dum veniens in mundū ſeipſum exinaniuit. Vnde & Mat. ait: quod nonaginta nouē reliquit in montibus, id eſt, in excelſis. Quod tamē poteſt intelligi de ſuperbis peccatoribus, quos in montibus ſuperbiæ reliquit, & humiles peccatores reportauit. Qualiter autē ouem errantē reportauerit, ſubiūgit, dicens: Cū inuenerit eā, imponit in humeros ſuos gaudēs. In humeris poſuit, dū humanā naturā ſuſcipiens peccata noſtra portauit. Quæſiuit ouem ipſum non quærentē: propterea Pſal. ait: Erraui ſicut ouis quæ perierat, quære ſeruū tuū Domine. Inuentā autē in humeris poſuit, quādo nos per laborē ſuæ paſſionis ad cœleſtem gloriā reuocauit: ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt principatus ſuper humerū eius. Et iterū Iſa. ait: In brachio ſuo cōgregabit agnos & in ſinu ſuo leuabit. In hoc autē facto ad literā auaritiā Phariſęorū reprehendit, ac ſi diceret: Si vos ouē perditā tanto ſtudio & labore quæritis, nō oui, ſed auaritiæ veſtræ cōſulentes, quare me reprehēditis, qui animabus peccatorū conſulo, & vt conuertātur cū illis cōmorari non recuſo? præſertim cùm magnū gaudiū ſit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiā agente, Vnde & ſubiungit: Veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicēs illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meā quæ perierat. Domū venit dū reparato homine ad cœlū redit. Ibi angelos inuenit, qui amici ſunt, quia voluntatē eius quotidie cuſtodiunt. Vicini autē dicuntur, quia ſummæ bonitati adhærentes claritate viſionis eius perfruuntur. Non dicit cōgratulamini oui inuentæ, ſed cōgratulamini mihi, vt oſtendat, quia gaudiū eius eſt conuerſio noſtra: ſicut in Eſdra dicitur. Gaudiū Domini eſt fortitudo veſtra. Nō ſolū autē gaudiū Domini, ſed gaudium angelorū de ſalute noſtra ad bene agendū, nos debet incitare. Quorum patrociniū affectare & offenſam debemus vitare. Quoties igitur peccator ad Deū conuertitur, toties inimicus noſter diabolus affligitur & cōtriſtatur, & in cœlo ſolēnitas celebratur. Vnde Iere. in lamentationibus de paucitate conuerſorum conquerens, ait: Viæ Sion lugent, eò quòd non ſit qui veniat ad ſolemnitatē. Angeli enim, qui nobis in ſupernā Sion viā oſtendunt, & ſancti homines qui bono exēplo nobis ad Deū via ſunt lugere & cōtriſtari dicūtur, eò quòd pauci ad ſolemnitatē veniāt, quæ de peccatorū conuerſione tam in cœlo, quàm in terra celebratur. De qua Iſa. ait: Lætamini cum

*Quod Dominus ouem quæ perierat, requiſiuit & reduxit.*

*Iſa. 9.*

*De gaudio pro conuerſis ad Deum, & luctu pro peccatoribus non redeuntibus.*

ni cum Hierusalem & exultate in ea omnes qui diligitis eam, gaudete cum ea gaudio vniuersi qui lugebatis super eam. Et iterum de huiusmodi gaudio ait: Laudate cœli, & exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Cœli sunt Angeli, qui vicini & amici in hodierno Euãgelio appellantur. Terra autem dicuntur, qui adhuc in mundo peregrinantur. Inter quos montes nominantur, qui virtutum prœeminentia eleuantur. Omnes hi inuitantur ad gaudẽdum de conuersione peccatorũ. Si autem alij gaudent de conuersis ad Dominum, quantò magis ipsi gaudere debent de seipsis. Qui enim stellam diuinæ gratiæ amiserunt & iterum inuenerunt, gaudere debent gaudio magno valdè. Propterea per Isaiã ait Dominus: Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæa in voce exultationis annuntiate, auditum facite hoc, & efferte illud vsque ad extrema terræ. Qui enim de Babylone exierunt, & manus Chaldęorum euaserunt, gaudere debẽt & beneficia Domini aliis annunciare, vt ad Dominum conuertantur. Gaudere autem debet pœnitens & lugere, & exultare in Domino cum tremore, sicut scriptum est in Ecclesiastico: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu. Vnde & in Esdra legitur quod quando fundatum est templum, confusæ sunt voces simul laudantium & flentium. Ita pœnitens debet simul gaudere & lugere, quando in eo iacitur fundamentum spirituale, quod exordium sumit à compunctione vt contristetur peccator in seipso & exultet in Domino, sicut in Ieremia dicitur: Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum, & estote quasi hœdi ante gregẽ, vt, scilicet, exulteris saliendo & alios præcedere studeatis. De hoc igitur gaudio peccatoris ad Dominum conuersi subiungit Euangelista: Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiã agente, quam supra nonaginta nouem, id est, iustis qui non egent pœnitentia. Locus iste diligenti indiget expositione. De maiori enim bono magis videtur gaudendum. Quis enim est peccator conuersus ad Dominum, de quo tantum gaudendum sit, quantum de beata virgine Maria, vel de Ioanne Baptista? Non igitur generaliter de omnibus intelligi videtur, sed de his tantum, qui licèt nulla mala non faciunt, pauca tamen agunt bona. Sunt enim aliqui qui illicita non commiserunt, rebus tamen licitis securè vtentes ad cœlestia anxiè non anhelant, sed ad bona agenda ex securitate pigri remanent. Plerunque autem peccator contrarium facit, vnde maius est gaudẽdum de eo quàm de stante iusto. Veluti dux in prœlio illum militẽ plus diligit, qui post fugam reuersus fortiter præmit hostem: quàm eum qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges affert, quàm eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit. Sunt autem quidam iusti, de quibus tantũ est gaudẽdum: vt eis nullus pœnitens præponi possit, qui & si non sint sibi malorum conscij, multa tamen licita respuentes in omnibus se humiliant, & de venialibus ac primis motibus nõ minus pœnitent, quàm alij de criminalibus. Hi igitur in gaudio pœnitentium nõ immeritò cõprehenduntur. Ex quo perpendendũ est quantum Deo gaudium facit in cœlo quando hoc quod malè gessit per pœnitentiam damnat iniustus. Si autem generaliter de iustis & perfectis viris, qui non indigent pœnitentia intelligatur, gaudium de conuersione peccatoris ad actum vel ad signum affectus, & non ad habitum refertur. Sicut mater circa decimum filium ęgrotantem maiorem impendit curam, & magis gaudet in actu de eius recuperata salute, licèt plus diligat alios nouem, qui sani remanserunt. Sic & nos terrenam substantiam perditam cum maiori gaudio recuperamus, quàm ante perditionem possidemus. Et diues auarus magis mouetur ad gaudendũ in actu de modica pecunia, quã de nouo lucratur, quã de magna pecunia, quã securè possidebat in arca. Nam circa illam nõ adeo afficitur, sed acquisitorũ quasi oblitus ad anteriora & noua lucra se semper extendit. Aliquibus autem videtur per nonaginta nouem iustos, qui non egent pœnitẽtia nouem Angelorum ordines intelligi, quos prius per nonaginta nouem oues relictas in deserto, designauit. Maius igitur gaudium est in cœlo de cõuersis ad pœnitentiam, quàm de Angelis sanctis. Quia maius videtur iustificare impium, quàm creare vel conseruare iustum. Et si vtrunque æqualis potentiæ, illud tamen maioris est gaudij & misericordiæ. Est ergo maius gaudiũ, id est, de maiori re, quia maius est iustificare impium quàm creare cœlum & terram, vel quàm seruare in innocentia & iustitia, quia ibi nulla est repugnantia. Dicitur præterea Dominus magis gaudere de conuersione peccatorum: quia maiori gratiarum actione prosequendus, & magis nos facit gaudere de nostra reparatione, quàm de Angelorum immutabilitate. Quarto modo etiam prædicta Domini verba possumus exponere, vt per nonaginta nouem iustos intelligamus eos qui Dei iustitiam ignorantes, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, & de lege præsumentes, ac de iustitia sua confidentes, gratiam Euangelij non quærunt. Peccatores verò pœnitentiam agentes appellat, qui sua mala attendunt, nec per legem se posse iustificari putantes, Christi gratiæ se subiiciunt pœnitendo. De quibus maius gaudium est in cœlo, vt legamus electiuè non comparatiuè, id est, ita gaudium est in cœlo, de pœnitentibus quod non de his qui se iustos reputant. Et quia se infirmos non æstimant, de medico non curant. Hoc est quod alibi ait: Non est opus sanis medico, sed malè habentibus, qui se, scilicet, malè habere sentiunt, & se infirmos humiliter attendunt. Tales enim medicum illum requirunt, qui miro medicãdi genere vulneratus est propter iniquitates nostras. Medicinalis enim est eius caro, qua peccati venenum expellitur. Vnde sicut pillula sub nebula sumitur, sic eius caro sumitur inuoluta sacramento. De qua medicina Gre-

*Isaiæ 42.*

*Isaiæ 48.*

*Quod exultare debemus cum tremore, & lætari simul atque flere.*

*Qualiter magis gaudendũ est de peccatore conuerso quam de iusto.*

*Gregorius Similiter.*

*Simile.*

*De medico & medicina.*

na Gregorius ait: Quia de medicamẽto fecimus vulnus, oportuit quod de vulnere faceret medicinam. Hoc igitur medico non egent, qui sani sunt. Quia qui sanos se reputant, medicinalem gratiam non quærunt. Illos autem qui malè habent, & ægros se reputant, iuuat Dominus: quia dant locum gratiæ pœnitendo. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Ventrem meum doleo, id est, infirmis compatior. Illud autem quod ostenderat Dominus per ouem errantem & humeris reportatam, ostendit ad maiorem confirmationem per dragmam perditam quæsitam & inuentam. Vnde aliam subdit parabolam, dicens: Quæ mulier habens dragmas decem, si perdiderit dragmam vnam, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Dragma est nummus certæ quantitatis habens Regis imaginem & nominis superscriptionem. Mulier igitur, id est, Dei sapientia, mitis, compatiens & fœcunda decem dragmas habuit, cùm homines & Angelos ad imaginem suam creauit. Qui & imaginis habent impressionem & nominis superscriptionem. Nam à Christo dicitur homo Christianus, & Angeli sancti à Deo denominationem sortiuntur. Gabriël enim fortitudo Dei, Michaël quis vt Deus, Raphaël medicina Dei interpretatur. Nouem igitur Angelorum ordinibus additus est homo decimus vt compleretur electorum numerus. Vnam autem dragmam perdidit cum homo à similitudine Dei peccando recessit, qui tamen post culpam non periit, quia illum sapientia Dei per carnem miraculis coruscans ex lumine testæ reparauit. Lucernam enim ad quærendum accendit: lucerna siquidem lux est in testa, id est, verbum in carne. De qua scriptum est: Aruit tãquam testa virtus mea. Quia assumptam carnem ad resurrectionis gloriam ex passionis tribulatione roborauit, Caro enim fuit vera testa. Oleum spiritus sancti gratia per lichniũ Christi animam, per ignem diuinitatem eius intelligimus. Hæc igitur mulier vt dragmam reperiret accensa lucerna, domum euertit, quia postquam inter homines claruit, conscientias hominum de reatu suo conturbauit. Reuelata siquidem sunt fundamẽta orbis terrarum, id est, occulta cordium, ab increpatione tua Domine. Vniuersum enim stratum eius versasti in infirmitate eius, & sic dragma reperitur, dum in homine Dei similitudo reparatur. Dragma siquidem perditur, dum anima vitiis deformatur. Dragmæ autem inuentio animæ est illuminatio. Domus etiam proprij corporis vt dragma reperiatur, in cruce euertitur, sicut scriptum est: Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud. Domum insuper euertit, id est, cœlum, dum altissimus dignatus est fieri paruulus & de glorioso abiectus, & beatitudinem conuertere visus est in miseriam. Euertit etiam domum, id est, mundum, quia depositi potentes de sede, & exultauit humiles. Elegit infirmos vt confunderet fortes. Inuenta autem dragma quid egerit mulier, audiamus. Conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni dragmam meam, quam perdideram. Amicæ & vicinæ sunt supernę potestates quæ Deum vicinius contemplantur. Quas ad congratulandum conuocat, dum per exhibitionem gratiæ hominibus impensę ad sui amorem & gratiarum actionem, vehementius accendit & inflammat. Mulier insuper dicitur Ecclesia, de qua scriptum est: Mulierem fortem quis inueniet. Quæ per humilitatem & compassionem ad peccatores inclinata accensa doctrinæ lucerna, & sanctæ conuersationis exẽplum ostendẽs, de puluere terrenæ cupiditatis eleuat peccatorem, & de sterçore carnalis voluptatis erigit pauperem. Econtra de malis prælatis dicitur in Ezechiele: Lateribus & humeris vestris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora. Latera siquidem, id est, prælatorum collaterales subditos grauant & affligunt, & ipsi prælati humeris potẽtiæ suæ eos deprimunt, cornibus superbiæ & elationis pauperes ventilantes. Vt autem contra multiplicem lapsum Dominus multiplex ostendat remedium, duabus præmissis parabolis quæ in hodierno Euangelio leguntur de oue, scilicet, errante & dragma perdita, tertiam parabolam statim subiunxit de filio prodigo, qui portionem substantiæ suæ malè consumpsit, & tandem ad patrem rediit. Triplex igitur ostenditur modus corruendi. Errat ouis, dragma perditur, à filio prodigo substantia consumitur. Triplex etiam ostenditur modus recuperandi. Ouis reportatur, dragma quæritur & inuenitur, filius prodigus reuertitur, & à patre occurrente cum gaudio suscipitur. Erat homo in pascuis vberrimis Paradisi, sed errauit, sicut ouis quæ periit, dũ ad vetita pascua transiuit. Errantẽ ouem lupus infernalis rapuit, sed bonus pastor oui cõpatiens, de dẽtibus lupi ouẽ extraxit, & in humeris reportauit. Errat ouis & perit, dũ à gregis cõsortio per hæreses vel schismata sẽ substrahit, vel per opera mala ab ouili Ecclesiæ recedit. Perditur dragma dũ imaginem amittit, dũ in ignẽ proiecta liquescit, dum vitiorũ igne cõbusta deturpatur, vel aliqua sui parte imago mutilatur. Mulier ad concupiscendũ inspicitur, imago protinus oculo priuatur. Audis libenter detractionis verba, auribus priuatur imago tua, & sic intellige per singula. Perit filius prodigus, portionẽ substãtiæ suæ malè cõsumendo, libero, scilicet, arbitrio & aliis bonis naturalibus abutẽdo. Dedit ei Deus libertatẽ obseruãdi naturæ legẽ, quẽadmodum in Ecclesiastico dicitur. Appositi tibi aquã & ignẽ, ad quod volueris porrige manum tuã. quasi diceret: Libertatẽ habes legẽ naturalem obseruandi vel nõ obseruandi, bonis naturalibus bene vel malè vtendo. Sed quoniã teste Iob: vir vanus in superbiã erigitur, & quasi pullus onagri se liberum natum putat, id est sine fræno alicuius legis, qui tamen nascitur cum fræno legis naturalis & cum compedibus originalis vincula rumpit, & bona naturalia malè consumit, quemadmodum Ieremias ait: A seculo fregisti iugum, rupisti vincula, abiit in regionẽ longinquã. Longe enim à peccatoribus salus, eò quòd magnum chaos sit positum inter peccatores & Deum. In qua regione fames est

*De dragma perdita & postea inuẽta.*

*Ezech. 25.*

*De triplici modo corruendi.*

*De filio prodigo pereunte & postmodũ reuertẽte. Eccle. 20.*

mes est & defectus bonorum spiritualium, eò quòd siliquis porcorũ nemo valeat satiari. Insatiabilis est luxuria, quæ semper famem sui patitur. Insatiabilis est auaritia, quia auarus non implebitur pecunia. Similitèr & in aliis vitiis, quibus porci infernales delectantur, nulla plenitudo satietatis inuenitur. Non enim impletur oculus visu, nec auris auditu. Peccata enim siliquis porcorum quæ sicca sunt, vacua & sonora comparantur. Nunc autem qualiter filius prodigus ad se rediens per cõpunctionem & ad patrem reuersus per pœnitentiam & humilitatem receptus sit à patre per misericordiam videamus. Videt enim pater à longè per prædestinationẽ, occurrit per gratiam prœuenientem. Collum eius applexatur, dum pœnitens peccatum confitetur: dat osculum, id est, veniæ & reconciliationis confidentiam. Dat primam stolam, id est, animæ iustificationem reddendo innocentiam. Dat calceamenta in pedibus muniendo affectus per propriæ voluntatis mortificationem, & ne tangat terram per concupiscentiam. Dat annulum in manu, id est, fidem formatam, quæ non sit otiosa, sed perfectionem habeat ad opera bona, vt sic ornatus mereatur introire ad conuiuium vituli saginati, in cruce occisi & videre chorum sanctorum & Angelorum simphoniam audire. Hoc est quod in Zacharia dicitur: Auferte vestimenta sordida, spoliando, scilicet, veterem hominem, cum actibus suis, & induite mutatoriis, id est, bonorum operum vestimentis induendo nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Et ponite cydarim super caput eius, vt continentia mens muniatur & malarum cogitationum capilli restringantur. Pensèt igitur & attendat diligenter ouis Christi cum quanto labore reportata sit à pio pastore & ab eius humeris de cætero non recedat. Caueat dragma magno studio quæsita & inuenta, ne rursus amittatur, & ne imago reformata iterum deformetur. Considerèt filius reuersus cum quanto gaudio sit receptus, & iterum pium patrem non offendat, ne deterius aliquid ei contingat. Caueant vniuersi postquam ad Dominum sunt reuersi, ne turpiter ad vomitum redeant, & fiant posteriora eorum peiora prioribus, & iam de cætero non quærantur nec inueniantur, sicut scriptum est: Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Hæc est ira Dei maxima quando peccatorem non quærit, quando non flagellat & castigat, sed eum proprio arbitrio relinquit. Vnde per Ezechielem Dominus ait: Requiescèt indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam ne irascar amplius. Magna est Dei ira non irasci, cùm semel contempserit fornicantem.

*Qualiter filius prodigus recipitur à patre.*

*Breuis recapitulatio cum exhortatione.*

*Ezech. 16.*

*Siquidem blanda nil sæuus ira.*

*Versus.*

Nihil enim infelicius felicitate peccantium. Nulla maior aduersitas prosperitate talium, qui ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Per multas autem tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum. Flagellat enim omnem filium, quem recipit Dominus noster Iesus Christus, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum.

## DOMINICA QVARTA THEMA DE INTROITV MISSAE SVMPTVM ex Psalmo 26.

*Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui tribulant me, inimici mei, infirmati sunt & ceciderunt.*

*Psal. 26.*



VM sol occubuisset facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans. Sic enim legimus in Genesi: vbi de sacrificio Abrahæ loquitur scriptura. Cùm enim Sol iustitiæ deserit hominem, caligo ignorantiæ obscurat oculum rationis, & clibanus, id est ardor mali desiderij obnubilat mentem pectoris, atque fumo cæcatis obuoluitur, vt possit dicere peccator: Turbatus est à furore oculus meus, id est, ab insania mentis inebriata calice Babylonis, à potu, scilicet, terrenæ voluptatis, quæ mentis oculum perturbat per ignorãtiam, & debilitat spiritum per infirmitatis languorem. Hæc enim duo incommoda principaliter incurrerunt primi parentes post mandati transgressionem, ignorantiam & infirmitatem. Post quam autem filius Dei splendor gloriæ mundo illuxit, & medicus salutaris mundum visitauit, expulit ignorantiam, & restituit sanitatem. Et hoc est quod Propheta gratias agens Domino ait: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo. Illuminatio contra ignorantiam, salus contra infirmitatem. Illuminans rationem, & roborans voluntatem. Illuminans intellectum & corroborans animam. Hoc est quod Malachias ait: Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Orietur sol iustitiæ, id est, illuminatio contra ignorantiam & sanitas in pennis eius, id est, salus contra infirmitatem. Tunc autem quasi pennas habuit cum brachiis in cruce extensis, sub alis suis nos protexit. Et per Isaiam Dominus ait: Ponam tenebras eorum coram eis in lucem, & praua in directa. Ponam tenebras in lucem, illuminando per gratiam. Ponam praua in directa conferendo salutem: Hoc est quod in Ezechiele dicitur: Omnia flumina Ægypti adducam in oleum illuminando, scilicet, & sanando peccatores per contritionem & recordationem peccatorum. Oleum enim sanat & illuminat. Per flumina autem Ægypti intelliguntur fluxus vitiorum. Dicit igitur Psalmus: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo, quasi dicat: Dominus habitans in me est illuminatio mea, vel lux mea contra tenebras ignorantiæ meæ. Non

*De tenebris & illuminatione.*

*Quomodo Deus illuminat & sanat.*

*Mala. 3.*

*Expositio litera.*

ego sum

ego sum mihi lux, sed ipse qui illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundũ. Et ipse
est salus mea, contra infirmitatem vt iã possim resistere peccato. Cùm igitur Dominus & notitiam mihi dederit & salutem, quem timebo? Neminem, quia nullus potest contra eum. Teste
*De confidentia & securitate sanctorum.* enim Salomone: Secura mens quasi iuge conuiuium. Hoc est enim conuiuium & refectio mẽtis, securitas sanctorum, qui nullum timent nisi Deum. Iustus enim vt leo confidens absq; terrore erit. Econtra fugit impius nemine persequente. Quidam enim adeo lepusculi sunt & meticulosi, quod solis suspicionibus iugiter affliguntur. Illic enim trepidauerunt timore vbi non est timor. Et sicut in Iob dicitur: Sonitus terroris semper in auribus eorum, & cùm sit pax, semper insidias suspicantur, possunt autem prædicta verba ad futuram gloriam referri, sub hoc sensu: Dominus erit illuminatio mea post tenebras præsentis exilij, animam meam glorificando & salus mea, corpus suscitãdo, & ab omni corruptione mortalitatis sanãdo. Vnde nullũ iam timebo post hanc vitã, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, sicut scriptũ est: Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis magnus pugnet contra me. Illuminat igitur Dominus nunc per gratiam, in futuro per gloriam, sicut scriptum est: In lumine tuo videbimus lumen. *De lumine gratiæ & gloriæ.* De lumine gratiæ dicit Sophonias: Azotum in meridie eiicient & Accaron eradicabitur. Azotus ignis vberum interpretatur. De vberibus autem huius mundi, quæ sunt vanitas & voluptas exprimitur & elicitur ignis, id est, æstuatio mentis in præsenti, & incendium gehennæ in futuro. Accaron autem sterilitas interpretatur. Tam ignis vberum, quàm sterilitas eradicatur in meridie, id est, in lumine gratiæ & charitatis feruore. De lumine autem gloriæ dicit Isa. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriã tuam. Similiter in Apocalypsi Ioannes ait. Ciuitas amplius non eget Sole neque Luna vt luceant. Nam claritas Dei illuminabit eam & lucerna eius est agnus. Hæc est vera & plena illuminatio, vbi cognoscemus sicut cogniti sumus. Hic etenim plenè nõ agnoscitur Deus, scilicet, in via, sed cognoscetur in patria, velut in domo propria. Vnde & discipuli euntes in Emaus nõ in via, sed in domo cognouerunt eũ. Regnum autem cœlorũ vim patitur. Res enim litigiosa est & sine certamine ac pugna nõ potest obtineri à militibus Christi. Maligni enim spiritus qui inde eiecti sunt, calumniã obiiciũt. Vnde necessarium est nobis diuinę defensionis præsidium. Et ideo Psalmus subiũgit: Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo. Ipse enim illuminatio est in tenebris, & salus atque defensio in pressuris. Nõ enim sufficit vitã virtutũ dare, nisi quod dederit custodiat & defendat in certamine, omnes insidias & impetus inimici repellendo. Et quia illuminat, saluat & protegit, qui potentissimus est, à quo trepidabo? Securus enim sum militãs sub rege inuictissimo. Qui teste August. militibus suis dicit: Ego pugnantẽ cõspicio, cadentẽ subleuo, vincentẽ corono. In pugna siquidẽ tria sunt necessaria, scilicet, discretio, fortitudo, & arma quibus defendatur athleta. Discretionẽ & scientiã pugnãdi dat illuminando. Hoc est quod ait, Dominus illuminatio mea, fortitudinẽ tribuit, infirmitatẽ expellendo, & hoc est quod ait: Dominus salus mea. Protegit & defendit, arma virtutũ conferendo, vt non præualeat inimicus. Et hoc est quod ait: Dominus defensor vitæ meę, à quo trepidabo? quasi dicat: Si consistant aduersum me castra, id est, contradictentium inspirationes & hostiũ molimina non timebit cor meũ si exurgat aduersum me præliũ, id est persecutio atq; conflictus hostiũ, in hoc ego sperabo. In hoc, scilicet, prælio ego sperabo in Domino, id est, habebo spẽ victorię & remunerationis æternæ. Beati enim qui persecutionẽ patiũtur propter iustitiã: quoniã ipsorũ est regnũ cœlorum. Huiusmodi spes est fortitudo certantium, sicut scriptum est: In Domino sperãs non infirmabor. Et Isa. ait: In silentio & spe erit fortitudo vestra. In silentio, vt non murmuret athleta Christi, si recipiat ictus in prælio, & grauiter affligatur. In spe, vt de viribus suis nõ præsumat, sed in Dei adiutorio spẽ victorię habeat, qui ait: Inimicus ero inimicis tuis. Propterea Psalmus in hodierno officio subiungit. Qui tribulãt me, inimici mei: ipsi infirmati sunt & ceciderũt. Quãtò enim cõualescit Christi miles, tãtò magis cõtra eum debilitãtur eius hostes, scilicet, mũdus, caro, & dęmones sub pedibus eius corruẽtes. Prędictos autẽ inimicos nocẽtes appellat, quia multis nocẽt. Resistẽtibus & victoribus nõ nocẽt, sed magis prosunt. Et hoc est quod ait: Dũ appropiant super me nocẽtes, vt, scilicet, me sibi subiiciant, per cõsequens edunt carnes meas. Tribulationes enim & persecutiones animas sanctorum nõ lædunt, sed carnalia desideria in eis perimunt & cõsumunt. Appropriãt etiam inimici, id est, dæmones & dæmonum satellites vt edant sanctorum carnes, dum in mor-
*Contra detractores.* te eorum carnali delectantur. Detractores etiam carnes edere dicuntur inuicẽ mordẽtes, & vitam proximorum dentibus detractionis corrodentes, de quibus in Parabolis dicitur: Noli esse in conuiuiis peccatorum, nec in cõmessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. Quasi enim cymbolũ faciũt dum ad detrahendũ conueniunt. Hi igitur qui linguas habent venenosas, abhorrendi sunt quasi serpẽtes, de quibus in Ecclesiaste dicitur. Quemadmodũ si mordeat serpens in silentio: nihilominus habet qui occultè detrahit. Abhorrẽdus est detractor tanquã infernus. Vnde in Parabolis in persona talium dicitur. Deglutiamus eum sicut infernus viuentẽ. Abominandus est tanquã sepulchrum patens ex quo procedit fœtor corruptionis: iuxta illud: Sepulchrũ patẽs est guttur eorũ, fugiẽdus est tanquã nocturnus & clandestinus homicida. Vnde in Eccles. dicitur: Mors illius mors nequissima, & vtilis infernus potius quã illa. Illud autẽ quod prędictũ est de inimicis, scilicet, infirmati sunt & ceciderũt, in bono potest intelligi.

*Eccle. 10.*

*Eccle. 28.*

Qui

Qui enim prius impugnabant Ecclesiam, postmodum visis miraculis infirmati sunt intrantes in his quæ prius defendebãt,& ceciderunt dum colla sua fidei subdiderũt. Hic est bonus casus: Sicut de Sampsone legimus quod concusſis fortiter duabus columnis, domus cecidit ipse cum allophilis & mortuus est. Inimici siquidem Ecclesiæ quamdiu excæcati sunt,ignorantes veritatem & ad molam terrenæ occupationis positi,quasi in circuitu impij ambulant, & in peccatis suis laborant de malo ad malum,quasi de puncto ad punctum circuendo redeuntes. Sed postquam Sampson recuperat crines,id est, dona spiritus sancti & virtutes concutit,fortiter duas columnas,carnis,scilicet, concupiscentiam & mundanum amorem, & corruente domo malę conuersationis,dum vetus homo interficitur,moritur Sampson cum allophilis,id est, cum dæmonibus & vitiis. Dum enim domus infernalis diruitur,vires dæmonum eneruantur. Et ita fit Dominus illuminatio expellens cæcitatem, salus reddens fortitudinem, defensor inimicos repellendo & vitam virtutum conseruando. Sicut autem in visu corporali. Duo sunt necessaria,scilicet,lux interior & radij visibiles,& cristallinus humor & lux exterior: quia tenebrę visum impediunt. Ita in visu spirituali necessaria est duplex illuminatio interior. De qua sanctus Bernardus ait,aliquando plus docet vnctio quàm lectio, & exterior doctrina,scilicet,& exempla. Euãgelicum siquidem collyrium quasi ex tribus speciebus conficitur, vt cæcorum oculi illuminẽtur,scilicet,ex præceptis,prohibitionibus & consiliis,quibus adduntur exempla quę plerunq; plus instruunt & incitant,quã doctrina. Vnde vt mundum illuminaret,cœpit Iesus facere & docere. Propterea de ipso Zacharias ait: Ecce ego adducam seruum meum orientem,id est,Christum hominem, vt visibiliter mundo appareat. Oriens enim est nomen eius,quia ab ipso procedit illuminatio, sicut in Isaia pater ait: Dedi te in lucem gentium. Tenebræ formas tollunt quas lux restituit. Sic Christus mundum deformatum reformauit. Verus enim Sol radios suos vbique expandit. Quod autem à cæcis non videtur,nõ est ex defectu solis,sicut scriptum est: Tenebræ non obscurabuntur à te. Imò quantum in ipso est,omnes illuminarentur, nisi peccatis suis quasi velamine obcæcarentur,sicut scriptum est: Operti sunt iniquitate & impietate sua. Et in Iob dicitur: Operuit faciem eius crassitudo,quia terrenarum rerum abundantia oculus mẽtis premitur & operitur. Et in eodẽ dicitur: Vbi eras cũ ponerẽ nubẽ vestimentũ eius,scilicet,maris. Cor enim secularium nube caliginis operitur & obuoluitur,sicut Isa. ait: Tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas vsq; inæternũ,id est,super corda reproborũ quæ propter peccata sua fiũt spelũcę dęmonũ & cubilia draconũ. Teste enim Isa. Ab Aquilone fumus veniet à peccato,scilicet,& diabolo fumus exceçationis & tenebrarũ. Vnde Eze. de Gog & Magog,id est,de persecutoribus Ecclesiæ & dæmonibus ait: Ascendens autẽ quasi tẽpestas veniẽs, & quasi nubes vt operias terram. Nubes obscurat,tempestas frangit, & reprobi obscurantur per ignorantiam & franguntur per impatientiam. Ex nido autem hirundinum cadunt stercora,& Tobias excæcatur. In nido elatio, in hirundine lenitas, in stercore immunditia designatur. Quantò autem magis peccat homo, tantò amplius excæcatur, & sensus eius interim magis obscurantur. Vnde in Threnis Ieremias ait: Confregit ad numerum dentes eius,id est,sensus internos secũdum numerum peccatorum, vt iam cibum spiritualem masticare,& saporem percipere non possit. Propterea Petrus ait: Cæcus est & manu tentans,cui hæc præstò non sunt. Qui enim in terrenis gaudia quærunt,nunc ad ista,nunc ad illa more cæci manum extendunt,& quod nusquam inueniunt,in pluribus locis quærunt. Non enim in terrenis gaudium verum,sed magis afflictio reperitur. Vnde in persona talium dicit Isaias: Expectauimus lucem & ecce tenebræ, splendorem & in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci parietem,& quasi absque oculis attractauimus. Impegimus in meridie quasi in tenebris,in caliginosis,quasi mortui. Paries est caro nostra. Vnde in Canticis: En iste stat post parietem. Obstante enim pariete carnis,nondum plenè possumus Deum videre. Et Amos ait: Qui nititur manu sua super parietem,mordebit eum coluber. Parieti enim corporis inniti non debemus,ne à diabolo mordeamur. Cæcus tangit,sed non discernit. Igitur quasi cæci parietem palpando tangunt,qui carnis desideria sequuntur, sed quantum in eis malum sit vel quanta amatitudo, non attendunt. Attrectant autem more cæcorum nunc ad hæc,nunc ad illa manum mittendo,& diuersa appetendo. Meridies est gratia Dei,quæ mundo illuxit, ad quam offenderunt,qui eam respuerunt. De quibus in Iob dicitur: Per diem incurrent tenebras,& quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Christi enim gratia & doctrina velut splendor meridianus mundo illuxit. Triduanæ tamen tenebræ in Ægypto fuerunt, quia corde, ore, & opere impij & increduli excæcati sunt. Peccator enim sine gratia quasi lampas sine oleo. Quando autem gratia subtrahitur,fœtet peccator velut crucibulum dum extinguitur. Vnde Isaias ait: Contriti sunt quasi linum,& extincti sunt,scilicet,per gratiæ subtractionem, & pœna gehennali contriti, sicut linum, in momento succisum vel igne corruptum. Hoc est quod Propheta ait: Exaltare Domine in funibus inimicorum meorum, id est,altus & incognitus efficere subtrahendo illis lumen gratiæ. His autem quibus Dominus gratiam infundit, lumen cognitionis tribuit. Vnde per Isaiam ait: Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium. Diligenter auscultabunt, & cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè. Oculi videntium, id est, Apostolorum,de quibus dicitur: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Similiter & aliorum fidelium à Christo illuminati non caligabunt. Alioquin quantumcunque videant in scripturis nisi à

*De morte Sampsonis.*

*De his quæ exiguntur ad videndum.*

*De collyrio Euangelico.*

*Zach. 3.*

*De excæcatione malorũ.*

*Iob. 20.*

*Iob. 38.*

*Isaiæ 32.*

*Isaiæ 14.*

*Simile. Isaiæ 43.*

*De diuina illuminatione.*

nisi à Christo illuminentur, excæcantur. Multorum enim videntium, id est, literatorum oculi puluere terrenorum & albugine inanis gloriæ caligant & obscurantur. De quibus Isaias ait: Quis cæcus nisi seruus meus? Et iterum: Qui vides multa, non custodies. Aures autem audientium quæ prius surdæ fuerant, diligenter verbum Dei auscultabant. Cor autem stultorum, de quibus dicitur: Stulta mundi elegit Deus, intelliget scientiam. Quod fit per spiritum sanctum,

*Ezech. 39.* sicut per Ezechielem Dominus ait: Non abscondam vltra faciem meam ab eis, eò quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israël. Lingua autem balborum velociter loquetur & planè, id est, expeditè & apertè. Ex ore enim infantium & lactentium qui prius Christum resonare non poterant, perfecit Deus laudem vt loquerentur velociter & planè, id est, expeditè & apertè. Prædicta autem illuminatio perfecta est per fidem Christi in vniuerso

*Isaiæ 19.* mundo. Vnde Isaias ait: In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti & titulus Domini iuxta terminum eius. Altare est fides Christi, per quam opera bona offerimus in medio Ægypti, vt inde circumquaque vsque ad fines terræ resplendeat fides Christi, & sit quasi titulus in vniuerso mundo. Sicut enim tota compositio operis illuminatur & respondet titulo, sic tota operum compositio illuminatur à fide, & eius puritati respondet. Legimus

*De phialis & effusione earum.* enim in Apocalypsi, quod in effusione phialæ primi Angeli factum est vulnus pessimum. In effusione quartæ factus est æstus. In effusione quintæ factæ sunt tenebræ. Venit autē sextus Angelus plenus gratiæ & veritatis, & effudit oleum vulneribus sauciati. Effudit phialam suā & vulnus sanauit, sanguinem emundauit & refrigerauit æstum, & tenebras illuminauit. Iuxta illud: Ros lucis, ros tuus. Eius enim gratia & misericordia irrigat, irradiat, lucet & fœcundat. Ipse siquidem illuminauit cæcum, soluit vinctum, reduxit erroneum, reconciliauit reum. Posuit autem lutum super oculos cæci, & præcepit ablui, vt ostenderet quod homo luto terrenæ cupiditatis cæcatus visum recuperat, aqua sapientiæ & diuinæ gratiæ ablutus. Tuncigi-

*Isaiæ 21.* tur mundi vanitatem incipit agnoscere & mirari quomodo tam prauum tātum potuit diligere. Et hoc est quod Isaias ait: Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum, id est, mundus prius mihi dilectus. De quo miror, quomodo tam fœtidum & abominabilem adeo amaui. Vel miratur quomodo tam subitò ab eo auelli & alienari potuit, quē tantum dilexit. Hæc est enim mutatio dexteræ excelsi & mirabilis operatio spiritus sancti, scilicet, qua mentis oculus illuminatur, vt vanitas mundi agnoscatur. Nubes enim matutina tantò magis euanescit, quantò dies

*Simile. Iere. 4.* magis clarescit. Sic mundana fœlicitas, tantò magis nihil esse cognoscitur, quantò claritas veræ cognitionis habetur. Vnde Ieremias ait: Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihili. Vnde in Euangelio dicitur: Cùm creuisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Cùm enim homo adeò in sancta conuersatione crescit & proficit quod vsque ad perfectionem peruenit & illuminatur adeò vt spiritualis efficiatur, tunc omnia diiudicat vt sciat quāta sit vanitas huius mundi & apparent ei zizania, id est, errores hæreticorum, fallaciæ dæmonum & vni-

*De variis modis illuminationis.* uersa monstra vitiorum. Sicut autem variis modis homo excæcatur, ita variis modis illuminatur. Legimus in Euangelio cæcum illuminatum luto. Qui enim vitio superbiæ excæcantur,

*Ioan. 9.* luto, id est, consideratione propriæ infirmitatis plerunque curantur. Legimus Tobiam piscis felle lumen oculorum recepisse, qui stercore hirundinum fuerat excæcatus. Hirundo aliis auibus citius volat, per quod signatur labentis seculi transitoria & periculosa fœlicitas, sicut in lib.

*Sap. 5.* Sapientiæ dicitur: Omnia transierunt sicut vmbra. Piscis qui nutritur & viuit in aqua, delectationem mundi huius, designat, quæ est in fluxu & abundantia. Piscis carnes habet dulces, sed fel amarum, sic delectatio carnis dulcis est in se. Si autem fel amaritudinis & malæ conscientiæ & pœnæ æternæ super cordis oculos ponatur & diligenter consideretur, profectò curabitur qui carnali voluptate & mundi prosperitate fuerat excæcatus. Quæ more iuniperi molles sunt principio & suaues, sed postmodum ex se spinas producunt. Vnde Iob ait: Radix iuniperorum erat cibus eorum. Radix iuniperorum siue aculeus est, multos tamen ex se generat aculeos. Sic voluptas quæ radix est peccati, licèt mitis videatur, producit aculeos malæ conscientiæ, & supplicia gehennæ. Legimus Ananiam missum esse vt illuminaretur Paulus. Ananias siqui-

*Actuum 9.* dem interpretatur ouis. Illuminatur enim per simplicitatem & obedientiam, qui cæcatus fuerat per crudelitatem. Legimus in Apocalypsi quod dicitur Angelo Laodiciæ, pauper, cæcus & nudus es, suadeo tibi aurum ignitum emere, & collyrio inunge oculos tuos vt videas. Qui enim pauper est bonis spiritualibus, cæcus defectu doctrinæ, nudus, id est, vestimētis bonorum operum spoliatus, emat aurum sapientiæ ignitum charitate, & collyrio pungitiuæ pœnitentiæ oculos inungat. Ecce quot modis illuminatur homo vt dicere possit. Dominus illuminatio

*De medicina & salute.* mea. Sanatur etiam ab eo qui est summa & vera medicina, vt dicere valeat: Et salus mea. De carne enim serpentis ænei erecti in palo facta est medicina contra omnium peccatorum venena. Vnde beatus Ambrosius ait: Scorpionum carnes coctæ oleo, scorpionum percussionibus medentur. Carnes Christi oleo misericordiæ coctæ, carnis nostræ mortem sanauerunt. Quam miseri qui tam efficacem contemnunt medicinam, quibus magis placet sibulus serpentis, quàm vox medici redimentis. Si autem medicus iste laudatur quòd ægrum sanat expensis ipsius ægri, sic laudabilior est quod expensis propriis sanat infirmum, quantò magis benedictus & super-laudabilis & glorioſus in secula, quòd de seipso medicinam fecit Dominus noster Iesus Christus, cui est honor, virtus, & gloria in secula seculorum.

EADEM

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD ROMANOS.

*Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

MALVM est, malum est, dicit omnis emptor, in fine autem gloriabitur. Verba sunt Salomonis in Prouerbiis. In contractu siquidem emptionis vitæ æternæ, est amaritudo ex pœnitentia, sed in vsu possessionis erit dulcedo in gloria. Amaritudo breuis est, & momentanea. Dulcedo autem inæstimabilis est, & æterna. Passiones huius temporis citò finiuntur: merces autem nullo fine claudetur. Vnde & quidam sapiens ait: Si exiguus est dolor, feramus, quia leuis est pœnitentia: si grauis est, feramus, quia non est leuis gloria. Et Iob ait: Sicut mercenarij dies eius. Mercenarius quidem quod graue perpendit ex opere, leuat existimat ex remuneratione. Propterea Apostolus in hodierna Epistola ad tolerãtiam tribulationum per expectationem præmiorum nos inuitans, ait: Existimo, id est, verè scio, quod passiones huius temporis, id est, tribulationes momentaneæ & temporales, non sunt condignæ, id est, sufficientes, ad promerendam futuram gloriam, si districtè ageretur nobiscum. Nisi enim Dominus gratis & supra merita remuneraret opera, retribuens nobis granum pro palea, & pro transitoriis æterna, non fieret salua omnis caro. Et si mille annis viueret homo, & in his omnibus seruiret Deo, non posset ex condigno promereri vna hora videre faciem Domini. Et idcirco non debet murmurare mercenarius, si sustineat pondus diei & æstus. Qui enim denarios duodecim vix promeretur ei in fine diei, vt ita dicam, mille marcæ, imò thesaurus inęstimabilis pro modico labore tribuetur: sicut scriptum est: Pro nihilo saluos facies eos. Vnde per Isaiam Dominus ait: Non dixi semini Iacob: frustrà quærite me: quasi dicat: Regnum cœlorum, quærentibus me, promisi. Regno cœlorum siquidem nihil vilius dum emitur, nihil carius dum possidetur. Et hoc est quod Apostolus ait: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Licèt enim nunc occulta sit, quia oculus eam non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Aliquando tamen reuelabitur, id est, ostendetur, omnibus esse nobis. Non enim apparet in hyeme, qualis futura est vinea in æstate. Hoc est quod Ioannes in Epistola canonica ait: Nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Dum igitur æternam remunerationem attendimus, & annos æternos in mente habemus, scimus quod non sunt condignæ passiones nostræ, neque coæquari possunt remunerationi æternæ. Et hoc est quod ad Corinthios Apostolus ait: Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Contra tribulationem, gloriam: contra pondus, leue: contra momentaneum posuit æternum, vt singula singulis, quasi in oppositio, responderent. Modica siquidem & leuis est tribulatio militantis, sed æterna est corona triumphantis Ecclesiæ. In paucis enim vexati, in multis benè disponentur. Et hoc est quod per Isaiam Dominus ait: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus multis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Videtur autẽ Dominus relinquere, & faciem abscondere, quando tribulationibus in vita præsenti nos exponit, quæ non est nisi punctus, respectu æternitatis. Vnde in Iob dicitur: Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Per punctũ igitur notatur breuitas temporis. Per hoc autẽ quod ait: In modico, paruitas tribulationis, quæ valde necessaria est ad salutẽ, intelligitur. Quemadmodũ Augustin. ait: Domine, omnes iocunditates meas amaritudinibus aspersisti, vt quærerem sine offensione lætari. Quantò enim in hoc seculo magis affligimur, tantò ad verã quietẽ magis aspiramus, & in hac spe omnes tribulationes patiẽter sustinemus. Et hoc est quod Salomõ ait: Nõ cõtristabit iustũ quicquid ei acciderit. Teste enim Greg. Quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec aduersitate quassatur, dum nil libet in mundo, quod apperat, nihil est quod in mundo pertimescat. Et Isidorus ait: Qui vitę futuræ diligẽter præmia cõsiderat, mala omnia vitę præsentis æquanimiter tolerat, quoniã ex illius dulcedine huius amaritudines temperat, & ex æternitate illius, melius breuitatem huius despicit transitoriã. Et hoc est quod Apostolus subdit: Nam expectatio creaturæ reuelationẽ filiorũ Dei expectat, id est, expectãs creatura expectat. Geminatio assiduitatẽ notat: quasi dicat: Assiduè in actu est expectãdi, sicut scriptũ est: Sicut oculi seruorũ in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrũ, donec misereatur nostri. Creatura autẽ per excellentiã dicuntur boni, propter quos omnis facta est creatura. Expectat igitur qualis futura sit, id est, reformationem sui in melius. Et ideo omnia reputat toleranda, vt illud obtineat quod expectat. Vnde Iob ait: Sicut ceruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumerauì mihi. Ceruus enim quandiu in hoc exilio æstuando laborat, vmbram æterni refrigerij desiderat. Mercenarius autem finẽ operis præstolatur, id est, æternã mercedẽ pro præsenti labore. Propterea idem Iob ait: Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij, dies eius.

*De breuitate tribulationũ, & magnitudine præmiorum.*

*De mercenario.*

*Isa. 45.*

*Isa. 54.*

*Afflicti magis desiderant quietem.*

*De expectatione præmij.*

*Iob 7. Simile.*

Militantes opera magna & grauia in bello faciunt, mercenarius opera laboriosa humilia. Sic vir iustus, nec magna debet subterfugere, nec humilia paruipendere. Mercenarius autem in alieno laborat, sed in proprio sibi mercedem expectat. Dum enim laborat in mũdo, laborat in alieno, sicut in Luca dicitur: Si in alieno fideles nõ fuistis, quod vestrũ est, quis dabit vobis? Mercenarius autẽ laborem mitigat spe præmij, quod expectat assiduus in labore, & perseuerãs in opere. Menses autẽ vacuos reputat, id est, tempora præsentia, vmbrã æterni refrigerij non habentia. Qui enim hanc vmbrã desiderat, quicquid huiusmodi vmbra caret, vacuũ reputat. Noctes autẽ laboriosas, id est, tribulationes & miserias, mercenarius sibi, id est, vtilitati suæ enumerat, vt nullam sine fructu sustineat. Vnde Gregor. ait: Per culpam Deo discordes existimus. Dignum est ergo vt ad pacẽ illius per flagella redeamus, vt cum vnaquæq; res benè cõdita à nobis in dolorem vertitur: correpti mens ad actionis pacẽ humiliter reformetur. Patet igitur quàm necessaria sunt flagella, & vtilis tribulatio ad correptionẽ nostrã, ad conseruationẽ humilitatis, ad desiderij & expectationẽ veræ & æternæ quietis. Vita enim præsens multis respersa est amaritudinibus, & omnia subiacent vanitati & corruptioni. Et hoc est quod subiungit Apost: Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe. Non volens subiicitur vanitati, quia ista vana & caduca non amat. Patienter tamẽ sustinet propter eum, qui subiecit eam in spe liberationis & reformationis in melius, scilicet, in statũ incorruptionis. Ipsa enim creatura liberabitur à seruitute corruptionis, qua deprimitur in libertatem filiorũ Dei, id est, in gloriosam libertatẽ, quam filij Dei sunt habituri. Dicitur etiã creatura subiecta vanitati nõ volens, id est, nõ sponte. Homo quidẽ sponte peccauit, sed nõ spõte damnatur seu punitur, & vanitati subiicitur, propter eum qui subiecit eum in spe, id est, propter iustitiam & clementiam eius, qui & peccantem punit, & punitũ sanare intendit, vt tandẽ à seruitute corruptionis transeat in gloriã libertatis. Teste enim Isa. Non esurient neq; sitient, & nõ percutiet eos æstus aut Sol, quia miserator eorũ reget eos, & ad fontes aquarũ potabit eos, vt, scilicet, refrigerentur & reficiantur in æternũ. Hauriendo aquas refectionis de fontibus Saluatoris. Et iterum idem Isa. ait: Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplicitèr, sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. Omnia enim quæ propter hominem facta sunt in eius lapsu, in deterius sunt mutata. Sol & Luna suo lumine sunt minorata. In fine verò erit cœlum nouum & terra noua, & pristinam claritatem vel maiorem recipient Sol & Luna, & præmium laboris sui accipiet, creatura à seruitute corruptionis liberata. Homo verò qui duplici vulnere, culpæ, scilicet, & pœnæ, fuerat vulneratus ab vtroque vulnere penitus liberabitur. Hęc sunt duo fercula, quę nobis apponit Ægyptus iste, scilicet, miserabilis mundus. Vnde Ægyptus & tenebræ & mœror interpretatur. Tenebræ ad culpam, mœror ad pœnam referuntur. Et hoc est quod ait Isaias: Aspiciemus in terram, & ecce tenebræ, & lux obtenebrata est in caligine eius. Si enim incolatum terrenum diligenter attendamus, non nisi tenebras tribulationis & culpam caliginis, quæ lucem rationis obtenebrat, inueniemus: si interiori oculo consideremus cum Abraham Sodomam ardentem, id est, mundanam conuersationem: non videbimus nisi fumum fornacis, & fauillam caliginum, scilicet, culpę & fauillam vanitatis transitoriæ. Vanitati enim subiecta est omnis mundi creatura. Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas. Cùm enim omnia sint vanitas, mutabilia, scilicet, & caduca, homo est vanitas vanitatum, quia duplici subiacet vanitati, culpæ, scilicet, & pœnæ. Est enim vanitas mutabilitatis, est vanitas culpæ & iniquitatis, est vanitas pœnalitatis. Prima in caducis rebus ex ea rum conditione. Secunda in anima rationali ex fomite. Tertia in corpore sensibili ex mortalitate. Prima naturalis, secunda culpabilis, tertia pœnalis. Prima est causa peccati, secunda peccatum, tertia pœna peccati. Propterea Isaias ait: Qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam, & qui explicauerit de fouea, tenebitur laqueo. Qui enim à facie exterioris miseriæ angustiatus timore fugerit, quærendo sibi voluptates, cadet in foueam carnalis concupiscentiæ, & delectationis mundanæ. Et qui se ab his explicare voluerit, per carnis macerationem, & mundi renuntiationem, tenebitur laqueo pœnæ & angustiæ. Laxato enim vno laqueo, statim constringitur alio. Propterea Apostolus clamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et in Threnis Ieremias ait: Circumædificauit aduersum me, & nõ egrediar, aggrauauit compedem meum. Aduersarius noster circundat & cõportat aggerẽ, vt capiat ciuitates munitas. Ex vna parte ponit amotẽ cognatorũ, ex alia carnales voluptates, ex altera delicias & honores, vt non egrediatur anima misera à domo prauæ conuersationis, & non possit peruenire ad Deum. Vnde Augustinus super hunc locum lamentationum Ieremiæ: Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere, ait: Difficilè surgit, quem moles malę cõsuetudinis premit. Compedes autem humanæ fragilitatis aggrauantur in nobis compedibus mundanæ sollicitudinis. Et quoniam qui apponit scientiã, apponit dolorem, montes eum viderunt & doluerunt, sicut in Abacuc dicitur: Quantò magis homo vanitatẽ multiplicem & miseriam mundanam agnoscit, tantò amplius dolet & ingemiscit. Teste enim Sapiente in Ecclesiastico dicitur: Pungens oculum deducit lachrymas, & qui pungit cor, profert sensum. Et hoc est quod ait Psal. Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Dum enim conscientia pungitur & cõpungitur, cognoscit homo miseriã suam, sentit dolorem, & comprehendit ærumnam & infirmitatem propriam. Siquidem pratũ ridet, carnales, scilicet, & infirmi, tanq̃ fœnũ ad tempus florentes. De quo prato dicunt

*Quod flagella necessaria sunt nobis.*

*De vanitate præsentis vitæ.*

*De liberatione à vanitate.*

Isa. 49.

Isa. 30.

Isa. 5.

*De multiplici vanitate.*

Isa. 24.

*De multiplici gemitu sanctorum.*

Eccles. 22.

dicunt dæmones: Nullum sit pratum, quod nõ transeat luxuria nostra. Sed sancti gemunt & lugent in hoc seculo. Vnde Iacobus ait: Miseri estote & lugete. Et hoc est quod Apost. in hodierna Epist. subdit: Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc. Omnis creaturæ nomine intelligitur homo, non bestia. Neq; enim bestiales miserias suas aduertunt, sed homines, ratione vtentes, qui pro desiderio liberationis suæ, & cœlestis patriæ ingemiscunt & parturiunt vsq; adhuc, id est, quotidie, vsq; ad mortem laborant, & cum dolore operantur. Mulier enim cùm parturit, tristitiam habet. Propterea Propheta ingemiscens, ait: Cor meum conturbatum est in me: ecce dolor: dereliquit me virtus mea: ecce pauor: & lumen oculorum meorum non est mecum: ecce error. Et iterum ait: A voce gemitus mei adhęsit os meum carni meæ. A suggestione enim carnalis concupiscentiæ, propter quam gemimus, fortitudo rationis aliquando sensualitati consentit, & os adhæret carni. Vnde & Iob attendens humanam miseriam, & ingemiscens, ait: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Natus est homo. Obscurent eum tenebrę & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Dies, id est, carnalis delectatio: & nox, id est, mentis excæcatio, in qua cõceptus est homo, id est, factus peccator intrinsecus, & natus peccando exterius, pereat, id est, vigore iustitiæ & pœnitentię destruatur. Obscurẽt eum, scilicet, diẽ carnalis delectationis tenebrę, id est, lamẽta pœnitẽtię, & vmbra mortis, id est, pœna transitoria, quæ est æternę pœnę velut imago, & quasi vmbra respectu illius. Occupet eũ caligo, id est, mentis cõfusio, de qua dicitur in Eccles. Est cõfusio adducens gloriã. Et inuoluatur amaritudine, dolore, scilicet, cõtritionis & pœnitẽtiæ ab oculis diuinæ vltionis abscõdatur. Ingemiscunt igitur sancti, & cõtristatur spiritus in his, in quibus misera caro, quæ cõcupiscit aduersus spiritũ, delectatur. Propterea Michæas in persona spiritus pugnãtis aduersus carnẽ, ait: Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgã. Cùm sedero in tenebris, lux mea Dominus. Et paulò pòst: Educet me in lucẽ, & videbo iustitiã eius, & aspiciet inimica mea, & operietur cõfusione. Hęc est inimica, quę lętatur spiritu corruẽte, quia lętatur in his, in quibus spiritus ruina cõsistit. Sed caro quæ de cadente spiritu lætabatur, resurgẽte spiritu mœstatur. Carni ergo priùs deliciis deditæ, & nunc afflictæ, insultat spiritus resurgẽs. Ne læteris inimica mea. Et quia per tristitiã salutarem spiritus illustratur, ait: Cùm sedero in tenebris, lux mea Dominus. Tunc autẽ inimica salubriter cõfunditur, quãdo caro per pœnitentiã atteritur, & spiritus ingemiscit, attẽdens miseriã suã, & aspirãs ad salutẽ. Quantò autẽ sancti magis sunt perfecti, tantò magis ingemiscũt, cupiẽtes dissolui & esse cũ Christo. Propterea Apost. subiungit: Nõ solũ autẽ illa, sed & nosipsi primitias spiritus habẽtes intra nos, ingemiscimus: quasi diceret: Non solũ aliæ creaturæ ingemiscunt, sed & nosipsi Apostoli, qui maiores sumus aliis, per hoc quod primitias spiritus, & cæteris abundãtius habemus, gemimus in nobisipsis. Ipsi enim Apostoli, quasi columbæ ad fenestras suas gemitũ pro cantu ediderũt, ieiunãtes & lugẽtes subtato spõso. Si igitur gigãtes gemũt sub aquis, id est, sancti maiores, aquas multas, id est, populos multos, supportãtes & regẽtes, vel sub aquis tribulationũ, quoniã intrauerũt aquæ vsq; ad animas eorũ, exẽplo illorũ, alij gemere debẽt & lugere. Vnde & Iob ingemiscẽs, ait: Nocte os meũ perforatur doloribus, & qui me comedũt, nõ dormiunt, in multitudine eorũ cõsumitur vestimentũ meũ, & quasi capitio tunicæ, subcinxerũt me. Os meũ perforatur doloribus: ecce infirmitas & dolor carnis. Qui me comedũt, nõ dormiũt: ecce instãtia diabolicę suggestionis. In multitudine eorũ consumitur vestimentũ meum, quia dum acriter insistunt, plerunq; virtutum vestimentum consumunt. Tunica est sollicitudo præsentis vitæ. De qua in Canticis dicitur: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa. Capitium verò est miseria conditionis humanæ. Capitio igitur tunicæ homo succingitur, quando consideratione miseriæ suæ, & sollicitudinis huius vitæ, ne defluat in varias concupiscentias, refrẽnatur. In omnibus autẽ tribulationibus & gemitibus sanctorũ vnicũ est solatiũ, & singulare remediũ, & certa spes, & expectatio liberationis suæ, & glorificationis futurę. Et hoc est quod Apost. ait: Ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionẽ filiorũ Dei expectãtes, in redẽptione corporis nostri: quasi diceret: Integer adoptabit in filios non solũ in spiritu, sed etiam in corpore. Hoc est enim desiderium sanctorum, vt corpora eorum, quæ sibi associata sunt in pœna, associentur illis in gloria. Vnde & Bernardus ait: O misera caro, ô fœda & fœtida, vnde tibi hoc? Animæ sanctæ quas propria Deus insigniuit imagine, quas redemit proprio sanguine, te desiderant, te expectant, & ipsarum, sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest, adeò viget in eis desiderium naturale. In illo igitur festo Scenopegiæ, fixis tabernaculis corporum, plena satietate reficientur ex contemplatione diuinitatis. Et secundum quod in Apocalypsi dicitur: Vincenti dabitur manna absconditum, vt plenè cognoscat diuinitatem: ita quòd præ admiratione dicere possint: Manhu, id est, quid est hoc? Et dabitur sanctis calculus candidus, vt habeant fulgorem æternæ claritatis & soliditatem immortalitatis & incorruptionis, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Vnde sicut à Christo nunc dicuntur Christiani, ita tunc quasi nouo nomine à Iesu dicerentur saluati, perfecta & plenissima salute, corporis, scilicet, & animæ. Omnes enim domestici eius vestiti duplicibus, in terra sua duplicia possidebunt. Tunc enim post primum Pascha, quod factum est in Rameſſe, & secundum quod factum est ad radicem montis Syna, celebrabitur tertium Pascha in Galgala. Rameſſe commotio tineæ interpretatur. Tinea vestem consumit & strepitum non facit, sic per

*Iob 3.*

*Quod in his in quibus caro delectatur, spiritus contristatur.*

*Quod maiores magis ingemiscunt. Iob 30.*

*Quod sanctorum animæ corpora sua recipere desiderant.*

*De triplici Pascha.*

peccatum anima demolitur, nec sensu percipitur. Tunc autem tinea cõmouetur & removetur, cùm per pœnitentiam culpa deletur. Primum igitur Pascha in Rameſſe celebratur, cùm per pœnitentiã de vitiis ad virtutes transitur. Syna autẽ interpretatur mensura. Fit ergo secundum Pascha in Syna, cùm crescente iustitia in melius proficimus, & de virtute ad virtutem transimus, & mensuram dignæ satisfactionis implemus, dum mensuræ culpæ respondet mensura pœnæ. Galgala reuelatio interpretatur, vbi tertium Pascha filij Israël fecerunt. Et nos hoc Pasca celebrabimus, quando reuelata facie, Deum videbimus. Et hanc reuelationẽ filiorum Dei expectamus, donec occurramus omnes in virum perfectum, & in mensurã ætatis plenitudinis Christi. Vir iste, id est, caput cum corpore, non erit perfectus, donec numerus electorum sit completus, vt ex capite & membris omnibus efficiatur quasi vir vnus, cui nihil deerit in mensura plenitudinis Christi. Tunc enim erit mensura & meta ætatis. Meta, vt pòst nihil addatur numero vel viribus mensura, quia tunc erit plenus Christus, qui nunc per singulos crescit. Et sicut ad Ephesios dicitur: Augmentum corporis facit in ædificatione sui, dum sibi illos adiungit ex charitate, qui priùs non fuerant de corporis eius integritate, vel de illius societate. Tunc autem absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors vltra non erit, nec luctus, nec gemitus, neq; vanitati subiecta erit creatura. Sed teste Isaia: Ponet consolationẽ lugentibus Sion, & dabit coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

*De plenitudine corporis Christi.*

*Isa. 53.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Luc. 6.* *Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est &c.*

*Contra cõtemptores verbi Dei.*

QVI auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Verba sunt Salomonis, quibus apertè ostenditur, quòd contemptores verbi Dei à Domino in orationibus non exaudiuntur. Et meritò, cùm enim verbum Dei prædicatur, Deus loquitur nobis: cùm oramus, cum Deo loquimur. Si igitur vultis, quòd Deus audiat vos, quando loquimini illi, audiatis illum, quando loquitur vobis. Alioquin oratio vestra erit execrabilis, & tanquam abominabilis, à Domino respuetur. Et hoc est quod per Ierem. Dominus ait: Verterunt ad me tergum & non faciem, in die afflictionis suæ dicent: Surge & libera nos: quasi dicat: Sicut proierunt sermones meos, ita proiiciam eorum orationem: quando in tempore tribulationis ad me clamabunt. Qui enim obturat aurem suam ad vocem pauperis, id est, Christi: clamabit, & non exaudietur. Quidam autẽ non solùm contemnunt verba Dei, sed indignantur, murmurant & eleuantur. Contra quos Ierem. ait: Nolite eleuari, quia Dominus locutus est. His autem valdè terribiliter comminatur Dominus per Ierem. dicens: Constitui super vos speculatores: & dixi: Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus. Et adiungit: Ecce adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt. Et rursùm idem Ierem. ait: Verbum Domini factum est eis in opprobriũ, idcirco furore Domini sum repletus, id est, furorem Domini super eos venturũ aspicere nõ cesso. Plerunq; accidit, quod ex magna ira Dominus verbũ suũ à contemptoribus subtrahit. Sicut iterũ Iere. ait: Erit morticiniũ populi in cibũ volucribus cœli & bestiis terræ, & non erit qui abigat, id est, nõ erit prædicator qui prohibeat, vel succurrat. Morticiniũ autẽ appellat animã fœtidã, & in peccatis mortuã, quæ volucribus cœli & bestiis terræ, id est, elatis & crudelibus dæmonibus datur in cibũ ad deuorandũ. Hodie igitur si vocẽ Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, nolite cõdemnare, nolite murmurare, sed cum mãsuetudine & humilitate suscipite insitũ verbũ, quod potest saluare animas vestras. Estote misericordes, &c. Misericordia & veritas non te deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabula cordis tui. Verba sunt Salomonis, exhortantis ad triplicem misericordiam, cordis, scilicet, oris, & operis, vt sit homo misericors non in apparẽtia & vanitate, sed in interiori cordis veritate. Veritas enim cordis comitari debet misericordiã operis. Et hoc est quod ait: Misericordia & veritas nõ te deserãt. De misericordia autẽ seu de eleẽmosyna oris ait: Circũda eam gutturi tuo, scilicet, misericordiam ne loquaris inutilia, sed vtilia & bona. Et veritatem ne loquaris falsa, sed cõstanter & assiduè loquaris vera, quòd est misericordiam & veritatem gutturi circundare. Et quoniam in gutture est vis saporandi, innuit quòd non solùm verba resonare debent in ore, sed saporem interius in corde debemus habere. De misericordia autem & veritate cordis ait: Et describe in tabulis cordis tui, vt, scilicet, cordi imprimantur per affectum. Hoc est quod in Luca Dominus ait: Omni petenti te, tribue. Teipsum tribuis, cùm petenti compateris. Teipsum tribuis, cùm munus à corde, à lingua, & à manu, vel à quocunque honesto obsequio impendis. Vel hoc modo potest exponi: Omni petenti te, id est, omni, qui aliquid petit à te, tribue, scilicet, rem, vel correptionẽ, vel cõpassionem. Tribue cor per affectũ, os per affatũ, rem per effectũ: per affectum cõpassionis, per affatum locutionis, per effectũ operis exterioris. Hanc triplicẽ misericordiã exigit Deus à nobis. Misericordiã, scilicet, cordis: sicut scriptũ est: Oleũ de capite tuo nõ deficiat, id est, misericordia de mente. Misericordiã oris: sicut scriptũ est: Lex clemẽtię in ore eius. Misericordiã operis; sicut scriptũ est: Esuriui, & dedistis mihi manducare.

*Prouer. 3.*

*De triplici misericordia.*

*Luce 6.*

*Eccles. 9.*

*Matth. 25.*

manducare. Et Isaias ait: Hic scribit manu sua Domino, & iste dicet: Domini ego sum. Manu enim boni operis & impensi beneficij se Domini esse ostendit, qui manũ ad pauperẽ extẽdit. Vnde & Dominus habẽti manũ aridã ait: Extende manũ: & restituta est sanitati. Extendendo enim manũ ad pauperẽ, recipimus sanitatẽ. Propterea in Eccles. Sapiẽs ait: Non sit porrecta manus tua ad accipiendũ, & ad dandũ collecta. Et teste Apost. Christus ait: Beatius est magis dare quàm accipere. De hac igitur triplici misericordia, scilicet, cordis, oris & operis, agitur principaliter in Euang. De misericordia cordis, vbi dicitur: Dimittite, & dimittetur vobis. Magna est enim misericordia, & pretiosa cordis eleëmosyna, inimicũ diligere, & iniuriã ex corde dimittere. De misericordia oris & de modo miserẽdi, vbi dicitur: Eiice trabẽ de oculo tuo, vt educas festucã deo culo fratris tui. Hæc est enim magna misericordia oris, scilicet, correptio fraterna. De misericordia operis, vbi dicitur: Date, & dabitur vobis. Est autẽ multiplex misericordia cordis. Prima est benignitas & suauitas spiritus. De qua Dominus ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et iterũ: Beati mites, quopiã ipsi possidebunt terrã. Mitis est quẽ mentis asperitas nõ afficit. Qui nec nocet, nec nocere appetit: qui nec proximũ scandalizat, nec Deũ offendit. Secunda misericordia cordis seu eleëmosyna est affectio cordis aliorũ necessitatibus cõdescendentis. Miser enim est, qui miseris nõ cõpatitur. Hoc est vnguentũ quo vngitur corpus Christi. De quo Apost. ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Et Iob ait: Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Tertia cordis misericordia & eleëmosyna Deo accepta, est compati & condolere peccatis proximorũ, quæ sunt quasi frixoria iustorum. Vnde & Dauid ait: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodiernnt legem tuam. Et Ieremias ait: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. Et in Eccles. dicitur: Luctus mortui septem: fatui autem & impij omnes dies vitæ orum: quasi dicat: Assiduè lugenda sunt peccata reproborum. Quarta cordis misericordia in hoc consistit, vt dubia in meliorem partem interpretemur, & de occultis neminem iudicemus. Vnde in hodierno Euangelio Dominus ait: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Hac misericordia carebant multi, qui facta Christi semper in malum conuertebant, quibus ipse ait: Venit Ioannes Baptista neque manducans panes, sciliçet, neque bibens vinum: & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Quinta misericordia cordis est in dimittendo iniuriam & cordis rancorem. Vnde in hodierno Euangelio Dominus ait: Dimittite, & dimittetur vobis. Et in lege scriptum est: Non eris memor iniuriæ ciuium tuorum. Et Iob ait: Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat. Sexta & pretiosa cordis misericordia est in diligendo inimicum. Sicut scriptum est: Diligite inimicos vestros. Hoc enim est magnum beneficij genus sibiipsi violentiam facere, & maleuolis se benignum exhibere, & illi cor tuum per dilectionem dare, qui cor tuum vellet, si posset, suffocare, & corpus interimere. Septima cordis misericordia est, quæ Christo exhibetur, dum crucem & mortem eius recolentes, ipsi compatimur & dolorum ipsius, cum dolore & lachrymis recordamur. Hæ fuerunt lachrymæ sanctarũ mulierum ad sepulchrum Dominicũ. Vnde & Mariæ Magdalene Dominus ait: Mulier quid ploras? Et in lamentationibus Ieremias ait: Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus. Hac igitur mœstitia & compassione, tristes erant Apostoli de nece sui Domini. Vnde & Dominus duobus euntibus in Emaus, ait: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem, & estis tristes. Nunc autem de eleëmosyna oris & misericordia subiungamus, cuius septem sunt species. Prima est verbum bonũ & suaue, sermo dulcis & benignus, de quo Salomon ait: Qui dulcis est eloquio, maiora percipiet. Et itetum: Mollis responsio frangit iram, sermo dulcis multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Secunda misericordia oris est oratio, quam offerimus Deo, tam pro amicis quàm inimicis. Hæc est enim spiritualis eleëmosyna, quæ valdè placet Domino. Vnde & per Ierem. Dominus ait: Si steterint Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum. Isti soli in veteri testamento pro inimicis orasse leguntur. Tertia misericordia oris est desolatorum consolatio. Vnde Apost. ait: Consolamini pusillanimes. Et in Ecclesiastico dicitur: Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Et Iob ait: Cor viduæ consolatus sum. Quarta oris misericordia consistit in dandis consiliis. Vnde & de Christo inter alia dicit Isaias, quod vocaretur Consiliarius. Et Apostolus ait: Consilium vobis do tanquam misericordiam consecutus, vt sim fidelis. Vnde & fidele cõsilium libenter aliis impendebat. Et Iob ait: Oculus fui cæco his, scilicet, qui ignorabant veritatem, consilium impendendo. Quinta misericordia oris est fraterna correptio: sicut scriptũ est: Corripiet me iustus, & increpabit me. Et Salomõ ait: Meliora sunt verbera diligẽtis, quàm fraudulẽta oscula odientis: quasi dicat: Melius est quòd te mordeat agnus, quàm quòd osculetur lupus. Et in Ecclesiast. dicitur: Quod bonũ est arguere quàm irasci. Sexta oris misericordia est docere indoctos. Iuxta illud Prophetæ: Docebo iniquos vias tuas. Et Isaias ait: Qui habitatis in terra Austri, cum panibus occurrite fugienti. Qui enim sunt in feruore charitatis, debent ministrare panem doctrinæ & eruditionis, his qui fugiunt à terra Aquilonis, & incipiunt conuerri ad Dominum. Septimum genus misericordiæ oris est proximorum exhortatio & inuitatio ad benè agendum, vt qui audit, dicat veni, & quemadmodum Isaias ait: Ibunt populi multi, & dicent:

Matth. 12. Eccles. 4. Act. 20. De multiplici misericordia cordis. Matth. 11. Matth. 5. 2. Cor. 11. Iob 30. Ierem. 9. Eccles. 22. Leuit. 19. Iob 31. Matth. 5. Ioan. 20. Thren. 4. Luc. 24. De multiplici misericordia oris. Prouer. 18. Prouerb. 15. Eccles. 6. Ierem. 14. 1. Thes. 5. Eccles. 2. Iob 29. Isa 9. 1. Cor. 7. Iob 29. Prouer. 27. Eccles. 20. Isa. 21.

Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas.

*De multiplici miſericordia operis. Matth.25.*

Sicut ſeptem ſunt miſericordiæ cordis, & ſeptem oris, ita ſunt ſeptem miſericordiæ operis: de ſex operibus miſericordiæ habetur in Euang. vbi dicitur: Eſurijui, & dediſtis mihi manducare, & cætera quæ ſequuntur. de ſeptima legimus in Tobia, ſcilicet, de ſepultura mortuorũ. De ſex operibus miſericordiæ ait Iſa. Dimitte eos qui cõfracti ſunt, liberos: Ecce ſolutio incarceratorũ. Frange eſurienti panem tuũ: Ecce ſuſtentatio & refectio pauperũ, quæ in duobus attenditur, ſcilicet, in cibo & potu. Egenos, vagosq; induc in domũ tuã: Ecce quartũ opus miſericordiæ, quod cõſiſtit in hoſpitalitate. Cùm videris nudũ, operi eum: Ecce quinta operis miſericordia, ſcilicet, nudũ veſtire. Et carnẽ tuã ne deſpexeris, ſcilicet, in altero: Ecce ſextũ opus miſericordiæ, ſcilicet, infirmorũ viſitatio. Cùm enim infirmi & fragiles ſumus, nõ debemus infirmos, noſtri ſimiles deſpicere. De ſeptimo autẽ opere miſericordiæ dicitur in Eccleſ. Melius eſt ire ad domũ luctus, q̃ ad domũ cõuiuij. In illa enim finis cunctorũ admonetur hominũ, & viuẽs cogitat quid futurũ ſit. Cùm igitur tot ſint genera miſericordiæ, quæ Deus à nobis requiret: ſicut ſcriptũ eſt: Iudiciũ ſine miſericordia fiet illi, qui nõ facit miſericordiã. Dominus in hodierno Euang. ad miſericordiã nos inuitãs, ait: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Si enim hæredes eſſe volumus, à tanto patre nõ degeneremus, ſed ſicut portauimus imaginẽ terreni, ita portemus imaginẽ cœleſtis. Teſte enim Ioanne, qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut & ille ambulauit, & ipſe ambulare. Sicut autẽ ad Solis radium Aquila pullos probat ſi aſsimilẽtur ei, & tanq̃ degeneres abiicit, qui Sõlis ſplendorẽ apertis oculis nequeunt intueri. Et corui pullos ſuos paſcere nolunt, quouſq; nigreſcentibus plumis ſibi ſimiles eſſe perpendunt: ita Deus tanq̃ degeneres abiicit, quos ſibi ſimiles in miſericordia nõ inuenit. Eius enim propriũ eſt miſereri ſemper & parcere. Et quaſi alienũ eſt ab eo iraſci & percutere. Sed peccata noſtra quaſi cõtra naturã eius, reddũt eũ nobis aſperũ & crudelẽ. Vnde in nullo magis aſsimilatur homo Deo, q̃ in miſericordia & corde benigno. Exercitatio enim corporis ad modicũ valet reſpectu pietatis. Si enim ieiunas, diabolus nõ comedit. Si vigilas, diabolus nõ dormit. Si cõtinens es, diabolus cum nulla cõcubuit. Si ſilentiũ tenes, diabolus verbis nõ diffluit. Si miſericors es, ipſum ſuperas, qui viſcera pietatis ignorat. Nihil autẽ efficacius eſt ad impetrandam miſericordiã Dei, quàm miſericordia hominis. Teſte enim Salomone in Parab. Munus abſconditum extinguit iras. Extinguit enim non ſolùm ignem culpæ in temetipſo, vel ignem pœnæ in inferno, ſed ignem iræ in cœlo. Ecõtrà, qui auertit faciem ſuam à paupere, auertet illam à Chriſto. Et ipſe per Iob ait: Ha litum meum abhorruit vxor mea, id eſt, preces, quas porrigo in paupere anima mihi deſponſata in baptiſmo. Propterea Pſalmus ait: Dormierunt ſomnũ ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Quem enim ſomnus & phantaſia ſeculi huius facit diuitem, euigilatio facit pauperem. Nihil inuenerunt in manibus ſuis, quia nihil poſuerunt in manibus Chriſti. Eſtote igitur miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt. Etſi non æqualitate, tamen imitatione. Ipſe enim benignus eſt ſuper ingratos & malos, ſicut in Luca dicitur. Terra enim tam bonis quàm malis fructificat. Idem Sol bonos & malos illuminat. Vnde & Matthæus ait: Qui Solem ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Pater de Sole viſibili, qui tam beneuolis quàm maleuolis lumen miniſtrat. Similiter & pluuia materialis tam bonos quàm malos irrigat. De Sole etiam iuſtitiæ & pluuia doctrinæ poteſt intelligi. Nam populum Iudæorum Propheticis pluuiis irrigauit, & non merentibus radius æterni Solis reſulſit. Nã malos ſiquidẽ illuminat & irrigat, vt bonos faciat: bonos autẽ, vt meliores reddat. Similiter & nos tam bonis quàm malis debemus eſſe beneuoli, vt ſimus ſimiles illi, & ſi non per naturã, tamen per gratiã. Ipſe ſiquidem miſericors eſt, bonum pro malo reddẽs, gratis debita dimittẽs, citra culpã puniens, gratis dona conferẽs, & ſupra mẽrita coronans. Poſtquam autem ad miſericordiam nos inuitauit exemplo patris noſtri, ſubiungit de partibus miſericordiæ prohibẽdo temeraria iudicia, prauas ſuſpiciones, & ineptas corruptiones. Nolite, inquit, iudicare, & non iudicabimini: quaſi dicat: Non tantùm in largitate beneficiorũ, ſed etiã in iudicando ſitis miſericordes. Nolite de incertis & dubiis diffinitiuam ſententiã proferre. Nolite dubia temerè diffinire: nolite in partẽ dexteriorẽ interpretari ea, quæ bono & malo animo poſſunt fieri, ne fortè incurratis maledictionẽ illam, de qua Iſa. ait: Væ qui dicitis malum bonũ, & bonũ malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum. De his autem Dominus in Matthæo ait, ſicut prædictum eſt in Luca: Venit Ioannes neq; manducans neq; bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibẽs, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Ecce quàm malitioſe Iudæi opera Chriſti & Ioannis in partem deteriorẽ interpretabantur. Nam ieiunare & manducare, & bono & malo animo poſſunt fieri. Vnde ex miſericordia & benignitate in partem meliorem deberent interpretari. Teſte enim Seneca: Quicquid dubium eſt humanitas, debet declinare in melius. Deus enim intentiones & peccata hominum, quaſi ſub ſigillo clauſa tenet vſque ad diem iudicij. Tunc autem fracto ſigillo, aperientur libri conſcientiarum. Vnde Iob ait: Quaſi in ſacculo conſignaſti peccata mea. Et idcirco non debemus ſummi Iudicis iudicium præuenire, ne fortè eradicando zizania, eradicemus ſimul & triticum. Ideo Apoſtolus ait: Qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Et iterum: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? ſuo domino ſtat aut cadit. De apertis autem vitiis,

*Ecclеſ.7.*

*Iacob.2.*

*Quod in miſericordia aſſimilare debemus Deo. Simile.*

*De his qui viſcera pietatis & miſericordiæ ignorãt.*

*De miſericordia Dei.*

*De his qui temerariè iudicant alios.*

*Luc. 11.*

vitiis, quę bono animo fieri non possunt, permittitur nobis iudicare. Vnde Apostol. Quid enim mihi eos qui foris sunt, iudicare? Nónne de his qui intus sunt, vos iudicatis. De apertis igitur vitiis, de quibus dicitur: A fructibus eorũ cognoscetis eos, possumus iudicare, quòd mala sunt, & quòd malefaciunt qui talia agunt, nec tamen eos debemus condemnare. Vnde & Dominus non solùm de incertis & dubiis, sed de manifestis subiungit: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Nescimus enim qualis futurus sit, qui nunc apparet malus. De cuius correptione & salute non debemus desperare, neq; eum quasi abiectum & reprobatum temerariè reprehendere vel cõdemnare debemus, & hoc est quod Dominus ait: Nolite cõdemnare, id est, aliquem æterna damnatione dignum, iudicare. Nescitis enim qualis sit futurus, & vtrum scriptus sit in libro vitæ. De nemine enim quamdiu est in vita, debemus desperare. Non solùm autem alios temerè iudicare vel condemnare non debemus, sed etiam his qui nos iniustè iudicant vel condemnant ex corde dimittere. Et hoc est aliud genus misericordiæ. De quo Dominus subiungit: Dimittite & dimittetur vobis, vel dimittemini, quod idem est, id est, absoluemini à peccatis. Dimittite iniurias vobis illatas, & dimittentur vobis peccata vestra. Glorioſum enim genus vindictæ est ignoscere. Patientia autem iniuriarum interior omnibus præcipitur. Omnes enim ad hoc tenẽtur, vt odium & rancorẽ à se penitus repellant. Perfecti autẽ nec odiũ interius, nec signa rancoris exterius debẽt retinere, sed maledicẽtibus sibi benedicere, & inimicos suos salutare, & beneuolentiã nõ solũ interius, sed etiá exterius exhibere. Hæc est enim, teste D. Gregorio, vera & perfecta patiẽtia, aliena mala æquanimiter perpeti, & aduersus eum, qui se læsit, nullo dolore morderi. Perfectis autẽ qui in primitiua Ecclesia fuerunt, præcipitur dimissio iniuriarũ absq; vlla vltione, vel suorũ repetitione. Vnde Lucas ait: Qui aufert quę tua sunt, ne repetas. Et iterum: Ab eo qui aufert tibi vestimentũ & tunicã, noli prohibere, quia per illorum patientiã, fundãda erat Ecclesia. Perfectis verò huius temporis licèt quæ sua sunt absq; rancore repetere. Alioquin omnia bona Ecclesiarum hodie dissiparẽtur à reprobis & tyrannis. Patiẽtia autẽ interior omnibus præcipitur. Similiter ne malum pro malo reddatur. Qui enim reddiderint retribuẽtibus sibi mala, decidant meritò ab inimicis suis inanes ab omni bono. Nam qui hoc modo vindicantur, occulti à diabolo superãtur, & à malo vincũtur, cùm tamẽ ab Apostolo omnibus dicatur: Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ. Condonando autẽ iniuriã, teipsum redimis, vt dimittatur tibi peccatũ, sicut scriptũ est: Redẽptio animæ viri proprię diuitiæ, id est, virtus patiẽtię. Melior est enim patiẽs viro forti, quia vbiq; sine lęsione sui vincit. Sola enim patiẽtia efficit, vt nihil possint cõtra te hostes tui, sed eos licèt inuitos tibi seruire cogis. Si quis autẽ massam auri tibi proiiceret, vt te à carcere redimeret, licèt te aliquantulũ percuteret, & corporaliter læderet, nunquid patiẽter sustineres? Patiẽter igitur tolerare debes tibi illatas iniurias, quæ sunt tibi materia tuæ redẽptionis & exercẽdę virtutis. Habes enim quod possis dimittere, vt tibi dimittatur, & lucrũ tibi augeatur, & tuę potestatis efficiaris. Patiẽs enim pacifica sui possessione gaudet & libertate, sicut scriptum est: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Nec turbatur talis possessio, aliquo inimicorũ incursu. Propterea in Eccles. dicitur: Memorare testamẽti altissimi, & despice ignorantiã proximi. Testamẽtum altissimi est: Dimittite & dimittetur vobis. Hæc est enim doctrina noui testamenti. Despicere enim debemus proximorũ ignorantiã, vt iniurias nobis illatas imputemus ignorãtię & fatuitati. Sicut si phreneticus vel insanus te percuteret, nõ multum curares, sed potius compassionẽ quàm rancorẽ erga ipsum haberes. Exẽplo autẽ Domini, cui propriũ est misereri & parcere, & peccata dimittere, debemus & nos dimittere debitoribus nostris. Et hoc est quod Dominus in hodierno Euang. ait: Non est discipulus supra magistrũ: perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius: quasi dicat: Si Magister qui Deus est, suas nõ vlciscitur iniurias, sed tolerando peccatores reddere voluit mitiores. Discipuli qui homines sunt, hanc regulã perfectionis imitari debẽt, vt sint perfecti & iam in charitate Dei & proximi. Cumulus autẽ perfectionis est diligere inimicos. Si ergo patiẽter iniurias sustinuit & eas dimisit: nõ dignetur discipulus patiẽter iniurias sustinere & dimittere eas. Alioquin nõ solũ qui tibi iniurias intulit, reus erit, sed tu qui ferre nescis. Si autẽ improbitas illius tranquillũ te inuenerit, & iste citius pœnitebit, & tu de patiẽtia coronaberis, quia cæcũ vidẽte oculo, id est, corde sereno ad lumẽ veritatis inducere procurasti. Qui autẽ iniurias nõ dimittit, sed malũ pro malo reddit, & proximũ nõ formidat perturbare, vel pacẽ illi auferre, nõ minus tenetur ei ad pacis restitutionẽ, quàm si ei abstulisset pecuniã. Vnde & Dominus Petro quærẽti quoties dimitteret fratri in se peccãti, ait: Nõ dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies, id est, quadringẽtis & nouẽ vicibus. Nouenarius autẽ per se transgressionẽ significat, quia vsq; ad denariũ nõ peruenit, & ad perfectionẽ decalogi nõ attingit. Septenarius autẽ numerus, per quod omne tempus dispẽsatur, numerus est vniuersitatis. Et maximè propter septẽ principalia vitia, omnẽ transgressionẽ designat, quæ proximo est dimittẽda. Non solũ autẽ dimittẽda est iniuria, sed insuper dimittenda sunt debita, si nõ habet debitor vnde soluat. Et quoniã misericordia nõ solũ consistit in cõpassione, sed in opitulatione, nõ solũ in dimittendo, sed in erogãdo, postquã ait: Dimittite & dimittetur vobis, subiũgit: Date, & dabitur vobis. Vnde Aug. ait: Nisi peccatis propitius fiat Deus, quis remanet nisi reus? Mundãtur homines per eleëmosynas, quæ sunt duorũ generũ, erogando & remittendo. Erogando quod habes bonum, remittendo quod pateris malũ. Hæc duo eleëmosynarum genera Dominus Magister bonus, qui verbum breuiauit super terrã, vt esset fructuosum

*Quod neminẽ debemus iudicare, tanquam à Deo reprobatum.*

*De remissione iniuriarum.*

*Simile.*

*Simile.*

*Simile.*

*De misericordia & eleëmosyna.*

& nō oneroſum,quàm breuiter fuerit cōplexus audite: Remittite,inquit,& remittetur vobis: date,& dabitur vobis. Hæc ſunt verba Auguſtini,quibus oſtendit,quòd in dimittendo & erogando fiat emundatio à delicto. Vnde eleëmoſyna dicitur Dei aqua: nam ſicut aqua extinguit ignem,ita eleëmoſyna extinguit peccatū: ſicut ſcriptum eſt: Date eleëmoſynā,& omnia munda ſunt vobis. Propterea Dominus in hodierno Euang. ad eleëmoſynā nos inuitans,ait: Date,& dabitur vobis. Date beneficium,& dabitur vobis præmium. Date tranſitoria,& dabitur vobis vita æterna. Date paleam temporalium,& dabitur vobis granum æternorum. O admirabile commercium. Teſte enim Auguſtino, remedium peccatorum medicina eſt eleëmoſynarum. Eleëmoſyna enim à morte liberat,& non patietur animam ire in tenebras. Et in Parabolis Salomon ait: Qui pronus eſt ad miſericordiam,benedicetur. In miſericordia autem facienda ſeu eleëmoſyna tribuenda, conſiderandum eſt quid detur, & cui, & qua intentione, qualiter & quantum, & quo ordine tribuatur,& quis fructus inde ſequitur. Attendere debemus quid dare debeamus,vt de re aliena,quam reſtituere tenemur,eleëmoſynam non faciamus. Immolantis enim ex iniquo,oblatio eſt maculata,id eſt,ex rapina vel furto,vel de vſura,vel de quacunque re iniuſtè acquiſita, niſi fortè reperire non valeamus, cui reddere debeamus. Tunc enim conſilio Eccleſiæ,dare debemus pauperibus pro illo,à quo iniuſtè habuimus,vt faciamus nobis pauperes amicos de mammona iniquitatis,vt recipiant nos in æterna tabernacula. Teſte autem Gregorio: Si patrocinium eleëmoſynis emitur,pauperes non ſunt audiendi,vt egeni,ſed vt patroni exorandi. Et beatus Auguſtinus ait: Talis debet eſſe ipſa eleëmoſyna,quæ ſuſcipiatur,non quæ repellatur: quæ peccata purget,non quæ animam grauet. De bono,de iuſto labore,de propria facultate,non de pauperis egeſtate. Teſte enim Eccleſiaſtico: Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis,quaſi qui immolat filium in conſpectu patris. Sicut igitur qui ſeminat,purum granum eligit,ita qui eleëmoſynam erogat,de pura & munda ſubſtantia largiatur: ſicut ſcriptum eſt: Honora Dominum de tua ſubſtantia: quaſi dicat: Non debes de aliena ſubſtantia, ſed de tua propria,eleëmoſynam erogare. Non ſolùm autem quid detur,ſed quibus dandum ſit,debemus attēdere. Iuxta illud: Cui des videto. Et in Eccleſ. dicitur: Si benè feceris,ſcito cui benè feceris,vtrū,ſcilicet,diuiti an pauperi,iuſto vel iniuſto. Vel cui feceris,vtrum Deo vel mundo. Niſi enim purè cauſa Dei feceris, mercedem amittis. Pauperibus enim & non diuitibus danda eſt eleëmoſyna: ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit,dedit pauperibus. Vaſa enim vacua impleuit Eliſeus. Et nos in terram ſeminatā non debemus proiicere ſemen,ſed in vacuam. Diuitibus enim eleëmoſynam dare, nihil aliud eſt, quàm ebrio potum propinare, & rem ac mercedem perdere. Vnde & Lucas ait: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos,neq; cognatos,neq; vicinos,neq; diuites,ne fortè & ipſi te reinuitent,& fiat tibi retributio. Sed cùm facis prandiū,voca pauperes,debiles,claudos,& beatus eris: quia non habent vnde retribuant tibi. Hoc eſt quod Iſaias ait: Egenos,vagosq; inducin domum tuam. A quibus,ſcilicet,nullam expectas retributionem. Vnde & Salomō ait: Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas,& poſt multa tempora inuenies illum. Aquæ tranſeuntes,vagi ſunt & peregrini, quibus danda eſt eleëmoſyna,non diuitibus. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Purga te cum paucis, & pauperi porrige manum tuam. Cum paucis purgamur, quia parum eſt quod retribuimus reſpectu eius quod recipiemus. Et pauperi,non diuiti,manū porrigere debemus. Diuites tamen cauſa liberalitatis,hoſpitalitatis,vel amicitiæ cōtrahendę,vel cōſeruandę,poſſumus ad menſam vocare,non vt nos reinuitent. Rarò tamen debent fieri huiuſmodi cōuiuia,ſeu comeſſationes. Iuxta illud: Conuiuare rarò. Hiſtrionibus autem & impudicis hominibus nō debemus aliquid dare,propter ipſorum turpitudinē vel ſcurrilitatem,quod eſſet dæmonibus immolare. Vnde in Eccleſiaſtico: Da bono,& ne receperis peccatorem: benefac humili,& ne dederis impio. Et iterum ibidem: Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam: & ſi non ab ipſo, certè à Deo. Et in Tobia dicitur: Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue,& noli ex eo manducare vel bibere cum peccatoribus, id eſt, noli communicare eis in eo quòd peccatores ſunt,ſicut aliqui nutriunt Hiſtriones. Habito tamē reſpectu ad indigentiá naturæ, poſſumus eleëmoſynā dare iniuſto,& benefacere his qui oderunt nos. Miſericordes enim eſſe debemus ad omnes,maximè ad domeſticos fidei,& ad magis indigentes. Vnde Ambroſius ait: Néque enim maius eſt criminis,habenti tollere,quàm cùm poſsis & habeas,indigentibus denegare. Eſurientiū enim panis eſt,quem tu detines: nudorū indumentū eſt,quod tu recludis: miſerorū redemptio eſt pecunia,quam tu in terram fodis. Et iterum ait: Non is dat donum,qui cui datur,non attendit,ſed incautè præcipitat. Non is beneficium recipit, qui à quo conferatur,& quomodo,vel qualiter nō ſperat,ſed latenter & malicioſe furatur. Non largitur donū,qui quod agit,nō videt,ſed reiicit. Similiter qua intentione detur eleëmoſyna attendendum eſt diligenter,vt neſciat ſiniſtra quid faciat dextera tua. Teſte enim Salomone in Parabolis: Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus. Peruerſæ verò ſunt,quæ à ſiniſtris ſunt,id eſt,quæ non fuerint ſecundum Deum, quæ non pro ſpiritualibus & veris bonis fiunt,ſed pro vanis & tranſitoriis. Quid igitur agit dextera,id eſt,virtus,neſciat ſiniſtra,id eſt,elatio vel appetitus fauoris. Hoc eſt quod idem Matth. ait: Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra: id eſt, ſpem vobis reponere in terrenis, ne fortè ærugo ſuperbiæ vel malitiæ,opera veſtra demoliantur: vel fur, id eſt, inanis gloria, latenter intrando,furetur, & auferat meritum operis, quod eſt de genere bonorum.

*Simile.*

*Luc.11.*

*Multa attenda ſunt in facienda eleëmoſyna.*

*Attēdere debemus quid ſit dandum.*

*Eccleſ.35. Simile.*

*Quibus dandum ſit.*

*Luc.14.*

*Eccleſ.22.*

*Cato.*

*Eccleſ.12.*

*Tobiæ 4.*

*Qua intētione danda eſt. Prouerb.4.*

Frigida

Frigida quidem est eleëmosyna quæ fit causa cupiditatis, vt, scilicet, magis recipias, vel intuitu humani fauoris. Tepida quæ fit intuitu carnalis affectionis, seu naturalis pietatis: calida quę fit intuitu charitatis. Prima meretur pœnã, secũda vitat eam. Tertia meretur gloriam. Teste enim Isidoro: Dum causa iactantiæ pauper pascitur, ipsum misericordiæ opus in peccatum conuertitur. Oleum igitur debet supernatare, id est, pro bonis æternis opus misericordiæ debet fieri, vt non mentiatur in nobis opus oliuæ, sicut scriptum est: Superextolletur super Libanum fructus eius, id est, fructus Eleëmosynæ super candorem humanæ laudis. Propterea in Ecclesiast. dicitur: Quasi oliua pullulans, & cypressus se in altum extollens. Oliua pullulat, dum opus misericordiæ fructificat. Cypressus in altũ surgit: quia qui ad opera misericordiæ se extẽdit, in altitudinem præmiorum se extollit. Et in Ecclesiastico dicitur: Est datum quod non est vtile, scilicet, quando fit pro humana laude. Et est datum cuius retributio duplex, quia acquiritur gratia in præsenti, & gloria in futuro. Nunc autem qualiter facienda sit eleëmosyna, videamus, scilicet cum mentis hilaritate, non cum murmure, sicut in Ecclesiastico dicitur: In exultatione sanctifica decimas tuas. Hilaritas autem mentis condimentum est operis. Quidam autem magis tædio affecti, quàm charitate inducti, Eleëmosynam largiuntur. Teste enim Augustino: Qui dat vt tædio careat interpellantis, non vt reficiat viscera egentis, & rem & meritum perdit. Alij autem dum tribuunt Eleëmosynam, verbis exasperant pauperem, & non solùm meritum amittunt, sed iram incurrunt. Propterea in Ecclesiastico dicitur: Fili eleëmosynã pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris, & ne exasperes pauperem in sua inopia. Non defraudes, id est non facies fraudem pauperi eleëmosynã detinendo, quæ pauperi de iure debetur, sicut ad Timotheum Apostolus ait: Diuitibus huius seculi præcipe non sublimè sapere, facilè tribuere, communicare, id est, sua sibi & pauperibus communia reputare. Et beatus Augustinus ait: Ventre pleno ambulas, & vacuum pauperis vẽtrem non consideras. Pauperi non dedi, ob hoc vt te probarem, non quia ambobus non habui vnde darem. Sequitur: Oculos tuos ne transuertas à paupere contemnendo, scilicet, & vilipendendo pauperem, sicut Tobias ait: Ne auertas faciem tuam ab vllo paupere: ita fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Non exasperes pauperem in sua inopia. Non enim per iram pauper est exasperandus, sed blanda locutione placandus. Sicut in eodem Ecclesiastico sapiens ait: Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali, id est, ne conuicio vendas quod opere donas. Vel ne des querelam murmurando, neq; des occasionem cõquerendi. Vnde subiungit: Nónne ardorem refrigerabit ros, sic & verbum melius quàm datum. Nónne verbum super datum bonum? Segetes defendit ros ab ardore solis, & verbum bonum largientem à nequitia nascentis. Verbum autem melius refrigerat nequitiam accipiẽtis æstum tribulationis quàm datum. Verbum enim super datum bonum, id est, superaddit aliquid dato bono. Aliud etiam in dando eleëmosynã est attendendũ, vt, scilicet, præueniamus vocẽ postulantis. Vnde Augustinus: Perfecta est misericordia Charissimi, vt ante occurrat esurienti cibus quam aliquando mendicus. Non est perfecta pietas, quæ precibus extorquetur, si taceat mendicus, loquitur pallor in facie. Imitare Deum tuum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Ecce veniet tibi pluuia antequam roges, id est, descendet vbertas nocte dum stertis. Si accipimus antequam rogemus, & tibi homo modicus est ipse panis & pretio vendis. Non rogauerunt quatuor milia Iesum in deserto, & septem panibus satiauit eos. Hæc sunt verba Augustini, quibus ostendit quod beatus est qui præuenit vocem petituri, & maximè in pauperibus verecundis. De quantitate autem eleëmosynæ ait Tobias: Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude, quasi dicat: Cum diligentia tribue, vt sudet eleëmosyna in manu tua, donec inuenias cui potius sit eroganda. Deus enim magis pensat affectum largientis, quàm effectum. Magis attendit ex quanto quàm quantum tribuas, sicut patet in vidua paupercula, quæ duo minuta reposuit in gazophylacio. Et hoc est quod Apost. ad Corinthios ait: Arctissima paupertas eorum abundabit in diuitias simplicitatis eorum. Tenues quidem erant in substantia facultatum, sed diuites in voluntate & bona simplicitate, quia pura conscientia & animo simplici pro posse suæ dederunt. In diuitibus autem non solum sufficit affectus, sed effectus. Ipsi enim qui magis abundant, abundantius tenentur erogare. Nam bona spiritualia, quæ non ferunt in se, percipiunt in aliis, & Prophetę mercedem recipiunt. Sicut vlmus vitem fructiferam sustentans eius racemis exornatur & decoratur. Vnde & inter arbores horti dominici numeratur, quemadmodum per Isaiam Dominus ait: Ponam in deserto abietem & vlmum. Et ad Corinthios Apostolus ait: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat. Iuxta illud: Frange aliquid, largire inopi. Aliquid, id est, rem alicuius valoris, exemplo Zachæi, qui dimidium bonorum suorum dedit pauperibus. Non exemplo illorum, qui vestes veteres tribuunt, quando iam nullo vsui aptæ sunt, vel cibaria corrupta & putrida pauperibus elargiuntur. Ac si diceret: Nisi accipias hæc hodie, porcis comedenda relinques. Quo autem ordine facienda sit eleëmosyna ostendit Augustinus dicens: Qui ordinatè vult eleëmosynam dare, à seipso debet inchoare, vt fiat quasi lignum fructiferum, cuius semen sit in semetipso super terram. Iuxta illud: Misere animæ tuæ placens Deo. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Qui sibi nequam, quomodo alij bonus erit? Triplex enim misericordia cuilibet est necessaria. Prima cuiuslibet ad seipsum per

*Eccle. 20.*

*Qualiter facienda eleëmosyna.*

*Eccle. 2.*

*Præuenire debemus vocem petituri.*

*Quantum sit dandum*

*2. Cor. 8.*

*Simile. Isaiæ 41.*

*Quo ordine facienda est eleëmosyna. Eccle. 14.*

contritionem. Secunda ad proximum per compassionem. Tertia ad subditum per correptionem. Ad ordinem etiam elëmosynæ pertinet, vt in vita tua dum bonis tuis vti potes, illa pauperibus eroges. In morte enim quidam tribuunt quæ secum asportare non possunt. Melius est autem seminare ante se, quàm semen post tergum proiicere. Vnde Lucia matri suæ dixit: Non satis Deo charus est qui illi hoc dat quod ipse secum ferre nō potest. Si vis gratum esse Domino, hoc illi da quo tu poteras vti. Nam quod das moriens, ideo das, quia tecum ferre non prę-

*De fructu eleëmosynæ.*

uales. Est autem multiplex fructus eleëmosynæ. Eleëmosyna enim abluit & mundat, sicut scriptum est: Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et in Danièle dicitur: Redime eleëmosynis peccata tua. Eleëmosyna impetrat misericordiam, sicut scriptum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Augustinus: vbi fluit riuus, non siccabitur fons, quasi dicat: Si riuus misericordiæ tuæ fluit, fons misericordiæ diuinæ non siccabitur, sed misericordiam consequeris. Econtra iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam, sicut Iacobus ait: Eleëmosyna confert gratiam & salutem. Vnde Isaias cùm dixisset: Frange esurienti panē tuum, subiungit: Erumpet quasi manè lumē tuum, & sanitas tua citius orietur, id est, illuminatio gratiæ abiectis tenebris peccatorū. Medicamine enim eleëmosynæ expulso languore vitiorum, anima recuperat sanitatem. Et alium fructum eleëmosynę ostēdens subiungit. Et anteibit faciem tuam iustitia, quasi prę-

*Prouer. 18.*

cursor tuus in curia Regis æterni, sicut in Prouerbiis Salomon ait: Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes locum ei facit. Et iterum alium & præcellentem eleëmosynæ fructum ostendens, ait: Et gloria Domini colliget te. Iuxta illud: Viri misericordiæ colligentur. Eleëmosyna gratiam collatam custodit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Eleëmosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam cōseruabit. Gratiá pupillæ cōparat, quia sicut illa oculū, sicut ista illuminat opus nostrum. Et sicut ea quæ seruare volumus, in sacco reponimus, vt ad ea cùm necesse fuerit, recurramus, sic ea quæ in manibus pauperum ponimus, quasi in thesauro cœlesti reseruamus. Eleëmosyna

*Eccle. 29. Simile.*

pro nobis pugnat & vincit. Vnde in Ecclesiastico de eleëmosyna dicitur: Super scutum potentis & super lanceam aduersus inimicum pugnabit. Scuto iaculum repellitur, lancea hostes impugnantur. Sic eleëmosyna diabolum impugnat & vincit, & persuasionis eius iacula repellit. Eleëmosyna à morte æterna animā liberat, & ignē gehennę extinguit. Vnde in Tobia dicitur: Eleëmosyna ab omni peccato & à morte liberat, & nō patitur animá ire in tenebras. Eleëmosyna fiduciá præstat, & spē cōfortat. Vnde in eodē Tobia dicitur: Fiducia magna erit corā summo Deo eleëmosyna omnibus faciētibus eā. Eleëmosyna vim orationis obtinet, & pro nobis orat.

*Eccle. 40. Simile. Tob. 4.*

Vnde in Eccles. dicitur: Conclude eleëmosynā in sinu pauperis, & hæc pro te orabit. Eleëmosyna vitā æternā acquirit. Vnde in Tobia dicitur: Eleëmosyna purgat peccata, & faciet inuenire vitā æternā. Et Dominus in hodierno Euang. ait: Mensurā bonā & confertam & coagitatam & supereffluentē dabunt in sinum vestrum, id est, opera misericordiæ. Et ipsi pauperes dabūt, id est, erunt causa quare Deus det & retribuat nobis in sinum nostrum. Vel in sinum dicit, vt, scilicet, securi sitis de retributione vestra, sicut de ea re, quam in sinu habemus, securi sumus. Et nota quod sinus sine cingulo haberi non potest, in quo castitas designatur. Quam qui non habuerit sinu carens, nihil à Domino reportabit. Mensuram autem bonam dicit, id est, magnam & vtilem. Confertam, id est, plenam, quia nulla vis animæ irremunerata remanebit. Coagitatam, id est, vndique sanctorum consortio cumulatam. Supereffluentem, nam supra merita remunerabuntur. Mēsura igitur bona à bonorum omnium remuneratore dabitur, quia pro minimis maxima rependentur. Pro terrenis cœlestia, pro transitoriis æterna. Quæ bene conferta & coagitata dicitur, quia plena & perfecta, nec enim ex aliqua parte erit inanis & vacua. Supereffluens dicitur, id est, superabundans, quia præmiū excedit meritum. Est autem mensura fluens in remissione peccatorum, effluens in collectione virtutum, perfluens in perfectione & perseuerantia bonorū, superfluens in abundantia beatitudinum. Prædicta autē quatuor vera ad quatuor dotes corporis glorificati possunt referri, vt dicatur mensura bona in claritate corporum & pulchritudine, quæ carebunt omni macula & corruptione. Conferta in eorum soliditate & impassibilitate. Coagitata in agilitate, supereffluens in subtilitate. Omnia enim penetrabunt, & nihil poterit eis resistere. Loquitur autem Dominus per similitudinem tractam ab eis, qui annonam in sextario vel in modio fideliter mensurant. Sunt autem paruæ mensurę in ciuitate, quæ non sunt bonæ, sed illegitimę propter modicitatem. Sunt etiam qui cum mensura legitima illegitimè mensurant, dum illam radendo supra quam debeant ex aliqua parte relinquunt vacuam & inanem. Coagitata autem dicitur mensura ad literam, id est, conquassata, quod fit cum hac atque illac coagitatur, & tracta est à comprimentibus annonam in sextario. Supereffluentem autem dicit mensuram, id est, non rasilem, sed ad plenum cumulatam, ita quod eius capacitatem excedit annona. His autem verbis æternæ retributionis exprimit pleni-

*De mensura bona, confertа, coagitata & superefluente.*

tudinem. Cùm igitur tanta & tam legitima sit superni fori mensura, cum omni diligentia prouidere debemus, vt in foro nostro legitimam mensuram habeamus. Qua enim mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. Si magna fuerit vt pauperibus abundanter tribuamus, cum magna mēsura rerribuetur nobis. Si parua fuerit, minor fiet retributio, sicut scriptum est: Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et in Isaia Dominus ait: Remetiar opus eorum in sinum eorum. Sit igitur mensura nostra bona &

*Mensura nostra debet esse legitima, vt bona mensura remetiatur nobis.*

bona & legit ima vt faciamus opera misericordiæ ex charitate & bona voluntate. Sit cõferta, vt fiant opera nostra ex toto corde & mentis plenitudine, & vt nihil relinquamus de his quæ facere tenemur. Sit coagitata in multiplicatione & frequentatione bonorum operum, sicut scriptum est: Constituite diem solemnem in condensis, id est, in densitate bonorum operum, & in conculcatione. Sit supereffluens in supererogatione, vt non solum præcepta, sed & consilia impleamus, & insuper plus quàm iiunctum est nobis, faciamus. De minore autem & illegitima mensura Michęas ait: Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor ira plena. Ignis, id est, ardens voluntas peccandi est in domo, id est, in corde impij, qui thesaurizat & congregat iniquitatem in corde. Et mensura minor qua peccata sua iniustè mensurat, reputans peccata aliorum maiora, & sua minora. Hæc est statera dolosa. Vnde & Salomon ait: Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrunque abominabile est Domino. Licèt autem minor sit mensura & desit ei ad plenitudinem, in fine tamen implebitur ira Dei. Quod autem ait: Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis, non sic intelligendum est, quod iniquæ mensuræ Deus iniquam mensuram rependat, sed est sensus. Ipsa iniqua mẽsura tibi nocet, te punit. Si igitur iniqua sit mensura tua, tali mẽsura remetietur tibi, id est, pro tali, sicut in Euãgelio dicitur: Qui gladium acceperit, gladio peribit, id est, pro gladio, quem malè accepit, intetibit. Et in Matthæo Dominus ait: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Quasi diceret: si bene iudicas, bonum iudicium consequeris: si autem malè, pro malo iudicio iudicaberis & condemnaberis. Hæc autem mensuratio ad voluntatem hominis potest referri. In voluntate quidem propria metitur bonus homo bona facta, & in ea remetietur ei beatitudo æterna. Similiter in voluntate propria metitur malus homo mala opera, & in ea remetietur ei mensura. Qui enim æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam inueniet in iudicio seueritatem, vt, scilicet, pœna respondeat culpæ. Sicut enim quantum in homine fuit, voluntas peccãdi fuit æterna, ita & pœna. Et sicut voluntas benefaciendi fuit æterna quantum fuit in homine, ita & præmium æternum. Punietur tamen homo citra meritum & remunerabitur supra meritum. In eadem tamen dicitur mensura, quia in vna mensura vnus viciam & alius hordeum, vnus plenius & alius minus mensurat. Eadem igitur mensura qua mensi fuerimus, remetietur nobis. Vnde Zacharias ait: Perpendiculum extendetur super Hierusalem, vt, scilicet pœna commensuretur & respondeat culpæ, sicut in Threnis Ieremias ait: Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum. Cùm enim Deus videt hominem de supernis ad ima tendere, cogitat murum operationum & virtutum eius dissipare. Sed prius tetẽdit funiculum, seu perpendiculum, vt commensuret pœnam culpæ. Vnde Isaias ait: Sicut occidit interfectos eius, sic occisus est, in mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabit eam. Et iterum ait: Extendetur super eum mensura, vt redigatur ad nihilum & perpendiculum in desolationem. Sicut autem in perpendiculo nullus est error, ita perpendiculum diuinæ iustitiæ non poterit fallì vel mutari. Pœna igitur respondebit culpæ, in loco, in numero, in qualitate & quantitate. In loco. Vnde & diues qui in lingua peccauerat, in lingua punitus est. Per quę enim peccat quis, per hæc & punietur. In numero. Vnde ad Rom. Reuelabitur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, quasi dicat: Nulla impietas remanebit impunita. In modo & qualitate. Vnde & Sodomitæ igne & sulphure puniti sunt. In quantitate, quia qui multum peccat, multum punietur. Potentes enim potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatus. Hoc est quod Isaias ait: Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grãdinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum inundantium multarum, & emissarum super terram spatiosam, pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Effraim. Impetus grandinis & turbo confringens contra impetum ignis libidinis. Sicut impetus aquarum inundantium & emissarum super terram spatiosam contra auaritiam, cuius pœna erit lata, quia facit angustum. Pedibus autem conculcabitur superbia Effraim contra superbiam. Ecce quomodo stat ad iudicandum Dominus & ad vindictam reddens vnicuique secundum opera sua. Iuxta illud: Steric & mensus est terram, pensando, scilicet, diligenter latitudinem desideriorum carnaliũ, vt mensura qua mensi fuerimus, nobis remetiatur. Nunc autem residuum Euangelij prosequamur, vbi nos instruit Dominus. De modo iudicandi, id est, de dimissione iniuriæ, de erogatione eleẽmosynę, & de fraterna correptione, quæ est vna ex speciebus misericordiæ. Vnde & subiungens parabolam, ait: Nunquid potest cęcus cęcum ducere, nónne ambo in foueam cadunt? Hæc autem parabola ad quatuor prædicta refertur, quasi dicat: Si indiscretè & temerariè iudicare præsumpseris, si ex inuidia & malitia proximum corripueris, si contra violentum ira te excęcauerit, si contra petentem auarus eris, nunquid vitiata mente vitium alterius curare poteris, qui vidente oculo & corde sereno non excęcato proximũ videre debuisti? Quidam enim temeraria suspitione alios iudicare pręsumunt, odio & liuore alios accusare & reprehendere volunt, & sine exemplo suę emendationis videri consultores appetunt. Prius autem debet auferre trabem malitię, simulationis, & inuidiæ de oculo cordis sui. Datio autem beneficiorum, festucam irę, vel alicuius leuioris culpę tollere de oculo fratris sui. Datur autem beneficiorum, & dimissio iniuriarum & prolatio sententiarum specialiter pertinet ad prelatos qui cęcis subditis debent prębere ducatum. Alioquin cęcos subditos non possunt ducere verbo & exẽplo, sed cęci sint cum eis & cadunt pariter in foueam perditionis. In iudicio autem sententię proferendę iudex debet sub-

*Zach. 1.*

*Isaiæ 27.*

*Simile. Mensura mensuræ id est, pœna respondebit culpæ.*

*Isaiæ 28.*

*De modo vindicandi, de dissimulatione iniuriæ, de erogatione eleẽmosynæ, & de fraterna correptione.*

*De iudicio prælatorum & moderamine correptionis.*

bet subtiliter intueri, & oculum mentis purgatum habere, qui alium præsumit iudicare ne forte dicatur ei: Qui vestrûm sine peccato est, primus lapidem proiiciat. Propterea Dominus per Isaiam ait: Ponam iudicium in pondere, & iustitiam in mensura. Cum pondere enim deliberationis & grauitatis debemus iudicare & iustitiam facere in mensura, vt modum non excedamus in vindicta. Non debent igitur Prelati leuiter iudicare vel condemnare, neque de incertis diffinitiuam proferre sententiam. Sed causam, quam ignorant, diligenter inuestigare. Propterea Dominus digito scripsit in terra. Nam qui alios iudicant vel arguunt digito discretionis infirmitatem suam debent attendere antequam temerè diffiniant quicquam. Similiter magna adhibenda est discretio in iudicio reprehensionis fraternæ vel correptionis. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Priusquam interroges ne vituperes quenquam, & cum interrogaueris, corripe iustè, quasi dicat: Priusquam diligenter inquisieris non arguas vel condemnes. Quia non debemus iudicare de occultis & ignotis. Cùm autem interrogaueris & cognoueris, corripe, vt timorem habeant cæteri, sed tamen iustè, ne pœna culpam excedat. Sunt autem nonnulli prælati qui nimis excedunt modum in iudicando & arguendo. Exasperant, non castigant, non sunt benigni correptores, sed acerbi reprehensores, & quasi ex odio vel inuidia, vel etiam simulatione hoc faciunt. Nam hypocritæ durè arguere consueuerunt vt se zelum Dei habere simulent, ne in aliquo videantur notabiles. Propterea Dominus de talibus ait: Hypocrita eiice prius trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui. Accusare quidem vitia officiũ bonorũ & beneuolorũ. Quod cũ mali faciunt, alienas partes agunt. Et quia hypocritarum est vsurpare bonorũ officium, vt se bonos simulẽt, tales à Domino hypocritæ appellãtur. Oculus autẽ hypocritæ apertus est ad videndũ aliorũ delicta, & clausus vel excæcatus ad suã. Trabe autẽ excæcatur oculus, festuca turbatur. Quantũ autem distat inter festucã & trabẽ, tantum distat inter iram simplicẽ & odium seu irã inueteratã. Cùm autẽ ira transit in odiũ, festuca crescit in trabem. Quidam autẽ trabem suam non videntes, de aliorũ festuca curiosè inquirũt & iudicant. Huiusmodi homines magis amant vituperare & condemnare quàm corrigere vel emendare. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem autẽ quæ in oculo tuo est, non consideras. Colando, scilicet, culicem in alio, & glutiẽdo camelum in teipso. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Prius igitur seipsum iudicet homo quàm alium: prius mundet se quàm alium præsumat mundare. Nam filij Israël dum vellent vindicare in Beniamitos pro vxore Leuitæ, cùm ipsi mundati non essent nec idolum Michæ à se proiecissent, bis superati sunt à Beniamitis. Vnde & beatus Gregorius ait: Qua præsumptione percusso mederi properat, qui in facie vulnus portat. Necesse est vt habeat manus mundas, qui tergere vult sordes alienas. Vnde & Seneca ait: Plus operis est vt proposita custodias, quàm vt honesta proponas. Non in verbis, sed in rebus Philosophia est: facere docet Philophia non dicere. Si igitur aliquem reprehendere vis, primò vide vtrum ei sis similis, quod si es pariter ingemisce, & non eum tibi obtemperare, sed pariter conari mone, quod si non es similis, tamen quia olim fuisti, vel esse potuisti, cõdescende, & non ex odio, sed ex misericordia argue. Raro ergo & non sine magna necessitate sint obiurgationes faciendæ, & tantum propter Deum remota ab oculo trabe malæ intentionis. Qui igitur videre festucam, id est, leue peccatum in oculo fratris sui studet, & trabem, id est, grauius crimen in oculo suo, id est, in intentione non videt, non potest minus emendare in alio, donec magis emendauerit in seipso. Hypocrita enim non est doctor idoneus, qui voluit aliis mederi, cùm nondum sit sanatus. Prius igitur semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene viuendum exhortari studet. Quia non potest cæcus cæcum ducere, id est, stultus stultum docere. Neque enim mente vitiata, vitium alterius potest curare. Qui igitur negligit iusta facere, desinat vera docere. Qui enim sicut docet non viuit, ipsam quam prædicat veritatem, cõtemptibilem reddit. Nihil quidem turpius est, quàm bonum quod quisque prædicat, opere adimplere negligat. Nolite igitur maximè vos Prælati temerariè & ineptè subditos arguere. Nolite subditos iudicare de dubiis & incertis vel praua animi intẽtione, vel ex fellis amaritudine, neq; sententiam excommunicationis cum impetu absque deliberatione proferre, vel pœnam maiorẽ quam meruerant, infligere. Vel tanquam abiectos aut desperatos illos reputare. Nolite iudicare vos subditi Prælatos vestros, vel eos infamare, nolite ex suspicione condẽnare. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, neq; suspicio ad condemnationem vos impellat. Testè enim Isidoro non est iudicandus à plebe rector inordinatus, quia pro meritis plebium disponitur à Deo vita rectorum. Rectores ergo non à plebe iudicandi sunt, sed ab eo qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum, Dominus noster Iesus Christus, Cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

*De trabe & festuca.*

*Simile.*

## DOMINICA QVINTA THEMA SVMPTVN DE INTROITV MISSAE.

*Psal. 26.* *Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.*

AD ME

AD me clamat de Seir: Custos quid de nocte. Et dixi: Custos venit mane & nox, si quæritis, quærite, conuertimini & venite. Verba sunt Isaiæ ostendentis qualiter clamare debeamus vt à Domino exaudiamur. Multi enim clamant ore, sed non corde neq; opere. Quibus Dominus ait: Si quæritis, quærite, id est, si quæritis ore, quærite corde & opere. Quia non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Conuertimini declinando à malo & venite bonum faciendo. Quidam etiam clamant & quærunt Deum in aduersis, sicut scriptum est: Cùm occideret eos, quærebant eum. In prosperis autem obliuiscuntur Deum. De quibus in Iob dicitur: Qui dicebant Deo, recede à nobis, cùm ille implesset domus eorum bonis. Et Dominus per Ieremiam: Verterunt ad me terga, & non faciem, in tempore tribulationis dixerunt: Surge: adiuua nos. Talibus igitur respondet custos, si quæritis me in aduersis, quærite in prosperis. Dicũtur autem huiusmodi homines ex Seir, id est, de mundo isto, qui per Seir hispidum designatur, propter varias curas & pungitiua desideria. Clamant igitur qui sunt ex Seir, scilicet, amatores mundi, custos quid de nocte, scilicet, liberas populum tuum. Sed quoniam duplex est nox miseriæ, culpæ, scilicet, & pœnę, repetit custos quid de nocte. Ab vtraque enim liberat Dominus eripiens oculos à lachrymis pœnæ, pedes à lapsu culpæ. Quibus respondet custos. Venit mane & nox. Mane, scilicet prosperitatis & nox aduersitatis. Si quæritis in prosperitate, quærite in aduersitate. Vel venit mane iudicij & nox mortis, quasi dicat: Ista in memoria habete vt quæratis Deum & clametis corde & ore. Vel manè, id est, bene operandi oportunitas, & nox, id est, vitæ defectus in morte. Si quæritis, id est, si aliquo tempore Deum quærere proponitis, quærite, id est, quærere festinetis, quia nescitis diem neque horam. Patet igitur quod multi clamant, quorum vocem Deus non exaudit. Est enim malus clamor, & est bonus clamor. Malus clamor est peccati euidentia. De quo in Genesi Dominus ait: Clamor Sodomorum & Gomorręorum multiplicatus est. Et Isaias ait: Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt nec absconderunt. Clamat mundus exterius sæuiens, clamat dæmon interius suggerens, clamat caro inferius murmurans. Vnde dicitur in Iob: Clamorem exactoris non audit, id est, carnis quæ multa superflua requirit. Clamat iracundus proximum obiurgans. Vnde Apostolus: Omnis ira & indignatio & clamor tollatur à vobis. Clamat stultus & indeuotus ore & non corde Deum exterius honorans, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et Ieremias ait: Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Sic autem clamare, tumultuare est, non orare. Vnde Dominus per Amos ait: Auferà me tumultum carminum tuorum. Non solum autem tumultuantur, sed more brutorum vlulare dicũtur, qui vsu rationali amisso lupis & canibus in peccatis assimilantur. Vnde Dominus per Osee ait: Non clamauerunt ad me, scilicet, in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis vacando, scilicet, luxuriæ & ventri, more brutorum. Cubilia enim proprie sunt ferarum. Bonus clamor est intentio desideriorum cordis ad Deum. Clamor siquidem cordis intentio est deuotionis. Hoc modo clamauit Aaron & plaga cessauit. Et Moyses sic clamando veniam populo impetrauit. Ionas de ventre ceti. Daniël de lacu leonũ. Susanna de manibus presbyterorum. Tres pueri de fornace Babylonica liberati sunt sic clamãdo. Est alius clamor bonus, scilicet, clamor peccatoris in confessione. Sic enim filius prodigus clamauit ad patrem, dicens: Peccaui in cœlum & coram te. Similiter & clamor intrinsecus in contritione. Iuxta illud: Rugiebam à gemitu cordis mei. Et Isaias ait: Rugiemus quasi vrsi omnes & quasi columbæ meditãtes gememus. Qui enim more vrsi melle carnalium voluptatum allecti vagi fuerunt & instabiles, in anterioribus debiles, id est, in spiritualibus & fortes in posterioribus, præ dolore vehementi rugire debent. Clamor enim cordis intensi est contritio pœnitentis. Gemere etiam debent pœnitentes, quasi columbæ, quæ, scilicet, gemitum pro cantu habent. Est insuper clamor bonus pœnitentis in lachrymarum effusione. Lachrymæ enim pondera vocis & clamoris habent. Vnde Isaias: Flens ascendet in via Oronaim, clamorem contritionis leuabit. Flens ascendet, quia in valle lachrymarum ascensiones in corde disposuit. Oronaim foramẽ mœroris interpretatur. Mœror siquidem contritionis facit viam oratioui, & dat efficaciam clamori, vt leuetur ad cœlum, & perueniat ad Deum clamor contritionis. Vnde Isaias ait: Per ascẽsum Luith flens ascẽdet. Luith interpretatur genæ. Per lachrymas genarum est ascensus ad Deum. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Lachrymæ viduæ à maxilla ascendunt vsque ad cœlum. Est alius clamor bonus, scilicet, orantis in deuotione. Teste autem B. Gregorio: Sicut non potest nõ audire quia Deus est, ita nõ potest nõ exaudire quia pius est. Hoc autem specialiter intelligendum est de oratione ecclesiæ, quæ dum clamat in cunctis mẽbris suis ex multis nummis grandis aceruus erit, & impossibile est tot clamores non exaudiri. Oratio enim est quasi legatus fidelis Domino appropinquans & pro nobis allegans. Nam eleëmosyna per manum pauperis ad Deum mittitur. Ieiunium per carnis afflictionem Domino ostenditur. Oratio verò quasi præsentem Deũ familiarius & sine medio alloquitur, & subtilitate sua penetrat cœlos. Vnde in Ecclesiastico: Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquat, non consolabitur, & donec altissimus aspiciat non discedet. Et in Isaia dicitur: Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso. Grossus est & obtusus mentis intuitus, dum ad terrena inclinatur. Subtilis autem est & tenuis, qui ad cœlestia erigitur. Confessio autem & eleëmosyna quasi duæ alæ sunt, quibus oratio sursum leuatur. Vnde in Ecclesiastico sapiens ait:

*Isaiæ.21.* *Qualiter clamare debemus.*

*De male clamore. Isaiæ 1.*

*Ierem.12.*

*De bono clamore.*

*Isaiæ 59.*

*Isaiæ 15.*

*Eccle.35.*

*De virtute orationis.*

*Eccle.38.*

piés ait: Da ſuauitatem vt ſit oratio deuota, da medullam ſimilaginis quæ purgatiſſimã eſt farinã & minutiſſima, vt ſit confeſſio pura abſque fermento hypocriſis, & excuſationis & particulariter facta. Impingua oblationem ne eleëmoſyna ſit macilenta, ſed impinguata per charitatem, & oratio impinguetur per eleëmoſynam, & per lachrymas irrigetur. Quando enim lachrymoſa eſt oratio, nõ ſolum Deũ lenit, ſed cogit. Vnde Dominus in Iſaia: Audiui orationem tuã, & vidi lachrymas tuas. Et Tobiæ dictũ eſt: Quãdo orabas cum lachrymis, ego obtuli orationẽ tuam Domino. Eſt alius clamor bonus, ſcilicet, laudãtis in gratiarũ actione. Vnde in Threnis Ierem. ait: Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarũ effunde, ſicut aquã cor tuũ in conſpectu Domini. Conſurge à torpore negligentiæ, conſurge à mala cõuerſatione, vt laudare poſſis, quia nõ eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Scriptum eſt enim: Non mortui laudabunt te Domine, id eſt qui in mortali ſunt peccato, neque omnes qui deſcendunt in infernum, ſcilicet, deſperationis vel gehennæ. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors, id eſt, diabolus laudabit te. Sed viuens viuens confitebitur tibi, viuens, ſcilicet, vita naturæ, & viuens vita gratiæ. Conſurgere ergo debemus & laudare in nocte, id eſt, in aduerſitate. Nocte enim mandauit Dominus canticum ſibi, quia in tribulatione ſpecialiter inuocandus eſt & laudandus Dominus. In principio, ſcilicet vigiliarum, ne ex vitio intentionis totum opus fiat tenebroſum, & ne torpentes in principio operis opprimantur ſomno ignauiæ, deceptionis & erroris. Effundere autem debemus, ſicut aquam cor noſtrum ex intimo cordis affectu, lachrymas compunctionis producendo. Non ſicut lac, quia remanet color, non ſicut vinum, quia remanet odor, non ſicut mel, quia remanet ſapor: ſed ſicut aquam vt non remaneat color ſimulationis, neque odor infamiæ & malę opinionis, nec ſapor ſeu dulcedo prauæ delectationis. Eſt alius bonus clamor, ſcilicet, doctoris in inſtructione, ſicut ſcriptũ: Clama ne ceſſes. Et Ieremias ait: Aſcende Libanũ & clama, & in Baſan da vocem tuam. Prius enim quam clamemus prædicando, aſcendere debemus Libanũ, mundi candorem conculcando, vel aſcendamus Libanum candorẽ, ſcilicet, bonæ famæ & virtutum. In Baſan da vocem tuã arguendo, ſcilicet peccatores, qui in confuſione ſunt peccatorum. Baſan enim confuſio interpretatur. In Baſan enim clamamus, dũ pro peccatis noſtris cõfundimur, vt alios reprehẽdere valeamus. Eſt alius bonus clamor, prælati, ſcilicet, ſeu iudicis in cõminatione & increpatione. Sic clamabat Ioannes, dicens: Progenies viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira? Nõ clamauit Heli cõtra filios, ſed nimis remiſſe increpauit eos, & à Domino percuſſus eſt & reprobatus, ſicut ſcriptũ eſt: Maledictus qui prohibet gladiũ ſuũ à ſanguine. Et in Eccleſ. dicitur. Quia non profertur citò contra malos ſententia abſq; timore vllo, filij hominum perpetrãt mala. Clamor nonus bonus eſt in operis boni manifeſtatione, quando lucent opera noſtra corã hominibus, vt in eis glorificetur Deus & exemplo bono ædificetur proximus. Citharæ enim & phialæ aureæ plenæ ſunt odoramentorũ, quæ ſunt orationes ſanctorum, ſicut in Apocal. dicitur. Cũ enim ſanctorum præcordia charitate dilatãtur, & auro ſapientiæ reſplendent, & virtutũ opinione cęteris innoteſcunt, quicquid dicunt vel agunt lo cum orationis & clamoris obtinet apud Deum. Vnde in Threnis ait Ieremias. Leua ad Deum manus tuas pro anima paruulorum tuorũ, qui fame pereunt in capite omnium compitorũ. Manus leuamus dum bona operamur. Bona operatio reputatur oratio. Paruuli autem ſenſu fame verbi Dei pereunt, quia non vnam viam quæ eſt Chriſtus, ſequũtur, ſed diuerſas vias errorum & latam atque ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem. Cùm igitur tot modis ſancti clamẽt ad Dominum, Eccleſia pro filiis ſuis Domino ſupplicans petit exaudiri, dicens: Exaudi Domine vocem meã, qua clamaui ad te. Idcirco autem Dominus clamans emiſit ſpiritũ, vt nos euigilaret & incitaret vt clamaremus ad ipſum. Hypocritę autẽ non clamãt ad Deum, ſed ad aures hominum, non gloriam Dei, ſed gloriam propriam quærentes. Vnde Dominus per Iſa. ait: Non obtuliſti mihi arietẽ holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me. Nõ enim Deũ, ſed ſemetipſos glorificare deſiderant. De his autem Pſalmus ait: Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Ore benedicunt dum loquũtur eloquia veritatis, ſed corde maledicunt, dũ meditantur inania vanitatis. Et propterea clamor eorum non exauditur, ſed à Domino reprobatur. Vnde Iſaias ait: Nõ eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare non queat, nec aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrũ & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Sartago enim nubes & murus interponuntur & faciunt diuiſiones inter Deum & peccatorem. Per ſartaginem intelligitur frixura carnalis voluptatis. Hæc eſt ſartago ferrea, quã vidit propheta inter ipſum & Hieruſalem, vt oſtenderetur Ieei in figura diuiſio peccatoris populi à ciuitate ſuperna. Per nubem autẽ caligo ſuperbiæ & leuitas ſecularis pompæ deſignatur. De qua Ierem. ait: Oppoſuiſti nubẽ ne tranſeat oratio. Et Salomon in Prouer. Nubes & pluuia non ſequẽtes, vit glorioſus promiſſa nõ ſoluens. Per murum autem duritiam, peccatũ auaritiæ deſignatur. De quo Propheta ait: In Deo meo tranſgrediar murum. Et Iſaias ait: Viſcera mea ad murum cocti lateris. Compatiẽdo, ſcilicet, illis qui igne auaritiæ ſunt decocti. Pro his tribus amouendis clamat Propheta, cùm ait: Saluum me fac Deus, quoniã intrauerunt aquæ vſq; ad animã meã: Ecce carnalis voluptas. Infixus ſum in limo profundi: Ecce auaritiæ tenacitas. Veni in altitudinẽ maris: Ecce ſuperbiæ & elationis ſublimitas. Hoc eſt quod in Iona dicitur: Circũdederunt me aquę multę: Ecce peccatũ luxurię. Abyſſus valauit me; Ecce puteus auaritię. Pelagus operuit caput meũ: Ecce elatio ſuperbiæ. Hæc igitur tria peccatorum

*De clamore hypocritarũ. Iſa. 43.*

*Iſaiæ 59. De impedimento clamoris ne ad Deũ perueniat.*

peccatorum genera amouenda sunt vt exaudiat Dominus, & à peccatis eruat, nobis tamen non sufficimus, & nisi nos adiuuet & gratiam conseruet, deficimus. Vnde Psalmus adiungit: Adiutor meus esto, quasi dicat: Incœptum est, ne intermittas, iam in via me posuisti, sed abero rabo si me relinquas, voluntatem liberam mihi dedisti, sed absque adiutorio tuo nihil est conatus meus. Sine te nihil possumus facere. Dedisti gratiam, adiuua & serua collatam. Hoc est quod in Zacharia Dominus ait: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum. Hæc duo coniunguntur, quia beneficio precum gratia conseruatur, sicut in Psalmo dicitur: Benedictus Dominus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me, quasi diceret: quandiu oratio non amouetur, misericordia diuina conseruatur. Dicit igitur: Exaudi & adiuua. Quandoq; enim exaudit ad voluntatem, non ad salutem. Sic enim Satanam exaudiuit vt Iob affligeret, & vt porcos intrarent exaudiuit dæmones. Cùm autem infinitis periculis & perturbationibus humana fragilitas subiaceat, semper necesse est vt diuinum adiutorium homo imploret. Prauum enim est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Delicta quis intelligit? Vnde Iosaphat in Paralipomenon ait: Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugij, vt ad cœlum oculos nostros dirigamus. Licèt enim in baptismo & in pœnitentia peccata dimittantur, & gratia conferatur, remanet tamen pronitas peccandi post baptismum. Omnis enim ætas ab adolescentia prona est in malum. Remanet ignorantia & difficultas addiscendi, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Teste autem B. Augustino: Appropinquare falsa pueris non est natura instituit, sed pœna damnati. Remanet difficultas bene operandi, quia caro concupiscit aduersus spiritum. Vnde Psalmus: Miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo. Hominem, scilicet, interiorem homo exterior. Et in Threnis Ieremias ait: Vide Domine afflictionẽ meam, quia erectus est inimicus meus. Hostis enim familiaris est caro quæ erigitur cõtra spiritũ. Non solum autẽ est nobis colluctatio cõtra carnem & sanguinem, sed cõtra aëreas potestates. Vnde in Threnis Ierem. ait: Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos in deserto, insidiati sunt nobis. Aquilæ cœli, id est, sancti & spirituales homines aliquando præueniuntur ab astutia dæmonum. Qui etiam velociores & promptiores sunt ad seducendum, quàm sancti prædicatores ad eripiendũ. Persequũtur nos super montes, quia illos qui sunt in præeminentia virtutum, infestare non cessant. Insidiantur in deserto vt claustrales & solitarios siue eremitas seducant. Remanent corporis necessitates & varij defectus corporales, scilicet, fames, sitis, calor, frigus, fatigatio, labores, dolor, ægritudines & consimilia, quemadmodum scriptum est: Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas. Remanet necessitas peccandi ex sensualitate & prauis motibus. Test enim Apostolo: Non quod volo, hoc ago. Remanet necessitas moriendi, sicut scriptum est: Quis est homo qui viuit & non videbit mortem. In tot igitur & tantis necessitatibus & angustiis vnicum est remedium, vt diuinum imploremus auxilium, vt scilicet, Deus nobis sit auxilium in prelio, solatium in exilio, lux in tenebris ignorantiæ, patientia in persecutione, adiutor in oportunitatibus. Auxilium enim mundi vanum est & momentaneum & inane. Vnde Isaias: Ægyptus vanè & frustrà auxiliabitur. Propterea Iob ait: Quis mihi tribuat adiutorium à Deo, vt nõ derelinquatur in angustiis. Scriptum est enim: Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem se. Et vt non despiciatur in miseriis, licèt enim mortalis sit, vilis, fragilis, creatura tamen Dei est, qui opera sua non despicit, & nihil odit eorum quæ fecit. Et hoc est quod subiungit: Ne derelinquas me, neq; despicias me Deus salutaris meus, quasi dicat: Bonum quod in me cepisti, non intermittas, neque despicias me, id est, non contemnas, quia ego mortalis te æternum audeo quærere, quia tu es Deus, qui me creasti, & salutaris meus, qui sanas plagam peccati, quasi dicat: Frustrà creasti, & recreasti si miserum despicis & mortalem, præsertim cùm non sit mea propria culpa vt mortalis sim & miser, sed fuit culpa parentum: Quoniam pater meus Adam & mater mea Eua dereliquerunt me, id est, huic miseriæ me exposuerunt peccando. Dominus assumpsit me, carnem pro me assumendo. Pater etiam meus malus, id est, diabolus vel mundus, cuius filius extiti per imitationem, & mater mea Babylonia, ex qua natus sum, & in peccato conceptus, dereliquerunt me, quærentem te, & contemnentem se, cùm id quod quæro, mihi dare nõ possunt. Dominus assumpsit me, qui mihi quod quæro, potest dare. Assumpsit me paruulum & abiectum ad regendum & continẽdum, quia pater, ad nutriẽdum, & lactandum quia mater. Reuera Deus non despicit opera sua, sicut scriptum est: Opera manuum tuarũ ne despicias, sed ipse despicit opera nostra, id est, peccata. Nõ despicit hominem, sed despicit peccatorem. Vnde & Ieremias ait: Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas. Illusores enim ipse deludit, & contemptores ipse conterit. Vnde Isaias: Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris? Non solum autem despicit, sed abominatur & proiicit. Vnde in Parabolis: Abominabilis est Domino omnis illusor. Et per Isaiam ait: Vos estis onus Domini, ipse quidem percutiet vos. Et iterum ait: Ecce insulæ quasi puluis exiguus omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt. Et rursus: Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Gutta situlæ cadens in terrã quasi pro nihilo reputatur. Pari modo Dominus despicit peccatores, & quasi pro nihilo reputantur reprobi coram Domino. Sicut autẽ momentum id lingula stateræ cum pondere de facili inclinatur, ita impij

*De diuino adiutorio & conseruatione gratiæ.*

*Zach. 12.*

*Cotidie implorandum est Deus & diuinum auxilium implorandum.*

*Rom. 7.*

*De vero & vano auxilio.*

*Expositio literæ.*

*Quod Deus despicit peccatorem, & abominatur.*

*Esa. 40.*

*Simile.*

*De varietate & miseria hominis.*

*Simile.* ita impij inſtabilitate ſua ad carnalia & terrena cum pondere peccatorum incuruantur & ſubmittuntur. Prædicta tamẽ verba generaliter ad humanam miſeriam & infirmitatem noſtram poſſunt referri. Guttæ enim ſitulæ comparatur homo, quia paulatum effluendo ad morte tendit, & poſtquam in terrá ceciderit moriendo, citò ſiccatur, & obliuioni traditur, velut ſtilla quę à terra cõtinuò abſorbetur. Vnde in Iob dicitur: Qui habitãt domos luteas, cõſumentur velut à tinea. Gutta autẽ vilis eſt, ita teſte Iob: homo putredo & filius hominis vermis. Propter quod idẽ ait: Putredini dixi pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus. Ex putredine enim & corruptione homo generatur, qui dicere poteſt vermibus fratres mei eſtis vel ſorores, quia ex cadauere patris mei procreati eſtis, ſicut ego creatus ſum ex eius carne corrupta. Gutta cadens negligitur & paruipẽditur à portãte. Ita homo decidens in mortẽ vilipẽditur à mũdo. Vnde in libro Sapiẽtiæ: Spes impij tanquá memoria vnius hoſpitis prætereuntis. Gutta modica eſt, & trãſit per anguſta. Ita breues dies hominis ſunt, & per anguſtũ foramẽ mortis pertranſit. Vnde numerus dierũ hominis vt multũ centũ anni, & quaſi guttæ maris reputati ſunt. Gutta ſiquidẽ maris breuis eſt & ſalſa, & vita hominis modica eſt per breuitatẽ, ſed ſalſa per multiplicem amaritudinẽ, quia breui viuens tẽpore, repletur multis miſeriis. Per momentũ ſeu lingulá ſtatere, intelligitur inſtabilitas humanæ vitæ, quę ſemper vergit cũ põdere. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animã. Cũ igitur fragilis & vilis ſit homo in ſe, quãto vilior & deſpectior eſt in oculis ſuis, tãto eſt in cõſpectu Dei pretioſior. Neq; enim hominẽ cõtempſit, quẽ pretio ſanguinis ſui redimere voluit. Vnde & Propheta ait: Ne deſpicias me Deus ſalutaris meus, id eſt, ne cõtemnas vel abiicias, quẽ tãto pretio vt ſaluares, redemiſti. Et in Threnis Ierem. ait: Nõ humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominũ, quaſi dicat: Nõ reputauit abiectos, quos caro pretio cõparauit. Hoc eſt quod Iſa. ait: Iſtæ aſperget gentes multas, ſuper ipſum cõtinebunt Reges os ſuũ. Aſperſit enim nos ſanguine ſuo abluẽdo. Os ſuũ cõtinuerunt gentes cõuerſę ſu-

*Iſaiæ. 52.* per ipſum, quæ prius blaſphemabãt & cõtradicebant. Vnde Iob qui typũ Chriſti gerit, ait: Principes ceſſabant loqui, & digitũ ſupponebãt ori ſuo. De hac autẽ redẽptione Iſaias ait: Ipſe ædificauit ciuitatẽ meã, & captiuitatẽ meã dimittet, nõ in pretio nec in muneribus, quaſi dicat: Gra-

*Iſaiæ. 42.* tis venundati eſtis, id eſt, pro nihilo, ſcilicet, pro peccato, & ſine argẽto redimemini. Non enim pretio à nobis dato, ſed gratia ſalui facti ſumus, & pretio ſanguinis redẽpti. Sanguis enim Chriſti attulit captiuis redẽptionem, languidis vnctionem, mortuis viuificationem, inquinatis ablutionem. Quatuor ſiquidem flumina manauerunt de paradiſo corporis Chriſti, quibus abluitus eſt totus mundus. Fluuius ſudoris, fluius ſanguinis, fluuius lachrymarum, fluuius aquæ de latere profluentis. Et ita redemit nos & ſanauit, non dereliquit, neque deſpexit Deus ſalutaris noſter: qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Epiſtola Petri Canonica.

*1. Pet. 3.* *Omnes vnanimes in oratione eſtote, compatientes, fraternitatis amatores.*

*Vnitas & cõcordia eſt Deo accepta.* VVLNERASTI cor meum ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui. Verba ſunt ſponſi in Canticis, quibus oſtenditur, quantum grata ſit vnitas ſiue vnanimitas tam prælatorum quàm ſubditorum. Sororem appellat Eccleſiam, id eſt, regni cohæredem. Sponſam, id eſt, annulo fidei ſubarratã, & filios hæredes cœli patientem. Soror per imitationẽ, ſponſa per affectionem. Vulneraſti cor meum per amoris affectum vno oculorum tuorũ, id eſt, vnitate Prælatorum, & in vno crine colli tui, id eſt, vnitate ſubditorum Prælatis adhærentium, quaſi dicat: Pro vnitate fidei & charitatis quam habent Prælati & ſubditi, vulneratum eſt in cruce cor meum, vt de vniuerſo mundo in vnitate fidei congregarem credentes. Vel in vno oculorum tuorum, id eſt, in vna intentione, dum vnam petis à Domino, quia vnum eſt neceſſarium, & per varia deſideria non diuiditur cor tuum. Et in vno crine colli tui, id eſt, in vnitate cogitationum, quas refers ad intelligendum vnicum & ſummum bonum. Crines igitur dicuntur cogitationes mentem exornantes. Vel ipſi fideles Chriſto capiti adhærentes, & collum, id eſt, perfectos exornãtes. De quibus in Canticis dicitur: Cincinni mei pleni ſunt guttis noctium, id eſt, fideles Chriſto inhærentes, per vnitatem charitatis ſibi inuicẽ aſtricti: pleni ſunt guttis noctium, id eſt, ſtillicidiis tribulationum, quibus irrigati bonorũ operum proferunt incrementum. Ad hanc igitur vnitatem & vnitatis amorem principaliter inuitat nos

*De vnitate orationum.* Apoſtolus Petrus in hodierna epiſtola, Dicens: Omnes vnanimes in oratione. In oratione contra dæmones pugnamus. Pugna autem vnanimiter aggreſſa victoriam parit. In modico autem foramine diſcordiæ hoſtes irruunt, & diſſipant exercitum Chriſtianum. Qui, quamdiu in concordia & vnanimitate permanet, terribilis eſt hoſtibus vt caſtrorum acies ordinata. Legimus

*Simile.* autem in Act. Apoſt. quod diſcipulis vnanimiter orantibus, factus eſt terræmotus magnus. Pari modo ſi omnes motus noſtri & cogitationes & ſenſus vnanimiter dirigãtur ad Deum, erit motus terræ magnus, vt corruant omnia terrena, & mũdus iſte in nobis ſubuertatur. Et quoniam ſcriptũ eſt, vnus aſſumetur, & alter relinquetur, ſimus in vnitate, & non in alternitate. Spiritus ſanctus author eſt vnitatis. Ipſe enim pungit, vngit, & iungit. Pungit per contritionem, vngit per dilectionem, iungit per vnitatem & concordiam. Diabolus autem author eſt diſcordiæ & alternitatis.

alternitatis. Vnde Dominus in Euang. Qui nõ cõgregat mecũ, dispergit. Et Iere. ait: Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilino, id est, diabolo, qui corda reddit dura & ferrea, vt sibi inuicẽ nõ iungãtur. Deus autẽ corda calefacit, & liquescere facit, vt sibi inuicẽ cõglutinentur per amorẽ. Vnde sponsa in Cant. ait: Anima mea liquefacta est. Quod enim liquidũ est, liquido facilẽ cõmiscetur. De hac autẽ sanctorũ vnitate & connexione dicitur in Eccles. Loramentũ ligneum colligatũ fundamento ædificij non dissoluetur. Fundamentũ est Christus & fides Christi, & post ipsum Apostoli. De quibus dicitur: Fundamenta eius in montibus sanctis. Ligna autem sunt sancti. Loramentum dicitur coniunctio plurimorum lignorum sibi inuicẽ colligatorum. Hi sunt fideles constricti per disciplinam & colligati per amorem. Sicut autem loramento coniunguntur plura ligna ad vnum, ita colligari debemus ligno vitæ, quod plantatũ est in medio Paradisi, id est, Christo, & Christi cruci. Colligari etiam debemus fundamento Ecclesiæ, id est, Christo, & eius fidei atq; doctrinæ, & cõiungi doctrinæ Apostolorũ, vt nõ dissoluatur ædificiũ nostrũ. Hoc enim bitumine linita est arca Noë intus & extra. Intus per dilectionis affectum, extra per exhibitionẽ operum. Hæc est Ecclesia, de qua dicitur in Cant. Vna est columba mea. Et Apostolus ait: Vnus panis & vnum corpus, multi sumus in Christo. Absq; hac vnitate nulli potest esse salus. Vnde Iacobus ait: Si quis totam legem seruauerit, offendat autẽ in vno, id est, in vnitate charitatis, factus est omnium reus. Simus igitur vnanimes in oratione triplici cordis, scilicet, oris & operis, vt abiiciamus à nobis euagationem cogitationis, locutionis & operationis. Contra cordis euagationẽ & dispersionem dicitur in Eccles. Contine & cõgrega cor tuum in sanctitate. Contine, vt post concupiscentias tuas non eas. Congrega, vt illud nõ dispersa in varias cogitationes, nec te ventiles in omnẽ ventũ: sicut in eodem Eccles. dicitur. Et Psalmus ait: Ædificans Hierusalẽ Dominus, dispersiones Israëlis cõgregabit. Nisi enim quę dispersa sunt Dominus in vnũ congregauerit, muros Hierusalẽ in anima non ædificabit. Vnde Cain vagus & profugus super terram, ait: Quicunq; inuenerit me, occidet me. Teste autem B. Gregorio, mentem diuino derelictam præsidio, quęcunq; cogitatio impetierit, subuertit. Propterea in Parab. Salomon ait: Custodias cogitationes, & disciplinã labia tua conseruent. Importunæ enim cogitationes, tollunt deuotionẽ orationis, & tanquã muscæ morientes perdunt suauitatẽ vnguẽti. Pretiosissimũ autem vnguentũ est illud, quod fecit summus vnguentarius ex septem speciebus aromaticis. Quarũ quædã pertinent ad bonorũ adeptionẽ, aliæ ad malorũ remotionem. Bonorũ autem quædã sunt æternalia, quædã spiritualia, quædã temporalia. Æternalia petuntur in præmiũ, spiritualia in meritũ, temporalia in sustentamentũ. Æternalia petimus, cùm dicimus: Adueniat regnũ tuũ. Spiritualia, cùm dicimus: Sanctificetur nomen tuũ. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Temporalia, cùm dicimus: Panẽ nostrum quotidianũ da nobis hodie. Malorũ autem alia sunt præterita, alia præsentia, alia futura. Præterita sunt delenda, præsentia vincenda, futura præcauenda. De præteritis dicitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. De futuris dicitur: Et ne nos inducas in tentationẽ. De præsentibus dicitur: Sed libera nos à malo. Non solũ autẽ in oratione cordis, sed in oratione oris esse oportet vnanimes, vt simul vnũ petamus: sicut scriptũ est: Vnã petij à Domino, quia melior est dies vna in atriis tuis super milia temporaliũ, quæ à seculo hoc quidam postulãt à Domino. De quibus Iere. in Threnis ait: Ponet in puluerẽ os suũ. De vnanimitate in orãdo Apost. ait: Vnanimes vno ore honorificetis Deũ. Et in actis Apost. dicitur: Erãt autẽ perseuerãtes vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria matre Domini. Estote igitur vnanimes in oratione cõcordi ter vnũ petẽdo, & omnẽ verborũ euagationẽ ac superfluitatẽ à vobis relegãdo. Et post orationes in bono perseuerãdo. Quidã autẽ statim post orationem, ad verba scurrilitatis vel maledictionis transeunt, contra quos in Eccles. dicitur: Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus? De Anna autẽ postquã orauit, dicitur: Vultus eius non sunt amplius in diuersã mutati. Nõ enim à fletu transiit ad cachinnos. Non igitur negligẽter, vel cùm mentis euagatione debemus orare. Hinc est quod S. Bernardus ait: Nemo fratres, paruipendat orationem suam. Dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non peruipendit eam, priusquã egressa sit ex ore vestro, ipse iubet eam scribi in libro suo. Vnde indubitãter sperare possumus, quoniã aut dabit quod petimus, aut quod nouerit nobis esse vtilius. Legimus autẽ quod Anna mater Samuẽlis vinum cum vitulis & farina obtulit Domino. Et nos orare debemus cum vino compunctionis, offerendo vitulos, id est, hilaritatem mentis, cum farina, id est, discretione & puritate cordis. Non solùm autem oramus corde & ore, sed insuper opere. Bonum enim opus pro oratione reputatur, & vim obtinet orationis. Vnde in Actibus ad Cornelium dicitur: Eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. In oratione igitur operis vnanimes esse debemus, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vno humero, tanquam vir vnus, Domino seruiamus: sicut scriptum est: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Vnde in Exodo præcipitur, vt in vna domo comedatur agnus, & quod nihil extra efferatur. Et per Ezechiẽlem Dominus ait: Dabo eis cor nouum & spiritum nouum. Et in libro Regum dicit Dauid speculatori suo: Si vnus est, bonum nuntium affert. De hac autem operis vnitate seu operantium vnanimitate Ezechiẽl ait: Pennæ eorum rectæ alterius ad alterum. Vnumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur. Bonum enim quod vnus habet, debet impendere alteri, aliter pennæ virtutum non sunt rectæ.

*De multiplici cõmendatione vnitatis. Eccles. 22.*

*Simile.*

*De vnanimitate orationis cordis, oris, et operis. Eccles. 28.*

*Exod 12. Ezech. 37.*

Teſte autem Gregorio, quia pennas alter ad alterũ tendebant, & duabus alis corpus proprium velabant, patet quod ſic debemus virtutes, quas accepimus, aliis impendere, vt peccata noſtra non deſinamus cautè cogitare, & quotidie per timorem & pœnitentiam plangere. His enim duabus alis corpus actionum noſtrarum ab oculis diuinæ vltionis velatur. Per alas enim virtutes, per corpus actio deſignatur. Niſi igitur vnanimes fuerimus in charitate & bono opere, nunquam Deus audiet nos in oratione. Vnde in Canticis ſponſus ait: Qui habitas in hortis amici, auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Si enim in hortis & viriditate bonorum operum habitemus, vocem petitionis noſtræ exaudiet Dominus, amicis auſcultantibus, Angelis ſanctis orationes noſtras deferentibus ad ipſum. Si autem mali homines vnanimes ſunt in malo, & magna eſt inter molles concordia. Quemadmodum in Iob penultimo, ſecundũ aliam tranſlationem, dicitur: Vir fratri ſuo conglutinabitur, & coniungetur, & non diuelletur. Et Naum Propheta ait: Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium illorum. Multò fortius boni debent vnanimes eſſe in bono. Qualiter enim prædictam vnitatem & vnanimitatis concordiam obtinere & conſeruare debeamus, oſtendit beatus Petrus in hodierna Epiſtola, dicés: Eſtote compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, ſed econtrariò benedicentes. Ex his igitur verbis multiplicem poſſumus inſtructionem elicere, & morum informationem. Prædicta enim omnia ad conſeruationem vnitatis, & prædictæ vnanimitatis valde ſunt neceſſaria. In oratione quidem compatientes ſunt, qui pro aliorum orant delictis tanquam pro ſuis. Qui autem duro ſunt corde, & proximorum neceſsitatibus per compaſsionem condeſcendere neſciunt, qui cum infirmis non infirmantur, necad proximorum defectus ſupportandos emolliuntur, cùm ſint ſine affectione, profectò ſunt abſq; fœdere & vnanimitate. Similiter qui fraternitatem non diligunt, ſed ſingulares & velut vnicornes ab aliis ſe diuidunt, & alios cõuerſatione & conuictu ſuo indignos reputant, dicentes in corde ſuo: Non ſumus ſicut cæteri hominum: huiuſmodi homines frequenter eccleſiaſticam ſcindunt vnitatem, & fraternam vnanimitatem perturbant. Pari modo qui crudeles ſunt, & viſcera miſericordiæ à ſe abiiciunt, qui in corde ſuo iram retinentes, iniurias ſibi illatas condonare renuunt, cùm non ſint miſericordes, nec pacem cum aliis habent, nec vnitatem conſeruant. Qui autem modeſti non ſunt, ſed modum in loquendo, & in operibus ſuis excedunt, hi frequenter alios perturbant, & ſcandalum generant, & fraternam vnitatem non ſeruant. Et quoniam ſcriptum eſt: Inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia, qui non fuerint humiles, nunquam poterunt eſſe vnanimes. Qui autem malum pro malo, vel maledictum pro maledicto reddunt, proximos ſuos, quorum ignem ſedare & extinguere debuerant, amplius accendunt, & ad deteriora prouocant, & idcirco fraternam vnitatem diſsipant. Propterea Apoſtolus Petrus cùm præmiſiſſet: Eſtote vnanimes, ſubiunxit compatientes, vt alter alterius onus & infortunium ſuum reputet. Miſericordes, aliis iniurias condonantes. Modeſti omnia cum modo facientes. Humiles, vt de his non ſuperbiatis. Non reddentes malum pro malo ipſo opere, vel maledictum pro maledicto in verbis, ſed econtrariò benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſsideatis: quaſi dicat: Sic reddetis vos dignos diuina benedictione, quando dicturus eſt Dominus: Venite benedicti patris mei. Vel benedictione illa, qua ſancti Deum benedicunt in æterna vita. Sancti autẽ benedicere debent maledicẽtibus, ſicut fecit Chriſtus. Et hanc benedictionẽ debemus, quaſi hęreditatẽ à Chriſto acceptã, poſsidere, vt nulla tribulatione moueãtur ab hac hęreditate. Teſte enim Apoſtolo: Maledici regnũ Dei nõ poſsidebũt. Eſtote igitur cõpatientes. Virtus enim cõpaſsionis Chriſtũ de cœlo ad dexterã adduxit: ſicut ſcriptũ eſt: Propter miſeriã inopũ & gemitũ pauperũ nũc exurgã, dicit Dominus. Et Iob ait: Ab infantia mea mecũ creuit miſeratio, & egreſſa eſt ab vtero matris meæ. Naturale enim eſt, vt homo homini cõpatiatur, ſpeciẽ ſuã in alio viſitãdo. Et quãtò magis creſcit & intenditur eius cõpaſsio. Qui igitur aliorũ miſeriis nõ cõpatitur, cõtra naturam peccare videtur. Niſi enim alter alterius per cõpaſsionem onera portemus, Chriſti legẽ adimplere nõ valemus. Vnde ad Rom. Apoſtolus ait: Suſcipite vos inuicẽ, ſicut Chriſtus ſuſcepit vos. Et iterũ: Supportantes inuicẽ in charitate. Vnde & de Elia legitur, quod fuit currus & auriga Iſraël. Non enim ſolũ regebat Iſraël per doctrinã, ſed ſupportabat per cõpaſsionem. Et Iob ait: Oculus fui cæco, & pes claudo, pater erã pauperũ, & mœrentiũ erã cõſolator. Flebã quondã ſuper eo, qui afflictus erat, & cõpatiebatur anima mea pauperi. Et Dominus in Deut. ait: Si videris aſinũ fratris tui, aut bouem iacentẽ ſub onere in via, non deſpicies, ſed ſubleuabis cũ eo. Compati enim debemus minoribus & maioribus, quando in via præſentis ſeculi cadũt ſub onere peccati, & eos vt reſurgãt, iuuare. Interroga autem iumenta & bruta animalia, & docebunt te. Cerui enim tempore æſtiuo à patria diſcedentes, tenibus alterius capite impoſito ſe ſuſtentant. Et oues in feruore meridiano vmbram refrigerij ſibi inuicem adhibent, altera alterius lateri capite ſuppoſito. Eſtote fraternitatis amatores: quia bonũ eſt & iocundum habitare fratres in vnum. Econtrà, malum eſt & amarũ arrogantia & ſingularitate ab vnitate fratrum ſeparari. De his autem Apoſtolus Iudas in Epiſtola canonica ait: Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos animales ſpiritũ non habentes. Tales ſunt ſchiſmatici & cathari noſtri temporis, de quibus in Threnis Ierem. ait: Recedite pol luti, clamauerunt eis, recedite, abite, nolite tangere. De Dauid autẽ legimus, quod conuenerunt ad eũ omnes, qui amaro erant animo, & oppreſsi ære alieno, & ipſe nõ ſubtraxit ſe per ſuper-

*Nota.*

*Iob 29.*

*Nota.*

*De amore fraternitatis.*

biam

biam vel inhumanitatem, sed recepit omnes per mansuetudinẽ & fraternitatis amorem. Vnde & Seneca ait: Iam agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus, non vt cõtrariam, alioquin quos emendare volumus, fugamus à nobis & auertimus. Et iterum ait: Hoc primum philosophia promittit sensum cõmunem, humanitatẽ & cõgregationem. Hinc est ergo quod Dominus iussit homines recumbere, nõ singulariter, sed quinquagenarios & centenarios, sicut dicitur in Luca. Et in Iob: Cum lapidibus regionũ pactum tuũ, id est, societas tua, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Iuxta illud: Cum his qui oderunt pacem, erã pacificus. Super hoc Greg. ait: Cùm benè viuitur, cauendũ est ne quis despectis cæteris de singularitate glorietur, sed sociale bonũ recogitet. Sequitur: Estote misericordes: sicut per Osee Dominus ait: Misericordiã volo, & nõ sacrificiũ. Et in Parab. Salomõ ait: Facere misericordiã & iudiciũ, magis placet Domino quàm victimæ. Beatus enim qui intelligit super egenũ & pauperẽ, in die mala liberabit eũ Dominus: hoc est in die iudicij, quãdo de benedictionibus metet vitã æternã. Cùm enim dicet Dominus: Venite benedicti patris mei: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & cætera quę sequuntur. De huiusmodi benedictionibus metet æternã vitam: sicut scriptũ est: Potens in terra erit semen eius, id est, opera misericordiæ, ex quibus messis æterna colligitur, quia re minima, magna cœlorum regna emuntur. Regnũ enim cœlorũ tantũ valet, quantũ habes. Hoc est quod Prophera ait: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, id est, opera bona seminantes. Venientes autẽ ante conspectũ Domini, veniẽt cum exultatione portãtes manipulos suos, id est, reportantes æternã retributionem. Quæ autem seminauerit homo, hæc & metet. Teste enim Apostolo: Pietas ad omnia vtilis est, promissionẽ habens vitæ, quæ nunc est & futuræ. Confert enim vitam gratiæ in præsenti, & vitam gloriæ in futuro. Vnde in Eccles. dicitur: Est datum cuius remuneratio duplex, id est, in præsenti & in futuro, vel in corpore & in anima. Teste enim Salomone in Prouerbiis: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Vnde B. Augustinus ait: Christus dicit: Da mihi aliquid ex eo quod dedi tibi: habuisti largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. In Deuteronomio autem dicitur: Anno tertio separabis tibi decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore. Venietque Leuites qui non habet aliam partem, & peregrinus & pupillus, & vidua, & comedent, & saturabuntur. Tertius annus significat, quod pauperibus corde, ore, & opere, benefacere debemus. Teste enim beato Ambrosio: Sola misericordia comes est defunctorum. Frustrà autem manus ad Deum in oratione leuat, qui eas pro posse suo ad pauperes non extendit. Propterea in Iob dicitur: Non remãsit de cibo eius, propterea nihil remanebit de bonis eius. Et in Luca Dominus ait: Quis ex vobis volens ædificare turrim, nónne priùs sedens cõputat sumptus, qui necessarij sunt, id est, discernit erogandũ esse temporalem substantiã, vt ædificetur ei turris, per quam defendatur in præsenti ab inimicis, & in futuro per illam ascendet in cœlos. Econtrà, teste beato Iacobo: Iudicium sine misericordia erit ei, qui non fecit misericordiam. Propterea in hodierna Epist. Petrus ait: Estote misericordes. Et subiungit: Estote modesti. Modestia enim est quasi temperata complexio bonorum operum, quando modus nõ exceditur, sed in omnibus debita mensura obseruatur. Idem enim facit plus quod minus. Vnde in Ecclesiaste Salomon ait: Noli multum esse iustus. Et in Parab. ait: Qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Propterea de animabus sanctis in Ezechiële dicitur: Pedes eorũ pedes recti. Rectos habemus pedes operum, dum operãdo modũ obseruamus. Vnde in lege animal cæcum Domino nõ offertur, & animal quod vngulã non findit, reprobatur. Qui enim opera sua non attendũt, nec vngulam per discretionem findunt, Domino placere non possunt. Propterea in Leuit. præcipitur, quod non offerat pecus Domino, qui fuerit paruo vel grandi vel torto naso. Per nasum quo odores discernimus, virtutẽ modestię & discretionis intelligimus. Paruo autẽ vel grãdi vel torto naso dicitur, qui cum discretione parua vel minima vel pèruersa improuidẽter, imprudẽter bona operatur. Paruus igitur est nasus illi, qui ad tenendam mensuram non est idoneus. Nasus autẽ grãdis est discretionis, immoderata subtilitas. Tortus autem & indecẽs est nasus, dum ad Deum, & ad ea, quæ expediunt, non dirigitur discretio, sed ad vana & inutilia retorquetur. Nasus autem rectus & parum recuruus, bonus est, id est, moderata & prouida discretio. De quo in Canticis: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Teste enim Gregorio: Sancta Ecclesia quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Damascus autem potus sanguinis interpretatur. Respicit vir discretus & sagax contra diaboli insidias, qui sanguinem bibit & affectat. Respicit contra peccatorum sanguinem, non solùm potatum euomendo, sed oblatum respuendo. Simus igitur discreti & modesti, vt non excedamus modum secundum maius vel minus. Non declinemus ad dexteram siue ad sinistram. Vnde per Isaiam Dominus ait: Hæc est via, ambulate in ea, nec ad dexterã, nec ad sinistrã: quasi dicat: Nec ad dexterã prosperitatis, nec ad sinistrã aduersitatis declinetis. Vel per dexterã bona, per sinistrã mala. Ad dexterã igitur declinat, qui bona sua magna reputat: ad sinistrã deuiat, qui mala sua parua putat. Vel dextera est amicus, sinistra inimicus. Ad dexterã igitur declinat, qui ꝓpter amicos malũ facit, vel bonũ omittit. Ad sinistrã, qui inimicos persequitur suos, & odit. Ad dexterã declinat, qui de misericordia Dei nimis pręsumit: ad sinistrã, qui desperãdo in malũ corruit. Vel declinat ad dexteram, qui nimis est securus: ad sinistram, qui nimis est remissus. De his autem Ieremias ait: Impegerunt in viis suis, vt ambularent per eas

Nota.

De misericordia.

itinere non certo. De Iacob autem legimus, quod in labore modum discretionis obseruans, ait: Nosti Domine mi, quod paruulos habeam teneros, oues ac boues fœtas mecũ, quas si plus ambulando fecerim onerare, morientur vna die cuncti greges. Hoc est contra illos, qui onera grauia & importabilia alligãt, & absq; modo alios affligunt & molestãt. Prædictis autẽ virtutibus subiungit Petrus de humilitate, dicẽs: Estote humiles, vt, scilicet, cum omnia prædicta feceritis, non inde superbiatis, sed magis dicatis: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Quãtò maior est homo iustus, tantò se humiliat in omnibus. Vnde in Ezech. dicitur: Quod gazophylacia erãt in superioribus humiliora. Hi sunt viri sancti, in quibus spirituales diuitiæ reponuntur. Qui quãtò superiores sunt, tantò magis humiliãtur, attendẽdo cum timore quantũ desit eis, & quod ea quę habẽt, nõ à se habẽt, & quod amittere possunt, & quod bona eorũ nõ sunt purè bona, sed iustitiæ nostræ sunt tanq̃ pannus menstruatę. Hæc enim ad conseruationẽ humilitatis valde prosunt. Vnde & Iob ait: Nolo multa fortitudine cõtendat mecũ, nec magnitudinis suæ mole me premat, æquitatẽ proponat mihi: quasi dicat: Nolo vt me examinet ad cõparationem iusti, inquantũ Deus, quia quantumcunq; sit bonus & iustus, si districtè ab omnipotẽte iudicetur, mole magnitudinis premitur. Quis enim iustus examinationi inueniri valeat, si ad comparationẽ deitatis, ipsum examinari oportet, vel si secundũ suę fortitudinis maiestatẽ vitam hominis discutiat. Vnde petit æquitatẽ proponi, id est, filiũ in carne mitti, vt cõpatiatur defectibus nostris & arguat in æquitate pro mãsuetis terræ. Ipse enim factus est nobis à Deo sapiẽtia & iustitia. Vnde æquitas nominatur. Patet igitur quod sicut idẽ Iob ait: Non iustificatur homo cõparatus Deo, id est, cõparatus diuinæ iustitiæ, neq; poterit respõdere vnũ pro mille, si voluerit cõtendere cũ eo, id est, si quod Dei est, sibi arrogare pręsumat. Per mille perfectiones designatur initiũ. Cùm igitur Deus à nobis persecutionẽ exigat, nõ possumus ei dignè respondere vel rependere initiũ perfectionis. Et hoc est quod valde humiliat sanctos, scilicet, defectus eorũ respectu diuinæ perfectionis. Vnde idẽ Iob ait: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamẽ sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Aquis niuis abluimur, quãdo cũ candore humilitatis peccata plangimus, vel quãdo pro desiderio æternorũ lugemus. Nix enim à superioribus descendit. Manus autẽ fluere, id est, bonis operibus dicũtur abundare velut mundæ, quia nõ verè mũdę sunt in hac corruptione. Intinguũtur enim sordibus, si ad diuinã munditiã cõparentur. Vestimẽta autẽ nostra, id est, corpora, propter motus sensualitatis, nos quasi abominabiles reddũt, & immũdos, & idcirco secundũ Petri cõsiliũ humiliari debemus. Sequitur: Nõ reddẽtes malũ pro malo in operãdo, vel maledictũ pro maledicto in loquẽdo. Et si homo aliquãdo turbetur, tamẽ malũ nõ loquitur: sicut scriptũ est: Turbatus sum & nõ sum locutus. Vnde quidã Sapiẽs ait: Commotio tua ibi moriatur, vbi oritur. Sicut autẽ qui de domo vicini ardẽte ignẽ sumit, & domũ propriã incẽdit, sic qui de malitia alterius malũ sumit exemplũ, vel incẽditur ira vel reddit pro malo malũ. Vnde in Prouer. Sicut carbones ad prunas & ligna ad ignẽ, sic vir iracũdus suscitat rixas. Valde autẽ rudis est, qui in domo vicini dũ ardet, ligna ponit, vt magis ardeat, cùm deberet ligna subtrahere, vel aquã infundere, vt ignis extingueretur, & incendiũ sedaretur. Ita est de illo, qui proximũ, vt magis iratscatur, incitat, malũ pro malo reddẽdo, vel maledictũ pro maledicto. Vnde Salomõ: Noli litigare cũ homine iracũdo, & nõ strues ligna in ignẽ eius. Et Isa. Principes tui infideles sequũtur retributiones, malũ, scilicet, pro malo reddẽtes. Sicut enim pax est in pręcepto, ita & patiẽtia. Sicut alij nobis debẽt seruare pacẽ, ita & nos aliis exhibere patientiã. Quomodo ergo possumus ab aliis petere, quod nobis debẽt, scilicet, pacẽ, cùm nos illud quod debemus, eis nõ soluamus, scilicet, patientiã. Iure igitur nos poterit recõuenire & cõtra nos excipere de debito nõ soluto. Frustrà legis auxiliũ inuocat, qui cõmittit in legẽ. Si igitur cõuenio eum de pace non seruata, recõueniens de patiẽtia nõ exhibita. Propterea Paulus ait: Nos vos defendẽtes charissimi, sed date locũ iræ. Qui enim voluerit se vindicare, nõ expectãs vltionẽ diuinã, hic profectò nõ dat locum iræ, seu vindictæ diuinæ, quam vult euacuare, vt iam locũ non habeat, cùm tamen dicat Dominus: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et Isaias: Arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Hæc est enim æquitas & iustitia, vt qui mansueti sunt & mites, & non arguunt pro se, Dominus arguat pro illis in iudicio, & spiritu oris eius interficiat impios. Propterea Petrus in hodierna Epistola astruens prophetico eloquio quod prædixerat, subiungit: Qui enim vult vitam diligere, id est, ostẽdere se dilectionem habere, & videre dies bonos, cùm in hoc seculo dies mali sint, coërceat linguam suam à malo, ne, scilicet, loquatur apertè mala, & labia sua ne loquãtur dolum, id est, ne proferat verbum malum & dolosum, vel ne bona dolosè loquatur. Et quoniam scriptum est: Qui custodit os suum, custodit animam suam, refrænemus & coërceamus linguam nostram. Gloriosus est enim iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Vnde & Philosophus ait: Magna virtus est audire noxia, & non reddere contraria. Propterea in Ecclesiastico dicitur: Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Et iterum: Qui multis verbis vtitur, lædit animam suam. Flagellum enim linguæ, comminuit ossa. Vnde Ierem. Venite, percutiamus eum lingua. Et in Parabolis: Os stulti contritio oris, labia ipsius ruina animæ est. Et in Ecclesiastico dicitur: Lingua tertia multos commouit, ciuitates munitas destruxit, & mulieres *maritatas eiecit. Linguam tertiam detractio habet, qui se tertium inter duos amicos ponit, & eorum amicitiam dissoluit. Destruxit autẽ huiusmodi lingua ciuitates munitas, id est, mentes munimine

*Quod malum pro malo reddere non debemus. Simile.*

*Eccles. 19. Eccles. 15.*

**viratas.*

munimine virtutum roboratas, & mulieres *maritatas eiecit, & à virtute deiecit, id est, viriles animas effeminauit. Qui igitur vult videre dies bonos, diem, scilicet, gratię in præsenti, & diem gloriæ in futuro, coërceat linguã suam à malo. Declinet à malo, etiã si detur occasio exterius vt peccet, & faciat bonum, quia non sufficit vna pars iustitiæ sine alia. Primum autẽ vitat culpam, secundum meretur palmam. Declinet etiam à malo, in se vitia destruendo, & faciat bonum, virtutes ædificando. Inquirat pacem, tanquam rem absconditam, pacem, scilicet, cum Deo, cum seipso, & cum proximo, & sequatur eam, vt rem, scilicet, fugitiuam. Inquirat enim pacem, id est, Deum, qui est pax nostra, faciens vtraq; vnum, & sequatur eam, id est, prosequatur in cœlũ, quo præcessit, quia oculi Domini super iustos, id est, respectus misericordię diuinæ, & aures eius in preces eorũ, scilicet, adimplendas. Non dicit ad preces, sed in preces, propter celerem exaudi-tionis effectum. Vultus autem Domini super facientes mala, id est, inferentes mala aliis: primo loco, vel reddens mala pro malis, vultus, id est, vultuositas iræ & indignationis ipsius. Per vultum autem eius possumus intelligere iudicium, in quo iratus apparebit, sicut in vultu hominis apparet ira. Vel vultus Dei, id est, manifestatio, quia illa die manifestabit se, vt cognoscãt quem contempserunt. Sequitur: Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis: quasi dicat: Ideo debetis à malo declinare & facere bonum, quia nemo potest vos retrahere à bono, nec corã vobis auferre, si volueritis in bono perseuerare. Imò mali prosunt bonis, dum nocere volunt. Vnde Isa. Facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. Stercus fœtidum est & fœcundũ, ita mali fœtidi sunt in se & per exempli pernitiem, & tamen persecutione, quam inferunt, fœcundant Ecclesiam. Si enim verba contumeliosa, si rerum damna, si inferunt tormẽta, nõ nocẽt, sed patientiã exercẽt. Si quis autẽ his victus deficit, nõ ille qui malũ intulit, sed ipse, qui malũ non pertulit, sibipsi nocuit. Pulsatur omnis domus, & ea quæ super arenam, & ea quæ supra petram fundata est, sed alteram fragilis structura strauit, alij firmitas fundamẽti coronã perseuerãtiæ tribuit. Et hoc est quod ait: Sed & si quid patimini propter iustitiã, beati. Propter iustitiã, scilicet, faciendam vel retinendam, beati eritis in futuro. In præsenti autẽ ne timueritis timorẽ eorũ, id est, illa, quæ in eis possunt videri timẽda, id est, crudelitatẽ, regiã potestatem & similia, vt non cõtristemini, sicut & cæteri, qui nõ habent æternæ retributionis spem. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, id est, sanctum & glorioſum, qui solus metuendus est, reputate, & ipsius sanctitatem quàm sit incomprehensibilis gloriæ intueamini intimo cordis affectu, vt nunquam à memoria vestra recedat, vel ab amore, Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

*virates.

*Mali prosunt bonis. Simile.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM EX EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Cùm turba multa irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei: & ipse stabat secus stagnum Genezareth.* Luc. 5.

NE despicias narrationem presbyterorum sapientium, ab ipsis enim disces sapientiam, & in prouerbiis eorum conuersare. Verba sunt Sapientis in Eccleſiaſt. Licèt enim sapiens sit aliquis, nihilominus libẽter audire debet verbũ Dei: sicut scriptũ est: Audiens sapiẽs, sapientior erit. Semper enim potest homo proficere in sacra scriptura, quæ est quasi puteus profundus, vel velut mare, quod nõ potest exhauriri, vt possimus dicere, sicut ait Eccleſiaſt. Cùm consummauerit homo, tunc incipiet. Quantò eum plus aliquis intelligit de scripturis, tantò sibi videtur quasi incipere, & imperfectionem suam agnoscere, vt dicat cum Propheta: Et dixi nunc cœpi. Et ideo qui sapiẽs est, nõ despicit narrationẽ seu prædicationẽ sapientium. Vnde in Eccleſ. dicitur: Da sapienti occasionẽ, & addetur ei sapientia. Econtrà, Sapientiã atq; doctrinam stulti despiciunt, sicut in Parab. & in Eccleſiaſte dicitur: Peruersi difficilè corriguntur. Vnde & Dominus per Ierem. conqueritur, dicẽs: Nunquid Resina non est in Galaath, & Medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix tua filiæ populi mei? Galaath aceruus testimonij interpretatur. Hæc est sacra scriptura & Ecclesia Dei, in quibus copiosa est Resina medicinæ spiritualis & sacramentorũ, & multos habemus Medicos spirituales, & testes pro bonis & cõtra malos, & multa testimonia spiritualiũ sententiarũ. Et idcirco inexcusabiles sunt, qui hãc medicinã respuentes, sanari contemnunt. Teste enim Eccleſiaſt. Execratio est peccatoribus sapiẽtia. Execrabiles autẽ sunt & cõtumaces, qui execrantur & abominãtur diuinã sapientiã. Orate igitur Dominũ, vt virtute medicinæ verborũ Dei, quam vobis adhibemus hodie, peccatorum vulnera sanẽtur, & cicatrices in vobis obducantur, vt sanatis vulneribus, remaneat memoria peccatorum, velut cicatrix in cordibus vestris, & impleatur in vobis quod scriptum est in Ecclesiastico: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu. Et si enim Dominus peccata remittat, non tamen debemus securi esse, sed semper timere & dolere. Cùm turbæ irruerent ad Iesum, &c. Ecce ego mittã piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittã eis venatores multos, & venabuntur eos de omni monte & de omni colle, & de cauernis petrarum. Loquitur Dominus per Ieremiam de electione & missione Apostolorum, quos fecit piscatores hominũ. Et post Apostolos misit venatores multos, scilicet, doctores Ecclesię, viros Apostolicos,

*Eccles 8. Exhortatio ad audiendum verbum Dei, & contra eius temptores. Eccles. 18.*

*Eccles 8. Prouer. 1. Ierem. 8.*

*De piscatoribus & venatoribus.*

quos venatores appellat,eò quòd agreſtes & beſtiales homines,quaſi venatione cœperunt cum laqueis & retibus prædicationis & gladio verbi Dei,mactãdo,aſſos igne charitatis eſibiles reddiderunt. Quemadmodum dictum eſt Petro:Macta & manduca. De montibus autem ſuperbiæ & altitudinis ſecularis cœperunt leones, tyrannos & potentes in ſublimitate conſtitutos, tam Imperatores quàm Reges. De collibus etiam acceperunt alios nobiles ſub poteſtate maiorum Principum conſtitutos, Regulos, ſcilicet, & Centuriones. Sed & de cauernis petrarum extraxerunt alios minores, qui petroſi erant per cordis duritiam, & cauernoſi per dolos & occultam malitiã. Piſces inſuper, id eſt, homines curioſos & ſecularium negotiorũ fluctibus immerſos de mari, & amaritudinibus peccatorum, ad littus ſalutis extraxerunt. Vnde & Ieremias in Threnis: Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorſum: quaſi dicat: Retibus prædicationis ab omni via mala prohibuit pedes meos. Et conuertit me retrorſum de vitiis ad virtutes, de profundo ad littus ſtabilitatis & quietis. Vnde etiam ſubdit: Poſuit me deſolatam tota die mœrore confectam. Deſolatam terreno ſolatio & bonis tranſitoriis, in quibus prius habebat conſolationem. Et confectam atque affectam mœrore, vt ſint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. De hac igitur hominum piſcatione & animarum conuerſione, ſpecialiter in hodierno Euangelio tractatur, quæ per exteriorem piſcationem myſticè intelligitur. Nam per mare mundus iſte, per retia prædicatio, per piſcatores doctores, per duas naues duæ Eccleſiæ, Iudæorum & Gentium, per piſces homines deſignãtur. Legimus enim in Euang. ad vocem Domini, retia in capturam piſcium bis fuiſſe laxata, ſcilicet, nunc ante reſurrectionẽ, & poſtquam Dominus ſurrexit, & diſcipulis piſcantibus apparuit. Sed hæc piſcatio differt ab illa. Hæc enim pertinet ad ſtatum præſentis Eccleſiæ, illa ad ſtatum futuræ. Hæc pertinet ad viam, illa ad patriam. In hac ſiquidem in qua parte retia mitti debeant, non dicitur. Quamdiu enim Eccleſia in præſenti vita manet, vtriuſque partes ciues, ſcilicet, tam electos quàm reprobos retinet. In alia autẽ in dexteram partẽ retia mitti iubentur, quæ pertinet tantùm ad electos, qui poſt hanc vitam ad littus æternæ felicitatis & ſtabilitatis pertrahuntur. In hac piſcatione boni & mali capiuntur, in illa verò ſoli boni, quia in præſenti Eccleſia boni & mali inueniuntur, in ſempiterna verò vita, nullus malus reperitur. In hac rumpebatur rete, quia per varios errores hæretici & ſchiſmatici rumpere præſentem Eccleſiã nituntur. De quibus dicitur: A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. In alia autem ſchiſmata vel hæreſes non erunt. In hac numerus non exprimitur, in illa certus numerus deſignatur, nam electorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Cùm igitur in hoc Euangelio de piſcatione, quæ ad præſentem vitam pertinet, ſpecialiter agatur & profunda in ea contineantur myſteria, verba ipſius ordinatè & per partes diligenter diſcutiamus. Cùm turbæ, inquit, irruerent ad Ieſum, vt audirent verbum Dei, ipſe ſtabat ſecus ſtagnũ Genezareth. Quia Dominus in terra magna & mirabilia fecerat, trãſiuit ad mare, magna ſimiliter facturus, vt appareat terræ & maris Dominus. Per hoc autem quod dicit, turbas irruere, notat ſedulitatem inquirendi Dominum, deuotionem & deſiderium audiendi verbum Dei. Quod eſt contra illos, qui manna verbi Dei corrupto cordis palato, more febricitantis faſtidiunt, conculcando ſub pedibus margaritas: de quibus Salomon ait: Anima ſatiata calcabit fauum. Diuites enim huius ſeculi carnalibus voluptatibus, & mundi vanitatibus pleni, de cibo ſpirituali non curant. Per fauum in quo mel infra ceram clauditur, diuina eloquia deſignantur, in quibus infra literæ corticem ſpirituales ſententiæ continentur. Mel autem dulce eſt, calidum, conſeruatiuum, confortatiuum, conſtructiuum, & laxatiuum, variis medicinis aptum, & electuariis conficiendis idoneum, quæ verbo Dei facilè eſt adaptare. Melle ſiquidem laxantur conſtipati, dum duri, pertinaces & obſtinati emolliuntur ad deuotionem & pietatem. Qui autem fluxu laborant vitiis, ſcilicet, carnalibus diſſoluti, verbi Dei melle conſtringuntur, vt in bonum ſolidantur. Genezareth autem lacus eſt, & dicitur mare, iuxta Iudæorum conſuetudinem, qui congregationes aquarum, appellant maria. Dicitur autem mare Tyberiadis à vicina ciuitate: mare Galilææ à regione. Genezareth autem à loci proprietate. Clauditur enim montibus & vndis criſpantibus atq; ebullientibus, frequenter ventum generat, & auram ex ſe emittit. Vnde Genezareth, quaſi auram generans appellatur. Lacus autem iſte ſiue ſtagnum, mundum ſignificat paludoſum, qui labilis eſt, more aquæ, & vilis reputari debet ac proiici, velut aqua ſordida, fœtens, & corrupta. In quo ſiquidem mundo plus reperitur aquæ ſalſæ quàm dulcis, quia plus abundant amaritudines quàm delectationes. Væ autẽ his qui tranſeuntibus inhærẽt, quaſi cum tranſeuntibus tranſient, & cum labilibus labẽtur & peribũt. Secus ſtagnũ, & nõ in ſtagno Dominus ſtare dicitur, quia mundi vanitatẽ & inſtabilitatẽ non attingit. Etſi enim fuit in mundo per naturã, alienus fuit à mundo per culpã. Allegoricè autẽ Dominus iuxta ſtagnũ ſtetit, & turbæ ad ipſum irruerunt. Poſtquã enim vitæ labẽtis mortalitatẽ, in ea qua paſſus eſt carne, deuicit, & ſtabilitatẽ propriæ quietis adiit, ex vniuerſo mundo ad ipſum Gentes cõuerſæ, cõuenerunt: ſicut prædixerat Iſa. Fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt populi multi. Non ſolũ autẽ ſtagnum Genezareth, ſed & mare vocatur lacus iſte. Per mare autẽ mũdus deſignatur: ſicut ſcriptũ eſt: Hoc mare magnũ & ſpatioſum, illic reptilia, id eſt, malitioſi homines & ſerpẽtini, quorum non eſt numerus. Dicitur autem mundus mare à meando, eò quòd fluctuando accedat & recedat. Amatores quippe mũdi velut mare ſemper fluctuãt, dum proſperis eleuãtur, & deprimuntur aduerſis. Aſcendũt enim vſq; ad cœlos, & deſcẽdunt vſq; ad abyſſos. Dicitur mare Galilææ propter

*De piſcatione & piſcibus, et inſtrumentis piſcationis.*

*De duplici piſcatione, & in quibus differunt.*

*De melle, & de his qui conculcãt fauum mellis.*

*De lacu Genezareth, & mari atque mundo.*

*Allegoria.*

propter volubilitatē, quia in circuitu impij ambulāt. Iuxta illud: Deus meus pone illos vt rotā. Galilæa siquidē rota interpretatur. Dicitur autē mūdus mare, quia mala amaritudine replēs vel male animas recipiēs. Tumet autē hoc mare & eleuatur per superbiā, feruet per irā & malitiā, spumat & fœtet per luxuriā, amarū est per curarū & sollicitudinū anxietatē, omnia flumina in se recipit per auaritiā. Maior piscis minorē deuorat per violentiā & rapinā. Vnde in Eccles. dicitur: Venatio leonis onager in eremo, sic pascua diuitū pauperes. Et Iere. in Thren. Magna est velut mare cōtritio tua, id est, iniquitas tua infinita per peccatorū multitudinē: fœtida per luxuriam & gulā, quasi sine fundo per auaritiā: tumida per superbiā: fluida per inconstantiā. Iuxta illud: Tu cōfirmasti in virtute tua mare, id est, cor fluidū, vento tentationū agitatum, quod Dominus cōfirmat, dum reddit stabile & solidū. In hoc autē mari venti pugnāt, dum cor humanū variæ tentationes perturbant. Fluctus autē ad se inuicē colliduntur, dum inter superbos iurgia & prœlia cōcitantur. De quibus Ierem. ait: Fortis impegit in fortē, & ambo pariter cōciderunt. Et Isaias huius mundi tribulationes onus deserti maris appellat. Tyranni siquidē onerāt manu flagellādo. Hæretici lingua seducēdo. Falsi fratres & hypocritę, habitu simulando. Vt igitur ex hoc mari magno Dominus pisces extraheret, stetit secus stagnū Genezareth. Duæ autē naues, quas vidit, circuncisionē & præputium signant, quia in vtroq; populo nouit qui sunt eius, quorum corda à fluctibus seculi ad futuræ vitæ tranquillitatē, quasi ad littus pertrahit misericorditer intuendo. Per nauem siquidem Petri, Ecclesia Iudæorū, quibus Petrus præfuit. Per alterā remotiorē à Christo Ecclesia Gentium, cui præfuit Paulus, designatur. Vnde & Dominus de naui cula docens turbas, exemplū dat, vt de nauicula Ecclesiæ turbas doceamus, & non aliā quam Ecclesiasticam insinuemus doctrinam. Licèt autem nauis Ecclesiæ variis fluctibus concutiatur, tamen nō mergitur, sed magis eleuatur, quia Ecclesia in tribulatione exaltatur, sicut Arca Noë, quantò magis eleuabantur fluctus, tantò amplius eleuabatur. Fuit autem hæc nauis in principio, & in fine strictior, quia pauci fuerunt fideles in primitiua Ecclesia, & pauci erunt in fine, quando refrigescente multorum charitate, filius hominis vix inueniet fidem in terra. In medio autem latior est, quia multi hodie sunt Christiani in vniuerso mundo. Per nauem etiam vita hominis designatur, quæ stricta est in principiò & in fine, quia nihil intulimus in hunc mundū, & nihil nobiscum asportabimus. In medio autem lata est, & onerata variis curis & possessionibus, variis peccatis & iniquitatibus. Sancti etiam & si à peccatis propriis non sint onerati, nihilominus per compassionem onerantur alienis. Iuxta illud: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Latitudo enim nauis eorum est charitas, quæ cunctis est cōmunis, & aliorum onera subportat. Si autem volumus nauem nostram cautè regere, puppim & proram, id est, principium & finem nostrū debemus diligenter intueri. Vnde de Iudæis Moyses ait: Gens sine consilio & prudentia, vtinā intelligerent ac nouissima prouiderent. Per malum huius nauis, aliquando designatur altitudo secularis. Vnde Isaias: Sic erit malus tuus, vt dilatare signū nequeas. Potestas enim secularis, nullum virtutis signum in die iudicij poterit demonstrare. Vnde & in libro Sapientiæ in persona reproborum dicitur: Nos continuò nati, desinimus esse, & nullum quidem virtutis signū valuimus ostendere. Consuetudo est nauigantiū in mari, quod ingruente tempestate castellū nauis destruunt, & malū deponunt, & onera deprimētia deiiciunt. Et nos castellū superbiæ destruamus, & malū altitudinis secularis humiliando, nos deponamus, & sarcinas superfluitatis abiiciamus, ne tempestate tentationū in profundo vitiorū submergamur. Debemus autē nauē nostrā regere inter flatus adulationū, & tempestates detractionū, & diluuiū concupiscentiarum inter charybdin gulæ & Syrtim, inter voluptatum Sirenes & Piratas infernales. Quod autē Euangelista ait: Piscatores descenderāt & lauabāt retia, magnū nobis insinuat mysteriū. Per retia enim doctrina prædicationis intelligitur, quæ quodammodo reticulata est, quia quasi quibusdā laqueis homines capit, retinet & astringit. Vnde retia quasi retinentia dicuntur. Hæ sunt cōpedes sapiētiæ, in quibus pedes nostros debemus immittere. Sicut autē retia pisces, quos capiunt, retinent: ita prædicatio veritatis, quos in fide capit, non facilè amittit. Quæ dum diuersis Patrū sententiis roboratur, quasi variis filis contexta ligatur. Retia igitur doctorum, tanquam spiritualium piscatorum, sunt quædam verborum complexiones, & quasi quidā orationis sinus, & disputationū recessus, quæ quos capiunt, nō amittunt, captos autē non perimūt, sed reseruant. Retibus enim prædicationis & fidei cōprehensos, de profundo ad lucē eleuatos, terræ viuentium, quasi pisces littori ingerunt. Hoc enim operatur fides in terris, quod operatur rete in fluctibus. Nam sicut rete, quos cōtinet, vagari non patitur, ita & fides errare, quos colligit, non permittit. Et sicut ibi captos sinu quodā perducit ad nauem, ita & ibi congregatos gremio quodam perducit ad requiem. Hæc retia autem, sicut ex hodierno Euangelio perpenditur, laxantur in capturam piscium. Aliquando prope terram, aliquando in altum, & in maris profunditatem, aliquando vacua extrahūtur, quādoq; piscibus implentur, rumpuntur, reficiuntur, lauantur, siccantur & plicantur. Per hæc autem varij modi prædicationis designantur. Laxari igitur debēt retia prædicationis, vt prædicatio non sit austera nimis, nec infirmos nimis terreat, sed alliciat & attrahat, sicut scriptum est: Noli esse nimis iustus. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. Laxare demus hìc retia in capturā, non in curiositatem vel lasciuiā, aut vanitatem. In capturam piscīū, non pecuniarū, sicut quæstuarij prædicatores. De quibus Ieremias ait: Seminauerunt triticū & messuerūt spinas, quia prædicationem verbi Dei in lucrū temporalium

*De proprietatibus maris.*

*De duabus nauibus.*

*Simile.*

*De regimine nauis.*

*De retibus.*

*Simile.*

*Simile.*

*De laxatione retiū in captura piscium.*

conuerterunt. Laxate, inquit Dominus, retia in capturam. Captura siquidem locus est capiẽdis piscibus aptus. Ostendit ergo prædicationũ retia esse laxanda, vbi electi reperiantur, qui in fide capiantur. Vnde & spiritus non permisit Paulum ire Bithyniam, quia non erat ibi tunc locus aptus capturæ, qui tamen admonitus est ire Macedoniã, quò non proposuerat ire: sicut dicitur in actibus Apost. Quod autẽ Dominus primũ à terra pusillum reducere iubet, & post in altum ducere, ostendit temperatè vtendũ esse sermone prædicationis. Infirmi enim auditores nõ subitò ad profunda mysteria sunt introducendi, sed priùs pusillũ à terra sunt amouendi, id est, à terrenis curis, & carnalibus actibus separãdi, & postmodũ ad profundiora prouehendi. Vnde Dominus discipulis ait: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Et de Domino

*Iob 37.* Iob ait: Qui ligat aquas in nubibus suis, vt nõ erumpãt pariter deorsum. Aquas siquidẽ doctrinæ in sanctis prædicatoribus ligat Dominus, vt non erumpãt pariter, sed paulatim ad infirmos descendant auditores, qui adhuc deorsum cõmorantur, & nõ sursum ad ardua mente eleuentur. Prædicationẽ enim doctorũ temperat, vt auditorũ infirmitas doctorũ rore nutrita cõualescat.

*Allegoria.* Allegoricè autẽ designatur, quod priùs in proximis regionibus esset prædicandũ. Dum autẽ dicitur Petro: Duc in altũ, ad remotiores Gentes pertinet, quibus postmodũ prædicatũ est. Iuxta illud: Eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudæa & Samaria, & tandẽ vsq; ad vltimũ terræ. Petro autẽ dicitur: Duc in altũ, quia ad maiores Prælatos pertinet de profundis sacramentis disputare. Vnde de dubiis & maioribus quęstionibus ad summũ Pontificẽ fit recursus. Nos igi-

*Quòd nauẽ nostram à terra reducere debemus.* tur exẽplo Petri, nauẽ cõuersationis nostrę à terra, id est, à terrenorũ amore debemus elongare & ducere in altũ, scilicet, in altitudinẽ sanctæ cõuersationis, vt laxemus retia in capturã piscium, & cæteros ad formã bene viuẽdi trahamus. Alioquin nisi à terra nauẽ suã priùs doctor remouerit, nõ præsumat laxare retia aliis prædicãdo. Priùs enim q̃ iudicet alios, iustus deber esse in seipso: sicut in Eccles. dicitur: Ante iudiciũ præpara iustitiã. Et Isa. Super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manũ suã mittet. Priùs igitur ablactetur & separetur à lacte terrenæ voluptatis & vanitatis, & mittat manum suã bene operando, qui de corde cauernoso vult extrahere serpentẽ antiquũ prædicãdo. Propterea & Isa. ait: Formido & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ, nõ remouẽdo, scilicet, nauẽ à terra, formido Iudicis, laqueus iudicij fouea inferni. Formido Iudicis, sicut scriptũ est: Leo rugiet, quis nõ timebit? Laqueus iudicij, sicut scriptũ est: Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Fouea inferni, sicut scriptũ est: Incidit in foueã, quam fecit. Hi igitur quia in nocte laborãt, nihil capiunt, sed retibus vacuis labores in vanũ consumunt. De quibus specialiter intelligimus hoc, quod ait Petrus: Præceptor per totã noctẽ laborãtes, nihil cœpimus. Nocte enim nihil capiẽdo laborat, qui nullo bono exemplo proximos illuminat. Dies enim vita est iusti, à vero Sole illuminata. Nox vita peccatoris vitiis obscurata. Sicut enim lebes calidus excæcat vrsum, sic mũdi cupiditas excæcat corda terrenorũ. Non solũ autẽ de nocte prędicatorũ, sed & de nocte auditorũ intelliguntur verba prędicta. Nisũ enim Dominus illuminet corda auditoris interius, in vacuũ laborat sermo doctoris exterius. Nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborauerunt qui ædificãt eã. Non enim in sapiẽtia nostra, vel in eloquẽtia, sed in verbo & virtute Dei laxare debemus retia. Vnde & Petrus ait: In verbo tuo laxabo rete. Nisi enim verbo supernæ gratiæ laxẽtur retia prædicationis, frustrà prædicator vocis suæ iaculũ mittit. Quia fides populorũ nõ in sapiẽtia verbi cõpositi prouenit, sed munere diuinæ vocationis. Ideo enim Dominus simplices, illiteratos ad prędicandũ vocauit, vt fides in virtute Dei, nõ in eloquẽtia hominũ poneretur. In verbo tuo laxamus rete. Christus verbũ est. Ergo cùm in verbo Petrus laxat retia, in Christo vtiq; retia laxat eloquia. Per noctẽ autẽ laborans nihil cepit. Priùs enim erat sine Christo obscuritatẽ patiẽs. Nox enim præcessit, dies autẽ appropinquauit. Nox fuit vetus testamentũ. Vnde & luminare minus dicitur præesse nocti, id est, Moyses legi. Luminare maius diei, id est, Christus Euangelicæ claritati. Per noctẽ verò veteris testamẽti laborãdo, nullus ductus est ad vitam, quia lex sine gratia Euangelij neminẽ perduxit ad salutem. Laxantes igitur rete in verbo Christi, & de die, cõcluserunt piscium multitudinẽ copiosam. Multi enim ex vniuerso mundo vocati sunt ad

*De multitudine & copia pistium.* fidem. Sagena enim Domini ex omni genere piscium, bonos & malos congregauit. Pisces siquidem maris, sunt seculares: pisces fluminis, doctores: pisces sagenæ, claustrales. Hæc autem diuersorum piscium multitudo notatur in Canticis, vbi dicitur: Sexaginta sunt Reginæ & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Reginæ sunt prædicatores, se & alios regentes, & alij fideles decalogum perfectè obseruantes. Ex senario enim, qui numerus est perfectus, constans ex suis partibus, & denario, tanquam partibus multiplicatis consurgit sexagenarius. Sexies enim decem, faciunt saxaginta. Concubinæ autem dicuntur, qui sequuntur Deum, sed non propter Deum, sicut qui pro temporalibus prædicant, vnde non merentur diadema regni. Octogenarius autem numerus imperfectionem designat, sicut & octonarius, qui diminutus est numerus. Bis enim quatuor, vel quatuor duo, faciunt octonarium. Binarius autem & quaternarius constituit sex, & non perueniunt ad octonarium, sed diminuuntur ab ipso. Per concubinas etiam possunt intelligi carnales & imperfecti, qui tamen Deo adhærent sicut cõiugati. Adolescentulæ autem sunt animæ, quæ adhuc in fide rudes, & doctrina lactis egentes, per totum mundum in Christo sunt renatæ. Et quoniam multæ sunt, numerari ab homine non possunt. Soli enim Deo cognitus est talium numerus in superna beatitudine collocandus.

Adolescen-

Adolescentulæ autem dici possunt animæ vagę & indisciplinatæ, quę non annumerantur in libro vitæ. De hac autem rursum piscium multitudine & diuersitate dicitur tertio Regum, quod classis Salomonis ibat per mare in Tharsis deferens inde aurum, argentum, dentes elephantorum, simias & pauones. Per aurum designantur viri sancti virtutibus pretiosi, sapientia splendidi, charitate feruidi, igne tribulationum non consumpti, sed purgati. Per argentum designãtur electi in Ecclesia, conscientia puri, orationibus & prædicatione sonori, conuersatione sancta clari ad Deum, & lucidi ad proximum. Dentes elephantorum sunt illi, qui peccata sua & aliorum dente reprehensionis dilaniant, & in bona conuersatione solidi candorem castitatis interius & exterius habent. Per simias quæ actos humanos imitantur, sed bestialiter viuunt, designantur, qui se Christianos confitentur, sed operibus Deum negant. Pauo dum laudatur, pennas erigit. Hi sunt qui laudibus gloriantur, sed pennis eleuatis posteriorum turpitudo nudatur. Dum enim laudibus suis inaniter attolluntur, insipientię eorum turpitudo manifestatur. Quod autem subiungit Euangelista, scilicet: Rumpebatur rete, signare voluit, quod modò cum electis reprobi intrant, qui Dei Ecclesiam hæresibus scindere nituntur. Pisces tamen non elabuntur, quia Dominus suos seruat inter scandala persequentium, sicut scriptum est: Omne quod dedit mihi pater, non perdam ex eo quicquam. In Ecclesia circuncisionis rete rumpitur, dum Iudas proditor, Ananias & Saphira, & multi alij retrorsum abeunt. In Ecclesia gentium rumpitur rete & exit Iulianus apostata & alij, de quibus Ioannes ait: A nobis exierunt, sed non ex nobis erant. Et in Euangelio: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Rete autem prædicationis rumpitur ab illis, qui vinculis mandatorum Dei non possunt retineri. De quibus Ieremias ait: A seculo fregerunt iugum, ruperunt vincula. Qui autem post lapsum ad Ecclesiam reuertuntur, retę ruptum reparant & reficiunt. Reprobi autem absq; refectione illud rumpunt. Hęretici rumpunt & dissipant retia scripturarum, quantum in ipsis est peruerse exponendo. Hæc retia reparant & reficiunt sancti doctores, dum sacras scripturas exponunt & fraudes hæreticorum detegunt. Retia piscatores lauant, quando doctrinam suam subtiliter examinando ab omni falsitate & vanitate purgant. Retia siccant, qui carnalem intellectum à sanctis scripturis elimi nant. Retia plicant, qui intermisso prędicandi officio, quod alios docuerunt, ipsi implere satagunt. Retia enim modò laxantur, modò plicantur, quia tempus loquendi, & tempus tacendi. Non enim omni tempus congruum est doctrinæ, sed aliquando est prædicandum, aliquando sibi vacandum. Sequitur: Annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirẽt & adiuuarent eos. Plures siquidem inuenti sunt de gentibus, qui Apostolis in prædicatione adiutores extiterunt. Onus autem importabile aliis impartiri debemus, sicut Ietro Moysi dixit: Partito onus tuum in plures, & erit Dominus tecum. Nisi enim Petrus socios sibi coniunxisset, forsitan cum piscibus mergererur. Non igitur efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes, sed si quid reuelatum fuerit sedenti, prior taceat, sicut ad Corinthios apostolus ait: Et Moyses ait: Quis tribuat vt omnes prophetent. Et Iob ait: Quis mihi tribuat adiutorem. Vnde & Gregorius ait: Pia mens pastoris, quia non propriam gloriam, sed auctoris sui quærit, ab omnibus vult adiuuari, vt veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cæterorum sonent. Venerũt igitur & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur, id est, Ecclesias Iudæorum, & Gẽtium ex conuersis. Hæc impletio vsque ad finẽ seculi crescit, & tunc perficietur, quando ex omnibus membris suis adimplebitur. Nauicula igitur quæ succedit, Ecclesia est de gentibus, quæ electos ad salutem colligit, qui non intrant nisi rupto rete. Multi enim de Iudæis abeuntibus retrò, postmodum Paulo & Bernabæ apostolatus gentium committitur: licèt autem nauiculæ subuersione premantur, non tamen periclitantur. Ecclesia enim nunquam omnino mergitur, licèt mergi videatur prę multitudine hæreticorum, schismaticorum & falsorum fratrum. Quamuis enim variis persecutionibus concutiatur, mergi tamen non potest, quę est supra firmam petram fundata. Cõcussa enim cribratur sicut triticum & purgatur, & in tribulatione dilatatur. Vnde in Canticis de Ecclesia: Statura tua assimilata est palmæ. Statura Ecclesiæ est perseuerantia certaminis, quæ semper in melius proficit & in altum more palmę dilatatur & crescit. Et licèt exterius in cortice sancti asperitatem habeant tribulationum, more tamen palmæ fructum suauem faciunt in tribulationibus interius gaudentes, sicut scriptum est: Lætentur insulæ multæ. Insulis enim sancti comparantur, quæ fluctibus marinis concussæ immobiles permanent, & flores ac fontes dulcis aquæ in se non habent. Cùm igitur Simon Petrus hęc videret, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine, Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piscium. Æger medicum non debet fugere. Nemo enim de suæ culpæ conscientia tremens, vel de aliorum innocentia stupens, iter sanctitatis aggredi debet formidare. Petrus autem quasi ex mentis defectu & extasi hoc dixit, non studio malitiæ, sed humilitatis affectu. Admirabatur enim dona Dei diuina, & se reputabat indignum. Vnde & piam Domini consolationem audiuit, dicentis: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Confortandi enim sunt pusillanimes, & pœnitentes, ne magnitudinem peccatorum desperent. Aduertendum autem est, quod valde timendum est peccatori sancta tangere, circundare altare Christi, & ad Eucharistiam accedere. In hoc autem loco, secundum Gregorium, per Petrum, carnales in Ecclesia, per Christum spirituales rectores designantur. Carnales quidem plerunque spiritualibus rectoribus honorem

*Quod rete rũpitur & de reperatione retii.*

*De ablutione, fractatione, & plicatione retium.*

*Vocare debemus adiutores.*

*De nauiculárum impletione, & quòd nõ mergãtur.*

*Simile.*

*Simile.*

*Quod peccatores Christum repellere non debent, & quod cum timore debemus sancta tangere.*

exterius deferunt,& specie tenus humiliantur sub illis, sed tamen moribus,non voce contradicunt & nolunt ab illis gubernari,quorum vita & prædicatio contraria est ipsorum voluntati. Quidam enim procidunt ad genua prælatorum suorum,qui carnaliter viuentes spiritualium doctorum disciplinam imperium esse arbitrantur, & tamen dum iugum disciplinæ eis onerosum videtur,à suis ceruicibus excutere conantur. Cumq; peruerse viuant aliquando voce,non nunquam verò morum prauitate spirituales magistros,quibus nolētes subiecti sunt & à se recedere suadent, Christus tamē non recessit. Nō enim propter superbos deserendi sunt humiles, sed potius tolerandi sunt mali,& cum bonis corrigendi. Et licèt prædicatores aliquando vituperentur & turbentur,propter hoc non debent exire,homo tamen ex humilitate & sine peccato potest dicere: Exi à me,nō sum dignus vt intres in domū meā,sicut Moyses ait: Mitte quem missurus es,nō sum dignus vt eam ad Pharaonem. Et Ieremias: Puer ego sum & nescio loqui. Similiter ex desiderio & sine præsumptione homo potest dicere: Intra ad me. Vnde Isaias ex feruore ac zelo cùm diceret Dominus,quem mittā,ait: Ecce ego,mitte me. Nō enim fuit temeritatis quod se obtulerit,sed obedientiæ & feruoris. Cùm autem Dominus ait Petro: Ex hoc iam eris homines capiens,nondum in Apostolatum elegit eum, sed prædicitur quod aliquādo sit eligendus. Post hoc enim ad propria redeuntes suorum curam gesserunt. Vnde etiā dicitur: Quod naues ad terram subduxerunt,quia adhuc voluntatem habebant redeundi. Postmodum verò à Christo vocati,vt Matthæus & Marcus commemorant,relictis nauibus & retibus,secuti sunt eū,vt vlterius ad propria nō redirent,mutantes retia in doctrinam,& acquisitionem temporalium in amorem animarum. Tunc enim non subductis ad terram nauibus tanquā causa redeundi,sed tanquā vocantē & iubētem secuti sunt. Triplex autē legitur vocatio Apostolorum. Prima iuxta Iordanem,de qua loquitur Ioannes, quando quærentibus Rabbi vbi habitas,responsum est à Christo: Venite & videte. Et post hæc Andręas adduxit Petrū ad Iesum. Nōdum tamen facti sunt discipuli,nec ei inseparabiliter adhæserunt,sed cognito quis esset cum admiratione ad propria redierunt. Secunda fuit vocatio quam commemorat in hodierno Euangelio Lucas,vbi simul cū Petro vocati sunt Iacobus & Ioannes,& secuti sunt Christum. Tertia fuit vocatio,quando teste Matthęo & Marco primum Petrum & Andręam,& post pusillum procedens; vocauit Iacobum & Ioannē. Tunc enim relictis omnibus,secuti sunt eum, & facti sunt eius discipuli sine spe ad propria redeundi. In qua & plus pensatur affectus quā effectus,& obedientia festinata & deuota in Apostolis cōmendatur. Et nos fratres relinquamus retia araneārum,quibus muscas temporalium capiunt homines seculares more araneæ seipsos euiscerantes. Qui retia sua reficiunt, dum nouos acquirendi modos reperiunt. Retia extendunt dum apertè per rapinas & violentias aliena auferunt. Retia plicant,dum per fraudes & furta sibi pecunias congregant. Retia lauāt,dū de fraude & vsura se excusant. Licèt autē retia eorū quādiu in aqua sunt,plena videantur,in morte ab aquis extracta,vacua apparebunt, quia homo cùm interierit, non sumet omnia,neq; descendet cū eo gloria domus eius. Caueamus nobis à piscatore infernali, qui ad decipiendas animas hamum mortalis peccati sub verme æternalis voluptatis abscondit. De quo Iob ait: Dulcedo eorum vermis. Quia verme carnalis immunditię delectantur. Et Abacuc de hoc piscatore ait: Totum in hamo suo subleuabit. Escam enim voluptatis ostendit,sed latet aculeus peccati. Et licèt à quibusdam deprehendatur,tamen propter voluptatis anxietatē vilipenditur, sicut alicubi caupones nolunt vendere bonū vinū,nisi ematur pariter & corruptū. Non solùm autē hamū habet piscator iste maledictus,sed & rete & sagenā: de quibus Abacuc subiungit: Traxit illud in sagena sua,& cōgregauit in rete suū. Expandit sagenā suā,& semper interficere Gentes nō cessat. Rete multiplici macula plenū, concupiscentiā significat oculorū. Hæc est autē auaritia,quæ multas habet astutias acquirendi. Sagena quæ longè amplior est,& tam magnos quàm paruos pisces retinet,signat luxuriam,quæ omnes tam diuites quàm pauperes illaqueat & capit. Vel sagena secūdum Hieronymum est sermo affabilis, blandum alloquium,simulata ieiunia, vestis humilis,virtutū imitatio,quæ omnia ad hypocritas pertinere noscuntur. Vigilemus igitur cōtra retiacula inimici, frustrà enim iacitur rete ante oculos pennatorum. Econtra *qui nimis est tutus, retia iure subit.* Simus igitur oculati per prudentiam,& pennati per charitatem & contemplationem, vt eleuemur in altum per sanctæ conuersationis eminentiam. In mari enim nauigant qui fluxis voluptatibus carnis inuoluuntur. In terra ambulant,qui terrenis bonis prosperantur. In aëre volant,qui sursum corda leuantes,cœlestibus delectantur. In Apocalypsi autem dicitur, quod Angelus pedem suum dextrum super mare posuit,& siniſtrum super terram,& leuauit manum suam ad cœlum. Per primum pedem calcat carnis voluptatem,per secundū mundi vanitatem. Per manum leuantem sursum trahit ascendentem & volantem Angelus magni consilij Dominus noster Iesus Christus. Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Nota.*

*Ier.1.*
*Isaiæ.6.*

*De triplici Apostolorum vocatione.*

*Breuis recapitulatio & moralis expositio prædictorum.*

*De retibus & sagina diaboli.*

*Simile.*

*Versus.*

## DOMINICA SEXTA THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE.

*Psal.27.* *Dominus fortitudo plebis suæ: & protector saluationum Christi sui est. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vsq; in seculum.* FIGAM

FIGAM illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domus patris sui. Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris eius vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vasis craterarum, vsque ad omne vas musicorum. In his verbis ostendit Isaias: quomodo Christus sit plebis suæ fortitudo sustentans & supportans fideles in Ecclesia. Ipse enim fixus est & firmiter constitutus à Deo patre tanquam paxillus in loco fideli, id est, in Ecclesia sua, & est solium gloriosum & sublime cui fideles innituntur, & in eo suspenduntur, vt sustententur ab illo, quos appellat gloriam domus patris, quia sancti sunt gloria Ecclesiæ, quibus Ecclesia gloriatur. Sunt etiam gloria Dei, sicut in Ecclesiaste dicitur: Gloria Regis populus eius. Suspenduntur igitur super paxillum istum vasorum genera diuersa, id est, fidelis secundum diuersos gradus diuersa habentes officia. Omne vas paruulum, id est, sancti, humiles & parui in oculis suis, vel laici, simplices in Ecclesia dicuntur. Vasa autem craterarum sunt clerici, alios inebriantes, vasa musica contemplatiui, & religiosi qui concorditer Domino seruiunt, & in eius contemplatione delectantur. Patet igitur quomodo fortitudo fideliũ est Christus. Fortes enim in illo sumus & debiles in nobis. Vnde Ioël ait: Infirmus dicat quia fortis sum. Infirmus, scilicet, in se dicat fortis sum in Deo, sicut scriptum est: Fortitudinem meam ad te custodiam, illam, scilicet, ad te referendo. Aliter non est nobis virtus vel fortitudo, vnde in Numeris dicitur: Robustum est habitaculum tuum, si in petra posueris nidum tuum, id est, in Christo, vt sit fundata domus cordis tui, & conuersationis supra firmam petram. Mundus autem fragilis est & infirmus, & qui illi innititur, necesse est vt labatur. Vnde Isaias ait: Ecce confidis super baculum arundineum confractũ istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, perforabit manum eius. Per Ægytum mũdus iste tenebrosus designatur. De quo Isaias: Ægyptus frustrà & vanè auxiliabitur, qui more arundinis vento vanitatis exagitatur exterius perspicuus, interius inanis & vacuus in pallude vitiorum situs, confractus variis miseriis & tribulationibus. Licèt autem altus sit iste baculus & fortis videatur, est tamen fragilis & de facili frangitur, & manum innitentis perforando vulnerans inficit & cruentat sanguine peccatorum. Talis est mundanæ gloriæ fragilis & labilis altitudo. De qua Iob ait: Eleuasti me & quasi super ventum ponens elisisti me. Seculares enim & vani homines tolluntur in altũ, vt lapsu grauiore ruant. Ascendũt vsq; in cœlũ, descendũt in abyssum. Deiecisti eos dũ alleuarentur. Propterea Psal. ait: Fortitudo mea & laus mea Dominus, id est, laudis materia. Fragilis est mundus iste, fragilis est homo sine Deo spiritus vadẽs & nõ rediẽs per se corruens, sed per se non resurgẽs. Vnde Amos: Domus Israël cecidit, non adiiciet vt resurgat. Propterea Ierem. ait: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachium suum. Nam fragiles sunt res humanæ, quia tanquã fœmur velociter arescent, quemadmodũ olera herbarũ citò decidẽt. Vnde scriptũ est: Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Et Iob ait: Si putaui aurum robur meum & obrizo dixi fiducia mea es. Fragilis est domus corporis nostri & ruinosa tanquam paries inclinatus & maceries depulsa. Vnde Iob ait: Innitetur super domũ suam & non stabit, fulciet eam, & nõ consurget. Et Amos: Qui innititur manu sua super parietem, mordebit eum coluber, id est, diabolus, coluber tortuosus. In pariete enim corporis, vel in iuuentute vel in sanitate nõ est confidendũ, sed in solo Domino, qui solus est fortitudo plebis suæ. Vnde Isaias de Ecclesia: Vocabuntur in ea fortes iustitiæ. fortes iustitiæ dicit, quia est fortitudo iustitiæ. Est enim fortitudo gratiæ, & est fortitudo culpæ. Est fortitudo bona, & est fortitudo mala, est debilitas bona & est debilitas mala. Bona est fortitudo, de qua dicit Apostolus: Omnia possum in eo qui me confortat. Et Psalmus: Ego confirmaui columnas eius, id est, Apostolos. Et iterum: Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur, id est, Ecclesiam de vniuerso mundo collectam. Posuit enim Dominus luminaria in firmamento cœli, dum sanctis suis tribuit fortitudinem & confirmat in bono. Bona est fortitudo, de qua Dominus ad Ezechielem ait: Vt Adamantem & silicem posui faciem tuam, vt scilicet, non erubescas, neque timeas à facie impiorum. Et ad Ieremiam Dominus ait: Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream & in murum æreum. Hæc est fortitudo sanctorum Prælatorum, qui sunt ciuitas munita recipiendo fugientes ad ipsos, & muniti contra inimicos. Sunt columna ferrea alios fortiter supportando, sunt muri ænei alios defendendo. Sonori alios docẽdo & increpando. Durabiles velut æs in bono perseuerando. Propterea idem Ieremias ait: Dominus mecum est tanquã bellator fortis, idcirco qui persequuntur me, cadent & infirmi erunt, & confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Hic enim non aduertunt, sed in iudicio audient & erubescent, & confundentur in æternum. Dominus mecum est: Vnde Ecclesiastes: Melius est duos esse simul quã vnum. Habent enim emolumentum societatis suæ, si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Vę soli, quia si ceciderit, non habet subleuantẽ. Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefiet? Et si quisque præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficilè soluitur. Melius est duos esse simul quàm vnum, id est, Christum & hominem, quã hominem solum. Erigit enim Christus sui participem, cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Væ igitur soli, id est, homini sine Deo. Nisi autem Christus in morte dormierit nobiscum, & requieuerit, calorem vitæ æternæ non valemus habere. Si autem dormierit homo in morte, & Christum secum habuerit, calefactus & viuificatus citius reuiuiscit. Et quoniã pater & spiritus sanctus

*Isaiæ 22.*

*Dominus sustinet & supportat populum suum.*

*Ioël 3.*

*Num. 24.*

*De fragilitate mundi. Isa 30. Simile.*

*De fragilitate hominis. Amos 4. Ierem. 17.*

*Simile.*

*Amos. 5.*

*De bona fortitudine.*

*Ezech. 2.*

*Ierem. 1.*

*Ierem. 20.*

ſanctus cum Chriſto adueniunt, vix poterit ſeparari, quia funiculus triplex difficilè rumpitur. Bona fortitudo eſt de qua Iſaias dicit: Factus eſt Dominus fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. A turbine, id eſt, à diaboli tentatione, ab æſtu, id eſt, ab incendio carnalis concupiſcentiæ. De mala autem fortitudine Ieremias ait: Factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo diſſimilis. Veræ enim fortitudini diſſimilis fortitudo mala. De qua Iſaias ait: Superbia eſt plus quàm fortitudo eius. Tales ſunt arrogantes, & præſumptuoſi, qui vires ſuas non attendunt, & plus aggrediuntur quàm poſſunt. Quibus dicitur: Hic eſt homo, qui cœpit ædificare, & non potuit cõſummare. Et per Iſaiam Dominus ait: Quieſcere faciam ſuperbiam infidelium & arrogantiam fortium humiliabo. Et iterum Iſaias ait: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, vt, ſcilicet, tanta fortitudine ſæculum fugiant, quanta quæſierant. Reprobi enim fortitudinem habent aſininam. Aſinus enim fortis eſt in poſterioribus, & debilis antè vbi crucem portat. Et mali homines in operibus crucis & pœnitentiæ ſunt debiles. In renibus autem per immunditiam ſunt fortes, & in poſterioribus, id eſt, in terrenis. De quibus Iſaias ait: Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinũ, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. De hac autem mala fortitudine beatus Iob ait: Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea. Teſte autem beato Gregorio: Alia eſt fortitudo bonorum, alia malorum. Quia illorum eſt carnis & ſeculi blanda vincere, mala pro æternis tollerare. Horum eſt præſentia ſemper amare, contra flagella Dei inſenſibiliter durare. Iniquus pro mundo mala & pericula ſuſtinet. Iuſtus autem conſpiciens breuitatem huius vitæ pro ea quam non amat, pati recuſat, ac ſi dicat: Mala pro mundo tollerare nequeo, quia nõ ſum fortis in eius deſiderio. Lapides percuſſi clarum ſonum non reddunt, quod facit æs. Sed quia vt lapis vita careret, ſenſum in ſonitu non habet. Sic aliqui ita duri ſunt, quod percuſſi ſonitum humilis confeſſionis non reddunt. Alij reddunt non ex corde, quia bona quæ loquuntur, non ſentiunt. Dum enim quæ dicunt, non implent, quaſi ſine vita clamant. Sed Iob non ita induruit vt percuſſus à confeſſione fileat, nec vocis ſenſum ignorat. Fortes igitur ſunt velut lapis & æs, qui in malitia ita ſunt obdurati, & in peccatis obſtinati, quòd ad flagella Dei inſenſibiles reddũtur. De quibus per Ieremiam Dominus ait: Percuſſi eos & non doluerunt. Et Pſal. Diſſipati ſunt, nec compũcti. Et in Iob de Behemoth dicitur: Oſſa eius velut fiſtulæ æris. Diabolus habet oſſa & carnes. Oſſa eius ſunt fortiores inter reprobos, in quibus dum iniquitas vehemẽter indurui, per eos tota corporis compago ſubſiſtit. Æris autem fiſtulis comparantur, quia more metalli inſenſibilis ſonum bene loquendi habent, ſed ſenſum bene viuendi non habent. Sunt autem bona oſſa, de quibus idem Iob ait: Nocte os meum perforatur doloribus. Oſſa enim dicuntur ſancti, qui fortes ſunt & carnales ſuſtinent & ſupportant. Qui nocte tribulationis comparendo infirmis perforantur terebra timoris, dum metuunt ne pro ſuis affligantur peccatis. De quibus oſſibus iterum Iob ait: Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate. Cuti infirmi in Eccleſia. Oſſa fortes in quibus compago corporis ſubſiſtit. Cute denigrata oſſa præ caumate areſcunt, quia dum infirmi ad iniquitatem profiliunt & contra Eccleſiam ſeuiunt, fortes qui in ea ſunt zelo fidei cruciantur. Sicut autem duplex eſt fortitudo gratiæ, ſilicet, & culpæ, ita duplex eſt debilitas bona, ſcilicet, & mala. Boni enim ſunt debiles ad malum. Vnde & languere dicuntur ab amore & appetitu terrenorũ, ſicut in Canticis ſponſa ait: Quia amore langueo. Vnde & Iob in perſona Domini ait: Pelli meæ conſumptis carnibus adhęſit os meum. Per os Chriſtus propter fortitudinem, per carnem quæ oſſibus abhæret, diſcipuli, per pellem fœminæ fragiles, quæ ei exterius miniſtrabant, deſignantur. Eſt ergo ſenſus: Hi qui meę fortitudini propinquius inhęrere debuerant, tẽpore paſſionis meæ conſumpti ſunt, & eas quas ad exteriora officia tanquam debiliores poſui, tunc ſine timore mihi inhærere fideliter inueni. Infirma autem mundi elegit Deus. Qui, ſcilicet, infirmi ſunt, & ſe infirmos & debiles cognoſcunt. De quibus in Iob dicitur: Ferrum de terra tollitur, infirmus, ſcilicet, prius & deſpectus per terrena negotia, poſtmodum fortis fit ad virtutum opera. Per ferrum enim in hoc loco bona fortitudo intelligitur. Similiter aliquando per æs conſtantes & fortes in bono deſignantur. Vnde idem Iob de Behemoth ait: Reputabit vt paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Ferrum acuitur vt aduerſarius vulneretur. Æs penè nulla rubigine corrumpitur. Per ferrũ igitur fortis prædicationis iaculum, per æs longanimitatis conſtantia deſignatur. Behemoth autem niſi diuina gratia protegat & prædicantium vires velut paleas nequitiæ ſuæ igne cõſumit, & patientium conſtantiam quaſi lignum putridum in puluerem redigit. De bona autem debilitate Pſalmus ait: A fortitudine manus tuæ ego defeci. Dum enim Dei fortitudinem attendit, defectum ſuum & debilitatem auertit. Qui enim ſeruiunt illi, non ſunt ſtabiles, ſicut dicitur in Iob: & in Angelis ſuis reperit prauitatem, quantò magis hi qui habitant domos luteas & terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea. Bona igitur eſt ſanctorum debilitas, qui de ſuis viribus non præſumunt, ſed parua & humilia de ſe ſentiunt. Hæc eſt debilitas gratiæ, quæ contrariatur debilitati culpæ. De qua Naum ait: Ecce populus tuus mulieres in medio tui, id eſt, molles & effœminati. Peccata enim reddunt hominem debilem. Vnde idem Naum ait: Cor tabeſcens & diſſolutio geniculorum & defectio in cunctis renibus & facies ſicut nigredo ollæ. Cor tabeſcit per auaritiam, diſſoluuntur genua per puſillanimitatem, deficiunt renes per luxuriam. Nigredo ollæ dicitur propter exemplum malum. Et Iſaias de Moab ait: In

*De mala fortitudine.*

*Iſaiæ 40.*

*Simile.*

*Simile. De oſſibus & cute.*

*De bona debilitate.*

*De mala debilitate.*

cunctis

cunctis capitibus eius caluicium & omnis barba radetur. Amittitur enim per peccatum barba fortitudinis & defluunt bonarum cogitationum capilli. De Sampsone autem legimus, quod septem crinibus amissis, id est, septem donis spiritus sancti, amisit fortitudinem & factus est debilis atque cæcus & ad molam positus. De hac iterum mala debilitate dicit Isaias: Et erit Ægyptus quasi mulieres, id est, infirmi, molles, & debiles. Has autem mulieres facit Pharao reseruare masculis interfectis. Quantò autem homo debilior est & infirmior in oculis suis, tantò fortior est in oculis Domini. Vnde Apostolus: Cùm infirmor, tunc potens sum. Cùm, scilicet, infirmor in me, potens sum in Domino. Vnde Isaias: Erit Dominus fortitudo reuertentibus de prœlio ad portam. Postquam enim tentationes vicimus, victoriam nostram Domino attribuere debemus, & ad ipsum nostram referre fortitudinem, & gratias referendo ad portam redire, cuius ostium Christus est, & postea crux Christi, cuius virtute triumphamus. Vnde cùm Ioab expugnasset ciuitatem Rabath, misit nuncios ad Dauid, dicens: Obside ciuitatem & cape eam, ne cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria. Ecõtra quantò homo fortior est in oculis suis & confidit in virtute sua, tantò debilior est in oculis Domini, & diu subsistere non potest, sicut scriptum est: In miseriis non subsistent. Et in Prouerbiis Salomon ait: Domos superborum demolietur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ, id est, Ecclesiæ. Et in Ecclesiastico dicitur: Ne te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua. Arrogãtes enim & superbi, qui dicũt in cordibus suis, manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia, citò eliduntur & cadunt. Vnde Ieremias ait: Pro eo quod habuisti fiduciã in munitionibus tuis, tu quoque capieris. Et Naum ait: Omnes munitiones tuæ, quasi ficus cum grossis suis si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. Qui enim in munitione fortitudinis suæ confidunt, concussi vento tentationis, & aduersitate impulsi, de facili cadent: sicut ficus concussa citò cadit fructus eius in os comedentis, id est, diaboli, qui pascitur & delectatur ruina nostra. Ipse enim comedere dicitur, sicut scriptum est in libro Iudicum: De comedente exiuit dulcedo. Quod fit cum Dominus de dentibus eius prædam extraxit, vel cum de limbo inferni sanctos reduxit. Ficus autem dicitur præsumptio eorum, qui sibi placent & se fortes esse putant habentes folia iactantiæ & leuitatis & fructus vanitatis & elationis. Et Isaias ait: Væ filij desertores vt faceretis consiliũ, & non ex me. Et paulò pòst: Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, habẽtes fiduciam in vmbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem. Considere igitur debemus in Deo, non in homine & fortitudinem nostram ad ipsum referre, quia Dominus est fortitudo plebis suę. Vnde Psalmus ait: Dominus firmamentum meum. Diuidens, scilicet, more firmamenti aquas superiores, id est, gratias spiritualis ab inferioribus aquis, scilicet, carnalibus desideriis, ne sensualitas spiritui dominetur, splendidus in se & illuminans me, & tanquam stella in firmamento fixam, in bono confirmans. Dominus fortitudo plebis suæ, dicens athletis suis: Pugna, iuuabo te, vince, coronabo te. Dominus fortitudo plebis suæ, liberans Danielem de lacu leonum, & plebem suam de lacu præsentis miseriæ & exilij, vt à septem leonibus septem criminalium vitiorum non lędatur. Et quia Dominus fortitudo plebis suę, super aspidem & basiliscum ambulabit, & conculcabit leonem & draconem. Per aspidem quæ blanda est facie, sed aculeum habet in cauda, designatur voluptas carnis. Per basiliscum, qui solo visu peremit, inuidia, quæ occidit inuidum inspecta fœlicitate aliena. Leo significat subtilitatis amorem. Draco qui feruẽtis est naturæ, indignationem & iram. Dominus fortitudo plebis suæ. Hic est ille Banaias, qui ędificator domus interpretatur. De quo dicitur in libro Regum, quod descendit in cisternam, id est, in lacum huius mundi, & leonem id est, diabolum interfecit. Vnde per Amos Prophetam Dominus ait: Ego exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo est, vt altitudo cedrorũ, & fortis ipse quasi quercus, & ascẽdere vos feci de terra Ægypti vt possideretis terram Amorrhæi. Ab illa enim cecidit Amorrhæus per superbiam, id est, diabolus. Amorrhæus enim amaricãs interpretatur. Vnde Abacuc: Væ qui potum dat amico mittens fel suum, & inebrians vt aspiciat nuditatem eius. Diabolus enim in præsenti propinat fel culpæ, vt videat nuditatem hominis vestimẽtis virtutum spoliati. Hunc igitur Dominus procul exterminat ab anima, cuius altitudo, id est, superbia cedro cõparatur. Per quercum autem quæ fructum porcorum producit, luxuriosi intelliguntur. Per fortitudinem ergo quercus fortitudo luxurię intelligitur, quia virtus eius in lumbis eius. Dominus fortitudo plebis suæ. Vnde in Apocalypsi dicitur, quod gladius est in ore eius, quia nulla est distantia inter eius verbum & verbi effectum. Dominus fortitudo plebis suæ. Vnde in Zacharia Dominus ait: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, supple, habetur victoria. Hoc bene in Gedeone & in Machabęis apparuit. Et Dauid ad Goliam ait: Ego ad te venio in nomine Domini. Et paulò pòst ait: Vt sciat omnis terra, & nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia nõ in gladio, nec in hasta saluat Dominus. Ipsius enim est bellum. Vnde Osee: Ego quasi leæna Effraim, & quasi catulus leonis domui Iudæ: ego capiam & vadam: & tollam, & non est qui eruat, quasi dicat: Ego fortis velut leo, & resurgens die tertia more catuli leonis. Et liberabo populum meum de manu diaboli & capiam prædam in cruce, sicut scriptum est: Ad prędam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo. Dominus fortitudo plebis suæ, & protector saluationum Christi sui est, id est, illos quos Christus ad salutem elegit. In pugna protegit, ne lædamur vel supplantemur ab inimicis, protector ab æstu & ab ictu. Ab æstu tentationum,

*Quanto homo se debiliorem reputat, tantò fortior est in Deo & econtrario.*

*Prouer. 15.*

*Eccle. 6.*

*Ierem. 48. Naum. 3.*

*Simile.*

*Isaiæ 30.*

*De fortitudine quam Dominus cõfert plebi suæ.*

*Amos 2.*

*Zach. 4.*

*Osee 5.*

*Gen. 49. De protectione diuina.*

*De columna nubis. Eccle. 24.*

tionum, & ab ictu persecutionum. Ipse est columna nubis protegés, & obumbratis filios Israël contra æstum vitiorum, & illuminans in nocte huius tenebrosæ vitæ. Obscura autem fuit ex parte Ægyptiorum, qui filium Dei per fidem non cognoscunt. De hac columna nubis in Ecclesiastico dicitur: Thronus meus in columna nubis. Thronus Christi humanitas, quæ sedes est sapientiæ incarnatæ. Columna autem dicitur Christus incarnatus, rectus & firmus & fortitudo Ecclesiæ suæ, cui innititur, ascendens & innexa super dilectum suum. Vnde ipse per Isaiam ait: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Caro Christi dicitur nubes obscurata pœnalitate, leuis absque pondere culpæ, temperás ardorem per refrigerium gratiæ. Protector saluationum Christi sui est. Vnde Apost. Si Deus

*Isaiæ 59.*

pro nobis, quis contra nos. Et Isaias: Indutus est vt lorica iustitia & galea in capite eius, vt, scilicet, nos in bello contra diabolum defendat. Iustitia enim de diabolo triumphauit. Diabolo enim extendente manum in eum, in quo nihil iuris habebat, amisit hominem in quo aliquid iuris habere videbatur. Caput autem diuinitatis eius sub galea humanitatis latuit. Non enim fortitudinem suam ostendit, sed abscondit. Sic igitur victus est superbus ille, qui de suis viribus

*4. Reg. 19.*

præsumens, neminem metuebat, qui dicebat, sicut dicitur in quarto Regum: In multitudine curruum meorum excelsa montium ascendi in summitate Libani, & succidi cedros eius & abietes electas, & egressus sum vsque ad terminos eius, & saltum carmeli eius succidi. Diabolus plu

*Diabolus plurimos habet currus.*

rimos habet currus, scilicet, superbiæ, luxuriæ, & auaritiæ. In curru superbiæ ascendit montem Libani, qui interpretatur candidatio, & signat vitæ munditiam. Mons virtutum eminentiam. Cedrus bonorum operum fragrantiam. Abies procera, intentionem sursum rectam, quę omnia in curru elationis & superbię diabolus in multis vastauit, & hastam conuersatione dejecit. In curru autem auaritiæ ferebatur vsque ad vltimum terræ. Vnde Ieremias: A maiore vsque ad minorem omnes studet auaritiæ. In curru autem luxuriæ saltum Libani, velut Deus nemus infructuosum succidit, homines, scilicet, luxuriosos pinguedine abundantiæ temporalis. Carmelus siquidem mons pinguis est & fertilis habés arborũ multitudinem. Necesse est igitur nobis, vt contra tantũ aduersariũ protegat Dominus plebem suam, & saluã faciat à malis liberãdo,

*De benedictione & hæreditate.*

& benedicat virtutibus & numero multiplicando. Vnde & Psalmus in hodierno officio subiungit: Saluum fac populũ tuum Domine, & benedic hæreditati terræ. Saluum fac in præsenti salute gratiæ, in futuro salute gloriæ. Vnde & Abacuc ait: Egressus es in salutem populi tui. Et Salomon: Legatus fidelis sanitas, benedic hæreditati tuæ, vt in rore cœli per contemplatiuam & pinguedinem terræ, per actiuam sit benedictio nostra. Sicut scriptum est: Benedictionem dabit legislator. Et iterum: Præueneristi eum in benedictionibus dulcedinis. Hæreditas autem Domini dicitur Ecclesia, quam possidet excolendo quæ fructificat illi, & ab illa pascitur, dum bonis eius operibus delectatur. Vnde in Psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Sed etiam Dominus dicitur hæreditas electorum suorum, sicut scriptum est: Dominus pars hęreditatis meæ. Quod specialiter dicitur in persona clericorum. Vnde Hieronymus: Clericus qui habet partem in terra, non habebit partem in cœlis. Terra enim viuentium dicitur hæreditas sanctorum, quam firmiter possident in æternum, sicut infernus dicitur hæreditas reproborum, iuxta illud: Possidebit agrum de mercede iniquitatis, id est, infernum & pœnam æternam firmiter in perpetuum. Sequitur: Et rege eos, & extolle illos vsque in sæculum. Rege, ne errent in credendis, ne deuient in agendis, ne pereant in vitiis, sicut scriptum est: Disperient in Endor, id est, in igne generationis, igne, scilicet, luxuriæ, qui generat ignem gehennæ. Vnde & Psalmus: Iter impiorum peribit. Extolle illos vt in arduis more aquilæ ponant nidum conuersationis suæ, & eorum conuersatio sit in cœlis. Extolle à terrenis vt leuent puras manus in oratione, & dicere possint cum Propheta. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sic enim Christus socrum Petri eleuauit, & dimisit eam febris, & mulierem quæ decem & octo annis inclinata fuerat, erexit. Et ipse Paralitico ait: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Surgere est animam suam à carnalibus desideriis abstrahere. Lectum tollere est carnem à terrenis desideriis ad voluntatem spiritus attollere. Domum ire, ad Paradisum pergere, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet homo, redire. Vnde in Numeris ad Moysen Dominus ait: Ascende ad montem Abarim, & contemplare terram, quam daturus sum filiis Israël. Moyses non in valle moritur, sed in monte Abarim, qui interpretatur mons transeuntium eorum, scilicet, qui non habent hîc certam mansionem, sed futuram inquirunt, & in eminentia virtutum & perfectionis egrediuntur ab hac vita. Regit autem illos & extollit vsque in sæculum, scilicet per totum istud sæculum, vsque in finem Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA DE EPISTOLA ad Romanos. 6.

*Rom. 6.*

*Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?*

ADDV-

ADDVCAM vos in terram vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis. Verba sunt Domini per Ezechielem, quibus manifestè virtus baptismi ostenditur. Baptizati enim à Babylon in Hierusalem, à terra aliena ad terram viuentium quæ est Ecclesia Dei, reducuntur. Vnde in Baruch ad peccatores dicitur: Quid est Israël quod in terra inimicorum es, inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum? Aliena terra est regio longinqua, id est, obliuio Dei. In terra aliena homo inueterascit, quando peccatum in consuetudinem venit. Cum mortuis coinquinatur, dum immundis operibus delectatur, vel quando alienæ iniquitati cõsentit. Cum descendentibus in infernum deputatur, quando magnitudine peccati in desperatione ducitur. Cùm igitur omnes nascantur filij iræ, & in terra aliena elongati, sed à Deo alienati, & sicut canes nascuntur cęci, ita omnes filij Adam tenebris originalis peccati inuoluti. Per baptismi virtutem reducuntur ad terram suam, & mundantur ab omnibus inquinamentis peccatorum, Vnde Isaias: Ipse asperget gentes multas. Quod non solum de sanguinis aspersione, sed de baptismi emundatione potest intelligi. Et Zacharias ait: In die illa erit fons patiẽs domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionẽ peccatoris & menstruatæ. Menstruatam vocat, quæ ex se polluitur, peccatorem qui per alium. Delet enim baptismus tam peccatum quod voluntate propria committitur, quàm illud quod per aliorum suggestionem contrahitur. Non solum autem peccata dimittuntur, sed gratia infunditur, & vetustate deposita homo innouatur, & dat ei Dominus cor nouum, & spiritum rectum innouat in eius visceribus. Aufert cordis lapidei insensibilitatem & duritiam, & dat cor carneum, affectuosum & molle per deuotionem, compassionem & obedientiam. Baptismus autem ex virtute passionis, & mortis Christi proprium sortitur effectum. Vnde Apostolus in principio hodiernæ Epistolæ ait: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, quia mors eius causa est nostræ emundationis, quæ fit in baptismo. Vnde etiam baptismus dicitur fons signatus, quia sine signo & virtute crucis, & fide passionis non prodest baptismus. Signatur insuper charactere totius trinitatis, quia fit baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In Christo Iesu baptizati sumus: quia ipse solus est qui baptizat & emundat gratiam infundendo. De monte Libani Iordanis oritur, & de Christo baptismus, qui sibi soli baptismi reseruabit potestatem, sicut per Isaiam ait: Gloriam meam alteri non dabo. Vnde in Euangelio: Laua in Natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Hic est Christus qui de se ait: Ego veni vt faciam opera eius qui me misit. In hoc enim solo est peccatorum ablutio, sicut Michæas ait: Deponet omnes iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Hoc enim solus Christus operatur in baptismo. Per profundum maris, in quo submersis Ægyptiis liberantur Israëlitæ voluit baptismum intelligere. Vnde idem Michæas in persona Domini ait: Secundum diem egressionis, de terra Aegypti ostendam illi mirabilia. Baptizati etiam sumus in Christo Iesu & in morte ipsius, id est, in similitudine mortis Christi, vt sicut Christus mortuus est semel, mortui peccato par baptismum semper viuamus in bono. Vnde Apostolus in fine præsentis Epistolæ ait: Quod enim mortuus est peccato, id est, pro peccato tollendo, mortuus est semel. Ad hoc enim vna mors sufficit, quod autem viuit, viuit Deo, id est, ad honorem & similitudinem Dei patris, quia vita eius nullam inquietudinem recipit. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, id est, ad honorem Dei, quasi dicat: Sicut mortuus est semel, ita peccatum semel in vobis moriatur, vt non oporteat iterari, vt sicut Christus semper viuit, ita & vos semper virtutibus viuatis. Non solum autem in similitudinem mortis Christi baptizati sumus in Christo, sed insuper crucifigi, sepeliri & resurgere ad Christi similitudinem debemus, quæ omnia in baptismo designantur. Accedimus contriti vt crucifigamur, immergimur vt sepeliamur, eleuamur ab aqua vt resurgamus. Vnde Apostolus in hodierna Epistola, de baptismo & morte ac sepultura, atque resurrectione spirituali nos instruit spiritualiter & paucis verbis. Et nos diffusius eius verba exponendo, de his prosequamur. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Cùm enim multiplex sit baptismus, scilicet, præfigurationis, fluminis, flaminis, fragminis, seu sanguinis pœnitentiæ, doctrinæ, eleëmosynæ, lachrymarum, & charitatis, nullus omnino baptismus prodest ad salutẽ sine virtute mortis & fide passionis Christi. Baptismus præfigurationis, de quo Apostolus ait: Patres nostri omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Et nos in vero Moyse, id est, in Christo Iesu in nube refrigerij & in mari rubro, id est, in baptismo aquæ Christi sanguine rubricato baptizati sumus & mundati. In baptismo enim peccata dimittuntur, quod per Pharaonis & exercitus eius submersionem designatur. Fomes debilitatur quod per refrigerium nubis in æstu diei denotatur. Gratia infunditur, quod per nubis illuminationem signatur. Vnde tam Ezechieli quàm Daniëli iuxta flumina reuelata sunt arcana diuina. Baptizati enim illuminantur, & eis secreta apariuntur diuina. Similiter præfiguratus est baptismus in aquis diluuij, in quo pauci euaserunt & multi perierunt. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Per hoc autem quod pluit super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ostenditur

*Ezech.36 De multiplici ablutione & emundatione.*

*Simile.*

*Zach.13.*

*De multiplici effectu baptismi.*

*Baptismus effectum sortitur ex morte Christi.*

*Quod Christus solus baptizat. Isaiæ 48. Ioan.3.*

*Mich.7. Baptismus morti Christi assimilatur.*

*Nota. In baptismo designatur crucifixio sepultura & resurrectio.*

*De multiplici baptismo.*

*De baptismo præfiguratiuo.*

vniuersi

vniuersi reatus purgatio, vt quicquid peccatur contra decalogum in quatuor mundi partibus in diluuio baptismi intelligatur purgari. Aquæ autem diluuij omnes montes excelsos excesserunt, quia mundanæ dignitatis celsitudinem excedunt & superant, qui baptismi gratiam conseruant. Præfiguratus est etiam baptismus in curatione Naaman à lepra, qui septies in Iordane lotus, & ita purgatus lætus recessit, qui prius indignabatur & ablui recusabat. Et potentes huius seculi prius baptismum irridebant & contemnebant, qui postmodum conuersi sunt ad Deum, & septiformi spiritu in baptismate purgati. Præfiguratus est baptismus in aquis redundantibus à latere dextro, per quas Propheta Ezechiel dicit se fuisse transductum, primò vsque ad talos vt purificentur gressus operum, secundò ad genua vt humilietur homo, & genua cordis flectat Deo. Per genua enim fortitudo designatur, quam dat Deus homini, cùm fomes in baptismo debilitatur, tertiò vsque ad renes dum peccata carnalis delectationis à nobis tolluntur. Licèt autem homo in hac vita careat libidine, prauis tamen cogitationibus non potest prorsus carere. Vnde dicit se fuisse ductum vsque ad pectus, sed intumuerunt aquæ, nec potuit penitus transuadare. De his autem aquis in præfiguratione baptismi Ezechiel rursum ait: quod intrabunt mare, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima quæ serpit quocunque venerit torrens, viuet. Dum enim aquæ baptismi intrauerunt mare, id est, mundum, vt baptizarentur gentes, sanatæ sunt aquæ, id est, populi multi. Anima autem quæ serpit, est peccator, qui prius more serpentis veneno peccati infectus viuificatus est per aquas baptismi. Et hoc est quod per Isaiam Dominus ait: Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum. Arida ab humore gratiæ erat gentilitas semper sitiens more hydropici, & ad peccandum anhelans. Super quam Dominus aquas purificationis & spiritum sanctificationis effudit. Teste enim Isaia: Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Ad desertum enim gentilitatis aqua baptismalis peruenit, & ad solitudinem gentium torrens doctrinæ, & quæ arida erat, irrigata est fluentis gratiæ spiritus sancti. Per baptismum igitur præfigurationis præostensus est baptismus fluminis, de quo dicitur in Euangelio: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sunt autem quatuor principales effectus baptismi. Relaxat culpam, remittit pœnam, fomitem debilitat, gratiam donat. Vnde & in mari rubro hostes submersi sunt: ecce peccatorum remissio. A labore luti & lateris dimissi sunt, ecce pœnæ remissio. Qui autem prius sub Ægyptiis non audebant repugnare, pugnauerunt fortiter contra hostes & præualuerunt: ecce hostis debilitatio, scilicet, fomitis & in bono confortatio. Manna manducauerunt: ecce gratiæ infusio. In prima autem natiuitate nascitur homo filius iræ. Prius enim quod animale, postea quod spirituale. Vnde Seneca: Ad neminem prius venit mens bona quàm mala. Et in Euãgelio: Quod natum est ex carne, caro est. Et hoc est quod Ezechiel de prima natiuitate ait: In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, in aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. In secunda natiuitate præscinditur vmbilicus luxuriæ, & præcinditur ac debilitatur sensualitatis vmbilicus. In aqua baptismi abluimur in salutẽ, quia ad oculos hominum tantũ volunt apparere mundi, sicut hypocritæ. Hoc modo lauit se Pilatus, dicẽs: Mundus ego sum à sanguine iusti huius. Non es salita sale illo, de quo in Euan. Marcus ait: Omnis victima sale salietur, sale, scilicet, discretionis vel sapore charitatis. Qui autẽ hoc sale saliti non sunt, corrupti sunt & fœtidi. Vnde idẽ Ezech. ait de diabolo: Dabo carnes tuas super mõtes & implebo colles sanie, & irrigabo fœtore sanguinis tui terrã. Per mõtes & colles prælatos & alios potentes intelligi voluit, qui de sanie diaboli plus habẽt quàm simplices laici. Fœtore autẽ sanguinis illius terra irrigatur, id est, terrenorũ amatores. Quod autem ait Propheta: Nos es inuoluta pannis, de sanctorum exẽplis ait: Per negligentiã autẽ nostram nobis putruerunt, quia in vsum nostrum ea assumere nõ curamus. Baptismus flaminis est baptismus spiritus sancti. De quo Psal. ait: Quoniam apud te est fons vitæ. Et in actibus Apostolorum dicitur: Vos baptizabimini spiritu sancto, non post multos hos dies. Et in Euan. Ioannes ait: Super quẽ videris spiritum descendentẽ & manentẽ super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Hic est ramus oliuę, quẽ columba attulit ad arcam, id est, vnctio gratiæ, qua spiritus sanctus vngit baptizati animam, peccata delendo, & gratiam infundendo. Vnde Isa. In die illa auferetur onus Ægypti de humero tuo, & iugũ eius de collo tuo, & cõputrescet iugũ à facie olei. Iugum, scilicet, peccati à præsentia vnctionis spiritus sancti, quod ita putrescere debet in nobis, vt de cætero nequeat solidari. Iugũ autẽ dicitur, quia per ipsum collũ peccatoris deprimitur, & ad terrã inclinatur. Vnde in Threnis dicitur, Cõuolutæ sunt iniquitates meę, & impositę collo meo. Et iterũ: Vigilauit iugũ iniquitatũ mearum in manu Domini, vt, scilicet, puniãtur ab ipso. Quartus baptismus dicitur sanguinis in martyribus, qui lauerũt stolas suas in sanguine agni, quẽ, scilicet, agno obtulerũt, & pro Christo effuderũt. Vel in sanguine agni, quẽ agnus pro ipsis effudit ad redemptionẽ & ablutionem. De baptismo hoc Dominus ait: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsq; dum perficiatur. Quintus baptismus est pœnitẽtiæ, de quo Psal. ait: Amplius laua me ab iniquitate mea. Cõsistit autẽ in tribus, scilicet, in cõtritione, cõfessione, & satisfactione. Vnde Isa. In tribus annis quasi annis mercenarij auferetur omnis gloria Moab. Anni mercenarij dicũtur propter laborem & aridã refectionẽ in pœnitentibus. Hic autẽ annus in se redire debet per discussionem peccatorũ cõplectẽs quatuor tẽpora, scilicet, co-

*Ezech. 48.*

*Isaiæ 44.*

*Isaiæ 35.*

*De quatuor principalibus effectibus baptismi.*

*Ezech. 16.*

*De baptismo flaminis.*

*De baptismo sanguinis.*

*De baptismo pœnitentiæ.*

gitationis,

gitationis,locutionis,operis & cõsuetudinis. Baptizatur igitur pœnitẽs, & irrigatur aquis lachrymarũ,vt sit tanq̃ lignũ quod plantatũ est secus decursus aquarũ. Vnde Isa. Germinabũt inter herbas quasi salices iuxta præterfluẽtes aquas. Tam herbæ q̃ salices in hoc loco sumuntur in bono. Germinãt inter herbas,id est,sanctos,fide virẽtes,quorũ cõuersatio nostra est refectio per imitationis exemplũ. Salices dicũtur sancti sublimes,per sanctã conuersationẽ: frigidi per absti nentiã,& præstãtes aliis refrigerij vmbrã,citò crescẽtes iuxta fluẽta gratiarũ. Qui cùm priùs steriles,quasi cõtra naturã fructũ fecerunt per gratiã. De his salicibus dicitur in Leuit. Sumetis sa lices de torrẽte,& lætabimini corã Domino. Conuersationẽ enim sanctorũ nobis assumere debemus in exemplũ. Sextus baptismus dicitur doctrinæ,sicut in Euang. Dominus ait: Vos estis mundi propter sermonẽ,quẽ locutus sum vobis. Et in Parab. Fontes tui deriuẽtur foras,& in plateis aquas tuas diuide,id est,in cõuentu hominũ aquas doctrinæ effunde. Septimus baptismus est eleëmosynæ,de quo in Euang. dicitur: Date eleëmosynã,& omnia munda sunt vobis. De baptismo lachrymarũ dicitur in Iob: Qui ponit humiles in sublimi,& mœrẽtes erigit sospitate. Baptismo enim lachrymarũ mundatur cõscientia & serenatur. Seminãtes enim in lachrymis in exultatione metẽt fructũ illũ. De quo Apost. ait: Fructus spiritus est pax & gaudium in spiritu sancto. De baptismo charitatis dicit Dominus in Euang. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniã dilexit multũ. Charitas enim est fons viuus,cui nõ cõmunicat alienus. Quo fonte omnes peccatorum sordes abluuntur. Vnde in Cant. Dentes tui quasi oues tonsarum,quę ascẽdunt de lauacro. Hi sunt sancti,cibum vitæ ruminãtes,ouinã simplicitatẽ habentes,tonsi,omnia,scilicet,pro Christo relinquẽtes. Lauacrum autẽ baptismi dicitur,quasi lauãs crimẽ,sicut lauacrum martyrij lauans cruorem,lauacrum pœnitentiæ lauãs lachrymis,lauacrum charitatis lauãs calore. Cùm igitur tot sint species baptismi,de illo baptismo qui fit ex aqua & spiritu sancto specialiter intelligitur hoc,quod dicit Apost. in Epist. hodiernã: Quicunq; baptizati sumus,in Christo Iesu baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ,id est,ad similitudinẽ eius sepulti,ducti sumus cum illo per baptismum in mortẽ,id est,in peccatorũ ablutionem,vt,scilicet,mortui peccato,viuamus Deo. Hæc est bona mors,de qua scriptũ est. Preciosa in cõspectu Domini mors sanctorũ eius. Hæc est mors gratię pretiosa,qua moritur homo peccato,moritur mundo,moritur sibiipsi,carnẽ mortificãs,& propriæ voluntati abrenunciãs,vt dicere posit cum Propheta: Factus sum sicut vter in pruina,vt,scilicet,repletus vino spiritualis iocunditatis,factus sim quasi insensibilis cõtra pruinã diabolicę tentationis. Vnde in Eccles. Salomõ ait: Laudaui magis mortuos q̃ viuẽtes,& felicioręs vtroq; iudicaui, qui necdũ natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt. Melior est enim qui in exordio peccati seipsum subtraxit, q̃ qui in peccato vixit. Multò autẽ melior est & felicior,qui nunq̃ natus fuit peccato per cõsensum, vt fiat cõparatio status ad statũ. Hoc est quod Isa. ait: Morientes nõ viuãr,gigãtes nõ resurgãt. Qui enim mortui sunt peccato & mundo, qui,scilicet,priùs fuerunt gigãtes & ad malũ fortes, nõ resurgãt ad pristinas iniquitates. De hac morte spirituali dicit Augustinus. Sicut occisus inimicus nõ facit nobis iniuriã,sic mortificata caro nõ turbat animã nostrã. Et Isa. ait: Contabescet cor Ægypti in visceribus eius. Indurata enim malitia ad Solẽ gratiæ, quasi glacies liquefacta, defiendo cõtabescit,& destruitur in his,qui ad Dominũ cõuertuntur. Hoc est quod Zachar. ait: Contabescet caro vniuscuiusq; stantes supra pedes suos,& oculi eorum cõtabescent in foraminibus suis,& lingua eorum tabescet in ore suo. Dum enim in nobis tabescunt,& cõputrescunt carnalia, oriuntur spiritualia. Oculi autem priùs vanitatem conspexerant,deficiunt à malo,& in lachrymas pœnitentiæ defluunt. Lingua etiam blasphemiæ & detractionis deficiente,oritur in nobis lingua,de qua scriptum est: Lingua mea meditabitur iustitiam tuam. Et ita mortificata carne cum quinq; sensibus, fit in nobis immutatio & innouatio illa, de qua dicit Isa. Erunt quinq; ciuitates in terra Ægypti loquẽtes lingua Chananæa,id est,cõmutata. Quando,scilicet, quinq; sensus cõmutantur in bonum,quibus priùs vtebamur in malum. Mutare igitur debemus vetustatem culpæ in nouitate vitæ, vt quomodo surrexit Christus per gloriã patris,ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et hoc est quod subdit Apostolus: Per gloriam patris Christus surrexit,id est,per verbũ patris homini vnitum. Ita & nos à vitiis surgentes ad bona operã ambulemus,de bono in melius,positi in nouitate vitæ & spiritualiter innouati. Hanc nouitatẽ postulat Psal. dicẽs: Spiritum rectum innoua in viscẽribus meis. Quantò autẽ caro magis mortificatur,tantò spiritus amplius viuificatur & innouatur. Mortificatio siquidem carnis per pœnitentiã,nouacula est qua homo innouatur,& desideriorum carnalium pili raduntur. Vnde Nazareis præceptum est in lege, vt raderẽt pilos carnis suæ. Similiter cõsideratio humanæ fragilitatis nouacula est,qua radimus saniẽ carnis nostræ. Hæc est testa illa,de qua legimus quod Iob testa taniẽ radebat. Similiter fides Christi mortificat carnẽ,& viuificat spiritũ. Vnde Apost. Succincti lumbos vestros in veritate. Super hoc Hieron. ait: Nihil ita mortificat lumbos,vt cingulio veritatis. Cùm enim veritas sit Christus,qui tota mẽte in Christum credit,lumbos mortificauit in Christo,& in veritate succinxit. Hoc est quod Apost. ait: Mortificate mẽbra vestra, quæ sunt super terrã. Et iterũ: Semper mortificationẽ Domini Iesu in cordibus vestris circumferentes. Sic mortificatur granum,vt innouetur & surgat nouum. Sic ouum putrescit & mortificatur,vt nouus pullus oriatur. Sic in vite putrescit aqua,vt vinum nouum producatur. Vinum enim teste Philosopho,nihil aliud est q̃ aqua putrefacta in ligno. Ex putrefactione igitur

*Leuit. 23.*

*De baptismo doctrinæ.*

*De baptismo eleëmosynæ.*

*De baptismo charitatis.*

*De bona morte.*

*Eccles. 4.*

*Isa. 26.*

*De nouitate vitæ.*

*Simile.*

*De mortificatione carnis.*

*Simile.*

prouenit innouatio,& ex morte vita. Vnde Apoſt.Mihi viuere Chriſtus eſt,& mori lucrũ. Et iterum: Quotidie morior propter veſtrã gloriã fratres. Propterea in hodierna Epiſt.ſubiungit: Si enim cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius,ſimul & reſurrectionis erimus: quaſi dicat: Si nos explantati de mala terra,facti ſumus à Domino cõplantati, id eſt, firmiter adhærentes ſimilitudini mortis eius,id eſt,ſi à veteri ritu remoti,firmiter adhæremus bono,& ſimiles ſumus morti Chriſti,ſimul,id eſt, mox erimus facti complantati ſimilitudini reſurrectionis Chriſti,firmiter,ſcilicet,ei adhærendo. Vt ſicut Chriſtus depoſita vetuſtate,à morte nouus ſurrexit: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,& depoſitis vitiis in baptiſmo,poſtmodũ nõ peccemus. Hæc eſt bona plantatio,quãdo,ſcilicet,homo per fidẽ firmiter adhæret Domino,& hęc planta irrigatur in baptiſmo. Vnde Apoſt. Ego plantaui, Apollo rigauit. Priùs enim homo per fidẽ plantatur,vt poſtmodũ per baptiſmũ irrigetur. Vnde Ierem. Ego plantaui te vineã electã omne ſemẽ verũ,quomodo ergo cõuerſa es mihi in prauũ vinea aliena? id eſt,de vinea Dei facta es vinea diaboli,cuius vua fellis & botrus amariſsimus. De mala autẽ plantatione dicitur in Eccleſ. Via peccantiũ cõplantata lapidibus & in fine illorum inferi,& tenebræ & pœnæ. Complãtatio duo notat radicationẽ & incrementũ,vt qui in ſordibus eſt radicatus,ſordeſcat adhuc. Eſt igitur via peccantiũ cõplantata lapidibus,id eſt,in miſeriis & duris afflictionibus. Vnde in lib. Sapiẽtiæ dicunt impij: Ambulauimus vias difficiles,laſſati ſumus in via perditionis. Per lapides etiã peccata deſignãtur. Vnde Iſa. Eligite lapides,id eſt,inter peccata diſcernite. Hanc autẽ duritiã nõ ſentit cor lapideũ,ſed eſſe ſub ſentibus delicias reputat,quia vitiorũ punctiones non attendit. Cor autẽ carneũ ſentit duritiã lapidũ & cõteritur,& pœniter. In fine autẽ vię peccatorum ſunt inferi,vt deprimãtur elati. Et tenebræ,quia rerũ ſeculariũ fallaci ſplendore gaudebãt, tanquã coruſcatione ante tonitruum & fulminis ictum. Et pœnę,quia ſuauiter vixerunt & delicioſe. De prædicta autẽ ſimilitudine mortis Chriſti & reſurrectionis,adhuc expreſsius ſubdit Apoſt. dicẽs: Hoc ſcientes quod vetus homo ſimul crucifixus eſt,vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà nõ ſeruiamus peccato. Vetus homo,id eſt,fomes & cõſuetudo peccati,noſter,qui,ſcilicet,ex nobis eſt, non ex Deo,ſimul cum Chriſto crucifixus eſt, ita debilitatus eſt,vt deſtruatur corpus peccati,id eſt,omnia peccata, quæ ſimul ſunt quaſi vnum corpus,& vna cõgeries. Et ſi enim homo in carne concupiſcentiã habet, cum qua pugnet,adiuuãte Deo ſuperet illam, dum caro ſpiritui ſubditur,& homo prædicto modo crucifigitur. Vt ſicut Chriſtus depoſuit vetuſtatem pœnę in cruce,ita & nos vetuſtatẽ culpæ cum gemitu & dolore pœnitẽtię deponamus, & membra noſtra cõtinentiæ ac iuſtitiæ clauis habeamus confixa, ne ad prima mala redeamus. Et hoc eſt quod ſubdit: Qui enim mortuus eſt,iuſtificatus eſt à peccato,id eſt,iuſtus & liber à peccato. Sic igitur crucifigi debemus,vt manus noſtras vltrà ad malum non extẽdamus,nec pedes noſtros ad ambulãdum in via peccatorum moueamus,& carnẽ noſtram crucifigamus cum vitiis & cõcupiſcentiis,ipſam mortificando. Quoddã enim martyrij genus eſt effuſio ſanguinis in corporis maceratione & afflictione. Claui autẽ quibus crucifigi debemus,ſunt timor iuſtitię Dei & vltionis diuinæ,timor mortis,& timor gehẽnæ. Vnde Pſal. Confige timore tuo carnes meas. Non ſolùm autẽ crucifigi & mori,ſed & ſepeliri debemus ad ſimilitudinẽ Chriſti,ſicut ſuperiùs dixit Apoſt. quòd cõſepulti ſumus cum illo. Cum Chriſto ergo ſepeliuntur,quorum vita abſcõdita eſt à ſtrepitu mundi, & vanitate ſeculari. Vnde Apoſt. Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto,id eſt,mortui eſtis & ſepulti. Et Iob: Ingredieris in abundantia ſepulchrum. Et iterum: Gaudebunt vehementer cùm inuenerint ſepulchrum,id eſt, vitæ cõtemplatiuæ ſepulchrum. Vnde etiã in ſepulchro ſeu ſpelunca duplici legimus ſanctos Patriarchas eſſe ſepultos. Et nos cum ipſis, quaſi in ſpelunca duplici actiuæ & contemplatiuæ vitæ debemus ſepeliri. Sepulchrum etiam dicitur abſconſio peccatorum per confeſsionem. Vnde Eccleſiaſtes: Ne deſpicias ſepulchrum mortis. In hoc abſconditur homo,vt ſit ei pax à facie peccatorum ſuorum. In hoc peccata noſtra ſepelimus,& à facie Dei abſcondimus. Iuxta illud: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata. Vnde Ierem. Mortibus ægrotantium morientur, non plangentur, & non ſepelientur, in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt. Mors ægrotantium eſt longa conſuetudo peccatorum. Non planguntur reprobi à ſeipſis pro peccatis lugendo,neq; ſepeliuntur ſepulchro pœnitentiæ,peccata ſua abſcondendo,ſed magis alios corrumpunt exemplo pernicioſo & fœtore peccatorum. Eſt autẽ ſepultura bona,& eſt ſepultura mala. De qua Dominus ait: Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mala ſiquidem malè ſepeliunt,qui peccata ſua vel aliorum per excuſationẽ defendunt: ſicut ſcriptum eſt: Qui abſcõdit ſcelera ſua,nõ dirigetur. Mala benè ſepeliunt,qui facinora ſua bonorũ operum charitatis tegmine abſcõdunt: iuxta illud: Charitas operit multitudinẽ peccatorũ. Bona malè ſepeliũt, qui per inuidiã vel pigritiã documentũ ſalutis opprimũt. Vnde Salomõ: Qui abſcõdit frumẽta, maledicetur. Bona benè ſepeliunt,qui ſtudiũ ſanctitatis velamẽto humilitatis tegũt. Iuxta illud: Te autẽ faciẽte eleëmoſynã,neſciat ſiniſtra quid faciat dextera tua. Sepeliamur igitur cum Domino in munda ſindone,id eſt,in munditia vitę & puritate cõſcientię. Sepeliamur in ſepulchro pœnitẽtiæ cum myrrha & aloë,id eſt,cum duplici amaritudine, interiori in corde per cõtritionem,exteriori in corpore per carnis macerationẽ. Non ſepeliamur in ſepulchro cõcupiſcentiæ, in fœtore,ſcilicet,in corruptione carnalis delectationis. Non ſepeliamur in ſepulchris vanitatis & apparẽtiæ,vt ſimus tanq̃ ſepulchra dealbata exterius,interius autem fœtida,& oſsibus mortuorum

*De bona & mala plantatione. Ierem. 2.*

*De crucifixione veteris hominis.*

*De ſpirituali ſepultura.*

*Ierem. 16.*

*De duplici ſepultura.*

tuorum plena. Non sepeliamur in sepulchris malitię & detractionis occultæ: sicut scriptum est: Sepulchrum patens est guttur eorum. Si autem crucifixi, mortui & sepulti prædictis modis fuerimus cum Christo, resurgemus in gloria cum ipso, sicut in hodierna Epistola subdit Apost. dicens: Si autē mortui sumus cum Christo, credimus quod simul etiam viuemus cum Christo, scientes quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur. Et vos fratres, postquam mortui estis peccato in baptismo, iam de cætero non moriamini peccando. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, vt imitando Christum in sancta cōuersatione, de cætero viuatis, facti estis liberi & filij Regis. Maius autē damnū est & dedecus ex libero fieri seruum, quàm nasci. Vnde Iere. Nunquid seruus est Israël aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam? super eum rugierunt leones, id est, dæmones. Vestis autē baptismalis nisi diligēter custodiatur, à tinea carnis citò cōsumitur & veteris hominis corruptione maculatur. Sicut enim anima primi parētis corrupit carnē eius, ita postmodum in vltionem factum est vt caro inficiat & corrumpat animā. Baptizati sumus in fluminibus Hierusalē, diligenter nobis caueamus ne fluminibus Babylonis inquinemur. Hi sunt fluuij infernales Styx, scilicet, Phlegeton & Cocytus, & Lethes. Styx odiū: Phlegetō ardēs: Cocytus luctus: Lethes obliuio interpretatur. In his ergo submerguntur, qui fraterno odio & ardore voluptatis obscœnę, & tristitia seculi atq; obliuione Dei absorbētur. De his Psal. ait: Alienati sunt peccatores à vulua. Dum enim peccatores post baptismum ad peccata reuertuntur à vulua baptismali alienantur, & fiunt posteriora peiora prioribus. Torris enim qui extrahitur ab incendio, vehemētius comburitur & consumitur, si rursus in igne ponatur. Vnde Amos: Facti estis quasi torris raptus de incēdio. Caueat igitur sibi torris ab incendio. Teste autem sancto Bernardo, experta voluptas libēter repetitur, repetita blanditur, consuetudo ligat, & ratio sopitur. In baptismo autem confœderati sumus Domino, & recessimus à fœdere diaboli & eius societate, quemadmodum per Isaiam dicit Dominus: Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Non igitur pactum baptismi frangamus, sicut ille, de quibus Isaias ait: Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus. Transgressi sunt leges naturæ, scripturæ & gratiæ. Mutauerunt ius, id est, consuetudines à Domino probatas. Ius autem naturæ mutant, qui contra naturam peccant. Dissipauerunt fœdus sempiternum, id est, pactum baptismi, quo in perpetuum sunt Deo astricti. Et iterum Isaias ait: Præuaricantes præuaricati sunt, & præuaricatione præuaricatorum præuaricati sunt. Sic notatur quadruplex prævaricatio. Prævaricantes in Adam, legem illam, de qua dictum est ei: De ligno scientiæ boni & mali, ne comedas. Prævaricati sunt legem naturæ, & prævaricatione transgressorum legis Moysi. Prævaricati sunt legem Euangelij & pacti baptismalis. De tribus autem specialiter nos poterit Dominus conuenire in iudicio. De proditione, quia castrum quod nobis commisit custodiendum, reddidimus diabolo. De furto, quia peccatum abscondimus in confitendo. De fidei læsione quam promisimus in baptismo, iuxta illud: Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Ab hac autem fide dicitur homo fidelis. Vnde & fides dicitur, vt fiant dicta. Iere. Qui dissoluit pactum, nunquid effugiet? Per hanc autē fidem obligati sumus, vt à diabolo & omnibus pompis eius nos custodiamus, vt Deū super omnia diligamus, & proximos sicut nosipsos, vt in Deum credamus, & fidem ore confiteamur, & operibus impleamus. Vnde fidem & virtutem susципimus in baptismo in actu vel habitu, quę est perceptio veritatis inuisibilium ad salutem pertinentiū, cui mens non rationis authoritate, sed ipsius veritatis amore cōsentit, vt à fide peregrinationis in via, transeat ad cōprehensionem veritatis in patria. Idcirco autē nudi in hoc seculo nascimur, nudi etiā ad baptismū accedimus, vt nudi quoq; & expediti ad cœlestē gloriā properemus, vbi post primā stolam innocentiæ recipiemus secundā stolam gloriæ. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit, &c. Amen.

*De conuersatione innocētia baptismalis.*

*Ierem. 2.*

*De fluuiis Infernalibus.*

*Simile.*

*Isa. 28.*

*Isa. 24.*

*De multiplici transgressione.*

*De fide & pacto baptismali.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

*Nisi abundauerit iustitia vestra pluſquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* *Matth. 5.*

INVENTI sunt sermones tui, & comedi eos: & factum est mihi verbum tuum in gaudium & in lætitiam cordis mei. Verba sunt Ieremiæ, quibus ostendit cum quanto desiderio & gaudio verbum Dei recipitur ab his, qui sinum habent cordis palatum. Sicut econtrariò, qui cordis palatum corruptum habent & amarū, more febricitātis, quæ dulcia sunt, insipida reputāt & amara. De Ezechiële autē legimus, quod in ore eius dulce fuit volumen, & liber in ore Ioānis, & sermones in ore Ieremię. Ecōtrà de reprobis dicitur in Eccles. quod aspera est nimis sapietia indoctis hominibus, & nō permanebit in eaexcors, id est, fatuus. Quasi lapidis vitreus probatio erit in illis, id est, in fatuis, qui nō agnoscunt virtutē illius, sicut qui virtutē lapidis pretiosi ignorāt. Vnde & margaritas sub pedibus cōculcant, vel inuiti sustinent illā, sicut lapidē ponderosum. Vnde subditur in Eccles. Et nō demorabitur proiicere illā. Hoc est quod alibi idē Eccles. ait: Sicut sagitta infixa fœmori canis, sic verbū in corde stulti: quasi dicat: Nunq̄ quiescit nisi reiecerit, nec libēter retinet verbū salutis. Vos autē fratres, illud honorificè recipere debetis,

*Matth. 5.*

*Cum gaudio verbum Dei debemus suscipere.*

*Ierem. 15.*

*De conuersatoribus verbi Dei.*

*Eccles. 6.*

*Simile.*

*Simile.*

tanquam nunciũ bonũ salutis vestræ, & gaudere debetis quãdo talem & tam fidelem nuncium Dominus vobis transmittit. Multi enim voluerũt audire quę vos auditis, & nõ audierũt. Vnde Isa. ait: Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt, lingua eorum siti aruit. Valde quidẽ egeni & pauperes sunt, quibus spirituales diuitiæ scripturarũ desunt, & à gratia Dei aridi sunt, vt fructum ex se non producant, vel si produxerint, vnde nutriant non habent, quemadmodum Ierem. ait: Cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba. Multi enim bona opera incipiunt, & defectu verbi Dei à bono desistunt, quod valde deberent Prælati attendere, quia:

*Isa. 41.*

*Non minor est uirtus quàm quærere parta tueri.*

Orate igitur Dominum, vt hodie verbũ Dei mellificet in cordibus vestris dulcedine deuotionis, & infundat gaudiũ spiritualis delectationis. Niſi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum. Abominatio est diuini omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius: sicut in Parabolis Salomõ ait: Dominus enim simplicibus & humilibus secreta sua, & iustitiæ suæ veritatem reuelat. Pharisæi autem, qui diuisi erant & duplices, aliud ostendentes exterius in opere, quàm haberent in mente, veram Dei iustitiam ignorabant, & cæci facti sunt duces cæcorum. Et quia rugosi erant, multas in se plicas habentes, simplicẽ populũ decipiebant suis similationibus, vnde & illusores appellantur. Propterea idem Salomon in Parab. ait: Illusores ipse deludet, & mansuetis dabit gratiã. Dominus enim huiusmodi hypocritas deludit, id est, deludi à dæmonibus permittit, dum velata facie ducunt eos in periculũ, quod nõ aduertũt. Mansuetis autẽ & humilibus dat gratiam, gratam habens eorum conuersationẽ. Dat etiã gratiam, id est, gratiarũ actionẽ, dum omnia bona sua ad Deum referũt, & se habere à Domino humiliter recognoscunt. Sicut autẽ natura locũ esse vacuum non sinit, ita gratia Dei cor humile remanere vacuũ non permittit. Quantò autẽ magis exinaniti sunt per humilitatẽ & concauti, tantò magis capaces sunt gratiæ Dei, vt abundet eorum iustitia plusquã iustitia Scribarũ & Pharisæorũ, quam Dominus multipliciter reprobat in Euangelio. Arguuntur enim Scribæ & Pharisæi de iustitia apparente & nõ existẽte. Exterius enim iusti apparebãt velut sepulchra dealbata, quæ à foris, teste Domino, apparẽt hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia, id est, putredine & fœtore. Vnde in Euang. Attendite vobis à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis. Et iterũ: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autẽ pleni estis rapina & immunditia, id est, sordibus peccatorũ: quasi dicat: Fruſtrà sanctitatẽ exterius prętenditis, sicut si quis calicẽ exterius mundet, interius autẽ relinquat sordes. De huiusmodi hypocritis dicitur in Isa. Ante messem floruit & immatura perfectio germinauit, id est, omnẽ in præsenti vita fructũ percepit. De hac autẽ simulata iustitia dicitur: Ego iustitias iudicabo. Et Dominus ad Ezechiẽlem: Stilla ad sanctuariũ, Propheta cõtra domũ Israël, dicés: Ego eiiciã gladiũ de vagina, & occidã in te iustũ & impiũ, id est, apertè malũ & simulatoriè iustũ. Stilla autẽ est diuina cõminatio respectu damnationis futuræ, quãdo Dominus de vagina sustinẽtiæ emittit gladium vindictę. Arguuntur Scribæ & Pharisæi de præsumptione iustitiæ siue de iustitia præsumpta. Ipsi namq; nõ habito respectu ad gratiã, quæ iustificat exteriores obseruationes, credebãt sufficere ad salutẽ, & ita iustitiã suã cõstituentes & traditionibus suis cõfidentes, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Vnde & Dominus ait illis: Quare & vos transgredimini pręceptum Dei, propter traditionẽ vestrã? Arguuntur Scribę & Pharisæi de iustitia vendita. Faciebãt enim prolixas orationes, nõ propter Deum, sed propter tẽporale cõmodum. Vnde Dominus in Euang. Væ vobis Scribę & Pharisęi hypocritę, qui comeditis domos viduarũ in oratione longa orãtes. Et iterum: Væ vobis duces cęci, qui dicitis, quicunq; iurauerit per templũ Dei, nihil est: qui autẽ iurauerit in auro templi, debet. Pharisæi enim qui omnia faciebãt propter lucra, dicebãt sanctiora esse oblata q̃ templũ vel altare, vt homines promptiores essent ad dona offerẽda q̃ ad preces in templo fundẽdas. Arguuntur Scribæ de iustitia diminuta. Ipsi colantes cũlicẽ, glutiebãt camelũ, quæ minora erãt faciebãt, prætermittẽtes maiora. Vnde Dominus: Vę vobis Scribæ & Pharisęi hypocritę, qui decimatis menthã & anethũ, & cyminũ, & relinquitis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ & misericordiã, & fidẽ. Istis enim quæ lucrũ habẽt, diligentiã ostendebant, sed magna præcepta negligebãt. Arguuntur Scribæ & Pharisæi de iustitia vocali, cùm ipsi carerẽt iustitia reali, iustitiã habẽtes in ore nõ in opere. Vnde Dominus: Super cathedrã Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæ dicunt vobis, seruate & facite, secundũ verò opera eorũ nolite facere: dicunt enim & nõ faciunt. Cathedrã Moysi vocat doctrinã, quã Moyses docuit. Omnia ergo quę dicũt, scilicet, ad cathedrã pertinẽtia, pręcipit vt faciamus: quasi dicat: Doctrinã tenete, nõ vitã. Fruſtrà autẽ iactãt legis notitiã, qui operibus destruunt doctrinã. Vnde Iere. Mendacium operatus est stilus mendax Scribarũ. Proptrerea in Eccles. dicitur: In opere mãdatorum tuorũ veterasce, id est, perseuerãter sta, & fac quę aliis pręcipis, vt faciãt. Et Isido. ait: Beatus est qui & recta docẽdo bene viuit, & bene viuẽdo fidẽ rectã custodit. Et Micheas ait: Tu seminabis & nõ metes. Multi enim seminãt verbum doctrinę, & nõ metunt fructum vitæ. Tu calcabis oliuã & nõ vngeris oleo, id est, alios ad opera misericordię inuitabis, & tu sine misericordia remanebis. Calcabis mustũ & nõ bibes vinum, id est, pręcepta nouę vitæ aliis dabis, & nõ bibes vinum spiritualis lætitiæ vel cõpunctionis. Arguuntur Scribę & Pharisęi de iustitia austera & nimis dura. Vnde Dominus: Alligãt onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominũ, digito autẽ suo nolunt ea mouere.

*De falsa iustitia Scribarũ & Pharisæorum.*

*De vera iustitia humiliũ et simplicium. Simile.*

*De simulata iustitia.*

*Matth. 23.*

*Ibidem.*

*Matth. 23. Isa. 18.*

*Ezech. 21.*

*De præsumptiõe iustitiæ.*

*Matth 15.*

*De iustitia vendita.*

*Matth. 23.*

*De iustitia diminuta.*

*De iustitia vocali.*

*Ierem. 8. Ecclesi. 11.*

*Mich. 6.*

*De iustitia austera.*

Vnde cun-

Vndecunq; enim traditiones colligunt, quæ conscientiã non leuant, sed grauant; quas suis viribus nullus potest adimplere, suadentes secundũ illas viuere, & nõ venire ad facilem & suauem gratiam Christi, cuius iugum suaue est, & onus leue. Arguuntur Scribæ & Pharisæi de iustitia exteriori & superficiali, quæ reprimit manũ & non animũ, reputãtes actũ mortale peccatũ, non voluntatẽ, quorũ iustitia homines à temporali pœna liberabat: Christi autẽ iustitia, in vitã æternam saluat. Propterea Dominus ait: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquã Scribarũ & Pharisæorũ, non intrabitis in regnũ cœlorũ: quasi dicat: Nisi præcepta decalogi & alia moralia impleueritis, & docueritis implenda esse, abundãtius q̃ illi, cohibentes, scilicet, nõ tantũ manũ, sed animum, nõ intrabitis in regnũ cœlorũ. Verus enim Iob, dũ testa saniem radebat, nõ solũ ab operatione, sed à cogitatione culpã tergebat. Sanies enim à carne defluit, dum mala volũtas à motu carnalitatis procedit. Vnde Psal. Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini, id est, in his, quæ dicitis in cordibus vestris, malè cogitando & malis consentiendo, compungimini in cubilibus vestris, id est, interius in animo. Non enim sufficit obseruatio exteriorum, vbi interiora negliguntur. *Syncerum est nisi uas, quodcunque infundis, acescit.* Licèt igitur aliquis exterius impleat omnia præcepta ad cultum Dei, actualiter pertinentia & figurarũ mysteria tantùm ad literam, more Pharisæorũ, obseruet, nõ prodest ei ad vitã æternam, quia litera occidit, spiritus autẽ viuificat. Non solũ enim præcepta, quæ inchoãt, implenda sunt, sed quæ in illis intellecta sunt & inclusa, vel ad perfectionẽ addita. Lex enim neminem ducit ad perfectum. Qui igitur in exterioribus obseruantiis iustitiam tantùm Pharisæorũ impleuerit, non statim magnus est, licèt aliquem gradum ascenderit. Non enim sufficit ad salutem abstinere, si iram & rancorem retinueris in mente. Non sufficit à fornicatione abstinere, si videris mulierem ad concupiscendum eam in corde. In præceptis igitur noui testamẽti non solùm refrænatur manus, sed cohibetur animus. Vnde Isaias: Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, id est, Euangelica doctrina, breuis & consummata, formam iustitiæ exprimet abundanter. Dicitur etiam abbreuiata, quia in duobus mandatis legis completa: præcepta quidem noui testamenti tantò sunt districtiora, quantò spiritualia. Præcepta autem legis Mosaicæ, quasi paruulis & carnalibus sunt tradita in quibus perfectio non est manifestata, sed malitia resecata. Hæc verò spiritualibus spiritualia sunt data, quæ nõ terrenã possessionẽ, sed cœlestẽ præparãt mansionẽ. Quibus ergo maius præmiũ promittitur, iustitia maior esse debet & magis perfecta. Iustitia Scribarũ & Pharisæorũ putabatur, quamuis non esset iustitia. Exterminabãt enim facies suas, vt viderentur hominibus ieiunãtes, intus autẽ pleni erant rapina & iniquitate. Iustitia verò eorum, qui regnum Dei intrare desiderant, maior debet esse, vt sanctitas quæ apparet in opere, multò magis seruetur in mente. Iustitia Scribarum & Pharisæorum videbatur esse quod alligabant onera grauia, quæ digito suo mouere nolebant. Iustitia illorum, qui regnum cœlorum intrare volunt, maior debet esse, vt mandata Dei primò custodiant, qui alios custodire docent. Iustitia Scribarum & Pharisæorum credebatur quod anethum & mentham decimabant, maiora autem legis prætermittebant. Iustitia eorum, qui regnum Dei intraturi sunt, magis abundare debet, vt sic minora præcepta custodiant, quod maiora non prætermittant. Iustitia Scribarum & Pharisæorum putabatur, quod circuibant diuersas regiones, vt alios de Gentibus conuerterent ad Iudaismum. Quos autem conuertebant verbo, peruertebant malo exemplo. Vnde Dominus: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehẽnæ duplo quàm vos, quia videntes malam conuersationem Pharisæorum, reuertebantur ad ritum Gentium. Pharisæi enim licèt clauem scientiæ habebant, scientes legem, ipsi tamen nec intrabant in regnum cœlorum, nec alios intrare sinebant, quos prauo exemplo, vel legem malè exponendo, peruertebant. Iustitia autem sanctorum Doctorum abundantior est, quia quos verbo conuertunt, exemplo bonæ vitæ instruunt, & quos lucrati sunt, Domino studeant diligenter seruare in bono. Iustitia Scribarum & Pharisæorum videbatur, quod ab his, quæ in lege prohibita erant, exterius abstinebant, sed cupiditatem & alia vitia à corde non auferebant. Iustitia autem Christi discipulorum est non solùm ab actu malo, sed à mala voluntate abstinere, & tam exterius quàm interius se mundos & innocentes conseruare. Vnde Dominus in hodierno Euang. ait: Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autẽ occiderit, reus erit iudicio, id est, accusatione & punitione, secundũ instituta legis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Dominus noster nõ venit legẽ soluere, sed adimplere. Qui autẽ prohibet irã, per cõsequens prohibet homicidiũ. Quia qui nõ irascitur, nõ occidet. Licẽtia irascendi causa est homicidij. Tolle irã, & nõ fit homicidiũ. Pari modo cùm prohibet Dominus videre mulierẽ ad concupiscendũ, prohibet fornicationẽ & adulteriũ. Impleuit igitur Dominus legem, addendo quædã ad perfectionẽ: sicut cùm ait: Qui vult tibi tunicã tollere, dimitte ei & palliũ. Vel ad explanationem: Cùm enim dicitur in lege: Non occides, quia nesciebant homicidium esse nisi peremptionem, aperit omnem motum animi ad nocendum in homicidiũ computari. Plus est igitur nõ irasci quàm nõ occidere, quantũ ad expresionẽ. In illo siquidẽ mãdato Moysi, Non occides, implicitè intelligitur, nõ occidere voluntate. Qui enim odit fratrẽ suum, homicida est. Tertio modo Dominus legem impleuit, dum spiritualem intelligentiam reseratuit, & legem spiritualiter intelligendam esse docuit. Aliter enim vacua essent legalia, & absque

*De iustitia superficiali.*

*Vera iustitia cohibet non solum manum, sed animum.*

*Horat. lib. 1. Epist.*

*2. Cor. 3.*

*De præeminentia iustitiæ christianorũ.*

*Isa. 10.*

*Matth. 23.*

*De multiplici legis impletione.*

vlla vtilitate. Ipse enim est legis & Prophetarũ virtus, per quẽ omnia implentur, qui exteriores figuras soluens, veritatem interiorem in se impleuit. Dominus ergo impleuit legem explanando, cùm ait: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autẽ dixerit fratri suo racha, reus erit consilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Prohibet igitur Dominus irasci, vbi ait: Qui irascitur fratri suo. Prohibet insuper conuitiari, vbi ait: Qui dixerit racha, quæ est interiectio indignantis, animi motum exprimens, & ad cõtumelias generales pertinẽs. Prohibet infamare, vbi ait: Qui dixerit fatue. Prohibet iram in corde latentem, quæ est quasi mortuus in conclaui. Prohibet iram prorumpentem in generalem contumeliam, quæ est quasi mortuus in porta. Prohibet iram vsq; ad speciales procedentẽ contumelias, quæ est quasi mortuus fœtens in sepulchro. Diuersi igitur gradus in his tribus peccatis intelliguntur. Primo est irasci, & hunc motum in animo retinere. Plus est si vocẽ indignationis & contumeliæ generalis, qua feriatur ille cui irascitur, hęc commotio extorsit. Plus autẽ est si certa & specialis vituperatio increpuerit. Similiter etiã gradus sunt in pœna. Nam minus est iudicium quando adhuc cum reo agitur, & est locus defensioni. Plus est consilium, quando Iudices inter se conferunt, quo supplicio puniendus sit, quem constat esse dominandũ. Plus autem est ignis gehennæ, vbi nulla est dilatio sententiæ. His igitur tribus, iudicio, consilio & gehenna, quasi quibusdam similitudinibus & gradibus diuersæ mansiones & diuersi status pœnarum pro modo peccatorum

*De multiplici ira.*

signanter exprimuntur. Ira autem quæ hoc in loco dicitur omnis malus motus ad nocendum, cui homo cõsentit, prohibetur. Subitus autẽ animi motus, cui nõ consentitur, venialis est & permittitur. Iuxta illud Psalmi: Irascimini & nolite peccare. Adueniente autẽ consensu, Sole occidente super iracundiã, mortalis est & mors in domo, & prohibetur. Tertia autẽ ira, quæ fit per zelũ, quãdo, scilicet, irascimur peccato, bona est & præcipitur. Prohibet igitur Dominus irã solã: prohibet insuper irã cum voce, pertinẽte ad indignationẽ: prohibet irã cum voce & cõtumelia aperta, qua proximũ, quantũ in nobis est, scandalizamus, dum eum fatuũ appellamus. Non enim modicus est furor, quem Deus sale sapientiæ cõdiuit, infatuatũ dicere, & Deo salienti derogare. Si enim reddituri sumus rationẽ de ociosõ sermone, quãtò magis de cõtumelia & proximorũ vituperatione. Valde autẽ grauis & tertibilis videtur hæc Domini sentẽtia. Vnde quidam addunt: Qui irascitur fratri suo sine causa. Sed omnis occasio iræ cõtra fratrẽ tollitur, dum quilibet inimicũ diligere iubetur. Si autẽ ex causa per zelũ aliquis cõmouetur, non fratri, sed vitio irascitur. Quibusdã autem videtur iram nõ esse mortale peccatũ, nisi fuerit inueterata, & in odium cõuersa. Vnde & prædicta Domini verba sic exponunt: Reus erit iudicio, id est, iudicare debet se reũ esse, & à Domino veniã postulare. Similiter reus erit cõsilio, id est, reconciliatione. Tenetur enim recõciliare fratri suo. Qui verò dixerit, fatue, id est, super prædictas cõmotiones aliã posuerit, tanquã pertinax & proteruus, tunc mortaliter peccans, reus erit gehennæ ignis. Nos autem discretionem diuinæ sententiæ non audemus emollire. Sic enim mortaliter peccat, qui viderit mulierem ad concupiscendum, dum cõsensus aduenit, & in ipso remaner, si oportunitatẽ haberet, ita & qui fratri suo irascitur, & consentit, atq; desiderat & appetit nocere illi, ex hac mala voluntate mortaliter peccat in corde. Videtur tamẽ Hieronymus velle, quod hæc verba Dominica: *Reus erit iudicio*, intelligantur de iudicio punitionis in præsenti, vel in Purgatorio, non de iudicio condemnationis in futuro. Vnde ipse ait: Sic autem Dominus vniuscuiusq; considerat vias, sic dinumerat gressus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio ac verba tenuissima, quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc enim dicit: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit racha, reus erit consilio: qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Sic enim vias nostras subtili examinatione Dominus considerat, vt in vno quoq; nostrũ, nec ea quæ remuneret, bona prętereat, nec mala, quę displicent, sine increpatione relinquat. Hinc est enim quod Angelum Ecclesiæ Pergami in quibusdam redarguit, dicẽs: Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam, sed habeo aduersum te pauca, quia habes ibi tenentes doctrinã Balaam. Et Angelo Thyatiræ dicitur: Noui opera tua, & fidẽ & charitatem, & ministerium, & patientiã tuam, & opera tua nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersum te pauca. Ecce bona memorat, nec tamen resecanda mala sine pœnitentia relaxat. Hæc sunt verba Hieronymi super Homelia, quibus videtur quod irasci fratri, & dicere racha, licèt vsu parua reputentur, nec ob hoc bona, quæ habemus, amittuntur, tamen Dominus non relinquit indiscussa, nec sine increpatione relinquit. Quod fortè intelligit de primo motu iræ & de verbis vsitatis, quæ leuiter & nõ malitiosè, neq; ad infamationem vel vt proximus scandalizetur, aliquando proferuntur. Primus autem motus iræ & si non possit penitus vitari, debet tamen refrænari & reprimi, ne procedat ad consensum nocẽdi. Licèt enim peccato irascamur peccatori, tamen compati debemus & non irasci: scriptũ est enim: Non abominaberis Idumæũ, quia frater tuus est. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quoniã omnes morimur, & in gaudium volumus venire, id est, quãdo morimur, nolumus vt inimici nostri de nobis gaudeant. Quod ergo tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et rursus in Eccles. dicitur: Non irrideas hominem in amaritudine animæ. Est enim qui humiliat & exaltat, circunspector Deus: quasi dicat: Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina animæ illius ne exaltetur cor tuum, ne fortè videat Deus & displiceat. Vnde & Iob ait: Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat. Diligere igitur debemus, non solùm amicos, sed

*Apoc. 2.*

*Quod peccatores & inimicos diligere debemus, & irasci peccato non homini. Eccles. 8.*

sed etiam inimicos. Nam qui amicos & benefactores amat, absoluit se, quia hoc debet eorum meritis. Amor enim debetur amori. Vbi autem mali & inimici amantur, hoc totum est gratiæ. Quantò ergo minus diligendus est quẽ diligis, tantò amplius cumulatur fructus amoris. Vnde Dominus: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Sicut autem stultũ est de insano vel ebrio conqueri, ita fatuum est malefactori suo irasci. Nunquid insanus est, qui se occidit vt tibi noceat? Ebriis autẽ de his quæ faciunt, nihil ab hominibus imputari solet, neque cæco offendimur, sed magis compatimur, si cespitat, aut in foueam cadat. Sicut autem ægri & phrenetici à Medicis, quos mordent, tollerantur, ita his qui nobis mala ingerunt, vel nobis detrahunt, compati debemus, non irasci. Insanus autem reputatur, qui alium vnguibus vel dentibus laniare non veretur. Qui autẽ irascitur propter illatam iniuriã, est velut vas reprobũ quod elimatum rubiginem contrahit, vnde purgari debuit. Iniuria siquidẽ inimicorũ lima est iustorum. Si autẽ rancorẽ retines in animo, nihil prodest exterius muneris oblatio, dũ mentis tranquillitatẽ nõ offers Domino. Quomodo enim hostias placabiles offerre potest Deo, qui renuit proximo? Priùs igitur charitatẽ proximo soluat, qui munus suum Deo placere desiderat, & oblatione sua ipsum placate procurat. Homo homini reseruat iram, & à Domino petit medelam? Propterea Dominus in hodierno Euang. subiungit: Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs recõciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuũ. In qua re, teste Gregorio, pensandum est, cùm omnis culpa munere soluatur, quàm grauis culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur? Si igitur fratrem in aliquo læsisti, vade recõciliari ei, & si aduersarius tuus extiterit, esto benevolus, vt fiat amicus. Si præsens est proximus, quem nos læsimus, securius est, vt priùs pedibus corporis ad eum accedamus, & prostrati in cõspectu eius, veniã humiliter postulemus. Si autẽ fuerit absens, accedamus ad eum pedibus mentis, firmiter in animo proponentes, quod ei satisfaciemus, & quantũ in nobis est, recõciliabimur eidẽ, & ita proposita recõciliatione in corde veniẽs ex dilectione, offer munus tuũ placabile Domino, reuocãs intentionẽ ad id quod cœperas. Si autẽ proximus tuus te læsit, nõ ipse aduersum te, sed tu habes aduersum eum. Tunc enim nõ te oportet veniã petere, sed irã dimittere, & veniã dare petẽti, sicut tu vis tibi dimitti. Et nota quod nõ ait Dominus: Refer munus tuum, sed relinque, donec placabilius offeras. Non enim munus repellit, sed charitatẽ proximi requirit. Et quoniã prædicta Domini verba, secundũ literã obseruare generaliter nõ possunt, spiritualiter intelligẽda sunt. Est autẽ in interiori templo altare, id est, Christus, vel fides Christi, cui quodlibet munus, id est, psalmus, hymnus, oratio, & similia, nisi sit innixũ, nõ est Deo placiturũ. Hęc autẽ à Domino reprobatur, nisi rãcor & ira priùs ab animo deponatur. Altare etiã dicitur Ecclesia. Vnde facietis mihi altare de lapidibus, quos ferrũ nõ tetigit, id est, de pacificis, & nõ litigiosis vel schismaticis. Altare prętea dicitur cor hominis. Vnde in Eccles. Oblatio iusti impinguat altare. Hostias igitur interiores & spirituales, corde placato offerre debemus. De quibus dicitur: In me sunt Deus, vota tua. Et in Euang. Dominus ait: Regnum Dei intra vos est. Exterioribus autẽ sine interioribus non placatur Deus. Vnde & Philosophus, cùm omnia exteriora amisisset, ait: Nihil perdidi, omnia mea mecũ sunt, iustitia, virtus, prudentia, nihil esse bonum putaui, quod eripi posset. Incipit fortunæ esse subiectus, qui aliquã partem sui, foris quærit. Si igitur iniquitas sit in corde interius, nõ placent munera exterius. Vnde in Eccles. Dona iniquorũ non probat altissimus. Et Isa. Incensum vestrũ abominabile est mihi. Et iterũ: Cùm multiplicaueritis orationes, nõ exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Vnde in Eccles. dicitur: Ante orationẽ præpara animã tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deũ. Quomodo præparanda sit, ostendit Dominus in Euang. dicẽs: Cùm stabitis ad orandũ, dimittite si quid habebitis aduersus aliquẽ. Deũ autẽ tentare videtur, qui aliud habet in corde, & aliud in ore: quasi velit probare, si Deo abscondita cordis sui possit celare. Propterea Malach. ait: Si offertis cæcum ad immolandum, nónne malum est? Cæca est hostia quæ lumine gratiæ non est illustrata. Si offertis claudũ aut languidũ, nónne malum est? Claudus est, qui in via Dei non rectè incedit. Languidus, qui peccatorũ infirmitate est depressus. Huiusmodi hostiæ Domino nõ placẽt, sed hostiã viuã Deo placentẽ, sicut ait Apostolus, Domino offerre debemus. Vnde & triplex sacrificiũ oleo perfusum in lege offerebatur. Primũ de clibano, id est, amor Dei. Secundũ de craticula, id est, afflictio carnis. Tertiũ de sartagine, id est, correptio proximi. Primò superfunditur oleũ deuotionis. Secũdò oleũ hilaritatis. Tertiò oleũ cõsolationis. Non prodest igitur nostra oblatio, neq; facere bonũ, nisi declinemus à malo. Vnde legimus quod Thamar prægnãs, duos habebat in vtero Zarã & Phares. Zarã, id est, oriens, vt faciat homo bonũ. Phares, id est, diuisio, vt declinet à malo. Vult Zarã priùs nasci, manum suã extendens ad opera de genere bonorum, sed non potest salubriter, nisi priùs nascatur Phares, vt priùs dimittat malum, & diuidat maceriam peccatorum. Quicquid enim sine charitate offertur, à Domino reprobatur. Vnde Gregorius ait: Antiquus hostis noster castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, nõ timet, quia ipse nec carne premitur, vt in eius luxuria dissoluatur. Abstinentiã nõ timet, quia ipse cibo nõ vtitur, qui nexu corporis nõ vrgetur. Distributionẽ rerũ terrenarũ nõ timet, si eidẽ operi charitas desit, quia diuitiarũ subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hanc tenemus in terra, quam ipse tenere nolens,

*Similè.*

*Quod compati debemus peccatoribus, non irasci.*

*Quod fratribus priùs reconciliari debemus, vt hostias Domino placabiles offeramus.*

*De tẽplo interiori & oblationibus spiritualibus, de multiplici altari.*

*De malè offerentibus & oblationibus, quæ Domino non placent.*

*Eccles. 18.*

*De triplici sacrificio.*

*Sine charitate nullum bonum, nullum donum placet Deo.*

nolens, amisit in cœlo. Vnde benè de Sancta Ecclesia dicitur. Terribilis vt castrorum acies ordinata, quia electorum multitudinem eo spiritus maligni pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam vnitos contra se & conglobatos aspiciunt. Et iterum Gregor. ait: Si quis ita ab alimentis abstinet, vt cæteros in cibo diiudicet, quid huic virtus abstinentiæ facta est, nisi laqueus culpæ? Vnde Psalmus, nullam esse abstinentiã sine cõcordia designans, ait: Laudate eum in tympano & choro. In tympano enim coriũ siccum resonat. In choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum, nisi abstinentia: quid per chorum, nisi concordiæ charitas designatur. Qui itaq; sic abstinentiam tenet, vt concordiam deserat, laudat quidem in tympano, sed nõ laudat in choro. Patet igitur quod nullum sacrificiũ placet Deo, nisi offeratur corde placato.

*Gen. 4.* Vnde Dominus ad sacrificium Caim non respexit. Ipse quidem rectè obtulit, sed malè diuisit. Rectè obtulit, quia dona, sed malè diuisit, quia animã suã per fraternũ odiũ dedit diabolo. Vt igitur offeramus hostias pacificas Deo, priùs recõciliemur fratri nostro, qui est os ex ossibus nostris & caro de carne nostra. Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

## DOMINICA SEPTIMA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, EX PSALMO.

*Psal. 46.* *Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.*

*Seruire debemus Deo hilariter. Isa. 64.*

OCCVRRISTI lætanti & facienti iustitiam. Verba sunt Isaiæ ostendentis, quod læta iustitia placet Deo: sicut scriptum est in Ecclesiastico: In omni dato hilarem fac vultum tuum. Occurrit enim Dominus his, qui seruiunt ei in lætitia, non in angaria, id est, seruili timore, vel cum murmuratione, non in apparentia, sicut hypocritæ: non in nequitia, sicut diabolus, cuius castra Domino militant ipso volente. Dum enim sanctos affligit, cribrantur, & purgãtur sicut triticum, & ita de malo Deus eligit bonum. Non in spurcitia, sicut qui in peccato mortali faciunt opera de genere bonorum, & quicquid

*Sapien. 6.* congregant, mittunt in saccum pertusum. Vnde in libro Sapientiæ: Dignos se, ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, faciens, scilicet, operari cum hilaritate, quod est manibus plaudere. Vnde & Psalmus, ad hanc spiritualem lætitiam inuitans, ait: Omnes Gentes plaudite manibus, id est, gaudete cum bonis operibus. Per manus enim opera designantur. Vnde Iob: Manum enim meam ponam super os meum, id est, virtute boni operis tegam culpam malæ locutionis. Et Psalmus ait: Deum exquisiui manibus meis, id est, operibus bonis. Duo siquidem

*De condimento operum.* sunt quæ opera nostra cõdiunt, scilicet, recta intentio & hilaritas seu mentis intẽtio. Vnde Apostolus, contra hypocrisin & intentionem non rectam, ait: Qui tribuit in simplicitate. Contra tristitiam verò ait: Qui miseretur in hilaritate. Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, id est, non coactè, sed sponte. Si enim cum tristitia bonum operaris,

*Isa. 38.* de te fit, non tu facis. Propterea in Isaia dicitur: Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus. Psalmus enim notat operationem, cantus mentis exultationem. Priùs autem petit salutem animæ, vt amotis peccatorum impedimẽtis, in Domino valeat exultare. Sicut idem Isa. ait: Vinea meri cantabit ei, id est, pura conscientia, iocosa, feruens & pungitiua, exultabit in Domino. Vinea autẽ meri dicitur sancta cõuersatio cũ labore disciplinæ, & puritate cõscientiæ. Merũ enim dicitur purũ, & in vinea excolẽda multus est labor. Vnde in Prouer. De fructu manuũ suarũ plantauit vineã, id est, de operibus suis bonã conuersationẽ. Debemus igitur manibus plaudere, vt manus operetur & lingua cõfiteatur. Vnde in Cant. dicitur: Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorũ, id est, in anima coccinea charitatis ardore. Sunamitis enim coccinea interpretatur, choros castrorũ, id est, laudẽ canentiũ & pro veritate pugnantiũ. Hanc autem spiritualẽ lætitiã non operatur diuitiatũ copia, nõ fallax mundi gloria, nõ honor mundi, nõ potestas seculi, nõ corporis sanitas, nõ prolis fœcunditas, sed puritas cõscientiæ, & munditia vitæ. Vnde Psal. Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas cõfitebor Domino. Nisi enim has portas ingressi fuerimus, dignè Deũ laudare nõ valemus, quia nõ est speciosa laus in ore peccatoris: sicut scriptũ est: In inferno, id est, in mortali peccato, quis cõfitebitur tibi? Et iterũ: Educ de carcere animã meã ad confitendũ nomini tuo, id est, de tenebris & angustia mortalis peccati. Oportet enim Solẽ gratiæ præuenire nos ad benedictionẽ, id est, vt gratia nos præueniat ad benedicendũ Deum. Ad vesperũ enim demorabitur fletus, cadente, scilicet, in nobis Sole gratiæ. Vnde & vespera dicitur, quasi væ spirãs. Propterea Propheta ait: Psallã & intelligã in via immaculata, quãdo venies ad me. Nisi enim Deus ad nos venerit & fuerimus immaculati, in via hac nec

*Eccles. 34.* dignè psallere, nec purè intelligere valemus. Vnde in Eccles. dicitur: Sicut parturientis cor tuum phantasias patietur, nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio. Plaudere etiã debemus manibus, id est, applaudere Dei operationibus, vt in omnibus gratias agamus: sicut scriptũ est: Adiiciã super omnẽ laudẽ tuã, id est, super laudẽ creationis adiiciã laudẽ recreationis. Siue enim corporaliter siue spiritualiter refecti fuerimus, semper in fine gratias agere debemus, vt in nobis impleatur quod scriptũ est: Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum. Est autem triplex

*De triplici plausu.* plausus, scilicet, incipientium, proficientium & præuenientium. Vnde triplex festum celebrare consuerunt antiqui. In ablactatione paruulorum, sicut Abraham, ecce festum paruulorum.

In ton-

In tonſione ouium,ſicut legimus de Abſalone. Hoc eſt feſtum proficientium,quod celebrauit Matthæus, quando relictis temporalibus,ſecutus eſt Dominum. In ventilatione areæ,ſicut legimus de Booz. Hoc erit feſtum bonorum in iudicio. Non ſolum autem manibus plaudere, ſed etiam Domino in voce exultationis debemus iubilare. Eſt autem iubilus prædicationis,iubilus exultationis,& iubilus laudationis. Iubilus prædicationis communis eſt lætitia cordis & oris. Vnde Iob: Donec impleatur riſu os tuum,& labia tua iubilo. Iubilus exultationis eſt gaudium cordis,quod omnino nõ poteſt exprimi,nec penitus taceri. Vnde Iſaias: Secretũ meum mihi. Iubilus laudis eſt lætitia ſine verbis voce expreſſa. Productio,ſcilicet,cantus,quæ ſolet fieri ſuper aliquam ſyllabam. Vnde Iſaias: Iubilate montes laudem. Habeamus igitur puritatem conſcientiæ,ſanctitatem iuſtitiæ,ſuauitatem lætitiæ. Qui enim in peccatis eſt,non poteſt gaudere gaudio illo,de quo dicitur in Iudith: Erat omnis populus iocundus ſecundum faciem ſanctorum. Iocunditas quidem cordis ſanctorum relucet in facie eorum, quæ eſt temperata lætitia,& ſuis finibus caſtigata,ſicut ſcriptum eſt: Exultate ei cum tremore. Ne modum excedat exultatio,vt ſit diſſoluta vel nimis ſecura, ſed in die bonorum non ſimus immemores malorum. Deum autem tripliciter laudare debemus corde,ore,& opere. Plaudite manibus,ecce laus operis. Iubilate Deo,ecce laus cordis. In voce exultationis,ecce laus oris. Sic enim oblatio laudis gratioſa eſt & Deo accepta, ſi ſit affectuoſa in corde & fructuoſa in opere,atque ad proximorum ædificationem & incitationem in voce. Propterea Pſalmus ait: Deo noſtro iocunda ſit laudatio. Tunc enim iocunda & placens Deo eſt laudatio noſtra,ſi quod ore canimus,in corde habemus,& opere non impugnemus. Dignè igitur Deum laudamus, dum cor ſententiis, os præconiis,& manus inuigilat donariis. Hoc eſt triplex ſacrificium Deo acceptum,ſcilicet,exultationis in corde,de quo dicitur: Plebs tua lętabitur in te. Laudis in ore,de quo dicitur: Sacrificium laudis honorificauit me. Iuſtitiæ in opere,de quo dicitur: Acceptabis ſacrificium iuſtitię. Sunt igitur tres ſpecies plaudendi,quæ per tria inſtrumenta in ſcripturis ſanctis deſignantur. Quædam enim ſonant pulſu manus,vt cythara & pſalterium,per quæ laus operis,quædam ſonant flatu vt organa,per quæ laus ex deuotione cordis,quædam vocem emittunt lingua,palato & labiis: ecce laus oris. Has autem plaudendi varietates oſtendit Salomon in Canticis, vbi ait: Introduxit me Rex in cellaria ſua,exultabimus & lætabimur in te,memores vberum tuorum. In cellaria introducitur dum inebriatur feruore deuotionis,& exultatione mentis. Exultat corpore hilariter operando ea,quæ per corpus exterius exercentur. Lætatur ore cantando,& Deum in voce exultationis laudando. Memores vberum tuorum,ex quibus mel diuinitatis & lac humanitatis Chriſti ſugimus. Vnde Pſalmus: Conſtituite diem ſolemnem in condenſis,id eſt,in ſpe condenſitatis,& plenitudinis æternorum præmiorum. Ad prædictos autem plaudendi modos inuitat nos Pſalmus, vbi ait: Laudate Dominum in tympano & choro,laudate eum in chordis & organo. In tympano per carnis mortificationem deſiccato laudandus eſt Deus. Quod ſi humectatum fuerit per carnis voluptatem,ſonum non reddit. Si plenum tertia fuerit per auaritiam,ſoni dulcedinem amittit. Si nimis tendatur per indiſcretionem,rumpitur & à Domino reprobatur. In tympanis autem mulierum ſpecula affiguntur,vt carnis mortificationi exempla ſanctæ conuerſationis ſocientur. In choro ſiue in choria mulierum voces conſonant,& ſeſe manibus mutuo tenent. Laudant igitur Dominum in choro,qui concordes ſunt in bono,quorum cor eſt vnum,& anima vna. Sicut enim manus in manu,non eſt innocens manus in illis, qui conueniunt de vanitate in idipſum, ita manus in manu innocens eſt manus in his qui concordes ſunt in bono. Sicut in Ezechiele legitur,quod quatuor facies erãt vni animali. Facies enim leonis,aquilę,vituli,& hominis in vnũ conueniunt,dum potentes huius ſeculi,qui per leonem deſignantur, & contemplatiui,qui per aquilam, & pœnitentes carnem ſuam mactantes, qui per vitulum,& qui ſimpliciter de labore manuum ſuarum viuunt, qui per hominem,per concordiam ſibi inuicem ſociantur. In chordis autem ſpecialiter illud inſtrumentum intelligimus,quod viella à modernis appellatur, in qua quinque chordæ dulcẽ ſonum reddunt,ſi competenter ordinatæ fuerint & protenſæ. Prima chorda quæ breon vel breona dicitur, cui nulla alia parificatur, eſt amor Dei,qui incomparabilis eſt alij amori. Secunda chorda ſonum reddit, dum ſeipſum homo poſt Deum diligit. Tertiam chordam pulſamus, dum proximos ſicut noſipſos amamus. Quartam chordam tangimus, dum corpus proprium ad ſeruiendum Deo diligimus. Nemo ſiquidem carnem ſuam odio habuit. Quintam chordam quæ remiſſius aliis ſonat, pulſamus,dũ bona noſtra diligimus, vt inde ſuſtentemur & ex ipſis pauperibus erogemus. Dominum inſuper laudamus in organo,id eſt,in cordis iubilatione & gaudio,dum diuinitus inſpirati exultamus in Domino. Organa enim quæ flatu folliũ ſonant, gaudium diuinæ inſpirationis deſignant. Cùm igitur tot modis laudetur Deus, à laude ipſius nunquam ceſſare debemus, præſertim cùm omnis creatura ad laudandum ipſum nos inuitet. Nemo ſiquidem donis Dei eſt beatus,qui largitori eſt ingratus. Teſte autẽ Ioanne in Apocal. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & diuinitatem,& ſapiẽtiam,& fortitudinem,& honorem,& gloriam,& benedictionem. Virtutem in natiuitate,quia de virgine natus eſt ſine peccato,Diuinitatem in baptiſmo, quia filius Dei dilectus voce paterna eſt declaratus, Sapientiã in prædicatione,fortitudinem in paſſione,honorem in reſurrectione, gloriam in aſcenſione, benedictionem in electorum ad dexteram collocatione. Et quoniam hæc Chriſti

*Ephe.5.*

*Apoc.5.*

beneficia ad salutem omnium sunt necessaria, omnes ad laudandum & plaudendum exhortatur Psalmus, dicens: Omnes Gentes plaudite manibus. Est autem plausus bonus, & est plausus malus. Est gaudium bonorum, & est gaudium malorum. Est canticum nouum, & est canticum vetus. Bonus plausus, de quo dicitur: Flumina plaudent manu, id est, sancti dulces aquas & fluenta doctrinæ in se continentes, alios irrigantes, alueum suum non deserentes, sed continuè & perseueranter fluentes, plaudunt manu cum hilaritate bene operantes. Caput enim turturis retorquetur ad axillas, dum secundum quod dicunt operantur, dum lingua confitetur & manus operatur. Item de bono plausu dicit Propheta: Cor meũ & caro mea exultauerũt in Deum viuum. Quia & corde retinebant plenam religionis fidem, & carne seruabant deuotam corporis sanctitatem. Et Isaias de bono plausu, seu bono gaudio ait: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Deserta quidem prius à Deo gentilitas, & inuia doctoribus veritatis ac fine Christo, qui dicit, ego sum via, postquam à Domino cõuersa est, in lau de Dei exultauit, & lætata est, & floruit quasi lilium odore bonæ opinionis, sicut scriptum est: Christi bonus odor sumus Deo. Per liliũ sancti intelligũtur. Vnde Dominus per Oſee: Ego sicut ros, & Israël quasi lilium germinabit. Liliũ inferius est contẽptibile, sed superius pulchrum & delectabile. Ita sancti in mundo cõtemptibiles sunt, sed in cõspectu Dei sunt pretiosi & virtutibus pulchri. Lilium altũ est & tumorẽ sedat, ita iusti alti sunt per virę eminentiã, & sedãt tumorẽ superbiæ per humilitatẽ. Liliũ candidũ est & odoriferum, & sancti candidi in se per innocentiam, & odoriferi aliis per bonam famã. Lilium sex habet folia, & iusti senarium, id est, perfectionem bonorum operũ habent. In lilio enim virgula quædã est in altum erecta in parte superiori, quasi nodum habẽs. Et viri iusti desiderio sursum tẽdunt, & quantumcunq; Deo appropinquent, nodum tamen timoris in se habẽt. Lilia in se reflexa sunt, & viri iusti post opera bona, quæ agunt per discussionẽ ad se redeunt. In terra enim argillosa liliũ bene conseruatur, ita candor innocentiæ & viror virtutũ securius conseruatur in memoria & recordatione fragilitatis propriæ. De malo autẽ plausu ironicè ait Amos: Sacrificate de fermento laudem. Quod ait propter illos qui cum fermento cupiditatis vel inanis gloriæ Deũ indignè laudant. De quibus Psalmus; Auxilium eorũ veterascet in inferno, id est, in mortali peccato à gloria eorũ, id est, propter vanam gloriam, quã quæsierunt in seculo. Malo etiã plausu exultant, qui gaudẽt in diuitiis, vbi falsitas: vel in dignitatibus, vbi vanitas: aut in carnalibus, vbi fœditas: & non in spiritualibus, vbi suauitas: nec in tribulationibus, vbi fœcunditas: neq; in ęternis, vbi stabilitas. Qui autẽ gaudẽt in Domino, gaudẽt in sempiterno. Vnde Isa. Lętitia sempiterna super capita eorũ. Ecõtra impij manibus leprosis plaudũt & exultãt in trãsitoriis & carnalibus desideriis, sed gaudiũ eorũ conuerterur in tristitia. Vnde Isa. Luxit vindemia, & infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætati sunt corde. Lugere autẽ vindemia dicitur, cũ id quod solet esse causa lætitiæ, fit causa tristitię. Vinea igitur lugebit, cũ præteritarũ deliciarum recordatio erit causa cruciatus æterni, & gaudiũ cõuertetur in luctũ. Cãtus igitur bonorũ est quẽ canit charitas exultãs in spe æternorũ. Vnde Isa. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriã iusti. Et dixi: Secretũ meũ mihi, secretũ meũ mihi. A finibus terrę, id est, ab illis, in quibus finita est terrenitas, laudes audiui, dum enim ardent spiritualia desideria, frigescunt terrena. Audiui etiam gloriã iusti, quæ est materia laudãdi, sicut scriptũ est: Cantate Domino, quia magnificè fecit. Mortẽ morte vicit, carnẽ in cœlo tulit, mundũ ad se cõuertit, & dixi: Secretũ meum mihi, scilicet, de vita æterna, quã oculus nõ vidit, nec lingua exprimere sufficit. Secretum meũ mihi de pœna æterna. Vnde subdit: Væ mihi, quasi dicat: Heu quãtæ pœnę ante oculos meos versantur, quas exprimere nequeo, sed in corde meo secretũ istud reseruatur. Cantus autẽ malorũ quẽ canit vitæ peruersitas, est ille, de quo Isa. Cithara & lyra & vinũ in cõuiuiis eorũ. Huiusmodi cãtus incipit ab alto elationis, & terminatur in imo desperationis. Quod patet in cãtu diaboli, qui tres antiphonas cecinit. Prima fuit elationis in cœlo. Secunda falsę suggestionis in Paradiso. Tertia desperationis in inferno. Hoc est canticũ vetus quod inchoatũ est ab initio. Et quoniã nihil nouũ sub cęlo, quę enim tẽpori subiacẽt, q̃ citò incipiũt esse, incipiũt veterascere, statim potest dici hoc fuit, nec est aliquid in tẽpore quod antè nõ fuerit, omne gaudiũ de his quæ sub cœlo sunt, est vetus canticũ. Charitas autẽ supra tẽpus est & nõ sub Sole. Et ipsa sola est, quę cãtat cãticum nouum, & excludit tristitiã seculi, quæ mortem operatur. Vnde in Euangelio: filij nuptiarum, id est, Christi & Ecclesiæ non debent lugere quamdiu cum eis est sponsus per inhabitantem gratiam. Vnde Michæas: Quare mœrore contraheris? Qui, scilicet, cor coangustat, sicut charitas dilatat. Et subdit, Nunquid Rex non est tibi, & conciliarius tuus periit? quasi dicat: Ex quo Christum regem habes naturæ tuæ socium & participem, confidere debes & gaudere. Ipse enim Angelus est magni consilij, paratus tibi dare consilium. Bona autem tristitia non angustat cor, sed dilatat, quia charitatem ampliat. Iuxta illud: In tribulatione dilatasti mihi. In die enim mandauit Dominus misericordiam suam & nocte canticum. Quia in nocte aduersitatis gaudere debemus in Deo, & nihilominus contristari & dolere pro peccatis nostris. Cùm enim sponsus auferrur per iniquitatem, tunc tẽpus est lugendi vt reconciliemur Deo. Frustra quidẽ quęrit consolationẽ extrinsecus, qui consolationẽ spiritualẽ amisit intrinsecus. Vnde in Tre. Idcirco ego plorãs & oculus meus deducẽs aquas, quia longè factus est à me cõsolator, id est, spiritus sanctus. Facti sunt filij mei perditi, quia pręualuit inimicus, id est, opera mea mortificata sunt per peccatũ mortale. Et quo-

*De plausu bono.*

*Isa. 35.*

*De lilio & eius proprietatibus.*

*Amos 4. De malo plausu.*

*Isa. 32.*

*De tanto bonorum. Isa. 24.*

*De tanto malorum. De tripliti antiphona diaboli. De cantico veteri & nouo.*

*Mich. 4.*

*De bona tristitia.*

Et quoniam tempus est plangendi, & tempus ridendi, post luctum contritionis plaudere debemus manibus satisfactionis voluntariæ, & læto animo Deo seruiendo. Et propter hoc Psal. ait: Omnes gentes plaudite manibus, bene operando per actiuam. Iubilate Deo in voce exultationis per contemplatiuam. Per occultum enim gaudium iubilationis designatur dilectatio contemplationis. Actiua enim præcedit, contemplatiua sequitur. Vnde Ezechiel: Manus hominis sub pennis eorum, id est, virtus operis sub volatu contemplationis. Contemplatiua vita est charitatem Dei & proximi tota mente retinere ab actione exteriori quiescere, soli desiderio conditoris inhærere. Actiua consistit in labore, contemplatiua in requie. Actiua in publico. Contemplatiua in secreto. Actiua in necessitate proximi. Contemplatiua in visione Dei. Actiua in præsenti vita incipit, & in præsenti finitur. Contemplatiua in præsenti incipit, & in futuro perficitur. Actiua communis est multorum. Contemplatiua autem speculatio, quantò subtilior, tantò rarior. Pauci enim in veritate dicere possunt. Nostra conuersatio in cœlis est. Vnde & solus Iacob luctam cum Angelo iniit & benedictionem obtinens, vocari Israël promeruit. Solus Moyses montis cacumen vt loqueretur cũ Deo ascẽdit. Solus Daniël recedẽtibus sociis, inter Angelos remansit. Solus Ezechiel apertis cœlis super fluuium Chobar gloriam Dei vidit. Solus Petrus in ectasi mente raptus fuit. Vix enim hora media fit in cœlo silentium. Ratò intrabat pontifex in sancta sanctorum. Vnde Dominus: Pauperes semper habebitis vobiscum, quia, scilicet, operibus actiuæ possumus vacare, me autem non semper habebitis, quia elabitur Deus à nostra meditatione. Ad comparationem igitur actiuæ vitæ rarus inuenitur, qui hac dulcedine perfruatur. Vnde Propheta: Confortata est & non potero ad eam. Vnde Gregorius: In quantam miseriam cecidimus, qui bonam facere non possumus, ad quod videndum creati sumus. Et Iob ait: Quare faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum, quasi dicat: Si sicut amicum hilari vultu me respiceres, in facie tua per contemplationem me delectari permitteres. Vnde subdit: Nec dimittis me vt glutiam saliuam meam? qua, scilicet, venter animę in sapore contemplationis reficiatur. Sicut venter carnis à saliua quæ à capite descendit, nutritur. Vnde Augustinus ait: Cogitationes meæ quibus conabar in te Domine, similes erant conatibus expergisci volentibus, qui pressi soporis altitudine immerguntur. Hoc est quod Iob ait: Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam. In præsenti enim nulla contemplatio sufficit ad capiendum plenè gloriam subtilitatis ipsius. Vnde idem Iob rursum ait: Terminum circundedit aquis, vsque dum finiatur lux, & tenebræ: quia scientiam hominum sic moderatur in præsenti, quod non plenè apprehendant quousque lux & tenebræ, id est, vicissitudo temporum finiatur. Ordo autem harum virtutum exposcit vt per actiuum laborem studeat quisque venire ad contemplationis dulcedinem. Nam post exercitium laboris quasi in mercedem datur dulcedo contemplationis. Vnde & Iacob prius iungitur Liæ & post Racheli, & seruus Hebręus prius seruit sex annis, vt septimo liber egrediatur. Sunt autẽ aliqui feruentes diuino amore in ipso exordio conuersationis, qui ad contemplatiuæ vitæ suauitatem incipiunt anhelare: sed diuina dispensatione prius in actiua laborare permittũtur. Vnde etiã Iacob Rachelem concupiuit, sed Liam nocte nescius accepit. Quia multi licèt contẽplationem desiderent, tamen pro multorũ vtilitate in nocte præsentis vitæ prius laborare permittuntur. Paucis autem confertur hæc gratia, vt sine labore actionis perueniant ad dulcedinem contemplationis. Vnde in Exodo: Bestia quę tetigerit montẽ, lapidibus obruatur. Teste autem Gregorio, qui adhuc infirma mente terrena desiderant, sublimia perscrutari non præsumant. Bestia autem montem tangit, quia mẽs bestialibus subdita desideriis, ad contemplationis alta seerigit, sed lapidibus obruitur, quia summa non sustinens, superni ponderis ictibus necatur. Qui ergo cõtemplationis arcem tenere desiderat, prius se per exercitium boni operis perfectè probet, vt sollicitè consideret, si nulla iam proximus mala irrogat, si irrogata æquanimiter portat, si obiectis bonis temporalibus mens non dissoluatur lætitia, si eisdem subtractis, nõ dolore nimio saucietur. Actiua autem nõ est deserenda propter contemplatiuam, neq; contemplatiua propter actiuam. Vnde & Iacob aliquando Racheli propter eius pulchritudinem iungebatur. Et Moyses quandoq; intrabat tabernaculũ, aliquãdo exibat ad populum. Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ, vt dicitur in Canticis. Sancti enim duo vbera habent, dũ per actiuam operibus misericordiæ & lacte doctrinæ proximos fouent, & per contemplatiuam quasi vbere mellifluo delectantur. Hinnulis autem comparantur sancti, quia alacriter operantur per actiuam, & limpidè intuentur per contemplatiuam. Gemelli in dilectione Dei & proximi, & filij capreæ, id est, Ecclesiæ. Hi sunt velut pennæ columbæ, deargentatæ inter medios cleros dormientes, quia duplicem gratiam, scilicet, actionis, & contemplationis à Deo sunt sortiti. Ipsi enim pennati per volatum contemplationis, columbini per studium simplicitatis, deargentati per puritatem locutionis, inter medios cleros dormiunt, dum à mundana cupiditate oculos claudunt. Columba igitur deargentata, id est, anima sancta & pura duas habet alas, actiuam, scilicet, & contemplatiuam. Ala autem actiuæ septem habet pennas, quæ sunt septem opera misericordiæ. Similiter & contemplatiua septem quæ docentur in Euangelio, scilicet, paupertas spiritualis, luctus & alia quæ sequuntur. Vnde etiam Iacob septẽ annis seruiuit pro Lia & totidem pro Rachele. Hæ pennæ debent esse deargentatæ, vt ad imitationem Christi informentur, cuius humanitas argento comparatur. Vel argentatæ dicuntur, dum operibus actiuæ & con-

*Debemus plaudere manibus per actiuã. & iubilare Deo per contemplatiuam.*

*De collatione actiuæ & contemplatiuæ.*

*De paucitate contemplatiuorum.*

*Simile.*

*Iob 27.*

*Iob 26.*

*Per actiuam peruenitur ad contemplatiuam.*

*Actiua propter cõtemplatiuam non est deserenda, nec econtrario.*

*De columba deargẽtata, et pennis eius.*

& contemplatiuæ vtimur, secundum scripturas diuinas. Plaudere igitur oportet prius manibus bonæ operationis per actiuam, vt tandem iubilemus Deo in voce exultationis per contemplatiuam. Post multiplices enim labores actiuæ moritur anima mundo & sibiipsi, vt per contemplatiuam vacare possit Deo. Cum dolore enim parit Rachel, & moritur pariendo, quia difficilè est vincere sensualitatem, & rapi ad contemplationem. Per ben-oni enim, id est, filium doloris peruenitur ad Ben-iamin, id est, filium dexteræ, & leuatur anima supra se in speculationis, & immutabilium speculatione. Vnde Ezechiel: Emissa similitudo, manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram & cœlum, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei. Cincinnus est confluentia bonarum cogitationum, per quas Dominus contemplatiuos sursum trahit, vt terrā sub se habeant terrena conculcando, & cœlum supra se cœlestibus inhiando. Et ita fit firmamentum, id est, firma mens contemplatiui in medio aquarum, dum aquas inferiores, id est, voluptates carnales sub se calcat, & ad aquas superiorum gratiarum ardenter anhelat. Et sic in visione Dei & contemplatione diuinæ maiestatis adducitur, & rapitur ad supernam Hierusalem, subleuante eum manu Domini Iesu nostri Christi, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

*De spirituali morte cōtemplatiuorum, & eleuatione ad superiora.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Epistola ad Romanos. 6.

*Rom. 6.* *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatē: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem.*

*De quinque ciuitatibus sensuum, & loquela eorū.*

IN die illa erūt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan. Verba sunt Isaiæ ostendentis quod sicut seruimus diabolo, ita debemus seruire Deo. Per quinque enim ciuitates quinque sensus corporis intelligimus, qui obsessi sunt vndique in terra Ægypti, quasi in terra hostili, & idcirco cautè sunt custodiendi. In ciuitate siquidem obsessa portæ non solent aperiri ante solis ortum. Vnde & Nehemias præcepit ne aperirentur portæ Hierusalem ante solis calorem, propter hostium circunstantium insidias. Et nos portas sensuum non aperiamus in tenebris vanitatis, sed cautè custodiamus illas tanquam columbæ ad fenestras suas, ne, scilicet, mors intret per ipsas. Claritati autem solis illas aperiamus, vt loquamur lingua Chanaan, id est, lingua commutata. Oculus qui prius loquebatur lasciuiam, loquatur lachrymarum effusionem. Verba enim oculorum sunt lachrymæ, quæ pondera vocis habent. Vnde in Threnis: Non taceat pupilla oculi tui. Aures quæ prius audiebant detractionem, audiant verbū Dei ad ędificationē, & olfactus qui prius in vnguentariis, variisq; odoribus delectationem quærebat fœtorem peccatorum ad memoriam reducat, vt fodiat & stercora mittat. Dū enim immunditias suas mens recolit ad compunctionem, terra cordis stercoratur ad fructificationem. Similiter & gustus mutet linguam suam, vt qui prius cibis delicatis delectabatur per gastrimargiam, delectationes præteritas puniat per abstinentiam. Vnde Iob: Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Delicię quidem temporales sunt insulæ, quia sapientiæ non sunt conditæ. Similiter os, quod loquebatur peccati excusationem, loquatur lingua mutata accusationem. Manus quæ antè loquebantur ruinam, loquantur eleëmosynam. Et quem prius tangebat vestis suauitas, tangat cilicij asperitas. Sensus ergo qui prius loquebantur Azoticè, de cętero loquantur Iudaicè. Nam de illis qui Azoticè loquebātur, conqueritur Nehemias, eò quòd nescirent loqui Iudaicè. Azotus ignis vberum interpretatur, Azoticè igitur loquitur, qui concupiscentiis & deliciis indulgent. Iudaicè loquuntur, qui Deum laudāt, & peccata confitentur. Si igitur os tuum locutum est de ventris concupiscentia, amodò loquatur de abstinentia, & ita loquatur lingua commutata. Quia aut tu mutabis linguam tuam, aut Deus mutabit suam. Sic Isaias ait: In loquela labij, & lingua altera loquatur huic populo. Modò enim loquitur nobis lingua dulci inuitans ad pœnitentiam, sed tunc asperè loquetur, cùm dicet: Ite maledicti in ignem æternum. Debemus autem non solùm sensus nostros, sed omnia membra nostra diuino seruitio mancipare, & de malo ad bonum conuertere. Quorundam autem membra adeo sunt corrupta, vt à planta pedis vsque ad verticem in eis non inueniatur sanitas. Diabolus enim caput inficit elatione. Vnde Iob: Cucurrit aduersus Deum collo erecto, Oculos liuore inuidiæ. Iuxta illud: Nunquid oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Dentes stridore iracundiæ, sicut dicitur in Euangelio, quod dæmoniacus stridebat dentibus. Pectus frigore seu torpore acediæ, sicut scriptum est: Mors in olla, id est, tristitia in corde. Manus ariditate auaritiæ. Vnde habenti manum aridam ait Dominus: Extende manum tuam, & restituta est sanitati. Quod fit, cùm pauperi manum porrigimus eleëmosynas erogando. Ventrem auiditate gastrimargiæ, sicut ait Apostolus: Esca ventri & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet. Renes ardore luxuriæ, sicut per Ieremiam ait Dominus: Saturaui eos & mœchati sunt. Pedes affectuum timore male humiliante & calore malè inflammante, iuxta illud: Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Propterea in hodierna Epistola Apostolus ait: Humanum dico, &c. Humanum quidem & leue præcipit, ne forte religio

*De infectione & corruptione membrorū*

ligio christiana importabilis & aspera nimis videretur, & ideò ab infirmis fugeretur, scilicet, ea mensura seruire Domino, qua prius seruiebat peccato. Cùm vtiq; propensius seruiendum esset Deo quàm peccato, cum hîc salus, illic sit damnatio. Est ergo sensus: Humanum dico, nam maiora deberem dicere si possetis ferre, sed parco infirmitati vestræ, quæ est à carne, non exigẽs plus boni quã feciſtis mali. Suauior enim est iustitia quã iniquiras, & ideò magis amãda & magis est seruiendũ isti, quã illi. Quid sit autẽ illud humanũ ostendit, pudorem incutiẽs: dum ait: vt hoc saltem impendant iustitiæ, quod prius impenderant immunditiæ. Et hoc est: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ carnis, scilicet, quæ corpus inquinat, & iniquitati, quæ, scilicet, mentem corrumpit & maculat. Iniquitati dico ducenti ad iniquitatem, id est, ad mali consummationem, sicut scriptum est: Abyssus abyssum inuocat, id est, vnum peccatum aliud attrahit. Vt qui in sordibus est, sordescat adhuc: ita nunc cùm sitis liberati à peccatis, exhibete membra vestra seruire iustitiæ, ducenti in sanctificationem, id est, ad boni consummationem, quasi dicat: Sicut iustitię prępoſuiſtis voluptatem peccati, ita delectationem iustitiæ præponatis voluptatibus carnis. Membrorum siquidem nostrorum & sensuum officinas mundas debemus seruare, sicut homines huius seculi officiorum vasa studeant seruare munda. Qui autem membra sua quæ Deus dedit ei, seruitio diaboli exponit, non minus proditionis reus est, quàm qui castrum Domini sui tradit in manus hostium, & proprio Domino de feudo eius guerram mouet. Non enim plus iuris habes in membris tuis ad vtendum propria voluntate quàm in alienis. Vnde Apostolus: Empti estis pretio magno, & non estis vestri. Auferamus igitur membra nostra diabolo, & reddamus illa Domino. Primogenitum asini commutemus oue, id est, asininam stoliditatem in simpliciratem ouinam. Sicut fuit nobis studium in peccando, ita sit nobis sollicitudo in pœnitendo, & strennuitas in operando. Offeramus pilos capratum contra delectationem & fœtorem peccatorum. Teste autem Gregorio: dum transitorio labore atterimur, à perpetuo liberamur. Si autem caro tua per imperfectam pœnitentiam inuenta fuerit semicocta, in ignem purgatorij proieceris, donec ad perfectum decoquaris. Sicut igitur fortis fuit peccator in peccati perpetratione, ita fortis sit in satisfactione, vt pœna respondeat culpæ. Vnde Ieremias: Erit cor fortium Idumeæ in die illa quasi cor mulieris parturientis. Vt delectationi, quam habuit in peccando, respondeat cordis dolor, & anxietas in satisfaciendo, & restituamus debitum vsq; ad vltimum quadrantem. Non enim sufficit reddere trientem contritionis, confessionis, & satisfactionis sine quadrante perseuerantiæ finalis. Sicut igitur proni fuimus ad peccandum, ita prompti simus ad pœnitendum, vt clauus clauo retundatur. Vnde Dominus per Ioël: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. In ieiunio contra concupiscentiam carnis. In fletu contra concupiscentiam oculorum. In planctu, quod est signum humilitatis, contra superbiam vitæ. Et Abdias de Esau, id est, de carne pilosa desideriis ait: Sicut feciſti, fiat tibi, retributionem tuam conuertam in caput tuum. Hoc est quod Ihephte ait: Filia mea decepisti me & decepta es. Et Isaias: Væ qui prædaris, quoniam prædaberis. Patet igitur quod exhibere debemus membra nostra seruire iustitię, sicut exhibuimus ea seruire iniquitati & immũditię, quod Apostolus humanum & leue reputat. Hodie autem multis valde graue videtur, si quis eis iungerer, vt tantum facerent pro anima, quantum fecerunt pro carne, tantum laborarent pro Domino, quantum laborauerunt pro mundo.

*Expositio literæ vbi ostenditur quod propensius debemus seruire Domino, quàm seruierimus diabolo.*

*De munditia membrorum.*

*Sicut proni fuimus ad peccandum, sic proni simus ad pœnitendum.*

*Ierc. 49.*

*Ioël. 2.*

*Impiger extremos currit mercator ad Indos.*
*Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

*Quod multum laborant peccatores in seruitio diaboli.*

*Horat. Epist. lib primo.*

Transeunt mare mercatores per biennium non reuersuri exponentes semetipsos variis periculis pro pecunia lucranda. Vigilant noctibus integris fornicatores, vt suam quandocunque cum periculo propriæ personæ valeant libidinem explere. Vigilant lusores ad talos & aleas, lasciuæ mulieres ad ludos & choreas.

*Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.*

*Ibidem.*

Multi vt se de inimicis vindicent multis annis guerras difficiles, & pugnas laboriosas sustinent. Milites, vt laudem vanitatis reportent in tormentis, multa patiuntur, & frequenter verberati martyres diaboli efficiuntur. Quantum dedecus Christiano, quanta ignauia, quanta magna miseria, quod multum impendit diabolo, & modicum Deo, & quod serui diaboli feruentiores sunt in malo, quàm serui Dei in bono. Vnde & Ieremias ait: Velociores aquilis equi eius, id est, mali qui ferunt diabolũ, velociores sunt ad malum, quã aquilæ, id est, iusti ad bonum faciendum. Proniores autem & feruentiores debemus esse ad bonum, quàm fuimus ad malum. Vnde Ioël: Plange quasi virgo accincta sacco. Accingi pugnantium est. Pugnaturi autem contra carnem & diabolum sacco, id est, asperitate accingi debent adaptando & astringendo sibi pœnitentiam, ne tanquam vestis laxa defluat. Pœnitentiam autem sibi astringit, qui supra id quod sibi iniunctum est, aliud addit. Pœnitentiam autem sibi aptat, qui contrariis contraria curat. Vnde ad pœnitentes Isaias ait: Descende sede in puluere virgo filia Babylonis sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis & tenera. Virginem & Babylonis filiam vocat animam sterilem & confusione plenam, quam iubet sedere in puluere, id est, humiliari ad pœnitentiam, quæ erecta fuerat per superbiam. Sonat igitur in hoc loco virgo sterilitatem, sicut cùm dicitur; quod filia Ihephte duobus mensibus fleuit

*Ierc. 4.*

virginitatem

virginitatem ſuam, id eſt, ſterilitatem. Duobus menſibus dicit propter perpetrationem mali, & omiſſionē boni. Hæc filia eſt caro noſtra, quæ ſæpè homini reuertenti à bono opere, occurrit prima, quietē & delicias appetēdo. Cui reſpōdere debemus: Decepiſti me & decepta es, & eam mactare Domino, ſicut Iephthe filiā immolauit. Debet igitur pœnitens deſcēdere & ſedere in terra, vt reputet ſe terrā eſſe & cinerem. Vnde ſubditur: Nō eſt ſoliū filęi Chaldęorum, quaſi dicat: Iam te nō filiā regis reputes, ſed dicas patri tuo, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis, vt duris, ſcilicet, & laborioſis operibus exerceat pœnitēdo, quia in deliciis fuit contra te peccādo. Vnde ait: Nō vocaberis vltra mollis & tenera, ſed duris, ſcilicet, laboribus affligeris, & loco voluptatis aſperitatē ſuſtinebis, vt ſicut exhibuiſti membra tua ſeruire iniquitati & immūditię, ita exhibeas illa ſeruire pœnitentiæ. Hanc autē mutationē & compenſationē debere fieri, oſtēdit Apoſtolus triplici ratione. Qui enim in peccatis eſt, ſeruus eſt, & inde fructū malū & acerbum colligit, & finē peſſimum incurrit, ſcilicet, dānationem & mortē æternā. Ecōtra qui Deo ſeruiunt, verè liberi ſunt & fructum ſanctificationis colligētes finē habēt vitā ęternā. Et hoc eſt quod in hodier. Epiſt. ſubiungit. Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitię, id eſt, cùm peccatum dominaretur vobis, caruiſtis Domino iuſtitiæ. Ad peccata ſiquidē liber eſt, qui peccati ſeruus eſt, liberè enim ſeruit qui voluntatē Domini libenter facit. Hæc autem mala libertas dorum eſt ſeruitus. Vnde Iere. Seruietis diis alienis, qui nō dabunt vobis requiem. Diabolus enim durus eſt exactor, & ſeruis ſuis iugū durum imponit, & onus graue. De quo Iſa. Onus iumentorum auſtri. Sunt autē tria onera grauiſſima iumentorū diaboli: Vanitas, Iniquitas, Calamitas. Vanitas deprimens, iniquitas curuās, calamitas frangens. Vanitas mūdi excæcat & aufert cœleſtium cōtemplationē. Iniquitas animi præcipitat, & aufert Dei & proximi dilectionē. Calamitas detinet in pœnā æternā. De his tribus Oſee dicit: Araſtis impietatē, meſſuiſtis iniquitatē, comediſtis fructū mēdacij. Impietas aratur, quādo quis ex ſtudio mundi vanitatē meditatur. Iniquitatē metet, qui ex cogitatione prauum opus colligit. Mendacij fructū colligit, qui prout geſtum in corpore apud inferos recipit. Patet igitur quòd qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati, & malum atq; amariſſimum fructum inde colligit. Vnde Apoſt. ſubdit: Quē fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? quaſi dicat: Malum fructum habuiſtis in illis turpitudinibus peccatorum, in quibus, id eſt, in quorum memoria erubeſcitis, nunc cum ſanę mentis eſtis. Hęc eſt cōfuſio vtilis, ſcilicet, perturbatio animi reſpicientis peccata ſua, & reſpectione horrētis, & horrore erubeſcentis, & erubeſcēdo corrigentis. Hæc eſt bona erubeſcentia, de qua Iere. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Et in Pſal. dicitur: Ex Baſan cōuertam, id eſt, ex confuſione, quæ eſt pro peccatis. Et Mich. ait: Veniens vſq; ad Babylonē, ibi liberaberis: Quandoque enim ita homo de peccato ſuo cōfunditur, quod in ipſa cōfuſione veram agit pœnitentiā, & ita liberatur. Vnde Pſal. Imple facies eorū ignominia, & quęrent nomē tuum Domine. Eſt autē confuſio bona & cōfuſio mala. Eſt erubeſcentia bona, & eſt erubeſcentia mala. Vnde Iere. Cōfuſi ſunt, quia abominationē fecerunt, quin potius cōfuſione nō ſunt cōfuſi, & erubeſcere neſcierunt. Ecce duplex cōfuſio, vna mala, & alia bona, de erubeſcentia ſeu verecundia bona, dicit Pſal. Tota die verecundia mea cōtra me eſt. Et Iere. facies ſenum nō erubuerūt. De erubeſcentia mala dicit Iſa. Erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis, cū fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus ſine aqua. Erubeſcēt in iudicio peccatores ſuper hortis, id eſt, voluptatibus, pro quibus hīc erubeſcere noluerunt. Quercus fructu ſuo paſcit porcos, ſic impij operibus ſuis ſpiritus immundos. Quercus amiſſis foliis, nihil retinet pulchritudinis, ſic impij in morte tēporalibus amiſſis. Collecto enim fructu tēporalium vacui apparēt, & aridi ſicut hortus ſine aqua, cuius fructus humore gratiæ nō irrigatur. Hoc autē quod ait Apoſt. Quē fructum habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis, negatiuè poteſt intelligi de bono fructu, quaſi dicat: Per peccatū ſteriles facti eſtis, & nullū fructū habuiſtis. Vnde Oſee: Da eis Domine, quid dabis eis? Vuluā ſine liberis, & vbera arētia. Et iterū ait: Si enutrierint filios ſuos abſq; liberis eos faciā in hominibus. Peccatū enim mortale filios bonorū operū mortificat & extinguit. Vnde in Deut. dicitur: Sementē multā iacies in terrā, & modicū cōgregabis, quia locuſtæ deuorabūt omnia, id eſt, elatio vanitatis & inſtabilitas mētis, quę deuorāt ſemen prædicationis & operā ſapientiæ, quæ ſunt ſemen æternæ gloriæ. Vineā plātabis & fodies, & vinum nō bibes, nec colliges ex ea quippiā, quoniā vaſtabitur vermibus, id eſt, inquietudine malę cōſcięti ę, vel vermibus prauorū deſideriorū. Vinea autē eſt exercitiū & labor pœnitētiæ, quę foditur dū homo conteritur, vel peccata cōfitetur. Sed inde vinū nō bibit, qui torpeſcere incipit variis tēptationibus fatigatus. Similiter prelati vineā plantāt & fodiūt, ſubditos inſtruēdo. Sed vinū nō bibunt, dū peccuaritiā & inanē gloriā ea q̄ ſua ſunt, nō quę Ieſu Chriſti, quęrūt. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & inde nō vngeris oleo, quia defluēt & peribūt, ſcilicet, dū humanū fauoré captas operā miſericordię faciēdo. Vnde bonę & ſerenę cōſcientię oleo cū fatuis virginib⁹ priuaris. Filios generabis & filias, & nō frueris eis, quoniā in captiuitatē ducētur, id eſt opera tua propter mortale peccatū, terrā ęternę vitę nō hęreditabūt. Omnes arbores tuas & fruges terrę tuę rubigo cōſumet, id eſt, inuidia, ira, & cordis malitia fructū boni operis euacuabit, diſſipabit & deſtruet. Et hoc eſt quod Apoſt. ait: Quē fructū habuiſtis, in quibus nūc erubeſcetis, quaſi dicat: Nullū fructum cōſecuti eſtis ex peccatis niſi malū & acerbū fructū. De quo dicitur: Arbor mala facit fructū malū. Propterea Pſal. ait: Propter quid irritat impius Deū? Quaſi pro vili & breui, & modica delectatione

*De mala libertate.*

*De triplici onere ſeruitutis.*

*De bona confuſione peccati.*

*Iere. 3.*

*Mich. 4.*

*Iere. 6.*

*De ſterilitate peccati.*

*Deut. 28.*

ctatione animã precioſam diabolo vendidit. Teſte Eccle. Malitia horæ obliuionẽ facit luxuriæ maximęq. In ſubita enim & improuiſa afflictione, vel in morte ſtatim nõ iuuãt prętęritę delicię. Sicut autẽ pulli cuculi nutricẽ deuorãt, ſic peccatũ carnẽ cõſumit, & conſcientiã lædit. Fructus ſiquidem peccati eſt velut fructus cucurbitæ, qui quãdo recẽs eſt, comeſtibilis eſt, & poſtmodũ quaſi in lignũ dureſcit & comedi nõ poteſt. Sic peccatũ, & ſi à principio delectet, poſtmodũ afflictionẽ inducit. Vnde Iob: Radix Iuniperorũ cibus eorũ. Iuniperus radices habet leues & comeſtibiles, ſed pro foliis ſpinas emittit. Sic carnalis delectatio, quę prius lenis & ſuauis videtur, poſtmodum ſpinas malæ cõſcientiæ & punctiones æternas producit. Ecce fructus amarus peccati, de quo Dominus per Oſee: Effraim in amaritudinibus ſuis ad iracundiã me prouocauit. Peccatũ enim mortale ita amarũ eſt, quod omnes mundi dulcedines nõ poſſent eius amaritudinem tẽperare. Vnde Iere. Potũ dedit vobis aquã fellis. Peccauimus enim Domino, id eſt, peccatis noſtris illũ, qui dulcis eſt & ſuauis, nobis amarũ & aſperũ fecimus. Et per eundẽ Ierem. Dominus ait: Cibabo populum iſtũ abſynthio, & potũ dabo eis aquã fellis. Et rurſus idẽ Iere. ait: Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio, id eſt, voluptatis vino, quod verè abſynthiũ eſt palato corrupto. Et in Thren. ait: Recordare paupertatis & trãſgreſſionis meę abſynthij & fellis. Trãſgreſſio enim mandatorũ animã ſpoliat & depauperat, & malę cõſciẽtię amaritudinẽ inducit. Talis eſt fructus peccati. Vnde in Parab. Dolor patris filius ſtultus, & tecta iugiter perſtillãtia litigioſa mulier. Filius tuus, id eſt, affectus, ſi ſtultus & ebrioſus fuerit, vt mũdi delectationibus inebrietur, dolor tuus eſt. Maligni autẽ ſpiritus habitãtes in aëre, qui eſt quaſi tectũ ſupra nos pluuias tẽtationis & ſeductionis ſtillare nõ ceſſant. Mulier litigioſa eſt mala cõſcientia, quæ mentẽ accuſat & lacerat. Eſt igitur cordi prauorũ triplex dolor, filius ebrioſus, coinquinãs ſtillicidiũ, & malæ vxoris litigiũ. Ecce quot incõmoda proueniunt ex peccato. Vnde in Deutero. dicitur: Percutiet te Dominus egeſtate, febre, frigore, ardore, & ęſtu, aëre corrupto, & rubigine & perſequetur donec pereas. Egeſtas eſt defectus ſpiritualiũ. Vnde in Thren. Omnis populus eius gemẽs, & quęrens panẽ. Febris eſt intemperantia mali deſiderij, quã deſcribit cũ ſubdit: Frigore & ardore. Per frigus auaritia, per quã refrigeſcit charitas, per ardorẽ luxuria deſignatur. Hæc eſt febris qua laborabat ſocrus Petri, id eſt infœlix anima, ad quã ſanandã neceſſe eſt, vt Deus apponat manũ gratiæ. In æſtu deſignatur ardẽs deſideriũ pręeminentię. Vnde Oſee: Effraim paſcit ventum, ſequitur æſtum, id eſt, vanitate ſeculari delectatur, dũ æſtum ſuperbiæ ſectatur. Aër corruptus eſt praui exẽpli peſtilẽtia. Per rubiginẽ autem inuidia. Vnde in Prouer. Putredo oſſiũ inuidia. Patet ergo quàm peſſimus ſit peccati fructus. De fine autẽ peccatorũ ſubiungit Apoſtolus: Finis illorũ mors eſt. Et iterũ: Stipendia peccati mors, quaſi dicat: De fructu quæſiui, nã de fine patet, ſcilicet, quod finis illorũ, id eſt, exitus vitę & actuũ eſt mors æterna, quæ illis operibus & talia operantibus debetur & ſuccedit. Stipendiũ autẽ dicitur à ſtipe pendẽda, id eſt, ſubſtantia ponderãda. Stipendia ergo peccati, id eſt, digna, retributio pro peccato, eſt mors æterna. Vnde Iſa. In menſura cõtra menſurã iudicabit eã, quia, ſcilicet, peccauit, in ſuo æterno punietur in Dei æterno, vel in menſura indignationis & furoris, cõtra mẽſuram benignitatis & dulcedinis, quã nobis in primo aduentu exhibuit. Sicut enim zelus domus Dei Chriſtum comedit, & eius indignationem quaſi deuorauit, dum rigor à miſericordia abſorptus eſt, ita in iudicio quantum ad reprobos videbitur abſorberi miſericordia à rigore, vt non appareat miſericordia, ſed iuſtitia, ſicut ſcriptum eſt: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Licet igitur ſicut Salomon ait in Prouer. Suauis ſit homini panis mendacij, id eſt, voluptas peccati, quæ ſatietatem falſo promittit, poſtea tamen os implebitur calculo, id eſt, lapide ignito, qui manducando non poteſt conſumi, quia durus eſt, nec in ore tolerari, quia ardens, nec eiici poteſt, quia os ab ipſo repletur. Hic eſt ignis gehennæ, quem homo à ſe excutere nõ poterit, ſed quaſi incorporabitur illi, & inſeparabiliter adhęrebit, nec poterit ſuſtineri quia intollerabilis, nec cõſumi poterit, quia inextinguibilis erit. Ecce quã horribilis eſt finis peccati. Vnde Iſa. Væ impio, in malũ retributio manuũ eis fiet ei. Ecõtra de retributione iuſtorũ dicit: Dicite iuſto quoniã bene, quoniã fructũ adinuentionum ſuarum comedet, id eſt, mercedẽ pro ſuis operibus recipiet. Quæ ſeminauerit homo, hęc & metet. Qui ſeminant ventũ, turbinẽ metent. Vanitatẽ enim huius ſeculi ſequitur turbo tẽpeſtatis perpetuæ. Qui ſeminãt in carne, metẽt corruptionẽ. Voluptatẽ enim tranſitoriã ſequitur corruptio, quę nõ corrũpitur, & mors quę nõ moritur. Teſte enim Grego. ibi mors ſemper viuit, finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Vnde Dominus per Zachariã: Paſcã pecus occiſionis, id eſt, depaſci faciã à pœna æterna, vt mors illorũ ſit immortalis. Iuxta illud: Mors depaſcet eos. Semper enim renaſcuntur ad pœnã, *nec perit, ut poſſit ſæpe perire iecur.* Et Ierem. ait: Rex Seſac bibet poſt eos. Seſac byſſus ſacci interpretatur. Per byſſum mollicies peccati intelligitur, quæ tandẽ cõuertetur in ſaccũ aſperrimum pœnæ æternæ. Flos enim mundanæ proſperitatis in ſpinarum aſperitatẽ cõuertetur. Sicut ſpina à principio cum adhuc eſt, in herba ſuauis eſt, ſed poſtmodum flore marceſcente, ſequuntur aculei pungitiui. Vnde Naum: Infirmatus eſt Baſan & Carmelus, & flos Libani elanguit. Baſan confuſio ſeu ſiccitas interpretatur. Et ſignat illos, qui ab omni gratiæ humore ſicci permanent in confuſione peccati. De quibus dicitur: Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? Carmelus mons eſt fertilis, & interpretatur ſcientia circunciſionis. Et ſignat illos qui ſibi vidẽtur vberes & bonis operibus abundantes, habentes ſcientiã prædicãdi, ſed dum alios circun

*Eccle.11.* *Simile.* *Simile.* *De amaritudine peccati.* *Iere.8.* *Iere.9.* *Iere.3.* *Pro.19.* *De multiplici incommoda peccati.* *Deut.28.* *De fine peccati.* *Iſaiæ 27.* *Prouer.20.* *Iſaiæ 4.* *Zach.11.* *Verſus.* *Simile.*

cidi do-

cidi docent, ipſi incircunciſi remanent. Hi igitur infirmabuntur in futuro, quando flos Libani id eſt, mundanæ proſperitatis elangueſcet, id eſt, marceſcet in ipſis. Talis eſt ergo finis peccati. Vnde Apoſt. Stipendia peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna. Hæc eſt ergo finis iuſtitiæ quæ ſola gratia confertur, poſſet vtique dicere ſtipendia iuſtitiæ vita æterna, ſed maluit dicere, gratia Dei vita ęterna, vt intelligamus Deum ad ęternã vitã pro ſua miſeratione nos perducere, nõ noſtris meritis. Omne enim bonũ noſtrũ gratia ſua facit nobis meritoriũ. Nã cũ Deus coro
*Ioan.1.* nat merita noſtra, nõ aliud coronat quã munera ſua. Vnde in Euã. gratiã pro gratia, id eſt, pro eis meritis quę cõtulit gratia. Certũ eſt enim vitã ęternã bonis operibus reddi, ſed opera quibus redditur ad Dei gratiã pertinẽt. Habemus enim gratiãglorificationis pro gratia iuſtificationis. Pręſtãte Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA DE EVANGELIO ſecundum Marcum. 8.

*Cùm turba multa eſſet cũ Ieſu, nec haberent quod manducarent: conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbã, quia ecce iã triduo ſuſtinent me, nec habẽt quod mãducent.*

*Ezech.37.* OSSA arida audite verbum Domini: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum & viuetis, & dabo ſuper vos neruos, & ſupercreſcere faciã ſuper vos carnes, & ſuperextendã in vobis cutem. Verba ſunt Domini per Ezech. quẽ duxit Dominus in ſpiritu in campũ,
*Virtute verbi Dei reuiuiſcunt mortui.* qui plenus erat aridis oſſibus mortuorũ. Cãpus iſte eſt latitudo mũdi, oſſa arida ſunt peccatores ab humore gratiæ deſiccati, qui virtute verbi Dei viuificantur. Spiritus enim viuificãs, eſt ſpiritualis gratia in verbis ſacræ ſcripturæ. Iuxta illud: Spiritus vitæ erat in rotis. Neruos autẽ dat Dominus, id eſt, vnitatem fidei & vincula charitatis. Carnes ſupercreſcere facit, dãdo cor carneum, & auferendo lapideum. Carnes ſiquidẽ oſſibus ſociantur, cùm manſuetudo fortitudini, & miſericordia iuſtitiæ coniungitur. Cute oſſa operiuntur, cũ bona noſtra ſub tegmine humilitatis abſconduntur. Sic igitur virtute verbi Dei oſſa viuificata ſtãt ſupra pedes ſuos vt valeãt Domino miniſtrare. Vnde in eodẽ Ezechiele dicitur: A quatuor vẽtis veni ſpiritus & inſuffla ſuper interfectos iſtos & reuiuiſcãt. Quatuor venti, ſunt quatuor Euãgelia, quorũ flatu inſpirati ſunt credẽtes in quatuor mundi partibus. Vnde & per quatuor quadrigas in Zacharia de-
*De quadrigis & montibus æneis.* ſignãtur, vbi ait: Vidi, & ecce quatuor quadrigæ egrediẽtes de medio duorũ montium, & montes erãt ænei. Duo mõtes ænei, ſunt duo teſtamẽta ſonora per doctrinã prædicatorũ, & durabilia per æternæ retributionis effectũ. De quorũ medio quatuor quadrigæ, id eſt, quatuor euãgelia cõcorditer procedunt. Vnde in Cant. Anima mea turbata eſt propter quadrigas Aminadab, id eſt, ad pęnitentiã cõmota propter Chriſti Euãgelia. Aminadab enim ſpõtaneus interpretatur, & ſignat Chriſtum, qui de ſeipſo ſponte patri obtulit ſacrificiũ. Quadriga autẽ duplicẽ habet formã quadratã & rotundã. Et euangelica doctrina in præſenti nos quadrat virtutibus, in futuro autẽ circulabit per ęternitatis coronã. Verbo enim Dei ex ore prędicatoris quaſi fonte ex mãdibula aſini more Sãpſonis refocillati vincimus Philiſthęos & coronã acquirimus ęternam. Orate ergo Dominum fratres vt hodie verbi Dei virtute oſſa arida, id eſt, peccatores albi exterius ex mundi vanitate, duri obſtinatione, ſicci interius abſq; medulla gratiæ reuiuiſcãt. Cùm multa turba eſſet cũ Ieſu, nec haberẽt quod manducarẽt: Comedetis veſcentes, & ſaturabimini
*Ioël 2. De comeſtione & ſaturitate.* & laudabitis nomẽ Dei veſtri. Hæc prophetia Ioëlis impleta eſt in illis quos Dominus dupliciter pauit, id eſt, corporaliter ſeptẽ panibus, & ſpiritualiter verbo prædicationis. Vnde ait: Comedetis veſcẽtes, quaſi dicat: Comedetis corporaliter, veſcẽtes ſpiritualiter, & ſaturabimini, ſicut ſcriptũ eſt: Edẽt pauperes & ſaturabũtur. Diuites auari edũt, ſed nõ ſaturãtur. Auarus enim nõ implebitur pecunia. Vnde in Michęa: Tu comedes, & nõ ſatiaberis. Voluptas enim inſatia-
*Mich.6.* bilis eſt. Temporalia nõ ſatiant animam. Vnde Iere. in Threnis: Omnis populus eius gemens & quęrens panem, dederunt pretioſa quęque pro cibo ad refocillandã animam. Dederunt, ſcilicet, cœleſtia pro terrenis, æterna, pro caducis, ad refocillandã animã non ſatiandã, quia cõcupiſcentię affectus nõ ſatiatur, ſed ſemper gemit, quærẽs panẽ dum ad votũ effluentia nõ habetur.
*Iere.1. Temporalibus non ſatiatur anima, nec carnalibus voluptatibus.* Neq; enim ſiliquis porcorũ poteſt quis ſatiari. Ecõtra pauperes ſpiritu qui fatigati fuerãt Chriſtum ſequẽdo, mãducauerunt & ſaturati ſunt, ſicut dicitur in hodier. Euan. Et hoc prædixerat Dominus per Iere. Inebriaui animã laſſam, & animã eſurientẽ ſaturaui. Ebrius mentẽ mutat & linguã, ita qui ebrij ſunt charitate, quaſi in virũ alterũ cõmutantur. Vnde in 1. Reg. Samuel ad
*De ſpirituali ſaturitate.* Saul ait: Cùm veneris ad quercũ Thabor, inuenient te tres viri: Vnus portãs tres hœdos, alius tres tortas panis, & alius portãs lagenã vini. Et paulò pòſt ſubdit: Mutaberis in virũ alterũ. In tribus hœdis, trina peccatorum remiſſio intelligitur, ſcilicet, cogitationis, locutionis & operis. In tribus panibus triplex refectio, ſcilicet, vna corporalis ad ſuſtentationẽ & duæ ſpirituales, ſcilicet, refectio ſacræ ſcripturæ, & refectio Euchariſtiæ. In vino autẽ ſpiritualis cõſolatio & feruor charitatis deſignatur. Cùm igitur verba hodier. Euangelij, tã de ſpirituali, quã de corporali refectione, tã de ſaturitate ęterna in mente, quã de exteriori in corpore intelligãtur, & plena ſunt profundis myſteriis, ipſa diligentius proſequamur. Cũ multa turba inquit Euãgeliſta eſſet cum Ieſu, nec haberent quod manducarent, cõuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam. Miſeretur & compatitur vt homo verus, paſcit turbas & ſatiat ex paucis panibus multiplicatis, tanquam

tanquam vetus Deus. Conuocat autem Dominus discipulos, vt doceat magistros consilia sua minoribus cõmunicare. Exemplo igitur Domini, maiores de agendis consulant minores, congregatos in vnum, & si quid reuelatum fuerit minori quod non maiori, prior taceat, & nõ confidat de sensu suo, sed acquiescat sano consilio. Ibi enim salus, vbi multa consilia. Misereor super turbã, quia ecce iam triduo sustinent me. Triduo expectauerant, vt verbũ Dei audirent. In quo nostra reprehenditur negligentia, quæ vix vna hora sustinere & expectare volumus, dum verbum salutis nobis annuntiatur. Cùm tamẽ de Apostolo legamus, quod aliquãdo protraxerit sermonẽ vsq; ad mediã noctem. Vnde Iere. ait: Ecce incircuncisę aures eorũ, & audire nõ possunt Et in Eccles. dicitur: Ne despicias narrationẽ presbyterorum sapientium, & in prouerbiis eorum cõuersare. Et Salomon in Prouerb. Viro qui corripientẽ se dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. De his autẽ qui Dominũ sustinent, & vocẽ eius libenter audiunt, & in corde suscipiũt, dicitur Apoc. Si quis audierit vocẽ meã, & aperuerit mihi ianuã, intrabo ad illũ, & cum illo cœnabo & ipse mecũ. Vnde in triduo sustinentes & esurientes Dominus pauit, quemadmodũ scriptum est: Esurientes impleuit bonis. Esurientes non fastidientes mãducauerunt & saturati sunt. Triduũ autem Dominũ sustinemus, dum in fide sanctę Trinitatis Deũ expectamus, vt reficiamur spiritualiter, & à languoribꝰ animę sanemur. Turba triduo Dominũ expectat, cùm multitudo fideliũ peccata sua per pœnitentiã declinans corde, ore & opere satisfacit, & ad Dominũ se cõuertit. Tunc autẽ peccator illuminatur, cũ cor eius ad pœnitentiã illustratur. Per triduũ aũt triplex illuminatio designatur, vt opera nostra illuminẽtur fide, spe & charitate, & cogitatio, locutio & operatio nostra diuino lumine illustrẽtur. Hoc est triduũ quo filij Israël quęrũt recedere à Pharaone, vt sacrificẽt Domino in deserto. Quia per horũ triũ illuminationẽ, recedimus à diabolo, & accedimus ad Christũ. Per triduũ enim Dominũ iusti sustinẽt, cũ intellectũ, memoriã & volũtatẽ in bono opere occupãt. Turba aũt humani generis ante legẽ, & sub lege, & tẽpore gratię Deũ expectauit. In quo velut in die tertio dominus cõuersos ad fidẽ pauit, & saturati sunt fideles in vniuerso mũdo. Vnde Isa. Faciet Dominus in mõte hoc conuiuiũ pinguiũ. Ecclesia dicitur mõs. Christus autẽ mõs in vertice montiũ, supęrquẽ Ecclesia firmiter est fundata. Vnde & super hunc montẽ vidit Ezechiẽl, quasi ædificiũ ciuitatis vergẽtis ad Austrũ, id est, humiliãtis se ad spiritus sancti afflatũ. Conuiuiũ pinguiũ dicit ab effectu, quia tali cibo anima spiritualiter impinguatur. Vnde in benedictione filiorũ ait Iacob: Aser pinguis panis eius prębẽs delicias Regibꝰ. Aser interpretatur beatus. Hic est Christus, cuius panis pinguis dicitur. Hic est panis sacræ scripturæ delicatissimus de simila purissima, quia sanctæ prædicationis doctrina est sine fermẽto hæreticæ prauitatis, sine furfure cupiditatis, sine cœno immundæ cõuersationis. Panis etiam pinguis, præbens delicias Regibus, id est, viris sanctis, est ipse Christus. Ipse est panis hordeaceus in asperitate persecutionis, subcinericius in dilectione humilitatis, sed similagineus in delectatione suauitatis. Vnde Psal. ait: Ex adipe frumenti satiat te. Adeps frumẽti habetur, dum granũ priùs torretur & frangitur. Et Dominus in cruce torreri voluit & frãgi, vt pinguedinẽ suã nobis daret, & bonis spiritualibus animas nostras saginaret. Vnde Isa. Comedite bonũ & delectabitur in crassitudine anima vestra. Et in libro Sapien. dicitur: Paratũ panẽ præstitit illis sine labore, omne delectamentũ in se habentẽ, & omnis saporis suauitatẽ. Vnde & per Mãna designatur. Erat enim, vt dicitur in Exod. vt semẽ coriãdri albũ, & quasi coloris bdellij, & gustus eius quasi similæ cũ melle. In candore carnis mũditia, in melle diuinitas, in simila eius humanitas designatur. Cõiunctio similę & mellis, coniunctionẽ humanitatis ad diuinitatẽ significat. Bdellius, vt ait Plin. est arbor aromatica oleagina, cuius lachryma lucida est boni odoris, sed infusione vini odoratior. Benè igitur signat Christi humanitatẽ, quę velut arbor aromatica mirę suauitatis nobis pbuit exẽpla. Oleagina per misericordiã, cuius passionis lachryma lucida est per imitationis exemplũ, boni odoris per se, sed infusione vini, id est, sanguinis dominici odoratior, quia incarnationis beneficiũ per sanguinis pretiũ suauius redditur & magis odoriferũ. Propterea per Psal. Dominus ait: Zelus domus tuę comedit me, id est, amor spiritualis fecit me comestibilẽ. Vt autẽ sapidius ederetur, fecit eũ assari in cruce. Vnde nõ comedetis coctũ aqua, sed assum igne. Salsamentũ aũt ne abhorreatur est forma panis, sub qua sumitur. Dedit igitur Dominus seipsum escã timẽtibus se. Vnde in Psal. secundũ Hebraicã veritatẽ, dicitur: Escã dedit timẽtibus se. Nõ solũ aũt pane scripturę & pane Eucharistię, sed & pane virtutis & gratię Dominus suos reficit cõuiuas. Vnde Isa. Si volueritis & audieritis me, bona terrę comedetis. Si volueritis liberũ arbitriũ applicãdo, & audieritis obediẽdo, bona terræ comedetis, fructus, scilicet, terrę promissionis. De quibꝰ legimus in lib. Numeri, q, exploratores inde attulerũt vuas & ficus, & mala granata. Per vuã feruor dilectionis, per ficũ dulcedo deuotionis, per mala granata, in quibꝰ grana sibi inuicẽ cõserta sunt, fraterna cõcordia designatur. In hac igitur mẽsa refectionis nõ solũ cibũ, sed & potũ nobis ministrat Dominus. De quo in Can. dicitur: Dabo tibi poculũ ex vino cõdito, & mustũ malorũ granatorũ meorũ. Vinũ sine cõdimẽto, est zelus sine scientia, vel vetus testamentũ sine nouo. Mustũ autem malorũ granatorũ, est feruor charitatis vel Christi sanguis & martyrũ: hoc est donũ rosarũ. Ipse enim ex cella vinaria raspatũ rosarũ, & nectar nobis ministrat. Raspatũ asperũ & pungitiuũ, est dolor cõpunctionis. De quo dicitur: Potasti nos vino cõpunctionis. Rosarum sanguis cõmunionis. Nectar gratia spiritus sancti, quæ lætificat cor hominis. In nectare autem tria sunt, vinum, mel, & diuersæ species aromaticæ.

*Maiores minoribus consilia sua communicare debent.*

*Contra illos, qui negligẽter audiunt verbum Dei.*

*Eccles. 8. Prouerb. 29.*

*Apoc. 3.*

*De triduo expectationis.*

*De conuiuio pinguium.*

*Gen. 49.*

*De manna.*

*De cibo & potu gratiæ.*

*Num. 13.*

Quia in ſpiritu eſt lętitia iocunditatis ſupernę, dulcedo ſuauitatis internę, & diuerſę ſpecies ſpiritualium gratiarũ. Vinum autẽ cõpunctionis ſumitur ex vineis Engaddi, quod interpretatur fons hœdi: per hœdũ autẽ peccatum intelligitur, propter fœtorẽ, & pœnitentia peccati, propter pilorum aſperitatẽ. Hoc vinum colligitur per diligentẽ peccati inquiſitionẽ, calcatur per cordis contritionẽ. In prælo torquetur, dũ mentis indignatio punit præuaricationis exceſſus. Prælium lignũ ſuperius eſt timor diuini iudicij, lignum inferius timor gehẽnę. Hoc vinũ ebullire facit oris cõfeſsio, reponit in dolio mentis deuotio. De prædictis autẽ refectionibus & de mẽſa Dominica dicit Propheta: Poſuiſti in cõſpectu meo menſam aduerſum eos, qui tribulãt me. Quinõ reficitur in hac menſa, neceſſe eſt vt deficiat in via. Vnde in hodierno Euang. ſubiungit, dicẽs: Si dimiſero eos ieiunos, deficiẽt in via. Non enim in via debemus deficere, ſed vſq; in finem in bono perſeuerare: ſicut ſcriptũ eſt: Poſt Dominũ Deum tuũ ambulabis, & poſt me ingredi nõ ceſſabis. Finis autẽ erit ambuládi, quãdo ſtantes erunt pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalẽ. Licèt autẽ cordis cõtritione, oris cõfeſsione & operis ſatisfactione, quaſi triduo cum Domino moremur & cõuerſemur, deficit tamẽ homo in hac via, ſi abſq; pabulo diuini verbi ieiunus dimittatur. Vnde Beda: Conuerſi peccatores in pręſentis vitę via deficiẽt, ſi in ſua cõſcientia ſine pabulo doctrinę dimittãtur. Viam ſiquidẽ pręſentis ſeculi incolumes tranſire nequimus, niſi alimento verbi ſui nos reficiat Chriſtus. Vbi enim defecerit prophetia & verbi Dei doctrina, diſſipabitur populus. Vnde in Prouerb. Salomon ait: Qui euitat diſcere, incidet in mala. Quare? quia noluit intelligere vt benè ageret. Vnde Pſal. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea. Animal enim quod nõ ruminat, reprobũ eſt & immundum. Sequitur: Quidam autẽ ex eis de longè venerunt. Qui nihil corruptionis carnalis expertus ad ſeruitutem Dei feſtinat, de longinquo nõ venit. Qui autẽ poſt multa flagitia cõuertuntur, veniunt de longinquo. De propè venit, qui ab infantia Dei ſeruitio ſe mancipauit. Venit autẽ de longè, qui ad Deum conuertitur in ſenectute. Longè enim à peccatoribus ſalus, id eſt, Chriſtus. Ipſe autem pauit vtroſque, & pacem euangelizauit his, qui propè & his qui longè. Vnde multi venient ab Oriente & Occidente. Ab Oriente veniunt, qui ab infantia Domino ſeruire incipiunt, vel qui Domino protegẽte nulla criminalia peccata fecerũt. Ab Occidente veniunt, qui in ſenectute vel poſt multa mala perpetrata, ad Dominũ conuertuntur. Allegoricè autem Iudæi de propè venerunt, qui de lege & Prophetis edocti ſunt. Gentes autem de longè, quia nullis doctoribus de fide Chriſti præmonitæ. Et reſponderunt diſcipuli: Vnde iſtos poterit quis ſaturare panibus in ſolitudine? Fragilitate carnis grauati Apoſtoli nõdum perfectè Chriſti diuinitatem attendebãt, quando eo præſente, qui educit panem de terra, & vinum lætificans cor hominis, ex paucis panibus multitudinem hominũ poſſe ſatiare dubitabant. Multi etiã hodie non attendunt maiora Dei miracula, quod, ſcilicet, oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Iſta enim vſu viluerunt, & idcirco Dominus in carne veniens, innouauit ſigna, & immutauit mirabilia. Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Et dixerunt ſeptem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. In refectione quinq; panum, quæ pertinet ad vetus teſtamentum, turba ſuper fœnum diſcubuit, in hac ſuper terram. Per legem enim calcare iubemur deſideria carnis, quę eſt fœnum. In hac autem, quæ ad nouum pertinet teſtamentũ, omnia terrena & facultates relinquere monemur. In illa ſuper fœnũ propter carnales homines, quibus ad literã carnalia promittebãtur. In nouo autẽ teſtamento ſoliditas æternæ patriæ firma ſpe expectatur in promiſsione. Per ſeptem enim panes ſcriptura noui teſtamenti intelligitur, quæ per ſeptiformem ſpiritũ expoſita eſt, & in qua ſeptiformis ſpiritus plenius datur & creditur. Vnde & in prima refectione ſuper fœnũ terræ ſuperpoſitum, in hac ſuper nudam terram: & ſicut in alio Euangelio dicitur in monte diſcumbuerunt, ad ſignandum, quod altitudo ſpiritualis intelligentiæ in veteri teſtamento velata, in nouo eſt reuelata. In monte autem ſuper terram diſcumbentes refecti ſunt, ſcilicet, ſuper ipſius Chriſti ſoliditatem, nullo fœno temporaliũ interpoſito. Non ſolũ enim fœnũ in alia refectione, id eſt, carnalia opera calcare iubemur, ſicut populus ille carnalis, cui dictũ eſt: Non cõcupiſces, Nõ mœchaberis, ſed maior perfectio admonetur in Euang. vt, ſcilicet, terrã cõculcemus, omnia terrena pro Chriſto relinquendo. Super terram igitur diſcumbit, qui terrena deſideria cõculcat & cõprimit, vt idoneus ſit pane cœleſti ſaturari. Vel certè ſuper terrã diſcũbimus, cũ noſtrę fragilitatis memores, terrã & cinerẽ nos eſſe attẽdimus. In prima autẽ refectione, quæ ad vetus teſtamentũ pertinet, appoſiti ſunt turbis quinq; panes hordeacei. Hi ſunt quinq; libri Moyſi. Ad medullã enim hordei vix peruenitur, quia palea tenax & inhærens inuoluitur. Sic litera veteris teſtamenti tegminibus carnalium ſacramentorũ, ad cuius tamen medullam cùm peruenitur, paſcit & ſatiat. In hac autẽ refectione, quę ad nouũ pertinet teſtamentũ, panibus triticeis Dominus turbã reficit. Vnde & per Iere. ait: Seminabo domum Iſraël, & domum Iuda ſemine hominũ, & ſemine iumentorũ. Semine hominũ, id eſt, frumẽto, quod pertinet ad tempus gratiæ, ſemine iumentorum, id eſt, hordeo, quod pertinet ad populum carnalem & animalem ſub lege. De hoc iterum frumento Zacharias ait: Quid enim bonum eius eſt & quod pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines. Bonum & pulchrum ait: Quia

*Sine cibo mensæ dominicæ defecit homo in via.*

*Ierem. 31.*

*Horat. in arte poëtica.*

*Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.*

Per bonum vtilitatem, per pulchrum dulcedinẽ voluit intelligi. Quæ duo in Manna deſignantur, cuius ſapor erat quaſi panis oleacei; ſicut in Exodo dicitur: Ecce vtilitas: Oleũ enim multas habet

habet vtilitates, quia pascit, sanat, & illuminat. Alibi dicitur, quod gustus eius erat quasi similæ cum melle: Ecce spiritualis delectationis dulcedo. Frumentorum autē electorū, id est, virorum probatorum & perfectorum, est sacra scriptura, maximè vbi difficilior est ad intelligendū. Frumentum siquidem antequam panis ex ipso fiat, teritur: per quod difficultas scripturæ intelligitur, quam multiplici expositione frangi & conteri oportet. Vinum autē dicitur sacra scriptura, vbi facilior est & delectabilior. Germinās virgines, quia animas reddit incorruptas, & quia amatores suos facit obliuisci curarū huius seculi, & tanq̄ ebrios super statū humanū extollit. Et hic status proprie est virginum & Angelorū. Accipiens igitur Dominus septē panes, gratias agens, fregit & dedit discipulis suis, vt apponerent: & apposuerunt turbæ. Septem panes ad fidē sanctæ Trinitatis, & ad quatuor Euangeliorū doctrinā, & ad septem dona sancti Spiritus, atq; ad septem sacramenta legis nouæ ostenduntur pertinere. In refectione ex quinq; panibus hordeaceis, quæ pertinet ad populum Mosaicæ legis discipuli Dominū dicuntur monuisse, vt dimitteret turbas emere sibi necessaria, quia idē populus ante aduentū Domini Patriarchas & Prophetas intercessores habuit. In hac autē nullo rogāte, Dominus à misericordia monetur. Vnde ait: Misereor super turbas. Quia gentilis populus nō suis meritis, nec aliquo interueniente, sed sola gratuita misericordia saluatur. Vnde Apost. Gratia Dei saluę factę sunt Gentes. Et iterū: Gentes autē super misericordia honorare Deū. Gratias autē agens Dominus, fregit panes, nobis exemplum prębēs, quod in omni refectione tam spirituali q̄ corporali debemus gratias agere largitori. Scripturas autē fregit, dum sacramēta aperuit. In gratiarū autē actione, quantū de nostra instructione & salute gaudeat, ostēdit: Fregit, docēs quod Doctores, nisi priùs corpora fregerint & domuerint, doctrinamq̄; opere cōprobauerint, nō debere aliis panē doctrinæ vel ipsam Eucharistiā ministrare. Fregit panes & dedit discipulis. Quia spiritus sancti dona vnicuiq;, prout vult, distribuit. Dedit autē discipulis, vt apponerēt turbis, quādo insufflans in eos, ait: Accipite spiritum sanctū, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis. Et quādo aperuit sensum, vt intelligerēt, docerēt scripturas. Dedit panes discipulis, & illi apposuerūt turbis. Non enim habēt prædicatores panē nisi à Domino, & per illos Deus ministret aliis. Ostendit præterea ecclesiastica sacramenta non debere tradi nisi per ministros, ne idē sit cōmunicans & cōmunicatus, baptizās baptizatus. Ministerio autē Apostolorū voluit Ecclesiæ sacramēta vitæ ministrare. Non creauit noua cibaria, sed multiplicauit, quia veniens in mundū, non alia, q̄ quæ scripta erāt, prædicauit, sed legē & Prophetas mysteriis esse grauida, & spiritualiter esse intelligēda, monstrauit. Sequitur: Et habebāt pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Per pisculos sancti humiles, qui fluctibus seculi tunduntur. Pauci, quia multi vocati, pauci verò electi. Qui exemplo suæ vitæ & sapore sapientiæ, nos reficiunt, paneq̄; doctrinę cōdiunt. Pisces igitur sanctos significāt, qui extra aquā scripturarū & humorē gratiæ viuere nō possunt. Super aquas saltū faciunt, inter fluctus persecutionū crescunt. Non generant carnaliter, nec generātur, quia quod natum est ex carne, caro est. Benè autē pisciculi dicuntur, quia sanctorū cōuersatio suo iudicio modica est & despecta. Quibus dicitur: Nolite timere pusillus grex, quia cōplacuit Patri meo dare vobis regnum. Et Salomō ait: Lepusculus plebs inualida, collocabit cubile in Petra. Sequitur: Et manducauerunt omnes, & saturati sunt, sicut scriptum est: Edent pauperes & saturabuntur. Spiritualiter autem manducatio refertur ad audiendi intentionem, saturitas ad operis impletionem. Temporalia autem inflant, sed non satiant. Quemadmodum, si quis ventum buccis apertis attrahat, vel iuxta fornacem stans, scintillas ardentes manducet, vel maris arenam masticet, vel digitos, & alia membra sua lingendo sugat. Ventum attrahunt superbi. Maris arenas, id est, steriles diuitias, & amaras masticant auari. Scintillas ardentes edunt iracundi. Has scintillas in alios sufflant, qui inter fratres discordias seminant. Membra autem corporis sui lingunt & sugunt voluptuosi, carnalibus desideriis allecti. Dum igitur transitoriis delectantur, edunt, sed non saturantur. Et sustulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas. Erant autem, qui manducauerant, quasi quatuor milia hominum, exceptis mulieribus & paruulis, sicut in alio Euangelio dicitur. Hi enim non admittuntur ad numerum. Leues enim, infirmi & molles excipiuntur, qui non sufficiunt currere in exercitu expeditorum. In alia refectione panes hordeacei, de quibus quinque milia refecit Dominus, in hac autem quatuor milia. Per quatuor milia hominum, populus noui testamēnti intelligitur, non quinque sensibus obnoxius, sicut populus sub lege, sed quatuor animi virtutibus exornatus. Prudentia, quæ est cognitio rerum appetendarum & vitandarum. Temperantia, quæ est refrænatio concupiscentiæ à noxia delectatione. Fortitudo, quæ est constantia mentis contra molestias seculi. Iustitia, quæ per omnes diffunditur & attenditur principaliter in dilectione Dei & proximi. Et quoniam partes quaternarij sunt vnitas, binarius & ternarius, per quatuor milia illi intelligūtur reficiendi, qui cùm in se vnitatem habeant, vnum Deum confitentur geminam habentes dilectionem cum fide Trinitatis. Saturantur quatuor milia, id est, fideles sub nouo testamento à quatuor partibus mundi, quatuor Euangeliorum præceptis reficiuntur. Annus enim placabilis Domino, scilicet, gratię, duodecim habet menses, id est, duodecim Apostolos, & quatuor tempora, quę sunt quatuor Euangelistæ, vel totidem Euangelia. Quatuor etiam tempora habet, in quorum primo fuerunt martyricidę, in secundo hæretici, in tertio falsi Christiani, in quarto filius perditionis. Quatuor igitur milia saturātur, id est, qui ad annū gratię & nouū testamentū pertinent,

*De fractione panis.*

*De ministratione panum.*

*De sanctis piscibus.*

*De comestione, & saturitate.*

*Simile.*

*De quatuor milibus hominum.*

*De quaternario virtutum cardinalium.*

*De anno gratiæ.*

à Domino reparãtur. Per ea quæ ſuperſunt de fragmẽtis, altiora & ſubtiliora myſteria deſignantur, & arta cõſilia, quæ populi multitudo nequit cõtingere. Sunt enim multi, qui quãuis omnia relinquere, & altiora huiuſmodi nequeãt implere, tamen eſurientes & ſitientes iuſtitiã ſaturantur, audiendo verbũ Dei, & verbũ ſacræ ſcripturæ. Septem autẽ ſportæ, ſunt viri ſancti & perfecti ſeptiformi ſpiritus gratia repleti. Fiunt autẽ ſportæ de iunco & foliis palmarũ. Iuncus naſcitur ſuper aquas. Palma victorẽ coronat. Sancti quoq; ne ab humore gratiæ areſcãt, in ipſo fonte vitæ ſe collocãt, & æternæ retributionis palmã expectant. Rectè igitur per ſeptẽ ſportas ſanctorũ præcordia intelliguntur, qui ſeptiformis ſpiritus gratia illuſtrati & viriditatẽ fidei immarceſsibilẽ ſeruant, & de hoſte maligno triumphãt. In ſportis autẽ ſeu cophinis ſeruilia geruntur opera, per quæ ſignãtur humiliũ corda. Ipſe enim humiles panũ reliquiis ſeu fragmẽtis impleuit, qui infirma mundi vt fortia cõfunderet, elegit. Et vos fratres, qui ad menſam Domini vocati eſtis, ita de panibus eius edatis, quod reliquias, nõ ſolũ boni exempli poſt hanc vitã aliis relinquatis, ſed inſuper reliquias æternæ retributionis vobis cõparetis: ſicut ſcriptũ eſt: Requiliæ ſunt homini pacifico. Reprobi autẽ nõ habent reliquias in morte, quia cõgregauerunt merces in ſaccũ pertuſum. Dominus autẽ comedit de piſce aſſo, & dedit reliquias diſcipulis, qui ſimiliter paſsi ſunt, & aſsi igne tribulationis, ſupplentes in ſe quæ deerant Chriſti paſsioni. Vnde & Gedeon ſociis ſuis ait: Quod me facere videbitis, hoc faciatis. Reliquias enim exempli nobis reliquit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorũ, Amen.

*De ſeptem ſportis.*

*De reliquiis menſæ.*

## DOMINICA OCTAVA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, EX PSALMO.

*Suſcepimus Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui, ſecundum nomen tuum, Deus: ita & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.*

EXVLTA & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël, id eſt, Chriſtus, qui ſanctificat Iſraël, magnus eſt, magna, ſcilicet, operans in medio tui, ô Sion, id eſt, ô Eccleſia, quæ es habitatio Dei. Mediator enim Dei & hominum, in medio eſt communiter ſe offerẽs omnibus abſq; acceptione perſonarum. Vnde in Cant. ait: Ego flos campi. Non dicit flos horti, ſed flos campi, ad quem, ſcilicet, omnes habent acceſſum. Et Ieremias: Nunquid de petra agri deficiet nix Libani, aut euelli poſſint aquæ erumpentes? Petra agri dicitur Chriſtus, quaſi in medio poſitus, & omnibus expoſitus. Nix Libani eſt gratia Dei refrigerans & dealbans. Libanus enim dealbatio interpretatur. Hæc autem gratia nulli deeſt, ſed homo quandoque deeſt illi. Vnde Apoſtolus: Videte ne quis deſit gratiæ Dei. Aquæ enim gratiarum nunquam auelli poſſunt vel remoueri à Chriſto. Fons miſericordiæ nunquam fluere deſinit, nec poteſt ſiccari. Eſt igitur Chriſtus in medio templi non in angulo. Omnibus enim, quantum in ipſo eſt, gratiam ſuam communicat & exponit: ſicut ſcriptum eſt: Omnes ſitientes venite ad aquas. Eſt inſuper in medio, quia mediator noſter eſt. Vnde Iob: Non eſt qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus. Solus mediator noſter, qui peccatum non fecit, hominẽ ne derelinquerer, potuit arguere & Deo reſiſtere, ne hominẽ feriret, & irã eius moriendo mitigare. Ipſe autẽ cum vtroq; extremorum habens conuenientiã, quia Deus & homo manũ poſuit in ambobus, exempla hominibus, quæ imitarẽtur proponẽdo, & bona opera, quibus placaretur, in ſe oſtẽdendo. Quia igitur mediator noſter medius fuit & cõmunis, ſicut Sol qui vbiq;, quantũ in ſe eſt, radios ſuos expãdit: licèt quãdoq; feneſtrã cordis claudamus, & ipſum à nobis repellamus. Ideo in hodierno officio Pſal. ait: Suſcepimus Deus, miſericordiã tuã in medio tẽpli tui. Miſericordiã, id eſt, Chriſtũ. De quo ſcriptũ eſt: Deus meus miſericordia mea. Suſcepimus in medio tẽpli tui materialis, quãdo oblatus eſt in tẽplo in Hieruſalẽ. Suſcepimus ipſum in medio tẽpli ſpiritualis, id eſt, in vtero Virginis per incarnationẽ, ſicut ſcriptũ eſt: Deus in medio eius, nõ cõmouebitur. Suſcepimus ipſum in medio tẽpli vniuerſalis, id eſt, Eccleſię, quia Chriſtus cõmuniter ſuſceptus eſt ab omni natione, qui priùs recipiebatur tantũ à populo Iudęorũ. Suſcepimus ipſum in medio tẽpli ſpiritualis, id eſt, in corde per gratiã & amorẽ. Suſcipitur in oſtio tẽpli, in ſtatu incipientiũ. In medio tẽpli, in ſtatu proficientiũ. In ſacrario tẽpli, ſiue in ſancta ſanctorũ, in ſtatu perfectorũ. Suſcepimus eũ in altari holocauſti per carnis macerationẽ. In altari thymiamatis per deuotionem & orationis ſuauitatẽ. Ipſe autẽ nos tripliciter ſuſcipit. Ad curandũ tanq̃ Medicus, qui ꝑpitiatur omnib⁹ iniquitatib⁹ noſtris & ſanat omnes infirmitates noſtras. Ad defendendũ tanq̃ patronus. Ipſe enim murus eſt nobis & antemurale. Vnde Pſal. Dominus defenſor vitę meę. Ad coronandũ poſt victoriã, tanq̃ rex munificus. Et nos trib⁹ modis ipſum ſuſcipimus. Cõformitate naturę, ſacramẽti perceptione, & donis gratię. Suſcepimus Deus, miſericordiã tuã, in medio tẽpli tui, id eſt, cõmuniter in vniuerſo mũdo. Ipſe enim miſit ſpiritũ ſuũ, & renouabit faciẽ terrę, tollẽdo faciẽ culpę, & cõferendo faciẽ gratię. Vnde Ezech. A quatuor ventis venit ſpiritus & inſufflauit ſuper interfectos iſtos, vt reuiuiſcãt. Interfecti erãt, qui in peccato mortali iacebãt, venit autẽ ſpiritus Domini ab Occidente, dũ reparat lapſum. Ab Aquilone, dũ expugnare facit diabolũ. A Meridie, dum cor ad dilectionẽ Dei inflammat. Ab Oriente, dum ad gaudia ſuperna cognoſcenda illuminat.

*De medio & mediatore.*

*Ierem. 18.*

*Multis modis ſuſcepimus miſericordiam Dei, & de multipli templo.*

*Quod Chriſtus multipliciter nos ſuſcepit, & nos ipſum.*

*In vniuerſo mundo eſt ſuſcepta Dei miſericordia, & quod à quatuor ventis venit.*

*Ezech. 37.*

De hac

De hac autẽ misericordia Micheas ait: Non immittet vltra furorẽ, quia volens misericordiã est, reuertetur & miserebitur nostri. Et per Sophoniã ait: Reddã populis meis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Hoc specialiter contigit in die Pentecostes, quãdo nouis linguis locuti sunt, & cõcordi opere seruierunt. Multitudinis enim credentium fuit cor vnum & anima vna. Suscepimus eum in regno, in domo & thalamo. Ipse enim in mundo est, sicut Rex vel Imperator in regno. Ipse in Ecclesia est tanquã paterfamiliãs in Domo. Ipse in anima est, tanquã sponsus in thalamo. Suscipiamus misericordiã eius in corde, recolendo quanta fecit pro nobis. Iuxta illud: Quoniã misericordia tua ante oculos meos est. Vnde & Bernard. ait: Quamdiu vixero, memor ero laborũ quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orãdo, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam conuitiorum, sputorum, exprobrationis, & clauorum, & horum similium. Alioquin requiretur à me sanguis iusti, qui effusus est super terram. Specialiter misericordiam incarnationis & passionis semper habere debemus ante oculos mentis. Caput enim & pedes agni vorare præcipimur, id est, natiuitatem & mortem eius auidissimè & diligenter considerare, & compati doloribus ipsius, ne fortè ipse dicat de nobis: Sustinui qui simul contristaretur, & non inueni. Et Psalmus ait: Mirifica misericordias tuas. Teste autẽ Gregorio: Tunc in nobis misericordiæ Dei sunt mirę, cùm ad memoriam reuocantur miserię nostrę. Neq; enim diuinam misericordiam intelligit, qui suæ miseriæ memor non fuit. Suscepimus Domine, misericordiam tuam magnam, maiorem & maximam. Magna est misericordia offensam non punire, maior offensam dimittere, maxima ipsam culpam in occasionem nostræ salutis conuertere, quia enim homo peccauit, Deus vt ipsum redimeret, factus est homo. Et sic hominem exaltauit, vt creatorem suum naturæ suæ participem habeat & socium: sicut scriptum est: Attolle aduersarium, id est, peccatorem ad te conuersum, & afflige inimicum, id est, diabolum, qui de nostra exaltatione torquetur. Vnde Propheta in persona humani generis: Humiliatus autem exaltatus sum. Humiliatus per culpam, exaltatus sum per misericordiam. Maxima quidem fuit misericordia, quod Dominus venit ministrare suis. Ac si diceret: O homo, voluisti ne habere Dominum, vt mihi seruires, & perducerẽ te ad regnum, saltem iam recipe me in seruum, quia venio non ministrari, sed ministrare, vt sim seruus & minister salutis tuæ. Propterea ipse per Isa. ait: Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, ego feci & ego feram. His verbis exprimit Dominus affectum misericordię, quem habet ad nos sicut mater ad filios. Vnde alibi per Isaiam ait: Quomodo si cui mater blandiatur, ego consolabor vos. Per vterum & vuluam diuina misericordia vel secretum gratiæ ipsius designatur. Vsq; ad senectam & canos expectat nos Dominus ad misericordiam. Quidam enim vsque ad fæces senectutis manent in peccatis, quos tamen aliquando conuertit Dominus: sicut scriptum est: Parum est vt sis mihi seruus ad fæces Iacob conuertendas. Ego feci & creaui vos, & ego feram, id est, sustinebo & expectabo ad pœnitentiam. Vel feram in cruce, in qua dolores nostros ipse portauit, & iniquitates nostras tulit gratis & non meritis nostris: sicut scriptum est per Isaiam: In reconciliatione mea misertus sum tui. Quia non meritis nostris, sed sola misericordia reconciliatus est nobis. Sicut autem immensus est & infinitus, ita infinita est eius misericordia, cùm peccata nostra non sint infinita. Vnde in Ecclesiastico: Secundum magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius. Et ideo quasi scintilla ignis in medio maris est omnis malitia ad misericordiam Dei. Vnde Bernardus: Quantum vis iacta merita, extolle sudores, mihi autem melior est misericordia super vitas. Per hanc enim corporis & operis damna resarcio. Propterea Psal. ait: Qui redimit de interitu vitã tuã, qui coronat te in misericordia & miserationibus, id est, gratia, nõ meritis. Misericordia siquidẽ Domini attingit à fine vsq; ad finẽ, fortiter, id est, à tẽpore primæ cõuersionis vsq; ad vltimũ terminũ resolutionis. Et disposuit omnia suauiter. Ipse enim suauis exẽplo, suauior in promisso, suauissimus in prẽmio. Suscepimus Deus misericordiã tuã in medio templi tui. Quidam antẽ suscipiũt misericordiã Dei in principio, alij in medio, alij in fine. In principio suscepit misericordiã filius prodigus, cui pater eius occurrit, dũ adhuc longè esset. Licèt enim proposuisset reuerti, nondũ tamẽ peccatũ cõfessus erat sicut postmodũ cõfessus est, quãdo ait: Pater, peccaui in cœlũ & corã te. In cœlũ, id est, cõtra Angelos, quorũ reparationẽ quantũ in me est, impediui, & consortiũ eorũ declinaui. Corã te, cui obedire nolui. Sed audiamus quid misericordia patris respõderit: Citò, inquit, proferte primã stolã, id est, induite eũ vestibus, quibus vestiti fuerãt primi parẽtes. Quę sunt misericordia & veritas, iustitia & pax. Felix aũt anima, cui semel Deus vtrunque pedẽ infixit, misericordiã, scilicet, & veritatẽ. Reliquit autẽ in mẽte signa impressionis suę, id est, spẽ & timorẽ. Vnde etiã spõsa osculũ petit à spõso, vbi ait: Osculetur me osculo oris sui. Labia spõsi, misericordia & veritas. Labia spõsæ, spes, quę misericordiæ applicatur, & timor, qui veritati & iustitiæ redditur. Dedit pater misericordiã filio reuertẽti, tanquã nutricẽ, vt eã foueret. Veritatem, tanquam magistrum, vt eum doceret, & sub disciplina teneret. Iustitiam, tanquam ductorem, vt ipsum regeret. Pacem, vt eum conseruaret, & quietum redderet. Hæc autem primi parentes amiserunt, crudeles fuerunt, quia nec sibi, nec filiis pepercerunt. Vnde & misericordiam perdiderunt. Veritatem amiserunt, quia veritati non crediderunt, sed magis diabolo suggerenti. Iustitiam amiserunt, quia iniustè se à Deo suo subtraxerũt. Pacẽ perdiderunt.

*Mich. 7.*

*Diuersis modis Deum suscipimus.*

*De memoria beneficiorum Dei.*

*Simile.*

*De suscipientibus misericordiã Dei, in principio, medio & in fine. De susceptione filii prodigi.*

Vnde & inferiora eorum non obedierunt eis, sicut ipsi nõ obedierant suo superiori. Et ita exuti sunt & nudati à Domino recedendo. Filius autẽ prodigus his vestibus indutus est ad patrem redeundo. Datus est insuper illi annulus in manu, id est, in operatione, vt Christi conuersationem imitetur. Annulus enim est Christus. Huius annuli aurum purissimum fuit caro Christi, igne spiritus sancti in vtero Virginis fabricatum. Lapis annuli pretiosa anima Christi. Impressio formæ in annulo expressa, quam cum patre similitudo habuit. Patet igitur quomodo filius prodigus, quasi in prima parte templi, id est, in principio cõuersionis suæ, scilicet, in conuersione
*Ezech. 46.* sua ad Deum, diuinã susceptt misericordiã, tanquã imbrẽ temporaneũ. De qua Ezech. ait: Adorabit populus ad ostium portę illius, & in sabbatis, & in calendis corã Domino. Hæc est porta Orientalis, per quã ad nos traiiciuntur radij misericordiæ & diuinę pietatis oriente nobis Sole iustitiæ. Ad hanc debemus adorare in sabbatis, cessando ab operibus terrenis & in calendis, quãdo Luna renouatur, id est, peccator ad verum Solem reuertitur, vt lumẽ nouũ recuperet. In cuius rei significatione Iudæi in calendis solemnizabant. In medio autem templi misericordiam recipit, qui post lapsum recolendo diuina beneficia & peccata præterita resurgit. Vnde Isaias: Massam ficuum super vlcus Ezechiæ posuit ad recuperationem sanitatis. Massam ficuum recordatio diuinorum beneficiorum est, secundum quod ficus sumitur in bono, sicut in Zachar. dicitur: In die illa vocabit vir amicum subter ficum suam. Quandoq; autẽ in malo accipitur. Vnde de primis parẽtibus legitur, quod fecerũt sibi perizomata de foliis ficus. Folia ficus sunt circunstãtiæ peccatorũ. Ex foliis ficuum perizomata facere est ex circunstãtiis peccatorũ excusationes quærere, vt si quis fornicetur, & excusẽt se per iuuentutẽ. Per appositionẽ ergo ficuũ possumus intelligere recordationẽ peccatorũ, quæ multũ valet ad recuperationẽ sanitatis: sicut in Parab. dicitur: Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris. Vnde in Leuit. pręcipitur, quod vesicula gutturis & plumæ corporis proiiciantur ad plagã Orientalẽ in loco cinerum. Cinis notat memoriã peccatorũ, oriẽs memoriã beneficiorũ. Vesiculã ergo gutturis, id est, motum elationis & plumã corporis, id est, vanitatẽ ex operibus tollit recordatio peccatorũ, & respectus beneficiorũ. Vnde per Osee Dominus ait: In funiculis Adã trahã eos in vinculis charitatis. Funiculi Adã, sunt peccata: vincula charitatis, diuina beneficia. In fine autẽ templi diuinam susciꝑimus misericordiã, id est, in morte vel in fine mundi. Debilitatus est enim Isaac in senectute, & oculi eius caligauerũt. Christi enim seueritas in vespere mundi debilitata est per misericordiã, & oculi discretionis iudicij caligauerunt, quia nebula carnis, qua se texit seueritas, quasi quadam caligine obduxit peccat nostra, vt statim ea nõ videat ad vindictã. Vnde etiã misericordia dicitur, quasi rigorẽ cordis mittẽs, vel mira suauitate corda rigãs. Patiẽter igitur Dominus expectat delinquentẽ, & clemẽter respicit pœnitentẽ, in expectãdo longanimis, & in donãdo facilis: sicut scriptum est: Longanimis & multum misericors. In fine enim mundi, id est, in iudicio susciꝑiẽt electi misericordiã eius, & inueniẽt eum valde suauẽ. Vox siquidẽ suauis erit sanctis, cùm dicetur eis: Surgite de sepulchris. Suauior cùm dicetur eis: Esuriui & dedistis mihi manducare. Suauissima cũ dicetur: Venite benedicti patris mei. Hæc igitur misericordia, quã in fine templi susciꝑiẽt sancti, erit eis velut serotinus imber. Vnde Ezech. ait: Porta atrij interioris, quę respicit ad Orientẽ, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit, die autẽ sabbati aperietur. Sed & in die calendarum aperietur, & intrabit Princeps per viã vestibuli portę deforis. Hęc porta Orientalis, est misericordia Dei. Misericordia, scilicet, liberãs à pœna & culpa, quæ claꝺitur in præsenti vita, sed in die septimo, in septima scilicet, ætate, aperietur in futuro, & in die calendarum, id est, vocationis in iudicio. Princeps autem, id est, Christus intrat per viam vestibuli, id est, pœnitẽtiæ & afflictionis, quam pro peccatis nostris susciꝑit in hoc seculo. Susciꝑiamus igitur misericordiam Dei in medio templi cordis deuoti, & multitudinem miserationum ipsius cum gra-
*De multiplici misericordia.* tiarum actione prosequamur. Multiplex autẽ ipsius misericordia cõsistit in creatione & recreatione nostra, in consolatione nobis exhibita, in instructione per præcepta, in emendatione per flagella, in collatione præmiorum in patria. Misericordiã Christi hominis attendamus, quia in cruce se obtulit, malefactoribus iniurias donauit, patrẽ, vt illis ignosceret, orauit, & ipsum quotidie interpellat pro nobis: errantẽ reuocat, renuentẽ expectat, pœnitentẽ recipit, & de hoste amicum efficit, de seruo filium, de obstinato discipulum. Valde enim miseretur, dum iniurias suas beneficiis vlciscitur. Quid igitur debuit nobis facere Dominus & non fecit? Vnde ipse per Osee ait: Quid faciam tibi Iuda, quid faciam tibi Effraim, misericordia vestra tanquam nubes matutina: quasi dicat: Quid vltrà debui facere & non feci? Misericordia vestra qua vultis me misereri vestri, est quasi nubes matutina, quia vultis vt vobis in temporalibus & transitoriis miserear. Susciꝑiamus igitur diuinã misericordiã, quæ est quasi ros Hermon, quę descendit in montẽ Sion. Hermon siquidem interpretatur lumen exaltatum. Hic est Christus in cruce exaltatus, & in cœlo eleuatus. Cuius ros, id est, misericordia, descendit in montem Sion, id est, in Ecclesiam, vel in animã cœlesti speculatione sublimem. Hęc autẽ misericordia sponsa est speciosa & pretiosa. Sponsa, quia purificat à vitiis. Speciosa, quia locupletat spiritualibus diuitiis. Pretiosa, quia accumulat cœlestibus deliciis. Magna autẽ & inæstimabilis est misericordia, dum hi, qui templum Dei violauerint, in medio templi misericordiam susciꝑiunt.

*Versus.* *Cùm fugit interdum templi violator ad aram:* *Nec petere offensi numinis horret opem.*

Qui autem tantam repellunt misericordiam, expectare possunt eius iustitiam & vindictam. Nunc

Nunc enim tempus est misericordiæ, postmodũ in iudicio tempus vltionis & iustitiæ. Quando victima Domini in Bosra, & interfectio magna erit in terra Edom: sicut dicitur in Isa. Propterea Dominus per Ierem. ait: Verterunt ad me terga & nõ faciẽ, in tempore tribulationis dicent: Surge & adiuua nos. Quàm multi sunt hodie qui in tempore prosperitatis despiciunt pauperes, in nomine Iesu & matris eius eleëmosynã petẽtes, & in tempore aduersitatis clamãt: Domine Iesu Christe, adiuua nos: sancta Maria, succurre nobis. Et quia Christũ in paupere clamantem nõ exaudiunt, clamabunt, & nõ exaudiẽtur. Teste autẽ Greg. deberemus pietatẽ vocantis erubescere, si iustitiã nolumus formidare, quia tantò grauiori improbitate cõtemnitur, quantò cõemptus adhuc vocare nõ dedignatur. Pluries siquidẽ contemptus & repulsus, adhuc vocare nõ cessat. Vnde per Ierem. ait: Saltẽ amodò voca me pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Et iterũ: Tu fornicata es cum multis amatoribus, tamẽ reuertere ad me, & ego suscipiã te. Suscepimus Deus, misericordiã tuã in medio templi tui, id est, propitiatus es nobis in filio tuo mediatore nostro. Hoc est templũ illud de quo in Ezech. dicitur: Fili hominis, ostende domui Israël templũ, & cõfundantur ab iniquitatibus suis, vt metiãtur fabricã, & erubescãt ex omnibus quę fecerunt. Ostende templũ, id est, Christũ, tribulationes, scilicet, quas pro nobis sustinuit. Metiantur fabricã, id est, attendãt eius misericordiã, quę fuit in incarnatione & natiuitate, quãdo templũ hoc fabricatũ est. Attendãt eius pœnalitates, famem, scilicet, sitim, & cætera, quę pro nobis sustinuit, & erubescãt & cõfundantur ex omnibus, quæ fecerũt, tanq̃ ingrati tantis beneficiis. Vnde subiungit Propheta: Ostende figurã domus & fabricæ eius exitus & introitus, & omnẽ descriptionẽ eius, scilicet, quomodo introiuit nascens de Virgine, & quomodo exiuit per mortẽ, & cętera quæ fecit, describe illis. Templũ etiã Dei dicitur ipsa Ecclesia, vel anima hominis. Qui autem attẽdit dignitatẽ Ecclesię, & habitaculi Dei, valde cõfundi debet, quod illud in se destruxit. Vt igitur misericordiã Dei in nobis suscipiamus, templũ cordis nostri prępparare & exornare debemus, vt dicamus cum Propheta: Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum. Legimus autẽ quod in templo Salomonis triplex materia fuit, lapides, scilicet, marmorei, ligna cedrina & aurum. Per lapides, fortitudo & constantia fidei, per cedrum, subtilitas spei, per aurum, charitatis feruor intelligitur. Misericordiã ergo in templo cordis suscipimus, dum fidẽ, spem & charitatẽ in nobis retinemus. De templi autẽ ornatu dicitur, quod in tẽpli pariete erãt Cherubim & palmæ, & variæ picturæ, prominẽtes leones, scilicet, & boues. Cherubim, vt sciamus mores cõponere, vt sciamus ad imitationẽ Cherubim volare duabus alis, desiderio & amore, & duabus velare faciẽ nostrã cõtra apparentiã & inanẽ gloriã, vt sit vna ala religiosa verecundia, & cum Rebecca faciem nostrã quasi pallio tegamus, ne videamur vel videri appetamus. Secunda ala contemptus fauoris, vt obturemus aures nostras cõtra adulatorẽ, ne vanæ gloriæ sanguinẽ audiamus. Per palmas, de diabolo triũphus designatur. Per leones, fortitudo operis. Per boues, mansuetudo cordis. Sint autẽ in nobis longę celaturę prominẽtes, vt bonũ quod interius habemus, ad effectũ exterius perducamus, & exemplum boni aliis ostendimus, vt appareat benignitas in vultu, humilitas in habitu, misericordia in affectu, miseratio in effectu, mãsuetudo in cohabitatione, zelus in feruore, patiẽtia in tribulatione, vt sit vir sanctus, mitis affatu, dulcis aspectu, verecũdus in gestu, cõpositus in incessu. Et quoniã regnũ Dei intra nos est, & Propheta ait: In me sunt Deus vota tua quę reddã: offeramus in hoc tẽplo vota placabilia Domino. Et sicut in Gen. dicitur: Sumamus in vasis nostris de optimis terrę frugib⁹, & feramus viro, id est, Christo, munera, balsamũ, scilicet, & mel, thus, & myrrhã, resinã, & insuper amygdala, vt Iosephus ait: Balsamũ est odor bonę opinionis. Vnde in Eccles. Balsamũ nõ mixtũ odor meus. Balsamũ mixtũ & adulterinũ est cõuersatio, quę videtur exterius bona, sed per hypocrisim est corrupta. Mel est dulcedo sanctę affectionis, & suauitas deuotæ mẽtis. De petra autẽ mel sugimus, dũ in duritia flagellorũ delectamur. De qua duritia Iob ait: Mutatus es mihi in crudelẽ, & duritia manus tuę aduersaris mihi. Debemus etiã sugere oleũ de saxo durissimo, vt dulcedinẽ diuinę correptionis & diuinæ misericordiæ signũ cognoscamus in flagellis. Thus autẽ orationẽ designat. Arbor siquidẽ thuris, id est, libanus cãdidatio interpretatur, quia de vitę mũditia & cãdore cõscientię oratio debet procedere. Myrrha est carnis maceratio, & proprię volũtatis mortificatio. Resina gutta medicinalis manãs ab arbore, est lachryma pœnitẽtis, quæ mẽtis vulnera sanat, & in cõspectu Dei bono odore fragrat. Amygdalus floret in hyeme, & certat cũ bruma, vincit, & fructũ producit. Sic eleëmosyna, si perseuerauerit homo, vincet peccati gelicidiũ, & prępparat hominẽ, vt proferat gratię fructũ. Sicut autẽ amygdala prosunt tã ægris q̃ sanis, ita eleëmosyna tã peccatorib⁹ q̃ iustis. Cùm igitur tantã misericordiã & tot beneficia à Domino recipiat Ecclesia, ne tanto largitori sit ingrata, in omni loco dãnationis eius Dominũ benedicit, laudat & gratias agit. Et hoc est quod in hodierno officio subiungit Psalmista, dicens: Secundum nomẽ tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ, id est, in Ecclesia, in toto orbe diffusa, vt sicut in medio & cõmuniter suscipitur misericordia, ita communiter laudetur Deus in vniuersa terra. Secundum nomen eius, quod est Iesus, illum laudamus, cùm ei de salute nostra gratias referimus. Secundum nomen eius, quod est Christus, ipsum laudamus, cùm de vnctione misericordiæ eius gratias referimus. Iesus enim saluator & Christus vnctus interpretatur. Et generaliter quot nominibus Deus appellatur, tot laudibus secundum laudantium intellectum à creatura benedicitur. Et quoniam, qui terrena amant, Deũ dignè laudare non valent. Laus eius in fines terræ dicitur, id est, in eis, in qui-

*De his quì Dei misericordiam nolunt suscipere. Ierem. 34.*

*Ierem. 3.*

*Christus dicitur templum.*

*De materia & ornatu templi.*

*De oblationibus templi.*

*Eccles. 24.*

*Simile.*

*Secundum nomen eius laudandus est Deus.*

*Non laudatur Deus dignè ab his, qui terrena diligũt.*

in quibus terrena cupiditas finitur. Vnde Isaias: Luxit & elanguit terra, id est, terræ amatores. Confusus est Libanus, id est, candor mundi. Qui enim terrenis negotiis implicantur, non exultant in Dei laude, sed torpore languentes, tristitia sæculi, quę mortem operatur, sępè cõfunduntur. Ab his igitur qui de terra sunt & de terra loquuntur, Deus dignè non laudatur. Vnde Isaias cùm audisset Seraphin laudantes, & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, tacuit, reputans se indignum qui laudaret Deum. Vnde & ipse ait: Væ mihi, quia tacui, id est, quia indignus laudare Deum fui. Et subdit causam, quia vir pollutus labiis ego sum. Non enim ita perfectè custodierat os suum, quod dignus esset laudare Deum. Hoc autem dicit propter societatem populi cum quo cogebatur loqui & conuersari. Vnde subdit: In medio populi polluta labia habentis, ego habito. Noxium enim est & periculosum valde cum peccatoribus viuere: sicut scriptũ est: Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea. Potest tamen hoc modo intelligi: Væ mihi, quia tacui à reprehensione vitiorum, quia vir pollutus labiis ego sum, id est, vitio taciturnitatis peccaui labiis meis. Ecce Propheta postquam Dominum vidit, suam indignitatẽ agnouit. Et dixit: Væ mihi. Sibi enim homo vilescit, dum æterna considerat & attendit. Vnde Iob ait: Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te, idcirco me reprehendo. Hoc est quod prædictum est: Ita & laus tua in fines terræ: sic potest intelligi in fines, id est, in extremos terræ. Infirma enim & extrema elegit Deus, vt fortia quæq; confundat. Vnde Isaias: Cantate Domino canticum nouum, id est, in nouitate spiritus laus eius ab extremis terræ. Quare autem specialiter laudandus sit Deus, subiungit Psalmus, dicens: Iustitia plena est dextera tua, id est, multos iustificauit propitiatio tua. Vel dextera tua, id est, beatitudo æterna plena est iustitia, id est, iustis in parte dextera collocatis & collocandis. Dextera etiam Dei dicitur filius, de qua scriptum est: Saluauit sibi dextera eius. Hæc autem dextera plena est iustitia, & cæteris virtutibus. Vnde Bernardus: Soli qui eius doctrina imbuti sunt, prudentes dici possunt. Soli iusti, qui eius misericordia veniam sunt secuti. Soli temperantes, qui eius vitam imitari student. Soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter tenent. Incassum ergo laborant, qui virtutes acquirere conantur, nisi à Deo virtutum, cuius doctrina seminarium prudentiæ, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperãtiæ, cuius mors fortitudinis est insigne. Patet igitur quod tam iustitia quàm cæteris virtutibus, repleta est dextera eius, id est, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Isa. 33.

De plenitudine dexteræ.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD ROMANOS.

Rom. 8.

*Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem viueritis, moriemini.*

QVIS conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens. Verba sunt Domini in Iob. Per mare, quod magno impetu inundat, & fluctuãdo littus impellit, signãtur carnalia desideria, & praui motus, qui de vulua sensualitatis, & de secreto carnalis cõcupiscentiæ procedunt. Debemus autẽ motus cõcupiscentiæ, Domino auxiliãte, ostiis, id est, ieiuniis & vigiliis, & sanctorũ Patrũ exẽplis cõcludere & reprimere, ne procedãt in actũ: sicut in Eccles. dicitur: Post cõcupiscentias tuas nõ eas, & à voluntate tua auertere. A carnali, scilicet, appetitu. Vnde subditur: Si prẽstes animæ tuæ cõcupiscentias eius, id est, animalitati, faciet te in gaudiũ inimicis tuis, id est, dęmonib⁹. Et in Cant. dicitur: Si ignoras te, abi post vestigia gregũ tuorũ, & pasce ibi hœdos tuos. Post vestigia gregũ suorũ abit, qui post carnales cõcupiscentias & motus sensualitatis vadit. Primi autẽ motus de fœtida matre, id est, de carnali cõcupiscentia, tanq̃ de capra nati dicũtur hœdi. Quos qui fame nõ perimit, sed pascit, post quam nutriti fuerint, nõ solũ hircos, sed & porcos pascere cogitur: sicut scriptũ est: Saturati sunt filiis, & dimiserũt reliquias suas paruulis suis, pascẽdo, scilicet, primos motus. Propterea in Eccles. Salomõ ait: Vę terrę cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt. Puer in terra Rex est, cũ primi motus in homine dominãtur. Principes manè comedere dicũtur, cùm iidẽ motus excipiuntur, & in ortu tentationis nõ repelluntur. Vnde in Iob dicitur: Operuit faciẽ eius crassitudo, & fecit capistrũ circa fœmora sua, sicut in alia trãslatione dicitur. Pinguedo ventris operit mentis faciem, & turbat rationẽ. Qui autẽ ventrẽ implet & satiat, fœmora sua nõ frænat, nec facit ei nisi capistrum, cum quo equus benè mãducat. Infrænatus autẽ mãducare nõ potest. Teste enim B. Greg. Plerumq; certaminis ordinẽ ignorãtes, gulã edomare negligunt, & cõtra cætera vitia pugnare nituntur. Sed dum venter nõ restringitur, cunctæ virtutes per carnis concupiscentiã obtunduntur. Propterea Apost. in hodierna Epist. ad carnis mortificationẽ & carnalis cõcupiscentię refrenationẽ exhortatur, dicẽs: Debitores sumus nõ carni, vt secundũ carnẽ viuamns. Licèt autẽ carni debeamus pabulum ad sustentationẽ, frænũ ad cohibẽdum, calcaria ad incitãdum, vt nõ torpeat per pigritiã, sed exerceatur ad virtutẽ, nõ tamẽ carni debemus, vt secundum eius desideria viuamus. Caro autẽ quãdoq; dicitur secundum naturã, sicut cùm dicitur: Qui dat escã omni carni, quandoq; notat corruptionẽ: sicut cùm dicitur: Caro & sanguis regnum Dei nõ possidebunt. Quandoq; signat opus carnale: sicut cùm dicitur: Erunt duo in carne vna. Quandoq; notat fragilitatẽ & molli-

Iob 38.

Motus carnales debemus reprimere. Eccles. 18.

De primis motibus.

De carne, & quid carni debeamus & quid non.

& mollicie, sicut in Genesi dicitur: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Et in Euangelio: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Quandoque notat teneritudinem affectionis, sicut cùm dicitur. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Quandoq; sonat in vitium, & dicitur caro carnalis voluptas. Vnde Iob ait: Opertui cinere carnem meam, id est, peccata carnalia per pœnitentiam. Et iterum ait; Et carnibus meis saturamini. Qui enim alienæ vitæ detractione delectantur, carnibus alienis saturantur. Quandoque autem caro dicitur ipsa sensualitas, sicut cùm dicitur: Spiritus militat aduersus carnem, id est, superior pars rationis contra inferiorem partem pugnat, & ita sumitur in hoc loco. Viuere autem secundum carnem, id est, secundum sensualitatem dicitur homo, qui motus sensualitatis non reprimit, sed illos in corpore suo dominari permittit. Vel caro pro carnali voluptate potest accipi, vt sit sensus: Debitores sumus spiritui, id est, ex debito seruire debemus & obedire spiritui sancto vel rationi, non carni, id est, non carnalibus desideriis, ita vt secundum carnem viuamus, id est, secundum carnis voluptatem. Hoc modo sumitur in Iob, vbi ait: Induta est caro mea putredine & sordibus puluueris, id est, carnalis vita quam patior, aut tabe lubricæ operationis polluitur, aut ex vitiorum memoria caligine miseræ cogitationis premitur. Et iterum de homine tentato in Iob dicitur: Tabescet caro eius, & ossa quæ tecta fuerint, nudabuntur. Quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefiunt. Nemo enim in pace vires suas cognoscit. Et Isa. ait: In die illa attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnes eius marcescet, id est, carnalis delectatio in ipso siccabitur, dum caro macerabitur. Quantò autem aliquis amplius carnem macerat, tantò debet magis humiliari, vt gloria eius attenuetur, & in operibus suis non glorietur.

*De mortificatione carnis & vita spirituali.*

In præsenti igitur Epistola tota Apostoli intentio in hoc versatur vt spiritualiter, & non carnaliter viuamus. Scriptum est enim: Gladius meus deuorabit carnes, id est, carnaliter viuentes. Mortificari enim debemus carne, & viuificari spiritu. Quantò magis caro mortificatur, tantò magis spiritus viuificatur. Et quantò magis displicent carnalia, tantò plus placent spiritualia. Vnde Seneca: Tantum ad virtutem adiicies, quantum à voluptate subtraxeris. Et iterum ait: Quicquid facias, citò redi à corpore ad animũ, illum diebus ac noctibus exerce. Hanc exercitationem non æstus, non frigus impediat, nec senectus quidem. Id bonum cura, quod vetustate fit melius. Quãtum potes circumscribe corpus tuum, animo locum laxa. Copia ciborum subtilitas impeditur. Bibere & sudare vita cardiaca est, epulæ cruditatem afferunt, ebrietas neruorum tremorem, & torporem, libidines pedum, manuum articulorum omnium depraua-

*De sobrietate.*

tiones. Ecce quomodo Philosophus concordat cum Theologo. In Ecclesiastico enim dicitur:

*Eccle 31.*

Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem cibum. In multis enim cibis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Et iterum: Exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum, sanitas est animæ & corporis sobrius potus. Et Gregorius ait: Sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes, vnusquisque accedere debet, nequaquam ex illis voluptatem appetens, sed necessati succurrens. Ille autem plenè hoc vitium superat, qui in sumendis dapibus, nõ solum parsimoniam tenet, vt, scilicet, refectionem semper esuriens superet, verùm accurratiores & suauiores epulas excepta corporis infirmitate & hospitum susceptionem contemnit. Hoc est quod Seneca ait: Effugere non potes necessitates, potes vincere. Si vis omnia tibi sufficere, subiice te rationi: multos Reges, si ratio te rexerit. Patet igitur quod caro subiicienda est spiritui, quemadmodum Apostolus ait: Corpus meum castigo, & in seruitutem redigo. Vnde in hodierna Epistola subiungit. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Quare? quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Christus enim illi animæ non adhæret, quæ carni per desideria viuit. Vnde Iacob accipere noluit vxorem de filiabus Heth, quod interpretatur viuens. Carnalis enim vita mors est animæ. Ardentes igitur sagittæ diaboli ieiuniorum & vigiliarum frigore sunt extinguendæ. Et Iacob, id est, vir luctator debet in vtero Esau supplantare, id est, motum carnalem in cogitatione. Vnde in Iosue dicitur: Equos eorum subneruabis, & currus igne combures. Equus subneruatur, quando per abstinentiam corpus debilitatur. Currus autem superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ, quibus anima in præcipitium fertur, igne spiritus sancti consumitur & exuritur. Et hoc est quod Apostolus subiungit: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, id est, si penitus abieceritis, quæ caro voluptuosè exigit, & hoc spiritu sancto, vel spiritu nostro, quod tamen non est nisi agente spiritu Dei, viuetis hîc in iustitia, & in futuro in gloria. Hæc est enim vita æterna. Hoc est opus nostrum, in hac vita actiones carnis spiritui mortificare, eius concupiscentias extinguendo, vt dicamus cum Sampsone: Moriatur anima mea cum Philistin, id est, animalitas mea per carnis mortificationem, vt dæmones interficiam. Alioquin nisi myrrha nostra corpora condiamus, esca fient vermibus perpetuis. Myrrha autem pœnitentię vermes gehennales propellit. Vnde in Canticis: Labia eius stillantia primam myrrham. Quia doctores Christi docẽt amaritudinem carnis. Illa autẽ myrrha prima est & præcipua, quæ sustinetur pro æternis. Debemus igitur spiritu facta carnis mortificare & carnem spiritui subiicere. Deus enim spiritus est: Vnde in spiritu & veritate oportet nos illum adorare & ei spiritualiter seruire, vt Domino adhæreamus & spirituales efficiamur, sicut scriptum est: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Vnde in Iob dicitur: Cùm spi-

*Eccle. 36.*

*Qui secundum carnẽ viuunt Deo mortui sunt. Iud. 11.*

ritus,me pręsente, trāsiret,inhorruerūt pili capitis mei. Nobis præsentibus spiritus transit,quia inuisibilia spiritualiter cognoscimus,& tamen hæc nō solidè,sed raptim videmus. Quantumcunq; autē homo spiritualis sit,pilos,id est,carnis stimulos sentit. Sed pili carnis inhorret,dum carnales motus nos pauere faciunt,vt non negligamus,sed eos mortificando radamus. Multos enim de præterita castitate cōfidentes legimus potestatem animę suæ mulieribus dedisse. Sampson enim leone fortior,saxo durior,qui mille viros maxilla asini interfecit, in Dalidæ mollescit amplexibus. Vnde per Iere. Dominus ait: Ne mollescat cor vestrum & timeatis auditū,qui audietur in terra,id est, ne efficiamini molles carnalibus concupiscentiis, vt non ab auditione mala timeatis. Auditum,scilicet,illum,qui audietur in terra,quando dicetur: Ite maledicti in ignem æternum. Cùm igitur secundum spiritum,& non secundum carnem viuere nos doceret Apostolus,& quod facta carnis spiritu mortificare debemus,ne fortè aliquis de spiritu suo præsumeret,& propriis viribus se posse carnem vincere putaret,ostendit de quo spiritu dixerit. Vnde & subiunxit: Quicunq; enim spiritu Dei aguntur,hi filij Dei sunt,id est,qui spiritu Dei reguntur,non spiritu suo. Vnde etiam carnem mortificare possunt,quia magnæ potestatis est filium Dei esse,sicut scriptum est: Dedit eis potestatē filios Dei fieri. Omnia enim facilia sunt his qui ex charitate Deo seruiunt,sicut qui seruiunt seruili timore,omnia faciunt cū difficultate. Et hoc est quod ait: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorū,in quo clamamus,Abba pater,quasi dicat: Non accepistis talē spiritum, qui vos inuitos timore pœnæ seruire faciat,sicut acceperunt Iudæi sub lege. Sed spiritum adoptionis sub gratia,qui vos in filios adoptauit. In quo spiritu,id est,per quem nos in filios adoptati & non ingrati clamamus, Abba,quantū ad cōuersos de Iudęis, pater quantū ad cōuersos de gentibus. Idē autem est Abba,quod pater. Abba enim hebraicè pater latinè dicitur. Sed propter sacramentum vtrumq; vocabulum ponitur,vt notetur coniunctio duorū populorum ad vnū lapidem angularē. Idem autē spiritus secundū diuersos effectus,diuersis vocabulis nūcupatur. Ille enim spiritus,qui fuit timoris,incutiens timorē sub lege Mosaica,dicitur spiritus adoptionis filiorū sub lege Euāgelica. Dicitur paraclytus,quia consolatur afflictos,sicut scriptū est: Cùm venerit paraclytus,quē ego mittā vobis. Dicitur spiritus disciplinæ,quia docet nos & instruit. Vnde in libro Sapiē. Spiritus disciplinæ effugiet fictū. Dicitur spiritus cōpunctionis,quia facit pœnitere,iuxta illud: Dedit illis Deus spiritū cōpunctionis. Dicitur spiritus rectus,quia erigit nos sursum,& facit rectos. Vnde Psal. Spiritū rectum innoua in visceribus meis. Dicitur spiritus sanctus,sicut idē Psal. ait: Spiritū sanctū tuū ne auferas à me. Dicitur principalis,quia hominē reddit principē & potentē atq; in bono cōfirmat,iuxta illud: Spiritu principali confirma me. Quāuis spiritus principalis specialiter ad patrē possit referri,cui attribuitur potētia,spiritus rectus ad filiū,cui adaptatur sapientia,spiritus sanctus ad tertiā personam,cui attribuitur benignitas & misericordia. Quid autē operetur in nobis spiritus sanctus adoptionis filiorū,ostēdit Apostolus,subdēs: Ipse spiritus testimoniū reddit spiritui nostro,quod sumus filij Dei,quasi dicat: Verè filij Dei sumus,& hoc nos cognoscere facit spiritus sanctus. Dono enim spiritus sancti facta peccatorum remissione,charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,per quam interno quodā sapore signū paternū cognoscimus in nobis, dū nobis desideriū tribuit,& nos ad bonū faciendū accendit,dū mundū cōtemnere facit,dū pacē pectoris & gaudiū nobis tribuit,dū dulcedinē spiritualiū infundit,dū conscientiā serenat & vngit. Vnde in Parab. Salomō ait: Gloriā sapiētes possidebūt,stultorū exultatio ignominia. Gloria enim & diuitię in domo filiorū. Possident enim gloriā bonæ cōscientiæ, gloriā bonę famę,tandē possessuri gloriā vitæ æternę. Teste autē Philos. virtuti nullū theatrū maius quā cōscientia. Quilibet enim bonus ęquè erubescit,æquè formidat peccare in cōspectu cōscientiæ suę,vt in cōspectu cōmunitatis. Stultorū autē exultatio dicitur ignominia,dū in vanis & trāsitoriis exultant. Sicut puer qui gaudet de pomo vel de fantasmatū & laruarū ludo. Vnde Augustinus: Gaudiū peccatorum,gaudiū est phreneticorum. Qui de somno gaudet, ridiculosus est. Exultatio luxuriosi est volutabrū. Auarus de sterquilinio diuitiarum gloriatur. Superbus cum plausu adulatorum ad patibulum ducitur & ridet. Tantum est laudari à turpibus,quantum si ob turpia laueris. Sicut igitur gaudium de vanis & transitoriis signum est quod homo est filius diaboli, ita gaudium de veris & æternis bonis,signum est quod sumus filij Dei. Quod si filij & hęredes: hæredes quidem Dei,cohæredes autem Christi,quasi dicat: Non est parum vel leue quod Dei filij sumus, quia propter hoc hæredes sumus,id est,eiusdem gloriæ participes. Hæredes quidem Dei,quia eius beatitudine in perpetuum fruemur. Cohęredes autem Christi,in quo & cū quo beati erimus. Erit igitur ipse Deus merces laborum,& hæreditas filiorum suorū, sicut scriptū est: Dominus pars hæreditatis meæ,id est,pars mea & hæreditaria atq; firma & immobilis possessio,iuxta illud: Deus cordis mei,& pars mea Deus in ęternum. Erit enim hęreditas nostra regnum cœlorum, sicut scriptum est: Iusti autē hæreditabunt terram. Et iterum: Portio mea Domine in terra viuentiū. Quam miseri qui talem & tam pretiosam paruipendunt hæreditatem, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Cū Propheta dicat: Hæreditas mea præclara est mihi. Quot sunt hodie qui pugnāt & litigant, vt hæreditatē terrenā retineant,de aterna autē hæreditate nō curāt. Hæreditas tamē transitoria ad quam festinatur in principio,in fine benedictione carebit. Teste enim Ecclesiastico: Homo mortuus hęreditabit serpentes & vermes. Quàm vanus & vecors, qui pro

*Iere.51.*

*Idem spiritus diuersis nominibus appellatur.*

*De testimonio spiritus sancti De testimonio conscientiæ, de vero atque vano gaudio.*

*Prouer.3.*

*Simile.*

*De bona hæreditate Dei, & hæreditate mala.*

*Eccle.10.*

qui pro lenticula rufa, id est, pro vanitate transitoria æternam amittit hæreditatem. Propterea Ieremias ait: Loquens de Idumæa, id est, de mundo: Omnis qui transibit per illam, stupebit. Qui enim mundo non inhærent, sed quasi peregrini transeunt, valdè stupent & admirantur quomodo decepti homines tanti vanitatæ voluerint adhærere, & pro modica delectatione pœnas æternas incurrere, sicut Iob ait: Interrogate quemlibet de viatoribus, qui scilicet, peregrini sunt in hoc mundo, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis, quoniam in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Non igitur amittamus æternam hæreditatem pro transitoria, sicut illi, de quibus Aggæus ait: Operuistis vos in præsenti vita impendendo carni pretiosa vestimenta, & non estis calefacti in vita æterna, quia anima vestra remansit nuda. Et Iob de talibus ait: Sterilem pauit, id est, carnem, & viduæ nō benè fecit, id est, animæ à Christo viduatæ. Hi sunt qui secundum carnem viuunt, non secundum spiritum. Vnde non solum hæreditatē amittunt, sed ipsi hæreditas efficiuntur diaboli, à quibus possidentur. Vnde in Ezech. dicitur quod Pharao draco magnus cubat in medio fluminū suorū. & dicit: Meus est fluuius, & ego feci memetipsum. In fluminibus & in locis humentibus, id est, luxuriosis cubat diabolus, quos possidet tanquā iumenta sua. Tot enim habet flumina, quot sunt carnalium voluptatum genera. Vnde ipse dicit: Meus est fluuius, ac si dicat: Hæc omnia vobis dabo, vtimini ex parte mea deliciis & temporaliū abundātia. Ipse autē penitus est ingratus Deo, qui fecit illum, & virtutem suā sibi arrogat. Vnde iactāter ait: Ego feci memetipsum. iuxta illud: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Deus est? Propterea in Eccles. dicitur: Noli credere inimico tuo, sicut enim æramentū, ęruginat malitia illius, in oculis tuis lachrymabitur, & quasi adiuuans suffodiet plātas tuas. Lachrymari dicitur inimicus, dū quasi cōpatiendo ait: Miser quare ita te affligis? & ita quasi adiuuās suffodit plātas tuas, vt in foueā voluptatis te inducat. Noli igitur credere inimico tuo, id est, diabolo, vel carni blandienti. Sicut æramentū ærugināt malitia carnis, id est, malitiam cōtrahit à seipsa. A vestimēto enim carnis procedit tinea, & quasi cōpatiendo tibi ne defecias ad delicias & superfluitatē inuitat. Et ita teipsum si acquieścas, supplātabit vt corruas. Vnde Amos ait: Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. Multi enim dum fugiunt leonem superbiæ, incidunt in vrsum luxuriæ: quæ debilis est in capite, id est, in initio suggestionis, sed fortis est in renibus, dum non refrēnatur, & ad opus peruenitur. Domum autem cordis luxuriosus ingreditur, in qua malis & obscœnis cogitationibus delectatur. Et super parietem corporis innititur, dum carnem nutrit, & in iuuentute vel fortitudine eius confidit, ponendo carnem brachium suum, quæ tamen est quasi paries ruinosus & inclinatus, vel maceria depulsa, id est, sicut murus sine cemento facili impulsu corruit. Et mordet eum coluber, id est, diabolus, colens lumbos illius per luxuriam. De hoc pariete ait Isaias: Palpauimus quasi cæci parietem, & quasi absque oculis contrectauimus. Hoc faciunt, qui carnis ruinosæ fragilitatem non attendunt vel cognoscunt. Et licèt per experientiam præ manibus & ante oculos habeant, tamen illā non aduertunt, vel etiam si cognoscant, negligunt, cùm tamen diuinæ scripturæ frequenter clament, quod non est confidendum in carne, neque secundum carnem viuere debemus, sed eam macerare & mortificare, quemadmodum Isaias ait: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Pelles extendere, est carnem affligere, vt fiat tympanum de corio mortui animalis desiccato, id est, de carne macerata & mortificata. Vnde dicit: Ne parcas pelli tuæ, sed eam extende macerando, vt des pellem pro pelle. Da pellem mortalem vt recipias pellem glorificatam. Locus autem tentorij amaritudo est afflictionis. Hunc autem locum dilatamus, dum carnem maceramus. Tentoria autem pugnantium sunt. Carnem enim affligendo cōtra diabolum pugnamus. Vnde & Daniēl: virtute abstinentię à famelicis leonibus in lacu ipse famelicus non est læsus. Huius autem pugnæ victoria multos de lacu miseriæ extraxit, & de luto fecis. Vnde & Iosue quinque Reges, quos vicit, in patibulo suspendit, & postmodum in speluncam retrusit. Quinque Reges à Iosue in patibulo suspenduntur, quādo caro cum quinq; sensibus, cum vitiis & concupiscentiis crucifigitur. In spelunca retruduntur, quando peccato mortui deseruiunt spiritui, vt vltra ad illicita non procedant. Et ita spiritu facta carnis mortificando, viuimus in Christo, qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

*Iere. 49.*

*Iob 21.*

*Ezech. 29.*

*Quod non debemus acquiescere inimico suggerenti nec credere carni.*

*Amos 5.*

*Isa. 59.*

*Carnē macerare debemus.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Euangelio secundum Matthæum.

*Matth. 7.*

*Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

IN ÆTERNVM non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Iustificationes dicuntur sacræ scripturæ, quarum virtute, dum diligenter audiuntur, animæ iustificantur, sicut in Ezechiele dicitur, quod spiritus vitæ erat in rotis, id est, in diuinis scripturis, quibus dono spiritus sancti anima viuificatur, sicut scriptum est: Viuifica me secundum verbum tuum, id est, in virtute verbi tui infunde mihi vitam gratiæ. Christus enim in templo & inter

*Virtute verbi Dei anima iustificatur*

inter Doctores à Ioseph & matre voluit inueniri, vt ostenderet quod in templo per orationem, & inter doctores audiendo diligenter verbum Dei ipsum quærere & inuenire debemus, & in bono confirmare. Vnde Psalmus. Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Multi enim quasi tædio & acedia dormitant, & remissi sunt, qui per verbum Dei viuificati consolationem recipiunt, & in Dei seruitio feruentes effecti, dicere possunt cum Propheta: Nisi quod lex tua, meditatio mea est, tunc fortè perissem in humilitate mea, id est, in abiectione, quasi dicat: Non possem patienter sustinere contemptum meum & abiectionē, nisi in verbis tuis inuenirem consolationem.

*Versus.* *quia sunt uerba & uoces, quibus hunc lentre dolorem possis.*

Si citharam Dauid audire velis, & aues in horto Dei dulci & suaui modulatione cantantes, dum à somno torporis mētes nostras excitāt sancti Doctores? Vnde Ezech. Et factum est prophetante me, accesserunt ossa ad ossa: Quia in illis, qui verbum Dei corde percipiūt, fit spiritualis resurrectio. Econtrà de his, qui audire negligunt in Ecclesiastico dicitur. Qui odit correptionem, minuetur vita, id est, carebit vita æterna. Et in libro Sapientiæ dicitur: Pro fonte sempiterni fluminis dedisti sanguinem iniustis, quasi dicat: Quia fontem sapientiæ contempserunt, sanguine peccatorum interfecti sunt, & non sunt abluti. Multi enim more scabiosi pectinem reprehēsionis fugiunt, sed magis scalpi per adulationem appetunt. Noctuæ enim odiunt lucem, & qui lippientes habet oculos, Solis claritatem. Orate igitur fratres Dominum vt verbi Dei virtute hodie viuificentur animæ vestræ, & sicut à serpente in primos parentes infusum est venenum per aures. Ita Dominus per cordis aurem hodie infundat tyriacam. Attendite à falsis Prophetis, &c. Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israël erant. Verba sunt Ezechielis de fraudulentis & falsis prophetis anfractuose & doloſe incedentibus, qui quondā fuerunt in populo Iudæorum, sicut hodie hæretici & hypocritæ & qui mentiuntur se videre visiones & diuinas reuelationes sunt in populo Christianorum. Fuerunt autem quondā falsi Prophetæ, qui se veris Prophetis opponebant & populū seducebant. De quibus Ieremias ait: A Prophetis Hierusalem egressa est pollutio super terram. Et iterum per Ieremiam Dominus ait: Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Quidam enim ex illis, vt magni haberentur in populo, iactabant se videre visiones, sicut hodie multi faciunt in religione commorantes. De quibus per Zachariam Dominus ait: Confundātur Prophetæ, & non operientur pallio saccino vt mentiantur. Ipse enim asperitate & vilitate habitus simulabant religionem, vt eis facilius crederetur. Sicut hodie quibusdam heremitis & inclusis ac monialibus facilè creditur, cùm dicunt se videre visiones, & multi ab illis decipiuntur. Propterea Salomon ait: Qui citò credit, leuis est corde. Et ad Ezechielem Dominus ait: Filij hominis dic prophetantibus de corde suo. Fuerunt alij pseudoprophetæ, qui propter emolumentum temporale prophetabant. De quibus Michęas: Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, largientibus bona nunciabant. Vnde Isaias: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Et de his Ieremias ait: Prophetæ tui viderunt prauа & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Et per Ezechielem Dominus ait: Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Animas quidē quæ non moriebantur, sed iustæ erant, terrebāt & mala vētura prænunciabant, eò quòd nihil ab eis poterant extorquere. Vnde Michæas ait: Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, & mordent dentibus & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore ipsorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Pacem siquidem prædicabant eis, qui aliquid dabant illis, sicut pet Ezechielem Dominus ait: Deceperunt populum meum dicentes: pax, pax, & non est pax. Vnde Zacharias ait: Et erit cum prophetauerit quispiam, dicent ei: Pater eius & mater eius, qui genuerunt eum, non vives: quia mendacium locutus es in nomine Domini. Tales enim falsi Prophetæ à Prælatis Ecclesiæ asperè arguendi sunt & increpandi. Hodie autem pseudoprophetę & quęstuarij prædicatores, qui comportant reliquias venales, & pulsant campanulas, multa bona nunciant, & indulgentias magnas promittunt vt pecunias emungant: & rurales sacerdotes, vt de turpi lucro partem recipiant, testimonium eis perhibent. De quibus Ieremias: Stupor & mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus. Fuerunt præterea alij falsi Prophetæ, qui somnia obseruabant, & phantasmata somniorum diuinas reuelationes esse dicebant. De quibus Isaias ait: Videntes vana, dormientes & amantes somnia. Et per Ezechielem ait: Hæc dicit Dominus de Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident: qui vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos. Multi religiosi hodie decipiuntur somniando. De quibus in Ecclesiastico dicitur. Multos errare fecerunt somnia & exciderunt sperantes in illis. Et iterum ait: Diuinatio erroris & auguria, mendacia & somnia malefacientium vanitas est. Et iterum: Vana spes & mendacium insensato viro, & somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehenderit vmbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia, quasi dicat: Vanè & inutiliter laborant, qui illusionibus & phantasiis somniorum intendunt. Nam somniorum imaginationes quandoque ex qualitate complexionis fiunt, sicut cholerici frequenter ignis

*Cōtra contemptores verbi Dei.* *Eccle.19.*

*De fraudulentis seductoribus.* *Ezech.13.*

*Iere.23.*

*De illis qui fingunt se visiones videre.* *Zach.13.*

*De prophetis & prædicatoribus quæstuariis.*

*Ezech.13.*

*Ezech.13.*

*Iere.5.*

*De pseudoprophetis somnia obseruātibus.* *Isaiæ56.* *Ezech.13.* *Eccle.24.*

*De multiplici causa somniorum.*

speciem, flegmatici aquarum imagines, melancholici ea quæ ad terrorem pertinent, sanguinei ea quæ spectant ad gaudium, sæpè somniando vident. Quandoque ex capitis vacuitate, quandoque ex nimia repletione, quandoque ex cogitatione præcedente. Vnde Salomon: Multas curas sequuntur somnia. Quandoque ex dæmonum illusione. Vnde in Ecclesiastico: Ab immundo quid mundabitur, & à mendace quid verum dicetur. Quandoque ex diuina reuelatione, sicut Angelus apparuit in somnis Ioseph. Vnde in Ecclesiastico: Cor tuum phãtasmata patitur, nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio. Et quia tot modis somnia fieri habent, dicit beatus Gregorius: Difficile somniis credendum est, quia quo impulsu veniant, facilè non elucet. Sancti verò illusiones & reuelationes quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusione patiantur. Fuerunt insuper alij falsi Prophetæ, quibus malignus spiritus transfigurans se in Angelum lucis, multa reuelabat, aliquando vera nuntiando, aliquando falsa. Falcitati enim veritatem miscebant dæmones, vt eis facilius crederetur. Vnde in Deuteronomio Dominus ait: Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras & seruiamus eis. Non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, quasi dicat: Hoc permittit Deus ad probationem suorum, vt scire faciat illos, si diuinis scripturis fidem adhibeant potius, quàm visionibus. Nam & propter huiusmodi visiones præcepta Dei relinquere non debemus. Vnde diabolo tentãti per scripturas Dominus voluit respondere, & authoritate scripturarum confutare. Certius enim & securius est testimonium scripturarum quàm visionum. Aliquando enim falsis reuelationibus eos qui decipi meruerunt, seducit diabolus. Vnde cùm Dominus diceret, sicut in tertio Regum dicitur: Quis decipiet Achab Regem Israël? Egressus spiritus stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Fuerunt autem & alij falsi Prophetæ, qui licèt gentiles essent, quandoque tamen per diuinam reuelationem vera prænuntiabant. Cuiusmodi fuit Baalam, Sybilla & alij multi. Multa enim de Christo & Ecclesia prænuntiata sunt ab illis ad vtilitatẽ nostram, & ad fidei nostræ confirmationem, quia fortius est testimonium ab aduersario prolatum. In his autem omnibus subtiliter & diligenter probandi sunt spiritus vtrum sint à Deo. Quidam autem non solum à Deo habent reuelationem, sed spirituum discretionem. Vnde & Prophetæ sancti diuinitus inspirati, de his quæ prænuntiabant à Deo, certi erant quod dubitare aliquo modo nõ poterãt. In talibus enim magis docet vnctio, quàm lectio, magis oratio, quàm ratio. In his autem visionibus quæ sunt à spiritu sancto, relinquit ipse spiritus vestigia sua, & certa indicia in anima. Quadam enim spirituali suauitate impinguatur, & ad se rediens valde humiliatur, modicum de se sentiẽs, & omnia gratiæ diuinæ attribuens. Accenditur insuper, & feruore spiritus incitatur ad seruiendum Deo, & ad pœnitentiam faciendam, vt cum magna afflictione & pœnitentia & laboribus immensis ad gaudium quod prægustauit, valeat peruenire. Econtra qui à spiritu malo in visionibus seducuntur, vacui remanent & ficti, & de se magna solent præsumere tanquam Dominus locutus fuerit illis meritis suis & sanctitate. Redduntur insuper securi, & ad operandum pigri, & potius exigunt vt ministretur eis quàm vt aliis ministrent, & in visionibus falsis magis quærũt delectationem quàm ædificationem. Spiritus enim maligni tanquam falsi pigmentarij, aliquando Prophetis suis falsas immittunt dulcedines vt sentiant, quasi mel in ore vel Sophisticos odores, & aliquando cum lumine apparent, & in Angelos lucis seipsos transfigurant. Non solùm autem propter Prædictos prophetas, sed insuper propter hæreticos & hypocritas ait Dominus in hodierno Euangelio: Attẽdite à falsis Prophetis. Est enim qui nequiter se humiliat, interiora autẽ eius plena sunt dolo, sicut in Ecclesiastico dicitur: Cuiusmodi sunt hæretici & hypocritæ nequiter & dolosè exterius humilitatẽ ostẽdentes, venientes in vestimentis ouium, interiora autem eorum plena sunt dolo. Intrinsecus enim sunt lupi rapaces, voluntate decipiendi simulationibus & blanditiis suis miseras animas rapiẽtes ab ouili Christi & laniantes. Qui teste Apostolo per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. Verba enim proferunt humilitatis, sed intus abscondunt iniquitates. De his autem Hieronymus ait: Sub ouina pelle lupus latet, venenum sub melle. Venena non dantur nisi melle circumlinita. Et vitia non decipiunt nisi sub specie virtutum. Et Gregorius ait: Nemo amplius nocet in Ecclesia, quàm qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Sicut autem lupo nõ sufficit, postquam in ouile ouium ingressus fuerit, vt vnam ouem occidat, sed omnes quotquot potest, nititur strangulare: ita hæretici sanguinem animarum sitiunt, & laborant, vt populi multitudinem occidant. Vnde Apostolus ait: Scio quod post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces non parcentes gregi. Vnde in hodierno Euangelio Dominus fideles suos præmuniens ait: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Lupi rapaces sunt, qui propriam gloriam quærentes, rapiunt Domino quod suum est, qui solus gloriosus est. Teste autem Gregorio: Hypocrita non apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat. Vestimentis autem ouium hæretici se induunt, dum catholicorum patrum sententias vt magis decipiant, suæ doctrinę interserunt. Si enim semper mala dicerent, citius cognita caderentur, & ideo bona malis miscent, vt dum libenter auditur quod verum est, non facile discernatur

*Ecclesiast. 34.*

*De diabolica reuelatione.*

*1. Reg. 22.*

*De paganis quibus aliquando vera reuelata fuit à Deo.*

*De probatione spirituum.*

*De hæreticis & hypocritis. Ecclesiast. 19.*

*Matthæi 10.*

cernatur quod falsum est more veneficorum. Qui dum venena porrigere volunt, ora calicis melle liniunt, vt cùm gustant id quod dulce est, absque retractatione perueniatur ad id quod mortiferum est. More enim scorpionum blandiuntur in facie, sed aculeum venenatum habent in cauda. Lingua quidem blandiuntur exterius, sed animo sæuiunt interius. Attendite à falsis Prophetis. *Nunquam te fallant animi sub uulpe latentes.*

*Hypocritæ & hæretici comparantur veneficis, scorpionibus, lamiæ, simiæ & struthionibus. Versus.*

Hi sunt hæretici & hypocritæ, qui assimilantur simiæ, quæ anterius præfert speciem similitudinis humanæ, posterius verò dedecus ignominiæ. Hi sunt statera dolosa, quæ abominabilis est apud Deum, speciem quidem pietatis habentes, sed virtutem eius abnegantes. Vnde Ieremias in Threnis: Lamiæ nudauerunt mammas suas, lactauerunt catulos suos, filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Per lamias hypocritarũ peruersa calliditas designatur, qui faciem humanam, sed corda beluina gestant. Mammam nudant, quando errorem suum liberè prædicant. Catulos lactant quando sequaces peruersa doctrina oblectant. Struthioni autem comparantur hæretici & hypocritæ habentes similitudinem volandi, sed non volant, quia per desiderium ad superna non anhelãt. Vnde in Iob dicitur: Penna struthionis similis est pennæ herodij & accipitris. Similis in exteriori, sed differunt in veritate. Nam struthio parum habet de pennis & multum de carne. Econtra accipiter parum habet de carne, & de pennis multum. Ita hypocritæ modicum vel nihil habent de pennis virtutum, sed de carnalitate multum. Contrarium autem in viris spiritualibus reperitur. Struthio autem præsentia tantum cogitat, & nihil de futuro sperat. Oua sua sine calore amoris, & fomento pietatis, & sine spe prolis exponit. Similiter hypocritæ de salute subditorum non curant, sed præsentem tantùm gloriam captant. Vnde oua sua, id est, subditos in puluere temporalium relinquunt dæmonibus conculcandos.

*Thren. 4.*

*Iob 39.*

*Hæretici comparantur mulieri alienæ.*

Attendite à falsis Prophetis, id est, hæreticis vt eruamini, sicut ait Salomon: A muliere alienæ quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ. Mulier est hæreticus mollis, & flexibilis ad laudes hominum. Dicuntur autem alieni, quia ab Ecclesia Dei eiecti, & alios alienare nituntur. Sermones molliunt, dum blandis sermonibus animas alliciunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Relinquunt autem ducem pubertatis suæ, id est, Christum, dum pactum baptismi frangunt. De his Apostolus ait: Hæreticum hominem post vnam & secundam monitionem, deuita. Qui enim tetigerit picem, coinquinabitur ab ea. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Attende tibi à pestifero. Fabricat enim mala, ne fortè inducat super te subsannationem in perpetũum. Attendere debemus à pestifero, id est, ab hæretico qui mala fabricat, id est, doctrinam prauam, & animas inducit ad perditionem. Parum autem distat in vitio decipere Christianum aut decipi posse. Diabolus mendax est in se & ministris suis. Ipse falsus promittendo, qua falsitate primos parentes seduxit. Falsus suggerendo, dum malum sub specie boni prætendit. Falsus docendo, qua falsitate hæreticos decipit. Vnde non est credendum promittenti, suggerenti & docẽti. Est igitur diabolus propheta falsus & hæretici prophetæ ipsius, qui veniunt in vestimentis ouiũ, foris ouini & columbini, intus lupini & serpẽtini, similes sepulchris dealbatis, & sterquilinio niue cooperto. Mel habentes in ore, fel in corde, qui vt astutius fallant, religionem simulant. De quibus in Iob dicitur: Simulatores & callidi prouocãt iram Dei. Et 2. ad Corinthios 11. ait Apost. Ipse Satanas transfigurat se in Angelũ lucis. Nõ est igitur magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ. Sicut autem pyratæ falsa luminaria de nocte accẽdunt vt laborantes in mari illic quasi ad portũ salutis festinent, sic spiritus maligni transfigurantes se in Angelum lucis incautos seducunt. Attendite à falsis Prophetis, id est, hypocritis. De quibus in Euan. dicitur: Omne regnum in se diuisum, desolabitur. Diuisum est regnum, dũ hypocrita aliud cogitat corde, aliud ostẽdit in opere. Propterea Psal. ait: Dirige in cõspectu tuo viam meam, id est, in conscientia vbi me vides, ne agendo contra conscientiã ædificem ad gehennam. Teste autem Grego. vita hypocritæ quædam visio phantasmatis est, quæ hoc ostendit in imagine quod nõ habet in veritate. Quicquid autem hypocrita exsudat, leuis aura fauoris exsiccat. De his autẽ in. 3. Regũ dicitur, quod ascẽdit Sesac Rex Ægypti, & tulit scuta aurea, quæ fecerat Salomõ, & posita sunt pro eis ærea. Sesac interpretatur byssus cilicij. Hi sunt hypocritæ, qui exterius asperitatẽ ostendũt, nec curãt nisi quod opera eorũ appareãt, sicut ęs coloré auri habet, sed auri pretiũ nõ habet. Bonus autẽ artifex vnũ ab alio bene discernit, sicut scriptũ est: Nolite errare, Deus nõ irridetur. De his autẽ Isa. Ibi habitabũt struthiones & pilosi. Struthiones sicut prædictũ est, sunt hypocritæ. Pilosus autẽ dęmõ incubus dicitur, qui ab homine incipit, & in bestiã desinit. Hi sunt qui verbo & apparẽtia ostẽdunt se homines rationales, inferius autẽ habent motus bestiales. Vnde in Eccle. dum gelauerit, fiet tanquam cacumina tribuli, qui, scilicet, habẽt exterius pruinę candorẽ, sed interius punctionem. Et Isaias: Gladius Dei repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum arietum. Per agnos hypocritarum simulata simplicitas. Per hircos aperti & fœtidi peccatores designantur, per medullatos arietes, prælati & potentes, vel qui sunt in religione præeminentes. De quibus Abacuc: Escæ eius electæ. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium. De quibus Iere. Si laueris te nitro & multiplicaueris tibi herbam Borith, tamen maculata es in iniquitate tua coram me. In nitrea Regione ex humore pluuiæ æstiuæ desiccato prouenit nitrum, quasi in modum lapidis salis, quod tritum in aqua multum valet ad sordes abluendas. Hypocritæ autem exterius lauant se, quia vt oculis

*Ecclc. 11.*

*De mendacio diaboli & eius seductione.*

*De duplicitate hypocritarũ.*

*3. Reg. 19.*

*Simile.*

*Eccle. 43.*

*Isaiæ 34.*

*Hypocritæ exterius se ablauunt sed interius sordẽt.*

vt oculis hominum mundi appareant, multum laborant. Herba autem Borith est herba fullonum. Hypocritæ autem sese cruciantes diaboli sunt fullones, qui non habẽt oculum ad Deum, sed magis ad laudem hominum. Non enim curant si Dei gratiam perdant, dummodo ab hominibus honorentur, sicut Saul dixit Samueli: Honora me coram populo. Nec curabat quod ei Samuel dixerat ipsum offendisse Deum. Hi sunt qui stacten portant in nundinis Tyri, affligentes carnem suam pro gloria mundi. Qui myrrham super lectum meretricis spargunt, dum carnis mortificationem ad vanitatem mundi referunt. De Moyse autem legimus quod dixit Pharaoni: Non remanebit de omnibus vngula in Ægypto. Per vngulam autem finis designatur. In Ægypto igitur vngulam remanere, est opera bona fieri malo fine. Propterea Ieremias ait: Ascende in Galaath, & tolle resinam virgo filia Ægypti. Frustra multiplicabis medicamina, sanitas non erit tibi. Filia Ægypti dicitur Hypocrita mollis ad fauorem hominum, & tenebris interius obcæcatus. Virgo dicitur, quia sterilis vel ornatus exterius per hypocrisim. Iuxta illud: Filiæ eorũ compositæ, circumornatæ vt similitudo tẽpli. Quia nõ sunt verè templum Dei, sed habent similitudinẽ templi, qui exterius ornantur per hypocrisim. Talibus dicitur quod ascendant in Galaath, id est, ad aceruum testimonij, scilicet, ad sacram scripturam, vel ad Ecclesiam & assumant resinam sacramentorum vel sacræ scripturæ doctrinam. Licèt autem hypocritæ in diuinis scripturis studeant & aliquando prædicent: quia propter vanam gloriam omnia faciunt, sanitatem non recipiunt. Pari modo frustra multiplicant sacramentorum medicinã, quia indignè sumentibus, non prosunt, sed magis obsunt. Licèt autem de Ecclesia sint numero, non tamen merito. Palea enim & triticum de vno semine nascuntur, in vno agro radicantur, vna pluuia nutriuntur, sub eodẽ messore colliguntur, eadem trituratione teruntur, eandem ventilationem expectant, sed non idem horreum intrant. Quia opera hypocritarum non hæreditabunt terram. Vnde in libro Sapientiæ: Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt, id est, adulterinæ plantationis opera, scilicet hypocritarum citò peribunt. Quia omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Spes enim impij quasi spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, sicut in libro Sapientiæ dicitur: Spuma ex aquis edita supernatat. Hic est humani fauoris appetitus, & iactantia vulgaris, quæ procella tentationis vel discussione iudicij dispergitur, & quam vana sit, probatur. Attendite à falsis Prophetis. Habet anima falsos prophetas suos, id est, sensus humanos, qui vana & stulta nuntiant illi. Vnde Ezechiel: Dedan negotiatores tui cum tapetibus ad sedendum. Dedan cognatio interpretatur. Hi sunt sensus animales, familiares & cognati nobis tãquam fratres vterini, qui pulchritudine & mollicie quasi pictis tapetibus delectantur. Mali autem & curiosi sunt hi negociatores qui pretio carissimo paleam vanitatis, & lutum emunt voluptatis. Vnde in Threnis: Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta. Quod etiam potest intelligi de quibusdam vanis cogitationibus, quibus peccator sibi blanditur promittendo sibi prospera, vitam longiorem, potentiendi facultatem & similia. Vnde subdit: Viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones. Assumptiones, scilicet, damnationis, & eiectiones salutis. Attendite à falsis Prophetis, falsi Prophetæ sunt vitia sub specie rationis se palliantia. Inanis enim gloria suggerit præesse, vt pluribus prosit. Inuidia quasi ex ratione ostendit alios non superiores vel pares ei esse debere. Ita suadet non debere illata pati, ne assuescant inferri. Tristitia quasi probat nihil habere vnde gaudeat, cum omnes proximi ei sint amari. Ventris ingluuies dicit: Omnia munda ad escã condita, & donis Dei non debere contradici. Luxuria dicit: Cum breue tempus sit, & nesciamus quid sequatur, non debere perdere quod viuimus. Si enim Deus coitum improbaret, masculum & fœminam non fecisset. Attendite à falsis Prophetis, id est, à dæmonio meridiano & spiritibus immundis, qui veritatis imagine falsitatem palliãt, & velut caupones aquam vino miscent. Sicut autem Physici pillulas amaras nebula inuoluunt, vt qui sumunt eas, amaritudinem non sentiant, & quemadmodum non masticantur pillulæ, sed absque vlla mora glutiuntur. Sic diabolus amaritudinem peccatorum inuoluit, quasi quadam nebula falsæ delectationis. Nec vult vt per delectationem masticentur, sed quod citò & cum impetu glutiantur. Qualiter autem à prædictis pseudoprophetis attendere & cauere nobis valeamus, ostendit Dominus, dicens: A fructibus eorum cognoscetis eos, sicut scriptum est: In operibus manuum suarum comprehensus est peccator, id est, deprehensus & agnitus. Latet enim lupus sub agni vellere ad tempus donec eum prodiderit vlulatus. Sicut autem cognitio arboris est ex fructu, ita cognitio hominis ex actu. Quod manifestum est de malis apertis. De quibus Apostolus ait: Manifesta sunt opera carnis, id est, hominis carnalis. Quæ sunt, fornicatio, immunditia, auaritia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, & similia, quæ omnia in hæreticis diligenter intuentibus facile est inuenire. Vnde in Prouerbiis: Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Speculum siquidem operis plerumque ostendit, qualis sit facies cordis. A fructibus igitur malis cognoscuntur falsi Prophetæ, hæretici, scilicet, hypocritæ & maximè à fructu patientiæ. Teste enim beato Gregorio, qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat, pro simulata iustitia pressuras non sustinet, sed in aduersitate per impatiẽtiam seipsos manifestant. Aqua tribulationis parietem lutеum licet dealbatum dissoluit, & cuiusmodi interius sit, ostẽdit. Parietem autem marmoreum, id est, virum catholicum abluit ac mundificat & reddit pulchriorem. Testa vacua crepat ad ignem, ple-

*Iere. 46. Hypocritæ licet opera de genere bonorum faciant, omnia tamen perdũt.*

*Sap. 4.*

*Ezech 27. De falsitate quinque sensuum.*

*De falsitate vitiorum, quæ sub pallio rationis se abscondunt.*

*De diabolo transfigurante se in Angelum lucis. Simile.*

*Falsi Prophetæ à fructibus cognoscuntur.*

nem, plena non crepat. Hypocritæ autem quoniam boni apparere volunt, quando arguuntur & increpantur, tunc demum à fructu defensionis impatientiæ & indignationis agnoscuntur. Vnde Isa. de Babylone ait: Orientur in domibus eorum spinę, & vrticę & paliurus in minutionibus eius. Per spinas vitiorum punctiones. Per vrticas malarum cogitationum prurigines. Paliurus præ densitate & asperitate spinarum tangi non potest. Hi sunt qui reprehendi se non sinunt, & alios in suis iniquitatibus defendũt. Vnde & Iob loquẽs de carecto ait: Cũ adhuc
Iob. 24. sit in flore, nõ carpitur manu, & ante omnes herbas arescit. Carectũ aculeis surgit acutis & manũ secat carpentis. Sic hypocrita si manu correptionis tãgatur de læsa opinione exasperans vitã corripientis secat, vt se innocentẽ non suis actibus, sed alienis criminibus ostẽdat. Et ante omnes herbas citius arescit, quia mox bona deserit postquã ea obtinuit propter quæ bonũ simulauit. Nõ solum autẽ à malis apertis, sed insuper ab occultis plerunq; cognoscuntur hypocrytæ. Vix enim aut nunquam diu latere possunt, quin aliquomodo se ostendãt. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Et malus homo de malo thesauro profert mala, hypocritę, quę in corde ardẽter diligũt, frequẽter in sermone proferunt. Vnde & in Eccles. A filiis suis cognoscitur vir, id
Iere. 8. est, ab operibus. Et Iere. Eiicient ossa eorũ de sepulchris suis. Et expandẽt ea ad solẽ, vt, scilicet, mala opera eorum nõ manifestẽtur. Et subdit: In sterquilinium super faciem terræ erunt, vt, scilicet, alij hoc exemplo fructificarent, sicut sterquilinium terram impinguando vberem reddit. Nihil igitur est occultũ in hypocritis vel hæreticis quod nõ reueletur, vel hîc, vel in futuro. Et si enim quędã mala eorũ lateãt, & abscõdantur in hoc seculo, in die iudicij submoto pileo apparebunt scabiosi. Sodomitæ enim crepusculo ad domum Loth venerunt, sed mane orto sole perierunt. Et si enim modò occultè peccẽt aliqui, apertè in iudicio punientur, quẽadmodum per
Naum 3. Naum Dominus ait: Ostendã gentibus nuditatẽ tuã, & regnis ignominiã tuã. Quod autẽ à fructibus eorum falsi Prophetæ cognoscuntur, ostẽdit Dominus per similitudinẽ arborũ subdẽs:
*Hypocritæ et falsi Prophetæ spinis & tribulis comparantur.* Nunquid colligẽt de spinis vuas, aut de tribulis ficus. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autẽ arbor malus fructus facit. Sicut igitur de spinetis nõ colliguntur vuæ, nec de tribulis ficus, ita de mẽtibus hypocritarum spinosis punctionibus vitiorum bonus fructus nõ colligitur, sed in prauæ intentionis radice vitiatur. Huiusmodi autẽ arbores plenæ sunt aculeis, vt vix absq; læsione tractari possint, quibus cõtrariæ sunt vitis & ficus, quæ & fragrantiã suauissimi odoris & fructum dulcissimi saporis reddunt, fructum, scilicet, charitatis. Sicut autẽ spinæ & tribuli intractabiles sunt, ita hæretici & falsi Christiani amari sunt & pungitiui. Si in hæretico requiritur fructus veritatis & charitatis, spinæ dissensionis inueniuntur. Si in falso catholico amor cœlestis, amor terrenus reperitur. Spina siquidẽ arbor est tortuosa, nec facit fructum
*De ficu & vua.* suauẽ. Tribulus vescuntur asini diaboli non homines. Ficus autẽ dulcedo nouæ cõuersationis, vua feruor dilectionis. Nõ igitur de spinis & tribulis vua & ficus colliguntur, quia mens adhuc veteris hominis consuetudine pressa, similare potest, sed non ferre fructũ noui hominis. Quod si aliquãdo opera de genere bonorum faciunt mali, vel si quando dicta vel facta eorum prosint bonis, non hoc faciunt mali, sed fit illud consilio Dei, quia non eorum fructus est, sed vitis quæ super spinas exuberat. Carpendus est igitur botrus, spina autem cauenda. Si videris vuam super spinam pendentem, sume vuam & fuge spinam. Fructum autem qui est de genere bonorum, possumus imitari, sed radicem malæ intentionis vitare debemus. Non enim oues pelles suas debent proiicere, & si lupi aliquando illis contegantur. Vnde Augustinus ait: Sic carpendus est botrus, vt caueatur spina. Sicut enim hæreticorum doctrina à simplicibus penitus fugienda est, sic à catholicis & orthodoxis patribus, qui sciunt discernere inter falsam & veram doctrinam, ita mala respuenda sunt, vt bona in authoritate Ecclesiastica assumantur. Vasa enim aurea & ar-
*Simile.* gentea ab Ægyptiis tulerunt Israelitæ. Quamuis spina botrum non gignat, solet tamen vitem cum botro sustinere, sic hæretici cùm in multis mali sint, solent tamen quædam bona dicere. Radatur ergo ancillæ capitis cæsaries, & summitates vnguium præscindantur, lugeatque patrem suum, & matrem vno mense, vt sic illam in vxorem ducere valeamus. Quicquid enim superfluum, & fidei nostræ contrarium est, ab eorum dictis resecare debemus, nec est repellendus hæreticus, si conuerti voluerit, & lugere patrem & matrem, id est, pristinam conuersationem, & hæreticam prauitatem, in qua natus vel nutritus est, lugeat, & de illa pœnitentiam agat. Hæc sunt verba Augustini, quibus ostenditur, qualiter à falsis Prophetis attendere debeamus, & à spinis atque tribulis vuas & ficus discernere cum cautela. Possunt autem per
*Amos 8.* spinas quæ apertè lacerant, violenti persecutores intelligi. Per tribulos autem qui occultè & sub pedibus pungunt falsi & fraudulenti, qui latenter nocent, designantur. Vnde Amos: Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum. Per dracones intelliguntur, qui apertè contra Ecclesiam sæuiunt. Per struthiones, qui occultè. Et est sensus: Lugebo pro his qui apertè sunt mali, & pro his qui occultè insidiantur, & latenter nocent bonis. De prædictis
*Arbor bona fructũ malũ non facit.* igitur spinis & tribulis non colligitur bonus fructus. Vnde & subditur: Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Nomine arboris intentio vel voluntas intelligitur, quæ radicatur in anima, sicut arbor in terra, secundum quam de fructu, id est, de opere iudicatur, quia effectus tuus operi tuo nomen imponit. Vel etiam ipse homo arbor nuncupatur, qui secundum intentionis & voluntatis radicem bonus vel malus dicitur. Nónne de bona voluntate quandoque malum opus procedit? vt si quis in ædificio Ecclesiæ, velit

velit lapidem ponere, & de manibus eius cadit atque hominem interficit, non videtur simpliciter actio illa bona, quia non adhibuit omnem diligentiam quam potuit vel debuit. Vel opus illud non est fructus procedens directè, sed appendens, quia non intendebat illud. Aliquibus tamen videtur, quod actio seu opus operans in prædicto casu bonus fructus & meritorius fuit secundum intentionem operantis. Opus autem operatum fuit malum, id est, pœnale, homini interfecto, sed malum, id est, vitiosum seu criminale non fuit. Econtrario, malus homo dum orat vel eleëmosynam dat, licèt bonum opus faciat, id est, de genere bonorum, non tamen dicitur bonus fructus, quia non est meritorius, nec potest dici arbor bona, quia non fecit fructum meritorium vitæ, vel quæ infecta est in radice. Sunt autem tria genera malarum arborum. Quædam sunt penitus siccæ sine foliis & fructu. Hi sunt qui nec bona diunt, nec bona faciunt. Aliæ sunt foliatæ, sed infructuosæ, sicut salices & vlmus. Hi sunt qui dicunt & non faciunt. Aliæ autem foliatæ sunt cum fructu amaro. Hi sunt hypocritæ, qui folia habent verborum, sed sunt in amaritudine malæ conscientiæ. De quibus in libro Sapientiæ dicitur: Confringentur rami inconsummati, & fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum. Fructus siquidem malorum arborum non exponuntur Soli, quia Sol iustitiæ non illuxit eis. Et quia absconduntur à Sole, immaturi sunt & acerbi. Quidam autem faciunt fructus porcorum more quercus, scilicet, luxuriosi. Alij faciunt fructus præproperos & immaturos, non tempore suo, sicut neophyti, qui arant in primogenito bouis. De arbore infructuosi & foliata dicit Dominus in hodierno Euangelio: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Hi sunt falsi fratres & hypocritæ, qui ore inuocant, sed factis negant. Noli igitur attendere linguam tantùm, sed manum. Non laudatur arbor pulchritudine foliorum, sed copia bonorum fructuum. Inaniter siquidem habent folia verborum, qui recusant fructus proferre bonorum operum. Non sufficit sola confessio, si desit bona operatio. Qui autem voluerit intrare in regnum cœlorum, non solùm scire desideret, quid velit Deus, sed etiam implere quod iubet Deus. Vnde in Euangelio: Si scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea. De omnibus autem prædictis arboribus malis, subiungit Dominus: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Non igitur pigri & ocioſi credant se esse immunes à pœna, licèt à malo exterius abstineant. Securis enim posita est ad radicem arboris infructuosæ, vt abscindatur, id est, à numero fidelium, sententia Iudicis separetur. Hæc securis est Christus, cuius manubrium humanitas, ferrum diuinitas, acies securis iudicium diuinæ potestatis. Excisio insuper malæ arboris intempestiua est mors peccatoris. Ex his ergo colligere possumus, quæ pœna præparata sit malè operantibus. Si enim in ignem mittitur, qui nudum non vestiuit, in quem ignem mittendus est, qui vestitum spoliauit? Si ad pœnam vadit qui propria non dedit, ad quam pœnam iturus est qui aliena rapuit? Sitis igitur fratres charissimi, arbores bonæ & fructuosæ in horto Dei, sitis sicut oliua fructifera in domo Dei, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit, &c. Amen.

*De tribus generibus arborum, & fructibus earum.*

*De foliis & abscisione malæ arboris.*

## DOMINICA NONA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE.

*Ecce Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Auerte mala inimicis meis, & in virtute tua disperde illos, protector meus Domine.* Psal. 53.

VIS mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum audiat omnipotes, & librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portẽ illum, & circundem illum quasi coronã mihi? per singulos gradus meos pronuntiabo illũ, & quasi Principi offerã eum. Verba sunt Iob, non confidentis de virtute sua, sed auxilium illius postulantis, qui ait: Sine me nihil potestis facere. Requirit igitur mediatoris auxilium, vt per eum, tanquam per fidelem nuntiũ & humani generis aduocatũ, desiderium cordis eius ad Deum perueniat, & exaudiãtur preces eius. Petit insuper, vt filius, cui pater omne iudicium dediț, librum sacræ scripturæ in corde suo per cognitionem & affectionem scribat, ita quod in humero suo portet illum, id est, perficiat operando, quod in libro cognoscit legendo. Sacri autem eloquij mandata, si benè modò portentur in opere, postmodum nobis victoriæ coronam exhibebunt in retributione. Et quia statim nemo fit summus, ascendit quasi quibusdam gradibus proficiendo. Vnde gradus vocat incrementa virtutum, quoniam per ipsa ascenditur, vt ad cœlestia obtinenda veniatur. Per singulos igitur gradus librum pronuntiat, qui percepisse se eius scientiam, non per verba tantummodo, sed per opera demonstrat. Principi autem librum offerimus. Venienti autem ad iudiciũ librum offerre, est verba prœceptorũ eius in actione tenuisse. Librũ etiam Domino offert, qui ad ipsum ea, quæ scripturis cognoscit & operatur, refert, vt non sit ingratus largitori, sed cum Propheta dicat: Ecce Deus adiuuat me. Et Isaias: Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus: quasi dicat: Huic securus me credo, qui saluare me possit, nouerit & velit. Hoc est quod Apostolus ait: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et Iob: Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis

*Iob 31. De virtute sua confidere non debemus, sed de auxilio Dei.*

*Quod beneficia Dei recolere debemus.*

manus pugnet contra me. Ecce Deus adiuuat me. Opera Dei reuelare & cõfiteri, honorificum est: sicut dicitur in Tobia, & maximè in pugna & tentatione multum prodest beneficia Dei ad memoriam reuocare, ne tantum & tam munificum benefactorem facilè deseramus. Propterea filiis Israël Dominus ait: Caue ne derelinquas Leuitam omni tempore, quò versaris in terra. Leuita qui venit ministrare, Christus est, quem nunquam debemus derelinquere, sed eius beneficia iugiter ad memoriam reuocare. Vnde Ioseph recolens beneficia Domini sui, euasit manus impudicæ mulieris, dicens: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquã est quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit mihi. Propterea Ecclesiasticus ait: Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam. Fideiussor noster apud patrem fuit Christus, iuxta illud: Domine, vim patior, responde pro me. Dedit autem animam in mortem pro nobis absoluendis. Quàm miseri, qui tantam gratiam obliuiscuntur. Vnde in Deuteronomio dicitur: Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Magis autem ingrati sunt qui obliuiscuntur Dei redemptoris sui. Maius enim beneficium fuit redimere quàm creare. Calami igitur candelabri, qui ex hastili procedunt, debent reflecti ad hastile, vt Dei beneficia ad Deum auxiliatorem referamus, & cum Apostolo dicamus: Gratia Dei sum id quod sum. Et Psalmus: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Vnde in Exodo Moysi Dominus ait: Sanctifica mihi omne primogenitum, id est, cuiuslibet boni operis initium mihi attribue. De ingratis autem, qui diuinum auxilium non attendunt, conqueritur Dominus per Michæam, dicens: Adhuc ignis in domo impij, & thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena, id est, post tot beneficia quæ contuli, ignis peccati adhuc est in corde vel in conscientia iniquorum, & thesauri illi, de quibus Apostolus ait: Thesaurizas tibi iram in die iræ. Et quia non respondent diuinis beneficiis competenti mensura, quãtò minor est mensura, tantò magis capax est iræ diuinæ, cùm fiat contrarium in materiali mensura. De his autem meritò dici potest: Domine Deus, vide si tunica filij tui sit, quę cruentata est sanguine passionis, vt dicere possis pigris & ingratis: Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph pro vobis. Vnde Malachias ait: Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos. Dominus sæpe nobis improperat, quod cùm ipse diligat nos, ipsi non diligimus eum. Vnde Ioannes ait: Non quia nos dilexerimus Deum, sed quoniã ipse prior dilexit nos. Teste autem Bernardo: Dilexit nos existentes, adiecit & resistentes diligere, quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus. Dilectionem igitur non reddidit, sed addidit. Dilexit dulciter, quia carnem induit. Sapienter, quia culpam cauit. Fortiter, quia mortem sustinuit. Amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Et tu ipsum dilige dulciter, ne illectus, prudenter ne deceptus, fortiter ne oppressus, ab eius amore auertaris, vt zelus tuus sit feruidus, circunspectus & inuictus. Debemus igitur ipsum diligere, & eius beneficia absque obliuione, corde recolere & confiteri ore, dicentes cum Psalmo: Ecce Deus adiuuat me. Arrogantes autem & de suis viribus præsumentes, Dei adiutorium non requirunt, nec attendunt, dicentes: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Et iterum: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Econtrà Iob ait: Non est auxilium mihi in me. Et iterum: Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. In manus osculatione gratia venerationis exprimitur. Per manum operatio, per os locutio designatur. Manum suam ore suo osculatur, qui opera sua veneratione digna æstimat, & iactanter laudat. Hoc enim iniquitas maxima dicitur, & negatio contra Deum, quia authoris sui gratiam negare conuincitur, quisquis sibi tribuit, quod operatur. Vnde Apostolus ait: Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Et iterum: Non ego solus, sed gratia Dei mecum. Vnde Psalmus: Inimicos meos dedisti mihi dorsum, id est, dæmones, vt coram me stare non possent, in fugam conuertisti. Ipse enim imperare potest ventis & fluctibus, vt cessante vento vanitatis, compescantur fluctus iniquitatis. Teste autem beato Gregorio: Si mens à vanitate cautè non compescitur, de facili ab iniquitate deuorabitur. In omnibus igitur debemus diuinum auxilium implorare, iuxta illud: Mittat tibi auxilium de sancto, id est, de Christo. Et ad ipsum victoriam nostram reportare, & ei bona nostra attribuere. Scala enim Iacob ex vna parte terram tangit, ex altera cœlum, dum opera bona, quibus ad cœlũ ascenditur, ita proximis impendimus, quod illa ad Deum referimus. Ecce Deus adiuuat me. Auxilium carnis fragile est, quia citò cadit & labitur. Vnde Propheta: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Auxilium mundi vanum est & inane, & tanquam baculus arundineus citò frangitur. Vnde in Ezechiële: Corruent fulcientes Ægyptum, & destruetur superbia eius. Mundus igitur & homines huius mundi vanè adiuuant, quia nõ sanant. Vnde & mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, totam substantiam expendit in Medicos, à quibus tamẽ sanari non potuit. Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Manus quidem eius, sicut in Cant. dicitur, tornatiles sunt, politæ, scilicet, & perfectæ, & ad adiuuandũ expeditæ. De his autem auxiliatoribus dicitur in Iob: Protegunt vmbrę vmbrã eius, quãdo, scilicet, vnus malus ab alio malo defenditur. Huiusmodi autem auxiliũ vmbratile est & vanum. Vnde Isa. Et erunt qui beatificant populum istum, & qui beatificantur præcipitati. Quia dum cæcus cæco auxilium præstat, ambo in foueam cadunt. Vnde Naum de Niniue, id est, de mundo, ait: Omnis qui videbit

*Contra ingratos. Mich. 6.*

*Malach. 1. Dilectioni Dei dilectione respondere debemus.*

*De arrogantibus & præsumptuosis.*

*2. Cor. 3. 1. Cor. 15.*

*Diuinũ auxiliũ debemus in omnibus implorare.*

*De multiplici auxilio vano. Ierem. 17. De auxilio carnis. Ezech. 30. De auxilio mundi.*

*De vano auxilio hominũ secularium. Iob 40. Isa. 40.*

*Naum 3.*

viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue, quis commouebit super te caput? Qui enim cognoscit & videt oculo spirituali, vanum auxilium mundi derelinquit eum & resilit, quasi qui obicem grauiter impegit. Qui verò mundū diligit, quasi fumo vanitatis obscuratus, quàm sit caducus non attendit. Sed qui oculo interiori cum Abrahā respicit Sodomā, non videbit nisi fumū & fauillam, quæ ascendendo deficiunt & euanescūt. Qui igitur limpide intuetur, dicet: Vastata est Niniue, quia mundus iste locus est horroris & vastæ solitudinis. Quis mouebit super te caput? quasi diceret rarus: Commouet autem super Niniue caput, qui miseriis illius compatitur, vel qui de pristina mundi conuersatione compungitur. Ecce quam vanus est mundus iste, & mundi auxilium inane. Auxilium autem diaboli fallax est & seductoriū. Blanditur enim, & adiuuare se simulat, vt deceptas animas in foueam deducat. Et hoc est quod ait Ieremias: Seduxerunt te, & prævaluerunt aduersum te viri pacifici tui, demerserunt te in cœno & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te. Viros pacificos appellat spiritus malignos, qui blandiuntur vt seducant. In cœno autem vitiorum & lubrico ruinæ sibi acquiescentes relinquunt. Vnde Abacuc: Væ qui potū dat amico suo, mittens fel suū, & inebrians vt inspiciat nuditatem illius. Repletus est ignominia pro gloria. Diabolus amicis suis, qui acquiescunt ei, dat potum vanitatis & voluptatis. Hic est potus fellis, quia valde amaricat conscientiā, & inducit amaritudinem æternam. Hoc potu miseras animas inebriat amaritudine illa, de qua dicit Ieremias: Calix aureus Babylonis in manu Dei inebrians omnē terrā. Et hoc facit diabolus, vt inspiciat ebrium virtutibus nudatū. Tandem autē replebitur ignomina pœnæ æternæ pro gloria vanitatis mundanæ. Ecce Deus adiuuat me. Vnde alibi Propheta ait: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea. Quare? Quia difficile est & periculosum valde contra carnē, mundū & diabolum pugnare. Nec possumus vincere, nisi auxiliante Domino, pugnare-mus cōtra carnē, macerando: contra mundum, cōtemnendo: cōtra diabolum, resistendo: contra vitia, repellēdo. Vnde in lib. Numeri dicitur: Sicut fecit Dominus in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, quod interpretatur lux eorū & deliciæ, & arca mœroris, & signat claritatē huius seculi, & delicias transitorias, quæ sunt arca mœroris & thesaurus damnationis. Ab his autē Dei auxilio liberātur electi, ne absorbeantur in profundo deliciarū, & postmodū in profundo pœnarum. Sic filios Israël in mari rubro Dominus liberauit. Vnde in Canticis: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, id est, quando Pharao persequebatur populum meum cum curribus, liberaui eum: ita liberabo te à persecutionibus, quæ sunt currus Pharaonis, id est, diaboli, & introducam te in terram promissionis. Pharao autem cum suo equitatu fluctibus maris obruetur, quando in stagnum ignis & sulphuris præcipitabitur. Amica sponsi in curribus est Pharaonis, quandiu constituta est in fratribus falsis. Hanc equitatui suo Dominus assimulat, dum eam prædicatoribus Euangelij associat. Exercitui etiam Christi tamdiu assimilabitur, quando angelicis agminibus associabitur. Quæ modò est in curribus Pharaonis, quamdiu permixta est his malis. Hoc est quod per Aggæum Dominus ait: Conteram fortitudinem Regis Gentium, id est, superbiam, quæ est fortitudo malorum. Et subuertam quadrigam, id est, Pharaonis currum, qui quatuor habet rotas, quatuor, scilicet, genera peccatorum, quæ quatuor modis fiunt, per ignorantiam, per negligentiam, per infirmitatem, & per certam malitiam. Habet autem Pharao, id est, diabolus, tres speciales & familiares currus. Primus pertinet ad carnis voluptatem, qui quatuor habet rotas, scilicet, ventris ingluuiem, coitus libidinem, vestium molliciem, & ocij resolutionem. Trahitur autem duobus equis, id est, vitæ prosperitate & temporalium vbertate. Secundus pertinet ad temporalium rerum cupiditatem, qui quatuor habet rotas, scilicet, fraudē, vsurā, furtum & rapinā. Trahitur autē à duobus equis, id est, tenacitate & acquirendi anxietate. Tertius pertinet ad malitiā, qui quatuor habet rotas, scilicet, sæuitiam, impatientiā, audaciam, & impudentiā. Velox est iste currus ad effundendū sanguinē, quia nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec pudore inhibetur. Trahitur autem à duobus equis, scilicet, terrena potentia, & seculari pompa. Equitatus siue exercitus Dei habet currum virtutū, cuius quatuor rotæ sunt, iustitia, temperantia, fortitudo, prudentia. Trahitur autem à duobus equis, qui sunt voluntas & operatio, ne sint ociosæ virtutes. Specialiter autem currus Domini est currus charitatis. Hic est currus igneus Eliæ, quo leuatur anima in cœlum, cuius prima rota est zelus Dei, vt honoretur: sicut scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Secunda rota zelus proximi, vt saluetur: sicut scriptum est: Æmulor vos Dei æmulatione. Tertia rota est feruor bonæ operationis: sicut scriptum est: Surge, propera amica mea. Surge, ne sis ociosa: propera, ne sis pigra. Quarta rota est ardor deuotionis: sicut scriptum est: Inflammatum est cor meum. Trahitur autem iste currus charitatis duobus equis, scilicet, beneficiorum consideratione & desiderij ardore. Ecce quomodo Dominus suos adiuuat, opponens tribus curribus Pharaonis currus virtutum cardinalium & charitatis. Sapientia enim vincit malitiam, attingens à fine vsq; ad finem, fortiter mundum & diabolum superādo & disponēs omnia suauiter, multiplicando gratiā, & in bello adiuuādo: sicut scriptū est. In cōuertendo inimicū meū retrorsum, infirmabuntur & peribunt à facie tua. Solebat quidem procedere inimicus aduersarius antiquus tanquā dux itineris mortis. Sed post Christi aduentū cōuersus est retrorsum. Retrò enim & quasi à dorso insidiatur, & ita infirmati sunt hostes nostri, vt nihil contra nos possint. Et tandem in iudicio peribunt, vel in bono qui priùs erant inimici infirmati

*Diabolus auxiliatur fallaciter, vt seducat. Ierem. 37.*

*De diuino auxilio contra hostes multiplices.*

*Num. 21.*

*Cant. 1.*

*Agg. 2.*

*De curribus & quatuor rotis Pharaonis.*

*De curribus Dei & rotis.*

*2. Cor. 11.*

infirmati sunt malam fortitudinem deponendo, & perierunt à malitia sua: sicut scriptum est: Verte impium, & non erit. De hoc autem diuino auxilio, & peccatorum destructione, ait Isaias: Præcipitabit Dominus faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super vniuersas nationes, & præcipitabit mortem in sempiternum. Peccatum dicitur habere faciem propter manifestationem, vinculum propter astrictionem. Colligatum dicitur propter consuetudinem, vel quia non dissoluitur per confessionem. Præcipitauit Dominus vinculum peccati per gratiam iustificationis. Telam autem orditus est diabolus à principio, peccata peccatis addendo, qui tot habet textores, quot sunt peccatores. Hanc telam Dominus destruxit per obedientiam passionis. Mortem autem præcipitauit per gloriam resurrectionis. Propterea Psalmus tanta considerans beneficia, ait: Ecce Deus adiuuat me. Adiuuat me contra pericula præsentis vitæ, vt illa vitem: contra pœnas gehennæ, ne illas incurram. Ad habenda vitæ æternæ præmia, vt ad illa perueniam. Adiuuat, ne quando rapiat vt leo animam meam, scilicet, cum magna auiditate. Quod fit maximè in fine, quia diabolus attentissimè insidiatur calcaneo nostro. Vnde Amos ait: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israël. Duo crura sunt carnales concupiscentiæ. Auricula autem obedientiam designat. Hæ sunt in ore leonis, id est, diaboli, quamdiu homo carnaliter viuens, obedit ei. Ab ore autem leonis crura & extremum auriculæ eruuntur, dum homo finaliter obedit Deo, quod per extremum auriculæ designatur. Leoni autem comparatur diabolus multiplici ratione, propter superbiam. Vnde in Iob dicitur: Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Propter atrocitatem: vnde per Abacuc Dominus ait: Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Chaldæi interpretantur feri & vbera. Et dæmones lactant per delectationis suggestionem. Feri sunt, retinendo animam in peccatis: & amari inferendo pœnam: veloces ad mali suggestionem. Ambulantes super eos, qui lata via incedunt, quæ ducit ad mortem, & aufert Deo animas, quas redemit, & prædatur rem alienam. Dicitur præterea leo, quia fortis. Vnde Ioël: Sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam, sic populus fortis paratus ad prælium. A facie eius curuabitur populus, omnes vultus redigentur in ollam, sicut fortes currunt, quasi viri bellatores ascendunt murum. Sicut sonitus dicit, quantum ad stridorem suggestionis. Flammæ quantum ad ardorem consensus & perpetrationis. Ignis deuorantis stipulam dicit, quantum ad cruciatum æternæ damnationis. Fortes autem sunt maligni spiritus, & multos sub se curuant, & ad peccatum inducunt, & murum virtutum impugnant, & expugnant in multis. Vultus autem in ollam redigi dicuntur, in quo nigredo & ardor culpæ, atque cruciatus pœnæ designatur. Dicitur etiam diabolus leo, quia rugit & sanguinem sitit ad modum leonis. Abacuc: Equi eius velociores lupis vespertinis. Hi sunt dæmones, qui crudeliores se exhibent in vespere, id est, in fine hominis. Circuit insuper diabolus more leonis, quærens quem deuoret. In quo calliditas insidiarum eius notatur. Vnde in Iob, vbi nos habemus: Nunquid est numerus militum eius? alia translatio habet: Nemo putet morã esse piratis, nunquid enim non venerunt insidiæ ab eo? Dicitur etiam quod leo ægre simiam quærit. Et diabolus ægrotãs per inuidiam quærit simiã, quæ gestus humanos imitatur, sed ratione caret. Hi sunt qui sanctitatis habẽt imaginẽ, sed non existentiã. Cùm igitur tam fortis & tã crudelis sit diabolus, nec sit potestas super terrã, quę cõparetur illi absq; diuino auxilio nunquã ab homine posset superari. Vnde Psal. ait: Ecce Deus adiuuat me, vbi ait: Ecce signat præsentiã, vbi dicit adiuuat, designat vtilitatem: vbi dicit Deus, ipsius potentiam. Cùm autem multis modis adiuuet Deus de speciali & efficacissimo adiutorio subiungit, dicẽs: Dominus susceptor est animæ meæ. Ad hoc enim humanã naturam, id est, corpus & animã suscepit per incarnationem, vt nostram adiuuaret infirmitatem. Vnde Isaias: Dominus dilexit eum, & faciet voluntatem suam in Babylonem, & brachium suum in Chaldæa. Vocaui eum & adduxi eum, & directa est via eius. Deus pater dilexit filium, qui voluntatem eius fecit in Babylone, id est, in mundo, & brachium suum in Chaldæis, id est, in feroces dæmones, ipsos fortiter expugnando, & ipsos à nobis fugando: sicut per eundem Isaiam ait: Longè effugabuntur, qui absorbebant te. Vocauit autem eum pater, id est, nomen eius per Gabriẽlem, & adduxit eum, id est, in carnem misit. Et directa est via eius, quia peccatum non fecit, nec exorbitauit. Venit igitur Dominus in mundum, vt nos susciperet, velut orator reum vt eum defendat, velut Medicus ægrum vt sanet, velut tutor pupillum vt eum protegat & conseruet. Vnde Zacharias: Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Omnia enim membra oppositus in cruce, vt hanc pupillam protegeret, & gratiam in nobis conseruaret. Vnde in Ecclesiastico: Gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. Pupilla siquidem gratiæ comparatur. Pupilla enim valde tenera est, qua penitus læsa, homo excæcatur. Nullum etiam membrum magis est pretiosum vel necessarium. Simili modo defacili læditur gratia, imò penitus aufertur, qua perdita, anima excæcatur. Suscepit autem nos velut Medicus ægrum. Vnde in Ecclesiastico: Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incedit in manus Medici, vt, scilicet, permittat se secari, vri & diætari. Sic peccator, qui incidit in manus Christi, vri debet igne contritionis, secari gladio confessionis, diætari moderamine debitæ satisfactionis. Adiuuat igitur nos Dominus, nostram naturam suscipiendo, & pro nobis moriendo.

*De peccatorũ destructione, quod fit Dei auxilio.*

*Adiuuat nos Dominus contra pericula vitæ præsentis.*

*Amos 3.*

*Diabolus comparatur leoni.*

*Abac. 1.*

*Ioël. 2.*

*Abac. 1.*

*De susceptione naturæ nostræ.*

*Isa. 48.*

*Simile.*

*Quod multipliciter nos Dominus suscepit & protexit.*

*Eccles. 38.*

Vnde

Vnde Bernardus: Mirabilis passio tua Domine Iesu, quæ passiones omnium nostrûm propulsauit. Propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli vnquã pesti nostræ inuenitur inefficax. Adiuuit nos in cruce, dum diabolum configendo destruxit. Quod signatum est per Iahel, quæ clauum accepit in manu sinistra & malleum in dextera, & clauo tempora Sisaræ perforauit. Iahel ascendens interpretatur, & signat Christum, qui priùs in crucem, postmodum in cœlum ascendit, qui per fœminam designatur, quia tenerius filios, & præcipuè infirmos diligit. Hęc clauum accepit in sinistra humanitatis, & malleum in dextera diuinitatis, & perforauit tempora Sisaræ, id est, diaboli. Sisara enim exclusio gaudij interpretatur. Et signat diabolum, qui à vero gaudio exclusus, alios excludere nititur. Hoc est quod Isaias ait: Quomodo confractus est malleus vniuersæ terræ? Fortiori enim malleo, hic malleus est confractus. Adiuuat igitur nos Dominus, quia inimicus est inimicis nostris, & aduersariis nostris aduersatur. Vnde Psalmus in hodierno officio subdit: Auerte mala inimicis meis, id est, à me vertes in illos, vt incidat inimicus in foueam, quam fecit, quia nemo plus alij nocet, quàm sibi. Mala enim quæ nobis inferunt mali, in caput eorum tandem conuertetur. Vnde Isaias: Consurge contra domum pessimorum, & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstarur auxilium. Dominus modò exaltat manum, quasi vibrando gladium, dum pœnam malis comminatur. Sed tandem, vt percutiat, manum suam inclinabit, & cadet gloria mundi, & cum illa corruent qui illi innituntur. Quia qui labenti innitur, necesse est, vt cum labente labatur. Et hoc est quod idem Isaias ait: Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra, & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis. Ecce quadruplex pœna contra peccata cogitationis, locutionis, operis, consuetudinis. Citò autem transibit figura huius mundi, & relinquetur in fine terra, vt nõ sit habitatio hominũ in ea. Vnde subdit de mundo: Et grauabit eum iniquitas sua & corruet, & non adiiciet vt resurgat, quia, scilicet, in æternũ punietur, & in virtute Dei, vel in veritate disperdentur, id est, diuersis pœnis perdentur. Et hoc est quod subdit Psalmus: Et in virtute tua disperde illos, protector meus Domine. Non optat, sed prædicit: quasi dicat: Florent hîc falsis bonis, sed peribunt veris pœnis. Hoc est in veritate disperdi, vel in virtute tua disperde eos, quos in infirmitate tua toleraſti. Hoc est quod alibi Propheta dicit: Dissipa Gentes, quæ bella volunt. Disperguntur reprobi in præsenti, sed in futuro disperdentur. Disperguntur in hoc seculo, sed vagi sunt & profugi super terram. Vagi sequentes concupiscentiam suam: profugi fugientes miseriam suam, quam tamen effugere non poterunt, sed de miseria culpæ transibunt ad miseriã pœnæ æternæ. Retribuet enim abundanter facientibus superbiam Dominus noster Iesus Christus. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorũ, Amen.

*Adiuuit nos Christus in cruce pro nobis patiendo.*

*Adiuuat nos inimicos nostros disperdendo.*

*Isa. 31.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM
### De Epistola, Primae Corinth. 10.

*Non simus concupiscentes malorum, sicut illi concupierunt.*

*In principio resistendum est malæ concupiscentiæ. Ezech. 11.*

AB vna scintilla augetur ignis, sicut dicitur in Ecclesiastico, id est, à concupiscentia, quando non resistimus in principio. Priùs enim incenduntur paleæ cogitationum, & postmodum cõburitur totum ædificium. Vnde per Ezechiẽlem Dominus ait: Quorum cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite eorum ponã. Nam si cordis affectus ea, quæ Deum offendunt per concupiscentiã, desideret, huius malæ voluntatis pœna in capite ponitur, id est, in anima, quæ ad patibulum gehennæ protrahitur. Propterea in hodierna Epistola Apostolus riuos malæ operationis in nobis desiccare intendens, incipit à fonte totius malitiæ, dicens: Non simus concupiscentes malorum. Nisi enim fræno discretionis cõcupiscentia cohibeatur, misera anima in præcipitium perducitur, dum post suas concupiscentias abit, & à voluntate sua non auertitur. Vnde in Ecclesiastio dicitur: Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, in gaudium inimicis tuis faciet te venire. Et in Ezechiẽle dicitur: Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa. Pater peccatoris est diabolus vel mundus iste, dum eius actus imitatur. Qui dicitur Amorrhæus, id est, amaricans, quia propter transitoriam vanitatem ad amaritudinem malæ conscientiæ animam ducit, & postmodũ ad amaritudinem gehennæ. Cethæa autem interpretatur insanire faciens. Hęc est cõcupiscentia carnalis, quę multos facit insanire & quasi ebrios errare. Quæ dicitur mater concipiens in cogitatione sed parit in operatione. Vnde Iere. Maledictus dies in qua natus sum, dies in qua cõcepit me mater mea, nõ sit benedicta. Dies est peccatorũ delectatio, mater autẽ est carnalis cõcupiscentia. Filij igitur Cethææ insaniũt libidine, ex qua dęmoniaci reddũtur. Vnde in Marco dicitur, quod dęmoniacus habitabat in sepulchris, nec poterat catenis vel cõpedibus retineri, & clamabat in mõtibus, seipsum lapidibus scindens. Hi sunt qui in sepulchris cõcupiscentiæ cõputrescunt, seipsos sepelientes in peccatis, sicut talpa, quæ secundũ legẽ est immunda. Quãtò autẽ profundius huiusmodi talpa à diabolo excæcata fodit, tantò in profundũ vitiorũ descendit, & maiorẽ cumulũ culpę & pœnę super se erigit. Cõpedes autẽ quibus ligãtur pedes affectuũ, sunt præcepta, mentẽ à cõcupiscentia prohibẽtia, catenę sunt præcepta manuũ cohibẽtia. Cõpedes igitur rumpũtur per malã voluntatẽ. Catenę per

*Ezech. 3.*

malam operationem. Habitat igitur dæmoniacus iſte in monumentis per luxuriam, in montibus per ſuperbiam. Clamat per iram & inſaniam, cõcidit ſe lapidibus per auaritiã. Non ſimus concupiſcentes malorũ. De cõcupiſcentia enim procedit ignis in perditionẽ deuorãs, & omnia virtutum genimina eradicans. Vnde Iere. Egreſſus eſt ignis de Heſebon, & flamma de medio Seon, & deuorabit partem Moab, & verticem filiorum tumultus. Heſebon cogitatio mœroris interpretatur. De Eſebon ignis egreditur, id eſt, de malis cogitationibus, quæ ex concupiſcentia oriuntur. Per Seon, quod interpretatur germen inutile, praui actus deſignantur: de quibus procedit flamma comburens ſuperbiam Moab & filiorum, id eſt, imitatorum eius, qui ſemper ſunt in tumultu. Vnde Iſaias: Recedite, recedite, exite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius: quaſi dicat: Recedite voluntate, recedite opere, exite, id eſt, omnes circunſtantias peccatorum vitate. Pollutum nolite tangere, id eſt, alterius iniquitati nolite conſentire, vel ad peccata dimiſſa redire. Iuxta illud Eccleſ. Qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit mortuum, quid prodeſt lauatio eius. Exite de medio eius, vitando, ſcilicet, cõſortia reproborũ. Recedite igitur cogitatione, recedite locutione. Exite opere, exite conſuetudine. Conſilio igitur Sapientis in Eccleſ. Si filias habes, hilarem vultum non oſtendas eis, id eſt, carnalibus deſideriis non conſentias. Quia teſte Iſaia: Veniet dies Domini ſuper omnes quercus Baſan, id eſt, ſuper omnes luxurioſos, quorum fructus eſt porcorum, id eſt, dæmonum, qui eorum obſcœnis actibus delectãtur. Propterea Propheta ait: Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, id eſt, ab illicitis oculos mentis auertebam. Vas quidem immundum, & nõ habens operculum, eſt oculus, qui à vanitate non auertitur, cùm tamen Dominus dederit ei palpebram pro operculo. Vnde in Parab. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa, & eris quaſi dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo. Oculo enim reſpiciente mulierem, mouetur cor ad concupiſcentiã, & turbatur ratio, penes quã relidet totius hominis gubernatio. Non ſimus cõcupiſcentes malorũ. Teſte enim S. Gregorio, dum in cogitatione voluntas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Et Seneca dicit: Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longiſsimè fugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimẽtis voluptatum procul abſtrahendus. Pars maxima bonitatis eſt velle fieri bonũ. Igitur te nõ demolliat intus prodiga luxuries. *Virtus eſt uitium fugere: & ſapientia prima Stultitia caruiſſe.* Vitiũ fugere, id eſt, mala nõ cõcupiſcere. Vnde Iob: Nunquid rugiet onager cùm habuerit herbam, aut mugiet bos cùm ad prę ſepe plenũ ſteterit? Idcirco autẽ Dominus fœno carnis ſuę prę ſepe repleuit, vt non rugiamus deſiderando tranſitoria, vel cõcupiſcendo mala. Conſilio igitur Sapiẽtis in Eccleſ. non reſpiciamus mulierẽ multiũolã, id eſt, non attendamus, neq; acquieſcamus carnali concupiſcentiæ, multa mala volenti. Teſte enim Salomone in Parab. Mulier ornata meretricio prę parata ad decipiendas animas, vaga & quietis impatiens, dixit: Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto. Hæc eſt carnalis concupiſcentia, cuius lectus eſt illecebroſæ iocunditatis mollicies, intexta funibus peccatorum, & tapetibus pictis exterius exornata, quia decore mundano varietate peccatorum diſtincta. Quod enim Deo eſt ſordidum, mundo eſt decorum. Ægyptus tenebræ & mœror interpretatur. Deliciarũ voluptates, & mundanæ proſperitates ſubarationes ſunt tenebrarũ & mœroris. Ex auro quidẽ formatus, fuit vitulus, quem adorauerũt filij Iſraël. Vitulus enim laſciuiæ cõflatur & formatur ex auro proſperitatis mundanæ. Non ſimus concupiſcentes malorum. Amor ſiquidem quaſi fons eſt, duos intus habens riuulos. Alius amor vanitatis & tranſitoriæ voluptatis, quæ dicitur concupiſcentia ſeu cupiditas. Alius amor Dei, qui dicitur charitas. Quod ſignatum eſt per Iordanem, qui per tranſitum filiorũ Iſraël in dũas partes ſe diuiſit. Inferior pars defluxit & defecit, & in mare mortuum deſcendit. In amore enim mundi per illicita deſideria defluimus, & à bonis operibus deficimus. Superior enim pars ſtetit, & creuit in montem magnum, & redundabat vſq; ad Sarthan, quod interpretatur tribulatio eorum. Per charitatem enim ſtamus à peccatis ceſſando. Creſcimus in montem virtutes accumulando. Redundamus vſq; ad Sarthan, tribulationes pro Dei nomine ſuſtinendo. Non ſimus concupiſcentes malorum. In Deutero. Dominus ait: Non ingredietur manſer in Eccleſiã Domini. Manſer dicitur qui de ſcorto natus eſt, id eſt, de carnali cõcupiſcentia. Cogitationes & opera, quæ à carnali cõcupiſcentia procedunt, à Domino reprobãtur. Vnde Iob ait: Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Teſte Gregorio: Aſpis paruus eſt ſerpens, vipera prolixioris eſt corporis, & ſic naſcitur, vt violenter exeat. Caput autem aſpidum fugit, & occidit eum lingua viperæ, quia cùm initium ſuggeſtionis occultè libenter ſuſcipit, violentis ſe poſtmodum tentationibus deuictus tradit. Caput aſpidis Eua ſuxit, cùm ſuggeſtioni ſerpentis conſenſit. Hoc idem Adam fecit, quando perſuaſioni vxoris acquieuit. Si autem hodie Adam præſentem videremus in eo articulo poſitũ, aſcendentibus cogitationibus in cor eius coarctari inter precem vxoris & prę ceptũ creatoris, nónne clamaremus aduerſum eum, dicentes: Caue tibi miſer, vide ne feceris. Seducta eſt mulier, ne acquieſcas ei: Nunquid ergo quoties apprehendit nos tentatio ſimilis, non perſuademus ſimiliter nobiſmetipſis? Quamplurimi dedignãtur aduerſus Adã, quod obedierit voci vxoris ſuæ, magis quàm diuinę, & ipſi quotidie Euã, ſuã carnẽ, ſcilicet, audiunt, pluſquã Deũ, cùm ei ſurdam autẽ deberẽt præbere, & illam tanquam vnam ex ſtultis mulieribus cohibere, & ſicut in Abdia legimus, dicere ad Edom, id eſt, ad carnem, ſicut feciſti, ſic fiet tibi. Debemus enim illi reddere retribu-

*Concupiſcẽtia generat ignẽ. Ierem. 48.*

*Iſa. 52.*

*Quibus modis recedendũ eſt à peccatis.*

*Oculus mẽtis auertendus eſt à vanis.*

*Prouer. 23.*

*Horat. lib. 1. Epiſt. Iob 6.*

*De meretrice vaga & lecto eius. Prouer. 7.*

*De duplici riuulo procedente ex concupiſcentia.*

*Qui à carnali cõcupiſcentia oriuntur, à Domino reprobantur.*

*De capite aſpidis & lingua viperæ.*

*Non debemus conſentire prauæ vxori, ſed eã flagellare.*

retributionem,quam retribuit nobis,vt ſicut ipſa dixit ſuggerẽdo,exinanite,exinanite,reddẽs nos exinanitos & vacuos ſpiritualibus bonis,ita nos ecõtrariò dicamus,exinanite,vt eam exinaniamus marcerãdo. Vnde & cõtra Eſau,id eſt,carnẽ,idem Abdias ait: Quãdo capiebãt alieni exercitũ eius,id eſt, Hieruſalẽ,& extraneæ ingrediebantur portas eius,& eum ſuper Hieruſalem mittebant ſortẽ,tu quoq; eras quaſi vnus ex eis. Extranei,id eſt,dæmones per conſenſum portas cordis noſtri ingrediũtur,& capiunt virtutũ exercitum. Sortem etiã ſuper Hieruſalem mittunt,dum conſiderant quo vitio ille homo,vel iſte facilius capiatur. Tu eras quaſi vnus ex eis,quia plus nocet carnalis cõcupiſcentia,quàm diaboli vel mũdi pugna. Non ſimus cõcupiſcentes malorũ,ſicut illi cõcupierunt,id eſt,filij Iſraël in deſerto, quaſi dicat: Ne peccemus ſicut illi, ne ſimiliter pereamus. Quæ autem ſint mala illa,ſubiungit,dicens: Neq; idolatræ efficiamini, *De Idolatrã*
ſicut quidam ex ipſis,quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere,& ſurrexerunt ludere,ſcilicet,corã vitulo,quem fecerũt in deſerto,id eſt,ludos facere in veneratione vituli cõflatilis. Vel ludere,id eſt,adorare,quod eſt ludo puerorũ ſimile. Hodie autẽ multi ſunt idolatræ,qui,ſcilicet,creaturã prę ferunt creatori. Cuiuſmodi ſunt auari,qui magis diligũt numum quàm Deũ. Et guloſi,quorũ Deus venter eſt. Et elati,qui magis diligũt gloriã ſuã quàm Dei. Et arrogãtes,qui ad Deũ bona quæ faciunt,nõ referunt,ſed ad ſemetipſos, cùm Dominus *Iſa.42.*
dicat per Iſa. Gloriã meã alteri nõ dabo,& laudem meã ſculptilibus. Genus enim idolatriæ eſt propriã gloriã quærere,& Deo gloriã ſuã rapere. Genus idolatriæ eſt ſperare in theſauris pecuniarũ,& in creatura magis q̃ in creatore cõfidere. Genus idolatriæ eſt magis honorare hominẽ quàm Deũ. Vnde Iſa. Et rogãt Deũ vt ſaluantẽ. Tot autẽ colimus idola quot cõmittimus pecca- *Iſa.41.*
ta. Vnde Apoſt. ait: Scimus quod idolũ nihil eſt,quia,ſcilicet,peccatũ nihil eſt. Idolũ autẽ Baal, qui interpretatur ſuperior,adorãt ſuperbi. Idolũ Beelphegor,qui interpretatur Deus apertura, adorant luxurioſi. Idolum Beelzebub,qui interpretatur Deus muſcarũ,adorãt auari,qui mortibus importunarũ cogitationũ & ſollicitudinũ infeſtãtur. De Salomone autẽ dicitur,quod deprauatũ eſt cor ipſius,& adorauit Deos alienos,ſcilicet,Chamos,Aſtarten & Moloch. Chamos interpretatur palpatio,hunc adulatores adorãt. Aſtarten præſepiũ interpretatur,quod ad guloſos pertinet,quorũ Deus venter eſt. Moloch autẽ interpretatur Rex,quod pertinet ad ſuperbã dominationẽ. Et per Oſee Dominus ait: Dedi ei frumentũ,vinũ & oleũ,& argentũ multiplica- *Oſee 2.*
ui ei,& aurũ,quę fecerunt Baal. Oleũ enim,id eſt,opera miſericordię,& frumentũ ſacræ ſcripturæ,& vinũ vitæ cõtemplatiuæ,argentũ eloquẽtię,& aurũ ſapiẽtię,offerunt Baal,qui hæc ad vanam gloriã cõuertunt,& per iſta ſuperiores & magni apparere volunt. Vnde Ezech. Sumẽs de veſtimẽtis meis,feciſti tibi excelſa,id eſt, de ſciẽtiis & aliis ornatibus mentis inde ſuperbiẽdo. Et iterum ait: Tuliſti vaſa decoris tui,de auro meo & argẽto meo,quæ dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas,id eſt,opera vanitatis habentia imaginẽ rectitudinis. Hi omnes idolatræ reputantur. Similiter qui laſciuiæ dediti ſunt,vitulum adorare dicuntur,& qui ventri ſuo plus ſeruiunt quàm Deo,de quibus ait Apoſt. in hodierna Epiſt. Sedit populus manducare & bibere,& ſurrexerũt ludere. Cùm autẽ homo peccat per ventrẽ,tunc Nabuzardan princeps coquorum tranſmittit vaſa templi in Babylonẽ. Temporalis quidẽ abundãtia,& ciborum copia,animam ducit in confuſionẽ. Vnde Oſee: Effraim ducit ad interficiendum filios ſuos. Effraim fru- *Oſee 9.*
ctificatio interpretatur. Temporalium autẽ fructificatio & abundãtia multis extitit cauſa mortis. Vnde B. Gregorius ait: Pœnè ſemper epulas comitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis voluptate reſoluitur,cor ad inane gaudium relaxatur: ſicut ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere,& ſurrexerunt ludere. Teſte autẽ Iſa. Dominus vocat ad planctum & fletum cordis cõtriti,& ad cingulum ſacci,id eſt,ad reſtrictionẽ ſuperfluorum,per aſperitatẽ carnis & ad caluicium,id eſt,depoſitionẽ temporalium per erogationem eleëmoſynarum. Et ecce gaudium & lætitia,ſcilicet,manducare carnes & bibere vinum. Manducemus & bibamus,cras enim moriemur. Econtrà Dominus ait: Pœnitẽtiam agite,ieiunate,vigilate,quia neſcitis diem neq; horam. Et Iſaias: Sceptrum exactoris eius ſuperaſti,ſicut in die Madian. Sceptrum exactoris,id eſt,dominium ventris ſuperat,qui vocem exactoris non audit: ſicut in Iob dicitur: Qui, ſcilicet, lagunculam corporis per ieiunia confringit. Sic enim,id eſt, lagunculas confringendo Gedeon Madianitas deuicit. Vnde Ambroſius ait: Vide quanta ſit vis ieiunij,vt ſputo ſuo homo ieiunus interficiat terrenum ſerpentem,quantò magis ſpiritualem? Sedit populus manducare & bibere. Cibus non eſt in culpa,ſed æſtus deſiderij & voracitatis. Vnde Eſau edendo lenticulam peccauit. Elias carnes manducando, Domino gratus extitit. Diabolus Adam non carne, ſed pomo, & Chriſtum pane tentauit. Non enim cibi ſubſtantia, ſed concupiſcentia cauſa eſt damnationis. Sobrietas autem & temperantia dicitur lignum vitæ in medio Paradiſi, quaſi regens vndique alias virtutes. Lignum, ſcilicet, vitæ naturalis regendæ, vitæ gratiæ conſeruandæ, vitæ gloriæ acquirendæ. Propterea in Eccleſiaſtico dicitur: Vigilia & cholera, & tortura, & compedes viro infrunito, ſomnus ſuauitatis in homine parco. Vigilia, quia guloſitas facit renes vigilare. Cholera, id eſt, feruor tentationis acutæ. Tortura, id eſt, anxietas mali deſiderij. Compedes culpæ & aggrauationis animæ, dum cor hominis & ratio grauatur crapula & ebrietate, quæ proſternit vitam naturæ, corrumpit vitam gratiæ, & perdit vitam gloriæ. Sanitas autem animæ & corporis, ſobrius potus dicit Eccleſiaſticus. Et iterum in eodem: Domine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu

*De gaſtrimargis, qui ventri ſeruiunt.*

*De ſobrietate*

*Iſa.9.*

*Eccleſ.31.*

*Eccleſ.23.*

cogitatu illorum,id est,dæmonum, extollentiam oculorum ne dederis mihi, id est, elationem mentis non permittas mihi dominari,& omne desiderium auerte à me. De malo desiderio loquitur. Aufer à me ventris concupiscentias,& concubitus concupiscentiæ ne apprehẽdant me, vt,scilicet, mihi dominentur, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me, id est, voluntati dæmonum, qui infruniti & insipientes sunt,& nec Deum nec hominem reuerentur. Sedit populus mãducare & bibere,& surrexerũt ludere. In libro Numeri dicitur,quod filij Israël comederunt & adorauerunt Deos,initiatusq; est Israël Beelphegor. Ecce quomodo priùs seruierunt Deo ventris, & postmodum Deo libidinis. Et in Iosue dicitur, quod maledictiones dantur in monte Hebal,quod interpretatur vorago. Hæc est concupiscentia voluptatis,quæ spiritum hominis absorbet,& immergit in profundum vitiorum,& ad maledictionem pœnæ æternæ perducit. Benedictiones autem dantur in monte Garizim,quod interpretatur diuisio. Quoniã,qui à voluptate seculi secluſus fuerit,benedictionẽ consequetur. Legimus autẽ in lib. Regũ quarto, quod Nabuzardan princeps coquorũ sub Rege Babylonis militans,id est, venter gulosi confusioni deseruiens,muros Hierusalẽ destruxit,quia gastrimargia virtutes animæ diruit. Nobiles autẽ interimẽs,pauperes ac vinitores dereliquit. Maiores enim potẽtes diabolus hoc vitio magis infestat & corrũpit. Vnde in Iob dicitur: Huiũ mõtes herbas ferũt. Pauperes autẽ & vinitores,qui vineã animæ suæ diligẽter excolunt,diabolus per gastrimargiã non corrumpit. De quibus Zachar. ait: Ieiuniũ quarti & ieiuniũ quinti,erit domui Iudæ in gaudiũ & lætitiam. Ieiunium quarti,est abstinentia à peccatis pollutæ cogitationis, peruersæ locutionis,nefariæ operationis,& obstinatæ consuetudinis. Ieiunium quinti,est abstinentia à quinq; sensuum illicita delectatione. Ad gaudium igitur mentis, & lætitiam bonæ conscientiæ peruenerunt sancti per carnis macerationem & abstinentiam à peccatis. Econtrà de reprobis & gulosis dicitur in Iob: Induta est caro mea putredine,& sordibus pulueris cutis mea aruit & cõtracta est. Caro enim, id est,carnaliter viuens,induitur putredine corruptionis & fœtoris. Sicut scriptum est de gulosis: Sepulchrum patens est guttur eorum. Qui autem carnalibus deliciis indulgent,sordidis & pulueulentis cogitationibus infestantur,qui more pulueris mentis oculos obtenebrant. Cutis autem arescit & contrahitur,dum exteriores actiones,quæ superficialiter & cum ruga duplicitatis fiunt,ab humore gratiæ delutantur. Et quoniam non solùm vitio gastrimargiæ, sed etiam vitio luxuriæ induitur caro putredine, postquam de idolatria & gula præmisit,Apostolus subiungit de fornicatione,quæ gulositatem comitatur,quia venter & genitalia vicina sunt. Et idcirco quando paries ventris incenditur, renum parietes subitò inflammantur.

*Num.25.*

*Zach.8.*

*Iob 7.*

*Nota.*

*De fornicatione & fornicantibus. Horat. lib.1. Epist.*

*Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.*

Dicit igitur: Neque fornicemur,sicut quidam ex ipsis fornicati sunt,& ceciderunt vna die viginti tria milia. Ideo,scilicet,quia filij Israël fornicati sunt cum mulieribus Madianitis, sicut in libro Iudicum legitur. Ipsi enim initiati sunt Beelphegor. Quia,qui fornicatur,immolat seipsum diabolo. Vnde in Prouerbiis dicitur: Statim eam sequitur,id est,meretricem,quasi bos ductus ad victimam. Hi sunt martyres diaboli effundentes sanguinem suum in semen spermatis conuersum,& offerentes illum diabolo, sicut sancti Martyres sanguinẽ suum obtulerunt Christo. Prohibetur igitur fornicatio frequenter in scripturis diuinis,quæ est soluti cum soluta. Cuius inhibitio cadit sub prohibitione iuris naturalis. Si enim passim fornicari liceret,non posset saluari respublica, sed mutuo sese interficerent homines, & frequenter accideret, quod filij patres suos non agnoscerent, & quod pater cum filia matrimonio iungeretur, & ita ius naturæ confunderetur. Vnde in libro Sapientię,fornicatio appellatur inordinatio mœchię. Neque fornicemur,sicut quidam ex ipsis fornicati sunt. Carnalis delectatio homines absorbet,& penitus retrahit animam à delectatione spirituali & alienat à Deo. Vnde Osee ait: Fornicatio,vinũ & ebrietas auferunt cor. Et iterum: Non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Dominum, quoniam spiritus fornicationis in medio eorum. Vnde Ieremiæ Dominus ait: Vade & posside tibi lumbare lineum,& in aquam non inferas illud. Et rursum ait: Vade ad Eufraten, & abscondeam illud, de illud ibi in foramine petræ. Et paulò post ait: Tuli lumbare de loco vbi absconderam illud, & ecce computruerat,ita vt nullo vsui aptum esset. Per lumbare lineum iusti designantur,quia latent in hoc seculo, & Domino adhærent, & multis attonsionibus in candorem vertuntur. In aquam autem prohibetur inferri, quia carnis voluptas & abundantia temporalis valde retrahunt à Deo. Vnde in libro Sapientiæ: Fascinatio nugacitatis obscurat bona. Quia, scilicet, facit obliuionem bonorum susceptorum, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Qui autem per iustitiam & castitatem lumbare fuerant, per abundantiam temporalium,quæ per Eufraten designatur,computrescunt carnalibus illecebris,& in profunda obstinatione velut in foramine petræ à Domino absconduntur: sicut scriptum est: Qui vescebantur voluptuosè,interierũt in viis,id est,in latitudine carnalis voluptatis. Ad literam autem occisa sunt ex fornicantibus viginti tria milia. Et tunc quidem stetit Phinees,& placauit Dominũ interficiendo fornicatorem,& cessauit quassatio. Interficiamus igitur & nos fornicationis spiritum in nobis,castè viuendo,& in aliis benè monendo,quatenus iram Dei placare valeamus. De carnalibus peccatis præmisit Apostolus, nunc de spiritualibus adiungit, terrẽs nos exemplo Iudæorũ,qui Deum tentauerunt & irritauerũt in deserto,& ira Dei ascendit super eos. Et hoc est quod ait: Neq; tentemus Christũ,sicut quidam eorũ tentauerunt,& à serpentibus perierũt. In deser-

*Ierem.13.*

*Sapien.4.*

*De mala & exteriori tentatione,& de pœna tentantium Deum.*

In deserto tentauerunt Deum, hic dicit Christum, ex quo patet Christum esse Deum. Et quoniam scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum: voluntati eius debemus nos subiicere, & de eius bonitate plenè confidere. Et quia non potest facere nisi bonum, non debemus de factis eius disputare vel murmurare, sed patienter sustinere, committendo nos per omnia dispositioni eius. Hoc autem Iudæi in deserto facere noluerunt, sed tanquam de eius potestate dubitantes, & de benignitate eius diffidentes tentabant ipsum, dicentes: Nunquid panem poterit dare in deserto, aut parare mensam populo suo? Similiter & quando defectum aquæ habebant obiurgantes & exasperantes Deum, importunè petebant ab eo, nec patienter expectabant. Vnde in Exodo dicitur: Quod vocatum est nomen loci illius, tentatio, propter iurgium filiorum Israël, quia tentauerunt Dominum, dicentes: Est ne Deus in nobis, an non? Magna & inexcusabilis diffidentia, postquam tot signa & miracula viderant in Ægypto, sicut scriptum est: probauerunt & viderunt opera mea in signis & factis in Aegypto, in maris diuisione, in Pharaonis submersione, in aqua de petra, & in manna de cœlo, & tamen non crediderunt verbis eius, nec exaudierunt vocem Domini, & multoties exacerbauerunt eum in deserto, in ira concitauerunt eum in inaquoso. Et in qualibet necessitate dubitabant de Dei adiutorio, volentes experiri quid posset, vel quid vellet Deus, sicut de Iudeis legitur in libro Sapientiæ: Videamus si sermones illius veri sunt, & si est verè filius Dei. Et in Euangelio dicitur, quod postquam multa fecisset miracula coram ipsis, tentantes petebant signum de cœlo, & cum ipsum crucifigi fecissent, dicebant: Si filius Dei est, descēdat nunc de cruce, & credimus ei. Igitur contra illos qui tentauerunt Deum & malitiosè exacerbauerunt, misit Deus serpentes, qui eos morderent & occiderent, vt pœna responderet culpæ. Spiritualiter autem homines serpentini, & venenosi serpentibus ignitis, id est, dæmonibus traduntur, & serpentinis cogitationibus atque ignitis desideriis in anima occiduntur. In periculis autem & necessitatibus debemus vti bonis naturæ & bonis gratiæ nobis à Deo collatis, & cooperari Deo, vt faciat homo quod ad se pertinet. Si enim facit homo quod in se est, nunquam Deus illi deest, si facit quod in se est. Si autem homo humana ratione possit sibi consulere & prouidere, non debet manifestis periculis se exponere, hoc enim esset Deum tentare. Vnde diabolo suadenti, vt de pinnaculo templi seipsum Christus deorsum mitteret, & quod Angelis sustentantibus, Deus eum lædi non permitteret, respondit, scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Si enim seipsum præcipitaret, cùm alio modo posset descendere, hoc esset Deum tentare. Vnde pugiles qui in duello pugnant, & qui iudicio aquæ frigidæ vel ferri cādentes se exponunt, manifestè Deum tentant, & mortaliter peccant, si alio modo valeant euadere & sibi prouidere. Alioquin vbi alium exitum euadendi non habent, tunc diuinæ voluntati se exponāt, sicut in Paralip. Iosaphat ait: Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solū habemus refugii, vt oculos ad Deum leuemus. Ex quo patet, quod filij Israël cùm multa haberent animalia in deserto & cū multa murmuratione peterēt carnes à Deo, quia Dominū tētauerunt, grauiter puniti sunt, sicut scriptū est: Adhuc escæ eorū erant in ore eorū, & ira Dei ascendit super eos. Murmurauit enim populus exasperās & incredulus, dicēs: Vtinā mortui essemus in Aegypto, quādo sedebamus super ollas carniū. Et quāuis multa armēta boum & greges ouiū haberet, tamē sibi propter carnes mortē exoptat. Desiderabat enim auium carnes, quibus in Aegypto vesci solebat. Aues enim in terra illa circa Nilum multum abundant. Vnde lautiores cibos appetere nemo dubitet esse peccatum. Et ita Deum tentando & insuper gulositate peccauerunt. Non solum autem tentando Deum, sed murmurando contra Deum, ipsum offenderunt. Vnde in hodierna Epistola subiungit Apostolus: Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore, id est, ab Angelo, qui extra terram promissionis eos exterminando percussit. Legimus enim quod populus Iudæorum diffidens de promissione diuina murmurauit multoties contra Dominum, & maximè quando exploratores quos miserant explorare terram promissionis reuersi ad eos, dixerunt: Terra ista cultores fortissimos habet, & vrbes grandes atque muratas, nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Vnde populus his auditis cœpit flere, & vōlebat reuerti in Aegyptum. Multi hodie postquam aggressi sunt viam arduam & arctam, quæ ducit ad vitam, pusillanimitate deficiunt & reuertuntur ad latam viam, quæ ducit ad mortem. De quibus in Iob dicitur: Vitans arma ferrea incidit in arcum æreum. Ferrum vetustate & rubigine consumitur, per quod pœna temporalis & transitoria intelligitur. Æs durabile est, nec facilè consumitur, per quod pœna æterna designatur. Et Ieremias: Cathenas ligneas contriuisti, & facies pro illis cathenas ferreas, id est, pœnam æternam pro pœna temporali, quam times, sustinebis. Quid autē dixerit Dominus contra filios diffidētiæ, & murmuratores, audiamus. Vsquequo detrahet mihi populus iste, quousq; non credet mihi. Omnis qui viderunt maiestatem meā, & signa quæ feci & tentauerunt me iam per decē vices, nec obedierunt voci meæ, non intrabunt in terram promissionis. Ecce quo modo circunstantię peccatum aggrauant. Ex quo patet quod multo magis hodie peccant, qui post innumera miracula quæ fecit Christus, & tot beneficia, quæ nobis in mundum visibiliter apparēs exhibuit, ipsum offendere non verentur, sicut scriptum est: Si opera non fecissem, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberēt. De his autem qui murmurant contra Deum, & impatientes sunt, dicit Iudas Apostolus: Hi sunt murmuratores, querulosi secundum desideria sua ambulantes, quibus caligo tene-

*Contra murmurantes & de pœna eorū.*

*Ierem. 28.*

ligo tenebrarum reseruata est. Vnde in libro Sapientię dicitur. Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quia sermo obscurus inuacuum non ibit. Et Isaias: Væ qui cõtradicit factori suo. Et Psalmus: Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem. Et in Ecclesiastico dicitur de murmurantibus: Præcordia fatui quasi rota carri, & cogitatus illius quasi axis versatilis. Maria soror Moysi propter murmur, lepra percussa est, Chore consumptus igne cœlesti, Dathan & Abiron de terra viui absorpti. Et in libro Numeri dicitur: Ortum est murmur populi quasi de labore dolentium contra Dominum. Quod cùm audisset, iratus est & accensus est in eos ignis Domini, & deuorauit extremam partem castrorum. Cùm igitur tantùm sit peccatum murmurationis, quid est quod dicitur in Euangelio, quod qui denarium acceperunt, murmurabant contra patremfamiliàs, eò quòd pondus diei & æstus portauerant, & pares eis facti sunt, qui hora nouissima venerunt? Revera murmur conquęstionis peccatum est, sed est murmur admirationis, quod non est peccatum. Antiqui enim pondus legis & æstum carnis portauerunt in hoc seculo diu viuentes, & tandem ad inferos descendentes diu expectauerunt. Nouissimi verò, id est, moderni tempore gratiæ minus vixerunt, & statim post mortem in gloria sunt recepti, sicut scriptum est: Pro nihilo saluos facies illos. Vel murmur ad illos Iudæos refertur, quibus non sufficiebat denarius diurnus, id est, vita æterna, nisi simul haberent tẽporalia. Prædictã autẽ omnia, de quibus locutus est Apostolus, contingebãt illis in figura. Scripta autẽ sunt ad correptionẽ nostram in quos fines seculorum deuenerunt, sicut in hodierna epistola Apostolus subiungit, quasi diceret: Non solum propter sua peccata hæc Iudæis acciderunt, sed etiã vt figuraretur quod simili modo perirent hi, qui tempore gratiæ quasi in vespera mundi similia committerẽt. Per hæc igitur exempla ad correctiorem vitã prouocamur, vt aut prẹmia, si obedientes fuerimus, aut propensiorem pœnam inobedientes mereamur. Ad hoc enim relatæ sunt peccantium pœnæ, vt corrigamur, alioquin magis puniemur. Et quoniam ad fines seculorum, id est, ad sextam, & vltimam ætatem deuenimus, tot exemplis priorum magis corrigi debemus. Vel fines seculorum finem secularitatis appellat, ac si dicatur: Si amor temporalium in nobis finitur per Christum, ideo turpius est si ad peccata redeamus. Bonum est igitur corrigi exemplo aliorum. Vnde Isaias: Posuisti ciuitatem in tumulum, id est, potentes in monumentum & exemplum, vrbem fortem in ruinam, qua, scilicet, ruente alij castigentur. Et Zacharias: Vlula abies, quia cecidit cedrus, vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. Quando cedri, id est, potentes huius seculi corruunt, debent alij sibi timere, dolere & vlulare ne similia accidant eis.

*De correptione exemplo aliorum.*

*Isa 23.*

*Zach. 11.*

*Horat. lib. 1. Epistolarum.*

*Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet.*

Per abietem proceram ex qua malus nauis fit, signantur illi qui in mundo obtinent principatum. Quercus autem Basan sunt luxuriosi, qui porcos, id est, dæmones obscœnis actibus pascunt, & ad terrenam confusionem pergunt. Hos igitur hortatur Propheta ad dolendum, vt corrigantur exemplo pœnæ reproborum. Quoniam succisus est saltus munitus, id est, infructuosa congregatio reproborum, in quibus malæ bestiæ habitant, id est, dæmones, & muniti sunt contra Deum. Sequitur: Qui se existimat stare, videat ne cadat, quasi diceret: Quia illi licet beneficiis vsi perierunt, ita quod ex consideratione eorum, qui se existimat stare, caueat sibi ne cadat peccando, vel peccare alios faciendo. Per se enim potest homo cadere, sed non per se resurgere. Facile est de albo fieri nigrum, sed rem nigram tingere in album, non est humanę potestatis. Si igitur stes, leua pedem affectus à terra ne impinguas in via. De reprobis siquidem dicitur: Via stultorum complanata est lapidibus, vnde frequenter impingunt, quia pedem non leuant. Econtra de bonis in Parabolis dicitur: Ambulabis fiducialiter in via, & pes tuus non impinguet. Et iterum: Iter pigrorum sepes spinarum, via rectorum absque offendiculo: Iuxta illud: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Qui stat, videat ne cadat. Facilè cadit homo, sed non facilè resurgit. Est enim spiritus vadens & non rediens, per se cadit, sed per se non resurgit. Vnde in Threnis: Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere.

*Quod stantes sibi caueant à lapsu.*

*Prouer 3.*

*Tren 1. Versus. Verg. lib. 6.*

*– Facilis descensus auerni:*
*Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor est –*

Vnde Dominus per Ieremiam: Sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra restaurari. Et Abdias ait: Si exaltatus fueris, vt aquila, sicut licet, per superbiam, & inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te. Nidus in altum sit & in incertum, sic secularis potentia, & celsitudo quantò altior, tantò magis incerta & labilior. Vnde Apostolus: Præcipe diuitibus huius seculi, non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Nidus intus habet mollitiem, exterius asperitatem. Et voluptas molliciem habet in delectatione, sed asperitatem in iniquitate. Per aquilam etiam religiosi intelliguntur, quos aliquando Dominus permittit cadere, propterea alij valde timere debent. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Ecce quos ædificaui, ego destruo, & quos plãtaui, ego euello, & tu quęris tibi grandia? Et quoniam nemo sine aliquo casu in hoc sæculo diu potest permanere, septies enim in die cadit iustus & resurgit, quia cùm ceciderit, non collidetur. Dominus enim supponit manum suam, subiungit Apostolus: Tentatio vos non apprehendat nisi humana, sine qua, scilicet, non agi-

*Ierc. 45.*

non agitur vita ista. Tentationem enim ex primis motibus & ex fragilitate non possumus penitus vitare, sed cauere debemus ne tentatio nimis procedat, ne, scilicet animam inducat in consensum. Humana tentatio est quando motus carnales, vel etiam spirituales, sicut inuidiæ & iræ in nobis surgunt ex fomite. Humana tentatio est aliter sapere aliquando quàm res se habet, non malo animo. Vel cùm aliquis labitur in aliquo consilio, quod tamen dat bono animo. Vel irritatur in fratrem studio corripiendi, plus tamen quàm Christiana tranquillitas postulat. Tentatio autem non humana, sed præsumptio diabolica est, cùm aliquis errorem suum pertinaciter defendit, sicut hæretici & scismatici, quæ tamen Deus permittit fieri ad exercendos bonos & puniendos malos. Teste autem Augustino: Tentatio, cui non consentitur, nõ est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. Dum autem tentationi consentimus, mortaliter peccamus, siue sit tentatio interior siue exterior. Vnde Ieremias in Threnis: Foris interficiet gladius, id est, exterior tentatio, & domi mors similis est, id est, interior tentatio. Vel gladius foris mala operatio, gladius domi seu in domo mala voluntas. Et quoniam sine tentatione non potest homo mortalis viuere, tentatio enim est vita hominis super terram, subiungit Apostolus consolationem, dicens: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Fidelis quidem est Deus, id est, in promissis verus, qui se protectorem electorum suorum fore promisit, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ferre, sed faciet cum tentatione prouentum, id est, virtutis augmentum, quia vel cadere non sinit, vel à casu erigit. Qui enim dat diabolo tentãdi licentiam, ipse dat tentatis misericordiam. Vnde Iob: Non quasi crudelis suscitabo illum. Et ita facit prouentum vt perseueranter sustinere valeant, ne in lucta deficiant. Præcipuè autem virtus humilitatis in omni tentatione custodit, vt illi non crepent in fornace, qui non habent ventum superbiæ. Valdè autem necessarium est in hac vita, vt iustus tentetur vitiis, & verberetur flagellis, vt dum vitiis pulsatur, de virtutibus non superbiat. Dum flagellis verberatur, si quid in eo purgandum est, purgetur. Vnde Psalmus: Si insurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Et si enim tentatio ad tempus animam obscurat, tamen discedente nebula clarius emicat, sicut lignum consumpto fumo. Vtile igitur est tentari, ne securitas quę negligentiam parit, incuratur, vt propria infirmitas agnoscatur, vt homo ad Deum recurrat & humilietur. Sicut enim arma diuturno situ rubigine cõsumuntur, sic virtutes quæ sunt arma militum Christi, sine exercitio, deficiunt, in his qui tentationibus non exercentur. Propterea Propheta ait: Proba me Domine & tenta me. Sciebat enim quod Deus hominem supra posse suum tentari non permittit. Vnde per Isaiam Dominus de diabolo ait: Ponam circulum in naribus tuis. Et in Iob ait: Nunquid pones circulum in naribus eius? Per nares insidiæ diaboli designantur, quas Dominus per circulum omnipotentiæ suæ comprimit. Labia autem diaboli sunt eius suggestiones, quas Dominus refrenat, ne noceat quantum velit. Vnde Isaias: Dixerunt animæ tuæ, incuruare vt transeamus. Vox est malignorum spirituum, qui nullam supra nos habent potestatem, nisi nos incuruemus, & eius iumentum sponte efficiamur. Vnde subiungit de fornicatoribus: Posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Hi enim velut stratam corpora sua malignis spiritibus exponunt. Sicut in Ecclesiastico dicitur: Mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur. Non ergo permittit tentari Dominus supra nostrum posse, si volumus cooperari & resistere, sicut scriptum est: Qui mensus est pugillo aquas, id est, fluxibiles dæmones, qui lapsi sunt & corruerunt pugno in cruce perforato. Quos deuicit & eis metam posuit, vt quantum vellent nocere possent. Pugna enim propriè à pugno dicitur. Vnde hoc pugno dicitur expugnasse eos qui manu affixa cruci debellauit aëreas potestates Dominus noster Iesus Christus, cui est honor, virtus & gloria in secula seculorum, Amen.

*De humana tentatione.*

*Deus nõ permittit nos tentari vltra posse nostrũ.*

*De vtilitate tentationum.*

*Simile.*

*Simile.*

*Dominus reprimit diabolum.*

*Isa. 51.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona ipsius.*

NOLVERVNT attendere, & verterunt scapulam recedentes, & aures suas aggrauauerunt, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus & facta est indignatio magna. Et sicut non audierunt, sic clamabunt & non exaudiam. Verba sunt Domini per Zachariam contra contemptores verbi Dei, quorum quidam audire dedignantur. Et hi per illos qui scapulam verterunt & recedunt, designantur. Alij autem aure corporis audiunt, sed aure cordis non percipiunt, eò quòd terrenæ sollicitudinis pondere prægrauantur, & aures cordis eorum terra obturantur, sicut scriptum est: Furor illis secundum similitudinem serpentis, obturantis aures suas, vt non audiat vocem incantatoris. Serpens autem vnam aurem terræ affigit, aliam cauda obturat, cauens sibi ab incantatore, qui virtute quorundam verborum reprimit veneni eius malitiam, vt nocere non possit. Ita venenosi homines verbi Dei efficatiam in se impediunt, obturantes vnam aurem terra per auaritiam, aliam cauda per luxuriæ fœditatem & vilitatem. Quidam autem ad verbum Dei ita indurantur,

*Zach. 7.*

*Contemptorei verbi Dei Dominus non exaudit.*

durantur, quod neque minis nec increpationibus terrentur, & more adamantis malleo verbi
*Ire.3.* Dei frangi non possunt. De quibus in Threnis ait Ieremias: Da eis scutum Domine cordis laborem tuum. Dominus enim pro eis sustinens mortem laborauit, vel sustinens eos, id est, ad pœnitentiam expectans. Et quia ipsi contemnunt, à Domino permittuntur indurari, vt corda eorum iaculis verbi Dei non valeant penetrari. Orate igitur fratres Dominum, vt ipse amoueat impedimenta à cordibus vestris, vt cum deuotione & humilitate recipiatis hodie verba salutis & vitæ æternæ.

*De his qui abutuntur potestate sibi concessa. Exod.22.*

Homo quidam erat dives. Interdum dominatur homo homini in malum suum. Verba sunt Salomonis in Ecclesiaste. Multi enim in potestate constituti, abutuntur dispensatione sibi commissa, & bona Domini sui dissipare non formidant. Vnde in Exodo Dominus ait: Si ignis egressus inuenerit spicas, & comprehendat aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem accendit. Hi sunt qui igne malitiæ suæ tam in se, quàm in aliis, bona à Deo sibi commissa velut aceruos frugum destruunt, bonis naturæ, bonis fortunæ & bonis gratiæ abutendo, & alios exemplo peruerso corrumpendo. Qui enim exemplo malæ conuersationis ignem peccati accendit in proximos, qui adhuc stabant in bono velut spicæ in agro, vel qui iam corruerunt velut frugum acerui, reddet damnum Domino, qui districtè à dispensatoribus suis exiget rationem villicationis suæ. Vnde Iacob ad Laban ait: Quicquid furto perierat, à me exigebas, ego damnum reddebam, die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Ecce quanta debet esse sollicitudo dispensatoris & maximè prælati, qui quasi villicus est Christi. Quod enim perit de grege, debet prælatus reddere. Vnde debet vri æstu, id est, zelo & desiderio salutis animarum, & gelu timoris formidando lapsum. Et idcirco ab oculis eius debet fugere somnus pigritiæ, somnus ignorantiæ, & somnus culpæ. Ad exhortationem igitur & terrorem dispensatorum inducit Dominus parabolam hodierni Euangelij de villico iniquitatis, cuius medullam, id est, sensum spiritualem diligenter inuestigare debemus. Teste enim B. Augustino, quando possumus de diuinis scripturis quæ leguntur ipso inspirante intellectum alicuius mysticæ significationis scrutari, quasi de fauorum cellis mella producimus, vel Christi discipulos imitantes spicas confricamus, vt ad grana latentia perueniamus. Homo igitur diues est ille, de quo scriptum est: Domini est terra & plenitudo eius. Villicus autem propriè dicitur villæ custos, sed ponitur hîc pro œconomo, id est, dispensatore, qui vniuersam domum patrifamiliâs dispensat. Hic autem diffamatus est, & ideo accusatus est, & conuictus apud Dominum suum, à sua villicatione meruit proscribi. Diffamatio autem & peccati publicatio, valdè displicet Domino propter corruptionem mali exempli. Hæc est lepra lucens, quæ reddit peccatorem abominabilem Deo. Vnde Isaias: Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, inuerecundè, scilicet, peccantes sicut meretrices. Secũda autem post naufragium tabula, est peccatum abscondere. Vnde in Deuteronomio dicitur: Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus est à Deo qui pendet in ligno & nequaquam contaminabis terram tuam. Qui igitur quasi in ligno suspenditur per peccati publicationem, maledictus est à Deo, quia malo exemplo contaminat terram, id est, homines terrenos, sicut scriptum est in Ieremia: A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super terram. Non igitur diu pendeat in ligno, sed sepeliatur per pœnitentiam, vt quos per peccati notitiam corrupit, per publicam & manifestam pœnitentiam ad bene agendum inuitare procuret & palo contritionis fodiendo terram cordis sui cooperiat egestionem suam, id est, peccatorum fœtorem. Dominus enim magis offenditur de peccati infamatione & manifestatione, quàm de ipso peccato. Vnde per Zachariam ait: Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo, id est, super fœtidos peccatores. Et per Isaiam ait: Expectaui vt faceret iustitiam, & ecce clamor. Teste autem Gregorio: Peccatum cum voce culpa est cum actione. Peccatum cum clamore culpa in apparentia & libertate. Vnde Naum ait: Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Peccatum enim euidens multos corrumpit, sicut scriptum est: Sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim per rubeum colorem valde se manifestat, ita peccatum hominem diffamat. Dicitur autem peccatum sanguis, quia induratum per consuetudinem non facile recedit. Vnde Ezechiel: Sanguis eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, vt posset operiri puluere. Sanguis enim peccati puluere pœnitentiæ debet operiri. Ad literam autem sanguis super petram multum apparet. Et quidam ita indurati sunt in malitia, quod non curant de fama vel infamia, cum tamen dicat Augustinus: Crudelis est qui famam negligit. Magna enim est crudelitas exemplo malo animas interficere, nec esse contentum sua propria damnatione, sed alios secum trahere. Nunc autem super quo diffamatus esset villicus iniquitatis, videamus: quia, scilicet, bona Domini sui dissipauerat. Quod fit quando bonis nobis à Deo concessis abutimur, dum ea malè congregamus vel malè retinemus vel malè expendimus. Est autem bonum supra tempus, id est, bonum æternum & bonum in tempore, sed non temporale vt virtutes & gratiæ spirituales. Et est bonum temporale vt diuitiæ & dignitates, quæ sunt bona fortunæ, & insuper bona corporis & bona naturalia animæ. De his omnibus bonis oportet nos reddere rationem, id est, de bonis naturæ, bonis fortunæ, de bonis gratiæ, & de bonis gloriæ. Bona naturæ sunt

*Quod pastor quicquid perierat de grege tenetur restituere.*

*Infamatio et peccati publicatio displicent Deo. Isa.3.*

*Deut.22.*

*Ier.33.*

*Zach.10.*

*Naum.3.*

*Ezech.24.*

*De his qui abutuntur multiplici bono à Deo sibi concesso.*

sunt bona naturalia corporis & animæ. Bona corporis dissipat, qui membris suis Deum impugnat, & illa mortaliter peccando diabolo inuoluat. Fornicando enim teste Apostolo tollimus membra Christi, & facimus membra meretricis. Et quoniam corpora nostra in baptismo sanctificata, templum sunt spiritus sancti, vasa huius templi, id est, corporis nostri, membra debemus custodire in sanctitate & honore. Baltassar enim, quia vasa templi Domini inhonestè & irreuerenter tractauit, bibendo in eis cum suis concubinis, iram Dei incurrit & regnum amisit. *De dissipatione bonorum naturalium animæ & corporis.*

De his autem qui membris corporis sui abutendo lasciuiæ & scurrilitati illa exponunt, ait Isaias: Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant manibus, & ambulabant pedibus suis & composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, id est, mentem virtutibus nudabit. Et Salomon in Parabolis de muliere ornatu meretricio præparata, ait: quod garrula est & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, iuxta angulos insidians, apprehensum deosculatur iuuenem. De his autem qui pulchritudine corporis abutuntur ait: Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua, quæ, scilicet, pulchritudinem suam immunditiæ exponit, sicut sus nares in luto figendo immunditiis se inuoluit. *Isa 3.*

Similiter de his qui fortitudinem corporis & ætatem iuuentutis malè dispensant & dissipant, idem Salomon ait: Non des alienis honorem tuum, id est, spiritibus malignis, & annos tuos crudeli, id est, diabolo, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, scilicet, extra Ecclesiam, in Babylonia, & gemas in nouissimis quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum malè, scilicet, dissipando, & non in seruitio Dei consumendo bona corporis tui. Simili modo & quinque sensus corporeos dissipare dicuntur, qui eis in vanitate abutuntur. *Prouer. 5.*

Vnde in libro Regum dicitur, quod tanta fames fuit in Samaria, vt stercus columbinum quinque siclis argenteis venderetur. Multi enim fame & defectu bonorum spiritalium adeo pauperes effecti sunt, quod quinque talenta, id est, quinque sensus corporales, quibus vti debuerunt in seruitio Dei, terrenis & secularibus negotiis implicent, vt stercora colum bina, id est, diuitias, quas sancti tanquam stercora reputant, infelici commercio sibi acquirant. Non solùm autem bona corporis, sed & bona animæ villicus iniquitatis dissipat, dum in vano accipit animam suam, & pro nihilo reputat. Vnde in Ecclesiastico: Nihil est iniquius, quã amare pecuniam: hic enim animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiicit intima sua, id est, interiora bona pro exterioribus & transitoriis amittit. Valde autem infidelis est dispensator & villicus pessimus & iniquus, cui Rex peregrè proficiscens filiam suam cõmisit, vt eam delicatè nutriret & castè custodiret: ipse autem nudam & famelicam filiam regis relinquit, & carni quam impinguauit, strangulandam exponit. Caro enim impinguata, & recalcitrans & lasciuiens, animam occidit. Bona etiam animæ dissipamus, dum memoria, intelligentia & voluntate abutimur. Hæc sunt tria canistra pistoris Pharaonis, quibus volucres, id est, dæmones pascuntur. Bona animæ dissipant, qui talentum scientiæ terrenis implicant vel sudario inuoluunt, dum alios docere negligunt, & qui sapientes sunt vt faciant mala, bona autem facere nescierunt. Talentum sapientiæ dissipant aduocati, qui teste Isaia iustificant impium pro muneribus & iustitiam iusti auferunt ab eo, qui condunt leges iniquas vt opprimant in iudicio pauperes & viduas, quæ non habent defensorem, & vim faciunt causæ populi Domini, causas pauperum peruertendo. Qui munera de sinu accipiunt, vt peruertant iudicium. Qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Teste autem Salomone qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum. Qui per friuolas allegationes & frustratorias appellationes & dilatorias exceptiones causas protrahunt, vt eis salarium augeatur, & pauperes fatigati iuri suo cedere compellantur: hi sunt qui lites procurant & seminant inter fratres discordias. Vnde Naum: Eos qui simpliciter transibant, conuertistis in bellum. Hi sunt qui homines periurium incurrere faciunt. Vnde Augustinus: Si nouit fecisse & cogit iurare, homicida est. De linguis eorum sient ferculadæmonum. Et teste B. Iob: Panis eorum vertetur eis in fel aspidum. Talentum scientię dissipant Physici, qui medecinas sophisticant & corrumpunt, & infirmos falsis promissionibus decipiunt & circumueniunt. Legimus autem quòd cum Samuel diceret Sauli quod in crastino esset moriturus, ipse expauit, sed pythonissa, id est, Physici eum cœpit confortare & fecit manducare, vt nõ esset sollicitus de morte vel de pœnis inferni. Cùm autem Christus dicat, ieiunate, vigilate, laborate: ipsi dicunt: manducate, dormite, & quiescite docentes animam saluam facere in hoc seculo, cùm Christus doceat perdere. Propterea Apostolus ait: Sapientia carnis mors est. Talentum scientiæ dissipãt logici, dum circa ciniphes Ægypti & friuolas subtilitates occupantur, de quibus Isaias: Confundentur qui operantur linum, plectentes & texentes inutilia & subtilia. Cùm per eundem Isaiam Dominus dicat: Ego Deus tuus, docens te vtilia, scilicet, terrena despicere & quærere cœlestia. Vnde in Ecclesiastico: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit Dominus, cogita illa semper, & in pluribus eius operibus ne fueris curiosus. Item in eodem: In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter. Propterea Isaias dicit: Vbi doctor paruulorum. Populum imprudentem non videbis, populum alti sermonis: ita vt non possis intelligere disertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia, id est, in quo populo, quem in Dei Ecclesia non videbis. Talentum sapientiæ dissipant Theologi, dum docent & prædicant propter terrenum commodum, De quibus *De malis aduocatis.* *De malis physicis.* *De malis logicis.* *Isa. 19.* *Isaiæ 48.* *Eccle. 3.* *Isaiæ 33.* *De malis Theologis.*

bus Ieremias ait: Seminauerunt triticum & messuerunt spinas, id est, temporales diuitias, & ideo corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis. Vnde Isaias: Argentum tuum versum est in scoriam. Quod fit quãdo argentum scientiæ & doctrinæ ad lucrũ temporale, vel ad vanam gloriam refertur. Propterea per Osee Dominus ait: Multiplicaui eis argentum & aurum quæ fecerunt Baal. Hi sunt quibus Dominus dedit argentum eloquẽtiæ, & aurum sapientiæ. Et hæc expendunt vt laudẽ sibi acquirant & superiores aliis appareãt. Baal enim superior interpretatur. Nunc autẽ de bonis fortunæ videamus, quæ sunt diuitię tẽporales & dignitates.

*De dissipatione bonorũ fortunæ, & primo de dissipatione diuitiarum.*

Diuitias dissipant, qui eas malè congregant per fraudes & vsuras, per furta & rapinas. Vnde Abacuc: Væ qui congregant auaritiam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, vel qui eas malè retinẽt. Vnde Ioannes in Epistola Canonica: Qui viderit fratrẽ suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Vel qui malè & superfluè expendunt eas, sicut filius prodigus, qui portionem substantiæ suæ consumpsit cum meretricibus viuendo luxuriosè. De his autem qui tẽporales diuitias bene vel male dispensant, ait Dominus in Euangelio: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Maiora igitur Ecclesiæ negotia eis committenda & credenda non sunt, qui in vita priuata & in temporalium dispensatione fideles non extiterunt, & de illo modico quod habebant pietatis & misericordiæ opera non ostenderunt. At verò illos in ptioratu fore fideles dubitare non debemus, quos de modico, quod possident, libenter aliis subuenire videmus. Vnde in Euangelio subditur: Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis reddet vobis? quasi dicat: Si de diuitiis quæ fugiunt & fallaces sunt, misericordiam non fecistis, quis Ecclesiæ dispensationem & regimen quod vnum est æquum & sanctum vobis credere & committere audeat. Temporales diuitiæ alienæ sunt, æternæ verò nostræ, si boni fuerimus & hæc temporalia bene dispensauerimus. Talentum autem dignitatis malè dissipant & malè dispensant, qui sic aliis volunt præesse vt prodesse non curent. Propterea Petrus ait: Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Vel qui subditos exactionibus opprimunt. Vnde Isaias: Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Vel qui paupetes affligunt, astringunt & verberant. Vnde in Parabolis: Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius. Et Iob ait: Si leuaui manum meam super pupillum cùm viderem me in porta superiorem. Talentum insuper temporis malè dispensant, qui otio torpentes bona operari non curant. Vnde Bernardus: Ipsum tempus à Domino impensum reqũret Deus qualiter sit expensum. Sicut capillus de capite, sic momentum de tempore non peribit, sed de omnibus rationem reddemus. Nunc verò de bonis gratiæ subiungamus, scilicet, de virtutibus & diuisionibus gratiarum & aliis bonis spiritualibus quæ à villico dissipantur, dum eis vel vti negligit, vel malè vtendo abutitur, & ita plerumque subtrahuntur & amittuntur. Propterea Petrus ait: Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Multi autem sunt qui dum gratias spirituales malè administrant, & rem & meritum perdunt. Hospitalitas enim cum murmuratione Deo non placet. Similiter qui miseretur, & non in hilaritate, vel qui bonum operatur in angaria vel seruili timore, bona Domini sui malè dispensando dicitur dissipare. Pari modo qui prudentes sunt apud semetipsos & innituntur prudentiæ suæ, qui per temperantiam vel abstinentiam vltra vires seipsos volunt affligere, & qui per iustitiam exercet seueritatem nimiam, cùm scriptum sit: Noli esse nimis iustus. Vel qui indiscretè se humiliando nimis abiecti à subditis habentur & non timentur, sed magis contemnuntur, bona Domini sui dissipant, dum hæc prædicta & alia indiscretè & inordinatè dispensant, sicut scriptum est: Iuste quod iustum est, exequeris. Et de Cain legimus quod rectè obtulit, sed malè diuisit. Propterea beatus Gregorius ait: Is qui præest ea se circa subditos mensura moderetur, vt eum nec effrenata lætitia vilem reddat, nec immoderata sæuitia odiosum. Disciplina enim vel misericordia deficituitur, si vna sine altera teneatur. Sed circa subditos in esse rectoribus debet & iustè consulens misericordia, & piè sæuiens disciplina. Sit itaque amor, sed non emolliens, sit vigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæuiens, sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens. Patet igitur quod bona gratiæ dissipamus, dum eis abutendo malè dispensamus. Vel cum illa ad Deum non reportamus, sed nobis per arrogantiam attribuimus. Qui enim de donis gratiæ superbit, buccella qua viuere debuit, seipsum strangulando seu suffocando perimit, & medicinam in venenum conuertit. Bona gratiæ nobis tribuit Dominus, id est, sacramentum baptismi & cætera sacramenta. Baptismum dissipamus, dum pactum baptismale quo renuntiauimus Satanæ, non seruamus. Sacramentum pœnitentiæ dissipamus, dum post dimissa peccata ad vomitum reuertimur. Sacramentum Eucharistiæ dissipamus, dum indignè ad ipsum accedimus, & ita de aliis sacramentis intelligendum est. Bona etiam gloriæ quæ nobis præparauit Dominus dissipare dicitur villicus iniquitatis, dum ea non desiderat, nec aspirat ad illa, sed contemnit, sicut scriptum est: Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Vnde Esau reprobatur quòd pro lenticula rufa primogenita vendidit. Vnde scriptura dicit: Comedit & bibit & abiit parui pendens, quòd

*De mala dispensatione diuitiarum.*

*De his qui tẽporis malè dispensant.*

*De mala dispensatione bonorum gratiæ.*

*De dissipatione Sacramentorum.*

*De dissipatione bonorum gloriæ.*

quòd primogenita vendidisset. Propterea in Threnis Ieremias ait: Viæ Sion lugent eò quòd non sint qui veniãt ad solemnitatem, id est, sancti; quia sunt exemplo, valde dolent, eò quòd supernæ patriæ solemnitatem despicimus. Sicut igitur quatuor prædicta talenta nobis commisit Dominus, id est, bona naturæ, fortunæ, gratiæ & gloriæ, ita quatuor seruitia quasi quatuor denarios pro censu capitis nostri illi debemus. Omne enim seruitium aut naturale est, vt filij ad patrem, aut gratuitum, vt amici ad amicum, aut venale, vt famuli conductitij ad Dominum suum, aut violentum siue necessitatis, vt serui ad Dominum. Hæc quatuor seruitia Deo debemus, quia pater, quia amicus, quia remunerator, quia ei necessitate tenemur. Potens enim est nisi ei seruierimus corpus & animam mittere in gehennam. Hi sunt quatuor denarij censuales, qui debent esse bonæ & probatæ monetæ, vt opera nostra fiant in fide & charitate, nec debent esse fracti per impatientiam, nec recisi, sed integri per perseuerantiam, & iusti ponderis, vt non simus inconstantes & leues, sed in Dei seruitio stabiles & perseuerantes vsque in finem.

*De quadruplici seruitio p 4 quatuor bonis quæ habemus à Deo.*

Villicum igitur diffamatum, qui prædicta bona Domini sui dissipauit, terribiliter vocauit, dicens: Quid hoc audio de te: Redde rationẽ villicationis tuæ. Iã enim non poteris villicare. Toties vocat nos Dominus, quoties nobis incutit terrorem æternæ damnationis, vel per prædicationem, vel per lectionem, vel per meditationem, vel per internã inspirationem. Vnde Naum: Increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina adducens in desertum. Mare, id est, amaritudinem peccati increpat Dominus, id est, increpari facit, & detestari per timorem vel contritionem & per satisfactionem exsiccari. Flumina autem, id est, fluxas huius mundi vanitates & voluptates adducit in desertum, dum nos eas facit deserere, vel quando eas per recordationem reducit ad mentem, quæ per abstinentiam facta est quasi desertum. Reddere autem rationem villicationis suæ iubetur, vel confitendo peccata coram sacerdote, vel cogitando dum vidit qualiter debeat operari & malè acta emendare, disponens sermones suos in iudicio, vt sciat & habeat qualiter & quid respõsurus sit Domino. Post mortem autem villicare non poterimus. Hic est enim locus merendi, ibi locus metendi. Vnde Salomon: Quodcunque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia apud inferos erunt, sicut scriptum est: In inferno quis confitebitur tibi. Post illam enim vltimam & terribilem excommunicationem nunquam absoluentur. Vnde in figura excommunicatorum & degradatorum clausit Noë fenestram arcæ coruo emisso, & Dominus à foris clausit ostium arcæ, ne fluctus intrarent, id est, excommunicati excluderentur in æternum. Quid hoc audio de te: Redde rationem villicationis tuæ. Verbum istud verbum est indignationis & terroris, verbum iræ & comminationis. Teste autem Augustino, qui ad tantum tonitruum non euigilat, non dormit, sed mortuus est. Maximè autem ab Ecclesiarum prælatis ratio villicationis suæ requiretur, qui lac & lanam ex ouibus quærentes, & de salute animarum non curantes, non pastores, sed dissipatores, non Prælati, sed Pilati merito possunt appellari. Quibus Dominus ait: Redde rationem villicationis tuę, quasi dicat: Ego sponsam meã proprio sanguine laui, vt esset sine macula, & in ligno crucis extendi, vt esset sine ruga, & eam tibi tanquam paranympho custodiendam commisi, sed quam fidelitatem exhibuisti mihi sponsæ meæ dilectos amplexus tam fortiter zelanti? O inexpiabile flagitium, ô immensum facinus, virgo sponsa mea ab illis prostituta est ad mœchandum, quibus commissa erat ad custodiendum. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ. Ego coronatus sum corona spinea, vt te coronarem in gloria mea. Coronatus sum diademate probroso, vt te coronatem corona de lapide precioso. Ego emi sanguine proprio, quod tu consumis in apparatu regio. Ego acquisiui opprobriis & persecutionibus, quod tu consumis in conuiuiis & ebrietatibus. Ego in præsepio, tu in palatio. Ego in panniculis, tu in sericis. Ego in asello, tu in phaleris. Ego cucurri ad clauos ferreos, & tu curris ad gariophilos. Ego in cruce, tu in balneis. Redde rationẽ villicationis tuæ: iam enim nõ poteris villicare. His igitur increpationibus & cõminationibus territus villicus ait intra se: Quid faciam, quia Dominus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Dum ergo cogitat villicationem suam in proximo cum vita esse finiendam, reuersus ad cor cogitat qualiter pœnas euadat. Vnde Isaias ait: Redite pręuaricatores ad cor, id est, ad discernenda conscientiæ vestræ secreta. Et in Ecclesiastico dicitur: Qui timet Dominum, conuertitur ad cor suum, id est, ad inuestigandum cor suum quid in eo displiceat. Vnde Psalmus: Dominus loquetur pacem in plebem suam, & in eos qui conuertuntur ad cor. Fodere autem non valemus post huius vitæ præsentis villicationem, id est, fossam cõpunctionis siue contritionis circa nostram arborem facere, neque terram cordis nostri sordibus pœnitentiæ stercorare. Fodiendo siquidem efficitur, vt pars terræ quæ intus latet, foras appareat, & quæ exterius apparebat, deorsum iaceat. Per quod peccatorum confessio designatur, vbi vomere compunctionis corda nostra exarantes peccata quæ interius latent, per confessionem aperimus, & per hoc ante Dei oculos ea abscondimus. Fodere igitur non valemus post mortem, id est, de peccatis nostris fructuose pœnitere. Vbi etiam mendicare cum fatuis virginibus erit confusionis & dedecoris in præsentia cœlestis curiæ. Quia teste Salomone, mẽdicabit piger in æstate, & non dabitur ei. Inuocabunt me, dicit Dominus, & non exaudiam eos, eò quòd exosam habuerint disciplinam. Fodere igitur non valebunt & mendicare erubescent vbi nulla facultas operandi, nulla fiducia impetrandi, In tanta igitur angustia constitutus vexatione dante intellectum, ait: Scio quid faciam,

*De vocatione villici.*

*Post mortem non est tempus villicandi.*

*De terrore & comminatione.*

*De reddenda ratione villicationis.*

*De villico redeunte ad cor.*

*De fossione & mendicatione.*

ciam, vt cùm amotus fuero à villicatione mea, recipiant me in domos suas: Ecce de acquirendis patronis magis quàm de congregandis pecuniis incipit cogitare, & sibi imposterum prouidere, vt proscriptus refugium habeat ad illos. Vnde vnum ex debitoribus Domini sui ex centum cadis olei dimisit medietatem. Alij ex centum coris tritici quintã partem. Ex quo apertè ostenditur, quòd quicunq; indigẽtiam pauperis ex dimidia parte, vel ex quinta, vel quãtacunq; saltem ex calice aquæ frigidæ alleuiat, misericordiæ suæ mercedem promeretur. Zacheus dimidium bonorum suorum dedit, vidua duo minuta. Ad literam autem cadus græcè, amphora dicitur latinè continens vrnas tres. Corus modiis triginta completur. Spiritualiter autẽ instruuntur ministri Christi, scilicet, sacerdotes, quod partem debiti Domini sui, id est, pœnitentiæ aliis plus, aliis minus, secundũ quod videtur expedire, possunt dimittere. Arbitrariæ enim sunt pœnitentię. Qui igitur in oleo peccauit, dum misericors nõ fuit, olei debitor cõstituitur. Et qui in tritico peccauit, verbũ Dei nõ dispẽsando prout debuit, tritico obligatur. Per oleũ etiã & triticum designatur, vt in nos peccãtibus indulgere debeamus, & etiã ex substantiis nostris eleëmosynas erogare. Qui autẽ peccat in proximũ, Deum offendit & eius debitor cõstituitur. Dominus autẽ gratum habet, quod dimittamus debitoribus suis, qui nobis similiter obligati sunt, in quantũ in nos peccauerunt. Quod autẽ subiungitur: Laudauit Dominus villicũ iniquitatis, quòd prudenter fecisset, nõ ita intelligendũ est, quod eum de fraude laudasset, sed de prouidẽtia, quia sibi de mãmona iniquitatis in posterũ prouidit. Et est probatio à minori & quasi per cõtrarium. Nã si ille qui sibi prouidit de re minima, cõmendatus est à Domino suo, longè amplius cõmendabitur, qui in re maxima sibi prouidebit. Itẽ si cõmendatus est qui sibi prouidit licèt fraudulenter, longè amplius cõmendabitur, qui sibi legittimè prouidebit. Nõ igitur in hoc dispẽsatore omnia debemus ad imitandũ assumere, vt, scilicet, fraudẽ erga Dominũ agamus, sicut de iudice iniquo qui interpellabatur à vidua. Sed propter hoc hæ similitudines inducũtur, vt intelligamus si laudari potuit à Domino, cui fraudẽ faciebat, quãtò magis placet Deo, qui legittimè & sine fraude pecuniã eius largitur. Alienæ enim facultatis dispensatores & custodes sumus. Vnus est Dominus, nos dispẽsatores. Vnde licèt villicus ille peccauerit, quia tamẽ sibi in posterũ ex indulgẽtia rerum Domini sui quæsiuit auxilia cõmendatur, vt nobis in hoc ostẽdatur, quod nulli indigẽti debemus denegare pecuniã nobis ad vsus necessarios cõmissam. Villici enim sumus tam rerum temporalium quàm spiritualium, & maximè patrimonij crucifixi si nobis est commissum. Sicut si testamentum alicuius nobis committeretur pauperibus erogandũ. Si igitur dispẽsator mammonę Domini voce laudatur qui de re iniqua sibi amicitiã prępatauit, licèt Dominus eius passus sit dispendium, quãtò magis Christus, qui nullum damnum sustinere potest, & ad misericordiam pronus est, laudabit discipulos si in verbo sibi credito, vel in alia quacunq; gratia sibi cõcessa misericordes fuerint. Pauci autẽ inueniuntur, qui adeo cauti sint & solliciti in spiritualibus, quantũ homines seculares in tẽporalibus. Vnde Dominus subiungit: Filij huius seculi prudẽtiores filiis lucis sunt in generatione sua. Filij seculi qui actus & opera mundi imitãtur. Cuius enim quis opera facit, eius filius dicitur. Prudẽtiores, scilicet, in malo quã filij lucis in bono. Quæ tamẽ non est verè prudẽtia, sed astutia, quæ stultitia apud Deũ reputatur. Vnde Iere. Sapiẽtes sunt vt faciãt mala, bene autẽ facere nescierunt. Et in Eccle. Nõ erudietur qui nõ est sapiẽs in bono, id est, nõ est verè eruditus. Vnde subditur: Est autẽ insipientia quę abundat in malo, & nõ est sensus vbi est amaritudo, id est, vbi est peccatum nõ est verus sensus, sed potius versutia & calliditas vocatur. Vnde Isa. Speculatores eius cæci videntes vana, ecce cæci sunt & videbunt. Cæci in spiritualibus, vidẽt tamẽ & prudẽtiores sunt in transitoriis & vanis quã filij lucis. Filij autẽ huius seculi appellãtur, qui huius mundi negotiis astuti sunt & solliciti: Vix enim inueniuntur aliqui sancti, qui tantã sollicitudinẽ habeant in acquirendis bonis æternis, quantam isti in acquirendis tẽporalibus bonis. Pro his die noctuq; vigilant per furta, rapinas, & fraudes, proditiones, periuria & homicidia, diuitias coaceruare nõ cessant. Vnde dicitur quod prudentes sunt in generatione, id est, in carnali & terrena negotiatione. Vnde de Esau dicitur, quod erat vir gnarus venãdi: Et Nemroth venator robustus corã Domino. Hi enim tẽporalia venãtur, nec Dei faciem reuerentur. Hi sunt filij Agar, qui exquisierunt prudentiam quæ de terra est, sicut dicitur in Baruch. Sequitur: Et ego dico vobis. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Locus iste multos traxit in errorem, qui rapiunt vt bene dispensent, facientes mala vt veniãt bona. Non est ergo intelligendum de pecunia malè acquisita, maximè de ea quæ restituenda est, sed de mãmona iniquitatis, id est, de diuitiis quæ occasionaliter solent facere iniquos, licet in natura sua bonę sint, nostra tamen tenacitate iniquæ dicuntur, quia auarè retentæ vel malè dispensatæ propriis Domini nocent. Vel de Mammona iniquitatis, id est, de diuitiis nõ in æqualitate possessis. Quidam enim multas habent, alij autem indigent. Vnde Apostolus: Nõ vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorũ inopiã supplẽat. Ex quo patet quod nõ iubemur dare necessaria, sed superabundantia. Tunc ergo non dicuntur iniquæ diuitiæ quando ad necessitatem retinentur, & non ad superfluitatem. Iniquitas igitur in hoc loco inæqualitatem designat, sicut dum dicitur: Melior est iniquitas viri quàm mulier benè faciens. Secundum hunc tropum dicitur: Omnis transactio continet iniquitatem. Mammon autem vel mammona lingua Syrorum nomen est dęmonis incumbentis diuitiis, non vt in eius

*Villicus dimisit debitoribus Domini sui.*

*Quod proximis debemus dimittere, & eis de bonis Domini erogare.*

*Similo.*

*De sollicitudine & prudentia seculari quæ maior est in genere suo prudentia & sollicitudine spiritualium.*

*Baruch 3. Qualiter de mammona iniquitatis amicos facere debemus.*

in eius potestate sint, vt possit eas auferre, vel conferre, sed præsidere dicitur diuitiis, quia per eas homines tentat. Possumus etiam de mammona iniquitatis, id est, de diuitiis iniquè acquisitis facere amicos, & acquirere nobis pauperes patronos, dum eas consilio Ecclesiæ pauperibus erogamus, quando non inueniuntur, quibus eas restituere debemus. Cùm autem omnibus pauperibus in necessitate possint eleëmosynæ erogari, illis præcipuè debemus dare, qui cùm defecerimus propriis meritis, recipere nos possint in æterna tabernacula meritis & orationibus suis. Ipsorũ enim sunt tabernacula æternæ beatitudinis: sicut scriptũ est: Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cœlorũ. Vnde tanquã propriã possessionẽ illud dare possunt propriis benefactoribus suis. Dominus autẽ eos indigere permittit in hoc seculo ad eorũ purgationẽ, & nostrã probationẽ atq; vtilitatẽ. Diues enim est velut hedera, quæ per se nõ potest eleuari, sed alicuius arboris ramis inhærens, alta petit, & eleëmosynis quasi quibusdã brachiis eleuatur in cœlum. Hæc est hædera Iouæ, quę in ascensu diluculi, id est, in ortu gratiæ, dente vermis, id est, cõscientiæ remordẽtis percutitur & abscinditur, vt cadens in terrã, id est, cõsiderans se esse puluerem, & in puluerẽ reuersurũ, sibimetipsi arescat & vilescat. Potest autẽ prędicta parabola tropologicè de nobis intelligi sub hoc sensu. Homo diues, id est, Deus pater, villa humana natura, villicus, id est, hominis spiritus, coloni sensus: ratio intellectus & appetitus humani: bona diuitis, sunt naturalia & gratuita: dissipatio bonorũ, bona amissio gratuitorũ & corruptio naturaliũ. Ratio de villicatione, examinatio de trãsgressione: serui debitores domini, sunt sensus humani. Ratio intellectus & appetitus humani per peccatum deprauati. Qui quantò plus à bono dissident, tãtò amplius debẽt. Sessio debitoris, humiliatio peccatoris, cautio seu scriptio debiti cõsideratio peccati, debiti dimissio peccati relaxatio. Alleuiet igitur villicus, id est, spiritus humanus debitores istos per pœnitentiã, qui relaxati villũ recipiãt in domos suas. Per pœnitentiã enim alleuiati & cœlestibus præmiis ditati, iocundẽt villicũ, vel iocundũ reddant in mansione cœlesti. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Quibus præcipuè danda est eleëmosyna.*

*Simile.*

*Alia expositio prædictæ parabolæ.*

## DOMINICA DECIMA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE.

*Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam: ab his qui appropinquant mihi, & humiliauit eos, qui est ante secula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Psalm. 54.



ICVT pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor vt columba. Verba sunt Isaiæ, ostendentis qualiter clamandum sit ad Dominum. Hirundo auis æstiua est, quæ in hyeme latet & in æstate apparet. Et iusti latent in hyeme huius præsentis vitæ, sed in æstate vitæ futuræ apparebunt: sicut scriptum est: Cùm surrexerint impij, abscondentur homines, & cùm perierint peccatores, multiplicabuntur iusti, scilicet in iudicio. Tunc enim apparebit hirundo, & milui demergentur in inferno. Pullus autem hirundinis dicitur vir iustus, qui Patrum antiquorum imitator est. Clamare autem debemus non sicut coruus, sed sicut pullus hirundinis, qui clamat ad matrem, vt cibum recipiat. Et nos clamemus & inuocemus diuinam misericordiam, iactando cogitatum in Domino, vt nos enutriat. Corde autem compuncto & deuoto debemus clamare. Non enim placet Deo strepitus oris, sed compunctio & intensum desiderium cordis. Meditari igitur debemus vt columba, cum gemitu, scilicet, & compunctione cordis & simplicitate, & ita clamorem nostrũ exaudiet Deus. Et hoc est quod Psal. ait: Dum clamarẽ ad Dominũ, exaudiuit vocem meã. Non solùm autẽ in ipso clamore, sed ante clamorẽ exaudit. Vnde per Isaiã ait: Antequã clament, ego exaudiam, id est, exaudiã clamorem cordis, ante clamorẽ oris. Sancti enim clamant ad Dominũ corde per deuotã contritionẽ, ore per confessionẽ & laudẽ, opere per satisfactionẽ. Dolor meus in conspectu meo semper, ecce cordis contritio. Quoniã iniquitatẽ meã annuntiabo, ecce oris confessio. Quoniã in flagella paratus sum, ecce operis satisfactio. Clamor igitur pœnitentium & peccata confitentium, Deum placat & lenit, & diabolũ confundit. Vnde in lib. Hester dicitur: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius. Et nos simus filij confessionis & de genere Iudæorũ, id est, confitentiũ peccata sua, vt cadat diabolus ante pedes nostros. Clamor enim cõfessionis educit spinam de pede, serpentẽ de sinu, murem de pera, ignem de gremio. Hæc est mulier Hebræa, quæ facit confusionẽ in domo Nabuchodonosor: sicut dicitur in lib. Iudith. Loquela siquidem tua manifestũ te facit, nam & Galilęus es, de Galilęa, scilicet, Iudęorũ peccata cõfitendo, & de vitiis ad virtutes transmigrãdo. Nam Galilæa trãsmigratio facta interpretatur. Per linguã enim tuã cognoscitur, si es de Galilæa Iudæorũ, vel de Galilæa Gentiũ, quæ intepretatur rota, id est, de mũdi circũuolutione. Clamet igitur peccator per confessionẽ ad Dominũ, sicut discipuli in mari, attendẽtes periculũ suũ, clamauerũt: Domine, salua nos, perimus. Ecõtrà autẽ quidã, sicut Ionas in tẽpestate & periculo, descẽdunt in sentinã vitiorũ, & periculũ suũ nõ aduertũt, nec clamãt ad Dominũ. Postq; autẽ clamauit Ionas, de ventre ceti euomitus est, & euasit. Hic est clamor cõfessionis, qui nos de ventre diaboli extrahit. Vnde in Iob dicitur: Nemo loquebatur ei verbũ,

*Isa. 38. Qualiter clamandum sit ad Dominũ.*

*De multiplicatione clamore.*

*De clamore pœnitentium. Hester 4.*

*Iob 2.*

videbant enim dolorē esse vehementē. Diabolus enim non studet aggredi peccatorē, quādo videt eum in dolore magno, & contritione. Et in Gen. Clamat Iacob ad Dominū, dicens: Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eū timeo, ne fortè veniens percutiat matrē cum filiis. Ita & nos nunquā debemus esse securi, sed clamare vt eruamur à carnis infestatione, ne fortè prævalens interficiat matrem cum filiis, id est, animam cum operibus bonis. Dicat igitur peccator, sicut Isaias ait: Vę mihi, quia tacui. Et sic Dauid ait: Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea. Propterea Ieremias ad peccatorem ait: Deduc quasi torrens lachrymas per diem & noctem, & non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Lachrymę pœnitentium more torrentis, omnia obstacula tollunt per diem & noctē, id est, in prosperis & aduersis non debemus per otium torpore quiescere. Pupilla autem oculi, est cōpunctio rationis. Ex quo patet quod lachrymę pœnitentis vim clamoris habent. Fleuit Ezechias fletu magno, & dixit Dominus illi: Audiui orationē tuam, & vidi lachrymas tuas. Et postquam Dauid dixit ad Nathan: Peccaui, statim Propheta respondit: Transtulit Dominus peccatum tuum à te. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meā. Est clamor deuotę orationis, clamor sanctæ prædicationis, clamor tribulationis, clamor intensi desiderij cordis, clamor bonę operationis. Horū omniū voces Dominus exaudit. Vocem deuotę orationis Deus exaudit, sicut in Eccles. dicitur: Oratio humiliantis se, nubes penetrat. Nulla enim est morę distātia inter piam orationē & diuinā exauditionem. Vnde Psal. Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos. Et ostendit quo merito. Vnde subiungit: Custodiebāt testimonia eius, & præceptū quod dedit illis. Alioquin nō exauditur oratio. Vnde in Threnis: Opposuisti nubē, ne transeat oratio. Nubē, scilicet, mortalis peccati, quia peccatores nō exaudit Deus. Propter quod Psal. ait: Mane exaudies vocē meā, id est, in ortu gratiæ, nō in nocte peccati. Et in Iob dicitur: Si diluculo cōsurrexeris ad Deū, & omnipotentē fueris deprecatus, si mūdus & rectus accesseris, statim euigilabit ad te. In diluculo expulsis vitiorū tenebris debemus Deū deprecari, vt audiatur in excelso clamor noster. Vnde Apost. Petitiones vestræ innotescāt apud Deū. Tunc enim illas Deus agnoscet, cùm vitæ sanctitas illas Deo cōmendat. Vnde in Matth. Dominus ait: Si duo ex vobis cōsenserint super terrā de omni re quācunq; petierint, fiet illis. Si enim corpus & anima in Dei seruitio cōcordes fuerint, exaudietur oratio nostra. Clamorē sanctæ prædicationis exaudit Dominus: sicut scriptū est: Fac me audire vocē tuā, sonet vox tua in auribus meis. Hæc enim vox valde placet Domino. Vnde in Eccles. Tibia & psalterium suauē faciunt melodiā, & super vtraq; lingua suauis. De hac voce dicit Psal. Vox tonitrui tui in rota, id est, vox cōminationis & terroris in sacra scriptura. Et in Apoc. dicitur: Facta sunt tonitrua voces & fulgura. Tonitrua cōminationis, voces exhortationis, fulgura, id est, miraculorū coruscationes. Clamorē tribulationis exaudit Dominus: sicut scriptū est: Ad Dominū cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me. A finibus terræ ad te clamaui, dū anxiaretur cor meū. Et iterū: Exaudiui te in abscondito tempestatis, id est, in tentatione vanæ cogitationis. De qua dicitur in Iob: Morietur in tempestate anima eorū. Vnde anima cōflicta variis tentationibus, clamās ad Dominū, ait in Threnis: Vide Domine, humilitatē meā, quia erectus est inimicus. Vide nō peccatū vt damnes, sed afflictionē vt liberes. Quoniā erectus est inimicus cōtra te superbiēs, & tuā creaturā cōculcans, sibi imputās, tibi insultās, quasi nequeas me liberare. Iuxta illud: Multi dicūt animæ meæ, nō est salus ipsi in Deo eius. Clamorē intensi desiderij exaudit Dominus. Sic enim clamauerunt, Moyses cōtra Pharaonē, Susanna contra senes iniquos, Daniēl in lacu leonū, tres pueri in fornace, & desideriū cordis eorum Dominus exaudiuit. Clamorem sanctæ operationis exaudit Dominus: sicut scriptū est: Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Vestimenta animæ sunt bona opera, quibus tegit turpitudinē præcedentium delictorum. Odor autem vestimentorū, sunt exempla bonorum operū, quæ dicuntur sicut odor thuris, quia obtinent vim orationis. Vnde in Eccles. Non impediaris orare semper. Qui enim bona opera facit, semper orare dicitur. Cuiusmodi oratio per peccatum mortale impeditur. De clamore seu oratione operis legimus in Exodo, quod Moyse eleuāte manus, Amalech vincebatur. Et nos bonorum operū manus leuemus ad Deū, vt vincamus Amalech, id est, diabolū, qui lingit sanguinē. Amalech enim lingēs sanguinē interpretatur. Sanguis siquidē peccati lingitur, per peccandi desideriū, bibitur per voluntatē & cōsensum, funditur dum voluntas ad effectū perducitur, aspergitur dum proximus ad peccandū inducitur. Dum clamaré ad Dominum, exaudiuit vocem meā. Quidam clamant ad Deum, quidā contra Deū. Est enim clamor bonus, & hunc exaudit Dominus. Vnde dicit Ieremias: Hæc dicit Dominus: Clama ad me, & ego exaudiā te. Est clamor malus, quem non exaudit Dominus, scilicet, indignationis & iræ. Vnde Isa. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Et de Christo dicit Isa. Non clamabit & nō audietur vox eius foras. Non erit tristis neq; turbulentus. Est secūdus clamor malus, scilicet, euidentia & publicatio peccati. Vnde in Genesi dicitur, quod ascendit clamor Sodomorū ad Dominū. Est tertius clamor malus, scilicet, gulositatis. De quo Iob ait: Vocē exactoris nō audit, id est, ventris. Et in Eccles. dicitur: Luxuriosa res est vinum & tumultuosa ebrietas. Est quartus clamor malus, id est, auaritiæ. Similiter & quintus, id est, luxuriæ. De his duobus Salomō ait: Sanguisugæ duæ sunt filiæ, quæ semper clamāt: Affer, affer. Sanguisuga est diabolus, qui sanguine peccatorū delectatur. Cuius duæ sunt filiæ, auaritia & luxuria. Quarum vna semper clamat inhiādo diuitiis, alia voluptatibus obscœnis. Est sextus clamor malus, scilicet lasciuiæ

*De clamore deuotæ orationis.*

*De clamore prædicationis.*

*De clamore tribulationis.*

*Iob 36.*

*De clamore intensi desiderii.*

*De clamore operum.*

*De clamore bono et malo. Ierem. 33.*

*Isa. 4.*

lasciuiæ & vanitatis. Hoc modo clamãt Sirenes diaboli in plausibus vanitatis & choreis. Vnde in Exodo: Non est clamor exhortantiũ ad pugnã, neq; vociferatio cõpellentium ad fugam, sed vocem cantantiũ ego audio. Exod. 32. Est septimus clamor malus, scilicet, loquacitatis seu garrulitatis. Vnde Salomõ: Abominabilis & odibilis est in ciuitate vir linguosus. Et iterũ: Sicut vrbs patẽs & absq; murorũ ambitu, ita qui nõ potest in loquẽdo cohibere spiritũ suũ. Vas enim quod non habet operculũ, immundũ in lege reputatur. Totum enim spiritũ suum profert stultus. Propterea in Eccles. dicitur: Audi tacens, & loqui in medio magnatorum ne præsumas, & vbi sunt sermones, non multum loquaris. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam. Non exaudit Dominus vocem detractionis, de qua scriptum est: Detrahentẽ secretò proximo suo, hunc persequebar. Neq; vocem maledictionis, de qua scriptũ est: Maledici regnũ Dei nõ possidebũt. Neq; vocem elationis: de qua Daniël ait: Aspiciebã propter vocem sermonũ grandiũ. Et Psal. Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa, & linguã magniloquã. Neq; vocem contradictionis. De qua scriptum est: Eleuauerunt flumina vocem suam. Neq; vocem cõtumelię & litigij: de qua scriptũ est: Vir iracundus suscitat rixas. Exaudit autẽ vocẽ iustorũ & aures eius in preces eorum: sicut scriptum est: Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos. Et quoniã scriptũ est: Altissimus dedit vocẽ suã: non exaudiet Dominus vocẽ tuã, nisi tu vocẽ eius exaudias, vt dicere possis cum Propheta: Audiã quid loquatur in me Dominus Deus. De his autẽ qui Dominũ clamantẽ audire cõtemnunt, dicit Dominus per Isa. Vos qui dereliquistis Dominũ, qui obliti estis montẽ sanctũ meũ, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eã, numerabo vos in gladio, & omnes in cęde corruetis: pro eo quod vocaui & nõ respõdistis: locutus sum, & nõ audistis. Qui ponitis fortunæ mensam, id est, qui in fortuna cõfiditis, & delectamini in fortuitis & fallacibus bonis, & prosperis succedentibus Deũ obliuiscimini. Numerabo vos in gladio, id est, in iudiciaria sentẽtia interficiã: quia vocaui & nõ respõdistis. Ipse enim clamat ad nos per scripturas, per prędicatores, clamat etiã quotidie per pauperes, & ei surdã aurẽ prębemus. Vnde Ambrosius cõtra auaros, qui Christũ in paupere clamantẽ audire nolũt, sic ait: Nemo dicat proprium quod est cõmune, plusquã sufficiat sumptũ violenter obtentũ est. Quis tam iniustus, tam auarus, q̃ qui multorũ alimẽta nõ suũ vsum, sed abundantiã facit & delicias? Nec enim magni criminis est habẽri tollere, q̃ cùm possis & habeas, indigentibus denegare. Esurientiũ panis est quẽ tu detines, nudorũ indumentũ quod tu recludis, miserorũ est redẽptio pecunia quã in terra defodis. Tantorũ igitur bona te scias inuadere, quãtis potes præstare. Audi igitur vocẽ Domini in paupere clamãtis, audi vocẽ cõminationis, de qua scriptũ est: Iam securis posita est ad radicẽ arboris. Audi vocẽ admonitionis: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Audi vocẽ promissionis: Centuplũ accipietis, & vitam æternã possidebitis. Audi vocẽ remunerationis: Venite benedicti patris mei. Audi vocem cõdemnationis & punitionis: Ite maledicti in ignẽ æternũ. Vnde Isa. Vox Domini reddẽtis retributionẽ inimicis suis. Et Sophonias: Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dum clamarẽ ad Dominũ, exaudiuit vocẽ meã. Multi autẽ silent & ad Dominũ nõ clamant, eò quòd Dominus in præsenti silere videtur, dum peccata dissimulat & pœnã differt. Vnde Isa. Tacui, semper silui, patiẽs fui, sicut parturiẽs loquar. Et iterũ: Mei nõ es recordata, nec cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi nõ vidẽs, & mei oblita es. Hoc est quod Psal. ait: Hęc fecisti & tacui, id est, sententiã distuli. Et Abacuc: Quare taces cõculcãte impio iustiorẽ se. In fine autem non tacebit Deus, licèt modò dissimulet. Vnde Psal. Ne taceas neq; cõpescaris Deus à pœna, scilicet, in futuro. Et per Isa. Dominus ait: Ecce scriptũ est, corã me non tacebo, sed reddã & retribuã in sinu eorũ. Iusti autẽ nolũt quod sileat in præsenti, sed vt puniat hìc, & in futuro parcat. Vnde Propheta: Deus meus, ne sileas à me. Dum clamarẽ ad Dominũ, exaudiuit vocẽ meã, ab his qui appropinquant mihi, liberando, scilicet, à fictis Christianis, qui magis nocent quàm extranei. Appropinquant nomine non numine, corpore non mente, numero non merito. Vnde in Psal. additur: Quoniã inter multos erant mecum. Vel in multis, scilicet, in sacramentis, in lectione Euangelij, in solemnitatibus Ecclesiæ, & in similibus, sed nõ in charitate. Vel inter multos, id est, in paleis, quæ multæ sunt. In multitudine vocatorũ, sed non in paucitate electorum. Et bene ait: Mecum, nam palea est prope triticũ. De vno semine nascuntur, in vno agro radicãtur, de vna pluuia nutriuntur, sub vno messore colliguntur, eadem trituratione vtuntur, eandem ventilationẽ expectant, sed in vnũ horreum nõ intrant. Exaudiuit Dominus vocem meã, ab his qui appropinquãt mihi. Hi sunt tres hostes nostri, caro, diabolus & mũdus. De primo dicitur in Eccles. Nõ credas inimico tuo in æternũ: sicut enim æramentũ, æruginat nequitia illius. Et si enim caro aliquãdo rubiginẽ cõtrahat ex maceratione & sordibus pœnitẽtiæ, nõ tamen cõsumitur, sed caro semper est caro, cui titillanti & sũggerenti voluptatẽ tanquã inimico credendũ non est. Vnde subditur: In oculis suis lachrymabitur inimicus, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. In oculis nostris carnalis affectus lachrymatur, cùm caro affligitur & maceratur. Et volens sibi parci quasi adiuuans hominem dicit, nimis affligis te. Quod si audiatur, suffodit hominẽ ne cadat in voluptatem. De secundo inimico, id est, diabolo, in eodem dicitur: In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam. Propterea Salomon ait: Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

*De multiplici voce mala, quã Dominus non exaudit.*

*De his qui dei clamãtem audire nolunt.*

*Multipliciter clamat ad nos Deus.*

*De male silentio. De silentio Domini.*

*De malis, qui appropinquãt bonis.*

*De tribus hostibus nobis appropinquantibus. Eccles. 12.*

*Fistula dulcè cantat volucrem dum decipit auceps*, id est, diabolus. De tertio etiam, id est, car-

Eccles. 37. de mundo in eodem Ecclesiastico dicitur: Noli consiliari cum socero tuo, & à zelantibus te absconde consilium. Socer est pater vxoris, id est, mundus, qui pater mundanæ concupiscentiæ est, & hæc est vxor secularium hominum. Cum socero igitur, id est, cum mundo, non est conciliandum, quia eius consilium est, vt vxor, id est, mundana concupiscentia in homine dominetur. Hi igitur sunt falsi amici, de quibus in Ecclesiastico dicitur: Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende, id est, discretionem habe ad cognoscendum, qui sint amici veri, & qui falsi. Et hoc est quod Michæas ait: Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi clausura oris tui. Amicus iste, qui fingit amicum, est diabolus, vel carnalis affectus, quibus credendum non est, suggerentibus & proponentibus delicias huius mundi. Illa verò quæ dormit in sinu, est carnalis illecebra, à qua custodienda sunt clausura oris, ne in verbis vel in cibis carnis illecebras sequamur. Exaudiuit vocem meã ab his, qui appropinquant mihi, liberando me à rugientibus præparatis ad escam, id est, à dæmonibus, qui sæuiunt, vt sanctos deuorent, sicut escam panis. Vnde subditur in Ecclesiastico: De portis tribulationum, quæ circundederunt me, id est, ab infestatione quinq; sensuum, per quos tanquam per portas inimici intrare cupiunt. Et à pressura flammæ, id est, à vitiorum calefactione. De qua Osee: Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & deuorauerunt Iudices suos, id est, ratione & intellectum, quæ absorbentur flamma vitiorum. Maligni igitur spiritus nobis semper insidiantur. Vnde Apostolus: Facti sumus spectaculũ mundo, & Angelis, & hominibus. Et idcirco in omni opere nostro attendere debemus occultos aduersarios, qui actus nostros semper intuentur & nobis insidiãtur. Nisi enim cõtra eos vigilemus, eosdẽ habebimus irrisores, quos ad malũ habuimus persuasores. Vnde Abacuc: Ipse de Regibus triumphabit, & tyrãni ridiculi eius erunt. Ipse super omnẽ munitionẽ ridebit, & portabit aggerẽ & capiet eam. Ad literã de potentibus huius seculi triumphat diabolus, sed pauperes de ipso triumphãt. Tyranni autẽ ridiculi eius sunt, sicut Reges stolidos suos habẽt & ebrios, vt inde ludos faciant, quemadmodũ Samson excæcatus coram Philistæis ludebat. Ipse autẽ cõportat aggerem diuitiarũ, dignatũ, & carnaliũ voluptatum, quibus sanctos expugnat. Vnde Daniël: Rex Aquilonis pręparabit munitionẽ multò maiorem quàm priùs, & cõportabit aggerẽ, & capiet vrbes munitissimas, & brachia Austri non sustinebunt. Multos enim qui sunt brachia Austri per fortitudinẽ & charitatis feruorẽ deiicit diabolus, sed tandem ipse deiicietur. Vnde subditur in Daniële: Tunc mutabitur spiritus eius, & pertransibit & corruet. Hæc est fortitudo Dei sui. Transibit enim hæc eius potestas & corruet in abyssum. Eius enim fortitudo Dei sui, id est, Deo permittẽte. Et ideo cùm Dominus voluerit, corruet. Exaudiuit vocẽ meã ab his qui appropinquãt mihi. Vnde in Cant. dicitur: Filij matris meæ pugnauerunt cõtra me. Pugnãt cõtra nos filij ancillę, id est, motus carnis. Filij nouercę synagogæ Iudæorũ. Filij extraneæ, id est, crudelitas Paganorũ. Filij sororis, id est, Ecclesiæ militantis, hæretici, scilicet, & schismatici, & falsi Christiani. Et filij matris nostræ Hierusalẽ, id est, dæmones inde expulsi. Appropinquãt insuper nobis septẽ vitia criminalia, quę ex fomite oriuntur, & familiariter nos impugnãt. Contra quæ Propheta orat, dicens: Dissipa Gentes quæ bella volũt. Et iterũ ait: Manus tua Gentes disperdidit. Vnde in libro Iosue dicitur: In hoc (inquit) scietis, quod Deus in meo vestri est, quod disperdet in conspectu vestro Chananæũ, Hethæũ, Heuæum, Pherezæũ, Gergesęum, Iebusęum, & Amorrhæũ. Chananęus interpretatur possessio, & significat auaritiã. Hethæus interpretatur stupor vel formido, & significat acediã siue tristitiam, quæ dentes obstupescere facit, & escam delectabilem in fastidium ducit. Heuæus interpretatur lapides colligens, & significat iram, quæ semper cogitat de vindicta. Pherezæus interpretatur dissemināns terrã, & significat illos, qui patiuntur fluxũ seminis & luxuriosos. Quorum carnes sunt vt carnes asinorũ, & fluxus eorum vt fluxus equorum, sicut in Ezech. dicitur. Gergesæus interpretatur colonũ eiiciens, vel aduena appropinquans, & significat superbiã, quæ primũ cœli colonũ eiecit de paradiso. Quantò autẽ superbus magis appropinquare Deo credit per excellentiam & arrogantiã, tantò magis recedit & alienatur ab eo. Iebusæus interpretatur cõculcatus vel præsepe eorum, & significat gulam, quæ rationẽ conculcat, & semper vult esse ad præsepe quasi bestia. Amorrhæus amarus vel loquens interpretatur, & significat inuidiam, quę de aliis loquitur amara. A prædictis igitur hostibus, qui appropinquant nobis, liberat nos Dominus. Vnde in hodierno officio subiungit Psal. Et humiliabit eos, qui est ante seculum, & manet in æternũ Dominus, &c. id est, principiũ & finis. Est autem triplex humiliatio. Vna gratiæ: sicut scriptum est: Respexit humilitatem ancillæ suę. Alia culpę, de qua scriptum est in libro Regum, quod Ammon humiliauit Thamar sororẽ Absalon. Et Psalmus: In laqueo suo humiliabit eum. Et iterum: Humiliata est in puluere anima mea. Tertia pœnæ, de qua scriptum est: Humiliauit in compedibus pedes eius. Et iterum: Superborum & sublimiũ colla propria virtute calcaui. Hoc tertio modo Deus inimicos nostros, qui appropinquant nobis, humiliat. Vnde Psalmus: Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Vectes ferreos, id est, diabolicas suggestiones. Sicut autem ferrum ex tactu terræ rubiginem colligit, & per rubiginem consumitur: ita diabolicæ suggestiones si consideras, quia terra es, quasi ex contactu huius memoriæ ad nihilum redigentur. Per portas æreas delectationes carnales designantur. Æs enim durabile est, & carnis delectationes tota vita nostra nos impugnant, quas malleo futuri Iudicij conterere debemus: quia ita hostes nostros humiliabit & destruet Deus. Vnde Isaias: Manum

*De falsis amicis.*

*Mich. 7. De insidiis malignorum spirituum.*

*Osee 7.*

*1. Cor. 4.*

*De multiplici pugna.*

*De septem vitiis nobis appropinquantibus. Iosue 3.*

*De triplici humiliatione.*

*Hostes nostros tandem Deus destruet. Simile.*

*Isa. 25.*

Manum super mare extendet, & conturbabit regnum, id est, tribulationem super malos, conturbando eos in fine. Et iterum: Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Nunquid tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Consurge per incarnationem, consurge per resurrectionem: percussisti superbum, id est, diabolum, apertè sequentem: vulnerasti draconem, id est, diabolum, occultè suggerentem. Aperta enim sæuitia diaboli in prima aduentu fuit destructa. Suggestio autem occulta in parte fuit diminuta & vulnerata. Cùm igitur omnipotentem adiutorem & inuictissimũ Regem habeamus, in ipso cõfidere debemus. Vnde subditur: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Salubre consilium est, iactare cogitationes & curam in Domino, tanquam ancoram in terram firmam. Ipse enim non dabit in æternum fluctuationem iusto, sed ad soliditatem æterni littoris perducet. Cura autem seculi, vt vermis nos consumer, sed si cura in Deo iactatur, nutrit: sicut scriptum est: Saturabuntur ligna campi & cedri Libani. Ligna campi, id est, minores à fide, steriles & in latitudine vitiorum commorantes, hi conuersi sunt, & verbis sacræ scripturæ satiati. Cedri Libani, id est, potentes huius seculi, quibus saturatis, passeres nidificabunt in eis, id est, sancti prædicatores, in eis quiescentes. De hoc autem nutrimento dicitur in Apocalypsi, quod mulier alitur in deserto, id est, in hoc seculo, per tempus & tempora, & dimidium temporis, id est, doctrina Euangelica, quam per tres annos & dimidium prædicauit Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Isa. 51.*

*Cogitatum in Domino iactare debemus, & in ipso cõfidere. Simile.*

*De nutrimento Domini.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD CORINTHIOS.

*Scitis, quoniam cùm Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini, euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu.* 1. Cor. 12.

RECORDAMINI viarum vestrarum pessimarum, & studiorum non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ. Verba sunt Ezechiëlis, exhortantis nos ad peccatorum præteritorum recordationem, vt congregentur sicut in vtre aquæ maris, id est, peccatorum amaritudines, velut in vtre memoriæ teneantur. Teste enim Chrysostomo: Nullum tale est remedium peccatorum, quàm continua memoria delictorum. Vnde cæco illuminato dictum est: Respice, id est, retrò aspice, vt dicas cum Propheta: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Leua oculos tuos in directum, & vide vbi prostrata sis. Et per Isaiam: Ponam tenebras eorum coram eis in lucem. Dum enim tenebras peccatorum ante mentis oculos ponimus, & annos nostros in amaritudine animæ nostræ recogitamus, per compunctionem illuminamur. Vnde ad animam negligentem & securitate torpentem, Dominus per Ezechiëlem ait: Post omnes abominationes tuas non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda & cõfusione plena, & conculcata in sanguine tuo. Patet igitur quod valde placitum est Deo, vt consideret homo statum in quo fuit per culpam, & statum in quo est per gratiam, qualiter Deus de tenebris iussit splendescere lumen. Iuxta illud Apostoli: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Propterea Apostolus in hodierna Epistola locuturus Corinthiis de bonis à Deo sibi collatis, & de gratiarum diuisione, priorem eorũ conuersationẽ illis cõmemorat, vt gratuita Dei beneficia meritis suis attribuant, & liberati gratias agant. Et hoc est quod ait: Scitis quoniã cùm Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini, euntes: quasi diceret: Per experientiam agnoscitis, quoniã cùm Gentes essetis, id est, gentiliter viuentes, vos eratis euntes ad muta simulachra, dediti, scilicet, cultui dæmoniorum, prout à maligno spiritu ducebamini. Vnde per Zachariam Dominus ait: Dispersi eos per omnia regna, quæ nescierunt, & terra desolata est ab eis, id est, per omnia regna dæmonũ, dum diuersis dæmonibus seruierunt, & de peccato in peccatum corruerunt. Per simulachra enim intelliguntur peccata. Vnde Osee Dominus ait: Iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris, id est, iuxta abundãtiam temporalium abundauit delictis. Nam secundum diuersitatem peccatorum, diuersa sunt simulachra seu diuersæ facies peccantium. Sicut pro diuersitate desideriorum, quasi diuersitas attenditur linguarum. Vnde Psal. Facies peccatorum sumitis. Homo enim per superbiam habet faciem leonis, per inuidiam faciem serpentis, per fraudem faciem vulpis, per luxuriam faciem porci. Et ita intelligatur de aliis. Vnde Ecclesiasticus: Ne assumas faciem contra faciem tuam, nec contra animam tuam mendacium, id est, ne assumas faciem peccati contra faciem imaginis à Deo tibi impressam, vt imago Dei per peccatum in te non deformetur. Contra animam suam mendacium assumit, qui amore temporaliũ, quæ vana sunt, incumbit. De huiusmodi idolatris Isaias ait: Quæsit quomodo constituat simulachrum, quod non moueatur. Timor enim mundanus & amor temporalium, quasi duo claui sunt, quibus confirmatur & stabilitur simulachrũ diaboli in templo idolorum, id est, in corde peccatoris. Et rursum Isaias: Nunquid sculptile conflabit faber, vel artifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum & imputribile artifex sapiens quærit. Spiritualiter autem increpantur Hæresiarchæ, qui diuersa idola de cor-

*Expositio literæ.*

*Zachar. 7.*

*De variis simulachris.*

*Eccles. 4.*

*Isa. 40.*

de suo fingunt, vel eloquij venustate, id est, argento, vel sensus splendore, qui significatur in auro, & quasi ligno imputribili, id est, scripturarum authoritatibus, quibus abutuntur, vel arte dialectica dogmata sua ne corruant, firmare conantur. De his autem simulachris peccatorum seu imaginibus dæmonũ dicitur in Ezech. Fili hominis fode parietem, & ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. Hic est paries clausi cordis sub quo celantur occulta dedecoris, vel illi in cuius corde exarata est hæc pessima descriptio, nisi lachrymis pœnitentiæ deleantur. Et quoniam Deus formauit hominem de limo terræ, quem diabolus deformauit de limo culpæ, Christus autem reformauit auro gratiæ. Ostensurus Apostolus, quod sicut imaginem diaboli habuerunt ab homine vel diabolo, ita imaginem Dei habent à Spiritu sancto, subiungit, dicens: Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Corinthij siquidem rationem spiritualium ignorantes per singula charismata hominibus magis quàm Deo gloriam dabant, non attendentes hæc dona à Spiritu sancto gratis ministrari absque vllis meritis. Dicit igitur Apostolus: Quia scitis quod malignus spiritus vos retractos à bono duxit ad cultum simulachrorum, & ad multitudinem peccatorum. Ideo notum vobis facio, quod per spiritum Dei abstinetis à malo, & facitis bonum. Et hoc est quod ait: Nemo loquens in Spiritu sancto, cogitando, scilicet, loquendo, & operando: dicit similiter tribus modis, corde, ore & opere, anathema Iesu, id est, aliquam separationem à Iesu, id est, quodlibet peccatũ mortale, per quod separetur à Iesu. Quod est dicere, per Spiritum sanctum abstinetur à malo. Et ita qui se abrumpit à Christi corpore, non habet hoc à Spiritu sancto. Sub hoc tropo loquendi dicitur in Iob: Qui dicunt Deo, recede à nobis, dicunt, scilicet, opere, quia venienti Domino ad aditum cordis, aperire recusant. Anathema etiam Iesu dicit, id est, separationem & blasphemiam, qui dicit eum esse minorem Deo vel non esse à Deo, quod dicunt hæretici à spiritu maligno. Sequitur: Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Hoc est quod Ioël ait: Et erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quidam autem tantùm ore dicunt Dominus Iesus. De quibus Ieremias: Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Quantuscunque ergo sit aliquis, non potest verè dicere cogitatione, verbo & opere, Iesus est Dominus, & ego sum seruus eius, nisi per Spiritum sanctum. Idcirco maior non despiciat minorem, quia nullum bonum habet homo à se. Per hoc ergo illos vehementer arguit, qui diuina beneficia hominibus attribuebant, & minores cõtemnebant, siue sint Doctores, siue Prophetæ, siue loquentes variis linguis, seu quascunq; gratias habeant, à Deo habent. Sine istis autem & cum illis potest esse salus. Vnde multi dicent in die illa: Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus, & hæc & illa fecimus? Quibus tamen dicetur: Nescio vos. Sequitur: Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus. Præmisso fonte gratiarum, ipsas gratias diuersas ostendit, quasi dicat: Licèt hoc sit commune omnibus, quod nemo potest vitare malum, vel facere bonum, nisi à Spiritu sancto, tamen diuisiones sunt gratiarum à Spiritu sancto, id est, diuersæ gratiæ. Non igitur minor desperet vel maior superbiat. Hîc autem appellat gratias diuersos gradus & ordines, qui in officiis Ecclesiasticis attenduntur. Idem autem est spiritus dator omnium, æquè quantum in se est benignus omnibus. Et diuisiones operationum sunt, idem autem Dominus. Sunt enim opera maiora & opera minora. Et diuisiones ministrationum sunt, quibus alij aliis subseruiant: idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Non enim vni omnia tribuit, sed in diuersis diuersa operatur, vt quod non habet vnus in se, habeat in alio. Et sic maneat charitas & humilitas dum minor non dolet de maiori bono alterius, sed gaudet: nec maior superbit contra minorem, sed seruit humiliter & ministrat. Vnde Gregorius ait: Hoc facit Deus in cordibus hominum, quod in regionibus terrarum. Non vni omnia tribuit, sed aliud alij. Nisi enim mutuis obsequiis indigerent, communionem ad inuicem non haberent. Quod igitur non habemus in nobis, habemus in aliis. Dum enim illa in aliis diligimus, nostra facimus. Propterea Apostolus in hodierna Epistola subiungit: Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ, id est, non ad meritũ hominis singulariter. Dantur gratiæ, sed ad vtilitatẽ Ecclesiæ. Nam qui in ea minor est, aliis prodest. Teste enim Augustino: Si humilis es, & amas vnitatem, vbi habet quisquis in illa aliquid aliud habet. Tolle inuidiam, & tuum est quod habes. Liuor separat, charitas iungit. Sicut in corpore oculus solus videt, sed nõ sibi soli. Propterea Apostolus ad Timoth. ait: Noli negligere gratiam, quæ in te est. Gratiam enim negligit, qui eam ad vtilitatem proximorũ non impendit, vel ea abutitur. Quemadmodum sapientia Salomonis est infatuata, & fortitudo Samsonis excæcata, & exterminata pulchritudo Absalonis. In libro autem Sapientiæ dicitur, quod omnia creauit Deus in pondere, numero & mensura. Pondus, vt ait Augustinus, est impetus animæ tendentis ad locum suum. Hominis locus est cœlum. Amittit ergo pondus suum, cùm desinit tendere ad cœlum. Vt autem pondus suum anima recuperaret, ignem venit Dominus mittere in terram cordis humani, qui animam sursum leuaret. Mensura autem in hoc attenditur, vt sicut vnusquisque gratiam accepit, ita illam administret, siue in naturalibus, siue in gratuitis, seu etiam in temporalibus. Et sicut gratis accepit, ita illam administret gratis & liberaliter illam ad vtilitatem proximorum impendat. Numerum etiam nostris cogitationibus, verbis & operibus apponere debemus. Quod fit specialiter per timorem, qui diligenter & sol-

*De triplici locutione.*

*Ierem. 12.*

*De diuisione gratiarum.*

*Quod vti debemus gratia nobis collata ad proximorũ vtilitatem.*

*1. Timoth. 4.*

*De pondere, numero & mensura, in quibus Deus omnia creauit*

& sollicitè omnia computat: sicut scriptum est: Qui timet Deum, nihil negligit. Amor igitur pondus apponit, iustitia mensuram, timor numerum. Qui enim modica numerat, vt in eo impleatur quod scriptum est: Capilli capitis vestri numerati sunt. Attendat igitur vnusquisque gratiam sibi collatam, & illam ad vtilitatem proximorum conuertat. Alias autem gratias, quas non habet in aliis diligat. Et ita locum suum teneat, quod locum alterius non vsurpet, sed dicat cum Propheta: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer. Quidam enim velut passeres, in tecto, quidam sicut nicticorax in domicilio, alij sicut pellicanus in solitudine seu in deserto, secundum diuisiones gratiarum. Tria siquidem loca tribus auibus deputantur. Desertum pellicano, domicilium siue parietinæ seu domus ruinosæ nicticoraci, tectum passeri. Per desertum signantur illi, qui fidem non receperunt. Per domicilium vel parietinam illi, qui eam receperunt, sed ab illa corruerunt. Per tectum illi, qui in ædificio fidei & charitatis persistunt. Est igitur aliquis, qui vtilis est in deserto, sicut pellicanus, vt eos, qui nondum fidem receperunt, Domino acquirat. Est alius, qui est sicut nicticorax, vtilis in parietinis, vt eos, qui in hæresim ceciderunt, ad fidem erigat. Est alius, qui nec sicut pellicanus in deserto, nec sicut nicticorax vtilis est in parietinis, sed sicut passer habitans in tecto, vt eos ad perseuerandum inuitet, qui in ædificio & religione fidei sunt fundati. Si igitur is, qui passer est, inuitetur vel vocetur ad desertum, vel ad domicilium, vt sit sicut pellicanus vel nicticorax, dicentibus ei, transmigra in montem, id est, in aliorem & eminentiorem vitam, & fructum prædicationis maiorem eos, qui sunt in solitudine vel in domicilio regendo, diligenter attendat gratiam sibi datam, & dicat: Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem, qui sum sicut passer, non sufficio, nec idoneus sum ad quærendum, non habita, nec ad recuperandum perdita, sed ad ea, quæ perstiterunt conseruanda. Si dicatur, sicut in Isaia legimus: Vestimentum tibi est, Princeps noster esto, ruina hæc sub manu tua respondeat: Non sum Medicus, in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi. Maneat igitur vnusquisque in vocatione in qua vocatus est, & non transferat se ad vtendum, imò potiùs ad abutendum gratia aliena per inconstantiam, neque alienum vsurpet officium. De his enim per Ieremiam Dominus ait: Disseminabo eos quasi stipulam, quæ à vento rapitur. Et per Ezechiëlem: Dispersi eos in Gentes, & ventilati sunt in terris. Qui igitur ad ardua non sufficiunt, si faciunt quod possunt, mercedem non amittunt. Vnde in libro primo Regum legitur, quod Dauid insecutus est Amalechitas, qui prædam duxerant de terra sua. Quibusdam autem remanentibus ad torrentem Besor, qui fatigati transire non valebant, ipse cum aliis transiuit, & Amalechitis deuictis, prædam reduxit. Illis autem, qui remanserant ad sarcinas, æqualem partem de præda diuisit. Amalech, id est, lingens sanguinem, est diabolus, qui sæpè de terra Dauid, id est, de Ecclesia prædam ducit. Dauid autem, id est, Christus, cum suis, persequitur illos vsque ad torrentem Besor, quod interpretatur tribulatio, & ibidem quibusdam remanentibus, nec impetum tribulationum transmeare valentibus, ipsi tamen sarcinas Ecclesiæ custodiunt. Fortioribus autem & transeuntibus, & reducentibus prædam æquam partem recipiunt, qui remanserunt, si æqualem habeant charitatem. Alioquin in aliis recipiunt, quod in se non habent, dum bona aliorum eis placent. Quidam autem dum supra vires proprias & gratiam sibi datam, alienum officium indiscretè vel præsumptuosè vsurpare volunt, subitò deficiunt, dum volentes turrim ædificare, sumptus non computauerunt. Quod signatum est in libro Regum per filium patrisfamilias, qui cùm debuisset in domo cum matre remansisse, & ipse exiuit ad messores in agrum, & Solis æstum non sustinens, expirauit. Qui igitur non habeant gratiam laborandi in agro Domini per prędicationem, non exeant, ne fortè æstu tribulationum per impatientiam deficiant & corruant. Quædam autem gratia conceditur vni, alij alia: vnde Apostolus in hodierna Epistola diuersitates gratiarum enumerans, subiungit: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ. Sapientia est in contemplatione æternorũ, scientia in actione temporaliũ. Vnde in Iob: Ecce pietas est sapientia, abstinere autẽ à malis scientia. Pietatẽ in hoc loco Dei cultum appellat, qui Græcè dicitur Θεοσοφία. Et quis est Dei cultus, nisi amor & cognitio eius? Scientia verò quam dixi esse abstinere à malis rerum, procul dubiò est temporaliũ, quia in temporalibus multa occurrunt mala, à quibus debemus cauere & prudenter in his cõuersari. Cui autem datur sapientia, quasi Sol est. Luna verò in nocte seculi, cui confertur scientia. Illi quibus cætera dantur, stellæ sunt, quia in hac nocte huius seculi necessaria sunt. Vnde Psal. Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatẽ noctis. In diuersis siquidem sanctis, diuersæ gratiæ claruerũt, tanquã stellæ in firmamento cœli. Vnde Gregorius: Ecce quàm fulgentes stellas in cœlo cernimus, vt inoffenso pede operis iter nostrę noctis ambulemus. Nam cognitionem hominum diuina dispensatio quot iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras in cœlo misit quousque verus Lucifer surgeret, qui æternum mane nobis nuncians stellis cæteris clarius radiaret. Sequitur: Alteri datur fides in eodem spiritu, id est, constantia & sermo fidei. Alij gratia sanitatum, id est, curandi infirmos. Alij operatio virtutum, id est, miraculorum, quę fiunt contra naturam. Alij prophetia, id est, prędicere futura. Alij distinctio spirituum, vt, scilicet, discernat, quod audit, quo spiritu bono aut malo dicatur: quia quandoque diabolus bona seductoriè dicit, & transfigurat

*Eclipsis videtur.*

*De diuersis auibus, & locis earum.*

*Gratia nostræ cõtenti simus, & aliorũ non vsurpemus gratiam.*

*De his qui supra vires aggrediuntur, quod perducere non valent ad effectum.*

*Iterum de diuersitate gratiarum.*

se in Angelum lucis. Alij genera linguarum, id est, loqui diuersis linguis. Alij interpretatio sermonum, id est, linguarum vel visionum, vt Ioseph & Daniëli, vel sermones appellat allegoricas interpretationes. Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vnus, scilicet, in substantia cum patre & filio, atque idem, id est, inuariabilis, diuidens singulis, non ipse diuisus, prout vult. Nam spiritus vbi vult spirat. Sicut igitur idem Sol quædam indurat sicut lutum, alia emollit sicut cæram, quædam albificat sicut pannos lineos, quædam nigra efficit sicut faciem hominis ad Solis radij adusti, ita idem spiritus diuersas gratias operatur in diuersis. Vnde in Ecclesiastico: Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet suauitatis. Pigmentarius est Spiritus sanctus, cuius dona sunt vnguenta salubriter sanando, & pigmenta delectabiliter reficiendo. De fonte igitur Spiritus sancti fluunt diuersa flumina gratiarum. Hic est Paradisus ille, de quo, vt dicitur in Genesi, quatuor flumina oriuntur. Quæ sunt Gehon, Phison, Tigris & Euphrates. Gehon hiatus terrę interpretatur, & circuit Æthiopiam, per quam diuina misericordia intelligitur. Ex qua fluunt aquæ veniæ & remissionis, quibus terrenitas in nobis absorbetur, & nigredo ac sordes peccatorum abluuntur. Hic fons patens domus Domini in ablutionem peccatoris & menstruatæ, id est, viris & mulieribus, rationis, scilicet, & sensualitatis: sicut Zacharias Propheta ait. Phison interpretatur oris mutatio. Hic est fluuius sapientiæ & discretionis, quæ secundum capacitatem auditorum, verba mutat. Aquæ autem sapientiæ sitim extinguunt & appetitum peccandi. Vnde in Ecclesiastico: Aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Hic fluuius circuit terram Heuilath, quæ interpretatur parturiens vel dolens. Hæc est anima pœnitentis, quæ dolet de peccatis, quia qui addit veram scientiam, addit & dolorem. In illa autem terra nascitur aurum optimum sapientiæ & discretionis, per quam homo cauet ne iteret culpam, vt non oporteat eum iterare pœnitentiam. Tigris interpretatur velox. Hic est fluuius gratiæ ex quo fluunt aquæ deuotionis, quæ reddunt nos deuotos & feruentes, vt velociter dæmones expugnemus, & ad brauium supernæ remunerationis curramus. Euphrates interpretatur frugifer seu fructificans. Hic est fluuius charitatis, ex quo fluunt aquæ æmulationis & zeli, vt fructificemus in nobis per bonam operationem, & in aliis per sanctam prædicationem & morum informationem. Hæ autem gratiæ vnicuique sunt necessariæ. Quædam autem charismata aliis sunt meliora & magis necessaria. Vnde Apostolus: Æmulamini charismata meliora. Et Propheta necessarias gratias & optima charismata postulans à Deo, ait: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Misereatur nostri, peccata remittendo: benedicat nobis, gratiam conferendo & bona spiritualia multiplicando. Illuminet vultum suum super nos, tollendo ignorantiam & illuminando mentem, quatenus bonis collatis sapienter vtamur. Et misereatur nostri, vitam æternam conferendo. Verbum autem miserendi geminatur, vt tollatur miseria culpæ & miseria pœnæ. De hac autem gratiarum diuisione seu diuersitate dicitur in Isaia: Dabo in solitudinem cedrum & spinam, & myrthum, & lignum oliuæ, abietem, vlmum, & buxum. Per cedrum boni odoris, quod lignum est imputribile, designatur prudentia. Clara est enim, & quæ nunquam marcescit sapientia. Per spinam quæ solida est & pungit, intelligitur fortitudo & tribulationum tolerantia. Per myrthum quæ temperatæ est naturæ, signatur virtus temperantiæ. Per lignum oliuæ, quæ amaritudinem habet in radice & suauitatem in fructu, iustitia quæ amara est in puniendo, sed in retribuendo suauis. Per abietem notatur fides. Metiante enim abiete sulcantur maria, & per virtutem fidei transitur mare seculi: sicut scriptum est: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Per vlmum, quæ arbor est patula, designatur spes, quæ cor dilatat. Per buxum, quæ virorem habet continuum, charitas, quæ nunquam excidit, designatur. De hac iterum gratiarum diuersitate dicit Zacharias: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis. Candelabrum aureum est sancta Ecclesia, igne probata, & percussionibus extensa & dilatata. Lampas autem illuminans Ecclesiam, est Christus, qui more vitri purus fuit, sine peccato, & fragilis, quia passibilis & mortalis. Septem lucernę, septem prędictę virtutes, quę designatę sunt per septem arbores, vel septem dona Spiritus sancti. Septem infusoria, Doctores Ecclesiæ spiritu septiformi illustrati, quorum prædicatione & exemplo oleum spirituale infunditur in cordibus auditorum. Oleum autem dicitur spiritus sancti gratia, vel ipse spiritus sanctus, qui infunditur, diffunditur & effunditur. Infunditur ad peccatorum remissionem. Diffunditur ad cordis dilatationem. Effunditur ad bonam operationem, & exempli ostensionem. De hac rursum gratiarum diuisione dicit Abacuc: Stetit & mensus est terram. Stetit in resurrectione. Mensus est terram, id est, corda terrena in spiritus sancti infusione, quando singulis mensuram charismatum diuisit vnicuique prout vult. Vnde Psalmus: Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Visitauit terram in incarnatione. Inebriauit aqua & sanguine in passione. Locupletauit multiplici dono gratiæ in spiritus sancti missione. Et per Sophoniam ait: In igne zeli mei deuorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis meis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Ignis zeli est ignis spiritus sancti, qui deuorat omnem terrenitatem. Labium electum redditur illis, qui corde, ore, & opere, inuocant

*Idem spiritus diuersa operatur.*

*Simile.*

*De quatuor fontibus Paradisi.*

*Zachar. 13.*

*Isa. 41. De diuersis arboribus.*

*De candelabro & lucernis eius.*

*Sopho. 3.*

inuocant Deum. Vno autem humero seruimus, si onera nostra ad inuicem portemus & concordiam fraternam habeamus. Viri enim sancti donis gratiarum sibi collatis vtuntur proficiendo in se, iuxta se, supra se, & sub se. In te est animus, iuxta te est proximus, supra te prælatus, sub te discipulus. In te proficis per bonam vitam. In proximo per doctrinam. In prælato per obedientiam. In subdito per correptionem. Et ita expulsis à nobis & destructis simulachris vitiorum reformatur in nobis imago virtutum, dum variis donis gratiarum, quas à spiritu sancto habemus, vtimur ad amorem Dei, ad profectum nostrum & vtilitatem proximorum. Præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Cùm appropinquasset Iesus Ierusalem: videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: quia si cognouisses & tu.* Luc. 19.

PRO eo quòd abiecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filiũ Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Assyriorum, Verba sunt Isaiæ, quibus terribiliter loquitur contra illos qui aquas Siloë, id est, doctrinam quæ diuinitus nobis est missa, abiiciunt & contemnunt. Siloë enim interpretatur missus. Hi enim licèt excæcati nolunt se lauare in natatoria Siloë vt videant, sed magis diligunt strepitum, & tumultum secularium negotiorũ, quam aquas Siloë quæ silentium tranquillitatis & pacis deuotis auditoribus afferunt. Rasin interpretatur pictura vel cursor, per quod superficialis & transitoria mundi vanitas designatur. Romelia interpretatur excelsus vel sublime tonitruum, per quod fastus seculi & tumultus superbiæ significatur. Qui igitur mundi vanitatem & fastum seculi magis diligunt quàm sanctæ doctrinæ silentium, Deum contra se prouocant, vt adducat super eos aquas fluminis fortes & multas, id est, pœnas infernales, quibus submersi fortiter torqueantur. Et Regem Assyriorum, id est, diabolum, qui eos torquear. Non igitur debemus abiicere verba sacræ scripturæ, sicut illi de quibus dicitur: Omnem escam abominata est anima eorum. Verbum Dei dicitur omnis esca, quia in illo est plena refectio, & omnium delectabilium saporum varietas in ipso reperitur. Auditis igitur rumoribus in diuinis eloquiis de vero Ioseph, qui primò dormiebat, excitari debet de graui somno more Iacob & dicere sicut Samuël: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. In corporali siquidem mensa vel quando numeratis pecuniam, non dormitis, multò fortius ad mensam verbi Dei dormire non debetis. Quidam autem ad verbum Dei euigilant, non vt deuotè audiant, sed vt murmurent & contradicant, & dum eorum vitia reprehenduntur, more equi vlceroſi recalcitrant, dum tanguntur, licèt nomen eorum non exprimatur. De quibus Hieronymus ait: Quando contra vitia sine nomine scribitur, qui irascitur, accusator est sui ipsius, & quod talis sit, confitetur. Rogate igitur Dominum fratres, vt de fonte Siloë vobis hodie aquas propinare dignetur ad ipsius honorem & animarum vestrarum irrigationem. Cùm appropinquasset Iesus, &c. Auersio paruulorũ interficiet eos, & prosperitas stultorũ perdet illos. Verba sunt Salomonis in Parabolis, quibus arguuntur illi qui tantùm transitoriam prosperitatem attendunt, & mala futura non aduertunt. De quibus Ieremias ait: Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur. Et Gregorius: Peruersa quippe anima rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, prouidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent. Dumq; in præsentis vitæ oblectatione se dederit, quid aliud quàm clausis oculis ad ignem vadit. Si qua igitur est præsentis vitę, ita est agenda lætitia, vt nunquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoria, iuxta illud: Beatus homo qui semper est pauidus. Qui verò mentis est duræ, corruet in malum. Cuiusmodi erat reproba gens Iudæorum, de qua in hodierno Euangelio dicitur: Cùm appropinquasset Iesus Hierusalem videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: quia si cognouisses & tu, id est, sicut ego fleo, ita & tu fleres, quæ modò exultas in vanis, si tu futuras calamitates attendisses. Teste enim Sophonia, nesciuit iniquus confusionem. Vnde subdit: Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi supple habes, illa, scilicet, quæ sunt ad pacem temporis & secularis prosperitatis. Nunc, id est, tempore lætitiæ abscondita sunt ab oculis tuis: non dico illa, sed infortunia quæ sequuntur, miseriæ, scilicet, superuenturæ, quarum illa sunt occasio vel causa, dum eis reprobi malè vtuntur, quasi dicat: Quia modò in transitoriis prosperitatibus gaudes, mala quæ post gaudium ventura sunt, non præuides. Si enim præuideres, in præsentibus prosperis, lætà non fuisses. De hac pace dicitur in Isaia: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amatores enim mundi in pace prosperitatis amaritudinem peccatorum, quæ amarissima est, sustinent, quam tamen voluptatem reputant. De Ecclesia etiam potest legi quæ in pace martyrio cessante amarissimam persecutionem à falsis fratribus sustinuit. Teste autem Gregorio, quòd Dominus secundum historiam semel fecit, hoc quotidie per electos suos in Ecclesia sua agit. Plangit reprobos, qui nesciunt cur planguntur, sed exultant in rebus pessimis. Qui si damnationem suam præuiderent, seipsos cum electorũ lachrymis plangerent, qui in peruersitate sua hùc habẽt

*Isaiæ 8. De his qui abiiciunt verbum Dei.*

*De his qui mala ventura non considerant.*

*De pace temporali. Isa. 38. Dominus reprobos per suos luget & plangit, qui quare plangantur non attendunt.*

diem ſuum,in qua & pacem habent exabundantia temporalium, & ſupplicia nunc abſcondun tur ab oculis eorum, quia refugiunt futura præuidere quæ temporalem lætitiam perturbent. Pacem igitur in die ſua habere dicuntur,qui rebus temporalibus lætantur,dum honoribus attolluntur, dum carnis voluptatibus reſoluuntur, dum facultatibus gloriantur: fœcunditate prolis lætantur, & multitudine filiorum,dum nulla venturæ pœnæ formidine terrentur. Econtra beatus Hieronymus de ſe ait: Siue comedo,ſiue bibo,ſiue quid aliud ago,videtur mihi ſem per illa tuba terribilis ſonare in auribus meis, ſurgite mortui, venite ad iudicium. Propterea Naum de Niniue,id eſt,de mundo ait: Omnis qui viderit te,reſiliet à te,dicens: Vaſtata eſt Niniue. Qui enim velocem mundi tranſitum conſiderat,reſiliet mente ab eius amore, dicens in corde ſuo: Vaſtatus eſt mundus. Iam enim tanquam vaſtatum reputat, dum ſingulis diebus vaſtari non ceſſat,ſicut ſcriptum eſt: Præterit figura huius mundi. De his autem qui non attendunt futura,ſed ſola præſentia,Ezechiel ait: Naſum tuum & aures tuas præcident, & qui remanſerunt,gladio concident. Hieronymus: Naſus præciditur & aures amputantur, quia odorem bonæ fragrantiæ in fœtorem mutant,& iudicium ſanguinis audierant. Naſo autem remota odoramus. Naſum igitur præciſum habet qui non odorat,neque præſentit fœtores infernales. Sed ſicut in Ezechiele dicitur,ramum naribus applicat & virore temporalium delectabatur. Aures præciſas habent,qui verbum veritatis non audiunt. Et qui remanſerunt,gladio concident,id eſt,alios ſenſus animæ auferent. Si igitur reprobi mala ventura cognoſcerent,ſi æterna ſupplicia ante oculos reuoluerent,non ſe falſa ſecuritate deciperent. Proſperitas autem tranſeuntis vitæ non ſinit videre mala pœnæ æternæ, quia amor ſeculi excæcat oculos mentis. Illis igitur lætantibus & inaniter exultantibus,flet Dominus,miſcentur triſtitia lætis. Hoc modo Loth prædicens ſubuerſionem Sodomorum,videbatur quaſi ludens loqui. Et Noë fabricans arcam & futurum diluuium prædicens,quaſi delirus reputabatur. Vnde Euſebius: Væ qui hæc lugenda in poſterum ridenda nunc deputant, vt quibus hæc experienda ſunt quàm credenda. Fleuit compatiendo ægrotis & exemplo ſuo ad lugendum prouocans. Non enim ridere debet infirmus,quando ſuper ipſum flet medicus. Vnde in Threnis Ieremias ait: Deduc quaſi torrentem lachrymas,non taceat pupilla oculi tui. Deducendæ enim & diuidendæ ſunt lachrymæ ſecundum diuiſiones & diuerſitatem peccatorum. Quæ lachrymæ torrenti comparantur,quę ex glacie & niuibus temporaliter fluit. Ita reſoluta frigidi cordis duritia,fluunt lachrymæ contritionis. Si igitur non tacet pupilla oculi interioris, ſed clamat & loquitur Domino,interdum lachrymæ pondera vocis habent. Luctus autem ſanctorum in quatuor diuiditur. Primus luctus quia ceciderunt de Paradiſo. Secundus quia tenentur in exilio, tertius quia differũtur à regno.

*De his qui ridẽt aliis lugentibus cùm plorare deberent.*

*De quadruplici luctu ſanctorum.*

*Verſus.*

*Longa mors eſt nobis omnis quæ gaudia differt.*

Quartus aliorũ peccatis & miſeriis compatiẽdo. Vnde Iere. Venter meus ad Moab,quaſi cithara ſonabit, & intima mea ad murũ cocti lateris. Debemus enim dolere & lugere Moab,id eſt, peccatores patrem ſuum diabolum imitantes. Debemus etiam lugere murũ cocti lateris,id eſt, fragilitatẽ humani generis. Vnde Ezechiel de ruina Tyri,id eſt, mũdi huius ait: Deſcẽdent de nauibus ſuis omnes qui tenebant remum, & vniuerſi gubernatores tui in terra ſtabunt & vlulabunt ſuper te voce magna,& clamabũt amarè,& ſuperiaciẽt puluerẽ capitibus tuis. Cinere aſpergentur,& radẽt ſuper te caluitiũ & accingẽtur ciliciis,& plorabũt te in amaritudine animæ & ploratu amariſſimo. Nautæ & tenentes remũ ſunt prælati Eccleſiarum,qui per cõpaſſionem condeſcendunt afflictis & peccatoribus,& ſeipſos humiliant, & ad terrenos ſe inclinãt. Vlulatus autẽ intenſum eorum dolorẽ deſignat,& clamor intẽſum deſideriũ. Cinere autẽ cõſpergi dicuntur,originẽ ſuã recolendo,& ipſi fragiles fragilibus cõpatiuntur. Caluitium autẽ radunt dum ſe nihil fortitudinis habere putãt. Et accingũtur ciliciis,id eſt,punctionibus cõpaſſionis.

*Ezech. 27.*

*De fletu Domini.*

In amaritudine autem plorantes & pereuntibus compatientes: exemplo Domini qui videns ſanguinariam & excæcatam illã ciuitatem fleuit ſuper eam. Dum fleuit,naturam humanitatis oſtendit. Dum poſtmodum vendentes & emẽtes de templo eiecit, & ait: Domus mea domus orationis vocabitur, virtutem diuinitatis in ſe manifeſtauit: Fleuit autem non pulchritudinem domorum,nõ altitudinem turrium,nõ ędificia murorum,ſed deſtructionẽ hominum & perditionem animarum,quã per vaſtationem ciuitatis intellexit. Legitur autẽ Dominus ter fleuiſſe. Fleuit in ſuſcitatione lazari miſeriam noſtram. Fleuit ſuper ciuitatem noſtram ignorantiam,dicens: ſi cognouiſſes & tu. Fleuit in cruce culpam noſtram & reproborum damnationem. Poſtquam enim diabolus tunicam primi parentis ſanguine peccatorum cruentauit,ipſe genus humanum fleuit,dicens: Fera peſſima deuorauit filium meum'Ioſeph. Deſcendã lugens ad filium meũ in infernum. Cum lachrymis enim ſpiritum emittens in infernum deſcendit. Sicut autem Dauid planxit amicum,id eſt, Ionatham: planxit inimicum, id eſt, Saul: planxit filium,id eſt,Abſalon,ſecundum legem ſcripturæ amicum,ſecundum legem gratiæ inimicum,ſecundum legẽ naturæ filium. Ita Chriſtus planxit amicum,id eſt,Lazarũ: plangit inimicos quando videns Hieruſalem fleuit ſuper illam. Planxit filium in cruce, id eſt, genus humanum,eò quòd Ioab,id eſt,diabolus tribus lanceis confixiſſet eum ſuperbia,ſcilicet, luxuria & auaritia. Ac ſi diceret Chriſtus: Quis mihi det vt moriar pro te fili mi, id eſt, vt mors mea tibi valeat prodeſſe. Plangit etiam Dominus reprobos ex compaſſione, quos tamen punit iuſtitia exigente. Vnde per Iſaiam ait: Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de ini-

de inimicis meis, quasi dicat: Doleo quod tales sunt vt me oporteat eos punire. Hoc modo & prælati dolere debent, quando aliquos excommunicant. Et potentes huius seculi, quando in maleficos iustitiam exercent. Quod autem ait: consolabor super hostibus meis, sic potest intelligi, vt hi qui in prosperitate beneficia Dei non cognoscunt, suppliciis & afflictionibus correpti agnoscant. Et tamen dicit: Heu, quia non delectatur pœnis nostris. Exemplo igitur Domini lugere debemus & compati peccatoribus, & eisdem mala futura intimare. Et hoc est quod Ioël ait: Clamate ad Dominum, A, a, a diei: quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet. Sicut enim tripliciter Deum offendimus, corde, scilicet, ore & opere, ita triplicitér plangere debemus. Huic autem triplici, A respondet triplex væ, de quo dicitur in Apocalypsi: Væ, væ, væ, habitantibus in terra. Dicitur autem diei, id est, planctus diei retributionis, quia propè est dies Domini, id est, dies iudicij. Et quasi vastitas à potente veniet, quia cognoscetur Dominus iudicia faciens, qui non est cognitus iniuriam patiens. Cur autem Dominus super ciuitatem fleuerit, subiungit, dicens: Quia venient dies in te, &c. & circundabunt te inimici tui vallo, & coãgustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd nõ cognoueris tempus visitationis tuæ, id est, aduentum filij Dei in carne. Venit enim Christus tanquam medicus visitare infirmum, qui versus in phreneſim, proprium occidit medicum. Ad literam de destructione illa quæ facta est per Romanos, hæc prædicta intelliguntur. Ipsi enim diebus vltionis aduenienti. bus vallo, id est, obsidione circundederunt ciuitatem, & adeo angustiauerunt, quod præ famis angustia vnius vomitus alterius esset cibus. Et mulier quædam filia Eleazari filium suum occideret, coqueret & comederet. Post ascensionem siquidem Domini, & necem Iacobi, qui iustus est appellatus, Iudæorum populo in malitia perseuerante, suscitauit aduersus eos Dominus duos Romanorum Principes, Vespasianum & Titum, patrem, scilicet, & filium, vt qui patrem & filium negauerant, à patre & filio necarentur. Cumque Iudæorum regionem Romanus vastaret exercitus, imminente solemnitate paschali, cucurrit omnis populus in ciuitatem iusto Dei iudicio exigente, vt qui solemnitate paschali Christum occiderunt, in eadem solemnitate obsidionibus circundarentur. Et tanta famis angustia oppressi sunt, quod teste Iosepho mulieres de virorum manibus & filij de parentum, & quod infelicius est matres à faucibus filiorum suorum cibos abstrahebant. Tandem autem ingressus Titus ciuitatem cum Romanorum exercitu alios gladio trucidauit, alios igni combussit, iuuenes quoque in captiuitatem destinauit. Quod Dominus per Ezechielem prædixerat in hunc modum: Filij hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbã tuam, & assumes tibi stateram ponderis & diuides eos, tertiam partem igne combures in medio ciuitatis, tertiam partem concides gladio in circuitu eius, aliam verò tertiam in ventum disperges. Rasio pilorum significat denudationem populi à robore & auxilio dei. De hac etiam destructione prophetauit Daniël, dicens: Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Quod spiritualiter intelligendum est de populo Romano & duce eius Helio, qui ciuitatem ad terram prostrauit, & eam arabilem fecit, & translata ciuitate vsque ad caluariæ locum, ipsam nomine suo Heliam appellauit. Non remansit igitur lapis super lapidem, nam illa priore penitus euersa, Helius aliam construxit extra portam vbi Christus crucifixus fuit. Multa autem signa & portenta ante destructionem vrbis Dominus ostendit, vt eos ad pœnitentiã prouocaret. Nam vt ait Iosephus cum quandã festiuitatem celebrarent, subitò commotione facta in populo triginta milia ex eis se mutuo interfecerunt. Nocte verò quadam sera templi Domini, quæ vix à viginti viris moueri poterat, spontè reserata est. Die quadam vitula sacrificiis amota enixa est agnum. In die Pentecostes sacerdotibus sacrificia offerentibus auditæ sunt voces in templo: Transeamus ab his sedibus. Duobus autem annis ante obsidionem, cùm ad celebrandum quandam festiuitatem Hierosolymis conuenissent quidam Ananiæ filius nomine Iesus, repletus spiritu sancto clamare cœpit: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis cœli, vox supra Hierusalem & templum, vox super sponsos & sponsas. Cumque verberibus hunc compescere vellent, magis ac magis clamabat. Et cùm inter manus flagellantium spiritum exhalaret, ait, Væ, væ, Hierosolyma. Stella quoq; gladio omnino similis per annum integrum super Hierusalem pependit, interitum ciuitatis indicans. Et currus ignei, & equi ignei visi sunt per aëra ferri. Multaque alia signa misericors Deus ostendit, vt corda eorum ad pœnitentiam emolliret. Ipsi autem non solùm Romanis, sed adeo inter se rebelles fuerunt, quod principes obtinebant arcem ciuitatis, & populus qui in ciuitate erat, de die pugnans contra Romanos, de nocte contra principes qui in arce erant, pugnabat, quemadmodum prædixerat Isaias: Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Et Ezechiel: Lex peribit à sacerdote & consilium à senioribus. Et quia tot signis visis impœnitentes fuerunt, nec eis vexatio dedit intellectum, missis exercitibus perdidit Dominus homicidas illos, & eorum ciuitatem succendit, & duo vrsi, Titus, scilicet, & Vespasianus, de silua gentilitatis egressi, vastauerunt illos, qui nostrum Eliseum pueriliter irriserunt & illuserunt ei in monte caluariæ. Vnde post annos quadraginta duos, vt Iosephus narrat, vndecies centena milia in obsidione ciuitatis mortui sunt, centumq; milia virorum in captiuitatem dispersi sunt,

*Exemplo Domini debemus lugere. Ioël.1.*

*Quare fleuit Dominus.*

*De destructione ciuitatis ad literam.*

*Ezech. 5. Iosa.*

*De signis & portentis ante destructionem ciuitatis.*

*Ezech.7. De causa destructionis ciuitatis.*

*Mich.5.* sunt, sicut scriptum est: Dispersde eos in virtute tua, & depone eos protector noster Domine. Et Michæas: Nunc vastaberis filia latronis. Illa enim sanguinaria ciuitas quæ occidit Prophetas, fuit filia diaboli per imitationem, & maximè quia occidit Dominum Prophetarum. Vnde subdit Michæas: Obsidionem posuerat super nos, in virga percutiet maxillam iudicis Israël, quasi dicat: propter hoc fuit obsessa. Vel obsidionem posuerunt super nos, dicunt pater & filius, & spiritus sanctus. Impugnando enim Christum, impugnauerunt totam trinitatem. In virga, scilicet, in potestate sibi tradita percusserunt milites missi à Pilato, maxillam Iudicis Israël, id est, Christi, vel etiam ipsi Iudæi, dicentes: Sic respondes pontifici? Vnde Isaias:

*Isa.3.* Ruit Hierusalem & Iudas cecidit, quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra Deum.

*Isa.30.* Multa enim falsa Christo imponebant. Et iterum ait: Ignis hostes tuos deuoret. Ignis, scilicet,

*Prædicta omnia spiritualiter intelliguntur de Ecclesia & anima.* peccati in præsenti, & ignis gehennæ in futuro. Omnia autem prædicta de Ecclesia, quantum ad illos qui labuntur, vel de anima mysticè intelliguntur, quam egredientem de corpore inimici, quasi vallo circundant, & vndique coangustant, ipsam accusando & enumerando omnia mala quæ fecit, vt ipsos habeat exactorès in pœna, quos habuit persuasores in culpa. Tunc autem ad terram prosternitur, quando à terreno corpore soluta ad pœnam deducitur. Vnde Gregorius: Venient dies quando animas exeuntes à corpore dæmones inimici circundabunt vallo, trahentes eas ad societatem suæ damnationis. Et vndique circundabunt & coangustabunt, quando non solum operis, sed cogitationis & locutionis, iniquitates ante oculos eorum replicabunt, & ad terram prosternent, cùm caro in puluerem redigetur. Vel vsque ad terram detrahent, vt qui conculcaueruntanimam in culpa, conculcent in pœna. Vnde Isaias: Dixerunt animæ tuæ incuruare vt transeamus. Et iterum: Posuisti vt terram corpus tuum, viam transeuntibus. Et Ieremias ait: Confusa est mater vestra nimis, & adæquata est pulueri quæ genuit vos. Ad literam patet de ciuitate. Moraliter autem in malis filiis confundetur mater Ecclesia, & ita puluери adæquatur, quod iam lapides non habeat, quos in ædificio ponat, sed puluerem, quem proiicit ventus à facie terræ. Quod autem ait Euangelista: & filios tuos qui in te sunt, mysticè de cogitationibus reproborum intelligitur, sicut scriptum est: In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ cogitationes etiam per lapides intelligi possunt, vbi dicitur: Non relinquetur lapis super lapidem. Anima enim cum peruersæ cogitationi peruersiorem adiicit, quasi lapidem super lapidem sternit. Quæ cum ad vltionem & pœnam capitur, talis cogitationum constructio dissipatur. Vel lapis super lapidem non relinquetur, quia non solùm de malis operibus, sed de verbis malis & peruersis cogitationibus ratio exigetur, eò quòd lapidibus cogitationis obstinatæ & locutionis prauæ, superaddit lapidem operationis peruersæ. Lapis autem super lapidem non relinquetur, dum soliditate virtutum anima priuatur. Et hoc ideo, quia non cogitat tempus visitationis suæ. Peruersam enim animam visitat Deus, aliquando præcepto, aliquando flagello, aliquando miraculo. Sed quia superbiens tempus agendæ pœnitentiæ contemnit, nec de malis suis erubescit, ad vltimum inimicis captiuantibus tradetur, cum quibus damnationis societate colligabitur. Tempus enim visitationis suæ infelix anima non cognoscit, quando cum prosperis admonetur in humilitatem, vel dum aduersis visitatur, patientiam non custodit, dum promissionibus spem, vel comminationibus non exhibet timorem. Et idcirco lapis super lapidem non relinquetur, dum in corpore & in anima destruitur. Vnde in Apocalypsi dicitur: Cecidit, cecidit Babylon. Hic notatur duplex ruina, quia punientur reprobi in corpore, & in anima. Et Isaias: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia eius contrita sunt, quasi dicat: Cecidit in culpa, & pòst cecidit in pœna, vel cecidit in anima, postmodùm in corpore ruitura. Reprobi enim teste Iuda Apostolo, sunt arbores autumnales & infructuosæ bis mortuæ, quia mortui sunt in culpa & in pœna. Et in Apocal. Sustulit Angelus lapidem molarem & proiecit in mare, & dixit: Hoc impetu mittetur Babylon magna ciuitas, & vltra iam non inuenietur, quasi dicat: Citò cadet, & cum magno pondere. Sequitur: Et ingressus in templum cœpit eiicere vendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. Quia Dominus nec indignis verba prædicationis subtrahit, sed post rigorem disciplinæ in eiectis, in gratia docendi perseuerat. Ingressus autem Dominus vrbem, primò templum adiit, dans formam religionis, vt ad quemcunque locum deuenimus, primum domum orationis, si ibi est, adeamus. Templum autem ingressus & vendentes atque ementes eiiciens, innuit quod ruina populi maximè ex sacerdotum culpa & auaritia fuit, qui ad hoc in templo residebant, vt eos qui munera dabant variis fauoribus extollerent, & qui dare nolebant, variis modis affligerent. Filiis etiam Israël de longe venientibus persuadebant, ne secum hostias deferrent, vt ab illis carius emerent animalia, quæ offerrent. Vnde ea quæ oblata erant, aliis atque aliis pluries vendebant, nec ea statim sacrificabant iuxta ritum legis. Sicut hodie aliqui sacerdotes easdem candelas pluries vendunt, & vt omnem occasionem non habentibus auferrent, nummularios in templo præparatos habebant, vt emptoribus non deessent pretia. Boues etiam & oues, & columbas in templo vendere sinebant, vt non deesset victima. Et licèt apertas nõ reciperent vsuras, eò quòd scriptum sit: Non fœnerabis fratri tuo, recipiebant tamen colibia, id est, munera furtiua. Alius Euangelista dicit, quod fecit flagellum de funiculis, quibus innuere voluit, quod reprobi qui funiculis peccatorum peccata peccatis addendo astringuntur in præ-

*De lapide super lapidem.*

*De his qui Dei cogitationes non attendunt.*

*Isaiæ 21.*

*Apoc.18.*

*De ingressu Domini in templum.*

*De eiectione vendentium & ementium in templo.*

in præsenti, ligatis pedibus & manibus in futuro proiicientur in ignem æternum. Ardore igitur spiritus succensus, & zelo domus Dei concitatus vendentes oues & boues, & columbas eiecit & mensas nummulariorum euertit, nec audebant illi licèt inermi resistere, quia videbant vt asserunt sancti expositores, diuinum quoddam in facie eius radiare. Sicut hodie multi, licèt peccatores in præsentia sanctorum eorum facie inspecta timent & erubescunt. In hoc autem futuri iudicij figuram ostendit, quod omnes reprobos ab Ecclesia & consortio sanctorum repellet, & ne vltra ad illam conturbandam intrent, æterno verbere compescet. Mysticè autem boues vendunt, qui opera fortia exercent, & verbū Dei prædicant pro quęstu temporali. Oues autem vendunt, qui simplicitatis opera pro laude humana ostendunt. Columbas verò, id est, spiritus sancti gratiam honores & gradus Ecclesiasticos vendunt Simoniaci. Nummos autem in Ecclesia mutuò dant qui non simulatè cœlestibus, sed apertè terrenis inhiant. Hi omnes in sorte sanctorum non habent portionem, qui vel fictè bona, vel apertè operantur mala. Ex hoc autem quod Dominus ait: Domus mea, domus orationis vocabitur, quasi dicat: non domus negotiationis: videtur quod in Ecclesiis Dei, neque in aliis locis Deo consecratis liceat vendere candelas vel alias merces etiam Deo offerendas, nec pueros docere, nec causas tractari, nec aliud officium, nisi purè Ecclesiasticum exerceri. Maximè, quia negotiationibus huiusmodi mendacia & fraudes sunt adiuncta. Vnde Psalmus: Quia non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini. Multò magis commessationes, potationes, vel risus, lites, vaniloquia in Ecclesia fieri prohibentur. Vnde Augustinus: Nemo in oratorio aliquid agat nisi ad quod factum est, vnde & nomen habet quod soli orationi dedicatur. Mysticè autem domus Dei est mens hominum, quæ quandoque fit spelunca latronum, quandoque domus negotiationis, ali quando prostibilum meretricum. Spelunca latronum efficitur, quando per inuidiam & detractionem fama sua proximum spoliare nititur, & generaliter quotiescunque illud nititur agere, vnde proximum innocentem valeat lædere. Non solùm autem latrones, sed homicidæ dicuntur, qui tenentes locum religionis & regiminis ibi per malitiam occidunt, vbi per orationem viuificare debuerunt. Domum autem Dei domum negotiationis facimus, dum pro his quæ agimus, humani fauoris forum frequentamus. Domus etiam Dei prostibulum meretricum efficitur, quando in thalamo cordis erigitur, lupanar libidinosæ cogitationis. Et quoniam scriptum est: Templum Dei sanctum est quod estis vos, quicunque templum Dei violauerit, destruet illum Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria, &c.

*Mysticè de his qui boues & oues in Ecclesia vendūt.*

*Quod domus Dei, domus est orationis.*

*De spelunca latronum & domo negotiationis.*

## DOMINICA VNDECIMA THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE.

*Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.* Psal. 67.

COELVM mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum. Verba sunt Domini per Isaiam ostendentis, vbi habitat, & quis est locus eius. Cœlum enim, id est, anima iusti celata virtutibus & variis stellis gratiarum exornata & celans in se secreta Dei, est locus sanctus in quo habitat Deus. Vnde dicitur quasi casa Helios, id est, domus solis illius, scilicet, Solis, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Terra autem est scabellum pedum eius, id est, Apostolorum, qui sub pedibus omnia terrena conculcauerunt. Qui etiam terrenos, id est, amantes terrena sub pedibus in iudicio conculcabunt. Vnde Malachias: Calcabitis impios cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum. Potest etiam hoc modo intelligi quod Domino sedente & quiescente in cœlo, id est, in anima iusti velut paterfamilias in propria domo ipse disponit & ordinat omnem familiam membrorum. Vnde terræ, id est membris seu corporibus sanctorum, qui sunt quasi scabellum pedum Domini imprimuntur vestigia conuersationis Christi, quam ostendit in humanitate. Per pedes enim Christi inferior eius natura, id est, humanitas designatur. De hac autem sede Dei, id est, de loco sancto suo in quo habitat, dicit Ezechiel: Assumpsit me spiritus, & audiui vocem commotionis magnæ. Benedicta gloria Domini de loco suo. Sicut autem anima per peccatum efficitur locus diaboli, iuxta illud: Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, id est, propter iniquitatem vidi animam factam tentorium Æthiopum siue dæmonum, ita per commotionem pœnitentiæ efficitur anima locus Dei & habitaculum ipsius. Et ita de loco sancto suo, id est, de anima à Deo visitata benedicitur & glorificatur Deus. Prædicatoris autem mentem spiritus assumit, dum à terrenis eleuatam & spiritualibus intentam sursum trahit. Teste autem Gregorio: Prophetiam vox comminationis magnæ sequitur, quia post vocem prædicationis pœnitentium luctus auditur, qui antè, quasi taciti in peccatis suis iacebant securi. Patet igitur, quod in his qui ad pœnitentiam commouentur, & Domino reconciliantur, habitat Deus & sanctificat tabernaculum suum altissimus. De quo tabernaculo in officio hodierno dicitur: Deus in loco sancto suo. Ipse enim qui est super omnia non elatus, infra omnia non depressus, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, spiritualiter est in anima iusti per gratiam & sanctitatem, sicut scriptum est: Ad eum veniemus & mansionem apud eum fa-

*De locis in quibus habitat Deus.*

*Deus qui vbique est spetialiter est in anima iusti.*

eum faciemus. Deliciæ enim eius sunt, esse cum filiis hominum. Quomodo autem sanctificatur anima, vt fiat Dei habitaculum ostendit Isaias, dicens: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur, si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Quod fit in baptismo & in pœnitentia, in spiritu iudicij, id est, discretionis. Sic enim fidelis ab infidelibus discernitur, & spiritu ardoris, id est, igne charitatis. Vel in spiritu iudicij quod incipit à domo Dei. Et spiritu ardoris, id est, tribulationis, quibus purgantur electi. Hoc igitur modo sanctus vocabitur omnis qui relictus fuerit, id est, à numero infidelium segregatus & residuus in Hierusalem, id est, in Ecclesia Dei, quæ dicitur reliquiæ, quia pauci sunt respectu reproborum. Aufert igitur Dominus omnia scandala de regno suo, id est, omnia peccata ab anima, vt regnet in ea. Quã miseri qui Christũ de loco suo eiiciunt, & domum eius igne malitiæ succendunt, sicut scriptum est: Incenderunt igne sanctuarium tuum. Vel luto luxuriæ polluunt, sicut scriptum est: Polluerunt tabernaculum nominis tui. Vel curiositate auaritiæ dies festos quiescere faciunt, & sabbatum mentis non custodiunt, sicut scriptum est: Dixerunt cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra, vt, scilicet, cessaret solemnitas virtutum, & quies mentis perturbetur, sicut per Ezechielem Dominus ait: Sanctuaria mea spreuistis, & sabbata mea polluistis. In his ergo Christus non habitat, sicut scriptum est: Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis? Non enim Domino adhærent iniqui, nec Deus illis. Deus in loco sancto suo, id est, in Ecclesia militante, sicut scriptum est: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Et in Apoc. dicitur: Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus & habitabit in eis: Tabernacula enim militantiũ sunt. Vnde per tabernaculum præsens Ecclesia designatur. Ad cuius compositionem, sicut in Exodo dicitur: quidam obtulerunt aurum, id est, fulgorem sapientiæ. Alij argentum, id est, nitorem eloquentiæ. Alij æs, id est, prædicationem longè lateq; sonantem vel oris confessionẽ. Alij Hyacinthum, id est, cœlestem conuersationem. Alij purpuram, qua reges vti solent, & signat iustitiæ vigorem & regalis regiminis moderamen, vel corporis passionem. Alij coccum bis tinctum, qui flammam imitatur, & signat charitatis ardorem, quia anima quasi bis intingitur, dum per dilectionem Dei & proximi coloratur. Alij byssum, id est, castitatis candorem. Alij pilos caprarum, id est, pœnitentiæ asperitatem. Alij ligna Cethim, quæ sunt incorruptibilia, id est, in tribulatione constantiam & fortitudinem. Alij oleum oliuarum, id est, opera misericordiæ & proximorum compassionem. Alij aromata & thymiamata, id est, bonæ famæ redolentiam. Alij vnguenta, id est, pinguedinem deuotionis & suauitatem mentis. Alij lapides onychinos, id est, finalem perseuerantiam. Onyx enim græcè, vngula latinè, quia humano vngui assimilatur. Et gemmas, id est, operum puritatem & miraculorum coruscationem. Per cortinas etiam tabernaculi virgines intelligun tur. Per bysi candorem, in quibus varietas picturarum, varietatem designat virtutum. Per pelles rubricatas sancti martyres. Per pelles hyacinthinas sancti confessores & maximè contemplatiui, quorum conuersatio in cœlis est. Per saga cilicina sancti doctores, quorum industria & labore protegitur & defenditur Ecclesia. Qui quanto attentius tentationũ violentias sustinent & repellunt, tãtò subditis Domino seruiendi libertatem tribuunt. Et quasi intus cortinis fulgorem præstant, dum quasi saga foris tempestates tolerant. Sed & quilibet nostrum tabernaculum animæ suę cooperire debet cortinis, sagis cilicinis, pellibus rubricatis & pellibus Hyacinthinis. In cortinis conscientiæ puritas, in sagis cilicinis disciplinæ asperitas, in pellibus rubricatis patientia tribulationũ, in pellibus Hyacinthinis desiderium cœlestium præmiorũ. Deus in loco sancto suo, id est, in Ecclesia triumphante, in qua sedet & requiescit Deus. Vnde in Apocalypsi: Sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Hæc sedes quandoque dicitur Thronus Dei. Iuxta illud: In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum. Hæc est Ecclesia triumphans, in qua sedet Deus, & per illam iudicia sua disponit. Quandoque dicitur tabernaculum, sicut scriptum est: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. Hoc autem tabernaculum fixum est & immobile. Vnde in Numero: Quam pulchra tabernacula tua Iacob, vt tabernacula quæ fixit Deus. In cuius rei significationem præceptum est filiis Israël, vt celebrarent festum scenophegiæ, id est, fixionis tabernaculorum. Propterea per Isaiam Dominus ait: Sedebit populus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. In hoc seculo non est pulchritudo pacis, quia multis persecutionibus pax nostra turbatur, & puluere inutilium cogitationum pax pectoris frequenter obscuratur. Similiter non est hîc requies opulenta, sed valdè exilis & tenuis, quia parum durat, & frequenter interrumpitur. Tabernacula verò æterna dicuntur fiduciæ, quia inæternum non commouebuntur. Vnde Isaias: Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nunquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur. In hoc autem seculo frequenter rumpimus funiculos præceptorum Dei, & claui patientiæ turbine & tempestate persecutionum frequenter auelluntur. In Ecclesia autem triumphante in ciuitate illa opulenta, & bonis operibus referta, nulla est perturbatio, vel hostium impugnatio. Vnde Isaias subdit: Locus fluuiorum riui latissimi & patentes, quia, scilicet, fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Non intrauit per eum nauis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. Nauis remigum, id est, dominatio dæmonum. Trieris enim nauis est, tres ordines remorum

*Isa. 14.*

*De his qui à loco suo Christum eiiciunt.*

*De tabernaculo Dei & eius ædificatione.*

*De his qui offerunt ad opus tabernaculi.*

*De operimento tabernaculi.*

*De operimento animarum nostrarum.*

*De loco & sede Dei & Ecclesia triumphante.*

*Isa. 33.*

*Isa. 33.*

remorum habens. Hæc est diabolica potestas magna, id est, superbia, per quam tres mundi partes Asiam, Africam & Europam suo ex magna parte subiugat imperio. Vel trieris dicitur propter tria genera peccatorum, quia per superbiam, auaritiam, & luxuriam in reprobis dominatur. In cœlesti autem tabernaculo hæc trieris non habet locum. Vnde Isaias: Et erit vir, sicut qui absconditur à vento contra superbiam, & sicut riui aquarum in siti contra auaritiam. Sicut vmbra petræ prominentis in æstu contra luxuriam. Et iterum Isaias: Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. In vmbraculum diei ab æstu contra auaritiam. In securitatem & absconsionem à turbine contra superbiam & iram, & à pluuia contra luxuriam. Deus in loco sancto suo, id est, in beata virgine, de qua scriptum est: In sole posuit tabernaculum suum, id est, in beata virgine charitate feruida, sapientia splendida, perfectione rotunda, & quæ omnes excedit rationales creaturas, sicut Sol materialis omnes irrationales. Sicut igitur ros in vellere & ignis in rubo, sic Christus in virginis vtero. Vel solis radius intrat innoxius fenestram vitream, sic Dei filius, imo subtilius aulam virgineam. Ipsa enim fuit cella aromatum ad sanationem & restaurationem infirmorum, sicut scriptum est: Exulta & lauda habitatio Sion, id est, beata virgo, quia magnus in medio tui sanctus Israël, id est, Christus quasi frumentum in vtero virginali repositum, ne Ægyptus fame periret. Fuit igitur beata virgo specialis locus Dei hominis, sicut Ezechiel ait: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Hæc porta est beata virgo, quæ clausa fuit, quia virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Vir non pertransiuit per eam, quia virilis consortij ignara. Princeps, id est, Christus sedet in ea, quia requieuit in Maria, vt comederet panem. Cibus enim eius fuit humani generis salus, sicut scriptum est: Meus cibus est, vt faciã voluntatem patris mei qui misit me. Et in Canticis dicitur: Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. In accubitu suo fuit, dum non solùm in mente virginis per gratiam, sed etiam in ventre per humanam naturam requieuit. Nardus autem virginis, id est, humilitas & feruor ipsius dedit odorem, quia diuulgata est postmodum, & aliis proponitur in exemplum per vniuersum orbem. Nardus siquidem herba est humilis & calida. Deus in loco sancto suo, id est, Christus in patre. Ipse enim est fons egrediens de loco voluptatis, sicut in Genesi dicitur. Et Michæas ait: Egredietur Dominus de loco sancto suo, id est, de patre visibiliter apparens mundo. Et per Osee Christus ait: Vadens ad locum meum non reuertar donec defitiatis & quæratis faciem meã. Deus in loco sancto suo, id est, in Christo tanquã in templo prius sibi dicato, in quo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter. De hoc templo dicitur in Ezechiele: Fili hominis ostende filiis Israël templum vt confundantur ab iniquitatibus suis, id est, ostende fidelibus Christum in quinque locis pro suis iniquitatibus vulneratum, vt pœniteant de peccatis suis. Et Apostolus ait: Deus erat in Christo mundum reconcilians. Locus etiam Christi dicitur sacra scriptura. Ipse enim est plenitudo temporum, plenitudo cordium, & plenitudo codicum. Ipse plenitudo scripturarum, sicut scriptum est: In loco pascuæ, ibi me collocauit. Et iterum Psalmus: In domo Dei ambulauimus cum consensu, id est, in sacra scriptura idem sentientes, & eodem spiritu illas exponentes. Locus insuper Dei dicitur materiale templum, sicut scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur. Est igitur Deus in diuersis locis & diuersis modis. Est in cœlo tanquam in throno maiestatis suæ, sicut scriptum est: Dominus in cœlo sedes eius. Vnde Apost. ait: Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Est in mundo tanquam imperator in regno, omnia regens & singulis legem imponens. Dominus enim Rex noster, Dominus legifer noster. In patre est tanquam in paradiso. In matre tanquam in thalamo. In Ecclesia triumphante tanquam in agro florido. Iuxta illud: Pulchritudo agri mecum est. In Ecclesiâ militante tanquam in tabernaculo, quia pugnat nobiscum & pro nobis. In eadem est tanquam paterfamilias in domo cuncta disponens & ordinans. Et tanquam iudex in consistorio omnia iudicans, & secundum opera sua vnicuique retribuens. In sacra scriptura est tanquam in refectorio. In anima iusti est tanquam in lecto florido, sicut scriptum est: Lectulus noster floridus. In templo materiali tanquam sacerdos seipsum offerens patri in sacramento altaris. Deus in loco sancto suo in ciuitate sua Hierusalem. De qua dicit Ezechiel: Et erit nomen ciuitatis Dominus ibidem. Ita diabolus in loco fœdo & immundo, in loco iniquitatis & confusionis, in ciuitate Babylonis. Vnde Isaias: Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenæ in delubris voluptatis. Per hæc monstra lucis refuga, dæmones & reprobi homines designantur: quæ bestiæ dicuntur, quia bestialiter viuunt. Dracones sunt per crudelitatem, Struthiones per hypocrisim, pilosi per superfluitatem. Vlulæ magnitudinis coruinæ, sed maculis respersæ, rostro in palude defixo horrendum strident. Cuiusmodi sunt mulieres in choreis vanitatis, & homines auari, qui semper de immunditia luti loquuntur. Sirenæ autem sunt hæretici, qui auditores seducunt, & ad mortem ducunt. Vel mulieres blandis sermonibus homines allicientes. Mali etiam diuites respondent sibi inuicem in delubro voluptatis, dum vnus alium ad delicioſa conuiuia inuitat & de pauperibus non curant. Dicitur autem quod Sirenæ sunt monstra marina velut serpẽtes cristati & alati. Alij dicunt quod sunt pisces marini in specie mu-

*Beata virgo locus Dei est.*

*Pater locus est filij.*

*Locus Dei Christus.*

*Locus Christi sacra scriptura.*

*Deus est in diuersis locis diuersis modis.*

*De loco diaboli.*

*De monstris & auibus infernalibus.*

liebri

liebri, quæ dulci cantilena decipiunt homines huius seculi naufragio, non clausis auribus transeuntes. Quot ergo sunt in anima vitia, quasi tot aues infernales nidificant in ea. Vnde Isaias: Posſidebũt illam Onocrotalus, hericius & ibix, & coruus habitabunt cũ ea. Onocrotalus idem est quod pellicanus, qui rostro suo pullos proprios interficit. Hi sunt gulosi, qui per gastrimargiam & carnalem voluptatem omnia opera sua extinguunt & occidunt. Teste autem beato Gregorio: Per hericium impuræ mentis, seseque callidè defendentis duplicitas designatur. Hericius siquidem cùm apprehenditur, caput & pedes conspiciuntur, sed apprehensus in spheram colligitur. Caput cernitur & pedes, cum quo initio peccator ad culpam venerit, vel quibus vestigiis culpam perpetrauerit, cognoscitur. Si adductis accusationibus & initia iniquitatis, & vestigia absconduntur. Malitiosæ enim mentis duplicitas sese intra se colligens absconditur in tenebris defensionis. Ibix auis aquatica est, per quam luxuriosi. Per coruum autem intelliguntur, qui horam bene viuendi procrastinant. Vnde Sophonias: Vox cantantis in fenestra, & coruus in superliminari. limen est sensualitas, superliminare ratio. Vox cantantis, id est, vanitas secularis est in fenestra quinque sensuum. Et sic coruus, id est, dilatio pœnitendi est in superliminari, id est, in ratione, dum dicit homo cras pœnitebo, semper quasi ex ratione proponens seruire Deo. Et tamen arctam viam, quæ ducit ad vitam aggredi non audet. Quàm miseri qui malunt esse latrina diaboli quàm templum Christi. Ipse enim non habitabit in corpore subdito peccatis, sicut in libro Sapientiæ dicitur: Necesse est autem quod simus templum Christi vel antrum serpentis antiqui. Propterea Ieremias ait: Ecce venit commotio magna de terra aquilonis, vt ponat ciuitates Iuda in solitudinem & habitaculum draconum, id est, speluncam latronum, & foueam dæmonum. Propterea Dominus de his conqueritur, dicens: Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos, id est, fraudulenta & elata dæmonia in cordibus peccatorũ inueniunt loca. Filius autẽ hominis non habet vbi reclinet caput suum. Pauci enim sunt qui possunt dicere: Tu in nobis es Domine, & nomẽ sanctũ tuũ & gloriosum inuocatum est super nos, sicut Ierem. ait: Et quoniam terra cordis eorum sine Deo inanis & vacua est, diabolus occupat illã. Vnde Iob ait: Qui extendit aquilonem super vacuum, id est, potestatem diaboli super vacua corda reproborum. Præparemus igitur in cordibus nostris gratum Deo habitaculum, quemadmodum in libro Regum primo dicitur: Præparate corda vestra Deo, & seruite illi soli. Auferte deos alienos de medio vestri Baal & Astaroth. Medium hominis est cor à quo debet auferri Baal, qui interpretatur superior, id est, peccatum superbiæ. Et Astaroth quod interpretatur ouile in quo sunt duo, præsepe, scilicet, per quod gulositas, & sterquilinium, per quod luxuria designatur. Propterea Augustinus ait: In domibus vestris si scorpiones essent aut aspides, quantũ laboraretis vt domos vestras purgaretis & securè habitare possetis. In cordibus vestris fiunt tot odia, tot scorpiones, tot serpentes, & domum Dei cor vestrum purgare non vultis? Et Seneca ait: Quis sit summi boni locus quæris? Animus est. Hic nisi sanctus & purus sit, Deum non capit. Qualiter autem domum cordis purgare debemus & idoneum hospitium Deo præparare ostenditur in libro Numeri, vbi dicitur: Omnis qui retigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac vnctione non fuerit, polluet tabernaculum Domini & peribit de Israël: Commixtio ista erat ex aqua & cinere vitulæ rufæ. In cineribus Christi passio, in aqua lachrymarum effusio. Istis debet aspergi qui tetigerit morticinum, dum peccat alterius exemplo, vel peccatis consentit alienis. Et iterum in eodem dicitur: Qui immundus est, aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mũdabitur. Si die tertio mundatus non fuerit, septimo non poterit emundari. Tertius igitur dies prædictis adiungendus est, id est, eleemosyna, sine qua in die septimo, id est, in ætate septima post hanc vitam non poterit emundari. Qualis autẽ debeat esse locus Dei ostendit Psalmus, dicens: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Ipse enim sibi locũ ędificat in quo manear, quia non requiescit nisi super vnanimes, pacificos & quietos. Iuxta illud: In pace factus est locus eius. Vnde Isa. Habitãs cũ cõtrito & humili spiritu vt viuificet spiritum humilium & visitet cor contritorũ. Et in Cant. sponsa ait: Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie? Quãdo, scilicet, Sol est altior, feruidior & splendidior. In illorũ autẽ cordibus Dominus cubat, qui in sublimi conuersatione manẽt. In illis pascitur qui ardore cœlestis desiderij feruent, & claritate diuinæ sapiẽtię fulgẽt. Pascitur etiam in cœlario cordis, id est, virtutum affluentia. Cubat in lecto, qui est pura conscientia, vbi in horto spiritualis affectionis quasi vernantibus floribus delectatur. Indica mihi vbi pascas, id est, in quibus reficiaris, vbi cubas, id est, in quibus quiescas. In meridie, id est, in vera illuminatione, vel qui tibi adhæreãt in tẽtationis feruore, ne vagari incipiã post greges sodaliũ tuorũ, id est, falsorum Christianorũ, qui dicuntur sodales quasi simul edales, quia nobiscũ edunt sacramẽta, à virtute tamen sacramentorũ alieni sunt, quia à corpore Christi abscisi sunt. Nisi enim vnanimes sint per charitatẽ & pacẽ, in domo Domini nõ habitãt. Ipse enim habitare facit vnanimes sine vnius moris in domo sua, id est, in Ecclesia. Vbi autẽ est discordia, Deus non habitat. Qui enim in vno offendit, id est, in vnitate & concordia charitatis, omnium est reus. Vnde Apostolus ad Ephesios ait: Solliciti seruare vnitatẽ in vinculo pacis. Et in Iob dicitur, quod vnus nuntiauit ei mortem filiorum eius & euasit. Et in Ecclesiastico dicitur: In tribus placitũ est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum & amor proximorum & vir & mulier sibi consentientes. Vir & mulier quantum ad prælatos & subditos quæ concordia sit pes

*Sopho 2.*

*Ierc. 10.*

*Ierem. 14.*

*Præparare debemus Deo in nobis hospitium.*

*1. Reg. 7.*

*De vnitate et fraterna concordia.*

*Eccle. 22.*

fit per obedientiam. Concordia fratrum, quantum ad regulariter viuentes, quod fit per regularium institutionũ obseruantiam. Amor proximorũ quantũ ad omnes, quod fit per charitatem. Hæc autem vnanimitas designata est in Exodo, vbi dicitur, quod ansulæ cortinarũ tabernaculi veniebãt cõtra se inuicem, & altera alteri adaptabatur. Ansulæ quibus cortinæ copulantur, virtutes sunt sanctorũ, quibus ipsi sibi cõiunguntur. De hac autem cõcordia & vnanimitate dicit Dominus per Osee: In funiculis adã trahã eos, in vinculis charitatis. Et Apostolus ait: Sicut in vno corpore multa membra habemus, ita vnũ sumus corpus in Christo. Quidam enim in corpore Christi, quod est Ecclesia, sunt oculi, id est, Prælati, qui viam aliis ostendunt. Alij manus, id est, milites, qui alios defendunt. Alij pedes, id est, simplices laici, qui laboribus suis alios sustentant. Hac igitur fideliũ vnitate & cõcordia diabolus cõfunditur. Vnde in Danièle dicitur, quod ipse Daniël facta massa de pice, adipe & pilis, serpentẽ Babylonicũ rupit & occidit. Per picẽ tenaces & auari, nigri peccatis designãtur. Per adipẽ diuites, per rerũ abundantiã. Per pilos pauperes, præ tenuitate & inopia. Hos omnes autẽ ad Dominũ cõuersos, & igne charitatis, quasi decoctos, & in vnã massam per vnanimitatẽ redactos, Dominus in Ecclesia recipit, qui vnanimes in domo, siue vnius moris, habitare facit in Ecclesia vel in Christo, qui est Dominus protegẽs turpitudinẽ nostrã & habitaculũ nostrũ, protegẽs nos à turbine & à pluuia. Vnde in Iob: Tollet eos ventus vrens, id est, vanitas secularis, & auferet eos turbo de loco suo, id est, à Christo, qui locus noster debet esse, in quo nobis quiescendũ est, viuendũ & moriendũ. Anima autẽ pedibus malæ voluntatis ab hoc loco recedit. Vnde Isa. Ducent eũ longè pedes sui ad peregrinandũ. De hac iterũ domo dicitur in Iob: Auro locus est in quo cõflatur. Hoc est aurũ quod in fornace tribulationis & martyrij probat Dominus, dũ sancti in Christo manẽtes, pro eius amore patiuntur. Extra hunc locũ nõ est meritoriũ martyriũ. Causa enim & non pœna martyrẽ facit. Vnde Isa. Quis poterit ex vobis habitare cum igne deuorãte, id est, cum Christo, quia Deus noster ignis cõsumens est. Ad hunc locũ nunquã peruenièt impij, in hac domo nunq̃ requiescent. Vnde Dominus: Quęretis me, & nõ inuenietis. Multi enim hodie cum gladiis & fustibus quęrũt Dominũ ad crucifigendũ. De hac domo dicitur in Cant. Considerauit semitas domus suę, id est, Christi vestigia diligẽter inuestigauit. Et Dominus paralytico sanato, ait: Tolle grabatũ tuũ, & vade in domũ tuã, id est, reuertere ad Deũ, & in illo requiesce. Et in Ezech. Ingredere & includere in medio domus tuæ: quasi dicat: O prædicator, qui ad eos, qui extra te sunt positi, quasi ad culturã agri existi, ingredere & includere in domo tua, vt discutiẽs conscientiã in Deo quiescas, & ad exteriores cõcupiscentias vagus nõ exeas. Si igitur vnanimes habitauerimus in hac domo, nunq̃ cõtra nos prævalebit inimicus: sicut scriptũ est: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli cõmorabitur. Siquidẽ pugna vnanimiter aggressa, victoriã facit. Vnde Psal. subiungit: Ipse dabit virtutẽ & fortitudinẽ plebi suæ. Virtutẽ interius in anima, & fortitudinẽ exterius cõtra carnis insultus. In futuro etiã post hanc vitã dabit virtutẽ, quãdo nostissima inimica destruetur mors, & fortitudinem in carne, quæ impassibilis erit in resurrectione. Interim autẽ in hoc seculo dat fortitudinem electis suis, & cõsolidat eos in fornace tribulationis, decoquẽdo eos igne probatorio, ne semicocti proiiciantur in Purgatorij ignem, vel crudi in ignem peremptorium, id est, gehennam. Dat etiam Dominus virtutem animæ in præsenti, sed multò maiorem in futuro. Cùm enim in anima sit ratio, voluntas, & memoria in præsenti, ratio in iudiciis sæpè fallitur, voluntas perturbatione quatitur, memoria obliuione cõfunditur. In futuro autẽ plenitudinẽ virtutũ Dominus nobis dabit, & imaginẽ suam in nobis plenè reformabit, quando Deus rationi erit plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis & perfruitionis. Primum faciet Deus veritas, secundum Deus charitas, tertium Deus æternitas. Cui est honor & fortitudo in secula seculorum, Amen.

*Osee 11.*

*Domus nostra & locus est Christus & Ecclesia.*

*Isa 23.*

*De virtute & fortitudine.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD CORINTHIOS.

*Fratres, notum vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini.* 1. Cor. 15.

CONFORTATE manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimes confortamini & nolite timere. ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet & saluabit vos. Verba sunt Isaiæ, ostendẽtis virtutem verbi Dei, & officium prædicatoris. Ad Prælatos autem & Prædicatores pertinet confortare manus dissolutas, id est, dissolutos in operibus suis, & genua debilia, id est, gressus diuersis erroribus claudicantes, euangelizando roborare, vt auditores recti, & à terra leuati, virtute Euangelij stare possint, & Domino ministrare. Vnde in Ezechiële dicitur, quod statura erat rotis, & altitudo. Quia diuina scriptura stare nos facit, & sursum erigit. Dicere etiam debent Doctores: O pusillanimes, confortamini, & nolite timere, Deus filius cui pater dedit omne iudiciũ, adducet in iudicio vltionem: sicut scriptum est: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et ideo nolite timere eos, qui occidunt corpus, nolite timere aduersa mundi. Timor vnius diei, timor iudicij alios timores expellit. Ipse autem veniet in fine & saluabit suos, qui eius Euangelium

*Isa 35. De virtute verbi & officio prædicatoris.*

receperunt. Hoc est quod Apostolus in principio hodiernæ Epistolæ, ostendens virtutem Euangelij, id est, doctrinæ noui testamenti, ait: Notum vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis, id est, ad notitiam & memoriã reduco, ne sitis auditores obliuiosi. Quod Euangeliũ accepistis, id est, dignũ acceptione iudicastis. In quo & statis, id est, stare datur vobis, vt confortentur manus vestrę & roborentur genua debilia: nam sine illo caderetis. Et nõ solùm statis in præsenti per gratiam, sed per illud saluabimini in futuro, quando veniet Dominus & saluabit nos. Vnde Ezechiëli dictũ est, vt comederet volumen. Liber enim scripturæ masticatur in lectione seu prædicatione, dum à fidelibus accipitur. Dirigitur in meditatione, incorporatur in operatione. Et ita confortantur auditores, vt stent firmi in Dei ministerio, in quo si perseuerauerint, saluabũtur. Et hoc est quod ait Apostolus: Per quod saluabimini. Et subiungit: Qua ratione prædicauerim vobis si tenetis, nisi frustrà credidistis, quasi dicat: Si retineris qua ratione & quo fine prędicauerim vobis Euangeliũ ad instructionẽ, scilicet, fidei, & informationẽ morũ, tenetis dico, nisi frustrà credidistis illud, quod prędicaui vobis, & maximè ad confirmationem resurrectionis mortuorũ. Ad hoc enim specialiter intendit in hac Epistola, vt asserat resurrectionẽ mortuorum, eò quòd quidã Corinthij corpora mortuorũ resurrectura non credebant. Quibus ipse ait: Si Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quia resurrectio mortuorum non est? Nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Intendit ergo probare Apostolus resurrectionem mortuorum, de qua dubitabant, vel quam negabant. Per resurrectionẽ Christi, quam ipsi credebant, probando effectũ per causam. Nam resurrectio capitis causa est resurrectionis membrorũ. Ipse enim est primogenitus mortuorũ. Qui, teste Apostolo, reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ. Vnde Osee: Viuificabit nos post duos dies, & die tertia suscitabit nos. Quia eius resurrectio, qua tertia die surrexit, causa est nostræ suscitationis. Resurgendo igitur à mortuis in spe resurrectionis nos cõfirmauit: alioquin nõ fieret salua omnis caro, quemadmodũ ipse ait: Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionẽ. Propterea de resurrectione Christi iam facta, & de mortuorum suscitatione futura, Apostolus plenius locuturus de Christi morte & sepultura, breuiter præmittit, dicẽs: Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniã Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit die tertia: quasi dicat: Tradidi vobis istud inprimis, id est, inter magna: & adhuc trado quod & accepi, scilicet, à spiritu sancto, quasi nõ finxi: quoniã mortuus est non pro sua necessitate, sed pro peccatis nostris, & hoc dico secundũ scripturas, quę Christi mortẽ futurã prædixerunt. Vnde Isa. Sicut ouis ad occisionẽ ducetur. Et quia sepultus est, & hoc similiter secundũ scripturas. Ait enim Isa. Erit sepulchrũ eius gloriosum. Et etiam tradidi, quia surrexit die tertia secundùm scripturas. Vnde per Psalmistam ait: Resurrexi & adhuc tecum sum. Et iterum ait: Exurgam diluculo. Et Isaias in persona patris: Ego suscitaui eum ad iustitiam, id est, propter iustificationem nostrã, & omnes vias eius dirigam. Hæc igitur, scilicet, mors, sepultura, & resurrectio, variis Prophetarũ testimoniis confirmata, omnem à cordibus fidelium excludunt dubitationem. Isaias enim ait: Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur & eleuabitur, & sublimis erit valde. Exaltabitur in cruce, eleuabitur in resurrectione, sublimis erit valde in ascensione. Ipse enim à ripa mortalitatis per torrentẽ passionis transiuit ad ripã immortalitatis, & nobis à ripa in ripã pontem fecit. Vnde Isa. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israël. In magnificentia quantum ad miracula, quæ operatus est in mundo, & quantũ ad crucẽ, qua triũphauit de diabolo. Erit in gloria quantũ ad gloriosam eius resurrectionẽ, & fructus terræ sublimis quantũ ad ascensionẽ, & exultatio his, qui saluati fuerint, hoc refertur ad spiritus sancti missionẽ. Et Zach. ait: Super lapidem vnum oculi septem sunt. ecce ego cælabo sculpturã eius ait Dominus exercituũ, & auferã iniquitatẽ terræ illius in die vna. In die illa vocabit vir amicum suum subter vineã suam, & subter ficum. Super lapidem vnum septem oculi, hoc refertur ad incarnationem, in qua Christus homo septiformi spiritu plenus fuit. Cęlabo sculpturam eius, hoc ad passionem. Cęlatura enim ad Christi vulnera refertur. Auferã iniquitatem in die illa, hoc specialiter ad resurrectionem. Ipse enim surrexit propter iustificationẽ nostram. Vocabit vir amicũ suum subter vineã, quantũ ad feruorẽ charitatis, & subter ficũ, quantũ ad dulcedinẽ deuotionis, quod principaliter pertinet ad spiritus sancti missionem. Similiter in Euang. dicitur, quod vinum primò fuit in nuptiis, quando, scilicet, Iesus præsentialiter fuit cũ discipulis. Vinũ defecit spõso subtracto in morte, & impletæ sunt hydriæ Apostolorũ aqua lachrymarũ. Sed postmodũ aqua mutata est in vinũ, quãdo tristitia eorũ Christo resurgẽte cõuersa est in gaudiũ. Confracta enim laguncula carnis in passione, apparuit lumen & gloria immortalitatis in resurrectione. Vnde in 2. Machabæorũ dicitur: Cùm refulsit Sol, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. Sol iste Christus est, qui nube assumptæ infirmitatis se inuoluit, postmodum habuit splendorem glorificatæ humanitatis. Deinde emisit feruorem ignis, id est, charitatis: quartò fecit admirationẽ maiestatis. Et Amos ait: In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, instaurabo. In die enim resurrectionis Christi, suscitauit Deus pater tabernaculum, id est, corpus Christi, quod cecidit in morte, & reædificauit aperturas murorum eius, quia per resurrectionem firma & certa spes data est sanctis, qui sunt ædificati

*Doctrina Euãgelica fidẽ roborat in præsenti, & saluabit in futuro.*

*De resurrectione mortuorum.*

*Nota.*

*De morte, sepultura & resurrectione.*

*Isa. 45.*

*Zach. 3.*

*Variis authoritatibus probatur resurrectio mortuorum.*

ædificati in Ecclesia, quod per generalem resurrectionem sint reædificandi & instaurandi. Vnde Isaias: Ossa nostra tanquã ossa germinabunt, & cognoscetur manus Domini, seruus eius indignabitur inimicis suis. Ossa sanctorum modò quasi in hyeme arida sunt, sed tandem in resurrectione quasi in æstate germinabunt. Et tunc manus Domini, id est, filius cognoscetur: sicut scriptum est: Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Et seruus eius, id est, filius, secundum humanitatem, iudicaturus indignabitur inimicis suis. De hac autem resurrectione Daniël manifestè ait: Multi de his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, id est, multitudo mortuorum resurget, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum, vt videant semper, id est, vt opprobrium suum semper videant. Et Angelus dixit Danieli. Tu autem stabis in sorte tua in fine dierum, id est, resurges in ordine tuo. Et quidam paganus Ambrosio ait: Puluis veterum renouabitur. Similiter & Sibylla, & quidam alij Gentiles, de corporum resurrectione prophetauerunt. Et Sophonias tam de resurrectione quàm de futuro iudicio ait: Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem Gentes & colligam regna, & effundam super illos indignationẽ meam. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui, aut quali corpore venient? Hæc sunt verba Apostoli. Et respondet, dicens: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Corpora siquidẽ beatorũ, septem dotes habebũt, quæ sunt claritas, agilitas, subtilitas, soliditas siue firmitas, immortalitas, & delectatio, id est, sensuum corporaliũ deliciosa iocunditas. Hoc est quod Dominus ait: Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorum. In Solis splendore intelligitur corporum claritas. Sol in momento radios emittit à cœlo in terram: ecce agilitas. Penetrat vitrũ: ecce subtilitas. Nulla percussione lædituri ecce soliditas. Indeficiens est: ecce immortalitas. Calore fouet & viuificat, & delectabilis est ad videndum: ecce sensibilis iocunditas. Et in Apocalypsi Dominus ait: Qui vicerit, dabo ei calculum candidum, id est, corpus glorificatum. In candore calculi notatur claritas. In volubilitate agilitas. In paruitate subtilitas. In soliditate impassibilitas. Patet igitur qualia resurgent corpora sanctorum. Resurrectionem autem capitis nostri, quæ præcessit resurrectionẽ membrorum, vt omnis tollatur suspicio & dubitatio, intendit Apostolus affirmare testimonio de viso & per testes omni exceptione maiores. Vnde subiungit, dicens: quod post resurrectionem visus est Cephæ, id est, Petro, priùs quàm aliis viris, quibus apparuisse legitur in Euangelio. Et post hæc visus est vndecim Apostolis, qui, scilicet, clausi erant in domo propter metum Iudæorum. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, sed hoc in Euangelio non habetur. Ex quibus multi manent vsque adhuc, qui, scilicet, testes sunt, si quærere vultis ab eis. Quidam autem illorum dormiunt, in hoc, scilicet, testimonio perseuerantes. Deinde visus est Iacobo singulariter, nec hoc in Euangelio reperitur. Deinde Apostolis omnibus, hoc fuit in ascensione. Nouissimè autem omnium, tanquam abortiuo visus est mihi. Hoc fuit post ascensionem, quando apparuit ei Christus in via, qua ibat Damascum. Abortiuo autẽ se cõparat, quia coactus est ad Deũ conuerti, sicut abortiuus cogitur nasci. Vel abortiuus dicitur, quia extra tempus natus in Christo, Apostolatum accepit iam Christo in cœlũ assumpto. Abortiuus enim dicitur, qui extra tempus legittimũ vel congruũ nascitur, id est, antequã debeat, vel prius. Et ipse pòst natus est in Christo quàm debuisset, quia visis tot miraculis, cum aliis debuit cõuerti, sed similis abortiuo dicitur, quia minor aliis Apostolis erat ratione temporis, vel prætériti status cõsideratione. Vnde & subiungit: Ego enim sum minimus Apostolorũ, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniã persecutus sum Ecclesiã Dei. Ecce quanta humilitas Apostoli, qui plus aliis omnibus laborauit, & plures ad Deũ cõuertit, nec erat aliis impar meritis, & tamẽ se minorem omnibus appellat. Sed nunquid propter humilitatẽ mentiri debuit? Teste siquidẽ Augustino, incautè humilis est, qui mẽdacio se illaqueat. Cùm enim humilitatis causã mentiris, quod vitabas, efficeris. Reuera minor fuit aliis Apostolis quantũ ad tẽpus vocationis & habito respectu ad statũ prætéritũ, sed tamẽ dignitate & prædicatione minor nõ fuit. Quod autẽ ait: Non sum dignus vocari Apostolus, id est, si mea præcedẽtia merita attendãtur, hoc nomine nõ sum dignus, qui Dei Ecclesiã sum persecutus. Hæc autẽ hodierna Epist. ad tria principaliter inducitur. Ad probationẽ resurrectionis, ad ostendendũ humilitatẽ Apostoli contra superbiã Pharisæi, de qua in Euang. hodierno agitur, & ad exhortationẽ laboris, exemplo Apostoli cõtra pigros & ociosos. Vnde & ipse ait: Gratia Dei in me vacua nõ fuit, sed abundãtius illis omnib⁹ laborauit. Per hoc autẽ quod ait: Non sum dignus vocari Apostolus, dedit formã humilitatis aliis prædicatoribus, vt nõ gloriẽtur in se. Et si Deus aliquos cõuertit per eos, se dignos nõ reputẽt. Vnde Isa. Dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis & nõ paries, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? Dices, scilicet, admirãdo præ gaudio conuersorũ, & quod per te indignum tanta Deus operari dignatur. Et idcirco ait: Ego sterilis in cogitatione, & non patiens in operatione, trãsmigrata & captiua, id est, peccatorũ onere depressa. Et istos quis enutriuit? quasi dicat: Non imputo istud meritis meis. Propterea Iere. ait: Ponet in puluere os suũ, id est, fortitudinẽ in humilitate. In thymiamatẽ quidem omnia aromata in puluerẽ contundebantur, quia omnia opera bona per humilitatem debent comminui. Vnde in Babylonijs Ioël ait: Infirmus dicet, fortis ego sum. Quia mundi amatores fortitudinẽ suam iactant. Sed contrariò vir iustus, licèt fortis sit, dicit, infirmus egó sum. Vnde Dauid Sauli ait: Quem persequeris Rex Israël, quem persequeris? Canem mortuum & pulicem vnum. Et Iob: Si ambulaui in vanitate, &c

*Eccles.*

*De statu resurgentium et modo resurgendi.*

*Testimonia resurrectionis.*

*De abortiuo et humiliatione Apostoli.*

*Prædicatores in seipsis non debent gloriari. Isa. 49.*

festinauit in dolo pes meus, apprehendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam. In dolo ambulat, qui peccatum suum plus iusto leuigat, & qui de peccato suo se excusat. In statera autem Christus significatur, in quo quilibet debet sua trutinare peccata. Nam si morsus pomi tantum fuit peccatum, vt pro illo moreretur filius Dei, sciri potest, quod nullum peccatū leue est. In hac igitur statera possumus deprehendere, quàm simplex & innocens, vel quàm reus sit vnusquisq;. Et iterū Iob: Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentē clarè, si lætatum est in abscondito cor meum, & si osculatus sum manū meam ore meo. Solent vani homines de splendore & ostentatione bonorum operū gaudere, & illa libenter intueri. Luna autē splendere dicitur, cùm fama bonorū operum in ore vulgi versatur. In abscondito autē lætatur cor vanum, quando magnū se reputās, exultat interius ad laudes hominū. Manū autem osculatur ore suo, qui opera sua iactando laudat cum Pharisæo. Hæc igitur quatuor vir iustus à se remouet, quæ in vanis hominibus reperiuntur. Ipsi enim opera sua, in quibus gloriantur, libēter intuentur, & libēter audiunt, quando ab aliis laudantur: & in corde suo seipsos magnificant, & opera sua iactanter prædicāt. Ego sum minimus Apostolorū. Quātò maior es, humilia te in omnibus, exemplo Domini, qui ait: Ego sum primus & nouissimus: primus in dignitate, nouissimus in seruitute & abiectione. Vnde per Osee dicit: Ego nutritius Effraim. More enim nutricis inclinat se sedens in cinere, & sordes abluit paruulorum. Et quoniam scriptū est: Pauper & inops laudabunt nomen tuum, quantò aliquis se pauperiorem reputat, tantò magis Deum honorat, & tantò magis impletur à Deo, quantò magis seipsum euacuat. Et quantò amplius se humiliat, tantò plus à Deo exaltatur. Et quantò amplius in Deo proficit, tantò magis in se deficit. Vnde Apostolus postquam ad tertium cœlum raptus, arcana cœlestia vidit, se minimum Apostolorum dicit. Sic Abraham postquam cum Domino locutus est, & ipsum loquentem audiuit, se puluerem & cinerem reputauit. Et discipuli visa gloria Domini, corruerunt in terram. Et Rebecca viso Isaac, faciem suam cooperuit. Et Ezechiel visa gloria Domini, in faciē cecidit. Vnde Gregorius: Cùm aliquid de Deo conspicimus, in faciem cadimus, quia ex malis erubescimus, quæ nos feciſſe memoramus. Qui in faciem cadit, ante se cadit, & vbi cadat, agnoscit. In faciem igitur cadunt, qui peccata confitendo erubescunt. Mali verò retrò decidunt, vbi non vident, quia quid sequatur, ignorant. Sicut qui venerunt vt Iesum apprehenderent, retrò cecidērunt, non intelligentes quod caderent ad supplicium æternū. Paulus igitur & Ezechiel visa Dei gloria, in faciem cadunt, cùm scientia infirmitatis propriæ, quia ex cōsideratione diuinę Maiestatis agnoscitur conditio humanæ fragilitatis. Ego sum minimus Apostolorū: hoc est quod in Canticis dicitur: Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus herba est parua & calida, per quam humilitas cum charitate designatur. Cùm igitur Christus in corde nostro quiescit, ad humilitatem nos inclinat, & ad amorem accendit. Et ita nardus nostra odorem suauitatis spargit. Cùm igitur omnia bona benefecerimus, dicamus seruī inutiles sumus, exemplo Apostoli dicentis: Non sum dignus vocari Apostolus. Vnde in Euangelio Lucæ Dominus parabolam proponit de seruo, qui arat aut pascit boues, cui regresso de agro, non statim dicitur vt recumbat, sed priùs iubetur domino ministrare. Seruus arans, est corporis sui cultor: seruus pascens, est prædicator. Talis sperat quod statim recumbere debeat, cùm de meritis suis gloriatur. Præcipitur autem illi, vt cùm redit ab opere, Domino seruiat, quod rectè ille facit, qui post exercitium boni operis, se humiliat coram Deo in secreto mentis. Hoc est ferculum delicatum, valde placens Deo. Et benè præmisit de seruo arante, & subiunxit de pascente: quia qui nouit arare, id est, corpus suum excolere, debet aliis prædicare, quēadmodum in Prouerbiis dicitur: Diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam. De virtute autem humilitatis ait diuus Bernardus: In veritate dīdici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non alta sapere, sed timere: beatus homo qui semper est pauidus. Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur. Et hoc est semper esse pauidum. Cùm adest, time ne indignè opereris in ea, iuxta illud: Videte ne gratiam Dei in uacuum recipiatis. Time subtracta gratia tanquam mox casurus. Audi enim quid dator gratiæ dicat: Sine me nihil potestis facere. Time & contremisce, Deum tibi, vt sentis, iratum. Time, quia reliquit te custodia tua, nec dubites in causa esse superbiam, & si non appareat. Quod tu nescis, Deus scit, & qui te iudicat, ipse est: sed nec qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Nunquid commendat te Deus, cùm gratia priuat, aut nunquid qui humilibus dat gratiam, humilibus aufert datam. Ergo argumentum superbiæ priuatio gratiæ, quanquam interdum subtrahitur gratia siue retrahitur, non superbia, quæ in anima est: sed quæ iam futura est, si non subtrahatur. Hæc sunt verba Bernardi pro verè humilibus, & contra superbos. De quibus ipse alibi ait: Omnis superbus intolerabilis est, habitus eius superfluus, incessus pomposus, ceruix erecta, facies torua, truces oculi de loco superiori decernit, melioribus se præferri affectat, suas sententias & facta iactat, in obsequio reuerentiam non seruat. Ego sum minimus Apostolorū. Iob: Increpat enim per dolorē in lectulo, & omnia marcescere facit, & conterit, dum homini infirma ostendit. Vnde in Threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Ignis ossa comburendo infirmat, sed illa dealbat. Ita gratia spiritus sancti adueniens, virtutes hominis clarificat, & illa infirma esse demonstrat.

*Maiores mægis humiliari debent.*

*Aduenientе Deo in corde humiliatur homo.*

*Iterum de humilitate.*

*De subtractione gratiæ.*

*De superbis.*

*Simile.*

Propterea

Propterea in Euangelio Dominus ait his, qui de maioritate contendebãt, & supẽriores se æstimabant. Nisi conuersi fueritis ab hac, scilicet, elatione, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Paruulus est qui sibi displicet, vt Deo placeat, tantoq; ante Deum est pulchrior, quantò apud semetipsum fuerit humilior. Paruulus non perseuerat in ira, læsus non meminit vt vlciscatur: videns pulchram mulierem, non delectatur, nec aliud cogitat & aliud loquitur: doctori non contradicit, sed omni metu & reuerentia disciplinam suscipit. Sunt autem tres gradus humilitatis, de quibus secũdo Regum dicitur, quod percusserit Dauid Moab, & mensus est eos triplici funiculo coæquans terræ. Moab interpretatur ex patre, & signat superbiam, quam percutit vir fortis, & metitur coæquans terræ triplici funiculo, quia intantũ se humiliat, vt non solùm superiori & pari, verùm etiam inferiori se subdat. Similiter tres sunt gradus superbiæ & elationis, de quibus in Ecclesiastico dicitur: Duas gentes odiuit anima mea: tertia autem non est gens, quam odiui, id est, non est digna vocari gens, & illam odiui. Illas gentes sic exprimit: Qui sedent in monte Seir & Philistiim, & populus stultus, qui habitat in Sichimis. In monte Seir sedent, qui gloriantur de peccatis. In monte enim tumor designatur. Per Seir, qui hispidus vel pilosus interpretatur, asperitas & superfluitas peccatorum signatur. Philistiim autem potione cadentes, vel duplex ruina interpretatur. Hi sunt qui de calice Babylonis bibentes, ebrietate & elatione diuitiarum & dignitatum dupliciter corruunt. Sichima verò humerosa interpretatur. In humeris fortitudo designatur. Per populum igitur stultum, qui habitat in Sichimis, intelliguntur hi, qui de suis viribus & virtutibus intumescunt. Contra quos Apostolus de se ait: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Et quasi quis quæreret, si non es dignus vocari Apostolus, cur ergo es Apostolus. Respondit: Gratia Dei sum id quod sum. Dat igitur Domino gloriam, qui eum gratis elegit. Et quoniam post gratiam incipiunt bona merita, vt vsum liberi arbitrij gratiæ diuinæ adiungendum esse ostenderet, addit: Gratia eius in me vacua non fuit, id est, ociosa. Licèt enim Apostolus Ecclesiæ Dei persecutor fuerit, non minorem gratiam in Apostolatu habuit, sed abundantius illis omnibus laborauit, quia in pluribus populis & variis fatigationibus magis vexatus fuit: & de labore manuum suarum viuens, euangelizando non minus aliis fecit. Sicut igitur dedit nobis exemplum humilitatis, ita & laboris. Ipse enim laborabat, castigans corpus, ne cùm aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Qui enim bene docet & malè viuit, margaritam in sterquilinio reponit. Propterea per Ieremiam Dominus ait: Erudire Hierusalem, ne fortè recedat anima mea à te. In Septuaginta autem sic habetur: Per omnem dolorem & flagellum erudieris Hierusalem. De otiosis autem Psalmus ait: In labore hominum nõ sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, scilicet, in hoc seculo, sed magis cum dæmonibus in futuro. Cùm enim, teste Iob, homo natus sit ad laborem, quasi à natura hominum degenerat, qui in hoc seculo laborare recusat. Otium enim multa mala generat. Manus siquidem remissa, tributis seruiet. Et si manibus propriis laborare non valemus, non tamen à bonis operibus torpeamus. Vnde & beatus Gregorius ait: Nemo videbit regnum cœlorum sine actiua vita, multi verò sine contemplatiua. De his loquitur, qui tempus & facultatem habent operandi. Non enim opera contemplatiua, sed opera actiuæ vitæ prætermissa reprobantur in iudicio, quando dicetur: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Laborauit autem Apostolus aduersa patiendo, laborauit propriis manibus operando, laborauit operibus misericordiæ insistendo. Qui enim non possunt propriis manibus laborare, & si manus habeant infirmas, non tamen habeant aridas vel vacuas, sed eleëmosynis peccata redimant. Vnde in libro Regum dicitur, quod tulit Dauid lapides de torrente, & misit in peram, & sic de Golia triumphauit. Non enim habebat experientiam armorum. Vigiliæ siquidem, peregrinationes, ieiunia, carnis afflictiones, sunt arma contra diabolum. Qui horum non habent experientiam, de torrente, id est, de affluentia temporalium tollant lapides, id est, bona pauperibus eroganda, quæ dura & fortia sunt arma contra diabolum. Ita tamen quod procedant de pera, id est, de vase, in quo lac mulgetur, de cordis, scilicet, compassione. Qui enim pronus est ad misericordiam, benedicetur à Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*Humiliare nos debemus, et esse vltimi.*

*De tribus gradibus humilitatis.*

*Eccle. 50.*

*Quod gratiã Dei inuacuã recipere non debemus, sed in eius seruitio laborare.*

*De multiplici laboratione Apostoli contra otiosos.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascendebant in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus.* Luæ 18.

LEGIMVS in tertio Regum, quod in sibilo aurę tenuis apparuit Dominus Eliæ. In verbo enim diuinitus inspirato, & in suauitate ac deuotione orationis Dominus reperitur. In templo enim per deuotam orationem, & inter Doctores, audiendo Dei legẽ, exemplo Mariæ & Ioseph, quærere debemus Dominum & inuenire. Verba autem Dei comparantur

*Audiẽdo deuotè verbum Dei, in ipso verbo Deus nobis apparet*

auræ tenui & ſuaui, propter dulcedinem promiſsionum: ſicut ſcriptũ eſt: Mel & lac ſub lingua tua, id eſt, dulcis & ſuauis doctrina. Quandoq; autem comparantur malleo, propter terrorem comminationum. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Nunquid verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram? Igni comparantur, quia illuminant intellectum, & calefaciunt affectum. Malleo comparantur, quia timorem incutiunt, & cordis duritiam conterunt. Quando autem malleus iſte in manu operatoris tenetur, vt faciat prædicator quod docet, & in altum leuatur, vt tantùm pro cœleſtibus prædicet, tunc fortiter percutit, & corda lapidea conterit. Quidam autem habent corda ferrea vel adamantina, qui malleo iſto frangi non poſſunt, ſed in obſtinatione ſua perſiſtunt. De quibus Hieronymus ait: Fruſtrà niti & nihil niſi odium acquirere, extremæ dementiæ eſt: quaſi dicat: Talibus non debemus prædicare. Hi enim ſunt velut montes Gelboë, ſuper quos nec ros gratiæ, nec pluuiæ doctrinæ deſcendit. Gelboë enim fluxus interpretatur. Hi ſunt qui per temporalium abundantiam fluunt in pœnas æternas. Qui more ruſticorum ita ventrem implent pane hordeaceo, id eſt, ſeculari vanitate, quod de pane ſimilagineo verbi Dei non curant. Et quoniam ſcriptum eſt: Spera in Domino, & paſceris in deliciis eius: ponatis in Deo ſpem veſtram, & orate ipſum, vt hodie paſcat animas veſtras deliciis ſanctarum ſcripturarum, quæ deſiderabiles ſunt ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciores ſuper mel & fauum. Dixit Ieſus ad quoſdam, &c. Non te iuſtifices ante Deum, quoniam cognitor cordis ipſe eſt: & penes Regem noli velle videri ſapiens. Verba ſunt Sapientis in Eccleſiaſtico contra ſuperbos & arrogantes, qui de ſe confidunt tanquam iuſti, cùm tamen ignoret homo vtrum ſit dignus odio an amore. Vnde Propheta: Delicta quis intelligit? Solus enim Deus cognitor eſt cordium. Vnde Gregorius: Sæpè ſordet in diſtrictione Iudicis, quod æſtimatione fulget operantis. Et idcirco non debemus nobis videri ſapientes penes ſummum Regem, nec altum ſapere, ſed timere: quia ignoramus vtrum aliquid ſit in nobis, quod diſpliceat Deo. Homo autem videt in facie, Deus autem in corde. Vnde in Prouerbiis: Ne glorioſus appareas coram Rege, & in loco magnatorum ne ſteteris. Debemus enim in loco poſteriori ſtare per humilitatem, donec dicatur nobis: Amice, aſcende ſuperius. Propterea per Malachiam Dominus ait: Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſaccoli pondera doloſa. Stateram impiã & doloſam habet, qui peccata ſua leuigat, & aliorum peccata grauiora iudicat. Qualis erat Angelus Laodiciæ, de quo in Apocalypſi Ioãnes ait: Tu dicis quia diues & locupletatus ſum, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere aurum ignitum & probatum, vt locuples fias: quaſi dicat: Tu dicis in corde tuo vel ore per iactantiam: Non ſum ſicut cæteri hominum: ieiuno bis in Sabbato, &c. Et non aduertis, quia miſer es in te, miſerabilis intuentibus te, & pauper, quia non habes theſaurum in cælo, & nudus, carens veſtimẽto virtutum, & cæcus, nuditatem tuam non intelligens. Eme ergo aurum ignitum, id eſt, Chriſtum diuinitate pretioſum, ſapientia ſplendidum, charitate ignitum, paſsione probatum. Cùm igitur bona noſtra non ſint purè bona, ſed teſte Iſaia, omnes iuſtitiæ noſtræ ſicut pannus menſtruatæ, non debemus nos iuſtos reputare, nec de operibus noſtris confidere. Vnde Iob: Si lotus fuero aquis niuis, & fulſerint velut mundiſsimę manus meæ, tamen ſordibus intinges me. Aquæ ex reſolutione niuium, ſunt aquæ lachrymarum, quæ velut mundiſsimæ dicuntur, quia ad comparationem operum Chriſti ſunt, quaſi ſordidus pannus menſtruatæ. Contra illos, qui in ſe confidunt tanquam iuſti, qui, ſcilicet, ſuam iuſtitiam ſtatuentes, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, inducit Dominus hodiernam parabolam de Phariſæo elato, & humili Publicano, de leone mortuo, & cane viuo, de ſuperbo iuſto, & humili peccatore, dicens: Duo homines aſcendebant in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæi dicebãtur, quaſi diuiſi, quia ab aliis ſeipſos ſeparabãt, quos indignos ſuo cõſortio iudicabãt, & quibuſdã traditionibus atq; habitu religionis ab aliis diuiſi erant. Sanctitatẽ corã hominibus in habitu oſtendebãt, quã tamen coram Deo nõ habebãt. Publicani autẽ dicebantur, qui publica vectigalia regia exigebãt. Qui quantò alios per acceptam potentiã grauabant, tantò grauius apud Deũ ſe obligabant. Publicani enim dicebãtur, qui ſine pudore publicè peccabãt. Phariſæi de viribus ſuis & operibus præſumentes, cæteros ex ſuperbia aſpernabantur, & peccata ſua non attendentes, de aliorum peccatis gloriabantur, ſeſe aliis prę ferentes. Vnde in hodierno Euangelio dicitur: Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Raptores, aliena, ſcilicet, rapientes. Iniuſti, id eſt, ſua in neceſsitate proximis non erogantes. Apud ſe, non apud Deum orabat. Non enim Deum rogat, ſed ſeipſum laudat, & inſuper roganti inſultat. Ac ſi diceret: Solus iuſtus ſum, cæteri peccatores. Stare autem dicitur, vt per ſitum corporis exprimatur elatio mentis. Et quoniam humilitas, quaſi glutinum eſt aliarum virtutum, & cæmentũ ſpiritualis ædificij. Phariſæus iſte cæteras virtutes ſine humilitate congregans, & quaſi puluerem in ventum portans, dum merita iactauit, totum perdidit. Et quia gloriatur de bono ſuo & aliorum malo, inſipidus fuit cibus orationis eius, ſine condimento humilitatis, & ideo totum corruit ædificium, quia non habuit humilitatis fundamentum, dum iactat merita ſua, & occultat vulnera ſua. Debuit autem aliorum virtutes & bona opera reſpicere, & comparatione meliorum, ſeipſum paruũ æſtimare, & non gloriari de aliorum infirmitate. Teſte enim S. Bernardo: Sicut incentiuũ eſt ſuperbiæ reſpectus inferiorum, ita ad humi-

*Verbum Dei cõparatur igni & malleo.*

*Contra obſtinatos quorum corda malleo nõ frãguntur.*

*Contra arrogantes, & de iuſtitia ſua præſumentes. Eccleſ. 7.*

*Iob 9.*

*De his qui peccatores ſpernunt, & de aliorum defectu gloriãtur.*

ad humilitatem inducit reſpectus ſuperiorũ. Teſte autem Hieronymo: Melius eſt in ſimplici conuerſatione Deo ſeruire, quàm multis abundare virtutibus & proximos deſpicere. Et Auguſtinus ait: Attende diuitem indigeſta ructantem, crapulam exhalantem ſuperbiæ non iuſtitiæ. Deus, inquit, gratias ago tibi, quia nõ ſum ſicut cæteri homines. Rogare veneras, an te laudare? Totum te habere dixiſti, nihil tanquam egens petiſti. Non ait: Domine, da mihi gratiam: ſed gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines, nõ ſum ſicut Publicanus iſte. Inſultas non exultas. O diuitem exinaniendum. Sicut ſcriptum eſt: Et diuites dimiſit inanes. Hæc ſunt verba Auguſtini contra Phariſæum, qui cõtra Publicanum non debuit inſultare, ſed magis dicere: Domine, da huic Publicano quod mihi dediſti, ſupple & mihi quæ nondum donaſti. Publicè autem omnibus arguere vitia licet, nulli autem niſi paucis, vt ad certam perſonam deſcendat. In quo reprehenditur hic Phariſæus cui ex vicino Publicano maior fuit tumoris occaſio. In quatuor igitur iſte Phariſæus peccauit. De viribus propriis confidebat, de bonis operibus ſuperbiebat, cæteros contemnebat, & cordis ſui elationem, atq; alia peccata, non ſua, attendebat. Magis autem placet Deo de peccatis humilis confeſsio, quàm de bonis operibus ſuperba gloriatio. Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Ecce Phariſæus ad exhibendam abſtinentiã, ad impendendã miſericordiã, ad decimas, ſcilicet, ſoluendas, ad referendas gratias oculum habet, ad humilitatis cuſtodiam non habet. Et quid prodeſt ſi tota ciuitas cuſtodiatur, & vnum foramen per quod hoſtes intrent, relinquatur? Non enim reprehenditur in ipſo ieiunium, vel decimatio, vel gratiarum actio, ſed elatio, & inanis gloriatio. Enumerabat bona vbi confiteri debuit mala. Quemadmodum qui eleëmoſynam mendicando poſcit, quod infirmius eſt ad compatiendum ſibi, oſtendit: *Vt uoto potiare tuo, miſerabilis eſto.*

*In quatuor peccauit Phariſæus.*

*Non proſunt bona ſine humilitate. Simile.*

*Simile. Verſus.*

Quid enim prodeſt ſi nauis in medio pelagi poſita tabulis munita & clauis firmiter affixa fuerit, & vnum foramen in ea remaneat, per quod aqua ingrediatur & nauis ſubmergatur? Aliquando autem auis laqueo capitur, ſano corpore, & integris alis, ſed tamen ſummitate paruiſſimæ virgulæ tenetur. Ita auceps infernalis, quem per adulteria & rapinas, & ſimilia, non poteſt tenere, per inanem gloriam conatur decipere. Corpora autem animalium idcirco plena oculis deſcribuntur, quia ſanctorum actio ex omni parte circunſpecta eſt, bona prudenter prouidens, mala ſolerter cauens. Teſte autem Gregorio: Admiranda actio cum elatione non eleuat, ſed grauat. Phariſæus iſte fruſtrà decimas omnium quæ poſsidebat, dabat, qui mentem ſuam in fundamento humilitatis non collocauerat. Ad referendum gratias Deo, oculos habuit apertos, ſed ad humilitatis cuſtodiam clauſos. Modicum autem fermenti totam maſſam corrumpit. Neq; enim bona accepta Deo ſunt, quæ ante oculos eius malorum admixtione maculãtur. Teſte autem Gregorio: Qui de bono quod ait, extollitur, vnde illuminari debuit, excæcatur. Et beatus Iob ait: Iuſtitia indutus ſum ſicut veſtimento, & ſicut diademate iudicio meo. Veſtimento itaque cum veſtimur, ex omni parte circundamur. Ille ergo iuſtitia ſicut veſtimento induitur, qui ſe vndique bono opere protegit, & nullum diabolo foramen relinquit. Diadema in ſuperiori parte corporis ponitur. Iuſtorum ergo iudicium diadema dicitur, quia per hoc non in terrenis & infimis, ſed ſurſum remunerari quærunt. Non ſum ſicut cæteri hominum. Aliorum culpas, ſuas laudes facit: aliorum vitia, ſuas virtutes. Teſte autem Gregorio, quatuor ſunt ſpecies tumoris. Prima, cùm quis bonum, quod habet, à ſe habere æſtimat, aut ſi datum à Domino credit, pro meritis ſuis datum putat, aut cùm iactat ſe habere quod non habet, aut cùm deſpectis cæteris appetit, ſingulariter præ cæteris videri habere quod habet. Hac vltima peſte Phariſæus laborabat, qui ideo non iuſtificatus deſcendit, quia merita bonorũ operum ſibi ſingulariter tribuens, Publicano ſe prætulit. Et hæc ſpecies propriè dicitur ſingularitas vel inſolentia. De prima ſpecie exemplificat Nabuchodonoſor, dicens: Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meę. Hęc ſpecies dicitur propriè Arrogantia. De ſecunda exemplificat iſte Phariſæus, qui meritis ſuis, quia, ſcilicet, bis ieiunabat in Sabbato, & decimas dabat, credebat ſe à Deo obtinere, quod non eſſet talis, qualis Publicanus: vnde & gratias agebat. Contrà quod ait Apoſtolus: Gratia Dei ſum id quod ſum. Et hæc ſpecies dicitur propriè Faſtus. De tertia dicit Iob: Quæ enim eſt ſpes hypocritæ, ſi aliquid auarè rapiat? Qui enim ſe iactat habere quod non habet, raptor eſt: dum enim auidus eſt laudis, rapit ſibi opinionem ſanctitatis. Et hæc ſpecies dicitur propriè Iactantia. Propterea in Euangelio Dominus ait: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, id eſt, ſi reputaretis vos cæcos. Nunc verò quia dicitis, videmus, peccatum veſtrum manet. Hi igitur albuginem habent in oculo. Dum enim arrogantia iuſtitiæ vel ſapientiæ excæcantur, veritatem lucis non cernunt, quia candorem iuſtitiæ ſibi attribuentes, à luce ſupernæ cognitionis ſe excludunt. Vnde Apoſtolus: Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Cùm igitur Phariſæus iſte omnia bona feciſſet, debuit dicere, Seruus inutilis ſum. Econtrà ſuperbi, qui nequaquã omnia, ſed modicũ quid eorum, quę præcepta ſunt, faciunt, non ſolũ mox de ſua iuſtitia præſumunt, ſed infirmos quoſq; deſpiciunt. Non inſpicere debemus mala aliorum inde gloriando, ſed meliorũ virtutes vt nos prauos reputemus reſpectu ſanctorum, & dicamus humiliter ſupplicando: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Non ſum ſicut cæteri hominũ, ſicut innumeri ſerui tui, contemptu ſeculi, ſublimes iuſtitiæ merito, glorioſi honore caſtitatis angelici, velut etiam multi illorũ, qui poſt flagitia publica pœnitendo, tibi meruerunt eſſe deuoti. Qui etiam ſi quid boni, tua gratia largiente, fecerõ,

*Ieb 27.*

fecero, quo fine hoc faciã, quáve diſtrictione à te penſetur, ignoro. Poſteriorũ ergo obliti nos ſemper in anteriora extendamus, magis penſantes quæ deſunt nobis, quàm ea quæ habemus. Nam vtrũ bona noſtra Domino placeãt, ignoramus. Et ſi nobis nihil cõſcij ſumus, in hoc tamẽ nõ iuſtificati ſumus. Hierony. autem ſuper hũc locũ Ezech. In mõtibus nõ comederit, ait: Sicut qui dicebat gratias ago tibi Deus, quia nõ ſum ſicut hic Publicanus. Hæretici quoq; dũ altiora requirunt, in mõtibus ſuperbiæ comedunt. Nõ ſum ſicut cęteri hominũ: ieiuno bis in Sabbato, id eſt, ſeptimana, decimas do omniũ quæ poſſideo. Scriptum enim eſt: Non te laudet os tuum. De Dauid autẽ legimus, quod populũ ſuũ numerauit, & populus à Deo percuſſus eſt. In quo datur intelligi, quod qui ad oſtentationẽ virtutes ſuas enumerat, ipſas perdit. Deus non præcepit quod cenſus nõ ſoluatur, cũ populus numeratur, quod fit cũ de numeratione bonorũ noſtrorũ gloriã ad Deũ, & nõ ad nos reportamus. Vnde & Iob opera ſua enumerat, dicẽs: Oculus fui cæco, & pes claudo, & cõſimilia, & tamẽ nõ peccauit, quia quaſi cõpulſus hoc fecit, nõ propter iactantiã, ſed vt amicos ſuos, qui ipſum pro peccatis percuſſum credebant, ab errore reuocaret. Et Apoſtolus Paulus multa de operibus ſuis, quaſi cõpulſus, enumerauit, ne cõtemneretur eius prædicatio. Omnia tamẽ ad Chriſtũ referebat. Vnde ad Corinth. ait: Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrũ. Vnde in Euang. Dominus ait: Eugè ſerue bone & fidelis. Seruus fidelis es, ſi bona domini tui ita per te trãſeant, quod manib⁹ tuis nihil adhærere permittas, nec aliquid tibi, ſed totũ domino attribuas. Vnde & Ioſeph ait: Omnia tradidit dominus meus in manu mea, præter te, quę vxor es eius. Indignũ iudicauit Ioſeph inglorium facere, qui eũ fecerat glorioſum. Vxor autẽ domini dicitur gloria, quã ſibi ſoli voluit retinere: ſicut ſcriptum eſt: Gloriã meã alteri nõ dabo. Vnde in Zachar. dicitur: Sumes aurum & argẽtum, & facies coronam, & pones in capite Ieſu. Omnia enim opera noſtra Deo attribuere debemus, vt impleatur quod ſcriptum eſt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus. Vnde in Apocalypſi dicitur, quod ſeniores coronas ſuas ante thronum mittebãt, id eſt, victorias certaminum ad Deum referebant. Econtrà Ezechiël ait: Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine meo: quaſi dicat: Præſumens de meritis tuis, de operibus tuis propriam gloriã quæſiuiſti. Opus enim in eius fit nomine, cuius gloria quæritur ex opere. Vnde in Eccleſiaſtico di-

*Eccleſ. 7.* tur: Non dicas in multitudine munerum bonorum reſpiciet Deus, & offerente me Domino altiſsimo munera mea ſuſcipiet. Quantò ergo plura bona facimus, tantò magis humiliari debemus. Propterea Gregorius ait: Cùm præes hominibus, memento quod tibi præeſt Deus. Qui cupit honoris tenere faſtigia, humilitatis ſectetur veſtigia. Tantò igitur maiori humilitate ſis conſpicuus, quantò magna es ſublimitate prælatus. Deus excelſus non ſuperbia, ſed humilitate attingitur. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Ecce Phariſæus iſte in-

*Iſa. 9.* firmitatem ſuam abſcondit, & denudat fortitudinem. Vnde Iſaias: Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit. Os robuſtior eſt pars corporis, & niſi à carne tegatur, areſcit. Similiter & robur animæ non poteſt ſubſiſtere niſi tegatur infirmitate. Carnem igitur brachij ſui vorat, qui fortitudinẽ ſuam magnificat. Hic igitur Phariſæus multa bona pro vanitate amiſit, ſicut de Iacob legimus, quod poſt multos filios vnã filiam habuit, ſcilicet, Dinam, pro qua multa aduerſa ſuſtinuit. Dum enim poſt opera fortia animus per vanam gloriam molleſcit, dum in vno offendit, multa bona perdit. Vnde Iſaias: Multiplicabuntur interfecti à Domino, qui ſanctificabantur & ſe mundos putabant. In iudicio enim multi tales apparebunt, quos interficiet Dominus. Tunc enim immundi reperientur, qui ſe mundos putabant. Propterea Auguſtinus ait: Dimitte nobis peccata noſtra dicimus, quis enim viuit hîc in carne, & non habet debita? Quis eſt homo ſic viuens, vt ei non ſit iſta oratio neceſſaria? Inflare ſe poteſt, iuſtificare ſe non poteſt. Bonum eſt illi vt imitetur Publicanum ne tumeſcat, ſicut Phariſæus, qui aſcendit in templum, & iactauit merita ſua, texit vulnera ſua. Et Bernardus ait: Quid enim magis indignum, quid amplius deteſtandum, quid grauius puniendum, quàm videns Deum cœli paruulum factum, vltrà apponat ſe homo magnificare ſuper terram. Intollerabilis enim eſt impudentiæ, vbi ſe exinaniuit maieſtas, vermiculus infletur & intumeſcat. Propterea Dominus poſtquam dixit: Quis veſtrûm ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat: in terra ſcribebat, docens quemlibet in terra cordis ſui priùs imprimere, vt ſine peccato ſit, quàm audeat de alio iudicare. Inter cætera autem quæ Dominus odit, enumerantur à Salomone: pauper ſuperbus, & dives mendax. Pauper ſuperbus eſt, qui ſe aliquid boni habere credit, & inde gloriatur, cùm nihil habeat. Dives mendax eſt, qui bonis operibus abundans, illa mendaciter ſibi attribuit & non Deo. Propterea in Eccleſiaſtico dicitur: Non laudes hominem in vita ſua, id eſt, in vita gratiæ, quam à Deo habet & non à ſe. Ieiuno bis in Sabbato. Iſidorus: Qui à cibis abſtinent, & prauè agunt, dæmones imitantur, quibus eſca non eſt, & nequitia ſemper eſt. Ille benè ſe abſtinet à cibo, qui & à malitiæ actibus, & à mundi ieiunat ambitionibus. Nunc autem poſtquam diximus de Phariſæo ſuperbo, videamus de humili Publicano, de quo ſubditur: Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Publicanus iſte non aliorum peccata, ſed ſua humiliter attendebat. A longè ſtabat, non ſe reputans dignum conſortio Sanctorum. Econtrà de ſuperbis Iſaias ait: Appropinquare Deo volunt. Hæc autem elongatio humiliantis ſe, quando, ſcilicet, aliquis in poſteriori loco recumbit, valde placet Deo.

Deo. Vnde in Parabolis: Aduocatus à potente discede, ex hoc autem magis te vocabit. Oculos ad cœlum leuare non audebat, quasi dicat: Non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Domine pater & Deus vitæ meæ ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum ne dederis mihi. Sicut autem nihil magis displicet Deo, quàm post peccatum ceruix erecta: ita nihil est quod magis placeat Deo, quàm post lapsum humilitas. Et sicut superbia præsumentis Dei auxilio deseritur, ita humilitas deprecantis veniam meretur. Vnde in Prouerbiis: Superbum sequitur humilitas, id est, deiectio, & humilem spiritu sequitur gloria. Publicanus à longè stabat: Ecce timor: Sicut pro reuerentia à corpore Christi, quidam aliquando abstinent. Nec oculos audebat leuare: Ecce humilitas. Humilis enim dicitur quasi humi accliuis. Non audet appropinquare, vt Deus ad eum appropinquet. Non aspicit vt aspiciatur. Premit cõscientia, sed spem subleuat. Percutit pectus: quia pœnas de se exigit, vt Deus parcat. Confitetur vt Deus ignoscat. Ignorat Deus quod ille agnoscit. Percutit pectus: Ecce pœnitentia. Dicit, Deus propitius esto: ecce deuotio. Mihi peccatori: ecce confessio. Sicut autem timor Dei cor comprimit & humiliat, ita elatio cor inflat & exaltat. Timor siquidem Dei custos est omnium bonorum nostrorum. Vnde in Ecclesiastico: Nisi te instanter in timore Dei retinueris, citò subuertetur domus tua. Et de arrogantibus & confidentibus de meritis suis Sophonias ait: Hæc est glorioſa habitans in confidentia quæ dicebat in corde suo. Ego sum & extra me non est alia amplius, quomodo facta est in desertum, scilicet, à Deo derelicta, cubile bestiæ, id est, diaboli. Vnde & subdit: Omnis qui transiet per eam, sibilabit & mouebit manum suam. Per talem ciuitatem ita transire debemus, quod eius vanitatem attendẽdo, illi non inhęreamus. Qui sibilat, os contrahit, & dulcẽ ac suauem flatum emittit. Et nos debemus os contrahere à vaniloquio, & suauem cantum confessionis emittere & mouere manum, id est, incipere bona operari post sibulum confessionis. Allegoricè autem Pharisæus populum Iudæorum significat, qui ex iustificationibus legis merita sua extollit, & superbiendo à Deo recedit. Publicanus autem humilis & peccator humilẽ populum gentium designat, qui longè à Deo positus peccata confitetur, & lamentando Deo appropinquat & exaltatur. Et quoniam scriptum est: Ante ruinã exaltatur cor, & ante gloriã humiliatur, subiungitur sententia Dei contra superbum iustum & pro humili peccatore. Amen, inquit, dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Electiuè & non comparatiuè legitur. Et est sensus: Descẽdit Publicanus ita iustificatus in aliquo, quod Pharisæus in nullo. Sicut cùm dicitur: Bonum est confidere in Domino, quàm cõfidere in homine. Vnde Aug. ait: Magis iustificatus descendit de tẽplo Publicanus iste peccatorum cõfessione sollicitus, quã Pharisæus meritorum enumeratione securus. Non enim iste Pharisæus tam de sua sanitate, quàm de morum alienorum comparatione gaudebat. Vtilius autem erat illi quoniam ad medicum venerat, vt quibus ægrotabat confitendo monstraret, quàm dissimulare à vulneribus suis, & de cicatricibus audere gloriari alienis. Ad detestationem autem superbiæ & commendationem humilitatis, concludit Dominus breuiter, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Deus enim hunc humiliat, & hunc exaltat. Vnde Isaias: Omnis vallis exaltabitur, qui, scilicet, se humiliat in præsenti. Et omnis mons, id est, superbus & collis, id est, elatus humiliabitur. Et iterum ait: Incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes pauperis, id est, Christi, vel etiam ipsi electi in iudicio. De quibus Malachias ait: Calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub pedibus vestris. Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Tam exaltatio, quàm humiliatio accipitur in malo, sicut scriptum est: Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Et in Euangelio Dominus ait: Et tu Capharnaum vsque ad cœlos exaltata es, & vsque ad infernum demergeris. Et per Abdiã Dominus ait: Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te. Qui se humiliat, exaltabitur. Vtrumque in bonum intelligitur. Vnde Isaias: Id quod saluatum fuerit de domo Iuda, & quod relictum est, mittet radices deorsum & faciet fructum sursum. Radix enim omnium bonorum est humilitas, ex qua procedit tam meritorum quàm præmiorum sublimitas. Vnde in Euangelio. Quicunque humiliauerit se, sicut puer iste, hic maior erit in regno cœlorũ. Ex quo intelligi datur, quod humilitate perueniatur ad regnum, simplicitate penetratur cœlum. Quisquis cupit sublimitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicunque vult fratrem præuenire regnando, priùs illum præueniat obsequendo. Qui se exaltat, humiliabitur. Quia ante ruinam exaltatur cor. Vnde Isaias: Humilitate humiliabitur ciuitas. Sic vocatur duplex humiliatio seu depressio, quam habebunt superbi in corpore & in anima. De hac autẽ mala humilitate idem Isa. ait: Misisti legatos tuos procul, & humiliata es vsque ad inferos. Legatos procul mittere, est adinuentiones in peccatis procurare. Qui se exaltat, humiliabitur. Et si non hic, tamen in futuro. Vnde Isaias: Oculi sublimis hominis humiliati sunt, & inclinabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Deus solus in die illa, id est, in die iudicij. Solus, id est, caput cum membris, totus, scilicet, Christus, vel omnis creatura se nihil esse cognoscet in comparatione eius. Vitemus igitur ruinam superbiæ. Quid enim cœlo altius, quid paradiso iocundius, tamen Angelus de cœlo, Adam de paradiso, per superbiam est deiectus. Vnde Ieremias: Contremuerunt omnia ossa mea à facie Domini. Si igitur ossa, id est, opera fortia contremiscunt, quid faciet caro, id est, opera infirma nedum

*Ecclc. 17.*

*Sopho. 2.*

*Allegoricè per Pharisæũ populus Iudæorum, & per Publicanum populus gentium designatur.*

*Qui se humiliat, exaltabitur. Isa. 40. Isa. 26.*

*Isa. 32.*

*Isa. 32.*

*Isa 57.*

*Detestatio superbiæ & cõmendatio humilitatis. Ier. 23.*

dum mala. Si reprehēditur quid indignè gratias agit, qui de illo qui gratiam impugnat? Si non est iustificatus, qui bis in sabbato ieiunauit: quid de gulosis qui nihil aut parum volunt ieiunare. Si non est iustificatus qui de omnibus decimas reddit: quid de illis qui ministris Dei decimas auferunt. Quoniam igitur odibilis est coram Deo & hominibus superbia, humiliemus nos & respiciamus terram cum Publicano, vt nos terram & cinerem esse attendamus. Stemus à longè, vt nos iustorum consortio indignos iudicemus. Tundamus pectora vt delectatio corporalis in amaritudinem vertatur mentis. Non desperemus de venia, sed clamemus: Deus propitius esto mihi peccatori. Vt iustificati ab illo, qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit, exaltemur in præsenti per sanctæ conuersationis eminentiam & in futuro ad supernam patriam subleuemur. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*Comparatio pharisæi ad alios peccatores.*

*Imitari debemus Publicanum.*

## DOMINICA DVODECIMA THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE ex Psalmis.

*Psal. 69.* *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina: confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam.*

*Amos 7. De diuino auxilio & quod Deus nō deest sperantibus in se.*

ECCE Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij. Verba sunt Amos Prophetæ ostendentis, quod Deus non deest sperantibus in se, sed in eorum adiutorium intendit. Murus enim litus, est populus diuina gratia protectus, sine qua velut paries inclinatus & macheria depulsa absque charitatis cemento, non potest diu subsistere. Trulla siquidem cæmentarij auxilium est Dei. Hac trulla cessante demolitur murus vetustate. Vnde in persona Domini offensi subdit Propheta: Ecce ponam trullàm in medio populi mei Israël, id est, deponam auferendo, scilicet, auxilium meum ab eis. In alia autem translatione sic habetur. Ecce Dominus stans super murum adamantinum, & in manu eius adamas. Adamas ferrugineum colorem habet, sed splendorem cristallinum, & attrahit ferrum. Tales sunt viri sancti despecti mundo, lucentes tamen sanctæ conuersationis exemplo, qui duras peccatorum mentes attrahunt conuertendo ad Dominum. Stat igitur Dominus super murum fortem ipsum protegendo. Adamas autem, id est, vir iustus in manu ipsius est, aliter stare non posset, quantumcunque fortis esset. Anima enim diuino auxilio destituta velut fracto nauis gubernaculo, illuc ducitur vbi impetus tempestatis & diabolicæ suggestionis eam impellit. Et nisi Dominus valida manu misericordiæ suæ eam absoluerit, vsque ad mortem vinculis peccatorum irretitur. Et velut hic qui in rete ponit pedem suum, semper magis ac magis implicatur, & est miser homo velut lapis in montis supercilio constitutus, qui semper ad inferiora descendit, & impetu suo fertur in profundum, nec potest subsistere nisi diuinæ gratiæ retineatur obstaculo. Vnde de ciuitate Babylonica in Apocalypsi dicitur, quod sustulit vnus angelus lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa magna ciuitas. Per lapidem designātur reprobi, dura & obstinata corda habentes. Qui lapis molaris dicuntur, propter instabilitatem, & secularium negotiorum laborem. Magni per potentiam secularem, subleuati in altum per superbiam. Patet igitur quod absque Dei adiutorio, nec stare nec proficere potest vllus homo, sicut scriptum est: Sine me nihil potestis facere. Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam. Frustra enim conatur homo, si destituatur diuino auxilio. Vnde Apostolus: Non enim quod volo bonum, hoc ago. Et Isaias: Filij venerunt ad partum & non est virtus pariendi. Et ideo in hodierno officio Psalmista in persona Ecclesiæ ait: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Et specialiter in persona tribulatorum & afflictorum pro Christo, id est, martyrum inter pasiones periclitantium, sed de capite Christo confidentium. Cum illis etiam est vox omnis iusti, cui ex charitate abundans, iniquitas etiam Christianorum pasio est, quem admodum Loth temporalem pasionem in Sodomis à nullo sustinuit, sed à malis factis eorum. Hanc autem persecutionem immittit diabolus multiformis. Est enim leo apertè sæuiendo, & draco occultè insidiando. Et ita iustorum persecutio, vel est à leone in impetu vel à draco ne in insidiis. Hic autem versiculus ante omnes horas in principio præmittitur, quia cum orare debemus, maximè tentare nititur diabolus, vt muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti. Vnde cōtra illius insultū ante omnia diuinū postulamus auxiliū. In matutinis autē huic versiculo præmittitur: Domine labia mea aperies: ad cōmendationem gratię, sine qua nihil possumus facere. Et in cōpletorio præmittitur: Cōuerte nos Deus salutaris noster, vt cū omnia bene fecerimus, nos seruos inutiles & cōuersione adhuc indigētes humiliter agnoscamus & inchoantes & imperfectos nos semper æstimemus. Cū enim cōsummauerit homo, tunc incipiet, sicut scriptū est: Et dixi nunc cœpi. Deus in adiutorū meū intēde, id est, ad auxiliū meū respice. Domine ad adiuuandum me festina, id est, citò succurre & adiuua. Aduersarius enim noster diabolus nō dormit nec quiescit, sed circuit quęrens quem deuoret. Vnde Iob: Qui me come dūt, non

*Quantumcunque iustus, sit homo & fortis stare nō potest vel proficere sine Dei adiutorio. Simile.*

*Apoc. 18.*

*Quare versiculus iste: Deus in adiutorium, horis omnibus præmittitur.*

*Auxilio accelerato indigemus.*

*Iob. 30.*

non dormiunt, & multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Dæmones enim nunquam cessant insidiari nobis & vestes animæ, id est, ornamenta virtutum, & quicquid virtuosum est in nobis, consumere conantur. Quod autem vnus relinquit, alius consumit. Vnus enim alium adiuuat, & cõcordes sunt ad malũ. Vnde Ioël: Vnusquisq; fratrẽ suum nõ coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt. Habent enim dæmones in decipiẽdo & puniendo ordinẽ suum. Ioël. 2.
Vnde Isaias: Ecce festinus velociter veniet, non est deficiens nec laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, nec soluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius. Isa. 5.
Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. Vngulæ equorum eius vt silex, rotæ eius quasi impetus tempestatis. Rugitus eius vt leonis, tenebit prædam & amplexabitur, sonabit super eum sicut sonitus maris. Valde igitur necessariũ est nobis diuinum auxilium contra diabolum tantum aduersarium, cuius cingulum nunquã soluitur, quia semper paratus est ad præliandum. Nec rũpitur corrigia calciamenti eius, quia pes affectus eius à malitia non nudatur. Sagittæ eius acutæ, quia suggestiones eius penetratiuæ. Et omnes arcus eius extenti, quia doli eius non sunt remissi. Vngulæ equorum eius, vt silex quia infatigabiles nunquam quiescunt. Rotæ eius quasi impetus tempestatis. Impetuose enim sunt luxuria, gastrimargia, auaritia, ira, quæ sunt quatuor rotæ diabolicæ quadrigæ. Rugitus eius vt leonis dicitur, propter intẽsum desiderium deuorandi. Tenet & amplexatur prædam, quia difficilè est de manu ipsius euadere. Sonitus autem eius velut maris, quia nulli parcit, sicut mare naufragis non parcit, sed eos detinet & inuoluit. De his etiam per Abacuc Dominus ait: Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Horribilis & terribilis est: ex semetipsa iudicium & onus egredietur. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis. Suscitat Dominus ad tentandum nos Chaldæos, id est, dæmones feroces & amaros, ad malum faciendum, ambulantes super latitudinem terræ, id est, super illos qui ambulant per viam latam & spaciosam, & super illos qui latas habent possessiones. Nituntur autem auferre Domino animas quas creauit, & redemit, & possidere tabernacula non sua. Dicuntur autem horribiles in se, & terribiles aliis opprimendo & conculcando. Equi autem eorum pardis comparantur. Hi sunt mali homines, vani & inconstantes. Qui etiam lupi vespertini dicuntur, quia rapaces, & in tenebris ambulantes. Dæmones etiam lupi vespertini dicuntur, qui tota die famelici vesperi coguntur exire ad prædam, & quia imminente morte quasi in vespere magis nos infestant, & illos sibi incorporant, qui in tenebris ambulant, & post occasum solis iustitiæ rapiunt incautos. Cùm igitur hostes nostri festinent ad impugnandum, orat Ecclesia vt Deus festinet ad succurendum. Qui tamen aliquando differt liberare, vt ex dilatione crescat desiderium, & ex difficultate pugnæ augeatur meritum. Plerunque etiam permittit hominem cadere, vt cautior & fortior resurgat, & occasione vnius peccati aliud purgetur. Quandoque etiam sustinet quod homo lapsu carnis corruat, vt infirmitatem suam agnoscens humilietur, qui priùs elatus erat, & de viribus suis confidebat, & ita per diarriam curat ventositatem. Sicut enim pannus aqua madefactus, postmodum breuior & fortior redditur, ita homo post inquinamentum luxuriæ diuina gratia eum subleuante, quasi breuior & humilior resurgit, & fortior efficitur. Dominus autem aliquando differt liberare & exponit tribulationibus. Econtra diabolus quandoque parcit suis, vt reddat eos securos & liberiùs mala exerceant.
*De malitia diaboli et desiderio necẽdi.*
*Abac. 1.*
Vnde Osee: Quieuit ciuitas paululum à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Deus in adiutorium meum intende. Insidiæ & angustiæ nobis sunt vndique, circumquaque pericula, vbique bella, foris interficit gladius & domi mors similis est. Extra ciuitatem pagani impugnant pacem, hæretici fidem, scismatici Ecclesiasticam vnitatem. In ciuitate falsi Christiani & tyranni Ecclesiæ libertatem. In domo familia tumultuatur, id est, motus carnales. In thalamo vxor litigiosa nobiscum tixatur, id est, inferior pars rationis, scilicet, sensualitatis. In lecto pulices nos infestant & stimulant, id est, remordens conscientia, scilicet, superior pars rationis siue Synderesis. Propterea in Canticis dicitur: Filij matris meæ pugnauerunt cõtra me. Mater nostra est Eua, quæ tres genuit filios. Motus culpabiles, qui animam maculant, afflictiones pœnales, scilicet, famem, sitim, varias ægritudines & alios defectus, qui nos infestant. Peruersos fratres qui nos impugnant. Primus pugnat contra nos. Secundus circa nos. Tertius contra nos. Multis etiam aliis incommodis subiecti sumus, contra quæ diuino auxilio protegimur. Vnde Psalmus: Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? quasi dicat: Inuanum fremuerunt gentes contra nos, id est, motus sensualitatis. De quibus dicitur: Væ genti peccatrici. Quia adiuuante Domino viri iusti Chananæos sibi faciunt tributarios, sicut scriptum est: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Populi autem meditantur inania, id est, illiciti motus rationis. Sed frustra, quia vir iustus procul odoratur bellum, & exhortationem ducum, & vlulatum exercitus eius, sicut dicitur in Iob: Procul odoratur bellum, impugnationes motuum prædictorum cauit præuidendo. Et exhortationem ducum vanas suggestiones rationis reprimendo & vlulatum exercitus fremitus motuum sensualitatis repellendo. Igitur contra varia incommoda Dominus varia adhibet remedia. Contra ignorantiam quam ex primis parentibus contraximus scripturas sanctificauit & misit in mundum, & aperuit nobis sensum vt intelligeremus. Contra originale peccatum adhibuit baptismi remedium. Contra fragilitatem humanam & varias tentationes confirmationis sacramentum. Contra omnia peccata mor-
*De hospitium multitudine.*
*Osee.*
*De variis remediis contra impedimenta*

ta mortalia confessionis & pœnitentiæ nobis contulit medicamina. Contra carnis concupiscentias, matrimonium ad excusationem luxuriæ. Contra venialia peccata, & lapsus quotidianos, sacramentum Eucharistiæ. Contra mortis pericula & diabolicos insultus & ignem purgatorium, extremæ vnctionis sacramentum. Ad ministranda insuper prædicta sacramenta ministros consecrari voluit in ordine clericali. Et ita vulneribus nostris sanandis in adiutorium nostrum intendendo multipliciter prouidit. Deus in adiutorium meum intende. Nisi nos intendamus, Deus non intendet. Valdè præsumptuosus est qui Deum intendere sibi poscit, & ipse sibi intendere negligit. De quibus Salomon in Prouerbiis: Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo: & dices verberauerunt me & non dolui: traxerunt me & non sensi. In mari dormit qui in huius mundi tentationibus positus irruentium vitiorum impetum quasi inundantium fluctuum prouidere negligit. Et quasi sopitus gubernator clauum amittit, cùm ratio ad regendum nauem corporis sollicitudinem non impendit. Non enim Isboseth inopinata morte succumberet, si non ad gressum domus mulierem, id est, ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Talis autem verberatur à dæmonibus & non dolet, trahitur per vitia & non sentit. Quia imminentia mala non prospiciens per vitiorum illecebras trahitur ad inferni tormenta. Vnde Iob: Vadent & venient super eum horribiles, omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis eius. Super mentes reproborum dæmones horribiles vadunt & veniunt: quia & si aliqua mala deserunt, statim alia committunt. Et in oculis eorum absconditæ sunt tenebræ infernales, quia non attendunt quòd ea quæ faciunt, eos ad infernum deducunt. Intendamus igitur in adiutorium nostrum, & non impediamus nobis adiutorium diuinum. Non reædificemus muros Iericho, quos ipse destruxit: nec iterum plantemus spinas, quas Christus euulsit. Intendamus etiam in adiutorium proximorum nostrorum, vt Deus intendat in adiutorium nostrum. Succurramus fratrum indigentiæ, quæ triplex est. Quia est indigentia pauperum, qui egent bonis temporalibus. Est indigentia peccatorum, qui egent bonis spiritualibus. Est indigentia defunctorum, qui egent suffragiis & orationibus. Sicut autem petimus quòd Deus ad adiuuandum nos festinet, ita & nos proximos iuuare festinemus. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas datum angustianti. Non enim differendum est auxilium quando addest subueniendi facultas, sicut in Prouerbiis scriptum est: Non dicas amico tuo vade & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare. Spes enim quæ differtur, affligit animam. Vnde Iob: Si oculos viduæ expectare feci. Deus in adiutorium meum intende. Sine Dei adiutorio nihil possumus facere: Frustra conatur cui Deus non auxiliatur. Teste Gregorio: Magna est perfectio suæ imperfectionis cognitio. Vnde Psal. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, eorum, scilicet, qui defectus suos recognoscunt. Et iterum: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Et iterum: Nisi quia Dominus erat in nobis, &c. Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem, id est, carnalem voluptatem, mare, scilicet, mortuum, in quo omnia absorbentur, & nihil potest sustinere. Et in Ezechiele: Ingressus est spiritus in me, & statuit me super pedes meos. Teste Gregorio super hunc locum: Ad bona opera conari quidem possumus, sed hoc implere nisi iuuet ipse qui iubet, non possumus. Deus enim est, inquit, Apostolus qui operatur in nobis & velle & perficere. Ipse enim aspirando nos præuenit vt velimus, adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus. Præuenit igitur gratia, sequitur bona voluntas. Et sic gratia omnipotentis Dei fit meritum nostrum. Vnde Apostolus: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Intendit igitur Deus in adiutorium nostrum per gratiam præuenientem, comitãtem & subsequentem. Præuenit dum creat, comitatur dum recreat, subsequitur dum coronat. Quod autem subiungit Psalmus in hodierno officio: Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam ad opprimendum, scilicet, vel occidendum, dupliciter potest intelligi tam de bona confusione & reuerentia bona quàm de mala. Confundi enim in bono est de peruersitate turbari ante confusionem. Defendunt peccata sua vani & glorioſi, sed postmodum conuertuntur. Vnde subdit: Et reuereantur. Reuereri siquidẽ in bono est timere ne pro læsa iustitia pœna sequatur. Vnde in eodem Psalmo subditur: Auertantur retrorsum, id est, non præcedant, sed sequantur. Non suo consilio viuant, sed sanctorum, qui volunt vel cogitant mihi mala. Diuersa enim fuerunt tempora in Ecclesia. Primò fuit tempus & impetus persequentium. Vnde supra dixit: Qui quærunt animam meam. Nunc autem maleuolentia cogitantium remansit & persecutiones verborum. De quibus ait Propheta: Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge euge. Est euge vituperantium, & est euge adulantium. Plus tamen nocet lingua adulantis quàm lingua vituperantis vel manus persecutoris. Est præterea tertium euge applausorium, de quo in Euangelio dicitur: Euge serue bone & fidelis. Prædicta autem possunt intelligi in malo, id est, de mala confusione & reuerentia & inimicorum conuersione retrorsum & destructione eorum. Contra quos diuinum postulat auxilium, quemadmodum Propheta ait: Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Arma, scilicet, proprij corporis in incarnatione, & scutum crucis in passione. Tandem autem assumet gladium extremæ sententiæ. Vnde Isaias: Cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum. Hoc erit in iudicio quando Assur, id est, diabolus cadet gladio Dei, id est, diuina sententia. Propterea idem Isaias ait: In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, grãdi & forti super Leuiathan serpentem

*Intendamus in adiutorium nostrum, vt Deus intẽdat.*

*Intendere debemus in adiutoriũ proximorum & de trina indigentia.*

*Festinare debemus in adiutorium proximorum.*

*Cognoscamus infirmitatem nostram, & quod sine Dei auxilio nihil possumus facere.*

*Expositio literæ.*

*De triplici euge.*

*Qualiter Deus adiuuat nos & vincit diabolum.*

*Isa. 27.*

serpentem vectem,& super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est. Gladio duro,quia inflexibilis est propter pœnæ acerbitatem,grandi propter pœnæ æternitatem,& quia omnes reprobos apprehendet:quia neque ab oriente,neque ab occidente,neque à desertis montibus aliquis effugiet vel euadet.Forti vt nemo resistat,sicut in Iob dicitur:Deus cuius iræ nemo resistere potest. Diabolus autem dicitur serpens in terra, id est,in auaris.Draco in aëre,id est,in superbis. Cetus in mari,id est,in fluxis & luxuriosis.Dicitur autem vectis, quia fortiter impugnat. Tortuosus autem,quia fraudulenter & variis modis tentat. Vnde vix est aliquis qui eius suggestiones euadat, quemadmodum de rege Assur, id est, diabolo Naum ait:Super quem non transiit malitia tua semper,id est,in prosperis & aduersis. Non est enim qui euadat peccata vel tentationes diabolicas.Vnde Psalmus:Vox Domini intercidentis flam mam ignis. Interscindit enim Dominus flammam tentationis & peccati, non penitus in hoc seculo tollit,sicut scriptum est:Fluuios scindes terræ,id est,fluxus terrenos peccatorum.Nihil enim potest contra nos diabolus,nisi quantum à Domino permittitur. Peccata enim nostra faciunt eum potentem contra nos vt permittatur sæuire & laxentur ei habenæ. Vnde in Ezechiele dicitur:In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladij acuti & elimati.Elemati ad fulgendum,& acuti ad cædendum.Exacuere & vade ad dexteram siue ad sinistram,quocunque faciei tuæ sit apperitus. Portæ istæ sunt quinque sensus peccatoris, in quibus est conturbatio gladij limati ad fulgendum,id est, suggestionis diabolicæ ad delectandum,& exemplo malo ad corrumpendum.Et acuti ad cædendum,id est,inferentis pœnæ gehennalis supplicium . Per hoc autem quod ait:Vade ad dexteram siue ad sinistram,libertas sæuiendi designatur. Et ita peccatis exigentibus,& ex magna Dei ira inimici retrorsum non conuertuntur.

*Naum. 3.*

*Nihil potest diabolus nisi permissus. Ezech. 21.*

Propterea per Ieremiam Dominus ait : Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, gentem robustam,gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam,nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quasi sepulchrum patens vniuersi fortes,& comedet segetes tuas,& panem tuum deuorabit,& vineam tuam & ficum tuam. Hæc est gens dæmonum fortis ad impugnandum.Antiqua,& ideo ad decipiendum docta.Cuius linguam,id est,subtiles laqueos & suggestiones ignorant decepti homines.Pharetra eius quasi sepulchrum patens,id est,peccatores à quibus sagittas ferientes elicit,dum ad malum eos impellit. Mortuæ enim animæ sepulchrum est corpus,& ipsa est sepulchrum diaboli.Tales sunt qui exasperant,qui habitant in sepulchris. Et quia prædicti inimici vniuersi fortes sunt, non est paruipendendus eorum conflictus,sed diligenter & viriliter contra eos est dimicandum.Comedunt enim segetes bonorum operum & deuorant atque destruunt in nobis panem verbi Dei,& vinum,id est,feruorem dilectionis,& ficum,id est,dulcedinem deuotionis.Orandus est igitur Dominus,vt virtute eius tanti & tam fortes aduersarij confundantur , qui quærunt animas nostras ad perdendum.

*Ier. 5. De malitia & fortitudine diaboli.*

Amalech enim cum exercitu suo impedire nititur filios Israël,ne pergant ad terram promissionis.Et in Numer.dicitur,quod filiis Israël tendentibus ad terram promissionis,egressus est cõtra eos Og Rex Basan,& tradidit eum Dominus in manibus filiorum Israël,cum vniuerso exercitu suo.Og intercludens vel conclusus interpretatur.Hic est diabolus Rex Basan,id est,confusionis,qui nobis tendentibus ad terram promissionis & habentibus faciem euntis in Hierusalem, viam intercludere conatur . Vnde in Iob : Semitam meam circunsepsit & transire non possum. Pugnauit autem Moyses contra Og,& nihil de Basan reliquit:quia nihil de confusione & turpitudine relinquendum est. Terra autem Basan,sicut ibidem dicitur,vocabatur terra gigantum,id est,dæmonum . Vnde in Prouerbiis:Vir qui errauerit à via doctrinæ,in cœtu gigantum commorabitur . Pari modo Iacob descendens à Laban, hostes habuit à tergo,id est, Laban cum exercitu suo.Et hostes à facie,id est,Esau fratrem suum.Ita qui mundi candorem & diabolum volunt relinquere, retrorsum habent peccatorum præteritorum delectationem, & refricationem. A facie autem variis tentationibus impugnatur:sed ad consolationem suam habuit Iacob Angelum consolatorem.Et nos fratres rogemus Dominum vt intendat in adiutorium nostrum,dicendo cum Propheta:Exurge Domine in ira tua,id est,in vindictam contra diabolum, & exaltare in finibus inimicorum meorum,id est, in possessione dæmonum,vt peccatores ad te conuersi,exaltent & laudent nomen tuum, sicut scriptum est:Glorifica manum & brachium dextrum , extolle aduersarium & afflige inimicum . Glorificatus est enim Christus vincendo inimicum. Extollendo autem hominem,qui prius erat aduersarius grauiter afflixit inimicum , dum conuertit ad hominis exaltationem , quod diabolus machinatus est ad eius deiectionẽ. Nã homini dedit vt esset verè Deo similis,quod diabolus ei in fraudem promisit. Et ita operti sunt confusione &.reuerentia,id est, verecundia magna inimici nostri, qui quærebant animas nostras ad perdendum , quas quæsiuit ad saluandum Dominus noster Iesus Christus,cui est honor,virtus in secula seculorum,Amen.

*Dæmones quærunt animas nostras ad perdẽdum, & impediunt iter nostrum ad Deum. Num. 21. Iob 19. Prouer. 28.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Epistola 2. Corint. 3.

*Fratres fiduciam talem habemus per Christum ad Deum,non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis,quasi ex nobis:sed sufficientia nostra ex Deo est.*

PERDI-

Osee 13. Mala à nobis sunt, bona à Deo. Simile.

PERDITIO tua Israël, tantùmodo ex me auxiliũ tuũ. Verba sunt Osee ostendentis quod perditio nostra, & peccata à nobis sunt, bona autem nostra à Domino Deo. Sicut terra per se producit spinas & tribulos, sed absque alterius cultura non profert triticum. Vnde in eodem Osee dicitur: Voca nomen eius Iesraël, id est, semen Dei, quasi dicat: Nil habes quod non accepisti. Hoc est quod in Canticis sponsa ait: Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Omnes enim alij infructuosi sunt respectu illius, à quo omnis est fructus. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, id est, vsque ad Christum. Omnes alij ex se ferunt spinas & tribulos. Malo autem comparatur Christus, quia exhibet nobis vmbram & fructum, refrigerando contra æstum vitiorum, & reficiendo delectatione virtutum & spiritualium gratiarum. Propterea Apostolus ait ad commendationem gratiæ Dei in hodierna Epistola: Non quod sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Hoc est quod alibi ait: Ipse est qui operatur in nobis velle & perficere.

Isa 26.

Et iterum: Non est volentis neque currentis, quasi diceret: Non est volentis velle, neque currentis currere, sed Dei miserẽtis. Vnde Isaias: Omnia enim opera nostra operatus es nobis Domine Deus noster. Frustrà igitur manus ad operandum extenditur, & incassum ad loquendum lingua conatur sine eius auxilio, à quo omne datũ optimum, & omne donum perfectum est. Debemus tamen ex libero arbitrio cooperari Christo. Vnde Isaias: Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus germen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus. Per germen horti, qui quasi per se germinat, intelligitur prima gratia, quam nobis sine nobis Dominus infundit. In cultura autem terræ agricola Domino cooperatur, quia post primæ gratiæ infusionẽ debemus nos ex libero arbitrio cooperari Deo, postquam liberatum est per gratiã. Liberũ enim arbitriũ & ad bonũ, & ad malum habemus, sed in malo faciendo libera est voluntas: ad bonum autem non est libera, nisi liberata fuerit ab illo qui ait: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Igitur sine spiritu non est libera voluntas hominis, sed cupiditatibus vincitur, nisi per gratiam adiuuetur. Propterea Isaias ait: Apprehendent septem mulieres virum vnum. Quia sine Christo non prodest vniuersitas bonorum operum, sed omnia sterilia sunt. Et licèt infirma sint in se velut mulieres, tamen postquam vestiuntur indumento gratiæ, & pane charitatis saginantur, aufertur ab eis sterilitatis opprobrium, & vtilia redduntur. Et hoc est quod Isaias subiungit in persona septem mulierum, id est, vniuersitatis operum. Septenarius enim numerus est vniuersitatis. Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur: aufer opprobrium nostrum. Patet igitur quod non sumus sufficientes aliquod bonum facere ex nobis. Vnde Ieremias ait: Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Teste enim Psalmo: A Domino gressus eius dirigetur. Vnde illud quod Dominus per Zachariam ait: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, præposterè intelligitur. Nã Deus prius conuertitur ad nos infundendo gratiã, quàm nos cõuertamur ad ipsum. Simile est cùm dicit Rex pauperi militi: Serui mihi, & ego dabo tibi omnia necessaria, cùm seruire non possit nisi prius necessaria ei conferantur. Ecõtra autẽ prius peccat homo quàm subtrahatur ei gratia: nam peccatũ eius causa est subtractionis gratiæ. Vnde de Sedechia legimus, quod prius in oculis eius occisi sunt tres filij, & postmodũ ipse fuit excæcatus. Quia primũ aduenit gratia & vltima naturaliter recedit. Propterea ad Ephesios Apostolus ait: Gratia estis saluati per fidẽ, & hoc non ex vobis. Dei enim donũ est, & non ex operibus, ne quis glorietur. Licèt igitur peccata nostra Deus puniat: *Nil tamen in nobis præter sua dona coronat.* Vnde de Dauid legimus quod mensus est duos funiculos super Moab: vnũ ad mortificandum, alium ad viuificandum. Funiculum, scilicet, damnationis super reprobos, & hoc ex meritis eorum. Funiculum autem prædestinationis & saluationis super illos, quos ex sola gratia saluare disposuit. Vnde valde nos humiliari oportet, & non in nobis confidere, sed in solo Deo, & dicere cum Apostolo: Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, id est, referimus omnia dona nostra ad Deum per Christum, & non habemus fiduciam in nobis. Propterea Isaias ait: Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite absque argento, & absque vlla commutatione vinũ & lac. Vocat pœnitentes, vt ad gratię fluenta properent. Licèt argentum non habeant, id est, nitorem bonorum operum, quasi dicat: properate per contritionem, emite per confessionem, comedite per cordis iocunditatem, vinum spiritualis lætitiæ & lac innocentiæ, absque argento bonorum operum & commutatione meritorum. In commutatione siquidem solet fieri de meo tuum, hoc autem non fit nisi susceptione gratiæ. Quia & si homo bonum opus habeat non est suum, sed Dei. Si malum, nequaquam Deus reciperet illud. Et ideo eleganter ait: absque vlla commutatione. Homo tamen per gratiam præuentus, vsum liberi arbitrij Dei gratiæ debet applicare & cooperari. Et etiam ante gratiæ infusionem niti debet ex bonis naturæ, & seipsum præparare & habilitare. Et hoc est quod in Ecclesiastico dicitur: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, id est, in potestate liberi arbitrij. Adiecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata mea seruare, conseruabunt te, quasi dicat: Si facit homo quod in se est, Deus faciet quod in se est. Ipse enim omnibus gratiam offert. Vnde Apostolus: Videte ne quis desit gratiæ Dei. Non dicit, ne alicui desit gratia Dei, quia omnibus exhibet se radius gratiæ. Et nisi fenestram clauserimus, intrat, & animam illustrat. Et hoc est quod in eodem Ecclesiastico dicitur:

Cooperatores Dei sumus. Isaiæ 61.

Sine Dei gratiã non est libera voluntas nostra ad bene agendum.

Ierem. 10.

Gratia prius aduenit, & postea recedit

Versus.

Isa. 55.

Ad infusionem gratiæ debet homo niti, & se præparare. Eccle. 5. De libero arbitrio.

Apposuit

Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Aquam, id eſt, refrigerium gratiæ. Ignem peccati, & ardorem gehennæ. Et ſubditur: Ante hominem vita & mors bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur ei. Hæc autem ſanè intelligenda ſunt ne in errorem Pelagianum incidamus, qui dicit hominem ſolo arbitrio libero ſibi ſufficere. Niti enim poſſumus ante gratiæ infuſionem, quia velle nobis adiacet, voluntas, ſcilicet, naturalis, quæ languida eſt ſine adiutorio gratię, nec per illam naturalem voluntatem bonum perficere valemus, & ad conatum illum prædictæ authoritates Eccleſiaſtici referri poſſunt, vel ad ſtatum hominis cuius liberum arbitrium per Dei gratiam liberatum eſt, vt poſsit & velit facere bonum. Tunc enim in eius poteſtate eſt vt ad aquam & ad ignem extendat manum ſuam. Et licèt ſufficientiam habeat cogitare & facere aliquid boni, non tamen ab ipſo habet hanc ſufficientiam, ſed à Domino per gratiam. Sicut dicitur quod medicina purgat, & tamen non virtute ſua, ſed virtute ſcammoniæ. *Simile.* Et hoc eſt quod in hodierna Epiſtola Apoſtolus ait: Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Hæc autem verba pendent ex his quæ in eadem Epiſtola ad Corinthios prædixerat, ſcilicet, non ſimus adulterantes verbum Dei, id eſt, non admiſcemus falſa, ſicut pſeudo-prædicatores, de quibus Ieremias ait: Caupones tui miſcẽt aquam vino. Hi ſunt qui corrupta doctrina maculant veritatem, & more fornicatorum ſemen prædicationis effundunt, non curantes de prole ſpirituali germinanda, ſed propriæ vanitatis quærentes voluptatem. Dixerat autem Apoſtolus quod ex ſinceritate loqueretur verbum Dei, id eſt, recta & ſincera intentione, non pro quæſtu & ſine admixtione falſitatis. Prædixerat & Corinthiis Epiſtola noſtra: vos eſtis, id eſt, inſtitutio, in quibus ſcientia mea & vita reputatur ſcripta in cordibus veſtris, quia, ſcilicet, ſemper habemus curam de vobis. Quæ Epiſtola ſcitur & legitur ab omnibus hominibus. Quia, ſcilicet, per nos inſtituti eſtis, & in vobis nos imitari diſcant. Iterũ dicturus erat Apoſtolus, quod idoneus eſſet miniſter noui teſtamenti, & de gloria miniſtrorum magna erat dicturus. Multa enim cognoſcuntur ſancti memorare de ipſis, vt credatur eis, & ne diſcipuli eorum à pſeudo-doctoribus decipiantur. Ne igitur in omnibus his ſeipſum videretur commendare, & gloriam ſuam quærere, ait: Fiduciam talem habemus per Chriſtum, oſtendens quod ſe non prædicat, ſed Chriſtum, quaſi dicat: Fiduciam talem, id eſt, dicendi talia, habemus per Chriſtum, & referimus non ad nos, ſed ad Deum, per quem nobis hæc gratia data eſt. Et non dico nos ita habere fiduciam, quod ſimus ſufficientes ſaltem cogitare aliquid boni, quod ſit à nobis, id eſt, ex parte noſtra, quaſi ex nobis procedat, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Commendatio gratiæ.* Ecce apertè commendat gratiam, quæ non datur propter aliqua merita, ſed omnia bona facit merita ſiue meritoria. Vnde Apoſtolus ad humilitatem inuitans, ait: Quid habes quod non accepiſti? *Locus gratiæ eſt humilitas.* Ex hac enim humilitate valde conſeruatur & augmentatur gratia in nobis. Vnde Bernardus ait: Quid poſſumus gratiæ dignum receptaculum exhibere? Balſamum eſt puriſsimum, & mundiſsimum vas requirit. Nihil purius vel ſolidius quàm humilitas. Vnde ſuper quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum.

Ait igitur Apoſtolus: Sufficientia noſtra ex Deo eſt. Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, id eſt, Euangelicæ prædicationis, idoneos, ſcilicet, vita, ſcientia, & doctrina. *De miniſtris noui teſtamenti.* Hoc eſt quod Zacharias ait: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam. Ecce primum, ſcilicet, ſcientia. Et legem ex ore eius requirent: Ecce doctrina. Quia Angelus Domini eſt: Ecce vita bona, ſiue angelica. *De vita, ſcientia & doctrina.* Idem in Euangelio dicitur: Fidelis ſeruus, ecce vita: & prudens, ecce ſcientia, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum, in tempore: ecce doctrina. Habeat igitur miniſter Euangelij, id eſt, prælatus pectuſculum eleuationis, vt præmineat ſcientia. Et armum ſeparationis, vt præmineat operatione, & vita bona. Et linguam cum faucibus, vt præmineat doctrina. Hęc enim erant partes ſacerdotis in lege. Idoneos nos fecit miniſtros, per quos, ſcilicet, Dominus in nouo teſtamento dona ſpiritus ſancti diuidit, virtutes diſtribuit & peccata relaxat. *Quatuor ſunt neceſſaria miniſtris idoneis* Quatuor ſunt neceſſaria idoneis miniſtris. Munditia vitę, quantum ad ipſos. Honeſtas in operatione, propter exemplũ quantum ad proximos. Doctrina in prædicatione. Diligentia in officij ſui executione, vt diligenter circũeant parochiam ſuam, ſicut Chriſtus circuibat Galilæam. De his autem idoneis miniſtris in Eccleſiaſtico dicitur: Gloria cœli ſplendor ſtellarum. Sicut enim cœlum ſtellæ decorant, ita boni miniſtri Eccleſiam illuſtrant & ornant. *Simile.* De his etiam Pſalmus ait: Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via: Ecce baculus paſtoralis, qui debet attrahere per dulcedinem, regere per iuſtitiæ rectitudinem, pungere per diſciplinam, delinquentibus, ſcilicet, in via dando legem. *De baculo paſtorali & miniſtrorum officio.* Vt ſicut in Ieremia dicitur: miniſter Euangelicus euellat prauam conſuetudinem, deſtruat opus malum, diſperdat circunſtantias peccatorum, diſſipet occaſiones peccandi, ædificet virtutibus informando, & plantet in fide ſubditos confirmando. Vel plantas eos faciat, vt multiplicentur & creſcãt. Et hoc eſt quod ait Apoſtolus. Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus viuificat. Ecce præfert Dominum Apoſtolicæ dignitati & commendat ſe à dignitate officij, ſcilicet, Euangelicæ miniſtrationis, præferens ſe non ſolùm Pſeudo-apoſtolis, qui carnales obſeruantias prædicabant, ſed etiam ipſi Moyſi miniſtro legis. Quaſi diceret: ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & fecit nos idoneos minoiſtros noui teſtamenti. *De præeminentia miniſterorum noui legis.* Pſeudo autem Apoſtoli miniſtri ſunt veteris, Noui teſtamenti dico non exiſtentis in

tis in litera tantùm docente, sed in spiritu adiuuante. Qui per nos nostro, scilicet, ministerio datur. Litera enim sine spiritu occidit, dum facit scienter peccare & addit præuaricationem, & magis incitat ad peccandum, eò quòd nitimur in vetitum. Occidit præsertim post Christi aduentum, dum lex carnaliter obseruatur, & ad literam. Spiritus autem viuificat, quia facit spiritualiter intelligere & implere quod litera præcipit. Lex enim operũ est litera occidens præuaricatorem: Lex autẽ spiritus viuificat dilectorẽ. Non solùm autem de cerimonialibus intelligitur, sed etiã de lege decalogi, quæ scripta fuit in tabulis lapideis. Quia lex subintrauit vt abundaret delictũ. Præcepta tamẽ illa vtilia sunt faciẽti & salubria: adeo quod nisi quis illa fecerit, vitã habere nõ possit. Nõ ergo dicitur litera occidẽs, eò quòd lex mala sit, sed quia prohibẽs peccatũ non viuificat hominẽ, sed occasionaliter auget cõcupiscentiã, & peccatũ cumulat per præuaricationẽ. Quia seruus sciẽs voluntatẽ Domini sui, & nõ faciens, plagis vapulabit multis. Auget igitur peccatũ, nisi gratia liberet per legẽ fidei. Vetustas enim literæ, si desit nouitas spiritus, reos facit, potius homines cogitatione peccati, quã liberet à peccato. Mandatum tamẽ bonum est, licèt sit in litera demonstrante, non in spiritu viuificante vel adiuuante. Quod mandatum si fit timore pœnæ, non amore iustitiæ seruiliter fit, non liberaliter, & ideo non fit salubriter. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non procedit. Si verò asit fides operans per dilectionem, fit dilectio boni quæ non literæ, sed spiritus donum est. Literæ enim sine adiuuante spiritu, occidit. Cùm verò addest spiritus viuificans, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptũ lex faciebat timeri. Patet ergo quod differt inter literã & spiritum. Quæ dico alio modo dicuntur lex & gratia siue vetus & noui testamentũ. Non ergo reprehenditur lex cum dicitur: Litera occidit, sicut nec scientia, dum dicitur scientia inflat. Lex quidẽ bona est, sed cum gratia, sicut scientia cum charitate prodest, sine ea occidit, ita lex sine gratia occidit, cùm sit virtus peccati, non tamen etiam sic mala est. Multa enim quibusdam sunt noxia, quamuis non sint mala. Sic & lex licèt sine gratia non viuificet, non tamen est mala. Nam cùm iubet quod sine gratia impleri non potest, indicat homini quod infirmus est, vt quærat gratiam. Lex ergo ducit ad fidem, fides impetrat spiritum largitorem, quo diffunditur charitas, quæ implet legem. Et quoniam teste Apostolo: Lex quidem sancta & mandatum bonum. Et in Ecclesiastico dicitur: Dilectus Deo & hominibus Moyses. Et subditur: quod dedit illi Deus legem vitæ & disciplinæ, non reprobauit ministerium legis veteris, quæ suo tẽpore obseruata, nõ solum temporalia bona conferebat, sed & vitam æternam præstabat. Præfertur tamen ministerium nouæ legis, ministerio veteris legis. Vnde Apostolus ait de Christo: Nunc autem tantò melius sortitus est ministerium quantò melioris testamenti mediator est. Et ideo in hodierna Epistola subiungit: Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriã vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nã si ministratio dãnationis gloria est, multomagis abundat ministeriũ iustitiæ in gloria, quasi diceret: Deus fecit nos idoneos ministros Euangelij. Et hæc ministratio erit nobis in gloria æterna. Quod probat à minori, quia, scilicet, ministratio mortis, id est, veteris legis, quæ morte corporali puniebat peccatorem, vel præuaricatoribus intulit mortem æternam, quos Dei gratia non adiuuit ad iustitiam implendam, deformata, id est, turpiter formata, quia inhonesta secundum literam præcipiebat, & maximè in carnalibus sacrificiis, in lapidibus, id est, in duris cordibus, vel deformata, id est, plenè scripta in lapideis tabulis ad literam. Si inquam talis administratio fuit in gloria Moysi ministro illius, ita vt filij Israël non possent intendere aciem visus sui in faciem Moysi, quia gloriosa facta erat facies eius, propter fulgorem vultus eius, quæ significabat eum clarè videre, ad quod ille carnales adhuc accedere non poterant, quæ gloria euacuatur, quæ etiam in Moyse statim transiuit, & non est modò in ministris veteris testamenti. Quomodo ministratio spiritus, id est, noui testamenti, in quo datur spiritus, non magis erit in gloria æterna. Fuit etiam ministratio Euangelij Apostolis in gloria miraculorum & aliorum operum, quæ glorioſe Deus operabatur in ipsis. Nam si ministratio damnationis gloria est, & cetera. Vetus testamentum dicitur ministratio damnationis, quia populum illum præuaricatorem constituit, non viuificans ipsum per gratiam: vel quia mortis temporalis damnationem peccantibus inferebat. Et si hoc est, multo magis ministerium iustitiæ, id est, nouum testamentum, in quo datur spiritus iustificans, abundat in gloria, id est, dat abundantem gloriam ministris & obseruatoribus eius. Vel Deo magis est in gloria, id est, in laudeq, uam vetus testamentum, quia magis gloria Dei est in salute quam in morte. Quamuis enim iustè damnet quod agebatur in lege, tamen ad laudem magis proficit si indulget vt possit reus se corrigere, quod in nouo testamento per gratiam præstat. Mystícè autem per faciem Moysi spiritualis intellectus designatur. Per gloriam faciei intelliguntur cerimoniales obseruantiæ, in quibus gloriabantur Iudæi, & erant figura futuræ veritatis. Quæ gloria Moysi euacuatur, quia figurales obseruantiæ fidem habent reuelata veritate per Christum. Gloria Moysi euacuatur, quia figura fuit, non veritas. Gloria Moysi quasi stellæ in nocte, quæ tunc glorioſe apparent. Gloria Christi quasi Sol, qui oriens stellas obscurat. Postquam enim aspirauit dies, id est, gratia & fides noui testamenti inclinatæ sunt vmbræ & annihilatæ, id est, ænigmata figurarum. Vnde alibi Apostolus ait: Non clarificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Tanta est enim gloria noui testamenti, tantus est splendor illo-

*De litera occidente et spiritu viuificante.*

*De lege et gratia, siue de nouo et veteri testamento.*

*Ministerium nouæ legis præfertur ministerio veteris.*

*De facie Moysi mystícè.*

dor illorum, qui scripturas spiritualiter intelligunt, vt quod in veteri testamento est clarificatum, penitus non clarificatum appareat. Vnde Daniël ait: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Non poterant filij Israël intendere in faciem Moysi, id est, capere spiritualem legis intelligentiam. Quod significatum est per velamen positum super faciem Moysi. Vnde & Apostolus ait: Vsque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum. Licèt enim hodie velum templi scissum sit, & veritas clareat, adhuc tamen Iudæi non agnoscunt veritatem. Adhuc mater Iesu, id est, Synagoga, & fratres eius Iudæi foris stant, quærentes eum, nec ad eum per spiritualem intelligentiam valent intrare. Teste enim Apostolo, vsque hodie, dum legitur Moyses velamen positum est ante oculos Iudæorum. Solum enim velamen literæ intuentes, illud quod sub velamine est, splendorem, scilicet, spiritualis intelligentiæ, infirmis oculis non valent intueri. Nos autem, vt ait idem Apostolus, reuelata facie, gloriam Domini contemplamur. In veteri siquidem testamento tenebræ erant super faciem abyssi. In nouo dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux in cordibus credentium. Claritas enim Dei circumfulsit illos: sicut scriptum est: In lumine tuo videbimus lumen, id est, spiritualem intelligentiam. Vnde Isaias: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Facies autem Moysi luminosa erat, sed manus leprosa & pedes inglorij, à quibus iubetur soluere calceamentum. Tales sunt quidam Prælati, quorum facies per prædicationem est radiosa, sed manus, id est, opera leprosa & pedes inglorij & discalceati: quia merentur ex suis actibus, ne sint speciosi, & vocatur domus eorum, domus discalceati. Cornuta autem erat facies Moysi ex cõsortio Domini. Menti siquidem Prælati duo cornua debent imprimi, ardor charitatis & splendor operis: sicut in Ezechiële dicitur: Aspectus animaliũ quasi carbonum ignis ardentiũ: Ecce feruor charitatis. Et quasi aspectus lampadarũ: Ecce splendor exempli boni. Debent insuper Prælati defensionis cornua habere, quibus ventilent hostes. Multi Prælati hodie sibi assumunt cornua vanæ gloriæ, & honoribus sibi impensis iam inaniter attolluntur, & volunt sibi diuinos honores exhiberi, & tanq̃ essent Dij. Et nisi flexis genibus & pileo remoto, & capite inclinato à subditis honorentur, scandalizãtur. Sicut Aman, quia Mardochæus nolebat eum adorare. Diligenter autẽ attendere debemus hoc, quod Apostolus ministrationem veteris testamenti seu legis Mosaicæ, ministrationem mortis & damnationis appellat. Ex hoc enim multi hæretici, & maximè Manichæi miserabiliter errãtes, dixerunt, quòd lex Moysi mala sit & tradita à Principe tenebrarum, & omnes ministri legis veteris cum Moyse damnati sunt, & à Deo reprobati. Multi etiam ex Christianis hodie dicunt, quòd nunquam cæremonialia legis meritoriè fieri potuerunt. Vnde Dauid ait: Vtique holocaustis non delectaberis. Et iterum: Holocaustum & pro peccato non postulasti. Sacrificium & oblationem noluisti. Vnde in Euangelio dicitur: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est: Ac si diceret: Lex non est facta seu data per Christum, sed per Deum tenebrarum. Et per Isaiam Dominus ait: Holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui. Et per Ieremiam ait: Nunquid super hoc locutus sum patribus vestris, nec præcepi eis, vt sacrificarent mihi. Et in Ezechiële ait: Dedi eis præcepta non bona, & iustitias non bonas. Prædicta omnia & consimilia possunt referri ad tempus gratiæ, in quo adueniente luce, voluit Dominus vt cessaret vmbra. Lex enim & Prophetæ vsque ad Ioannem. Vnde per Psalmistam Dominus ait: Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi: ecce venio: quasi dicat: Adueniente me in mundum, sacrificia carnalia cessare voluisti, sicut scriptum est: Nouis superuenientibus, vetera proiicietis. Et Apostolus ait: Quod antiquatur & senescit, prope interitum est. Si autem ad tempus sub lege prædicta referamus, dicendum est, quod voluntate absoluta Deus noluit prædicta sacrificia: nec præcepit hæc Moyses absolutè, sed quasi arctatus, quia proni erant Iudæi ad idololatriam. Et ideo concessa sunt eis hæc sacrificia, ne illa offerrent dæmonibus. Et meritoriè fieri potuerunt, quando fiebant ex charitate & obedientia: sicut beata Virgo meritoriè obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ita opera operantia meritoriè fiebant. Opera autem operata non sanctificabant, sicut Sacramenta nouæ legis sanctificant, velut aqua Baptismi & caro Christi sanctificata per verbum, sanctificat dignè recipientes. Non tamen in eo quod caro est: quia caro non prodest quicquam. Lex autem vetus in tres partes diuidebatur. In cærimonialia, quæ figuræ erant futurorum, & veniente Christo prorsus cessauerunt. Et iudicia quæ data sunt ad lites dirimendas, & ad conseruandam in pace communem hominum cohabitationem, sicut de boue cornupeta, & de cisterna obstruenda, ne bos vel asinus caderet in ea, & de consimilibus. Et hæc ex parte cessauerunt, sicut hodie quædam Patrum statuta & decreta aliqua abrogata sunt. Quædam autem ex antiquis iudiciis adhuc à nobis obseruantur, sicut est illud: Maleficos non patieris viuere, quod adhuc secularis potestas obseruat: quia non sine causa gladium portat. Quædam autem erant simpliciter moralia, quæ naturaliter cordibus hominum sunt infixa, sicut decalogi præcepta, & illa sunt immutabilia. Omnium autem prædictorum administratio, dicitur administratio mortis & damnationis, quia fiebãt à populo carnali seruili timore. Teste enim Apost. Vetus testamentũ in seruitute generabat. Vnde ipse ait: Non accepistis spiritũ seruitutis iterũ in timore. Lex enim cohibebat manũ, sed non animũ. Vnde August. ait,

*De spirituali intelligentia.*

*De cornibus prælatorum.*

*De ministratione mortis & damnationis.*

*De tribus partibus legis veteris.*

quod decalogus est litera occidens. Pauciſsimi enim erant, qui eum ex charitate adimplerent. Vnde etiam dicebatur lex factorum. Oſtendebat enim quid eſſet faciendum, ſed non oſtendebat ex quo eſſet adimplendum. Lex autem noua oſtendit quid ſit agendum, & ex quo ſit peragendum, ſcilicet, ex gratia. Vnde dicitur lex gratiæ. Et quia in nouo teſtamento abunter datur gratia. Quod enim lex imperabat in veteri teſtamento, gratia impetrat in nouo, in quo benedictionem copioſam dedit Legiſlator Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui viuit & regnat, &c. Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MARCVM.

Marc. 7. *Exiens Ieſus de finibus Tyri, venit per Sidônem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei ſurdum & mutum.*

*Verbum Dei curſor eſt & nuntius eius, quem honorificè excipere debemus.*

QVIS dedit vehementiſsimo imbri curſum. Verba ſunt Domini in Iob: quaſi dicat: Ego ſum qui do curſum vehementiſsimo imbri, id eſt, verbo Dei, quod abundè & vehementer irrigat corda auditorum, & tollit omnia obſtacula peccatorum. Tunc autem curſum amittit, quando tantum ad aures & non ad cor venit. Eſt autem nuntius iſte ſeu curſor valde velox: ſicut ſcriptum eſt: Velociter currit ſermo eius. Nam in momento transfert cor hominis à porta inferni vſque ad ianuas Paradiſi. Hunc autem nuntium ſummi Regis debemus in hoſpitio noſtro honorificè recipere & paſcere, verbum, ſcilicet, Dei abundè habendo, vt ait Apoſtolus. Bonis ſiquidem operibus nuntius iſte cibatur, lachrymis verò & deuotione potatur. De his autem qui nuntium iſtum recipere nolunt, con-

Ierem. 33. queritur Dominus per Ieremiam, dicens: Verterunt ad me terga & non facies, cùm docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire, vt acciperent diſciplinam. In diluculo no-

*De impedimento verbi Dei ex abundantia temporalium.*

tatur diligentia & ſollicitudo prædicatoris, & illuminatio prædicationis. Quidam tamen licèt verbum audiant aure corporis, in tenebris remanent: quia terrenis poſſeſsionibus obturatur auris cordis. De quibus idem Ieremias ait: Locutus ſum ad te in abundantia tua, & dixiſti, non audiam. Multi impinguati & in abundantia diuitiarum conſtituti, hodie hoc dicunt facto. Hi ſunt miſeri quidem & reprobi diuites, qui ea, quæ audiunt in ſcripturis, non credunt, eò quòd voluntati ſuæ contradicunt: Vnde ex incredulitate, quaſi irridendo dicunt:

Eccleſ. 2. In ouina pelle quod tibi placet, ſcribe. Econtrà in Eccleſiaſtico dicitur: Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius. Si autem reprobi diuites pœnas inferni crederent, nunquam eos adeò paruipenderent. Orate igitur fratres, Dominum, vt ipſe vehementiſsimo imbre, id eſt, verbo Dei curſum det, vt ad corda veſtra perueniat, & tanquam ſummi Regis nuntium bonum vnuſquiſque veſtrum, in hoſpitio cordis ſui ipſum honorificè recipiat. Exiens Ieſus de finibus Tyri, &c. Quæ timebant adducam eis, quia vocaui, & non erat qui reſponderet. Locutus ſum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis. Verba ſunt Domini per Iſaiam, ad mutos, qui Domino vocanti per beneficiorum exhibitionem, non reſpondent per gratiarum actionem. Vocanti per comminationem, non reſpondent per peccatorum confeſsionem: & ad ſurdos, quibus loquitur Dominus, promittendo, comminando, præcipiendo, & ipſi faciunt autem ſurdam, nec audiunt promittentem ſperando, nec comminantem timendo, nec præcipientem obediendo. Sed & furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, qui obturat aurem vnam terra, id eſt, amore terrenorum, & aliam cauda, id eſt, longa reſte peccatorum, & recordatione atque refricatione præteritarum voluptatum. Quandoque autem huiuſmodi ſurdos & mutos ſanat Dominus. Vnde Iſaias ait: Aures ſurdorum patebunt, & lingua balborum velociter loquetur & planè: ſicut ſcriptum eſt: Sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit diſertas. De hac igitur ſurdi & muti curatione ſpiritualiter intelliguntur ea, quæ Dominus in hodierno Euangelio ad literam legitur feciſſe, vbi dicitur, quod exiens Ieſus de finibus Tyri, venit per Si-

*De Tyro & Sydone, & mari Galilæa.*

dônem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Decapolis autem ad literam, regio eſt trans Iordanem, decem vrbes habens, vt ipſo nomine comprobatur. Myſticè autem per Tyrum, quæ anguſtia interpretatur, ſignificatur Iudæa, quæ amiſſa latitudine charitatis, patitur anguſtiam cordis, quia charitas exhilarat & dilatat, vermis autem conſcientiæ anguſtat. Anguſta etiam erat Iudæa, reſpectu multitudinis Gentium. Vnde Dominus per Iſaiam: Coanguſtiatum eſt ſtratum, pallium breue eſt. Tranſitus igitur iſte de Ty-

*De vocatione Gentium, & reprobatione Iudæorum.*

ro per Sidônem ad mare Galilææ, ſignificat tranſitum Chriſti in Apoſtolos, de anguſtia Iudææ ad Gentium nationem, indomitam, amaram, fluxam & inquietam ad modum maris. Sidôn autem venationem ſignificat. Hic eſt populus Gentium, fera, indomita, cui nemo frænum correptionis impoſuerat. Venatio enim propriè eſt indomitorum & ſilueſtrium animalium. Adhuc Dominus quotidie recedit à Tyro, id eſt, ab his, qui ſunt in anguſtia auaritiæ & fraterni odij, qui, ſcilicet, non habent cor dilatatum per charitatem, & ab his, qui crucem Chriſti ferunt in anguſtia & angaria: Deus enim non vult coacta ſeruitia. Nam qui cogit

cogit inuitum, asinum habet non famulum. Venit autem per medios fines Decapoleos, quia transiens & recedens ab his, quibus decem mandata decalogi dederat, venit ad Gentes exteras, vt eis mandata decalogi prædicaret. Vnde Iob: Qui extendit Aquilonem super vacuum, id est, potestatem diaboli super vacua corda Iudæorum. Et appendit terram super nihilum, id est, exaltauit Ecclesiam super Gentes, quæ priùs erant quasi in nihilum & inane. Ad literam autem non intrauit in regionem illam, sed iuxta fines transiuit. Quod tamen non vacat à mysterio. Quasi enim fines Decapoleos spiritualiter appropinquauit, quia de gente Iudæorũ carnem assumpsit. Vnde Apostolus: Quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est benedictus in secula. Non autem ipsos fines ingressus est, quia ab his nec cognitus, nec receptus est: sicut in Euangelio scriptum est: Ego veni in nomine patris mei, & non suscepistis me. Reprobatis autem Iudæis priùs vocatis, intrauerunt claudi & cæci, muti & surdi, id est, gentiles. Vnde Isaias: Multiplicasti Gentem, conuertendo, scilicet, gentiles, non magnificasti lætitiam, de salute, scilicet, Iudæorum. Quamuis enim gauderent Apostoli de Gentiũ conuersione, doluerunt tamen de Iudæorum repulsione. Vnde Apostolus: Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis. Et Psalmus ait: Eduxit me in latitudinem, id est, in mundi amplitudinẽ, ex omni parte mundi congregans fideles, quamadmodum prædixerat Isaias: Ecce isti de longè venient, id est, à remotis partibus Orientis, & ecce illi ab Aquilone & mari, id est, à Septentrione & Occidente, quia mare Mediterraneum à parte Occidentis est respectu Iudææ. Et isti de terra Australi. Moraliter autem per Orientem intelligitur respectus iudicij venturi, per Occidentem occasus mortis, per Austrum recordatio beneficiorum Christi, per Aquilonẽ memoria peccatorum & tentationum diaboli. Hæc quatuor hominem ad Deum adducunt, & in bono conseruant. Cùm igitur venisset Iesus ad mare Galilææ, adducunt ei surdum & mutum. Quia surdus Saluatorẽ audire & intelligere, mutus autem rogare non valebat. Adducunt eum amici, & pro eius salute Domino supplicant. Conuersi enim aliorũ conuersioni debent intendere, sicut Iona prædicante Niniuitæ conuersi alios incitabant. Hoc est quod Propheta ait: Redde mihi lætitiam salutaris tui. Et posteà: Docebo iniquos vias tuas. Et ad Petrum Dominus ait: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Surdum autem erat genus humanum, quod monita salutis non audierat. Mutum, quia à laude Dei, & à peccatorum confessione cessabat. Obsurduit autem homo ab audiendo vitæ verbo, postquã mortifera serpentis verba cõtra Deum tumidus audiuit. Mutus à laude creatoris effectus est, ex quo cum seductoribus colloquium habere præsumpsit, & varia peste, & omni morbo ferè in primo parente percusum est. Cæcatur, dum videt non videnda. Surdus fit, dum audit nõ audienda. Obmutescit, dum loquitur inepta. Dum odorat à diabolo emungitur, & à bono odore priuatur. Qui enim nimis emungit, elicit sanguinem. Et tunc adeò læditur nasus, vt odorẽ non sentiat. Qui enim delectatur odore prauo vitiorum, meretur non sentire odorem bonarũ virtutum. Mancus fit, dum ad pomum vetitum manum extendit. Incuruatur, dum superbia erigitur. Hydropicus fit, dum concupiscit. Claudus efficitur, dum progreditur. Suffunditur lepra vitiorum, dum nudatur vestimentis virtutum. Dæmone impletur, dum appetit deitatem. Morte moritur, dum audacter excusat peccatum. Non solùm autem sensus exteriores corrupti sunt, sed etiam amisit sensus interiores. Habet enim anima suos sensus spirituales. Fides quidem visus est animæ, obedientia auditus, spes odoratus, charitas gustus, humilitas siue patientia tactus. Sicut enim sine tactu alij sensus esse non possunt, ita sine humilitate & patientia aliæ virtutes esse nequeunt. Hæ enim omnium virtutum custodes sunt. Et quoniam de spinis non colliguntur vuæ, neq; de tribulis ficus: sicut corrupta est anima, ita corrupta sunt opera, nec Deo sunt placentia. Vnde in Malachia Dominus ait: Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nónne malum est? Offer illud duci tuo si placuerit ei. Cæcum est opus nostrum per indiscretionem. Claudum per duplicitatem, dum claudicat homo duabus viis. Languidum est per negligentiam. Similiter muta & surda sunt opera, quæ nec Deum laudant, nec succurrunt necessitatibus pauperum clamantium. Quod autem ait: Offer illud duci tuo si placuerit ei: quasi dicat, non placebit illi. Et multi hodie taliter se habent in Ecclesia coram Domino, quòd ita irreuerenter non auderent stare corã duce suo vel seculari. Adducunt ei surdũ. Est surditas mala, & est surditas bona. Malè surdus est, qui noluit intelligere vt bene ageret, qui nec doctorem clamantem, nec pauperem mendicantem vult audire. Malè surdus est, qui multiplicem Christi clamorem audire contemnit. Ipse clamat per se & per suos, clamat per scripturas, clamat per creaturas. Omnis enim creatura clamat: Deus me fecit. Malè surdus est, cui diabolus auriculam dexteram abscindit, vt non obediat veritati, neque Deo præcipienti. Vnde Apostolus: A veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas autem conuertuntur. Et Psalmus ait: Non audiuit populus meus legem meam, & Israël non intendit mihi. Et de his qui Stephanum lapidauerunt, dicitur: Exclamantes voce magna cõtinuerunt aures suas. Malè surdus est, qui tonitruum diuinæ comminationis nõ audit, nec à voce tonitrui Domini formidat. De quo Iob ait: Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ. De hoc iterum tonitruo in Deuteronomio dicitur: Sit cœlum quod supra te est, æneum: & terra quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuę puluerẽ, & de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. Cœlum erit æneũ, quando intonabit illam terribilem sententiã: Ite maledicti in

*Isa. 9.*

*Isa. 49.*

*De quatuor mundi partibus mysticè.*

*Surdum & mutum adduxerunt.*

*De variis morbis ex primis parẽtibus contractis.*

*De corruptione sensuum spiritualium.*

*De corruptione operum.*

*De mala surditate.*

*Deut. 28.*

ignem æternum. Terra erit ferrea, quando opera noſtra parient malleos percutientes. De quibus in Parabolis dicitur: Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. Imber eſt tentatio diaboli, quæ tunc eſt puluis, quando numeroſitate tentationum & phantaſmatum animi, ſcilicet, & mentis oculum obſcurum reddit. Pluit autem Dominus cinerem, id eſt, criminum multitudinem permiſsiuè. Sub hoc cinere ignis æternæ damnationis nutritur vt non extinguatur. Surditas autem aliquando ſumitur in bono. Vnde in Exodo: Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum? Et in Pſalmo dicitur: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam. Bene igitur ſurdus eſt, qui contumeliis & maledictis aurem cordis claudit, ne iraſcatur vel ad vindictam inclinetur. Bene ſurdus eſt, qui diabolæ ſuggeſtioni aurem claudit, vt non audiat vocem incantantis, ſed habet prudentiam ſerpentis, & velut aſpis ſurda obturat aures ſuas, id eſt, timore finis ſui, vt non aperiat eas incantationi diaboli. Bene ſurdus eſt, qui verbis detractionis aures claudit. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Sepem enim debemus apponere, & detractores pungendo arguere. Bene ſurdus eſt, qui contra adulationum verba aures cordis obturat. Verba enim adulatoria penetratiua ſunt more olei, iuxta illud: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum. Et iterum: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Et dulcia ſunt velut mel. Vnde in Parabolis: Fauus diſtillans labia meretricis, id eſt, adulationis, & nitidius oleo guttur eius. Adulatores enim habent mel in ore, ſed venenum aſpidum ſub labiis eorum, id eſt, in corde. Vnde Pſalmus: Diſperdet Deus omnia labia doloſa. Multi enim potentes & diuites, ſicut in Danièle dicitur, ad vocem fiſtulæ & citharæ adorant hodie ſtatuam multiformem Nabuchodonoſor, id eſt, vanitati mundanæ ſe inclinant. Similiter & mutus quandoque in malo ſumitur, aliquando autem in bono. Malè mutus eſt, qui propter cauteriatam conſcientiam loqui non audet, neque vitia arguere. Vnde Iſaias: Canes muti, non valentes latrare. Male mutus eſt, qui ſilet à laude diuina. Vnde legimus, quod Zacharias factus eſt mutus, donec natus eſt Ioannes. Sacerdotium enim legale mutum eſt à Dei laude, donec per gratiam fidei recuperet loquelam. Malè mutus eſt, qui peccata ſua non confitetur, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea. Vnde in Euangelio legitur: At ille obmutuit. Qui enim in præſenti à peccatorum confeſsione muti fiunt, in futuro præ confuſione & deſperatione non audebunt os aperire, quando dicetur eis: Quomodo intraſtis non habentes veſtem nuptialem? Malè igitur mutus eſt, cuius lingua ne ad confeſsionem laxetur, tot ligatur vinculis quot peccatis. Malè mutus eſt, quem opera ſua irrationabilem & beſtialem eſſe oſtendunt, mugiens vt taurus per ſuperbiam, hinniens vt equus per luxuriam. Vnde Ioël: Effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam, & mugiſtis vt tauri. Vituli, ſcilicet, per luxuriam, tauri & ceruicoſi per ſuperbiam. Et Ieremias: Equi amatores in fœminas & emiſſarij facti ſunt. Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Lupi etiam ſunt per rapinam. Vnde per Oſee Dominus ait: Non clamauerunt ad me in cordibus ſuis, ſed vlulabant in cubilibus ſuis. Hi igitur meritò muti dicuntur, quia mugiunt & vlulant, ſed non loquuntur. Sibilant inſuper ſicut ſerpentes, malè aliis ſuggerendo, & flatu venenoſo alios corrumpendo. Malè muti ſunt Prælati, qui negligunt arguere vitia ſubditorum. Sicut Heli, qui filiorum ſuorum Ophini & Phinees manifeſtam iniquitatem tacendo ſuſtinebat. Tacere enim cùm poſsis contradicere, conſentire eſt. Ophini autem inſania, & Phinees os mutum interpretatur. Hi enim non ſolùm muti erant à laude diuina, & ſubditorum correptione, ſed inſaniebant contra ſubditos per rapinam, per gulam, per ſcandalum, & per violentiam. De rapina arguuntur, vbi dicitur, quod puer Sacerdotum habebat fuſcinulam tridentem. De gula, vbi dicitur: Non accipiam à te carnem coctam, ſed crudam. De violentia, vbi dicitur: Nunc dabis aloquin tollam vi. De ſcandalo, vbi dicitur, quod retrahebant homines à ſacrificio Dei. Bene autem mutus eſt, qui iniuriis & contumeliis ſibi illatis non reſpondet. Vnde de Chriſto Iſa. ait: Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Et per Pſalmiſtam Dominus ait: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperui os meum. Bene mutus eſt, qui propter auditorum indignitatem ſilet, ne ſpargat margaritas ante porcos. Vnde Pſalmus: Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Et ad Ezechiëlem Dominus ait: Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, quia Dominus exaſperans eſt. Bene mutus eſt, qui ex humilitate ſilet. Vnde Ierem. A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. A, id eſt, elementarius ſcientia. A, elementarius vita. A, elementarius doctrina. Super hoc Gregorius ait: Quia difficile eſt purgatum ſe cognoſcere, prædicationis officium tutius declinatur, tamen pertinaciter declinare non debet, cùm ad hoc ſuſcipiendum ſuperna voluntas agnoſcitur. Bene mutus erat, qui dicebat: Poſui ori meo cuſtodiam, dum conſiſteret peccator aduerſum me. Aliquando enim tacendum eſt propter inſidiatores. Nunc autem qualiter ſurdum & mutum ſanauerit Dominus, videamus. Deprecabantur eum vt imponeret ei manum. Et apprehendit eum de turba ſeorſum. Deprecabantur Dominum ſancti Patriarchæ & Prophetæ incarnationem Chriſti poſtulantes, vt imponeret manum auxilij & miſericordiæ ſuper genus humanum, & ipſum per incarnationem ſuam ſanaret. Vnde in Eccleſiaſtico: Medicina omnium in feſtinatione nebulæ, obuians ros ab ardore venienti humilem fecit eum. Per nebulam

*Prouer. 20.*

*De bona ſurditate.*

*De adulationibus.*

*De his qui malè fiunt muti.*

*Item 5.*

*De his qui bene muti ſunt.*

*De ſanatione ſurdi et muti. Eccleſ. 43.*

*Qualiter genus humanũ ſanauit in primo aduentu.*

Chriſti

Christi humanitas, quæ nobis refrigerium præstitit, & Solem iustitiæ nobis visibilem fecit, in qua fuit ros, id est, Christi gratia, obuians diabolo venienti ab ardore inuidiæ & malitiæ accenso quidem ad nocendum, sed à Christo superato. Vnde de aduentu Domini in Ecclesia cantatur: Ecce video Dei potentiam venientem, & nebulam totam terram tegentem. Potentiam appellat Christi misericordiam, quæ potenter retinuit diuinam vltionem, & manum Dei ne feriret. Sicut autem nebula terrenas immunditias abscondit, sic Christus nebulam carnis suæ inter nos & patrem suum posuit, & peccatorum nostrorum multitudinem pallio misericordiæ suæ texit, sicut scriptum est: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Et quasi nebulam texit omnem carnem. De turba autem seorsum apprehendit Dominus surdum & mutum, vt sanaret. Prima salutis via est de turba & de mundi strepitu educi. Teste autem Hieronymo, semper à turbulentis cogitationibus & actionibus inordinatis, sermonibusque incompositis educitur, qui sanari meretur. A turba igitur separat, & postea sanat, vt intelligamus genus humanum salutem consequi non posse, nisi priùs pristinos errores relinquens, à turba immundorum spirituum & à tumultu vitiorum sese reddat alienum. Vnde in Isaia dicitur: Conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum. Hoc fecit propter turbam circunstantem, ne videret eum flentem. Ita quilibet qui bene vult pœnitere, à turba carnalium desideriorum se debet auertere. Et ideo Dominus curaturus filiam Archisynagogi, tibicines & turbam eiici præcepit. Per parietem autem, quæ res fragilis est & luteus, caro nostra intelligi potest. Vnde magna stultitia est in ea confidere. Amos: Qui innititur manu sua super parietem, mordebit eum coluber. Et in Canticis dicitur: En, iste stat post parietem nostrum. Ibi per parietem Christi humanitas intelligitur. Ipse autem post parietem nostræ immortalitatis transiit resurgendo. Ad parietem ergo faciem conuertere, est memoriam suæ conditionis semper præ oculis habere. Et quia paries plerunque fit ex lapidibus, & per lapides peccata intelliguntur. Vnde Isaias: Eligite lapides. Ad parietem faciem conuertere, est peccata sua ad memoriam reuocare. Tria autem sunt quæ nos separant à Deo. Murus. Vnde Psalmus: In Deo meo transgrediar murum. Nubes. Vnde in Threnis: Opposuisti nubem ne transeat oratio. Et sartago illa quam vidit Ezechiël positam inter se & Hierusalem. Per murum obstinatio & duritia auaritiæ intelligitur. Per nubem volatilem & in alto suspensam lenitas superbiæ. Per sartaginem in qua carnes dissoluuntur, peccatum luxuriæ. Si igitur sanari volumus, omnem strepitum malarum cogitationum à mente abiiciamus. Non enim auditur Deus nisi in pace. Vnde Psalmus: Audiam quid in me loquatur Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Scriptum est in Isaia: Non audietur in plateis vox eius in tumultu, scilicet, seculari. Abiiciamus insuper turbam elationis. De qua in Ecclesiastico dicitur: Ne delecteris in turbis. Et in libro Sapientiæ: Discite Iudices, finium terræ, præbete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Fugiamus turbulentos homines. Hæ enim sunt turbæ, quæ comprimunt Dominum, sicut in Euangelio dicitur. De Christo autem legitur, quòd dimissa turba, ascendit in montem. Si ille qui turbari non poterat, turbam dimisit, multò fortiùs nos relicta turba, ascendere debemus in eminentiam virtutum. Scriptum est enim in Exodo: Non sequeris turbam ad faciendum malum: quasi dicat: Non eas post turbas concupiscentiarum, sed claude ostium, ne turba muscarum importuna quietem mentis & deuotionem orationis perturber. Mirabiles enim elationes tumultuantis maris, quæ arcam mentis in diluuio fluxarum cogitationum infringunt, nisi contra eas sit mirabilis in altis Dominus, qui imperat ventis & mari, vt fiat tranquillitas magna. Misit autem Dominus digitos suos in auriculam surdi, & apertæ sunt aures eius. Digitos, id est, dona Spiritus sancti. De qua dicitur: Digitus Dei est hic. Quibus aures cordis ad intelligenda & suscipienda verba salutis ad hymnos, & ad cantica, & psalmos aperuit. Digitum in aurem mittit, dum discretè obedire facit. Vnde Ieremias: Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Hic est digitus ille, de quo in Euangelio dicitur: Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia. Et quoniam fides est ex auditu, auricula sanatur, dum cor ad credendum aperitur. Sicut scriptum est: Propè est verbum in corde tuo, & in ore tuo. Hoc autem est verbum fidei, teste Apostolo. Et hoc significatum est per hoc, quod Dominus seruo summi Sacerdotis aurem restituit. Et in Exodo præcipitur, quod aures serui Hebræi subula perforetur. Verba enim sacræ scripturæ pungitiua sunt, & timorem incutiunt, vt aures cordis ad obediendum perforetur, & dicat cum Propheta: Domine, audiui auditum tuum, & timui. Hac subula perforata est auris Pauli, vt audiret arcana verba, quæ non licet homini loqui, qui priùs continuerat aures suas ad vocem Stephani. Propterea in Euangelio dicitur: Et qui audierit, viuet. Et Iob: Nónne auris verba diiudicat? Auris enim cordis à Domino perforata, & aperta verba diiudicat, dum separat pretiosum à vili, & vera à falsis. Vnde & de Samuële legimus, quod Dominus reuelauerat aurem eius, antequam Saul ad eum veniisset. Hæc est auris audiendi, de qua Iob ait: Auris audiens beatificat me. Et Samuël ad Dominum: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Aliquando autem præsumptio & desperatio aurem cordis obturat, ne audiat homo verbum Dei, & vt præceptis diuinis non obediat. Sed Christus digito aperit

*Ecclesiast. 27.* *Sanari debemus à turba.*

*Isa. 38.*

*Quod tria à Deo separãt.*

*De multiplici turba mala.*

*De digito Dei & aperiens aurium.*

aurem surdi, dum attendit homo, quod digitus rigidus citò & facilè flectitur. Et ita de Dei misericordia non diffidit, & quod flexus digitur rigorem non amittit. Et ita ab ipso præsumptio remouetur. Sic igitur per digitos Christi sanatur infirmus, dum pollice literas antiqui decreti seu chirographi complanat. Indice regnum Dei ostendit. Medio iustitiâ restituit, quæ in nullam partem declinat, sed statera iusta cuncta ponderat. Medico vulnera sanat. Auriculari purgat aures & aperit, vt monita salutis recipiat & discretè obediat. Per digitum enim discretio designatur. Vnde Iob: Attendite me & obstupescite, supponite digitum ori vestro, id est, considerate quæ egi, & admiramini in his quæ patior, & locutioni vestræ discretionis virtutem adiungite. Nunc autem videamus qualiter curatus est mutus. Expuens siquidem Dominus, tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Effeta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Suspiciens in cœlum, docet nos cor nostrum & intentionem nostram ad Deum debere dirigere, & quod de sursum redduntur verba mutis, auditus surdis, & medela cunctis infirmis. Suspiciens autem in cœlum, ingemuit, vt nos à cœlo petere auxilium cum gemitu & suspiriis doceret, vt ad cœlum per gemitus & lachrymas redeundum esse insinuaret. Non enim homo aliquid boni facere potest, nisi datum fuerit ei desuper. Gemere etiam debemus, cùm pro nostris vel alienis peccatis intercedimus. Vnde Propheta: Rugiebam à gemitu cordis mei. Dicendo autem Effeta, vno sermone curauit vt Deus, qui ingemuit vt homo. Ponit igitur Dominus digitum in aure, vt discretè audiamus. Sputum in lingua, vt sapienter loquamur. Ex his autem Dominus ordinem baptizandi sacerdotibus insinuat. Priùs digitos in aures ponit, deinde linguam sputo tangit, & postmodum ait: Effeta, quod est adaperire. Quoniam hi qui baptizantur, priùs Spiritus sancti gratia sunt illuminandi, deinde à doctoribus instruendi, postremò ad fidei confessionem vocandi. Cognitionem enim veritatis debet sequi confessio. Sputum autem ex ore Domini, diuina est sapientia, iuxta illud: Ego sapientia ex ore altissimi prodij. Vnde ex sputo eius terræ admixto, cæcus legitur illuminatus. Sputum terræ miscetur, dum diuina natura humanæ naturæ coniungitur. Per confessionem autem vtriusque naturæ eius, & lingua mutorum, & aures surdorum, & oculi cæcorum, aperiuntur. Sputum etiam ex capite, verbum Euangelij ex diuinitate. Saliua autem diuinæ sapientiæ lingua tangitur, & soluitur linguæ vinculum, vt eructuet verbum bonum. Vnde Isaias: Dominus dedit mihi linguam eruditam. Sputo linguam tangit, vt dicere possit: Domine, labia mea aperies. Sputo lingua tangitur & vinculum soluitur, dum ex ore Redemptoris datur nobis, quæ ipsa est sapientia, mox in nobis confessionis & rectæ prædicationis diuinæ laudis formare verba. Econtrà saliua diaboli lingua peccatoris tangitur, dum verba blasphemiæ & contumeliæ despumat. Quasi autem sputo Dominus linguam tangit, cùm saporem diuinæ sapientiæ cor nostrum facit degustare. Per saliuam enim sapor diuinæ contemplationis aliquando designatur. Vnde Iob: Vsquequo non parcis mihi, vt glutiam saliuam meam? Saliua à capite in os labitur, ab ore in ventre glutitur. Caput est Deus, à quo initium sumimus, venter mens. Vnde in Parabolis dicitur: Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris, id est, gratia illuminans cuncta mentis nostræ, nobis absconsa manifestat. Venter igitur mens est, qui cibum intellectus capit, & omnia membra actionum regit saliua internæ contemplationis. Hoc modo ad os non in ventrem transit, quia ea nunc noster intellectus infunditur, sed mens non plenè satiatur, & sic in gustu est non in satietate. Tunc autem omnia Dominus homini parcet, cùm saliuam glutire permittet, & ad perfectionem suæ contemplationis admittet. Sanato autem surdo & muto, præcepit eis Dominus ne cui dicerent. Iactantiam in omni opere bono prohibet, non in miraculis & sublimitate gloriandum esse docet, sed in cruce & humilitate. Dat etiam exemplum, vt ille, qui nouellus est in conuersione, non solùm ab officio prædicationis cesset, sed etiam opera sua bona abscondat, ne fortè radicem cordis quam profunditas terræ nondum fortiter ligauit, ventus eradicet. Qui autem diuturna conuersatione probatus est, non solùm in prædicatione proficere debet, sed etiam implere exemplum illud quod Dominus ait: Luceat lux vestra coram hominibus, propter quod alteri dixit: Vade & annuntia quanta tibi fecit Deus. Vnde Isaias: Notas facite in populis adinuentiones eius. Et Psalmus: Annuntiate inter Gentes studia eius. Dominus enim studuit, & adinuenit illud nomen, de quo Ieremias: Nouum faciet Dominus super terram, mulier circundabit virum in vtero eius. Sequitur: Quantò autem eis præcipiebat, tantò amplius plus prædicabant, & eò amplius mirabantur. Sciebat ille, qui omnia nouit antequam fiant, quia magis prædicarent, sed hoc præcipiendo voluit ostendere, quantò studiosius, quantoq; frequentius prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi, qui prohibentur, tacere non poterant. Vnde in Actibus Apostoli dicunt: Non possumus non eloqui, quæ audiuimus, & vidimus. Ciuitas autem in monte posita, non potest abscondi. Humilitas semper gloriam præcepit: Fuge gloriam, & ipsa te sequetur: sequere eam, & ipsa fugiet.

*De curatione muti.*

*De sputo Domini admixto terræ.*

*Præcipitur muto & surdo silentium, vt iactantia vitetur.*

*Isa. 12.*

Præcepit Dominus vt prædictum miraculum non manifestarent, & ipsi amplius prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire & mutos loqui:

Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMI-

## DOMINICA DECIMATERTIA, DE INTROITV
### Missae Thema Svmptvm Ex psalmo.

*Respice Domine, in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum * ne derelinquas in finem. Exurge Domine, & iudica causam tuam, & ne obliuiscaris voces quærentium te.*

*Psal 73. *vel, Ne obliuiscaris in finem. alia litera.*

LIBER vitæ & testamentũ altissimi & agnitio veritatis. Verba sunt Sapientis in Eccles. ostendentis virtutẽ libri sacræ scripturæ, qui dicitur liber vitæ ab effectu, quia vitam naturæ docet ad Dei seruitium conuertere. Vitã gratiæ impetrare & conseruare, vitam gloriæ acquirere. Dicitur cognitio, veritas, quia docet vera à falsis, bona à malis discernere. Dicitur testamentum altissimi per similitudinem. In testamentis enim quæ solent fieri ab hominibus, quinque attenduntur. Scriptor seu tabellio, scriptura, testes, & res legata seu promissa ab eo, qui facit testamentum, & quod in morte testatoris testamentum confirmatur. Scriptor veteris testamenti fuit Moyses & Prophetæ. Sed etiam ipse Dominus in tabulis lapideis digito suo scripsit decalogum. In nouo autem testamento scriptor fuit ipse Christus, dum aperuit sensum Apostolis vt intelligerent scripturas, & in cordibus eorum legem euangelicã scripsit. Tabulæ enim fuerunt corda fidelium. Tot enim fuerunt tabelliones, quot extiterunt noui testamenti scriptores. Quatuor autẽ principales fuerunt quatuor Euangelistæ. Scriptura autem veteris testamenti fuit lex Moysi, Psalmi, & Prophetæ, liber Iosue, Iudicum, & Prophetæ, Paralipomenon, Iob, Tobiæ, Iudith, Hester, Machabæorum. Scriptura noui testamenti quatuor Euangelia, Actus & Epistolæ Apostolorum, & Apocalypsis Ioannis. Testes autem veteris testamenti fuerunt sancti Patriarchæ & Prophetæ, quibus locutus est Deus, qui testimonium perhibuerunt de his, quę viderunt, & spiritu sancto reuelante audierunt. Sed & signa, & figuræ, & miracula, quæ Deus in populo illo operatus est, testes fuerũt, sicut scriptũ est: Mirabilia testimonia tua Domine. Testes autẽ noui testamẽti longè plures fuerunt & excellẽtiores, atq; omni acceptione maiores, qui pro testimonij sui assertione vsq; ad sanguinis effusionẽ cõstanter perseuerauerũt, & proprio sanguine subscripserunt. Vnde & Martyres testes interpretantur. Propterea Dominus ait: Vos eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudæa, & vsq; ad extremũ terræ. De his autẽ testibus Iob ait: Instauras testes tuos cõtra me. Christi autem natiuitas, passio, resurrectio, ascensio, spiritus sancti missio, testimonia sunt, quibus probatur, quod Deus nos dilexit. Tres autẽ sunt principales testes, qui testimoniũ dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus. Pater in voce, Verbum in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis. Spiritus quem Christus in morte emisit. Aqua quæ de latere exiuit. Sanguis quem pro nobis effudit, testimonium dant humanitatis eius: & his testibus probatur inæstimabilis charitas, quam ad nos habuit. Vnde diuina scriptura à testibus, quasi à digniori nomen accepit, vt testamentum diceretur. Vel dicitur testamentum à promissionibus. Nam testamentum in vno sensu dicitur promissio, sicut scriptũ est: Statuit illi Dominus testamentũ pacis, id est, promissionem, vbi ait: Pacem relinquo vobis. Et per Isaiam: Erit Sabbatum ex Sabbato, quia per Sabbatum pectoris, peruenitur ad Sabbatum & pacem æternitatis. Et de Aaron in Ecclesiastico dicitur, quod Moyses vnxit illum oleo sancto, & factum est illi testamentum æternum fungi Sacerdotio, id est, in promissionem sibi & filiis suis. In veteri autem testamento delegata sunt seu promissa ad literam bona terrena populo carnali, qui nequaquam æternis vel spiritualibus bonis prouocaretur: sicut cùm dicitur in Leuitico: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis: dabo vobis pluuiam temporibus suis, & terra gignet fructum suum, & pomis arbores replebuntur. Aliquando tamen, sed rarò promittebantur apertè æterna. Vnde Isaias: Israël saluatus est in Deo salute æterna. Sub terrenis tamen promissionibus intelligebantur æterna à veris spiritualibus. Sicut enim omnia contingebant eis in figura, ita in figura æternorum promittebantur terrena. Vnde illud quod Dominus in Leuitico ait, sic intelligendũ est spiritualiter: Dabo vobis pluuiam tẽporibus suis, temporaneum, scilicet, & serotinum, id est, gratiam præuenientem & subsequentem: hoc est quod Osee ait de Christo: Quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber temporaneus & serotinus. Egressus eius de vtero beatæ Virginis fuit quasi diluculum, quia fugatis tenebris, dies nouus nobis illuxit. Christus autem imber temporaneus dicitur per gratiam pręuenientem, serotinus per gratiam cooperantem & subsequentem, vel per duplicem pluuiam intelligitur gratia in præsenti, & gloria in futuro. Quod autem sequitur in Leuitico: Terra gignet fructũ suum, de beata Virgine intelligitur, & de fructu illo, de quo Isa. ait: Et erit fructus terræ sublimis, id est, de Christo. Quod autẽ subditur: Et pomis arbores replebuntur, de sanctis intelligitur, qui bonorum operum multitudine abundant. Vnde & subdit Legislator, dicẽs: Apprehẽdet messium tritura vindemiã, & vindemia sementẽ occupabit. Per messem bona opera, per triturã, vbi paleę à granis separãtur, separatio vanę glorię à bonis operibus intelligitur. Messiũ igitur tritura apprehẽdit vindemiã, id est, bona opera ab omni vanitate separata, cordis exultationẽ & conscientię serenitatem. Vindemia autẽ apprehendit sementem,

*De virtute libri vitæ, id est, sacræ scripturæ.*

*De his quæ in testamẽtis attenduntur.*

*De Testibus.*

*Eccles. 44. De promissionibus in veteri testamẽto. Leuit. 26.*

*Isa. 40.*

*Osee 6.*

id est, conscientiæ serenitas, mentis quietē, quæ est semen quietis æternæ. A spiritualibus igitur promissiones veteris testamenti spiritualiter intelliguntur. Carnales autē carnaliter intelliguntur. Vnde tam Iudæi quàm Sarraceni expectant & sperant se habituros in Paradiso cibos carnales. Sed errant, quia teste Apostolo: Esca ventri & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet. In nouo autem testamento, apertè spiritualia & æterna bona promittuntur, & Paradisi hæreditas, quasi in testamento delegatur: sicut scriptum est: Beati pauperes spiritu: quoniā ipsorum est regnum cœlorum. Et in Euang. iterum Dominus ait: Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater. Propterea de ministris noui testamenti per Isaiam Dominus ait: Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. In veritate, nō in vmbra & figura, sicut opera legalia: neque in vanitate, sicut opera hypocritarum. Fœdus perpetuum non temporale, sicut carnali populo sub lege. In morte autē testatoris confirmatur, & est stabile testamentum. Vnde Apostolus: Vbi est testamentū, mors necesse est vt interueniat testatoris. In confirmatione autem fœderis, secundum morem antiquum solebat feriri animal & occidi, vt notaretur quod sic occideretur, qui fœdus rumperet. Et Dominus nobiscum pactum feriens feriti voluit ad mortem, vt pretiosiori sanguine fœdus magis confirmaretur, qui hoc fœdus ruperit, occidetur. Quoniam autē sanguis est signum vitæ: Dominus sanguinē effudit, vt ostēderet vitam dari in suo sanguine. Patet igitur, quod in morte Christi cōfirmatæ sunt in nobis promissiones hęreditatis æternę. Ipse enim est de quo Propheta ait: Veniet ad templū sanctū suū dominator, quem vos quæritis, & Angelus testaméti, quem vos vultis. Propterea in hodierno officio Psalmus ait: Respice in testamentum tuum, in quo, scilicet, promisisti regnum cœlorum, id est, imple quod promisisti: quia non confido de meritis meis, sed de gratia & promissis. Vide quibus sit hæreditas promissa, vt illis reddas, quibus promisisti. Respice in testamentum tuum, quod morte tua confirmatum est & confirmatur, & quasi sigillo cicatricibus vulnerum, quibus tanquam bulla incorruptibili patri ostensis prouocatur, ne promissiones in obliuionem fiant. De hoc testamento dicitur in Ecclesiastico: Longè est testamentū à quibusdam, & interrogatio hominum in consummatione est. In iudicio enim erit interrogatio conscientiæ cuiuslibet, & propria cōscientia cōdemnabuntur. Hi qui longè erunt à testaméto hæreditatis æternę, & quasi testaméto hæreditabūt mortē æternā. Vnde in eodē Eccles. dicitur: Mors & testamentum inferorū demonstratū est tibi. Hoc enim demonstratū est cuiliber, quod quasi ex testamento succedere debet illi infernalis pœna, qui in præsenti est hæres diaboli in malitia. Sicut qui hæredes sunt Christi in gratia & sancta conuersatione, erunt ex testamento hæredes vitæ æternæ. Propterea de sanctis Psalmus ait: Qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Præcedere enim debent sacrificia martyrij & bonorum operum, vt ordinatè sequatur hæreditas æterni testamenti. Vnde in Isaia Dominus ait: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, id est, fructus terræ promissionis. Lac, scilicet, humanitatis Christi, & mel diuinitatis, vuas, ficus & malogranata. Hi sunt enim fructus, quos inuenerunt exploratores in terra promissionis. Per vuas, feruor dilectionis. Per ficus, dulcedo iocunditatis. Per malogranata, pax & concordia fraternæ vnitatis intelligitur. Vnde Michæas ait: Sedebit vir subter vineam suam, & subter ficum suam: & non erit qui exterreat: quasi dicat: Requiescent securi in feruore charitatis & dilectione conscientiæ & delectationis. In vtroque autem testamento promittit Dominus spiritualia bona in præsenti, & æterna in futuro. Vnde in Deuteronomio ait: Benedictus eris ingrediens & egrediens, & dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te, corruentes in conspectu tuo. Per viam vnam venient contra te, & per septem fugient à facie tua: quasi dicat: Benedictus eris egrediens è seculo, & ingrediens ad vitam æternam. Vel ingrediens interius ad conscientiæ secretum, & egrediens exterius ad operationis actum. Dabit Dominus inimicos tuos, id est, dæmones, ante pedes tuos corruentes, qui per vnam viam, id est, diuina promissione intrant ad nos, vel per vnam viam, scilicet, per malam voluntatem, & per septem fugiunt, id est, septiformis gratiæ auxilio recedunt. Respice in testamentum tuum, adimplendo promissionem & pactum, de quo in Isaia dictum est: Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles: quasi dicat: Sicut feci cum Dauid, dimittendo peccata, ita faciam vobiscum, si tamen fueritis imitatores Dauid fidelis, vt pœniteatis & fideliter ad me redeatis, vt sit sollicitudo in pœnitendo, strennuitas in operando. Fœdus autem Domini est in misericordia, sed fœdus diaboli in crudelitate & malitia. In hoc, inquit, feriam vobiscum pactum, vt eruam vobis oculos dexteros. Respice in testamentum tuum. Respiciamus & nos in testamentum sanctarum scripturarum, vt meditemur in lege Domini die ac nocte. Respiciamus in præceptis scripturarum ad obediendum. Seruans enim mandata, seruatur à mandatis. In prohibitionibus, vt fugiamus malum: in consiliis, ad perfectionem: in comminationibus, ad terrorem: in promissionibus, ad consolationem, & spei confortationem: in exhortationibus, ne torpeamus: in beneficiis, vt gratias agamus, & charitas in nobis accendatur. Vnde in Prouerbiis dicitur: Comede fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo. In melle diuinitas, in fauo deitati coniuncta humanitas intelligitur. Comede, id est, delectare in contemplatione diuinitatis, & in cōsideratione charitatis ineffabilis, qua Dei filius carnem assumpsit. Respiciamus in testamentū sacræ scripturæ, attendendo legem quadruplicē, legem, scilicet, naturæ, scripturæ, gratiæ,

*De promissionibus noui testamenti.*

*De confirmatione testamenti.*

*Eccles. 16.*

*De hæreditate æterna & fructibus eius. Isa. 1.*

*Mich. 4.*

*De promissionibus vitæ, quæ nunc est & futuræ.*

*Respicere debemus in testamentum scripturarum.*

*Prouer. 24.*

gratiæ & pœnitentiæ. Hæc est quadruplex lex quæ proposita est pœnitẽtibus, de qua scriptum est: Propter legem tuam sustinui te Domine. Hic est quartus annus vsque ad quem sterilis ficulnea expectatur. De quo in Euangelio dicitur: Domine dimitte hoc anno vt fodiam, & mittam stercora. Tres autem anni quibus expectatur, sunt tẽpus ante legem, sub lege, & sub Euangelio. In quarto anno pœnitentiæ fodiendum est fossorio contritionis & confessionis, vt educantur in apertum quæ latebãt, & mittuntur stercora, id est, ostenditur quantus sit peccatorum fœtor, & quam detestabilia scelera. Respiciamus oculis cordis in testamentum legis diuinæ, vt impleatur in nobis quod scriptum est: Os meum aperui & attraxi spiritum. Os, scilicet, cordis, quia sine respiraculo scripturarum non est vita homini. Propterea Osee ait: Sicut vacca lasciuiens declinauit Israël. Vel sicut vacca percussa œstro, sicut in alia translatione habetur. Declinantes enim à iugo legis diuinæ, & nolentes respicere in testamentum Dei, diabolus percutit œstro malè suggestionis, & facit huc atq; illuc deuiare, & per cãpos latissimè discurrere. De his autem qui in testamentũ legis diuinę attentè respiciũt, ait Propheta Ioël: Replebuntur areę frumento, & torcularia vino & oleo redundabunt. Qui enim pascitur in lata area sacræ scripturæ, replebitur sacri eloquij vberrate: & torcularia, id est, illi qui ex sacris scripturis exprimunt misterium, redundabunt vino lætitiæ spiritualis & oleo misericordiæ & charitatis. Teste enim Ecclesiast. Breuis est in volatilibus apis, sed initium dulcoris fructus eius. Apis dicitur sacra scriptura, quæ aculeũ habet comminationẽ, & mel promissionũ. Breuis autem dicitur propter humilitatis effectum. Fructus autẽ eius initiũ est dulcoris propter suauitatis effectum. De Iacob autem legimus in Genesi: quod osculatus est Rachel ad puteum, & fleuit. Qui enim in scripturis sacris delectatur, dum ad puteum scripturarum osculatur cœlestia, ei vilescunt terrena. Fleuit Iacob, & sancti multum flent, eò quòd tardè nimis conuersi sunt ad Dominum, vt dicere possint: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Qui igitur in testamentum Domini prædicto modo respiciunt, confidenter possunt petere à Domino & dicere: Respice in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. Pauperum tuorum, pauperum, scilicet, Dei, non pauperum mundi. De quibus in Euangelio dicitur: Pauperes vobiscum semper habebitis. Non pauperum diaboli, de quibus dicitur: Ægestas à Domino in domo impii. Et Iob ait: Egestate & fame steriles, qui mandebant herbas & cortices arborum. Sed culi enim amatores steriles sunt bonis fructibus, & in spiritualium bonorum egestate mandũt herbas, id est, voluptates in virorem apparentes. Et cortices arborum, id est, peccati superficiẽ, cuius medulla plena est veneno, quod non attendunt interius, sed exterius delectantur. Econtra pauperibus Christi dicitur: Hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum. Puer iste pannosus suis similibus panniculosis & pauperibus signum est quod sit saluator eorum. Timeant igitur qui mollibus & pretiosis induuntur, ne sit illis signum damnationis. Ne derelinquas animas pauperum tuorum, quasi dicat: Ne tradas bestiis, id est, diabolo & angelis eius animas confitentes tibi, qui laudant te & accusant se peccata sua confitendo, & defectus suos atque paupertatem humiliter attendendo. Ab his enim qui seipsos vituperant dignè laudatur Deus, sicut scriptum est: Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Dicit igitur anima pauperum tuorum ne obliuiscaris, licèt corpora videaris obliuisci, dum flagellis exponis. Vnde in Threnis dicitur: Tantum in me vertit & conuertit manum suam. Vertit manum percutiendo, & conuertit per pœnitentiam sanando. Quos enim permittit Deus, tanquam oues errantes per campos latissimè discurrere, verisimile est quod ad consortia Angelorum non curat reducere. Vnde Augustinus: Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Ne obliuiscaris animas pauperum, qui obliuiscuntur seipsos propter te, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ tua sunt. Iuxta illud:

*De quadruplici lege.*

*Osee 3.*

*Ioël. 2.*

*De bonis pauperibus.*

*Iob 30.*

*De pauperibus spiritualibus, qui paupertatem suã humiliter agnoscunt.*

*Vt placeas debes immemor esse tui.*

*Versus.*

Non obliuiscitur Christus animas suorum, sed frequenter nos visitat. Sicut enim qui vehementer amat, frequenter amicam suam visitat: sic Christus sponsam suam ex vehementi amore in altari visitat quotidie. Ne obliuiscaris in finem, id est, ne tardes eos ducere in finem, qui Christus est. Vel ne obliuiscaris in finem. Tunc enim maximè necessarium est diuinum auxilium, eò quòd calcaneo nostro serpens antiquus insidiatur. Ne obliuiscaris in finem, id est, post hanc vitam. Sancti enim non quærunt præmia in præsenti, sed patienter expectant quod desiderant, sicut scriptum est: Expectabunt onagri in siti sua. Quidam autem volentes expectare fontem vinum in futuro, bibunt in præsenti aquam turbidam cum luto. Cùm enim hyems serena est & calida, tempus non se habet temperatè, & morbidam atque sterilem reddit æstatem. Ita præsens vita dum prosperitatibus serenatur, generat sterilem æstatem post hyemem huius vitæ, quæ fructu carebit remunerationis æternæ. Sicut enim coruscatio præcedit ictum, sic prosperitas transitoria æternum supplicium. Fatuus est qui in coruscatione fluminis se gaudet illuminari. Flagellum autem incipit in præsenti à domo Dei. Propterea per Ieremiam Dominus ait: In ciuitate in qua inuocatum est nomen meum incipio affligere, & tu quasi innocens relinqueris? quasi dicat: Multo magis tu postea affligeris. Sancti post nubila præsentis hyemis exspectant serenitatem æternæ beatitudinis. Iuxta illud:

*Simile.*

*Simile.*

*Est ęs serena dies post longos gratior imbres:*

*Et post triste malum gratior ipsa salus.* Sequitur: Exurge Domine iudica causam tuam. Ex-

*Versus.*

*Versus.*

*De causa Dei contra reprobos.*

urge ad confortandum me, & pugnandum pro me. Causam autem facit esse iudicis, cui negotij sui qualitas intimatur, quasi dicat: Causa tua est quam ego defendo contra illos, qui tibi detrahunt & obmurmurant. Dicunt enim infideles idola sua ad oculũ ostendentes, vbi est Deus tuus. Et iterum: Quis ostendit nobis bona? Non enim credunt inuisibilia, sed dicunt Christianis: Vana est spes vestra. Iudica igitur causam tuam, id est, fac, vt non fallatur spes mea, qua credidi quod non vidi. Fac vt illi manifestata veritate prædicent, quod prius stultè negabant. Quidam etiam improperabant illis, qui Deo seruiebant videntes eos in præsenti flagellari.

*Iere. 2.*

Cõtra quos per Ieremiam Dominus ait: Nunquid solitudo factus sum Israël aut terra serotina? quasi dicat: Credunt quod malus fructus proueniat ex me, mihi seruientibus, iuxta illud:

*Malac. 3.*

Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Et Malachias in persona eorum ait: Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? Quibusdam enim videtur Deus esse terra serotina. Vnde quia non statim beatitudinem metunt, ad illicita se conuertunt. Vnde in Euangelio dicit malus seruus: Moram facit Dominus meus, tardat venire, & incipit percutere conseruos, manducat autem & bibit cum ebriosis. Sed econtra bonis est Dominus terra fructifera & non serotina, sed tempestiua. Vnde in Apocalypsi ait: Ecce venio citò. Et Iacobus in Canonica: Ecce iudex ante ianuam assistit. Vnde in Psalmo dicitur, quod in custodiendis mandatis retributio multa. Patet ergo quod incipientes sunt quod seruis Dei improperant. Vnde Psal. Memor esto improperiorum seruorũ tuorũ, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die. Et iterum: Vsquequo improperabit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum. Multiplici autem opprobrio affligebant sanctos, improperabant eis fidem Christi, dicentes: Tu credis in crucifixum. Exprobrabant eis tribulationes quas sustinebant. Sicut amici Iob dicebant ei: Vbi est timor tuus, fortitudo tua. Et subditur: Rugitus leonis & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. Rugitus leonum, id est, ferocitas & terror & vox leænæ, id est, clamosa atque impetuosa rapacitas. Leæna enim cum impetu & clamore fertur ad escam, vt pascat fœtus suos, sic & caro vt pascat affectus suos. Dentes leonum, id est, edax & fœtida voracitas. Hæc omnia improperabant Iob comparantes eum leoni, & vxorem eius leænæ, & filios eius catulis leonum. Exprobrabant præterea peruersi homines commutationem Christi, id est, quam fecit Christus. Vnde Psalmus: Exprobrauerunt inimici tui Domine commutationem Christi tui. Cùm enim facit de ebrio sobrium, de luxurioso castum, deridetur teste Iob iusti simplicitas, & reputatur fatuitas, & quasi lampas contempta. Quia intus ardens flamma charitatis, foris nulla resplendet gloria decoris. Lucet ergo & despicitur, quia flagrans virtutibus despectus æstimatur. Per huiusmodi autem derisionem ossa virtutum in multis conteruntur, & à bonis operibus retardantur. Vnde

*Eccle. 28.*

in Ecclesiastico: Flagelli plaga liuorem facit. Plaga autem linguæ comminuit ossa. Multi enim præ confusione & verecundia auertebantur à fide vel à seruitio Christi. Et ob hoc Psalmus orat, dicens: Ne auertatur humilis factus confusus. Hæ erant voces inimicorum tuorum, de quibus Psalmus secundum nostram translationem habet: Ne obliuiscaris vocem inimicorum tuorum. In hodierno autem officio habetur: Ne obliuiscaris voces quærentium te: secundum aliam translationem, id est, illorum, qui te deuotè & humiliter quærunt & deprecantur, vt Deus contra prædictos blasphemos exurgat & iudicet causam suam. Causam Dei dicit, quæ iusta est, & non suã, quia non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens. Vnde Iob: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. De tribus enim accusatur peccator à Do-

*De causa Dei contra peccatores.*

mino. De mendacio, quia fidem primam irritam fecit. De dolo & proditione, quia castrum Dei sui hostibus reddidit. De furto, quia fuit socius Cham, qui furatus est Domino peccatum suum, nec voluit confiteri. In tribus autem habebat Deus causam cum diabolo. Diabolus enim semi-

*De causa Dei cum diabolo. Isa. 33.*

nauit inimicitias inter Deum & hominem. Fœdera rupit inter creatorem & creaturam. Chaos magnum firmauit inter exilium & patriam. Vnde Isaias: Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam. Ecce chaos firmatum irritum factum est peccatum, ecce fœdus ruptum, proiecit ciuitates, nec repurauit homines, ecce inimicitiæ inter Deum & hominem. Per hæc autem facto chirographo diabolus nos obnoxios tenebat perpetuæ mortis. Dominus autem iudicauit in cruce causam suam pro nobis & contra diabolum, soluens inimicitias in carne sua, vt dicitur ad Colossenses, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Et testa Apostolo: fuso sanguine deleuit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Est autem chirographus liber conuentionis in duas partes diuisus, quarum vnam accipit vnus & alteram alius.

*De chirographo.*

Cumque vna pars alteri bene coniungitur, ratum est quod in chirographo reperitur, Scriptura autem fuit: Quacunque hora comedes, morte morieris. Vnam partem homo retinuit, qui de ligno vetito comedit. Aliã diabolus: hanc, scilicet, morte morieris. His coniunctis ratũ fuit, quod in chirographo scriptum fuit. Sed Christus super vtranque partem sanguinẽ suum fudit. Morte enim sua mortem nostram in parte diaboli destruxit. Peccatum autẽ transgressionis in parte hominis scriptum, pro nobis satisfaciendo deleuit. A morte autem resurgendo, & ad cœlos

*De causa Dei contra hominem.*

ascendendo iter ad patriam reparauit. Deus autem causam habebat aduersus hominem. Tenebamur enim illi restituere hominẽ sine peccato, quem in Adam abstulimus. Et satisfacere de iniuria, quia derelicto ipso, diabolũ secuti sumus. Et vt repararemus viã ad regnũ, quę pro nostris peccatis fuerat dissipata, Christus autẽ causam iudicauit pro nobis, & patri in seipso satisfecit.

Soluit

Soluit enim pro nobis debitum sine peccato de virgine nascendo. Expiauit iniuriam & reatum sanguinem proprium fundendo. Iter reparauit ad regnum à mortuis resurgendo. Conuertit enim praua in directa, & aspera in vias planas. Cùm igitur Christus causam nostram suam fecerit, & pro nobis satisfecerit: cum summa diligentia cauere debemus ne iterũ in iudicium Dei incidamus. Absoluti sumus, non igitur iterũ nosmetipsos obligemus. Non vendamus pro vilissima & momentanea voluptate animas nostras diabolo, quas ipse emit tam caro pretio. Fraudulentus autem ponderator est, qui paleam temporalium in statera cordis sui præponderare facit morti Christi & regno paradisi. Vnde per Michæam Dominus ait: Nunquid iustificabo stateram impiam & sacculi pondera dolosa? Filium autem Dei conculcat, & sanguinem testamenti pollutum ducit, qui Christum minoris facit pretij quàm voluptatem peccati. Propterea per Psalmistam Dominus ait: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Plus enim cõtristatur mercenarius de pretio quod aufertur ei, quàm doleat de dolore diurno. Minus enim affligitur de labore, quàm de damno. Sic magis affligimus Christum quã Iudæi, qui eum crucifixerunt, dum ei animas nostras auferimus, quas pretioso sanguine redemit, Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

*Cauẽt absoluti ne incidãt in iudiciũ Dei*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE Epistola ad Galat. 3.

*Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius.*

EGREDERE de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ. Verba sunt Domini ad Abraham, sicut legitur in Genesi: Abrahæ enim multæ factæ sunt promissiones, sicut in hodierna Epistola legitur: Quarum hîc hæc fuit prima, quæ nõ solùm ad literam, sed etiam spiritualiter intelligitur. Abraham enim habuit promissiones vitæ, quæ nunc est & futuræ. Relinquentibus enim terram suam & cognatos, & domos paternas, dicitur quod centuplum accipient in hoc seculo, & vitam æternam in futuro. Vnde cùm Abraham iam exisset de terra sua, de Hur, scilicet, Chaldæorum, & habitasset in Aran, dixit ei Dominus: Egredere de terra tua. Egresso iam corporaliter dicitur, vt egrediatur spiritualiter. Sancti enim diuinitus inspirati de terra sua consueuerunt egredi & peregrè proficisci, vt vitarent varia impedimenta, quæ in patria sua, & inter consanguineos hominem plerunque retrahunt à seruitio diuino. Vnde in Deuteronomio dicitur: Dominus amat peregrinos, & dat illis victũ & vestitũ. Spiritualiter autem tam Abrahæ, quàm aliis qui Domino seruire volunt, præcipitur vt exeant de terra sua, id est, de terreno homine abnegando semetipsos, & de cognatione sua carnales affectus à se removendo. Inimici enim hominis domestici eius. Vnde in Deuteronomio. Qui dixerit patri & matri & fratribus, nescio vos, hi custodierunt sermones Domini. De cognatione etiam vitiorum, quæ quasi quadam consanguinitate nobis adhærent, exire præcipimur, & de domo patris nostri, id est, diaboli, qui pater est imitatorum ipsius. Mũdus autem iste in maligno positus est. Vnde etiam dicitur domus diaboli, qui habitat in amatoribus mundi. Vel intransitiuè potest legi: Egredere de domo patris tui, id est, de mundo, qui pater est secularium, dum conformantur huic seculo. Vnde Psalmus: Pupillo tu eris adiutor. Cui, scilicet, mortuus est pater mundus, & mater concupiscentia. Propterea Dominus ait Abrahæ: Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum, id est, de incendio dæmonum, de voluptate, scilicet, carnali & consanguineorum inordinato affectu, & mundi huius amore. Potest etiá prædictus egressus hoc modo intelligi: Egredere de terra tua, id est, de concupiscentia oculorum, de cognatione tua, id est, de concupiscentia carnis. De domo patris tui, id est, de superbia vitæ. Nam superbia domus est diaboli spiritualis. Egressis igitur prædicto modo de terra sua, & venientibus in terram Ecclesiæ per fidem & sanctã conuersationem, habitantibus etiam desiderio in terra viuentium, id est, in cœlestibus fiunt promissiones quæ sequuntur. Faciam te, inquit, Dominus in gentem magnam, id est, multiplicabo te virtutibus & operibus bonis. Benedicam tibi benedictione gratiæ & benedictus eris benedictione gloriæ, & magnificabo nomen tuum odore bonę opinionis, & fama sanctæ conuersationis. Melius est enim nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa. Benedicam benedicentibus tibi. Qui enim recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Maledicam maledicentibus tibi, id est, inimicus ero inimicis tuis: Maledici enim regnum Dei non possidebunt. Væ his qui dicunt bonum malum. Prædicta autem de Christo specialiter intelligũtur, qui egressus est de terra sua, id est, de Iudęa & de cognatione sua, de gente, scilicet, Iudęorũ, & de domo patris sui, id est, de synagoga. Et veniens in terrã Ecclesiæ factus est in gentem magnam, quia de vniuerso mundo congregauit fideles, & magnificatum est nomen eius vbique. Benedicentes autem Christo corde, ore, & opere, benedicentur, sicut scriptum est: Venite benedicti patris mei: Maledicentes autem illi disperibunt, quando dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum. Secunda promissio facta est Abrahæ, postquam Loth diuisus est ab eo. Leua, inquit,

*Gene. 12. De prima promissione facta Abrahæ*

*De egressu à terra & cognatione & domo patris spiritualiter.*

*De remuneratione egredientium.*

*De egressione Christi.*

*De secunda promissione.*

inquit, Dominus oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem, omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum: Faciamque semen tuum, sicut puluerem terræ. Surge ergo & perambula in longitudinem & latitudinem. Moraliter Abraham, qui pater multarum gentium interpretatur, significat animam, quæ pater est multarum cognationum. Loth autem qui interpretatur declinans, sensualitatem designat. Vnde etiam rixa legitur fuisse inter pastores Loth & pastores Abraham. Carnales enim affectus ex sensualitate repugnant desideriis rationis. Motus enim rationis & sensualitatis sibi inuicem aduersantur. Postquam autem diuisus est à nobis affectus carnalis & à sensualitate alienati sumus: dicitur nobis, vt oculos mentis leuemus in directum, non in obliquum, sicut illi qui duobus Dominus seruire volunt. Vnde Ieremias: Leua oculos tuos in directum, & vide vbi prostrata sis. Ad aquilonem autem aspicimus, vt insidias diaboli caueamus. Ad meridiem, id est, ad beneficia Christi, & ad feruorem charitatis. Ad orientem, id est, ad ingressum in hanc vitam, & ad æterni luminis claritatem. Ad occidentem, id est, ad mortem & ad æternam damnationem. Sequitur autem promissio Domini, dicentis: Terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Terra, scilicet, æternæ beatitudinis, ad quam debemus habere oculum mentis. Semen autem, id est, imitatores sanctorum, vel opera ipsorum hæreditabunt terram promissionis. Facit autem Dominus semen nostrum, sicut puluerem terræ, vt puluis accipiatur in bonum, sicut vbi Balaam in libro Numeri dicit: Quis dinumerare possit puluerem Iacob. Et in Canticis: Anima quæ superius ascendit virgulę fumi ex aromatibus & vniuersi pulueris pigmētarij comparatur. Sancti enim modici sunt per humilitatem, attenuati per carnis macerationem, abiecti etiam sunt & conculcati in hoc seculo. Similiter etiam opera sanctorum atque sanctæ meditationes eorum puluери comparantur, propter multitudinem & humilitatem. Talibus ergo dicitur: Surge à torpore, & perambula terram promissionis pasibus mentis. In longitudine quantum ad æternitatem: & latitudine, quantum ad præmiorum magnitudinem. Tertia promissio facta est Abrahæ reuertenti de prælio post victoriam. Legimus autem in Genesi, quod Loth discedens ab Abraham & amœnitate loci in Sodomis habitans, captus est ab hostibus. Quatuor enim reges conuenerunt aduersus quinque in valle siluestri, quæ multos habebat puteos bituminis. Cùm autem victis quinque regibus ducerent Loth captiuū, vnus qui euasit de prælio, nunciauit Abrahæ quod captus esset Loth, quem secutus Abraham percussis hostibus liberauit. Quibus victis facta est promissio Abrahæ dicente Domino: Noli timere, ego protector tuus & merces tua magna nimis. Et paulò pòst: Suspice cœlum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum. Discamus exemplo Loth, non discedere à consortio bonorum, & fugere consortia prauorum. Teste enim Gregorio: Loth, dum amœna elegit, vtilia refugit, dum loci pulchritudine capitur, ab hostibus captiuatur. Et Ambrosius ait: Virtutum cōsortium deserit, qui speciem eligit, non veritatem. In valle autem siluestri, id est, in mundo peccatis profundo, & à fructu boni operis alieno, sunt multi putei bituminis, quod est gluten tenacissimum, id est, multa retinacula & impedimenta conuertendi ad Deum. Quinque autem Reges sunt quinque corporis sensus. Quatuor Reges, qui vincunt quinque sensus, sunt illecebræ corporales atque mundanæ vanitates. Nā & corpus hominis & mundus ex quatuor constat elementis. Reges autem dicuntur, dum regnant in nostro mortali corpore. Sensus autem nostri facilè corporalibus delectationibus & mundanis vanitatibus cedunt, & eorum potestate capiuntur. Tunc igitur Loth capitur cum motus sensualitatis virtutum consortium deserunt à iustitia declinando. Non igitur rerum transeuntium pulchritudine captus Loth discedat ab Abraham, id est, homo exterior ab interiori. Vnus autem qui euadens, nuntiat Abrahæ, quod captus est Loth, est illa pars superior rationis quæ dicitur Synderesis, quæ semper remurmurat, & nunquam malo cōsentit, quę etiam in Chain non fuit extincta. Semper enim impium remordet conscientia. Hic est solus ille, qui euasit & nunciauit Iob quod opressi erant filij sui. Synderesis enim seu virtus discretionis nunciat animo, quod Loth, id est, sensualitas à bono declinans captiua ducitur, & quod filij Iob, id est, opera bona per mortale peccatum destruuntur & extinguuntur. Abraham autem Loth liberat & reducit, dum ratio vel animus rationalis motus sensualitatis refrænat & compescit. Abraham autem reuertenti à victoria quatuor regum occurrit Rex Sodomorum, id est, diabolus, qui post victoriam solet tentare specialiter per munus à corde, id est, per vanam gloriam & humanum fauorem. Et ait ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Hæc sunt verba diaboli ad prælatum, quasi dicat: Habeas lac & lanam, & procurationes à subditis accipe, animas autem mihi relinque. Respondeat igitur prælatus sicut respondit Abraham: Leuo manus meas ad Deum excelsum, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ nihil accipiam, id est, nec munus occultum, nec munus manifestum. Nisi enim excutiat prælatus manus suas ab omni munere, manus ad Deum leuare non potest, sed eas deprimit ad infernum. Sed & Melchisedech Abrahæ occurrens benedixit, & Abraham decimas ei contulit. Christus enim victoribus suis copiosam tribuit benedictionem. Victor autem non solum primitias, id est, boni operis initium, sed etiam decimas, id est, perfectionem boni operis & finem ad Deum debet referre. Victus autem vitiis in nobis & in aliis, & maximè postquam à muneribus manus excutimus, Dominus confortat pugiles suos, & seipsum in præmium promittit. Et hoc

*De diuisione Loth ab Abraham spiritualiter.*

*De tertia promissione facta Abrahæ.*

*Moraliter de captiuitate Loth & eius liberatione, & de pugna quatuor regum contra quinque.*

Et hoc est quod Dominus dixit: Ego ero protector tuus & merces tua magna nimis. Hoc præmium dicitur sinus Abrahæ, quia more sinus amplum est præmium & secretum quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit. Et quoniam Deus, qui est lux vera, seipsum Abrahæ promisit & imitatoribus eius, orat Ecclesia pro animabus, vt lux perpetua luceat eis, quam olim Dominus Abrahæ promisit & semini eius. Subditur autem in promissione: Suspice cœlum, id est, oculo mentis cœlestia contemplare. Numera stellas, id est, sanctorum merita splendida attendendo & recolendo distingue. Sic erit semen tuum, id est, opera tua luce, scilicet, gratiæ fulgentia & per constantiam, quasi in firmamento fixa. Sancti etiam stellis comparantur, quia cœlum Ecclesiæ exornant, & exemplo sanctæ conuersationis in nocte huius seculi alios illuminant. Post prædictam autem victoriam fit Abraham sollicitus de progenie habenda, dicens: Domine mihi non dedisti semen. Similiter etiam iusti post expugnationem vitiorum laborare debent, vt habeant semen bonorum operum, & quod Domino filios spirituales generent. Quarta promissio facta est Abrahæ, postquam ex præcepto Domini animalia immolauit & volucres. Dixit enim Dominus illi: Sume vaccam triennem, & capram trimam & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa, hæc diuisit animalia per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit. Aues autem non diuisit. Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham. Tria genera animalium, tria genera signant vitiorum. Vacca quæ iugum portat & terram versat, cupiditatem in acquirendis terrenis designat. Capra autē fœtorem luxurię, aries dux gregis superbos, qui volunt præesse nō prodesse. Qui duobus cornibus, id est, potētia & abundātia seculari opprimere nitūtur minores. Hęc debemus occidere in nobis, & Domino per pœnitentiā immolare cōteredo, cōfitendo & satisfaciendo. Vnde etiā quodlibet illorum trium annorum dicitur fuisse. Turtur soliuaga cōtemplatiuos designat. Colūba quę gregatim volat actiuos. Animalia diuidūtur, id est, carnales in Ecclesia, inter quos sunt iurgia & dissensiones. Animalia etiam aduersum se inuicem diuiduntur, dum per diuersa desideria corda carnalium distrahuntur. Vnde etiam volucres super animalia diuisa descendisse dicuntur, quia maligni spiritus discordia & distractione carnalium delectantur & pascuntur. Aues autem indiuisæ remanent, quia spirituales semper vnitatis vinculum tenent. Prædicta autem animalia accipi possunt in bono, vt per vaccam humilis subiectio designetur, quæ triennis esse dicitur, dum homo seipsum humiliando maiori, pari & minori se subiicit. Per caprā propter pilorum asperitatem & peccatorum fœtorem, & detestationem pœnitentia intelligitur, quæ per contritionem, confessionem, & satisfactionem triennis esse dicitur. Per arietem ducem gregis designatur officium prælationis. Vnde etiam trium annorum dicitur, dum prælatus verbo & exemplo atque sacramento populum sibi subiectum pascit. Per turturem castitas, per columbam intelligitur simplicitas. Dum autem prædicta Domino offerimus, & orationibus insistimus, infestant nos volucres, id est, importunæ cogitationes, quæ in ipso orationis sacrificio frequenter se ingerunt, & quod Deo immolamus, rapere & maculare volunt. Sed Abraham abigente diffugiunt volucres, dum manus discretionis immundos spiritus fugat & prauas cogitationes. Multi autem hodie inquietantur importunitate muscarum, quæ venientes ex Ægypto sequuntur sacrificantes in deserto. Musca curiositatis inquietat & maculat sacrificium orationis. Musca vanitatis sacrificium humiliati cordis. Musca voluptatis sacrificium mortificatæ carnis. Cùm autem Abraham hæc ageret, & Sol occubuisset, pauor irruit super eum & horror maximus & tenebrosus inuasit eum. Dictumq; est ad eum: Scito prænoscens quod peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti. Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona, generatione autem quarta reuertentur. In omnibus operibus nostris timere debemus, quia vtrum Deo placeant vel displiceant, ignoremus. Vnde Iob: Verebar omnia opera mea. In fine autem mundi sole vergente ad occasum, id est, in tempore Antichristi horror magnus inuadet sanctos, qui tenebris persecutorum affligentur. Dicitur autem iustis à Domino, vt attendant, quòd peregrinum est semen eorum. Opera enim nostra quasi peregrina sunt in hoc seculo, patria enim illorum est cœlum. In eo enim quod bona sunt, descendunt de cœlo, quia omne bonum perfectum desursum est, & ad cœlum reuertuntur, dum ad Deum referuntur. Iuxta illud: Opera autem illorum sequuntur illos. His autem variis tentationibus bona opera affligi dicuntur, & quasi subiici seruituti. Vnde Apostolus: Carne seruio legi peccati. Et iterum: Quod nolo, hoc ago. Quod ait: Propter motus sensualitatis, qui contra voluntatem nostram insurgunt in nobis. Hic ergo peregrinantur, sed quarta regeneratione in futuro reuertētur, quādo post bonam cogitationem, locutionem, operationem & perseuerantiam à Deo remunerabuntur.

*De quarta promissione.*

*Moraliter de sacrificio Abrahæ.*

Semen etiam Abrahæ, id est, fideles ipsius imitatores, quarta generatione liberati sunt à diaboli captiuitate. Prima generatio fuit in Adam sine patre & matre. Secunda in Eua ex patre, non ex matre. Tertia in quolibet nostrum ex patre & matre. Quarta in Christo, quæ fuit ex matre & non ex patre, secundum quod homo. Et per hanc quartam generationem à seruitute peccati sumus liberati. Quod autem subditur in Genesi, quod occumbente sole, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clybanus fumans & lampas ignis transiens in diuisiones animalium, ad vltimum iudicium referendum est, quod erit valde tenebrosum reprobis. Erit enim illud ad pœnam, quod signatur per clybanum ardentem, aliis autem ad gloriam, quod signatur per lampadem,

lampadem. Hæc est lampas sapientis virginis, id est, retributio iustorum. Inter ista debet discurrere mens sapientis & caligine timoris inuolui, quia nescit vtrum dignus sit odio vel amore. Nescit vtrum opera sua digna sunt ardore sempiterno, vel æterna remuneratione. Vel clibanus charitatis, fumus compunctionis, & lapas boni exẽpli debent comitari sacrificium Abrahæ, id est, cuiuslibet iusti. Post immolationẽ animalium & auium sequitur promissio, & dicitur ad Abrahã quòd iturus sit in pace ad patres suos, & quod sepeliretur in senectute bona. Ex quo certificatus est de salute sua, & quod in charitate decederet. Hæc est senectus de qua dicitur: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Et nos sepeliri debemus cum Christo in pace pectoris, vt tandem consequamur pacem æternitatis. In die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Et Dominus in resurrectione dabit iustis dominium terræ, id est, carnis suę, quia tunc caro spiritui nõ repugnabit. Sed etiam semini Abraham, id est, Christo homini dedit pater dominiũ vniuersalis Ecclesiæ, sicut scriptũ est: Postula à me: & dabo tibi gẽtes hæreditatẽ terrã, & possessionẽ tuam terminos terræ. Quinta promissio facta est Abrahæ, dum mutato eius nomine factum est illi præceptum circumcisionis. Et nos circũcidamur in carne omnia carnalia vitia in nobis resecando. Circuncidamur secunda & spirituali circumcisione in corde, vt prauas cogitationes & omnia vitia spiritualia abiiciamus à mente nostra. Sed & quinq; sensus corporales, & omnẽ membrorũ nostrorum familiã circuncidere debemus, vt ab omni opere malo abstinendo, tandem in octaua ætate resurgentium, tertia circumcisione omni pœna & corruptione, & culpa à corpore & anima resecata, feliciter circuncidi mereamur. In circumcisione autem mutatum est nomen Abrahæ: & nobis dum spiritualiter circuncidimur exuentes veterem hominem, & induentes nouum, qui secundum Deum creatus est, nomina mutantur, dũ de impio pium, de superbo humilem, de ebrioso sobriũ, de luxurioso castũ, de auaro largum, de crudeli mitẽ, de pigro feruentem facit spiritus sanctus, sicut scriptũ est: Nõ recordabor nominum eorũ per labia mea. id est, nõ eis improperabo antiqua nomina. Factæ sunt igitur promissiones Abrahæ, dicente illi Domino: Non vltra vocabitur nomẽ tuum Abram, id est, pater excelsus: sed vocaberis Abrahã, id est, pater multarũ, supple, gentiũ, quod maius est. Quidã enim licèt excelsi sint in sancta cõuersatione, nõ tamẽ plures generãt filios spirituales. Et subdit: Patrẽ multarũ gentium cõstitui te. Omnes enim credẽtes dicuntur filij Abrahę. Vnde de ipso dictũ est: Credidit Abrahã Deo, & reputatum est ei ad iustitiã. Quilibet autem iustus debet prius esse Abrã, id est, pater excelsus per bonã vitã, vt postmodũ sit Abraham, id est, pater multarum gentium generando Deo filios spirituales verbo & exemplo, vel filios bonorũ operum. Nõ tamen debet velle, vt vocetur pater excelsus, nec se reputare debet excelsum, sed videat quod sit pater multarũ bonarũ operationũ: Faciamq; te crescere vehementissime. Ad literã patet quod Abrahã filiis carnalibus & possessione multa creuit in terra. Sed & filiis spiritualibus ac virtutibus à Domino multiplicatus est valde. Regesq; egrediẽtur ex te. Christus enim de regali stirpe fuit secundũ carnẽ. A Christo enim processerunt reges spirituales, & se & alios bene regentes. Daboq; tibi & semini tuo post te terram peregrinationis tuę, & omnẽ terram Chanaán in possessionẽ æternam. Terra peregrinationis nostræ, id est, à qua peregrinamur, cœlum est. Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Chanaán interpretatur commutatio. Tunc igitur nobis dabit terrã Chanaán in possessionẽ æternam, quando exilium cõmutabit in patriã, & miseriã prẽsentẽ in beatitudinem æternã. Terra etiã Chanaã, id est, eorũ qui cõmutantur in bono exuentes veterẽ hominẽ est Ecclesia prẽsens. Subditur adhuc in promissione. Dabo tibi filiũ, cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & reges populorũ oriẽtur ex eo. Ecce promissio de Christi incarnatione, qui benedictus est à Deo & exaltatus in omnes nationes & reges siue principes populorũ, id est, Apostoli spiritualiter orti sunt ex eo. Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisq; nomẽ eius Isaac, & constituam pactum meũ illi. Cecidit Abraham in faciẽ, & risit. Promittitur Abrahæ filius, qui vocatur Isaac, id est, risus, & tunc Abraham risit & cecidit in faciem. Antiqui multum lætati sunt de promissione Christi. Vnde in Euangelio dicitur: Abraham vidit diem meum, & gauisus est. Christus enim risus est sanctorum, & spes atque exultatio eorum. Et ante tantam gloriam in faciem cadentes humiliati sunt. Qui cadit in faciem, videt quò cadat. Et nos ita humiliemur, quod videamus vbi cadamus, & quibus atq; in quibus obedire debeamus. Ad Isaac autẽ statuit Dominus pactũ suũ, & nõ ad Ismaël, quia Iudęis reprobatis multitudo gentiũ cõuersa est ad Dominũ. Cõuersi enim de gente filij sunt gratię & promissionis. Sexta promissio postmodũ facta est Abrahæ. Apparuit enim ei Dominus in conualle Mãbre sedẽti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Apparueruntq; ei tres viri. Quos cũ vidisset, cucurrit in occursum eorũ. Instruimur exẽplo Abrahæ, quod hospitibus debemus occurrere, & non solũ rogare, sed quasi piã violentiã eis facere, & insuper in recessu eos deducere. Vnde postmodũ dicitur, quod Abrahã simul gradiebatur, deducẽs eos. Spiritualiter autẽ in ostio tabernaculi sedere, est extra anteriora respicere & posteriorũ obliuisci. Sedẽti autẽ in ostio fidei, & in feruore sancti desiderij, velut in meridie aduenit Dominus. Et nos debemus ei per liberũ arbitriũ occurrere, & cum gaudio ipsum recipere & dicere: mane nobiscũ Domine. Dixit autẽ Abrahã illis: Ponã pauxillũ aquæ, & lauẽtur pedes vestri, ponamq; buccellã panis, & cõfortetur cor vestrũ. Et nos exemplo Abrahę pedes hospitũ lauare debemus, & plura dare quã promittamus, sicut dicitur in Ecclesiastico:

*De quinta promissione Abrahæ.*

*De circumcisione multiplici.*

*De sexta promissione.*

*De hospitalitate corporali & spirituali.*

sles. Noli esse citatus in lingua tua & remissus in operibus tuis. Dixit enim quod apponeret buccellã panis, & fecit eis præpari vitulũ optimũ cum pane similagineo, & melle ac butyro. Vn de festinãs ad tabernaculũ ait ad Sarã: Accelera & tria sata similæ cõmisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentũ cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimũ, & optimum: deditq; puero, qui festinauit & illũ coxit, tulitq; butyrũ & lac. Ipse quoq; stabat iuxta eos sub arbore. Accelerat Sara, currit Abrahã, festinat puer. In domo sapiẽtis nullus est piger. Spiritualiter autẽ tabernaculum est corpus Christi. Sara quæ interpretatur princeps, est Ecclesia. Panis verò est vnitas Ecclesiastica, quæ quasi ex multis granis, id est, ex multis fidelibus est collecta corpus, scilicet Christi mysticum. Tria sata similæ, tres ordines fidelium in Ecclesia. Per aquam autem baptismi, & per cinerem pœnitentiæ, & per ardorem spiritus sancti efficimur corpus Christi. *Gene. 18.*

Per vitulum optimum & tenerrimum intelligitur Christus, tener per compassionem, & ex armento patriarcharum sumptus. Per butyrum doctrina Euangelica, per lac rudis doctrina legis. Quæ apponuntur cum vitulo asso, id est, cum Christo passo. Euangelium enim & lex testimonium perhibent de Christo. Et nos in conualle duplicis humilitatis, & in ostio tabernaculi custodiendo sensus corporis nostri, & in meridie & feruore charitatis sanctæ trinitati occurramus videntes oculo fidei tres, & vnum adorantes, id est, trinitatem in vnitate credamus & confiteamur. Lauemus pedes affectuum & pedes Christi pauperes reficiendo. Offeramus sanctæ trinitati similam puræ cogitationis: & conficiamus panem ex aqua lachrymarum & coctione spiritus sancti. Panem, scilicet, subcinericium recolendo abiectionem nostræ conditionis. Curramus ad armentum, id est, ad exempla sanctorum. Offeramus vitulum, id est, carnis mortificationem Domino immolemus. Simus vitulus tenerrimus, vt duri & obstinati non simus, sed tractabiles & mansueti. Offeramus butyrum, id est, pinguedinem charitatis, & lac, id est, dulcedinem simplicitatis. His enim ferculis reficitur Deus. Sub arbore etiam crucis stare debemus. Postquam autem Abraham recepit Angelos in hospitio, facta est ei promissio iterum de filio habendo, quæ spiritualiter impleta est in Christo. Et nos hospitales inuicem sine murmuratione esse debemus, vt promissionem hæreditatis æternæ consequamur. Septima promissio facta est Abrahæ post sacrificium arietis, quem loco filij immolauit. Tentauit enim Deus eum, dicens: Immola mihi filium tuum. Duobus autem pueris eius expectantibus cum asino, ipse tulit ligna & posuit super Isaac. In manibus autem ignem & gladium portabat. Moraliter autem Isaac, qui risus interpretatur, est iocunditas temporalis, quæ mactanda est in altari, id est, in consideratione dominicæ passionis. Quidam autem adhuc expectant cum asino, nec ascendunt cum Abraham in montem portantes paleas & stimulum, quæ ad asinum pertinent: non ignem & gladiũ quæ pertinẽt ad sacrificium. Spiritualiter enim pueri sunt pueriles sensus animi, qui cum asino expectant, quia tarditatem semper amant. Duo dicuntur esse pueri otiosi, scilicet, & tepidi portantes stimulum carnis & paleas leuitatis. Abraham qui interpretatur pater multarum gentium, id est, animus genitus & multarum cogitationum ascendit cum puero, id est, cum corde puro portans ignem charitatis & gladium prædicationis in manibus operis. Ego, inquit, & puer reuertemur ad vos. Necesse est vt ambo redeant, id est, vis rationis & puritas mentis ad agendam curam carnis in necessariis non in desideriis. Isaac ligatur, sed non occiditur. Et caro nostra nexibus disciplinæ est liganda, non occidenda. Quod autem in ea brutum est, id est, aries debet occidi. Allegoricè autem Deus pater arietem, id est, Christum secundum carnem immolari voluit, secundum autem diuinitatem Isaac, id est, Christus euasit illesus. Post immolationem sequitur promissio de multiplicando semine Abrahæ. Et post passionem Christi multiplicatum est semen spirituale & dilatata est Ecclesia vsque ad fines terræ. *De septima promissione.* *Moraliter.* *Allegoricè de immolatione Isaac.*

Granum enim frumenti cadens in terra, postquam mortuum fuerit, multum fructum attulit. Vnde in Psalmo dicitur: Foderunt manus meas & pedes meos. Et subditur: Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Patet igitur quod Abrahę dictę sunt promissiones, sicut in hodierna Epistola dicitur, & semini eius, id est, Christo. Ad eum enim pertinebat, quia per eum promittebatur danda benedictio. Et quod semen illud sit Christus, & non alius, ostendit ex verbis scripturæ Geneseos, quæ est: in semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit scriptura: In seminibus quasi in multis, id est, sicut faceret si de multis vellet intelligi. Sed dicit in semine tuo, quasi in vno, id est, sicut qui de vno vult intelligi & illud vnum est Christus. Vnde subdit, qui est Christus, quasi dicat: Non potest alius inueniri, qui omnes gentes benedixerit. Vnde Iob de sapientia patris, id est, de Christo: Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Nõ conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Aurum obrizum sunt angeli fulgentes, qui nullis sordibus culpæ obfuscantur. Sed nullus eorum datus est ad redemptionem nostram. Nec argentum, id est, aliquis in prædicatione sonorus pro Christi commutatione est appensus in cruce. Quilibet enim illorum insufficiens est ad redemptionem. Nec conferetur Indię tinctis coloribus, id est, huius mundi sapientibus, qui aliud esse quàm sint verborum compositionibus, quasi superductis coloribus mentiuntur. Non adæquabitur ei aurũ vel vitrum. Aurum Indię lucet, vitrum translucet. Per hæc sancti in patria intelliguntur, quia non solùm in se fulgent per claritatem, sed etiam mentem suam ab aliorum oculis intuentium inuicem non abscondunt. Nec tamen *Iob. 28.* *In solo Christo adimpletæ sunt promissiones.* *Iob. 28.*

Christo

Christo adæquantur, quia non est sanctus, vt est Dominus. In semine igitur Abrahæ, id est, in Christo solo benedicuntur omnes gentes. Vnde Isaias: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Et in Psalmo dicitur: Potens in terra erit semen eius. Sicut enim pater vitã habet in semetipso, sic dedit & filio vitã habere in semetipso. Vnde Apost. Viuo ego, iã non ego, viuit autẽ in me Christus. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Et iterum: Mihi viuere, Christus est. Vnde Dominus in Euã. Ego sum via, veritas & vita. Via exẽplo, veritas documento, vita præmio. Via sine errore quærẽtibus, veritas sine falcitate inuenientibus, vita sine morte permanentibus. Cũ igitur facta sit Abrahę promissio, quod in semine eius fieret omnibus benedictio, per legẽ postmodum datã, nõ est irrita promissio. Et ita per legẽ nõ est salus, sed per solã Christi gratiã. Et hoc est quod subiungit Apostolus in hodier. Epist. Hoc autẽ dico testamentũ à Deo confirmatũ. Quę post quadringentos & triginta annos facta est lex, nõ irritũ facit ad euacuandã promissionẽ. Nã si ex lege hęreditas, iã nõ ex promissione, quasi dicat: Hoc testamentũ confirmatũ à Deo per iuraméta, dico & affirmo quod lex nõ facit irritũ: quod faceret si per legẽ daretur benedictio. Promissio enim illa nõ dicit quod per legẽ daretur benedictio, sed per semẽ. Quod si per legẽ benedictio est, frustra promisit semẽ, & frustra ipsum semẽ venit. Nõ igitur per ipsam benedictio, quia data est post multũ tẽporis à promissione facta Abrahæ. Si ergo de ea esset benedictio, homines illius tẽporis, scilicet, Abrahã, Isaac, & Iacob nõ habuissent eã. Et hoc est quod ait: Quæ lex facta est, id est, data post quadringẽtos & triginta annos à promissione facta Abrahę. Si ergo lex iustificat, nõ est iustificatus Abrahã, qui multũ ante legẽ fuit, quod cõstat esse falsum. Credidit Abrahã Deo ante legẽ, & reputata est ei fides eius ad iustitiã. Igitur antiqui qui iustificati sunt, nõ ex lege, sed ex fide iustificati sunt. Et ita lex nõ facit irritũ testamentũ, nõ infirmat promissionẽ, neq; euacuat. Sic enim falsa esset promissio, & Deus mẽdax. Nam si ex lege daretur hęreditas, id est, ex legis operibus æterna beatitudo, tunc iã nõ daretur ex promissione. Et ita exclusa promissione frustraretur Abrahã. Abrahæ autẽ per repromissionẽ donauit Deus, id est, per fidẽ Christi sæpè promisit donare hæreditatẽ. Ostẽdit igitur à destructione consequẽtis, quod nõ ex lege, sed ex fide est iustificatio & hæreditas, quasi dicat: Si est ex lege, nõ est ex promissione: sed est ex promissione, nõ est ergo ex lege. Cũ igitur lex neminẽ iustificet, videtur quod superfluè & nõ in vanũ fuerit data. Vnde ponit quæstionẽ satis necessariã, dicẽs: Quid igitur lex? Et statim soluẽs ait: Propter transgressionẽ posita est, donec veniret semẽ cui promiserat ordinata per Angelos in manu mediatoris, quasi dicat: Posita est in medio, id est, inter promissionẽ & semẽ propter trãsgressiones cohibẽdas, vt saltẽ timore pœnæ homines cessarẽt trãsgredi & quãdoq; id facerẽt volũtate. Data est ergo lex vt populũ rudẽ sub timore Dei erudiret, & dignus fieret accipere promissionẽ, vel propter transgressionẽ, id est, vt homo superbè de suis viribus cõfidens factus præuaricator, liberatorẽ saluatorẽq; requireret. Data est ergo lex vt superborũ ceruix, quos faceret transgredi humiliaretur, vt medicus optaretur. Putabãt enim liberũ arbitriũ sibi sufficere ad iustitiã, dicentes nõ deesse qui impleat, sed deesse qui iubeat. Data est ergo lex ad domandã illorũ superbiã & prodendã eorum infirmitatem. Data est etiã duris in flagellum. Data est præterea in signum futurorũ, vt figuratũ figuris attestaretur. Ecce habes quatuor legis causas breuiter assignatas. Ordinata est etiã lex per Angelos, id est, per Moysen & alios ministros. Vel per angelos ordinata, id est, ministerio angelorum hominibus data, in quibus erat & loquebatur Deus. Ordinata dicit, quasi in medio posita inter legem naturæ & legẽ gratiæ. Posita etiã in manu mediatoris, id est, in potestate Christi, vt staret vel cessaret quando vellet. De quo mediatore subiungit: Mediator vnius non est, Deus autẽ vnus est. Cùm enim Christus sit Deus & homo, inter Deum & hominem mediat, dum eos qui à Deo recesserant, per se reconciliat, habens conuenientiam cum vtroq; extremorum. Medius autem non est nisi inter duas res. Mediator enim vnius nõ est, Deus autẽ vnus est, quasi dicat: Nõ potest esse mediator inter Deũ & Deum, quia non est nisi vnus Deus, sed est mediator inter Deum & hominẽ. Ipse autẽ licèt sit medius inter Deum & hominẽ, cum est Deus & vnus cum Deo patre per diuinam naturam, cui mediat per humanam. Si autẽ vnius tantum esset naturæ, non esset medius inter Deum & hominẽ. Vel Deus vnus est, id est, ipse Christus homo, licèt mediator inter Deũ & hominẽ idẽ Deus est cũ patre. Nõ enim plures sunt dij, sed Deus vnus est. Ipse autẽ licèt sit medius inter Deum & hominẽ, nõ est partim Deus, partim homo, sed totus Deus & totus homo. Posset enim alicui videri, quòd Christus quia mediator est inter duo extrema non esset Deus, vel quod duo dij essent. Potest insuper hoc modo intelligi: Mediator vnius non est, id est, ipse mediator non est vnius populi tantũ, id est, Iudæorũ, qui legẽ habuerunt, sed etiã gẽtilium. Quia nõ solũ Iudæos, sed etiam gentes reconciliat Deo. Quod facere potuit, cùm ipse sit vnus Deus, idẽ, scilicet, Deus cum patre. Patet igitur ex promissis, quòd lex nõ euacuat promissionem. Nõ enim ex lege est iustitia, sed ex promissione. Et hoc est quod subdit: Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit, quasi dicat: Non irritã facit promissionẽ, nec est inimica promissioni, sed magis cõfirmat eam, nec tamẽ præstat vitã. Vnde & subdit: Si enim data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia, & ita nõ esset ex promissione, sed irrita esset promissio. Si enim lex posset præstare vitã, & id quod promissio spoponderat, exhibere: verè promissio per legẽ putaretur excluſa, sed non est ita. Non enim lex vitam præstat, sed potius transgressores constituit, & sub peccato con-

*Per gratiam promissio & non per legẽ.*

*Quare data sit lex.*

*De Christo mediatore. Nota.*

*Lex non euacuat promissionem sed magis confirmat.*

tato cõcludit. Et hoc est quod subiũgit: Sed cõclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credẽtibus. Scriptura, id est, lex scripta, cõclusit omnia sub peccato, id est, ostendit omnes homines clausos esse sub peccato. Non enim data est vt peccata auferret, sed vt sub peccato omnia cõclusa esse ostẽderet. Et hoc ideo Deus disposuit, vt homines notata infirmitate sua, & legis insufficiẽtia, accelerarẽt ad gratiã, per quã promissa cõsequerentur. Lex igitur data est, vt gratia quęreretur. Gratia data est, vt lex impleretur. Vitiũ est enim quod demõstratur per legẽ, sanandũ fuit per gratiã. Et ita data est lex, vt homo cognosceret peccatũ suum. Et ipso currente ad gratiam, promissio daretur credentibus ex fide Iesu Christi Domini nostri. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Luc. 10.

TETENDIT arcum suũ, & posuit me tanquã signũ ad sagittã. Misit in renibus meis filias pharetrę suæ. Verba sunt Ieremię in Thren. Arcus Dei est sacra scriptura, in qua per chordam noui Testamẽti flectitur duritia veteris. Ex hoc arcu sagittæ mittuntur, quibus cordis duritia penetratur. Vnde idem Ierem. ad Doctores & Prælatos ait: Pręparamini cõtra Babylonem per circuitũ, omnes qui intenditis arcũ: debellare eam nõ parcatis iaculis, quia Domino peccauit. Animæ autẽ auditorũ sunt quasi signũ ad sagittã, vt hinc suscipiant vulnera charitatis, inde iacula repellãt inimici. Ex arcu autẽ sacræ scripturę mittuntur sagittæ amoris & timoris, vt animæ charitate vulnerẽtur, & vitia puniantur. Vnde subditur: Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, id est, sagittas ardentes & acutas ex diuina scriptura, vt in me virtutes propagẽtur. In renibus enim spiritualibus intelligitur propagatio spiritualis, sicut in renibus carnalibus propagatio carnalis. Vel in renibus mittit sagittas, vt in nobis carnalẽ voluptatẽ destruat. Arcus enim Domini quandoq; dicitur iudiciũ eius. Vnde & tendere dicitur arcũ, dum differt iudiciũ, expectãdo peccatores ad pœnitentiã, quia mauult habere quos remuneret, q̃ quos damnet. Vita enim non vult mortẽ, nec salus perditionẽ. Vnde in Psal. dicitur: Dedisti metuẽtibus te significationẽ vt fugiant à facie arcus, id est, diuini iudicij possint fugere percussionẽ. Cuiusmodi autẽ significatio sit ista, dicitur in Eccles. In thesauris sapiẽtiæ significatio disciplinæ. Thesauri sapiẽtiæ sunt sacræ scripturę, quibus instruimur ad disciplinã, præsertim quãdo attẽdentes pœnas aliorũ, corrigimur, & disciplinã flagellorũ patienter sustinemus. Orate ergo Dominũ, fratres, vt sagittæ verborum Dei, quę ex arcu diuinæ scripturę eliciuntur, hodie pungẽt & penetrẽt corda vestra ad timorẽ, & vulnerẽt ad charitatẽ. Beati oculi qui vident quę vos videtis. Oculi tui sicut piscinę in Esebon, quę sunt in porta filię multitudinis: sicut dicitur in Cant. Esebon interpretatur cingulũ mœroris. Piscinæ sunt loca aquas assiduas & copiosas habẽtia. Oculi autẽ sunt qui arcana Dei aspiciunt. Qui si accincti per continentiã fuerint, & mœrorẽ, id est, lachrymarũ copiã habuerint, non solũ cordis desiderio in præsenti habitabunt, sed intrabunt in futuro in porta filię multitudinis, id est, in æterna beatitudine, vbi multitudinis beatorũ cor vnum est & anima vna. De his autẽ oculis dicitur in hodierno Euãg. Beati oculi qui vident quę vos videtis, id est, qui hominẽ vidẽres crediderunt Deũ, sicut Thomę Dominus ait: Quia vidisti me, credidisti. Vidisti, scilicet, exterius corporali oculo, & credidisti interius oculo spirituali. Vnde & subditur: Dico autẽ vobis, quòd multi Reges & Prophetę voluerunt videre quę vos videtis, & nõ viderunt: & audire quę vos auditis, & nõ audierunt. Licèt autẽ Prophetę & Reges spiritualiter se benè regẽtes per spiritũ sanctũ Christum futurũ præuidissent. Vnde de Abrahã dicitur: Vidit & gauisus est. Desiderabãt tamẽ eũ videre corporaliter secũ conuersantẽ, colloquentẽ & conuescentẽ. Beati siquidẽ oculi, qui ita corporalibus oculis exterius viderũt, quod oculis spiritualibus interius agnouerũt. Hanc enim geminã visionẽ desiderabãt sancti Reges & Prophetæ, qui à longè gloriã Dei videbãt, quasi per speculũ & in ęnigmate. Sed Apostoli pręsentẽ ipsum habẽtes ab eo quę volebãt, interrogabãt, nõ per Angelos, vel per varias visionũ species, sicut antiqui docebãtur. Vnde Isa. de Apostolis ait: Ipsi videbunt gloriã Dei & decorẽ Dei nostri, id est, miracula, & alia quæ gloriose fiebãt à Christo. Beati igitur oculi qui viderũt exterius & interius, qui sic viderũt quod credidерunt. Alioquin qui tantũ viderũt Christũ oculis exterioribus & nõ interioribus, sicut Scribæ & Pharisæi, beati nõ fuerunt, sed maledicti. De quibus scriptũ est: Obscurentur oculi eorum ne videant. Vnde & Christus ait: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia reuelasti hæc parvulis, & abscondisti sapiẽtibus. Ipse enim & se, & Patrẽ, & abscondita sacramẽta humilibus reuelauit. Multi igitur Reges voluerunt videre præsentẽ quem desiderauerũt absentẽ, id est, sancti viri, se & alios benè regentes. Mens siquidẽ non potest habere in se virtutũ regnum, nisi priùs excusserit iugũ vitiorũ. Talis Rex fuit Abrahã, qui vidit in spiritu diem Christi, & gauisus est. Intellexit enim hominem Deum, de stirpe sua nasciturum. Vnde ait seruo suo: Mitte manum tuam sub fœmore meo, & iura mihi per Deum cœli. Ostendit igitur illum de stirpe sua nasciturum, qui sic ad fœmur eius pertineret, vt Deus cœli crederetur. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Hos oculos illuminat verus Sol, qui illuxit eis, qui tot radios ex se emittit, quot de

Thren. 3. *De arcu & sagittis veteris Dei.*

*Arcus Dei dicitur iudiciũ.*

Eccles. 1.

*De oculis Dei & de piscina.*

*De desiderio videndi Christum, quod habuerunt antiqui.*

Isa. 35.

Matth. 11.

*De multiplici oculo & illuminatione eorum.*

quot de se virtutũ exempla producit. Radiũ, scilicet, humilitatis, patiẽtię, paupertatis, charitatis, & aliarũ virtutũ. Sunt autẽ duo oculi, scilicet, cognitionis & affectionis. Oculũ cognitionis illuminat veritas, oculũ affectionis charitas. Oculus cognitionis respicit quid sit agendũ, oculus affectionis quid sit optandũ. Propterea Psal. ait: Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiã in corde meo. Per lumẽ quod super nos vel in nobis est signatũ, designatur diuina imago in discretione rationis. Per lætitiã diuina similitudo in iocunditate delectationis. Homo enim factus est ad imaginẽ Dei secundũ cognitionẽ rationis, ad similitudinẽ secundum affectũ dilectionis. Illuminatis igitur interioribus oculis, cõsideramus eius gloriã, & nostrã dolemus miseriã. Vnde Abrahã, viso Domino, ait: Loquar ad Dominũ meũ cùm sim puluis & cinis. Videmus eius mundiciã, & peccatorũ nostrorum immundiciã. Vnde Isaias, viso Domino super soliũ excelsum, ait: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Videmus eius diuitias, & nostrã gemimus paupertatẽ. Vnde Ierem. Ego vir vidẽs paupertatẽ meã. Et Daniel visa Dei maiestate: Cecidi, inquit, in terrã, nec remãsit spiritus in me. Consideramus eius iustitiã, & reputãtur à nobis omnes iustitię nostræ tanq̃ pannus mẽstruatę. Vnde Iob: Oculus meus videt te, & idcirco ago pœnitentiã in fauilla & cinere. Beati igitur oculi, qui hoc modo se humiliant, visa Dei maiestate. Beati qui vidẽt proximos oculo misericordiæ. Beati qui vidẽt seipsos oculo iustitię. Ecce tres oculi. Oculus humilitatis, quem diabolus excæcat per superbiã. Oculus misericordiæ, quẽ diabolus excæcat per auaritiã. Oculus iustitię & vindictæ, quẽ diabolus excæcat per carnis voluptatẽ, vt de carne nostra nõ sumamus vltionẽ. Vnde B. Iob: Quoties lucerna impiorũ extinguetur, superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui. Lucerna impiorũ extinguitur, dũ à diabolo excæcãtur. Et idcirco inundatione dolorũ & angustiarũ, tam in hoc seculo q̃ in alio, miserabiliter affliguntur. Dolores furoris super impiũ diuiduntur, dũ & hic diabolus illos tẽporali dolore disuerberat, & in futuro pœnas eis æternas cõseruat. Vnde Iere. ait: In nouissimis diebus intelligetis consiliũ eius. Quia tunc eritis vidẽtes in pœna, qui modò clausos habetis oculos in culpa. De his autẽ reprobis & maledictis oculis dicit Salomõ: Oculi stultorũ in finibus terræ. Tres sunt oculi stultorũ, lasciuus, elatus, & nequã. Tres sunt fines terræ, id est, eorũ qui terrena diligunt, voluptas, vanitas, & malignitas. Oculus lasciuus in fines voluptatis dirigitur. De quo dicitur: Impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Oculus elatus in fines vanitatis. De quo dicitur: Generatio cuius oculi excelsi sunt. Oculus nequã in fines malignitatis. De quo dicitur: An oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum. Tres autẽ prędicti oculi triplici medicamẽto sanãtur & illuminãtur à Deo. Oculo lasciuiæ Dominus lutũ ad sanandũ apponit, dũ fœtorẽ carnalis voluptatis ante mentis oculos ponit, & q̃ vilis sit turpitudo luxuriæ nobis ostẽdit. Vnde & cęci nati oculos, vt videret, luto liniuit. Oculũ vanitatis, qui stercore hirundinũ excęcatur, sanat Dominus felle piscis, sicut legimus in Tob. Hirundo cęteris auib⁹ citius volat. Et mundana vanitas citò trãsit velut vmbra. Qui igitur immunditia terrenorũ excæcãtur, felle piscis sanãtur, dũ attẽdunt quãtis amaritudinib⁹ hęc trãsitoria respergũtur, & quod pœna æterna vanitatẽ huius seculi sequitur. Oculus autẽ nequã simplicitate & obediẽtia curatur. Vnde & Paulus crudeliter sæuiens in discipulos ad misionẽ Ananiæ, qui ouis interpretatur, per quam simplicitas designatur, visum recepit. Generaliter autẽ omnis cæcitas collyrio pœnitẽtiæ efficaciter curatur. Vnde Angelo Laodicię in Apocal. pręcipitur, vt inungat collyrio oculos suos. Per hunc enim designantur, qui suorum abundantia peccatorũ excæcãtur. Cui etiã dicitur: Pauper & cæcus, & nudus es, suadeo tibi emere aurum ignitum. Pauper virtutibus, cæcus doctrina, nudus bonorum operũ vestimẽtis. Talibus igitur dicitur vt emant aurũ sapiẽtiæ ignitũ charitate. Sapientia enim sine charitate nõ prodest, sed obest. Quia scientia inflat, quam charitas nõ ædificat. Quod patet in Legisperito, de quo in hodierno Euang. subditur: Ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, dicens: Magister, quid faciendo vitam æternã possidebo? Magistrum vocabat cuius discipulus esse nolebat. Non enim animo addiscendi, sed tentandi, ipsum interrogabat, volẽs experiri vtrum interrogationi suę benè an malè respõderet, vtrum ex verbis eius occasionẽ opponẽdi & cõtradicendi habere posset. Nec enim credebat in eum, sed quasi explorator, nõ quasi discipulus ipsum audire volebat. Marcus tamẽ dicit, quod ei sapiẽter respõdenti Dominus dixerit: Non longè es à regno Dei. Sed verisimile est quod alius fuerit. Vnde nõ dicit Marcus, quod quęsierit quid faciẽdo haberet vitã æternã, sed quęsiuit quod esset primũ mandatũ in lege. Si tamẽ de eodẽ intelligatur, potuit fieri, vt qui priùs quęsiuit tentãdo, audito Domini respõso, correptus sit. Vel tentatio illa nõ fuit mala, sed charitatiua, nõ vt decipere vellet, sed vt amplius experiretur ignotũ. Interrogãti ergo Dominus ait: In lege quid scriptũ est, quomodo legis? Ita Dominus respõsionẽ suã tẽperauit, vt nõ ad interrogationẽ Scribę respõdeat, & à tentante reprehẽdi nõ posset. Vnde etiã illũ ad legẽ mittit, quã in ore, nõ in corde gestabat. Verba enim legis tenẽs, vim legis nesciebat, qui Christi aduentũ in mundum, & eius incarnationẽ, quã lex prędixerat, ignorabat. Vnde & Magistrum ipsum vocãs, Deum tacet. Neq; enim Christum Deum, vel Dei filium esse credebat. Et licèt tentator iste Deum corde nõ diligeret, de mãdato tamẽ dilectionis rectè respõdens, ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximũ tuũ sicut teipsum. Hoc mandatum ex Deuteronomio sumptum, diuersas recipit expositiones. Augustinus sic exponit: Toto corde, id est, intellectu, sine errore. Tota anima, id est, voluntate, sine contrarietate. Tota

*De intuitu oculorum, ex quo illuminati sumus.*

*De tribus oculis, & triplici visione, et oculorum excæcatione.*

*Ierem. 23.*

*De tribus oculis stultorum.*

*De medicina & sanatione oculorum.*

*Ioan. 9.*

*De Legisperito tentante Dominum.*

*Quod diligendus est Deus ex toto corde, tota anima, et ex totis viribus.*

Tota mente,id est,memoria sine obliuione. Et secundū hoc non potest impleri in via, sed implebitur in patria,quādo omnes motus nostros in Deum dirigemus,vbi intellectus errare non poterit,nec insurget in nobis aliquis motus sensualitatis,qui sit cōtrarius dilectioni. Et in memoria nostra ita fixus erit Deus,quod assiduè cogitabimus de ipso. Et hæc est totalitas patriæ, omnes motus animi ad Deū sine intermissione referri. Licèt enim aliquis in cōtemplationis excessu nō nisi de Deo cogitet,& in illo solo delectetur, absq; vllo errore & cōtrarietate,& nihil præter Deū habeat in memoria,diu tamē in hoc statu nō potest manere. Datur autē hoc præceptū,teste Augustin. nō quia possit adimpleri in via, sed potius vt sciamus quò peruenire debeamus,& conamine vię ad tam fœlicē dilectionis statū tendamus. Quod autē subditur,vt diligamus Deū tota virtute vel totis viribus,expositio est præcedentiū. Cùm enim tres sint vires animæ,vis rationalis refertur ad intellectū,vis cōcupiscibilis ad voluntatē,vis irascibilis ad perpetuā memoriā,quę nullo obliuionis impedimēto poterit perturbari. Sed propulsis omnibus obstaculis Deū in mente iugiter & fortiter retinens, gloria & honore coronabitur, & perpetuo triumpho glorioſe exaltabitur. Cùm enim tres sint partes cordis humani,rationabilis,cōcupiscibilis & irascibilis,& tria sint quæ appetuntur & diliguntur,lumē,scilicet,cognitionis,suauitas dilectationis,honor & gloria exaltationis,quælibet triū viriū prædictarū in Domino obtinebit quod diligit. Ipse enim erit lux rationali,gaudiū cōcupiscibili,gloria & honor irascibili. Tūc enim totalitater patriæ Deus diligetur,cū vis rationalis aliud lumē,vis cōcupiscibilis aliud gaudiū,vis irascibilis aliū honorē non quæret. Ipse enim luminosam veritatē rationali,iocundissimā suauitatē cōcupiscibili,excellentissimā gloriā irascibili se exhibebit. Potest tamē prędictū mandatū sic intelligi,vt in via possit impleri. Vt exponatur de totalitate viæ,nō de totalitate patriæ:in hunc modū: Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo. Toto igitur dicit,quia mēs diuisa nō impetrat,neq; enim duobus dominis seruire valemus. Ex toto igitur corde Deū diligimus,cùm ipsum super omnia diligēdo aliquid cōtra Deū nō amamus. Et licèt prēter Deū aliquid amemus,sicut filios & cognatos,& terrenas possessiones,nō tamē cōtra ipsum,sed sub ipso illa diligimus. Nihilominus autē toto corde Deū diligere reputamur. Sicut aliquis totū panē comedere dicitur,licèt aliquas micas,quæ decidunt,nō māducet. Toto igitur corde Deū diligit,id est,toto intellectu,qui nullū in cōfessione diuinitatis locū errori relinquit. Tota anima, id est,tota voluntate,qui nihil vult contrariū diuinę voluntati,sed voluntatē suā,quantū in via potest fieri,diuinæ voluntati supponit. Ex omni mente sua Deū diligit,id est,tota memoria, qui nihil reminiscitur quo minus de eo sentiat,qui nihil niū Deū habet in mente vel in memoria. Tota autē mente Deū nō diligit,qui vagus & profugus, sicut Cain à facie eius fugiēdo recedit. Totis autē viribus Deū diligit,qui omnes vires animæ ad ipsum dirigit,nec aliqua vi animæ vtitur cōtra Deum. Hoc igitur modo in via potest impleri prędictū mandatū. Beatus Bernardus autē satis planè & apertè ipsum exponit hoc modo: Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo,id est,sapienter. Ex tota anima,id est,dulciter. Ex tota mente,id est,memoriter. Ex totis viribus,id est,fortiter. Ipse enim dilexit nos dulciter,dum pro nobis carnē assumpsit. Sapienter,dum culpa caruit. Memoriter,dum nos oriens ex alto visitauit,& in humilitate nostra memor fuit nostri. Fortiter,dum in cruce diabolū debellauit. Et tu diligas eum dulciter, ne illectus voluptate,sapiēter ne deceptus errore, memoriter ne absorptus obliuione, fortiter ne oppressus tribulatione auertaris ab eius affectione. Dilige præterea proximū tuū sicut teipsum,id est,dilige in proximo quod fecit Deus substantiā,naturā,gratiā,nō vitiū,ad id ad quod teipsum,& in quo teipsum,id est,in Deo & propter Deū. Dilige sicut teipsum,vt quod tibi nō vis fieri,alij ne feceris,& quęcunq; vis vt alius tibi faciat,facias illi,vt neminē facias miserū,vel relinquas miserū, quātum est in tua facultate. Qui igitur prædictis modis Deum & proximū diligit,legē impleuit,& vitā inuenit. Vnde Dominus Legisperito sic ait: Rectè respōdisti. Laudat eius responsum nō factum. Vnde & subdit: Hoc fac & viues. Vita,scilicet,gratię in prēsenti, & vita gloriæ in futuro. Ille autē volēs iustificare seipsum,dixit ad Iesū: Et quis est meus proximus? Seipsum volens iustificare,id est,iustū ostendere. Nam si respōdisset Christus: Iudæus est proximus tuus,ipse statim responderet se diligere omnē Iudæū, & ita omnē proximū. Sic enim nomen proximi intelligebāt & restringebāt tracta occasione ex verbis legis, vbi dicitur: Non fœnerabis proximo tuo seu fratri tuo,id est,Iudæo,sed alieno,id est,Gentili. Et quia Iudęi nō diligebāt Gētiles,qui tamē proximi sunt nobis tanquā eiusdē naturę,ostēdit Dominus ipsum nō esse iustificatū. Cùm autē tripliciter dicatur aliquis proximus alij. Vel ratione cognationis,sicut Iudęus Iudęo,vel naturā,sicut nobis est proximus omnis homo,vel beneficio,sicut Samaritanus,qui misericordiā impēdit sauciato. De propinquitate cognationis intelligūtur prędicta verba legis. De propinquitate autē naturę,qua proximus est nobis omnis homo,intelligitur mandatū de dilectione proximi,cū dicitur: Diliges proximū tuū sicut teipsum. De ppinquitate autē beneficij intelligitur,id quod Legisperitus postmodū respōdit,q, ille,scilicet,proximus fuerit,qui fecit misericordiā in illū,qui incidit in latrones. Cū autē Dominus prima frōte posset respōdere omnē hominē ꝓximū esse,prędelegit id insinuare quadā similitudine,ostēdens Legisperito etiā inimicū esse proximū inimico,vt quasi à minore cōuincat omnē hominē omni hominī proximū esse. Ex respōsione igitur Legisperiti innuit Dominus Samaritanū esse proximū Hierolimitano. Et ita inimicū inimico: Nam Samaritani inimicabātur Iudæis. Ostēdit insuper

*Simile.*

*De dilectione proximi.*

*Tripliciter dicitur aliquis proximus.*

parabolicè non ſufficere nobis omnem hominẽ proximũ agnoſcere naturâ, niſi proximi fuemus obſequio & impenſi beneficij, & ſi deſit facultas cùm adſit voluntas. Et hoc modo omni homini proximi eſſe debemus. Vnde in Euang. hodierno ſubditur: Suſpiciẽs autẽ Ieſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones. Magna facturus, dicturus, petiturus, Dominus aſpicere conſueuit in cœlum, dans nobis exemplũ illuc ſuſpiciẽdi in agendis, petendis & dicendis, quaſi dicat: Quod agimus, quod petimus, quod dicimus totũ eſt à Deo. Licèt autẽ ad literã ita potuerit eſſe. Via enim de Hieruſalẽ in Iericho rupibus plena eſt & vallibus cõcauis, atq; latronũ apta inſidiis. Vinum etiã ad literã purgat, & oleũ fouet, nos tamen myſticè parabolam Domini intelligimus. Hieruſalem enim contemplatio eſt ſuperna. Homo natura humana, Iericho miſeria mundana, Latrones dæmones, Deſcenſus culpa, Veſtes immortalitas & innocentia, Vulnera vitia, Sacerdos & Leuita antiqui Patres & miniſtri veteris teſtamenti, Samaritanus Chriſtus, Iumẽtum caro eius, Vinum auſtera increpatio, Oleum conſolatio, Vincula præcepta & prohibitiones, Eleuatio ſauciati generis humani redemptio, Stabulum Eccleſia, Stabularij Prælati, Duo denarij ſcientia vtriuſq; teſtamenti. Homo igitur iſte intelligitur Adam & genus humanũ, quod in primis parentibus de Hieruſalem in Iericho deſcendit à patria in exiliũ, ab horto deliciarũ in deſertũ, à beatitudine cœleſtis Hieruſalem ad miſerias & defectũ huius miſeri incolatus. Iericho enim luna interpretatur. Luna verò in ſacro eloquio humanæ fragilitatis defectũ deſignat. Quæ dum menſtruis horis creſcit & decreſcit noſtrę calamitatis mutabilitatẽ exprimit, qui creſcimus naſcẽdo, decreſcimus moriẽdo. Tunc igitur de Hieruſalẽ in Iericho deſcẽdit primus homo, quãdo præſentis vitæ miſerias expertus eſt relicta Angelorũ ſocietate, & diuinæ viſionis cõtemplatione. In defectũ igitur deſcẽdit, dũ diabolicæ ſuggeſtioni cõſenſit. Diabolus enim ad defectũ adducit & euacuat: cuius vox eſt: Exinanite, exinanite. Septẽ enim boues macilẽtæ, quas vidit Pharao, ſeptẽ boues pingues & pulchras deuorãt. Et ſeptẽ ſpicæ vredine percuſſæ, ſeptẽ ſpicas plenas cõſumunt. Et ſeptẽ criminalia vitia, ſeptẽ dona ſpiritus ſancti in nobis annihilãt. Fuit igitur primus homo quaſi lapis proiectus à diabolo in lacũ miſeriæ per pœnã, & in lutũ fæcis per culpã. Infixus eſt in limo profundi, & tempeſtas peccatorũ eum miſerabiliter demerſit. Propterea Iob ait: De humo enim egredietur dolor, id eſt, de homine terreno, quandiu fuit terra ſolida & nondũ incineratus peccando. Sed poſtquã ex ligno ſciẽtię boni & mali comedit, tanquã materia cineris & flatu diabolicę ſuggeſtionis, id eſt, igne malæ cupiditatis factus eſt cinis, egreſſus eſt dolor ab ipſo in omnes filios eius. Incraſſatus enim naturalib⁹, & impinguatus gratuitis, & dilatatus temporalibus bonis, recalcitrauit per inobedientiã. Et ita de Hieruſalẽ in Iericho deſcẽdit, & ſic incidit in latrones. Niſi enim homo priùs volũtariè deſcẽdiſſet, & ſeipſum diabolo ſubieciſſet, nullã in eo diabolus habuiſſet poteſtatẽ. Latrones autẽ ſunt dæmones in inſidiis latentes, qui deſpoliauerũt eum, & plagis impoſitis abierunt, ſemiuiuo relicto. Donis gratuitis, id eſt, virtutibus & innocentia, & inſuper immortalitatis veſte ipſum ſpoliauerunt, & vulnerauerũt in naturalibus, quæ nõ prorſus abſtulerunt, ſed in parte corrupuerunt & obfuſcauerũt, rationem, ſcilicet, & intellectũ, memoriam & ingenium, atq; alia naturalia bona. Et abierunt ad tentandos alios. Abierunt non ceſſando ab inſidiis, ſed inſidias occultando. Abierunt nõ à tentatione ceſſando, ſed nõ tantum quantũ voluerunt nocendo, ſemiuiuo relicto & non penitus extincto. Licèt enim abſtulerunt immotalitatẽ, nequiuerunt tamen penitus extinguere rationẽ, neq; ſpem redeundi ad veniam. Et ita ex vna parte fuit mortuus, ex alia parte viuus. Vnde Iere. ait: Oliuam vberem, pulchram & fructiferam, & ſpecioſam vocauit Deus nomen tuũ, ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. Oliuam vberem vocauit humanam naturã, cui dictum eſt: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Pulchram in naturalibus, fructiferã in gratuitis, ſpecioſam in operibus vitæ æternæ meritoriis. Sed ad vocem loquelæ grandis, id eſt, ad ſuggeſtionem diaboli, in ſerpente grandia promittentis, exarſit in ea ignis ſuperbiæ, & combuſta ſunt fruteta, quia ardor illius ignis omnes poſteros inflammat. Plagas autem impoſuerũt, & adhuc imponere non ceſſant: quia poſt inobedientiã genus humanum originali vulnere lætaliter ſauciant, & à Paradiſo expulſum variis vitiis vulnerant, quibus integritas humanæ naturæ violatur, & mors quaſi foſsis viſceribus inducitur. A planta ſiquidẽ pedis vſq; ad verticẽ non remanet in eo ſanitas. Vnde in Iob dicitur: Concidit me vulnere ſuper vulnus. Quod fit cùm peccato originali additur actuale. Quantò autem homo diutius in peccatis cõmoratur, tantò magis naturalia corrumpuntur. Sicut fructus ex vna parte putridus, aliã incorruptionẽ inducit, & partẽ ſynceram trahit, & inficiendo corrumpit. Vnde Seneca: Quod malũ eſt, facit malum: quod facit malum, nocet: quod nocet, deteriorẽ facit. Et ita homo peccator cõtinuò fit deterior. Vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Teſte enim eodem Seneca: Virtus ſecundum naturã eſt, vitia inimica ſunt & infeſta naturæ. Cùm igitur Deus hominẽ feciſſet ad imaginẽ ſuam, quãtum ad naturalia & ſimilitudinem, quo ad gratuita, ſimilitudinẽ prorſus amiſit, ſed imaginẽ licèt corruptam, retinuit: ſicut ſcriptum eſt: Veruntamen in imagine pertranſit homo, id eſt, cum naturalibus ab hac vita decedit. Vel imaginem naturaliũ retinẽdo, à virtutibus ad vitia tranſit. Diabolus enim vulnerauit eius rationẽ per ignorantiã boni. Vulnerauit etiã eum per cõcupiſcentiam mali. Licèt autẽ tanta malitia poſsit affici, vt nihil boni diligeret, tamẽ tanta ignorãtia excæcari non potuit, vt nihil boni cognoſceret. Et ita ſemiuiuum ipſum reliquit. Propterea Pſalmus ait: Cor mun-

*Spiritualiter de eo, qui deſcẽdit de Hieruſalem in Iericho.*

*De primo homine, et de ſeptẽ bobus, & ſeptem ſpicis, quas vidit Pharao.*

*De latronibus & ſpoliatiõe hominis.*

*De homine ſemiuiuo. Ierem. 11.*

*Iſa. 1.*

Cor mundū crea in me Deus,& ſpiritū rectū innoua in viſceribꝰ meis. Petit creari cor mundū quantū ad ſimilitudinē,quæ pœnitus tolli potuit. Petit renouari ſpiritū,vt ratio reparetur,quæ corrūpi potuit,ſed nō prorſus deleri. Et iterū in perſona humani generis ait: Dereliquit me virtus mea,& lumē oculorū meorū. Dereliquit me virtus mea,quia cecidi in infirmitatē & impotentiā. Et lumē oculorū meorū,quia cecidi in ignorantiā. Chriſtus autē factus eſt nobis à Deo patre virtus & ſapiētia. Virtus,vt potentiā repararet. Sapiētia,vt ignorantiā tolleret,& reſtitueret ſcientiā: ſicut ſcriptū eſt: Quoniā tu es Deus,fortitudo mea. Et iterū: Emitte lucē tuā & veritatē tuā. Spoliati igitur primi parētes veſte iocunditatis,induti ſunt pelle mortalitatis,& cilicio ex pilis primorū motuū cōtexto: & indutus eſt vir veſte fœminea,& fœmina veſte viri: cū tamē in Deute. Dominus dicat: Non induetur veſte virili mulier: nec veſtietur vir veſte fœminea. Quod fit dū dominatur ſenſualitas & ſpiritus ſubiicitur,& in ſeruitutē redigitur. Nunc autem qualiter ſanatus ſit ſauciatus iſte, & quibus remediis curatū ſit genus humanū,ex his quæ ſequuntur,videamus. Accidit autē vt Sacerdos quidā deſcēderet eadē via,& viſo illo,prætereiit. Similiter & Leuita,cùm eſſet ſecus locū & videret eū,pertrāſiit. Samaritanus autē quidā iter faciēs,venit ſecus eū: & vidēs eum,miſericordia motus eſt,& appropians alligauit vulnera eius, infundens oleū & vinū. Sacerdos & Leuita,qui viſo eo tranſierunt,patres antiquos ſignificāt, qui vitæ præſentis ſtatū tunc ſanctè viuendo prætererunt. Sed genus humanū per culpā vulneratum,ſanare nequiuerunt. Eadem autē via deſcenderunt,quia de eadē mortalitate nati ſunt. Vel Sacerdos & Leuita qui tranſeunt, ſacerdotiū & miniſterium legis veteris ſignificant, qui prætererunt,& Chriſto veniente ceſſauerunt. Lex enim peccata arguebat,mōſtrabat & conuincebat,ſed neminem viuificabat,nullum ſanabat, quia non largiebatur indulgentiā, nec habuit miſericordiam,ſed iudicium & vindictam. Samaritanus qui cuſtos interpretatur,eſt Chriſtus,cuſtos animarū noſtrarum,qui propter nos homo factus,iter vitæ præſentis arripuit. Qui cùm iter faceret,ſcilicet, de cœlo ad terrā venit ſecus vulneratū, quando carnis noſtræ infirmitatem aſſumpſit. Samaritanus igitur pertranſiit,dum Chriſtus per humanitatē huius vitæ momenta cucurrit. Venit ſecus vulneratum,miſericorditer eidem cōpatiendo. Appropiauit autem non ſolùm per cōpaſsionem,ſed per naturæ noſtræ aſſumptionē vel ſuſceptionem. Vulnera alligauit,dum peccata redarguendo prohibuit,dum peccandi conſuetudinē cohibuit. Vincula autem ſunt prohibitiones & præcepta eccleſiaſtica, Sacramēta,quibus vulnera ligantur,& ne vltra fluat ſanies corruptionis & exempla mali cōſtringuntur. Et quoniā genus humanum poſt peccatum,more phrenetici,ſine vinculis cohiberi non poterat,ligauit ipſum Dominus vinculis pœnæ, fame,ſcilicet,ſiti, calore & frigore, ægritudine & labore. Sed nec ſic potuit ab inſania refrænari. Vnde Ieremias: A ſeculo fregiſti iugum,rupiſti vincula. Ligauit inſuper phreneticum vinculis præceptorum legis naturę & legis Moſaicę. Sed iterum hæc vincula rupit phreneticus. Vnde Iſaias: Vulnus & liuor,& plaga tumens, non eſt circumligata,nec curata medicamine, neq; fota oleo. Vulnus luxuriæ in ſenſualitate,per quod corpus inquinatur. Liuor auaritiæ in corde,per quam ratio excæcatur. Plaga tumens ſuperbię in capite,per quam deuotio extinguitur. Vulnus luxuriæ non eſt circumligatum faſciis caſtitatis. Liuor auaritiæ nō eſt curatus medicamine,id eſt,vino charitatis. Plaga tumens ſuperbię,nō eſt effota oleo humilitatis. Tandem Dominus Sacramentis nouæ legis & præceptis Euāgelicis gratiā addens,& legem charitatis in corde ſcribens vulnera ſauciati clemēter & ſuauiter alligauit: ſicut per Oſee Dominus ait: In funiculis adam trahā eos,in vinculis charitatis. Funiculos adā appellat pœnalitates,quas aſſumpſit ſecundū humanitatem pro nobis. Per labores enim quos pro nobis ſuſtinuit,ad amorem ſuum nos incitans,vinculis charitatis ad ſe traxit. Infudit autem vulneribus noſtris vinum & oleum: quia per miſericordiam culpam remiſit, & per iuſtitiam pœnitentiam peccatorum innxit. Oleum enim ſuaue eſt,& vinum mordax. Oleum & vinum infudit,dum prædicando blandam exhibuit conſolationem & auſteram increpationem. Infudit vinum & oleum,vinum comminationum & oleum promiſsionū. Oleum infudit,dum pœnitentibus ſpem æternæ beatitudinis tribuit. Quando verò peccatoribus æternum ſupplicium cōminatus eſt, vinū infudit. Oleum,id eſt,chriſmatis vnctionē infudit,dona,ſcilicet,ſpiritus ſancti. Vinum infudit,id eſt, feruorē charitatis,vt baptizemur in ſpiritu ſancto & igne: ſicut in Euang. dicitur. Oleum infudit per miſericordiam blandiendo: vinū infudit per iuſtitiā flagellando. Infudit priùs vinū compunctionis,poſtmodum oleum deuotionis,oleum,ſcilicet,gaudij pro luctu: ſicut ſcriptum eſt: Secundum multitudinē dolorum in corde meo,cōſolationes tuæ lætificauerunt animā meam. De his autem in Apocal. dicitur: Vinum & oleū ne læſeris. Alligatis vulneribus,& vino & oleo infuſis,imponens illum in iumentum ſuum,duxit in ſtabulum,& curam illius egit: ſicut ſcriptum eſt: Et vinctos ſuos nō deſpexit. In iumentum ſiquidem genus humanum poſuit,id eſt, in ſe hominem,qui peccata noſtra tulit,quem fecimus iumentum & oneriferum noſtrum. Carne quippe eius iumentū noſtrum eſt: ſicut ſcriptum eſt: Vt iumentū factus ſum apud te,quia in corpore ſuo peccata noſtra portauit. In iumento etiā,id eſt,in cruce,nos portare voluit,vt homo membra ſua habeat tanquā crucifixa,ne ad mala extendat illa. Imponi præterea iumento eſt in ipſam incarnationē Chriſti credere,eiusq; myſteria imitari ſimul,& ab hoſtiū incurſione tutari. In ſtabulum autem duxit, non in domum, non in Eccleſiam triumphantem,ſed militantē. In qua ſunt ſordes pœnitētiæ & ſtercora, quibus in hac vita curatur ſauciatus antequam

*De indumētis primorum pārentum poſt ſpoliationem. Deut. 22.*

*De variis remediis & curatione generis humani.*

*De vinculis & vulnerum alligatione.*

*Oſeæ 11.*

*De multiplici infuſione vini & olei.*

*De iumento, ſtabulo, & ſtabulario.*

ad patriam veniat sanatus. Stabulum autem præsens Ecclesia dicitur, vbi maiores reficiuntur. Sicut autem iumenta in stabulo suas immunditias deponunt, sic homines qui bestialiter vixerant, per confessionem & satisfactionem in Ecclesia sancta peccata sua deserunt. Stabulum autem nominat & non domum, quo nomine miserias & fœtores huius vitæ designat, ne homo in hoc exilio, tanquam in patria gaudeat. In hoc autem stabulo loris disciplinæ ad præsepe sacræ scripturæ ligantur & reficiuntur pia animalia Christi. Curam autem eius egit gratiam collatam conseruando, sicut scriptum est: Dominus sollicitus est mei. Siquidem,

*Versus.*

*Non minor est uirtus quàm quærere parta tueri:*
*Plus est seruare repertum quàm quæsisse nouum.*

*De duobus denariis.*

Sequitur: Et altera die protulit duos denarios & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque erogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Non vacat Samaritano diu in terris degere, redeundū erat, vnde descenderat. Itaq; altera die, id est, post resurrectionē suā, quando amplior æternæ lucis splendor effulsit in mundo q̄ ante passionē, protulit duos denarios, id est, duo testamenta, in quibus æternæ Regis nomē & imago cōtinetur. Et dedit stabulario, id est, Apostolis, & aliis Ecclesiarū Prælatis, aperiēdo illis sensum, vt intelligerēt scripturas ad docendū populū. Vel altera die, vt sit prima dies post noctē peccati, dies pœnitētię, quo vulnera alligātur. Secunda sit dies iustitiæ, qua duos denarios protulit, id est, duo præcepta charitatis. Tertia autē dies erit dies gloriæ. Vel duos denarios Samaritanus protulit: quia per misericordiā & iudiciū sanatū est genus humanū. Vulnerati autē curā stabulario iniunxit, quādo in persona omniū pastorū Petro dixit: Si diligis me, pasce oues meas. Et Apo. ait: Memētote vinctorū tanquā simul vincti. Quodcunq; supererogaueris, ego cùm rediero, reddā tibi: quasi dicat Prælatis: Ego pauca tradidi vobis, sed vos pro vestræ discretionis arbitrio superaddite, & reddetur vobis merces cùm rediero in iudicio: sicut scriptū est: Super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituā. Supererogat Apost. qui ait: De virginibus præceptū Domini non habeo, consiliū autē do. Supererogat etiā cùm nō vtitur potestate accipiendi carnalia ab his, quibus ministrabat spiritualia. Supererogat stabularius, quādo hoc agit ex voto, quod nō accipit ex pręcepto. Supererogāt Prælati in cura ægroti, dum nō solū ea, quæ in duobus testamētis cōtinentur, studēt prędicare, sed insuper alia multa secundū ea, quæ scripta sunt, laborāt excogitare & aliis prædicare. Finita autem parabola, ait Dominus Legisperito: Quis horū trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiā in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter: quasi dicat: Sicut Samaritanus alienus natione, proximus factus est vulnerato homini charitate: ita & tu omnē hominē proximū tuum iudicās, omnia bona, quæ potes quibuscunq; vales, impende, & sic implesti charitatē, quæ ad vitā ducit æternā. Ad literam autē pater, quod alienigena Hierosolymitę impendens misericordiā, proximior fuit q̄ Sacerdos vel Leuita eiusdē generis. Cognatio igitur nō facit meritoriè proximū, sed charitas & beneficiū. Misericordia enim secundū naturā est. Nihil quidē est magis secundū naturā, quàm naturæ iuuare consortē. Misericordia ergo verè facit proximū, quæ impendenda est, vbi maior est miseria. Sic ergo Dominus responsionē temperat, vt omnis qui misericordiā facit, proximus intelligatur. Et specialiter ipse Dei filius, qui nobis per humanitatē proximus factus est, designatur. Cùm igitur nemo sit proximior nobis, quàm qui vulnera nostra curauit: qui est vnū caput cū membris: diligamus eū super omnia, & quicquid valemus in eius seruitio, deuotè impēdamus. Mandatū enim charitatis propè est in corde tuo, vt te nō possis excusare. Hic est proximus ille, de quo in Parab. dicitur: Ne attingas terminos paruulorū, & ne introeas in agros pupillorū. Propinquus enim illorū fortis est, & ipse iudicabit cōtra te causām illorū. Timeamus igitur illū tanquā potentē Dominum, diligamus illū tanquā fratrē nostrum, diligamus eum tanquā specialē & fidelem amicum, qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & animā suā dedit pro nobis, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria. Per omnia secula seculorum. Amen.

*Charitas & beneficiū verè faciāt proximum.*

*Apoc. 1.*

## DOMINICA DECIMA QVARTA, DE INTROITV MISSAE, THEMA SVMPTVM EX PSALMO.

*Psal. 82.*

*Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui: quia melior est dies vna in atriis tuis, super milia.*

*De protectiōe diuina. Isa. 4.*



REABIT Dominus super omnem locum mōtis filiæ Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte. Super omnem enim gloriā protectio. Et tabernaculū erit in vmbraculū diei ab æstu, & in securitatē & absconsionē à turbine & à pluuia. Verba sunt Isaiæ de protectione diuina, & de respectu clementiæ ipsius super Ecclesiam suam, quę dicitur mons, propter fortitudinis constantiam, & sanctę conuersationis eminentiam. Sion verò dicitur propter speculum cōtemplationis & speculā cautelæ & discretionis. In Ecclesia autē inuocatur Deus à fidelibus, corde, ore, & opere. Hoc enim verè est inuocare: sicut scriptū est: Omnis qui inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Creauit autē Dominus super Ecclesiā suā nubem per diē, id est, refrigerium

refrigerium in prosperis contra incentiua vitiorũ. Et fumum cõpunctionis atq; splendorẽ ignis flammantis in nocte aduersitatis. Tribulatio enim animã illuminat, dum vexatio dat intellectum, & ignẽ charitatis magis inflammat. Quia dum superbit impius & affligit, incẽditur pauper, & charitas in eo crescit. Hęc autẽ duplex protectio in prosperis & in aduersis signata est in deserto per columnã nubis & ignis. Vnde Psal. Per diem Sol nõ vrettе, neq; Luna per noctẽ. Et quoniã scriptũ est: Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustrà vigilat qui custodit eam, quantumlibet iustis in via necesse est, vt Deus illos protegat & custodiat in eis dona sua. Et hoc est quod Prophera ait: Super omnẽ gloriã protectio. In tabernaculo autẽ Ecclesiæ militantis præstat nobis Deus vmbraculũ ab æstu cupiditatis, & est nobis tabernaculũ, id est, Christi humanitas vel Ecclesia in securitate & absconsione, à turbine superbiæ, & à pluuia carnalis cõcupiscentiæ, quæ paulatim mentis rigorem emollit. Vel à turbine & à pluuia, id est, à maiori & minori persecutione. Patet igitur quod bene à Domino protegitur, qui non frangitur timore aduersitatis, nec capitur illecebris blandientis voluptatis. Propterea in hodierno officio Psal. ait: Protector noster aspice Deus. Ipse enim sub vmbra alarũ suarum protegit nos, dum per misericordiam blanditur velut mater, & per iustitiam flagellat sicut pater. Hæ enim sunt duæ alæ, quibus nos protegit materna miseratio, & paterna correptio. De his pennis ait Propheta: Orietur vobis timentibus Deum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. His autem alis obumbrat nobis Dominus, & protegit à furore tentationis: sicut scriptum est: Obumbrasti super caput meum in die belli. Pueros autem suos in fornace Babylonica sic protegit, quod capillus eorum non exuritur, id est, cogitatio, nec saraballa eorũ immutãtur, id est, fœmoralia. Nullus enim motus ad consensum libidinis perducitur. Protegit nos cõtra canes rabidos & lunaticos, qui nulli parcunt, qui non solùm ignotos, sed & notos inuadunt. Ipse enim factus est spes à turbine, id est, à forti spirituum immundorum tentatione, qui domum conscientiæ nostræ in quatuor angulis nititur subuertere, id est, in quatuor virtutibus cardinalibus, dum contra prudentiam per negligentiam futura non prouidentem, contra temperantiam per illicitam delectationem, contra fortitudinem per pusillanimitatẽ & timorem, contra iustitiam per inordinatum amorem à iustitiæ rectitudine animum auertit & peruertit. Sicut enim Dominus habet alas suas ad protegendum, ita diabolus habet alas suas ad peruertendum. De quibus Isaias, loquens diabolo, ait: Erit extensio alarum eius implens terram tuam, ó Emanuel. Alæ enim diaboli, id est, voluptas & vanitas valde occupant terram Ecclesiæ, quam Christus acquisiuit proprio sanguine suo, & valde dominantur in clero. Ipse fortis armatus dicitur. Peccata nostra sunt eius arma, & faciunt eum potẽtem. Peccatores seipsis armant eum, dum membris suis impugnant Deum, exhibendo membra sua arma iniquitatis peccato. Necesse est ergo, vt Deus protegat nos cõtra fortẽ armatum, qui factus est vt nullũ timeret, nec est potestas super terrã, quæ cõparetur ei. De quo in Iob dicitur: De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruẽtis. Halitus eius prunas ardere facit, & flãma de ore eius egreditur. In naribus diaboli eius sagacitas & calliditas fallẽdi designatur. Teste autẽ Greg. de naribus diaboli fumus procedere dicitur, cùm noxiis inspirationibus praua in cordibus hominũ cogitatio nascitur, per quã oculus mentis velut fumo obscuratur. Olla succenditur, dum mens humana maligni spiritus suggestionibus instigatur. Olla feruet, dum per consensum in desideriis prauæ persuasionis mens accenditur. Et tot vndas quasi bulliendo proiicit, per quot nequitias ad exteriora opera se extendit. Quid per prunas nisi succensas carnalibus desideriis mentes designatur? Tantò igitur diabolus halitu in prunas flat, quãto conamine humanas mentes inflãmat. Ab his igitur diaboli naribus & à malitia eius protegit nos Dominus. Vnde per Isa. ait: Ponam circulum in naribus eius, & frænũ in labiis eius, & reducã eum per viam, quam venit. Per lignũ enim venit ad nos diabolus, & per lignũ crucis fugatus recessit. Per nares autẽ insidiæ calliditatis eius designãtur, quia astutè multa coniicit per cõiecturas. Circulus autẽ Christus est, de quo scriptũ est: Egressus eius à patre, excursus vsq; ad inferos, regressus ad sedẽ patris. Sapientia igitur Dei incarnata, insidias diaboli cohibuit, & dolos eius detexit, qui diuinæ protectionis auxilio frenatus est, ne noceat quantum appetit. Equus autem frenatus bibere potest, sed non comedere. Nam diabolus illos glutit, qui de facili cadunt, & nolunt repugnare. Quidã autẽ diu repugnãt, sed tandem corruunt, hos diabolus dicitur mãducare. Vnde Abacuc de Chaldæis, id est, dæmonibus, ait: Volabunt quasi aquila festinãs ad comedendum. Omnes ad prædã venient. Facies eorum ventus vrens, cõgregabit quasi arenam captiuitatem. Aquila acutè videt, cadaueribus insidet, & ea dilacerat auidè comedendo. Sic maligni spiritus perspicaci intuitu peccata attendentes, festinant vt cadaueri fœtenti & peccatis putrescenti insideant, cuius carnes lacerant per diuersa vitia pertrahẽdo, & auidè sibi incorporãt peccatores. Omnes autẽ ad prædã veniunt, quia in malo cõcordes sunt, & multos secũ adducunt: sicut Iob ait: In multitudine eorũ consumitur vestimentũ meũ, id est, ornatus innocentiæ & virtutum. Facies eorum ventus vrens, quia præsentia & familiaritas eorum virtutum segetẽ consumunt. Congregat autem diabolus quasi arenã captiuitatem, id est, homines infructuosos, quos sub peccati iugo tenet captiuos. Hæc est arena super quã draco persequẽs mulierẽ, quæ peperit masculũ, stetisse dicitur: sicut in Apoc. habetur: Dominus autẽ protegit suos cõtra tot & tantos aduersarios. Vnde Zachar. ait: Lætabuntur & videbũt lapidem stanneũ in manu Zorobabel. Per lapidẽ stanneũ diuina protectio designatur.

*Deus protegit nos sub duabus alis.*

*De quatuor angulis domus.*

*De armis & fortitudine diaboli.*

*De protectione Dei contra diabolum.*

*Isa. 37.*

*Diabolus comparatur aquilæ.*

*Iob 30.*

*Zach. 4.*

*De protectione Dei, & lapide stanneo.*

Zorobabel magister confusionis interpretatur. Hic est Christus magister & Dominus huius mundi. Stannum siquidem alia metalla ab igne defendit. Dicitur autem quod omne metallum absque stanno, ab igne cremari possit. Teste etiam Hieronymo, stannum alia metalla adulterina compositione coniuncta, diuidit. Hoc modo Christus sanctos suos diuidit, protegit, & ab igne peccati defendit, & quantũcunq; aliquis sit fortis, sine Christo vritur, quia tentationi cedit. Ipse etiã Christus omnẽ adulterinã cõmixtionem in iudicio separabit, quãdo granũ à paleis separando areã suã permũdabit. Sic igitur Christus protegit nos, humiliãdo calumniatorẽ, de quo Isa. ait: In Ægyptũ descendit populus meus à principio, id est, in primis parẽtibus. Assur, id est, diabolus, sine causa calumniatus est eũ. Et Iob ait: Nunquid mare sum ego aut cetus, quia circũdedisti me carcere? Mare sunt amara corda carnaliũ immũdis cogitationib⁹ fluctuãtia: Cetus autẽ est diabolus. Mare ergo & cetus suis coarctãtur terminis, quia nec diabolo, nec eius cõplicibus licet quantũ volunt, sed quantũ permittũtur in bonis sæuire. Sed ego, ait vir iustus, qui iam corde sum in cœlo, cur carcere carnis circundatus premor? Causam originalis peccati inquirit. Hoc enim prouenit ex carnis corruptione, quia sancti in corpore, quasi in carcere detinentur. Refrænat igitur Dominus diabolum & eius satellites. Vnde Naum ait: Increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina adducens ad desertũ. Mare increpat dum malorũ potentiam & malitiã coërcet. Peruersos autẽ homines cohibet in præsenti per pœnã, & exsiccat per mortẽ corporalẽ. Et omnia flumina temporalis abundantiæ, quæ ad eos cõfluebant, adducit ad desertũ, dũ ea in morte deseri facit. Homo enim cũ interierit, nõ sumet omnia. Vnde in Eccles. dicitur: Subsãtię iniustorũ sicut fluuius siccabũtur, & sicut tonitruũ magnũ in pluuia personabunt: quasi dicat: Licèt sit magnũ tonitruũ diuitũ & sonorũ, tamẽ per pluuiã mortis, vel pœnæ præsentis facilè cessat. Dicitur igitur Dominus increpans mare, Dagon prosternendo, & exsiccans illud, Dagon mutilando. Protector noster aspice Deus, id est, humanum genus protege. Aspice afflictionem nostrã, vt subuenias, non iniquitates nostras vt punias. Aspice oculo misericordiæ in tuos, oculo vindictæ in aduersarios. De oculo misericordiæ ait Abacuc: Aspexit & dissoluit Gentes. Quæ, scilicet, priùs erant congelatæ. Oculi enim eius flamma ignis. Dissoluit etiã Gentes à vinculis peccatorũ, quibus erant ligatæ. De oculo vindictæ dicitur in Exodo: Respiciens Dominus super castra Ægyptiorũ, interfecit exercitũ eorũ. Et Isa. Vbi est zelus tuus, fortitudo tua? Zelus est amor viri in vxorem, quam si inuenerit adulteram, grauiter punit, & adultero si potest vindicãdo se non parcit: quasi dicat: Vindictã fecisti de adultera, id est, de peccatrice anima, cur in adulterium, id est, diabolum, non vindicas, cùm sis fortis, & vindicare te possis? Sequitur: Et respice in faciem Christi tui: quasi dicat: Et si non propter nos respicere vis, saltem respice, quia sumus conformes imaginis filij tui. Vel respice in faciem Christi tui, id est, fac Christum innotescere hominibus, fac per præsentiam incarnationis Christum à Gentibus respici. Per faciem enim innotescimus aliis. Respice in faciem Christi tui, non in faciem meam, quæ turpis est. Non enim habeo faciem, quam tibi ostendere audeam. Sed in faciem Christi, quæ pulchra est: quia dilectus candidus & rubicundus est, vt propter eius pulchritudinem miserearis mei. Facies quidem Christi in exilio fuit speciosa. Ipse enim speciosus forma præ filiis hominum. In iudicio speciosa, in regno glorioſa. Sic humiliari debet, qui vult exaudiri. Vnde Daniël: Neq; enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciẽ tuã, sed in miserationibus tuis multis. Teste autẽ Greg. Ille verã Domino orationem exhibet, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quę agit, esse de misericordia cõditoris agnoscit. Respice in faciẽ Christi tui. De cuius pulchritudine in lib. Regũ dicitur: Erat autẽ Dauid rufus & pulcher aspectu, decoraq; facie. Rufus, id est, rubeus, quia sanguine passionis coloratus. Pulcher aspectu per imitationis exemplũ. Decoraq; facie quadriformi, id est, faciẽ hominis nascẽdo, vituli moriẽdo, leonis resurgẽdo, aquilæ ascendẽdo. Vnde Psal. Quærite faciẽ eius semper. Ne auertas faciẽ tuã à me. Auertente autẽ te faciem, turbabitur. Et in lib. Regũ dicitur: Magnificatus est Rex Salomõ, id est, pacificus noster Christus, super omnes Reges terræ. Et vniuersa terra desiderabat videre vultũ eius. Iuxta illud: Faciẽ tuã Domine, requirã: vultũ tuũ deprecabuntur omnes diuites plebis. In facies autẽ peccatorũ Deus nõ respicit: quia nõ approbat illas, nec cognoscit. Vnde in Threnis dicitur: Denigrata est super carbones facies eorũ, & nõ sunt cogniti in plateis, id est, à Deo approbati in lata via, quę ducit ad mortẽ. Amisso siquidẽ igne charitatis, fiunt nigri velut carbones extincti. Respice in faciẽ Christi tui. Moyses, vt efficaciter oraret, ait: Recordare fœderis, quod pepegisti cum Abrahã, Isaac, & Iacob. Sed Ecclesia efficatius nunc postulat, cùm dicit: Respice in faciẽ Christi tui, id est, merita eius, nõ nostra attendas. Vnde etiã in fine orationũ subiũgit: Per Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Respice in illũ, quẽ dedisti nobis in fœdus recõciliationis. Vnde per Isa. pater ad filiũ ait: Dedi te in fœdus populi mei. Hoc est quod in Genesi Dominus ait: Est arcus meus in nubibus, & videbo illũ, & recordabor fœderis mei sempiterni, quod pactũ est inter Deũ & omnẽ animã viuentẽ. Arcus iste fœderis Christus est, per quẽ fœderati sumus Deo patri, quẽ Deus videt, & respicit ea, quę pro nobis sustinuit. Hic arcus positus est in nubibus, id est, in sanctis, à terrenis voluptatib⁹ elcuatis, in quibus appareat vestigia saluatoris. Et in Iob dicitur: Non est qui vtrunq; possit arguere, & mittere manũ suã in ambobus: supple nisi Christus. Vtrunq; arguere, id est, cohibere hominẽ à culpa, & Deũ à vindicta. Greg. Hominẽ arguit ne delinqueret, & Deo restitit ne feriret. Manũ misit in ambobus, quia exem-

*Dominus diabolum & eius satellites refrænat. Isa. 52.*

*Eccles. 40.*

*De oculis Dei et aspectu eius*

*De multiplici respectu Dei in faciem.*

*De pulchritudine faciei Christi.*

*Dan. 9.*

*De turpi facie peccatorũ.*

*De arcu fœderis.*

*De fœdere mediatoris, & quod reconciliauit nos patri.*

quia exẽpla hominibus quę imitarẽtur, tribuit, & Deo in se opera quibus placaretur, ostẽdit. Vnde in Deuter. dicitur. Benedictio eius qui apparuit in rubo, descẽdit super caput Ioseph. Rubus plenus est aculeis, in quo ignis apparuit, sed illũ nõ cõsumpsit. Et significat Christũ qui aculeis pœnalitatis plenus fuit, nec tamen consumptus est igne tribulationis. Pater igitur aculeos in rubo prospicit, vt nos liberet à peccatorum aculeis. Vnde & ipse Christus ad patrem ait: In me transierunt irę tuæ, id est, suscepi iram tuam in me, vt eã à peccatoribus auerterem. Cùm igitur homo armatus esset gladio culpæ, & Deus gladio vindictæ, Christus posuit se medium inter illos, & mittens manum in ambobus, pacificauit vtrumque: & pro nobis interpellans patri cicatrices ostendit. Ac si dicat: Respice in faciem Christi tui. Vide vtrum sit tunica filij tui, quę tincta est sanguine passionis. Recordare paupertatis, transgressionis, absynthij & fellis, quæ, sci licet, pro salute generis humani sustinui. Transgressio appellatur excessus ille, quem Hierusalem fecit. Respice ergo in faciem Christi tui. Vide quanta pro hominibus ipse factus homo sustinuit. Propterea in Iob dicitur: Si fuerit Angelus pro eo loquens vnum de similibus, vt annuntiet hominis æquitatem: miserebitur eius & dicet, inueni in quo propitier ei, quasi dicat: Si fuerit angelus magni consilij pro genere humano patri, scilicet, supplicando, pro ipso loquens, vnum de similibus, quibus nobis assimilatur, vt annunciet hominis æquitatem, id est, naturę humanæ veram in se conformitatem: vel annuncians æquitatem, id est, tantam in homine Christo humilitatem, quantam in primo homine constat fuisse superbiam, miserebitur eius, id est, humani generis Deus pater. Inuenit enim in quo propitietur ei. Cùm enim nullus alius coram Deo iustus intercessor apparuerit ad propitiandum hominibus, factus est homo Deus. Vnde Gregorius super hunc locum. Sic faciebat Iob cunctis diebus ait: Sine intermissione pro nobis redemptor holocaustum immolat, quia sine cessatione patri carnem suam demonstrat. Ipsa quippe incarnatio, emundationis nostræ est oblatio. Respice in faciem Christi tui, quasi dicat: Et si nõ propter nos, saltẽ propter faciẽ Christi tui, cui cõformes sumus. Respice in faciem Christi tui, id est, in sanctos, qui sunt conformes imaginis filij Dei. Respice in capillos Christi tui. De quibus in Canticis dicitur: Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Palmæ & coruo comparantur fideles Christo capiti adhærentes, quia studio sanctæ conuersationis, vt palma virent, & nigri atque despecti sunt mundo, abiecti & tribulationibus exterius denigrati. Coruus auis est improba. Sic etiam sancti orare non cessant, vt propter improbitatem eorum amicus det eis panes quotquot habent necessarios, nec recipiunt aliquos ad sacramenta Ecclesiæ, qui non assimilantur eis. Sicut coruus non pascit pullos donec nigrescant & similes sibi efficiantur. Elatæ autem dicuntur summitates palmarum vel fructus earum, quia erecti sunt & alti, & in superioribus dilatati. Respice in oculos Christi tui, de quibus in Canticis dicitur: Oculi tui sicut columbarum super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residẽt iuxta fluenta plenissima. Hi sunt doctores sancti, qui Christi Ecclesiam verbo & exemplo illuminant, qui columbis super riuos aquarum comparantur propter simplicitatem & cautelã. Residẽt autẽ iuxta fluenta plenissima scripturarũ, vt percipiant vmbram accipitris infernalis. Residẽt etiã per spẽ iuxta fluẽta beatitudinis æternæ, & lotæ sunt atq; dealbatæ lacte diuinæ gratiæ, lacte etiam teneræ doctrinæ à principio fuerunt enutritæ. Respice in genas Christi. De quibus in Canticis dicitur: Genæ eius sicut areolæ aromatum, confitæ à pigmẽtariis. Hi sunt sancti humiles & verecundi ornantes Ecclesiam Dei. Qui aromatibus comparantur, propter bonæ opinionis odorem. Areolis etiam assimilantur, quia in eis pullulant diuersa genera virtutum. Pigmentarij autem dicuntur Apostoli & apostolici viri. Duæ etiam genæ faciei Christi dicuntur, innocentia & patientia, de quibus dicitur: Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alteram, id est, si quis impetit innocentiam, præbe patientiam. Conscientia autem nostra facies est interioris hominis, quæ duas habet genas, id est, duplicem pudorem. Vna est eius gena, qua erubescit de bonis quæ agit, vanis extolli fauoribus. Alia qua erubescit pulsata tentationibus. Respice in labia Christi tui. De quibus in Cant. dicitur: Labia eius stillantia myrrham primam. Hi sunt sancti prædicatores, qui myrrhæ primæ comparantur propter voluntariam carnis mortificationem. Primam ergo myrrham stillãt, dum propter Deum & non propter temporale commodum alios ad carnis mortificationem inuitant. Respice nasum Christi tui. De quo in canticis dicitur: Nasus tuus sicut turris Libani, qui respicit contra Damascum. Hi sunt viri sagaces & discreti, recti & prominentes, qui de alto respiciunt contra insidias diaboli. Damascus enim potus sanguis interpretatur, & signat diabolum, qui sanguine peccatorum delectatur. Et nos contra potum sanguinis respicere debemus, non solùm oblatum respuendo, sed potatum euomendo. Respice in dentes Christi tui. De quibus in Canticis dicitur: Dentes tui sicut grex ouium, quæ descendunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Hi sunt sanctarum scripturarum expositores, cibum vitæ ad nutrimentum nostrum masticantes. Albi per innocẽtiam, modici per humilitatem, firmi per stabilitatem, ordinati & sibi inuicem coniuncti per fraternam concordiam, sine carne, id est, sine carnali affectione, sine cute, id est, sine simulatione cibi saporem in se non recipientes, sed ad corpus trãsmittentes, quia non quæ sua sunt quærentes. Qui gregi ouium comparantur propter simplicitatem & fœcunditatem. De lauacro autem ascendunt, quia nihil de ore iusti procedit, quod fonte sapientiæ purificatum non sit. Omnes autem gemellis fœtibus esse dicuntur, quia in se

*Christus ostendit se passi, & ea quæ pro nobis sustinuit, & est aduocatus noster.*

*De diuersis partibus faciei Christi. De capillis.*

*De oculis Christi*

*De genis Christi.*

*De labiis Christi.*

*De naso Christi.*

*De dentibus Christi.*

*De auribus Christi.*

habent spiritualem fructum & vtiles sunt ad proximum. Respice in aures Christi tui. De quibus in Iob dicitur: Nunquid auris verba diiudicat. Hi sunt viri sancti obedientes præceptis Dei, qui verba diiudicat vt discretè obediat. Ecce quã pulchra est facies mystica Christi, quæ quot habet partes, tot habet pulchritudines, quas Deus pater respicit approbãdo, & meritis ipsarũ nobis redditur placabilis & benignus. Respiciamus & nos fratres in faciẽ Christi, quã nobis in humanitate exhibuit ad imitationis exẽplum, & vt ad eius accẽderemur amorẽ. Ignis enim charitatis à facie eius exarsit, & carbones, id est, prius nigri peccatores succẽsi sunt ab eo. Cũ igitur factus sit homo, vt faciẽ Dei videat, magna est miseria, dũ homo ad id quod factus est, facere non curat. Facies autẽ siue vultus quo pater agnoscitur est filius, qui est imago patris, sicut scriptũ est:

*Respicere debemus in faciem Christi.*

*Iob. 14.*

Qui videt me, videt & patrẽ. Lumẽ autẽ vultus Dei cognitio est filij & illuminatio fidei, quę quasi characteres cordibus fideliũ naturaliter sunt impressi. Vnde Psal. ait: Signatũ est super nos lumẽ vultus tui Domine, dedisti lætitiã in corde meo. In cognitione enim creatoris delectatio est, & lætitia cordis puri. Vnde in Iob dicitur: Videbis faciẽ eius in iubilo. Et in Isa. Attenuati sunt oculi mei suspiciẽtes in excelso. Supernorũ enim contẽplatio ęternæ beatitudinis acuit desideriũ. Et Iob ait: Ad Deũ stillat oculus meus: quod fit, dũ oculus charitatis in amoris interni cõpunctione defluit. Et quoniã scriptũ est: Oste de faciẽ tuã & salui erimus: respiciamus in faciẽ saluatoris nostri, quę nobis ad imitandũ proponitur. Ad hoc enim apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Christi. Vnde per Isa. ait: In manibus meis descripsi te. Et subditur: Super manus meas depinxi muros tuos, quasi dicat: Dedi tibi formã, quã te oporteat facere. In manibus autẽ passione rubricatis satis insinuauit, quid facturi essent imitatores eius. Muri autẽ, id est, prælati, qui subditos inueniũt & defendũt depicti debẽt esse sanguine illo, qui de Christi vulneribus effluxit. Respiciamus in faciẽ Christi, scriptũ est enim: Oculi sapiẽtis in capite eius. Malè autẽ respicit qui quęrit à sinistris, quod quærendũ est à dextris. Hi sunt temporaliũ amatores, qui beatitudinẽ quærũt in terrenis, quã quærere debẽt in ęternis. Valdè quidẽ cæci sunt, qui à facie gladij nõ declinãt. Vnde in Iob dicitur: Operuit faciẽ eius crassitudo, id est, mẽtis oculos pressit desiderata terrenarũ rerũ abũdantia, vt verũ lumẽ nõ videãt. Vel sicut in Iob dicitur: Per quã viã spargitur lux si cognoscãt per illũ, scilicet, qui dicit: Ego sum via. Vnde in eodẽ Iob dicitur: Per diẽ incurrẽt tenebras, & quasi nocte sic palpabunt in meridie. Quia in miraculosa Christi præsentia, quasi tenebrosi de eius deitate dubitant, & in ipsa luce miraculorũ quasi palpãdo eũ quærũt, dicẽtes: Quousq; animas nostras tollis, si tu es Christus, dic nobis palã. Hi igitur qui vitio suo excæcati in faciẽ Christi nõ respiciũt per Sedechiã designãtur. De quo in libro Reg. dicitur: Fugit Sedechias per viã, quę ducit ad cãpestria solitudinis, & persecutus est eũ exercitus Chaldæorũ, cõprehenditq; eũ in planicie Iericho, & omnes qui cũ eo erãt, dispersi sunt, & extinctis prius eius filiis, Rex Babylonis oculos illi in Reblatha eruit. Malignis siquidẽ spiritibus animã circundãtibus nõ fugit homo miser ad montes, de quibus dicitur: Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxiliũ mihi, sed ad cãpestria solitudinis & ad latã & spaciosam viã, quæ ducit ad mortẽ. Et exercitus dæmonũ cõprehendit eũ in planicie Iericho, id est, in lasciuia, & defectu carnalis conuersationis. Et omnes bellatores qui cũ eo sunt, id est, virtutes eũ relinquũt. Rex autẽ Babylonis, id est, diabol⁹ extinctis bonorũ operũ filiis, lumẽ cognitionis ei tollit. Quod recte in Reblatha patitur, quę multa hic interpretatur. Animę enim lumẽ totius rationis clauditur, qui prauo vsu & iniquitatum suarũ multitudine prægrauatur. Respice in faciẽ Christi tui, & fac nos respicere in illã in præsenti, vt tandem ipsum facie ad faciẽ in æterna beatitudine videamus. Quia melior est dies vna in atriis tuis super milia. Dies vna dicitur dies æternitatis, quæ est immutabilis sine ortu, scilicet, & occasu, cui nõ cedit dies hesternus, & quã nõ vrget crastinus. Hæc autem dies ęternitatis est in atriis, id est, in amplitudine charitatis, & latitudine cœlestis regionis, & est super milia dierum huius seculi, scilicet, super infinitos dies præsentes. Commendatur ergo status ille beatitudinis à tribus, à claritate, ab immutabilitate, à iocunditate. Dies, ecce claritas: vna, ecce immutabilitas: in atriis tuis, ecce amplitudo delectationis atque iocunditatis. De his autem atriis idem Psalmus ait: Concupiscit & deficit anima mea in atriis Domini. Deficit, scilicet, à statu suo tendens & aspirans in atria supernæ Hierusalem. Defectus iste bonus est, dum anima languet desiderio & amore intrandi in Ecclesiam triumphantem. Sicut enim vua pressa deficit in vinum, ita anima sancta languet desiderio & amore tendens in requiem cælestis apothecæ. Hæc igitur atria sunt illa deambulatoria quæ vidit Ezechiel in templo Domini: De quibus atriis Psalmus ait: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Pedes enim affectuũ firmiter stant per desideriũ in amplitudine iocunditatis supernæ. De quibus Tob. ait: Platęę Hierusalẽ sternẽtur auro mũdo. Platea enim supernę ciuitatis est latitudo perfectæ charitatis. In Apoc. dicitur, quod sternẽtur auro mũdo simili vitro puro, vt per aurũ clara, per vitrũ pura charitas designetur. Corda enim ciuiũ supernę Hierusalẽ sibi inuicẽ & claritate fulgẽt, & puritate trãslucent. Ibi quippè vniuscuiusq; mentẽ alterius corpulẽtia oculis nõ abscõdet. Singulis enim manifesta erunt corda aliorũ. In plateis enim cœlestis Hierusalem nõ erit lutũ terrenę voluptatis, nec puluis mũdanę vanitatis, sed perfectę claritatis auro sternetur, simili vitro imperturbatę puritatis. Melior igitur est dies vna in atriis illis super milia dierũ. De quibus Ierem. ait: Diem hominis non desideraui. Hæc est dies prosperitatis mundanæ. De qua Iob ait: Ducũt in bonis dies suos. Et iterũ: Nonne lux impij extinguetur, id est, prosperitas quam

*De atriis Hierusalem.*

*Similo.*

quam hîc habes, finietur: Et rursum ait: Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, id est, gaudium de temporalibus in eius conscientia deficiet. Dies autem æternæ claritatis melior est super milia dierum temporalis prosperitatis. De qua die Dominus ait: In die illa non interrogabitis me quicquam. Qui enim ambulat in die illa, non offendit. Hæc est dies, quam fecit Dominus, quam illuminat ille qui candor est lucis æternæ, qui diuisit hanc lucem à tenebris, qui lucem habitat inaccesibilem, in qua fulgebunt sancti tanquam sol in regno, scilicet, æternæ claritatis, & claræ æternitatis, præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*De die prosperitatis tranſitoria.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM EX Epistola ad Galat. 5.

*Fratres, Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: Caro enim concupiscit aduersum spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Gala. 5.

GAVDIVM onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso. Verba sunt Isaiæ ostendentis quod carnalis concupiscentia in homine dominatur, nisi regimine spiritus sancti refrænetur. Prius enim homo est animalis & carnalis, donec spiritus sanctus de excelso effundatur super eum, & tunc fit spiritualis: quia gustato spiritu decipit omnis caro. Homo igitur animalis carnalibus desideriis deditus, onagro comparatur, id est asino siluestri per luxuriam, qui pascitur & delectatur in gregibus illicitorũ motuum. In pascuis igitur gregum est delectatio & gaudium onagrorum, donec per spiritum sanctum corda eorum inflammentur, & in eis carnalia desideria igne spiritus sancti comburantur & consumantur. Et hoc est quod in hodierna epistola ait Apostolus: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Spiritu ambulate, id est, ratione, vel potius spiritu sancto: Non enim hoc potest spiritus hominis per se. Et tunc desideria carnis, id est, delectationes, quas caro suggerit, non perficietis, id est, opera eorum consensu voluntatis non implebitis, sed carnem spiritui subiicietis. Econtra de carnalibus Osee ait: Effraim factus est quasi panis subcinericius, qui non reuersatur, vt scilicet, caro spiritui subiiciatur. Et Amos ait: Qui innititur super parietem, mordebit eum coluber, id est, diabolus. Paries siquidem diuidens inter Deum & animam est caro nostra, quæ aquis luxuriæ velut paries lutosus facilè dissoluitur. Vnde non debemus illi inniti. Iacta enim super carnem curam tuam, & ipsa te decipiet. Iacta super mundum curam tuam, & ipse te affliget. Iacta super diabolum curam tuam, & ipse mordebit te, & interficiet. Iacta super Deum curam tuam, & ipse te enutriet. Non igitur innitamur carni, nec eius acquiescamus voluntati. Qui enim in carne delectatur, à Dei misericordia alienatur. Vnde Iob: Obliuiscetur illius misericordia, dulcedo eius vermis. Ex carnis dulcedine triplex vermis generatur. Vermis mali desiderij, vermis malæ conscientiæ, & vermis gehennæ. Quartus insuper vermis cadauer hominis in sepulchro corrodit. Carnales autem homines calice Babylonis inebriati, dulcedine carnis illecti, more ebrij morsus vermium & corrosionem serpentum infernalium in feruore libidinis nõ sentiunt. Vnde in Parabolis dicitur: Verberauerunt me, & non doluí, traxerunt me & non sensi. Sed postmodum, dum conscientia incipit remordere, sentitur mus in pera, ignis in gremio, serpens in sinu, clauus in oculo, spina in pede, coluber in ventre. Via enim carnis in ingressu est delectabilis, in progressu execrabilis, in egressu damnabilis. Ingredientibus propinat mel sophisticum, progredientibus acetum cum felle, egredientibus venenum aspidum insanabile. Econtra via iustitiæ ingredientibus est dura, progredientibus dulcis & amœna, egredientibus glorioſa. Ingredientes enim tanquam aurum in fornace probat, progredientes sanctificat, egredientes glorificat. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, sicut scriptum est: Tu siccasti fluuios Ethan, id est, diaboli, cuius fortitudo in lumbis eius. Ethan enim, fortis interpretatur. Spiritu enim sancto desiccantur in nobis flumina illa, in quibus cubat draco ille magnus, id est, diabolus, sicut in Ezechiele dicitur: Requiescit enim in fluxu carnalis voluptatis & dormit in locis humentibus. In locis autem aridis requiem non inuenit, quia vbi non est humiditas voluptatis, ibi non est incentor libidinis. Et ita sedente Axa super carnis asinam, & conculcante eam fortiter, confertur spiritus sanctus, non solùm irriguum inferius, vt lugeat pro peccatis, sed etiam irriguum superius, vt fiat spiritualis, vt iam non coquat hœdum in lacte matris suæ, id est, motus sensualitatis in carnis suauitate. Sensualitas enim capræ fœtidæ comparatur. Econtra sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium. Nam qui adhuc huius vitæ voluptatibus pascitur, ab internæ sapientię delectatione separatur. Tunc à Dalida Sampsoni crines raduntur, cùm per carnis voluptatẽ anima virtutibus spoliatur. Et ita Sampson, qui interpretatur sol eorum, id est, ratio sicut vrsus ad peluim ardentem, per carnis desideria excæcatur. Dalida enim quæ interpretatur situla vel paupercula, est caro, quæ semper sitit & nuncquam satiatur, & tanquam paupercula mendicat voluptates. Vnde in Threnis dicitur: Dederunt pretiosa quæque ad refocillandam animam, id est, animalitatem ad refocillandã non satiandam. Spiritu ergo ambulate vt rore spiritus sancti ignis libidinis in vobis extingua tur, & caro spiritui subiiciatur. Propterea Naum ait: Aquam hauri tibi, propter obsidionem, extrue

*Carnalis est omnis homo niſi ſpiritu ſancto roboretur.*

*De carnalibus hominibus. Amos 5.*

*De quadruplici verme.*

*De via carnalium & via iuſtorum.*

*Spiritu ſancto ſiccantur fluxus carnalis voluptatis*

*De Dalida et Sampſone.*

*Rore ſpiritus ſancti extinguitur ignis libidinis.*

extrue munitiones tuas, intra in lutum & calca subigens tene laterem. Aquam spiritus sancti, & fluenta scripturarum haurire debemus, ne castrum nostrum à diabolo capiatur. Vndique enim ab hostibus obsessi sumus. Extruere autem munitiones nostras debemus, id est, propugnacula virtutum, & intrare lutum considerando carnalium voluptatum fœtorem infamiæ in præsenti & pœnam gehennæ in futuro. Lutum intramus, dum originem nostram & fragilitatem attendimus. Lutum etiam intramus & conculcamus, dum consideramus vitæ præteritæ immunditiam, non ad delectandum, sed ad exprobrandum. Lutum præterea intrat vt conculcet, qui iumentum corporis domat ne calcitret. Laterem verò subigendo tenemus, dum corpus nostrum castigando in seruitutem redigimus. Corpus siquidem humanum lateri comparatur, quia more lateris igne laboris & tribulationis solidatur. Aqua autem dissoluitur & inquinatur: quia quantò mollius procuratur, tantò amplius sordidatur. Et quia plerumque qui abstinent à vitiis carnalibus exterius, igne prauæ cogitationis & vitiis spiritualibus infestantur interius, subdit Propheta: Ibi comedet te ignis, peribis gladio, & deuorabit te bruchus. Pœnitentibus igitur de abstinentia non est præsumendum, ne comedat eos ignis prauæ cogitationis, & pereant gladio praui operis. Bruchus autem deuorat animam, cùm opus ducitur in consuetudinem: bruchus siquidem alas nõ habet, & rei quam depascit donec totum consumatur, incidet. Ita & terra liberi arbitrij prorsus depascitur & consumitur consuetudine peccandi. Vnde Psalmus: Inflammatum est cor meum, scilicet, per malam cogitationem, & renes mei commutati sunt per delectationem, & ego ad nihilum redactus sum per malam operationem & peccati consuetudinem. Propterea Ezechiel ait: Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis. Manus operum dissoluuntur in lasciuiis, & genua fluent aquis in luxurioſis. Vnde Psalmus orat, dicens: Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, id est, non permittas, vt per desiderium malæ concupiscentiæ spiritu sancto recedente præbeatur, vt pateat diabolo introitus ad me. Fumus enim, stillicidium & mala vxor eiiciunt hominem de domo cõscientiæ bonæ, & Christum de domo animæ. Fumus, id est, tentatio à spiritibus in hoc aëre habitantibus procedens. Mala vxor quæ hæres est dominæ suæ, quam teste Ecclesiastico terra sustinere non potest: hæc est refricatio voluptatis præteritæ post repudiationem actionis peruersæ. Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis. Sed spiritu adiuuante super aspidem & basiliscum ambulando conculcabitis leonem & draconem. Per aspidem, quæ blanda est in facie, sed pungit in fine, voluptas carnis designatur. Per basiliscum, qui solo visu interficit, suggestio diabolici intelligitur: vel peccatũ inuidiæ, quæ occidit hominem inspecta fœlicitate alienа. Conculcabitis insuper leonem elationis, & draconem iræ sæuientis. Vnde per Amos Dominus ait: Mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Charioth, & morietur in sonitu Moab, & in clangore tubæ. Misit enim Dominus ignem spiritus sancti contra Moab, id est, contra diabolum, & deuorauit ædes Charioth, quod interpretatur occursus ignis. Nam contra ignem carnalis concupiscentiæ occurrens ignis diuinus mentes quas incenderat ignis diaboli, in ardorem suum conuertit. Mortuusque est Moab, dum regnum eius destructũ est in sonitu & clangore tubæ prædicationis. Teste enim Ioële: ficus & vinea dederunt virtutem suam. Ficus, id est, dulcedo sancti spiritus, & vinea sacræ scripturæ in gentium conuersione. Patet igitur quantum prosit spiritu ambulare contra desideria carnis, & spiritu facta carnis mortificare, & ipsam semper viriliter expugnare. Quod valdè necesse est. Vnde & subditur: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Caro dicitur concupiscere, id est, anima secundum carnem. Sicut auris dicitur audire, cùm potius anima per aurem audiat. Spiritus autem & ratio gratia Dei adiuta concupiscit aduersus carnem. In hac igitur pugna meliori est credendum, id est, spiritui. Si enim Agar ancilla eleuetur contra Saram dominam suam, id est, caro contra spiritum, benè concedit ei Abraham, id est, Deus pater, vt vtatur ea & affligat prout vult vt sit ei subiecta. Nam si caro exterius affligatur, necesse est, vt sensualitas interius refrænetur. In vitula siquidem Sampsonis, arantes ab ipsa accipiunt solutionem problematis extortam per afflictionem. Exerceamus igitur variis laboribus vitulam nostram, id est, carnem: & ipsam affligamus, vt ratio & intellectus liberius & subtilius diuina mysteria percipere mereantur. Meritò enim abstinentiæ dedit Deus Danieli, & sociis eius sapientiam & gratiam. Quia contemptis regiæ mensæ cibariis delicatis, aqua & leguminibus vesci maluerunt. Dum igitur exterioris cibi alimenta sibi subtraxerunt, ad interni pabuli suauitatem peruenerunt. Sicut enim fomentum omnium vitiorum est gula, sic nutrix omnium virtutum est abstinentia. Venter autem pinguis tenuem sensum non generat. Filij hominum vsquequo graui corde, quia pingui carne. Donec igitur ablactatus sit Samuel, & à carnis dulcedine separatus, in domo Domini dignè ministrare non potest. Qui igitur more Eliæ vult fugere Iezabel, & venire ad montem Dei Oreb, grandis sibi restat via. Iezabel fluxus vanus vel fluens sanguine interpretatur, & signat carnem peccato immundam. Oreb autem interpretatur mensa. Vnde per montem Oreb refectionis excellentia atque præeminentia designatur: fugientibus igitur à carnis immunditia ad diuinæ refectionis excellentiam, grandis restat via. Per quadraginta enim dies & noctes ambulare debemus toto, scilicet, tempore vitæ nostræ carnem affligendo, quousque ad montem Dei Oreb, id est, ad plenam æternæ vitæ refectionem perueniamus. Propterea in Numeris dicitur: Pactum salis erit sempiternum coram Domino tuo, ac filiis tuis. Hoc est pactum

*De luto & latere.*

*De fumo, stillicidio, & mala vxore.*

*De conculcatione dæmonum & vitiorum.*

*Amos 2.*

*De pugna carnis et spiritus.*

*De carnis afflictione.*

*Num. 18.*

pœnitentiæ

pœnitentiæ & macerationis carnis. Hoc enim sale saliuntur carnes ne vermescant. Vnde & Matthæus ait: Omnis victima sale salietur. Aliter enim homo non potest se facere victimam Deo. Teste enim Apost. sapientia carnis, mors est. Vnde Isa. Nocte vastata est Ar-Moab, conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab. Ar interpretatur aduersarius, hęc est sapientia carnis, quæ perit in nocte mortis. Quia virum iniustum mala capient in interitu. Moab conticuit, quia peccatores in tenebris conticescent. Nocte vastatus est murus, id est, peccatores seipsos Deo opponentes. Caro concupiscit aduersus spiritum. Hæc est mulier illa vaga, & quietis impatiens, scilicet, sensualitas, quæ dicit in Prouerbiis: Intexui funibus lectum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto. Lectum enim, id est, carnis molliciem sensualitas dicitur intexere funibus illecebrarum carnalium. In pictis autem tapetibus illecebrarum varietas designatur. Ægyptus autem & tenebræ, & mœror interpretatur. Tenebris enim peccatorum & mœrore malæ conscientiæ aspersus est lectus carnalis concupiscentiæ. Vnde sequitur: Aspersi cubile meum myrrha & aloë. Quæ licèt odorem suauitatis prætendant, in se tamen amaritudinem retinent. Hæc est mulier illa aliena, quæ, scilicet, alienat nos à regno Dei. De qua in Parabolis dicitur: quod mollit sermones suos, id est, suadet suauia: & reliquit ducem pubertatis suæ, id est, rationem, quia non acquiescit illi. Hęc est lamia, de qua Ieremias ait: Lamię nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos. Lamiæ dicuntur quasi laruæ. Hæ sunt carnalis voluptas & mundana vanitas, quæ mammas nudant, transitoriam voluptatem prætendendo. Non lactant rationales, sed bestiales catulos, scilicet, qui cæci nascuntur, & parentes non agnoscunt. Qui autem has mamillas fugunt, diuersis sollicitudinibus laniantur. Vnde in Parabolis Salomon ait: Vsquequo parauli diligitis infantiam, id est, fugere lac, de his mamillis, quæ non satiant, sed magis famem prouocant. Quemadmodum Osee dicit: Fornicati sunt & non cessauerunt. Licet enim vires fornicatoribus deficiant, per desiderium tamen inardescunt. Iuxta illud:

*Isa 15.*

*De Sensualitate.*

*De muliere aliena & lamia.*

*Delectatio carnalis insatiabilis est. Versus.*

Et *lassata uiris nondum satiata recessit.*

Et in Ecclesiastico dicitur: Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur donec aliud glutiat, id est, quamdiu gulositate vacat, non extinguitur in ea ignis libidinis. Quemadmodum idem Ecclesiasticus ait: Nequam in ore carnis suæ non deficiet donec accendatur. In ore eius, id est, in gulositate carnalitatis suæ, non deficiet in eo ignis luxuriæ, donec, id est, quamdiu accendatur fomento gulæ. Sicut lampas non extinguitur, quamdiu oleum sufficiens eidem ministratur. Qui igitur febri acuta laborat per libidinis ardorem, necesse est, vt vtatur tenui diæta ne mortem incurrat per gulam. Non enim debemus accendere magnum ignem in parua coquina, quia citò combureretur. Parua coquina est venter noster, in quo si multa cibaria cumulentur, flamma libidinis totum ædificium destruitur. Transfigat igitur Aod gladium in ventrem Eglon pinguissimum, ita fortiter quod per secreta naturæ stercora prorumpant. Eglon pinguissimus est homo, gulosus, diuersis ferculis farcitus, qui percutiendus est gladio verbi Dei, adeo validè vt de ventre, qui est vas stercorum intestina emineant & stercora prorumpant, vt, scilicet, vilitatem suam homo attendat, & non nisi vas stercorum ventrem, cui ita diligenter obsequitur, esse sciat. Vnde Michæas ait: Humiliatio tua in medio tui. Venter enim in medio hominis positus est, ex cuius consideratione humiliatur homo & erubescit, dum ipsum esse vas stercorum attendit. Caro concupiscit aduersus spiritum, & idcirco domare & refrænare debemus iumentum nostrum. Qui enim terram suã malè regit, malos in ea multiplicat habitatores, motus, scilicet, carnales. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius erunt, id est, secundum regimen rationis dirigentur sensus exteriores. Vnde & subiungitur: Qualis est rector ciuitatis, tales sunt habitantes in ea. Licèt igitur concupiscat caro, non est eundum post eius concupiscentias, sed principiis obstandum:

*Simile.*

*Simile.*

*Mich. 6.*

*De regimine carnis. Eccle. 10.*

*Versus.*

*Nam neglecta solent incendia sumere uires:*
*Vtile propositum sæuas extinguere flammas,*
*Nec seruum uitiis pectus habere suum,*
*Principiis obsta, sero medicina paratur:*
*Cùm mala per longas inualere moras.*

Teste autem Gregorio: Cogitatio cui non consentitur, non est peccatum, sed exercendæ virtutis materia. Spiritu igitur ambulemus in anteriora nos semper extendendo, & post carnis concupiscentias non abeamus retrorsum. Non simus retrogradi more cancri. De his enim Ieremias ait: Facti sunt retrorsum, & non antè. Et in Threnis: Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum. Lata enim via carnalium voluptatum lubrica est, & multi corruunt in ea, & non adiiciunt vt resurgant. In quorum persona idem in Threnis ait: Lapsa est in lacum vita mea: posuerunt lapidem super me. Per lacum carnalis voluptas designatur. Per lapidem obstinatio eorum, qui carnalibus desideriis dediti sunt: qui non solùm carnis desideria perficiunt, sed insuper præueniunt. Quidam enim supra posse suum diabolo seruiunt, qui vellent multum luxuriari & non possunt. Deus enim teste Apostolo ad Corinthios, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Iesu Christi. Ante legem siquidem fuerunt tenebræ, data autem lege cœpit lumen cognitionis quasi sub aurora splendescere. Tempore verò gratiæ plenius illuxit nobis noticia diuinæ voluntatis. Nam Deus qui de tenebris ignorantiæ currentis ante legem Moysi per le-

*A principio resistendum prauis motibus & de lubrico carnis. Iere. 7. Tren. 4. Tren. 3.*

*2 Cor. 4. De triplici tempore.*

per legẽ fecit splẽdescere lumẽ suæ cognitionis:illuxit in cordibus nostris per fidei illuminationem ducentis ad scientiã diuinæ claritatis,per faciẽ præsentiæ Iesu Christi. His igitur verbis Apostolus tria tẽpora distinguit. Ante legẽ,sub lege,& sub gratia. Ante legẽ minus fuit peccatũ,sub lege maius,propter mandati præuaricationem,tẽpore gratiæ maximũ propter ingratitudinẽ. Et idcirco tẽpore gratiæ magis offendunt, qui carnis desideria perficiunt,& operibus carnis semet ipsos impendunt. Quæ consequenter enumerat Apostolus,subdens in Epistola hodierna: Manifesta sunt opera carnis,quasi dicat: Hæc sibi aduersantur caro, scilicet,& spiritus,& opera illorum contraria sunt. Opera siquidem carnis manifesta sunt, id est,per se mala apparent,quæ sunt,Fornicatio,id est,opus luxuriæ. Immunditia etiam si opere non expleatur. Vel immunditiam specialiter appellat illam,quæ est contra naturam. Impudicitia,id est,impudicè viuere, quod est irreuerenter inhonestè membra sua,& sensus corporeos lasciuiæ exponere. Luxuria quælibet,scilicet,superfluitas,quæ propriè dicitur luxuriosa,quia attẽditur in vestitu,victu,& coitu. Idolorũ seruitus,quãdo,scilicet,honor debitus creatori,impẽditur creaturæ. Per seruitutem etiam idolorum specialiter intelligitur auaritia,quæ plus diligit nummum,quam Deum. Veneficia,quando,scilicet,veneno mors inimicorum procuratur. Inimicitiæ,id est, discordiæ perseuerantes. Contentiones,quæ attendũtur in verbis. Æmulationes,quando,scilicet,duo ad idem tendunt,& vnus alium nititur impedire. Iræ,id est,subita tempestas animorum. Rixæ, quod fit dum se concutiunt & percutiunt ex ira. Dissentiones, id est, scismata, dum partem faciunt in Ecclesia. Sectæ quę grecè dicuntur hęreses. Inuidiæ,dum de alienis bonis malitiosè torquẽtur,& de malis aliorum gaudent. Homicidia,dum manu,cõsilio vel auxilio aliquis vita priuatur. Multiplex enim est homicidij genus,& ideo pluraliter dicit homicidia. Ebrietates,quę sunt assiduæ potationes mensuram debitam excedentes. Commessationes,quando frequenter superfluis cibariis vtuntur, & his similia. Hæc omnia inter mortalia peccata reputantur. Vnde etiam subdit: Quæ prædico vobis,sicut prædixi: quoniam qui talia agunt,regnum Dei non consequentur. Prædico vobis,scilicet,ante iudicium,dum licèt pœnitere. Sicut prædixi etiam ante hanc Epistolã: Attẽde quod nõ omnia quæ enumerata sunt ad carnis voluptatem pertinent, sed quædam eorum ad animam specialiter pertinent,vt inimicitiæ & iræ. Credere etiam omnia vitia accidere animæ ex carne,error est. Non enim omnia vitę iniquæ vitia tribuenda sunt carni,ne ab his omnibus nudemus diabolum,qui carnem non habet. Sed carnis nomine totum hominem significat qui viuendo secundum se in prædicta vitia prorui. Vel carnis vitia dicuntur,quia ex fomite sensualitatis oriuntur. Enumeratis vitiis carnis,id est,carnalis hominis,consequenter enumerat ea quæ à spiritu procedunt. Vnde & subiungit: Fructus autem spiritus,id est,qui à spiritu sancto procedit, vel à ratione gratia Dei illuminata est charitas,quæ de terra ad cœlum euocat,& est mater aliarum virtutũ. Gaudium,id est,puritas conscientiæ. Pax,quando non inquietant se,sed viuunt in vnitate. Patientia,quæ attenditur in aduersis. Longanimitas, scilicet,expectationis. Bonitas,id est,dulcedo animi. Benignitas,id est,rerum largitas. Bonitas, attenditur in affectu. Benignitas in effectu. Mansuetudo, vt sit homo tractabilis in bono & suauis. Fides quæ est de inuisibilibus certitudo vel fidelitas in pacto obseruando. Modestia, dum in dictis & factis modus obseruatur. Continentia à licitis abstinendo. Castitas licitis rectè vtendo,vel continentia,quæ cohibet gulam,castitas,quæ cohibet libidinem. Et nota quod in enumeratione fructus spiritus caput virtutum præmisit, id est, charitatem,sine qua cæteræ virtutes non reputantur. Non enim bene gaudet,qui non diligit bonum vnde gaudet. Non habet pacem veram cum aliquo nisi eum diligat. Non est verè patiens,qui pro Christi dilectione aduersa non tolerat. Non est longanimis perseueranter expectando,nisi ferueat diligendo. Non est bonus,nec habet animi dulcedinem,qui non habet dilectionem. Non est benignus nisi diligat illum,cui opitulatur. Non est vera mansuetudo,quæ melle dilectionis non conditur. Non est salubriter fidelis,nisi illa fide,quæ per dilectionem operatur. Non est verè modestus,qui per dilectionem non seruat mensuram. Non continet se aliquis ab eo vnde tentatur, nisi diligat vnde honestatur. Sequitur: Aduersus huiusmodi non est lex. Non enim iustis est lex posita,sed iniustis tanquam frænum iumentis. Lex enim dicitur à ligando. Qui autem per charitatem declinant à malo,& faciunt bonum,non indigent vt ligentur. Sufficit enim Christiano crux Christi cum charitate. Vnde Apostolus subiungit: Qui autem sunt Christi,carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, quasi dicat: Contra malos posita est lex,bonis autem posita est crux. Qui enim sunt Christi quos necesse est sequi spiritum,crucifixerunt macerando carnem suam, pugnantes cum vitiis operum & concupiscentiis desideriorum. In hac quidem cruce semper debet pendere Christianus,vt quasi clauis, id est, iustitiæ præceptis sit affixus. Qui autem diaboli sunt & carnis desideria perficiunt,cruci diaboli sunt affixi, & clauis malæ conscientiæ cruciati. Vnde Dominus per Amos ait: Sicut torris raptus de incendio fuistis,& non reuersi estis ad me. Torris huiusmodi fumum teterrimum emittit: sic peccator expleta carnali voluptate teterrimum fumum malæ & perturbatæ conscientiæ. Vnde Ieremias ait: Quid tibi vis in via Ægypti vt bibas aquam turbidam,id est,in via tenebrosa carnalis voluptatis,quæ turbat hominis conscientiam. Aqua autẽ turbida cœno mixta est,& imaginem non reddit,imago hominis est nouissimorum memoria. Non igitur voluptas carnis imaginem reddit, quia memoriam nouissimorum tollit. Iuxta illud quod dicitur in Threnis: Sordes eius in pedi-

*De operibus carnis.*

*De fructu spiritus.*

*Quod fructus spiritus a charitate procedit & sine ea non valet.*

*De cruce Christi & cruce diaboli, & carnis crucifixione.*

in pedibus eius, & ideo non est recordata finis eius. Hæc aqua turbida fluit in mare, id est, in amaritudinem gehennæ. Quia extrema gaudij luctus occupat. Et ita de cruce peccati transeũt ad crucem inferni. Qui autem Christi sunt, & carnis desideria crucifigunt, de cruce Christi transeunt ad gaudia paradisi. Præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam. 17.

*Cùm iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam: & dum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.* Luce 17.

QVI timent Dominũ, inquirent quę beneplacita sunt ei: & qui diligũt eum, replebuntur lege ipsius. Verba sunt Ecclesiast. Ad hoc siquidẽ ad sermonẽ verbi Dei debetis cõuenire, vt discatis eius voluntatẽ facere. Seruus enim fidelis & timoratus diligẽter inquirit quid placitum sit Domino suo, & quale seruitium gratum sit illi. Qui autem non diligunt Deum, non replebuntur lege ipsius, quia verbis diuinis non satiantur, neque saporem internum percipiunt, sed omnia bona eis in fastidium conuertuntur, sicut palato febricitantis bona cibaria videntur amara. Econtra teste eodem Ecclesiastico: Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Nisi enim libenter audiatis, nunquam poteritis addiscere, neque sapientes eritis. Qui enim cum appetitu cibum istum non comedit, nunquam anima eius pinguis fiet, sed macilenta & arida remanebit. Econtrario Ierem. ait de se: Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus vino à facie Domini, & à facie sanctorum verborum eius. Et per eundem Ieremiam Dominus ait: Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur. Si enim Prelati pingues sunt in se, tunc subditi si eis deuotè volunt intendere, non remanent sicci. Suscipite igitur fratres cum desiderio & deuotione verbum Dei, vt eius voluntatem cognoscatis, & animæ vestræ reficiantur pinguedine charitatis, vt illuminetur intellectus vester, & pingueſcat affectus. Cùm iret Iesus in Hierusalem. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt. Peccatum mortale animam hominis corrumpit & abominabilem reddit. Vnde comparatur leprę, quæ carnem hominis inficit & corrumpit, & ipsum à consortio & cohabitatione sanctorum tanquam abominabilem eiicit. Lepra siquidem mortalis peccati, non solùm animam inficit, sed interficit, & Dei similitudinem tollit: sicut lepra faciem hominis deturpat, & ita corrodit & fœdat, vt tollat similitudinem hominis, & iam non appareat homo, sed quasi frustum carnis. Animæ igitur leprosæ amissa Dei similitudinẽ, dicit Dominus per Psal. Existimasti inique quòd ero tui similis. Nã dum offendimus bonã trinitatẽ, incurrimus malã trinitatẽ, id est, impotentiã, ignorantiã & malitiã. Talibus Apost. ait: Reformamini spiritu mentis vestræ. Et Psalmus ait: Illustra faciem tuam super seruum tuum, id est, imaginem tuam nobis in creatione impressam, illumina in me reformãdo per gratiam. Hoc est quod Iob ait: Restituetur vt lutum signaculum, quasi dicat: Sicut restitutum est lutum, ita restituetur signaculum. Homo enim restitutus est in materiã suam, id est, in lutum propter peccatum, cui dictum est: Cinis es, & in cinerem reuerteris. Per Christum autem restitutum est signaculum, id est, reformata imago Dei in nobis, & reparata similitudo. Lepra abominabilem reddit hominem. Vnde etiam leprosi eiiciebantur à castris, & hodie à ciuitatibus remouentur. Ita etiam mortale peccatum eiicit hominem à consortio sanctorum, & à ciuitate Ecclesiæ, sicut scriptum est: Abscidetur de ouili pecus. Et Isaias ait: Proiecisti populum tuum, quia repleti sunt vt olim, & augures habuerunt vt Philistim, & pueris alienis adhæserunt. Ecce triplex causa eiectionis, quia triplici lepra erant infecti. Vna est vetustas malæ consuetudinis, qua iniquitate repleti erant, nec ad nouitatem gratiæ currebãt. Vnde & vulgò dicitur: Talis est hoc anno, qualis fuit in præterito. Alia est garritus & vaniloquium, quia augures habuerunt, id est, garrulitatem & vaniloquium secuti sunt. Tertia & pessima sodomiticum vitium, quia pueris alienis adhæserunt. Vnde inter alia quæ luget Ieremias in Threnis contra Sodomitas ait: Adolescẽtibus impudicè abusi sunt. Hi igitur leprosi à Deo excõmunicati & ab Ecclesia sunt eiecti, quasi pulli à nido, à serpentibus deuorandi, extra nauiculam Petri proiecti in mare, & à ceto absorbendi. Eiectis autem, sed reductis ait Apostolus: Iam non estis hospites & aduenæ. Lepra reddit hominem raucum, & aufert ei loquelam. Ita mortale peccatum vocem confessionis & diuinæ laudis aufert homini, de qua dicitur in Canticis: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Hæc est vox confessionis, dum homo interiorem faciem Christi vicario ostendit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Qui delinquit in conspectu eius qui fecit illum, cadet in manus medici, id est, sacerdotis, cui oportet confiteri. Teste enim Boëtio: Oportet vt vulnus detegas, si operam medicantis expectas. Lepra fœtorem oris inducit, & fœtidum reddit anhelitum. Ita & mortale peccatum, & maximè peccatum detractionis, sicut scriptum est: Sepulchrum patens est guttur eorum. Vnde in Prouerbiis Salomon ait: Gens quæ pro dentibus habet gladios. Hi sunt qui vitam aliorum lacerant detrahendo, & carnibus proximorum saturantur, dum carnalium vitam corrodunt. Cùm enim gulosi comedant carnes coctas, de-

*Eccle. 2. Ex diuinis scripturis debemus voluntatem Dei inquirere.*

*Eccle 3. Cum appetitu & desiderio audiendum est verbum Dei. Iere. 23.*

*Iere. 31.*

*Peccatũ mortale comparatur lepræ. De incommodis ex lepra.*

*Ephe. 4.*

*Lepra peccati Dei similitudinem aufert. Iob 38.*

*Gene 3.*

*Lepra abominabilẽ reddit. Abac. 1.*

*Esa 2.*

*Tren. 4.*

*Ephe. 2. Lepra raucedinem facit.*

*Cant. 2.*

*Eccle. 38.*

*Ex lepra oritur fœtor procedẽs Prouer. 30.*

detractores

tractores comedunt crudas. Quam miseri qui ora sua alterius stercoribus fœdant, & ore fœtido aliorum stercora masticant, de quibus scriptum est: Facti sunt vt stercus terræ. Lepra contagiosus est morbus in ciuitate, vel contactu alios inficiens. Et peccatum mortale, dum aperte perpetratur, alios exemplo malo contaminat. Vnde Ieremias: A Prophetis Hierusalem egressa est pollutio super terram. Corrumpunt enim bonos mores, non solùm colloquia praua, sed etiam exempla mala. Teste enim Ecclesiastico: qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Et Seneca: Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit malignus comes, quam vix candido & simplici rubiginem suam affricuit. Cum his conuersare qui te facere meliorem possunt: illos admitte quos tu facere meliores potes. Mutuo ita fiunt homines, dum docent & discunt. Lepra depilat hominum crines & barbam auferendo. Et peccatum mortale crines virtutum tollit, quos Sampson in gremio Dalidę amisit, & quasi amissa barba hominem effœminatum reddit. Vnde in Leuitico inhibetur filiis Israël ne radant barbam. Et in primo Regum de Samuele dicitur: Nouacula non ascendet super caput eius. Lepra tumorem & inflationem inducit. Ita & peccatum mortale hominem contumacem reddit, dum mandata Dei transgreditur, & illi obedire contemnit. Deus autem qui humilibus dat gratiam, alta & inflata à longe cognoscit. Vesicula enim gutturis eiici præcipitur à sacrificio Dei. Vnde & Psalmus: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Et iterum: Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Hi autem elati & inflati comparantur ollæ bullienti, de qua Ieremias: Ollam succensam ego video. Hæc olla fumum emittit per vanitatem, ebullit & attollitur per malitiam & superbiam, inflammatur per iracundiam, spumat per luxuriam. Lepra lucere facit cutis superficiem. Quod specialiter pertinet ad hypocritas, qui more ligni putridi exterius ad oculos hominum lucẽt, sed interius fœtent, velut sepulchra exterius dealbata, intrinsecus autem, plena sunt corruptione & ossibus mortuorum. Isti autem simulatores & callidi prouocãt iram Dei. Teste autem Augustino: dolus duplicat cor, adulatio duplicat linguam. Isti autem hypocritæ, & si per bona opera exterius lucere videantur, nec caput offerunt bonæ intentionis, nec caudam debiti finis. Vnde Isa. Non erit Ægypto opus quod faciat caudam aut caput. Caput, scilicet, rectæ intentionis, & caudam recti finis. Lepra ardorem & sitim inducit. Similiter mortale peccatum ardorem concupiscentiæ & sitim auaritiæ. De his Psalmus ait: Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Ignis, id est, ardor auaritiæ. Sulphur, id est, fœtor luxuriæ. Spiritus procellarum, id est, tempestas iræ cum vento superbiæ, pars calicis eorum, quia bibunt in præsenti de calice Babylonis, qui plenus est abominationibus & immunditiis. Cùm autem inebriati fuerint, bibent in futuro id quod deterius est, scilicet, de vino furoris iræ Dei. Dominus autem quandoque dat temporalia ad solatium & refrigerium. Vnde Apostolus: Non vt aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio. Quidam autem non in refrigerium, sed in ardorem maioris cupiditatis ista recipiunt. De quibus Isaias: Quasi calore sub nube torrente propagines fortium marcescere facies. Temporalia enim quasi nubes torrentes sunt, quando non ad refrigerium, sed ad ardorem auaritiæ conuertuntur. Et ita omnia bona animæ comburuntur & destruuntur. Lepra pustulas siue vlcera generat, & carnem corrumpit & fœditatem reddit. Quod pertinet specialiter ad corruptionem luxuriæ & fœtorem carnalis voluptatis. De his autem Ioël ait: Computruerunt iumenta in stercore suo. Væ illis qui in stercoribus luxurię computrescunt, id est, qui tunc habent terminum luxuriæ, quando & vitæ. De his autẽ Amos: Facti estis sicut torris raptus de incendio. Qui, scilicet, ex vna parte ardet, ex alia parte fumigat. Ita prædicti leprosi, qui in præsenti ardent per luxuriam, in futuro fumigabunt in inferno per fœtorem. De his etiam Iob ait: Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos. Voluptas enim carnis quasi tempestas violentiam facit, nisi viriliter resistat homo vt non sit effœminatus & mollis in resistendo tentationibus carnis. Ecce decem incommoda lepræ. Nam sicut lepra varium exprimit colorẽ in cute, sic peccatũ varias habet species in mẽte. Vnde per decem leprosos prædictæ decem varietates intelligi possunt. Vel decem leprosi dicuntur, qui contra decalogum peccauerunt varietate transgressionum, quasi maculis leprę respersi & distincti. Per leprosos autem specialiter designantur hæretici, qui veris admiscent falsa, sicut in leproso caro corrupta reliquæ carni, quæ nondum corrupta est, permiscetur. Vnde etiam à longè stetisse dicuntur. Non enim hæretici propè stare debent, sed longè ab Ecclesia pellendi sunt, ne immunditiæ suæ lepra maculare valeant simplicium corda. Vnde Ioannes in Epistola canonica: Si quis venerit ad vos, & istam doctrinam non affert: nolite eum recipere in domo, nec aue ei dixeritis. Quia si ad Ecclesiam redire voluerint, ostendant se sacerdotibus. Nõ enim prius recipiendi sunt quàm corã sacerdotibus orthodoxis suam hæresim anathematizauerint. Per varietatem autem colorum in leprosis bonorum & malorum operum permixtio designatur. De qua Dominus per Ieremiam conqueritur, dicens: Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi? Nunquid auis tincta per totum? Cùm enim Christus totus sanguine passionis fuerit tinctus, velut passer sanguine respersus, qui in curatione leprosi iussus est immolari, conqueritur quod nos tincturæ bonorum tincturam admiscemus malorum actuũ. De hac autem permixtione in Ecclesiastico dicitur: Vnus ædificans & vnus destruens, quid prodest illi nisi labor? Vnus maledicens, & vnus orans cuius vocem exaudiet Dominus? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis. Qui enim facit opus de genere bonorum & addit opus malum, vna man

*Ieremi. 23.* *2. Cor. 15.* *Eccle. 13.* *Nota vester defectus.*

*Lepra depilat hominem.* *Iudic. 16.* *Leuit. 19.* *1. Reg. 1.* *Ex lepra procedit tumor.*

*Ieremi. 1.*

*Lepra lucidã facit superficiem exterius Simile.*

*Isaiæ 10.* *Lepra facit sitim, & ardorẽ inducit.*

*2. Cor. 9.*

*Isa. 25.*

*Ioël. 1.* *Ex lepra proueniũt vlcera.* *Amos. 4.*

*Iob 36.*

*De decem leprosis & denario transgressionum.* *De lepra hæreticorum.*

*1. Ioan. 1.*

*De permixtione bonorum & malorum.* *Ieremi. 12.*

*Eccle. 34.*

ædificat

ædificat,& altera destruit. Qui orat Deum & maledicit proximũ, hac diuersitate se leprosum ostendit. Per hoc autem quod à longè stetisse dicuntur leprosi, insinuatur quod longè est à peccatoribus salus, quia Deus alta à longè cognoscit. Ad literã autem à longè stabant, quia solo visu vel sermone se ab illo posse sanari non dubitabant. Qui autem à Christo sanari desiderat, humilietur,& à longè stet, vt se indignũ sanctorum consortio reputet. Sequitur: Et leuauerunt vocem suam. Tales enim necesse habent, vt magno clamore Deum interpellent. Vocem deprimũt qui à domino temporalia petunt. Vocem leuant qui à Domino spiritualia & æterna bona postulant, vt ascẽdat oratio, sicut virgula fumi, id est, procedat ex igne charitatis, & lachrymas extorqueat atq; sursum feratur more fumi. Leuantes igitur vocem suam clamabant: Iesu Præceptor miserere nostri. Saluatorem confitentur dum Iesum nominant. Deum enim omnipotentem credunt, cui præcipere facere est, nec de suis meritis, sed de misericordia confidunt, dum clamantes: Miserere nostri, se miseros agnoscunt. Propterea oculis misericordiæ Dominus eos respexit. Vnde & subditur: Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Non nisi ad arbitrium sacerdotum secundum legem recipiebatur in consortio sanorum, qui fuerat leprosus, licèt esset euidenter sanatus. Vnde in Leuitico dicitur: Vir in cuius cute varius color apparuerit, veniat ad sacerdotem, & ostendat se illi. Et paulò pòst: Si autem sanatus fuerit, veniat ad sacerdotem. Vt igitur doceret sacerdotibus esse deferendum honorem & ne contradictor legis videretur, præcepit vt se ostenderent sacerdotibus. Et insuper vt sacerdotes videntes leprosos mundatos, in ipsum crederent, alioquin excusationem non haberent. Quarta autem & efficatior ratio hæc fuit, vt insinuaret quod vice Dei peccata sacerdotibus pandenda sunt, & iuxta eorum consilium pœnitentia agenda. Teste autem Ioanne: Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est vt dimittat peccata nostra, & mundabit nos ab omni delicto. Confessio enim est porta sterquilinij in Hierusalem, per quam sordes peccatorum eiiciuntur. Quæ si nunc absconduntur, patebunt omnibus in iudicio, quando Dominus excitatus, tanquam potens crapulatus à vino percutiet inimicos suos in posteriora parte natium, ita quod prominebunt extales eorum: quia nihil opertum, quod tunc non reuelabitur. Vnde Ieremias ait: Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël. Fure siquidem deprehenso suspenditur furtum ad collum eius, ita in iudicio apparebunt omnia peccata, quæ hîc non fuerunt sacerdotibus denudata. Propterea in Ecclesiastico dicitur: Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Pro anima igitur nostra, id est, pro salute animæ nostræ, non debemus erubescere dicere verum in confessione. Mala enim est hæc confessio quæ claudit os peccatori, vt vulnera sua Medico non ostendat.

*De statibus à longè, & variis elevationibus.*

*Ostendere se debent leprosi sacerdotibus.*

*Leuit.13.*

*1.Ioan.1.*

*De cõfessione peccatorum.*

*Ierem.2.*

*Eccles.3.*

*Non intellecti nulla est curatio morbi:*
*Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.*

*Versus.*

Oleum enim diuinæ gratiæ non permittit cicatricem obduci; donec sanies per confessionẽ sit educta. Est autem alia confusio bona, adducens gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Quando, scilicet, homo compungitur & erubescit de peccatis suis. Teste autem Gregorio: Verecundis mentibus semper maioris certaminis est peccata commissa prodere, quàm non commissa vitare. Maria igitur, sicut in Exodo dicitur, debet sumere tympanum & cantare. Maria amarum mare interpretatur. Hæc est contritio quæ debet sumere tympanum per carnis mortificationem, & cantare Domino per confessionem. Iudas enim coniunctus Thamar, generat Phares & Zaram, sicut in Genesi dicitur, quia confessio iuncta amaritudini, generat diuisionem peccatorum, & ortum virtutum. Phares enim diuisio, & Zaram oriens interpretatur. Hoc est quod Isaias ait: Si abstuleris de medio tui catenam, id est, peccatorum connexionem. Ecce Phares orietur in tenebris lux tua. Ecce Zaram. Ostendite vos sacerdotibus. Si fœtidum morsellum in ore tuo posuisses, nónne expueres? Ita expuere debes fœtorem peccati per confessionem eiiciendo. Si enim in pomo voluptatis inueniſti vermem peccati, conspue & eiice ab anima tua corruptionem. Nam bonum est confiteri Domino, & ostendere se sacerdoti per confessionem. Hæc est enim porta Domini, iusti intrabunt in eam. In cuius significatione porta erat in Hierusalem, quæ porta sterquilinij vocabatur, vt per eam ciuitas mundaretur. Hæc est confessio quæ purgat animam, & inducit pulchritudinem. Sicut scriptum est: Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Vnde Isaias: Ingredere in petram, & absconde in fossa humo a facie timoris Domini. Ingreditur in petram, qui per confessionem aperit cordis duritiam. Humum mentis fodit, qui quod intus latet per confessionem ostendit. Sic enim absconditur ne à gladio vindictę ferientis inueniatur. Ostendite vos sacerdotibus. Meritò de furto accusatur, qui peccatum suum abscondit, & illud Domino furatur. Vnde Iob: Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Legimus autem quod quidam sanctus adiurat diabolum, vt ei diceret quid magis illi noceret. Et respondit: Frequens confessio. Sicut enim crapula purgatur per vomitum, ita peccatum per confessionem. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Si coactus fueris in edendo multum, surge in medio, & euome, & refrigerabit te. Euome, id est, peccatum confitere. Sicut enim leo cauda operit vestigia, sic vir iustus per confessionem malos actus operit, ne venatores infernales eum deprehendere possint.

*1.Esd.2.*

*Esa.2.*

*Iob 31.*

*Similè.*

*Eccles.31.*

*Similè.*

*Non lusisse pudet, sed non inscindere ludum.*

*Versus.*

Percutiamus igitur cum Iosue in ore gladij, id est, in gladio oris septem Gentes, id est, vniuersitatem vitiorum. Ipse enim non dimittit saltem paruas reliquias, id est, aliquas circunstantias, vt à filo subtegminis vsq; ad corrigiam caligæ, non accipiat Abraham de his quæ pertinent ad Regem Sodomorũ. Et deleatur memoria Amalech de sub cœlo. Sequitur: Factum est dum irent, mundati sunt. Ex quo ostenditur, quod ante confessionẽ ex cõtritione & voluntate cõfitendi dimittũtur peccata. Sicut scriptũ est: Dixi, cõfitebor, & tu remisisti. In sua tamẽ præsentia nõ curat, sed ad sacerdotes mittit, vt ostendat necesse esse peccatori, si potest, confiteri sacerdoti. In eundo autem mundat, ne si in præsentia sacerdotum mundaretur, illi hoc suis meritis asscriberent. In via igitur mundati sunt, antequam ad sacerdotes venirent, vt ipsi mundatorẽ suum cognoscerent, & sacerdotes mundationi illorũ nihil contulisse sentirent. Non enim sacerdotes principaliter, sed Deus peccata dimittit. Ipsi tamen ministerio mundant & pœnitentiam iniungit.

*Eccles.7.* Vnde in Ecclesiastico dicitur: Honora Dominum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & perpurga te cum brachiis, id est, viriliter & fortiter purga te à peccatis. Vel propriis manibus seu brachiis operando vel eleëmosynas erogando. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Per quem ostenditur vnitas, deuotio, humilitas, & gratitudo Ecclesiæ, quæ de omnibus acceptis gratias agit. Vnus, ecce vnitas: cum magna voce, ecce deuotio: cecidit in

*De tadẽtibus in faciem.* faciem, ecce humilitas: gratias agens, ecce gratitudo. In faciem cadit, qui de perpetratis malis humiliter erubescit. Ibi enim cadit homo vbi confunditur. Qui in faciem cadit, videt quò cadit. Qui autem retrò, sicut Heli, lapsum suum non videt, & ideo confractis cerubis expirat. De ascensore autem equi, id est, de eo, qui in huius mundi gloria elatus est, dicitur

*Gen.49.* in Genesi, vt cadat ascensor eius retrorsum. In faciem autem cadit, qui prostratus orat, infirmitatem suam ostendens. Ipso enim habitu corporis ostendit se impotentem resurgere à peccatis. Ostendit insuper quia cinis est, & in cinerem reuersurus est. Ostendit se erubescere, quasi præ multitudine iniquitatum non audeat ad cœlum oculos erigere. Sicut autem cadere in faciem adorantis est, & sese humiliantis, ita cadere retrorsum superbientis est & contemnentis. Hic autem qui reuersus gratias egit, Samaritanus erat, nec de suis meritis præsumebat, sicut

*Eccles.9.* alij nouem qui Iudæi erant, & de legis operibus præsumebant. Melior autem est canis viuus leone mortuo. Rectè autem Samaritanus, id est, custos nominatur, qui ita bona quæ accepit, Deo tribuit, vt cum Psalmo dicere possit: Fortitudinem meam ad te custodiam. Respondens autem Iesus, dixit: Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Quærit vbi sunt, ostendens se illos nescire, quos reprobat. Hi siquidem ad denarium non perueniunt, neque in futuro denarium remunerationis, qui in vinea laborantibus promissus est, percipient. Nouem igitur qui per subtractionem vnitatis à perfectione denarij deficiunt, quasi ignotos vbi sunt, re-

*De ingratitudine.* quirit. Sequitur: Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Hinc colligitur, quod hi qui magis grati sunt Deo, & familiares esse deberent, vt literati & Prælati. Diuites etiam laici, quibus scientiam, dignitates & opes tribuit, magis sunt Deo ingrati, seseque à Domino elongant, non referentes ei gratias, sicut pauperes & simplices, quibus tot bona contulit, quasi ipso facto dicant: Diuitiæ nostræ dignitates, & labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Mundati igitur & ingrati sunt, qui ad cognitionem veritatis redeunt, &

*Rom.1.* sibi, non Deo scientiam suam attribuunt. Vnde Apostolus: Cùm cognouissent Deum, non eum magnificauerunt aut gratias egerunt. Teste enim Bernardo: Placet vterque Domino & peccator compunctus, & iustus deuotus, sicut è regione displicet tam ingratus iustus quàm peccator securus. Et iterum: Ingratitudo ventus est vrens, siccans sibi fontẽ pietatis, rorem misericordiæ,

*Versus.* gratiæ fluenta. - *Mens praua malorum: Immemor accepti, non timet esse boni.*

Et Poëta ait: *Accepti memores nos decet esse boni.*

Et Seneca: Hoc docet Philosophia præcipuè benedicere, & beneficia benè soluere. Interdum autem solutio est ipsa cõfessio. Si verò bos cognoscit possessorem & benefactorem suum, deterior es bestiis, & crudelior feris, si obsequia Domini non agnoscis.

*Versus. Ezech.16.* *Obsequium Tygres q; domat, timidos q; Leones.* Vnde Ezechiël contra ingratos ait: Post omnes abominationes tuas & fornicationes, nõ es recordata dierũ adolescentię tuæ, quando eras nuda & confusione plena, & cõculcata in sanguine tuo. Inter cætera siquidẽ vitia ingratitudinis vitiũ grauissimũ reputatur. Et ideo subiungit Propheta, dicẽs: Et accidit super omnẽ malitiã tuã, væ, væ tibi, ait Dominus, id est, duplex væ, corporis, scilicet, & animæ, vt operiaris quasi diploide cõfusione tua. Propterea Psal. ait: Noli obliuisci retributiones eius, qui propitiatur omnibus in-

*Iob 16.* quitatibus tuis. Et per Iob Dominus ait: Terra ne operias sanguinẽ meũ, & non inueniat in te locũ latendi clamor meus. Quasi dicat: Cor terrenũ ne tradas oblivioni sanguinẽ meũ, neq; la-

*Sopho.3.* teat in te clamor meus, qui clamaui in cruce, sed tãtis beneficiis respõdeas. Ipse enim supra limpidissimã petrã effudit sanguinẽ suũ, vt nõ operiretur puluere. Propterea cõtra ingratos Sophon

*Isa.45.* ait: Vt prouocatrix ciuitas & redẽpta: quasi dicat: Mirũ est quomodo post tantũ beneficiũ audes benefactorẽ tuum prouocare. Vnde Isaias cùm dixisset de beneficio incarnationis, Rorate cœli desuper, subiũgit: Væ qui cõtradicit factori suo. Et iterũ postquã de beneficiis redẽptionis dixis-

*Zach.10.* set, Corpus meũ dedi percutientibus, subiungit: Quis contradicit mihi. Et per Zachariam Dominus ait: Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos, columba non audiuit: quasi dicat:

Cùm iam

Cùm iam eos redemerim, amodò non oportet me nisi sibilare, id est, leuem sonum prædicationis emittere, ad congregandum eos. Mala autem est columba ista, & seducta, non habens cor; quæ audire contemnit. Hi sunt mali & ingrati homines, qui gregatim volant, id est, pomposè, per elationem attolluntur, & more columbarum sublatis pullis à nido, nihilominus iterum in eodem loco nidificant. Malè enim licet labor eorum in hoc mundo pereat, laborare tamen & variis curis affligi non cessant. De his autem Dominus per Ioël ait: Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, vt vniuersus terminus Palæstinorum? Nunquid vltionem meam vos reddetis mihi? Reddam vobis vicissitudinem super caput vestrum. Tyrus angustia, hi sunt auari. Sidon venatio, & signat mundum, qui est quasi silua venationibus plena. Auari igitur & venatores temporalium malum pro bono Christo retribuunt, quasi vlciscentes se de beneficiis sibi à Deo collatis, quod est pessimum genus ingratitudinis. De Ezechia autem legimus, quod liberatus à Sennacherib, laudes debitas Domino non reddidit, & ideo ægrotauit. Vnde patet quod semper post bonum opus necesse est Deo gratias agere, & ad orationis præsidium confugere, & gratiam diuinã ad illud conseruandam postulare. Hinc est quod cùm Dominus turbas pauisset paucis panibus, & turba vellet eum in Regem rapere, ipse fugit in montem orare. Ita & tu post opus bonum ad orationem confugias, ne per elationem euanescas. Multi enim sunt quos turba secularium desideriorum in Regem, id est, in fastum superbiæ vult rapere. Illi autem qui per superbiam ægrotat, necesse est, vt Isaias, id est, sermo Domini, dicat: Dispone domui tuæ, quia morieris. Per recordationem enim mortis, homo destruit omnem tumorem elationis. Domui autem disponere, est sibi in futurum prouidere. Vnde in Prouerbiis dicitur: Sapientia ædificabitur domus & prudentia, id est, prouidentia corroborabitur. Quid autem Dominus agenti gratias responderit, audiamus: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit. Qui infirmitatem suam cognoscens, humiliter ante Deum iacuit, diuina cõsolatione surgere ad fortiora operа & ire crescendo vsque ad perfectiora iubetur. Fides tua te saluum fecit, quæ ad gratias agendas te inclinauit. Econtrà perfidia illos condemnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. Qualiter autem sanetur leprosus, & cuiusmodi oblationem pro gratiarum actione offerre debeat, diligenter in Leuitico ostenditur. Præcipitur enim quod offerat duos passeres viuos, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hysopum, & quod vnus ex passeribus immoletur in vase fictili super aquas viuentes. Alius tingatur in sanguine passeris immolati, & aspergatur septies qui mundandus est, & dimittatur viuus auolare in agrum. Qui autem mundandus est, lauet vestimenta sua, & omnes pilos corporis rader, & lauetur aqua, & ingredietur castra, ita vt maneat septem diebus extra tabernaculum suum. Multaque alia dicuntur de curatione leprosi, quæ prolixiorem tractatum requirunt. Christus passer viuus, peccator curatus, passer viuus, Christus vita. Peccator pœnitens viuificatus, quibus vesci licitum est. Corpore enim Christi vescimur, & peccator dum pœnitet, Ecclesiæ incorporatur. Vnus passer, id est, Christus immolatus est in vase fictili, quia passus est in carne fragili, super aquas viuentes, id est, iuxta scripturas sanctas istud de ipso prædicentes. Alter autem, id est, pœnitens, tingendus est in eius sanguine per recordationem & imitationem passionis cum hysopo fidei. Hysopus enim pectus purgat. Et de virtute fidei scriptum est: Fide mundans corda eorum. Cum vermiculo charitatis & cedro spei. Et sic dimitti debet vt auolet in agrum bonæ operationis. Et nota quod vnus passer occiditur, alter viuus dimittitur. Quia Christus occiditur vt peccator viuat & non moriatur. Agno siquidem Paschali occiso, Luna pleno lumine illuminatur. Christo enim occiso, Luna, id est, Ecclesia, plenitudine gratiæ irradiatur. Non solùm autem vestimenta exterioris conuersationis iubentur ablui, sed & pili malarum concupiscentiarum intrinsecus sunt abiiciendi. Leprosus autem mundatus intra castra recipitur, sed tabernaculum suum nondum ingreditur, quia peccator quàm citò pœniter, intra cõsortium fidelium recipitur, sed non statim habet serenitatem conscientiæ, imò multo tempore perturbatur. Hoc est quod in Prouerbiis Salomõ ait: Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam: quasi dicat: Cùm manum tuam à malis operibus retraxeris, & agrum mentis spinas vitiorum euellendo, diu in bono exercueris, tunc domum quietis & pacis in mente habere valebis. Qui autẽ mundãdus est, septies aspergi debet. Omnis enim purgatio fit per spiritum septiformem. Vnde & Naaman septies in Iordane lauari iubetur. Aquis enim Iordanis, id est, fluentis lachrymarum, per spiritũ septiformem mundanda est lepra peccatorum. Quidam autẽ cum Naaman leproso dicunt: Nunquid meliores sunt Abana & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israël? Pharphar interpretatur talpa fodiẽs, & signat auaritiam, in qua magis delectantur leprosi, quàm in fluentis lachrymarum. Abana interpretatur lapideus. Hi sunt obstinati in peccatis, qui fluenta gratiæ contemnendo paruipendunt. Nos autem fratres, à lepra peccatorum emũdemur, Christi sanguine intingamur, & aquis Iordanis abluamur. Mundatori autem nostro non existamus ingrati, sed ei gratias referamus. Verè enim dignum est, quia bonus: iustum, quia beneficus: æquum, quia Dominus: salutare, quia æterni præmij retributor, nos illi semper & vbique gratias agere, qui nos purgauit in sanguine suo.

Ioël. 3.

Isa. 38.

Ioan. 6.

Prouerb. 24.

*De sanatione leprosi, & munerib. oblatis. Leuit. 13. & 14.*

Prouerb. 24.

*De purgatione lepræ. 4. Reg. 5.*

Domnus noster Iesus Christus, qui est benedictus in
secula seculorum, Amen.

## DOMINICA DECIMAQVINTA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, EX PSALMO.

*Inclina Domine, aurem tuam ad me, & exaudi me. Saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te: miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die.*

*Osee 2.*

EXAVDIAM cœlos & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleũ: & hæc exaudient Iezrahel. Verba sunt Domini in Osee, promittentis quod aures clementiæ suæ inclinabit Ecclesiæ suæ, & exaudiet cœlos, id est, homines iustos, splendidos, & virtutibus celatos, & variis gratiarum stellis ornatos. Et illi exaudient terram, id est, peccatores, orando Deum pro ipsis. Et terra exaudiet triticum, id est, fidem, quæ more tritici corroborat corda credentium: & vinũ, id est, spem, quæ cor hominis lætificat, dum promissiones Dei attendit, & se habiturum æterna bona sperat. Et oleum, id est, charitatem, quæ aliis virtutibus præeminet & superenatat. Clamare dicuntur virtutes, cùm Dominus inclinatur ad nos, & nobis condescendit, & quasi pulsans ad ostium cordis nostri offert eas nobis. Non autem eas exaudimus dum ostium aperimus & eas non repellimus, sed in hospitio cordis nostri eas recipimus. Et hæc omnia exaudiũt Iezrahel, id est, semen Dei, quia omnia bona sunt Deo attribuenda. Omnia enim bona nostra, quasi semina Dei à nobis sunt reputãda. Exaudiri autẽ dicitur Deus quatuor modis. Vno modo dicitur exaudire, id est, ad exitũ audire. Hoc modo exaudiuit dæmones petẽtes vt intrarẽt porcos, id est, ad exitũ seu finem audiuit, quia quod petierunt, concessit eis. Alio modo dicitur exaudire, id est, ex meritis audire. Vnde dictũ est Cornelio: Orationes tuæ & eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in cõspectu Dei. Et ad Tobiam Angelus ait: Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationẽ tuam Domino. Exauditus autẽ est Tobias cùm oraret quod Angelus Domini comitaretur filiũ suum. Ipse enim cum Angelo profectus est, qui nuptias ei procurauit: & canem secum duxit, & tandem auxilio Angeli visum recepit. Et nos cum cane disciplinæ cõtra insidias diaboli, & Angelo Dei procedere debemus in via præsentis seculi, qui Angelus nobis prouideat nuptias æternę iocunditatis. Et si hirundinũ stercoribus excæcati sumus, visum recipiamus. Per hirundines quæ celeriter volant, celer & impetuosus vanitatis atq; voluptatis trãsitus designatur. Stercora autẽ sunt immunditiæ peccatorũ. Tertio modo dicitur exaudire, id est, ad salutẽ audire. Sic autẽ exauditus est Paulus, cùm oraret stimulũ carnis à se remoueri. Dominus tamen per stimulũ illum humilitatẽ in se custodiuit, & ita ad salutem eum audiuit. Vel exaudiuit, id est, extra audiuit, dum aliud quàm peteret, illi dedit. Quarto modo dicitur Deus exaudire, id est, supra audire, dum non solum id quod petitur, sed supra illud aliquid addit. Vnde Zachariæ dictum est: Exaudita est oratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium. Ipse enim pro liberatione populi Deo supplicauerat, & Dominus addidit quod oratio nõ præsumebat. Cùm enim esset senex & vxor eius sterilis, pro filio habendo non orauit. Inclinare autem dicitur Deus aurem, id est, clementiã suam nobis appropinquãdo per gratiam, & condescendendo per cõpassionem. Econtrariò ipse alta à longè cognoscit, quia longè à peccatoribus salus. Non solũ autem auditum, sed omnes sensus Dominus spiritualiter legitur habere. Visum habet, sicut scriptũ est: In omni loco oculi Domini cõtemplantur bonos & malos. Auditum habet, sicut scriptum est: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationes cordis eorum audiuit auris tua. Odoratum habet, sicut scriptum est: Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Gustum habet, sicut scriptum est, quod Abraham compulit Dominum ad se intrare, vt gustaret modicum. Et in Apocalypsi dicitur: Si quis audierit vocem meã, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad eum, & cœnabo cum illo. Tactum habet, sicut scriptum est: Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum. Videt ergo per sapientiam, qua cognitor est secretorum. Audit per misericordiam, acquiescens votis humilium. Odorat per iustitiam, qua qualitates discernit meritorum. Gustat per benignitatem, qua delectatur gloria beatorum. Tangit per compassionem, qua miserię subuenit afflictorum. Non solum autem inclinat Deus aurem suam nobis, sed se totum inclinauit, dum naturam nostram assumpsit. Verus enim Eliseus, vt puerũ mortuum suscitaret, seipsum inclinauit, & se illi adaptauit. Et mulier quæ dragmam amiserat, accensa lucerna seipsam inclinauit. Hoc est quod Dominus ait: Ego nutritius Ephraim. Sicut enim nutrix inclinatur ad infantem, ita Deus inclinauit se, nostram assumẽs infirmitatem. Vnde Apostolus ait: Non habemus talem Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Attendens igitur Propheta diuinã misericordiam, & humanã miseriam, clamat ad Dominũ, dicens: Inclina Domine, aurem tuã, & exaudi me. Inclina mihi humili & infirmo aurem tuã, id est, clemẽtiam, & exaudi me, id est, desideria comple. Humili siquidem appropinquat Deus & non superbo. Vnde non se erigit, sed per humilitatem submittit. Hoc est quod alibi Propheta ait: Effundo in conspectu eius orationem meã. Et subiungit: In deficiendo ex me spiritũ meum. Spiritum, scilicet, superbiæ & præsumptionis: quasi dicat: In meipso deficio, nõ in me, sed in te confido. Spiritus meus deficit ex me, vt cõfortetur ex te. Teste enim Apost. Cùm infirmor, tunc potẽs sum.

*De exaudi-tione diuina.*

*De quatuor modis exaudiendi.*

*Act. 10.*

*Tob. 12.*

*2. Cor. 12.*

*Luc. 1.*

*De inclinatiõe auris diuinæ, & de auditu, ac aliis quæ Deo attribuuntur.*

*De inclinatione Dei ad nos.*

*In nobis deficere debemus, vt confortemur in Domino.*

Cùm

Cùm infirmor in me, tunc potens sum in te. Hunc defectum exprimit Psalmus, vbi subiungit: Quoniam inops & pauper sum ego. Prouocat Deum ad misericordiam, ostendens defectum & miseriam suam. Inops sum, ab alio opem non habens, pauper per me, mihi non sufficiens. Talibus pauperibus spiritu Deus inclinat aurem. Diuitibus autem, de quibus dicitur, quod diuites dimisit inanes, non inclinat. Quis autem auderet dicere: Inclina Domine, aurem tuam mihi, quoniam dives sum. Confidenter autem dicit Propheta: Inclina Domine, aurem tuam mihi, quia inops & pauper sum ego. Qui enim se euacuat, exinaniendo seipsum, & defectus suos humiliter cognoscendo, iste impletur à Deo. Vasa siquidem vacua implet noster Eliseus. Vnde in Psalmo dicitur: Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulueren suum reuertentur. Et subdit: Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Cùm enim nihil de spiritu nostro retinemus, & nos cinerem humiliter confitemur, tunc Deus spiritum suum emittit, & quasi nouum spiritum creat in nobis, dum spiritum rectum innouat in visceribus nostris. Propterea Psalmus dicturus, Domine, exaudi vocem meam, præmisit: De profundis clamaui ad te Domine, id est, de imo humilitatis, de profundo tribulationis. De profundis etiam clamare debent, qui in foueam peccatorum detinentur, vt corda eorum ad pœnitentiam illustrentur. Ad hoc enim prosunt bona in mortali peccato facta. Valent insuper ad bona temporalia obtinenda. Valent vt minorem pœnam, si reprobati sunt à Domino, habeant in inferno. Si autem saluandi sunt, valent ad minorem pœnam in Purgatorio. Valent postquam conuertimur, ad pœnæ alleuiationem. Valent ad bonorum operum assuefactionem. Septimum etiam effectum habent, quia ab eorum maiori infestatione, diabolum arcent. Inclina Domine, aurem tuam ad me, tanquam ad ægrotum & debilem. Et exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego. Sicut proprium est superbi se magnum & potentem reputare, ita proprium est humilis, se modicum & infirmum æstimare. Et sicut superbus aliena bona sibi attribuit, ita verè humilis bona sua aliorum meritis ascribit: sicut superbus vult videri, ita humilis vult abscondi: sicut superbus laudibus suis gaudet, & dolet si contemnatur, ita humilis laudibus suis cruciatur, & gaudet si despiciatur, & vilis reputetur. Quantò autē magis inopes & pauperes sancti homines seipsos reputant, tantò veris diuitiis amplius abundant, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Vnde vbi diuitiæ Iob in scriptura ad literam referuntur, omnia spiritualiter de veris diuitiis intelliguntur. Iuga siquidem boum possidemus, dum virtutes mentis nostræ duritiam concorditer exarantes, per bona opera exercemus. Asinos autem possidemus, dum onera fraterna per charitatem portamus. Camelos possidemus, dum quicquid in nobis altum est & tortuosum, rationi subiicimus. Asinas etiam possidemus, cùm lasciuientes motus in nobis refrænamus. Possidemus insuper oues, id est, innocuas & mundas cogitationes. Familiam multum possidemus, cùm cogitationes innumeras sub mentis dominio restringimus. Si autem ad momentum ratio tanquam domina discedat, cogitationum clamorem velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, tanquam domina ad domum, mox se confusio tumultuosa compescit. Hæ igitur fuerunt veræ diuitiæ Iob. Et quoniam simplex & rectus erat, simplex, scilicet, opere, & rectus fide, de temporalium amissione non dolebat. Teste autem beato Gregorio: Nunquam sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. Licèt autem veris diuitiis abundaret, se tamen inopem & pauperem reputans, & miseriam suam agnoscens, personam humani generis assumens, dicebat: Pereat dies in qua natus sum, id est, delectatio, quæ ad culpam hominem rapuit, adueniente vigore iustitiæ destruatur. Et nox in qua dictum est, conceptus est homo, id est, tanta mentis infirmitas, quæ vsque ad praui consensus tenebras hominem excæcauit, per pœnitentiam extinguatur. Homo in nocte concipitur, sed in die nascitur, quia priùs in mente cæcatur, deinde delectationi reprobæ substernitur. Similiter & Dauid, licèt multas haberet diuitias temporales, ait: Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus, suscepit me. Ipse quidem temporalia bona paupertatem reputabat. Vnde & ad filium suum Salomonem, sicut in Paralipomenon habetur, ait: Ecce ego de paupertate mea paraui impensas domus Dei, auri talenta centum milia, & argenti mille milia talentorum, æris verò & ferri non est pondus. Vincitur enim numerus magnitudine. Multi hodie si tot haberent, se magnos & diuites reputarent. De quibus Isaias ait: In partibus torrentis sors tua, quia Paradisum suum reputant bona transitoria. Valde quidem periculosæ sunt diuitiæ. Nam sicut ex pinguedine nascitur vermis, ita ex temporalibus elatio mentis. Dauid, licèt multas haberet diuitias, tamen dicit: Exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego. Propterea contra elatos, qui se magnos reputant, Isaias ait: Non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Testa siquidem remanet de contritione, quando aliquis humiliat se, & cognoscit se lutum & cinerem esse. Hic de incendio diuini amoris igniculum portat, quo accendatur, & alios accendat. Similiter aquam lachrymarum de fouea cordis contriti haurit, dum fodit per compunctionem, & stercora mittit, attendens vilitatem suam. Inclina Domine, aurem tuam ad me. Non inclinat Dominus aurem suam, nisi inclinemus nos aurem nostram, sicut scriptum est: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam. Audi legem Dei, vide opera Dei. Inclina aurem tuam, vt humiliter obedias illi. Qui enim auertit aurem suam ne audiat legem, oratio

*Ad quid valeant bona in mortali peccato facta.*

*De humili et superbo.*

*De paupertate & diuitiis sanctorum. 2. Cor. 6.*

*Iob 1.*

*De B. Iob qui varias diuitias possidēs, se pauperem reputabat.*

*De maledictionibus Iob.*

*De paupertate Dauid.*

*Paralip. 22.*

*Simile.*

*Inclinare debemus aurem nostram Deo.*

*contra inobedientes.*

eius erit execrabilis. Nam Deus ab eius oratione aurem clementiæ suæ auertit. Sed nec aliorum orationes exaudit, quæ fiunt pro illusoribus & impœnitentibus, qui Deo contemnunt obedire, sed remanent in errore, nec sinunt orationes sibi prodesse. Vnde ad Ieremiam Dominus ait: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Nisi igitur inclinaueris aurem obediendo, non inclinabit Deus aurem exaudiendo. Multi enim in similitudine serpentis aurem vnam terra, id est, amore terrenarum obturant, aliam cauda, id est, longa peccatorum reste. Peruersi siquidem difficilè corriguntur, sicut scriptum est: Noluit intelligere, vt benè ageret. Vnde in Deuteronomio præcipitur, quod filius contumax nolens obedire parentibus, sed vacans luxuriæ & comessationibus, lapidibus obruatur. De his autem Ezechiël ait: Præscindent nasum tuum, & aures tuas. Nasum ne bonum odorem à malo discernas. Aures ne obedias. Qui igitur inobediens est, auris ei scinditur, more furis in furto deprehensi. Caueat igitur ne in patibulo gehennæ suspendatur. Cùm autem Dominus præcepisset diabolo, vt animam Iob seruaret, non est ausus mandatum præterire. Deteriores igitur diabolo videntur, qui animas proprias, quas Deus illis commisit, contemnunt seruare. Sequitur: Saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te. In Psalmo autem præmittitur secundum translationem nostram: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Quod dicitur in persona Christi, simul & membrorum. Sicut autem sancta dicuntur vasa, quæ ab vsu communi sequestrata sunt, & diuinis officiis dicata, ita sanctus dicitur homo, quod Græcè dicitur ἅγιος, id est, sine terra, qui diuino seruitio mancipatus est, & à terrena conuersatione semotus, vt ad vitam communem & secularem non reuertatur, sed firmiter & constanter in Dei seruitio permaneat. A sacratio enim sanctus dicitur, qui, scilicet, in sancta conuersatione est confirmatus. Sanctificatio iustorum simul & glorificatio hìc incipit in via, sed perficietur in patria. Hìc enim habere incipiunt sancti more viæ quatuor dotes, quas habebunt in futuro more patriæ. Habent enim agilitatem, dum prompti sunt ad benè operandum. Claritatem, dum lucent coram hominibus ad sanctæ conuersationis exemplum. Subtilitatem, dum secreta Dei intelligendo inuestigant, & obscuritates scripturarum penetrant. Quasi impassibiles sunt, quia per constantiam firmi, & per patientiam duri, sicut scriptum est: Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit. Ait igitur: Custodi animam.

*De sanctitate.*

*Simile.*

*De quatuor dotibus sanctorum.*

*Versus. De custodia bonorum.*

*Non minor est virtus quàm quærere parta tueri.*

Vbi thesaurus maior, ibi adhibenda est custodia diligentior. Maiores enim magis lætantur, & ditioribus latrones infernales magis insidiantur. Quantò autem gradus altior, tantò casus grauior. Hoc est quod Ieremias ait: Cadetis quasi vasa pretiosa. Quæ, scilicet, cum maiori damno franguntur, & difficilius reparantur. Vnde & in Threnis lapsum Nazareorum lugens, ait: Denigrata est super carbones, id est, super homines seculares, facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, id est, in lata via, quæ ducit ad mortem, non sunt à Deo probati. Nigri siquidem post candorem fiunt, qui amissa Dei iustitia, laudem propriam quærunt, quia de meritis præteritis præsumentes, post ignem mentis, ad frigus descendunt corporis. In plateis autem non cognoscuntur, quia non sunt quod videbantur: quia aliud sunt, & aliud ostendunt. Vnde sequitur: Adhæsit cutis ossibus eorum. Quando, scilicet, infirmitas vitiorum, reputatur fortitudo virtutum. Petit igitur vir sanctus animam suam custodiri, quia sine Dei custodia, nequit diu permanere in gratia. Sed quia non sufficit sanctitas siue salus gratiæ, nisi sequatur salus gloriæ, subiungit: Saluum fac seruum tuum, Domine Deus meus, sperantem in te. Saluum fac, quia non est ex homine salus, seruum tuum, non liberum tuum, sicut fuit Adam, sperantem in te, non confidentem in se: nec in mundo, qui non potest adiuuare in necessitate. Vnde Naum Propheta de Niniue, id est, de mundo, ait: Niniue aquæ eius, quasi piscina aquarum. Quæ, scilicet, deficiunt, quando magis necessariæ sunt, id est, in æstate & calore, quando refrigerium deberent præstare. Et iterum ait: Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis. Si concussæ fuerint, cadent in os comedentis, id est, diaboli, qui inde delectatur. Ita qui in mundo sperant, & illi innituntur, ad modicæ tentationis concussionem facilè corruunt & labuntur. Vnde Isaias desertum mare mundum appellat, vbi ait: Onus deserti maris. Ipse enim amarus est & onerosus, & ab omni bono desertus, nec prodest sperantibus in ipso. Et Osee ipsum comparat vmbræ, vbi ait: Vastatus est Salmana à domo eius, qui vindicauit Baal in die prælij, matre super filios allisa. Salmana interpretatur vmbra commotionis, hic est mundus inanis & transitorius, velut vmbra, quæ variis curis commouet, & perturbat homines seculares. Baal interpretatur deuorator vel superior, & significat vitia gulæ & auaritiæ, quæ omnia deuorant, & vitium superbiæ, quæ semper locum superiorem vult obtinere. Qui igitur est Ieroboal, id est, fortis contra Baal, vt tria prædicta vitia fortiter vincat, ipse potest vastare Salmana, id est, vanitatem mundi contemnere, matre super filios allisa, id est, carne cum suis motibus mortificata. In Domino igitur, & non in mundo sperandum est. Deus enim saluat sperantes in se. Mundus seducit confidentes in ipso. Teste enim Salomone in Parabolis: Meretrix Babylonica, id est, mundus, dilectoribus suis ait: Intexui funibus lectulum meum. Funibus siquidem peccatorum lectulum carnalis voluptatis intexit. Funes enim sunt lasciuia iuuentutis, delectatio carnis, prosperitas temporalis, sanitas corporalis, & consimilia, quæ hominem ligant & detinent in peccatis. Saluum fac seruum tuum,

*Expositio literæ.*

*Naum 2. In solo Deo est salus, mundus in necessitate nō potest adiuuare.*

*Naum 3. Isa. 21.*

*Osee 10.*

*De seductione mundi. Prouerb. 7.*

tuum, Domine, sperantem in te. Seruum tuum, tibi subditum, voluntati meæ renuntiantem, vt tuam adimpleam voluntatem. Emptus enim sum pretio magno, & non sum meus, sed tuus. Qui enim propriam voluntatem faciunt, seipsos Domino auferunt. Vnde ad Galatas Apostolus ait: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? Ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus. Proscriptus, id est, exulatus: quasi dicat: Ipsum exhæredastis vobis ipsis, qui eius hæreditas esse debetis. Et in vobis crucifixus est, quia ipsum quantum in vobis est, occiditis in animabus vestris. Adhuc hodie à multis Christus crucifigitur in Meridie, id est, in feruore & splendore temporalis gloriæ. Nos igitur hæreditatem suam, id est, nosmetipsos, non debemus illi auferre, sed ei tanquam Domino obedire, vt dicamus cum Propheta: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. In quo notatur obedientia festina, deuota, & discreta. Festina, vbi ait: Paratus sum. Deuota, vbi ait: Non sum turbatus. Discreta, vbi ait: Mandata tua. Nisi enim sint mandata Dei, vel à Deo, non tenemur obedire. Saluum fac seruum tuum Deus meus: quasi dicat: Ego sum tuus, & tu meus. Qui Deum habet, nihil ei deest, sed in possessore omnium, omnia possidet. De hac possessione dicit Psalmus: Defecit caro & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Defecit cato, id est, carnalis concupiscentia. Et cor meum, id est, cogitatio vitiosa. Quia Deus cordis mei, supple, est reformator, & pars mea, vt ipsum habeam, & ipso fruar in æternum. Sequitur: Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Non hora vna tantùm, sed tota die, id est, in omni tempore. Multi autem clamant in aduersis, sed deficiunt in prosperis. Vnde in Exodo dicitur: Locusta consumpsit quod grando reliquit. Quia multoties locusta volitans, id est, illecebra carnis frangit, quem aduersitas deiicere nequit. Vnde in Threnis Ieremias ait: Cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis. Plateæ ciuitatis, desolationes sunt vagæ mentis. Vulnerantur igitur & deficiunt vagi & instabiles, qui voluptatibus carnis non resistunt. De quibus scriptum est: Vt lutum platearum delebo eos. Per lutum, immunditia operis: per plateas, latitudo vagæ mentis designatur. Huiusmodi paruuli & lactentes, in Threnis appellantur, vbi dicitur: Cùm deficerent paruulus & lactens in plateis oppidi, id est, in mundo. Hi enim de mamilla carnis, sugunt lac voluptatis. De mamilla mundi, lac vanitatis. Non clamant tota die qui in prosperis Deum laudant, & in aduersis desperant, qui cappam pluuialem, id est, patientiam, in hyeme & pluuia deponunt: & in æstate, id est, in sereno prosperitatis illam induunt. De quibus Propheta ait: Confitebitur tibi cùm benefeceris ei, in miseriis autem non subsistet. Ad te clamaui tota die, non solùm ore, sed corde & opere. Vnde Isaias: Venter meus ad Moab, quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris. Venter est mens hominis, quæ ad Moab, id est, contra superbiam diaboli sonare debet ipso opere, id est, cithara macetationis carnis, & prauorum desideriorum mortificatione. Viscera etiam nostra per recordationem Dominicæ passionis, sonare debent contra murum cocti lateris, vt structura peccatorum in nobis destruatur. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Frustrà diuinam implorat misericordiam, qui suam non agnoscit miseriam. Si igitur vis vt tui misereatur, agnosce miseriam tuam, & humiliare. Teste enim Propheta: Humiliatio tua in medio tui, id est, in ventre, qui es vas stercorum. Attende nouissima tua. Nihil enim vilius est cadauere hominis mortui. Ad nihil valet, nec potest diu reseruari. Olla confracta valet ad aliquid in ea reponendum. Testa ollæ confractæ ad ignem deportandum. In eodem autem versu continuò subditur: Lætifica animam serui tui, quoniam ad te animam leuaui meam. Lętifica animam meam, tristem in tribulationibus. Quò leuaui animam meam? Ad te vbi est lætitia. In terra autem amatitudo est, & tristitia. Affectus bonus animam leuat. Ascendis amando, descendis negligendo. Stans in terra, si Deum diligis, es in cœlo. Corpus leuatur mutatione loci, cor mutatione voluntatis. Et nota quod in prædictis verbis tria nominantur, quæ in oratione sunt necessaria, scilicet, potentia eius quem orat, vbi ait: Domine. Miseria orantis, vbi ait: Inops & pauper sum ego. Æquitas supplicantis, vbi ait: Quoniam sanctus sum: quod dicitur in persona Christi simul & membrorum. Christus enim orat pro nobis, vt Sacerdos noster. Orat in nobis, vt caput nostrum. Oratur à nobis, vt Deus noster. A tribus autem commendat se Christus integrè, propter quæ debeat exaudiri. A iustitia, vbi se seruum dicit. Ab humilitate, vbi se dicit sperare in eum. A perseuerantia, vbi dicit se clamare tota die. Designantur insuper in prædictis verbis tres virtutes, quæ summè necessariæ sunt ad salutem. Ad te clamaui per fidem. Leuaui animam meam per spem. Lætifica per charitatem. Inclina Domine aurem tuam pauperi, custodi sanctum, salua sperantem, miserere clamantis, lætifica leuantem. Ecce quomodo in cithara hac Dei, chordæ, scilicet, concordant adinuicem. Tam suaui siquidem harmonia valde delectatur Dominus noster IESVS CHRISTVS, cui est honor & imperium.

*Serui Dei, et non nostri esse debemus. 1. Cor. 6. Gal. 3.*

*Psal. 118.*

*Deus est possessio nostra, & nos Dei possessio. Psal. 72.*

*Quotidie in prosperis & in aduersis ad Deū clamare debemus. Thren. 2.*

*Psalm. 17.*

*Thren. 2.*

*Psalm. 48.*

*Isa. 16. Clamare debemus corde, ore & opere.*

*Sui agnoscat miseriam, qui diuinam implorat misericordiam. Mich. 6.*

*De eleuatione animæ.*

*De oratione Christi. Breuis recapitulatio litteræ.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD GALATAS 5.

*Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.*

*Ezech. 37. De viuificatione multipliciaduentu spiritus sancti.*

AQVATVOR ventis veni spiritus: & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Verba sunt Ezech. Venit Spiritus sanctus ab Occidẽte, dum lapsum peccatorũ reparat. Venit ab Aquilone, quando diaboli in nobis tentationes expugnat. Venit à Meridie, quando ad diligendum Deum & proximum cor nostrum inflammat. Venit ab Oriente, quando ad cognitionem veritatis mentes nostras illuminat. Sic enim interfecti à diabolo reuiuiscũt, & Spiritu sancto, qui est vita animarum, vegetantur & viuunt. Hoc est quod Apostolus in principio hodiernæ Epistolæ ait: Si spiritu viuimus, quia Spiritu sancto ad vitam gratiæ peruenimus, spiritu ambulemus, id est, Spiritu sancto duce & rectore, pedes affectuum ad Deum moueamus, & actus nostros ad ipsum dirigamus. Felix siquidem anima, cui Spiritus sanctus præsider, opera dirigit, cogitationes disponit, motus ordinat, mores componit. Et quoniam Dei adiutores esse debemus, sicut Spiritu sancto viuimus, vita, scilicet, gratiæ, ita spiritu nostro ambulare debemus, id est, secundum rationem, non secundum carnem. Spiritus siquidem duos habet pedes, pedem, scilicet, intellectus, & pedem affectus, pedem cognitionis & pedem dilectionis. Vtrunque mouere debemus, vt rectè ambulare valeamus. Qui enim intellectum habet sine affectione, vel affectionem sine veritatis cognitione, non ambulare dicitur, sed magis claudicare. Spiritu igitur præmio & ratione duce, debemus ambulare. Non enim caro debet spiritum præcedere, sed spiritus carnem. De his autem qui post concupiscentias abeunt, in quibus ratio captiua à carne trahitur, dicit Iere. in Threnis: Ceruicibus nostris minabamur, & lassis nõ dabatur requies. Ceruix est superior pars animæ, id est, ratio, quæ quandoque ita sensualitati subiicitur, quod eam quocunque duxerit, sequitur. In seruitute autem diaboli non est requies, sed labor & inquietudo. Teste autem Gregorio: Magna dementia est in via lassari, & viam nolle finiri. Et Seneca: Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi pertubationem & inexplicabilem fecit. Contra prædictam captiuitatem & rationis seruitutem, orat Apostolus ad Thessalonicenses, dicens: Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Spiritus seruatur integer, id est, ratio, dum carni non obedit. Anima, id est, sensualitas seruatur integra, dum rationi seruit. Corpus seruatur sine querela, dum nihil agit vnde Deus vel proximus conqueri vel offendi possit. Ambulemus igitur spiritu, & non carne. Teste enim Seneca: Vir fortis ac prudens, animum deducit à corpore, & multum cum meliore ac diuina parte versatur. Carne igitur ambulant, qui carnis voluptatibus indulgent. Carne ambulant, qui sensus corporeos non obseruant. Teste enim Gregorio: Non licet intueri, quod non licet concupisci. Non igitur incautè pulchritudinem mulierum debemus intueri. Quia teste Abacuc: Facies earum ventus vrens. Et idcirco intuentes eas sæpius, calore noxio febricitare contingit. Non solùm autem tactus earum, sed & visus venenosus est, & more basiliſci, solo visu perimunt incautos. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem, id est, carnali concupiscentia tua. Sic igitur viuere secundum carnem, non est viuere, sed mori. Vnde Bernardus: Non viuit, qui superbia inflatur, qui luxuria inquinatur, qui cæteris inficitur pestibus: quoniam non est hoc viuere, sed vitam confundere, & appropinquare vsque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseuerare vsque ad mortem. Vulgò dicitur: Quia qui benè se pascit, benè viuit. Sed mentita est iniquitas sibi, quia non benè viuit, nisi qui benè facit. Hoc est quod Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est. Vnde Abacuc cùm dixisset, Iustus ex fide viuit, subiungit: Qui autem incredulus est, non est anima eius recta in semetipso. Patet igitur quod non potest homo viuere ex fide articulorum, nisi iustitiam habuerit operum. Si autem anima tua non fuerit erecta ad desiderandum Deum, sed incuruata ad amorem terrenorum, incredulus reputaberis. Teste autem Isaia: Qui incredulus est, infideliter agit, à Deo, scilicet, operibus apostatando. Sicut igitur spiritus inuisibiliter attrahitur, sed visibiliter spiratur, sic Spiritus sanctus inuisibili cordis contritione acquiritur, visibiliter autem in bonis operibus emittitur. Vnde Psalmus: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Os nostrum aperimus per confessionem, spiritum inuisibiliter attrahimus per cõtritionem, sed postmodum ipsum emittimus per bonam operationem, & spiritu ambulamus ipsum emittendo, & ita spiritu viuimus ipsum attrahendo. Non autem spiritu sancto ambulant, sed spiritu diabolico, superbi, malitiosi, contentiosi, & inuidi. Et idcirco quomodo spiritualiter ambulare debemus, docens subdit: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicẽ prouocãtes, inuicẽ inuidentes. Prouocantes, scilicet, ad cõtentiones & lites, & alia illicita. Et inuicẽ inuidentes, scilicet, nõ audemus prouocare. Hęc enim mala ex inani gloria proueniũt, dum homo vult aliis præeminere, & velle vincere vbi præmiũ non est. Exemplo autem Luciferi debemus timere, & inflationem elationis in nobis sedare. Si enim leo timet, dum catulus coram eo

*De pedibus animæ.*

*De his qui carne ambulant, & de captiuitate spiritus. Thren. 5.*

*Spiritu nõ carne ambulare debemus.*

*De his qui secundũ carnem viuunt.*

*Abacuc 1.*

*Eccles. 9.*

*De his qui benè viuunt.*

*Simile.*

*De his qui spiritu diabolico ambulant.*

*De inani gloria.*

coram eo verberatur, quanto magis nos catuli timere debemus, & humiliari, dum recolimus Luciferum leonem magnum, propter elationem à Paradiso eiectum, & primos parentes grauiter punitos, quia sicut Dij esse voluerunt. Huiusmodi autem timor salubris est & medicinalis, velut theriaca quæ ex veneno peccatorum conficitur, dum ad memoriam reducuntur. Fumus siquidem huiusmodi recordationis noxiis humoribus, id est, peccatis nostris amixtus, reddit ipsa abominabilia, & ita expelluntur, & fit purgatio perfecta, sicut fieri solet in medicinali potione. Ex inani gloria proueniũt prouocatio, inuidia, lites, & odia. Vnde legimus quòd Saul inanis glotiæ cupidus, inuidebat Dauid, dum audiret mulieres cãtantes, & Dauid sibi prę ferẽtes. Vnde & dicebat: Mihi dederũt mille, & filio Isai decẽ milia. Similiter & fratres Ioseph oderũt eum, quia à patre plus cæteris amabatur. Et Cain Abel odio habuit, quia Deus eius oblationẽ suscepit, & de hoc inuidia torquebatur. Siquidem: *Iustius inuidia nihil est quæ protinus ipsum Actorem rodit, excrutiatq; suum*. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, Non quæramus gloriam nostram, sed gloriam Dei, vt caput & caudam illi offeramus, id est, principium & finem omnium operũ nostrorũ adipsum referamus. Ipse enim est A & Ω, id est, principium & finis, sicut per Isaiam ait: Ego Deus primus & nouissimus ego sum. Econtra idem Isaias de reprobis ait: Non erit opus Ægypto quod faciat caput & caudam. Ægyptij enim in sacrificio operum suorum non offerunt Domino caput & caudam. De electis autem Ezechiel ait: Manus hominis sub pennis eorũ. Quod fit dum cœlestis intentio prę eminet bonę operationi. Hoc est quod Apostolus ait: Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Voluntas hominis quæ à Deo est dicitur Dei. Bona in genere, beneplacens in recta intentione, perfecta in perseuerantia & consummatione. Nõ efficiamur inanis gloriæ, cupidi, inuicẽ prouocantes. Melius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Qui enim custodit os suum, custodit animam suam. Lingua siquidem multipliciter peccamus, loquendo, scilicet, falsa scienter, vera fraudulenter, aspera procaciter, turpia impudenter, bona iactanter, vtilia inutiliter, vana imprudenter. Vnde necesse est vt verbis nostris magnam cautelam adhibeamus, & maxime in corripiendo peccatores. Vnde & subditur: Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Spiritualiter autem loquitur ad Prælatos docens, quomodo instruere debeant subditos, & tractare leniter, scilicet, cum moderatione: quia fratres sunt licèt superiores, & ideo hos alloquitur, qui maiores & firmiores videbantur, ne inflatione bonorum operum eum qui peccato circumuentus est, spernendum putent seu abiiciendum. Præoccupatus autem dicitur homo in delicto, id est, imprudenter lapsus non cautè sibi præcauendo, nec diligenter resistendo. Præoccupatio siquidem est, dum vel ad horã non vident quid agendũ sit: vel si viderint, vincantur vt, scilicet, homo delinquat. Vel cùm latet veritas, vel quando impellit infirmitas. Cum his igitur mitius agendum est, qui per negligentiam aut ignorantiam vel per infirmitatem delinquunt, quàm cum illis qui peccant propter certam malitiam. Vnde ait: Si præoccupatus fuerit homo. Quod non mirum est, quia infirmus & fragilis. Homo enim ab humo nomen accepit. Præoccupatus non in multis, sed in aliquo delicto, quasi nõ vsu quotidiano peccans. Vos qui spirituales estis non ideo despiciatis eum, sed instruite huiusmodi si aliquando labatur, in spiritu lenitatis, id est, non ideo despiciatis eum, sed instruite huiusmodi si aliquando labatur, in spiritu lenitatis, id est, rationabiliter & leniter, vt si aliter feceritis, non patiatur se argui, sed defendere se incipiat ne turpis videatur, vel quia infirmus deterior fiat & scandalizabitur. Nõ enim debemus calamum quassatum conterere, nec licèt lignum fumigans extinguere. Vnde Alibi ait Apostolus: Nolite eum vt inimicum despicere, sed vt fratrem diligere. Non igitur ventilemus cornibus infirma pecora. In lege enim scriptum est quod bos cornupeta obruendus est lapidibus, id est, duris increpationibus. Et iterum in Exodo dicitur: Qui percusserit seruum suum vel ancillã virga, & mortui fuerint in manibus eius, crimine reus erit. Et beatus Gregorius ait: Si ira correptionem superat, ante opprimit quàm corrigat, & sub specie zeli iustitiæ, furor est iracundiæ. Cor siquidem iracundi est quasi olla succensa & facies eius à facie aquilonis. Halitus enim Behemoth, sicut dicitur in Iob prunas ardere facit. Instruite in spiritu lenitatis.

*Simile.*
*De inuidia.*
*Versus.*
*Gloriam nostram, sed Dei nos debemus quærere.*
*Isa. 2.*
*Non debemus inuicem prouocare.*
*De multiplici peccato linguæ*
*Quomodo Prælati subditos instruere debeant.*
*Leniter & cum moderamine corripiendi sunt peccatores.*
*Exod. 21.*
*Simile.*

*Lenis alit flammas, grandior aura necat.*
*Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus:*
*Franges si uires experiere tuas.*

*Versus.*
*Ezech. 16.*

Vnde in Ezechiele dicitur, Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas. Oportet enim quod ipse qui aliorum vitia reprehendere debet, se esse filium hominis meminerit, id est, fragilem, vt compatiatur infirmis. Vnde in Iob dicitur: Ceruæ incuruantur ad fœtus & rugitus emittunt. Quia maiores infirmis condescẽdunt & rugitus cõpassionis emittunt & dicunt cum Iacob: Si paruulos & oues fœtas plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Propterea in Ezech. dicitur: Floruit virga, id est, correptio & disciplina. Flos siquidẽ suauis est, & in eo est spes fructus. Virga cũ flore, correptio cũ lenitate, ex qua fructus emendationis prouenit, & recuperatio sanitatis. Deus enim percutit vt sanet. Et nos virga correptionis ita percutere debemus vt sanemus, non vt destruamus vel scandalizemus subditos & infirmos. Qui enim scandalizauerit vnum ex pusillis, expedit ei vt mola asinaria, id est, grauis pœnitentia appẽdatur siue iniungatur ei, & proiiciatur in profundum maris, id est, in amaritudinem satisfactionis, vel per molam asinariam vitæ seculatis circuitus & labor exprimi-

*Iob 39.*
*De scandalo & mola asinaria.*

tur. Per profundum maris extrema damnatio. Tolerabilius enim esset quod solus dānaretur, sicut laici seculares. Si enim solus caderet, minus puniretur, quā in prelatione constitutus, dum multos secum in perditionem trahit. Non sit igitur prælatus nimis iustus: quia qui nimis emungit, elicit sanguinem. Vnde Isaias ait: Ponam iudicium in pondere, & iustitiam in mensura. Cū pondere enim deliberationis & grauitatis, & cum mensura moderaminis debent prælati alios iudicare & iustitiam exercere. Iustitia etiam in mensura ponitur, dum in remuneratione iustitiæ mensura bona & conferta redditur. Instruite in spiritu lenitatis, vt impleatur quod dicitur in Isaia: Ad vbera portabimini, & super genua blandietur vobis, quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Prælati siquidē non solū debent lactare subditos per prædicationem, sed portare per patientiam. Sicut autem nutrix blandiendo filio fingit linguam & verba puerilia profert, sic Apostoli & alij sancti Prælati minoribus minora prædicabāt secundum capacitatem eorum & blandiebātur cōsolando. Vnde Paulus ait: Factus sum in vobis tāquam si nutrix foueat filios suos. Ceruæ enim vt dicitur in Iob incuruantur ad fœtum vt pariant. Viri enim spirituales minoribus condescendunt & austeritati detrahunt ad hoc vt pariant filios Domino. Quidam enim superbi sunt & feroces, qui nunquam emendarentur, vel facerent fructum nisi benignè & suauiter tractarentur. Arca igitur Dei, id est, prælatus aliquando inclinatur, dum boues, id est, subditi ceruicosi calcitrant. Quidam autem arctitudine virtutis Prælatos declinare putant, & manum reprehensionis ad eos extendunt. Timeant igitur qui temerè manum reprehēsionis ad arcam mittunt, ne vt Oza à Domino feriantur & grauiter puniantur. Ob hoc enim in libro Regum in exemplum Ozæ temeritas nobis proponitur. Vnde per Amos Deus ait: Super tribus sceleribus filiorum Amon, & super quatuor non conuertam illos, eò quòd disseruerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. Amon interpretatur filius mœroris, & significat turbidos & incautos, qui nimia austeritate cæteros scandalizant & dissecant contristando prægnantes Galaad, id est, infirmos in Ecclesia, qui nuper feruorem spiritus sancti conceperunt, vt dilatent terminos suos, quia pro lucro temporali litigant, & ne damnum incurrant temporale, proximos scandalizant. Terminum etiam dilatare cupiunt, qui vt magni videantur & religiosi, alios nimis dure reprehendunt, vel quandoque liuore vindictæ, non amore iustitiæ. Qui autem gladium vindictæ hoc modo acceperit, gladio peribit. Vnde filij Israël bis victi sunt à Beniamitis, licèt iustam causam haberent, sed illam non exequebantur iustè, sed tantum liuore vindictæ. Et insuper in domo Michæ Idolatriam non curabant vindicare, sed iniuriam Dei sustinebant. Vxorem autē Leuitæ vindicare voluerunt, & in hoc quærendo quæ sua erant, non quæ Dei, quia ne idem vxoribus suis accideret, metuebant. Qui igitur temerariè reprehendunt, non conuertuntur à Domino, quia alios nō conuertunt. Vnde super tribus sceleribus, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, & super quatuor quæ sunt peccata cogitationis, locutionis, operis & consuetudinis non conuertit eos Deus. Cùm igitur scriptum sit imperfectū meum viderunt oculi tui, non sunt imperfecti cōtemnendi. Vnde Psal. Æstatē & Ver tu plasmasti ea, id est, perfectos & imperfectos, spirituales & insipientes. Nō solùm autē imperfecti, sed insuper perfecti in spiritu lenitatis quando corruunt, sunt tractandi ne desperent. Magis enim læduntur qui à gradu altiori labuntur. Vnde ad memoriā reducēda sunt eis bona quę amiserunt, vt ea recuperare conētur. Propterea Angelo Ephesi in Apoc. dicitur: Charitatē tuā primā reliquisti, memor esto itaq; vnde excideris & age pœnitentiā, & prima opera fac. Et in Eze. dicitur: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore in delitiis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, aurū opus decoris tui & foramina tua in die qua cōditus es, præparata sunt. Licèt enim prædicta verba de Lucifero sub typo principis Tyri intelligātur, nihilominus viro religioso possunt aptari, qui Christū imitādo eidē assimilabatur & delitiis spiritualib⁹ affluebat, innixus super dilectū suū, qui ornatus erat omni lapide pretioso, id est, omnibus virtutibus. In die autē cōditionis suę quādo, scilicet, vocatus est à Deo, quasi foraminibus præparatis, mētis capacitatē per gratiā obtinuit. Sicut igitur mēbra corporis minus honesta magis ornamus & tegimus vestimētis, sic illos qui propter peccatū aliquod dehonestati sunt, cōsolationibus & orationibus amplius adiuuare debemus, vt honesti afficiantur. Vnde Apost. ad Corint. Quæ putamus ignobiliora esse mēbra corporis, his honorē abūdantiorem circundamus. Teste autē Greg. Dolentē non potest consolari, qui non concordat dòlori. Sit igitur Prælatus nec nimis remissus, nec nimis durus, sed quasi cornu medium inter carnem remissionis & os duritiæ, & austeritatis. Scriptum est enim. Cornu eius exaltabitur in gloria, id est, reprehensio iusti modesta causa erit exaltationis ipsius. Cornu siquidem mollius est osse, sed durius carne, vt non simus nimis molles vel nimis duri in reprehendendo. Lapides autem correptionis, & increpationis in pera pastorali sunt ponendi, in vase, scilicet, in quo lac mulgetur. Quia ex cordis dulcedine verbum increpationis debet procedere. Vnde filij Israël licèt ex mandato Dei Beniamitas impugnando deleuissent, amarè tamen propter mortem eorum fleuerunt. Sic Prælatus nō sine compassione & dolore debēt in subditos iustitiā exercere, vel eos excōmunicare. Vnde in Eccle. dicitur: Quā bonū est arguere, quā irasci & confitentē in oratione nolite prohibere, id est, nō impedire orationē & laudē Dei in proximo arguēdo in ira & nimis aspera correptionę ipsum scandalizando. Et in eodem dicitur: Corripe proximum antequam

*Isa. 28.*

*De mansuetudine & compassione. Simile.*

*De his qui indiscretè iudicant.*

*De his qui scandalizant.*

*De tausis perfectorum & erectione eorum.*

*Ezeb. 28.*

*Simile.*

*1. Cor. 12.*

*Prælatus nec nimis durus, nec nimis remissus esse debet.*

*Eccle. 20.*

*Item. 19.*

antequam commineris, & da locum timori altissimi. Non enim prius debemus minari vel litigare, quàm viderimus si leniter correptus voluerit se emendare. Alioquin timori altissimi non daremus locum in nobis. Et iterum idem Ecclesiasticus: Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Qui enim nimis asperè arguit dum peccatis alienis inflammatus vltra modum irascitur, ille qui nimis asperè arguit, similiter inflammatur. Si igitur aliquis prœoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, cõsiderans teipsum ne & tu tẽteris, id est, ne Deo permittente in simile cadas, quia & tu homo es & fragilis. Nihil enim ad misericordiam & compassionem sic inclinat, sicut proprij periculi cogitatio. Sic igitur eos nec deesse voluit fraternæ correptioni, nec studere certamini. Quod Idcirco dicit ne sibi videtur quisque instruere, cùm proteruè exagitat irridetque peccãtem. Qui igitur aliorum vitia reprehendit, consideret seipsum, aut talem fuisse, aut talem esse posse. Nam forsitan talis fuisset, nisi Deus ab eo hoc malum auertisset. Teste autem Bernardo: Si proximi malum consideras, & tuum non attendis, moueris non ad miserationem, sed ad indignationem: non ad adiuuandum, sed ad iudicandum: non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris. Mansuetod

nos robustissimos gentium, id est, dæmones, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, in qua, scilicet, confidis. Gladius diaboli absconditur in illis, qui occultè peccant. Nudatur in illis, qui peccat imprudenter & apertè. Et tales infames fiunt. Vnde & subdit Ezechiel: Et polluent decorem tuum. Non igitur æstimet homo se aliquid esse, cùm nihil sit, sed dicat cum Iob. Si voluero cum eo contendere, non potero respondere vnum pro mille. Petit Deus ab homine mille, id est, plenam perfectionem, & homo vnum respondere non sufficit, quia vix initium perfectionis in suis actibus ostendit. Et ideò secundum consilium Euangelicum, qui cum decem milibus venit, mittat legatos pacis vt occurrat illi qui venit cum viginti milibus. Venit homo cum decem milibus, in quibus nominatur operis perfectio. Christus autem cum viginti milibus, in quibus duplex perfectio designatur, scilicet, munditia cogitationis, & rectitudo operis. Cùm igitur non habeat homo, nisi simplicem perfectionem, quia non est mundus à sordibus cogitationum, quantumcunque sit iustus, nihil aliud restat nisi vt mittat legationem orationum, lachrymarum & bonorum operum, & ita roget ea quæ sunt pacis. Non igitur iustus sibi videatur homo comparatione malorum. Non enim seducant laudatores sui, cum ipse præsentior sit sibi quàm alij, & melius cognoscat seipsum quàm alium. Vnde Apostolus subdit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Probet opus suum, id est, diligenter inspiciat, non peccatum alterius vt Pharisæus, qui dicebat: non sum sicut cæteri hominum. Et sic, id est, si actus proprios consideret, in semetipso tantum gloriam habebit. Sciens enim quod si quid boni in se habet, à Deo habet, & si quid mali à se habet, habebit gloriam in semetipso, id est, gloriabitur in Domino, quem in se habet, & non in altero. Sic enim fier vt Deus qui est in eo, & non sit aliud gloria eius. Vel in se, id est, intus in conscientia pura gloriam habebit, & non in altero, id est, in laude alterius. Qui enim conscientiam habet boni operis, non debet de hoc apud alium gloriari, nec laudem suam foras fundere, sed in semetipso humiliter gloriari. Consideret etiam homo actus suos, ita quod sciat neminem debere gloriari se mundum habere cor. Et sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero, id est, in sui, non in alterius consideratione gloriabitur, nulli se anteponens, nec iudicans quemquam, vt sit verè iustus, dum alium sibi præponit, quia plus sua mala quàm alterius cognoscit, quorum cognitio sibi gloria est. Gaudet enim dum morbum suum cognoscit, quem desiderat sanare. Non igitur aliorum cõparatione est gloriandum, quia vnusquisque onus suum portabit, id est, peccatum portabit in pœna. Alia quidem sunt onera participandæ infirmitatis, de quibus supra dictum est: Alter alterius onera portate, alia reddendæ Domino rationis, de quibus loquitur in hoc loco: Per onus etiam potest intelligi opus Dei. Vnusquisque enim portabit onus suum, id est, offeret Deo in die iudicij manipulos operum. Vnusquisque etiam tam bonus quàm malus onus suum portabit, id est, mercedem operum suorum reportabit. Vnde Ieremias ait: Omnis laguncula implebitur vino, bono siquidem vino, si bona sit. Iuxta illud: Calix meus inebrians quàm præclarus est. Vino malo, si mala sit, iuxta illud: Fel draconum vinum eorum. Sequitur: Communicet autem is qui catechizatur verbo, qui ei se catechizat in omnibus bonis. Supra instruxit Prælatos, nunc instruit subditos. Et est sensus. Is qui catechizatur, id est, fide & moribus bonis à doctore instruitur, communicet ei in omnibus bonis, quæ ipse dedit, non in malis si illa agat. Et ne quis dicat: Sufficit mihi si facio ea quæ facit Prælatus meus. Nolite errare, quia & si vos sic excusatis apud homines, Deus tamen non irridetur, id est, non potest falli. Reddet enim singulis pro meritis suis. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Possunt autem prædicta verba hoc modo intelligi: Communicet is cui prædicatur bona sua prædicatori præbendo, scilicet, eidem necessaria. Ne autem aliquis malitiosè præceptum eludat: prætendens similatoriè paupertatem, ait: Nolite errare, Deus non irridetur, id est, nemo se vanè excuset, quia Deus non potest falli. Neque enim corda ignorat, neque facultates. Et ideò quæ seminauerit homo in præsentis vitæ labore, hæc & metet, id est, horum mercedem accipiet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, id est, qui seminat & fouet carnalia vitia, vel qui non curat nisi de carne sua, & pro ipsa laborat, & ea quæ facit, ideò facit vt carnaliter bene sit ei. Et insuper qui de lege carnaliter sentit, de carne metet conuenientem messem, id est, corruptionem culpæ in præsenti, & corruptionem pœnæ in futuro. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam, id est, qui spiritui dat assensum ex fide cum charitate seruiendo iustitiæ, vel legem spiritualiter intelligendo, de spiritu metet conuenientem messem, id est, vitam æternam. Hoc autem semen spirituale ex spiritu Dei est. Messis verò hæc in fine promittitur, ideò in seminando opus est perseuerantia. Vnde addit: Bonum autem facientes non deficiamus. Si enim homo non imposuerit finem operi, nec DEVS remunerationi. Quantum seminauerimus in operibus, tantum metemus in fructibus. Tempore enim suo, id est, conuenienti metemus, non deficientes, id est, sine fine. Vnde & subdit: Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. In hac enim vita tempus est operandi, in altera metendi. Vnde in Euangelio: Operamini dum dies est, veniet

*In laudibus aliorum non debemus gloriari.*

*Non debemus gloriari comparatione aliorum, sed vnusquisque onus suum portabit.*

*Subditi prælatos imitentur in bona & eis bona sua communicent.*

*De his qui seminant in carne & de his qui seminant in spiritu.*

*De perseuerantia.*

*Ioan. 9.*

veniet nox quando iam nullus poteſt operari. Omnibus ſiquidem impendenda eſt miſericordia, & omnibus communiter vita æterna optanda. Sed quia non omnibus poſſunt exhiberi eadem dilectionis officia, fratribus maximè ſunt exhibenda, qui per fidem nobis ſunt magis familiares. Peccatori autem benefacimus, non quia peccator eſt, ſed quia homo. Peccatũ quippè homo fecit, Deus autem hominem. Perſequamur igitur in malis propriam iniquitatem, miſereamur in eiſdem propriam conditionem. Odiamus in malo quod Deus odit, diligamus in ipſo quod Deus diligit. Ipſe enim nihil odit eorum quæ fecit, non delectatur pœnis noſtris, neque vult mortem peccatoris, ſed omnes vult ad agnitionem veritatis venire, qui pro omnibus voluit mortem ſuſtinere, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Qui viuit & regnat, &c.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio ſecundum Matthæum.

*Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Matth. 6.

AB increpatione tua Domine, dormitauerunt qui aſcenderunt equos. Hi ſunt ſuperbi & potentes huius ſeculi, qui equos ſuperbiæ aſcendunt, & in delitiis ſuis quieſcentes letali ſomno à domino dormierunt, quod increpationes & minas Dei non audiunt, ſed tandem à voce tonitrui formidabunt quando dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum. *Mali increpationis verbi Dei non recipiunt Matth. 25.* De his iterum Pſalmiſta ait: Nunquid mortuis facies mirabilia? Deus quotidie coram nobis mirabilia facit, dum per verbum Dei peccatores conuertit. Quidam autem ita reprobi ſunt & obſtinati, quod hæc mirabilia non attendunt. Vnde coram ipſis quaſi coram mortuis hæc mirabilia faciunt. Propterea Michæas ait: In Geth nolite annuntiare, lachrymis ne ploretis, in domo pulueris, puluere vos aſpergite. Geth interpretatur torcular, & ſignat reprobos & impios homines, qui curis huius ſeculi tanquam torculari comprimuntur, & ipſi ſunt tanquam torcular pauperum, ipſos affligendo. Talibus igitur qui duri ſunt & indurati, non ſunt annuntianda verba Dei, quia conculcant ſub pedibus margaritas, nec coram illis eſt plorandum, quia non mouentur lachrymis prædicantium, ſicut ſcriptum eſt: In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Hi ſunt homines ſteriles, qui rigantur fluminibus Babylonis, id eſt, abundantia temporali, & idcirco de ſpiritualibus non curant. Sed in domo pulueris, ait Propheta, puluere vos aſpergite, id eſt, coram illis, qui ſe puluerem agnoſcunt. Illi enim exemplo & verbis incitantur ad bonum, per verbum enim Dei incitantur ad timorem: ſicut ſcriptum eſt: A verbis tuis formidauit cor meum. Et accenduntur ad amorem, iuxta illud: Ignitum eloquium tuum vehementer. Et cum gaudio verbum Dei ſuſcipiunt: ſicut ſcriptum eſt: Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Et quoniam ſcriptum eſt: Campi tui replebuntur vbertate, id eſt, illi qui ſe arabiles exhibent aratro prædicationis. Iuxta illud quod dicitur in Iob: Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine. Menſa autem ſacræ ſcripturæ plena eſt pinguedine charitatis, & confert requiem ſpiritus. Orate Deum vt hodie repleat vos plenitudine meritorum, & poſtmodum plenitudine præmiorum. *Mich. 1. Pſal. 136. Pſal. 118. Pſal. 64. Iob. 36.*

Nemo poteſt duobus, &c. Diſperdam eos qui iurant in Domino, & in Melchon, & qui auerruntur de poſt tergum Dei. Verba ſunt Dei in Sophonia, contra illos qui duobus dominis volunt ſeruire Domino, ſcilicet, & Melchon Deo & mammonę. Qui volunt gaudere cum mundo, & regnare cum Chriſto. Qui volunt in cœlo & in terra theſaurizare, quod eſt impoſſibile. Qui enim diligunt mundum, non poſſunt diligere Deũ, nec Chriſto ſeruire, ſed auertuntur de poſt tergum Dei, & recedunt ab ipſo. Teſte autem beato Hieronymo non valet quis ſimul tranſitoria & æterna diligere. Qui æternitatem diligit, temporalia in vſu non in affectu poſſidet. Qui ergo Deum amat, pecuniam contemnat. Et per Ieremiam Dominus ait: Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? Quod fit dum aliquis Domino vult ſeruire, & ſeculo militare: vel quando vnum vitium demittit, aliud retinendo. Propterea in Eccleſiaſtico dicitur: Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor? Et iterum ait: Cor ingrediens in duas vias, non habebit ſucceſſus. Hi ſunt qui duos fines contrarios in operibus ſuis conſtituunt. Vnde in Eccleſiaſtico: Non acceſſeris ad Deum duplici corde, vt, ſcilicet, velis pro Domino, & pro mundi fauore bona facere opera. Quia teſte Iacobo: Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Nõ igitur de vna filia, id eſt, de anima noſtra duos generos faciamus deum, ſcilicet, & diabolũ. Totum enim ſe debet homo Domino creatori ſuo, totũ ſe debet redemptori, totum remuneratori. Vnde Auguſtinus: Tanti emit te Chriſtus, vt ſolus poſſideat, quaſi diceret: Solus vult habere cor, & non vult quod diuidatur. Et per Ieremiam Deus ait: Quæretis me, & non inuenietis, cùm quæſieritis in corde veſtro. Toto igitur corde quæratur, qui totum cor replet, quia mens diuiſa non impetrat. Et in Deuteronomio dicitur: Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris eum. Propterea Dominus in hodierno Euangelio contra duplices, qui duos fines in operibus ſuis conſtituunt, ait: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, Deo, ſcilicet, & diabolo, virtutibus & vitiis. Aliquis autẽ duobus dominis poteſt ſeruire ſibi conſentientibus Deo, ſcilicet, & Domi- *De duplicitate qui duobus Dominis ſeruire volunt. Hieronymus. Iere. 12. Eccleſ. 2. Iac. 1. Auguſtinus. Ierem. 29. Deute. 4. Homo poteſt ſeruire duob.*

no ter-

*Vni dominis sibi consentientibus.*

*2. Cor. 6.*

*De duro dominio diaboli.*

*Isa. 19. Iere. 6. Item 16. Iudith. 3.*

*Augustinus.*

*Psal. 73.*

*De his qui mala intentione bonū opus faciunt.*

*Psal. 118. De claudicantibus, & duabus viis.*

*Vni diuitiis seruiunt, Deo seruire non possunt.*

*De diuitiarum seruis.*

*Item 5.*

no terreno, qui subest Deo, vt constituat finem sub fine. Homini enim seruire possumus propter Deum, vt, scilicet, in omnibus principalis finis constituatur Deus & vita æterna, sicut scriptum est: Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ. Vnde verba Dei de duobus dominis contrariis, & à se inuicem dissidentibus intelliguntur, quia non est conuentio Christi ad Belial. Dominus enim præcipit humilitatem, diabolus suggerit superbiam, Dominus vocat ad castitatem, diabolus persuadet luxuriam, Dominus imperat largitatis eleëmosynam, diabolus auaritiam, Dominus pacem, diabolus discordiam. Vnus mitis est & benignus, alius crudelis & durus. Qui non propriè, sed abusiuè dicitur Dominus, eò quòd dominationem suæ tyrannidis in mentibus eorum, qui per opera mala ei subduntur, exerceat. Vnde Deus per Isaiam: Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, id est, dæmoniorum. Et Ieremias ait: Crudelis est, & non miserebitur. Et iterum: Seruietis Diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Et in Iudith dicitur, quod ferocitatem pectoris Holofernis nullo seruitio poterant mitigare. Teste autem Cassiodoro, graue est seruire offenso, qui nullo placatur obsequio. Patet igitur quod duobus dominis à se inuicem dissidentibus seruire non valemus, nec duos fines constituere in bono opere quod facimus, & maximè in opere spirituali sicut in prædicatione, in celebratione Missæ, & consimilibus. Quicquid enim homo facit in talibus, vel facit pro Domino, vel contra Deum. Teste autem Augustino, quædam sunt opera indifferentia, vt arare, seminare, & comedere, quæ licèt pro temporali commodo fiant, dum in eis finem constituimus lucrum temporale: non tamen contra Deum fiunt, nec propter hoc homo seruus efficitur. Fiat igitur vis in verbo seruiendi. Quicquid enim facis vnde seruus constitueris, vel pro Domino vel pro diabolo facis. Pro peccato autem veniali, vel pro opere indifferente, nec seruus Dei efficeris, nec seruus diaboli. Vnde Lucas ait: Nemo seruus potest duobus Dominis seruire. Prædicta tamen opera quæ dicuntur indifferentia pro Domino possunt fieri, & sunt meritoria, ac constituunt hominem seruum Dei. Possunt etiam fieri contra Deum, & sunt demeritoria, ac constituunt hominem seruum diaboli. Meritoriè siquidem comedere possumus, vt melius Domino seruiamus, possumus etiam comedere gulosè, & sic diabolo seruire. Quod autem de duobus dominis sibi inuicem contrariis prædicta Dei verba intelligãtur, patet ex hoc quod subditur: Aut vnum enim odio habebit & alterum diliget, aut vnũ sustinebit & alterũ contemnet. Vnũ odio habebit, id est, diabolũ, & alterũ diliget, id est, Deum. Aut vnum sustinebit, id est, diabolum, non dicit diliget. Nemo enim diabolum diligit, sed sua cupiditate & iniquitate ei adhęret implicitus, vt si quis alienæ ancillæ coniunctus propter suam cupiditatem, duram patiatur seruitutem, licèt illum non amet, cuius diligit ancillam. Vnde Lucas ait, vel vni adhærebit, id est, diabolo, & alterum contemnet, id est, Deum, dum minas eius cupiditati suæ præponit, vel de bonitate eius ad impunitatem sibi blanditur. Dicit igitur: alterum contemnet, & non dicit, odiet. Teste enim Augustino nullius conscientia Deum odisse potest. Quod intelligitur de hominibus, dum sunt in via. Nam dæmones Deum odiunt, sicut scriptum est: Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Sed nunquid in Euangelio dicitur: Et viderunt & oderunt, & me & patrem meũ. Sic ergo videtur quod homo etiam in via, Deum odio habeat. Filius enim non potest haberi odio, quin pater odio habeatur, sicut vnus sine alio non potest diligi. Ipse enim est dilectus ex dilecto. Propter hoc dicitur: quod Augustinus prædicta verba retractauerit. Cùm igitur duobus dominis, Deo, scilicet, & diabolo, virtutibus & vitiis, ęternis & transitoriis, veritati & vanitati, seruire nequeamus, cauere debemus, vt opus bonum mala intentione non faciamus. Teste enim Ieremia: Facti sunt hostes eius in capite, id est, dæmones, dum opus bonum concipimus corrupta mente, & facimus malo fine. Intentio enim opus & præmium referenda sunt ad Deum, sicut scriptum est. Intende prosperè, procede, & regna. Nisi enim intentio bona sit, nec processus noster bonus est, nec regnum Dei acquiri potest. Exemplo igitur Iacob, ita recedamus à Laban, mundi vanitatem fugientes, quod si nos dæmones insequantur, nihil de suo in nobis inueniant, vt cum Propheta dicere valeamus: Principes persecuti sunt me gratis. Non igitur claudicemus duabus viis. Væ peccatori, duabus viis terram ingredienti, qui velut Isboseth, id est, filius confusionis vtroque pede claudicat. Sicut quidam seculares prælati, qui Domino & principibus seruire volunt, qui Deum & mundum se posse habere credunt: amor siquidē Dei est, velut aqua calida, amor mundi aqua frigida. Ex his tepeditas prouenit, & ideò tanquam abominabiles ab ore Dei euomuntur. Similiter homines huius seculi diuitiis, & honoribus inhiantes miserabiliter errant, si Deum & diuitias se simul diligere posse æstimant. Vnde & Dominus in hodierno Euangelio subiungit: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Mammon nomen est dæmonis, qui præest diuitiis. Non quod in eius ditione sint, vt possit eas dare, vel auferre, sed quia vtitur eis ad decipiendum irretiendo quosdam laqueis diuitiarum. Mammona autem tam ligna Syra quàm Hebræa diuitias signat, quibus seruire, est idolatrare, & Deum negare, licèt quidem eas ad benè dispensandum habere. Seruit autem eis, qui tanquam seruus custodit, scilicet, auarus. Qui verò seruitutis iugum excussit, distribuit vt Dominus. Bonus enim dispensator, non est seruus. Auarus autē diuitiis seruit, cupidè cõgregat, sollicitè custodit, auarè retinet. Si amittat, dolet, ne amittat, timet. Non solùm igitur in acquirendis diuitiis, sed in custodiendis sollicita seruitute torquetur auarus. Vnde Ieremias ait: Ægypto & Assyriis dedimus manus, vt saturaremur

mur pane, id est, diabolo fecimus homagium pro corporali sustentatione. Non igitur Domino & diuitiis potest seruire homo: & ideo pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, debet pro anima sua dare. Pellem scabiosam pro pelle gloriosa, pelle terrenitatis, pro pelle æternitatis. In Luca autem legimus, quod Pilatus sanguinem mortuorum cum sacrificiis miscuit. Quod fit quando diabolus bonum nostrum auaritia vel inani gloria, seu alia peste corrumpit. Vnde in libro Regum Elias ad idolatras ait. Vsquequo claudicabitis duabus viis? Claudus est, qui Deo & mammonæ vult seruire. Claudus est, qui super tibiam longiorem in altum se erigit, sed super breuiorem ad ima descendit. Sic quandoque per bonũ opus erigitur aliquis, sed per aliud prauum ad ima reuertitur. Et quoniam scriptum est: Coangustatum est stratum, vt alter decidat, qui pecuniæ seruiunt, Deum à corde suo eiiciũt. Et licèt opera de genere bonorum faciãt, vires suas & labores inutiliter consumunt. Vnde Isaias: Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Hoc præcipue faciunt qui prædicant pro temporalibus, appendentes argentum eloquentiæ suæ non in panibus illis, de quibus dicitur: Amice accomoda mihi tres panes, qui sunt, fides, spes, & charitas, & labores suos, id est, pretium laboris, non in saturitate. Labor enim pro temporalibus non satiat, sed magis famem irritat. Vnde Euangelium vbi de filio prodigo loquitur, ait: Facta est fames magna in regione illa, quia in regione peccati semper est fames maxima. Hoc est quod Ozeas ait. Comedent & non saturabuntur. Et in Prouerbio dicitur: Venter impiorum insaturabilis est. Tales igitur panibus non saturantur. Vnde Ieremias: Omnes pastores tuos pascet ventus. Patet igitur quod qui seruit transitoriis, non potest seruire æternis. Qui seruit mammonæ, Domino non potest seruire. Auari enim anxietate & sollicitudine acquirendi temporalia, à Dei seruitio retrahuntur. Sollicitudo siquidem spinarum, semen verbi Dei suffocat, & cælestibus vacare non sinit. Et idcirco Dominus in hodierno Euangelio subiungit: Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. Est autem triplex sollicitudo. Prima naturæ, quę est cura moderata, & labor acquirẽdi sibi necessaria. De qua dicitur. Sufficit diei malitia sua, malitia, scilicet, pœnalitatis. Hanc enim pœnam meruit homo peccando. Vnde & dictum est illi: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Secunda gratię, de qua Apostolus ait: Sollicitudo mea, quotidiana instantia omnium ecclesiarum. Et iterum: Qui præest in sollicitudine. Hæc consistit in operibus iustitiæ, & proximorum compassione. Peccata enim proximorum sunt frixoria iustorum. Tertia culpæ quæ mentem perturbat & confundit, & anxietate acquirendi transitoria ab æternis retrahit. Hæc principaliter in duobus cõsistit, in quantitate rerum quæ supra necessitatem curiosè acquiruntur. Et hanc sollicitudinem comitatur auaritia, & immoderata acquirendi anxietas. Compedes siquidem pœnalitatis onerat, qui supra necessaria accumulat, & in qualitate, in colore, scilicet, splendore, forma, & in adiectione vestium extrinseca. Consistit insuper in lauticia, in cibo, scilicet, & potu superfluo. Vnde cùm Deus ait: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro, quid induamini: videtur illos arguere, qui spreto victu vel vestitu communi, lautiora sibi vel abstrutiora, præ his cum quibus viuunt, alimenta vel indumenta requirunt. Vetat igitur sollicitudinem quæ mentẽ turbat, & ab æternis reuocat, non laborẽ aut prouidentiã. Vnde nõ ait: non curetis vel laboretis animæ vestræ, id est, animalitati, quæ cibis in præsenti est sustentanda. Et ideò nemo debet scandalizari, si aliquis iustorum viderit hæc necessaria sibi, suisque procurare. Quia ille qui hęc ait, cui Angeli ministrabant, propter exemplum dandum loculos habebat. Vnde necessaria vsibus præberet. Non igitur præcipitur, vt nihil pecuniæ ad vsus necessarios à sanctis reseruetur, cum ipse Dominus loculos habuisse legatur, sed ne propter ista Deo seruiatur, & ne timore inopiæ iustitia deseratur, vel nimia sollicitudine animus suffocetur. Non enim debemus Deum tentare, vt velimus sine labore habere, quod Deus instituit cum labore acquirere, vbi ait, quod Adã & eius filij in labore, & sudore, pane suo vescerentur. Debemus igitur nobis prouidere absque immoderata cura & sollicitudine vitiosa, quæ mentem impedit, & pusillanimem reddit, vt non possit homo contendere, intrare per angustam portam, vel regnum Dei rapere violenter. Tunc enim virga in colubrum vertitur, cum per sollicitudines varias à sua rectitudine incuruatur, vt incedat tortuosè. Homo enim virga dicitur, cùm ad cœlestia erigitur. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Deus fecit hominẽ rectum, & ipse se immiscuit infinitis quæstionibus. Et in Genesi dicitur, quod vallis siluestris multos habebat puteos bituminis. Vallis dicitur mundus proprer sui dejectionem. Siluestris propter crudelitatem & amaritudinẽ. Puteos habet propter curarum profunditatẽ. Bituminis propter sollicitudinẽ irretientẽ & inuiscantem. Et in Ecclesiastico dicitur: Ego quasi Libanus non incisus euaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus, Libanus arbor est thuris. Tunc autem mẽs in oratione vaporem suauitatis emittit, cùm non est incisa vel distracta variis sollicitudinibus & curis huius seculi. Vnde Seneca: Multis seruiet, qui corpori seruiet, qui pro ipso nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic nos gerere debemus, non tanquam propter corpus viuere debeamus, sed tanquam non possumus sine corpore. Multa possum tibi ostendere, quæ acquisita acceptaque gratiam nobis extorserunt nostri essemus, si ista nostra non essent. Et iterum ait: Vaco vaco, & vbicunque sum, ibi meus sum. Rebus enim me non trado, sed commodo. Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum, via est. Contemnere aliquis omnia potest, habere

*Luce 13.* *3. Reg. 18.* *Isa. 28.* *Isa. 55.* *Luce 11.* *Luce 15.* *Osee. 4.* *Prouer. 13.* *Iere. 22.* *De triplici sollicitudine.* *Gene. 3.* *2. Cor. 11.* *Rom. 12.* *De mala sollicitudine.* *De prouidentia acquirendi necessaria.* *Nota hic originalem librũ.* *Eccle. 7.* *Gene. 14.* *Eccle. 24.*

*Curam & sollicitudinem in Deo proiicere debemus.*

bere autem omnia non potest: Ecce Philosophus ratione naturali ductus, sollicitudinem obiiciebat ab animo. Quãto magis Christianus audito præcepto Euangelico, curam suam & sollicitudinem proiicere debet in Domino, & sperare in eo, qui corpus & animam, non solùm condidit, sed redemit. Qui enim maiora dedit, quomodo minora negabit? Vnde & Dominus in hodierno Euangelio subiungit: Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plusquã vestimentum? quasi diceret: Qui dedit maiora, id est, vitam & corpus, dabit minora, scilicet, victum & vestitum. Non anima propter escam creata est, nec corpus propter vestimentum, sed econtrario. Et ideo non sit sollicitus animus ne percipiat, quod propter se creatum est. Absurdum autem est, vt victus sustentationem nobis defuturam putemus, qui viuendi substantiam à Domino consecuti sumus. Indecorum siquidem est homini sollicitari de cibo vel veste, qui pro rege studet militare. Nouit Rex quemadmodum familiam suam pascere debeat, alere & vestire. Vnde Bernardus ait: Quis Rex deuotis militibus debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus seruis suis iusta cibaria non ministrat? Quis pater non dabit filiis? Si ergo Rex, Dominus & pater est, quid negabit? Noli ergo homo pro tali re cogitando exacerbare Dominum tuum, quia ex iustitia regnantis, & studio dominantis, & affectu generantis, totam in se tui recipit sollicitudinem. Cùm igitur sint plures, quos amor & cura præsentium & desperatio futurorum torpentes reddat & pusillanimes, contemptum seculi præcipit Dominus, & fiduciam futurorum. Cur igitur homo sollicitaris de regali palacio, Deus tuus iacuit in præsepio, nec fuit ei locus in diuersorio. Quid cogitas de vestimento, Deus tuus inuolutus est vili panniculo? Quid laboras de clientum collegio, saluator tuus iacuit cum boue & asino. Quid gloriaris de Dominio, Rex gloriæ Ioseph & Mariæ obediuit imperio. Sequitur: Respicite volatilia cœli, quoniam nec serunt, nec metunt, nec congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Non sufficit illi dicere pluris, sed magis pluris. Multiplicitenim pluralitate præcellunt & superant irrationales creaturas, rationales creaturæ, tum in naturalium plurium & meliorum participatione, tum in gratuitorum collatione, tum in futuri præmij expectatione & remuneratione. Cùm igitur Deus volatilia cœli pascat, quæ nõ sunt perpetua, quæ non serunt neque metunt, sed absque vlla cura Dei aluntur prouidentia, multò magis vobis qui filij estis, prouidebit necessaria. Cùm ergo aues cœli non indigeant, quę vltra necessaria non quærunt, nec sibi aliud appropiant, sed omnia communia sunt eis. Si sic faceremus, nunquam indigeremus. Nos verò communia amisimus, dum propria vendicamus, & auarè congregantes, aliis inuidemus. Lucas ait: Considerate coruos, quibus non est cellarium, nec horreum, & Deus pascit illos. Quod est contra quosdam prædicatores, qui cellarium suum super capsarios deferri faciunt, cùm Deus dicat: edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Ad literam coruus non pascit pullos, donec eos nigrescere videat, & Deus relictos à parentibus pascit, qui dat iumentis escam & pullis coruorum inuocantibus eum. Vnde in Iob dicitur: Quis præparauit coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum. Misticè autem corui sunt prædicatores nigri & despecti mundo, quibus Deus escam parat, dum eis sensum scripturarum reuelat. Respicere autem debemus volatilia cœli, & exemplo illorum instrui. Sancti enim auibus cœli comparantur, qui nihil in mundo habentes, nec pro transitoriis laborantes, bonis spiritualibus à Domino reficiuntur, operantes cibum qui non perit. Postquam sollicitudinem circa escas inhibuit, subiungit de vestimento, dicens: Quis autem vestrum cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum. Et de vestimento quid solliciti estis? quasi diceret: Illi curam regendi corporis relinquite, qui illud ad hanc mensuram fecit peruenire. Cùm igitur fine nobis Deus membris corporis incrementum tribuat, nec de hoc nos oporteat cogitare, quia non posset fieri nostra sollicitudine vel sagacitate, confidere debemus, quod corpori vestimentum prouidebit. Si enim dat maius, non negabit quod est minus, Quod ostendit à minori, dicens: Considerate lilia agri quomodo crescunt, nõ laborãt neq; nent. Dico autem vobis, quod nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Lilia agri crescũt, ita quod cultum agricolarũ non requirant, nõ laborant, ornando se coloribus, nõ nent, vt indumenta sibi conficiat. Nemo industria vel artificio tanta pulchritudine posset illa exornare, nec Rex Salomõ, qui præ aliis diuitiis & ornatu floruit, tã glorioſe potuit exornari. Ornatus siquidé naturalis, quẽlibet ornatum artificialẽ excedit. Si autem fœnũ agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quãto magis vos minimæ fidei? quasi diceret. Si ista quę ad vsum tẽporis tantũ sunt, & citò decidua igne cremabũtur, Deus tam venustè exornat, quanto magis vos vestiet. Misticè autẽ per fœnũ intelligũtur carnales in hoc mundo ad tẽpus florentes, sed citò in clibanũ inferni mittentur. Si igitur Deus eos vestit, quãtò magis sibi seruiẽtibus, quę expediunt, prouidebit? Ideo omnis fiducia in eo habenda est, nam si nec de his confidentes simus, quomodo inuisibilia Dei speramus? Teste enim Hieronymo: Fides famem non timet. Et Dauid ait: Non vidi iustum derelictum. Diffidentes autem & de Dei prouidentia dubitantes, minimæ fidei appellat. Ac si diceret: Si de his diffiditis, quommodo æterna speratis. Qui vobis dedit semetipsum, & præparauit regnum cœlorũ, quommodo modicum panis aut pulmenti vobis negabit. Qui pelle & carnibus vos vestiuit, quomodo alia vestimenta vobis non dabit? Qui dedit possessorem, dabit possessionem. Quicunque autem in aliqua Dei promissione dubitat, modicus est fide, & quantò plus diffidit, tantò minus inuenit ea pro quibus sollicitus fuit.

*Bernardus.*

*De volatilibus cœli.*

*Lucæ 12. De coruo.*

*Iob. 38.*

*De sollicitudine vestimentorum & liliis agri.*

*Hieronymus.*

fuit. Sequitur: Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc autem omnia Gentes inquirunt: scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. De his siquidem Gentes sollicitæ sunt, quæ de æternis non curant, sed vt habeant quod manducent vsque ad crapulam, quod bibant ad ebrietatem, quod vestiant vsque ad iactantiam & superfluitatem. Talis igitur sollicitudo facit infidelibus similes. Scit autem pater vester qui bonis filiis viscera non claudit, qui vos creauit per potentiam, redemit per sapientiam, regenerauit per benignitatē. Redemit, scilicet, in cruce per filium, regenerauit in baptismo per Spiritum sanctum. Quia his omnibus indigetis, omnibus, scilicet, in via necessariis, quæ nobis præstat, nisi infidelitas nostra auertat. Vnde & subiungēdo cōcludit: Quærite autē primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Quærite regnum Dei, quod est primum, id est, principium & summum intra omnia bona. Et iustitiam eius, id est, opera iustitiæ, per quæ venitur ad illud. Et hæc omnia, scilicet, necessaria vitæ adiicientur vobis, non quærentibus ea, quibus & si aliquando subtrahuntur, ad probationem est, si dantur ad consolationem est, & gratiarum actionem. Bonis enim omnia cooperantur in bonum, etiam penitus subtracta, sicut de Lazaro mendico legitur. Coronam martyrij promerentur, si inopia patienter sustineatur, sed rarò ita negantur. Regnum autem Dei quærere, est ipsam iustitiam operibus adimplere. Iustitia verò regni, est omnia quæ Christus docuit, operibus implere. Quæritur autem principaliter regnum Dei fide, spe, & charitate. Teste autem Isidoro, primum, scientiæ studium est quærere Deum, deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere. Et Beda ait: Regnum Dei & iustitiam eius quærere, est cœlestis patriæ dona desiderare, & quibus iustitiæ meritis ad hoc perueniatur, indesinenter inquirere. Primùm igitur quæratur Dei regnum: quia, teste Gregorio, vbi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequitur ædificium. Non dicit Dominus, hæc omnia dabuntur vobis, sed adiicientur, ne quis putet hæc præmissis bonis esse æquiparanda. Sunt enim adiectiua & non substantiua, sunt extranea & accidentia, & ideo adiicienda tanquam accessoria. Propterea non dicit illa dabuntur, sed apponentur, quia aliud est quod principaliter datur, aliud quod superadditur. In intentione siquidem æternitas, in vsu debet esse temporalitas. Non ait illa quærenda, ne putaremus bona nostra. Non enim propriè dicuntur bona hominis, quæ non faciunt hominem bonum. Primùm quærite regnum Dei. Teste enim Seneca, nihil in mundo stabile vel solidum est, ad ista mittamus animum, quæ æterna sunt. Primò igitur faciat mulier Eliæ panem de farina, & non deficiet farina in hydria, nec lechitus olei minuetur: quia omnia adiicientur ei. Econtrà reprobi præponunt terrena cœlestibus. Cura quid expediat prior est, quam quod sit honestum quærere. Vnde in benedictione Esau dictum ei: In pinguedine terræ, & rore cœli erit benedictio tua. Ecce terram cœlo præposuit. Econtrà in benedictione Iacob cœlum terræ præponitur. Vnde & dicitur: Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam. Ex prædictis autem verbis Dei, tria bonorum genera distinguuntur. Bonū supra tempus, bonum in tempore, & bonum temporale. Bonum supra tempus, id est, bonum æternum, est Deus, & regnum eius. Bonum in tempore, virtutes & opera virtutum, quæ licèt in tempore præsenti habeantur, non tamen pro temporali vita, sed pro æterna dantur. Bonum temporale & transitorium, quod datur ad vitæ subsidium. Primum designatur cùm dicitur: Regnum Dei. Secundum cùm ait: Iustitiam eius. Tertium cùm dicitur: Hæc omnia adiicientur vobis. Quod autem subiungitur in Euangelio Matthæi: Nolite solliciti esse in crastinum. Crastina enim dies sollicitus erit sibiipsi. Sufficit enim diei malitia sua, intelligitur de sollicitudine anni futuri. Cùm enim priùs prohibuisset Dominus sollicitudinem vitiosam de præsentibus, quæ sunt vnius anni præsentis. Semel enim in anno serimus, metimus & colligimus. Vnde quasi præsentia dicuntur, postmodum prohibet sollicitudinem de futuris, de his, scilicet, quæ post annum futura sunt. Talis enim sollicitudo magis est vitiosa. Præsentia quidem gratanter suscipiendo, curam futurorum Deo relinquere debemus: Ipsi enim cura est de nobis. Vnde & aliquibus videtur quod si prouidentia vltra annum extendatur, iam in vitiosam sollicitudinem conuertitur. Conceditur igitur secundum hoc prouidentia de præsentibus, sed prohibetur de futuris, quæ sunt vltra præsentem annum. Iuxta illud: Nolite cogitare de crastino, id est, de anno futuro. Nam qui vltra annum sollicitudinem protendit, iam de Deo diffidere videtur. In præsentibus igitur sollicitudo superflua prohibetur, sed labor & prouidentia conceditur. De futuris autem post annum labor & prouidentia prohiberi videtur. Est ergo sensus: Nolite solliciti esse in crastinum, id est, in futurum, de his quæ proueniunt post annum. Sollicitudinem futurorum, sollicitudinem præsentium nō adiiciatis. Crastinus dies sollicitus erit sibiipsi, id est, pro se suam sollicitudinem habebit. Suffitit diei malitia sua, & ideò malitia diei geminari non debet, ne mens obruatur. Dies autem in se malus non est, sed dicitur malus, quia in eo mala fiunt, vel malitia dicitur hic non malum quod agimus, sed quod patimur, pœnalis, scilicet, anxietas. Sicut cùm dicitur in Iob: Pereat dies in qua natus sum, id est, anxietas & labor præsens, & veniat qui abstergat omnem lachrymam ab oculis sanctorum, Deus noster Iesus Christus: Qui viuit & regnat per omnia, &c.

*Quærendū est primū regnū Dei, & Deus de aliis prouidebit.*

*Rom. 8.*

*Qualiter quærēdum sit regnum Dei.*

*Gregorius.*

*Nota librum Gen. 27.*

*1. Pet. 5.*

*Iob 3.*

## DOMINICA DECIMASEXTA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, EX PSALMO.

*Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: quia tu Domine suauis ac mitis es, & copiosus in misericordia omnibus inuocantibus te.*

*Isa.26. Misericordia diuina roricõ paratur. Iob 29.*

ROs lucis, ros tuus. Verba sunt Isaiæ de misericordia diuina, quæ comparatur rori, quia suauis est, refrigerens & fœcundans. Misericordia autem Dei in præsenti potest dici ros noctis, quia occulta: sed in futuro erit ros lucis, quando apertè sanctos suos remunerabit, quos nunc flagellis & miseriis exponit exterius, licèt visitet eos interius, faciens cum tentatione prouentum, vt possint sustinere. Vnde Iob ait: Ros in messione mea morabitur, refrigerando, scilicet, contra ardorem tentationum. Potest tamen misericordia Dei dici ros lucis, quia illuminat animam. Et hæc est misericordia dexteræ in præsenti. Misericordia autem sinistræ, quando, scilicet, Deus temporalia confert. Dicitur ros matutinus, qui citò præterit, vel nubes matutina. Vnde per Oseam dicit: Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Hæc est misericordia sinistræ, quam desiderabant Iudæi petentes bona matutina non serotina, bona transitoria, & de æternis non curantes. Bona siquidem temporalia, quamadmodum olera herbarũ citò decidunt. Misericordiam autem serotinam postulabat Isa. dicens: Domine, miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachiũ nostrũ in manè, & salus nostra in tempore tribulationis, id est, in aduersitate. Potest tamen ex prædictis verbis quadruplex Christi gratia seu misericordia intelligi. Gratia operãs, cùm dicitur: Miserere nostri Domine. Cooperãs, cùm dicitur: Te enim expectauimus. Protegẽs, cùm dicitur: Esto brachiũ nostrũ. Consummãs siue saluãs, cùm dicitur: Et salus nostra in tempore tribulationis, id est, in morte, vel in die iudicij, quãdo redder gratiã pro gratia, misericordiã pro misericordia. Misericordiã glorię pro misericordia gratiæ. Vnde Isa. Miserens miserebitur tui. Miserens in præsenti, miserebitur in futuro. Et subiungit: Ad vocẽ clamoris tui statim vt audierit, respõdebit tibi. Hoc est quod Psalmista ait: Aures eius in preces eorũ. Et expressius per Isa. ait: Antequã clament, ego exaudiã: quasi dicat: Antequã clament ore, ego cordis clamorẽ paratus sum exaudire. Iuxta illud: Præparationẽ cordis eorũ audiuit auris tua. De misericordia gratiæ dicit Deus per Isa. Non in sempiternũ litigabo, neq; vsq; ad finẽ irascar: quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego facio, id est, vt conuertantur inspiro. In Genesi autẽ assignatur alia causa miserationis diuinę: Non permanebit spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est, id est, fragilis. De misericordia gloriæ dicitur in Psalm. Domine, in misericordia tua. Ipse enim omnem miseriam longè facit à sanctis suis, & præmiũ supra merita retribuit. Patet igitur quod misericordia Dei attingit à fine vsq; ad finẽ, quia à principio suæ cõuersationis vsq; ad finẽ suæ resolutionis non deserit hominem: quoniã quamdiu in hoc seculo viuimus, semper in miseria sumus, semper misericordia indigemus. Vnde necesse est vt iugiter tam in aduersis, q̃ in prosperis misericordiã Dei imploremus. Vnde & Psal. in hodierno officio ait: Miserere mei Domine, quoniã ad te clamaui tota die. Qui autem magnã postulat misericordiã, oportet quod cognoscat magnã miseriã suã. Vnde alibi Psal. Miserere mei Deus, secundũ magnã misericordiã tuam, quia, scilicet, magna sunt peccata mea, & magna miseria mea. Et secundũ multitudinem miserationũ tuarum, dele iniquitatem meam, quia, scilicet, multa sunt peccata mea. Cognitio siquidem peccatorũ valde ad misericordiã prouocat Dominũ. Qui enim nõ potest Domino offerre aurũ & argentũ, sufficit si afferat pilos caprarũ, id est, exprobrationẽ peccatorũ. Vnde Iere. Reuertere aduersatrix Israël, ait Dominus, & nõ auertã faciem meã à vobis, quia ego sanctus sum, & nõ irascar in perpetuum, tamen scito iniquitatẽ tuam, quia in Deum tuũ præuaricata es. Quasi dicat: Cùm misertus fuero tui, non te reputes iustũ, sed semper memento iniquitatis tuæ. Ecce quãta est misericordia Dei, qui offensus & iniuriam passus rogat nos, vt recõcilietur nobis. Teste Greg. debemus pietatem vocantis erubescere, si iustitiam nolumus formidare, quia tantò maiori improbitate contemnitur, quantò cõtemptus vocare non dedignatur. Et Naum ait: Mundans non faciet innocentem. Mundans nocentẽ non facit innocentem: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Et licèt saluetur peccator per misericordiam, tamẽ quantũ in se est, nocens est. Quamuis enim mundet illum, tamen illum quem mundat, ostendit esse peccatorem. Vnde Iudas postquam impręgnauit Thamar, misit ei hœdum, id est, peccati exprobrationẽ seu memoriã. Vel mundans à culpa non faciet innocentem à pœna. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die. De die gratiæ clamandum est expulsis tenebris vitiorum. Citiùs enim ad precem Iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Solum desperationis crimen est, quod veniam consequi non potest. Qualiter autem clamare debemus, ostendit Isaias, dicens: Laudate habitatores Petrę, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, & laudem eius in insulis nuntiabunt. Habitatores Petrę, id est, Christi, sunt viri iusti, qui frequenter ad memoriam reuocant conuersationem & passionem Christi. De vertice autem montium, id est, de eminentia bonæ conuersationis est clamandum. Domino gloriam ponunt, qui omnia bona ad ipsum referunt: firmiter autem & constanter tam in aduersis, quàm in prosperis Deum laudare debemus. Quod notatur

*De quadrupli ci gratia. Osee 6.*

*Isa.33.*

*De misericordia gratiæ & gloriæ. Isa.30.*

*Isa.57.*

*Agnoscat magnam miseriam suã, qui magnã postulat misericordiam.*

*Ierem.3. Licèt obtinuerimus indulgentiam, debemus semper agnoscere iniquitatem nostram. Gregorius. Naum 1.*

*Qualiter ad Dominum clamare debemus, & quod de die inuocandus est Deus. Isa.42.*

notatur per verbū ponendi, quia ſtabilitatē deſignat. Non ſolùm autē ſancti in ſe Deum laudāt, ſed & aliis laudē annuntiant. Propterea dicit: Laudē eius in inſulis nuntiabunt. Per clamorem autē intenſum deſideriū vel publica pœnitentia deſignatur, vt qui publicè peccauerunt, publicè pœniteant. Vnde Iſa. de Moab ait: In triuiis eius accincti ſunt ſacco, ſuper tecta eius, & in plateis vlulatus, vt, ſcilicet, audiatur & videatur ab hominibus. Per triuiū etiam Moab, intelligitur concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ. Vnde & in canticis Exodi, ſecundū aliā tranſlationē dicitur: Tranſitores eius proiecit in mare, id eſt, dæmones, qui per prædicta tria vitia nos deiiciunt. Propter triuiū enim Moab accingi debemus ſacco pœnitētiæ, & plangere ſuper tecta atq; in plateis, quia fuimus ſuper tecta ſuperbię & in latitudine vitę ſecularis. Clamare igitur debēt pœnitētes corde cōtrito, cum lachrymis Domino ſupplicādo. Vnde Oſee ait: Confortatus eſt Iacob: & inualuit ad Angelū, fleuit, & rogauit eum. His enim duobus brachiis, id eſt lachrymis, & orationibus debemus luctari cum Angelo magni cōſilij, donec illuceſcēte aurora, poſt hanc vitā dicat Chriſtus, dimitte me, aurora eſt, iam te nō oportet laborare, ſed præmiū recipere. Aurora enim adueniente, poſt mortem lucta finitur. In Exodo autem dicitur, quod ingemiſcebant filij Iſraël propter opera, & vociferauerunt, & aſcendit clamor eorum ad Dominum. Hic eſt ordo rectus. Priùs enim ingemiſcendum & dolendum eſt per contritionem, propter opera mala, quæ fecimus: poſteà vociferandum per confeſsionē, & ſic aſcendet clamor orationis ad Dominum. Iſaias autem inſtruit pœnitentes, & eos qui in tribulatione cōſtituti ſunt, qualiter ad Dominum debeant clamare, dicens: Ad me clamat ex Seir cuſtos qui de nocte, cuſtos qui de nocte. Et dicit cuſtos venit manè & nox: ſi quęritis quærite, cōuertimini & venite. Quaſi diceret: Cuſtos qui de nocte aduerſitatis, cuſtos qui de nocte iniquitatis liberas. Et ſubditur duplex remediū. Venit manè & nox. Manè proſperitatis, contra noctē aduerſitatis. Manè gratiæ orientis, contra noctem iniquitatis. Et ſubiungitur: Venit nox, quia poſt proſperitatem Deus in aduerſis probat hominis conſtantiam. Vnde ait: Si quæritis, quærite. Si quæritis in nocte aduerſitatis, quærite in manè proſperitatis. Conuertimini per pœnitentiam, & venite per bonam operationem. Ex Seir autem, qui hiſpidus vel piloſus interpretatur, clamare debemus, id eſt, ex aſperitate aduerſitatis, & piloſitate peruerſitatis clamare debemus ad Dominum. Vnde Pſalmiſta: De profundis clamaui ad te Domine. De profundis iniquitatis & aduerſitatis. Vnde & in Paralipomenon Ioſaphat ait: Cùm ignoramus quid facere debeamus, hoc ſolùm habemus refugij, vt ad te oculos noſtros dirigamus. Multi autem in profundo peccatorum, & in captiuitate Ægypti detenti, nolunt clamare, neq; de carcere Ægypti exire, vt eant viam trium dierum. Prima diæta dolor contritionis. Secunda pudor confeſsionis. Tertia labor ſatisfactionis. Dolor retrahit delicatos, pudor hypocritas & elatos, labor pigros & acidioſos. De his autem qui clamare contemnunt, ait Eccleſiaſticus: Peccator cùm venerit in profundum, contemnit. Et Pſalmiſta ait: Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Lacus eſt mundus iſte. Hunc fodiendo aperit, qui eius ſequitur vanitatem, donec in profundo malorum veniens contemnat, & in foueam deſperationis cadat. Et quia non aperit os ſuum, claudit ſuper eum puteus os ſuum. Econtrà:

*Flectitur iratus uoce rogante Deus.*

Rugitus ſiquidem leonis, qui circuit, quærens quem deuoret, deſtruitur rugitu clamoris & orationis. De Chriſto autem legimus, quod orauit in monte, qui exauditus eſt in omnibus pro ſua reuerentia. Oret Chriſtianus in valle plorationis & humilitatis, & exaudietur pro ſua obedientia, vt impleatur in eo quod ſcriptum eſt: Subditus eſto Domino, & ora eum. Et iterum Pſalmiſta ait: Effundo in conſpectu eius orationem meam, id eſt in deficiendo ex me ſpiritum meum, id eſt, deficiente ſpiritu ſuperbiæ, ex conſideratione fragilitatis meæ. Clamauit Ionas de profundis, id eſt, de ventre ceti, & exauditus eſt. Non igitur deſperet peccator abſorptus à diabolo, vt virtute orationis euomat eum diabolus in aridam, ab omni fluxu vitiorum deſiccatum. Ionas naulum dedit, vt deferreretur in Tharſis, quod exploratio gaudij interpretatur. Et multi vt tranſeant ad gaudium ſeculare, dant naulum, id eſt, animam propriam, & ita à diabolo deuorantur. Vnde Ezechiēl ait: Omnibus meretricibus dantur merces, factum eſt in te contrariū. Diabolus enim ab anima quam corrumpit, mercedem, ſuum naulum recipit. Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Deſiderium eſt vox animæ, quæ clamat ad Deum, ſicut ſcriptum eſt: Deſiderium pauperis exaudiuit Dominus. Huiuſmodi autem deſiderium anxietas dilationis reddit amarum: quia ſpes quæ differtur, affligit animam. Quare autem Deus differat exaudire, oſtendit Gregorius, dicens: Semina meſsium gelu preſſa ſolidantur, & quò ad ſuperficiem tardius exeunt, eò ad frugem multiplitiora conſurgunt. Deſideria itaque noſtra dilatatione extenduntur vt proficiunt, proficiunt vt conualeſcant. Labor protrahitur pugnæ, vt creſcat corona victoriæ. Patet ergo quòd non debemus clamando deficere, ſed totā die clamare, id eſt, aſsiduè & perſeueranter tam in aduerſis ne deficiamus, quàm in proſperis ne inaniter attollamur. Vnde in Canticis ſponſa dicit: Tenebo eum nec dimittam. Tenetur ſaluator inſtantia orationum, qua meretur anima infirmitatis ſanitatem. Sic tenuit eum mulier Chananæa. Tenetur obſequio munerum per ſpiritum pietatis & miſericordiam. Sic tenuerunt eum diſcipuli euntis in Emaus. Tenetur deſideratio deuotionis per ſpiritus feruorem. Sic mulieres acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius.

*De intēſo deſiderio & aperto ore.* *Iſa. 15.*

*De clamore pœnitētium.* *Oſee 12.*

*Exod. 2.*

*Qualiter qui in aduerſitatē ſunt & in peccatis clamare debeant.*

*De his qui clamare contemnunt.* *Prouerb. 18.*

*Verſus.*

*Qualiter autē orare & clamare de profundis debeāt.*

*Ezech. 16.*

*De voce deſiderii.*

*Quare Deus differat exaudire.*

*Conſtanter eō perſeuerantes clamare debemus.*

Tenetur constantia spiritus, quantum ad Dei visionem. Sic tenuit eum Iacob vsq; ad auroram, Vnde & ait: Non demittã te, nisi benedixeris mihi. Constãter igitur ad eum debemus clamare. Vnde & in libro Reg. de Anna dicitur: Vultus eius nõ sunt amplius in diuersa mutati. Et tu talis sis in tempore extra orationẽ, qualis es in oratione, ne sis similis illis, de quibus dicitur: Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quidã à fletu statim transeunt ad cachinnum.

*Simile.* Si quis autem in horto aut prato amœno vndiq; ab hostibus obsessus esset, valde stultus esset si cantilenis & vanitatibus intenderet. Nos vndiq; in hoc mundo obsessi sumus, quomodo ergo voluptatibus & vanitatibus intendimus, qui tanquam miseri misericordiam implorare, & tota die ad Deum clamare debemus, id est, tam in aduersis quàm in prosperis? Quidam autẽ in aduersis murmurãt & Deum blasphemant, nec ad Deum, sed magis cõtra Deum clamant, de quibus scriptum est: In miseriis non subsistent. Et in Iob dicitur: Nunquid virere potest scirpus absq; humore? aut crescere carectũ sine aqua? Humectus videtur antequã veniat Sol, & in ortu suo germen egreditur. Scirpus & carectum sunt impij, qui sine voluptate & humore luxuriæ viuere non possunt. Carectum manum tangentis secat, & impij eos lædunt, qui imitando vel reprehendendo ipsos tangunt. Flos autem temporalis antequam Sol iustitiæ veniat in iudicio, aliquid viriditatis videtur habere, sed tunc omnino aridus apparebit. Sicut autem scirpus in ortu suo florem & germen, & fructum recipit, sic impij in ortu suo, & in vita præsenti mercedem suam volunt recipere, nolentes expectare præmium post hanc vitam. Quidam autem in tempore aduersitatis ad Deum clamant, sed in tempore prosperitatis Deũ non inuocant. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Manna quod ab igne non poterat exterminari, statim exiguo Solis radio tabescebat. Ad ignem enim tribulationis sanctitas conuersationis in quibusdam solidatur, quæ Sole prosperitatis liquescit & dissoluitur. Solis autem claritas quotidie absorbetur tenebris occidentis, per quam signatur decidua claritas mundanæ prosperitatis. Et ideo qui Dei benedictionem desiderat, caueat sibi ne præueniatur à Sole, id est, à temporalis prosperitatis benedictione. Vnde in libro Sapientiæ subditur, vt notum esset omnibus, quoniam oportet Solem præuenire ad benedictionem, & ad orientem lucis adorare. Quod fit dum tribulationibus oritur nobis lux cœlestis fulgoris. Econtrà de prosperitatibus transitoriis tenebræ oriuntur æternæ. Vnde & subditur in prædicto libro Sapientiæ: Ingrati fides tanquam glacies hybernalis tabescit. Sicut enim glacies hybernalis ad Solem, sic fides & aliæ virtutes ad virorem gloriæ temporalis defluunt & liquescunt. Clamemus igitur ad Dominum tota die, id est, perseueranter. Teste autem Gregorio: Non est mirum si quis bonum inchoat: sed valde mirabile est si intentio recta in bono opere perseueret. Quidam autem nec in aduersis, nec in prosperis ad Deum clamant. Vnde Isaias: Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ. Super gyrum terrę sedet Deus, omnia ambiendo & regendo, & habitatores eius quasi locustæ in eius comparatione. Locusta torpet in frigore, sed alacriter exilit in feruore. Ita miserrimus homo negligens est, & murmurat in aduersis, elatus autem & intolerabilis est in prosperis. Locusta longiora habet crura retrò quàm antè: ita & homo dum ad ea quæ retrò sunt, id est, temporalia, extendit se, & ad æterna, quæ antè sunt, se contrahit. Econtra Apostolus crura longiora habuit antè, qui ait: Posteriorum oblitus ad anteriora me extendo. Ad te clamaui tota die. Iusti ad Dominum clamant, & faciem interiorem ad ipsum conuertunt. Teste autem Hieronymo: Si Deum præsentem, & omnia videntem, & vindicantem cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus. De reprobis autem dicitur in Ieremia: Verterunt ad me tergum & non faciem. Et Isa. Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuę audiẽt verbũ post terga monẽtis. Hæc est via, ambulate in ea: & nõ declinetis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Sic notantur duo genera hominum. Iusti enim ad Deum oculos habent, peccatores ad tergum. Iusti ad Deum clamant, dum animas suas ad ipsum leuant. Econtrà de iniustis in Ecclesiastico dicitur: Cor nequam aggrauabitur doloribus, id est, peccatis, quæ ducunt ad dolores: & peccator adiiciet ad peccandum. Iuxta illud: Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Ad hoc igitur quod ad Dominum clamemus, id est, animas nostras ad ipsum leuemus, necesse est quod duo flumina Babylonis sub pedibus habeamus, id est, Chobar & Tigrim, peccatum, scilicet, & vanitatem. Chobar interpretatur graue, hoc est, peccatum. Tigris velox, hæc est vanitas, & velox transitus temporalium. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die. Contra multiplicem miseriam, multiplicem inuocare debemus misericordiam. Tria enim sunt quibus principaliter opprimimur. Carcer, captiuitas, & infirmitas. Carcer corporis, captiuitas præsentis exilij, id est, mundi, infirmitas humanæ fragilitatis. Incarceratus grauatur compedibus, fame, scilicet, & siti, & aliis incommodis corporalibus. Captiuus labore & seruitute: infirmus debilitate. Hæc insinuanda sunt pio Iudici, vt misereatur nostri. Ipse enim de cœlo in terram respexit, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum. Cùm autem in hoc seculo exules & peregrini simus, quinq; sunt onera quę affligunt peregrinum. Primum Lex Mosaica: de quo Petrus ait: Hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. Secundum labor operum: de quo scriptum est: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Tertium temporalis miseria. Graue enim onus positum est super filios Adam, à principio vitæ vsque ad finem. Quartum est onus peccatorum: de quo Isaias: Solue fasciculos deprimentes, & omne onus dissumpe. Quintum

*De his qui murmurãt in aduersis. Iob 8.*

*De his qui in prosperis Deũ nõ inuocant. Sapien. 16.*

*Simile.*

*Gregorius. De his qui nec in prosperis, nec in aduersis ad Deum clamant. Isa. 40.*

*Ad Deum clamãt, qui ante oculos cordis ipsum habent & ad ipsum corda leuant. Isa. 30.*

*Eccles. 3.*

*De duobus fluminibus Babylonis.*

*De triplici oppressione nostra.*

*Quinque oneribus affligimur.*

Quintum est iudiciũ diuinæ sententiæ. De quo scriptum est: Vnusquisq; onus suum portabit. In Isa. autẽ legimus vndecim onera. Numerus enim iste pertinet ad transgressionẽ, id est, onus Babylonis, Philistinorũ, Moab, Damasci, Ægypti, Deserti maris, Duma, onus in Arabia, onus vallis visionis, onus Tyri, onus iumentorũ Austri. Qui igitur diuinã inuocat misericordiã, necesse est vt humanã agnoscat miseriã. Circundãt enim salices torrentis hominẽ, id est, infructuosæ cogitationes ex torrẽte sensualitatis procedẽtes. Quę more salicis sine omni cultura crescunt, sed fructũ nõ faciunt. Hominis autẽ cõscientia est quasi piscina, quę quinq; porticus habet, id est, recordationẽ peccatorũ quinq; sensuum. In his porticib⁹ iacet multitudo languentiũ. In recordatione peccatorum quinq; sensuum, vnusquisq; repperit, quã multipliciter infirmetur. Et ideo siquidẽ peccatorum quinq; sensuum, vnusquisq; repperit, quã multipliciter infirmetur. Et ideo Angelus, id est, timor Dei, descẽdit & cõmouet ac cõturbat aquã, dum præsentis vitæ dulcedinẽ in amaritudinẽ cõuertit: primus sanatur, sed nõ vltimus. Qui enim in hoc seculo cõmouentur ad pœnitentiã, recipiunt sanitatẽ. Post mortẽ verò inutiliter aqua turbatur: peccatores enim in infernõ turbabuntur, sed eis nõ proderit. Propterea in Eccles. dicitur: Ante iudiciũ interroga teipsum, & ante languorẽ adhibe medicinã. Sicut igitur filij Israël licèt in captiuitate geniti, tamẽ ad hæreditatẽ terræ promissionis aspirabãt, & desiderabãt reuerti, ita & nos in præsenti exilio ad æternã hæreditatẽ, licèt eam nunquã viderimus, suspirare debemus, & clamare debemus ad Dominum, atq; eius misericordiã & indulgentiã fusis lachrymis postulare. Vnde in Euang. dicitur: Pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te. Tales siquidẽ merẽtur inuenire, qui quærunt cũ dolore. Sicut Maria Magdalena Dominũ inuenit, quẽ cum lachrymis & suspiriis quæsiuit. Miserere mei Domine, quoniã ad te clamaui tota die. Si vis vt misereatur tui, esto misericors aliis. Beati enim misericordes, quoniã misericordiã consequẽtur. Est autẽ misericordia propria & prima quã habet homo ad seipsum. De qua scriptum est: Miserere animæ tuæ placẽs Domino. Est misericordia fraterna ad proximũ per compassionẽ, de qua scriptũ est: Iocundus homo qui miseretur & cõmodat. Quia qui pauperis miseretur, Domino fœneratur. Est misericordia paterna, id est, patris ad filiũ per correptionẽ. Paterna siquidẽ misericordia dimittit reatũ, corrigit erratum, cõsolatur amaricatũ. Simus igitur misericordes, quia eleëmosyna à morte liberat & protegit atq; defendit. *Non opus est muro quem dextera dapsilis ambit.* *Non murus, nõ arma ducẽ tutantur auarum.* Propterea per Isa. Deus ait: Si abstuleris de medio tui cathenã, & desieris digitum extẽdere, & loqui quod nõ prodest, cùm effuderis esurienti animã tuã, & animã afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebrę tuę erunt sicut meridies, & requiẽ dabit tibi Deus, Deus tuus semper, & ossa tua liberabit. Locuturus Propheta de fructu eleëmosynæ, præmittit de munditia cordis, sine qua nõ est accepta misericordia operis. Simile verò idẽ ait: Lauamini, mundi estote. Et postmodũ subiungit: Subuenite oppresso. Auferre igitur debemus de medio nostri, id est, de corde cathenã, id est, colligationes peccatorum. Hanc cathenã fabricauit faber iste, de quo in Isa. Dominus ait: Ego creaui fabrum sufflantẽ prunas in igne. Digitum autẽ extendere desinimus, dum à detractione proximorum cessamus. Esurienti autẽ animã effundimus per cõpassionem. Animã afflictã replemus per opus misericordię siue per eleëmosynã. Nam eleëmosyna sine cõpassione, est quasi cibus sine sapore. Vnde in Eccles. dicitur: Declina pauperi sine tristitia aurem tuã: si sic feceris, orietur in tenebris lux tua, id est, in nocte huius seculi lucebit tibi gratia. Et tenebræ tuæ erunt sicut meridies, vt, scilicet, in tenebris huius miserię, habeas feruorẽ charitatis, & splendorẽ cognitionis, & expulsis tenebris peccatorũ, splendorẽ obtineas virtutũ. Et requiẽ dabit tibi Dominus Deus tuus semper, id est, in prosperis & in aduersis, & replebitur splẽdoribus anima tua, licèt corpus plenũ sit squalorib⁹. Et ossa tua, id est, robur animę, liberabit ab ariditate & vitiorum ægritudine. Iuxta illud quod in Prouerb. dicitur: Dulcedo animæ sanitas ossium. Miserere mei Domine, quoniã ad te clamaui tota die. Qui Dominum vocat, & eum nõ vt Dominum metuit, nec vt Domino seruit, testis est inobediẽtiæ suę. Propterea Deus ait: Nõ omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cęlorum. Nõ enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Sequitur: Quia tu Domine, suauis ac mitis. Ideo, scilicet, iocunda me afficiãt tædio mundanæ amaritudinis. Suauis in affectu, mitis in effectu. Suauis in te per naturã, mitis nobis per gratiã. Mitis his quos expectas portãs hominẽ in suis infirmitatib⁹, qui auolaret à se, nisi à Domino portaretur. Multa enim aguntur in corde humano, quibus malè mouetur. Vnde & ipsę orationes impediuntur vanis cogitationib⁹, ita vt vix stet cor ad Deum suũ, vt loquatur ei orãdo. Quãdo enim oras, cũ Deo loqueris, quãdo legis, loquitur tibi Deus. Subrepẽtibus autẽ fantasmatib⁹ malarum cogitationum quodãmodo cor hominis fugit à se, nec inuenit cãcellos, quibus se includat, aut obices, quib⁹ retineat auolationes suas & vagos motus. Cõtra quod dicit Dauid: Inueni cor meum vt orarẽ ad te. Inuenisse se dicit cor suũ, quasi soleret ab eo fugere, & ipse sequi quasi fugientẽ. Quod inuenit homo quãdo mortiẽtib⁹ muscis eiectis, quę perdunt suauitatẽ vnguẽti, totus affectus cordis ad orandũ Deũ colligitur. Tunc quidẽ toto corde clamatur, quãdo aliũde nõ cogitatur. Portat autẽ Deus hominẽ & expectat dũ vagatur, quia suauis est & mitis inuocãtibus se, dum infirmitates nostras sustinet in oratione. Est autẽ Deus suauis amicis & durus inimicis, attingẽs à fine vsq; ad finẽ fortiter, mundũ & diabolum superando. Et disponẽs omnia suauiter, hominẽ misericorditer liberãdo. Vnde ipse ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Propterea Dauid assimilatur Christo propter tria bona quæ principaliter fuerunt in eo. Pietas, scilicet, seu suauitas, humilitas & mansuetudo. Pius fuit, dum enim ad eum omnes conuenirent, qui erant amaro animo & oppressi ære alieno, ipse eos misericorditer

*Galat. 6.*

*Qui diuinã misericordiã inuocat, miseri. humanam agnoscat.*

*Aliis misereri debemus vt misericordiã à Deo consequamur.*

*De multiplici misericordia.*

*Versus. Isa. 58.*

*Isa. 54.*

*Eccles. 4.*

*Prouer. 22.*

*Deus suauis ac mitis est.*

*De impedimentis orationis. Matth. 11.*

*Propterea Dauid assimilatur Christo.*

recepit & suauiter tractauit. Humilis fuit. Vnde & Sauli dixit: Quem persequeris Rex Israël, pulicem vnum, & canem mortuum? Mansuetudinem habuit, quæ consistit principaliter in tolerantia contumeliarum. Et ipse cum patientia & mansuetudine omnia conuitia sustinuit, quæ illi Semei intulit. Est igitur Deus suauis & mitis, sicut scriptum est: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Hoc est lignum quod amaras aquas tribulationũ suaues & potabiles reddidit. Ipse est farina, quæ herbas amaras reddit sapidas. Vnde de Iacob legimus, quod licèt multum laboraret, videbantur ei pauci dies præ magnitudine amoris, id est, labor dierũ paruus, quia laborẽ leuigabat amor, vel videbatur ei quod paucis diebus inuenisset rem tam amabilem. Pari modo vir iustus debet reputare se parum fecisse, cùm multa bona fecerit. Cùm autẽ Deus modò suauis sit, sicut scriptum est: Suauis Deus vniuersis, tandem asperrimus erit asperis, qui eius suauitate abutuntur. Propterea per Isaiam ait: Tacui, semper silui, quasi parturiẽs loquar. Quæ, scilicet, ante partum longè concepit. Sic Deus iam cõcepit pœnam reproborũ, & tandem in lucem manifestationis emittet. Vnde Michæas ait: Ne loquamini loquẽtes, Non stillabit super istos, nõ comprehendet confusio, id est, non immittet Deus etiam paruã pœnam istis. Pœna temporalis respectu æterna, stilla dicitur. In futuro enim sicut in ira absorbet eos, id est, absorbebit Deus impios. Vnde in Iob dicitur: Cùm paruã scintillam sermonũ eius vix audire possumus, tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? Cùm enim præcipitur nobis ieiunare, vigilare, & peregrinari, & audire nõ possumus paruã scintillam pœnæ temporalis, quomodo poterimus intueri tonitruum, quãdo dicetur reprobis: Ite maledicti in ignem æternum? Cùm igitur Deus in hoc tempore suauis sit, & mitis, & copiosus in misericordia, contra copiosas iniquitates nostras hyssopus enim in aspersorio Christus suspẽsus est in ligno, qui aquis misericordię immersus, mundũ à lepra sanauit. Non exasperemus suauẽ, sed ad ipsum intenso cordis desiderio clamemus, & in humilitate & deuotione inuocemus Dominũ nostrum Iesum Christum. Qui viuit, &c.

*Christus modò suauis est, sed tãdem asperrimus erit malis. Michæ. 2.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD EPHESIOS. 3.

*Fratres, obsecro vos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.*

*De fructu tribulationum.*

DOMINE, si sic viuitur & in talibus vita spiritus mei, corripies me & viuificabis me. His verbis ostenditur in Isaia quãtus sit tribulationũ fructus, quibus in hac vita carere nõ possumus, vt in tribulationibus nõ deficiamus. Est ergo sensus: Domine, si sic viuitur, id est, in miseriis & tribulationibus. Et in talibus vita spiritus mei, quia illis in hoc seculo carere nõ valemus. Corripies me & viuificabis me, id est, corripiẽdo viuifices, percuties vt sanes, sicut scriptũ est: Percutit manus eius & sanabũt. Et ad Corinth. Apost. ait: Licèt is qui foris est exterior homo corrumpatur, interius spiritus renouatur. Et Isa. ait: Figã eum paxillũ in loco fideli. Paxillũ siquidẽ fixus in bona terra etsi percutiatur, firmius radicatur: ita & sancti in tribulationibus firmius adhærẽt Domino. Ecõtrà dẽ incõstantibus, qui fiduciã firmã non habẽt in Domino, neq; anchorã spei in terrã bonã fixerũt, ait Isa. Et quidẽ neq; plantato neq; radicato in terra trunco eorũ, repentè flauit in eos, & turbo quasi stipulã auferet eos. Flabitq; spiritus Domini, id est, ira & turbo, id est, repẽtina Dei sentẽtia, vel turbo in iudicio auferet eos ab hac vita, sicut scriptũ est: Transiui, & ecce nõ erat. Et iterũ: Dum adhuc ordirer, succidit me. Mali cõparantur stipulę, quæ arida est, sonora & vacua. Fert fructũ & nõ sibi, cõburitur autẽ fructu collecto. Non igitur desistere debemus in tribulationibus tanquã puluis, quẽ proiicit ventus à facie terræ, id est, à præsentia stabilitatis æternæ. Qui enim ab humore gratiæ sicci sunt, paruis suggestionibus viriliter nõ resistũt. De quibus Ierem. ait: Quia vilis facta est nimis, iterãs vias tuas. Teste autẽ Greg. Aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis eneruiter expugnari. In illis exercetur virtus ne extolli debeat, in istis extinguitur ne subsistat. Hi igitur qui in tribulationib⁹ deficiũt, efficiũtur velut vas confractũ & inutile, quod nec ignem gratię, nec aquã doctrinæ potest retinere. De quo Isa. ait: Comminuetur sicut cõteritur lagena figuli cõtritione perualida, & nõ inuenietur de fragmẽtis eius testa in qua portetur igniculus de incẽdio, aut hauriatur paruũ aquę de fouea. Quidã enim ad modicã temptationis concussionẽ superãtur & prosternũtur. De quibus Naũ ait: Omnes munitiones tuæ sicut ficus cũ grossis suis, quæ si cõcussę fuerint, cadẽt in os comedẽtis, vt, scilicet, fructu malorũ operũ immundi spiritus reficiãtur. Et in Parab. Salomõ ait: Qui mollis est & remissus in opere suo, frater est sua opera dissipãtis. Teste autẽ Greg. in hoc mundo humana anima quasi more nauis est cõtra ictũ fluminis cõdescendentis, quę in vno loco stare nõ potest, quia ad ima relabitur nisi ad summa conetur. Si ergo quod videtur gerendũ sollicita intẽtione nõ crescit, deuotiã quod fuerat benè gestũ decrescit, si inchoata bona operantis manus ad perfectionẽ nõ subleuat ipsa operandi remissio contra id quod est operatum pugnat. Econtrà Seneca ait: Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & diligens ac intenta cura. Et Poëta:

*De his qui in tribulatione deficiunt.*

*Ierem. 2.*

*Naum 3.*

*Vos quoque felices qui ferre incommoda uitæ: Nec iactare iugum uita didicêre magistra.*

*Apoc. 10.*

Et in Apocal. dicitur, quod Angelus posuit dextrũ pedem supra mare, sinistrũ autẽ super terram. Per mane fluctus aduersitatũ, per terrã prosperitas designatur. Vt ergo Deus aduersitatẽ seculi prosperitatẽ esse ostenderet, dextrũ pedem super mare posuit, sinistrũ autẽ super terrã, ostẽdens quod mundi prosperitas à sanctis reputaretur aduersitas. Vnde Iob ait: Hæc sit mihi cõsolatio, vt affligẽs me dolore nõ parcas. Ipse enim afflictiones delitias spirituales reputabat. Et Christus in cru-

in cruce dextrum brachiũ habuisse dicitur ad Aquilonẽ, per quã aduersitas, & sinistrũ ad Austrũ, per quẽ blandiẽs prosperitas designatur. Ecõtrà sapiẽtia carnis dulce ponit amarũ, & amarũ dulce: quia carnales voluptates dulces reputãt, quę tamẽ sunt amarę, & econtrariò. Vnde Osee: Ad iracundiã me prouocauit Effraim in amaritudinib⁹, id est, in carnis voluptatib⁹, quę afferũt mortẽ. Quemadmodũ Iob ait: An potest aliquis gustare quod gustatũ affert mortẽ? quasi diceret: Quomodo gustari possunt voluptates mortales, cùm nihil sit amarius morte? Propterea in hodierna Epist. Apost. ait: Obsecro vos ne deficiatis in tribulationib⁹ meis pro vobis, quę est gloria vestra. Ne deficiatis, scilicet, à fide & bonis operib⁹, propter tribulationes meas, quę sunt pro vobis prohãdis. Hęc est enim gloria vestra, si vos statis in eis, & nõ deficiatis. Et ne ad hoc putẽt sufficere liberũ arbitriũ, subdit: Huius rei gratia flecto genua ad Patrẽ domini nostri Iesu Christi, nõ solũ exterius in corpore, sed mẽtis meę sensum humilio, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, id est, ex cuius dispositione sunt nobis patres, & in cęlis Angeli nobis prouidẽtes, & in terris Prelati. Nõ dicit est, sed nominatur, quia nec homo nec Angelus est pater vt Deus, q est pater omni creatione & fideliũ recreatione. Sicut autẽ Deus, qui solus essentialiter bonus est, sicut in Euang. dicitur: Nemo bonus nisi Deus nomẽ essentię & bonitatis suę cęteris impartitur, vt ipsa quoq; bona esse dicãtur, ita & ipse qui solus est pater omniũ rerũ creatione & fideliũ regeneratione paternitatis nomẽ cæteris dedit. Pro qua re autẽ supplicat Domino Patri, subiũgit dicẽs: Vt det vobis secundũ diuitias gratię suę virtutẽ, id est, constantiã secundũ copiã maiestatis & bonitatis suę. Magnus enim est, & magna tribuit. Et vt det vobis corroborari in interiori homine, & det vobis Christũ per fidẽ habitare in cordib⁹ vestris, vt, scilicet, secuti de eius auxilio fitis, & pro ipso tribulationes sustineatis. Non enim qui spinas metuũt rosas colligũt, nec mella obtinẽt, q apũ aculeos formidãt. Nõ peruenitur ad nuclei dulcedinẽ, nisi p corticis amaritudinẽ. Teste autẽ Greg. Qui æterna subtiliter ponderat, pręsentis vitę labores libẽter tolerat. Si igitur vis ascẽdere in palmã crucis, apprehendes postmodũ fructũ æternæ beatitudinis. Vnde in libro Macha. legitur, q. Alexãder misit Ionathę purpurã & coronã. Et tu pro Christo patiẽdo purpura induaris, vt coronã habeas ęternę beatitudinis. Nõ venies ad reclinatoriũ aureũ, nisi per ascẽsum purputeũ: sicut scriptũ est: Noctẽ verterũt in diẽ, & rursum post tenebras spero lucẽ. Nox enim aduersitatis vertetur in diẽ æternę prosperitatis. Et post tenebras tribulationũ, quas patiẽter toleras, exspectare potes lucẽ supernę claritatis. Melius est igitur homini q. Deus affligẽdo illi parcat, q̃ parcẽdo in ira nõ affligat. Vnde per Ezech. Dominus ait: Viuo ego, dicit Dominus, quia in manu forti & brachio extẽto, & in furore effuso regnabo super vos, & educã vos de populis, & cõgregabo vos de terris, in quib⁹ dispersi estis, & subiiciã vos sceptro meo, ibi seruiet mihi omnis domus Israel in terra in qua placebũt mihi, & displicebitis vobis in cõspectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecistis. Quasi diceret: Vobis displicebitis, vt mihi placeatis. Ecce quãta Dei misericordia, q sceptro suo subiici cõpellit eos qui Regẽ diabolũ sibi eligere & prẽficere volebãt, quos tamẽ Dominus p tribulationes ad se reducit. Vnde & B. Greg. ait: Sicut ignis in flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur magis roboratur, sic electorũ desideria dũ premũtur, aduersitate ꝓficiunt. In eo nanq; ostẽdimus quãta ad Deũ cupiditate flagitamus, si nõ solũ ad Deũ per trãquilla & mollia, sed etiã p aspera & dura trãsimus. Quod aũt tribulatio à peccatis animã custodiat, patet in Iob, vbi diabolo affligẽti dicitur: Veruntamẽ animã eius serua. Quod nõ solũ de vita corporali, sed de spiritu eius intelligitur & de merito, quod in eo per flagella augetur. Vnde in Cant. spõsa dicit: Decolorauit me Sol, id est, tyrãnica persecutio, de quo scriptũ est: Semina quę nõ habuerũt radicẽ, orto Sole aruerũt. Decolorauit me Sol, id est, interior tentatio, de qua scriptũ est: Si quis pollutus fuerit nocturno somno, maneat extra castra, & lotus aqua post ortũ Solis reuertatur in castra. Decolorauit me Sol, id est, Christus, pro cuius amore patior. De quo scriptũ est: Sol & Luna stetertũ in habitaculo suo, id est, Christus in Ecclesia. Hic autẽ Sol Ecclesiã colorauit in natiuitate, decolorauit in passione, recolorauit in resurrectione. Obsecro vos ne deficiatis in tribulationib⁹ meis. Cõtra deficiẽtes & incõstantes dicit Dominus per Iere. Dissẽminabo eos quasi stipulã, quæ vento raptatur in deserto. Et iterũ per Iere. Percussisti eos & nõ doluerũt, cõtriuisti eos & renuerũt accipere disciplinã. Indurauerunt faciẽ suam supra petram, & noluerunt reuerti. Gregor. Omnis diuina percussio aut purgatio est nobis vitæ præsentis, aut initium pœnæ sequentis. Propter eos qui ex percussione proficiunt, dictum est: Qui fingis dolorem in præcepto. Quia dum flagellatur iniquus, & corrigitur qui præceptum audire noluit, audiuit dolorem, & à malis quasi præcepto cohibetur dolore. De his verò quos damnant flagella & nõ emendãt, dicitur: Percussisti eos & nõ doluerunt. Hęc flagella in hac vita inchoantur & in æternum perdurant. Vnde ignis accensus est in ira mea, & ardebit vsq; ad inferos deorsum. De his etiam qui deficiunt & ad vomitum redeunt dicit Isa. Terra nostra deserta, ciuitates nostræ succensæ sunt igni, regionem nostrã coram nobis alieni deuorãt, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Qui enim à sanctitate pristina corruunt, & potestatibus cõtrariis se tradunt, omnia bona eorũ in desertũ veniunt, & dũ prioris iustitiæ Deus nõ recordatur, igne diaboli omnia succẽduntur, & fiunt habitacula bestiarũ. De quib⁹ dicitur: Ne tradas bestiis animas cõfitentes tibi. Et ita relinquitur filia Sion, id est, anima, quæ priùs erat in speculatione, & quasi Paradisus pomorũ, tanquã vmbraculũ in vinea collocata, scilicet, vindemia, dũ vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viã, & fit sicut tuguriũ in cucumerario collectis, scilicet, fructibus.

*Osee 11.*

*Per amaritudinem peruẽnitur ad dulcedinem.*

*Ezech. 20.*

*Tribulatio cõseruat in bono*

*Multipliciter decolorantur sancti per tribulationes.*

*Ieremi. 13. Contra pusillanimes & inconstantes.*

Dum enim fructum facere desinunt, deseruntur & contemptui habentur. De his autem qui non deficiunt, sed in tribulationibus proficiunt, dicitur in Prouerbiis: Via iustorum quasi lux splendescens, crescit ad perfectum diem. Et in Ezechiële dicitur: Platea erat in rotundum ascendens sursum per cocleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum, & templum latius erat in superioribus, & de inferioribus ascēdebatur ad superiora. Plateam vocat ad literam spatium illud in quo gradus orbiculariter dispositi erant, quam nos similiter cum gradibus vitem appellamus. Per hanc plateam charitas designatur. Talis enim ascensus obliquus est & laboriosus, & parum sibi videtur homo proficere ac multū laborare. Pari modo qui paulatim proficit in platea charitatis per circuitum bonorum operum gradatim ascendit, & parum de ascensu suo præsumit, & licèt humilitati videatur quod parum proficiat, nihilominus tamen in eminentiam vitæ & in cœnaculum æternæ refectionis ascendit. Quæ autem deorsum sunt, semper angustiora sunt, sed dum ad summa paulatim ascēdimus, latior nobis via aperitur, vt præcepta quæ prius laboriosa sunt & amara, postmodum videantur suauia. Propterea his diebus leguntur in Ecclesia historiæ Iudith & Hester, & de ipsis responsoria nocturna assumuntur. Prædictæ siquidem mulieres in tribulationibus valde fuerunt constantes, & per angustias tribulationum ad latitudinem iocunditatis peruenerunt. De Iudith siquidem legimus, quod sacerdotibus & aliis qui erant in Bethulia, deficiētibus in tribulationum angustiis, ipsa viriliter stetit, & populum suum de manu inimicorum liberauit. Nabuchodonosor enim ex magna præsumptione, nuntios suos ad diuersas regiones miserat, cupiens omnem terrā suo subiugare imperio. Omnes autem vno animo cōtradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt. Si igitur Nabuchodonosor, id est, diabolus, ad nos miserit nuntios suos, vt tributum peccati ei reddamus, non recipiamus eos, sed vacuos & sine honore remittamus. Cùm autē Nabuchodonosor misisset Holofernem Principem militiæ suæ, præcipiens illi vt eos præcipuè expugnaret, qui eius contemnerent imperium, multi cum lampadibus & coronis obuiam illi exierunt, vt eius iram mitigarent, nec tamen ferocitatem pectoris eius mitigare potuerunt. Illos præcipuè nititur diabolus sibi subiugare, qui ei resistunt, & eius imperium contemnunt. Non est autem diabolus placandus aliquo seruitio. Non poterit agnus lupo diu seruire quin lupus eum velit deuorare. Teste enim *Augustino, graue est seruire offenso, qui nunquam placatur aliquo officio. Obsedit autem Holofernes Bethuliam, & intercidit aquæductum, ne fluerent aquæ in ciuitatem, etiam impediuit ne ciues Bethuliæ hautirent de fontibus, qui erant iuxta Bethuliam, vt sic ciuitas facilius caperetur. Holofernus interpretatur infirmās vitulum saginatum. Hic est diabolus infirmans illos, qui more vituli petulantes sunt & lasciui per luxuriā, vt eos in alia peccata tanquam molles facilius inducat. Bethulia virgo Dei interpretatur, & signat Ecclesiam, quam diabolus nititur obsidere & capere, maximè per subtractionem aquarum diuinæ scripturæ, & spiritualium gratiarum. Iudith autē filia Merari ieiunabat omnibus diebus exceptis solemnibus. Et nos triplici ieiunio debemus ieiunare, vt Holofernem valeamus superare. Ieiunio corporali, à cibo abstinendo. Ieiunio mœroris, à gaudio temporali. Ieiunio spirituali, à peccato mortali. Dicitur autem quod saliua hominis ieiunij serpentem interficit; vnde serpens antiquus libenter, ne perimatur, suadet manducare. Iudith autem confitēs interpretatur. Quę filia fuit Merari, id est, amaritudinis per cordis contritionem, tunc poterit superare Holofernem. Iudith siquidem exuit se, & lauit corpus suum, & vnxit se myrrha optima, & discriminauit crines capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se sandalia pedibus suis. Assumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures, & anulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se. Anima enim confitens exuta peccati sorde per contritionem, lauat se per confessionem, vngit myrrha per carnis mortificationem. Quia post aquam confessionis quæ lauat necessaria, est carnis mortificatio quæ iustificat. Discriminat crines per discretionem. In capite mens, in crinibus cogitatio designatur. Mitra igitur capiti & crinibus imponitur, cum cogitationes & sensus cohibentur. Munit pedes affectuum sandaliis, id est, sanctorum patrum exēplis. Assumit dextraliola, id est, expectationem dextræ, & lilia castitatis, inaures obedientiæ, & annulum fidei. In ornamentis autem preciosis, signatur ornamētum virtutum & bonorum operum. Pulchritudinem obtulit Holofernī, qui eam cōcupiuit. Infernalis enim leccator, adulter pessimus, pulchriores animas libentius corrumpit. Cùm autem Iudith euaginasset gladium, percussit bis in ceruicem Holofernis, & abscidit caput eius, & abstulit conopeum eius. Gladius Holofernis est vanitas secularis, per quam diabolus multos interficit. Hunc gladium à vagina extrahimus, dum falsum mundi splendorem nudè & apertè intuemur. Caput Holofernis est amor mundi. Sicut autem truncus abstiso capite nocere non potest, sic copia mundanorum amore sublato non obest. Ceruicem insuper Holofernis amputare est superbiam, quæ caput est vitiorum, à se abscindere. Primò igitur ictu & secundo caput Holofernis abscindimus, dum voluntate & actu mundi vanitatem à nobis resecamus. Iudith igitur primò tempus idoneū expectauit, secundò caput Holofernis viriliter amputauit, tertiò conopeum in templo obtulit. Et nos debemus primò oportunitatem congrediendi attendere. Secundò viriliter pugnare. Tertiò pro victoria gratias agere. Vnde & Iudith gratias agens in Cātico suo ait: Incipite Domino in tympanis. A carnis enim mortificatione debemus incipere, alioquin nisi munda teneatur caro, non placent opera nostra Domino. Et inter alia subiungit: Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissoluit eum, vnxit faciem suam vnguento,

*Ezech. 41.*

*Historia Iudith cum expositione morali.*

*De nuntiis diaboli.*

**al. Cassiodoro.*
**al. obsequio.*

*Diabolus fontes aquarum nititur à nobis auferre.*

*Triplici ieiunio debemus ieiunare.*

*De ornamentis Iudith.*

*De gladio Holofernis & capitis abscisiōe. Simile.*

*De cantico Iudith & quorundam verborū, quæ in ipsa cōtinetur expositione.*

vnguento, colligauit cincinnos suos mitra, horruerunt per se constantiam eius. Iudith, id est, confessio, tunc potens est contra inimicum, quãdo est filia Merari, id est, amaritudinis. Et quoniam pulchritudo comitatur confessionem, sicut scriptum est: Confessio & pulchritudo in conspectu eius, in spẽ faciei dissoluitur Holofernes. Per hanc enim diabolus cũ mũdi gloria tabescit velut glacies in sereno. Vnctio autem faciei hilaritatem designat mentis. Mitra autem verbi Dei & rigore disciplinæ cincinni cogitationum ne defluant, colligantur. Per se autem qui interpretatur temptantes. Hi sunt dæmones, qui valdè timent constantiam eorum, qui in tribulationibus non deficiunt, sed perseuerant vsque in finem. Similiter & Hester, de cuius historia hoc tempore sumuntur nocturna responsoria, valdè constanter se habuit, & in tribulationibus non defecit, sed instanter apud regem Assuerum obtinuit vt liberato populo suo, qui morti adiudicatus fuerat, suspenderetur Amã in patibulo, quod præparauerat Mardochęo. *De historia Hester cum morali expositione.*

Legimus enim in prædicta historia, quod Assuerus celebrauit solemne conuiuiũ, in quo vnusquisque bibebat secundum voluntatem suam, nec aliquis compellebatur ad bibendum. Vasthi autẽ Regina celebrauit conuiuium fœminarum, quæ vocata à Rege noluit venire, & idcirco illam abiecit, & Hester assumpsit in vxorẽ. Assuerus interpretatur beatitudo vel ostium, & signat Christum, qui est beatitudo sanctorum, & qui de se ait: Ego sum ostium. Qui hic celebrat conuiuium spiritualis refectionis in Ecclesia triumphante. Nullus autem ad bibendum compellitur. Coacta enim seruitia Domino non placent. Repulsa autem Vasthi, quæ conuiuium celebrauit cum fœminibus, id est, cum vitiis carnalibus, Hester quæ absconditur in Reginam sublimatur. Illa enim sponsa cœlestis Regis meretur fieri, quæ absconditur à gloria mundi, & ab aura fauoris humani. *De conuiuio Assueri.*

De aliis autem adolescentulis dicitur: Cum venisset tempus puellarum, vt intrarent ad Regem expletis omnibus quæ pertinebant ad cultum muliebrem, ita vt sex mensibus vngerentur oleo myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vterentur, quæ intrauerant vespere, egrediebãtur mane. Puellæ sunt animę quæ vnguntur oleo myrrhino, quod temperatum est & amarum, per quod signatur temperantia & amaritudo pœnitentiæ. Vtuntur autem aromatibus & pigmentis, dum vitam suam condire satagunt suauitate virtutum. Quæ ad Regis cubiculum intrant vespere, cùm, scilicet, dies mundanæ prosperitatis conuertitur eis in mœrorem per contẽptum mundi & contritionem. Iuxta illud: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Mane egrediuntur, dum claritas mundanæ prosperitatis illucescit eis, & ad illam mentis oculos conuertunt. Ex hoc ergo patet, quanta sit virtus pœnitentiæ & contritionis. Vnde postmodum dicitur: Si de genere Iudæorum est Mardochæus iste, ante quem cadere cœpisti, non poteris subsistere ante eum. Mardochæus myrrha munda, Aman iniquitas interpretatur, hic est diabolus. Mardochæus autem est amaritudo contritionis. Qui si est de genere confitentium, vt, scilicet, contritioni confessio adiungatur, non potest subsistere diabolus, qui ante faciem contritionis incipit cadere, sed adiuncta confessione, oportet eum penitus corruere. Nunc autẽ qualiter Hester pro populo suo constanter stetit, & ipsum à morte liberauit, videamus. Præmissa oratione & ieiunio triduano Hester preciosis vestibus exornata in conspectu regis apparuit, assumptis duabus ancillis, super vnam quidem innitebatur, alia sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. Rex autem residebat super solium regni sui indutus vestibus Regiis auroque fulgens & lapidibus preciosis, eratque terribilis aspectu. Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis feruorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lapsum super ancillam reclinauit caput. Cumque vidisset Reginam, placuit oculis eius, & extendit auream virgam, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ, & ait: Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum, præ timore glóriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Et petiit à Rege, vt ipse prandêret cum ipsa. Et postmodum supplicat, vt accepta vindicta de Aman, liberaret populum suum, & quidquid postulauit, obtinuit. Rex Assuerus terribilis, sedens in throno maiestatis suæ, tenens sceptrum iudiciariæ potestatis, est Christus in habitu regnantis & iudicantis. In iudicio enim quasi oculis ardentibus furorem pectoris sui ostendet, & terribilis apparebit reprobis. Fidelis autem anima quantumcunque ieiunauerit & orauerit, quantumcunque decora & ornata sit, respiciens qualiter Christus venturus est ad iudicium, caput mentis humiliare debet, & per humilitatem & contemptum sui corruere, nullam habens de meritis suis confidentiam. Sic enim placere meretur æterno Regi, & sceptrum clementiæ suæ ostendet illi. Vnde Psalmista: In deficiendo ex me, spiritum meum tu cognouisti, id est, approbasti semitas meas. Vna autem famularum est conscientia interioris innocẽtiæ, qua sustinet caput, id est, mẽtem ne deuiet. Altera est spes æternæ retributionis, qua sustinet indumenta bonæ conuersationis, ne puluere polluantur, id est, ne fiant opera bona pro terrenis, & ne aliqua nota turpitudinis coram iudice, valeat illa depranare. Quod autem ait: Vidi te quasi Angelum Dei, & cætera quæ supra dicta sunt, talis debet esse fidelis anima Christi sponsa, vt videns & attendens sponsi sui pulchritudinem, & glorię multitudinem, conturbari debeat per timorem, & quasi exinaniri per cathis mortificationem. Ex hoc enim placet regi summo. Vnde ait: Accede & tange sceptrum, id est, accipe regnũ. Vel per sceptrum seu per virgã Assueri intelligi potest ille, de quo scriptum est: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. Hic est Christus rectus & inflexibilis, *De adolescentulis & earũ vnctione, atque ornatu.* *De virtute confessionis.* *De ornatu Hester.* *De habitu regis Assueri.* *Psal. 44.*

xibelis, sed tamen virtuosus & fortis. Hæc est virga Regis Assueri, id est, beati patris, ad cuius faciem nullus intrasset, nisi patet hanc virgam nobis inclinasset. Huius virgæ summitatem osculata est Hester, & quidquid postulauit, obtinuit. Summitas virgæ consummatio est passionis. Quisquis autem vsque in finem Christi passionem imitatur, dum in tribulationibus non deficit, quidquid desiderat, accipit: & Christo cum anima ipsius cœnante Adam plexus regios tandem à sponso recipitur, & æterna iocunditate perfruitur. Ecce quantus & quàm iocundus fructus ex tollerantia tribulationum procreatur, dum in tribulationibus non deficimus, sed in Christi amore radicati firmiter stamus. Vnde Apostolus in hodierna Epistola subiungit: In charitate radicati & fundati, vt possitis cõprehendere cũ omnibus sanctis, quæ sit latitudo, lõgitudo, sublimitas & profundũ. Quasi diceret: Flecto genua ad Deum, vt det vobis perfectè intelligere, sicut omnes sancti quatuor dimensiones spiritualis cõuersationis, seu quatuor partes crucis Christi. Plantati autem & radicati, dicũtur ad similitudinẽ arboris, quæ quantò plus terrę figitur, tantò plus humoris trahit & crescit, & vberiorẽ fructum reddit. Et nos in fide & humilitate radicari & plantari debemus tanquam in bona terra Ecclesię, vt fructum faciamus. Fundati etiam dicuntur ad similitudinem domus, quę supra firmam petram fundata firmiter & immobiliter subsistat. Comprehẽdere igitur & diligẽter attendere debemus, quę sit, id est, quanta esse debeat latitudo charitatis, quæ debet vsq; ad inimicos extendi, & cum hilaritate bona operari. Opus enim est latitudine charitatis, ne perdas ex tristitia quidquid boni facis. Et quæ sit lõgitudo charitatis, id est, perseuerãdi lõganimitas, ne abundãte iniquitate refrigescat. Et quę sit sublimitas charitatis, qua, scilicet, sursum cor dirigitur, vt Deus in præmium expectetur. Et quod sit profundũ charitatis, id est, occultũ Dei iudiciũ, quare, scilicet, isti dat charitatẽ, & nõ illi. Hoc enim profundũ est voluntas Dei, cuius causa nõ inuestigatur, cuius secreti profunditatẽ quodammodo expaueſcens Apostolus clamat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scięrię Dei, quã incõprehensibilia sunt iudicia eius. Vel profundũ charitatis est fides & Ecclesiastica sacramenta, quæ profunda sunt & inuestigabilia, & sunt fundamentum charitatis, sine quibus esse non potest. Latitudo etiam bene operandi notatur in cruce per illam partẽ, in qua extenditur manus. Longitudo per illam partem, quæ ab illo transuerso ad terram tendit. Ibi enim figitur corpus, & quodammodo stat, & ipsa statio perseuerantiam signat. Vnde Zacharias: Leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius quasi funiculus mensorum. Et dixi. Quò tu vadis? Et dixit ad me, vt metiar Hierusalem, & videam quanta sit latitudo, & quanta sit latitudo eius. Christus enim omnia opera nostra metitur, longitudinẽ perseuerãtię nostrę, & lõgitudinẽ charitatis. Altitudo autem per illã partẽ quæ ab eodem transuerso sursum vsque ad caput eminet, per quod significatur superiorũ expectatio, spes, scilicet, æternorũ. Quid enim nobis negabit, qui propriũ filiũ pro nobis morti tradidit. Vnde Isa. Noli timere, quia redemi te. Et Apostolus ad Rom. Cõmendat Deus suã charitatem in nobis, quia cũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Profundũ verò designatur per illã partẽ ligni quę fixa est terrę & nõ apparet, per quã signatur profunditas gratiæ, in qua multorũ ingenia cõteruntur, id inuestigare conãtia profundũ crucis, totũ portat & sustiner. Gratuita enim misericordia, quę de occulto Dei iudicio prouenit, charitatẽ in nobis latã, longã & altã facit. Ex occulta enim Dei voluntate vocatur homo ad participationẽ tãtæ gratię, alius sic, alius autẽ sic. Sicut autẽ quatuor sunt crucis dimẽsiones, ita & quatuor ligna: palma, cypressus, oliua, cedrus. In cruce summa est victoria, ecce palma. Sũma medicina, ecce cypressus. Sũma misericordia, ecce oliua. Sũma potentia, ecce cedrus. Altitudo præterea attẽditur ad effectũ in cœlestibus. Profundũ, quia captiuos ab inferno liberauit. Longitudo, quia eius effectus à principio mũdi vsq; ad finẽ extẽditur. Latitudo, quia in omnes gẽtes ad dextrã & ad siniſtrã salutem operatur. Intelligẽtes igitur crucis mysteriũ, crucifigamur cũ Christo, extendentes manus in latitudinẽ bonorũ operũ, & lõgitudine lõganimitatis & perseuerãtię, & in altitudine, vt ad ęternũ pręmiũ opera nostra referamus. Et in profundo nõ nobis, sed diuinæ gratiæ cũcta tribuẽtes, cuius profunda iudicia omnẽ scrutatorẽ fatigãt. In ipso autẽ creatore, quę sit latitudo, lõgitudo, sublimitas & profundũ diligẽter debemus attẽdere. Ipse enim superior est regẽdo, inferior portãdo, interior replẽdo, exterior circũdando. Sic est intus vt extra sit, sic circũdat, vt penitret, sic pręsidet vt portet, sic portat, vt pręsideat. Latus immẽsitate, quia extra omnia nõ incluſus: lõgus æternitate, quia carẽs principio & fine. Ipse tamẽ principiũ & finis. Sequitur: Scire etiã supereminentẽ scięti charitatẽ Christi, vt impleamini in omnẽ plenitudinẽ Dei, id est, ore, vt possitis scire ad imitandũ charitatem Christi, qua nos dilexit, quæ nostrã superat & supereminet scientię humanę, quia plenè sciri nõ potest, quãta nos charitate dilexit. Vel ita scire charitatẽ scientię Christi, id est, quę habetur cum scientia Christi esse supereminentẽ alij charitati. Charitas enim habetur cũ scientia Christi, quia quantò magis intelligitur, tantò plus diligitur. Ideò autẽ oro vos ista, vt per hanc sciẽtiam impleamini bono eũndo in omnem plenitudinem Dei, vt, scilicet, perfectè sitis pleni Domino. Supereminentia igitur inæstimabilis charitatis, in ipso fuit, dum pro seruis mortem sustinuit, & pro hæreditate nostra contra diabolũ pugnauit, qui adeo superbus est, quòd licet multas attenderet scripturas de humili aduentu saluatoris, cùm sit superbus, alios reputat superbos, non potuit credere, quòd ita se deberet humiliare, & idcirco ipsum inuasit. Cùm igitur tantum nos dilexerit, & tanta pro nobis fecerit, concludit Apostolus in gratiarũ actione, dicẽs:

*De plantatione & radicatione sanctorum, & quatuor dimensionibus charitatis & crucis.*

*Zach. 2.*

*Isa. 42.*

*De quatuor lignis crucis.*

*De spirituali crucifixione.*

*Expositio literæ, & de præeminentia charitatis Christi.*

Ei autem

Ei autem qui potens est, omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, id est, plus quam petere sciamus aut præsumamus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, sicut, scilicet, iam fecit in nobis, in quibus bona operatur. Superabundanter quam petimus aut intelligimus. Nemo enim sufficit plenè intelligere, vel auderet petere quod Deus fieret homo, vel pro hominibus moreretur. Ipsi inquam sit gloria in Ecclesia & in Christo Iesu, id est, pro his quæ fecit in Ecclesia per Iesum Christum, non solùm in præsenti, sed in omnes generationes futuras in secula seculorum, Amen.

16 Pentec

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Lucam.

*Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.*

VADE & accipe lagunculam figuli testeam, & de senioribus populi, & de senioribus sacerdotum, & egredere ad vallem filiorum Ennon, quæ est iuxta introitum portæ fictilis: & prędicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te. Lagunculam testeam, id est, humanæ conditionis fragilitatem debet prædicator accipere, id est, ante oculos eorum, quibus prædicat ponere, mortem etiam seniorum, id est, maiorum huius seculi, & sacerdotum seu Prælatorum debet aliis ad memoriam reuocare. Teste enim Ecclesiastico: Omnis potentatus breuis est vita, vel de senioribus populi accipimus, dum exempla sanctorum patrum ante oculos mẽtis proponimus. Vnde Zach. Et erit quod super frænum est sanctũ Domino. Equus est peccator ruens in præceps vitiorum. Frænum quod in ore huius equi poni debet, est verbum exhortationis. Istud autem frænum deargentari debet & deaurari. Per argentum supra frænum, dicta sanctorum patrum, per aurum exempla ipsorum. Hæc debent poni supra frænum præceptorum, quorum duritia emollitur, per dicta & exempla antiquorum patrum, quod est ligare veteres pannos funibus, vt Ieremias de lacu extrahatur, egrediatur insuper doctor animarum, ad vallem filiorum Ennon. Vallis humilitatis deiectionem, & miseriam designat. Ennon autem fons tristitiæ interpretatur, per quam mortalitatem nostram intelligimus. Propter hanc igitur ad vallẽ filiorũ Ennon iubetur egredi: quia prædicator exercendo se in bonis operibus, per humilitatem debet descendere ad hoc, vt de miseria humanæ conditionis, & de tristitia humanæ mortalitatis auditorum ædificationem loquatur. Descendere etiam debet per compassionem, sicut Ieremias ait: Cor meum ad Moab, quasi tibia ægris resonabit. Non solùm enim prædicator debet habere tibiam prædicationis in ore, sed in corde peccatoribus compatiendo. Prædicta autem vallis est iuxta introitum portæ fictilis. Hæc porta est introitus in hanc mortalem vitam. Iuxta quam portam est fons tristitiæ, quia quàm citò puer egreditur de vtero matris, & ingreditur in hanc miseram vitam, vagitu flebili propheta est miseriæ suæ. In prædicto igitur loco audire debetis verbum Dei, & nos circa talia præcipuè debemus immorari, & miseriam conditionis nostræ, vobis ad memoriam reuocare, vt ad verbum Dei hodie humilientur corda vestra, dum vestram attenditis miseriam, & mortalitatis vestræ tristitiam. Ibat Iesus in ciuitatem, &c. Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum ascendit fœtor. Hæc sunt verba Isaiæ ostendentis, quod anima in peccatis mortua à facie Dei proiicitur, & fœtore mali exempli corrumpit alios. Vnde & cadaueri comparatur, quia vilis est & fœtida, & vermibus prauorũ desideriorum infecta. Propterea Psalmista ait: Mors peccatorum pessima. Quod intelligitur tam de morte culpæ, quàm de morte pœnæ æternæ. Vnde Iudas in Epistola Canonica ait: Arbores autumnales bis mortuæ, id est, mortuæ, morte culpæ in præsenti, & morte pœnæ in futuro. Autumnales dicuntur, quia arbor in autumno insita non conualescit, vt fructum ferat, vel si fructum facit, adulterinus est & inutilis. Tales sunt, homines reprobi. Si quid enim faciunt quod bonum videatur, nõ bona intentione faciunt. Et Ieremias ait: Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu. Plangite eum qui egreditur, quia non reuertetur vltra, nec videbit terram natiuitatis suæ. Magis enim dolendum est, & lugendum, de his qui per peccata egrediuntur, quàm de his qui corporaliter moriũtur. Vnde Ecclesiasticus: Luctus mortui septem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ eorum. Et iterum: Super mortuum plora, quia defecit lux eius. Super fatuum plora, quia deficit sensus eius. De hac igitur morte spirituali, id est, de morte animæ per peccatum mortale intelligitur spiritualiter quod Deus operatus est corporaliter. Exterior enim mortui suscitatio interiorem suscitationem designat. Est enim multiplex mors, & multiplex mortuorum suscitatio. Est mors naturæ, mors culpæ, mors gehennę, mors gratiæ. Mors naturæ duplex, vna quando anima recedit à corpore. De qua Salomon ait: Æquè moritur doctus & indoctus. Et in Ecclesiastico dicitur: O mors quàm amara est memoria tua homini iniusto. Sicut enim fur inuitus exit à carcere, sciens quod suspendetur, ita impij nolunt mori, sed magis in carcere corporis morari, quia expectant in patibulo gehennæ suspendi. De hac morte dicit Augustinus: Incertum est, quo loco te mors expectet, expecta eã in omni loco. Et iterum ait: Latet vltimus dies, vt obseruẽtur omnes. Et quidam ait:

*Prædicator debet ostendere auditoribus humanæ conditionis fragilitatem & sanctorum exempla.*

*De morte peccatorum, & mortuis in peccatis.*

*De multiplici morte & mortuorum suscitatione.*

*Mors naturæ duplex.*

*O felix mortale genus, si semper haberet*
*Æternum præ mente bonum, mortemq; timeret.*

*Versus.*

Semper et pulcher ubique memoratur.

Semper enim ante oculos habere debemus, quia nescimus diem neq; horam, neque qua morte mori debeamus. Quidam enim moriũtur in Ægypto, id est, in mortali peccato, quidam in deserto, qui peccauerunt & pœnitentiam inchoauerunt, quidam in terra promissionis, qui nunquam peccauerunt mortaliter, vel ante mortem totam pœnitentiam compleuerunt. Primi cantant væ. Secundi lamentationes. Tertij carmen. Primi moriuntur in medio maris. Secundi, iuxta littus. Tertij, extra mare. Primi dies suos non dimidiant. Secundi dimidiant. Tertij complent. Alia mors dicitur pœnalitas nostræ miseriæ. Præsens enim vita est, quasi mors prolixa. Vnde dictum est Adæ: Quacunque die comederis, morte morieris. Cœpit igitur mori statim ex quo comedit. Vnde Seneca: Quem dabis mihi, qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospiciamus, cum magna pars eius iam præteriit, quidquid retrò est, mors tenet. Et Apostolus ait: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et Augustinus ait: Nónne casus nostros in hac carne portamus? Nónne fragiliores sumus, quàm si vitrij essemus. Vitrum enim & si fragile est, tamen seruatum diu durat. Homini autem, & si casus repentini non accederent, diu tamen viuere non valeret. Mors culpæ est mors animæ, qua separatur anima à Deo per peccatum mortale, & amittit vitam gratiæ, sicut scriptum est: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Sicut autem fit in morte corporali, ita fit in morte spirituali. Prius anima dissipatur per tentationem, postmodum infirmatur per delectationem. Tertiò, moritur per consensum & malam voluntatem. Quartò effertur per malam operationem. Quintò sepelitur per peccati excusationem. Sextò ponitur lapis super eam per obstinationem. Septimò putrescit per malam consuetudinem. Sicut autem lupi & canes cadauera sequuntur, ita lupi infernales ad animã peccato mortuã velut ad cadauera cõgregantur. Vnde Dominus per Ezechielem: Bestiis terræ & volatilibus dedi te ad deuorandum. Bestiis, dum peccat per luxuriam vel per crudelitatem. Vnde Psalmista: Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Volatilibus dantur dum peccant per superbiam. Alia mors dicitur gehennæ seu pœnæ ęternæ. Hæc est immortalis & indeficiens. De qua scriptum est: Fęx eius non est exinanita, quia fæx pœnæ æternæ non poterit consummari. Et in Euangelio dicitur. Facta est ruina magna. Ruina est magna cùm moritur anima per peccatum, maior cùm descendit in infernum, maxima quãdo damnabitur in corpore & anima. Et Psalmista ait: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Terra morientium hic mundus. Terra mortuorum infernus. Terra viuentium paradisus. De morte gehennæ dicit Psalmista: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Reprobi enim sequuntur reprobos ad infernum, sicut vna ouis aliam in domum. Depasci autem dicuntur ad similitudinem herbæ, quæ dum pascitur, iterum pullulat, & remanet aliquid ad pascendum. Ita mali semper moriendo puniuntur, & nunquam ex toto moriuntur.

*De morte peculiatis.*

*De morte culpæ.*

*De morte gehennæ.*

*Sic inconsumptum Tityi, semperq; renascens,*
*Non perit ut possit, semine perire tecur.* Mors pœnæ respondet morti culpæ. Vnde quidã ait:
*Mersa iacet fœtente luto torquetur & ardet:*
*Pubetenus totis exhausta libido medullis.*
*Nauseat ebrietas, gula delitiosa ligurrit.*
*Sic se conformat, meritis cuiusque gehenna.*

*De multiplici morte gratiæ.*

Alia mors dicitur gratiæ. De qua in Ecclesiastico dicitur: Laudaui magis mortuos quàm viuos. Hæc est mors bona, quæ simul est cum vita bona. Sicut scriptum est: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et Hieronymus ait: Nunquam bene moritur, qui ante mortuus nõ est. Et Apostolus ait: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. Est autem multiplex mors gratiæ. Quidam enim moriuntur mundo, renuntiantes mundanæ vanitati, & omnibus possessionibus mundanis. Vnde Apostolus: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Quidam moriuntur voluptatibus mortificãtes carnem suam, & crucifigentes corpora sua cum vitiis & concupiscentiis. Quidam moriuntur propriæ voluntati, abnegantes semetipsos, & propriæ voluntati renuntiantes. Quidã etiam non solùm prædictis mortibus, sed insuper sensualitati, & quinq; sensibus moriuntur, & hæc mors propriè est contẽplatiuorum. De quibus dicitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et Dominus ait: Non videbit me homo & viuet. Nisi enim ab hac vita, quasi moriatur homo auersus, & alienatus à sensibus corporeis, ad hanc visionem non poterit peruenire. Quantò autem à carnalibus moritur, tantò ad spiritualia resurgit. In hoc enim contemplationis excessu mens diuinitus rapitur ab hac vita in angelicam vitam, & quasi mortua dicitur, dum ab hac sensibili vita fuerit alienata. Hæc est mors pretiosa in conspectu Dei. De qua scriptum est: Moriatur anima mea morte iustorum, bona mors quæ vitam non aufert, sed in melius trãsfert. Hinc Psalmista ait: Defecit in salutari tuo anima mea. Quò enim robustius æterna appetimus, eò à temporalibus salubri defectione lassamur. In salutari autem Dei proficiendo defecerat, quia ęternitatis lucem desiderans à carnis fiducia, fractus ad superna anhelabat. Vnde & subditur: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, ab hoc temporalitatis amore lassatur. Et tantò frigescit à studio seculi, quantò surgit ardentior in amorem Dei. Et eo temporalibus funditus moritur, quo ad supernam vitã altius afflatus animatur. Cùm enim cœperit animus per puram intelligentiam semetipsum excedere, & illam in corporeæ lucis claritatem totus in-

*De morte contemplationis.*

tus intrare in hoc mentis exceſſu, pax illa quæ nec turbatur, nec formidat, inuenitur & obtinetur, ita vt contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur nihil omnino inueniens, vel quod per deſiderium appetat, vel faſtidium arguat, vel per odium accuſet. Ad ſummam itaque pacem diſponitur, qui in hoc ſepulchro quietis ſepelitur, qui intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur. Pax iſta omnem ſenſum humanum abſorbet & exſuperat, & in diuinum quendam habitum, pudorem animę partem fœlici transfiguratione conuertit, iacente corpore ſine ſenſu & motu. In hoc autem quaſi dominico monumento, nihil ſenſualitas, nihil agit imaginatio, & omnino inferior vis animę proprio induitur officio, & facta diuiſione inferioris partis à ſuperiori, id eſt, animæ à ſpiritu feliciter moritur. Vnus enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingit vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus. In hac autem diuiſione anima & quod animale eſt, in imo remanet. Spiritus autem & quod ſpirituale, ad ſumma euolat. Hinc iſte ſpiritus efflatus, & in manus patris commendatus ab infimis diuiditur, & ad ſumma ſubleuatur, ab anima ſcinditur, vt Domino vniatur. Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Quod autem paſsibile & corruptibile dinoſcitur, ſuis paſsionibus moritur, vt nihil paſsibilitatis interim ſentiatur. Et illud quod ſpirituale eſt, & ſubtile vſque ad ſpeculationem diuinæ gloriæ ſublimatur, & in eandem imaginem transformatur. Pars igitur inferior componitur ad ſummam pacem & tranquillitatẽ, pars autẽ ſuperior ſublimatur ad gloriã & iocunditatem. Poſtquàm autẽ ad ſe reuerteretur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, quaſi faciem more Moyſi glorificatam reportat, & cornua fortitudinis de conſortio diuini eloquij aſſumit, vt ardẽter & fortiter operetur, & præparet ſe ad gloriam cuius ſtillam guſtauit. Ad illatam iniuriam hilareſcit, obiectam contumeliam non erubeſcit: & ita quaſi ſe impaſsibilem oſtendit, vt ſuis paſsionibus non videatur ſubiacere. Hæc eſt igitur beata & iocunda mors gratiæ. Hanc mortem ſancti habent in deſiderio, & vitam actiuam in patientia. Maria enim non poteſt diu eſſe ſine Martha, licèt Martha poſſet eſſe ſine Maria. De morte autem naturæ, & morte culpæ hodiernum Euangelium proſequitur. Ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocatur Naim. Ad interpretationem Naim ciuitas eſt Galileæ, in ſecundo miliario montis Thabor. Interpretatur enim Naim fluctus ſiue commotio, & ſignat mundum, qui amiſſa tranquillitate in fluctuationibus eſt & commotione. Vnde de ſecularibus & reprobis ait Iudas in Epiſtola Canonica. Hi ſunt fluctus feri maris deſpumantes confuſiones ſuas, ſidera errantia. Ipſi enim fluctuantes ſunt & inſtabiles, inquieti, tumidi, amari, tenebroſi, ſtabilitatem Eccleſiæ repugnantes, confuſione pleni: in ſpumas libidinis, iræ, ſuperbiæ & aliorum vitiorum ſe voluentes. Sidera autem errantia dicuntur, quia lucem veritatis promittunt, & nunquam in eodem ſtatu doctrinæ vel vitæ perdurant. Cùm igitur Chriſtus per incarnationem veniſſet in mundum, ſuſcitauit genus humanũ, quod in Adam fuerat mortuum. De morte ſiquidem ſuſcitatur, dum per memoriam ſentit, per obedientiam audit, per intelligentiam videt, per circumſpectionẽ olfacit, guſtat per dilectionem. De hac igitur humani generis ſuſcitatione dicitur in Ezechiele: Eduxit me ſpiritus Dei, & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus. Et ſubdit: Oſſa arida, ecce dabo ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis. Campus plenus oſſibus, eſt mundus iſte. Per oſſa enim arida, peccatores aridi abſque humore gratiæ deſignantur. Dat autem neruos Deus, dum fortitudinem reddit diſſolutis. Supercreſcere carnes facit, dum cor carnem tribuit. Superextendit cutem, dum tribuit pulchritudinem & honeſtam exterius conuerſationem. Dat ſpiritum, dum animat ad bonum: & ita oſſa prius arida pinguedine charitatis irrigantur, vt quomodo in prima conditione hominis inſuffiauit Deus in faciem eius, & factus eſt homo in animam viuentem: ſic in ſecunda conditione inſufflante ſpiritu viuificetur. Sequitur: Et ibant cum eo diſcipuli eius, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis: ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ: & hæc, vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Diuino nutu multa turba viduã comitabatur, vt plures fierent teſtes tãtæ virtutis, & multi Deum laudarent. Coram multis in porta ſuſcitatur, vt vnde vnus ſuſcitatur in corpore, inde multi ſuſcitentur in anima. Porta autem ciuitatis aliquis eſt de ſenſibus corporeis. Qui enim ſeminant inter fratres diſcordias, qui iniquitatem in excelſo loquuntur, per portam oris mortui extrahuntur. Qui videt mulierem ad concupiſcendam eam, per portam oculorum ſuæ mortis profert iudicia. Per portam igitur effertur mortuus, dum mors intrat per feneſtras noſtras. Sint igitur portæ ciuitatis noſtræ, portæ iuſtitię, vt ingreſſi in eas, cõfiteamur nomini Dei, ne fœtor elati cadaueris occurrat Domino inuiſenti, ſed occupet ſalus muros noſtros, & portas laudatio. Tres autem mortuos legitur ſuſcitaſſe Dominus, puellam mortuam in domo, filium viduæ in porta ciuitatis, Lazarum quatriduanum & fœtidum in monumento. Primi mortui ſunt voluntate, qui abeunt in cõſilio impiorum, malis conſentiendo. Secundi in locutione vel opere, qui in via peccatorum ſteterunt. Tertij in conſuetudine, qui in cathedra peſtilentiæ ſederunt. Mortuus eſt in domo ſiue in conclaui, qui malam voluntatem habet in corde: non eſt enim pax Dei, niſi hominibus bonæ voluntatis. Peruerſæ ſiquidem cogitationes ſeparant à Domino. Cùm igitur nequitiam conceptam ſine demonſtratione operis in domo mentis ſeruamus, mortui in conclaui ſumus. Extra portam autem, & in agro mortui ſunt, qui culpam conceptam per conſenſum interius monſtrãt per propalationem operum

*De ciuitate Naim.*

*De ſpirituali ſuſcitatione mortui.*

*De mortuis in porta.*

*De tribus mortuis à Chriſto ſuſcitatis.*

operum exterius. In monumẽto autẽ sunt mortui, qui mala cõsuetudine fœdati & fœtidi alios per infamiã & malũ exemplum corrũpunt. Resuscitatio verò taliũ, iustificatio est peccatorum.

*Quanto minus quis peccauerit, facilius suscitatur.*

Quantò minus quisq; mortificatus est per culpã, tãtò facilius resuscitatur per gratiã. Vnde cum paucis retentis solo verbo puellã mortuã in domo vocauit & eam suscitauit. Puellæ enim dixit tantũ surge. In aliis duobus, quos curauit, maiorẽ moram fecit. Vnde suscitato in porta dixit. Iuuenis tibi dico, surge. In suscitatione autẽ Lazari infremuisse dicitur & fleuisse, & voce magna clamasse, & tamẽ tam facilis fuit ei suscitatio Lazari sicut puellæ. Sed Dei facta aliorũ sunt exempla. Puella autẽ in domo cum paucis arbitriis surgit, & eis vt nemini manifestent, præcipitur. Iuuenis extra portã multa turba comitãte. Lazarus quoq; corã multis, quia publica noxa publico eget remedio, leuis & occulta leuiori, & secreta potest deleri pœnitentia. In suscitatione puellæ iussit Dominus turbas exire, paucisq; retẽtis eã suscitauit. In fidelibus siquidẽ nõ sunt reuelanda diuina mysteria, nec irrisoribus diuina miracula. Turba verò eiicitur, vt puella suscitetur. Quia nisi seculariũ curarũ strepitus & multitudo à corde eiiciatur, anima mortua nõ suscitatur. Dũ enim sese per innumeras cogitationes spargit, ad cõsiderationẽ sui nullatenus se colligit. Vnde Psal. Quis dabit mihi pẽnas, sicut colũbę, & volabo, & requiescã? Pauci hodie has pẽnas assumũt, sed magis pẽnas vpupæ, vt nidificẽt in stercoribus luxuriæ: & alas milui, vt rapiãt cadauera temporalis abundantiæ. Vt igitur puella in domo suscitetur, eiiciatur turba terrenorum desideriorum & carnalium affectionum, & insuper turba dæmonum. De quibus Iob ait: Habitent in tabernaculo illius socij eius qui nõ est, id est, dæmones, qui sunt socij Luciferi, quia verò esse recesit. In suscitatione autem Lazari maiorem difficultatem ostendit Dominus. Turbauit quidem se, fremuit spiritu & fleuit, significans, quantum homo turbari debeat, pressus mole peccati, & fremere, sese de peccatis increpando: atque lugere, vt Deum ad misericordiam prouocet pœnitendo. Multi autem hodie deflent corporaliter mortuos, sed pauci lugent spiritualiter interfectos. Si igitur lachrymatus est Iesus in suscitatione Lazari, quomodo tu siccis oculis putas suscitari? Multipliciter autem Lazarus impeditus erat ne surgeret. Institis manus & pedes ligatus erat, sudario inuolutus, lapide opertus, fœtens & quatriduanus. Vincula sunt amor temporalium, quibus manus ligantur, ne ad pauperes extendantur, & pedes affectuum ne compatiantur defectibus proximorum. Sudarium est amor carnalium, qui cœlestia contemplari non sinit. Lapis est consuetudo mentis induratæ. Vnde Ieremias: Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me. Et in Ecclesiastico dicitur: Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Ad flatum enim maligni spiritus mentes fluidæ indurantur in malitia sua. Mortuus etiam sub lapide erat homo reus sub lege. Fœtor autem ad peccati euidentiam, & mali exempli corruptionem refertur. Quatriduanus autem dicitur peccator, vt sit primus dies delectationis illicitæ. Secundus consensus ex praua voluntate. Tertius indebitæ operationis. Quartus prauæ consuetudinis. De quo Seneca: Nos multa alligant, multa debilitant, diu in istis vitiis iacuimus. Non enim inquinati sumus, sed infecti. Generaliter autem Lazarus, quem Dominus quatriduanum suscitauit, humanum genus significat, seu mundũ istum, quem gratissima peccati consuetudo corruperat. Qui tamen quarto die mortis eius suscitatus est à Domino, vt sit prima dies quatriduani peccatum originale, seu propago mortalitatis ex Adam contracta. Secunda, transgressio legis naturalis. Tertia præuaricatio datæ legis. Quarta contemptus Euangelicæ prædicationis. De hac autem humani generis suscitatione ait Abacuc: Domine opus tuum, id est, genus humanum in medio annorum viuifica illud. Est enim annus culpæ, de quo dicitur: Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Est annus gloriæ, de quo Dominus per Isa. ait: Annus retributionis meæ venit. In medio autẽ annorum horũ est annus gratiæ, de quo Psal. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Nunc autem qualiter mortuum in porta suscitauit Dominus, videamus.

*De vidua plorante & filii eius suscitatione.*

Cùm vidisset Dominus viduam flentem, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere. Et accessit & tetigit loculum. Misericordia motus secundum quod homo. In quo exẽplum imitandæ compassionis ostẽdit. Suscitauit autem in eo quod Deus. Hæc autẽ vidua Ecclesiam signat, quæ sponsi sui morte redempta ab eo peregrinatur tempore incolatus sui. De hac vidua Psalmista ait: Viduam eius benedicens benedicã. Hæc igitur filiorum suorum mortem quotidie flere non cessat. De qua in Euan. dicitur, quod quotidie interpellabat. Ecclesia enim instantissimè in oratione perseuerat, implẽdo hydrias aqua vsq; ad summũ. Si enim hydria cordis plena fuerit lachrymis contritionis, non potest diabolus infundere venenum prauæ suggestionis. Lachryma enim nuntius est, attrahens Deum ad iuuandũm contra diabolum, & ad suscitandum mortuum. Est autem multiplex loculus quem tangit Dominus, vt suscitetur mortuus. Est loculus corporis, in quo mortua iacet anima peccatoris. Portatores autem huius loculi sunt carnalia desideria & praui mores, qui ipsum corpus ad mortem trahunt, sed Iesus loculum tangit, cùm fragilem naturam per gratiam confortat & erigit. Est loculus seu feretrum malæ conuersationis, in quo iacens mortuus à prauis desideriis, & dæmonibus ad cœmiterium gehennæ portatur, in quo & sepelitur, sicut scriptum est: Et sepultus est in inferno. Multi ad hoc cœmiterium cum magna pompa quotidie deferuntur. Hunc loculum Dominus tangit, cum à mala conuersatione peccatorem retrahit, & ad pœnitentiam, & ad bonam vitam conuertit. Est loculus redemptionis, scilicet, lignum crucis, ad quem Iesus accessit & tetigit, dum

*De suscitatione quatriduani & difficultate atque impedimentis suscitandi.*

*Iob. 18.*

*Eccle. 43.*

*De multiplici loculo.*

dum in cruce positus mortuum suscitauit. Antequam illam tangeret erat loculus perditionis, post tactum eius factus est loculus redemptionis. Siquidem ante passionem eius inde mors oriebatur, post passionem verò, inde vita resurrexit. In ligno autem vetito mortuus est homo, & ideò Christus tetigit loculum, vt suscitaret mortuum. Est insuper loculus malæ conscientiæ peccatoris. Hunc loculum Dominus tangit, quãdo cor durum peccatoris per diuinam gratiam ad pœnitentiam emollit. Cùm enim peccator cõtemnit, quasi sepultus iacet & mortuus. Quando pœnitet, surgit: quando verò confitetur, prodit, sed adhuc ligatus est, donec sacerdos eum absoluerit. Sicut scriptum est de Lazaro: Soluite eum, & sinite abire. Portitores autem huius loculi sunt quatuor affectiones animi, id est, gaudium, dolor, spes, & timor. Tangitur autem loculus, quando conscientiam inspirat Deus. Istant autem portitores, quãdo conscientiam nec inepta lætitia attollit, nec ineptus dolor deiicit, nec timore deprimitur, nec spe seu concupiscentia stimulatur. Est præterea quintus loculus, de quo legitur, quod Ioseph conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto. Hic est loculus humilitatis, in qua reponi & abscondi debemus, quia verè humilis non quærit apparere vel videri, sed cum aromatibus virtutum abscondi. Sequitur: Hi autem qui portabant, steterunt. Et dixit Iesus: Adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Sicut autem multiplex est mors, & diuersa sunt mortuorum genera, ita multi & multiplices sunt mortuorũ portitores. Loculus autem, vt dictum est secundum vnum intellectum est hominis conscientia. Portitores carnalia desideria, vel adulatorum blandimenta, vel prælatorum mercenariorum verba vnguentia non pungitiua, sed Domino tangente conscientiam peccatoris metu futuri iudicij, turba carnalium voluptatum coërcetur, & mens ad se reuersa, Domino vocanti ad vitam occurrit, & respondet obediendo saluatori. Qui residet interna compunctione reuiuiscens, & loquitur peccatum confitens, & sociatur matri, id est, cõmunioni fidelium iudicio sacerdotali. Quatuor etiam portitores humani generis in Adã mortui, quod dicitur adolescẽs, quia robustum erat in peccatis, erãt amor, timor, gaudiũ, & mœror. Pro hoc mortuo mater synagoga in persona patrum antiquorũ lugebat & rogabat, vt visitaret eũ Dominus amore bono in acquirẽdis rebus spiritualibus, timore in custodiẽdis, gaudio in adquisitis, mœrore in amissis. Hi autẽ qui portabant, immundi spiritus erant, qui non solùm per pręuaricationem primi hominis, sed insuper per multa mala opera genus humanum ad mortis supplicium pertrahebãt. Dicitur autem quod accepit omnis timor. Portitores etiam timuerunt, videntes genus humanum eripi de potestate eorum. Vnde aliquando clamasse leguntur. Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti ante tempus perdere nos. Alios etiam videntes accepit timor, quia quãtò desperatior mors animæ ad vitam reuocatur, tantò plenius eodem exemplo corriguntur, & pietas Dei maior intelligitur. Hi autem qui portabant, steterunt. Hi qui mortuum ad sepeliendum portabant vitia, & peccata significant, quæ dum in opere peccatoris vicissim sibi succedunt, quasi mortuũ ad sepeliendum deserunt. Sed Domino tangente loculum, hi qui portabant, steterunt: quia cum cor peccatoris ad pœnitentiam conuersum fuerit, consuetudo peccatorum cessat. Hi qui portabant, steterunt. Hi qui portant linguæ sunt adulantium, quibus peccator vanis fauoribus & blandimentis demulcetur. Postquàm autem peccator spiritus sancti gratia fuerit illuminatus, adulantium incipit fugere blandimẽta. Hi qui portabant, steterunt. Quatuor portitores adolescentis defuncti sunt gula, luxuria, otium, mollities vestium. Vnde Isaias: Mulieres dominatæ sunt ei, id est, affectus blandi & molles. Hi autem portitores stant, dum sicut exhibuit homo membra sua seruire lasciuiæ & immunditię, ita conuersus ad Dominum incipit seruire iustitię in sanctificationem, & vitæ asperitatẽ. Hi autẽ qui portabant, steterunt. Portitores mortui sunt illi quatuor, de quibus Ezech. ait: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otiũ ipsius, & filiarũ eius: & manũ egeno & pauperi nõ porrigebant. Vnus igitur portitor est superbia, alius saturitas panis & abundantia, ecce luxuria. Tertius otium eius, ecce ignauia. Quartus manum pauperi non porrigebat: ecce auaritia. Hi autem qui portabant, steterunt. Loculus est peccandi securitas. Portitores autem sunt quatuor, qui faciunt hominem in peccatis remanere securum, scilicet, fiducia diu viuendi, leuigatio peccati, maioris culpæ consideratio, veniæ promissio. Adolescens tibi dico: surge. Suscitat imperando, in quo ostendit potentiam diuinitatis. Petrus autem in suscitatione mortui ait: In nomine Iesu tibi dico: surge. Et iterum: Aenea sanet te Dominus Iesus. Et resedit qui erat mortuus: Ecce obediẽtia, sine qua nemo à morte animæ suscitatur. Est autem triplex obedientia. Prima exhibetur maiori, quæ est necessitatis. Secunda pauperi, quæ est benignitatis. Tertia minori, quæ est perfectæ humilitatis. Sequitur: Et cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Incipit loqui, dum & sua mala accusare, & Deum laudare discit. Redditur matri suæ, dum per sacerdotale ministerium reconciliatur Ecclesiæ. Patet igitur ex præmissis, qualiter tres mortuos suscitauit Dominus. Quartum autem non legitur suscitasse: quia nec ipse, nec alius pro ipso inuenitur orasse. Qui enim peccant in spiritum sanctum per desperationem, nec in hoc seculo, nec in alio consequentur remissionem. Vnde & Dominus respondit: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Teste autem Gregorio: Mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorem aggere adulationis premit. Mortui mortuos sepeliunt, dum peccatores quique alios sui similes nociuo fauore demulcent congestaque pessimæ adulationis mole opprimunt. Adulatores igitur, qui alios in peccatis fouent,

*Ezech. 16.*

*De multiplici obedientia.*

*Quartum mortuum Dominus non suscitauit.*

Paral.16. uent,vicarij sunt diaboli,qui perochianos eius sepeliunt. Vnde de Asa in Paralipomēnon dicitur: Posuerunt Aza mortuum super lectum suū plenū aromatibus,& vnguentis meretriciis. Odoribus enim sophisticis, vanæ laudis non permittunt adulatores, vt hi quibus adulantur, fœtorem sentiant peccatorum suorum, sed retinent fœtentes & iacentes in sepulchris concupiscētiæ. Peccatorem igitur in peccatis mortuum sepelit adulator, detractor verò de sepulchro extrahit & detegit, atq; fœtorē eius ad alios trāsmittit. Cùm igitur tres mortuos Dominus suscitauerit: nos tripliciter à morte cordis, oris, & operis resurgere debemus. Corde contrito, ore confitendo, opere satisfaciendo. De hac triplici suscitatione dicit Isaias: Eleuare eleuare, consurge Hierusalem. Eleuatur mortuus in conclaui, id est, in corde. Eleuatur mortuus in porta, id est, in ore seu locutione. Consurgit mortuus à sepulchro, id est, à mala operatione. Eleuare igitur per contritionem, eleuare per confessionem, consurge per satisfactionem. Consurge de sepulchro adulationis, de quo scriptum est: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Consurge de sepulchro detractionis, de quo scriptum est: Sepulchrum patens est guttur eorum. Cōsurge de sepulchro hypocrisis, de quo scriptum est: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis. Consurgamus de sepulchro concupiscentię seu carnalis voluptatis, de quo in Numero dicitur: Adhuc erant carnes in dentibus eorum, & ecce furor domino concitatus in populum percussit eum plaga magna, vocatusque est locus iste sepulchrum concupiscentiæ: & sepeliamur cum Iacob cum aromatibus in spelūca duplici, id est, in actiua & contemplatiua, vt in futuro sit nobis duplex spelunca, siue duplex sepultura, quietis, scilicet, & pacis, præstante Domino nostro Iesu Christo: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

De triplici morte cordis, oris, & operis Isaiæ 51.

De multiplici sepulchro.

Numero.11.

## DOMINICA DECIMASEPTIMA, THEMA DE introitu Missæ ex Psalmo.

*Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam.*

De mundatione & abundantia iustitiæ.

CONSVMMATIO abbreuiata mundabit iustitiam. Verba sunt Isa. de Christo, qui cōsummatio est & finis vniuersorum. Ipse enim primus est & nouissimus, principium & finis. Dicitur autē consummatio abbreuiata: verbum enim abbreuiatum fecit Deus super terram. Ipse emim abbreuiatus est in vtero virginali, dum seipsum exinaniuit, formā serui accipiens. Hæc igitur consummatio abbreuiata mundat iustitiam, dum fluuio iustitiæ vniuersum mundum copiosè irrigauit, credentes in se iustificans, & vnicuique quod suum est, reddens. Iustus enim dicitur tripliciter. Vno modo propter effectum in creaturis, quas iustificat. Sicut enim homo non potest se creare, ita nec iustificare. Vnde Psalmista: Doce me iustificationes tuas. Quibus, scilicet, tu iustos facis nos, & non ipsi nos. Potest tamen homo cooperari ad iustificationem suam. Quatuor enim ad iustificationem peccatoris exiguntur. Gratiæ infusio, quam Deus nobis gratis infundit absque meritis nostris, sicut scriptū est: Grati iustificati estis. Secundū est quod exigitur, scilicet, motus, surgēs ex gratia & libero arbitrio: Christi enim cooperatores sumus. Tertium est cōtritio, sicut scriptū est: sacrificiū Domino spiritus contribulatus. Quartū est peccatorum remissio, sicut scriptū est: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multū. Primū, scilicet, gratiæ infusionē, facit Deus in nobis sine nobis. Alia tria facit nobiscum. Propterea ipse ait: Qui credit in me, opera quæ ego facio, faciet, & maiora horū faciet. Maius est enim iustificare impiū, quā creare cœlū & terrā. Ipse quidē sine nobis cūcta creauit, sed nos nō iustificat sine nobis. Alio modo Deus dicitur iustus, quia reddit vnicuiq; quod suū est. Vnde Iere. Cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorū Adā, vt reddat vnicuiq; secundū vias suas. Tertio modo dicitur iustus, quia facit iustū, id est, reddere vnicuiq; quod suū est. Deo quidē q, suū est, reddimus, dū onus mor⁹ nostros adipsum tanquā ad finē debitū referimus. Domino quod suū est, reddimus, dū deuotionē in diuinis officiis, obedientiā in præceptis, patientiā in flagellis, fidē in credēdis, timore in cōminationib⁹, spē in p̄missionibus, dilectionē in omnibus exhibemus. Proximo aūt quod suū est, reddimus, dū ipsum nō facimus miserū: nec relinquimus miserū, dū ei facimus quę nobis ab ipso fieri volum⁹, dū ei nō facimus quod nobis fieri nō volum⁹. Sunt autē gradus iustitiętres ad proximū. Primus subdere se maiori & nō prēferre se ęquali. Secūdus subdere se ęquali & nō prēferre se minori. Tertiꝰ se subdere se minori. Primus sufficiēs. Secūdus abūdans. Tertius superabūdans. Debemus insuper proximo velle nostrū, nosse nostrū, & posse nostrū. Velle nostrū in affectione, nosse nostrū in instructione, posse nostrū in subsidio & defensione. Mūdo debemus odiū & despectū. Odiū, quia iniquus, despectū, quia vanus: Corpori nostro debemus quatuor, onus, & stimulū, opus, & pabulū. Onus pœnitētiæ, ne iumentū recalcitret, stimulū disciplinę ne torpeat, pabulū suscitationis ne deficiat. Opus, vt vtile sit Domino suo, & fructū afferat. Animę nostrę debemus duo, mūditiā & honorē. Munditiā custodiēdo illā ab omni sorde peccatorū. Honorē subiiciēdo illi tanquā Domino corpus propriū. Diabolo etiā debemus reddere quod suū est, ne forte dicatur nobis, mutuabiē peccator & nō soluet, & ideo scrutabitur fęnerator infernalis omnē substātiā eorū, q nolūt cōputare corā sacerdote, & se absoluere ab illo fœneratore, qui nō cessat accōmodare nūmū culpæ. Cū igitur Dominus iustus sit in se, & iustitiā diligat & operetur in creaturis

Quatuor exiguntur ad iustificationem peccatoris.

Ieremiæ.32.

De iustitia ad Deum.

De iustitia ad proximum.

De his quæ debemus mūdo, creatori nostro & animæ nostræ.

Expositio literæ & captatione benivolentiæ.

turis suis Psalmista in hodierno officio captat beneuolentiã eius à iustitia, vbi dicit: Iustus es: à potẽtia, vbi dicit: Domine: à discretione, vbi dicit: Rectũ iudiciũ tuũ: à pietate, vbi dicit: Fac cũ seruo tuo secundũ misericordiã tuã. Quasi diceret: Ideo sic ploro peccata mea, quia scio Domine, quòd tu qui pius, iustus es in omnibus. Hoc dicit vir iustus, qui lachrymis profluens, & graui supplicio delicta persoluens, nõ tædio vincitur, nõ labore lassatur. In exordio sermonis seipsum accusans. Qui autẽ delicta sua nõ respicit, se putat grauari: sed bonus se accusat, & digna sibi inferri à iusto dicit, in quo & sperat. Vnde & subdit: Et rectũ iudiciũ tuum. Quia iubes peccatorẽ se affligere, aliter veniã sibi arrogaret peccator. Et benè ait: Rectũ. Quidquid enim ab eo fit, recto iudicio fit. Et hęc est cõsolatio iustorũ. Hac cõsolatione Danièl feras, & tres pueri flãmas vicerũt. Hac Ionas inclusus in vtero bestiali inde meruit liberari. Sanctus quoq; Iob extinctis liberis primo modo quòd nudatus amissa hac eadẽ cõfessione sua cũ augmẽto restitui obtinuit. Qui igitur verè pœnitet, accusator est suę iniustitiæ, & cõmendator diuinę iustitię. Ecõtra de impœnitẽtibus dicitur in Eccles. Cor durũ habebit malè in nouissimo: & qui amat periculũ in illo peribit. Amare videtur periculũ, qui laborare nõ curat, vt vitet ipsum. De hac autẽ cordis duritia, ait Apost. ad Rom. Secundũ duritiam tuã & cor impœnitẽs, thesaurizas tibi irã in die irę. Iustus es Domine, & rectũ iudiciũ tuũ. Iudiciũ propriè pertinet ad meritorũ discussionẽ, iustitia ad retributionẽ. Vnde Psal. Feci iudiciũ & iustitiã. Feci iudiciũ rectè iudicãdo: feci iustitiã id quod iudicaui iustè exequẽdo. Quandoq; tamẽ vnũ ponitur pro alio. Vnde Isa. In veritate educet iudiciũ, id est, secundũ opera sua vnicuiq; retribuet. Licèt autẽ rationẽ iudiciorũ nõ valeamus comprehẽdere, quia iudicia Dei abyssus multa: nunq; tamẽ murmurare debemus, sed omnia Dei iudicia recta & sancta cõfiteri debemus. Vnde in Eccles. dicitur: Nõ iudices cõtra Iudicẽ, quoniam quod iustũ est, iudicat. Hic est Iudex iste, qui per Iere. ait: Ego sum iudex & testis, Christus, scilicet, cõtra cuius iudicia nõ debemus murmurare, nec de eius iustitia dubitare, licèt eã nõ agnoscamus. Teste enim Isa. Nõ est inuestigatio sapiẽtię eius, qui lasso dat virtutẽ, & his qui nõ sunt, fortitudinẽ. Et Iob ait: Qui facit magna & inscrutabilia, sapiẽtię eius nõ est numerus. Ex hoc sumptũ est illud Apost. Quarũ incõprehensibilia sunt iudicia eius. Lasso igitur, id est, hęsitãti in fide, dat virtutẽ fidei & bonæ operationis. Eis autẽ qui nõ sunt, dat fortitudinẽ. Teste enim Apost. ea quæ nõ sunt, elegit Deus, vt ea quę sunt, destrueret. Venerari autẽ diuina iudicia debemus, quóniã nõ intelligimus. Teste enim Greg. Tenebris homo in hoc seculo inuoluitur, quæ plerunq; præteritorũ nõ meminit, futura nõ inuenit, præsentia vix agnoscit. Et in Eccles. dicitur. Ego sapiẽtia in altissimis habito, & sup omnes choros Angelorũ, & thronus meus in colũna nubis. Per thronũ iudiciaria potestas intelligitur, quę dicitur esse in nube propter obscuritatẽ iudiciorũ, & in colũna, quia recta sunt & firma. Vnde in Prouer. Pondus & statera iudicia Dei sunt, id est, recta, sicut rectitudo est in põdere & statera. Multi autẽ circa diuina & occulta iudicia defecerunt scrutãtes scrutinio, & lapsi sunt in hęreses & varios errores: cùm tamẽ de electione Iacob & reprobatione Esau Apost. nullã causam assignãs, sed tamẽ occulta Dei iudicia veneratur, & recta cõfiteturq; dicẽs: O homo, tu quis es, qui respõdeas Deo? Et iterũ: O altitudo diuitiarũ sapientiæ & sciẽtię Dei, q̃ incõprehensibilia sunt iudicia eius. Cur igitur Deus vnũ elegat & aliũ reprobet: cur vnus misereatur & aliũ induret, nõ est aliã causam assignare nisi eius voluntatẽ. Spiritus enim vbi vult spirat. Non est volẽtis neq; currẽntis, sed Dei miserẽtis. Causa enim causalissima, id est, voluntas diuina, causam nõ habet. Quod etiã videre est in nobis. Si enim proposui vnũ denariũ dare pauperi, & occurrãt mihi duo pauperes ignoti, & quis magis egeat ignorẽ: si vni do denariũ & non alij, quis potest causam assignare quod potius isti q̃ illi volui dare? Quædã tamẽ occulta sunt Dei iudicia, quæ licèt simplices & minus capaces debeãt transire & venerari, maiores tamen humiliter possunt perscrutari. Quibus ait Petrus: Parati semper sitis ad satisfactionem, omni poscenti vos rationẽ de ea quæ in vobis est fide & spe. Et idcirco quærentibus quare pro transitoria voluptate homo puniatur æternaliter, reddit Gregorius rationem: Quia peccauit in suo æterno recto Dei iudicio, punietur in Dei æterno. Qui enim quantũ in se fuit, sine fine peccauit, nec finẽ peccatis imposuit, meritò sine fine punietur, quia voluntas peccandi, quantũ in se fuit, æterna fuit. Et licèt delectatio modicã habuerit iocunditatem, pœna tamen maximam habebit acerbitatẽ. Quia quantò maior est & dignior quem offendimus, tantò magis puniendus est, qui offendere præsumpsit. Cùm igitur in infinitum sit magnus, qui eũ offendere præsumpsit, infinitã pœnã promeruit. Pari modo quęrẽtibus, cur Deus post lapsum primi hominis tãto tempore medicinã, redemptionẽ humani generis distulit, & tot homines perire permisit, respondet Augustinus dicẽs: Ante gratiã cõuincendi erãt de vtraq; lege: magno enim cõsilio Dei factũ est, vt post casum hominis nõ statim lex daretur, vel filius Dei mitteretur. Nisi enim hominis superbia priùs vires suas experiretur sui arbitrij, libertati sufficientiã arrogaret, & legẽ superfluè datã & filium Dei fruſtrà venisse iudicaret. Itẽ nisi priùs lex scripta ei daretur, per quã quid posset, probaret, Christi aduentũ superfluum iudicaret. Ne igitur detrahendi vel murmurandi occasionem haberet, reliquit eum Deus priùs in libertate arbitrij in lege naturali, vt sic vires suæ naturæ agnoscerent, vbi cùm deficeret, videns sibi liberum arbitrium non sufficere ad iustitiam, nec sic se humiliauit ad poscendam gratiam, sed superbè legem scriptam legi naturæ adiunctam sibi sufficere putans, clamabat: non deest qui impleat, sed deest qui iubeat. Vt igitur & de ipsa conuincerentur antequã mitteret filium, legem dedit, quæ peccati morbum detexit, non consumpsit.

*Qui verè pœnitet, seipsum coram Deo accusat.*

*Isa. 42.*

*Eccles. 8. Ierem. 12.*

*Isa. 40.*

*Dei iudicia profunda sunt & occulta.*

*Eccles. 24.*

*Quare post hominis lapsum distulit medicinam.*

Qua data inualuit morbus & aucta est infirmitas, non legis, sed naturæ vitio & diaboli inflam tia: vt ita cognita vtriusq; legis insufficiētia & infirmitate sua clamaret ad Medicū, & quæreret gratiæ auxilium, sicut scriptum est: Multiplicatæ sunt infirmitates eorū, posteà accelerauerunt. Data est igitur lex vt ægrū de morbo cōuinceret, q sibi sanus videbatur, vt peccata demōstraret, nō vt auferret. Data est vt prǫuarications morbo crescēte Medicus quęreretur, qui tandē veniēs in forma serui, sanauit vulnera hominis languidi. Hæc sunt mira & occulta iudicia Dei, quæ si plenè scrutari & cognoscere nō valemus, ipsa tamē venerari & recta cōfiteri debemus, & dicere cum Propheta: Iustus es Domine, & rectū iudicium tuū. Iudicium, scilicet, extremæ ventilationis, de quo per Isa. Dominus ait: Ponā iudicium in pondere, & iustitiā in mensura, vt pœna, scilicet, nō excedat culpā, sicut scriptū est: Lętabor & partibor Sicimā, quod interpretatur labor. Quia laborē partietur vnicuiq; secundū meritū suū. De hoc etiā iudicio per Sophoniā ait: Scrutabor Hierusalē in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis. In quatuor siquidem lucernis fiet scrutiniū in iudicio. In lucerna verbi Dei, vtrū scilicet, illud impleuerint. De qua dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum. In lucerna bonæ operationis, vtrū opera digna vitæ æternę fecerint. De qua scriptū est: Et lucernæ ardentes in manibus vestris. In lucerna intētionis vtrum bonā vel malā intentionē habuerint. De qua scriptū est: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quarta est humilitas Saluatoris, vtrū eam imitati fuerint. De qua scriptū est: Paraui lucernam Christo meo. De hoc autē scrutinio dicit Isa. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos, id est, tempestas iræ diuinæ. Vnde in Exodo dicitur: Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciēs Dominus supra castra Ægyptiorum per columnā ignis & nubis, interfecit exercitū eorum. Vigilia matutina est manè iudicij, in quo euigilabūt mortui resurgēdo. Et tunc respiciet Dominus oculo vindictæ supra castra Ægyptiorū, id est, reproborū, per columnā nubis, quæ quatuor in se habebit. Obscuritatē, scilicet, & ardorē ignis quātum ad Ægyptios, refrigerium & splendorē quātum ad Hebræos. Quidā tamē modicum timent districti iudicij abyssum & profunditatē pœnarū. Vnde in Iob dicitur: Æstimabit abyssum quasi senescentē. Reprobi autē æstimāt pœnas senescere, dum eas reputāt transitorias. Ecōtrà Greg. ait: Ad districti Iudicis examen pertinet, vt nunquā careat supplicio, qui nunquā carere voluit peccato. Recto igitur iudicio seperabuntur mali à bonis, hœdi ab agnis supplicio, qui seipsos in hoc seculo separauerunt vita & merito. Vnde Isa. Sicut in mōte diuisionum stabit Dominus, sicut in valle, quę est in Gabaō, irascetur. Sicut enim cùm Iosue hostes suos interficeret in Gabaon, Sol & Luna immobilia steterūt, ita & in futuro stabūt Planetę emeriti, & sumetur vltio de inimicis. In secūdo autē Reg. legitur, q, diuisit Dominus Philisthæos viuos à mortuis in mōte Baal-pharasim, quod interpretatur diuisio inimicorū, & reliquerūt Philisthæi Idola sua. Sic fiet in iudicio, quādo separabuntur oues ab hœdis, relictis Idolis peccatorū: quia reprobi de cætero peccare nō valebūt. Hoc autē iudicium appellatur diuisionis & disceptationis. Vnde Dominus per Ioël: Congregabo omnes Gentes, & deducā eas in valle Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, vt, scilicet, pœna respōdeat culpæ. Vnde Ierem. Pauor & fouea, & laqueus super te, ô habitator Moab. Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueā, & qui conscenderit de fouea, capietur laqueo. Pauor cōtra superbiā, vt pœna respondeat culpę. Propriū est enim superborum, vt appetant & velint timeri. Fouea cōtra luxuriā. Fouea enim profunda est meretrix. Qui igitur in cœno libidinis se immergūt, in fouea æternæ damnationis demergētur. Laqueus cōtra cupiditatē. Cupidi enim multos habent laqueos decipiendi, & pecunias acquirēdi fraudulenter. Et iterum Ierem. ait: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia in solitudinem & in opprobrium & in maledictionē erit Bosra, id est, mundus, contra Deum munitus. Bosra enim munita interpretatur. In solitudinem contra tumultum superbiæ. In opprobrium quātum ad infamiā luxuriæ. In maledictionē autem ponentur cùm dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum. Quia noluerunt benedictionē, & elongabitur ab eis. Et teste Isaia, in mensura cōtra mensurā iudicabit. Sicut enim abusi sunt creaturis, ita punientur ab eis. Vnde Psalmista de impio ait: Quæsiui & nō est inuentus locus eius. Cœlum tonitruis & fulminibus repellet eum. Aër turbine & tempestate, terra cōmotione. Mare autē siccabitur, sicut in Apocal. dicitur: Et mare iam non est. Et ita non inuenietur locus impij in mundo. Restat igitur quod demergatur in inferno iusto Dei iudicio. Sicut voluntate & opere mandata Dei dupliciter sunt transgressi, ita duplici vndenario pœnarum torquebuntur in inferno. Vndenarius enim qui denarium excedit in meritis dicitur transgressionis. Punientur enim vndecim pœnis, in anima, & totidem in corpore. Prima in anima labor sine quiete, sicut scriptū est: Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem. Secunda dolor sine mitigatione, sicut ait Apost. Tortiones tenebunt eos & dolebunt tanq̄ parturientes. Tertia confusio sine operimēto. Vnde in Iob dicitur: Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra cōsurget aduersus eum. Cœlum appellat Angelos, terrā homines. Illi accusābunt, isti discooperient. Quarta cæcitas & tenebræ spirituales. Vnde in Iob dicitur: Lux tenebrescet in domo impij, & lucerna, quæ supra est, extinguetur. Lux est ratio, lucerna sinderesis quæ prę cōfusione extinguetur, quia vsum rationis in tanta perturbatione nō habebūt. Quinta scitorū obliuio. Vnde in Iob dicitur: Diuitias quas deuorabit, euomet: & de vētre eius extrahet illas Deus. Tanta siquidē erit vis doloris, vt ad alia non possit ferri impetus cogitationis. Sexta siquidē viuendi tædiū, teste enim Iob: Tædebit eos viuere. Desiderabunt enim mori, & fugiet mors

*Isa. 28.*

*Sophonia 1. De quatuor lucernis.*

*Isa 41. Exod 14.*

*Columna nubis quatuor in se continet.*

*Isa. 28. De diuisione malorum à bonis. 2. Reg. 5.*

*Ioël. 3.*

*Pœna respondet culpæ. Ierem. 48.*

*Ierem. 49.*

*Creaturæ quibus abusi sunt conuertentur reprobis in supplicium.*

*De pœnis reproborum in anima & corpore.*

mors ab eis. Septima timor pœnarũ. Ecclesiasticus: Erit timor mortis perseuerãs. Octaua pœnitẽtia sine misericordia. Vnde in libro Sap. Dicẽt intra se pœnitẽtes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Nona cruciatus cõſcientię. Vnde Isa. Vermis eorũ nõ morietur. Decima inopia bonorũ. Diues enim cũ interierit, nõ ſumet omnia, id eſt, nihil prorſus ſecũ deferet ꝓpter peccata. Vndecima liuor inuidię. Vnde in Eccleſ. dicitur: Furor, zelus tumultus, fluctuatio & timor mortis, & multa alia incõmoda enumerat, quibus impij in inferno torquebuntur. Et ſuper hunc locum ad Galatas, non inuidentes ad inuicem, dicitur in gloſa. Iſte modum non habet, id eſt, finem, dum alia ſcelera finiuntur iugiter permanẽs. Similiter vndecim ſunt pœnæ corporis, frigus, calor, fœtor, fames, ſitis, tenebræ palpabiles, ſerpentes, malleorum percuſsiones, tempeſtas grãdinis, ſpiritus procellarũ, cõſortium dęmonum: quorum exempla latè patẽt in ſcripturis ſacris. Sicut igitur reprobi duri fuerunt & obſtinati, ita durè & acerbè punientur. Vnde Ierem. Propter dura pec- *Ecclef. 40.*

*De rectitudine iudicij & collatione pœnæ ad culpã. Ierem. 30.*

cata tua feci hæc tibi. Vnde in Danièle dicitur: Fluuius igneus, rabidusq; de ore ipſius exibat. In fluuio qui perpetuas habet aquas, pœnarum perpetuitas, in igne doloris acerbitas, in rapacitate tempeſtatis crudelitas deſignatur. Patet igitur quàm rectum ſit Dei iudicium, vt qui crudeles ſibi fuerunt, crudeliter torquebuntur. Per quæ autem peccat quis, per hæc & torquetur. Vnde diues ille guloſus & auarus, *Villa qui quondam alijs alimenta negarat*, iuſto iudicio mendicat ſtillam aquæ & negatur illi. Maiores autem magis punientur. Vnde Abacuc: Contriti ſunt montes ſeculi & incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. Contriti ſunt montes, id eſt, maiores, & incutuati ſunt colles, id eſt, minores ſuperbi. Plus autem eſt conteri quàm incurtuari, quia maioribus maior inſtat cruciatus. Ab itineribus æternitatis eius, id eſt, à potẽtia diuinitatis. In primo autem aduentu fuit iter humanitatis & manſuetudinis. Vnde Iſaias ait: Poſuiſti corpus tuum viã tranſeuntibus, & ideo recto Dei iudicio vadent & veniẽt ſuper eum horribiles, ſicut in Iob dicitur: Rectum iudicium, vt ſicut Deum abiiciunt, ita abiiciãtur à Deo. Teſte autem Apoſtolo: Filium Dei conculcat, & ſanguinem teſtamenti pollutũ ducit, qui Chriſtum minoris facit precij quàm voluptatem peccati. Vnde Iſaias de his qui abiiciuntur à Domino ait: In menſura contra menſuram cùm abiecta fuerit, iudicabit eam. Et Dominus ad Heli: Qui me honorauerint, glorificabo eos: & qui me cõtempſerint, erunt ignorabiles. Rectum iudicium, vt qui incantari noluit per verbum Dei, mordeatur à ſerpẽtibus, qui no poſſunt incantari. Vnde Dominus per Ierem. Mittam vobis ſerpentes peſsimos, quibus nõ eſt incãtatio, & mordebunt vos. Fruſtrà ſiquidẽ preces fundunt cõtra ſerpentẽ antiquũ, qui Dei præcepta cõtemnunt. Iuſtus es Domine, & rectũ iudicium tuũ, ſiue ſit iudiciũ extremæ diſcuſsionis, de quo ſcriptum eſt: Eſuriui, & nõ dediſtis mihi mãducare: vel adiudicationis, de quo ſcriptũ eſt: Venite benedicti patris mei. Et iterũ: Iudicate pupillo & humili: vel abiudicationis, de quo ſcriptũ eſt: Ite maledicti in ignẽ æternum. Et iterum: Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus. Siue ſit iudicium diſcretionis in præſenti, quo boni à malis diſcernuntur merito & ſi non loco. De quo ſcriptum eſt: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meã. Et iterum: Ego in iudiciũ veni in mundum, id eſt, in diſcretione bonorum & malorũ. Siue ſit iudicium excæcationis, de quo in Euang. dicitur: Qui nõ credit, iam iudicatus eſt. Et iterũ: Ego in iudiciũ veni in mundum, vt qui nõ vidẽt, videant, & qui vidẽt, cæci fiant. Siue ſit iudiciũ correptionis & flagelli. de quo ſcriptũ eſt: Tempus eſt vt incipiat iudiciũ à domo Dei. Et Naũ ait: Nõ iudicabit Dominus bis in idipſum, id eſt, ſi ſufficiẽter ſatisfecerit quis in hoc ſeculo, nõ punietur in alio. Nõ autẽ ſufficiẽter ſatisfecit, qui nõ pſeuerauit. Qui igitur iudicat ſe & accuſat corã ſacerdote, nõ iudicabitur à Domino in hoc ſeculo, nihilominus ſi pſeuerauerit in bono. Qui autẽ incorrigibiles ſunt, dũ flagellãtur à Domino in hoc ſeculo, nihilominus flagellabũtur in alio. Et quia pœna in pœnã cõtinuo ſupplicio ptrahuntur, nõ dicitur q; bis puniuntur vel iudicẽtur. De hoc autem iudicio flagellationis ait Abacuc, loquẽs de diabolo: Domine, in iudiciũ poſuiſti eũ forte, vt corriperes. In iudicio enim poſitus ad vexandũ, nõ ſolũ malos, ſed etiã bonos: quia iudiciũ in prẽſenti incipit à domo Dei. Fortis autẽ eſt, vt per eũ corripiãtur & purgẽtur electi licèt hoc nõ intẽdant. Et ita poſitus eſt in iudicium pœnæ. Vnde per Iſaiam Dominus ait: Virga furoris mei Aſſur. Nihil autem poteſt niſi permiſſus. Vnde Dominus per Iob: Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum. Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo. Hanc tamen poteſtatem quam à Domino habet, ſibi arroganter attribuit. Vnde Dominus per Iſaiam: Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim: In fortitudine manus meæ ego feci. Sic autem iactando ſe immolat diabolus ſagenæ ſuæ. Hoc iudicium diuinæ flagellationis rectum eſt. Quemadmodum Iſaias ait: Nõ enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminũ circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo. Panis autem comminuetur. Quaſi diceret: Vnumquemq; ſecundum propria merita flagellabit. Magis enim corripiendus eſt, qui maior eſt, vt Clericus quàm laicus. Et qui plus peccauerint magis puniendi ſunt. Non in ſerris triturabitur gith, quod eſt genus leguminis ſimile cymino in quantitate, ſed nigri coloris. Minores igitur minus punientur. Per ſerras autem & plauſtra maior pœna, per virgam & baculum minor pœna ſeu flagellum intelligitur. Eſt enim triplex flagellum diuinum amantis in hoc ſeculo, itraſcentis in Purgatorio, furientis in inferno. Eſt inſuper iudicium pœnitentiæ ſeu accuſationis, de quo Apoſtolus: Si noſmetipſos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Et Salomon in Parabolis: Cogitationes iuſtorum iudicia, vt, ſcilicet, homo ſe diiudicet, diſcutiat & accuſat.

*Iſa. 2.*

*Iob 30.*

*Iſa. 27.*

*Ierem. 8.*

*De multiplici iuditio Dei.*

*Deus permittit iuſtos flagellari.*

*Nihil poteſt diabolus niſi permiſſus.*

*Iſa 28.*

*Vnumquęq; ſecundum merita flagellat Deus.*

*De triplici flagello Dei.*

*De iudicio pœnæ.*

Et Psalmista ait: Non resurgent impij in iudicio, neq; peccatores in concilio iustorum. Quasi diceret: Non resurgent à peccatis, vt se iudicent & acculent. Neq; resurgent peccatores in consilio iustorum, vt, scilicet, voluntatem diuinã præferant propriæ voluntati. Hoc enim est consilium iustorum. In hoc igitur iudicio accusationis, & in contritione cordis, obuiant sibi misericordia & veritas. Misericordia Dei remittentis peccatum, & veritas seſe condemnantis per vnum iudicium. Iustitia & pax seſe osculantur. Iustitia hominis seſe punientis, & pax diuinæ reconciliationis. Sequitur: Fac cum seruo tuo secundũ misericordiã tuam. Quasi diceret: Non secundum iustitiam meã, sed secundum misericordiã tuam me iudices. Non est fastidium petendi vbi largitas est datoris. Iustitiam petit, qui secundũ misericordiam fieri petit. Timor facit seruum, obedientia amicum, charitas filium. A minori igitur propter humilitatẽ se voluit nominari, cùm ait: Fac cum seruo tuo. Fecit autem nobiscum secundum misericordiã suam, non secundum merita nostra, dum bibit mortem de nostro, & propinauit nobis vitam de suo. Fecit nobiscum secundum misericordiã suam, dum tripliciter nos redemit. Corporaliter à pœna, spiritualiter à culpa, æternaliter à pœna simul & culpa. Fecit nobiscũ secundum misericordiã suam, dum nos à peccatis liberauit, dum pœnã grauissimam quam meruimus in minorẽ & mitiorẽ cõmutat. Vnde per Ezechiẽlẽ ait: Diem pro anno dedi tibi, quod fit quando misericorditer pœna grauis & diuturna in leuẽ & modicam cõmutatur. Ipse enim iustus est & misericors. Vnde per Isa. ait: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, id est, quod ego sum iustus & misericors. Iustus diabolũ confundendo, misericors populũ meũ liberando. Vnde & de Samsone legimus, quod inuenit in ore leonis examen apum & fauum mellis, id est, multitudinem diuinorũ iudiciorum, qui terrore mentem pungunt, & dulcedinẽ diuinæ misericordiæ vngunt. Ipse enim iustus est, & iudex rectus, atq; misericors: quia iustè punit & flagellat, & misericorditer pœnam relaxat, & præmia æterna præstat Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Non secundũ delicta, sed secundum misericordiã agit Deus cum electis.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD EPHESIOS. 4.

*Obsecro vos, ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.*

FAC tibi vincula & cathenas, & pones eas in collo tuo, & mittes eas ad Regẽ Edom, & ad Regem Moab, & ad Regẽ filiorum Amon. Verba sunt Domini ad Ieremiã de vinculis sanctorum, qui vincti sunt in Domino variis afflictionibus & angustiis, quę prophetiæ tribulationis impiorum sunt. Iuxta illud Ierem. Ecce in ciuitate in qua inuocatũ est nomen meũ, ego incipio affligere, & tu quasi innocens relinqueris? Has autẽ cathenas præcipitur Propheta mittere ad Regem Edom, qui terrenus interpretatur, id est, ad cupidos & terrenarũ amatores, & ad Regẽ Moab, qui ex patre interpretatur, id est, ad superbos huius mundi, qui specialiter sunt à patre diabolo, in eo quod superbi, & ad Regẽ Amon, qui populus turbidus vel cõprimens interpretatur, id est, ad luxuriosos, qui turbidi sunt & impetuosi pro voluptatibus adimplẽdis, & deprimuntur absorpti à carnalibus desideriis. Prædictas igitur cathenas iusti mittũt malis, vt per hoc sciant mali, quod nisi sibi caueãt, longè grauiora sunt passuri, sicut scriptũ est: Si in viridi hoc faciunt, in sicco quid fiet? De his iterũ vinculis sanctorũ dicit Ierem. Cathenas ligneas cõtriuisti, & facies pro eis cathenas ferreas. Qui enim cathenis tribulationũ in hoc seculo pro Christo ligari renuunt, cathenis ferreis & ignitis ligabuntur in inferno. Non solũ igitur de vinculis materialibus, sed insuper de vinculis cuiuscunq; tribulationis intelligi possunt verba Apost. in hodierna Epist. vbi ait: Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis. Ego vinctus, cui, scilicet, cõpatiendum est, qui etiã vincula nõ erubesco. Vinctus dico in Domino, id est, propter Deũ, vt ambuletis de bono in melius proficiẽdo. Dignè vocatione, qua vocati estis, id est, ita ambuletis, vt conueniat meæ prædicationi vestra ambulatio. Sicut autẽ bonũ ambulant de virtute in virtutẽ, ita mali de malo in peius vadunt, vt qui in sordibus est sordescat adhuc. Vnde Ierem. De malo ad malũ egressi sunt. De bona autẽ ambulatione ait Apost. Posteriorum oblitus in anteriora me extendo. Obliuiſci enim debemus posteriorum, ne inde superbiamus: & malorũ præteritorum, ne ad illa redeamus. Digne igitur ambulare debemus, donec ad metã cursus peruenìamus. Hoc est quod Apostolus alibi ait: Hortamur vos ne inuacuũ gratiam Dei recipiatis, vt, scilicet, cùm eam receperitis, nõ per peccatũ vos eadem euacuetis. Dignè igitur ambulare debemus, semper proficiendo in melius, vt nõ simus semper neophiti. Seneca: Inter cętera mala hoc quoq; habet stultitia propriũ, semper incipit viuere, semper nouę vitę fundamẽta ponit. Quid est autẽ turpius q̃ senex viuere incipiẽs? Obsecro vt dignè ambuletis, vt, scilicet, quantũ in vobis est, nõ sit finis meritorũ, sicut nõ erit finis prẽmiorũ. Nõ igitur lacescat militia, quia nõ marcescit corona. Dignè ambulamus, si viã triũ dierũ imus: si sapientiã naturalẽ, rationalẽ & moralẽ ab humanis ad diuina cõuertimus: si in nobis cogitata, dicta & opera purificamus: si cõtritionẽ cordis & confessionẽ oris, atq; satisfactionẽ operis domino offerimus: si farinę trib⁹ satis, id est, tribus virib⁹ animę fermentũ charitatis misceamus: si nos ab omni inquinamento animæ & spiritus ac corporis obseruemus. Animæ, id est, sensualitatis, spiritus, id est, rationis. Vnde

*De vinculis sanctorum.*

*De ambulatione & profectu sanctorum & malorum. Ierem. 9.*

Vnde Apostol. ad Thess. Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integri spiritus vestri, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Vt igitur dignè ambulemus, latâ viam, quę ducit ad mortẽ, declinemus. Lata enim est via voluptatis. Quæ etiam si non quæritur, facilè occurrit. Voluptas siquidẽ, velut meretrix, importuna suis oblectamẽtis omnes inuitat. Propterea per Michæã Dominus ait: Surgite & ite, quia nõ habetis hîc requiẽ. Surgite à peccato, ite post Dominũ, quia in via lata & mortifera nõ habetis requiem. Non enim est pax impiis in præsenti, multò fortiùs in futuro. Vnde Michęas subdit: Propter immunditiã corrumpetur putredine pessima, id est, fœtore gehennæ. Propterea Ierem. ait: Quid tibi vis in viâ Ægypti, vt bibas aquã turbidam? Et quid tibi vis in via Assyriorũ, vt bibas aquã fluminis? Via Ægypti via est tenebrosa. Hęc est via voluptatis, quę peccatores exęcat. In hac via bibitur aqua turbida & obscœna atq; lutosa. Aqua, scilicet, carnalis voluptatis. Via Assyriorum via est dæmonũ, via, scilicet, superbiæ, quæ se in altũ dirigit. In hac via bibitur aqua fluminis, quod Euphrates nuncupatur, id est, frugifer. Cuius aquas bibere est diuitias multiplicare, & mũdi huius vanitatẽ sectari. Dignè ambulemus in viis Domini. Viæ enim illius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Viæ eius sunt exempla, viæ eius sunt præcepta. Viæ eius sunt, in quibus vestigia eius sunt impressa. Econtrà viæ diaboli sunt hi quibus vestigia sua imprimit diabolus. Vnde Iob: Fecerunt sibi viam per me. Et iterum vadent & venient super eum horribiles. Et Isaias: Posuisti corpus tuum viam transeuntibus. Vnusquisq; autem electus via est Dei: sicut vnusquisq; reprobus via est diaboli. Vnde in Eccles. Qui odit corruptionem, via est peccatoris, id est, diaboli. Semitæ autem sunt opera perfectorum, qui iam pacem habent in serenitate conscientiæ. De quibus Isaias: Semitæ vitæ exaltabuntur, id est, à strepitu mundi elongabuntur. Dignè ambulat, qui in via Dei non torpet, sed festinat. Vnde Isaias: Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, id est, à dæmonibus, à quibus citò fugiendum est, & longè recedendum. Quemadmodum in Eccles. dicitur: Ne moreris in errore impiorum. Et Petrus ait: Pelliciunt in desideriis eos qui paululum effugiunt. Festinare igitur debemus, vt non simus stationarij, nec retrogradi, sed progressiui redimẽdo tempus quod amisimus, dum in mortali peccato fuimus: tunc enim dies nostri mali fuerunt. Dignè ambuletis à via pœnitentium per viam proficientium ad viam perfectorum. Vnde in Canticis dicitur: Descendi in hortum meum, vt viderem si germinarent mala punica. Arbor quæ dicitur malus in Hyeme, est rugosa frigoris asperitate. In Vere speciosa florum iocunditate. In Æstate fructifera pomorum vbertate. Ecce Pascha pœnitentium, Pentecostes proficientium, Scenopegia perfectorum. Propterea in Iob dicitur: Abominabilis in vita sit ei panis mendacij, & appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Ecce via pœnitentis, qui se reputat corruptum, & quasi mortuum propter præcedentia peccata. Deinde subiungitur: Deprecabitur Deum, & placabilis erit ei. Ecce via proficientis. Et subditur: Videbis faciem eius in iubilo. Ecce vita perfectorum vel peruenientium. Tandem subiungitur: Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus, vt liberet animas à corruptione, & illuminet in luce viuentium. Prima siquidem vice facit animam transire ab amaritudine contritionis in delectationem veniæ. Secunda à tentatione in liberationem. Tertia à morte corporali in æternam beatitudinem. Dignè ambulamus, si per viam crucis ad Deum pergimus. Vnde Isaac cùm exisset in agrum ad meditandum, dicitur deambulasse per viam, quæ ducit ad puteum viuentis & videntis. Hæc via est passio Redemptoris, quæ occulta scripturæ sacræ declarauit. Hæc est enim profundus puteus Dei viuentis. Obsecro vos, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, vt sicut in Baptismo vocati estis, in quo abrenuntiastis Satanæ, ita promissum impleatis, ne fortè dicatur de vobis: Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula. Mendaces sunt, qui diabolo vel mundo renuntiantes, ad ipsum redeunt. Et idcirco tempus eorum, id est, variatio de pœna in pœnam durabit in secula seculorum. Dominus autem multipliciter nos vocat, & à malis reuocat. Vocat per inspirationem, per exhortationem, per flagella, per beneficia. Vnde in Canticis ait: Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Ecce quadruplex vocatio. Suna ciuitas est, in qua Eliseus mortuum suscitauit: & signat mundum, in quo suscitauit Deus genus humanum. Sunamitis igitur dicitur secularis anima mundanæ vanitati dedita sub captiuitate diaboli detenta. Nam Sunamitis captiua interpretatur vel coccinea, quia Christi sanguine redempta. Sicut autem quatuor modis vocatur, ita quatuor modis reuertitur, scilicet, per contritionem, per confessionem, per bonam operationem, & demùm alios exhortando per bonam locutionem. Reuertitur etiam à peccatis cogitationis, locutionis, operationis, & malæ consuetudinis. Reuertitur à peccatis ignorantiæ, negligentiæ, infirmitatis & malitiæ, seu propriæ iniquitatis. Zacharias autem Propheta ait: O, o, o, fugite de terra Aquilonis. Ecce trina vocatio. Quasi diceret: Fugite corde, ore, & opere. Fugite, id est, velociter recedite de terra Aquilonis, id est, diaboli. De quo in Ecclesiaste dicitur: Flauit Aquilo, & congelauit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, & quasi lorica induet se aquis. Flatu diaboli ab aqua crystallus induratur, quando peccatum in obstinatione conuertitur. Et ipse Aquilo, id est, diabolus, requiescit super omnem congregationem aquarum, id est, diuitiarum & fluxibilium voluptatum. Aquis autem velut lorica induitur, dum per diuitias peccatum excusatur. Quando, scilicet, diuites de superfluis expensis se excusant propter diuitiarum abundantiam, vel superuenientium amicorum frequentiam:

*Mich. 2.* *Ierem. 2.* *Ecclesi. 21.* *Isa. 51.* *Iob 18.* *De ambulatione celeri.* *De triplici via & arbore mala.* *De via crucis.* *De multiplici vocatione.*

Obsecro vos vt ambuletis dignè vocatione qua vocati estis. Quidam vocantur ad campum, quidam ad desertum, quidam ad ortum. Ad campũ vocantur Martyres quasi in campo pugnantes. Vnde in Cant. sponsus ait: Ego flos campi. Ipse enim flos est campi in Martyribus, flos deserti in solitariis, flos horti in claustralibus. Vocat nos Deus per beneficiũ suæ pasionis, vocare nõ cessat per scripturas exhortationis. Vnde per Osee ait: Fodi eam mihi quindecim argenteis & choro hordei, & dimidio choro hordei. Fodi eam mihi, id est, per fosionẽ manuũ, & pedũ, & lateris eum mihi cõparaui, & à me vocando traxi. Per quindecim autẽ argenteos sacra scriptura designatur, propter septenariũ veteris testamẽti & octonariũ noui. Eadẽ autẽ scriptura per hordeũ designatur, quod est cibus iumentorũ austri, id est, illorũ qui portãt eam, & inde reficiũtur, sicut iumentũ onere suo reficitur, id est, hordeo. Chorus hordei, id est, integra mẽsura refertur ad perfectionẽ scientię in maioribus. Dimidius chorus ad imperfectionẽ in minoribus. Per sacram autẽ scripturã anima fodi dicitur, dum ei ad memoriã Christi pasio reducitur, vt penetretur per amorẽ, & timor iudicij incutitur, vt fodiatur & fructificet per timorẽ. De hac autem vocatione
*Isa.52.* quæ fit per prædicationẽ & exhortationẽ dicit Isa. Ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, id est, ad Christũ & Ecclesiã, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Non contenti propria salute, vocabunt ad inuicem, exhortando. Per vias faciliora mandata intelliguntur, per semitas verò arctiora: vel viæ sunt præcepta, semitæ consilia. Intellectis enim & adimpletis præceptis in consiliorum semitis supererogando debemus ambulare. Vnde cùm Ionas Niniuitis dixisset, adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, subditur: Prædicauerunt ieiuniũ & operti sunt sacco. Cùm enim ad pœnitentiã simpliciter vocarentur, supererogauerunt dum se saccis & ciliciis induerunt. Similiter B. Iob cùm ei mors filiorũ suorũ nuntiata fuisset, flagello diuino superaddit capitis tonsionem. Similiter & flagello proprij corporis addidit, dũ in sterquilinio sedens, testa saniẽ rasit. De vocatione autem & prædicatione facta per Apostolos, ait Abacuc: Gurges aquarum transiit, id est, abundans doctrina Apostolorum de loco ad locum processit. Amouit enim Dominus pluuiam Prophetarum, & substituit gurgitem Apostolorum. Vnde in Iob dicitur: Qui aufert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt, id est, de Apostolis. De hac
*Isa.54.* iterum vocatione & Gentium conuersione, idem Isaias ait: Lauda sterilis quæ non paris, decanta, & hinni quæ non pariebas. De Ecclesia loquitur tanquam de equo. Vnde in Apocalypsi per
*De multiplici hinnitu. Isa.29. Iob 39.* equum album designatur. Erat autem multiplex hinnitus, vnus gaudij, secundum quod hîc accipitur. Et Isa. ait: Cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnierunt de mari, id est, de amaritudine tribulationum gaudebunt sancti. Alius est hinnitus prædicationis, de quo in Iob Dominus ait: Nunquam præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Qui circundat collum, ornat & stringit ipsum. Sic prædicatio debet esse ad ornamentum prædicatoris, & collum eius stringere ne aliquid turpe loquatur. Est hinnitus doloris, de quo Isaias: Hinni voce
*Isa.10. Eccles.33. Ierem.5.* tua filia Gallim. Est hinnitus adulationis. Vnde in Eccles. Sicut equus emissarius, sic amicus subsannator. Est hinnitus luxuriæ. Vnde Ieremias: Vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat. Obsecro vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis. Qualiter autem ambulare debe
*Qualiter ambulare debemus.* mus, subiungit: Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportãtes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis cum omni humilitate, scilicet, interiori & exteriori, & mansuetudine, scilicet, vt tractabiles sitis, cum patientia aduersorum. Supportantes vos inuicem, si à fratre oriatur molestia, & hoc non fictè, nec pro terreno commodo, sed in charitate. Ipsa enim est actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Deum. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio, nec turbulenta, nec mercida, nec audax, nec fugax, nec præceps, nec iacens. Sitis insuper solliciti, id est, studiosi, cauti & attenti, seruare vt sacrosanctum & pretiosum quid vnitatem spiritus, id est, vnitatem Ecclesiasticam, quam fecit Spiritus sanctus, nos dico degentes in vinculo pacis, id est, pacem seruantes, quæ dicitur vinculum, quia pax ista est nutrimẽtum spiritualis vnitatis. Hæc enim pax est, si bona nostra inuicem diligamus, si peccata quæ sine damno tritici, aut cum spe salutis corrigendorũ eradicari nõ possent vsq; ad messem vltimã toleramus. Si etiã perfectionis opera, quæ tamen fieri & nõ fieri licet, ne infirmi scandalizẽtur, vnde facere dispensamus. Ecce diuersi passus spiritualis ambulationis, id est, humilitas cõtra superbiã, mansuetudo cõtra irã, patientia cõtra multiplicẽ tribulationem, cõpasio, quæ nominatur per verbũ supportãdi cõtra cordis duritiã, charitas cõtra odiũ &
*De via humilitatis, & via superbiæ.* rancorẽ, vnitas cõtra discordiã & dissentionẽ. Ambulemus igitur cum humilitate, & sit charitas cum humilitate, & humilitas cum charitate. Quia: *Non benè conueniunt, nec in una sede morantur*

*Maiestas & amor.* – Sit nobis exterius in corpore humilitas. Carnis terat superbiã potus, cibiq; parcitas. Sit interius humilitas in corde, vt omnia bona nostra ad Deum referamus, sicut in Deuter. scriptũ est: Si ingrediaris vineã proximi tui, comedes quantũ tibi placuerit, & nihil deferes extra. Si enim replemur bonis Dei, nõ debemus extra per vanitatẽ gloriari. Nihil enim no ciuius, quàm aër corruptus, id est, vanæ gloriæ ventus, qui de vase corrupto, id est, de vesica inflata egreditur. De qua dicitur in Leuit. quod proiicienda est in loco cinerũ. In locũ siquidem cinerũ vesica proiicitur, cùm per memoriã mortis superbia reprimitur. Valde quidẽ periculosum
*Isa.14.* est peccatũ superbiæ, & vix est qui omnes eius species valeat euadere. Vnde Isa. Ab aquilone fumus veniet, & nõ est qui effugiat agmẽ eius. A diabolo enim superbia procedit, qui magnũ post se exercitum

se exercitum trahit. Teste autē Isidoro: Omnis peccans, superbus est, eò quòd faciendo veritā contēptui habet diuina prēcepta. Rectè ergo initiū omnis peccati est superbia: nisi enim prēcesserit præceptorū Dei obedientia, trāsgressionis nō sequitur culpa. Omnis superbia tantò in imo iacet, quātò in alta se erigit, tantoq; profundius labitur, quātò excelsius eleuatur. Qui enim per propriā superbiā attollitur, per Dei iustitiā inclinatur. Nunquā autē superbia diaboli absq; humilitate potest vinci. Quis enim est qui diabolū superat? Cui nō est species nec decor, cui nō est aspectus qui despectus est, & nouissimus virorū vir dolorū, & sciēs infirmitatē; cuius vultus absconditus est & despectus quasi leprosus & percussus à Deo, & humiliatus, qui corā tondēte se est sicut ouis & quasi agnus. Teste autem Augustin. Vera humilitas omnia bona Deo, sibi mala attribuit. Et Seneca: Humilitas vetat superbū esse, aduersus socios vetat auarū esse rebus, verbis, affectibus cōmunem se, facilemq; præstat. Vultum alienū malum putat, bonū autem suum, ideo maximè quod alicui bono futurū est amat. Ex hoc patet quod omnis verè humilis, mansuetus est. Vnde Apostolus post humilitatē subiungit de mansuetudine, vt, scilicet, tractabiles simus & lenes. Vnde in Eccles. dicitur: Congregationi pauperū affabilem te facito, & presbytero humilia animā tuam, & magnato humilia caput tuū. In his mansuetudo pariter & humilitas cōmendatur. Mansuetudo neminē spernit, humilitas omnib⁹ se subiicit. Decet autē Christianū æqualibus & inferioribus affabilē esse & mitem, senioribus verò humilem. Contra iracundos & asperos, qui se intractabiles & immansuetos exhibent, dicit Dominus per Isa. Ponam Babylonē in possessionem hericij, & in palude aquarum, & scopabo eam in scopa terrens. Per hericium asperi & immansueti designantur. Per paludes aquarū sordes luxuriæ. Per hoc quod ait scopabo, vitium superbiæ innuitur. Dominus enim scopabit & mundabit aream suam, paleas igni inextinguibili comburendo, sicut in Euang. dicitur. Et iterum Isaiæ ait: Orientur in domibus eius spinæ & vrticæ, id est, asperi, intractabiles & pungitiui. Vnde in Parabilis dicitur: Cor stultorum ebullit stultitiam. Sicut enim olla succensa proiicit vndam, ita stultus iratus contumeliam. Mansuetus autem nec prouocat, nec prouocatur. De crudelibus autem & immansuetis dicit Dominus per Ieremiam: Visitabo super eos quatuor species, gladium ad occisionem, canes ad lacerandum, volatilia cœli & bestias terræ ad deuorandum. Per gladium defensio peccati, per canes oblatratio contra verbum Dei, per volatilia peccatum superbiæ, per bestias peccatum crudelitatis & iræ. Et Ezechiēl ait: Omnibus meretricibus dantur mercedes: factum est in te contrarium. In luxuria enim anima fornicans cum diabolo recipit primo mercedem, scilicet, voluptatis, delectationis. Similiter & in gula. In ira autem & malitia non recipit, sed præstat mercedem: quia in his non habet nisi afflictionem. Tertius passus spiritualis ambulationis est patientia. Vnde hortatur nos Apostolus, vt cum patientia ambulemus. Multa enim viæ impedimenta, vnde necessaria est nobis patientia. Sancti autem & perfecti viri, non solùm in tribulationibus habent patientiam, sed delectationem. Sicut scriptum est: De petra melle saturauit eos. Quod fit dum duræ tribulationes dulces fiunt nobis. Ex spina siquidem tribulationis nascitur rosa martyrij: & ideo sancti mortem non recusabant. Seneca: Quæ dementia est fugere cum retroire non possis? Sancti igitur patienter sustinebant molestias, non quærētes vltionem, seu vindictam, cùm Dominus dicat: Mihi vindictam & ego retribuam. Assignata siquidem die ad exhibendam iustitiæ plenitudinem, treuga inter partes seruanda est, & medio tempore nihil est innouandum, sed expectandum Dei iudicium. Qui igitur interim treugam rumpit, Dei iudicium contemnit, qui ait: Mihi vindictam. Qui igitur vindictam sumit, iniuriatur Domino, auferens illi quod suum est. Quis enim constituit te iudicem inter te & fratrem tuum, vt iudicium tuum Dei iudicio præferas? Cùm enim accusator sis, iudex in causa tua esse non debes. Quantò autem sancti magis comprimuntur per tribulationem, tantò magis eleuantur per patientiam. Sicut scriptum est: Super montes stabunt aquæ. Elenatis enim fluctibus tribulationum, eleuantur mentes sanctorum. Sicut aqua in diluuio est eleuata, ita in tribulationibus eleuatur Ecclesia. Insula concutitur fluctibus, quæ tamen intus plena est fontibus dulcis aquæ & floribus. Ita sancti, & si exterius sustineant amaritudinē, intus in mente habent dulcedinem. Vnde in Iob dicitur: Lapidem caliginis & vmbram mortis diuidit torrens à populo peregrinante. Boni siquidem patienter transeunt torrentem præsentis miseriæ velut peregrini. Mali autem obstinati & caligine ignorantiæ obumbrati, qui dicuntur vmbra mortis, id est, diaboli, adhærentes ei per imitationē, merguntur & pereunt in prosperis per luxutiā, & in aduersis per impatientiam. Ambulare igitur debemus cum patientia supportando per pietatē & cōpassionē. Pietas enim ad omnia valet, quæ cōmunis est, infirmaria omniū miserorū. Vnde in Iob dicitur: Vbicunq; cadauer fuerit, statim adest aquila. Descendūt enim sancti ad cadauera mortuorū per cōpassionem, vt vitam recuperent, sicut aquila comedens carnem mortuam, cōuertit in viuam. Alter igitur alterius onera supportemus. Fures enim sunt, qui communi vtilitati se subtrahunt. Raptores coram Deo sunt, qui vitæ communi, quod possunt & sciunt, subtrahendo rapiunt. Mentiuntur Deo & hominibus, qui quod nouerunt & possunt, non faciunt. Supportantes inuicem in charitate, quæ valde est fortis. Amor siquidem verecundus est in pœnitentibus, dulcis in contemplatiuis, fortis in actiuis. Si tradiderit homo corpus suum ita vt ardeat, nihil prodest illi sine charitate. Frustrà quidē se affligit in corpore, qui odiū seruat in mente. Supportemus igitur in charitate, quæ summariū Dei fortiter & suauiter facit ambulare. Fortis est enim

*De via mansuetudinis.*

*De crudelibus, asperis & nō mansuetis.*

*Parab. 16.*

*Ierem. 15.*

*Iob 18.*

*De via compassionis & pietatis.*

*Iob 39.*

*De charitate.*

vt mors dilectio, quæ iugũ Dei efficit leue. Fortis est vt mors, imò fortior morte dilectio, cùm virtute dilectionis infirmata sit fortitudo Dei vsq; ad mortem. Cuius tamen infirmitas fortior inuenta est omni fortissimo, cuius mors probata est esse mors tua ô mors? Solliciti autẽ debemus esse seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sicut scriptũ est: Multitudinis credentiũ erat cor vnum, & anima vna. Cor vnum, id est, cõsilium: anima vna, id est, voluntas. Est autem vnitas bona, & vnitas mala, de qua in libro Regum dicitur, quod Iosaphat de societate Achab impij Regis à Domino grauiter increpatur. Impio, inquit, præbes auxilium, & iniquo amicitijs coniungeris? Sicut enim spinæ sese inuicem complectuntur, ita mali peruersa vnitate sibi inuicem connectuntur. Qui verò congregantur in culpa, congregabuntur in pœna. Vnde Isa. Congregabuntur congregatione vnius fascis in lacum. Et per Sophoniam Dominus ait: Congregans congregabo omnia à facie terræ. Congregans, scilicet, in anima, congregabo in corpore, quod fiet in die iudicij. Congregãs homines & pecus, id est, homines bestiales & luxuriosos, qui cùm sint homines rationem habentes, facti sunt velut pecus. Congregans volatilia cœli, id est, superbos, & pisces maris, id est, curiosos, & ruinæ impiorũ erunt. De bona autem vnitate subdit Apostolus: Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Quasi diceret: Debetis seruare vnitatem spiritus, ita vt sitis vnum corpus, subueniendo proximo, & idem spiritus cum Deo idẽ volendo. Vnus etiã spiritus cum fratribus, cum quibus idem velle & idem nolle debetis. Vel debetis seruare vnitatem spiritus, quia vnum corpus esse debetis multorum adunatione membrorũ, & pacis: quia vnus spiritus habitat in vobis, quo vnũ corpus efficimur. Debetis igitur vnum corpus esse, sicut vocati estis ad idem, scilicet, in vnam spem vocationis vestræ, id est, ad vnam vitam speratam, quæ est effectus vocationis vestræ. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Quasi dicerer: Deberis seruare vnitatem, quia vobis est vnus Deus, & vna fides, scilicet, qua creditur non numero, sed genere, quia similis in omnibus. Quemadmodum idem volentium, dicitur voluntas vna & duorum similimorum, facies vna vel vna fides, qua creditur, quia vnum & idem credere iubemur, & vnum & idem est, quod à cunctis fidelibus creditur. Vnde fides Catholica, id est, vniuersalis nuncupatur. Vnum Baptisma, id est, æquale, à quocunque datur, non potest iterari, vel vnitas Baptismi ad vnitatem refertur baptizantis. Solus enim Christus baptizat, & ad vnitatem Spiritus sancti, quia idem spiritus confertur in Baptismo. De vnitate autem Dei repetit, vt addat, dicens: Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes & per omnia, & in omnibus nobis. Quasi diceret: Vobis est vnus Deus, creator omnium, & pater procurando & gubernando, qui est super omnes creaturas, & per omnia diffusus, quia vbique est, & ideo mundus non potest eum euitari. Et in omnibus vobis est per gratiam. Hæc conuenienter de Trinitate dicuntur. Potest tamen prædictis verbis intelligi distinctio personarum. Deus enim Pater super omnes est, quia nulli debet quod est, & omnes præcellit creaturas, & insuper propter authoritatem principij. Ipse enim principium est sine principio. Et filius est per omnia, per quẽ reparata sunt omnia opera nostra, & per ipsum facta sunt omnia. Et Spiritus sanctus est in omnibus creaturis per essentiam, sicut scriptum est: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Qui est benedictus, &c.

*De via cõcordiæ & vnitatis.*

*De concordia malorum.*

*Sopho. 1.*

*De bona vnitate & expositione literæ.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

*Cùm intraret Iesus domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.* Luæ 14.

MALEDICTA sterilis quæ non parit. Anima tunc Christum concipit, cùm ex verbo Dei, quod audiuit, benefacere proponit. Abortum facit, cùm propositum deserens male agit. Natum interficit, dum postquam benè agere cœpit, bonum deserit, & malo consentit. Vnde Apost. Spiritum nolite extinguere. Hi siquidem Spiritũ sanctum in se extinguunt, & spiritum suum interficiunt. Herodi autem assimilantur, qui natum Christum persequuntur. Quidam enim sunt qui ex semine verbi Dei nec concipiunt, nec pariunt. Sicut enim perit materiale semen si extra locũ debitũ suscipiatur, ita & semen spirituale, cuius proprius locus est cordis affectus. Talis anima quæ voluntariè semen amittit & inde fructum nõ quærit, adultera est diaboli. Non solùm autem qui verbũ audit, sed qui dicit: adulter iudicatur dum fructũ ex semine Dei nõ quærit, sed delectationẽ propriã, dum prædicat propter vanã gloriã, & quærit hominum laudẽ vel pecuniã. Vnde Apost. Non sumus sicut cæteri, adulterãtes verbũ Dei. Hi sunt qui dicunt & nõ faciunt. Pauci siquidẽ inueniuntur Philosophi, qui seruare curent quæ seruare docent. Tales sunt Doctores, qui verbũ Dei corrumpunt, & adulterant, dum gloriã suam & fauores hominũ inde capiãt, cùm tamen dicat Apost. Si hominibus placerẽ, Christi seruus nõ essem. Teste autẽ *Augustino: Ille hominibus benè suadet, qui non illis vult placere, sed ipsam quam suadet veritatẽ. Et super hunc locum Psalmista: Iter facite ei qui ascendit super occasum. Idem *Augustinus ait: Iter ei facimus cum nostris mentibus eius gloriam prędicamus, vt eas ipse pòst veniens amoris sui presentia illustret. De huiusmodi prędicatoribus in quarto Regum legimus dixisse Eliseum: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Iace sagittam: sagittam

*Anima impregnatur & parit verbum Dei.*

*De his qui semẽ verbi Dei abiiciunt, & nõ fructificãt.*

*Gregorius.*

*Gregorius.*

sagittam salutis contra Syriam. Per fenestram prædicatio, quæ prius debet aperiri ad recipiendum lumen gratiæ, quæ sagittam prædictionis emittit. Orientalis autem fenestra dicitur dum ad ipsum respicit, & illius gloriam quærit. De quo scriptum est: Oriens est nomen eius. Et hęc sagitta præcipuè est contra Syriam, quæ interpretatur sublimis, id est, contra peccatum superbiæ, & mundi sublimitatem. Et quoniam de Behemoth scriptum est in Iob: Non fugabit eum vir sagittarius sine auxilio Dei. Inuocare debetis diuinum auxilium, vt verbum Dei hodie in animabus vestris fructificet, & non remaneant steriles vel inanes. Cum intraret Iesus, &c. Obseruabit peccator iustum, & quærit mortificare eum. Tales erant Scribæ & Pharisæi, qui Christo insidiabantur, & eius doctrinam atque miracula annihilare & mortificare nitebantur. *De his quę Christo insidiantur.*

*Semper iniquorum scelus impedit acta bonorum.* *Versus.*

Inuidiæ enim morbo laborantes, ingrati erant saluatori; nec malitiam suam prorsus poterant abscondere. *O quàm difficile est crimen non prodere vultu.*

*Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum:*
*Pro fructu pœnam, pro pietate dolum.* *Versus.*

Pharisæi siquidem ita dura corda habebant, quod nec miraculis Christi, nec doctrina, nec beneficiis emoliri poterant. Teste autem Bernardo: Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, minis non cedit, flagellis induratur, ingratum ad beneficia, infidum ad consilia, seuerum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, futura non prouidens, & vt in breui cuncta mali horribilis amplectar, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Tales erant Pharisæi, quorum malitia corda eorum excæcabant. Vnde Isaias: Vinum hi præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Vino enim mundanæ dilectionis, & transitoriæ delectationis tanquam ebrij peruersum cor habebant, nec rectè intelligebant. *Contra cordis duritiam.*

Econtra populus simplex Dei mirabilia laudibus extollebat & Deum glorificabat. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Melior est homo qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quã qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi deficiens, scilicet, sensu scripturarum, sicut simplices vel sensu caliditatis mundanæ. Vnde Apostolus: Si quis inter vos videtur esse sapiẽs, stultus fiat vt sit sapiens. Et Psalmista ait: Audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis siluæ. Clerici enim & doctores sunt Effrata, qui speculantur & vident in scripturis. Effrata enim speculum interpretatur. In his audiuntur ista, scilicet, domus, locus, tabernaculum Dei, sed inueniuntur in campis siluæ, id est, in simplicibus & laicis agrestibus. Teste enim Isaia: Erit desertum in Chermel, & Chermel in saltum reputabitur. Chermel interpretatur scientia circuncisionis, per quod intelliguntur clerici & literati. Chermel autem sit in deserto, & conuerso, quia clerici infructuosi sunt, & laici simplices fructosi. Similiter Domino prędicante & miracula faciente simplices ædificabantur: Scribæ autem & Pharisæi malitia torquebantur. De quibus Isaias: Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino, moueamini & non ebrietate: quoniam miscuit vobis dominus spiritum saporis, claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros qui vidēt visiones operiet. Peccatis enim suis Pharisæi & Doctores Iudæorum qui oculi reputabantur, obtenebrati sunt & operti iniquitate & impietate sua, non inebriati vino charitatis, sed felle malitię suæ. Vua eorum vua fellis. In quorum persona idem Isaias ait: Scelera nostra nobiscum & iniquitates nostras cognouimus, peccare & mentiri contra Dominum, & auersi sumus ne iremus post tergum Dei nostri vt loquemur calumniam, & transgressionem concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij. Patet igitur quod ex certa malitia peccabant, & scelera sua cognouerunt loquentes calumniam, cum dicerent: Non est hic homo à Domino, qui sabbatum non custodit. Conceperunt autem prius in corde, & postea locuti sunt contra Christum verba mendacij. Vnde iterum de ipsis Isa. ait: Conceperunt laborem, pepererunt iniquitatem, oua aspidum ruperũt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt eis in vestimentum, neq; operientur operibus suis. Conceperunt siquidem Pharisæi ardorem malitiæ pariendo stipulam, opera, scilicet, iniquitatis, quasi fomentum ignis gehennalis. Teste enim Ieremia: Vt iniquè agerent, laborauerunt. Per oua aspidum, cogitationes intelliguntur peruersorum. Oua aspidum ruperunt, dum venenosas & dolosas cogitationes aperuerunt. Tela araneæ labore contexitur & facilè dissipatur, ita est de vita & operibus malorum. Vnde Iob: Non placebit ei vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. Aranea non in plano texit, sed in angulis domorum, sic & mali in duplicitate operantur, & se more araneæ euiscerãt, vt muscam capiant, sicut scriptum est: Tabescere fęcisti, sicut aranęam animam eius. Et in Ecclesiastico dicitur: In vita sua proiecit intima sua. Domus autem desertæ telis arenarum abundãt, ita & homines à gratia diuina deserti. Et licèt domus telis aranearum plena sit, nihilominus vacua reputatur, & reprobi inanes sunt & vacui, licèt inutilibus operibus abundent. Qui comederit de ouis eorum, morietur, illorum, scilicet, malitiis cõsentiendo, quia declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Et quod confotum est per malum propositum, erumpet in regulum, id est, in opus prauum & venenosum, quia de radice colubri, id est, de cogitatione venenosa egredietur regulus. Telæ eorum non erunt eis in vestimentum contra frigus gehennæ, nec operientur operibus suis

*De bona simplicitate.*

*De exaltatione & malitia Scribarum et Phariseorũ.*

contrà confusionem, quæ erit in iudicio. Vnde Petrus: Si tamen vestiti & non nudi inueniamini. Patet igitur ex præmissis, quanta fuerit malitia Pharisæorum. Vnde in hodierno Euangelio dicitur, quod cum intrasset domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbato mãducare panẽ, & ipsi obseruabant eũ, insidiando, scilicet, ei, si fortè sabbatũ violaret, vel si aliquod verbum diceret, vnde eum reprehendere possent. Sabbatis autem præcipuè docebat, & operabatur Dominus, non solum propter insinuandum spirituale sabbatum, sed propter celebriorẽ populi conuẽtum quærens salutẽ omniũ. Non igitur propter gulę illecebram Dominus ad cõuiuia veniebat sicut Pharisæi æstimabãt, dicẽtes quod erat potator vini & amicus Publicanorũ, sed vt retia proiiceret, vbi multi eranẽpisces vt plures caperẽtur. Ingressus est igitur Dominus mãducare panẽ non delicias: & vt lapides in panẽ conuerteret, & sibi eos incorporaret. Vsus tamen scripturæ est vt à principali parte cætera significet. Vnde de fratribus Ioseph dicitur: Audierant quod cũ Ioseph comesturi erãt panẽ, qui tamẽ cũ eo postea inebriati fuisse leguntur. Sequitur:

*De diuersis morbis animæ*

Et ecce homo quidã hydropicus erat ante illũ. Per varios morbos quos Christus sanauit in corpore, intelligũtur diuersæ infirmitates, quas sanauit in mente. Quidã enim laborant dysenteria libidinis, alij bolismo gulositatis, alij hydropisi auaritiæ, alij phreneſi superbiæ. Vnde Dominus per Isaiã: Cũ fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Itẽ quidã morbidi sunt ex superfluo humore, vt luxuriosi: quidam ex viscerum torsione, vt auari: quidam ex fumositate, vel ventositate, vt superbi. Relictis autẽ ægritudinibus de infirmitate hydropici specialiter & spiritualiter prosequamur, per quã quinq; genera morborũ designãtur. Hydropicus siquidẽ inordinato humore abũdat, ecce luxuria: quãtò plus bibit, tãtò amplius sitit: ecce auaritia: inflatus est, ecce superbia: põderosus est, ecce acidia seu tristitia: fœtidũ habet anhelitũ, ecce mali exempli corruptio cũ infamia. hydros siquidem idẽ est quod aqua, inde dicitur hydropisis morbus, scilicet, aquosus, subcutaneus, de vitio vesicę natus cũ inflatione turgẽte & anhelitu fœtido. &

*De luxuriosis.*

est propriũ hydropici, quãtò plus bibit, tãtò plus sitit. Cõparatur autẽ ei quę fluxus carnalium voluptatũ exuberãs aggrauat. Vnde Dominus in hodier. Euãgelio: animali quod in puteũ ceciderat, hydropicum cõparat, quia noxio humore perierat. Hæc est aqua illa, de qua Dominus in Euãgelio: qui biberit ex hac aqua, sitiet iterũ. Teste enim Hierony. Voluptas insatiabilis est, habita, famẽ, non satietatẽ parit. Vnde Osee: Comedẽt, & non saturabuntur, fornicati sunt, & nõ cessauerunt. Cõparatur insuper Hydropicus diuiti auaro, qui semper sitit: *Quia quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Hæ autem transitoriæ diuitiarum aquæ inordinatè abundãt in auaro qui retinet danda & non danda. Vnde in Eccle. dicitur: Viro cupido & tenaci, sine ratione substantia est. Irrationabiliter & inordinatè sunt illi diuitiæ, cõgregatę in malum Domini sui: quia nec sibi, nec alii inde benefacit, sicut scriptum est: Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructũ non capiet ex eis. Vnde iterum in Eccle. dicitur: Insatiabilis est oculus cupidi, in partem iniquitatis non satiabitur, donec consumet iniustitiam arefaciens animam suam, ab omni, scilicet, humore gratiæ, & ita præparat illam igni gehennæ. Iuxta illud Isa. Nutrimenta eius ligna multa. Et in Prouer. Salomon ait: Iustus comedit & implet animam suam, venter cupidorũ est insaturabilis. Auaritia enim nec copia, nec inopia minuitur. Et in Eccle. dicitur: Omnis labor hominis in ore eius, & anima eius non implebitur bonis. Propterea Seneca ait: Vtamur mundanis, non gloriemur, & vtamur parcè tãquam depositis apud nos & abituris. Quantò igitur hydropicus grossior est, tantò infirmior: ita diues auarus, quãtò magis abundat diuitiis, eò plenior est vitiis: & quantò plura acquisiuit, eò amplius in acquirendis exardescit. Vnde Naum ait: Leo cœpit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis, & impleuit præda speluncas suas. Hoc specialiter tangit fœneratores, qui pro filiis & vxoribus multa iniustè acquirunt. Hydropicus quoq;, quia inflatus est, comparatur superbo, qui est velut vesicula inflata & plena vento. Vnde & Dominus in Leuitico: vesiculã iubet proiici à sacrificio. Superbia autẽ vento comparatur, quia inflat. Sicut scriptũ est: Scientia inflat, id est, superbia ex scientia proueniens: charitas ædificat, quia eleuat more fermenti. Vnde Lucifer ait: Ascendam in altũ. Valdè siquidem splendidus & ornatus fuit, veruntamẽ excelsa non abstulit, vnde miserabiliter corruit, quia citò transit. Sicut scriptum est: Quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Hydropicus comparatur spiritualiter pigro, & acidioso propter põderositatem, licèt quodlibet peccatũ reddit hominem ponderosum. Vnde Psal. Nõ me demergat tẽpestas aquæ per prauũ cõsensum: nec absorbeat me profundũ per delectationẽ & malã operationẽ: nec vrgeat puteus super me os suũ per desperationem. Sicut autẽ offa imbuta descendit ad fundum scyphi: ita pigri & acedioſi ad ima inferni. Hęc siquidẽ ponderositas mola est asinaria, qua miseri demergũtur in abyssum vitiorũ, & inde in abyssum inferni: quia abyssus abyssum inuocat. Vnde Iere. in Threnis: Conuolutæ sunt iniquitates meæ, & impositæ collo meo. Conuolutæ, id est, circumuolutæ vinculo indissolubili, & impositæ collo meo tanquam suffocaturæ. Abiiciamus igitur à nobis ponderositatem acediæ, & non tardemus conuerti ad Dominum. Vox siquidẽ cantãtis in fenestra, id est, in aure cordis, vox coruina est vox diaboli, qui clamat: cras, cras pœnitebis. Vnde Auguſt. Sine modò sine modò, & illud modò non habebat modum, & hoc sine paulatim ibat in longum. Melius est igitur, vt audiamus illum qui clamat: Stulte hac nocte repetent animam tuam. Hydropicus comparatur infami & aperto peccatori, qui alios malo exemplo corrumpit. Hydropicus siquidẽ fœtidum anhelitum nutrit, dum suæ prauitatis infamiam vbique dispergit. Vnde

*De superbis.*

*De pigris & acidiosis.*

*De apertis & fœtidis peccatoribus.*

Isaias:

Isaias: De cadaueribus eorum fœtor ascédet. Anima mortua cadaueri comparatur, est enim velut caro data vermibus: quia carnalis est, & vermibus prauorum desideriorum corroditur. Patet igitur quantum sit miraculum, dum Dominus prædictum curat hydropicum. Coram Pharisæis qui auari erant, voluit hydropicum curare, vt dum in vno sanaretur infirmitas corporis, in multis curaretur morbus mentis. Prius tamen quàm ipsum sanaret, respondens, dixit ad Legisperitos & Pharisæos, Si licet sabbato curare? Dum ad Pharisæorum cogitationes respondit, virtutem diuinitatis ostendit. Quasi diceret: Si licèt opera charitatis facere sine sabbati solutione? At illi tacuerunt. Meritò tacent, qui contra se dictum quicquid dicerent, vident. Si enim licet, cur ipsum obseruabant? Si non licet, cur in sabbato pecora curabant, & de puteo extrahebant? Maius autem est hominem curare, quàm de puteo pecus extrahere. Si hoc igitur licet, multò magis & illud. Illis autem tacentibus apprehensum sanauit eum & dimisit. Vitium autem quod est in corpore, Pharisæi gestabant in mente. Vnde & ipsum coram ipsis curat in corpore, vt illi hoc exemplo discant sanari in mente. Docet autem eos legem & requiem sabbati malè interpretari. In sabbato enim non à bonis feriandum est, sed à peccato. Vt autem obstrueret ora loquentium iniqua, proposuit eis exemplum, ad quod non poterant respondere, dicens: Cuius vestrum bos aut asinus in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Competenti igitur exemplo soluit quæstionem, vt eos ostendat sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere charitatis. Quasi diceret: Si vos animal in sabbato de puteo extrahitis, non animali, sed auaritiæ vestræ consulentes, quommodo arguere me potestis, si languidos curo intuitu charitatis? In hoc autem vàldè arguuntur Prælati, qui magis curant de lucro temporaliũ, quàm de salute animarum. Spiritualiter autem, dum quisque morbo auaritiæ succumbit, quasi sitiens in puteum cadit. Bos & asinus in puteum cadũt, id est, tam sapientes quàm stolidi, tam magni, quàm parui. Sicut scriptum est: A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student. Dicebat autem, & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent. Inuitatos igitur à principe Phariseorum, quos prius redarguerat de auaritia, nunc redarguit de superbia & ad humilitatem inuitat, dicens: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, &c. quæ sequuntur. Ad literam prudentis & honesti viri est alios honore præuenire & sibi præferre. Attendere etiam debet homo statum conditionis suæ, & cum paribus aut minoribus societate iungi, non maioribus sociari.

*De curatione hydropici & sabbato, bone, & asino.*

*De inuitatis ad nuptias, et de loco humilitatis.*

*Sic; uoles aptè nubere, nube pari.* *Versus.*

Vnde & sapiens nos admonet, vt declinemus consortia magnorum & superborum, & sectemur consortia paruorum & humilium. Ecclesiasticus: Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat, & ditiori te ne socius fueris. Quid cõmunicabit cacabus ad ollam, quando sese colliserint, confringetur olla, scilicet, id est, per potentiam maioris deprimetur. Vtile autem esset & valde necessarium vt hęc Christi doctrina in gradibus Ecclesię & Ecclesiasticis honoribus seruaretur, vt semper minor videns se minus dignum, cederet maiori, nec occuparet locum melioris, sed etiam si promotus esset, alij digniori locum suum libenter quantum in se est, relinquere deberet, recogitando se potius seruitutis & ministerij locum obtinere, quàm dignitatis & prælationis. Vnde Ecclesiasticus: Noli quærere ab homine ducatum, neq; à Rege cathedram honoris. Nunc autem à sede vix occupata semel aliquis auelli potest, licet insufficiens sit vel criminosus. Ex quo patet tales magis quærere quæ sua sunt, quàm quæ Iesu Christi & proximorum. Monachi verò Cistercienses ordinis non bene locum suum seruantibus, dicere consueruntt: Facimus vobis misericordiam, date his loca, vt à laboribus quiescatis. Quidam tamen nõ cum gaudio aut humilitate, sed tristitia & rubore incipiunt nouissimum locum retinere. Prædictam autem Domini parabolam de elatione & superbia mentis, & humilitate cordis prosequemur. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, id est, ad Christi & Ecclesiæ coniunctionem, per gratiam fidei fueris vocatus, & numero fidelium coniunctus, vel à prædicatore fueris inuitatus ad nuptias æternæ beatitudinis, non discumbas in primo loco, id est, non de meritis gloriando, quasi cæteris sublimior te extollas. Qui enim hoc modo se exaltat, humiliabitur à Deo, & vilis reputabitur, sicut Pharisæus iste, qui de meritis gloriando dicebat: Non sum sicut cæteri hominum. Vnde & subditur: Ne fortè honoratior te sit inuitatus ab eo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sæpe enim per mentis elationem, de superiori gradu ad inferiorem quis descendit, quia dum mente tumidus est, & inflatus, aut per carnis petulantiam, aut per aliud vitium id agere permittitur, quod ab omnibus vituperetur, & ita incipit cum rubore locum nouissimum obtinere. Vnde & Sauli dictum est: Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. Et paulò pòst: Quia abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex. Potest tamen hæc humiliatio, & descensus iste in bono intelligi, sub hoc sensu. Ne fortè honoratior te, id est, gratior inuitatori, & si alius occultus sit inuitatus ab eo, & ad maiorem gratiam vocatus, & veniens per gratiam, & te & illum tibi ostendens Deus, qui corda singulorum nouit, dicat tibi: da huic locum, id est, intellige te isto minorem: & ita cum rubore, id est, cum præsentiali erubescentia incipias nouissimum locum, id est, humiliorem obtinere: & hoc quidem bonum est, vt ad pœnitentiam humilieris, pro eo quod superbisti, & erubescens quod de te aliquando maiora præsumpseris, incipias ad pœnitentiam humiliari, & te cognoscere minoris esse

*Eccle. 13.*

*Eccle. 7.*

*De recumbentibus in minori loco.*

*Omnibus aliis minorem se reputat.*

ris esse meriti, vt dicas cum Propheta: Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. Sequitur. Sed cũ vocatus fueris, vade, & recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. In minori loco recumbere, est seipsum minorem omni alio reputare alios siquidem superiores & maioris meriti arbitrari & reputare debemus. Vnde Heremitæ reputanti se magnum esse, ostendit Dominus ioculatorem parem in merito, quo viso se humiliauit. Qui enim voluerit esse maior apud Deum, fiat sicut minor apud seipsum. Scriptum est enim: Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Vnde cancellum Ecclesiæ humilius est reliqua parte, quia humilitas membrorum ad Christi humilitatem non potest peruenire. Quantò aliquis se nihil reputat magni esse ex se, tantò humilior reputatur. Quantò siquidem anima magis sibi vilescit, tantò glorioſior est in conspectu Dei, qui superbis resistit & humilibus dat gratiam. Vnde Ieremias in Threnis: Vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis. Et Dauid cùm saltasset coram arca ait: Ludam & vilior fiam, quã factus sum, & ero humilis in oculis meis. Cùm igitur venerit ad iudicium, vel quotidie augendo gratiam in humilibus quam aufert superbis, qui te inuitauit ad nuptias indeficientes ad regnum, & consortium sanctorum dicat tibi: Amice, ascende superius, propter humilitatem te amicum recognoscens, quem propter præsumptionem postponebat. Humilitas siquidem amicum Dei facit, qui alta à longe cognoscit. Ascende superius de virtute in virtutem, de minori gratia ad maiorem, de vallè ad montem, de exilio ad patriam. Et tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, id est, in eadem fide, vel in eadem gloria quiescentibus. Nõ igitur hic incipias velle possidere, quod tibi reseruatur in fine. Quia hęreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Nisi igitur in vltimo loco sederimus per humilitatem & propriæ voluntatis abdicationem, non audiemus, amice, ascende superius, nec erit nobis gloria coram simul discumbentibus. Sedeamus igitur in loco vltimo, & minores omnibus aliis reputando. Sed quomodo fidelis & iustus homo, qui nihil sibi conscius est, reputabit se minorem Iudæo, vel Sarracæno, vel metricibus publicis, aut homicidis. Nunquid error est in huiusmodi æstimatione, præsertim cùm propter humilitatem non debeat aliquis seipsum mendacio vel errore illaqueare? Si prædicta ad statum prædestinationis referantur, facilius est respondere. Nescimus enim quantus sit in Dei prædestinatione qui nunc est in peccato mortali, seu infidelitate. Nónne fatuus esset Iudas apostolus cùm esset iustus, si se maiorem Saulo vel Maria Magdalena, quæ meretrix erat, reputaret? Igitur secundum diuinæ prædestinationis propositum quolibet homine me minorem possum meritoriè æstimare. Si autem ad præsentem statum hanc minoritatis extimationem referamus, tunc difficilius est prædicta verba exponere. Nobis siquidem videtur sine præiudicio melioris sententiæ quàm vir iustus, qui nullius mortalis peccati sibi conscius est, non simpliciter se minorem debeat æstimari infideli pessimo Christiano, quem apertè videt in mortali peccato. Sed quoad quòd se debet minorem omnibus reputare dum attendit quod fortè aliquod malũ latet in ipso quod magis displicet Domino. Nõ enim scit vtrũ sit dignus odio vel amore. Delicta enim & emissiones quis intelligit? Iterũ cõsiderare debes quod forsitã aliquod bonũ est in peccatore per quod poterit ad maiorem gratiam, quam tu habeas seipsum habilitare: & quia tu magis agnoscis propriam fragilitatem quam alienam, tu omnibus aliis fragiliorem te debes reputare. Si enim ei qui manifestè est in mortali peccato, gratia tãta collata fuisset quanta collata est tibi, forsitan melius vsus esset gratia illa, & talentum sibi commissum diligentius multiplicasset. Econtra: Si tu variis tentationibus fuisses expositus & à Dei adiutorio derelictus, forte deterius peccasses. Cùm igitur nihil boni habeas à te, minorem & fragiliorem omnibus quantũ in te est, te debes reputare, & ex hac consideratione valde debes humiliare spiritum tuum. Vnde & Dominus hodiernũ Euangelium sic concludit. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Qui enim incautè de meritis se eleuat, humiliabitur à Domino, & in conspectu Dei deiicietur, & si non in conspectu hominum, & qui se humiliat, prouidè in præsenti de merito, exaltabitur postmodum in præmio. Teste enim Isaia: Princeps ea quæ sunt digna principi cogitabit, & ipse super duces stabit. Digna principe cogitare, est parcere subiectis & debellare superbos. Ipse super duces stabit, id est, super Apostolos & eorum imitatores defendens & protegens eos. Qui se exaltat, humiliabitur. Vnde in Parabolis: Contritionem præcedet superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus. Et in Euangelio Dominus ait: Tu Capharnaum vsque in cœlum exaltaberis, vsque ad infernum descendes. Et per Oseam dicit: Expandam super eos rete meum, & quasi volucrem cœli detraham, id est, deiiciam propter peccatum superbiæ, quæ per volucrem designatur. Qui se humiliat, exaltabitur. Vnde Sapiens ait: Auocatus à potente, discede, ex hoc enim magis te vocabit. Et in Ezechiele: Quò pulchrior es, descende. Sicut autem qui vult saltare, inclinat se vt melius saliat: ita & nos humiliando inclinemus, vt vsque in cœlum saltum facere valeamus. Et more vermiculi nosmetipsos contrahamus, vt nos magis extendere possimus. Vnde Iacobus ait: Glorietur frater humilis in exaltatione sua, quasi diceret: Vnde humiliatur, inde exaltatur. Teste autem Ecclesiastico: Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet. Et iterum Ecclesiasticus: Est propter gloriam minoratio, id est, qui minoratur & humiliatur. Qui exaltauit se inaniter gloriando, & est qui ab humilitate leuauit caput, id est, qui propter humilitatem in præsenti exaltabitur in futuro, in cœlesti patria, caput

*Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & econtra.*

*Ezech. 32.*

*Eccle. 11.*

*Item 20.*

caput leuando, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## DOMINICA DECIMAOCTAVA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE EX ISAIA. 14.

*Da pacem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur: & exaudi preces serui tui, & plebis tuæ Israël.* Isa 14.

IN translatione nostra habetur. Da mercedem Domine sustinentibus te. Erit in die illa cùm requiem dederit Dominus tibi à labore tuo, id est, à concussione tua, & à seruitute dura sumes parabolam contra Regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum, contriuit Dominus baculum impiorum. Verba sunt Isaiæ de pace quam daturus est Dominus sanctis post varias temptationes & perturbationes, quando, scilicet, Dominus dabit requiem electis à multiplici labore. Sicut scriptum est: Amodo iam dicet spiritus vt requiescant à laboribus suis & à concussionibus: quia variis tentationibus concutiuntur & velut triticum cribrantur & purgantur, & à seruitute dura qua gemebant in exilio huius mundi detenti, & in carcere corporis inclusi. Vnde Apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Tunc sument Parabolam cõtra Regem Babylonis, id est, contra diabolum & complices eius & dicent: Quomodo cessauit exactor? Hoc dicunt sancti in morte quando de gloria sunt securi, vel quando de purgatorio euadunt, hoc etiam dicent in die iudicij. Sicut filij Israël liberati de dura seruitute Pharonis cecinerunt: Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus est. Quomodo cessat exactor, id est, diabolus, qui tributum pœnæ exigit pro peccatis vsque ad vltimum quadrantem. Quieuit tributum, quo tenebantur peccatores obligati. Contriuit Dominus baculum impiorum, id est, flagella, quibus impij iustos affligunt in præsenti. Non solum autem boni diabolo insultabunt, sed & impij quasi quoddam solatium habebunt, dum eos habebunt socios in pœna, quos suggestores habuerunt in culpa. Vnde paulò pòst Isaias subdit: Principes nationum vniuersi respondebunt, & dicẽt tibi. Tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es. Prędictam igitur pacem desiderant sancti, vt quandoque habeant pacem de diabolo, qui nunquam in hoc seculo pacem habent vel habere volunt, cum diabolo licèt aliquando pacem habeant, de ipso cùm iam deuictis tentationibus ad tantam perfectionem venerunt, vt dę monibus imperent, nec eos inimicus audeat impugnare, sicut scriptum est: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Mali autem in prẹsenti pacem habent cum diabolo, dum eius per omnia acquiescunt voluntati, & in vitiis suis requiescunt, nec cum ipso pugnam habere nolunt. Econtra quantò iusti amplius à diabolo impugnantur, tantò firmiori pace cum Domino solidantur. Impij autem non pugnant, nec resistunt diabolo. De quibus in Iob dicitur: Qui bibunt quasi aquam iniquitatem. Sicut enim moram non habet ad glutiendum id quod bibitur, ita culpa quæ sine aliqua retractione perpetratur. Hæc autem pax diabolica non est pax vera, sed ficta, blanditur enim, vt decipiat pacẽ, simulat vt perimat. Sicut de Ioab legimus, quod tenens mentum Amasæ, quasi vellet ipsum osculari, & loquens ei, in dolo occidit eum. Immittit igitur diabolus flans requiem seruis suis, & quasi in spelunca duplici sepelit, dum amore malè inflammante, & timore malè humiliante absorbentur. Tu autem nunquam pacem habeas cum diabolo, nũquam fœdus inèas cum gentibus, quas eiecit Dominus de terra promissionis. Si enim haberes odio eos, qui parentes tuos interficerent, quare non odis & persequeris diabolum, qui primos parentes tuos occidit, & quotidie fratres tuos interficere non cessat, & teipsum interficere desiderat? Sicut quidam pacem habent cum diabolo, & alij pacem de diabolo: ita quidam habent pacem cum mundo, quidam de mundo, siue à mundo. Pacem à mundo habent, qui secularibus delectantur, & quibus mundana placent, quos mundus veneratur, & qui hic habent consolationem suam. De quibus in Iob dicitur: Domus eorum sunt securæ & pacatæ, & virga Dei non est super illos. Hanc pacem Deus non venit mittere in terram, sed magis gladium, vt homo ab amore mundi separetur. Vnde in Euangelio ait: Et nunc quæ ad pacem sunt tibi, id est, in præsenti tempore habes, ea, scilicet, quæ sunt tibi ad pacem temporis, & secularis prosperitatis. De hac pace dicitur per Prophetam: Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, requieuit in fæcibus suis. In pace autem ista amaritudo est amarissima. Amatores enim mundi in pace prosperitatis suę amaritudinem peccatorum sustinent, quam tamen voluptatem ęstimant, quia esse sub sentibus delicias reputant. De quibus Propheta ait: Effraim vitula docta diligere trituram. Non sunt tauri, sed vitulæ & effeminati, qui secularibus negotiis delectantur. Pacem igitur cum mundo reprobi habent, dum rebus temporalibus lætantur, honoribus extolluntur, carnis voluptatibus resoluuntur, nulla pœnæ venturæ formidine proteruntur. Quidam autem licèt non habeant pacem cum mundo, habent tamen pacem de mũdo. Hi sunt sancti & perfecti homines mundum contemnentes, & nulla quæ mundi sunt, desiderantes, quibus mundus crucifixus est, & ipsi mundo, qui nec attolluntur mundi prosperitate, nec franguntur aduersitate. Vnde Psalmista: Sicut tenebræ eius ita & lumen eius. Et iterum: Per diem Sol non vret te, neque Luna

*Post varias tribulationes & temptationes Deus dat pacem electis suis.*

*De pace cum diabolo, & de pace de diabolo.*

que Luna per noctem. Non enim Sole mundanæ vanitatis corrumpuntur per diem prosperitatis, nec Luna mundanæ varietatis per noctem aduersitatis. Et Ezechiel ait: Non erit vltra Domui Israël offendiculum amaritudinis & spina dolorem inferens. Non enim contristabit iustũ quicquid ei acciderit. Vultus enim eius non mutatur in diuersa. Pro hac pace orat Psal. dicens: Fiat pax in virtute tua ab exterioribus insultibus in corpore, & abundantia in turribus tuis intus in mente. Pari modo quidam habent pacem cum corpore, seu carne sua, quidam pacem de carne & non cũ carne. Pacẽ cum carne habent, qui voluptatibus carnis non repugnant, sed eius desideriis per omnia acquiescunt, & in vitiis illam fouent & nutriunt. Hi igitur requiescũt in sepulchris concupiscentiæ, & fœditate pacis turpissimæ. Econtra de iustis dicitur: Requiescet populus meus in pulchritudine pacis. De his autem qui cum carne pacem habent, & verme atque putredine delectantur, dicitur in Iob: Obliuiscetur eius misericordia, dulcedo eius vermis. Hi sunt qui in gremio Dalidæ dormierunt & virtutum crinibus spoliantur coquentes hœdum in lacte matris suæ, id est, seipsos qui fœtidi sunt in carnis suauitate & quiescentes cum Behemoth in locis humentibus atque cubantes cum dracone magno in medio fluminis carnalis voluptatis. Sicut dicitur in Ezechiele: Qui autem cum carne sua pacem habent, nunquam cum Domino pacem habere valent: quia sapientia carnis mors est & inimica Domino. Alij autem pacem habent de carne, qui carnem mortificauerunt, & ipsam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt, qui iumento indomito infidẽtes faciem habent euntis in Hierusalem. Dum enim caro spiritui non repugnat, dicere possunt cum Propheta: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Pax enim Dei in ipsis exsuperat omnem sensum & omnem sensualitatem absorbet. Corpora enim sanctorum in pace sepulta sunt dum spiritui obediunt, dum Agar ancilla ad Dominam reuertitur, & ei in pace subiicitur. Vnde Isaias ait: Exsiccatum est fœnum & cecidit flos, quia spiritus Domini exsufflauit in ipso. Flante enim spiritu sancto, cadit in nobis iocunditas temporalis, & exsiccatur fœnum carnalitatis, dum nervus fœmoris Iacob emarcescit. Quidam habent pacem cum proximo, quidam de proximo, siue à proximo. Pacem habent cum proximis, qui concordant & conueniunt cum ipsis. Sed est concordia bona, & est concordia mala. Est concordia bonorum, & est concordia malorum. De bona pace seu concordia dicit Apostolus: Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Sanctimonia dicitur perfectio bonorum operum, vel castitas mentis & corporis, sine qua non est salus. Similiter non videbit DEVM, qui non habet pacem ad proximum. Frustra quidem se affligit in corpore, qui odium seruat in mente: De mala pace seu concordia malorum, qui conueniunt de vanitate, in idipsum dicit Naum: Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium illorum pariter potantium. Et Isaias: Congregati sunt milui alter ad alterum. De proximis autem pacem habemus, dum ab ipsis exterius non infestamur. Multi siquidem malitiam habent in mente, qui non audent illam ostendere in corpore, sed cohibentur seruili timore. Vnde Iob: Frater fui draconum, & socius struthionum. Et Psalmista: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Et Seneca: Id agas, ne quis meritò te oderit, & si nullos inimicos tibi facit iniuria, multos facit superbia. Quidam pacem habent cum Domino, & ipsi boni: alij pacem de Domino, & hi sunt mali, quos, scilicet, Deus non flagellat in hoc seculo, sed relinquit propriæ voluntati, & hæc est magna ira Dei, blanda siquidem nil sæuius ira: Deus enim flagellat omnem filium quem recipit. Vnde qui extra disciplinam constituuntur, non filij reputantur. De hac pace dicit Ieremias: Dixerunt, pax pax, & non est pax. Non enim veram pacem reputare debemus, cùm à Domino in præsenti non flagellamur. Quicunque enim facit mortale peccatum, inimicus est Dei, dum eius voluntati contradicit. Vnde in Persona Dei Gregorius ait: A me fide discrepat, qui opere non concordat. Cum Domino autem pacem habemus, dum ei per pœnitentiam reconciliamur. Per hanc enim destruitur murus, qui diuidit inter DEVM & peccatorem: & ita Deus in ciuitatem munitam deducitur, dum murus Hiericho destruitur, vt dicere possit: In Domino meo transgrediar murum, id est, obstacula peccatorum. Hoc est quod Isaias ait: Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & DEVM. In pace autem reconciliationis oportet quod sit amaritudo amarissima. Amara enim amaritudo, dum recolit peccator peccata prauæ delectationis. Amarior, dum recolit consensum iniquitatis. Amarissima, dum recolit peccatum praui operis. Hanc autem pacem reconciliationis DEVS oblatam non respuit, qui pacem offert iniurianti, qui etiam de illata iniuria satisfecit. Laudabilis quidem est qui iniuriam passus, pacem oblatam humiliter recipit. Laudabilior qui pacem offert iniurianti. Supertlaudabilis qui de iniuria illata satisfacit. Hanc autem pacem reconciliationis CHRISTVS nobis ex parte patris attulit, & nobis obtulit, in ingressu, in progressu, in egressu, & in regressu. Dum enim mundum ingressus est, nuntiatum est ab Angelis: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloria siquidem Domino, & hominus pax debetur. Qui igitur sibi gloriam appetit, ipsum Dominum iure proprio spoliare præsumit. Scriptũ est enim: Soli Deo honor & gloria. Deũ igitur spoliat, qui gloriã sibi vsurpat. In progressu nobis pacem obtulit dum discipulis ait: In quamcunq; domũ intraueritis, dicite: Pax huic domui. In egressu verò recessurus à mundo, ait discipulis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

*De his qui pacem habent cum carne & à carne.*

*De pace cum proximo & à proximo.*

*De pace cum Domino, & de Deo.*

*De pace reconciliationis.*

In regressu

In regressu verò resurgens à mortuis, dixit discipulis suis: Pax vobis. De hac iterum pace, id est, de humani generis reconciliatione ait Abacuc: Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud, opus, scilicet, spirituale reconciliationis humanæ. Est autem annus culpæ, de quo dicitur. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Est annus glorię, de quo per Isaiam Dominus ait: Annus retributionis meæ venit. In medio autem istorum annorum est annus gratiæ, de quo scriptum est: Benedices coronę anni benignitatis tuę. In hoc anno Dominus genus humanum Domino patri reconciliando viuificauit. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Vnde per Isaiam ait: Ponam visitationem tuam pacem, id est, visitatorem tuum Christum, & præpositos tuos iustitiam. Præpositi siquidem, id est, Prælati emphaticè iustitia nuncupantur. Cùm igitur Christus mortem suam dederit infidelibus vt recõciliarentur, quale est illud quod seruat fidelibus vt glorificentur. Pacem ergo reconciliationis petit sponsa, dicens: Osculetur me osculo oris sui. Et Isaac in persona patris dicit: Da mihi osculum fili mi. Habemus insuper pacem cum Domino, dum idem volumus & nolumus cum ipso, dum nobis * patet quicquid fit ab ipso. Et quoniam per ipsum omnia facta sunt, quicquid fit in mundo præter peccatũ, placet perfecto viro. Vnde & sancti audiendo conuicia, suscipiendo damna temporalia & corporales afflictiones, non turbantur vel murmurant, sed gratias agunt & gaudent. Hanc pacẽ dat Dominus sustinentibus se. Qui enim vitæ futuræ præmia expectant, mala vitæ præsentis æquanimiter tolerant. Hanc autem pacem generat in nobis custodia mandatorum Dei. Vnde per Isaiam ait Dominus: Vtinam addisceres mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, iustitia tua sicut gurges maris, & fuisset quasi arena semen tuum. Pax flumini comparatur propter abundantiam, quia sitim peccandi extinguit. Sicut scriptum est in Isaia: Ecce ego declinabo super eum flumina pacis. Et in Psalmo: Orietur cum ipso iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna. Iustitia autem gurgiti comparatur, quia vir iustus more gurgitis aliquando effluit per opus bonum, aliquando refluit reuertendo ad se & discutiendo seipsum. Semen etiam iusti comparatur arenæ, id est, opera valde multa & quasi innumerabilia, parua per humilitatem, & falsa per mentis compunctionem. Patet igitur quod quidam habẽt pacem de Domino, alij pacem cum Domino. Habetur insuper pax à Domino, quæ triplex est. Pax, scilicet, temporis, pax pectoris, & pax æternitatis. Pax temporis plerumque necessaria est maximè infirmis, qui perturbationes exteriores nondum valent plenè sustinere. Vnde in orationibus nostris frequẽter huiusmodi pax petitur vt Ecclesia Dei tranquilla deuotione lętetur. Et Psalmista ait: Rogate quæ ad pacẽ sunt Hierusalem. Et per Ieremiam Dominus ait: Quęrite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea Dominum, quia in pace illius est pax vestra. Hanc tamen pacem temporis multi appetunt, non vt Domino tranquillè seruiant, sed vt delitiosè viuant, & non molestentur exterius. Multi enim exterius pacem habent temporis, qui non habent interius pacem cordis. Hanc enim mundus dare non potest, sed magis auferre potest. Vnde in Euangelio Dominus ait: Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Vnde Isaias: In Cethim cõsurgens trãsfreta, ibiq́ue non erit requies tibi. Cethim interpretatur mare congelascens, quod, scilicet, pulchrum est in superficie & videtur firmum, sed citò dissoluitur. Hic est mundus iste, & terrena fœlicitas atque temporalis prosperitas, in quibus vera pax vel requies non habetur. Per Cethim insuper, id est, per mare congelascens potest intelligi peccatum, quod ducit ad amaritudinem, & congelat mentem. Et est sensus: O anima quæ es in Cethim, id est in amaritudine peccatorum, & gelicidio vitiorum, consurgens per pœnitentiam, transfreta per bona opera & satisfactionem, quia ibi, id est, in peccatis non erit requies tibi. Nunc autem de pace pectoris subiungamus, quæ duplex est. Dicitur enim pax pectoris tranquillitas conscientiæ, quam peccatum mortale non remordet, vel reprehendit. De hac pace Apostolus ait: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Et Isaias: Vetus error abiit, seruabis pacẽ, pacem quia in te sperauimus. Recedẽte enim errore peccatorum, redditur pax pectoris & tranquillitas conscientiæ non remordentis, & dat Dominus pacem sustinentibus eum, & sperantibus in ipsum. Repetitio autem pacis, est confirmatio: vel refertur ad pacem in præsenti, & ad pacem in futuro. Reliquiæ enim sunt homini pacifico. In hac igitur pace pectoris, id est, in hoc sabbato requietionis affligere debemus animas nostras, & cõteri de peccatis præteritis. De hac pace conscientiæ ait Seneca: Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris quàm teipsum. Alium potes effugere, te autem nunquam dignus tibi sis coram quo peccare te pudeat. Et iterum ait: Malis nulla maior pœna est conscientiæ, quàm quod sibi ipsis ac suis displicet. Non est igitur pax impiis, dum conscientiæ vermis eos corrodit: quia se iudice nemo nocens absoluitur. Lux enim in tenebris lucet, dum reprobi per rationis scintillam, quæ nunquam prorsus extinguitur, cognoscunt malum esse quod faciunt. Vnde Isaias: Agnitio vultus eorum respondebit eis, id est, peccatum suum eos remordebit, dum venient in cognitionem peccatorum suorum, sicut in libro Sapientiæ dicitur. Iuxta illud: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Et in libro Sapientiæ de impiis dicitur: Ipsi sibi erant grauiores tenebris, quia grauissima pœna est stimulus conscientiæ remordentis. Et iterum in eodem dicitur: Cùm sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem. Semper enim præsumit sæua pertur bata conscientia. Post timorem huiusmodi sequitur ardens peccati desiderium, quod timorem expellens inducit peccatum, & ita more febrecitantis nunc calet, nunc alget misera anima, & semper

*placet.

*De pace eiusdem voluntatis.*

*De tripliti pace à Deo.*

*De pace pectoris.*

semper torquetur mala conscientia. Propterea in Ecclesiastico dicitur: Beatus vir, qui non est lapsus in verbo in ore suo, & non est stimulatus in tristitia delicti. Est alia pax pectoris, id est, sabbatum, scilicet, mentis delicatæ, & requies animæ post diuersas temptationes purgatæ, sicut scriptum est: In paucis vexati, in multis bene disponentur. Postquam enim homo varios insultus temptationum sustinuit, quasi post tempestatem Deus serenum reddit. Vnde possit dicere cum sponsa: Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floridus. Pulcher secundum diuinitatem, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur: decorus secundum humanitatem, quia speciosus forma præ filiis hominum. Pulcher & decorus faciens pulchros in fide, & decoros in operatione. In lectulo autem contemplationis, & pacis requiescit anima à tumultibus mundi, & à strepitu curarum atque terrenorum, & carnalium desideriorum. Quasi lectulus florere dicitur, dum aliis boni exempli odor datur. Vnde Seneca: Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. Et Dominus in Euangelio: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Nisi enim valdè humilietur homo, non perueniet ad hanc pacem, quia superbiæ strepitus tollit quietem. Et ideò dum Ægyptus muscis percutitur, filiis Israël custodia sabbati imperatur. Hic enim homo non est à Deo, qui sabbatum non custodit. Nihil autem laboriosius quàm terrenis desideriis æstuare: nihil quietius, quàm in hoc sæculo nihil appetere. Ideò autem Christus potatus est aceto, vt à corpore Ecclesiæ humores noxios, & à cordibus suorum, vermes prauorum desideriorum purgaret. Pretium insuper sanguinis sui voluit dare in sepulturam peregrinorum, vt remoti & peregrini ab hoc sæculo in pace pectoris quiescerent cum ipso. Qui igitur diu pœnituerunt, & temptationes vicerunt, & iam ad serenitatem conscientiæ peruenerunt, dicere possint cum Propheta: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Hi autem vino defæcato comparantur. Incipientes verò qui nondum plenè purgati sunt, comparantur musto vbi simul est fæx cum vino. Ipsi quidem adhuc turbidi sunt præ dolore peccatorum. Vnde Psalmista: Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, veruntamen fæx eius non est exinanita. Per fæces enim quæ in fundo sunt, vinum fortius & melius custoditur, dum peccata ad memoriam reducuntur. Ad hanc autem pectoris pacem Dominus nos inuitat, dicens: Videte ne corda vestra grauentur curis huius sæculi. Melior est siquidem buccella panis cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Et Bernardus: Apud alios sunt fructus diuitiarum, diuitibus autem homen cedit & sollicitudo. Qui igitur multa habent animalia, id est, multis curis implicantur, in terra promissionis nequeunt per pacem contemplationis habitare. De quibus exemplificant Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse. De his autem qui ad contemplationis pacem peruenerunt, ait Psalmista: Imaginem ipsorum ad nihilum rediges, id est, imaginationem impuram ne turpia versentur in corde. De his imaginationibus Ezechiel ait: Fecisti tibi imagines masculinas. Et in Numero dicitur: Loquere filiis Israël, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacintinas, quas cùm viderint, recordentur mandatorum Dei, ne sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes. Vnde Psalmista ait: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, id est, in secreta contemplatione, vt faciem tuam meditando intueantur, & à conturbatione hominum remoueantur, quod fit dum animus in claustro quietis exclusis secularibus curis solus cum sola amica sua, id est, cum Dei sapientia in thalamo exornato delectantur, claudendo dormitorium cordis, cum claue crucis ne intret turba malarum cogitationum, quæ facit strepitum, vt dicere possit: Pueri mei mecum sunt in cubili meo, id est, cogitationes & opera in secreto. Post pacem reconciliationis, & pacem conscientiæ non remordentis, & pacem tranquillæ & purgatæ mentis dat Dominus pacem æternitatis, velut sabbatum ex sabbato. Post sabbatum enim & quietem mentis in præsenti dat Dominus Deus sabbatum æternæ iocunditatis. Ipse enim non dat pacem, nisi super pacem. Vnde Psalmista: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quasi diceret: Dormiam in præsenti in pace pectoris, requiescam in futuro in idipsum, id est, in pace incommutabili. De qua Dominus per Isaiam ait: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, id est, operibus plena. Per primum notatur tranquillitas, per secundum securitas, per tertium omnium bonorum fertilitas. Qui ad hanc pacem peruenire desiderant, oportet quod multas tribulationes sustineant, & quod constanter & perseueranter æternam remunerationem expectent. Cœpisse quidem multorum est, peruenisse ad culmen perfectionis paucorum. Non inchoasse tantum, sed perfecisse virtus est. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerantibus datur. Incassum quippe bonum agitur, si ante vitę terminum deseratur. Vnde in hodierno officio dicitur: Da pacem Domine sustinẽtibus te. Si enim sustinuerimus per patientiam expectando, licèt Ioseph noster asperè loquatur nobis, aliquando veniet tempus, cum se non poterit amplius continere, & dicet: ego sum Ioseph frater vester: pro salute vestra misit me Dominus, nolite timere. Qui igitur nunc loquitur asperè, tunc suauiter loquetur fratribus suis verbum suaue: Esuriui & dedistis mihi manducare. Suauius: Venite benedicti patris mei. Suauissimum: Percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Tunc igitur reddet Deus mercedem

*De tranquillitate purgatæ conscientiæ.*

*De pace æternitatis.*

cedem sanctorum suorum, & dabit seipsum mercedem sustinentibus se. Vnde Bernardus: Quidquid mihi præter ipsum est, nõ est mihi dulce. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat, & se mihi præstet, tu aliud si quid melius, si quid dulcius, si quid suauius, desidera. Si igitur vis esse mercator optimus, fœnerator egregius, prudens mercenarius, da quod non potes retinere, vt assequaris quod non possis amittere. Da modicum, vt recipias centuplum: da alienam possessionem, vt recipias æternam mercedem. Viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Non sunt condignæ quo ad pœnam, quam dimittunt: quo ad gratiam, quam immittunt: quo ad gloriam, quam promittunt. Hanc autem pacem, hanc mercedem æternam promisit Dominus per Prophetas suos, qui tunc fideles & veri in promissis apparebunt, quãdo dicemus: Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum. Vnde Isaias: Et dicent in illa die: Ecce Deus noster iste, expectauimus ipsum, & saluabit nos, iste Dominus, sustinuimus eum: exultabimus & lætabimur in salutari eius, quia requiescet manus Domini in monte isto. Quasi diceret: Expectauimus eum in prosperis, sustinuimus in aduersis, exultabimus corpore, lætabimur mente, exultabimus stola corporis, lætabimur stola animæ. Tunc enim Dominus exaudiet, id est, ad exitum & finem audiet preces seruorum suorum, qui adhuc seruiunt & laborant in actiua, & preces plebis suæ Israël, qui quiescit & lætatur in contemplatiua, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD CORINTHIOS.

*Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est nobis in Christo Iesu.* 1. Cor. 1.

LÆTABVNTVR coram te sicut qui lætantur in messe. Verba sunt Isaiæ ostendentis, quantum gaudeant sancti de profectu spiritualium filiorum, quando de labore suo fructum desideratum metunt in subditis suis, sicut in alio loco idem Isaias ait: Tunc videbis & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, id est, illi qui prius in amaritudine vitiorum & fluctibus secularium negotiorum commorabantur. Tunc igitur de vinea sua bibunt vinum, quando gaudent & delectantur in sancta conuersatione subditorum. Vnde Amos Propheta ait: Plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Econtrà de reprobis Prælatis, qui de salute animarum non curant, nec gaudent de religiosa vita iustorum, idem Amos ait: Vineas amantissimas plantabitis, & non bibetis vinum earum. Et Osee ait: Si nutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: licèt enim filios habeant, absque liberis esse dicuntur, quia de ipsis non curant. Et iterum Osee ait: Germen non faciet farinam, quod si fecerit, alieni comedent eam. Teste autem Gregorio: Quando mali & maximè hypocritæ bona opera ostendũt, de his malignorũ spirituum vota satiantur. De his autem Propheta Amos ait: Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis. Domus sunt fideles, lapides quadrati virtutes: non habitant in eis, qui in bona conuersatione eorum non delectantur. De his autem Salomon in Parabolis ait: Nouit iustus animas iumentorum suorum: viscera autem impiorum crudelia. Valde enim crudeles sunt qui filios adiiciunt, & de promotione eorum non curant. De quibus Ieremias ait: Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto, quæ, scilicet, pullos dereliquit, nec nutrire eos curat. Christus autem multas hodie reperit struthiones, sed paucas gallinas. Pauci enim sunt, qui more gallinæ pro pullis infirmentur, & mallent pascere pullos quàm pasci à pullis, vel quàm pascere seipsos. Sicut gallina seipsam tradit oblinioni, & ieiuna remanet pro pullis pascendis. Infirmatur per compassionem & carnis mortificationem. Raucescit per continuam prædicationis clamorem, nec relinquit pullos suos donec nutrierit & grandiores fiant, & postmodum de aliis procurandis curam habet. Et Prælatus non debet relinquere subditos donec sint confirmati & fortes in bono, & prius transeat ad alios conuertendos. Talis erat Apostolus, qui non quærebat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, & qui ad commodum subditorum & salutem animarum ipsorũ pertinebãt. Charitas enim nõ quærit quæ sua sunt. Ipsa in claustro animæ est velut Abbatissa, & aliæ virtutes quasi monachæ. Hæc Abbatissa non dicit, hoc est meũ, sed hoc est nostrũ, non enim est proprietaria. Vnde in hodierna Epist. gratias agit Domino Apost. pro gratia quæ est discipulis à Christo data. Bona enim illorũ sua reputabat, & reuera sua faciebat, dum ea in aliis diligebat. Non solũ enim qui recipit Prophetã corporaliter nomine Prophetæ, mercedem accipiet, sed qui eum, & bona quæ habet à Domino recipit in corde per dilectionem. Econtrà inuidi sanctorũ cõmunione priuantur, & non solũ à bonis aliorũ, de quibus dolent, se reddunt alienos, sed mala proximorum de quibus gaudent, & quibus cõsentiunt sua faciunt, & pignus

*Sancti gaudẽt de profectu filiorum suorũ.*

*De charitate Apostoli & gratiarum actione.*

debitori non reddunt. Teste enim Hieronymo super hunc locum Ezechiëlis: Pignus debitori reddiderit. Pignus debitori reddimus, quando ei cui dilectione coniungimur, & qui nobis dat mutuam charitatem, reddimus pignus suum, non debitum apud nos retinentes. Ad literam autem secundum legis mandatum, ei qui pauper est & proprium oppignorauit vestimentum, ante Solis occasum debemus reddere, ne frigore oppressus clamet ad Dominum, qui vltor est iniuriæ. Sicut igitur boni diligunt odientes se, ita mali & peruersi homines odiunt etiam diligentes se. Non enim potest diligere proximum sicut seipsum, qui odio habet semetipsum. De impiis quidem scriptum est: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam, licèt aliquando signa dilectionis ostendant, non diligunt personam, sed fortunam. Amici namque mensæ & fortunæ sunt, velut venatores, qui sequuntur vulpes propter pelles. Per verba autem detractionis venenum spiritualiter prorumpere solet in inuidis & malitiosis. Vbi enim regnat inuidia, non refrænatur lingua venenosa. Quàm miseri qui dum vulnerant proximos detrahendo, seipsos occidunt eadem sagitta. Vnde Psalmista: Sagittæ eorum factæ sunt plagæ eorum. Paruulum siquidem occidit inuidia. Alij igitur detrahere vel inuidere, est sibiipsi manus iniicere. Hi igitur detractores velut scarabones seu scarabei, semper in stercoribus alienis rostrum figunt, & velut mures hominum posteriora corrodunt, & tanquam corui infernales alios rostro lacerant, & more vlulæ rostrum luto infigentes horrendè clamant. Qui autem proximo detrahit, aufert illi quod restituere nequit, propterea in Prouerbiis Salomon ait: Qui detrahit alicui rei, in futurum se obligat. Ab hac igitur peste alienus Apostolus, dum de bonis aliorum exultat, gratias agit Domino corde, ore, & opere, non quærens in hoc seculo gloriam suam, sed gloriam Dei, à quo omne bonum esse credit, & non ab homine. Siquidem neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Propterea in Deuteronomio dicitur: Ingressus vineam proximi tui, comedes vuas quantum tibi placuerit, foris autem non efferes tecum. Vuas enim in vinea proximi nostri, id est, Christi, comedimus, dum de bona conuersatione electorum Dei delectamur. Foris autem non debemus aliquid efferre, vt non extra, sed in solo Domino gloriemur. Qui enim de beneficiis diuinis propriam gloriam quærunt, apostatæ reputantur. Vnde in Ecclesiastico: Initium superbiæ hominis est apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum recedit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia. Ex hoc patet quod non potest fieri peccatum sine superbia. Dum enim à Domino recedimus, contra ipsum calcaneum erigendo, superbimus. Apostolus autem sciens, quod nullum à nobis est bonum: non enim volentis velle cum effectu sine diuino auxilio gratias agit Domino. Teste enim Gregorio: Nemo Deum ita meritis præuenit, vt eum sibi obligare possit. Propterea Isaias ait: Filij venerunt vsque ad partum, & non est virtus pariendi. Non enim possumus bonum propositum sine Dei adiutorio ad effectum perducere. Nec enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Per spiritum enim Dei concipimus, & parturimus spiritum salutis. Nulla igitur est fortitudo sine Domino, sed infirma est & timida nequitia. Vnde in Isaia dicitur: Cùm requiesceret Syria super Effraim, id est, cùm essent fœderati Syri cum decem tribubus ad pugnandum contra Achab Regem impium, commotum est cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna siluarum à facie venti, id est, folia arborum infructuosarum, quibus mali comparantur. Omne igitur bonum ad eum referre debemus, qui solus bonus est. Qui etiam ait: Gloriam meam alteri non dabo. Qui ergo vult auferre Domino gloriam suam, & sibi attribuere, fur est, qui attrectat rem alienam inuito Domino. Committit insuper adulterium. Vxor enim est gloria viri. Quasi ergo propriam zelat sibi Deus gloriam suam. Si igitur Rex Assuerus super lectum, in quo vxor eius iacet, reperiat Aman incubantem, faciet illum in patibulo appendi. Apostolus igitur gloriam Dei sibi non vsurpat, sed gratias agens, ait: Gratias ago Domino meo pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu. Agit gratias de donis illorum, qui boni erant inter Corinthios. In illa enim plebe alij erant boni & digni laude, alij digni increpatione. Est igitur sensus: Gratias ago Domino meo in gratia, quæ data est vobis, id est, dum considero gratiam Dei, id est, dona Dei, quæ data sunt vobis in Christo Iesu, id est, à Christo, non aliunde. Gratia autem dicitur, quod gratis datur, & reddit nos gratos Domino, secundum hoc non solùm dona spiritualia, sed insuper naturalia, vt ratio, intellectus, & consimilia, dicuntur gratia. Si enim eis abutimur, per hoc grati Domino non reddimur. Malè quidem dona naturalia dispensamus, dum rationem & intellectum, & quinque corporis sensus, quæ ad vsum accepimus virtutum, conuertimus in vsum vitiorum: dum talenta nobis commissa ad terrena conuertimus. Propterea Psalmista ait: Deus, qui glorificatur in concilio sanctorum. Qui autem in conciliis suis nunquam tractant de honore Dei, sed tantum de secularibus & terrenis negotiis. Idem & de aliis bonis, quibus benè & malè vti possumus, intelligendum est. Vnde & beatus Gregorius ait: In doctrina sua mortem inuenit, qui in verbis vitæ vitam minimè quæsiuit. Pari modo & bona temporalia, quæ nobis data sunt, vt ea benè dispensando efficiamur grati Domino. Gratia esse desinunt, dum nos gratos Domino non efficiunt. Vnde quæ data sunt hominem in obsequium, vertentur in supplicium. Triplici siquidem voce alloquitur hominem creatura

*De inuidis & detractione.*

*De cõuersione peccatorũ, & quod gloriam Dei et nõ propriã quærere debemus. Deut. 3.*

*Nullum bonũ à nobis, sed à solo Deo. Isa. 14.*

*Isa. 12.*

*Omne bonum ad Deum est referendum.*

*De his qui bonis gratuitis abutuntur.*

creatura: Accipe, redde, fuge. Accipe beneficium, tibi nanque fructificò redde debitum creatori seruiendo. Fuge supplicium, donis non abutendo. Prima vox famulantis. Secunda commonentis. Tertia comminantis. Ingrato siquidem dicet terra: A me absorptus peribis, Aqua à me submergeris, Ignis à me combureris. Super omnes autem Prælati in gratia sibi data debent timorati esse atque solliciti. De quibus Gregorius ait: Pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rectè perueniens qualiter viuat, & benè viuens qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio attollat. De gratia autem data Corinthiis, subdit Apostolus, dicens: Quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Quia dixerat in omnibus ipsos esse ditatos, supponit partes aliquas, scilicet, in omni verbo, & in omni genere linguarum, vel in omni modo prædicandi, scilicet, mediocribus, perfectis, & minoribus, & in omni scientia, id est, scripturarum intelligentia. Diuites autem dicit in omnibus, non quia vnus omnia dona in se habeat, sed quia quod non habet in se, habet in alio. Dum enim bona in aliis diligimus, nostra efficimus. Si autem de virtutibus intelligatur, manifestum est, quod qui habet vnam, habet omnes: & qui vna caret, omnibus caret. Virtutes siquidem sociæ sunt in lucro & in damno, more mercatorum in mercimoniis, vel militum in armis. Si vna læditur, omnes læduntur: si vna incenditur, omnes incenduntur. Diues propterea in omnibus dicitur iustus, quia in omnium possessione omnia possidet. Vnde Dominus ad Moysen ait: Ostendam tibi omne bonum, id est, me ipsum. Quædam autem gratiæ sunt, quæ communes sunt omnibus Christianis, sicut charitas & fides. De qua in Deuteronomio dicitur: Diues non addet, & pauper non minuet. *De multiplicibus diuitiis.* In omnibus etiam diuites dicit, quia multiplices sunt diuitiæ, Dei, scilicet, & hominis. Diuitiæ Dei eius diuinitas, sicut scriptum est de Christo: Simul in vnum diues & pauper. Diues secundum diuinitatem, pauper secundum humanitatem. Diuitiæ Dei gloria æterna. Gloria & diuitiæ in domo eius. Vnde Iob: Bibent sitientes diuitias illius. Diuitiæ hominis sunt virtutes, sicut scriptum est: In sinistra eius diuitiæ & gloria. In sinistra eius dicuntur esse diuitiæ virtutum & gloria conscientiæ, quas Deus dat in præsenti tempore, respectu diuitiarum æternæ gloriæ. De his etiam diuitiis dicitur: Delectare in Domino, & pasceris in diuitiis eius. Nihil enim deest timentibus Deum. Diuitiæ etiam hominis dicuntur intellectus sacræ scripturæ. Vnde in Iob: Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet illas Deus. Coniungit autem Apostolus scientiam verbo, cùm ait: In omni verbo, & in omni scientia. Verbum siquidem prædicationis sine scientia & discretione, non tantùm non prodest, sed & obest. Discretio siquidem non tam est virtus quàm auriga virtutum. Propterea in Ecclesiastico dicitur: Iniice pedem tuum in compedes sapientiæ, gressus, scilicet, tuos constringendo præceptis illius, & in torques illius collum tuum, id est, tempera sermones tuos secundum regulam eius, subiice humerum tuum, & porta illam, id est, actus tuos, eius magistetio suppone, ne acidieris vinculis eius tædiose & grauiter ea sustinèdo. Et iterum Ecclesiasticus ait: Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem manus tua sit super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris. Ex quo patet, quod sicut peccat qui scit & non vult docere proximum, sic qui non scit & vult magister esse. Iterum de eodem Ecclesiasticus ait: Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur, id est, pondus habebunt, vt non sint vana vel leuia. Aurum enim sapientiæ & argentũ eloquentiæ conflant sapientes, vt verbis suis faciant stateram. De hac autem discretione loquendi ait Apostolus Corinthiis: Nunc autem fratres, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in Prophetia, aut in doctrina. Reuelatio ad allegoriam, Scientia ad tropologiam, Prophetia ad anagogen, Doctrina ad simplicem historiæ sensum potest referri. Magna igitur discretio attendenda est in loquendo. Propterea in Prouerbiis Salomon ait: Ex ore fatui reprobabitur parabola. Non enim loquitur eam in tempore suo, id est, quia loquitur quando non oportet. Si autem discretè, & sicut oportet loquatur, tunc verbum Domini magnam habet efficaciam in ore eius. Sicut in Osee scriptum est: Occidi eos in verbis oris mei. Verbum siquidem Dei occidit impium, vt viuat pius. Attendat etiam prædicator diligenter statum personæ cui loquitur. Non enim de facili debent exasperari potentes, sed melius est vt indirectè & insinuatione arguantur, sicut fluuius ex obliquo facilius transuadatur. Vnde Ecclesiasticus: Noli resistere contra faciem potentis, nec contra ictum fluuij. Non solùm autem scientia discretionis, sed insuper scientia sacræ scripturę coniungenda est verbo Dei, quæ plerunq; confertur homini, propter virtutẽ charitatis. Plenitudo siquidem legis nõ consistit in codice, sed in corde: non in lectione, sed in dilectione. Datur etiam virtute humilitatis. Vnde Apocal. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicã habentes virtutem, id est, humilitatẽ: vel modicã virtutem, id est, humilem mentẽ, quia de scientia tua non superbis. Ostiũ cœli appellat sensum diuinæ scripturæ, in qua nobis tripliciter describitur diuina sapiẽtia. Vnde in Parab. Salomõ: Descripsi eam tripliciter in cogitationib⁹ & scientia. In cogitationibus quantũ ad intellectũ & affectũ, quod specialiter pertinet ad cõtemplationem.

*Scientia discretionis comitari debet prædicationẽ.*

*Scientia sacræ scripturæ coniungenda est prædicationi.*

In scientia quantum ad ministrationem exteriorum, quod pertinet ad actiuam. Hic est liber scriptus intus & foris. Et in Prouerbiis Salomon: Describe eam in tabulis cordis tui. Duæ tabulæ sunt cordis, intellectus & affectus. In intellectu scribitur veritas, in affectu charitas. In manu etiam scribitur, quando sapientia in opere manifestatur, & ita tripliciter describitur, dum ipsam cogitamus, amamus, & secundum eam operamur. Non solùm enim sapientiam superiorum, sed etiam inferiorum requirit à nobis Deus, vt sciamus conuersari inter homines praux nationis, & benè præesse domui nostræ. Vnde in Genesi legitur, quod Angelus voluit interficere Moysen, & Sephora statim circuncidit filium, & ita placatus est Angelus in hoc facto, signante Spiritu sancto, quod Prælatus familiam circumcisam debet habere. Agit igitur gratias Apostolus, quod discipuli eius diuites erant, non solùm in omni verbo, sed in omni scientia. In omni autem verbo, vt alios docerent: in omni scientia, vt intelligerent quomodo docere deberent. Doctrina enim est ornamentum intellectus. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Ornamentum aureum prudenti doctrina. Sequitur: Sicut testimonium CHRISTI confirmatum est in vobis. Quasi diceret: In his ditati ita estis, quod ita tenetis verba, scilicet, & scientiam, quæ de Christo prædicaui, sicut testimonio scripturarum confirmaui, ita vt nihil desit vobis in vlla gratia, iuxta illud. Nihil deest timentibus ipsum. Nihil, scilicet, quod animæ pertineat ad salutem expectantibus reuelationem Domini nostri IESV CHRISTI. Quasi diceret: Interim cum desiderio expectantes visionem & cognitionem Christi, quæ post mortem præstatur cuique fideli.

*Perfecti cum gaudio, imperfecti cum timore mortē & iudicium expectant.*

Vnde Osee: Pendebit populus meus ad reditum meum. Pendebit, teste Bernardo, quasi inter cœlum & terram, vt licèt adhuc non valeat apprehendere cœlestia, non velit tamen tangere terrena. Sancti igitur in hoc seculo vitam habent in patientia, & mortem in desiderio. Tunc enim CHRISTVS veniens reuelabitur eis. In præsenti autem absconditus est vultus eius. Imperfecti autem qui nundum plenè purgati sunt, cum timore expectant reuelationem Christi in morte, & diem illum semper ante oculos habent. Vnde Isaias ait: Prope facito iudicium, id est, pone in animo tuo, quasi citò iudicium tuum veniet. Reprobi autem dum in hoc seculo gaudent de morte vel CHRISTI reuelatione, cogitare non curant, sed tandem qui clausos habent oculos in culpa, apertos habebunt in pœna. Vnde & Ieremias ait: Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Et Isaias: Deficient & conterentur torsiones & dolores tenebunt eos, quasi parturientes dolebunt. Deficient non valentes sustinere præsentiam Iudicis, conterentur conscientia peccati. Torsiones & dolores malæ conscentiæ tenebunt eos, quasi parturientes dolebunt, id est, incomparabiliter. Non solùm autem reuelationem CHRISTI in morte, sed insuper eius reuelationem in iudicio expectant electi Dei perfecti cum desiderio & gaudio. Quibus dicitur: Leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. Imperfecti cum timore. In quorum persona Dauid ait: Turbatus est à furore oculus meus, id est, ratio mea ab ira iudicij, dum illam considero. Et tamen secundum Augustinum, tam perfecti quàm imperfecti optant venire regnum Dei, & desiderant reuelationem CHRISTI. Ait enim Augustinus: Optamus venire regnum eius, veniet & si nolumus. Sed optare & orare vt veniat regnum eius, nihil aliud est, quàm optare vt dignos nos faciat regno suo, ne fortè, quod absit, veniat, & nobis non veniat. Multis non est venturum, quod tamen est venturum. Reprobi autem iudicium Dei non timent, sed magis derident. De quibus per Amos Dominus ait: In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit & non veniet super nos malum in gladio, scilicet, iudiciariæ potestatis. Teste enim Amos: In omnibus plateis erit planctus, id est, in his qui lata via incesserunt, & in cunctis, qui foris sunt dicetur: væ, væ, id est, in his qui extra Ecclesiam sunt, & duplex væ dicetur eis, secundum quod ait Ieremias: Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, id est, in anima & in corpore. Tunc enim secundum quod idem Ieremias ait: Dominus de excelso rugiet, quando, scilicet, dicet: Ite maledicti in ignem æternum. Et in habitaculo suo dabit vocem suam, vocem, scilicet, suauem, quando dicet: Venite benedicti Patris mei. Rugiens rugiet super decorem suum, id est, grauissimè rugiet super Prælatos, qui decor domus Dei esse debent. Celeuma quasi calcamentum in torculari, continetur aduersus omnes habitatores terræ, non pro copia vini, sed effusione sanguinis, id est, pro copia pœnæ, pro qua sancti Dei iustitiam laudabunt. Tunc autem, secundum quod Michæas ait: DOMINVS egredietur de loco sancto suo, quasi enim coactus egredietur de loco suo, id est, de benignitate & misericordia sua ad iram & vindictam descendet, & calcabit super excelsa terræ, id est, super potentes huius seculi, quando, secundum quod ait Amos, vocabit iudicium ad ignem, & deuorabit abyssum multam, illos, scilicet, qui sunt in profundo & obscuritate vitiorum. De quo igne dicit Basilius super hunc locum Psalmistæ: Vox Domini intercidentis flammam ignis. Quod ignis diuidetur in lucem & ardorem. Ardor sine luce cedet ad torquendum reprobos, lux sine ardore ad fruendum bonis. Teste autem Hieron. Pro summo reatu ducent reprobi

*Isa. 30.*

*Reprobi non timēt Dei iudicium, sed derident.*

reprobi quod vultum Dei aspicere non audebunt, licèt autem peccatoribus in iudicio præ timore & confusione omnia videantur obscurari, quemadmodum Ioël ait: Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, liber tamen conscientiarum & omnia peccata erunt aperta. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Nudaui fœmora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua. Et in Threnis: Visitabit iniquitatem tuam filia Edom, discooperiet peccata tua. Propter tenebras tamen, quibus inuoluuntur reprobi, quandoque iudicium dicitur de nocte futurum esse. sicut scriptum est: Media nocte clamor factus est. Quandoque de die propter peccatorum manifestationem. Vnde Sophonias: Iuxta est dies Domini magnus, vox diei Domini amara. Magnus dicitur propter magnam claritatem. Tunc enim omnia aperta erunt. Vel magnus dicitur, quia dies pene habebit mane, sed non vesperam, vel quia magna & terribilia fient in illo. Vox eius amara dicitur, quia dicetur reprobis: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Ex hoc sumptum est, quod dicitur in Ecclesia: Dies magna & amara valde. Expectantes igitur reuelationem Domini nostri Iesu Christi in iudicio, consolatur Apostolus, dicens: Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine in die aduentus Domini nostri IESV CHRISTI, id est, perseuerare vos faciet, vt non deficiatis ab expectatione vestra, vt sitis sine crimine vsque ad mortem, quando ad remunerandum vos veniet Christus, vel confirmabit vos semper mente euntes in illum diem, id est, in diem aduentus Christi. Aliter enim quàtumcunq; iusti perseuerare non possent, nisi virtus altissimi in variis tentationibus eos consetuaret & confirmaret, vt vultus eorum amplius non mutarentur in diuersa, sed stabiles permanerent. sicut de Anna legitur sub typo Ecclesiæ: Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Nequaquam enim Ecclesia à fide & dilectione Redemptoris mutata est, in diuersa declinando. Econtrà in Prouerbiis dicitur: Stultus vt Luna mutatur, lunaribus siquidem æstuat horis, sit reuulsus in corde suo secundum Lunam, id est, temporalium mutationem. Depositio enim nouo homine, resumit veterem hominem cum actibus suis. Sancti autem etsi in hoc mundo sint abiecti, nunquam tamen animum abiiciunt. Bonus autem miles dicitur qui proiectus, animum non proiicit. Bonus est miles, qui longum habet anhelitum. Hi sunt longanimes & perseuerantes, quibus Petrus ait: Non fatigemini deficientes animis vestris. Sancti igitur dum expectant reuelationem Iesu Christi, non deficiunt, sed in bono perseuerant. Præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui viuit & regnat, &c.

*De confirmatione & perseuerantia iustorum.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO secundum Matthæum.

*Accesserunt ad Iesum Saducæi, & interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Matth. 22.

PRIMI & purissimi fructus eius, id est, sapientiæ. Sunt primi fructus in cognitione veritatis. Sunt secundi in voluntate benè operandi. Sunt tertij, vt secundum quod nouimus & volumus, benè operemur. Purissimi autem sunt fructus sapientiæ, & dulcissimi, & impermixti falsitati. Fructus huius seculi non sunt puri, sed variis anxietatibus admixti. Quidam autem his fructibus sapientiæ non delectantur. Teste enim Augustino: Palato non sano pœna est panis, & oculis infirmis odiosa est lux. Purum autem debent habere palatum & mundam linguam, qui his fructibus vesci volunt. Sed hodie quidam prædicatores modò seruiunt prædicationi, modò detractioni, modò adulationi, velut campana quæ modò pulsat ad horas, modò ad suspendendos latrones: & ita ex eodem fonte aqua dulcis & amara procedit. Quidam autem laici non solum verbum Dei audire contemnunt, sed alios ne audiant impediunt, velut si quis frangat campanam vt non audiatur, & ad seruitium Dei homines non congregentur. Multi enim furiosi malunt palpari quàm secari. Sed teste Augustino: Speculum diuinæ scripturæ neminem palpat, qualis es, talem te tibi demonstrat. Fidelis autem Medicus, id est, Prædicator Dei famulus, ægrum non debet palpare, nec languentum voces attendere, cùm infirmus suæ saluti contraria desideret, ne fortè dicatur de eo: Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiit in terra. Quod fit dum mordent iustos, & palpant malos. Orate igitur Dominum, vt hodie puri & purissimi fructus diuinæ scripturæ vobis dulcescant, & nos neminem palpando, nemini adulando, absque personarum acceptione, his fructibus animas vestras CHRISTO largiente reficere valeamus.

*De fructibus sapientiæ.*

*De his qui fastidiunt verbum Dei.*

*De pseudò prædicatoribus.*

Accesserunt ad Iesum, &cæt. De pomis fructuum Solis & Lunæ, terra Ioseph repleatur. Verba sunt Moysi in Deuteronomio, de duplici dilectione, Dei & proximi. Poma siquidem sunt opera iustitiæ. Hæc poma sunt Solis, id est, dilectionis Dei, & Lunæ, id est, dilectionis proximi. Quæ

*De duplici dilectione Dei & proximi.*

*Opera nostra sine charitate Deo non placent.*

mi. Quæ duo opera nostra meritoria coram Deo faciunt. Alioquin sine his non possent placere Deo. Vnde Ieremias ait: Cùm vestieris te coccino, & cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustrà componeris: contempserunt te amatores tui. Per exteriora enim opera non placatur Deus, nisi interiorem ornatum charitatis habeamus. Nec enim coccinum, id est, rubor verecundæ simplicitatis, quam quidam naturaliter habent, neq; monile aureum castitatis, neq; custodia & compositio oculorum sufficiunt ad salutem absque dilectione Dei & proximi: sed talis anima à dæmonibus irridetur & vilis reputatur. Propterea in ornamento Pontificis coccus bis tinctus poni præcipitur, vt in nostra bona operatione, dilectio Dei & proximi coniungatur. Vnde Dominus in hodierno Euangelio omnibus aliis mandatis præfert mandatum charitatis, vbi dicitur, quod accesserunt ad Iesum Sadducæi, & interrogauit eum vnus ex eis magnum mandatum in lege. In textu Euangelij Matthæi legitur, quod Pharisæi conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis de magno mandato legis. Intelligendum est ergo, quod Pharisæi simul cum Sadducæis contra Christum conuenerunt in vnum, vt multitudine conuincerent, quem ratione vincere non possent. Vnus igitur interrogauit pro omnibus, vt si vinceret, omnes victores haberentur: si vinceretur, solus erubesceret. Et ita vno interrogante, qui reuera fuit Pharisæus, omnes per illum interrogasse dicuntur. Potuit etiam esse, quod non solùm vnus Legis doctor ex Pharisæis, sed insuper ex Saducæis prædictam fecerit quæstionem. De Sadducæis autem expressum est, quod turpitudinem fabulæ confingentes de muliere septemuira, quæ septem fratres habuit successiuè quæsierunt cuius esset in resurrectione: vt sic resurrectionem possent improbare. Ipsi enim hæretici erant in lege, & resurrectionem futuram non credebant, neque Angelum, neque spiritum, sicut in manifestè dicitur in Actibus Apostolorum. Quibus Dominus respondit, quod errabant, non intelligentes scripturas. Multi hodie in eadem opinione sunt, æstimantes animas mori cum corporibus. In quorum persona Salomon in Ecclesiaste ait: Vnus interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & non habet homo amplius iumento. Huiusmodi hæretici Dei iustitiam, quantum in se est, destruunt. Aliquis enim moritur, qui semper Deo seruiuit, & semper tribulationes pro Christo sustinuit: alius qui semper peruerse egit, & in magna prosperitate in hoc seculo vixit. Si animæ iustorum cum corporibus moriuntur, non remunerabitur à Deo qui iustè vixit, nec punietur qui semper malè egit: & ita non retribuet vnicuique secundum opera sua. Sic igitur euacuata est Dei iustitia. Cùm autem Sadducæi reciperent quinque libros Moysi, si illos sine errore intelligerent, possunt aduertere ex pluribus locis, quod animæ post dissolutionem corporum remanent, alioquin mentitus est Iacob, cùm ait in morte: Expectabo salutare tuum Domine. Dicit & scriptura in Genesi: Mortuo Abraham, qui congregatus est ad populum suum. Similiter & de Iacob dicitur, quod appositus est ad populum suum. Et Moysi dixit Dominus in Numero: Contemplare terram, quam daturus sum filiis Israël, & postea ibis ad populum tuum. Quod non posset stare si animæ moretentur cum corpore: ad quem enim populum irent, si animæ post mortem non essent? Et in Exodo Dominus ad Moysen ait: Ostendam tibi omne bonum. Certum est quod Moyses in vita sua ferè semper fuit in tribulatione: quomodo igitur Dominus omne bonum ostendit in præsenti vita illis? Restat igitur quod post mortem Dominus impleuit promissionem. Sed & Moyses ait in Cantico in Deuteronomio: Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Quid prodest nouissima prouidere, si anima moritur cum corpore? Et iterum in eodem Cantico Moyses ait: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Si autem non est spiritus vel Angelus, pari ratione nec pœna post mortem, nec infernus. Multis etiam aliis authoritatibus possunt Sadducæi de errore conuinci, sed sufficit vna, quam contra eos Dominus adduxit, scilicet: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuentium. Si enim animæ eorum non viuerent post mortem corporalem, non esset Deus Abraham, & ita mentiretur scriptura, quam Sadducæi veram esse confitebantur. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum, vt interrogarent Iesum: & quæsierunt quod esset mandatum magnum in lege. Et quia gloriabantur de confutatione aduersariorum suorum, quibus ostenderat Dominus, quod non intelligerent scripturas, vanam eorum gloriationem, qui errorem suum non attendebant, & de aliorum errore gaudebant, volens Dominus reprimere, proposuit eis Dominus quæstionem, per quam ostenderet, quod etiam ipsi errabant, non intelligentes scripturas, ex quibus apertè possent scire Christum esse verum Deum, & Dei filium. Vnde ait: Quid vobis videtur de CHRISTO, cuius filius est? Dicunt ei Dauid. Et subiungit Dominus: Quomodo Dauid, in spiritu loquens, vocat eum Dominum, si filius eius est? Ex quo patet quod à Spiritu sancto locuti sunt Prophetæ, quod est contra hæreticos. Vnde Isaias ait: Quod ex ore meo procedit, ille mandauit & spiritus eius. Non reprehenduntur Pharisæi, quia Christum filium Dei dicunt, sed quia purum hominem & filium Dei non credunt. Quasi diceret: Si purus homo est CHRISTVS & solummodo filius Dauid, & non filius Dei, sicut vos

*Contra hæresim Saduc æorum, & de resurrectione mortuorum.*

*Quæstio Christi contra Pharisæos qui non credebãt Christum esse Deum. Isa 24.*

vos creditis, quomodo Dauid non corde suo, sed Spiritu sancto loquens, vocat eum Dominum, qui necdum erat, nec extitit ante ipsum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quod est secundum diuinitatem, quomodo filius eius est? Hæc manefestè repugnantia sunt secundum credulitatem vestram. Vos enim putatis Christum filium Dauid & hominem purum, ergo non fuit tempore Dauid, & ita Dominus eius non fuit. Præterea pater non solet appellare filium Dominum, quia filius eius est secundum carnem tantùm. Fingunt autem Iudæi, quod in persona Abrahæ reuertentis de prælio, dictum est: Dixit Dominus Domino meo. Sed dicant quomodo reliqua conueniunt Abrahæ, scilicet, Tecum principium in die virtutis tuæ. Et iterum: Ante Luciferum genui te. Et rursus: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nos autem fiducialiter credimus hunc esse filium Dauid, secundum humanitatem, & Dominum Dauid, secundum diuinitatem. Vnde dicimus hunc esse sensum: Dixit Dominus pater Domino meo filio, non secundum quod de Dauid natus, sed secundum quod à patre genitus. Istud dicere est æqualem sibi filium generare. Sede à dextris meis, id est, in potioribus bonis: vel sede huc mecum occultus, donec ponam inimicos tuos, &c. id est, vsq; ad diem iudicij, & tunc erit manifestus. Vel sede ad dextris meis, mecũ conregnando, tanquam mihi coæqualis. Multipliciter igitur sumitur hîc sede à dextris meis. Est enim sedere à dextris, in potioribus bonis quiescere. Est sedere à dextris, esse ei coæqualem & conregnare. Est sedere à dextris, quiescere cum eo, & occultari. Quod autem subiungit: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: potest exponi tantum non de perseuerãtibus inimicis, sed de illis, qui quondam inimici per reconciliationẽ facti sunt amici. Si enim à dextris sedet Christus, qui sub scabello pedum eius sunt, in dextera cum electis collocantur. Potest autem exponi tam de conuertendis inimicis, qui quotidie Christo subiiciuntur per fidem, quàm de reprobis, quos velint nolint Christo subditos esse oportet. Pater enim omnia subiecit sub pedibus eius, & accipitur donec non temporaliter, sed æternaliter. Quasi diceret: Sede æternaliter, sicut æternaliter ponam inimicos tuos quosdam volentes, alios nolentes scabellum pedum tuorum, id est, tibi subditos. Sicut igitur confutati fuerant Sadducæi, ita confutati sunt Pharisæi, non valentes soluere quæstionem Christi, quæ nobis proficit vsq; hodie contra Iudæos: nec ausi sunt amplius interrogare eum, videntes suis interrogationibus Christi laudem crescere, & eorum vituperationẽ: sed postmodum comprehensum ratione tradiderunt potestati, vt intelligamus, quia liuor & inuidia superari potest, sed quiescere nescit. Patet igitur quod errabãt Pharisæi sicut & Sadducæi, non intelligentes scripturas neq; virtutem Dei. Michęas autem de Christo secundũ diuinitatẽ ait: Egressus eius à principio à diebus æternitatis. Et Iere. ait: Hic est Deus noster, non æstimabitur alius ab eo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est. Et Isa. Puer natus est nobis, & vocabitur nomẽ eius Deus fortis. Et Dauid ait: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Quis Deus Deum vnxit, nisi pater filium? Ex multis etiam aliis scripturarum locis constat Christum esse verum Deum & hominem verum. Sed & Christus, vt induceret eos ad credendum ipsum esse verum Deum, ad cogitationes eorum multotiens respondebat, & in oculis eorũ dęmonibus imperabat, qui etiam ipsum esse filiũ Dei confitebantur. Fluctibus maris prępipiebat, panes multiplicabat, mortuos suscitabat. Vnde & credere debuerũt ei dicenti: Ego principiũ qui & loquor vobis. Ego & pater vnum sumus. Antequã Abraham fieret ego sum. Et multa alia fecit & dixit per quæ se verũ Deum & Dei filiũ esse probauit. Nunc verò ad quęstionẽ quã fecerunt Pharisæi Christo, de magno legis mandato, redeamus, licèt satis de eo superius dixerimus, vbi quidã Legisperitus quæreret à Chtisto, quid faciendo vitã æternam possideret, Domino dicente: In lege quid scriptum est? Respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c. In hodierno autem Euang. sub tribus verbis comprehendit Dominus dilectionem, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum: In his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ. Qui autem tribus prædictis modis Deum diligit, per consequens totis viribus diligit vel tota fortitudine, sicut in Deuteronomio habetur. Maximum autem dicitur dignitate, & primum ordine diligendorum. Lex siquidem diuiditur in ceremonialia & iudicia, & præcepta moralia. Ceremonialia, quæ pertinebant ad sacrificia carnalia, & ad alias obseruationes figurales, quæ erant signa futurorum prorsus cessauerunt. Iudicia quædam cessauerunt, quædam remanserunt. Iudicia siquidem secundum naturam locorum & temporum variabantur. Sicut iudicium de domo facienda cum sustentamentis seu appodiationibus, alioquin reus esset sanguinis, si alius caderet. Ibi tenet vbi tecta plana sunt, & vbi ambulant homines, & cadere possunt. Alibi autem non tenet. Similiter autem quando aliquis intrabat vineam alterius, poterat comedere de racemis quantum vellet, dummodo extra non efferret. Hoc tenebatur in Palæstina propter copiam vinearum. Huiusmodi autem instituta hodie antiquata sunt, sicut quędam institutiones & decreta vetera hodie non seruantur. Quædam autem iudicia adhuc à Principibus secularibus obseruantur, sicut de occidendis illis, qui mulieres opprimunt. Similiter & de maleficis, de quibus scriptũ est: Maleficos nõ patieris viuere. Moralia autẽ penitus remanserunt, sicut præcepta Decalogi, & cõsimilia. De præceptis autẽ legis magna quæstio inter Iudæos erat,

*Expositio quorundam verborum Psalmi: Dixit Dominus, vbi profertur Christi diuinitas.*

*Qualiter diligendus sit Deus & proximus.*

*Legũ diuisio.*

aliis præferentibus mandatum circumcisionis, aliis custodiam Sabbati, aliis victimarum oblationem, aliis calendas & festiuitates. Has igitur dissentiones Dominus determinat, dicens, quod mandatum de dilectione Dei & proximi, aliis est præferendum. Ipsi tamen insidiose prædictam quæstionem fecerant, vt dum vnum magnum diceret, aliorum opinionem, & alia mandata infamare videretur. Secundum autem mandatum de dilectione proximi, dicit Dominus simile esse primo de dilectione, sed non ei parificatur. In his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ. Ad hoc enim omnes scripturæ datæ sunt principaliter, vt Deus & proximus diligatur. Vnde Augustinus: Si non vacas omnes sacras paginas perscrutari, tene charitatem, quæ perfectio & finis est omnium. Plenitudo siquidem legis est charitas. Qui enim Deum diligit, eius mandata non spernit: & qui diligit proximum, non facit ei malum, sed ei beneficium impendit, & quod sibi vult fieri, illi facit. Teste autem Gregorio: Dum cor emollitur ad amorem, roboratur ad operationem. Charitas siquidem trahit ad patriam festinantes, adiuuat currentes, suscipit peruenientes. Cùm igitur duo sint mandata charitatis: sicut scriptum est: Lampades eius lampades ignis, atque flammarum, quia, scilicet, intus ardet in dilectione Dei, & exterius lucet in dilectione proximi. Duæ tabulæ legis datæ sunt, in quibus erant decem præcepta. tria in vna, quæ pertinent principaliter ad Deum, id est Deus tuus vnus est: Non assumes nomen Dei tui in vanum: Obserua diem Sabbati. Hæc tria ad dilectionem Dei pertinent, cuius cogites vnitatem, veritatem, voluntatem. Vnitatem, id est, Patrem, cui attribuitur vnitas, id est, principij authoritas. Veritatem, id est, Filium, quia veritas contraria est vanitati. Voluntatem, id est, Spiritum sanctum, qui est voluntas, amor & dilectio, ex qua omnis pax pectoris & sanctificatio. Septem autem quæ specialiter pertinent ad proximum, in altera tabula scribuntur. Et quia in duobus mandatis charitatis tota Lex pendet & Prophetæ. Isaias ait: Consummatio abbreuiata mundabit iustitiam: quia in duobus mandatis charitatis consistit plenitudo iustitiæ. Propterea idem Isaias ait: Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem. Mandatum siquidem charitatis latum est & breue, latum in exhibitione operis. Sicut scriptum est: Latum mandatum tuum nimis. Breue in descriptione sermonis. Sermonem enim abbreuiatum fecit Dominus super terram. Dilectionem Dei & proximi postulat Psalmista, vbi ait: Sicut adipe & pinguedine repleta est anima mea. Adeps pinguedo est interior, per quam dilectio Dei: pinguedo verò exterior, charitatem quam habemus ad proximum, designat. Vnde Ecclesiasticus ait: Surrexit Nathan Prophera, quasi adeps separatus à carne. Tanto enim amore Dei feruebat, quod ab amore carnis separatus erat. Qualiter autem & quantum sit diligendus Deus, ostendit Dominus cùm ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id est, ex toto intellectu, vt nullum in confessione diuinitatis relinquas locum errori. Tota anima, id est, voluntate, vt nihil ei contrarium velis. Tota mente, id est, memoria, nihil reminiscens quo minus de eo sentias, ne, scilicet, vagus & profugus tanquam Caim à facie eius fugias. Patet igitur quod intellectum seu rationem suam & voluntatem atque memoriam Dei dilectioni debet impendere Christianus, vt in Dei dilectione exhibeamus intellectum sine errore, voluntatem sine contrarietate, memoriam sine obliuione. Propterea in Euangelio dicitur: Regnum cœlorum, id est, vita iustorum, simile est fermento propter feruorem charitatis, quod fermentum mulier, id est, Ecclesia, vel anima sancta, accepit à Deo, & miscuit tribus satis farinæ, ex toto, scilicet, corde, & ex tota anima, & ex tota mente Deum diligendo. Et miscuit acceptabilem panem sese illi exhibendo, donec totum fermentaretur, quia charitas in mente fidelium tantum crescit, donec totam mentem in sui perfectione commutet. Debemus etiam diligere Deum iuxta tres proprietates animæ. Est enim animalitas quæ corpus vegetat, & sensibus vires ministrat: ratio, quæ discernit: affectus, qui appetit. Deum igitur ex toto corde diligimus, si affectus totus in Deum tendat. Tota anima, si quidquid carnalitatis agit in Dei laudem perficiat. Tota mente, si cogitatio, memoria, ratiocinatio inuestigando & inueniendo, & bonum à malo discernendo Deo deseruiat. Non diligunt Deum toto corde, qui iuxta eum Dagon, id est, amorem mundi vel carnis collocant. Sicut enim radix omnium malorum cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas. Hæ radices simul esse non possunt, nec plantari potest in nobis radix charitatis, nisi euulsa fuerit radix cupiditatis. Sine causa autem aliquis ramos conatur incidere, si radicem non studet euellere. Vnde Hierony. Carnis amor spiritus amore superetur, desiderium desiderio restringatur. Si esuris, si sitis, esurias Christũ, epulas Paradisi, vt nõ tantùm sitiat anima, sed multiplicetur caro tua. Sicut autem ardor Solis absorbet guttas aquæ, ita ardor dilectionis absorbet aquas afflictionis, & reddet hominem quasi sibiipsi insensibilem. Vnde & alibi totis viribus, seu tota fortitudine Deus diligi præcipitur. Nisi enim fiscella Moysi, id est, sanctorũ humilitas fuerit bituminata charitate cõtra tentationes & fluctus vitiorũ, nõ potest stare. Quare autẽ, quantũ, & quomodo est diligendus Deus, satis breuiter & eleganter ostendit S. Bernar. Diligendus est Deus, quia in seipso bonus est, decorus, potens, dulcis & mitis, diues & sapiens, benignus & omniũ obsequiorũ nostrorũ remunerator magnificus. Diligẽdus etiam ratione collatorum: contulit enim nobis naturalia gratuita & temporalia. Quomodo diligendus est: verè non fictè. Ipse enim verus & verax est, nec fallit, nec fallitur. Et iterum ait, ostendens quare & quantum

*Charitas legẽ implet, & de duobus tabulis lapideis.*

*Diligẽdus est Deus toto corde, tota anima, tota mẽte*

*Quare, quantũ, & quomodo diligendus est Deus.*

quantum diligendus sit Deus. Causa diligendi Deum, Deus est, modus sine modo, propter duplicem causam Deum dixerim propter seipsum diligendum, sine qua nihil fructuosius diligi potest. Fecit te Deus ô homo, fecit tam multa bona propter te, fecit propter te & seipsum. Verbum caro factum est, quid adhuc restat? factus est, & ipse tecum vna caro, te quoque secum faciet spiritum vnum. Non recedant hæc quatuor à corde tuo, non à memoria tua, non ab affectione. Hæc cogita semper, in his iugiter delectare. His velut quibusdam stimulis vrgens sollicita animam tuam. His facibus inflammare curato ad reamandum eum, qui tam multipliciter suum tibi erga te cõmendat amorem. Christus amicus dulcis, prudens consiliarius, adiutor fortis, ne mundi gloria vel carnis voluptate abdicaris. Dulcescat tibi sapientia Christus, ne seducaris errore. Lucescat tibi veritas Christus, ne aduersitatibus frangaris. Confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia vt sit amor feruidus, circũspectus, & inuictus, ne torporem habeat, ne discretione carear, ne timidus fiat, vt diligatis Deum toto corde, id est, tota cordis affectione: tota anima, id est, tota mentis circunspectione: tota virtute, ne timeas mori pro eius amore. Ex hoc patet quod toto corde, id est, dulciter, tota anima, id est, sapienter, totis viribus, id est, fortiter diligendus est Deus, sed insuper quicquid sumus, & quæcunque habemus, eius dilectioni debemus. Quia enim immensus est, sine mensura est diligendus, vt nullus locus in nobis remaneat vacuus, qui Dei dilectioni non repleatur, sed mens, lingua & manus eius resonet dilectionem. Nunc autem qualiter diligendus sit proximus videamus. Tunc siquidem verè diligitur Deus, si ex dilectione proximi eius dilectio condiatur. Proximum enim tanquam nos diligere debemus, id est, sicut nostræ volumus subueniri necessitati, sic subueniamus & proximi, sicut nostræ volumus infirmitati compati, sic compatiamur & proximi: & sicut ad vitam volumus peruenire æternã, sic optemus nos proximum peruenire. Qui autem amicum propter commodum quodlibet diligit, non amicum conuincitur amare, sed commodum.

*De modo diligendi proximum.*

*Illud amicitiæ sanctum ac uenerabile nomen*
*Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.* *Versus.*

Non sunt fideles in amicitia, quos munus non gratia copulat: nam citò deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissoluitur. In vera amicitia non res quæritur, sed voluntas. Quæ autem fastidit homo, non verè diligit. Quantum diligis, tantum sustines. Teste autem Augustino: Amicum gratis amas, sed ad hoc amas, vt tecum amet Deum. Omnes autem tam bonos quàm malos amare debemus. Vnde Seneca: Nec vnum quidem amauit, qui plus quàm vnum amare non potuit. Et iterum: Non potest quisquam viuere beatè, qui se tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates proprias conuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere.

*Quæ tibi non faceres, aliis fecisse caueto:*
*Vulnera ne facias, quæ nequeas ipse pati.* *Versus.*

Teste autem Bernardo: proximus diligendus est non verbo & lingua tantùm, sed opere quantum ad manus beneficium, & veritate sine hypocrisi, sed in cordis puritate. De duplicibus enim qui fictè diligunt, & nunc vni, nunc alij adhærent dicit scriptura. Turbabuntur à signis tuis qui habitant terminos. Vulgare autẽ exemplum contra tales est, quod aues habuerunt bellum contra bestias, & vespertilio quæ modò repit cum bestiis, modò volat cum auibus. quandoque erat ex vna parte, quandoque ex alia, secundum quod vincebant & succumbebant. Ita hypocritæ & amici fortunæ. Nos autem fratres non in duplicitate, sed in veritate proximos diligamus: non sicut quidam qui proniores sunt ad odium, quàm ad diligendum. Teste autem Seneca in calendario suo: Beneficia pauci reponunt, multi iniurias. Abiiciamus à nobis amorem carnis fœtidum, amorem, scilicet, tartareum, venenum, & venenosum. Qui enim secundum carnem viuunt, Christo placere non possunt. Religemus à nobis amorem carnalem, nimiũ, scilicet, consanguineorum affectum, quem multi amori diuino præponunt. Tollamus à nobis prorsus amorem mundanum, quia amatores huius mundi inimici sunt Dei. Si enim mundi vanitatem diligimus, Deum diligere non valemus. Simus igitur peregrini in hoc seculo, vt simus ciues in superno regno, scriptum est enim: Foris non mansit peregrinus. Diligamus Deum propter se, & proximum propter Deum. Et quia hanc dilectionem à nobis habere non possumus. dicamus cum beato Augustino: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Ipse enim ignem dilectionis venit mittere in terram, & desiderat vt in cordibus nostris ardeat, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria, &c.

*De vera & falsa amicitia.*

## DOMINICA DECIMANONA THEMA SVMPTVM EX PSALMIS.

*Salus populi ego sum: dicit Dominus: de quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum.*

*Infirmi currere debent ad medicum.*

CONVERTIMINI filij reuertẽtes, & sanabo auersiones vestras, id est, peccata, quibus mihi auersamini: vel auersiones vestras, quibus à me auersi estis. Verba sunt Domini per Ieremiam inuitantis infirmos, vt currant ad medicum. Quasi diceret: Venite infirmi ad salutem, laborantes ad requiem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Teste autem Gregorio: nihil in hac vita laboriosius quàm terrenis desideriis æstuare, & nihil quietius, quã huius seculi nihil appetere. Inuitat nos Dominus ad quietem, & animarum nostrarum salutem. Miser autem homo currit ad medicum corporum, & non currit ad medicum animarum. Teste autem Augustino: laborat homo ne moriatur moriturus, & non laborat ne peccet in æternum victurus. Quia vecordes & insæ-

*Diabolus sophisticas flat medicinas.*

lices, qui sponte currunt ad mortem, & fugiunt vitam. Qui vitæ authorem contemnũt, & perditionis authorem diabolum ac medicum sophisticum sequuntur. Ipse enim coluber est in via, cerastes in semita. Sicut enim latro associat se mercatori, & fingit se mercatorem: sed cùm nemus intrauerit, eum occidit: ita aduersarius noster medicus fraudulentus pillulas sophisticas

*Deus est salus populi sui, & inuocantes in tribulatione, exaudit.*

prætendit, & malum sub specie boni abscondit, transfigurat se in Angelum lucis & in medicum salutis, & ita incautos occidit. Curramus igitur ad verum & fidelem medicum, qui in hodierno officio ait: Salus populi ego sum. Hæc autem verba in translatione nostra non reperiũtur ad literam. In multis autem scripturis legimus quod ipse est salus nostra. Dauid enim ait: Dominus illuminatio mea, & salus mea. Et iterum: Dedi te in lucem gentium vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. Et Abacuc: Egressus es in salutem populi tui. Et Ieremias: Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te. Similiter id quod ait: de quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam illos, inuenitur in scripturis sub aliis verbis. Scriptum est enim. Inuoca me in die tribulationis & eruam te. Et iterum: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Quod autem subditur: Ero Dominus illorum in perpetuum, inuenitur in libro Sapientiæ. Regnabit Dominus illorum in perpetuum. Ipse enim perpetuus est Dominus seruorum suorum. Et Psalmista ait: Regnum tuum regnum omniũ seculorum. Ipse enim sine fine regnabit super seruos suos regendo illos. Salus autem populi dicitur: Dominus absque personarum acceptione. Ipse enim quantum in se est, omnes sanat: eius medicina efficax est ad om-

*Isa. 45. De his qui virtutem diuinæ medicinæ in se impediũt*

nes morbos sanandos. Vnde per Isaiam Dominus ait: Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ. Multi autem virtute huius medicinæ sibi prodesse non sinunt. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Pro omnibus enim passus est Dominus, vt omnes redimeret: propterea omnes indifferenter vocat ad salutem. Vnde per Isaiam ait: Ipse quidem vt excitaret nos per timorem, proposuit summè terribilia, scilicet, pœnas sine fine. Vt incitaret per concupiscentiam, proposuit summè delectabilia, scilicet, gaudium interminabile. Sed quia nec sic flecti potuit homo, traxit per dilectionẽ seipsum morti

*De verbo & salutari medico.*

tradens pro mundi salute. De hoc autem medico salutis, qui sanat omnes infirmitates nostras & redemit de interitu vitam nostram, ait Ecclesiasticus. Vnguẽtarius confecit vnguenta suauitatis, & vnctiones sanitatis. Ipse enim vnguentum gratiæ in præsenti confert, vnguentum,

*De multiplici vnguento.*

scilicet, mitigationis in pœnitentibus, suauitatis in perfectis. Attulit vnguentum gratiæ sanando vulnera animæ, peccata remittendo. Affert vnguentum gloriæ, infirmitatem corporum per immortalitatem sanando. Vnde in Euangelio ait: Ego veni vt vitam habeant, vitam, scilicet, iustitiæ, & vt abundantius habeant, vitam, scilicet, gloriæ. De hoc iterum medico Ecclesiasticus ait: Disciplina medici exaltabit caput eius. Quia siquidem disciplinatus fuit, & de torrente in via bibit, propterea exaltabit caput in die resurrectionis. Rursus autem de

*De his qui medicinam recusant.*

hoc medico idem Ecclesiasticus ait: Qui deliquerit in conspectu eius qui fecit illum, incidet in manus medici. Durum est autem in manus eius incidere, qui valde irascitur & conque-

*De vulnere et liuore, & plaga tumente multiplex expositio.*

ritur, dum eius respuitur medicina. Vnde per Isaiam ait: Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque effota oleo. Vulnus luxuriæ, & auaritiæ, quod defluit sanie. Liuor inuidiæ, plaga tumens superbiæ non est circumligata fasciis orationum, nec curata medicamine bonorum operum, nec effota oleo pœnitentiæ, vt lachrymis compunctionis eorum duritia molliretur. Vulneribus autem hiant corda per luxuriam & auaritiam, verberibus liuent, plagis tument. Vulnus gladio, liuor virgis, plaga tumens baculo fieri consueuit. Gladius enim diaboli est suggestio libidinis & auaritiæ. Virga eius, flagellum inuidiæ, baculus eius rigor & duritia superbiæ. Vulnus etiam dicitur concupiscentia carnis, liuor concupiscentia oculorum, plaga tumens superbia vitæ. Contra hunc triplicem morbum triplex est remedium. Vnum in exhortatione verbi, aliud in infli ctione supplicij, tertium in collatione subsidij. Vnde sic intelligitur. Non est circumligata fasciis verborũ, nec curata medicamine, id est, terrore suppliciorũ, nec effota oleo, largitione beneficiorum,

ficiorum, non est circumligata funiculis exhortationis,non est curata medicamine,id est,asperitate comminationis. Non est effota oleo,id est,suauitate promissionis. Potest etiam tertio modo exponi,vt vulnus dicatur peccatum apertum,quod circumligare debet ne sanie fluat,& alios malo exemplo corrumpat. Liuor peccatum occultum,cuius dolor extrahitur per confessionis emplastrum,dum medicamine confessionis reuelatur. Plaga tumens consuetudo peccandi ex superbia, quæ debet foueri oleo. Tales enim non nisi gratuito diuinæ vnctionis munere sanantur. Salus populi ego sum,dicit Dominus: Ipse enim est medicus salutaris ægro ad curandum,qui sanat contritos corde,& alligat contritiones eorum. Ipse patronus reo. Vnde Ioannes in Epistola canonica: Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum. Ipse Dominus seruo ad adiuuandum,qui non permittit nos tentari vltra quam possumus. Ipse magister discipulo ad erudiendum,sicut scriptum est: Omnia quęcunque audiui à patre meo,nota feci vobis. Ipse tutor pupillo ad protegendum,sicut scriptum est: Pupillam & viduam suscipiet. Ipse imperator militibus ad coronãdum. Vnde in Apocalypsi: Esto fidelis vsq; ad mortem,& dabo tibi coronam vitæ. Ecce quàm multipliciter Dominus salus est populi sui. Longè autem à peccatoribus salus,qui de salute non curant: sicut phreneticus qui suam infirmitatẽ non agnoscẽs, medicum non requirit. Dominus autem non venit ministrari, sed ministrare, & multiplicem salutem conferre. Si indiges cibo, seipsum in cibum dedit: & totus coctus fuit, dum carnem suam igne passionis esibilem reddit. Vnde ipse ait: Caro mea verè est cibus. Si quiescere vis,lectum tuum tibi strauit. Vado, inquit, parare vobis locum. Si ablui velis,lotrix tua factus est, iuxta illud: Fide mundans corda eorum. Si lassus es,ipse portitor est onerum tuorum,qui peccata nostra tulit in corpore suo super lignum. Si paruulus es & debilis,ipse nutrix tua est,sicut per Isa. ait: Ad vbera portabimini,& super genua blandietur vobis. Si in carcere es, venditus est vt te redimeret. Empti enim estis pretio magno. Si infirmus es,ipse de seipso fecit medicinam. Vnde Ambrosius: Theriaca de serpẽtis carne cõfecta medetur venenis,& Christus de serpente carnis suæ nostram carnem sanauit. Sed contemptoribus adhuc plus placet sibulus serpentis,quàm vox medici redimentis. Et Isaias ait: Puer natus est nobis,scilicet,saluandis secundum humanitatem. Et filius datus est nobis,secundum diuinitatem,& ita duplici medicamine sanati sumus,& duplici electuario confortati. Electuarium enim de electis speciebus fecit nobis electus ex milibus. Dominus enim teste Isaia voluit eum conterere in infirmitate. Attritæ sunt species,ex quibus factum est nobis electuarium. Corruptæ species non faciunt electuarium bonum. Christus autem aliquam corruptionem non habuit,nec aliqua species adulterina in ipso fuit: qui peccatum non fecit,nec inuentus est dolus in ore eius. Dominus autem voluit eum conterere pistillo passionis in infirmitate nostra,id est,ad infirmitatem nostram sanandam. Cùm autem corporalis medicina morbos corporales mortales sanare non valeat,morbos spirituales mortales sanat spiritualis medicina. De Hemoroissa autem legimus,quod multi Medici eam in curam susceperunt,sed à nullo potuit sanari,nisi ab illo qui verus est Medicus, de quo Ieremias ait: Sana me Domine & sanabor,saluum me fac & saluus ero. Quasi diceret: ab alio sanari non valeo. Et iterum: Conuerte me Domine & conuertar,aliter enim non possumus cõuerti. Cùm autẽ genus humanũ variis morbis laboraret,fecit ei quasi quasdam sorbiunculas,dum verbũ caro factum est pro nobis. Et quoniã scriptum est: Qui infirmus est,olus manducet. Herbam suæ carnis nobis tribuit. Omnis quippè caro fœnum & herba est. Balneauit autem infirmum in fonte septẽ riuulorum. Duo de pedibus,duo de manibus,duo de latere sanguis, scilicet,& aqua emanauerunt. Septimum autem ex ore eius,verbum,scilicet,sacri eloquij. De quo ipse ait: Iam mundi estis propter sermonem,quem locutus sum vobis. Alij medici ægrotos suos vulnerant,hic autem pro ægrotis suis vulneratus est,vt eis restitueret sanitatem. Temperauit autem Dominus balneum ex calido sanguine, & aqua frigida,quæ exiuit de latere, vt nec frigidi & torpentes essemus ad bonum, nec concupiscentia feruentes. Vnde Isa. de hac tẽperantia ait: Si fuerint peccata vestra vt coccinum,quasi nix dealbabũtur: & si fuerint rubra quasi vermiculus,velut lana alba erunt. Nix refrigerium præstat,lana calorem, ex quibus fit temperies sanitatis & salutis. Sudauit insuper pro nobis,dum factus in agonia, quasi guttas sanguinis sudorem emisit. Dixtatus est pro nobis,dum felle & aceto est potatus. Minuit sibi pro nobis proprium sanguinem effudendo. Amaram etiam potionem mortis pro nobis accepit. Hæc enim quinque valent ad recuperandam sanitatem: balneum, sudor, dieta, minutio & potio. Quæ omnia pertulit pro nobis sanãdis: & non ex operibus iustitię quę fecimus nos,sed secundum misericordiã suam prædicto modo saluos nos fecit. Vnde Isa. ait: Zelus Domini exercituum faciet hoc,id est,charitas eius,& non merita nostra. Ipse enim diligentissime,& cum magna cautela infirmum sanare studuit. Vnde Psalmista: Annuntiate inter gentes studia eius. Et de Isaac in Genesi dicitur: quod egressus est, vt meditaretur in agro. Verus enim Isaac in agro mundi,quasi cum magna meditatione & diligentia salutem nostram procurauit. Mundus siquidẽ morbo multiplici laborauit. Ventositate laborabant superbi: dysenteria, luxuriosi: torsione viscerũ,auari: bolismo, gulosi: phrenesi laborabãt iracũdi: paralysi laborabãt pigri & acedioſi. Inuidi autem quasi cæcutientes non poterant videre lucernã Domini,donec extingueretur. Et multi hodie inuidi non possunt aspicere lucem prosperitatis aliorum,sed semper eis inuident donec lucerna extinguatur in morte.

*De multiplici remedio & auxilio.*

*De theriaca & electuario.*

*Iere. 17. Item 31.*

*De sorbitiunculis & balneo infirmi.*

*De quinq; remediis in Christo. Isa. 9.*

*De diligentia medici et morbo multiplici*

Pascitur

*Versus.* *Pascitur iniurijs, liuor post fata quiescit.* In Deuteronomio autem legimus, quod non caligauit oculos Moysi, nec dentes illius moti sunt. Caligat oculus per inuidiam, dentes mouentur per detractionem. Quandoque autem per vnum morbum minorem Dominus permittit sanari maiorem. Contra ventositatem superbiæ, fluxum luxuriæ permittit insurgere, vt homo humilietur, & quasi dysenteria ab inflatione & ventositate sanetur. Habebat autem prædictus infirmus vnum apostema in capite, aliud in membris. Ex fumositate siquidem vanæ gloriæ, contraxit apostema vanæ gloriæ in capite, id est, in mente, eò quòd voluit esse sicut Deus sciens bonum & malum. Ex inordinata autem comestione contraxit apostema concupiscentiæ in carne, eò quòd cibum vetitum concupiuit. Malè siquidem viderunt pedes dentem, pedes affectuum Adæ dētes ipsius, quia per morsum eius surgunt affectus mali ex fomite & sordes in pedibus eius. Dominus autem sudore & minutione prędicta apostemata sanauit minuens sibi vena capitis contra vnum, dum spineam coronam in capite suo pertulit. Vena hepatis contra aliud, dum latus perforatum habuit. Sicut autem Rachel mortua est in partu Ben-oni: Sicut Christus qui secundum carnē mater nostra fuit, mortuus est dum nos in cruce spiritualiter peperit: & ideo rectè dici possumus Ben-oni, id est, filij doloris eius. Et sicut mulieri mortuæ ante partū latus ferro solet aperiri vt fœtus educatur, sic latus Christi lancea apertum est vt nasceremur, & ita facti sumus Beniamin, id est, filij dextrę, filij, scilicet, lateris dextri. Sicut autem quinq; exiguntur ad corporis sanitatē, scilicet, Deus, medicina, dięta, medicus, & vas: ita ad restaurationem spiritualis sanitatis prædicta exiguntur, Deus autoritate: gratia vt medicina: præceptoris obseruatio, vt diæta: sacerdos tanquam minister & physicus, & vas continens gratiam. Sicut enim in pixide medicina continetur, ita aqua baptismali gratia etiam in exterioribus sacramentis aliis est intelligendum. Salus populi ego sum. Ipse quidem, sicut in Ecclesiastico dicitur: in brachio suo formauit lutum, id est, per filium fragilem hominem reformauit. Et iterum ait: Sicut figulus sedens ad opus suum conuertens pedibus suis rotam. Ipse enim tanquam figulus per ministerium quod gessit in carne, quasi pedibus humanitatis rotam infirmitatis nostræ, quę prius voluebatur ad mortem, conuertit vt volueretur ad vitam. Venit igitur magnus medicus, qui humano genere vulnerato in naturalibus, & spoliato gratuitis, omnimodam causam curationis exhibuit. Sicut enim in curatione corporis exiguntur causa efficiens sanitatis, cōseruatiua, præseruatiua, melioratiua, & resumptiua: ita in morborum spirituālium expulsione & sanitatis restitutione, adhibuit nobis Christus causam efficientem seu curatiuam, quæ duplex est: vna quæ omnimode, & simul ab omni morbo spirituali curat, id est, baptismus, qui sic velociter curat, vt statim euolet homo, si post baptismum decedat. Altera est pœnitentia, quæ & si omnimode, non tamen simul, sed paulatim, & quasi per gradus animam priori restituit sanitati. Cōseruatiua causa est sacramentum confirmationis, quod cōfirmat & robur præstat iam sanatis. Baptismus quidem est sacramētum ingredientium, confirmatio proficientium. Præseruatiua verò causa, est matrimonium, quod institutum est in præseruatione à peccato luxuriæ post peccatum. Melioratiua causa est ipse ordo, in quo prærogatiua spirituali gratia augmentatur ministris. Resumptiua verò est extrema vnctio, quæ ad euacuandas reliquias peccatorum, si aliqua remanserunt, confertur. Eucharistia verò causa est conseruatiua, melioratiua & præseruatiua, destruendo siquidem venialia conseruat à mortali. Per venialia enim quandoque corruimus in mortalia. Est melioratiua, quæ confortat animam & auget gratiam. Est etiam resumptiua, vnde post baptismum consuevit dari maximè adultis. Patet igitur, quod Deus omnimodam salutem adhibuit infirmitatibus nostris sanandis, & quod prędicta septem sacramentorum emplastra, ad omnes infirmitates sanandas sufficiunt. Verè igitur Deus salus est populi. Vnde verè ei dicere possumus, sicut dictum est Ioseph in Ægypto: Salus nostra in manu tua est. Quæ, scilicet, affixa cruci debellat aëreas potestates. Et in Iob dicitur: Perditio & mors dixerunt: Audiuimus famam eius, quia per eum qui est salus, perditio destructa est: & per eum qui est vita, mors est mortua. Ipse enim quasi fluminis impetus nobis aduenit, tollens omnia impedimenta salutis. Vnde Isaias de ipso ait: Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Dei cogit. Et in Ecclesiastico dicitur: Benedictio illius quasi fluuius inundabit, qui, scilicet, continuas habet aquas, nisi aliquo obice peccatorum interrumpatur. Curramus igitur ad medicum fidelem, & ad medicinam salutarem. Ipse enim qui in præsenti est salus gratiæ, in futuro erit salus gloriæ. Vnde dicitur in missa: Osanna in excelsis, quasi qui saluasti redimendo ab inferis, sana collocando in cœlis. Et Isaias de salute gloriæ ait: Canticū erit vobis, sicut vox sanctificatæ solemnitatis & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Dei. Sicut filij Israël transito mari rubro, cùm vidissent submersos Ægyptios cum lætitia cecinerunt Deo. Sic in die iudicij transito mundo & damnato diabolo cum mēbris eius cum lætitia in Dei laudem exultabunt, sicut qui pergit cum tibia. Præceptum erat filiis Israël, vt decimas suas offerrent in exultatione, datorem bonorum glorificantes. Sic sancti in iudicio offerent manipulos suos exultantes. Cùm igitur sufficienter dictum sit de salute & medicina, subiungamus breuiter de clamore & tribulatione. De quacunque tribulatione, inquit, clamauerint ad me, exaudiam eos: de prosperitate nunquam se exaudire promittit, sed dicit, væ illis, qui habent hic consolationem in transitoriis prosperitatibus. Vnde Bernar. Delicata est cōsolatio diuina nō sustinet alienā. De tribulatione autē quandoq; exaudit Deus à tribulatione liberando

*De duplici apostemate.*

*De sanatione infirmi.*

*De his quæ ad curationem ægroti requiruntur.*

*De multiplici causa curationis infirmi.*

*Isa 59.*
*Eccle. 39.*
*De duplici salute gratiæ et gloriæ.*

*Isa. 30.*

*Deus exaudit in tribulatione. Bernardus.*

rando, ſicut tres pueros in ardente camino ignis, & Danielem de lacu leonum. Rarò tamen rogant ſancti vt à tribulationibus liberentur, niſi fortè propter incredulos videant Dei virtutem & conuertantur, vel vt maiori vtilitati reſeruentur. Exaudit autem Deus de tribulatione, patientiam conferendo & tollerantiam. Patientia ſiquidem ſanctorum viuit ictibus, naturam habens vrſi, qui verberibus impinguatur. Iuxta illud: Omnes quaſi vrſi rugiemus. Sicut autem leccator delicatis cibis & pinguibus delectatur, ita & patientia perſecutionibus. Ipſa enim eſt antemurale & cuſtos aliarum virtutum, defendens ſe à canibus baculo illo, de quo dicitur in Geneſi. In baculo meo tranſiui Iordanē iſtum. Multi canes momorderunt baculum huius peregrini, id eſt, crucem Chriſti. Non petunt igitur ſancti vt à tribulationibus liberentur, ſed vt in tribulationibus cōſeruentur. Non poſcunt proſperari in hoc ſeculo, ſed præmium expectant in futuro. Vnde Hieronymus ait: Nunquam vota nutricis meæ eueniant mihi. Et Oſee ait: Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane tranſiens. Rorem matutinum ſolet ſequi ardor diei, ſic præſentem fœlicitatem ignus æternus. Præſentes tribulationes citò coronam certaminis conſequētur. Vnde Iſaias: Modicum ibi, modicum ibi, vt vadant & cadant, quaſi dicat: Modicum erunt iuſti in miſeria præſenti, vt vadant de hoc ſeculo ad gloriam. Modicum erunt hîc reprobi vt cadant in foueam inferni. Propterea quidam religioſus in infirmitate poſitus dicere ſolebat, Domine da mihi cor & ictus. Cor ad patiendum, ictus ad merendum. Sufficit igitur iuſtis, ſi Deus in hoc ſeculo det eis in tribulationibus patientiam ad tollerandum & obedientiam ad bene operandum. Vnde Iob: Oſſibus & neruis compegiſti me. Oſſibus vt ſit fortitudo ad patientiam. Neruis vt ſit flexibilitas ad obedientiam, ne dicatur ſicut per Ieremiam dicit Dominus: Neruus tuus ferreus, ſcilicet, per inobedientiam. Oſſa ſine neruis ſunt quę frangi & non flecti poſſunt. Habeamus igitur oſſa patientiæ, neruos obedientiæ, carnes compaſſionis, & medullam internæ charitatis, & cutem honeſtæ conuerſationis. Multi autem ad Dominum clamant in tribulatione, in proſperis autem de liberatore ſuo non curant. Vnde Bernardus: Si de planctu cordis huiuſmodi lachrymæ proceſſiſſent, non ita citò reſoluerentur in riſum. Clamare igitur debemus corde vero & contrito. Vnde Ierem. ait: Magna eſt, velut mare contritio tua. Contritionem mari comparat, quia peccata abluit, & vermes praui deſiderij perimit, vbi ſiquidem non eſt ſepes contritionis, intrant malæ beſtiæ concupiſcentiarum, & diripitur poſſeſſio virtutum. Simus igitur compuncti, id eſt, ſimus puncti cū eo, qui lancea pūctus eſt pro nobis. Clamemus igitur ad Deū corde cōpuncto & flebili. Clamor enim cū fletu cordis à Domino facilè exauditur. Vnde Ezechiæ dictū eſt: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Plus eſt enim videre quàm audire, fortius eſt brachium lachrymarum, quàm orationum. His autem duobus brachiis Deum luctādo vincimus. Sicut autem puer cùm verberatur, inuoluit ſe veſte magiſtri, nec ab eo elongatur, quia durius feriretur: ita & nos cùm à Domino verberamur, veſte Chriſti, id eſt, charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, inuoluamur, vt cum gaudio & amore Chriſti diſciplinam recipiamus. Ipſe enim flagellat omnem filium quem recipit. Magiſtri autem verberare non ſolent diſcipulos aliarum ſcholarū, ſed ſcholares proprios: & Chriſtus illos, qui ſunt de ſcholis diaboli nō flagellat in hoc ſeculo, ſed eos proſperari permittit. Alphabetum autem diſciplinæ Chriſti, eſt lamentatio peccatoris. Vna autem lachryma, ex corde vero & contrito delet omnes chartas, & omnia chirographa diaboli, quæ contra nos ſeruabat. Nouacula contritionis radit omnes literas tranſgreſſionis, quas propriis manibus ſcripſimus. Poſtquam Chriſtus aqua baptiſmi, & ſanguine paſſionis ſuæ deleuit chirographum decreti ſui. Patet igitur, quod qui clamant ad Dominum corde contrito, flebili & humiliato, Deus exaudit eos, de quacunque tribulatione clamauerint ad eum. Ipſe enim reputat honorem ſuum, cùm ipſum oramus & clamamus ad eum, ſicut ſcriptum eſt: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Si enim inimicus inuadit feudum noſtrum, nos auxilium Dei poſtulare debemus, à quo feudum tenemus, alioquin de nobis conqueri poſſit Deus. Ita in tribulationibus & tentationibus ad Dominum debemus recurrere, & eius auxilium poſtulare, alioquin ei iniuriam facimus. Qualiter autem Deus exaudiat clamantes ad ſe, oſtendit, vbi ſubiungit: Et ero Deus illorum in perpetuum, quaſi dicat: Perpetua, & non tranſitoria erit liberatio ſeruorum meorum, quos regam in æternum, & remunerabo ſicut Dominus fideles ſeruos. Ipſe autem qui Deus eſt omnium per potentiā, tantum electorum ſuorū Deus eſt per gratiā. Similiter qui Deus eſt omnium, per creationem & omnipotentiam, ſicut ſcriptum eſt: Deus vniuerſorum tu es, Deus tantum eſt iuſtorum per gratiam. Vnde frequenter in ſcripturis ait: Erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Hoc modo eſt enim Deus reproborum. Vnde Iſaias: Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Pax, id eſt, Chriſtus pax noſtra, quæ fecit vtraque vnum. De quo Michæas ait: Et erit iſte pax: quum venerit in terram noſtrā Dominus noſter Ieſus Chriſtus; cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

*Sancti rarò petunt à tribulationibus liberari, ſed in tribulationibus conſeruari, non enim præmium ſuū expectant in præſenti.*

*Hieronymus.*

*Iſa. 28.*

*Iob 10.*

*De fletū clamantibus. Bernardus. Qualiter clamandum eſt ad Dominum.*

*De verberatū & verberāti.*

*De quadruplici lamentatione.*

*Mich. 5.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epiſtola ad Epheſios.

*Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* *Ephe. 4.*

VETVSTAM

*De vetuſtate. Treni 3.*

VETVSTAM fecit pellem meam, & carnem meam: contriuit oſſa mea. Verba ſunt Ieremias in Threnis, Hæc pellis mortalitatis noſtræ, qua primi parentes induti ſunt, & omnes filij eorum. Pater ſiquidem noſter guloſus fecit ſibi pellicium cum dentibus, pelle mortalitatis induens ſe, & omnem poſteritatem ſuam. Pili autem pellium motus ſunt ad peccandum. Poſtquam autem Sol, id eſt, Adam obſcuratus eſt, & Luna, id eſt, Eua conuerſa eſt in ſanguinem, & ſtellæ ceciderunt de cœlo, id eſt, filij eorum: cœpit genus humanum ex motibus ſenſualitatis pronum eſſe ad malum, & ruere de peccato in peccatum. Vnde Salomon: Ne laudes hominem in vita ſua, id eſt, quàm diu in eo viuit vetus homo, & ita propter peccata vetuſta facta eſt pellis eius. In cuius perſona Dauid ait: Inueteraui inter omnes inimicos meos tam viſibiles, ſcilicet, quàm inuiſibiles, quibus conſenſi. Factus eſt ad modum veteris veſtis, quæ nec vſui apta eſt, nec decori veſturam fecit carnem meam, id eſt, carnales effectus: contriuit omnia oſſa mea, id eſt, virtutes quæ ſunt firmamentum mentis, ſicut oſſa corporis. Vel vetuſtam fecit Dominus pellem meam corruentibus illis qui circundabant Eccleſiam & protegebant, ſicut pelles tabernaculum & carnem meam, plebem, ſcilicet, fragilem, qui exemplo maiorum lapſi ſunt in peccatum. Contriuit omnia oſſa mea, id eſt, fortiores in Eccleſia. Vnde in Geneſi dicitur: Cùm proficiſcerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sen-naar, & habitauerunt in eo. Qui enim de oriente gratiæ in occidente culpæ proficiſcuntur, inuento campo mundani gaudij, derelicta via arcta quæ ducit ad vitam, habitant in terra Sen-naar, id eſt, in fœtore vitiorum, domum ſuæ conuerſationis ædificant. Sen-naar enim fœtor eorum interpretatur. Quantò autem magis homo peccat, de peccato in peccatum corruendo, & in peccatis commorando, tantò vetuſtior efficitur & facilius laceratur. Vnde Ioël: Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit brucis, & reſiduum bruci comedit rubigo. Eruca verò vermis eſt olera conſumens carni, quam perambulat, pruriginem inducens, per quam luxuria, quæ omnem virorem gratiæ conſumit in homine, & pruriginem malorum deſideriorum inducit. Dum autem confricando tollere pruriginem volumus, magis prurimus. Sic dum luxuriando carni volumus ſatisfacere, magis ardemus. Propterea Amos ait: Oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedet eruca. In Oliuetis opera miſericordiæ, in ficetis manſuetudo, & morum ſuauitas intelligitur, quæ omnia eruca luxuriæ conſumit. Dum enim vineam Iezraël in hortum voluptatis, & in olera laſciuiæ conuertimus, clamat contra nos ſanguis Naboth. Vinea Iezraël quæ interpretatur ſemen Dei, mens Chriſtiani eſt: quam ſi quis per luxuriam conuertit in hortum voluptatis, clamabit contra eum ſanguis Naboth, id eſt, Chriſti, qui maluit ſanguinem effundere quàm vineam perdere. Locuſta alacrem habet ſaltum, ſed decidiuum, & ſignat ſuperbiam, quæ & ſi ad modicum exaltatur, citò humiliatur. Brucus qui totus eſt, eſt in ventre, & arborem cui inſidet, non relinquit donec totam corroſerit, gulam ſignificat. Pari modo à guloſo ſcutella vel crater obſidetur, donec totum conſumatur. Vnde Iob: Nihil remanſit de cibis eius. Propterea non remanebit de bonis eius. Rubigo peſtis eſt, quæ ſegetes inuadens, ſpicas nigreſcere facit, & fructum euacuat, per quam ira, inuidia, & aliæ ſpirituales nequitiæ deſignantur. Sic igitur miſera anima veteraſcit, & cum magna difficultate reparatur. Vnde Dominus in Euangelio: quæſiuit à dæmoniaco quantum tempus eſt, quod ei hoc accidit, & reſpondit pater ab adoleſcentia. Quæſiuit, non quod ignoraret, ſed vt oſtenderet cum quanta difficultate curarentur, qui diu inueterati ſunt in peccatis: vnde Apoſtoli non potuerunt illum curare, quem Dominus ſanauit, vt maximam difficultatem oſtenderet in talium curatione, qui etiam multum vexatus eſt, dum à Domino curaretur. Et quoniam omnes naſcimur in vetuſtate originalis peccati, & quantò magis peccamus, maiorem vetuſtatem incurrimus. Ait Ieremias: Maledicta dies in qua natus ſum, dies in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Dies dicitur maledicta, id eſt, miſeriæ vetuſtatis, reatus & pœnæ addicta. Simile inuenitur in Iob, vbi ait: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Quare non in vulua mortuus ſum, egreſſus de vtero, non ſtatim perij? Cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus? In nocte peccati conceptus eſt, & in die natus eſt, id eſt, ad manifeſtos labores, vel in nocte concipitur homo, id eſt, in occulto peccato. In die naſcitur, dum peccatum manifeſtatur. Chriſtus autem conceptus fuit in die, quia ſine peccato natus eſt in nocte. Ipſe enim homo natus ad laborem. Vnde Pſalmiſta: In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, quando, ſcilicet, ad nos miſeros peccatores, per incarnationem deſcendit, & nocte canticum eius, quia ipſo nato Angeli cantauerunt: gloria in altiſſimis Deo. De die etiam operibus miſericordiæ, & nocte diuinis laudibus debemus vacare. Quare non in vulua mortuus ſum? ecce peccatum occultum. Egreſſus de vtero, non ſtatim perij? ecce peccatum manifeſtum. De quo Michæas. In matutina luce faciunt illud. Quod ſignatum eſt in Ioſue, per Reges ſuſpenſos ad ſolem. Et de Petro dicitur: quod Herodes voluit eum poſt Paſcha producere populo. Tertiò in conſuetudine culpa ducitur. Vnde ait: Cur exceptus genibus? Conſuetudo enim eſt, quaſi nutrix peccati. Cur lactatus vberibus? Ecce peccata deſperationis & præſumptionis. Duo enim vbera ſunt ſpes inanis veniæ, & deſperatio miſericordiæ. Vetuſtatem ſiquidem pœnæ, id eſt, ſenſualitatem quàm diu viuimus, deponere non valemus. Quando autem ratio

*De eruca, locuſta, bruco & rubigine.*

*Amos 4.*

*Iob 20.*

*De vetuſtate originalis peccati.*

*Mich. 3.*

*De vetuſtate pœnæ.*

tem ratio motibus sensualitatis consentit, incurrimus vetustatem culpæ. Vnde in Prouerbiis Salomon ait: Garrula, vaga, quietis impatiens, non valens in domo pedibus consistere. Hæc est sensualitas. Saltatrix, scilicet, illa, de qua Isaias ait: Pilosi saltabunt ibi, & respondebũt sibi vlulæ de domibus suis, & sirenæ in delubris voluptatis. Pilosi saltant, quando primi motus emergunt. Vlulæ respondẽt, quando motus rationis consentiunt & applaudunt. Vnde Dominus per Osee ait: Dedi eis regem in ira. Hæc est enim ira Dei, quando contra rationem sensualitas regnat. Sirenæ in delubris voluptatis cantant, quando animam illecebræ fallaces, & morosæ cogitationes demulcent. Cùm igitur in duplicem vetustatem inciderit, miser homo post peccatum pœnæ, scilicet, & culpæ à vetustate pœnæ in hac vita renouari non valemus, vt autem à vetustate culpæ renouemur modis omnibus laborare debemus. Sicut scriptum est: Gladius meus deuorabit carnes, id est, carnalem hominem in me destruet. Concupiscentia siquidem spadonis deflorauit virginem, id est, animam prius castam. Spado dicitur diabolus, qui potens est deflorare, sed bono semine nõ potest imprægnare. Propterea Apostolus in hodierna Epistola ait: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem. Prædixerat, deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, id est, deponite vos non secundum substantiam corporis & animæ, sed secundum pristinam conuersationem. Deponite, scilicet, veterem hominem, qui corrumpitur, & si delectur secundum desideria, non solùm secundum opera: & ideo deponite etiam desideria quæ sunt erroris, id est, ab errore veniunt & ad errorem ducunt. Homo interior si vitia sequitur, vetus dicitur. Deponendus est ergo vetus homo, id est, vetustas peccati, qua homo interior veterascit & corrumpitur. Renouamini autem quotidie spiritu mentis vestræ, id est, per spiritum sanctum, qui regit & dirigit mentem vestram. Vel spiritu mentis vestræ, id est, mente spirituali. Spiritu, scilicet, qui est mens vestra, qui postquam peccatum reliquerit, renouatur in ea imago Dei, vt incipiat ista imago ab eo reformari, à quo formata est. Non enim seipsam reformare potest, sicut potuit deformate. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, id est, assumite similitudinem noui hominis, id est, Christi, de quo alibi dicit Apostolus: Induamini Iesum Christum. Quo verè induitur quicunque illi mentis informatione conformatur. Nouus autem homo, id est, Christus est creatus, secundum Deum, id est, humana natura, secundum Dei potentiã. Creatus dico in iustitia, quia iustus est omnibus secundum merita retribuendo. Et sanctitate veritatis non hypocrisis, vel in sanctitate vt sit ipse sanctitas, sicut iustitia & veritas. Potest etiam ita exponi de spiritu nostro. Renouamini spiritu vestro, qui, scilicet, creatus est secundum Deum, id est, ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate veritatis. Sanctitas autẽ ad affectũ, veritas pertinet ad intellectum. Peccando autem iustitiã & sanctitatem veritatis amisit. Propter quod hæc imago deformis & decolor facta est. Sed formam recipit & reformatur, dum renouatur. Sicut autem pictor primò facit quasdam protractiones, & tabulam plumbo signat, deinde per colores illuminat, tandem inaurando clarificat. Sic in creatione impressit summus artifex imaginem, postea illuminauit per gratiam, sicut scriptum est: Saginatum est super nos lumen vultus tui Domine. Et iterum: Faciem tuam illumina super seruum tuum. Tandem clarificabit in gloria, quando teste Apostolo ad Corinthios: reuelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem trãsformabimur. Ipse enim, vt ait Malachias: quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans, quasi argentum, & purgabit filios Leui. Quasi ignis conflans, quantum ad impios torquendos: quasi herba fullonum, quantum ad bonos purgandos. Si purgabit argentum & aurum, quid facient plumbum & stagnum? Si purgabit filios Leui, quid erit de filiis diaboli? Nemo autem in hoc seculo potest viuere, qui semper non indigeat purgatione. Nemo enim mundus à sorde, nec infans vnius diei. Vnde Ambrosius: Quomodo mundus es, qui in corpore mortis, & inter sepulchra viuis mortuorum, quasi dicat: Si dixerimus quod peccatum non habemus, & purgatione, & renouatione non indigemus, nosmetipsos seducimus. Propterea semper exemplo Iob debemus testa saniem radere fluxus immundiciarum radendo asperitate pœnitentiæ. Teste autem Augustino: omnis qui iam suæ voluntatis arbiter cõstitutus est, cum accudit ad sacramentum fideliũ, nisi eum pœniteat veteris vitæ, nouam non potest inchoare. Semper igitur quàm diu viuimus, sordes vetustatis expellere, & animas nostras renouare debemus. Non enim in vtres veteres, vel fæcibus plenos ponitur vinum nouum gratiæ spiritualis. Renouamini in spiritu mentis vestræ, mutando pennas & plumas exterioris conuersationis: velut accipiter, mutando rostrum veteris locutionis: vt aquila, mutando pellem habitus inordinati: vt coluber, mutãdo cornua more cetui. Cornua, scilicet, superbiæ in cornua defensionis Ecclesiæ, vel animæ nostræ contra diaboli impugnationem. Nolite igitur conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri. Forma huius seculi in qua seculares formantur vel magis deformantur, est superbia, auaritia, luxuria & alia vitia. In nouitate sensus vestri vt renouentur, qui fuerunt inueterati cõtrahentes rubiginem ex terrenorum affectu, sicut ferrum ex terræ cõtactu. Ad limam autem timoris, & fornacem diuini amoris renouari debemus. Hoc est quod Ezechiel ait: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis: & facite vobis cor nouum, & spi-

*Renouari debemus à vetustate culpæ.*

*De reformatione imaginis*

*Semper in hac vita indigemus purgatione.*

*Augustinus.*

*De inouatione spiritus.*

*De forma seculi.*

*Ezech. 18.*

*Seneca.*

& ſpiritum nouum. Et Seneca: Proiice quæcunque cor tuum laniant: quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis euellendum erat. Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Triplex eſt renouatio: prima gratiæ, ſecunda pœnitentiæ, tertia gloriæ. Prima fit in baptiſmo. Vnde Apoſt. Quotquot baptiſati eſtis, Chriſtū induiſtis. Secunda in pœnitentia & contritione. Vnde Pſal. Spiritū rectum innoua in viſceribus meis. Tertia fiet in generali reſurrectione quādo mortale hoc, induet immortalitatē, ſicut ſcriptum eſt: Renouabitur vt aquila iuuentus tua. In prima trā ſit homo à vetuſtate infidelitatis ad nouitatem fidei. Vnde nouis ſuperuenientibus vetera proiicietis. In ſecūda tranſit à vetuſtate peccati in nouitatē gratiæ. Vnde Apoſt. Expurgate vetus fermentū, vt ſitis noua cōſperſio. In tertiā tranſit à vetuſtate miſeriæ, in nouitatem gloriæ. Abſterget enim Deus omnē lachrymā ab oculis ſanctorum ſuorū. Quātò autē diutius viuimus, & plura bona facimus, & morti magis appropinquamus, tantò magis renouari, & feruētiores eſſe ad bonum debemus. Vnde Apoſt. Nunc enim proprior eſt noſtra ſalus, quā cùm credidimus. Et Iob: Quaſi effodientes theſaurum, gaudentes q; cùm inuenerint ſepulchrum. Solebant quidem cum diuitibus pecuniam ſepeliri. Vnde effodiens pecuniam, gaudebat inuento ſepulchro. Sic viro iuſto gloria æterna in morte eſt repoſita. Vnde quantò magis morti appropinquat, tantò feruentius ad laborē renouatur, donec ad theſaurum ſibi deſtinatū perueniat. Renouamini ſpiritu mētis veſtræ. Nō enim corruptio incorruptelā poſſidebit, id eſt, immarcesſibilem, & incontaminatam hæreditatē in cœlis. Si igitur vis debitum ſoluere pœnitētdo pone veterē hominē tanquam obſidē in compedibus, donec ipſo mortificato totū reſtituas, donec carō acquirat caſtitatē facta mundior, anima ſecuritatem facta fortior, ſpiritus ſubtilitatē factus clarior. Cùm autem homo voluerit eſſe ſicut Deus quando non potuit, nunc poteſt ſi voluerit Chriſto conformari, & ad eius imitationem renouari, ſi pauper, ſi pannoſus, ſi lugens, ſi humilis, ſi patiens, ſi cum ipſo crucifixus. Vnde Auguſt. ait: Dedit nobis carnem ſuam ad manducandum, dedit & paſſionem ad imitandum. Talia dedit qualia paſſus eſt. Et Ierem. Da eis Domine ſcutū cordis laborē tuum. Qui enim Chriſti labores recondamur, ſcuto patientię armamur. Non igitur deſperēt pœnitētes, qui cū Chriſto reformari nitūtur, qui quaſi renodati ſunt poſt ruptura. Quia corrigia quę rupta fuit, & renodatur quādoq; fortior eſt circa nodū. Dat inſuper Deus fortitudinē deſtruēdi veterē hominē, imò ipſe deſtruit ipſum in nobis, quia ſine ipſo nihil poſſumus facere. Sicut ſcriptū eſt: Cōſcidiſti ſaccū meum, & circumdediſti me lætitia. Saccum, ſcilicet, vetuſtatis, & circūdediſti me lætitia nouitatis. Propterea Michæas ait: Diſperdam quadrigas tuas. Tres ſunt quadrigæ, cōcupiſcentia carnis, cōcupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ. Quarū quælibet quatuor habet rotas, ſcilicet, malā cogitationem, prauā locutionē, peruerſam operationem, & inueteratā conſuetudinē. Et per Oſee Dominus ait: Ego quaſi tinea Effraim, & quaſi putredo domui Iuda. Dominus eſt nobis ſicut tinea & putredo cū viroré tēporalium & amorē eorum in nobis conſumit: ſicut hederā Ionæ demolitus eſt vermiculus. Facit etiam nos attendere quod putredo corpora noſtra conſumet, quemadmodū Iob ait: Sicut putredo conſumēdus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea. In Septuaginta ſic habetur. Ego quaſi cōturbatio Effraim, & quaſi ſtimulus domui Iuda. Ad præſentē enim cōturbat Dominus & ſtimulat ad proficiendum de bono in melius. Renouamini ſpiritu mentis veſtrę. Reformari in nobis nō poteſt imago deformata, niſi iterum imprimatur ſigillo, ad cuius ſimilitudinem eſt formata. Ad hoc autem quod homo reformaretur, oportuit quod ſigillum ceræ iterum applicaretur, id eſt, diuinitas humanitati. Chriſtus autē eſt ſigillum cui imprimi debemus. Vnde per Aggęum in fine pater ait ad Chriſtum. Aſſumā te Zorobabel dicit Dominus: & ponā te ſignaculū, quia te eligi. Per Zorobabel, qui magiſter cōfuſionis interpretatur, Chriſtus intelligitur, qui venit in confuſione huius mundi, vt eſſet magiſter noſter. In hoc autem ſigillo deformata imago imprimenda eſt, vt reformemur. Propterea ipſe in Canticis ait: Pone me vt ſignaculū ſuper cor tuū, & ſuper brachiū tuū, vt omnis affectus & operatio tua hoc ſigillo ſigilletur. Et quoniam ſcriptum eſt. In imagine pertranſit homo, id eſt, cum imagine, niſi in hoc ſeculo fuerit reformata, ſemper ardebit in gehenna. Vri quidē poterit, ſed nō exuri; ardere, non deleri. Debemus igitur conuerſationē Chriſti diligenter attendere, vt ei cōformemur. Vnde in Eccleſ. Salomon ait: Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre ſolem. Hic eſt Sol iuſtitiæ, cuius conuerſationem debemus cum deſiderio & delectatione intueri. Qualiter autem perfectè renouari debeamus, ſubiungit Apoſtolus, dicens: Induite nouum hominē, id eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hæc veſtis tegit, protegit, ornat, & calefacit. Tegit pudenda noſtra, idem operit peccata, ſicut ſcriptum eſt: Operuiſti omnia peccata eorum. Beati enim quorū remiſſæ ſunt iniquitates, & quorū tecta ſunt peccata. Protegit & munit nos contra pluuiā & ventum, frigus & turbinem. Contra pluuiam carnalis voluptatis, contra ventū ſuperbiæ & vanitatis, contra frigus acediæ & torporis, contra turbinem iræ & iniquitatis. Hęc veſtis nos ornat, dum honeſtatē ſanctæ cōuerſationis præſtat. Calefacit, dū feruorē charitatis nobis tribuit. Hæc eſt veſtis deaurata, variis coloribus depicta, deaurata charitate, variis virtutū coloribus diſtincta, candore innocentiæ & virginitatis, rubore martyrij & paſſionis, hyacintho cœleſtis conuerſationis, viriditate gratiæ indeficientis. Vnde ipſe de ſe ait: Si in viridi hoc faciunt, in ſicco quid fiet? Nigredine contemptus & abiectionis multiplicis laboris. Niger ſed formoſus, vir dolorū ſciēs infirmitatē. Induite igitur nouū hominē. Induimini Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum

*De triplici renouatione.*

*Iob. 3.*

*Imitādo Chriſtum renouamur. Auguſtinus.*

*De tribus quadrigis & rotis earum.*

*De impreſſione & ſigilli.*

*Eccle. 11.*

*Chriſtum induere debemus, & nouā conuerſationē aſſumere.*

Christum, sicut ferrũ induit ignẽ, aër Solẽ, lana colorẽ, & sibi quasi substãtialiter incorporãtur, ita vt vir fidelis amore Christi succẽsus sic ardeat, vt totus sit ignis, sic luceat virtutib⁹, vt nulla parte obscuretur, sic sanguine Christi sit tinctus & rubricatus, vt Christo crucifixus, nulla membra ad peccandũ extẽdat. Induitur igitur Iesus Christus sicut ferrũ igne per charitatẽ, sicut aër luce per boni exempli illuminationẽ, sicut lana tincta per passionũ Christi imitationẽ. Sic igitur hac veste tegamur, vt in omni cõuersatione nostra appareat conuersatio Christi. Sequitur: Propter quod deponẽtes mendaciũ, loquimini veritatẽ vnusquisq; cum proximo suo, quoniã sumus inuicẽ mẽbra. Exequitur partes veteris & noui hominis, quasi dicat: Quià homo vetus est deponẽdus & nouus induẽdus, vos deponẽtes mendaciũ, quod est pars vetustatis, loquimini veritatẽ, quæ est pars nouitatis, vnusquisq; cum proximo suo, id est, cum quouis homine: quia omnis homo proximus cõditione natiuitatis & suæ cõuersationis. Nos siquidẽ sumus inuicẽ membra, vnde alter alteri inuicẽ debet subuenire & subseruire, & nõ mendacio circumuenire. Sicut autẽ libido corrumpit castitatẽ, ita mendaciũ veritatẽ. Non est autẽ minor virtus veritas q̃ castitas. Cauendũ est igitur omne mendaciũ, & maximè quãdo Deum testẽ producimus. Vnde ratò iurandũ est, & in omni iuramẽto tria sunt attẽdenda. Vnde Ierem. Iurabis viuit Dominus in veritate & iudicio & in iustitia, quia per Deũ iurandũ est non per creaturas: sicut scriptũ est: Reddes Deo iuramẽta tua in veritate, vt quod iuras, scias verũ esse. In iustitia, vt iuramentũ nõ sit vinculũ iniquitatis. Vnde de iuramẽto iniquo & illicito dicitur: Dissolue colligationes iniquitatis. In malè promissis rescinde fidẽ. In iudicio, id est, discretè, nõ sine necessitate. Nõ solũ autẽ à mendaciis, sed ab ociosis verbis & turpibus sermonibus abstinendũ est. Hoc igitur procedat à labiis, quod animã nõ polluat audiẽtis. Qui ociosa verba nõ reprimit, ad noxia transit: vana verba citò polluunt mentẽ. Facilè agitur quod libẽter auditur. Non solũ autẽ mendacium oris, quod est falsitas, sed mendaciũ cordis, quod est duplicitas, & mendaciũ operis, quod est vanitas, vitare debemus. Mendaces cordẽ sunt hypocritæ, qui velut idõlum Bel, extra sunt ænei, intus autẽ sunt lutei. In quorũ persona Isa. ait: Posuimus mendaciũ spem nostrã, & mendacio protecti sumus. Habitus exterius mentitur eos religiosos esse cùm nõ sint, & spem suã ponũt in exteriorib⁹ obseruãtiis, cùm nihil intus habeãt religionis. Trutãni diaboli humilitatẽ & paupertatẽ simulãt, & velut Gabaonitæ saccos veteres asinis imponẽtes, dum pœnitentiã simulãt, & in peccatis remanẽt. Hypocrita autẽ similis est illi qui per falsos testes vult obtinere in causa sua. Hyprocritarũ religio est quasi pictura in veteri scuto: & quoniã nõ verè Deo seruiũt, in tribulationibus non subsistunt. Creta enim à pellibus eorũ citò cadit, & vestes ipsorũ citò ad cubitum perforãtur. Sicut autẽ gallina priuata est auis, & tamẽ nõ facilè capitur, ita hypocritę sõcietatẽ & familiaritatẽ magnã habent cum personis religiosis, sed nullo modo possunt capi vt religiosi. Sicut autẽ vulpes se simulat mortuã, vt capiat aues, ita hypocrita simulat se mortuum mundo, vt decipiat simplices. Sequitur: Irascimini, & nolite peccare. Adhuc exequitur partes tam noui quàm veteris hominis, quasi dicat: Si exurgat motus animi, qui iam propter pœnam peccati nõ est in potestate nostra, saltẽ nõ ei ratio cõsentiat. Inuiti igitur tolleremus, quod vitare nõ possumus. Permittit igitur Apostolus irasci, quòd humana est tentatio, sed prohibet iram ad effectũ perduci. Ex modica enim iræ scintilla, nisi reprimatur, maximus ignis procedit, qui totũ ædificiũ virtutũ cõburit. Sicut autẽ vinũ forte citò spumã suã consumit, ita spumã iræ nostræ per fortitudinẽ & patientiã citò debemus cõsumere. Vnde Apost. subdit: Sol non occidat super iracundiã vestrã, id est, ira nõ diu teneatur, sed antequã occidat lux ista visibilis, eiiciatur, ne nos deserat lux inuisibilis. Sol etiã, id est, splendor rationis, vel ipse Christus, nõ occidat super iracundiã vestrã, id est, nõ obscuretur vobis, vel mentẽ vestrã deserat, & si etiã aliquis vos irritat, quod est tentatio diaboli, nolite locũ dare diabolo in ira perseuerãdo. Si enim durat ira, datur occasio diabolo. Iratus enim mala cogitat, & sic diabolus se ingerit, vt mala peragat. Resistendo igitur iræ, resistimus diabolo, & fugit à nobis. Ipse enim similis est alieto, qui fortem alaudam dimittit & debilem inuadit. Potest autẽ intelligi de bona ira id quod ait Apost. Irascimini & nolite peccare, quasi dicat: Irascimini cõtra peccãtes, quod est ira zeli, & est bona. Sed monet ne modũ excedẽdo peccemus. Vnde subdit: Et nolite peccare, asperius, scilicet, arguendo. Irascimini etiã vobismetipsis, de peccatis præteritis pœnitendo & indignando vobismetipsis, & vlterius nolite peccare. Super hanc hominis iram non occidat Sol iustitiæ, sed potius illi irradiat, & hoc est Sol non occidat super iracundiam vestram. Et nolite locum dare diabolo, intrandi ad vos per malam cupiditatem, vel per malum timorem. Hæ sunt portæ per quas ad peccatores intrat diabolus. Sequitur: Qui furabatur, iam non furetur, id est, nõ aliquo dolo aliquid auferat. Magis autem laboret operando manibus suis, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Non solùm enim per seruos aut alienis manibus, sed propriis operari debemus, nõ parua opera lucri, sed quod bonum est: vt habeamus non solùm vnde viuamus, sed vnde aliis in necessitatibus subueniamus. Propterea Isaias ait: Confortate manus dissolutas. Manus dissoluta est impotens ad bona opera, manus arida est quæ pinguedine misericordiæ caret. Vnde in Euangelio præcipitur, vt is qui manum aridam habebat, eam extenderet; & sic restituta est sanitati. Et nos vt sanitatem recipiamus, manus ad pauperes extendamus. Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*De mendacio.*
*De iuramẽto, & his quæ iuramento exiguntur.*
*De malis verbis vitandis.*
*De mendacio cordis & operis.*
*De hypocritis Isaiæ 28.*
*De ira.*
*Non debemus locum dare diabolo.*
*De labore manuum.*
*Isaiæ 35.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

Matth. 9. *Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto.*

*Vas confractũ aquã sapientiæ non potest recipere.*

COR stulti, vt ait Ecclesiastes, quasi vas confractũ: & ideo nõ potest retinere aquã sapientiæ. Filo igitur argẽti, id est, verbo Dei religare debetis corda vestra, vt aquã limpidã diuinę sapiẽtię in terrã cadere nõ permittatis. Teste autẽ Aug. Non minus reus erit qui verbũ Dei negligẽter audierit, q̃ qui corpus domini sui negligẽtia in terrã cadere permiserit. Quid igitur de illis, qui nõ solũ negligenter audiunt, sed detrahunt & murmurãt, & verbũ veritatis impugnãt. De quibus Salomõ ait: Vsquequo paruuli diligitis infantiã? Qui, scilicet, more paruulorũ mordetis vbera matrũ, & verba magistrorũ. De quibus Dominus ait: Qui vos spernit, me spernit. Vulgò dicitur: Qui diligit dominũ, diligit & canẽ suum, id est, prędicatorẽ. Si autem sagittã in feram dirigo, & tu te interponis, & læderis: nõ mihi, sed tibi est imputandũ. Si peccatum reprehẽdo, & tu inde indignaris, & scandalizaris tanquã personã tuam reprehẽderim, tibi imputandũ est, nõ mihi, qui vitiũ persequor, nõ hominẽ, qui peccatũ persequor nõ peccatorem. Doctores siquidẽ & Prælati quasi nutrices vestræ sunt, quæ verberãt & diligunt, cõpatiuntur & arguuntur. Qui more nutricis balneũ filiis suis temperãt, vt nõ sit nimis calidum, nimis aspere increpando, nec nimis frigidum negligẽter arguendo, quia nihil prodesset. Sicut autẽ nutrix paruulo se cõtemperat, & frangit linguã, ita cõpatiendo infirmis frãgere debet iustitiæ rigorẽ. Prędicator tamẽ nihil per se facere potest absq; diuino auxilio. Ipse enim instrumentũ sonorũ, scilicet, tympanum percutit, sed Deus auẽ capit. Ipse tubã exterius personat, sed Christus interius timorẽ incutiẽdo intonat. Vnde Amos: Sic clanget tuba in ciuitate, & populus nõ expauescet. Clangit tuba in ciuitate cordis nostri, cùm ad memoriã reducimus iudiciũ Christi. Expauescit populus cogitationũ & restringitur fluxus carnaliũ desideriorũ. Orate igitur Dominum vt tuba verbi Dei hodie torporẽ à cordibus vestris excutiat, & vobis salutarẽ timorẽ incutiat.

*De balneo temperato verbo Dei.*

*De torpore, languore & dissolutione.*

Ascendens Iesus in, &c. Vsquequo dissolueris deliciis filia vaga. Verba sunt Ieremiæ ad animã languentẽ, & in lecto torporis iacentẽ, quæ velut Paralysi soluta ad fortia virtutũ opera nequit cõsurgere. Cui Isa. ait: Confortate manus dissolutas. Et Ierem. Primus comedit eũ Rex Assur, & nouissimus exossauit eum Nabuchodonosor. Diabolus enim ossa virtutũ confringit, & hominẽ eneruat atq; debilẽ & inutilẽ reddit. De hac spiritualiter intelligitur, quod in 2. Paralip. de Aza dicitur: Posuerũt eum super lectũ suũ aromatibus & vnguẽtis meretriciis, quæ erãt pigmentariorum arte cõfecta, & cõbusserunt super eum ambitione nimia. Aza interpretatur attollens, & significat peccatorẽ temporalibus eleuatum. Lectus autẽ est delectatio transitoria. Aromata sunt vana gloria, vnguenta meretricia, delectationes carnales, quibus anima illecta fornicatur à Domino, sicut scriptum est: Perdidisti omnes qui fornicãtur abs te. Tandẽ autẽ infœlix anima cum omnibus suis delectationibus cõbustione acerba & inextinguibili cõburitur. Magnus enim ignis magnas sequitur delicias. De huiusmodi igitur peccatoribus, qui in lecto voluptatis dissoluti torpescunt, intelligitur spiritualiter hodiernum Euang. vbi de paralytico loquitur. Ait enim: Ascendens Iesus in nauiculã, transfretauit, & venit in ciuitatẽ suam. Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentẽ. In nauiculam Christus ascendit, quando ex intemeratę vtero virginis Mariæ carnẽ assumpsit. Transfretauit, dũ secundũ quod ait Petrus, benefaciẽdo pertransiit. Docuit quidẽ & miracula fecit, passus est & resurrexit. Per nauiculã etiam crucis vltra mare huius mundi transeundo, ad portum tranquillitatis resurgendo peruenit. Ad literam autem de terra Gerasenorum transfretauit, & venit in ciuitatem suam, nõ in Nazareth. Marcus enim dicit, quod hoc factũ est in Capharnaũ, quæ, scilicet, Metropolis Galilææ erat. Vnde omniũ qui de Galilæa erãt ciuitas dicebatur & specialiter Christi. Quam non nascendo in ea, sed virtutibus illustrãdo suam fecerat. Vel in ciuitatẽ suam, id est, in Galilæam veniſſe dicitur. Hoc enim vsu loquendi, dicitur aliqua regio ciuitas, quomodo duodecim tribus dicitur vna domus Israël. Veniſſe igitur in Galilæã, est veniſſe in aliquã ciuitatẽ, quæ sunt in Galilæa. Et ecce offerebant ei paralyticũ in lecto iacentẽ. Per paralyticũ intelligitur anima per carnis lasciuiã dissoluta, per campos licentiæ effrænata ad omne bonũ opus inutilis & remissa. Paralysis enim grauissima est passio, quę subitò hominẽ ad omne opus inutilẽ efficit, dum calor naturalis vel sanguis in frigus versus naturales ac vitales venarũ meatus percludit, ita quod si totum hominem attingat, totum inualidum reddat. Si autem quodlibet membrorum arripuerit, inflexibile & inutile faciat. Per hoc autem peccator intelligitur, qui à calore diuini amoris recedens, in teporem vel frigus iniquitatis conuertitur, & spiritui sancto atq; gratiæ Dei meatus intercludit: quia in maleuolam animã non introibit sapientia. Hi autem paralytici insensibiles sunt & stupidi, velut ebrij calice Babylonis inebriati. De his autem Salomon ait: Vestietur pannis dormitatio. Pannosi enim sunt vetustate prauæ conuersationis & veste innocentię amissa, vestiẽtur pannis damnationis & cõfusionis: sicut scriptum est: Induentur sicut diploide confusione sua. Diploide, id est, duplici veste, damnatione, scilicet, corporis & animæ. Omnia igitur ossa in huiusmodi

*De nauicula & transfretatione.*

*De paralytico & paralysi.*

*Prouer. 23.*

iusmodi paralytico confringuntur, dum omnis virtutum fortitudo ad nihilum reducitur. Teste enim Bernar. Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in diuitiis, veritas in multiloquio, pietas in negotio, charitas in seculo nequâ. Et Ezech. ait: Proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te: & habitare faciem super te omnia volatilia cœli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ. Volatilia ista & bestiæ sunt dęmones, qui in peccatore requiescunt & lacerât, dum vnusquisq; capit partẽ suâ, & in diuersa peccata ipsum faciunt declinare, & ita omnino dissoluitur. & in morbum paralysis incidit, & dilabitur. Hi igitur paralytici quorum sanguis refrigeratur & calor in frigus cõuertitur, deteriores sunt his, qui semper seculares & frigidi extiterũt. Vnde in Threnis de Nazareis, qui priùs candidi fuerant, dicitur: Denigrata est facies eorũ super carbones, & nõ sunt cogniti in plateis. Nigriores enim carbonibus extinctis, id est, apertis peccatoribus efficiuntur. Plerunq; sanctitatẽ quam amiserunt, per hypocrisim simulant, & se iustos putare desiderât. Vnde Greg. ait: Nigri post candorẽ fiunt, qui amissa Dei iustitia propriâ laudem quærunt. Et quia de se præsumũt, post ignẽ mentis ad frigus corporis descẽdunt. In plateis autẽ nõ cognoscuntur, qui non sunt quod videbantur: quia aliud sunt & aliud ostẽdunt. Vnde subditur in Threnis: Adhæsit cutis ossibus eorum, quando, scilicet, infirmitas vitiorum reputatur fortitudo virtutum. Vel dum adulatio pro benè gestis exterius, intus virtutibus sociatur, quibus coniunctis merces amittitur, quia decepti adulationibus emendari contemnunt. Vnde subdit: Et facta est quasi lignum. Culpa namq; tantò insensibilior redditur, quantò quasi vera virtus laudatur. Vnde & arescit, quia intus nulla gratia viresc it. Hoc enim contigit, quia altiora se appetunt, & sancti videri cupiunt, sed occultè vitiis deseruiunt. Vnde in plateis cogniti non sunt. Mysticè autem Doctores subleuant & offerunt paralyticum Christo, monendo & pro ipso intercedendo. Qui igitur peccatis grauatur, confugiat ad Ecclesiam, vt pro eo deprecetur. Sunt enim nonnulli in Ecclesia, qui suis meritis nõ saluantur, tamen aliorum intercessione saluari merentur. Vnde paralyticus, qui per se venire non poterat, alienis manibus portatur, aliena fide saluatur. Et quoniâ sancti Doctores pro certo sciunt, quod hoc genus dæmonij non nisi in ieiunio & oratione eiicitur: non solũ pro peccatoribus orant, sed seipsos affligunt, & eos orare & seipsos affligere exhortantur. Oratione enim cor ab immunda cogitatione mundatur. Ieiunio carnis petulantia refrænatur. De his autem Isa. ait: Angeli pacis amarè flebunt, id est, boni Prælati. Et subdit: Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitâ, irritum factum est pactum, viæ mandatorum dissipatæ sunt in minoribus, cessauit transiens per semitas in maioribus. Irritum factũ est pactum Baptismi & Confessionis, quę est secunda tabula post naufragium. Mali autem Prælati non solùm subditos Deo non offerunt, sed exemplo malo Domino auferunt. De quibus in 1. lib. Regum dicitur: Considera Israël, pro his qui mortui sunt, super excelsa tua vulnerati. O Prælate, qui vides Deum per scripturarum intelligentiâ, non tamen per contemplationẽ vel per operationẽ bonâ: cõsidera pœnas tibi imminẽtes pro his, qui mortui sunt per prauũ tuum exemplũ, cùm in excelso solio te vidẽt cõtra Dei legẽ & iustitiâ facientẽ. Marcus ait: Venerunt ad eũ ferẽtes paralyticũ, qui à quatuor portabatur. Et cùm nõ possent offerre illi præ turba, nudauerũt tectũ vbi erat, & patefaciẽtes submiserunt grabatũ in quo paralyticus iacebat. Teste autẽ Beda, à quatuor portatur, qui à quatuor virtutibus ad Deum fiducia mentis erigitur. De quibus in lib. Sapientiæ: Sobrietatẽ & sapientiâ docet, & iustitiâ & virtutẽ. Quas alij prudentiâ, fortitudinem, temperantiâ, & iustitiâ nuncupât. Prudentia siquidẽ, est cognitio rerũ appetendarũ vel vitandarũ. Cõsistit autẽ principaliter in cognitione credendorũ, faciendorũ & petendorũ, quę ex præteritis futura metitur. Teste autẽ Seneca: Consiliũ futuri ex præterito venit. Et iterũ ait: Quotiẽs quid fugiendũ aut quid petendũ sit scire voles, ad summũ bonũ & ad propositũ totius vitę tuę respice. Ideo peccamus, quia de partib⁹ vitæ nostrę deliberamus, & de tota vita nostra nemo deliberat. Ignoranti quẽ portũ petat, nullus suus est ventus: *Principium, finemq; simul prudentia spectat.* Temperantia est refrænatio cupiditatis ab his, quæ carnaliter delectât, modũ & discretionẽ in omnibus obseruâs. Teste autẽ Seneca: Temperâtia voluptatibus imperat, alias odit atq; abiicit, alias dispẽsat, nec vnq̃ ad illas propter ipsas venit: scit optimũ esse modũ cupidorum, nõ quantũ velis, sed quantũ debeas sumere. Fortitudo est firmitas cõtra seculi molestias. Iustitia quæ per omnes partes distenditur, est dilectio Dei & proximi, qua tribuitur vnicuiq; quod suũ est. Prudẽtia & temperâtia specialiter sunt in prosperitate necessaria, fortitudo & iustitia in aduersitate. Hæ autẽ virtutes ita inseparabiliter sibi adhærent, quod vna sine alia virtus esse nõ potest. Prudentia enim si desit, fortitudo nõ multum prodest. Scire enim bonũ & nõ posse facere, magis pœna est q̃ virtus. Addatur igitur prudentiæ fortitudo, vt bonũ quod prudẽter cognoscitur, per mentis fortitudinẽ infatigabiliter teneatur. Porrò fortitudo laudabilis est si iusta fuerit. Fortiter enim agere, & non iustè, non virtus, sed vitium est. Tunc autẽ iustitia accepta Deo & hominibus erit, si discreta & temperata fuerit. Addatur igitur iustitię discretio, vt in ipso bono opere nõ sit aliquis superfluus vel diminutus. Et quia has quatuor virtutes habere debet, qui suâ & alterius animâ Domino offerre desiderat, rectè hi qui paralyticũ Domino sanandũ obtulerũt, quatuor fuisse dicũtur. Possumus autẽ dicere, q. vnus portitor paralytici est cõsideratio proprię infirmitatis. Secũdus cõsideratio proprię iniquitatis. Tertius cõsideratio beneficiorũ Dei. Quart⁹ cõsideratio suppliciorũ inferni. Quatuor p̃terea fuerũt portitores: quia mũdus q paralyticus erat, per p̃dicatores de quatuor mũdi partib⁹ cõgregatus ad Christũ venit. Sunt autẽ quatuor mali portitores paralytici, qui ipsum nõ ad Christũ portãt,

*Bernardus. Ezech. 32.*

*De his quì post bonam conuersationem in peccata labũtur.*

*Gregorius.*

*De his qui paralytici ẽ Christo offerunt.*

*De his quì subditos Domino non offerunt, sed auferunt.*

*De quatuor bonis portitoribus.*

*Beda.*

*Seneca.*

*Seneca.*

*De quatuor malis portitoribus.*

sed ad infernum, & ipsum in lectulo corporis detinent resolutũ. Luxuria, gula, ociũ & mollicies vestiũ. Quatuor etiã pessimi portitores per quadruplicẽ malã intellectionẽ intelliguntur. Prima quãdo homo diligit peccatũ. Qui enim diligit iniquitatẽ, odit animã suã. Secũda quãdo diligit vana & transitoria. Vnde Ioan. Nolite diligere mundũ. Tertia simulata dilectio. Vnde: Nolite diligere lingua seu verbo, sed opere & veritate. Quarta quãdo diligit cõsanguineos super modũ. Vnde: Qui amat patrẽ aut matrẽ plusquã me, nõ est me dignus. Per primã diligit homo iniqua, per secundã vana, per tertiã simulatè, per quartã inordinatè. Marcus autẽ ait: Cùm nõ possent illi offerre præ turba, nudauerunt tectũ, & ita impleta est spiritualiter scriptura: Viã fecisti in mari equis tuis. Equi enim Dei sunt, qui ferunt peccatores, quibus Dominus in mari huius seculi viã fecit, vt nõ prævalerent fluctus turbarũ. Paralysis autẽ typus est torporis, quo piger iacet in mollicie corporis, habẽs desideriũ salutis, sed turbis ignauię & prauorũ desideriorum impeditur. Turba igitur interposita secluditur, qui pristinæ cõuersationis obstaculo retardatur. Nõ est autẽ infirmis vbi turbæ tumultuãtur remanendũ, sed tectũ domus in qua Christus docet, est ascendendũ, id est, sacræ scripturæ sublimitas est appetẽda, quæ tegulis tecta dicitur, quia vilitate literæ sensus spiritualis velatur. Patefacto autẽ tecto, id est, reseratis scripturis, æger submittitur, quia ad Christi humilitatẽ cognitione & obseruatione scripturarũ accedimus. Iuxta illud: In quo corrigit adolescẽtior viã suã in custodiẽdo sermones tuos. Leuatur autẽ & submittitur, dũ desiderio attollitur & humiliatur. Vnde factus est dignus aspectu Domini, qui humilia respicit, & alta à lõgè cognoscit. Sequitur: Videns Iesus fidẽ illorũ, dixit paralytico: Cõfide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ex quo patet quantũ valeat apud Deum fides propria ad quẽ sic valuit aliena. Peccata tamẽ nõ dimittũtur adulto sine fide propria. Vnde intelligendũ est quod merito fidei illorũ Deus illi fidẽ infudit. Quã diu autẽ in peccatis iacet, surgere per se nõ valet, nec sibi nec alij subuenire potest. Anteq̃ siquidem peccemus, libertatẽ arbitrij habemus. Quod si semel peccatis dominio diaboli nos obligauerimus, iam nostra virtute euadere nõ valemus, & sicut fracto gubernaculo, illuc nauis ducitur, vbi impetus tẽpestatis impulerit, sicut homo diuinæ gratiæ gubernaculo perdito, nõ quod vult, sed quod vult diabolus operatur, & nisi Deus valida manu misericordiæ suæ ipsum soluerit, vsq; ad mortẽ vinculis peccatorũ irretitur. Sicut homo priùs nõ potest se facere Regẽ, sed à populo eligitur, factus autẽ Rex, liberã habet potestatẽ disponẽdi de regno. Homo siquidẽ velut lapis in supercilio mõtis nisi diuinę gratiæ retineatur, obstaculo semper descẽdit, nec potest subsistere, sed impetu fertur in profundũ. Humilis autẽ Dominus despectũ ab hominib⁹, dissolutũ totis artubus, filiũ vocat, quẽ sacerdotes tangere dedignarẽtur. Filiũ etiã dicit cui peccata dimittit. Confidere autẽ debẽt pœnitẽtes. Vnde Isa. ait: Noli timere, quia nõ cõfunderis nec erubescẽs. Nõ enim te pudebit, quia cõfusionis adolescẽtiæ tuæ obliuiscẽris & opprobrij viduitatis tuæ nõ recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui fecit te. Obliuiscẽris quia nõ eris memor in fine, quantũ ad pœnã veterẽ delictorũ. Qui enim hic erubescũt, in fine nõ erubescẽt. Nõ enim erũt in memoria priora, sicut idẽ Isa. ait: Confundentur vehemẽter, quia nõ intellexerunt opprobriũ sempiternũ, quod nunq̃ delebitur. Vt autẽ cõfiderent pœnitẽtes, factus est Deus homo, vt fugeremus à creatore ad redemptorẽ, à domino cõminante ad puerũ blandientẽ, à Iudice ad fratrẽ. Caro enim nostra & frater noster est. In hoc autẽ exemplũ dedit Prælatis, vt suauiter tractarẽt & dulciter alloquerẽtur infirmos & peccatores. Teste enim Bernar. Vera misericordia nõ iudicat, sed afficit, nõ vtitur discussione occasione inuẽra. Ecõtrà, quidã Prælati radunt barbã subditorũ suorũ sine aqua, dum asperos mores eorũ nimia austeritate euellere nitũtur. Vnguentũ siquidẽ cõpassionis descẽdere debet in barbã, & inde in orã, & vsq; in fimbrias vestimẽti, dũ pietatis vnguentũ infirmis hilariter exhibetur. Cõfide fili, remittuntur tibi peccata. In hoc se Deum esse innuebat. Vnde: Ego sum qui deleo iniquitatẽ tuã. Et Isa. ait: Laxati sunt funiculi tui, & nõ prævalebunt, id est, peccata relaxata sunt, quę Christo imperãte remanere nõ possunt. Hæc curatio paralytici significat saluationẽ animę suspirãtis ad Deum, post diuturnã illecebrę carnalis inertiã, quę indiget bonis doctorib⁹, vt eã subleuẽt, & Christo offerẽtes pro ea intercedãt. Sanauit autẽ eũ priùs in anima q̃ in corpore, more elegãtis Medici, qui priùs causam morbi, postea ipsum morbũ tollit. Iob siquidẽ punitur, vt per patientiã probetur. Paulus, vt cõtra superbiã muniatur, cæcus efficitur, vt gloria Dei manifestetur. Herodes, vt pœnã pœna sequatur. Paralyticus iste propter peccata punitur, ita vt à peccatis corrigatur, & ideo priùs ipsa peccata dimittũtur, vt salus restituatur. Sicut autẽ priùs animã q̃ corpus sanauit, ita Medici priùs debẽt infirmos admonere vt vocẽt Medicũ spiritualẽ, quia fortè propter peccata infirmãtur. Primò sanat in mente, posteà in corpore, vt mẽte & corpore pariter expediti, quæ Dei sunt liberis mentibus exequamur. Et ecce quidã de Scribis dixerunt intra se: hic blasphemat. Sicut malus inter ligna siluarũ, & sicut liliũ inter spinas, ita Christus inter Pharisæos & Scribas. In spina autem tria notantur, citò floret, citò arescit, & aculeis pungit. Ita mali in hoc seculo citò florent, citò arescunt, vt sint apti æternis incendiis, & bonos pungunt, qui tamen puncti suauius redolent. Scribæ autem & Pharisæi ita obstinati erant, quod nec propter doctrinam, nec propter miracula credere volebant, cùm tamen Abacuc dicat: Splendor eius vt lux erit. Splendor siquidem eius, id est, operationes miraculorum & doctrinæ, vt lux solaris erit apertus, scilicet, & manifestus, ita quod nullus de incredulitate excusationem habere possit. Et Amos, secundum aliam translationem, ait: Ecce vir stans super murum adamantinum, & adamas in manu eius. Sicut enim adamas attrahit ferrum,

*Marci 2. De tecto & tegulis, & turba impediente paralyticum.*

*Qui in peccatis iacet, more paralytici, per se surgere non potest.*

*Confidere debent peccatores.*

*Cum mansuetudine tractãdi sunt peccatores.*

*De curatione paralytici.*

*De malitia Scribarũ & Pharisæorũ.*

ferrum,ita Christi operationes ferrea corda attrahere debuerunt. Pharisæi autẽ ferro duriores dorsum habebant contra templum, & facies ad Orientẽ, sicut in Ezech.dicitur:A tergo enim habebãt spiritualia,de quibus nõ curabãt,& à facie temporalẽ gloriã,& temporalia quæ diligebant.Simili modo hodie quidã Prælati vitis spiritualibus cõtradicunt,& impediunt Doctores ne doceãt in diœcesibus suis.Vnde Amos:Qui vides,gradere,fuge in terrã Iuda:& comede ibi panẽ,& prophetabis ibi.Ita quidã Episcopi & Sacerdotes Doctoribus dicunt:Nolumus quod iste in parochia nostra prædicet,eat ad alia loca.Et subditur in Amos:Tu dicis nõ propheres super Israël,id est,nõ prædicabis in mea diœcesi,& nõ stillabis super domũ idoli,id est,auaritiã meam non reprehendes.Stillabis dicit propter cõminationes. Quicquid enim cõminantur in præsenti,non est nisi modica stilla respectu futuræ.Sequitur in Propheta:Propterea hæc dicit Dominus:Vxor tua in ciuitate tua fornicabitur.Plebs tibi cõmissa multis videntibus à Deo recedet:& filij tui,& filiæ tuæ in gladio cadetis,id est,maiores & minores vindictã diuinam incurretis. Detrahebant igitur Christo Scribæ & Pharisæi,sicut quidã pessimi homines his diebus in detractionibus gloriãtur.Vnde autẽ delectãtur impij,cruciantur boni.Venenũ vita est serpentis & mors hominis.Væ autẽ qui dicunt bonũ malum,& malum bonũ.Si pro cõmuni vtilitate aliquos videt prouidos,vocãt auaros:si affabiles & hilares,vocãt adulatores.Si tristitiam & grauitatẽ vultu præferũt,inuidia tabescere dicũt,quos alacres & deuotos,leues & incõstantes asserunt atq; indeuotos. Si humiles & deuotos,hypocritas iudicant & dolosos. Sequitur: Cùm vidisset Iesus cogitationes eorũ,dixit:Vt quid cogitatis mala in cordib⁹ vestris? Per hoc apertè ostẽdens quod eadem potestate,qua cogitationes agnoscit,peccata dimittere possit.Sequitur Deũ esse & occultorum cognitione & peccatorũ remissione,& operum indicat virtute. In hoc tamẽ non errabãt,quod solũ Deum peccata posse dimittere,credebant, sed quia Christum esse Deum negabant. De his autem inuidis & malitiosis,qui mala in cordibus suis cogitant,ait Isa.Orientur in domibus eius spinæ & vrticæ,& paliurus. Per spinas vitiorũ punctio, de quibus nõ colligitur vinũ,id est,mentis exhilaratio. Per vrticã & tribulos,cogitationũ prurigo,de quibus non colligitur ficus,id est,tranquillæ cõscientiæ dulcedo.Paliurus autem supra modũ pungitiuus,linguas asperas blasphemantium designat.Contra malè cogitantes in cordibus suis,ait Ezechiël:Adduxit me spiritus in Hierusalem iuxta ostiũ interius, vbi erat statutũ idolum zeli ad prouocandum æmulationẽ.Iuxta ostium interius,id est,in conclaui mentis,est idolum zeli,id est,peccatum,prouocans indignationẽ Dei,qui zelo vxoris tanquã vir in adulteram,dolet in animã peccatricẽ pro qua effudit sanguinẽ.Quid est facilius dicere, Dimittũtur tibi peccata tua:an dicere, surge & ambula? quasi dicat:Quoniam spirituale non creditis,probetur signo visibili,quod nõ minoris cõstet esse potentiæ,vt in filio hominis latentẽ cognoscatis potentiam maiestatis,quia peccata dimittere potest vt Deus.Quid est facilius dicere:Dimittuntur tibi peccata solo verbo,an dicere: surge & ambula? id est, solo dicto sanare in corpore. Sic est enim intelligendum,non enim quæsiuit vtrum esset hoc facilius dicere quàm illud. Quilibet enim tam hoc quàm illud facere,dicere potest. Eiusdem igitur facultatis & potentiæ est Deo animam sanare & corpus.Inter dicere siquidem & facere,apud homines magna est differentia,apud Deum nulla, cui dicere facere est.Dixit enim & facta sunt,vnde in Canticis dicitur:Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.Manus Christi sunt tornatiles,id est,ad operandũ expeditæ,& efficaces auro sapiẽtiæ & charitatis resplẽdentes,plenæ hyacinthis,qui cœlestis sunt coloris,quia cœlestia præmia tribuit abundãter.Manus autẽ plenæ luto,id est,luxuriosi:pleni terra,auari:pleni vento,superbi:vt autẽ sciatis quoniã filius hominis habet potestatem in terra dimittẽdi peccata.Tunc ait paralytico:Surge,tolle lectũ tuum,& vade in domum tuã.Solus Deus dimittit peccata,& filius hominis habet potestatẽ dimittendi peccata.Ex quo cõstat,quod idẽ est Deus & filius hominis.Hæc verba vt sciatis,quoniã filius hominis habet potestatẽ dimittẽdi peccata,possunt esse Euãgelistæ,quasi dicat: vt sciatis vos,qui auditis,potestatem quam habet filius hominis: vel possunt esse verba Domini,qui postquã dixit Pharisæis,vt sciatis,&c.id est,vt per remissionẽ pœnę,remissionẽ culpę intelligatis,statim cõuertens sermonẽ ad paralyticũ,ait:Surge,tolle lectũ tuũ,scilicet,vt qui fuit testimoniũ infirmitatis,sit probatio sanitatis:in domũ tuã,quæ est in cœlis.Surge incipiens.Mysticè autẽ surgere,est animam à carnalib⁹ desideriis abstrahere.Lectũ tollere,est carnẽ à desideriis terrenis ad voluptatẽ spiritus attollere.Domũ ire,est in Paradisum redire,vel ad internã sui custodiã,ne iterũ peccet animam studiosè perscrutari.Præcipitur autẽ portare carnẽ,qui priùs portabatur à carne,vt per aliã viam reuertatur in regionẽ suã.Surge à vitiis,tolle grabatũ carnis à deliciis,vt eas in domũ tuã,quæ est in cœlis.Surge incipiẽs,tolle grabatũ proficiẽs,vade in domũ tuã cõsummans.Dicitur etiam aliquis surgere per desideriũ supernorũ & rectã intentionẽ,tollere lectũ per carnis subiugationem,ire per operationẽ in domũ,id est, honestam conuersationẽ.Paralyticus igitur sanatus lectũ portat,quãdo peccator post conuersionẽ,carnẽ suã cum vitiis & cõcupiscentiis crucifigit & mactat.Tolle lectũ tuũ,vt quod priùs delectabar,nũc oneret,vt quẽ delectationes sustentabãt, nunc premãt,vt portes qui portabaris:vt quę fuerunt ad delectationẽ,cõuertantur in dolorẽ,vt dicat pœnitens cum Iob: Quis gustare poterit quod gustatum affert mortem? id est, carnalẽ delectationẽ. Quæ priùs nolebat tangere anima mea,nunc præ angustia cibi mei sunt. Qui enim amaritudinẽ pœnitentiæ priùs tãgere nolebã, nunc præ angustia cõtriti cordis,cibi mei sunt, quibus delector.De hoc autem lecto Dauid ait: Dominus opem ferat illi super lectum

*De his qui doctrinã & animarum salutẽ impediunt.*

*Contra detractores.*

*De inuidis & malitiosis.*

*De his qui surgunt & lectũ tollunt.*

*De lecto paralytici.*

doloris eius. Lectus iste doloris est sensualitas, dum prævalet rationi. Culcitra huius lecti, mollicies carnis: coopertorium fœtidum & ponderosum, infirmitas humanę corruptionis: funes consuetudo peccandi, quæ infirmũ ligat & retinet in peccatis: quatuor pedes, morosa delectatio in cogitationibus: voluptas tactus in libidine, & balneis & vestibus delicatis: voluptas gustus in cibis & potationibus: voluptas videndi cõcupiscibilia & audiẽdi lasciva. Partes ad caput & ad pedes huius lecti doloris, praua intẽtio & malus finis. Lignũ à dexteris, quod à capite ad pedes protenditur, abusio in prosperis. Lignũ à siniſtris, impatientia in aduersis. Dominus autẽ opem fert infirmo super lectũ doloris eius, cùm stratũ eius versat in infirmitate eius. Cùm, scilicet, sensualitas, quæ priùs dominabatur rationi, subiicitur illi. Vnde in Threnis Ierem. Conuerte nos Domine, & cõuertemur ad te, innoua dies nostros sicut à principio. Ante peccatum subiecta fuit sensualitas rationi. Conuerte nos in statum pristinum, sensualitatem rationi subiiciendo, & lectum sordidum in lectulum floridum commutando. Cùm enim ratio dominatur sensualitati, tunc Dan, id est, ratio iudicat populũ suum. Gad autẽ accinctus, pręliatur ante eum, quod pertinet ad custodiã quinq; sensuũ. Dan interpretatur iudiciũ, & pertinet ad rationẽ. Gad accinctus, & pertinet ad prouidã animi deliberationẽ & cautelã. Vidêres autẽ turbę timuerunt, & glorificauerũt Deũ, qui dedit potestatẽ talẽ hominib⁹. In hoc loco declaratur quantũ distat inter doctã malitiã & sanctã simplicitatẽ. Scribæ blasphemãt, simplices laudant. Aliqui etiã qui priùs blasphemabãt, relictis blasphemiis, stupẽtes, ad laudẽ cõuertuntur. Vnde per Zachar. Dominus ait: Auferã sanguinẽ eius de ore eius, vt, scilicet, iam aliis nõ detrahat, & abominationes eius de medio dentiũ, vt, scilicet, nõ loquatur de cætero turpia, & non blasphemet, sed magis Deum laudet, qui gloriosus est & laudabilis & superexaltatus in secula seculorum, Amen.

## DOMINICA VIGESIMA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, EX DANIELE 3.

*Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus: sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ.*

*Recordare debemus bonorũ quæ amisimus & malorum quæ passi sumus.*

RECORDATA est Hierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis, & omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet in manu hostili populus eius, & nõ esset auxiliator. Hæc verba Ieremiæ in Threnis, specialiter pertinent ad pœnitentes, dum recolunt mala, quæ perpessi sunt, & bona quæ amiserunt. Recordari igitur debemus dierum afflictionis & pręuaricationis nostræ, id est, quantũ peccauimus, & quantum puniti sumus: recolere debemus desiderabilia, id est, bona quæ ante peccatum habuimus, & per peccata amisimus. Desiderabilia etiam bona, quæ nobis promissa erant in cœlis, quæ amisimus culpis nostris. Incidit autẽ populus noster in manu hostili, id est, cordis affectiones in potestate diaboli, cùm non esset auxiliator, deficiente, scilicet, diuino adiutorio. Talis peccatorũ recordatio est diuinę iustitiæ cõmendatio, valde grata est Deo. Vnde in persona pœnitentiũ Isaias: Confitebor tibi Domine, quoniã iratus es mihi, id est, laudabo te, quoniã iustè pro peccatis meis afflixisti me, sed cõuersus est furor tuus, & consolatus es me, id est, in misericordia conuertisti, flagella iracundiæ redimendo & infundendo. Et per Ezech. Dominus ait: Recordabimini viarum vestrarum pessimarũ, studiorumq; non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestrę & scelera vestra. Non propter vos ego faciam, ait Dominus, notum sit vobis. Ecce quantũ placet Domino recordatio peccatorũ ad pœnitentiã, vt cognoscat homo quæ data sunt sibi à Deo, vt nõ sibi attribuat, sed gratiæ Dei, sicut per Ierem. ait Dominus: Sanctus sum, nõ irascar in perpetuũ: veruntamẽ scito infirmitatẽ tuã.

*Peccata nostra debemus cognoscere & accusare. Seneca.*

Teste autẽ Seneca: Initiũ salutis notitia peccati: vitia sua cõfiteri sanitatis indiciũ est. Nocte latent mendæ. Qui autem gratia Dei illuminatur, vulnera detegit, & mendas nõ abscondit. Offenditur, sibi displicet, sibi cõfitetur fœditatẽ, desiderat pulchritudinẽ, quæ ibat effusa, redit confusa. Propterea Iob ait: Lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam in manibus meis porto, id est, quicquid in me carnale est, reprehensionibus mordeo, paratus animã meã Deo re-

*Isa. 63.*

poscenti reddere, quod est animã suam in manibus portare. Et per Isa. Dominus ait: Reduc me ad memoriã, & iudicemur simul. Narra, si quid habes, vt iustificeris. Narrãdo enim mala sua & confitendo, citius iustificatur homo. In translatione Septuaginta habetur: Dic tu prior iniquitates, vt iustificeris. Teste enim Augustin. Confessio malorũ initiũ est bonorũ operũ. Vnde, quia iustus in principio accusator est sui, in hodierno officio accusans se pœnitẽs, & Dei iustitiã cõmendans, ait: Omnia quę fecisti nobis Domine, &c. Teste autẽ Greg. Continuus successus temporalium euidentissimũ est diuinæ reprobationis indiciũ. Propterea Dominus flagellat nos, vt vexatio det intellectũ. Vnde Dauid ait: Vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius. Stratum est aliquod tẽporale, in quo quis delectãdo quiescit. Sed ne quies illa à vera quiete mentẽ retrahat, quicquid in hoc seculo priùs delectabile fuit, Dominus in amaritudinẽ cõuertit. Sicut mamillæ amaritudo apponitur, vt paruulus ad alia cibaria cõuertatur. Vnde per Prophetã Dominus ait: Arguã te, & statuã contra faciẽ tuã. Ad hoc, scilicet, arguã & flagellabo, vt agnoscas teipsum, vt faciẽ tuã interius respicias, non faciẽ meã, quam in te creaui, sed faciẽ tuã, quam tibi fecisti. Faciẽ leonis per superbiã, faciẽ draconis per iram, faciẽ vulpis per dolositatẽ. Quot enim vitia

*Augustinus.*

*Gregorius.*

*Propter bonũ nostrum flagellat nos Deus.*

*De impœnitentibus & obstinatis.*

vitia in se homo habet, quasi tot faciebus deturpatus est. Et per Ezech. Dominus ait: Displicebunt sibimet super malis quę fecerãt in vniuersis abominationibus suis: & scient, quia ego Dominus nõ frustrà locutus sum, vt facerẽ eis malũ. Nõ frustrà, scilicet, ex quo pœnitẽt per flagella. De impœnitẽtibus autẽ dicitur: Frustrà percussi filios vestros, disciplinã nõ receperũt. Vnde Iere. ait: Pro verbis pœnitentiæ, verbis superbię blasphemasti. Et Isa. Combussit eũ in circuitu, & nõ cognouit: & succẽdit eum, & nõ intellexit. Multos enim igne tribulationis succẽdit Dominus, vt cõuertantur, qui nõ cognoscunt tempus visitationis suæ. Ierem. autẽ ait: Percussisti eos, & nõ doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinã. Et Osee ait: Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit. Et in Parab. dicitur in persona taliũ: Verberauerunt me, & nõ dolui: traxerunt me, & nõ sensi. Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi. Hæc cõfessio cõtriti cordis multũ placet Deo. Vnde in Eccles. ait: Misericordia & ira cũ illo. Misericordia, scilicet, in pœnitẽtes, ira in cõtemptores. Et Ezech. ait: Percute manum tuã, & allide pedẽ tuũ. Percutere manũ, est opera sua punire. Allidere pedẽ, est allidere affectum per contritionẽ, vel allidere paruulos suos ad petrã. Multi autẽ qui Deũ per beneficia non cognouerũt, per flagella cognoscunt. Vnde per Ezech. Dominus ait: Secundũ viã eorũ faciã eis, & scient quia ego sum Dominus. Et rursus Ezech. ait: Confundimini & erubescite super viis vestris domus Israël, in die qua mundauero vos ex omnib⁹ iniquitatibus vestris, & habitare te cero vrbes, & instaurauero ruinosa. De hac autẽ peccatorũ cognitione per flagella Eccles. ait: Pungens oculũ deducit lachrymas, & qui pungit cor, profert sensum. Hic est enim sensus, vt cognoscẽtes peccata, lugeamus & doleamus, & nobismetipsis indignemur: vbi enim multa est sapiẽtia, multa est indignatio. Non igitur peccata nostra excusare debemus, sed cũ humilitate dicere: peccauimus tibi. Perizomata de foliis ficuũ citò arescũt, & arefacta pudorẽ detegunt. Friuola est enim huiusmodi excusatio, nec diu potest abscõdi peccator. Propterea in Eccle. dicitur: Indisciplinosæ loquelæ ne assuescat os tuũ. Est enim in illa verbũ peccati. Memẽto patris & matris tuę, id est, Adã & Euę, quorũ vtriq; verbo indisciplinato suũ excusauit peccatũ. Et in Eccles. dicitur: Ne dederis os tuũ, vt peccare facias carnẽ tuã, id est, nõ excuses te, vt dicas te carnis fragilitate peccare, nec dicas corã Angelo, nõ est prouidẽtia, ne fortè Dominus iratus super sermones tuos, dissipet cuncta opera manuũ tuarũ. Non igitur corã Angelo, id est, sacerdote, cui peccata cõfitemur, debemus nos excusare, vt dicamus, sicut multi reprobi dicũt: nõ est prouidẽtia, sed omnia casu agũtur. Propterea Ezech. ait: Scribe tibi nomẽ diei huius, in qua cõfirmatus est Rex Babylonis aduersus Hierusalẽ, id est, spiritus malignus aduersus animã, quãdo, scilicet, homo cõsentit peccato. Nomen autẽ diei scribere, est peccatũ suũ ad memoriã reducere, & omnes circunstãtias notare vt possis cõfiteri, nõ excusare, vel defendere peccatũ tuũ, sicut scriptum est: Stultus vt Luna mutatur, à cornib⁹, scilicet, superbię ad rotunditatẽ pilæ, vt sit volubilis & incõstãs, sicut per Isa. Dominus ait: Mittã te vt pilã in terrã latã & spaciosam, tandẽ verò reuerti tur ad cornua defensionis peccati. Et quoniã scriptũ est: Nõ iudicabit Dominus bis in idipsum, si tu iudicas te, nõ iudicaberis à Deo: vnde Osee ait in loco vbi dicitur: Nõ populus meus vos, dicetur eis filij Dei viuẽtis. Quãdo enim opera sua accusat, Deus excusat. Cùm enim verè pœnitentes dicunt se nõ esse populũ Dei, Deus populũ suũ & filios suos dicit. Propterea Isa. de filia Chaldęorũ ait: Discooperi humerũ, reuela crus, id est, discooperi per confessionẽ opera tua & reuela delectationes tuas. In tribus autẽ debet peccator se specialiter accusare & culpabilẽ reddere, quia offendit Deũ, occidit seipsum, scandalizauit proximũ: Deo nõ exhibuit honorẽ, sibi cautelã, proximo dilectionẽ. Multum autẽ valet ad accusationẽ nostrã, vt respectũ ad meliores & ad sanctorum exẽpla habeamus. Vnde Iob ait: Respiciã homines, & dicã, peccaui. Debemus siquidẽ nos metire cõparatione meliorum & nõ peiorum. Vnde in Eccles. dicitur: Cor suum dabit in similitudinẽ picturæ, & cõtra similitudinẽ vasis oculus eius, vt, scilicet, exẽplum accipiat à bonis. Ecõtrà, mali respectu pessimorum, se iustificare volunt. Et sicut in Eccles. dicitur: Iuxta voluntatẽ suã inueniunt cõparationem: sicut meretrix turpẽ vetulã secum ducit, vt cõparatione eius appareat formosa. Omnia quę fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti. Ecce quãtum prosunt flagella diuina his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Affligit enim Dominus ad humilitatẽ. Vnde B. Gregorius: In afflictionis tẽpore, humilitas debet apparere, vt quibus resistere virtute nõ valemus, lachrymis obuiemus: quia necesse est diuinum adesse, vbi humanum cessat auxilium. Vnde & verè pœnitẽs fructum tribulationis agnoscẽs, ait: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Teste autẽ Greg. Semper & vbiq; debet gratias agere, quia semper & vbiq; non desinit ei benefacere. Econtra reprobi valde gaudent, quando flagella Dei euadunt, & omnia eis in hoc seculo prosperè accidunt. Contra quos Isaias ait: Non læteris Philisthæa omnis tu, quoniam cõminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem, & pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescẽt. Philisthæa, id est, peccator potione cadens, lætatur quãdo in hoc seculo prosperatur, nõ attendẽs quod in otio & prosperitate de radice colubri, id est, de mala & venenosa cogitatione egredietur regulus, qui hominem flatu occidit. Hoc est malum opus, quod animã perimit, & semen eius, id est, superbia, de bonis oriens, absorbet volucrem, id est, virum iustum vel orationem, quę duas habet alas, id est, ieiunium & eleemosynam. De malo etiam opere procedit semen mali exempli, absorbens

*Isa. 42.*
*Ierem. 5.*
*De his qui per flagella emendãtur.*
*Eccles. 22.*
*De his qui excusant peccata sua.*
*Ezech. 24.*
*In tribus debet se peccator accusare.*
*Gregorius. Multiplicitẽ tibi Dominus non affligit.*

volucrem,id eſt,ad excelſa volare cupientem. Primogeniti autem pauperum, id eſt, religioſi clauſtrales paſcuntur ſpiritualibus deliciis,& fiducialiter requieſcunt in ſecreto clauſtri & pace pectoris extra mundi tumultũ. Affligit Dominus non ſolũ ad humilitatẽ,ſed ad purgationem. Vnde per Ezech.ait: Effundi indignationẽ meã ſuper eos pro ſanguine,quem fuderunt ſuper terrã. Quod liquidũ eſt,effunditur vt aliquid abluatur. Sicut Dominus effudit indignationem ſuã ſuper electos vt abluãtur,ſuper reprobos vt damnentur. Et per Iſa. Dominus ait: Conuertã manũ meã ad te,& excoquã ad purum ſcoriã tuam. Conuertã manũ vindictę,id eſt,ad puniendum extendã,quam diu quaſi plicatã tenui per patientiã,& excoquã ad purũ ſcoriam tuã,id eſt ſordes vitiorũ igne tribulationis purgabo,& auferã ſtagnũ tuum. Non ſolũ enim ſordes apertas Dominus expellit,ſed hypocriſim occultã,quę per ſtagnũ ſignificatur,eò quòd ſimilitudinẽ habeat cum argẽto. Affligit Dominus ad correctionẽ. Vnde Iſa. Sicut in manu fortis eruditus me Dominus,ne irem in viã populi huius. Teſte autẽ Eccleſ. Curatio ceſſare faciet peccata maxima,id eſt,tribulatio,quæ eſt animæ medicina. Vnde & Pſal. in perſona pœnitentis ait: Conuerſus ſum in ærumna mea,id eſt,in tribulationibus,dum cõfigitur ſpina cõſcientię remordentis. Ventus ſiquidẽ vrens,cunctã vitam Ionæ percutit & areſcit,dum cõſcientia remordens hominem reprehẽdit,& ad mundi contemptũ inducit,ita quod dicat: Renuit cõſolari anima mea in flore temporaliũ & tranſitoria viriditate. Et Ierem. ait: Arguet te malitia tua,quod intelligitur de cõſcientia remordẽte: quia nemo nocens ſe Iudice,abſoluitur. Et Zachar. Qui ex illis offenditur,erit in die illa quaſi Dauid,& domus Dauid,quaſi Dei,ſicut Angelus Domini in cõſpectu eorũ. Quod fit dum peccator flagellatus conuertitur ad Dominũ,& efficitur manu fortis benè operando,& aſpectu deſiderabilis bonũ exemplũ præbendo,in pœnitendo ſtrenuus more Dauid,& abſtinẽs à licitis quia peccauit in illicitis. Domus aũt Dauid dicitur quaſi Dei,quia in illis habitat Deus,qui ſtrenuè pœnitent,& non fictè,ſicut Eſau,qui non inuenit locũ pœnitentiæ, licèt cum lachrymis peteret. Non enim proſunt lachrymæ niſi relinquatur peccatũ. Eſt autem verè pœnitẽs velut Angelus Domini in cõſpectu eorũ,qui eum vident,dum in eo efficitur cultus vilior,ſermo rarior,vultus verecundior,inceſſus maturior. Affligit Dominus malleo tribulationis,vt eruderatis,& quaſi politis lapidibus in nobis ſibi præparet habiraculũ. Ipſe enim nobiſcũ eſt in tribulatione. Vnde & Iob ait: Reuerſus mirabiliter me crucias. Reuertitur enim ad nos cruciando,& cruciat reuertẽdo. Vnde Pſal. ait: Ego dixi in abundãtia mea, nõ mouebor in æternũ,id eſt,tecũ in tribulationibus perſeuerabo. Teſte enim Aug. Nihil abundat in nobis niſi ærumna & tribulatio. Primus ſiquidẽ homo in abundãtia ſufficiente motus,ego nõ mouebor in abundãtia ærumnæ. Vnde per Amos Dominus ait: Veruntamẽ conterens nõ conterã domũ Iacob. Conterẽs temporaliter,nõ conterã ſpiritualiter. Et in Gen. dicitur: Scito quod peregrinũ ſit futurũ ſemen tuũ in terra nõ ſua,& ſubiicient eos & affligent. Et poſt hoc egredientur cum ſubſtantia magna. Sancti enim peregrini ſunt in hoc ſeculo,& multas tribulationes ſuſtinẽt, ſed tandẽ in morte cum ſubſtantia ſua magna egredientur,manipulos bonorũ operũ portãdo. Et Michęas: Ne læteris inimica mea,quia cecidi,conſurgam cùm ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt,irã Domini portabo,quia peccaui ei. Lætatur caro miſera,dum in lutũ proiicitur & ſordidis voluptatibus fœdatur. Cùm autẽ in tenebris aduerſitatis & cõtritionis ſedet homo, Deus ipſum præſentia ſua illuſtrat,dũ patiẽter irã diuinę percuſsionis tolerat. Teſte autẽ Greg. In hoc quod interna perturbatione cõcutimur,dignũ eſt vt ad cõditoris iudiciũ recurramus,vt inde cor noſtrũ adiutori ſuo laudes exhibeat,vnde & pulſatã veriùs imbecillitatẽ ſuæ infirmitatis penſat. Dum igitur in tribulationibus & flagellis diuinæ conſentit anima voluntati,quaſi oſculũ ſuo exhibet creatori,in quo labia ſibi cõſonant,& interiores anhelitus cõſpuunt. Peccauimus tibi,& mãdatis tuis nõ obediuimus. Eſt tempus cõgregandi lapides,id eſt,peccata in memoria habẽdi,& eſt tempus ſpargendi,id eſt,illa cõfitendi: ſicut ſcriptũ eſt: Effundite corã illo corda veſtra,id eſt,ex toto fundite,vt omnia in cõfeſsione dicatis: Effundite corda veſtra tanq; aquã,vt nihil remaneat: nõ ſicut vinũ,ne remaneat odor: nõ ſicut lac,ne remaneat color,quod fit dum aliqui excuſant peccata vt albi appareant. Quibus dicitur: Percutiat te Deus paries dealbate. Propterea in Threnis Ierem. ait: Deduc quaſi torrentẽ lachrymas per diem & noctem. Torrens ſiquidem lachrymarum tollit omnia impedimenta peccatorum. Per diem & noctem, vt diſcernas inter ieiunium exultationis,dum guſtato ſpiritu,deſipit omnis caro, & ieiunium mœroris, quod eſt pro peccatis,vel abſentia ſponſi. Et quoniam, teſte Eccleſiaſtico, non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris,vt dignè laudando dicat: Omnia quæ feciſti nobis,in vero iudicio feciſti,cõfitetur peccata,dicens peccauimus tibi. Sicut autẽ ex fumo cordis,vt dicunt Phyſici,procedit vnguis,ita ex cõpunctione cordis procedit fortitudo & perfectio hominis,vnde Pſal. ait: Meus eſt Manaſſes,qui,ſcilicet,præteritas voluptates nõ recolunt ad delectandũ, licèt obliuioni tradunt. Effraim fortitudo capitis mei,vt poſt obliuionẽ voluptatũ eleuemur ad benè operandum. Iuda Rex meus,quia cõfeſsio regit nos tanquam neceſſaria in omnibus. Vnde Iſa. Creaui fructum labiorum pacem,id eſt,confeſsionem,quæ eſt pax & recõciliatio Domino. Propterea in Ioſue dicitur,quod ſors Iudæ egrediebatur cõtra aſcẽſum ſcorpionis,id eſt,diabolus,qui blãditur capite,ſed cauda pungit. Cõtra cuius aſcẽſum pœnitẽs cõfitendo & ſatisfaciendo egreditur. Vnde & ſubditur,quod initiũ ſortis Iudæ,id eſt,pœnitentis & cõfitentis peccata erat à ſummitate maris ſalſiſsimi, & à lingua eius,quę reſpicit ad Meridiẽ, & per aſcẽſum ſcorpionis

*Affligit ad purgationem.*

*Affligit ad correctionẽ.*

*Ierem.2. Zachar.12.*

*Affligit ad eruditionem & cognitionem.*

*Auguſtin.*

*Amos 9.*

*Michæa 7.*

*Gregorius.*

*In memoriam debemus habere peccata, & confiteri.*

pi onis trãfibat vsq; in Sina. Ecce tres partes pœnitẽtiæ. Per mare salsissimũ, amaritudo contritionis. Per linguam quæ respicit meridiem, confessio oris, quæ ad Christum verum meridiem ducit, qui peccatorum glaciem dissoluit. Per Sina quod interpretatur mensura & mandatum satisfactio operis, quę mandata iniungẽtis obseruat, & pœnã culpæ commensurat. Hæc tria nominantur in Michea vbi ait: Dole & satage filia Sion, quasi parturiens dole. Per hoc quod ait: dole, notatur contritio, per hoc quod ait parturiens, confessio quæ profert in lucem peccata aperiendo. Per hoc quod ait satage, designatur satisfactio. De partu autem confessionis ait Psalmista: Tremor apprehendit eos, ibi dolores vt parturientis. Ex timore enim sequitur fructuosus dolor in pœnitente. Sicut autem mulier quæ concepit in magna delectatione, parit in magno dolore: sic peccator secundum quod in deliciis fuit, tormentum & luctum debet habere, vt pœna respondeat voluptati. Aliquando autem, sicut in libro Regum dicitur: Filij veniunt vsque ad partum, & vires non habet parturiens. Quidam enim licèt de peccato doleant, tamen præ pudore confiteri non audent, & ita moritur infœlix puerpera. Quidam autem nec dolent, nec confitentur. De quibus Iob ait: De humo nõ egredietur dolor, quia cor terrenis deditum, non dolet de peccatis. Non solùm autem de peccatis actualibus est dolendum, sed de omisionibus, quia, scilicet, mandatis Dei non obediuimus. Vnde Ecclesiasticus: De negligentia tua purga te cum paucis. Pauci enim sunt hodie, qui purgant se de omisionibus & neglegentiis. Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti. Quia secundum modum culpæ est modus pœnæ. Vnde in Apocalypsi dicitur: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Et Isaias: Secundum magnitudinem operis visitatio eorum. Et iterum: Multiplicatę sunt iniquitates vestrę corã me, & peccata vestra responderunt vobis. Hoc est quod in Ieremia dicitur: Si iniquitates nostræ responderunt nobis Domine, fac propter nomen tuum: quoniã multæ sunt auersiones nostræ. Iusto autem & vero iudicio iniquitates respondent nobis peccatoribus vt secundum modum culpæ sit modus pœnæ. Per omnia autem debemus concordare diuino iudicio. Vnde Isaias: Væ qui contradicit factori. Multò fortius, væ illi qui contradicit redemptori suo. Propterea in Isaia ait Dominus: Posui faciem meam vt Petram durissimam, quis contradicet mihi? Si igitur Deus flagellat nos ad tempus pro peccatis nostris, debemus ad ipsum confugere, & eius misericordiam implorare. Vnde per Isaiam Dominus ait: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ nõ adiiciã vt bibas illũ vltra, & ponam illũ in manu eorũ, qui te humiliauerunt. In calice duo sunt, vinũ liquidũ sursum, fæces autẽ deorsum. Liquidũ sursum tribulatio præsens, fæces in fundo pœna gehennalis. Quod liquidum est à filiis quos flagellat Deus in præsenti gustatur modò, fæces autem reseruantur reprobis in futuro. Dominus autem vult iudicari nobiscum ne expectemus vltimum eius iudicium, sed componamus per arbitros, id est, sacerdotes. Vnde Osee: Iudicium Domini cum habitatoribus terræ. Iudiciũ appellat arbitrium siue amicalem compositionem, quæ fit in confessione. Sequitur: Da gloriam nomini tuo, peccata remittendo, & mihi ignoscendo. Teste Seneca: Glorioſum genus vindictæ est ignoscere. Homo autem quàm diu habet manus immundas, seipsum fœdare, & non mundare potest: cùm ceciderit, resurgere ex se non potest. Si igitur mundatur, & reatus illi ignoscitur: si resurgit & leuatur, non potest gloriari in se, sed Deus dat gloriam nomini suo, qui ait: Gloriam meam alteri non dabo. Et nos nomini eius gloriam dare debemus, vnde Dominus in Euangelio Ioannis ait: Qui manducat me, viuet propter me. Seruus enim debet viuere Domino, non quærendo quæ sua sunt, sed quæ sunt Domini. Vnde Bernardus: Quicquid fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, furaris. Et iterum: Fidelis reuera Dei famulus es, si de gloria Domini tui, & si non exeunte ex te, sed tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat. O bone Iesu, cui non sufficit pax, non sufficis tu. Tu es enim pax, tibi Domine gloria permaneat illibata. Mecum bene agitur si pacem habuero. Da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Teste autem Gregorio: Magna misericordia fuit, quod Deus fecit nos, cùm nihil essemus. Maior misericordia fuit, quod refecit nos, cùm mali essemus. Maxima quod redemit nos cùm perditi essemus, & renouauit nos cùm indigni essemus. Sicut autem lampas suspenditur vt luceat omnibus, qui in domo sunt, ita Christus suspensus est in cruce, vt illuminaret omnes qui in mundo sunt. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Fracta lampade, oleum effunditur, & fracto Christi corpore in cruce, misericordia est effusa vbique. Bernardus in persona desperantium ait: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Et postea in persona sua subiungit: Absit absit, imo maior est pietas, quàm quæuis iniquitas. Ex multitudine autem misericordiæ Samaritanus oleum nostris vulneribus infudit, in spiritus sancti infusione vulnera ligauit, dum vulneratus est pro nobis. Liuor enim vulneris absterſit mala nostra. Iumento imposuit, dum à tartaris prædam tulit. Curam commisit Apostolis in ascensione. Duos denarios protulit, dum discipulos ad prædicandum misit, vt illuminaret intellectum, & accenderet affectum, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria, &c.

*Mich. 4.*

*Simile.*

*Eccle. 7.*

*Secundum modum culpæ est modus pœnæ*

*Isaiæ 59.*

*Item 45.*

*Ieremiæ 64.*

*Diuinis iudiciis concordare debemus*

*Isaiæ 45.*

*Item 5.*

*Isaiæ 51.*

*De gloria Domini.*

*Seneca.*

*Bernardus.*

*Gregorius.*

*Eccle. 29.*

*Simile.*

*Bernardus.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola ad Ephesios.

Ephe.5. *Fratres, videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, &c.*

Isa.52. Cautè ambulare debemus.

NON in tumultu exibitis, neque in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus. His verbis instruit nos Isaias quomodo cautè ambulare debemus, nõ in tumultu, sed cum modestia & discretè: nõ in fuga, sed quietè & absq; terrore: nõ sine duce, sed imitãdo Dominũ præcedentẽ. Cautè enim ambulat, qui Christũ sequitur. Ipse est enim via in qua nullus errat. Vnde Psalmus: Herodij domus dux est eorũ, id est, Christus, qui domus dicitur Herodij, in quo, scilicet, silvestres & rapaces mãsuescunt. Reprobi autẽ in strepitu & perturbatione procedũt. Vnde per Iere. Dominus ait: Ecce ego suscitabo super Babylonẽ & super habitatores eius, qui cor suũ leuauerũt cõtra me, quasi ventũ pestilentẽ, & mittã in Babylonem vẽtilatores & vẽtilabunt eã. Qui igitur leuant cor suũ contra Deũ & cõtra eius mandata superbè venientes, variis tentationibus & dæmonum suggestionibus agitari permittuntur, qui ventilant eos & reddunt inquietos. Et hoc est quod Iob ait: Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla quam turbo dispergit. Et Ezechiel ait: Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens. Ventus turbinis, tentatio, mentem turbans, à diabolo veniens: nubes, mentis excæcatio: ignis, ardor malitiæ, feruens in mente. Nisi enim resistamus vento tentationis, obscuratur oculus mentis, & in corde malitia exardescit. Cautè igitur ambulemus, vt palpebræ præcedant gressus nostros, quarum duplex est officium, vt, scilicet, claudantur ad malum & aperiantur ad bonum. Hoc est quod in Parabolis Salomon, ait: Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Rectam siquidem intentionem exigit Dominus, vt oculo nostro existente simplici, totum corpus actionum lucidum reddatur. Oculus inuidi obliquus est, oculus superbi elatus: oculi auari & luxuriosi ad stercora inclinantur. Prædicti igitur oculi non recta vident, sed tortuose aspiciunt. Palpebræ autem, id est, subtilia consilia præcedere debent gressus actionum, & laqueos diaboli prudenter deprehendere. Vnde in Canticis: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Nasus Ecclesiæ, teste Gregorio, est discretio, per quam ventura vitiorum prælia deprehendit, respiciendo contra diaboli insidias. Damascus siquidem potus sanguinis interpretatur. Et significat diabolum, qui sitit & bibit sanguinem peccatorum, & mille artes decipiẽdi habet. Ipse quidem sub nebulam carnalis voluptatis inuoluit pillulas culpæ, & damnationis æternæ: decipit per carnis necessitatem ducens ad crapulam & ebrietatem. Per honestatem ad dissolutionem, per vtilitatum ad dignitatum abiectionem. Decipit autem aliquando per ægestatem, vt ad rapiendum & blasphemandum compellat: decipit per vbertatem, vt per illicitas voluptates dissoluat. Vnde Salomon: Diuitias & paupertates ne dederis mihi. Decipit per speciem boni, ne quod suggerit, peccatum appareat. Propterea per Ieremiam Dominus ait: Adducam super te gentem, cuius ignorabis linguam. Hi sunt dæmones, quorum ignoramus suggestiones, quia dum suggerunt amarum, credimus dulce. Primi parentes crediderunt, quod suggereret fœlicitatem, & suggesserunt miseriã. Sicut præstigiator creditur sub pilleo ponere talentum, sed sublato in morte pilleo, nõ inuenit nisi colubrum. Spirituales autem homines, quos vnctio docet de omnibus eius cogitationes & suggestiones non ignorant. Vnde Dauid ait: Super inimicos meos prudentem me feci̇sti, id est, contra dæmones. Et iterum ait: Super senes intellexi, id est, super hostes antiquos. Teste enim Eccle. Melior est pauper & sapiens Rege senẽ & stulto. Videre igitur debemus & vndique diligenter intueri, vt sicut in Zacharia legimus, in lapide vno, id est, viro forti, septem sint oculi. Quorum primo videat præterita, vt defleat. Secundo futura, vt sibi caueat. Tertio prospera ne eleuent. Quarto aduersa ne deprimant. Quinto superiora, vt sapiant. Sexto inferiora, vt decipiant. Septimo interiora, vt sibi in Deo placeant. Primò igitur oportet nos habere circunspectionem, qua deprehenditur peccatũ præteritum, præsens, & futurũ. Secundò discretionem qua iudicatur deprehensum. Tertiò deliberationẽ, qua ordinatur quid sit agendum. De primo scriptum est: Omni custodia serua cor tuum. De secundò: Feci iudicium & iustitiam. De tertio: Doce me facere voluntatem tuam. Sapiens igitur, sicut dicitur in Iob, procul odoratur bellũ, & exhortationẽ ducum, & vlulatum exercitus. Longè enim à tentationibus diaboli sibi prouider, & ex causis præcedẽtibus cognoscit quãta immineat pugna vitiorũ: exhortationẽ autẽ ducũ appellat suggestiones illorũ peccatorũ, quæ sub quodã velamine rationis decipiunt. Vitia siquidẽ honestate virtutũ se palliãt: nã versutia se simulat prudentiã, temeritas fortitudinẽ, tenacitas temperantiã, crudelitas iustitiã, remissio pietatẽ, timiditas humilitatẽ, cõtumacia libertatem, inquietudo strenuitatẽ, pigritia maturitatẽ: vlulatũ autẽ exercitus, qui, scilicet, ad irrationales feras pertinet, appellat illa peccata, quę omnino bestialia sunt, & nullũ rationis habẽt velamẽ. Videte quomodo cautè ambuletis. Via siquidẽ tenebrosa, est lubrica & spinosa, & ideò lumine, baculo & calciamẽtis indigemus. Lumine gratię, baculo fortitudinis & calciamẽtis, id est sanctorũ exẽplis. De insipiẽtibus autem in Cãticis dicit Iere. Via illorũ quasi lubricũ, in tenebris impellentur & corruẽt in ea. Et Isa. Nõ est populus sapiẽs, propterea non miserebitur eis, qui fecit eũ, & qui formauit

Iere.51. De tumultu & perturbatione reproborum.

Iob 16.

Para.4.

De multiplici oculo. De discretione contra deceptiones diaboli. Gregorius.

Vndique debemus intueri & de septem oculis.

Iob 39.

De palliatione vitiorum.

Iere.23. Isa.27.

formauit eum, nō parcet ei. Et iterum: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Et Osee: Populus non intelligens, vapulabit. Contra incautos & securè peccãtes ait Isa. Audi hæc delicata, & habitãs cõfidenter, quę dicis in corde tuo, Ego sum, & nō est *Isaiæ 47.* pręter me amplius: nō sedebo vidua, & ignorabo sterilitatẽ. Venient tibi duo hęc subito in die vna, sterilitas, & viduitas. vniuersa venerũt super te, propter multitudinẽ maleficiorum tuorũ. Delicata anima dicitur, quia nullũ laborẽ pro Christo sẽ pati posse profitetur. Vnde in Deut. dicitur quod nihil publicæ necessitatis iniungebatur his, qui nuper duxerãt vxorẽ. Amatores autẽ seculi confidenter habitant, sed amatores Dei semper in timore & tremore Dominũ suum expectant, quando reuertatur à nuptiis. Sterilis autem dicitur anima quæ fructum boni operis non profert. Vidua dicitur dum ratio in ea extinguitur, qua comprimere debet sensualitatem, velut maritus vxorẽ. De improuidis autẽ & incautis Nau ait: Inimicis tuis ad apertionẽ pãden tur portæ terræ tuæ, & deuorabit ignis vectes tuos. In his enim per portas quinq; sensuũ quos negligenter cõseruat, hostes intrant, & ignis cõcupiscentiæ vectes, id est, munimenta virtutum consumit. Virtus autem discretionis teste Bernardo moderatrix est & auriga aliarum virtutum. Ad hanc inuitat Apostolus ad Thessalonicẽses: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Maxime autem vbi vehemens est æmulatio, ibi necessaria est discretio, quæ est ordinatio charitatis. Et quoniam scriptum est: Iustè quod iustum est exequeris. Si facimus iustitiã, faciamus iudicium. Sicut scriptum est: Feci iudicium & iustitiam. Et Isaias: Custodite iudicium & facite *Isaiæ 47.* iustitiã. Cùm igitur discretio auriga sit virtutũ, debet præcedere iustitiã, sicut auriga bigã. Videte quomodo cautè ambuletis. Triplex siquidẽ est via per quã ambulare debemus. Paupertas, humilitas, patientia. Paupertas reddit leuẽ & expeditũ. Humilitas modicũ, vt sine difficultate per arctam viã possimus incedere. Pãtiẽtia fortẽ & robustũ ne deficiamus in via. Econtra diuitiæ præmunt, superbia inflat, impatiẽtia frangit. Duobus autẽ pedibus ambulandum est in via Dei. Primus, consideratio humanæ fragilitatis, qua calcatur caput serpentis, id est, elatio mentis. Secundus, Spes diuinæ pietatis, qua calcatur cauda desperationis. His pedibus non solùm super terram, sed supra mare ambulamus, id est, super cor tumidum & carnale, cuius fluctus incursus luxuriæ, ventus turbinis, vorago gulæ, commotio turbatæ mentis. Profunditas autem est peccandi voluntas, in qua vix fundus reperitur, quia semper peccaret homo si liceret. Supra hoc mare ambulamus, dum desideria carnis calcamus. Cautè igitur ambulare debemus, non quasi insipientes, sed vt sapientes, vt simus discreti & timorati. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Timor Domini scientiæ religiositas, id est, timor Domini facit religiosum cum scientia, cum discretione & prudentia. Omnis quidem victima sale salietur. Sapiens autem vndiq; imminentia pericula intuetur. Vnde in Deutronomio: Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Saperent præsentia, intelligerent præterita, & nouissima prouiderent, id est, futura, & ita sapienter incedendo dicere possent. Venerunt mihi omnia bona cum illa. Iuxta illud: *Nullum munus abest, si sit Prudentia tecum.* Sapiens autem non declinat ad dexteram neque ad sinistram. Virtus est medium vitiorum vtriusque redactum. *In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte: & mala sunt vicina bonis. Nil prodest quod non lædere possit idem.* Propterea in Canticis Salomon ait: Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Vmbilicus animæ est temperantia, quæ inter virtutes & vitia media est, sicut vmbilicus inter superiora & inferiora membra, quæ est crater tornatilis, quia circumspectione rotunda, nunquam indigens poculis, quia sapientia fœcunda. Et sicut potus sitim temperat & cor lætificat, sic temperantia ardorem vitiorum restringit, & immoderatum feruorem zeli reprimit. Vt igitur sapienter ambulemus, omnia cum consilio & deliberatione faciamus. Vnde Isaias: *Isaiæ 28.* Ini consilium: coge consilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridie. Ini consilium, vt nihil sine consilio facias. Cogere autem consilium debemus in conscientia nostra: vt illuc pedes & manus, & cætera membra afferant, quæ deliquerunt, sicut scriptum est: Meditabar nocte cum corde meo, & exercitabar. Cùm autẽ fuerimus in meridie, id est, in medio prosperitatis, vmbram refrigerij nostri ponamus in nocte, vt memores simus aduersitatis in die prosperitatis, vel prosperitatem transitoriam reputemus aduersitatem. Cùm autem Deus omnia fecerit in numero, pondere & mensura: sit pondus in affectionibus, vt magis diligendus amplius diligatur. Sit numerus in verbo vt pauca & cũ deliberatione loquamur. Vnde Eccle. Deus est in cœlo, & tu in terra: ideo sint sermones tui pauci, & maximè de Deo. De quo, etiam teste Gregorio, verbum dicere periculosum est. Et Seneca: Tardiloquum esse te iubeo. Sit mensura in opere, ne modum excedamus, ne genua fortitudinis nostræ nimis infirmentur à ieiunio. Qui enim carnem suam nimis affligũt, similes sunt malis lotricibus, quæ pannos abluendo, dum nimis fortiter percutiunt, lacerant & consumunt. In quorum persona potest intelligi, quod Psalmus ait: Excussus sum sicut locustæ. Stultus quidem hortulanus est, qui tam fortiter locustas excutit, quod flores vel fructus arboris cum locustis deiicit. Hi sunt qui ita carnem suam affligunt, quod ad bona opera sese inutiles reddunt. Alij autem non secundum maius, sed secũdum minus delinquunt, qui nulla, vel modica pœnitentia motus illicitos reprimere volunt. Sensualitas siquidem nostra ita infirma est, quod non potest subsistere, nisi adiuta baculo gratiæ. Laboranti autem acuta, nec carnes, nec vinum danda. Cùm enim mens ieiuniis à voluptatibus refrænatur, tunc diabolus infrænatur. Equus autem frænatus non potest comedere, potest tamen bi-

*Contra improuidos. Nam 3. De discretione.*

*De triplici via.*

*Qualiter ambulare debemus.*

*De timore, sapientia, & temperantia.*

*De numero, pondere, & mensura.*

*De discretione in carnis mortificatione.*

men bibere, quod fit, dū exterius ad opus illicitū diabolus nō impellit, malas tamē & fluidas cogitationes immittit, tanquam sorbitiunculas quas Thamar fecit Ammon, qui eam corrupit.

*De tempore redimendo & malitia dierum. Augustinus.*

Sequitur: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: quasi dicat, vt cautè & liberè ambulare posſitis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes tempus redimatis comparando, scilicet, vobis oportunitatem seruiendo Deo & vacando diuinis, quod necesse est: quoniam hodie dies mali sunt. Dies dicuntur mali pro malitia & miseria hominum. Teste autem Augustino: Duo faciunt dies malos, malitia & miseria, culpa, scilicet, & pœna, sed miseria omnibus est communis. Istos pueros, qui nascuntur, interrogemus quare à ploratu incipiunt, quando plorabat nascens Propheta calamitatis erat. Nondum enim loquitur, & iam Prophetat in labore se futurum. Et iterum Augustinus ait: Redimere tempus, hoc est quando aliquis ingerit tibi litem, perde aliquid, vt Domino vaces, nō litibus. Si quis vult in iudicio tecum contendere & tunicam tollere, dimitte ei & pallium. Et rursus ait: Da nummos vt emas tibi panem, dimitte aliquid malo homini vt emas tibi requiem. Tempus etiam redimit, qui quod minus fecit in tempore vno, resumit in alio. Hoc est autem dies dimidiare: vir autem impius non dimidiabit dies suos. Dies autem implere dicuntur, qui in innocentia permanent. Quidam autem nec incipiunt, & hi in Ægypto mori dicūtur: qui dimidiant in deserto, qui implent, in terra sancta moriuntur. Ex hoc patet quod dies quidam adimunt, quidam redimunt, quidam emūt. Adimunt, qui semper viuunt in iniquitate. Redimunt, qui pœnitent aliquo tempore. Emunt, qui semper viuunt sine crimine. Primorum dies deficiunt. Vnde Psalmus: Defecerunt sicut fumus dies mei. Secundi dimidiant: Vnde scriptum est. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Tertij implent: Vnde de Iacob scriptum est: Mortuus est plenus dierum. Hoc igitur secundo modo debemus redimere tempus, id est, id quod minus in tempore præterito fecimus, diebus malis impedientibus. De hoc autem impedimento bene faciendi ait Isaias: Et erit qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui se explicuerit à fouea, tenebitur laqueo. Per formidinem auaritia designatur. Diuitiæ enim cum timore possidentur ab auaris. Per foueam luxuria. Iuxta illud Salomonis: Profunda fouea est meretrix. Per laqueum superbia, quæ, subtiliter hominem illaqueat & capit. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Tripliciter dicitur aliquid redimi. Primò dicitur redimi, id est, pretio dato retineri, dum dat aliquis de suo vt melius vacare possit diuino obsequio. Secundo modo dicitur quid redimi, id est, pretio dato recuperari. Hoc modo Christi sanguine sumus redempti. Tertio modo dicitur redimi pretio dato cōpensari. Vnde in Daniële: Redime eleëmosynis peccata tua. Et in Eccle. Est qui multa redimit modico pretio, restituēs ea in septuplū, scilicet, qui per contritionē modici temporis & confessionem ab omni absoluitur peccato. In septuplum autem ea restituit dum loco vitiorum multiplicem subrogat numerum virtutum, vt vbi abundauit delictum, superabundet & grātia. Vel restituere diciturin septuplum, dumper pœnitentiam meretur accipere septiformem spiritum sanctum. Peccata autem restituere dicitur, dū restituit bona opera in recompensationē peccatorū. Vnde in Numero Moyses ad Regē Edom ait: Si biberimus aquas tuas, soluemus quod iustum est. Debemus enim voluptates & delicias, si quas habuimus afflictione pœnitentiæ recompensare. Tempus insuper redimunt, qui iniurias patienter tolerant, vt mentis tranquillitatem seruent. Vnde in Parabolis dicitur: Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Non igitur contentiosè & durè respondeamus. Mollis enim responsio frangit iram. Quoniam igitur dies mali sunt, cum omni circumspectione & prouidentia debemus eos pertransire. Vnde Apostolus subdit: Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Quia, scilicet, mali sunt dies, non sitis inconsiderati & indiscreti, sed potius intelligentes quæ sit voluntas Dei, & quærentes quid Deo placeat. Placet enim illi, vt omnia prouidè, & cum modestia agantur. Nihil cū strepitu & perturbatione. Vnde Seneca: Nihil ordinatum est quod præcipitatur, remedia non prosunt nisi immorentur. Quis medicus ægros in transitu curat? Non igitur imprudentes aut leues simus, sed maturi & constantes habeamus in factis humilitatem, in verbis authoritatem. Intelligamus voluntatem Dei ex scripturis & creaturis. Interroga animalia, & docebunt te. Serpens corpus suum exponit pro capite. Bever seu Castor, dum eum venatores insequuntur, testiculos abscidit & euadit. Eius enim testiculi medicinales sunt, & propter eos à venatoribus caperetur nisi abscinderet eos. & nos propter regnum cœlorum castrari debemus. Ex scripturis autem sanctis, quæ sit voluntas Dei plene possumus intelligere. Vnde Iob: Semel loquitur Deus, & secundò id ipsum non repetit. Loquitur enim per sacram scripturam: non igitur alia signa debemus quærere. Generatio enim praua & peruersa signum quærit. Praua in corde, peruersa in opere, & non datur ei signum, nisi signum Ionæ, qui à ceto fuit absorptus, per quod Christi mors designatur. Sufficiat nobis quòd Christus mortuus est pro nobis. Non quæramus alias visiones, vel alia signa seruiendi illi. Per scripturas enim publicis & occultis quæstionibus singulorum respondet. Vnde Boos ad Ruth. Ne vadas ad aliū agrum ad colligendum, sed mane in loco isto. Sufficit enim ager sacræ scripturæ, vt cognoscamus Dei voluntatem. Nolite igitur fieri imprudentes. Impedimentum enim prudentiæ est ebrietas, quæ statum mentis euertit. Vnde & subdit Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, id est, ex quo procedit malus motus, qui ad luxuriā impellit. Ebrietas enim & nimia ventris impletio, est quasi torcular fœdum humorem libidinis exprimens.

*De dimidiantibus dies suos.*

*De triplici redemptione.*

*Daniël. 20.*

*Ex scripturis & creaturis Dei voluntatem intelligere debemus.*

*De ebrietate & sobrietate*

exprimẽs. Fatuus autẽ diaboli, de quo ludibriũ facit, eſt ebrius. Sicut diuites ſuos habẽt fatuos de quibus ludunt. Vnde Anna reſpondit Heli, qui eam temulentam vino æſtimabat. Non me reputes de filiabus Belial. Ebrietas enim de filio Dei facit filium diaboli. Belial autem ſine iugo interpretatur. Ebrius autem diſſolutus eſt, & ſine iugo legis Dei. Vnde Iſaias: Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Ebrio enim omnia noxia ſunt & confuſa, neſcit diſcernere bonum à malo vel verum à falſo. Potentior autem dicitur magis ebrioſus. Vnde & viros fortes appellat, quaſi dicat: In hoc fortitudinem veſtram iactatis, ſi præ aliis ſcyphos exhaurire valetis: vinum enim dicitur quodlibet vitium, quod ſtatum mentis euertit. Vnde in Prouerbiis: Noli regibus vinum dare, ne obliuiſcantur ſapientiam, ne, ſcilicet, qui plus cæteris poſſunt, exemplo vitiorum ſuorum alios corrumpant, & ita perturbati ſubiectos moleſtent. Teſte autem Eccleſiaſtico: Operarius ebrioſus non locupletabitur, & qui ſperni modica, paulatim decidet. Non locupletabitur bonis ſpiritualibus, bonis etiã temporalibus frequenter priuatur & pauper efficitur. Vnde Salomon: Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. Qui autem ſpernit modica, paulatim decidit: quia per conſuetudinẽ inebriandi ſe, paulatim ad caſum accedit. Plures enim ebrietates inducunt mortale peccatum, quo inducto iterum paulatim decidit de vno mortali in aliud. Sicut ſcriptum eſt: Deducet eos in puteum interitus, id eſt, paulatim ducet de vno in aliud. Nõ igitur vacandum eſt ebrietati, ſed ſobrietati. Notabilẽ enim hoſpitẽ habet caro, id eſt, animam. Vnde debet ſe ſobriè viuẽdo coarctare, vt tantus hoſpes meliorem habeat manſionem, vt cum bene fuerit ei, vicem beneficij ei impenſi eidem rependat in cælis. Gula autem malus eſt cocus, qui meliorem partem ſibi reſeruat, & ſubtrahit ſpiritui qui eſt Dominus ipſius. Habeat igitur anima cocum ſobrietatem, cui ſecurè ſeipſam poteſt credere. Ipſa enim fidelis eſt cocus, ſanus tam corpori quàm animæ. Qui autem firmiter credit ęternas delicias, reſtringitur à carnalibus, ſicut ſcriptũ eſt: Erit fides cinctorium renum eius. Nolite inebriari vino. Eſt ebrietas mala, & ebrietas bona. Ebrietas mala in ſcripturis appellatur, quicquid ſtatũ mẽtis peruertit. Vnde Iſa. Errare fecit Dominus Ægyptum, ſicut errat ebrius & vomens. Et in Threnis dicitur: Ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis veſtimentis, ſcilicet, virtutum. Quidam autem inebriati ſunt calice aureo Babylonis, id eſt, pompa ſeculari. Diues autem auarus, qui eſſe ſub ſentibus delicias reputat. Sicut dicitur in Iob: Pungitur ſpinis diuitiarum, & more ebrij quod patitur, ignorat. Habet quidem palatum aſininum, qui carduos comedit & punctiones non ſentit, ſic auarus ſpinas diuitiarum deuorans, non percipit punctiones. De errore autem huiuſmodi ebriorum ait Bernardus: Aurum nihil eſt niſi terra rubra, argentum nihil eſt niſi terra alba, ſed error hominum fecit ea pretioſa. Bona ebrietas eſt qua homo feruet & inebriatur charitate, & curas ſeculares obliuiſcitur. Qui autem inebriatus eſt, ſumptus & expenſas non timet, dummodo ſuam adimpleat voluntatem: ſic ebrij verbo Dei & charitate expenſas laboris, & tribulationis non timent, dummodo deſiderium ſuum, & ſuam in Domino adimpleant voluntatem. Tali ebrietate ebrij erant Apoſtoli, qui dicebant: Non poſſumus non loqui quæ audiuimus & vidimus. Ebrij ſiquidem non poſſunt compeſci à loquendo. Et per Iſaiam Dominus ait: Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Et per Ieremiam: Inebriabo pinguedine animas ſacerdotum, & populus meus replebitur bonis. De hac bona ebrietate ſubdit Apoſtolus: Nolite inebriari vino, ſed implemini ſpiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus: cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, quaſi diceret: Hoc modo poteritis impleri ſpiritu ſancto, & inebriari ſpiritualiter, ſi vos loquentes vobiſmetipſis intelligitis, quæ dicitis: & voſmetipſos deſtruitis de his quæ dicitis: Loqui igitur debemus in Pſalmis, quæ ad bonam operationem commonent, & Hymnis qui ad Dei laudem pertinent, & Canticis ſpiritualibus, quæ ad æternum gaudium inuitant, & ideo ſpiritualiter intelligenda ſunt, quia ſpiritualia ſunt quę docent. Non ſolùm autem loqui vobiſmetipſis, ſed poſt locutionem & inſtructionẽ veſtram cantare, & pſallere in cordibus veſtris cum deuotione debetis. Eſtote igitur cãtantes, id eſt, Deum laudantes, & de æternis exultantes, ſicut Canticum & Hymnus docet, & pſallẽtes bono opere, ſicut Pſalmus admonet, & hoc in cordibus veſtris, id eſt, ſpontaneè & deuotè, & hoc totum facite Domino, id eſt, ad honorem Dei. Præceptum eſt autem Moyſi, vt in ſinu ſuo poneret manum ſuam: in quo inſtruimur, quod diſcretè diſcutere debemus, ſi cogitationes noſtræ verba & opera ad honorem Dei fiant, & ad Deum dirigantur. Cantemus igitur & pſallamus ad honorem Dei in cordibus noſtris, vt pſalmodiæ diligenter intendamus. Vnde Michæas: Væ qui cogitatis inutile. Et in libro Sapientiæ dicitur, quod ſpiritus ſanctus ſubtrahit ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Qui igitur quieſcit, quieſcat, qui Deo vacat voce, vacet corde: ne dicatur de nobis, ſi quieſcamus corpore, & vagi ſumus mente, viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbatha eius. Fremunt quidem gentes, & populi meditantur inania: cogitationes autem iuſtorum conſilia. Vt autẽ cantus noſtri cordis Deo placeat vnaquæque virtus ſtallum ſuum in choro teneat, quod fit dum vna locum alterius non occupat, ſed ſecundum quod intitulatur in tabula officium ſuum ſibi deputatum peragat ordinatè. Igitur contra tentationem carnis continentia cantet reſponſorium ſobrietatis, & verſum caſtitatis. Contra varias tribulationes patientia legat ſanctorum paſſiones, contra motus elationis humilitas recitet caſum Luciferi, & ſic intel-

*Iſaiæ 5.*

*Eccle. 18.*

*Parab. 21.*

*De bona & mala ebrietate.*

*Thren. 4.*

*Iſaiæ 65.*

*De cantu ſpirituali.*

*De Pſalmodia & modo Pſallendi.*

*De ordinatione virtutum.*

sic intelligatur de aliis. Latera autem ciuitatis debent esse æqualia, vt vnum partem alterius non occupet, sicut excessus abstinentiæ partem prudentiæ & obedientię plerumque sibi vsurpat. Hi igitur non bene cantant, sed discordant. Eodem modo & illi, de quibus Dominus per Amos ait: Amos 5. Aufer à me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam. Voces peccatorum, non sunt voces hominum, sed grunnitus suum. Ita hodie quidam in Ecclesia cantant, denarios expectantes, quibus receptis recedunt. Quidam autem aliquando rugiunt, vt asini, quando hac intentione cantant, vt eorum concubinæ, quæ sunt in Ecclesia, audiant illos. Hi ergo non cantant Deo, sed magis tumultuantur diabolo. Sunt autem quidam in religione, qui solo vsu sine deuotione canunt, dum alios cantare audiunt: sicut oscitat quandoque qui alium videt oscitare. Sunt alij qui integrè non cantant, sed in extremis velut echo resonant. Hi ergo nec spiritu sancto replentur, nec sibimetipsis loquuntur. Loquente siquidem in anima summo abbate, id est, spiritu sancto, silet omnis conuentus inutilium cogitationum. Propterea Psalmus ait: Anima mea in manibus meis semper. Cor enim sine anima hominis est, quasi auis fugitiua, quæ si non cohibetur, citò auolat: & sicut gallinæ quędam furantur oua, quibus incumbant, ita diabolus latenter nobis furatur cor nostrum. Sciens enim quod mens diuisa non impetrat, vnam partem tribuit luxuriæ, aliam auaritiæ, & diuersas partes diuersis vitiis impartitur. Vt autem cantus noster non impediatur per nimiam eleuationem, vel depressionem, tam in prosperis, quàm in aduersis firmiter stemus, & in omnibus Deo gratias agamus, & hoc est quod subdit Apostolus: Gratias agentes semper pro omnibus, id est, pro omnibus donis, vel prosperis, vel aduersis. Et quoniam nec gratiarum actio, nec aliud opus sine humilitate Deo placet, subdit Apostolus: Subiecti inuicem in timore CHRISTI, id est, estote omnes subiecti inuicem, non solùm auditores Prælatis, sed & Prælati subditis in charitate eis seruiendo, & humiliter curam gerendo. Nam & si est maiorum dignitas, ipsa tamen administratoria est. Vnde Apostolus: Omnium me seruum feci. Est ergo maiorum, salua tamen dignitate seruire, sicut minorum est humiliter obedire. Hæc autem tam maiorum, quàm minorum ordinata subiecto debet esse in casto Christi timore, qui humilitatem præcepit. De his autem qui subiecti inuicem esse nolunt, ait Petrus: Dominationē contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemantes. Dominus autem humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

*De discordantibus & malè cantantibus.*

*De mutua subiectione.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio secundum Matthæum.

Matth. 22. *Loquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*

*Verbum Domini corda auditorum lætificat.*

LÆTABOR ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Eloquia siquidem Domini corda audientium consolantur & lætificant, & diabolum peccatores conuertendo spoliant. Teste autem Gregorio: Maius miraculum est animas conuertere verbo prædicationis & solatio orationis, quàm carne mortuum suscitare. In isto enim caro suscitatur iterum moritura, in illo anima in æternum victura. In his igitur impletur illud, quod in Psalmo dicitur: Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra: ideo conuertetur populus meus hic. Dū enim sancti prædicatores os suum ponunt in cœlum, orationem præmittendo, & lingua eorum transiuit in terra peccatoribus prædicando. Populus ad Dominum conuertitur, & dies pleni inuenientur in eis in bono perseuerando. Qui autem verbum Dei audire non curant absque consolatione, & gaudio spirituali remanent. De quibus per Ieremiam Dominus ait: Pro eo quod non audistis verba mea, perdā ex eis vocē gaudij & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ, vocē molæ, & lumen lucernæ: vocē gaudij expressam exterius, vocem lætitiæ, id est, lætitiam mentis interius, vocem sponsi, & vocem sponsæ, id est, gaudium de coniunctione Christi, & Ecclesiæ, cuiusmodi vox latè patet in Canticis canticorum. Vocem molæ, id est, prędicationis duas molas, spei & timoris complectentis, & lumen lucernæ, id est, intelligentiam diuinæ scripturæ. Orate igitur fratres Dominum, vt diuina eloquia hodie corda vestra lætificent, & animas conuertant. Loquebatur Iesus, &c. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem. Verba sunt Ieremiæ in Threnis, ostendentis desiderium sanctorum, de conuersione peccatorum, & dolorem quem habēt de obstinatione peruersorū, qui vocati ad nuptias venire contemnunt. Viæ enim Sion dicuntur sancti prædicatores, qui verbo & exemplo ad solemnitatem cœlestis Sion viā ostēdunt. Lugent autem, eò quòd stulti, ea quæ sibi sunt noxia, cupiunt, sicut in Parabolis dicitur: Quæ autem vtilia sunt, negligunt eligentes, sicut in libro Iudicum dicitur, rhamnum in Regem, id est, diabolum moribus suis conformem, & reprobati sunt ab oliua, ficu, & vite. Christus dicitur oliua propter misericordiā, ficus propter dulcedinem, vitis propter charitatis feruorē, & vini spiritualis iocunditatem. De his autem ingratis, qui ad nuptias venire contemnunt, conqueritur Dominus per Isaiam, dicens: Inuacuum laboraui, & vanè fortitudinem meā consumpsi, vanè,

Ierem. 25.

Iudic. 9.

Isa. 49.

vanè, scilicet, quantum ad reprobos, quia Christi passio illis non profuit, imò occasionaliter obfuit. Vnde subiungit: Ergo iudicium meum cum Domino, vt, scilicet, Deus pater iudicet inter me & ipsos, quia non debui facere vltra quod nō fecerim, & opus meū corā ipso. Ipse enim nouit quod opus meum ad omnium salutem sufficiens fuit. Propterea per Ieremiam conqueritur, dicens: Væ mihi mater mea: quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquā: omnes maledicūt mihi, quasi dicat: Quare genuisti me ad miseriā doloris & laboris, qui ferè cum omnibus rixā & discordiam habeo? Non fœneraui, nullus ferè pecuniam meam, & nummum gratiæ recipere voluit, vel si recepit, acceptum proiecit, & mihi cum multiplicatione fœnoris non reddidit. Nō fœnerauit mihi quisquam vt daret mihi, vel commodaret momentum vitæ temporalis, & ei redderem cum fœnore vitam æternitatis. Omnes maledicunt mihi, id est, fugiunt præcepta mea, & admonitiones meas, ac si essem excommunicatus & maledictus. Sicut autem qui multa perdit & modicū lucratur, conqueritur, & dicit se nihil lucratum fuisse: ita Dominus, quia multos perdit, & paucos lucratur, conqueritur quod nulli fœnerat, nec aliquis fœnerari vult illi. Nullus enim ferè tantum vult accipere, quantum ipse vult dare. Lucrum autem suum reputat salutem nostram. Non fœneravit mihi quisquam, vt bene operando me sibi constituerēt debitorem. Vnde in Prouerbiis: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & ipse vicissitudinē reddet ei. De nuptiis igitur & his, qui vocati sunt ad nuptias, Dominus in Parabolis loquens, ait: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Quia ad nuptias istas tam boni quàm mali leguntur intrasse, manifestum est quod loquitur de nuptiis & prandio, quod fit in via, non de cœna refectionis æternæ, quæ fit in patria. De qua loquitur Lucas, vbi ait: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. In cœna siquidem delicatiora cibaria apponuntur. Post prandium autem cœna restat, post cœnam nullum restat conuiuium. A prandio eiiciuntur multi, à cœna de qua Lucas loquitur: nullus legitur fuisse eiectus. Est igitur Rex, Deus pater: sponsus, filius eius Christus: sponsa humana natura, sponsa Ecclesia, sponsa quælibet anima, spe, fide & charitate Deo iuncta. Triplices enim nuptias pater fecit filio spirituales, generales & singulares. Spirituales, & præeminentes nuptias illi fecit, cùm in vtero virginali humanam naturam per incarnationem illi copulauit. Ipse enim tanquam sponsus processit de thalamo suo. Hanc autem sponsam in domum traduxit cùm corporaliter in cœlum ascendit. Vnde per Isaiam ait: Induit me quasi sponsam decoratam corona, id est, carne, per quam de diabolo triumphauit, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Ipse enim secundum naturam humanam, quam sibi coniunxit nomine sponsæ nuncupatur. Humana siquidem natura omnium virtutum monilibus ornata fuit. Sponsus autem & sponsa in die nuptiarum summo cultu se adornant: & Dominus cum summo ornatu & ineffabili gloria humanam naturam in cœlum traduxit. Generales autem nuptiæ sunt Christi & Ecclesiæ, quæ desponsata est ei de futuro, à primo Abel in sanctis, vsque ad aduentum ipsius in mundum. Ipso autē aduenīente in incarnatione, in Iordanis flumine, in gentium per Apostolos cōuersione desponsata est, quasi de præsenti. Vnde Ioan. ait: qui sponsam habet, sponsus est. Tandē verò sequitur amplexus, & traductio in domū cùm tradiderit Deo & patri regnū. Vnde in Apoc. dicitur: Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est illi, vt cooperiat se bysso candido & splendido, quod fiet quando fulgebunt sancti, tanquam Sol in Regno patris eorum. Byssinum etiam dicitur iustificationes sanctorum. Sponsa autem dicitur Ecclesia, quę admittitur ad liberorum creationem, ad lectuli pensationem, ad secretorum cognitionem. Singulares nuptiæ sunt, quæ fiunt quotidie in conuersione peccatoris ad Deum. Vnde Apostolus: Desponsi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et Isa. Habitabit iuuenis cū virgine, id est, Christus cū anima casta: & gaudebit sponsus super sponsam, sicut scriptum est: Congratulamini mihi. Et gaudebit super te Deus tuus, qui, scilicet, gaudet de nostra conuersione, mundicia & castitate. Hæc autem sponsa in domum traducitur, cū post mortem in cœlesti thalamo recipitur. Sunt autem nuptiæ bonæ, de quibus supra dictum est: sunt & malæ, de quibus in Deuter. dicitur: Non sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo. Prohibet Dominus, ne Israël misceat connubia cum gentibus, id est, cum malignis spiritibus. Filius tuus est opus bonum, vt Eleëmosynam dare, ad Ecclesiam ire. Diaboli autem filia est intentio mala. Filię igitur diaboli non des filium tuum, ne mala intentione non facias opus bonum. Filius autem diaboli est opus de genere malorum. Filia tua intentio pia. Filio igitur diaboli nō des filiam tuam, vt facias opus malum, quasi pia intentione: sicut ille qui furatur, vt det pauperibus, vel vt pascat patrem. Misit autem Dominus seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Inuitat Dominus ad primas nuptias, id est, ad fidem dominicæ incarnationis. Inuitat ad secundas, id est, ad sacramenta Ecclesiastica, & vnitatem Ecclesiasticæ societatis. Inuitat ad tertias, id est, ad honestatem sanctæ cōuersationis. Misit autem seruos suos à principio, Patriarchas, scilicet, & Prophetas prænuncios incarnationis. In prima quidem ætate paucos misit, in secunda plures, in tertia magis plures secundis. In sexta autem ætate multos valdè, quod notatur in Ecclesiis maioribus, dum pri mò pulsatur vna campana, deinde alia, postmodum duæ, deinde classicum omnibus simul pulsatis. In hodierno autem Euangelio dicitur, quod primò misit seruos suos, secundò misit alios.

Ier. 15.

Simile

De tribus nuptiis.

Isa. 61.

Deut. 7.

Bis ergo

Bis ergo seruos ad inuitandum misit, quia incarnationem vnigeniti, & per Prophetas dixit
Iere.15. futuram,& per Apostolos factam nunciauit, & noluerunt venire. Vnde Ieremias ait: Misit Dominus ad vos omnes seruos suos Prophetas,cõsurgens diluculo attentè & diligẽter admonens,& non audistis. Quantò admonitio crebrior,tantò contemptus maior. Vnde & subdit: Ecce ego mittam,& assumam omnes congregationes aquilonis,id est,dæmones,& interficiam eos. Multi quidem intenti nugis, & ludis cuiusdam incantationis, id est, mundi, ad
Isa.19. Christi nuptias ire non curant. Vnde Isaias: Onus Ægypti. Ecce ascendet Dominus super nubem leuem,& ingredietur Ægyptum. Christi enim incarnatio,& aduentus eius in mundum, onus est Aegyptiorum amantium mundum. Nubes obscura est, & ventis agitatur: & de Christo in nube carnis apparẽte,dicit Isaias: Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Caro autem agitata fuit,& expositа variis tribulationibus. Iterum misit alios seruos.
Isa.50. Ex hoc patet misericordia saluatoris. Vnde per Isaiam: Quis contradicet mihi? Stemus simul, facta,scilicet,pace. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me. Multi autem sunt,qui non solùm ea quæ sibi expediunt, à Deo non postulant, verum etiam oblata sibi recipere recusant. Nec tamen diuina pietas contemnentes sẽ contemnit, sed adhuc alios seruos mittit. Ipse enim teItem 62. ste Isaia: Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet,vel linum fumigans: vtrumque enim propinquum est extinctioni,& teterrimum reddit odorem,& significat peccatorem in peccatis fœtẽtem,quem adhuc Dominus,qui mortem peccatoris nõ vult, vocat,& ad pœnitentiam expectat. Per calamum aurem quassatum,qui intus vacuus est,& in palude crescit & agitatur ventis,peccator intelligitur à bonis operibus vacuus in palude vitiorum, quem Dominus multiplici miseria concuti,sed non penitus conteri permittit. Vnde per
Isa.43. Isa. Dicam aquiloni, Da: & austro, noli prohibere. Aquilo dat,sed Dominus aduersis concutit,& quasi intrare compellit. Auster autem,id est,prosperitas, multoties impedit & intrare non permittit. Sequitur: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui,tauri mei & altilia occisa sunt,& omnia parata,venite ad nuptias. Inuitati autem specialiter dicuntur Iudæi,quibus hæc promiserat in Patriarchis & Prophetis, quibus postmodum nunciatur prandium paratum, id est, mysterium incarnationis impletum. Tauri autem patres sunt veteris testamenti, qui cornu linguæ percutiebant aduersarios. Ipsis etiam indulta est licentia corporaliter fouendi,& filios carnaliter generandi. Altilia sunt moderni continentes,& seipsos pro regno cœlorum castrantes. Spiritualiter autem altilia Manhu pasta fuerunt Apostoli, qui domestici & commensales Christi,qui ab ipsius ore Domini doctrinam acceperunt,charitate pingues, noui testamenti præcones, pennis contemplationis alta petentes. Tauri & altilia occisa sunt, quasi dicat: Patrum præcedentium mortem aspicite,& remedia vestra eorum exemplo cogitate. Occisa quidem sunt ab eo quod fuerant, & mundo mortui, vel post mortem carnis iam in requie positi. Teste autem Bernardo: Occisio victimarum, id est,afflictio corporum, præparatio est summi conuiuij & æterni. Vnde mors Domini dicitur parasceue, quia præparatio ad gloriam. Prandium meum paraui, & omnia parata sunt,quasi dicat: Introitus regni in fide incarnationis meæ est apertus, qui Adæ fuerat clausus,amota est romphæa in passione. Prandium autem parauit, dum doctrinam iustitiæ, & mensam scripturarum ex omnibus Prophetis, & Doctoribus ordinauit. Rex autem liberalis & munificus in nuptiis filij sui, ex diuersis ferculis prandium parauit, inuitatis carnem suam in cibum, & sanguinem in potum ministrando. Hic est fructus horti conclusi, qui conniuantibus apponitur. Virgo siquidem tulit Christum,vt fructum,crux vt pretium.
Bernardus. De hoc autem cibo Iudæi admirantes, cùm viderent manna in deserto, dixerunt: Manhu, id est, quid est hoc? Moyses autem hanc quæstionem non soluit, sed Christus soluit cùm ait: Hoc est corpus meum. Qualiter autem ferculum istud sumendum sit,docet Bernardus, dicens: Manducare carnem Christi,& bibere sanguinem eius, est passionibus eius cõmunicare, & eam conuersationem imitari, quam gesit in carne. Omnia autem fercula hoc ferculo condiuntur. Vnde in Ruth dicitur: Tinge buccellam tuam in aceto, in memoria,scilicet,& imitatione dominicæ passionis. Buccellam dicit: quicquid enim patitur, quasi buccella est, respectu dominicæ passionis. Agnus igitur immaculatus spirituale est,& principale ferculũ in prandio nuptiarum. Sunt alia fercula secularia,quæ satis patent in testimoniis scripturarum. Turtur, scilicet, castitatis, quæ coniugia non iterat. Agnus patientiæ, qui percussus non repugnat. Columba subtilitas spiritus, quoniam altius volat. Ex his autem ferculis caro acquirit castitatem facta mundior, anima securitatem facta fortior, spiritus subtilitatem factus clarior. De his autem ferculis legimus in Iudith: quod imposuit abræ suæ ascopam
Iudith.10. vini,& vas olei. Iudith siquidem, id est, confessio, apponit vinum confessionis, cum vase olei,id est, cum operibus misericordiæ, vt sic Holofernes vincatur. Marcus autem ait: Omnis victima igne salietur. In quo duo notauit, carnis mortificationem, per hoc quod dicitur,salietur, per ignem verò opera charitatis. Vnde maluit dicere igne salietur quàm sale. De Anna autem legimus,quod obtulit tres vitulos cum farina,& amphora vini,hæc sunt fercula nuptiarum. Tres vituli labiorum, dum oramus & Deum laudamus, & peccata confitemur. Farina, id est,exercitum bonæ operationis, cum vino quod lætificat cor hominis. Fructus autem prandij nuptialis est multiplex, de quo scriptum est in Canticis: Stipate me malis,

me malis, id est, fructum malorum, quorum primus pœnitentiæ sumptus de arbore illa, in qua dominus non inueniens fructum, voluit eam abscindere, sed cultor fodit circa radicem, vilitatem vitiorum peccatori aperiendo. Mittit stercora, peccata sua illi memorando, & sic nascitur fructus. De quo scriptum est: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Secundus est iustitiæ, de quo Apostolus: Fructus autem iustitiæ in pace seminatur, colligitur autem de oliua fructifera in domo Domini. Tertius est contemplationis, vnde: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. In Domino manemus, quantum datur humanæ fragilitati, per contemplationem illi adhærendo, & ipse in nobis gratiam suam ad hoc largiendo. Hic sumitur de arbore pulcherrima, de qua in Leuitico dicitur: Sumetis fructum arboris pulcherrimæ, & lætabimini coram Domino. Homo quidem pulchra est arbor in pœnitentia, pulchrior in iustitia, in contemplatione autem pulcherrima. Quartus fructus de ligno vitæ, primus est trigesimus, secundus sexagesimus, tertius centesimus, quartus infinitus. Ecce quomodo Dominus ex multis ferculis prandium parauit inuitatis virtutibus articulis fidei, & Ecclesiasticis sacramentis, atque omnibus spiritualibus deliciis. Quàm miseri, de quibus subiungitur: Illi autem neglexerunt & abierunt: alius in villam suam, alius in negotiationem suam, & negligentes salutis suæ præconium, abierunt alius in villam suam terreno labori immoderatè incumbens. Alius in negotiationem suam, terrenis lucris immoderatè inhians. Per negotiationes enim calliditates & ingenia acquirendi pecuniam intelliguntur. In persona horum ait Isaias: Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Quando exercitus confractus est, & dissipatus, quilibet tenet viam suam. Vnde in Deuteronomio dicitur: Per vnam viam ingredieris contra hostes tuos, & per septem fugies ab eis. Patet igitur quod confecti erant & à diabolo victi, qui per varias errorum vias incedebant. De his in quarto Regum dicitur, quod facta est fames in Samaria, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. Caput asininum stoliditas secularium, qui octauam beatitudinis amittunt absorpti à sapientia huius mundi, quæ est stultitia apud Deum. Columba felle caret. Amaritudo siquidem fellis transit ei in stercora, quæ falsa sunt & amara, & eis vtuntur pro sale. Ex magna autem penuria & caristia prudentiæ spiritualis contingit, quod pro vero sale vtimur stercoribus, id est, prudentia mundi & carnis. Teste autem Augustino: Si paleam sequeris, paleam efficieris. A simili, si stercus sequeris, stercus efficieris. Vnde in libro Machabæorum: Gloria peccatoris stercus & vermis. Hi sunt qui libentius frequentant tabernas quàm Ecclesias, vel Christi nuptias, quorum Deus venter est. Deus iste templum habet tabernam, in qua colitur. Altare eius est dolium, sacerdos tabernarius, incensum carnis assatæ fumus, campana mortarium cum pistillo, cantus blasphemiæ, dum maledicunt Christo plus offerunt tabernariis, qui eos spoliant, quàm Christi Sacerdotibus vel ipsi Christo, à quo centuplum reciperent. O quàm dissimile palatum istorum palato sanctorum, qui supplicia delicioſa fercula reputabant, sicut scriptum est in Threnis: Saturabuntur opprobriis. Et ad Hebræos: Rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscepistis. Deliciosum autem erat eis pulmentum, dum caro eorum vngulis carpebatur: delectabile ferculum ex venatione, dum de ciuitate in ciuitatem fugabantur, & tandem spiculis sauciabantur. Sequitur: Reliqui tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Hi non solùm venire contempserunt, sed vsque ad mortem Christi seruos persecuti sunt. Hæc persecutio à Iudæis cœpit. Vnde Dominus ait: Hierusalem, Hierusalem, qui occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Et Propheta ait: Fel draconum vinum eorum. Draco inimicatur elephanti, qui est animal castum, hic est diabolus, qui hostis est castitatis. Felle autem diabolico amaricati Iudæi delectabantur in malitia, & bibebant iniquitatem, tanquam vinum. Venenum autem malitiæ eorum velut venenum aspidum insanabile erat, quia nec doctrina, nec miraculis, neq; beneficiis compescebantur à nequitia sua. Et idcirco Dominus iustam vltionem cepit de ipsis. Vnde & subditur; Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Audiuit Rex cœlestis vocem sanguinis occisorum. Vox quidem sanguinis dicitur euidentia patrati facinoris. Iratus dicitur Rex, licèt cum tranquillitate iudicet, sed hoc dicitur, quia quod iratus solet facere, facit. Vnde Isaias: Ipsi ad iracundiam me prouocauerunt & afflixerunt spiritum sanctum eius, & conuersus est in inimicum, & ipse debellauit eos. Sicut enim impetum torrentis, ita iram potentis incurrere periculosum est. Missis autem exercitibus Romanorum sub Tito & Vespasiano, perdidit homicidas illos, id est, Iudæos, & ciuitatem eorum, Hierusalem, scilicet, succendit. Vnde Ezechiël ait: Ecce ventus turbinis veniebat à Aquilone, id est, flatus tempestatis à Gentibus, & nubes magna & ignis inuoluens. Nubes tribulationis, & ignis duræ captiuitatis, & splendor in circuitu eius, id est, aperta Dei vindicta, licèt autem ante transmigrationem Babylonis fuissent idolatræ, non tantùm puniti sunt, sicut puniuntur hodie pro Christi & discipulorum eius morte. Missis insuper exercitibus suis, id est, Angelis, per quos iudicium exercebit, persecutores eius perdet, & ciuitates eorum, id est, carnem in qua habitauerunt cum anima, igne gehennali cremabit. Tunc ait Rex seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exi-

*Isa. 53.* *Deut. 28.* *4. Reg. 6.* *Augustinus.* *Isaiæ 63.*

tus viarum, & quoſcunque inueneritis, vocate ad nuptias. Paratæ ſunt nuptiæ, id eſt, omne ſacramentum incarnationis peractum eſt, natiuitas, paſsio, & alia per quæ Deus operatus eſt ſalutem noſtram in medio terræ. Iudæi autem qui inuitati fuerunt, non ſolùm per Legem & Prophetas, ſed per ipſum Chriſtum corporaliter cum ipſis conuerſantem, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, alios inuitando: quia ſermo Dei ſi alicubi laborat, alibi requieſcit. Ad exitus viarum, id eſt, ad Gentes, extra viam veritatis errantes, quæ, ſcilicet, ſunt extra Fidem, Spem & Charitatem. Hæ enim ſunt tres viæ, vel actiones ſunt viæ, exitus viarum, defectus actionum. Dum enim eas in terrenis actibus proſpera nulla comitantur, facilius plerunque conuertuntur. Quidam enim non facilè conuertuntur, niſi proſperitas ſeculi illis deficiat. Fœlix neceſsitas, quæ ad meliora compellit. Propterea per Oſee Dominus ait: Corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixi: Merces meæ hæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei. Vinea eſt lætitia cordis, ficus dulcedo temporalis iocunditatis, quæ plerunque peccatoribus auferuntur, vt per flagella conuertantur. Exitus inſuper viæ eſt conſummatio vitæ, quam qui diligenter attendit, libenter ad Chriſti nuptias vadit. Sunt autem duæ viæ, vna bona, & alia mala. Exitus bonæ viæ, eſt vita æterna: exitus malæ, pœna gehennæ. Si exitus iſtos attenderemus, facilius ad Dominum conuerteremur. De huiuſmodi exitu Moyſes ait: Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent. Qui igitur de luxuria tentatur, cogitet quod homo cùm mortuus fuerit, hæreditabit ſerpentes & vermes: tales hæredes de carne ſua generans, & eos paſcens. Qui tentatur de auaritia, cogitet quod nudus reuertetur in terram ſuam, & poſsidebunt alieni diuitias ſuas. Poſſunt autem prædicta de malis viis intelligi. Sunt enim quædam viæ currentium poſt huius mundi diuitias, De quibus ſcriptum eſt: Vias quæ à ſiniſtris ſunt, ignorat Dominus. Sunt viæ quærentium ſapientiam ſeculi, de quibus ſcriptum eſt: Sunt viæ quæ videntur homini rectæ, nouiſsima autem ducunt ad mortem. Sunt viæ quærentium voluptatem. De quibus ſcriptum eſt: Nónne magis viæ veſtræ prauæ ſunt. Qui in his viis ſunt, mali omnes ſunt. Propterea Dominus ait: Ite ad exitus viarum. Priores viæ, exitum habent ſecularium renunciationem, ſecundæ crucis Chriſti humilitatem, tertiæ carnis mortificationem. Ad hos exitus viarum ire debemus, vt ad illos peccatores inuitemus. Et quoniam non eſt acceptio perſonarum apud Deum, & Eccleſia nulli claudit gremium: dicitur eis: Quoſcunque inueneritis, id eſt, cuiuſcunque conditionis, vocate ad nuptias, ad fidem, ſcilicet, incarnationis. Et egreſsi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Egreſsi ſunt ſerui, id eſt, prædicatores, de Iudæa in vias & in ſectas Gentium. Vnde Iſaias: Ecce Gentes quas neſciebas, vocabis, id eſt, quas priùs non approbabas: & Gentes quæ te non cognouerunt, ad te current. Et iterum ait: Timebunt, quia ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam eius, cùm venerit, quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit. Venit Dominus vt fluuius violentus, dum compellit introire. Fluit autem & tranſit per conualles & humiles. Nullus ab hoc fluuio repellitur, omnibus patet, quem ſpiritus Dei cogit. Vnde in Hymno dicitur: Ipſa te cogat pietas. Congregauerunt bonos & malos. Hîc permixti ſunt boni cum malis, granum cum palea. Boni ſoli nuſquam ſunt, niſi in cœlo. Mali ſoli nuſquam ſunt, niſi in inferno. Qui hîc malos non tolerat, ipſe ſibi per impatientiam ſuam teſtis eſt, quia bonus non eſt. In tritura areæ, grana ſub paleis premuntur, flores inter ſpinas oriuntur, & roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina, quæ pungit. Sic Caim & Abel, ſic in arca Cham reprobus, & alij duo boni, ſic Loth inter Sodomitas, ſic Iſaac & Iſmaël, Iacob & Eſau, vnus electus & alius reprobus. Bonus non fuit, qui malos tolerare recuſauit. Iob: Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum. Et ad Ezechielem Dominus ait: Fili hominis increduli, & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Et in Apocalypſi dicitur: Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ. Et Apoſtolus ait: In medio nationis prauæ & peruerſæ lucetis, ſicut luminaria in mundo. Teſte autem Gregorio: Ferrum animæ noſtræ nequaquam producitur ad ſubtilitatem acinis, ſi hoc non eraſerit alienæ lima prauitatis, bonus non fuit quem malorum prauitas non probauit. Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Rex nuptias intrat, vt diſcumbentes videat, quando in præſenti, quicquid vnuſquiſque ait, ſubtiliter penſat & diiudicat. Vnde in Ezechiële dicitur: Ecce ego iudico inter pecus pingue & macilentum: quod intelligitur de bona pinguedine charitatis. Hoc autem ad vltimum iudicium poteſt referri. Tunc enim Chriſtus videbit & videri faciet merita ſingulorum. Vnde per Sophoniam ait: Scrutabor Hieruſalem in lucernis, id eſt, aperto ſcrutinio: & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. Pro fæcibus ſiquidem culpæ dabitur eis fæx pœnæ, quæ non terminabitur: ſicut ſcriptum eſt: Fæx eius non eſt exinanita, biberit omnes peccatores terræ. Per hominem autem non veſtitum veſte nuptiali, intelliguntur qui fidem habent, & non charitatem. Multos enim inuenit habentes fidem, id eſt, articulorum fidei, & Sacramentorum profeſsionem, & non opera charitatis, quæ eſt veſtis nuptialis. Hæc ſunt vaſa vacua, ſed ſignata. Hi ſunt Saul inter Prophetas, Adam inter arbores Paradiſi. Non prodeſt autem fides ſine charitate.

*Exitus viarum.*

*Oſee 2.*

*Iſaiæ 59.*

*Ezech. 33.*

Fideles

Fideles quidem in dilectione acquiescent. Vestis autem charitatis inter duo ligna texitur. Quorum vnum est: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Aliud: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. Sicut autem in duobus lignis superiori & inferiori texitur vestis, ita in duobus præceptis charitas habetur in dilectione Dei & proximi. Hæc vestis calefacit, tegit & ornat, vt defendat à frigore, à turpitudine, à nuditate, & à pudore peccati. Si quis autem ad carnales nuptias inuitatus veniret inter gaudentes, & festa celebrantes despectis vestibus, apparere erubesceret: nos ad Dei nuptias venimus & sordidam cordis vestem mutare dissimulamus. Teste autem Augustino, vt ad illud ineffabile gaudium venire possimus, quantum possumus bonis operibus intendere studeamus, quotidie conscientias nostras intus aspicientes, si quid in stola animæ nostræ, aut per negligentiam dissutum, aut per luxuriam sordidum, aut per iracundiam combustum, aut per inuidiam conscissum, aut per auaritiam esse tenebrosum cognoscimus. Festinemus igitur cum Dei adiutorio vulnerata curare, reparare perdita, & ad candorem iustitiæ, ea quæ obscurata fuerunt, reuocare. Sequitur: Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Amice per fidem & Sacramentorum professionem. Et quia naturam non odit, qua audacia & temeraria præsumptione huc intrasti, non habens vestem nuptialem, charitatem, scilicet, noui hominis, sed culpam veteris. At ille obmutuit, quia non est ibi locus negandi, excusandi, vel aduocandi, nihil ibi proderunt Aristoteli argutiæ suæ, ibi Plato cum gymnasiis suis obmutescet & palpitabit. Tunc enim obstruentur ora loquentium iniqua. Omnia enim peccata notoria erunt, nec vlla tergiuersatione negari poterunt. Impij enim in tenebris conticescent. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Non habebunt allocutionem in die agnitionis, id est, in die iudicij, non inuenient quid Domino respondeant. Si autem ad præsentem statum prædicta verba referantur, dicendum est quod obmutuit, quia confiteri noluit. Quàm miseri qui peccata differunt confiteri. Qui enim veniam pœnitenti promittit, diem crastinum non spopondit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Ligantur pœna, qui à bonis operibus ligati fuerunt culpa. Qui autem hîc à malo ligari noluerunt, ligari in pœna meruerunt. Manus ligantur quæ hîc fuerunt plenæ sanguine, per malam operationem: pedes ligantur qui veloces fuerunt ad malum, & pigri à gressibus bonorum operum. Singulis enim pœnis singula membra subiicientur, quæ hîc singulis vitiis seruierunt. Pedes insuper & manus ligantur, dum potestas benè operandi aufertur. Mittuntur autem in tenebras exteriores, qui hîc excæcati peccatis tenebras habuerunt interiores. Qui igitur extra lucem spiritualem permanserunt, extra lucem visibilem missi sunt. Ignis siquidem infernalis ardet ad pœnam, sed non lucet ad consolationem, imò ad confusionem, vt tormenta sua videant, & dæmonum figuras horribiles. Vnde Isaias: Ambulate in lumine ignis vestri & in flammis, quas succendistis. Et Isidorus: Sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburendum ligamina vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmentum pœnarum, vt videant vnde doleant, & non lucebit ad consolationem, vt videant vnde gaudeant. Ibi erit fletus oculorum, qui vagi fuerunt in vanitate: & stridor dentium, qui gauisi sunt edacitate. Ibi erit fletus oculorum præ nimio ardore, & stridor dentium præ nimio frigore. Fletus ex fumo ignis exterius affligente. Teste enim Isa: Erit populus quasi esca ignis. Stridor dentium ex frigore interius cruciante. Sequitur valde terribilis sententia: Multi enim sunt vocati, pauci electi. Multi vocati per prædicationem, pauci electi per vitæ sanctitatem. Si dixisset Dominus: Multi electi & pauci damnati, deberet quilibet timere, ne fortè vnus esset de illa paucitate. Si mille in vnum congregati essent, & certi essent quòd vnus solus fulminaretur, nónne audito tonitruo omnes trepidarent? Quantò magis timere deberent si certi essent quòd multi fulminarentur, & pauci euaderent. Teste autem Augustino: Sicut pereunte mundo pauci salui facti sunt per aquas diluuij: ita ad comparationem pereuntium paruus est numerus electorum. In areæ tritura pauca sunt grana, quæ horreo reseruantur, sed grandes acerui palearum, quæ igne comburuntur. Multorum est incipere, paucorum perseuerare. Arca ampla in inferioribus, & stricta in superioribus fuit. Ex omnibus qui de Ægypto venerunt duo tantum in terram promissionis intrauerunt. Vnde Isaias: Et erit congregatio in messe, quod restitit, id est, quod euasit de manu diabolici messoris, & brachium eius spicas legens, id est, pauperes & relictos. Et per Michæam Dominus ait: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum.

*De veste charitatis.*

*Ad vocē Regis cuncti surgunt qui sine veste nuptiali intrauit.*

*De ligatione manuum & pedum.*

*De igne infernali.*

*De fletu oculorum, & stridore dentium.*

*Isa. 9.*

*De multitudine vocatorum & paucitate electorum.*

*Mich. 7.*

Magnos siquidem racemos vindemiat diabolus, & paucos & modicos, qui remanent post vindemiam diaboli, colligit Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum.

## DOMINICA VIGESIMAPRIMA, THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE, EX HESTER 13.

*In voluntate tua Domine vniuersa sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati: tu enim fecisti omnia, cælum & terram, & vniuersa quæ cæli ambitu continentur, Dominus vniuersorum tu es.**

*In trãslatione nostra sic habetur: In ditiõe enim tua cũcta sunt posita: & nõ est qui possit resistere tuæ voluntati, si decreueris saluare nos, cõtinuò liberabimur: Et in fine subiungitur: Non est qui resistat maiestati tuæ. Isa. 46.*



CONSILIVM meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Verba sunt Isaiæ, ostendentis efficaciam & virtutem diuinæ voluntatis. Omnia enim quæcunque voluit, fecit: sicut Domino placuit, ita factum est. Siquidem apud Deum nec verbum disidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo, quia virtus est: nec modus à facto, quia sapientia est. Dixit, & facta sunt, & quomodo mandauit & voluit, ita fecit. Sicut autem quicquid vult, facit in hoc seculo, in voluntate eius posita, & placent ei. Solum peccatum quod nihil est, illi displicet: & ideo si diuinæ volumus voluntati concordare, omnia quæ fiunt in hoc seculo, debent nobis placere, & in omnibus debemus gratias agere. Prædicta autem verba de voluntate beneplaciti, quæ Deus est, intelligenda sunt. De voluntate siquidem, id est, de signo voluntatis eius scriptum est, quod omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non tamen omnes salui fiunt. Vult enim non simpliciter vel absolutè, neque voluntate prædestinationis suæ, sed vult quantum est in eius bonitate, id est, vellet nisi peccator impedimentum præstaret. Nihil autem contra iustitiam suam simpliciter potest velle, neque ad cœlestes margaritas porcos recipere. Præceptis igitur eius, & prohibitionibus, consiliis, & exhortationibus, quæ sunt signa diuinæ voluntatis, contradicere & resistere ex eius permissione possunt peccatores, sicut in Euangelio dicitur: Quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluistis. De voluntate igitur simplici & absoluta, quæ est ipse Deus, subditur: Non est qui possit resistere voluntati tuæ. Propterea in Canticis, manus eius dicuntur tornatiles, quia more torni sunt expeditæ. Nihil enim ad operandum eis resistit. In cœlo siquidem & in terra quæcunque voluit, fecit. Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. A fine quidem cœli vsque ad finem inferni, per medium mundi de cœlo eiiciendo superbum, in mundo refrænando malignum, in inferno spoliando auarum. Disponit suauiter, in cœlo Angelos confirmando, in mundo peccatores redimendo, in inferno redemptos liberando. Attingit insuper à fine primæ creationis vsque ad finem vltimæ resolutionis, creando, recreando & reparando. Creando de primordiali materia, recreando à culpa, reparando à miseria. Cùm igitur voluntati eius nemo resistere possit, sicut scriptum est in Prouerbiis: Non est sapientia, non est prudentia contra Dominum. In ipso solo debemus sperare, & ei firmiter adhærere. Vnde Augustinus ait: Domine, si vis quod recedam à te, da mihi alium te, alioquin non recedam à te, sed reuertar in te. Et Ieremias: Maledictus homo qui confidit in homine, & erit quasi miricæ in deserto, quæ sunt steriles, & sine fructu, non in altum crescentes, sed iuxta terram serpentes. Et subiungit: Benedictus verò qui confidit in Domino, & erit tanquam lignum quod transplantatum est super aquas, quod ad humorem mittit radices suas. De terra quidem culpæ transplantamur in terram gratiæ. Omnes enim nascimur filij iræ. Transplantamur etiam de bono in melius, & tandem de bono gratiæ in bonum gloriæ. Mittunt autem sancti cordis radices, dum in eis multiplicantur virtutes: quod fit in Baptismo, vel ad humorem diuinæ gratiæ. In ipso igitur debemus sperare, sine quo nihil possumus facere. Vnde dictum est Ioseph: In tota terra Ægypti non mouebit quisquam manum aut pedem sine imperio tuo. Et in libro Iudicum dicit Barac ad Delboram: Si venis mecum ad prælium, ibo: si nolueris pergere, non pergam. Delbora interpretatur apis. Sine api diuinæ gratiæ pugnam aggredi non valemus. Propterea Mardochæus ab iniquo Aman valde oppressus, & morti adiudicatus ad diuinam gratiam recurrens, & supernum auxilium implorans, in hodierno officio ait: In voluntate tua Domine, vniuersa sunt posita, & cætera quæ sequuntur. Et nos exemplo ipsius, quem Dominus liberauit, quotiens tentat nos diabolus, ad orationem confugere debemus. Ferro siquidem orationis, dum constanter supplicamus & in oratione perseueramus, percutienda est petra, id est, Christus, ita quod scintilla ignis spiritus sancti eliciatur, quem in esca, id est, in corde, à carnalibus humoribus desiccato, recipere debemus, & postmodum ignem augmentare. Ligna bonorũ operum apponendo, & festinare debemus, non in crastinũ expectare, ne fortè ignis extinguatur. In prædicta autem oratione captat Mardocheus diuinã beneuolentiam à potentia, sapiẽtia, benignitate: In voluntate tua vniuersa sunt posita, & non est qui possit resistere tuæ voluntati. Ecce potentia. Tu fecisti cœlum, & omnia quæ cœli ambitu continentur. Ecce sapientia summi artificis, qua fabricatus est auroram & Solem, mundum & ornamentum eius. Dominus vniuersorũ tu es. Ecce benignitas omnia gubernantis, qui tanquam paterfamiliãs in domo cuncta regit in mundo. Ipse quidẽ appendit tribus digitis molem terræ. Hi sunt potentia, sapientia & misericordia seu benignitas. Potenter enim pœnas sustinuit,

*In illo solo sperandum est cuius voluntati nemo resistit. Augustin. Prouerb. 21. Ierem. 17.*

*Iudic. 4.*

*In tribulatione recurrendũ est ad Deum.*

*De oratione Mardochæi.*

nuit, sapienter enim diabolum vicit, misericorditer hominem liberauit, qui tamen sola voluntate potuit liberare: quia in eius voluntate vniuersa sunt posita. Attendere igitur debemus omnipotentem vt timeamus: sapientem vt reuereamur: & coram illo, qui omnia nouit, peccare erubescamus. Scriptum est enim: Qui finxit oculum, non considerat? Benignum vt diligamus. Potentia siquidem reddit eum metuendum, sapientia reuerendum, benignitas diligendum. Timor hostiarius est cordis expellens malum, sicut in Ecclesiastico scriptum est: Timor Domini expellit peccatum. Reuerentia & verecundia reddunt honestum. Dilectio monet & incitat ad benè operandum. Per timorem autem debemus descendere in Babylonem, vt ibi curemur, considerando, scilicet, inferni confusionem, & Dei potentiam, cuius manus euadere non valemus. Achas noluit sibi petere signum in profundum inferni, neque in excelsum supra. Hi sunt reprobi, qui non curant cogitare de pœnis inferni, vel de gaudio Paradisi, nec metuunt eum qui habet potestatē corpus & animam mittere in gehennam, cuius potentiā nemo potest declinare. Vnde per Amos Dominus ait: Si descenderint vsq; ad infernum, inde manus mea educet illos: & si ascēderint vsq; in cœlum, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo serpenti & mordebit eos. Descendentes igitur in profundum inferni, id est, ad ima vitiorum, & ascendentes vsq; ad cœlum per elationē, & abscondentes se in vertice Carmeli, id est, in sublimitate abundantię temporalis, Dominus ad pœnam educet. Similiter eos qui in mari, id est, in corde amaro peccata sua celant, mordet serpens antiquus. Ostendit autem Christus potētiam suam, vt eam attenderemus, qui solus supra mare siccis pedibus ambulauit, qui in mundo existens, pedes non intinxit, quia nec modicum veniale cōmisit. Ipse solus fluctus maris sedare potuit, quia venti & mare obediunt ei. Vnde Augustin. ait: Venit Deus ambulās supra mare, surgebat, fluctus & calcabātur, fremēs pelagus sub Domini vestigiis murmurabat, sed tamen nolens, volensq; portabat eum. Quantumlibet tumores seculi, potestatesq; cōsurgant, premit eorum caput nostrū caput, id est, Christus. Vnde per Amos Dominus ait: Conteram vectes Damasci, id est, rigidos & potentes huius seculi, & disperdam habitatores de campo idoli, id est, de lata via auaritiæ, quæ est idolorum seruitus, & tenentem sceptrum de domo voluptatis, id est, luxuriæ. Sceptrum autem luxurioſi tenere dicuntur, dum alij ab ipsis tanquam ducibus malo exemplo corrumpuntur, licèt autem fortem armatum fortior superueniens alligauerit, ipse tamen vincula eius quandoq; laxat & ad probationem electorum suorum, vel ad ruinam impiorū aliquando apertè sæuire, aliquando occultè insidiari permittit. Vnde Osee ait: Ingressus est fur spolians, latrunculus foris. Fur surripit, latro violenter rapit. Diabolus enim non solùm est leo apertè inuadens, sed & draco occultè inficiens. Vnde in Genesi dicitur: Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita. Coluber est blandiendo seducens illos, qui in via sunt præceptorum. Cerastes autem est serpens cornutus à semita perfectionis & consiliorum violenter auertens. Tandem verò Dominus gladium suum euaginabit in eum, quando, secundum quod ait Isaias, Percutiet terram virga oris sui, id est, doctrina Euāgelica per Eliam & Enoch & vltimos prædicatores, terrenos, & terrena opera destruet, & spiritu oris sui, id est, potentia sui præcepti, interficiet impium Antichristum, & impiū diabolum cum suis complicibus, qui ei adhærēt. Tunc enim vultur descendens ad iudicandum, gladio oris sui deuorabit carnales. Sicut scriptum est: Gladius meus deuorabit carnes. Teste autem Zacharia: Exibit vt fulgur iaculū eius, & Dominus in tuba canet. hoc erit in iudicio. Iaculum eius appellat sententiam iudicantis. Ex consideratione igitur diuinę potentiæ valde timere debemus, dum lapsum Luciferi, & reproborum attendimus. Vnde Isaias: Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris: corruisti in terram, qui vulnerabas Gentes, vsq; ad infernum detraheris. Ecce triplex diaboli casus, per superbiam ex cœlo, per Christi mortem in mundo, per iustitiam in inferno. De hoc autem diuino timore Bernardus ait: Tu qui desideras aduentum Saluatoris, timeas scrutinium Iudicis, qui dicit per Prophetam: Scrutabor Hierusalem in lucernis. Nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur corda & renes Deus. Ipsa hominis cogitatio confitebitur ei. Et quid tutum in Babylonia si Hierusalem manet in scrutinio? Debemus autem non solùm diuinam potentiam, sed insuper attendere summi artificis sapientiam, de qua subditur: Tu fecisti cœlum & terram, & quæcunque cœli ambitu continentur. Ad literam patet quod Dominus cœlum & terram creauit. Spiritualiter autem cœlum multipliciter dicitur: vno modo dicitur cœlum sublimitas cœlestium virtutum. Vnde Iob: Suscipe cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te sit. In cœlo æthere supernas potestates accipe, quasi dicat: Vide quantum à diuina celsitudine separeris, qui respectu Angelorū in infimis cōmoratis. Et iterū in Iob dicitur: Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos. Qui solidissimi, quasi ære fusi sunt, id est, æterna stabilitate fundati. Cœlum dicitur Ecclesia. Vnde in Apocalypsi dicitur, quod draco cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cœli. Per caudam finis mundi, in quo tempore Antichristi diabolus de stellis cœli, id est, de viris iustis Ecclesiæ multos deiiciet. Cœlum dicitur anima iusti. Vnde Dominus per Isaiam ait: Cœlum mihi sedes est. Anima iusti sedes est sapientiæ. Cœlum dicitur cœleste iudicium. Vnde in Iob: Nunquid nosti orationem cœli, & pones rationem eius in terra? id est, nunquid occultos ordines iudiciorum cœlestium comprehendis? Aut humanis aperire sensibus

*Timere debemus dē omnipotentiam attendamus.*

*Amos 9.*

*Augustinus.*

*Zacha. 9.*

*Attendere debemus diuinā sapientiam.*

*Bernardus.*

*De multiplici cælo.*

sufficis? Cœlum dicitur sacra scriptura, de qua nobis Sol sapientiæ, & Luna scientiæ, & Stellæ, id est, exempla sanctorum Patrum. De hoc cœlo scriptum est: Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. Cœlum ergo extenditur coram nobis, & tamen eius superiora teguntur aquis. Quia quædã sacri eloquij iam per apertionem spiritualis intelligentiæ patent, & quædam quæ Angelis solis manifestantur, nobis occultantur. Cœlum dicuntur Patriarchæ. Vnde in Iob: Et gelu de cœlo quis genuit? Gelu Iudas & Caiphas & cæteri impij, qui de semine Abrahæ sunt orti. Cœlum dicuntur præpositi & maiores. Vnde in Iob: Ignis descendit de cœlo, & cunctas oues, puerosque consumsit. Ignis inuidia, cœlum Pharisæi & Sacerdotes, oues & pueri innocentes & infirmi. A præpositorum siquidem cordibus feruor inuidiæ in subditos corruit & descendit. Cœlum dicuntur sancti Apostoli. Vnde in Iob: Spiritus eius ornauit cœlos, quando, scilicet, spiritus sanctus Apostolos repleuit. Cœlum dicitur Christus, sicut scriptum est: De cœlo, id est, de Christo siue per Christum, respexit Dominus super filios hominum. Et iterum: Cœlum cœli Domino, id est, Christus ad honorem fuit Domino cœli. Cœlum dicitur Pater. Vnde de Christo dicitur: A summo cœli egressio eius, id est, à patre egressus est in mundum. Cœlum dicitur æqualitas Patris, siue celsitudo Dei. Vnde Lucifer ait: Ascendam in cœlum, & ero similis altissimo: quasi dicat: Ascendam ad æqualitatem Dei. Cœlum dicitur quilibet sanctus, cuius conuersatio in cœlis est. Vnde Psalmus: Domine, inclina cœlos tuos, & descende. Cœlos, id est, homines sanctos, inclinauit per compassionem, vt orarent pro salute humani generis, quorum precibus & desiderio Christus acquiescés, descendit per incarnationem. Dicuntur autem sancti cœlum, quasi casa elyos, id est, domus veri Solis, & quia celati sunt virtutibus atque intra se celant secreta Dei. Hos omnes cœlos sapientia sua creauit Deus. Tu fecisti cœlum & terram. Ad literam patet quod non solùm cœlestia, sed & omnia terrena creauit Dominus: sicut scriptum est: In initio tu Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Spiritualiter autem terra multipliciter dicitur:

*De multiplici terra.*

Terra dicitur patria cœlestis. Vnde in Iob: Non habitabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terram radicem suam. Non inhabitabitur à Deo, quia vacuus est virtutibus, nec perseuerabit substantia eius, quia quærit transitoria non æterna: nec mittit in terra radicem suam, quia cogitationem suam non plantat ad desiderium æternorum. Terra dicitur sancta Ecclesia. Vnde in Iob: Quando fundabatur puluis in terra, & glebæ compingebantur. In terra, id est, in Ecclesia, glebæ compinguntur, quando peccatores spiritus sancti gratia infusi in collectione charitatis vniuntur. Terra dicitur Synagoga. Vnde in Iob: Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subuersa est, id est, Synagoga, quæ mandata Dei tanquam panem per legem protulit Ecclesiam nascentem persequens, igne inuidiæ se consumpsit. Terra dicitur Gentilitas: vnde in Iob: Quis dedit vehemẽtissimo imbri cursum, & sonantis tonitrui viam, vt plueret super terrã, id est, quis cõtulit, vt corda Gentilium, quæ per terram signantur, arena virescerẽt, clausa patefierẽt, inania cõplerentur, infœcunda germinarẽt? Terra dicitur anima iusti: vnde in Iob: Vbi eras quando ponebã fundamenta terræ? Sicut animus iniqui puluis dicitur, quem proiicit ventus à facie terræ propter sterilitatẽ & inconstantiam: ita anima iusti terra dicitur propter stabilitatem & fructificationem. Huius terræ fundamentũ est fides: vt igitur humilieris, attende vbi eras, in quanta, scilicet, miseria, quando vocatus es & iustificatus per fidem. Terra dicitur anima peccatrix. Vnde ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? id est, in animã peccatricem spiritum sanctũ: & quid volo, nisi vt accensa in amore Dei accuset se, & dolore pœnitẽtiæ concremetur? Terra dicitur plebs subiecta. Vnde Iob: Si aduersus me terra mea clamat? Omnis qui iura regiminis in cõmissis habet, quid aliud quàm terram excolendam tenet? Quandoq; autẽ qui præest, aliqua facit quibus nocet subiectis, quibus prodesse debuerat, cõtra quem & terra clamat & sulci deflent, quod cõtra eius iniustitiã rudes murmurãt. Sed perfecti quiq; tanq; sulci benè exculti vomere pro paruo eius opere fletibus se affligunt. Terra dicitur caro Christi. Vnde in Iob: Terra data est in manus impij, id est, caro Christi, ministris diaboli. Qui enim mentẽ Christi triplici tentatione moueri nõ potuit, per Iudã & ministros Pharisæorũ, manus ad terrã, id est, ad Christi carnẽ extendit. Terra dicitur corpus humanũ, de quo scriptũ est: Terra es, & in terrã reuerteris. Dominus enim fecit cœlũ & terrã, id est corpus & animam, & in vnum coniunxit. Vnde Iob: Qui fecit ventis pondus, id est, corpora ponderosa dedit animabus, vt, scilicet, corporis ponderositate grauatus, spiritus non euanesceret, vt virtus rationalis hominem sursum traheret, ne omninò in terra torpesceret. Terra dicitur peccator sapiens terrena. Vnde serpenti dictum est: Terram comedes. Terrena enim amantes diabolus deuorat, & sibi incorporat. Terra dicitur beata Virgo, de qua scriptum est: Terra dedit fructum suum. Terra alta non dat fructum, sed reddit, quia semen suscipit. Terra dicitur sensualitas, de qua scriptum est: Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. Huic maledicto componitur benedictio noui Adæ, cuius terra fossa dedit fructus optimos: terra verò Adæ spinas & tribulos. Ex sensualitate siquidem vitiorum procedunt punctiones & cogitationes inutiles. Omnes autem prædictas terras fecit Dominus, & omnia quæ cœli ambitu continentur, ornatum, scilicet, cœli & terræ, maris & aëris. Cœlum empyreum ornauit Angelis. Fecit insuper lucem, quam diuisit à tenebris. Spiritualiter autem facta luce gratiæ, diuisit bonos à malis. Fecit enim Dominus aliud cœlum, quod

*De ornatu cœli & terræ, et aliorum elementorum.*

dicitur

dicitur firmamentum, cuius ornatus duo luminaria magna, Sol, scilicet, & Luna, quorum vnum præest diei, aliud nocti. Stellis insuper memoratum cœlum ornauit. Spiritualiter autem firmamentum dicitur mens in bono confirmata. vnde aquas super se & infra dicitur habere. Aquæ siquidem superiores fluenta sunt gratiæ. Aquæ inferiores sunt carnales concupiscentiæ, quas vir iustus sub se debet habere & cohibere. Pari modo iuxta spiritualem intellectum Sol & Luna dicuntur nouum & vetus testamentum, per quæ dies à nocte, id est, bonum à malo diuiditur & discernitur. Per diuinam enim scripturam inter sanctum & prophanum, mundum & immundum docemur habere distantiam. Vel per Solem maiores Prælati, per Lunam minores intelliguntur. Per Solem insuper Christus, per Lunam Ecclesia designatur. Per Solem contemplatiui, per Lunam actiui. Luna non est sine macula, & actiui maculam pulueris contrahunt, qui pedibus eorũ adhærent. Luna quantò magis accedit ad Solem, tantò minus ipsius claritas apparet: ita sancti quantò magis conferuntur Christo, tantò minores apparent. Quantò autem Luna maior est, tantò magis recedit à Sole. Ita homo quantò maior sibi videtur, tantò magis à Christo recedit. Stellæ autem in firmamento sunt sancti lucentes bono exemplo. Ornatus cœli, herba virens & lignum fructificans, iumenta & reptilia, atque bestiæ terræ. Vnde in Genesi dicitur: Protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum. Spiritualiter autem Ecclesia, quæ & loquendo nos pascit, & opitulando nos protegit, non solùm herbam refectionis, sed & cum fructu nobis exhibet arborem protectionis. Per herbam etiam humiles in Ecclesia designantur, per ligna sancti Doctores radicati fide, erecti spe, dilatati charitate, redolentes floribus virtutum, habentes folia doctrinæ, & fructus operum. Quod autem dictum est de iumentis, reptilibus, & bestiis, potest in malo accipi, vt per iumenta, luxuriosi: per reptilia, cupidi: per bestias verò crudeles & superbi intelligantur. Vel in bono, vt per iumentum actiui, qui superna onera portant: per bestias, quæ in solitudinem habitant, contemplatiui. Per reptilia autem quæ aut ore se trahunt, aut vi costarum se rapiunt, aut pedibus repunt, quilibet fideles intelliguntur: qui aut ore, id est, oratione: aut corpore, id est, ieiunio: aut manibus, id est, eleëmosyna, ad Dominum repere & seipsos trahere conantur. Ornatus aquarum sunt pisces, de quibus in Genesi dicitur: Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas. Spiritualiter per cete tyranni, qui deuorant minores. Dicitur autem quod ludus ceti signum est futuræ tempestatis. Qui enim hîc rident, & in vanitate gaudent, in futuro plorabunt. Non solùm autem ex aquis orti sunt pisces, sed & volucres. Vnde in Genesi dicitur, quod creauit Dominus ex aquis omne volatile iuxta genus suum. Et ita ornatus aëris creatus est ex aquis, non absque mysterio. Per aquas enim massa generis humani intelligitur, ex qua volucres, id est, sancti homines, quorum conuersatio est in cœlis. Alij autem curiosi & terrena quærentes, sub aquis temporalium demerguntur. Si autem ex aquis extrahantur, more piscium, statim moriuntur. Non enim carere possunt diuitiis & carnalibus voluptatibus. Per aquas etiam Sacramentum baptismi potest intelligi. Quidam autem ex baptisatis sancta conuersatione sursum eleuantur. Reprobi autem licèt baptisati, secularibus negotiis & terrenis desideriis in infimis remanentes implicantur. Possunt tamen tam volucres, quàm pisces in bono accipi, & maximè cùm Dominus dixerit eis: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris. Crescite in virtutibus, & multiplicamini in bonis operibus, & replete aquas maris, vt conuersatio vestra in amaritudine sit: quia per amaram potionem peruenitur ad sanitatem & salutem æternam. Per pisces igitur actiui, per volucres intelliguntur contemplatiui. Quædam autem aues ita sunt in aëre, quod non reuertuntur ad aquas: hi puri contemplatiui. Quædam in aquis commorantur: hi sunt puri actiui. Quidam aliquando in aquis, aliquando in aëre: hi quidem à contemplatiua ad actiuam redeunt, & econtrariò. Vnde Apostolus: Siue excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. Sic igitur perfecit Dominus cœlum & terram, & omnem ornatum eorum. Sequitur de bonitate præsidentis. Dominus vniuersorũ tu es. Omnia, scilicet, regendo, & in esse conseruando, perdita restaurando, & deformata reformando. Conseruat in esse per opera propagando, perdita restaurat redimendo, deformata reformat iustificando. In iustificatione autem impij non solùm eius bonitas, sed & fortitudo apparet, sicut scriptum est: Qui educit vinctos in fortitudine. Dauid enim noster manu fortis quinque lapidibus Goliam superauit. Quinque enim lapides in pera carnis Christi, quinque fuerunt vulnera Christi, quibus contra diabolum pugnauit. Vno principaliter victus est, quia de vulnere lateris exiuit sanguis redemptionis & aqua ablutionis. Sicut enim saliua humana venenum est serpentis, ita saliua patris, id est, sapientia quæ est filius interfectus, est serpens antiquus. De hac autem Christi bonitate & peccatorum iustificatione, ait Abacuc: Constituit Dominus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes & conualles replere in æquitate, vt ambulet diligenter Israël in honorem Dei. Per montes superbia, per rupes auaritia, per conualles ad quas aquæ & sordes confluunt, luxuria. Hæc destruxit Dominus, vt ad honorem vitæ æternæ peruenire mereamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia seculorum secula, Amen.

*De diuina bonitate.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD EPHESIOS.

Ephes.6. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei: vt posſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.*

De prælio cõtra diabolũ. Abd.1. SVRGITE, & conſurgamus aduerſus Edom in prælium. Ecce paruulum dedi te in Gentibus: cõtemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum. Verba ſunt Domini in Abdia Propheta incitantis nos ad prælium contra diabolum. Surge de lecto puſillanimitatis & pigritiæ, & conſurgamus, ego, ſcilicet, & vos, quia ſine me nihil poteſtis facere. Ego autem paratus ſum pro vobis & vobiſcum pugnare. Edom autem rubeus vel ſanguineus interpretatur, & ſignificat diabolum ſanguine peccatorũ infectum, ardore malitiæ rubeum & ignitum, licèt autem factus ſit vt nullũ timeret, nec ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, ſicut dicitur in Iob: Fortior ſuperueniens reddidit eum contemptibilem & paruulum, & virtute paſſionis ſuæ ei vires priores abſtulit humiliando, quaſi vulneratum ſuperbum. Et idcirco ſi Deus pro nobis conſurgit ad pugnandum, non debemus retinere eum. Scriptum eſt enim: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Omnia ſiquidem poſſumus cum ipſo, qui omnia poteſt. Licèt autem paruulus & contemptibilis factus ſit, quia nihil poteſt niſi permiſſus: ſuperbia tamen cordis ſui ipſum reddit elatum habitantem in ſciſſuris petrarum, id eſt, in mentibus ruinoſis, duris, obſtinatis & aſperis, & in ſuis munitionibus confidit. Cùm igitur Capitaneum habeamus potentiſsimum & voluntariũ, qui etiam promittit ſe ſurgere nobiſcum ad pugnandum, confortari debemus in ipſo, & in potentia virtutis eius. Ipſe enim feudo animarum noſtrarum non vult exhæreditari, nec placet ei quod occupetur ab inimicis. Tecum eſt enim, ô Chriſtiane, qui tecum optat vincere, tecum eſt Chriſtus, qui te remunerare deſiderat: plures ſunt tecum quàm cum aduerſatiis. Valde igitur miſer eſt, qui caſtrum ſibi commiſſum inimicis tradit, & à Deo non vult expectare celerem ſuccurſum: ſicut ſcriptum eſt: Super excelſa deducet me victor in Pſalmis canentem. Ipſe enim vincit in nobis: vnde non dicit: Deducet me victorem, ſed deducet me victor in Pſalmis canentem, id eſt, hilariter operantem. Ipſe igitur & non nobis debemus victoriam attribuere. Vnde in Apocalypſi: Seniores procidebant, & mittebant coronas ſuas ante thronum, id eſt, victorias certaminis Chriſto, & non ſibi attribuebant. Vnde & Dauid pugnaturus contra Goliam, abiecit arma Saul: & nos in potentia & dignitate ſeculari non debemus confidere, ſed exemplo Dauid cum baculo crucis & limpidiſsimis lapidibus, id eſt, ſacræ ſcripturæ authoritatibus debemus pugnare cõtra infernalem Cerberum, hic eſt diabolus. Interpretatur enim Cerberus vorans carnes, id eſt, carnales peccatores, & habet tria capita, ſuperbiam, ſcilicet, auaritiam & luxuriam. Non igitur in nobis, ſed in potentia virtutis Dei confortari & confidere debemus. Qui enim dat tentatori licentiam, ipſe tentato dat miſericordiam. Iudas Machabæus, qui priùs in ſolo Deo confidebat, poſtmodum amicitias iniit cum Romanis, & quia cœpit confidere in potentia ſeculari, in proximo bello mortuus eſt, Dei auxilio deſtitutus. Teſte autem Iſaia: Omnes Gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, id eſt, in comparatione eius, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. Et iterum ait: Ecce, Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Stilla cadens in terra, citò areſcit, & non apparet: ſic homo quando moritur, citò incineratur & obliuioni traditur. Statera facilè in vtramlibet partem inclinatur, & homo facilè ad diuerſa mouetur de ſanitate ad ægritudinem, de diuitiis ad pauperratem. Inconſtans enim eſt, & mobilis valde eſt natura corruptionis noſtræ, maximè poſtquam dictum eſt parentibus: Eritis ſicut Dij. A voce loquelæ grandis exarſit ignis, vt concupiſcerent eſſe ſicut Dij, ſcientes bonum & malum, & nos ſumus quaſi cinis relictus ab illo incendio. Qualiter autem in Domino cõfortari debemus, oſtendit Apoſtolus, dicens: Induite vos armaturam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quaſi dicat: Confortamini contra bellũ diaboli in auxilio Domini, & in potentia virtutis eius: quia ipſe dat potenter virtutem pugnare volentibus. Induite vos armaturam Dei, id eſt, virtutes, vt poſsitis ſtare firmi aduerſus inſidias diaboli, qui ex occulto mala molitur. De hac autem armatura alibi dicit Apoſtolus: Induamus arma lucis, id eſt, virtutes, quæ nos muniunt vt arma, ornant vt veſtimenta, illuminant velut luminaria, tegunt ne appareat turpitudo vitiorum. Vnde in Apocalypſi: Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & appareat turpitudo eius. Qualiter autem & quibus armis armari debeamus, docet nos Apoſtolus Petrus, dicés: Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. Cogitare enim & recolere Chriſti paſsionem debemus, & armis illis, quibus diabolum ſuperauit armari. Habeat igitur miles Chriſti pro galea ſpineam Chriſti coronam, clauos pro gladio, arundinem pro lancea, crucem pro ſcuto, lanceam lateris pro iaculo. Omnia autem arma ſua minio ſanguinis Chriſti depingat. Eleuet machinas ſanctarum cogitationum, emittat ſagittas ſuſpiriorum, tranſmittat nuncios orationum, proiiciat lapides bonorum operum. Sit ſella equi eius ex ligno crucis, ſit pectorale equo, vt noxias cogitationes compeſcat: ſit cingula anterior, vt ventris ingluuiem reſtringat: ſit poſterior, vt in renibus lu-

Confortari et confidere debemus in Domino, & ipſi victoriam attribuere.

Apoc.24.

Iſa.40.

Apoc.16.

bus luxuriam refrænet: sit frænum in ore, vt modestè se habeat, & non in præceps currat: sint calcaria diuini timoris, quibus stimuletur ne torpeat. Sic igitur munditiam in mente, temporantiam in ventre, castitatem in carne, modestiam in opere, feruorem in deuotione conseruabit. Paretur igitur secundum consilium Salominis equus in die belli, & Dominus salutem tribuet, & viam faciet in mari equis suis. Sic igitur efficitur homo miles Christi, sicut scriptum est: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimulaui te, id est, dum esses in curribus Pharaonis seruiens diabolo, vocaui te & assimulaui per gratiam, vt aptarem te equitatui, vel assimulaui te equitibus meis, vt pugnantes in curribus, id est, contra currus Pharaonis. Duo autem sunt quæ Christi miles in hoc prælio debet principaliter attendere. Primum est finis pugnæ. Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, si finaliter cadat, nunquam adiiciet vt resurgat, sed in profundo tarcere perpetuo recludetur. Vnde Isaias: Ad profundum laci detraheris pollutus & obuolutus. Pollutus per immunditiam peccati, obuolutus per impotentiam resurgendi. Qui autem vicerit in hac pugna, sicut in Apocalypsi dicitur: non lædetur à morte secunda. Illi autem maximè, qui primam mortem non reputant pro Christo sustinere. Et iterum: Qui vicerit, dabo ei calculum candidum. In calculo seu lapide pretioso intelligitur puritas, lenitas, claritas, & soliditas. Puritas incorruptionis, lenitas trãquillitatis, quia caro nõ concupiscit aduersus spiritum. Claritas, quia fulgebunt iusti, sicut Sol in regno patris eorum. Soliditas immortalitatis, quia vltra dissolui vel lædi non poterunt corpora sanctorum. Secundum quod attendere debet miles Christi est fortitudo & calliditas inimici. Vnde & subditur: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, supplè tantum, id est, non contra homines, qui visibiles & fragiles sunt, vel contra vitia, quæ sunt ex carne & sanguine: sed aduersus principes, id est, dæmones, qui principantur aliis, & potestates, id est, superiores, qui etiam super hos possunt, qui aliis præsunt aduersus mundi rectores tenebrarum harum, mundum, id est, mundi machinam non regunt dæmones, sed mundanos & tenebrosos homines. Vnde dicitur: Princeps mundi huius. De hoc etiam dicitur: Et mundus eum non cognouit. Regere autem dicuntur dilectores mundi, quia vtuntur eis tanquam iumentis suis. Instigant enim & inflammant eos, & tanquam vasa sua mouent, & velut organa tangunt. Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, id est, colluctatio est nobis contra spirituales & nequam hostes, qui non pro parua re pugnant nobiscum, sed in cœlestibus, id est, pro cœlestibus, sed pro cœlesti hęreditate tollẽda, vel qui sunt in cœlestibus, id est, in hoc inferiori aëre, vnde aues cœli dicuntur. Deteriores autem sunt hostes spirituales quàm carnales, & spiritualia vitia quàm carnalia. Vnde in Euangelio dicitur: Assumit septem spiritus nequiores se, id est, spiritualia vitia, quæ carnalibus sunt deteriora. Valdè igitur cauti & timorati debemus esse, quia hostes nostri spirituales sunt, & inuisibiles, & natura sua subtiles, & longo exercitio docti ad impugnandum & decipiendum. Ipsi autem circa nos conuersantur & vident nos, sed nos non videmus eos. Grande quidem periculum est, & grauis lucta contra hostem domesticum, maximè cùm nos aduenæ sumus & ille ciuis. Ille suam inhabitat regionem, nos exules sumus & peregrini. Vnde Abrahæ dictum est: Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua. Qui igitur verè sunt semen Abrahæ, non habent hîc manentem ciuitatem. Dominus autem permittit eos contra nos insurgere. Si enim nullus hostis esset, nulla esset pugna, & ita nulla victoria, vnde nulla sequeretur corona. Teste autem Philosopho: Sine gloria vicit, qui sine periculo pugnauit. Quantò igitur hostis vigilat vt noceat, tantò Christianus vigilet vt vincat. Teste autem Gregorio: Tantò commoda retributionis accrescunt, quantò studium laboris augetur. Multi autem sunt, qui nolunt pœnas sustinere pro Christo, quas sustinent pro mundo, qui nolunt sustinere ad præmium, quæ sustinẽt ad supplicium. Cùm igitur difficilis sit pugna & periculosus conflictus, instruit nos Apostolus quibus armis muniri debeamus, dicens: Propterea accipite armaturam Dei, qua, scilicet, Deus suos armat, vt posstis resistere in die malo, id est, in hac via, quæ laboribus & tentationibus est plena, & in omnibus perfecti stare, id est, in aduersis & prosperis constantes esse, & virtutibus perfecti. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, id est, carnales concupiscentias cingulo castitatis refrænate, & hoc non similatoriè, sed in veritate, vt verè propter Christum luxuriam, quæ in lumbis viget, restringatis. Inanis siquidem gloria est velle vincere, vbi præmium non est. Hoc autem vitium tanquam familiaris hostis vehementius nos infestat. Luxuria siquidem viscosum est peccatum, & vix euadere sinit, quem semel arripuerit. Vnde Osee: Non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum. Teste autẽ Hieronymo: Quocunque pergimus, inimicum nobiscum portamus. Ieppthe post victoriam primò filia occurrit, quia postquam spiritus vitia superauit, iterum caro impugnare spiritum incipit. Quibus autem armis pugnare debemus, ostendit Psalmista: Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, scilicet, contra luxuriam: humiliabam in ieiunio animam meam, contra gastrimargiam. Cauere enim debent Christi athletæ, ne corda eorũ grauentur crapula & ebrietate. Qui enim in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Teste autem Hieronymo: Stadium est vita mortalis. Hîc contendimus vt alibi coronemur: Christus enim Pontifex est bonorum futurorum, dat enim præbendas Paradisi. Ipse enim pater est futuri seculi, non remunerans filios in præsenti seculo, sed in futuro. Debemus igitur hîc abstinere à voluptatibus carnis, vt tandem fruamur

*De militibus & qualiter in prælio debeãt se habere.*

*Isa. 14.*

*Expositio litteræ, de fortitudine inimici.*

*Cautelam habere debemus contra hostes cautos.*

*De cingulo castitatis.*

*Osee 5.*

*Hieronymus.*

*Hieronymus.*

cœlestibus deliciis, vt igitur lũbos nostros cõpetenter succingamus, pẽdeat eleëmosynaria misericordię ad cingulũ cõtinentię. Meritò enim eleëmosynę frequẽter cofertur virtus castitatis, & abstinentię. Post continentiã quæ pertinet ad nos, subiungit Apost. de iustitia ad proximos, dicẽs: Induti lorica iustitię. Quasi dicat: Iustitia sit vobis lorica, vt vnicuiq; quod suum est, reddatis, ne pateat locus aduersariis. Loquitur aũt ad similitudinẽ militũ, qui prius cingulo se astringũt, postmodũ loricã induũt. Sicut autẽ lorica variis anulis cõnectitur, ita iustitia omnes partes virtutũ cõplectitur, & ad Deũ & proximũ, atq; seipsum vir iustus illa vtitur, & cõtra appetitus malos per iustitiã more loricæ vitalia muniũtur. Vnde in lib. Sapiẽtiæ dicitur: Induet pro thorace iustitiã. Lorica igitur iustitiæ vndiq; munimur, dũ vnicuiq; quod suũ est, exhibemus. Habemus sursum Deũ, corpus deorsum, ante maiores, post nos minores, à dexteris amicos, à sinistris inimicos. Iustitia autẽ reddit Deo cultũ, corpori victũ, prioribus obedientiã, minoribus doctrinã, amicis beneuolã familiaritatẽ, inimicis patientiã. Quandoq; autẽ per thoracẽ patiẽtię lõganimitas intelligitur. Vnde in Iob dicitur, Cũ apprehẽderit eũ gladius, subsistere nõ poterit, neq; hasta, neq; thorax, id est, dũ anxiatus diabolũ in se susceperit, ipse diabolus in eo tãtę virtutis apparebit, vt nõ possit ei resistere hasta, id est, iaculũ prædicationis, neq; thorax, id est, lõganimitas patientium, nisi supernum adiutoriũ spiritualiter adsit. Post munimentũ laterum subiungit de munimento pedum, dicẽs: Calciati pedes in præparatione Euãgelij pacis, id est, affectiones vestrę sint minutę virtutibus, & à vitiis purgẽtur, vt, scilicet, sitis parati ad prædicãdum Euangeliũ, & ad præcepta cõplenda Euãgelij pacis, quod, scilicet, inter Deum & hominẽ pacẽ nunciat & reconciliationẽ. Calciamenta enim virtutũ debet habere prædicator, ne pede mẽtis terrã tãgat, id est, vt nõ pro terrenis prædicet. Vnde Apost. sandaliis vsi sunt, vt neq; pes tectus, neq; ad terram nudus, id est, neq; occultetur Euangeliũ, nec terrenis cõmodis innitatur. Sicut scriptũ est in Iere. Seminauerunt triticũ, & messuerũt spinas. Hi sunt qui triticũ verbi Dei seminant prædicando, & spinas temporalium metunt mercedẽ suã recipiendo. In Apocalypsi autẽ dicitur, quod Angeli præparauerunt se, vt canerent tubis. Prædicatores autem antequã prædicent, debent se præparare. Calciamenta etiã dicuntur sanctorum exẽpla, quæ imitare debemus, vt pulchrè incedamus, sicut scriptum est: Quã pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis? Postmodum subiungit de virtute illa, quæ tã loricam, quã alia virtutum arma munit, id est, de fide. Vnde & eam scuto cõparat, quia in clypeo tela, & omnes ictus suscipimus, & ipsum prætendentes arma nostra munimus. In omnibus, inquit, sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere. In omnibus siquidẽ pręliis scuto fidei vti debemus, quã primam impugnat diabolus, & ipsa prima stat in acie. Iuxta illud: *Prima petit cãpum dubia sub sorte duelli*: *Pugnatura fides.* Hanc igitur, vt scutum sumere debemus, in quo possimus extinguere omnia tela ignea nequissimi, id est, assultus, & igneas suggestiones inimici, quæ de vitio in vitiũ incẽdunt incautos, & nõ resistẽtes. Fides siquidẽ in aquis baptismi nascitur, & sub aquis, id est, gratiarũ fluentis nutritur. Vnde habẽt vim extinguẽdi ignẽ maligni. Firma autem & nõ ficta fides est incorruptibilis, & impugnationibus nõ cedit. Vnde Seneca: Fides sanctissimũ humani pectoris bonum, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Qui autẽ verã fidem de Domino habet, non cupit in miseriis huius seculi fieri diues, nec pluris est illi mundus quã Deus. Hæc est enim victoria, quæ vicit mundum, fides nostra. Non solum autẽ ignea tela diaboli extinguit, sed acuta retundit. Vnde ad Hebrẽos Apostolus de fide Moysi dicit: Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias existimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Ecce qualiter gloria & potentia seculi, & abundãtia diuitiarum, quæ sunt tela diaboli, vsq; ad cor hominis penetratiua scuto fidei Moysi sunt retusa. Et quoniã fides sine operibus mortua est, necesse est quod scutũ fidei sit triangulũ, vt habeat vnũ angulũ eleëmosynã cõtra auaritiã, alium ieiuniũ contra gulã, tertiũ orationẽ cõtra superbiã. Est autẽ triplex scutũ nostræ munitionis & defensionis cõtra diabolũ. Primũ est scutum fidei per dilectionem operãtis. Secundum humanitas, de quo Isa. ait: Erit tabernaculũ in vmbraculũ diei in securitatẽ & absconsionẽ à turbine & à pluuia. Hoc tabernaculum est humanitas Christi, in qua cõtra diabolũ militauit, quod est vmbraculũ cõtra æstũ tẽporalis fęlicitatis, & est nobis in securitatẽ, sicut scriptũ est: Dominus mihi adiutor, nõ timebo quid faciat mihi homo. Et in absconsione, sicut scriptũ est: Protegar in velamẽto alarũ tuarũ à turbine iudicij & à pluuia, de qua scriptũ est: Pluet super peccatores laqueos ignis, sulphur & spiritus procellarũ, pars calicis eorũ. Tertiũ scutũ est gratia Dei, & bona eius volũtas atq; eius protectio, de qua scriptũ est: Domine, vt scuto bonę volũtatis tuę coronasti nos, quasi dicat: Quos protegẽs adiuuas, remuneratos coronas. Hic est clypeus fortiũ. In hoc enim sancti totã fortitudinẽ suã constituunt. Sufficit enim illis Dei gratia. De hoc clypeo dicitur in libro Regum: quod clypeus fortium in montibus Gelboë abiectus est, clypeus, scilicet, Saul, id est, Christi. Nam Saul postulatus interpretatur, & Christus desiderio sanctorũ postulatus est. Hic clypeus in mõtibus Gelboë abiicitur, quia fortitudo, quę in sanctis est in decursu deliciarũ, & abũdãtia diuitiarũ deperditur: Gelboë enim decursus interpretatur. Sequitur de armatura capitis. Et Galeã salutis assumite pugnãdo, scilicet, spe supernę salutis, & ęternę remunerationis. Galea enim quę præeminet omnib⁹ armis, supernã salutẽ designat, cuius memoria & spes mẽtẽ obuoluit ne deficiat.

*De lorica iustitiæ.*

*De munitione pedum.*

*De scuto fidei*

*Versus.*

*Seneca.*

*De triplici scuto. Isa. 4.*

*De galea salutis.*

Patet

Patet etiam per galeam designari spes æternæ salutis, ad superna tendens, quæ tanquam galea caput, id est, mentem munit, tegit & protegit, ne à temporalium appetitu lædatur. Prædictis armis vtitur athleta Christi ad sustinendum, & repellendum ictus aduersarij. Gladio autem vtitur ad expugnandum inimicum, de quo subdit Apostolus: Et gladium spiritus, quod est verbum Dei, ad ipsum, scilicet, inimicum feriendum & fugandum. Gladius spiritus, id est, spiritualis, dicitur verbum Dei, vel quem dat spiritus sanctus. Est autem verbum Dei gladius bis acutus, dum ex vna parte vitia carnalia, & ex alia parte vitia spiritualia resecat, sicut scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vel propter vetus & nouum testamentum, docens de temporalibus & æternis illorum consolationem in veteri istorum perfectione, in nouo testamento promittens. Quod enim temporaliter promissum est, ad vnam partem gladij, quod verò æternaliter, ad alteram partem pertinet. De hoc gladio Dominus ait: Non veni pacem mittere, sed gladium. Est autem vere acutus, quia eum quem ferit, à mundo diuidit. Hoc gladio pũgitur & euisceratur diabolus, vt de ventre eius, hi quos sibi incorporauit, extrahantur. Cùm igitur Christi miles eleganter armatus sit, confidat in Domino, & non sit pusillanimis, neq; remissus, quemadmodum illi, de quibus Ieremias ait: Deuoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres. Et iterum de talibus: Comedit me, & deuorauit me Nabuchodonosor Rex Babylonis: reddidit me, quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea, id est, illis qui molles sunt, teneri, & pusillanimes ad resistendum diabolo. Hos diabolus comedit & absorbet, quia delicati sunt. Sicut autem lucius parcam non audet inuadere, quia asperis est induta, ita qui in prælio duri sunt & patientes, & asperitate patientiæ muniti, valde à diabolo formidantur. De paruulis autem & delicatis dicitur in Threnis: Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis. In captiuitatem extra terram Ecclesiæ abierunt. Dissolutis viribus, pauido corde, non defensionem, sed fugam meditantes. Teste enim Salomone: Dicit piger in via occidendus sum, quasi dicat: Si pugnam aggredior, insultus diabolicos sustinere non valebo. Teste siquidẽ eodem: Pigrum deiicit timor, animæ autem effeminatorum esurient. Legimus autem in secundo Machabęorum: quod Dositheus tenebat Gorgiam, & eum viuum capere nolebat, & nolebat occidere. Quidam verò de Thracia accesit ad Dositheũ, & eum occidit. Thracia quies interpretatur, per quem in hoc loco ignauia designatur. Pigri enim & ignaui aduersarios nolunt occidere, sed viuos reseruare. Econtra strennui milites Christi, equites occidunt, vt equos possideant. Ipse enim dæmones, quasi equites pugnant in equis, hominibus, & ad omne malum eos incitant & instigant. Superato autem principe facilè fugatur exercitus, sicut legimus de Holoferne. Cõtra ignauos autem & pigros pugnatores, dicit Dominus per Ieremiam: Ecce, ego conuertam vasa belli, quæ in manibus vestris sunt, & quibus vos pugnatis aduersum regem Babylonis & Chaldęos. Magna ita Dei in peccatores, quando diuitias & potestates, & naturalia corporis & animæ, & arma virtutum, quæ ad impugnandum diabolum dantur, conuerti permittit ad vulnerandum illos, qui illis abutuntur & abiectis armis, hostibus subiiciuntur.

*De spirituali gladio verbi Dei.*

*Ieremi. 51. Contra pusillanimes & remissos.*

*2. Mach. 12.*

*Ierem. 22.*

*Non est armatis æquum concurrere nudos.*

*Versus.*

Ipsi quidem nudi sunt & inermes. Diabolus autem armatus est, cuius arma sunt vitia & peccata, & impij homines. Armat enim cor contumacia, linguam contumelia, manus violentia. Vnde in Euangelio scriptum est, quod fortior superueniens, vniuersa eius arma abstulit, in quibus habebat fiduciam. Quod fit quando peccatores ad suam fidem conuertit, & pro vitiis destructis virtutes tribuit. Diabolus autem teste Ecclesiastico: induit se aquis, quasi lorica, & concupiscentiis nostris, quæ sunt arma, quibus nos impugnat. Teste autem Gregorio: Quilibet tot dæmonibus possidetur, quot peccatis irretitur. Et beatus Augustinus ait: Sed neque facilius ab inimico deiicimur, quàm cùm eum superbiẽdo imitamur, nec vehementius eum prosternimus, quàm cum humilitate Dominũ sequimur, nec acriores ei dolores infigimus, quàm cùm plagas peccatorum confitendo & pœnitendo sanamus. Sicut igitur Christus armaturam suam, & milites suos habet, ita & diabolus. Quidam enim militant carni, quidam mundo, quidam diabolo, quidam Deo. Carni militamus, illecebris eius seruiendo. Mundo militamus, auaritiæ æstibus anhelando, & honorum altitudinem affectando. Diabolo militamus bonorum profectibus inuidendo, & contra Deum superbiendo. Deo militamus pietatis operibus insistẽdo, & potestates aëreas virtute spiritus sancti oppugnando. Habent autem principes isti propria donatiua sua. Caro tyronibus suis momentaneam largitur voluptatem, Mundus transitoriam sublimitatem, Diabolus perpetuam captiuitatem, Deus æternam fœlicitatem. Cùm autem contra Dei famulos multos ab initio fecerit insultus antiquus aduersarius, duodecim legimus fuisse principalia bella, sex ante Christi incarnationem, & alia sex post eius aduentum. Primum fuit in cœlo, quando tyrannus ille Lucifer regnum inuasit, & cum exercitu suo corruit, & in eiectione sua fuit terminatum. Secundũ ante diluuium inter posteros Cainan & filios Seth, inter filios Dei & filios hominum, quod in diluuio est terminatum. Tertium fuit in ædificatione turris Babyloniæ, quãdo gigantes cœlũ ascendere voluerunt, victi autẽ sunt & terminatũ est bellũ in confusione linguarũ. Quartũ fuit inter circumcisos & incircumcisos, quod à tempore Abrahæ incepit, in quo bello Ægyptij valdè afflixerunt filios Israël, quod terminatum est submerso Pharaone. Quintum fuit sub data lege inter Dei cultores, & gentiles quod

*De armis diaboli.*

*De militibus diaboli.*

à Iosue

à Ioſue & Amalech incepit, & fuit terminatum, quando filij Iſraël terram promiſſionis poſſiderunt. Sextum fuit inter bonos & Pſeudo-prophetas, quod terminatum fuit aduenientе Chriſto, & ceſſantibus prophetiis. Sub tempore autem gratiæ, primum bellum fuit Chriſti & Phariſæorum. Secundum contra idolatras Apoſtolorum & primitiuorum filiorum. Tertium contra hęreticos ſanctorum doctorum. Quartum contra veros catholicos ſanctorum fratrum. Quintum tempore antechriſti contra omnes Chriſtianos, & ipſum Chriſtum. Sextum in iudicio contra regē gloriæ & regē ſuperbiæ, inter Angelos & reprobos, inter oues & hœdos. In hoc bello Rex Chriſtus cùm vniuerſo exercitu Angelorum aduenies hanc Babylonicam ciuitatem comburet, ipſum principem cum exercitu ſuo in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipitabit, & milites ſuos gloria & honore coronatos in æterno regno coronabit, vt cum ipſo viuant & regnant in ſecula ſeculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Euangelio ſecundum Ioannem.

Ioan. 4. *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum: &c.*

*De his qui à verbo Dei ſe abſcondunt.*

ORTVS eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Serpentes in cauernis ſuis de die latent, de nocte autem exeunt, ita quidam in luce prædicationis ſe abſcondunt, & in tenebris ſapientiæ ſecularis ambulant, de verbo autem Domini non curant. Quidam autem negligenter audiunt verba ſalutis, diligenter autem verba vanitatis.

*De his qui verbū Dei negligenter audiūt*

Vnde Abbas quidam, dum loqueretur de Deo fratribus ſuis, ipſi dormitabant, tunc quædam otioſa cœpit dicere, vt eos tentaret & corrigeret, & ipſi ſtatim cœperunt aures erigere: & tunc abbas ingemuit, & dixit quod iſtud diabolicum erat. Non enim inutilia & hominum geſta debemus enarrare vel audire. Scriptum eſt enim: vt non loquatur os meum opera hominum. Et in Eccleſiaſtico dicitur: Omnis narratio tua ſit in præceptis altiſſimi. Quidam autem velut ſcarabæi circa ſtercora commorantur, & flores verbi Dei contemnunt. Columbæ autem Chriſti reſident ſuper riuos aquarum, id eſt, expoſitiones ſanctorum, in quibus volatum accipitris inſpiciunt, & ſibi præcauent à tentationibus inimici. Multi autem dicunt: quis oſtendit nobis bona. Excuſant ſe ex prædicationis penuria, & tamen cum prædicator à Domino mittitur, & eis vult appropinquare, qui prius more ranarum clamabant & murmurabant, immergunt ſe luto, & capi non poſſunt. Ecce tria genera malorum, quorum primi audire contemnunt, ſecundi negligenter audiunt, vana autem & inutilia diligentes auſcultant. Alij licèt audiant in luto ſordium ſuarum immerſi, vitam mutare non curant. De quibus ſcriptum eſt: Eduxit tanquam flumina aquas, & appoſuerunt adhuc peccare ei, quaſi dicat: Mirum eſt quod aquas ſcripturarum biberunt, & verbum Dei audierunt, & tamen adhuc Deum peccando offendunt. Erat quidam, &c. Non auferet à iuſto oculos ſuos, & reges in ſolio collocat in perpetuum. Sicut ſcriptum eſt in Iob: Licèt enim à iuſtis oculos ſuos Dominus auferre videatur, quando hîc ab iniuſtis ſine vindicta lacerantur, reſpicit tamen eos oculis pietatis, & dum ſeipſos benè regunt, & motibus tentationum non ſuccumbunt, in ſolio æternæ beatitudinis collocat in perpetuum. Hi autem propter humilitatem reguli appellantur. Tales enim fuerunt patres antiqui. Sicut enim ad literam regulus iſte deſiderabat, & poſtulabat ſalutem filij: ſic antiqui patres deſiderabant & ſupplicabant pro ſalute generis humani, vnde & dicebant: Deſcende prius quàm moriatur, & prorſus damnetur genus humanum, quod grauibus febribus detinetur. Deſcende per humanæ carnis aſſumprionem, vt populum iam morientem per iniquitatem ſalues per mortem. Clamabant igitur, ſicut dicitur in Iſaia: Vtinam diſrumperes cœlos & deſcēderes, à facie tua montes defluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent atque arderēt: vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur. In diruptione duo attenduntur, feſtinantia & violentia, quaſi dicat: Vtinam feſtinares, & victus miſericordia carnem aſſumeres. Cùm autem multa bona ex eius aduentu prouenerint, Propheta quinq; oſtendit. Primum humiliatio ſecularis poteſtatis, & humanæ altitudinis, quod notatur cùm dicitur: A facie tua montes defluerent. Secundum obſtinatorum liquefactio, & duritiæ humanæ emollitio: quod notatur, cùm dicitur: Sicut exuſtio ignis tabeſcerēt. Tertium frigidorū calefactio, quod notatur cùm dicitur arderēt. Quartū cæcorū & eorū, qui in tenebris erāt, illuminatio. Quintū eſt cōturbatio peccatorū & cōmotio ad pœnitentiā, quod notatur, cū dicitur: A facie tua gēres turbarētur. Clamabāt igitur antiqui patres vt deſcēderet Chriſtus, & febricitantē ſanaret. Hoc enim mare magnū & ſpatioſum nō potuit cū manibus operū pertranſiri ſub lege, ſed illic naues pertrāſibunt dicit Propheta, in tēpore, ſcilicet, gratiæ, quando malus crucis in naui Eccleſiæ erigetur, & vehementer flabit ventus ſpiritus ſancti, & velum appendetur in malo, id eſt, caro Chriſti in patibulo. Vnde Pſalmiſta: In velamento alarum tuarum ſperabo, velamentum velum mentium eſt Chriſti paſſio, per quam mentes in cœlum vehuntur. Alæ brachia Chriſti in cruce. Paſſio igitur Chriſti fuit medicina febricanti. Vnde Ieremias: Nunquid medicina non eſt in Galaath, id eſt, in paſſione Chriſti? in qua multi inueniuntur teſtimonia dilectionis ipſius. Galaad autem aceruus teſtimonij interpretatur. Propterea in Chriſti paſſione

*De bonis regibus.*

*De deſiderio antiquorum patrum.*

*De clamore & oratione ſanctorum pro febricitantibus.*

sti passione obscuratus est Sol, quia Christus per passionem suam nobis obscuram reddidit & contemptibilem prosperitatem mundanam, quæ causa est febris multiplicis. Ad literam autem, iste qui pro filio rogabat, Regulus dicitur pro paruitate regni, seu pro modicitate fidei. Petiit enim vt Christus descenderet, quasi non posset sanare nisi esset præsens, credebat autem Christum esse Prophetam, iustum & potentem in miraculis faciendis, sed non credebat esse Deum, nec vbiq; præsentē: credebat tamen ex parte, neq; enim ab eo peteret salutem, quem non crederet saluatorem. Ex magna autem parte diffidebat, quia virtutis non dedit honorem maiestati, sed præsentiæ corporali. Econtrariò Centurio laudatur, qui ait: Dic verbo, & sanabitur puer meus. Propter semiplenam huius Reguli fidem, Dominus indicans in se nunquam deesse, vbi secundò inuitatur descendere, solo iussu sanat vt amplius credat. Credidit autem homo sermoni. Iam incœpit credere, quod Christus solo verbo posit sanare, & ita Deū esse & præsentem & vbique, & ita in fide profecit, & filio suo salutem promeruit. De duritia autem & tarditate credendi, tam ipsos quàm alios Dominus arguēs, ait: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Sed signa minora & prodigia maiora dicūtur, & est propriè prodigium signū de futuro. Vnde dicitur prodigium, quasi procul indicium, futuri, scilicet, & remoti indicium. Pauci autem ex Galilæis vix verbo prædicationis, signorumque ostensione crediderunt in eum. Samaritani autem & gentes solo verbo crediderunt. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Discamus à Christo humiles esse, & ad beneficia prompti, à Regulo autem pietatem sollicitam & deuotam filiis exhibere. Crudelitas enim est, quasi quædam bestialitas parentes proli vel prolem parentibus non cōpati. Ne simus sicut Lamia, quæ catulos suos prius lactat, postmodū laniat. Progenies autem viperarum in conceptu perimit patrem, in partu interficit matrem. Mulier Chananæa ad Dominum clamat pro filia, Centurio supplicat pro seruo, & nos pro nobis, & nostris supplicemus, id est, compatiamur eis, & cōsulamus. Diligenter autem attendendum est, quod Dominus ad filium Reguli nō vadit etiam inuitatus, ne diuitias honorare videretur. Ad seruum autem Centurionis ire concesit, qui naturam hominis non respicit, in quo personarum acceptores redarguere & confutare voluit, qui in hominibus naturam non pensant, sed quæ extra patent. Diuitias enim, vestes pretiosas & dignitates, honorant homines superbi & seculares, ac personarum acceptores. Contra quos in Epistola canonica Iacobus ait: Si introierit in conuentum vestrum vir anulum aureum habens, in veste candida: introierit autem pauper in sordido habitu, & intendatis in eo, qui indutus est veste pretiosa, & si dixeritis ei, tu sede hic: pauperi autem dicatis, tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum, nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices iniquarum cogitationum? In Ecclesiastico autem contra acceptores personarum dicitur: Noli despicere hominem iustum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem diuitem. Et in Prouerbiis Salomon ait: Diuitiæ addunt amicos plurimos, pauperi verò, & hi quos habet, subtrahuntur. Et in Ecclesiastico dicitur: Diues commotus confirmabitur ab amicis suis. Humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis. Diuites siquidem turbati multos consolatores inueniunt. Humilis autem, id est, pauper, ferè ab omnibus contemnitur. Vnde in Ecclesiastico subdit: Diuiti decepto multi recuperatores. Locutus est superba, & iustificauerunt eum. Humilis deceptus est, & insuper arguitur, locutus est sensatè, & non est illi datus locus. Diues locutus est, omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducunt. Pauper locutus est, & dicunt: quis est hic? & si offenderit, subuertunt eum, id est, confundunt. Multa autem & alia testimonia inueniuntur in scripturis contra acceptionem personarum. Proprerea de Christo Isaias ait: Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris, quasi dicat: Non erit clamosus, sed mitis & mansuetus. Non accipiet personam, quod est vitium valde detestabile. Vnde Petrus: In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus. Non est audita vox eius foris, quia non fuit missus personaliter, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Quod autē ait Apost. Cui honorem honorē: nō est acceptio personarum, dum nō propter diuitias & vestes pretiosas honoramus hominem, sed propter scandalum vitandum, eò quòd facilius diuites offenduntur, & se despici arbitrantur. Honorificētia enim debetur nobilitati generis & Ecclesiasticæ dignitati & scientiæ, & huiusmodi. Acceptio autem personarum, est honorificentia alicui personæ indebitæ exhibita, non habito respectu, nisi ad exteriorū apparentiā, sicut ad vestes & diuitias, vel timore, scilicet, ne aliquid admittat, vel fauore, vt aliquid lucretur. Domino autem placere nō valet, qui mundi amatoribus displicere timet, sicut scriptum est: Confusi sunt, qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos. Opus autem Domini in duobus consistebat, in curatione corporis, & curatione mentis. Nullum enim sanauit corpore, quem non sanauit mente. Curatio autem mentis opus spirituale est. In spiritualibus autem & sacramentis conferendis, non est habenda acceptio personarum. Vnde Dominus filium Reguli noluit præponere seruo Centurionis. Exemplo igitur Domini, qui voluit ire ad domum Centurionis, preces pauperum potius debemus audire, & domos ipsorum visitare, quàm preces diuitum. Vnde Gregorius: Ecce de cœlo venit, qui seruo occurrere in terra non despicit, & nos in terra humiliari contemnemus, qui de terra sumus? Benignos igitur minoribus, & humiles maioribus nos exhibeamus. Vnde Ecclesiasticus: Respon de pauperi pacificè in mansuetudine, & maiori natu ac magnato humilia caput tuum. Sequitur de Regulo: Iam eo descēdente, serui occurrerunt ei intimantes, quod filius eius viueret. Interrogabat

*Patres compati debent filiis.*

*De acceptione personarum.*

*Eccle. 16.*

*Item 13.*

*Isaiæ 42.*

*Gregorius.*

terrogabat horam ab eis, in qua melius habuerit, non diffidens de misericordia Domini, sed desiderat vt virtus diuina seruorum confessione plurimis innotescat. Dicunt ei, heri hora septima reliquit eum febris. In figura, scilicet, spiritus sancti septiformis, in quo omnis salus & remissio peccatorum. Credidit ipse & domus eius tota, viri iusti non inuacuum gratiam Dei accipiunt, sed talentum sibi commissum multiplicare student, salute propria non contenti. Cortina enim cortinam trahit. Vnde & Regulus iste totam familiam suam ad fidem Domino cooperante induxit. Spiritualiter autem serui Reguli occurrentes, & salutem filij nuntiantes, sunt prædicatores in hominum conuersione & iustificatione laborantes, & de eorum salute Domino congratulantes. Credidit Regulus, & domus eius tota, dum certus patrum cum aliis fidelibus illuminatur gratia diuina. Quotidie autem Regulus pro filio sanãdo intercedit, dum Prælatus humilis se & alios bene regens, pro populo subdito sanando ad Deum preces fundit. Si autem pastor salutem subditorum negligat, bonum esset illi, si natus non fuisset, id est, non fuisset promotus homo ille. Vnde Bernardus: Væ filiis iræ, qui nondum reconciliati reconsiliationis alienæ negotio, tanquam homines qui iustitiam fecerint, apprehendunt. Væ ministris infidelibus, qui se ministros pacis, vt peccata populi comedant, mentiuntur. Et iterum: Cantando tibi bona prouenire videntur, peccata sunt populi, quæ tu comedis, ac si tua tibi minus sufficere videantur. Esto ergo solicitus dignos pro eis gemitus fundere, dignos fructus pœnitentiæ agere. Alioquin ea tibi noueris impẽdenda, quæ nunc inter delicias paruipẽdis. Teste autẽ Gregorio: nõ debet hominũ ducatũ suscipere, qui nescit homines bene viuẽdo præcedere. Propterea de Ioseph in Genesi dicitur: Dissoluta sunt vincula manuum eius, nunc pastor egressus est. Aliter non est dignus vt fiat pastor, ne fortè dicatur de eo. Posuerunt Hierusalem in pomorũ custodiam. Multi enim hodie temporalia & transitoria quæ pomis comparantur, diligenter seruant, de animabus non curant. Custodes pomorum collecto fructu recedunt. Hi autem in tempore collectionis fructuum ad Ecclesiam veniũt, quibus collectis recedunt: nec sicut Regulus iste pro filiis suis Deum orant. Moraliter autem quilibet nostrũm est Regulus, paruus Rex, & parui Regni Dominus, & citò terminabitur regnum nostrũ. Corpus nostrum regnum est nostrum, quod regere & custodire debemus, & insuper quinque sensus rationem etiam & intellectum, & alia naturalia, quę sunt in anima nostra. Vile & paruum regnum est terra corporis nostri. Vnde Augustinus: Nõ distas à pecore nisi intellectu, noli aliũde gloriari. De viribus præsumis, à bestiis vinceris. De pulchritudine, quanta pulchritudo est in pennis pauonis? De paruitate autem & abiectione regni nostri dicit Isaias: Ecce insulæ quasi puluis exiguus. Et paulò pòst: Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, id est, in comparatione eius, & quasi nihilum reputatæ sunt. Vnde: Et substantia mea tãquam nihilũ ante te. Insulæ autem homo comparatur, quia variis amaritudinibus & fluctibus tentationum velut matis fluctibus circundatur & tunditur. De eodem autem Ieremias ait: Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cœlos, & non erat lux in eis. Totus enim mundus vacuus est, & temporalia inania sunt, & nihili. Nullam enim habent soliditatem, & citò transeunt. Mali autem Prælati cœli dicuntur ratione dignitatis, in quibus non est lux, dum prædicatione vel exemplo alios non illuminant: vel cœlos accipit in bono, in quibus non est lux temporalis prosperitatis. Iuxta illud: Induam cœlos tenebris, id est, tribulationibus & aduersitatibus. Vnde Isaias: Qui extendit velut nihili cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad habitandum. Quantò magis sancti seipsos paruos & quasi nihili reputãt, tantò amplius à Domino extendũtur & magni reputãtur. Viri autẽ sancti sunt quasi tabernacula aliis, in quibus mansionẽ & quietẽ reperiunt. Vnde Apost. Viscera sanctorũ requieuerũt per te. Cùm igitur Reguli sumus per regni modici vilitatem, simus Reguli per humilitatẽ regendo terram corporis nostri, & malitiã habitantiũ in ea. Non sequamur concupiscentias nostras, id est, prauos motus reprimẽdo, ne fortè impleatur in nobis quod scriptum est: Posuit terram fructiferam in salsuginẽ à malitia habitantium in ea. Non sequamur concupiscentias nostras, sicut hi de quibus dicitur:

*Quo mecumque rapit tempestas, deferor hospes.*

Curam carnis ne feceritis in desideriis, sed tantum in necessariis. De Agar siquidem legimus, quod Sara permittente concubuit cum Abraham. Agar quæ interpretatur aliena, carnem designat, quæ sibi seruientes in deliciis à regno Dei alienat: permittente Sara, quæ Princeps interpretatur, id est, ratione descẽdit homo ad carnis curam necessariã. Sed dum necessitate seruitur, plerumq; voluptas se ingerit & homo ferus, id est, carnalis affectus cõcipitur, cuius manus cõtra omnes. Nã vniuersos spirituales affectus impugnat. Vnde Sara ait: Eiice ancillã & filiũ eius. voluptuosam carnis curã & actũ carnalẽ, qui nõ meretur hereditatem cœlestẽ, sed illudet Isaac, id est, spirituali affectui, quãdo se carnalis voluptas admiscet, dũ quod fiebat causa salutis, fit causa voluptatis. Licèt autẽ hoc durũ videatur, acquiescendũ est tamẽ Domino præcipiẽti. Quidam namq; voluptatibus seruiũt, nõ fruũtur: tunc autẽ cõsummata est infelicitas, vbi turpia nõ solum placẽt, sed delectãt: & desinit esse remedio locus, vbi quę fuerãt vitia, mores sunt. Cõsuetudo siquidem altera est natura. Sic igitur custodiamus sensus nostros, vt nihil illicitum percipiamus de die, quod nobis occurrat de nocte. De regimine quinq; sensuum legimus in Iosue, quod quinq; reges fugientes latuerũt in spelunca. Postea præcepit Iosue, vt obstrueretur os speluncæ, postmodũ eos educi præcepit & pedibus cõculcari, deinde appẽdi in patibulo, & rãdem in spelunca

*Orare debent Prælati pro filiis saluãdis.*

*Bernardus.*

*Gregorius.*

*Qualiter reuum nostrum regere debeamus.*

*De vilitate regni nostri. Augustinus.*

*Isa 40.*

*Iere. 4.*

*Isa. 40.*

*De Agar & Sara.*

*De regimine quinque sensuum.*

in spelunca recludi. Quinque reges, quinque sunt sensus fugientes ab obseruantia mandatorum Dei, vt adhæreant terrenis. Latent in spelunca, dum per tumorẽ conceptum inter metas se cohibent. Obstruuntur autem per suppliciorum comminationem. Educuntur, dum quicquid in eis vitiose commissum est, per confessionem aperitur. Conculcantur per voluptatum reprehẽsionem. Appendũtur in patibulo per mortificationem: postea in spelunca recluduntur, dum mortificatis voluptatibus, spiritui seruire coguntur. Reguli autem anima suggestione inimici turbatur, & ad ęgritudinem disponitur. Delectatione quasi decumbit & infirmatur, consensu incipit mori, opere penitus moritur. Peccatum enim cùm consummatum fuerit, generat mortem. Filius Reguli infirmatur Capharnaum, quod interpretatur ager pinguis. Multi enim abundantia temporalium infirmantur & moriuntur, dũ ex adipe procedit iniquitas eorũ. Stercoratur autem & impinguatur ager mentis variis vitiorum stercoribus. Est enim stercus temporalis pecuniæ. Vnde Apostolus ait: Omnia arbitratus sum vt stercora. Est stercus luxuriæ. Vnde in Ecclesiastico: Mulier fornicaria tanquam stercus in via conculcabitur. Est stercus superbię. Vnde in Iob dicitur: Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius cœlos tetigerit, quasi stercquilinium in fine perdetur. Est stercus gastrimargiæ, vnde in Threnis: Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora. In Capharnaum igitur, id est, in agro pinguedinis noxiæ febribus vexantur infirmi. Febricitans autem nunc æstuat, nunc alget. Qui immoderatè temporalia amant, tempore prosperitatis æstuant. Qui immoderatè aduersa timent, tempore aduersitatis algent. Quidam autem laborant febre acuta, qui vehementi appetitu desiderant illicita, de quibus dicitur in Parabolis: Pedes eorum ad malum currunt. Et iterum: Non enim dormiunt nisi malè fecerint. Et rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Febri autem lenta laborabat Petrus, quando sequebatur Christum à lõge. Quædam autem febris prouenit ex peccatis spiritualibus, tanquã ex distemperantia spirituum, quædam ex peccatis carnalibus, quasi ex corruptis humoribus. Est autem quædã febris, quæ dicitur amphimerina, est alia quæ dicitur continua, est febris tertiana, & est febris quartana. Ad similitudinem enim diuersarum febrium, distinguũtur diuersitates vitiorum. Amphimerina febris est, quæ die qua nascitur moritur. Hac febri laborat homo dum cadit, & citò surgit, dum Sol non occidit super iracundiam suam. Aliquando enim homo tentatur & disperatur, sed citò conualescit, & fortior resurgit. Febris continua est, quæ sine cessatione hominem affligit, cuiusmodi est vitium auaritiæ, quæ est insatiabilis. Vnde Ambrosius contra auaros ait: Quæ est ista auiditas, cùm ipsæ beluæ modũ habent, tunc enim rapiunt quando esuriunt, parcunt verò prędæ, dum saturitatem sentiunt. Inexplebilis autem est auaritia diuitis, semper rapit, nunquam satiatur. Febris autem interpolata dicitur, quemadmodum tertiana & quartana, dum homo peccator sanatus ad tempus quiescit, sed postmodum acrius morbus eum inuadit, sicut in gastrimargia, & luxuria accidit. Vel febrem tertianam dicere possumus, quę triplici incommodo febricitantem molestat. Sicut est ira in corde latens, in verba prorumpens, in opus procedens. Et Daniël de bestia simili vrso ait: quod tres ordines dentium erant in ore eius, quæ sunt tria genera detractionis. Oblocutio, derogatio, detractio. Obloqui, est de certis malis aliquem infamare. Derogare, est dubia in malam partem vertere. Detrahere, est de ipsis bonis diminuere. Et per Amos Dominus ait: Percussi vos vento vrente & in aurigine: oliueta vestra & ficeta vestra comedet eruca. Percussi, id est, percuti permisi, ventus vrens siccus & strepitum faciens, est superbia, aurugo, auaritia. Est enim vitium segetum ex aura noxia prouenies culmum stringens & impediens, ne ad granum humor perueniat: ita auaritia cor stringit, & ad illud humorem compassionis venire non sinit. Eruca vermis est olera virentia depascens, id est, vigorem hominis & virtutem, per quam luxuria designatur. Febri autem quartana detinẽtur, qui quatuor morborũ detrimentis molestãtur, sicut luxuriosi per simplicem fornicationem, per adulterium, per incestum, & per vitium contra naturam abominabiles coram Deo, & hominibus redduntur. Vnde & de Sodomitis leges dicunt. Cùm vir nubit in virum, insurgãt leges, armentur iura, vt exquisitis pœnis feriantur, qui tanti criminis sunt, vel futuri sunt rei. Vnde Psalmus ait: Nolite fieri sicut equus per libidinem licèt naturalem, & mulus per vitium cõtra naturam. Sodomitæ enim more muli steriles sunt, & semen perdendo homicidæ fiunt. Sicut autem superbia de Angelo fecit diabolum in cœlis, ita luxuria facit de homine porcum in terris. Similiter & in aliis vitiis est inuenire quartanam, sicut in hypocrisi, quæ pardus est varij coloris, quem vidit Daniël quatuor alas habentem. Prima est simulatio de occultis bonis. Secunda dissimulatio de occultis malis. Tertia ostentatio de bonis manifestis. Quarta excusatio de apertis malis: volat autem cum Simone Mago prædictis alis. Quando igitur homo aliqua prædictarum febrium laborat, quando, scilicet, sanguis superfluus & humores putridi abundant, necessaria est ei frequens munitio confessionis. Teste autem Ecclesiastico: Os iusti vena vitę, quia, scilicet, aperitur ad spiritualem vitam obtinendam, & insuper clamare deber cum Psalmista: Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ. In pœnitentia siquidem dolor lachrymis lauat, timor insisiuus est, & sordes abradit, pudor colorat & ornat, confessio exuit omnem vetustatem, veterem, scilicet, hominẽ cum actibus suis, & ita homo habitum recuperat sanitatis. Bibat insuper febricitans amaram potionem, qua purgatus recuperet sanitatem, scriptum est enim: In mari via tua, id est, in amaritudine pęnitentiũ. Et in Deuteronomio dicitur: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit bene-

*In agro pinguis filius Regis infirmatur & mori incipit.*

*De variis stercoribus.*

*Iob 20.*

*De febre multiplici. Parab. 1. Item 4.*

*Ambrosius.*

*De febre tertiana.*

*De febre quartana.*

*De pardo & hypocrysi.*

*De multiplici curatione febricitantis.*

*Deut. 33.*

erit benedictionibus Domini, mare & meridiem possidebit. Nephtalim interpretatur conuersus vel dilatatus, & significat pœnitentem, qui conuersus à via sua mala, bonis operibus dilatatur, & ita plenus erit benedictionibus gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Possidebit mare, id est, amaritudinẽ pœnitẽtiæ, & meridiẽ, vt feruear affectu & splẽdeat intellectu. Teste autẽ Michæa: Infirmata est in bonũ qui habitat in Marotha, id est, in amaritudinibus. Et quoniã nulla prodest pœnitentia sine Christi passione, hora septima febris infirmũ reliquit. Inter sextã siquidẽ, qua crucifixus est, & nonam qua mortuus est, passus est Dominus, pro curatione febricitantis, sudore, diæta & munitione curans illũ. Contra frigus febrile sanguinẽ calidum fudit, contra calorẽ aquam de latere emisit. Nos igitur exemplo Reguli clamemus ad Dominũ: Domine, descende priusquã moriatur filius meus. Quis autem magis mortuus, eo qui fouet ignẽ in sinu, peccatum, scilicet, in conscientia nõ sentit, nec expauescit, nec excutit. Inuocemus igitur Dominum priusquã penitus febricitans moriatur, nec expectemus vsq; post mortẽ. Non enim bonus est stabularius qui perdito equo, stabulũ claudit. Hic est qui post præsentẽ vitam expectat pœnitentiã. Supplicemus igitur corde cõtrito & humiliato, vt descendat ad nos per cõpassionem Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorũ, Amen.

## DOMINICA VIGESIMASECVNDA THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE EX PSALMO. 129.

*Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est Deus noster.*

*De miseria humana quæ sustinere non potest, nisi Deus parcat.*

CONTRA folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Homo quasi arbor fuit in creatione, folium vento tentationis raptum in diabolica suggestione aruit per peccatũ, velut stipula in deiectione. Non est igitur magnum potentiæ indicium, si talem hominẽ persequeris, sed magnum est indicium potentiæ, si hanc stipulam facis reuiuiscere, si hoc folium confirmes, vt vento tentationis possit resistere. Quis autem sustinebit si persequeris, quem in tentatione scis esse infirmum, in deiectione ab humore gratiæ desiccatur. Propterea Isaias ait: Nos lutum Domine, tu fictor, ne irascaris satis, id est, secundum quod meremur, sed pœnam æternam in tẽporalem cõmutes. Hoc est quod sancti Patres ante Christi aduẽtum postulabant. Emitte agnũ Domine dominatorẽ terræ, quasi dicerent. Non tanquam leo, sed tanquam agnus veniat cum mansuetudine, non cum seueritate, alioquin nõ possemus sustinere. Vnde in Iob dicitur: Si lotus fuero, quasi aquis niuis, & fulserint velut mũdissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. Aquæ niuis sunt lachrymæ pœnitẽtis resolutæ spiritus sancti calore. Manus mũdissimæ opera rectitudinis & iustitiæ. Quantumcunq; autem per lachrymas fuerimus loti, quantumcunq; per recta opera mundi, sordibus tamen intingimur, quia fomes peccati quamdiu viuimus, in corpore nostro radicatur. Vnde sicut in Genesi dicitur: Sensus & cogitatio hominũ, proni sunt ad malum ab adolescentia sua. Teste enim Psalmista: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Solus Christus per omnia placuit patri, quia tam à mortali, quàm veniali fuit immunis. Vnde super locũ illum Isa. Apprehendẽt septẽ mulieres virum vnum, dicitur in expositione: In omnibus aliis habuit spiritus septiformis hospitium tribulationis, sed in solo Christo mansionem quietis. Vnde per Isa. ait: Ecce seruus meus suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Seruus dicitur, quia humiliauit se formam serui accipiens. Suscepit autem illum præcipuè in die ascensionis. Ipse autem electus ex milibus ad mundi redemptionem. De quo pater in Euangelio ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. Nos autem cadauera sumus, & à muscis peccatorum infestamur. Beelzebub Deus est muscarum, quas in nos velut in tineosos & in fructus putridos immittere nõ cessat. Vnde in Exodo dicitur. Vbicunque erant Ægyptij, erant muscæ. Cadauera sumus, & vermibus ac fame effluimur. Vermis autem oritur de cadauere cum homo de peccato gloriatur, si possit luxuriose viuere, vermis seu tinea de vestibus, dum superbit de virtutibus. Vermis ex ligno duro, dũ ex fortitudine corporali supetbit homo. Cùm igitur nulli iustitia sua sufficiat, nam omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus sunt menstruatæ, nec aliquis mundus sit à sorde etiam puer, cuius vita est vnius diei super terram, vnicum est remedium, vt ad diuinam recurramus propitiationẽ. Et hoc est quod in hodierno officio Propheta ait: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit. Circunspectis enim omnibus nullum bonum videns, sed vndique mala & cateruas suorum scelerum cernens, quasi expauescens clamat, dicens: O Domine si iniquitates obseruaueris, id est, ad vindictam seruaueris: Domine quis sustinebit te iudicem, nullus. Non tantùm ego, quia prope omnis humana vita suis peccatis circumlatiatur. Omnisque conscientia suis cogitationibus accusatur. Non est adeo castum cor, quod præsumat de iustitia sua. Præsumat ergo de Dei misericordia, quia apud eum propitiatio est. Quantò autem homo magis illuminatus est per gratiam, tantò magis sua cognoscit peccata & propriam miseriam, & amplius formidat diuinam Iustitiam. Vnde Augustinus ait: O peccata mea magna

*De multiplici vermc.*

*De cognitione peccatorũ, & timore sanctorum. Augustinus.*

magna estis nimis, iudex terribiliter districtus, intollerabiliter sæuerus, immoderatè offensus, vehementer iratus, sententia immutabilis, carcer irremediabilis, tormenta sine fine, sine intervallo, sine temperamento, tortores horribiles, qui nunquam lacescunt, nunquam miserentur, timor reum conturbat, conscientia confundit, cogitationes increpant, fugere nō licet. Loquitur secundum statum, in quo Deus non miserebitur neq; parcet. In iudicio siquidem districtè obseruabit iniquitates, quando conquassabit capita in terra multorum. Vnde in Eccles. dicitur: Longè est testamentum à quibusdam & interrogatio hominum in consummatione est, id est, in iudicio, in quo erit interrogatio conscientiarum, & tunc condemnabuntur, qui longè sunt à testamento æternæ hæreditatis. Vnde per Ezech. Dominus ait: Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis. In malis enim quasi in loco suo quiescit ira Dei, in bonis verò transit. Vnde Isaias ait: Et erit transitus virgæ fundatus. Virga est ira diuina & pœna inflicta, quæ transit in bonis, sed fundatur in malis. Teste autem Naum: In diluuio prætereunte consummationem faciet loci sui. In diluuio est abundantia & ablutio, per quam præsens pœna, quæ in sanctis abundat, & eos abluit, intelligitur, sed tamen præterit & transit in eis, qua mediante Dominus perficit locum suum, & consummat sanctos, in quibus abundat. In his autem qui pœnitent in hoc seculo, Dominus iniquitates non obseruat ad pœnam æternam. Vnde per Isaiam Dominus ait: Quis dabit me spinam & veprem in prælio: gradiar super eam, succendam eam pariter? An potius tenebo fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? Prima pax est reconciliationis, cui superadditur pax pectoris. Retinet igitur Dominus fortitudinem suam, quia cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. Vnde per Ezechiëlem ait: Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à viis suis malis & viuat? Et iterum: Quare moriemini domus Israël, quia nolo mortem morientis: conuertimini & viuite. Cùm igitur proprium sit Dei misereri & parcere, quasi alienum est ab eo irasci & condemnare, sed peccata nostra compellunt eum. Vnde Isaias: Alienum est opus eius, scilicet, punitionis, & æternæ damnationis. Propterea per Osee Dominus ait: Adhuc vade & dilige mulierem dilectam ab amico & adulteram. Quod fit cùm anima passa reciduum, adhuc per gratiam reuocatur. Dilecta ab amico, id est, Christo, ipsa tamen non diligit eum. Vnde per Ieremiam conqueritur Dominus: Quomodo si contemnat mulier amatorem suū, sic contempsit me domus Israël. Cùm igitur anima in peccatis, nec sibi nec aliis possit succurrere, Deus gratis & absq; ipsius meritis eam diligit. Vnde per Isa. ait: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorū tuorū non recordabor. *Parcendum est animæ miserabile vulnus habenti. Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iupiter: exiguo tempore inermis erit.*

*Dominus in præsenti peruidet, sed in iudicio distr. & iniquitates obseruabit. Eccles. 16.*

*De propitiatione diuina in his qui pœnitent. Isa. 27.*

*Ezech. 18.*

*Isa. 43. Versus.*

quis poterit euadere vel sustinere? Et ideo Psal. ait: Quia apud te propitiatio est Deus noster: quasi dicat: Nullus potest sustinere si obseruaueris iniquitates: sed tamē nō despero, quia apud te propitiatio est, nam pœnam æternam commutas in temporalem. Vnde Isa. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Aquæ sunt peccatores, per diuersa genera peccatorum defluentes. Horum pœnas metitur pugillo, quia citra merita punit & flagellat: sed præmia bonorum metitur palmo, quia super merita remunerat. Est igitur apud eum propitiatio. Spiritualis autem propitiatio est sacrificium, quod pro nobis oblatum est, quo peccata soluuntur. Innocens enim sanguis Christi pro nobis fusus est & oblatus, quo delentur omnia peccata nocentium, quo captiui de manu captiuantis inimici redimuntur. In hoc igitur nobis spes est: nam si Iudex solùm esse vellet, omnes iniquitates obseruaret, & non esset qui sustineret: vna ergo spes est nobis Domine, quia apud te propitiatio est. Teste autem Augustino ad hoc cicatrices manuum suarum conseruat, vt dilectionem & propitiationem quam in humana redemptione adhibuit, bulla imputribili exhibeat. Vel istud ad subsequentia Psalmist. refertur sub hoc sensu: Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine, propter legem, scilicet, misericordiæ & charitatis quæ peccata condonat, & monet ne de cætero homo offendat. Propter legem qua dixisti: Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Sunt autem quatuor leges. Prima naturæ, secunda Scripturæ, tertia doctrinæ Euangelicæ, quarta est Mosaicæ lex pœnitentiæ, quæ proposita est transgressoribus. Hæc est quartus annus vsque ad quem sterilis ficulnea expectatur: nisi hæc lex esset, non possemus sustinere, sed oporteret nos desperare. Nunc autem circa sterilem ficulneam fodimus per contritionem, & stercora mittimus ad fructificationem. Teste autem Gregorio: Arborem infructuosam de stercorum appositione pinguescere, est animam de peccatorum recordatione proficere. Et iterum ait: Recordatio peccatorum custodia est virtutum. Teste autem Isidoro: Cinis iuniperi carbones seruat per annum. Iuniperus plena est aculeis, per quam cōpunctio pœnitētium, cinis eius memoria peccatorum, quę ignem charitatis seruat per annū iubileum, quando, scilicet, fit remissio omniū debitorum, id est, vsq; ad mortē, & transitū regni cęlorū. Hœdis siquidē vescitur Isaac. Hœdi sunt sapidi, & tamē de capra fœtida nascuntur, per quos peccatorū memoria designatur, quos Rebecca, id est, mater gratiæ debet præparare, vt placeat Domino recordatio cum amaritudine. Si autem manus & collum pellibus hœdi tegamus, vt nos peccatores confiteamur, non cognoscit nos Isaac secundum statum priorē, sed nobis benedicit secundum statum præsentē. Propterea in Deutero. dicitur: Catulus leonis fluit largiter de Basan, id est, fletus pœnitentis, rugientis à gemitu cordis

*De spirituali propitiatione hostiæ salutaris.*

*Augustinus.*

*De peccatorū recordatione. Gregorius. Isidorus.*

cordis sui. Fluit de Basan, id est, de confusione peccati, quando erubescit homo & confunditur peccata recolendo. Fodiendũ est autem vsq; ad aquas lachrymarũ, quæ pondera vocis habent. Vnde Ierem. in Threnis ait: Oculus meus afflictus est, nec tacuit. Et in Cant. dicitur: Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Piscinæ sunt cõgregationes aquarum. Oculi igitur verè pœnitentiũ lachrymarũ abundãtia defluentes, sunt quasi piscinæ in Esebon, quod interpretatur cingulum mœroris, dum per mœrorẽ succingitur, ne in eis defluãt humores noxij, & si aliqua fluxa sunt, restringãtur. Hoc autẽ fit in porta filiæ multitudinis. Animæ enim quæ est filia multitudinis peccatorum, per hanc portã patet ingressus. Attendẽs igitur homo miseriã suam, & diuinã propitiationem, de profundo clamat ad Dominum, vt eum liberet de profundo vitiorum, & tandẽ dicere possit, sicut in Ecclesiast. dicitur, se exaltatum quasi cedrum in Libano, & quasi cypressum, & velut palmã, velut rosam, & quasi oliuã speciosam. In horto enim Domini alius cedrus speciosus per mundiciæ incorruptionem. Alius cypressus per bonæ operationis odorẽ. Alius palma per tentationum victoriã. Alius rosa per martyrij coronam. Alius oliua per misericordiã. Vt igitur exaltetur vel eleuetur de profundo, clamat ad Dominum. Sicut enim ex vulnere peccati *procreatur clamor, ita ex corde vulnerato per cõtritionem clamor procedit ad Dominum. Dicit ergo pœnitẽs: De profundis clamaui ad te Domine. Et quasi quis quæreret qua fiducia clamas, ait: Quia apud te propitiatio est. Est autem profundum cordis: profundum siquidem est cor hominis & inscrutabile. De profundo autem cordis clamamus, quando non superficialiter, sed intimo affectu Domino supplicamus. Est profundũ peccati, de quo Zachar. ait: Eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo nõ erat aqua, id est, de profundo vitiorum. Dominus enim cõuertit ex Basan, id est, de cõfusione peccatorũ cõuertit peccatorem. Vnde Michæas: Veniens vsq; in Babylonẽ, & ibi liberaberis. Est profundũ inferni, de quo scriptum est: Pete tibi signum in profundũ inferni. Est profundum huius miseriæ & vitæ mortalis, de quo scriptũ est: Ascensionẽ in corde suo disposuit in valle lachrymarũ. Est profundum confusionis. Vnde & Christus Zorobabel dicitur, id est, magister confusionis semper tollẽdæ. Ad hoc enim in mundum venit, vt confusionẽ tolleret à nobis. Per peccatũ enim primi hominis in cõfusiones & in inordinationes cecidimus. Prima inordinatio quãdo id quod debet esse superius, fit inferius, id est ratio, dum ei sensualitas dominatur. Vnde in Eccles. dicitur: Mulier si primatum teneat, cõtraria est viro suo. Secunda inordinatio, quãdo id quod debet esse antè, fit retrò, dum, scilicet, temporalia spiritualibus præponuntur. Primùm enim quærẽdum est regnum Dei. Vnde in Ezech. conqueritur Dominus de his qui dorsum vertebãt contra templum. Hi sunt similes pauoni, qui caudam habet stellatam, & ipsi à posteriori habent stellas spiritualium. Pauo caput habet paruum & caudam magnã: & huiusmodi homines seculares parum habent prudentiæ, & sequelam magnã, dum incedunt pompaticè. Pauo pulchritudinẽ habet in plumis, & ipsi in vestimentis. Pauo cùm laudatur, pennas ostentat, & leuãdo caudã turpitudinem denudat. Dum autẽ isti quod habent pulchrius per iactantiã ostentant, turpitudinẽ suam manifestant. Tertia inordinatio est, quando quod debet esse dextrum, fit sinistrum, & econtrariò. Hoc vnicuiq; est dextrum, quod aliis præponit. Vnde de Iuda scriptum est: Diabolus stet à dextris eius. Iudas siquidẽ opera diaboli præposuit operibus Dei. Pœnitens igitur attendens se esse in profundũ confusionis & miseriæ multiplicis, à similitudine Ionæ clamat ad Dominum. Venter siquidẽ ceti non potuit retinere vocẽ deprecantis, quæ omnia penetrat, & vsq; ad Dei aures peruenit. Ita & iste de hac vita mortali clamat, quæ est nobis profundũ, vbi fluctibus exterioris & interioris miseriæ atteritur imago Dei. Gemit ergo & clamat donec eum liberet Deus, & renouetur à Deo, qui illam impressit, quando hominẽ formauit. Quidam autem adeò in profundum sunt infixi, quod non clamãt, licèt quotidianis peccatis se obrutos videant. Hoc est profundum in quo peccator cùm venerit, contemnit. Clamor autem verè pœnitentis est quasi rugitus leonis. Vnde Iob: Sicut inundantes aquæ, sic rugitus meus. Sicut autem ad rugitum leonis omnes bestiæ pauent, & se mouere non audent: ita maligni spiritus quem ex toto corde rugire percipiunt, valde formidant, & ad tentandum eum accedere non audent. Inundantes verò aquæ sunt cordis contriti lachrymæ, quæ omnia peccatorum obstacula tollunt, & totum dissoluunt & subuertunt quicquid cõtra pœnitentis lachrymas maligni spiritus machinantur. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ipse quidẽ iniquitates non obseruat cõtra pœnitentes, obseruat autẽ eas contra contemptores, qui nec Deum timẽt, nec peccata formidant. Propterea in Eccles. dicitur: Quasi à facie colubri fuge peccatũ. Dentes leonis, dentes eius interficiẽtes animas hominum, quasi rhomphęa bis acuta. Comparat peccatum colubro, leoni, & rhomphęę, quia decipit vt coluber, fortiter tenet vt leo, occidit vt rhomphæa. Quia apud te propitiatio est. Aliter sustinere nemo potest. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Quàm bonus & suauis est spiritus tuus Domine, ideoq; eos qui errant partibus, corripis, id est, particulariter: quia si omnem correptionis asperitatem apponeres, peccatores obrueres. Vnde & subdit: Partibus iudicans, id est, particulariter dans locum pœnitentiæ. Ipse autem qui non vult mortem peccatoris, multipliciter inuitat nos ad pœnitentiam. Vnde & conuenit nos in patibulo, ne conueniret nos in iudicio, vbi ait: Populeus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi. Propterea Psalmista ait: Educes nubes ab extrema terræ, id est, à peccatis educes pœnitentes. Per nubes designantur pœnitentes, in quibus est caligo cõfusionis de peccatorum recordatione.

*De lachrymis pœnitentium. Ierem. 3.*

*De diuersis arboribus.*

**procreatur.*

*De multiplici profundo vnde clamare debemus. Zachar. 8.*

*De multiplici inordinatiõe.*

*De clamore et gemitu pœnitentis.*

*Iob 3.*

*Fugere debemus.*

recordatione. Fulgur,id est,terror maiestatis de Dei offensione: pluuia,id est,fletus compunctionis,de malorum perpetratione choruscatio,id est,lumen gratiæ,de diuina propitiatione.

*De modo pœnitendi.*

Qualiter autem pœnitere debeas,ostendit Dominus in Ezech. vbi ait: Sume tibi gladium acutum radentem pilos,& duces per caput tuum & barbã tuam,& dicitur ibi quod vna pars igne comburatur,alia gladio conscindatur,alia in ventũ dispergatur,alia in summitate pallij ligetur. Hi sunt quatuor modi delendi peccata. Gladio enim pœnitentiæ,quicquid in nobis superfluũ est,radere debemus,vt spiritu mentis nostræ renouemur,& in virum alterum commutemur. Igne autem contritionis omnes pilos peccatorum debemus comburere. Pilos autem scindere, est peccata & circunstantias peccatorum minutatim & particulariter diuidere. Dispergi etiam in ventum debent, vt longè à nobis propellantur, & per malam delectationẽ vel iterationem non reuertantur. Tunc autem,quasi in summitate pallij ligantur,cùm semper ante oculos habentur,vt fœteant nobis vsque ad finem vitæ nostræ.

*Memoria peccatorum ad tria valet.*

Memoria siquidem peccatorum ad tria principaliter valet. Ad deuotionem excitandam, ad humilitatem conseruandam, ad cautelam habendam. De primo legimus, quod torpente deuotione Elias obdormiuit in itinere,quod fit quando homo bonum opus fastidit. Angelus autem ad caput eius ponit panem subcinericium,& vas aquæ. Panis subcinericius,peccati recordationem designat. Cinis enim residuum est ignis, & post ignem peccati remanet memoria pœnitenti: vas aquæ mensuram designat gratiæ. De secundo legimus in Exodo,quod ventus flans ab Occidente,locustas fugauit,quia occasus nostri velut venti vrentis recordatio eliminat superbiã,& inducit humilitatem. De tertio legimus in lib. Regum,quod Dauid amputauit caput Goliæ proprio gladio. Peccati enim suggestio amputãda est veteris peccati recordatione. Hæ igitur sunt spinæ,quæ in fimbriis palliorũ poni solebãt,quia peccatorũ recordatio mentẽ pungit,& hominẽ stimulat ne securitate torpeat: vt igitur dignè pœnitere valeas,vultũ pecoris tui diligenter agnoscas,id est,concupiscentiam sensualitatis tuæ.

*Limus fragilitatis nostræ coquendus est igne tribulationis.*

Formatus est homo de limo terræ: limosa est superbia,& quicquid inhæserit citò retinet, vnde & figulus vrnas luteas antequã coquantur,custodit,ne quod immundũ eas cõtingat: ita & homo variis tentationibus & tribulationibus decoctus,non facilè sordes colligit,sed motus sensualitatis infra se cõtinet & reprimit. Panem oportet esse bis coctum,qui per mare deportatur,& nos coctos & cõsolidatos oportet esse in anima & corpore. Bis cocti fuerũt Apostoli anteq̃ mitterẽtur in mare huius seculi. Primò enim insufflauit in eos Dominus,dicẽs: Accipite spiritũ sanctũ,& sic primò cocti,sed nondum missi in mare mundi. Nam dictũ est eis: Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. In die autẽ Pentecostes secundò cocti sunt,& in mare huius seculi missi. Nõ igitur remissus sit pœnitẽs,neq; negligẽs, sed fortiter clamet ad Dominũ: Redime me Domine,& miserere mei.

*Diligenter pœnitemus, & non sumus remissi. Augustinus.*

Vnde Augu. Domine, vendidi me,redime me: vendidi me peccato meo,redime me sanguine tuo. Non igitur homo sibi vilescat vel animã suã in vanũ recipiat,sed pretio redẽptionis suæ seipsum appẽdat. Sit Dei adiutor & cooperator,vt nitatur cunctis viribꝫ suis,sicut Ionathas pedibus & manibꝫ reptãdo. Stellio siquidẽ manibus nititur nõ verbis,& ideo in domibus Regũ moratur. Nõ enim omnis qui dicit, Domine,Domine,intrabit in regnũ cœlorũ. Teste enim Salomone: Vbi verba plurima,ibi frequẽter egestas. Secundũ igitur consiliũ Salomonis,agni sint tibi ad vestimentũ tuũ, & hœdi ad agri pretiũ. Vestiri enim debemus agnina pelle per innocentiã & humilitatem,vel saltẽ hœdi sint in pretiũ agri,quod fit cũ de pœnitẽtia peccatorũ pœnitẽs sibi cõparat agrũ regni cœlorũ: de quo in Parab. Cõsiderauit agrũ,& emit illũ. Propter legẽ tuã sustinui te Domine.

*Sustinere debemus Deum per patientiã & longanimitatem, & non deficere per pusillanimitatẽ. Gregorius.*

Sustinere debemus Deũ & nõ deficere per impatientiã. Vnde Eccles. Noli esse pusillanimis in animo tuo,exorare & facere eleëmosynã ne despicias. Ex pusillanimitate enim nascitur tristitia seculi,quæ mortẽ operatur. Teste autẽ Greg. Quicquid intollerabile pusillanimitas affert,hoc leue ac facile spes remunerationis ostẽdit. Quidã autẽ tantũ mutuãt q̃ desperãt se posse soluere, & tamẽ mutuare nõ cessãt: sicut scriptũ est: Mutuabitur peccator & nõ soluet. Et Psal. Nõ erat qui sepeliret. Per puluerẽ enim pœnitẽtię tegũtur & sepeliũtur peccata nostra,dũ dignos fructus facimus pœnitẽtię,& pœna respõdet culpę. Vnde Iere. ait: Nõ parcatis iaculis,quia Domino peccauit: sicut fecit,ita facite illi. Pœna siquidem debet culpę respõdere. Nõ igitur desperemus,sed strẽnuè pœniteamus. Teste enim Berna. Equũ indomitũ flagella domãt,& animã inanis cõtritio spiritus & assiduitas lachrymarũ. Lachrymę siquidẽ pœnitentiũ sanguis sunt animarũ. Sicut autẽ in piscina Angelus aquã mouebat,ita in pœnitẽte gratia Dei cõmouet ad plorandũ. Flatus autẽ spiritus sancti,facit inundationes maris,& turbat mare, id est,cor amarũ pœnitẽtis,& ita interrũpitur possessio naturaliter,scilicet,per alluuionẽ & aquarũ inundationẽ,dũ peccator ad se reuersus erũpit in lachrymas. Vnde in Iob dicitur: Lapides excauãt aquæ,& alluuione terra cõsumitur. Ciuiliter autẽ possessio interrũpitur,quãdo ad iudiciũ fori pœnitẽtialis itur cũ pscriptione: nõ potest se iustè tueri inimicus,quia nec iustũ titulũ habet,nec est bonę fidei possessor.

*De lachrymis strennuè pœnitentium. Bernardus.*

Sustinere igitur debemus Dominũ,& nõ deficere vel desperare,nec tamẽ psumptuose cõfidere. Rigare enim debemus exẽplo Magdalenę,duos pedes Domini,q̃ sunt misericordia & iustitia, vt fructificẽt nobis. Nõ stãt autẽ secus pedes Domini,sed lõgè sunt à pedibꝫ misericordię & iustitię,q̃ malè cõfidunt vel de venia desperãt. Ipse aũt nõ libẽter amittit quod tã carè emit. Apud ipsum siquidẽ est propitiatio,q̃ per Isa. ait: Ego qui alios parere facio,nũquid ipse pariã? Vulnus lateris,vulnera Christi,per quã nos genuit,quãdo sacramẽta fidei de eius latere profluxerũt.

Aqua, ſcilicet, ablutionis immundorũ, & ſanguis viuificationis mortuorum, in quos à quatuo ventis mittit ſpiritum. Vnde in Ezech. dicitur: A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſupe mortuos iſtos, & reuiuiſcant. Ab Aquilone venit ſpiritus per timorẽ pœnæ æternæ. Ab Auſtro per deſiderium vitæ æternæ. Ab Occidente recolendo peccata noſtra. Ab Oriente recolendo Chriſti beneficia. Si igitur apud ipſum propitiationem inuenire volumus, & nos aliis propitij ſumus: vt iniquitates noſtras non obſeruet, noſipſos obſeruemus & accuſemus nos: vt ab illo non accuſemur, qui propitius eſt & propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

*Philippen. 1.*

*Confidimus in Domino Ieſu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti.*

*Iſa 17. Multi bonum inchoant, ſed pauci perſeuerant.*

ET erit ſicut quęrẽs ſpicas in valle Raphaim. Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſsio oleę duarũ vel triũ oliuarũ in ſummitate, &c. Verba ſunt Iſa. oſtẽdentis, quod multorũ eſt inchoare, ſed paucorũ ad perfectionẽ venire ſeu perſeuerare: & hoc demõſtrat triplici ſimilitudine. Sicut enim rariſsimè ſpicę manus fugiunt metentiũ, & pauci racemi à remanendo dicti manus vindemiatorũ, & paucę remanẽt oliuæ poſt excuſsionẽ oleæ: ſic ſunt pauci, qui caudã hoſtiæ offerunt finaliter perſeuerãdo, licèt caput obtulerint benè inchoãdo. Quærit autẽ Dominus ſpicas in valle Raphaim, quod interpretatur gigantes, id eſt, in humilitate, quod notatur per vallẽ & altitudinẽ vitæ, quod notatur per gigãtes. Simile legimus de Balaã, vbi ait: Quàm pulchra tabernacula Iacob, quaſi vallis nemoroſa: per vallẽ humilitatẽ, per nemus altitudinem vitę voluit deſignare. Nititur ergo diabolus nobis auferre tunicã talarẽ perſeuerãtiæ, & inſidiatur calcaneo noſtro, ſciens quod finis, nõ pugna coronat. Vnde populo volenti ſacrificare in Ægypto, dicit Pharao, ne longiùs abeatis. Diabolus enim in pœnitẽte aliquãdo retinet oculũ, vt videat libẽter mulierẽ, aliquando linguã, vt otioſa verba loquatur, vel proximo detrahat, aut aduletur, & ſic de aliis membris, vt aliquo illorũ retrahat pœnitentẽ, ne perſeueret & curſum perficiat. Inſuper & quinq; latrunculi, id eſt, quinq; ſenſus, rapiũt puellã de terra Iſraël, id eſt, animã benè viuere inchoantem, & eam ſeruire faciunt vxori Naaman leproſi, id eſt, ſenſualitati, quã ſibi carnalis amicus copulauit. Senſus ſiquidẽ & cogitatio hominũ prona ſunt in malũ ab adoleſcẽtia ſua: ſicut in Gen. Dominus ait. Multi præterea ſeculares & malitioſi homines à bono propoſito retrahũt inchoãtes, de quibus Bernar. Si quid religionis oritur, quicunq; reſiſtit, quicunq; repugnat, paruulos Iſraëlitici populi cũ Pharaone conatur extinguere, cũ Herode naſcentẽ perſequitur Saluatorẽ. Nõ ſolũ autẽ laici, ſed inſuper & Prẽlati, exemplo malo ſeu verbo pernicioſo, quos promouere debuerunt, ſubuertunt & perſeuerare in bonis nõ permittunt. De quibus idẽ Bernard. Heu, heu, Domine, ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui volunt in Eccleſia tenere principatum. Pauci igitur inueniuntur, qui poſita manu ad aratrum non reſpiciunt retrò. Vnde Ieremias: Super montes aſſumam fletum ac lamentum, & ſuper ſpecioſa deſerti planctum: quoniam incenſa ſunt, igne eò quòd non ſit vir pertranſiens: & non audierunt vocem poſsidentis: à volucre cœli vſque ad pecora tranſmigrauerunt & receſſerunt. Per montes Prælati, per ſpecioſa deſerti clauſtrales & viri contemplatiui, quos diabolus incendit igne peccati. A volucre ſiquidẽ cœli vſq; ad pecora, id eſt, à cõtemplatiuis vſq; ad ſimplices & beſtiales tranſmigrauerunt, recedẽtes à Domino. Et Ezech. ait: Inundatione equorũ eius operiet te puluis eorũ: à ſonitu equitum & rotarũ & curruũ mouebũtur muri tui. Equus, id eſt, diabolus, eques peccator, qui tunc vrget diabolũ calcaribus, quãdo plus peccare affectat, quã diabolus adminiſtrat. Inũdatio equorũ mouet pulũerem, quia frequẽs tentatio dæmonum mouet amorem temporalium mentis oculos excæcantes. Per rotas autem & ſonitus curruum temporalis proſperitas & pompa ſtrepitus ſecularis intelliguntur. In curribus muri mouentur, dum ſtrepitu pompæ ſecularis viri fortes concutiuntur. Patet igitur quot ſunt impedimenta perſeuerandi in bono. Vnde Apoſt. in hodierna Epiſt. magnam adhibet conſolationem Philippenſibus, dicens: Confidimus in Domino, &c. quaſi dicat: Non in nobis, ſed in Domino cõfidimus, vt perſeueretis in bono. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatẽ, friuſtrà vigilat qui cuſtodit eam. *Nullus in orbe labor proficit abſque Deo.*

*Bernardus.*

*Bernardus.*

*Ierem. 9.*

*Ezech. 10.*

*Ezech. 27.*

*De profectu & perſeuerãtia ſanctorũ.*

Confidimus, quia qui operari incœpit in vobis opus bonũ, cooperãs perficiet. Cooperãdo enim in nobis Deus, perficit quod operãdo incipit, quia ipſe vt velimus operatur incipiẽs, qui volentib⁹ cooperatur perficiẽs. Propterea per Ezech. Dominus ait: Multiplicabo eos vt gregẽ hominum, hoc pertinet ad ſtatũ pœnitentiũ: vt gregẽ ſanctorũ, hoc pertinet ad ſtatũ iuſtorũ: vt gregem Hieruſalẽ, hoc pertinet ad ſtatũ glorificatorũ. Primũ igitur refertur ad ſtatũ incipiẽtium, ſecundum ad ſtatum proficiẽtium, tertium ad ſtatum perueniẽtium. Semper igitur proficit in melius vir iuſtus, cuius gratia à Domino reſeruatur & multiplicatur. Vnde de Iſaac in Geneſi dicitur: Ibat proficiẽs atq; ſuccreſcẽs donec vehemẽter magnus effectus eſt. Et ad Ruth Noẽmi de Boos ait: Neq; enim ceſſabit homo ſi nõ compleuerit quæ locutus eſt. quaſi dicat: Qui cœpit in te opus bonũ, ipſe perficiet. Hanc autem perfectionẽ Dominus promittẽs diſcipulis, ait:

Sedete

Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Si igitur spiritus potestatis super hominẽ ascenderit & persecutus eum fuerit, nõ dimittat locum suũ, sed cõstanter perseueret in bono. Vnde Seneca: Turpe est cedere honori, luctari cum officio quod semel recepisti. Nõ est vir fortis ac strenuus, qui laborẽ fugit, & nisi crescat ei animus ipsa rerum difficultate. Qui cœpit, ipse perficiet. Vnde per Zachar. ait: Reducã eos de terra Ægypti, & de Assyriis cõgregabo eos: & adducã eos in terrã Galaath & Libani, & non inuenietur eis locus. Et paulò pòst subdit: Et cõfortabo eos in domino. Incipit igitur Dominus in nobis, dum reducit nos de terra Ægypti & de terra Assyriorũ, id est, dũ nos extrahat à vitiis. Per Ægyptũ tenebrę cupiditatis & luxurię intelliguntur. Hęc enim duo vitia maximè nos excæcant. Per Assyrios qui dirigentes interpretatur superbia, quæ se cõtra Deum plus quàm alia vitia erigit. Vnde & Ierem. ait: Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquã turbidã, & quid tu vis in via Assyriorũ, vt bibas aquã fluminis? In Ægypto aqua turbida bibitur: quia delectationẽ luxurię lutum immunditię admiscetur & delectationi quã de temporalibus habẽt cupidi, admixta est cura, & tristitia, & perturbatio mundi. In via autẽ Assyriorũ bibitur aqua fluminis, id est, vana & transitoria gloria huius seculi. Postquã igitur ab his peccatis Dominus educere peccatorẽ incipit, adducẽdo eum ad terrã Galaath, quę multiplex habet testimonium à Lege & Prophetis, & ad terrã Libani, id est, ad candorẽ bonorũ operũ. Galaath enim cãdidatio interpretatur, tandẽ confortãdo ipsum perfecit quod inctępit. Priùs enim animã rudem eruderat inchoãdo, tandẽ dolat & explanat perficiẽdo. Vnde per Osee ait: Propterea dolui in Prophetis. In Prophetis siquidẽ Dominus dolat, quando timore pœnæ & desiderio vitæ animã purgat, vt apta sit offerre illi aurũ, thus, & myrrhã. Aurum discretè ei seruiẽdo, thus deuotè famulãdo, myrrhã quæ cõseruat à corruptione in bono perseuerãdo. Aurũ, dum prudentiã habet in actionibus. Thus, dum deuotionẽ in orationibus. Myrrhã, dũ perseuerat in passionibus. Myrrha autẽ corpora mortuorũ cõdiuntur. De Christo enim legitur, quod inuenerũt eum mortuũ, & eius crura nõ fregerũt. Et tù si mortuus fueris mundo, nõ cõfringetur in te fortitudo spiritus, sed viriliter seruies Domino, vsq; in finẽ perseuerãdo. Tunc enim gaudiũ est nauiganti, quãdo de mari venit ad portũ: & viatori quãdo peruenit ad metã viæ, ad quã tendebat: & ædificãti, quãdo sumptibus cõputatis turrem quam cœperat ædificare ad perfectionẽ duxit. Vnde in Apoc. Dominus ait: Qui vicerit, scilicet, perseuerãdo, faciã eum sedere in throno meo. Confidimus in Domino, quia qui cœpit in vobis bonũ opus, perficiet vsq; in diẽ Iesu Christi, videlicet, vsq; ad finẽ vitæ, quo Deus velut in die, id est, apertè videbitur & cognoscetur. Vel perficiet in vobis per successionẽ vsq; ad cõmunem iudicij diẽ. Isti autẽ dies in quibus nostrã facimus voluntatem, nostri dicentur: sicut scriptũ est: Tempus vestrum semper est paratũ. Dies autem Domini dicitur, dies iudicij, in quo reuelabuntur abscondita tenebrarum. Vnde Isa. Et erit lumẽ Israël in igne, & sanctus eius in flãma: & succẽdetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna. Et erit terrore, pfugus, & reliquię saltus ligni eius prę paucitate numerabuntur, & puer scribet eas. Dominus enim in iudicio cum igne veniet, quia ignis ante ipsum præcedet & inflãmabit: quia tunc reuelabuntur, quę modò sunt tenebrosa & occulta. Hoc autẽ igne spinæ & vepres, id est, spinosi & asperi peccatores succẽduntur: & tunc diabolus erit timore profugus, quia fugiet victus, nec poterit de cætero aliquos tentare vel in peccatũ ducere. Reliquiæ autẽ diaboli sunt iusti, quos de magna massa reliquit inuictos, qui pauci erunt respectu damnatorum. Et puer ille scribet eos, qui ait: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Sequitur: Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, quasi dicat: Ita deprecor & confido de vobis, sicut iustum est me ita velle de vobis. Sancti enim Prælati salutem subditorum suorum desiderant, & maximè domui suę benè prę sunt, & familiam suam ita ordinant & disponunt, vt dicere valeant cum Propheta: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Diligunt autem boni Prælati subditos, non solùm in labiis, sed in intimo affectu charitatis. Vnde Apostolus subdit, eò quòd habeam vos in corde. Multi autem sunt hodie Prælati, qui lac & lanam tantùm quærunt, subditum autem gregem in corde non habent, nec de salute animarum curant. Non vtique lucerna, sed crucibolum super candelabrum ponitur, quando huiusmodi mercenarij in prælatione constituuntur. Crucibolum cepo pascitur, & isti non nisi carnalibus delectantur, cùm tamen per Sophoniam Dominus ait: Scrutabor Hierusalem in lucernis: non dicit in crucibolis. Propterea in Prouerb. Salomon ait: Sicut qui mittit lapidẽ in aceruum Mercurij: ita qui tribuit insipiẽti honorẽ. Aceruus Mercurij, qui Deus mercatorum dicitur, fit ex calculis cõputationis. Cùm autẽ calculus summus lapillus cõputatur, pro aliqua summa ponitur: sed nõ valet illam, licèt valere fingatur, & si nõ valet quantũ ad cõputationis rationẽ in foro, tamẽ quantũ ad cõtractum nullius momẽti reputatur: ita fit quando insipiẽs loco sapiẽtis in dignitate cõstituitur. Hodie siquidẽ eligũtur Pręlati nõ custodes animarũ, sed asinarũ, cùm tamẽ Samuël dixit ad Saul, de asinabus noli esse solicitus. Sicut autẽ latro cùm domũ intrat, de nocte primò lucernã nititur extinguere, ita diabolus cũ parochiã inuadit, Prælatũ nititur subuertere. Vnde in Threnis Iere. ait: Manus mulierũ misericordiũ coxerunt filios suos. Mala est hæc misericordia, quãdo remissi sunt Prælati, & ita nutriunt filios suos delicatè, quod coquũt eos igne luxurię. Boni autẽ licèt verbis increpẽt exterius, habẽt tamẽ subditos in corde per dilectionẽ interius. Et hoc est quod Apost. ait: Eò q; habeã vos in corde & in vinculis meis, & in defensione & cõfirmatione Euãgelij, socios gaudij mei omnes vos esse, quasi dicat:

*Seneca.* *Dominus in nobis incipit & post bonũ consumat.* *Zachar. 10.* *Osee 6.* *De die hominis, & die Domini.* *Isaie 10.* *Prælati sancti qui salutẽ subditorum desiderant.* *De malis Prælatis.* *Prouerb.* *Thren. 4.* *Expositio literæ de bonis Prælatis.*

Habeo vos in corde, id est, vos omnes desidero in futuro socios esse gaudij mei, remunerationis, scilicet, æternæ vitæ. Et hoc desidero, dum laboro & in vinculis meis, & in defensione contra impugnatores, & in cõfirmatione infirmorum in doctrina Euangelij, quasi dicat: Licèt multis & variis sim detentus, nihilominus memor sum vestri. Semper enim diligit, qui verè amicus est. In vinculis autem sæpe fuit, & multa sustinuit Apostolus pro defensione Euangelii. Hi sunt enim clypei aurei, de quibus in libro Machabæorum dicitur: Refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis, & fortitudo gentium dissipata est. Sol iustitiæ, id est, Christus, refulget in clypeos aureos, id est, in sanctos Prælatos, qui pro domo Dei se opponũt clypeos defensionis, quando apparent in eis paupertas, humilitas, zelus & mansuetudo, & alia quæ fuerunt in Christo, & tunc montes, id est, laici, & maximè potentes huius seculi resplendent ab eis considerantes bonam vitam eorum. Per hoc autem fortitudo gentium dissipatur, id est, dæmonum, & insuper peccatorum, qui prius in malo fortes erant. Sequitur: Testes est mihi Deus, quomodo cupiã omnes vos in visceribus Iesu Christi, quasi dicat: Ideo pro omnibus precor, quia cupio vos omnes esse in visceribus Iesu Christi, vt, scilicet, à Christo, quasi eius viscera deligamini, & ei incorporemini: vel cupio vos non carnali affectu, sed in visceribus, id est, interna affectione vos esse Christi. In sinu autẽ horum viscerũ boni Prælati subditos suos nutriunt & fouẽt. Vnde Psalmista ait: Ego dixi, Dij estis. Deus interpretatur videns, currens, fouẽs. Qui ergo nõ vident per scientiã, nec currunt per bonã operationem, nec fouẽt subditos in visceribus pietatis per cõpassionem & doctrinã, nomen Dei assumunt in vanũ. Cùm igitur ostendisset Apost. desiderium, quod habebat ad Philippenses, quia sine Dei adiutorio nullum desiderium bonũ perducitur ad effectum: subiungit Apostolus, quod profectum eorum quem

*De abundãtia charitatis.*

desiderabat, à Deo postulabat, dicens: Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet. Alioquin non posset permanere, quia non potest esse otiosa, aut enim deficit, aut dilatatur, & proficit. Vnde de mandato charitatis Psal. ait: Latum mandatũ tuum nimis. Mandatũ siquidem charitatis, multũ latum est, quantum ad dilectionẽ proximi, in quo tamen mensura ponitur, cùm dicitur: Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Mandatũ verò de dilectione Dei, latum est nimis, quod nulla mensura cõstringitur. Cùm enim dicitur: Diliges Deũ ex toto corde tuo, nõ iubetur quantũ diligat, sed ex quanto, quia ille veraciter diligit Deũ, qui sibi de se nihil relinquit. De hac autẽ charitatis abundãtia legimus in Genesi: Seminauit Isaac in terra, & inuenit in ipso anno centuplũ. Iustus enim florebit vt palma, quæ gracilis est in principio, & semper dilatatur ascendendo, & quasi ab aurora incipiens, crescit vsq; in perfectũ diem. Et quoniam feruor & zelus viri iusti temperandus est scientia discretionis & sensu cognitionis, ait Apost. Oro vt charitas vestra magis abundet in omni scientia & in omni sensu, id est, crescat, vt sciatis, in quibus Deum & proximũ diligere debeatis, & cum sanctis habeatis sensum, id est, memoriã & animaduersionẽ in omnibus rebus, quę necessarię sunt ad salutẽ. Multi enim religiosi

*De hypocritis atque hæreticis.*

dum scientiam & cautelã non habent, decipiuntur à callido seductore & antiquo, atq; subtili aduersario. Si autem beata Virgo expauit de lumine, & nos expauescere debemus ab his qui transfigurãt se in Angelũ lucis, nõ solũ à spiritibus malignis, sed ab hypocritis & hæreticis. De quibus Salomon ait: Ecce mulier occurrit præparata ornatu meretricio ad decipiendas animas. Hi sunt qui bona opera ostendunt, vt ab hominibus sancti credantur. Meretrix se præparat vt maiori pretio se vendat: & isti exterius se ornatos demõstrant, vt pro operibus suis humanam laudem recipiant. Ab hæreticis etiã nobis cauere debemus, qui fraudulenti sunt, & velut vulpes, quorum posteriora fœtent, sicut scriptum est: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, id quod deterius est. Priùs enim bona verba, & simulata opera ostendunt, postmodum in errorem ducunt. Hi sunt qui in Apocalypsi per equum nigrum designantur. Quod enim nigrum est, alium colorem recipere non potest, & isti adeò peruersi & subuersi sunt, quod ab errore suo vix aliquando resipiscunt. Cauere etiam nobis debemus ab

*De adulatoribus.*

adulatoribus. Moyses, vt ait Iosephus, noluit lactare mammam Ægyptiæ. Et tu si te lactare voluerint blandi seductores, ne acquiescas illis. Vnde & Leo ait: Facilius est vitare discordem quàm declinare fallacem. Cauere insuper nobis debemus, ne in inquisitione de Domino modum excedamus. Vnde quibusdam quærentibus quid Deus fecerat ante mundi creationem, respondit Augustinus: Nimis alta quærentibus gehennam præparabat. Non igitur mensuram nostræ capacitatis excedere debemus. *Metiri se quemque suo modulo ac pede iustum est.*

*Leo.*

*De cautela inquisitionis. Augustinus.*

In omni scientia dicit Apostolus. Quia sic dicitur in Daniele: Transibũt multi, & multiplex erit scientia. Vnde & libros multiplices, vt perfectè instruamur, debemus intueri. Mundus enim iste liber est. Vnde & Naum Niniue, id est, mundum istum appellat librum, vbi ait: Onus Niniue liber visionis. Huius libri quaterni & folia sunt omnes creaturæ. De multis autẽ libris quinq; ponamus. Est liber naturæ in creaturis, liber figuræ in sacramẽtis, liber operũ in artificiis, liber cõscientię in operibus nostris, liber vitę in exemplis. Primi libri literę sunt omnes creaturę, quę nos docent: sicut dicitur in Iob: Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & respõdebit tibi, & narrabunt pisces maris. Nónne docet nos leo qui cauda sua delet vestigia sua, ne à venatore capiatur. Et nos finis nostri cõsideratione debemus vestigia peccatorũ delere, ne ab infernalibus venatoribus capiamur. Similiter & serpẽs nos instruit, in quo quinq; debemus attẽdere, vt simus prudẽtes sicut serpẽtes. Primũ est, quia torum

*De multiplicitate librorũ inspicientiã.*

exponit

exponit corpus, vt ſeruet caput: & nos caput noſtrũ, quod eſt Chriſtus, & caput, id eſt, fidẽ, & caput, id eſt, bonũ noſtrę cõuerſationis, principiũ pſeuerãdo cõſeruare debemus. Secundũ quod ſerpẽs naturaliter frigidus eſt, & gaudet calore Solis. Et nos frigidi ſimus ad malũ faciendũ, & calore Solis iuſtitiæ feruẽtes ad bonũ. Tertiũ eſt quòd ſerpẽs multas ſquamas habet, & ante ſe facilè incedit, ſed ſquamis impediẽtibus cum difficultate retrocedit. Et nos ſquamas virtutũ & operũ charitatis habeamus, vt nõ ſimus retrogradi, ſed ſemper in melius procedamus, vt poſteriorũ obliti, nos in anteriora extẽdamus. Quartũ eſt quod ſerpẽs hominẽ naturaliter timet, & nos valde timere debemus hominũ malorũ cõſortium, & ſpiritus hominũ probemus, quia pauci inueniuntur fideles & multi ſeductores. Vnde Seneca: Eſto benignus, nemini blãdus, paucis familiaris, omnibus æquus. Quintũ eſt quod ſerpẽs ſolus in cauerna libenter cõmoratur: quod pertinet ſpecialiter ad Eremitas, & ad illos qui in cellis cõmorantur. Et nos ſtrepitũ ſeculi debemus fugere, & ſolitudinẽ pectoris ac ſecretũ cordis & ſilentiũ diligere. Secundi libri literę ſunt omnia ſacramẽta, in quibus legere debemus ſignũ & ſignatũ, vt deprehẽdamus virtutẽ ſacramentorũ. Tertius liber eſt ſpecialiter in ædificiis, vt attẽdamus quid ſignificat clauſtrũ, quid dormitoriũ, quid cuculla, & ſic de aliis. In his enim ſpiritualiter habitare debemus. Nunquid enim eſt monachus, qui nõ intrat refectoriũ lectionis, capitulũ correctionis, dormitoriũ cõtemplationis, oratoriũ deuotionis? Quartus liber cõſcientia, in quo debemus legere & deteſtari peccata noſtra, ſicut ſcriptũ eſt: Arguã te, & ſtatuã cõtra faciem tuã. In quinto libro cõuerſationis & exempli debemus legere, quid nobis ſit agendũ, quid fugiendũ exemplo bonorũ. Prædicti libri ſcribi debẽt in cordib⁹ noſtris digito Dei, cum calamo gratię & incauſto pœnitẽtię, ac rubricari memoria paſsionis Dominicę. Quidã autẽ adeò duri ſunt & obſtinati, quod calamus in eis nõ habet locũ, ſed magis ſtilus ferreus tribulationũ. Sic igitur abundare debemus in omni ſciẽtia, quantũ ad intellectũ, & in omni ſenſu, quantũ ad affectum: vt nõ ſolũ diſcernere & reprobare ſciamus, quę ſunt bona & quę mala: ſed etiã inter bona quę ſunt potiora. Et hoc eſt quod Apoſt. ſubiungit: Vt probetis potiora. Aliter de bono in melius proficere neſciremus. Vnde & ſancti in hoc ſeculo inter Dei dona magis eligunt tribulationes q̃ proſperitates. Propterea Greg. ait: Cùm vtraq; fortuna ſit timẽda, magis eſt timẽda ꝓſpera q̃ aduerſa. Nã aduerſa ſæuiẽdo erudit, & proſpera blandiẽdo ſeducit. Vnde in lib. Reg. dicitur: Dij montiũ ſunt dij eorũ, pugnemus cũ illis in cãpeſtribus. Quos enim dæmones nõ poſſunt vincere per aduerſitatẽ, tentãt vincere per proſperitatẽ. Per ſanctas autẽ ſcripturas, quę potiora ſint, ꝓbare debemus, in quib⁹ aſsiduè & diligẽter ſtudere debemus. Vnde in picturis ſolẽt pingi clerici librũs in manib⁹ tenẽtes. His autẽ dieb⁹ in maiori parte falſæ ſunt huius picturę, ſed potius hodie pingi poſſunt portãtes in manibus aues & canes ad venationẽ ducẽtes. Ita autẽ debemus ꝓbare potiora, & ſemper de bono in melius ꝓficere, vt in viis noſtris perfecti & purgati inueniamur. Et hoc eſt quod ait Apoſt. Vt ſitis ſynceri & ſine offenſa. Synceri, ſcilicet, in vobis ſine operib⁹ corruptionis & ſine offenſa quantũ ad proximos. Et in hoc perſeuerẽtis vſq; in diẽ Chriſti, id eſt, vſq; ad finẽ vitæ veſtrę, quãdo venturus eſt Chriſtus reddere vobis ſecundũ merita veſtra. Qui igitur potiora probãt & obſeruãt, & pœnitẽtiis ſibi iunctis ad quæ tenẽtur, ſuperaddũt. Hi ſynceri efficiũtur & purgãtur in hoc ſeculo, ne purgatione indigeãt in alio. Vnde de Chriſto Malach. ait: Et purgabit filios Leui, quod interpretatur additio. Hi ſunt qui pœnitẽtiis debitis & mãdatis cõſilia ſuperaddunt. Pugnandum eſt igitur cõtra motus ſenſualitatis, quibus frequẽter, niſi viriliter reſiſtamus, ſordibus inquinamur. Vnde Aug. ait: Venã amicitię coinquinabã ſordibus cõcupiſcentię. Purgari igitur & innouari ſtudeamus, quoniã in vtres veteres & ſordidos, ac fętibus plenos nõ ponitur vinũ nouũ gratiæ renouãtis, gratię, ſcilicet, ſpiritus ſancti, cuius aduentũ ad nos impediũt duplicitas, obſcuritas, iniquitas. Duplicitas hypocriſis. Vnde in lib. Sapiẽtię dicitur: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictũ. Obſcuritas ignorãtię. Vnde in eodẽ dicitur: Subtrahet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Iniquitas malitiæ, ſicut ibidẽ dicitur: Et corripietur à ſuperueniẽte iniquitate. Et quoniã lutoſa eſt materia noſtra, & facilè nobis ſordes adhærẽt, ſemper purgatione indigemus & oratione quotidiana, qua dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. Vnde Pſal. Torrentes iniquitatis cõturbauerunt me. Ex peccato ſiquidẽ Adę torrẽtes duo prouenerunt, quorum vnus omnes animas in infernum trahebat, alius omnia corpora in putredine redigebat, ita confuſus eſt homo, vt ſit eius intelligentia turbulenta, ratio limoſa, voluntas lutoſa, ſenſualitas infecta & corrupta. Naturalia ſiquidẽ priùs erãt clara & limpida, ſed poſt peccatũ admixta eſt aqua luto, & turbata ſunt omnia & confuſa, niſi ab hac confuſione gratia illius liberemur & ſynceri efficiamur, qui ait: Dabo vobis cor nouum, & ſpiritũ nouum ponã in viſceribus veſtris. Et iterum: Effundam ſuper vos aquã mundã, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et quoniam licèt ſynceri & purgati ſumus, in nobis gratiã Dei in vanum aſſumere non debemus, nec ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt. Subdit Apoſt. Repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei, id eſt, bonis operibus, qui ſunt fructus iuſtiæ. Repleti dico non viribus veſtris, ſed per Ieſum Chriſtum per hoc tranſituri in gloriam & laudem Dei, id eſt, in gloriam æternam. Vnde laudetis Deum, vel vt ſitis repleti in futuro fructu, & mercede iuſtitiæ, quando portanti manipulos, in fine dicetur: Ecce homo & opera eius cum eo. Et vt ſitis in gloriam & laudem Dei, id eſt, Gloria & Laus Dei, vt, ſcilicet, pro vobis dicatur: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Laborare igitur debemus vt in

*Seneca.*

*Bonũ à malo debemus diſcernere, & inter bona quæ potiora ſunt eligere. Gregorius.*

*De purgatione ſanctorum.*

*Auguſtin. De vaſe immundo præparãdo ſpiritui ſancto.*

*De duplici torrente & humana perturbatione.*

*De gratiã multiplicãda.*

conſpectu Dei vacui non appareamus. Deus enim præparauit nobis vehiculum, quo merces noſtræ ferantur ad locum vbi cariùs vendi poſſunt, id eſt, manus pauperum. Vnde in perſona Domini Auguſtinus ait: Da mihi ex eo quod dedi tibi: habuiſti largitorem, fac me debitorem. Fatuus ſiquidem eſt, qui tantum comedit in prandio, quod non habet quid comedat in cœna. Quidam tantũ conſumunt in præſenti vita, quod nihil eis remanet in futura. Teſte autem Eccleſiaſtico: Eleëmoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam homini quaſi pupillam conſeruabit, & poſteà reſurget. Miſericordiæ ſiquidem opera mercedem habent conſignatã in cœlis. Vnde in Euang. dicite: Facite vobis ſacculos, qui nõ veteraſcunt. Pupilla autem gratiæ cõparatur, quia clara eſt & tenera, & pro illa cõſeruanda omnia membra exponũtur & opponuntur. Gratia enim illuminat, & citò lædítur vel amittitur, niſi cautè cuſtodiatur. Eleëmoſyna autem quantũ ad effectũ in iudicio reſurget. Theſaurizare igitur debemus in cœlo & nõ in terra, maximè clerici, qui diſpẽſatores ſunt patromonij Ieſu Chriſti, quod non licèt mitti in corbonã, vt impleant arcam diuitiis, quia pretiũ ſanguinis eſt. Repleamur igitur fructu iuſtitiæ, vt reddamus vnicuiq; quod ſuũ eſt. Animæ noſtræ debemus auxiliũ, cõſilium, & obſequiũ impendere. Auxiliũ in bello cõtra tentationes: conſiliũ in via, vt cauti ſimus cõtra vię pericula: obſequiũ in lectulo, aditus thalami, id eſt, ſenſus cuſtodiẽdo, ne ſollicitudo temporaliũ intret & turbet contemplationis cubiculũ. Corpori debemus cibaria, virgã, & onus. Cibaria ne deficiat, virgam, vt diſciplinam teneat, onus ne laſciuiat. Proximo debemus dare, vt reficiãtur egentes: cõuertere, ne moriantur peccatores: condonare peccantibus in nos, ne ſimus immiſericordes & non fratres. Repleti fructu iuſtitię. Spiritualia replent, temporalia non implent, ſed inflant. Teſte autẽ Gregorio, qui iſtam vitam diligit, ſomnum vigilans videt. Pro magna diligi non debet quicquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa ſummopere diligenda ſunt, quæ nec inuenta tranſeunt, nec adepta deficiunt. Et iterum Gregorius ait: Ecce mundus, qui diligenter fugit. Sancti iſti ad quorum turbam conſiſtimus, florentem mundum mentis deſpectu calcauerunt. Erat vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in progenie, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cum in ſeipſo floreret, etiam in eorũ cordibus mundus aruerat. Ecce iam in ſeipſo mundus aruit, & adhuc in noſtris cordibus floret, vbiq; mors, vbiq; luctus, vbiq; deſolatio: vndiq; percutimur, vndiq; amaritudinibus replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ ipſas eius amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus, & quia labentem retinere nõ poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Patet igitur quod qui ſeculum diligunt, non repleti, ſed vacui ſunt, de quibus Propheta ait: Turbabuntur pelles terræ Madian. Pelles terrę dicuntur, quia ſuperficialiter nitent exterius, ſed vacui ſunt interius. Madian autem contradictio interpretatur, & ipſi diuinis præceptis contradicunt, & idcirco in fine turbabũtur. Sancti autẽ repleti ſunt fructu iuſtitiæ, prole gratiæ & veritatis. Gratia ſiquidem pertinet ad effectum, veritas ad intellectum, quorum vtrique repletur à Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

*De iuſtitia et fructu iuſtitiæ*

*Spiritualia replẽt, temporalia inflant.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

*Matth. 18.*

*Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Simile eſt regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.*

*De cõuerſione peccatorũ per verbum Dei.*

TESTE Ezechiële: Cùm ambularent animalia, quaſi ſonus erat multitudinis, vt ſonus caſtrorũ. Cùm enim ſancti ambulabant prædicando, multi conuertuntur ad Dominum in laudem Dei prorumpentes, & virtute verbi Dei, cõtra diabolũ dimicãtes. Vnde idem Ezech. ait: Audiebam ſonũ alarũ, quaſi ſonum aquarũ multarũ, quaſi ſonũ ſublimis Dei. Aquæ multæ, populi multi, qui cõuerſi ad Dominũ, laudent Deũ proficiente in eis prędicatione, quæ laus dicitur ſonus ſublimis Dei, quia illam in ſanctis ſuis Deus operatur. In Euang. autem dicitur, quod quidã miſsi ſunt à Iudæis vt caperẽt Ieſum in ſermone, ſed ipſo audito, pœnituerũt, dicẽtes: Nunq; ſic locutus eſt homo. Sæpè quidẽ accidit, quod peccatores, quos diabolus contra Dominũ incitat, dum ipſum in miniſtris ſuis audiunt, ad pœnitentiã cõuertuntur. Verbũ enim Domini eſt fons viuus, cuius aquæ ſaliunt, & ſalire faciunt in vitã æternã: ſicut aquæ Ægypti, id eſt, carnalis voluptatis, ſalire faciunt in infernũ. Libenter igitur & deuotè ad prædicationẽ verbi Dei debetis venire. Si enim Sibylla à finibus terræ venit audire ſapientiã Salomonis: multò fortius de domibus veſtris venire debetis audire ſapientiã Chriſti, quia plus quàm Salomõ hic. Si igitur hucuſq; torpentes fuiſtis, amodò vigilare debetis ad clamorẽ illum, de quo in Apocal. dicitur, quod aquila volans inter cœlũ & terrã, clamat: Væ, væ, væ, habitantibus terram. Hic eſt prædicator, qui debet annuntiare triplex væ, his qui terrenis adhærent. Væ qui decidit de gratia in culpam, væ qui corruit de culpa in culpam, væ qui de culpa tranſit ad pœnam æternam. Orate igitur Dominum fratres, vt hodie digitos mittat, & aperiat aures ſurdorum, & ſaliua ſapientiæ ſuæ intinguat linguam mutorum, vt Deum valeant laudare, & verba eius reſonare. Sicut frequenter accidit quod cùm ſaliua diaboli linitur, lingua peccatorum deſpumat in verba blaſphemiæ & contumeliarum. Simile eſt regnum cœlorum, & cætera.

*Exech. 1.*

*De triplici væ.*

Dediſti

Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus. Comminatio Domini dicitur arcus cuius sagitta est: Ite maledicti in ignem æternum. Executio autem sententię dicitur gladius. Vnde in Iob: Vltor iniquitatis est gladius. Cùm igitur Dominus malos flagellat, dat signum bonis, vt sibi caueãt, & ne consimilem pœnam incurrant. Teste autem Hieronymo: Indemnis est castigatio, quam aliena persuadent exempla. Hoc est enim in sanguine peccatoris manus lauare, id est, inspecta aliorum pœna opera sua purificare. Mulctato siquidem pestilente, timent sapientes & viri iusti. Vnde Ezechiel de Pharaone ait: Operiam cùm extinctus fueris, cœlos: & nigrescere faciam stellas eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciem super te. Hoc est quod Isaias ait: Induam cœlos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum. Quando enim iusti considerant vindictam Dei de impio, timent sibi induentes se cinere & cilicio, & se viles reputando, sub pallio humilitatis se abscondunt. Vnde de Lucifero paulò post Ezechiel subdit: Reges eorum horrore nimio formidabunt super te, id est, viri spirituales quando recordabuntur ruinæ Angelorum, & casus reproborum recolentes cum timore. Qualiter bibit Lucifer de calice superbiæ, & corruit in abyssum amittendo sedẽ suam. Bibit Cain de calice inuidiæ, & factus est vagus & profugus super terram. Bibit Lamech de calice iræ, & in liuore puerum interficiens cũ omni generatione sua periit in diluuio. Bibit Aman de calice tristitiæ, & suspensus est in patibulo, quod parauerat Mardochæo. Bibit Iudas de calice auaritiæ, & suspensus per mediũ crepuit. Bibit Esau de calice gastrimargiæ, & ius primogenituræ amisit. Bibit Sampson cũ Dalida de calicæ luxuriæ, & excæcatus est, atq; priuatus crinibus, id est, spiritus sancti donis. Attẽdant igitur sancti, cũ omni diligentia diuersa vitia reproborũ, & partes peccatorum ad sui custodiã & cautelam. Vnde Dominus in hodier. Euangelio ad correctionẽ & castigationem nostrã proponit Parabolã de seruo nequã, qui cõseruo suo misericordiã exhiberi noluit, cũ tamẽ Dominus cum ipso misericorditer egisset, & omne debitum ei dimisisset. Propterea Augustinus ait: Noli misericordiæ pontẽ subuertere, quem transisti. Et quoniam teste Hieronymo: familiare est Syris, & maxime Palæstinis ad omnem sermonem suũ Parabolas iungere, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem & exempla teneatur: more ipsorum Dominus Parabolam inducit, dicẽs: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Totum negotium quod factum est, vel fieri potuit ab homine rege comparatur toti negotio, quod geritur vel geri potuit in Ecclesia. Reges autem inungi solent, coronari, purpura indui, sceptro insigniri, nouas leges condere, monetam innouare. Et Rex noster Christus inunctus fuit, quem vnxit pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Coronatus fuit corona spinea, quam in capite gessit. Fuit purpuratus, quia sanguine purpureo tinctus, & à militibus purpura indutus. Sceptro autem insignitus fuit, dum arundinem in manu habuit. Nouam legem dedit, sicut scriptum est: Mandatum nouum do vobis. Monetam innouauit, quemadmodum scriptum est: Sicut portauimus imaginẽ terreni, ita portemus imaginem cœlestis. Rex igitur iste, id est, Christus rationem ponit cum seruis, dum merita singulorum examinat, & discutit, dum cogitationũ, locutionum, & operum rationẽ exigit. Vnde & Iob ait: Posuisti in neruo pedẽ meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum cõsiderasti. Pedẽ in neruo ponere, est actiones nostras districta examinatione discutere. Semitas obseruare, est cogitationes diiudicare: vestigia etiam pedũ cõsiderat, dũ operum nostrorũ exẽpla notat. Hoc est quod per Isa. ait: Habitationem tuã, & introitum tuũ, & egressum tuũ ego cognoui, cũ fureres aduersum me. Initiũ enim & finẽ & habitationẽ, id est, medium ipse attendit. Cùm igitur districtus iudex rationẽ villicationis nostræ à nobis requirat, faciamus quod Ecclesiast. ait: Ante iudicium para iustitiam, & antequã loquaris, disce. Ante languorem adhibe medicinã, & ante iudicium interroga teipsum, & in cõspectu Dei inuenies propitiationem. Ante languorẽ humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuã. Opera siquidem iustitiæ allegabunt pro nobis in iudicio. Antequã loquaris, disce, id est, antequã Deo reddas rationem, disce quomodo debeas respõdere. Ante lãguorem, id est, antequã radicetur malitia tua, adhibe medicinã pœnitentiæ: vel per languorẽ intelligi potest pœna in die iudicii infligenda, propter durationẽ morbi: & quia nõ est locus operationi, ante iudicium interroga teipsum, id est, examina, & iudica teipsum tẽporaliter, ne dãneris æternaliter. Ante lãguorem humilia teipsum, agẽdo, scilicet, pœnitentiã, & in tẽpore infirmitatis, dum, scilicet, vrget te vulnus peccati, ostende sacerdoti conuersationẽ tuã, & ita in cõspectu Dei inuenies propitiationẽ. Cùm igitur Dominus positurus sit rationẽ cũ seruis suis, attendamus diligẽter qualiter seruierimus, & quales serui simus. Sunt quinq; genera seruorum. Quidã deuotè & hilariter Deo seruiunt. Iuxta illud: Seruite Domino in lætitia. Alij sunt qui seruiunt in tristitia, de quibus scriptum est: Si verò non fuerint saturati, & murmurabunt. Alij seruiunt in apparentia. De quibus scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Alij seruiunt in angaria. Coacta autem seruitia Domino non placent. Hi sunt velut rota plaustri quæ fœnum portat & murmurat. Præcordia siquidem fatui velut rota plaustri. Alij seruiunt in nequitia, de quibus in præsenti Euangelio Dominus ait: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi. Huiusmodi serui nequam ex iniquitate puniunt, & purgant bonos. Vnde Salomon ait: Qui stultus est, seruiet sapienti. Et quoniam Deo deuotè seruire, regnare est, simus

*De diuina cõminatione sumpta similitudine ex arcu, sagitta & gladio.*

*De castigatione bonorum & flagellis malorum. Ezech. 32.*

*De multiplici pœna.*

*Augustinus. Hieronymus.*

*De officio regis.*

*Christus rationẽ ponit cum seruis.*

*Præparare debemus ad reddendum rationem.*

*De quinque generibus seruorum.*

*Moraliter reges esse debemus & cum seruis nostris rationem ponere.*

& nos reges spirituales,& ponamus rationē cū seruis nostris. Teste enim Salomone in Prouerbiis: Rex qui sedet in solio iudicij discutiēs omnia opera sua,vt si quid mali sē intermiscear, dissipet illud intuitu discretionis. Ponamus rationem cum seruis nostris attendentes diligenter,qualiter membra nostra seruierunt Domino,& si malè seruierint,sumamus vltionē de ipsis. Seruo enim maliuolo tortura & compedes. Ponamus rationem cum seruis illis,de quibus in Parab. Salomō ait: Per tria mouetur terra,& quartū quod nō potest sustinere. Per seruū cū regnauerit,per stultū cū satiatus fuerit cibo,per odiosam mulierē cùm in matrimonium fuerit assumpta,per ancillā cū fuerit hæres dominæ suæ. Seruus est corpus,pœnarū vinculis astrictus. Tunc enim seruum istū regnare permittimus,cū eius praua desideria adimplemus. Stultus cibo satiatus,est carnalis sensus illecebris inebriatus. Nisi enim sensus nostros stultos & vagos reprimamus,mouetur terra,homo,scilicet,terrenus. Mulier odiosa in matrimoniū assumitur,dū ad actionē secularē,cui renunciauerit homo,reuertitur. Ancilla autē,id est,sensualitas,hęres dominæ suæ efficitur,dum extincta ratione caro spiritui dominatur. Sequitur: Cùm cœpisset rationē ponere, oblatus est ei vnus,qui debebat decem milia talenta. Debitor decē milium talentorum significat homines,qui Domino sunt obnoxij per transgressionē decē mandatorum. Dicuntur autē debere,nō solū decē talenta,sed decē milia talentorū,qui decalogo astricti multarū rei sunt transgressionum. Cùm autē nō haberet vnde redderet,iussit eum Dominus venundari & vxorē eius,& filios,& omnia quæ habebat,& reddi. Iubet Dominus pro cōcupiscentia seu voluntate mala,seu nephandis operibus,quasi pro vxore & filiis pœnas soluere. Cum vxore etiā & filiis venditur, qui in carne & operibus seruire diabolo permittitur, & si qua bona opera præcesserunt,per peccatum sequens mortificantur, & à diabolo captiuantur. Vnde per Osee Dominus ait: Quia oblita es legis Dei tui,ideo obliuiscar ego filiorum tuorum,id est,bonorum operum. Hoc est quod ait Isaias: Terra nostra deserta,ciuitates nostræ succensæ igni,regionem nostram coram nobis alieni deuorant. Terra mentis nostræ,quæ prius fructificare solebat à Deo per peccatum deseritur,& ita peccator cum filiis bonorum operum,quæ prius fecerat sub peccato venundantur, vt fiat seruus peccati, & sic ciuitas conuersationis pristinæ,in qua commorabatur,succensa est igne peccati,dum alieni, id est,dæmones deuorant animæ regionē,hoc est quod Osee ait: Culmus stās non est in eo, germen non faciet farinam: quod & si fecerit, alieni comedent eam, Aliquando enim de semine non crescit herba,id est,de verbo Dei bona voluntas. Quod si fecerit,impediet diabolus ne faciat culmum, id est,boni operis prouentum,seu germen. Si verò germen ad maturitatem venerit, vt de illo farina fiat,alieni comedent eam,dum dæmones immittunt vanam gloriam. Postquam enim floruerit amygdalus bene inchoando,impinguabitur locusta deuorando,nec sinet diabolus ex floribus fructum produci,sed locusta inanis gloriæ omnia consumet dente deuorando. Vnde in lib. Iudicū dicitur. Cùm sæuissent Israël veniebant Madian & Amalech, & sicut erant in herbis cuncta vastabāt. Potest tamen in bono intelligi venūdatio serui,vxoris & filiorum. In venditione enim hoc agitur,vt alterius res,in alterius transeat possessionem. Tunc igitur peccator venditur cum de possessione diaboli per pœnitentiam transit in possessionem Dei. Venditur quoque vxor & filij, cum caro, quæ peccatis fuit subdita & opera atq; cogitationes carnales in seruitiū Dei commutantur. Vnde & subditur: Procidens autem seruus ille rogabat,dicēs: Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi. Debitor enim,id est, peccator procidit per humilitatē,rogat per contriti cordis deuotionē, vt habeat Dominus erga eū patiētiam per misericordiā: & spondet quod omnia reddet per satisfactionē. Patientiā habe in me parcēdo peccatis meis, expecta ad pœnitentiā,& omnia reddā tibi implēdo decalogū,& mandata tua obseruādo. Qui patiētiam Dei implorat,necesse est vt patientiā habeat. Qui autē per impatientiā vindicat,alieni iuris est vsurpator,scriptū est enim: Mihi vindictā,& ego retribuā,dicit Dominus, Deus siquidē vltionū est Dominus. In libro autē Sapien. dicitur: Cōtumelia & tormēto interrogemus eū. Cōtumelia quantū ad verbū,tormento quantū ad factū. Mansuetudo igitur cōtumeliis,& patientia iniuriis opponatur. Teste autē Seneca: Cōtra parē cōtendere,anceps est: cōtra superiorē,furiosum: contra inferiorem,sordidum. De impatientibus autē in Prouer. dicitur: A facie verbi parturit fatuus,quia,scilicet,audita cōtumelia laborat,& vix se cōtinet versans in corde,quomodo maiorē cōtumeliam possit reddere. Propterea in Eccles. dicitur: In humilitate tua patientiā habe,quoniā igne probatur aurū & argentum,homines verò receptibiles in camino humiliationis & in humilitate,id est,in tribulatione,quæ est causa humilitatis,patientiā habere debemus. Homines autē receptibiles,qui,scilicet,nō abiiciūt,sed recipiūt flagella Domini,probātur in camino humiliationis,id est,humiliātis tribulationis. Sciendū autē quod patientiā tribus modis exercemus. A Deo enim flagellamur,sed cauendū est ne murmuremus. A proximo persecutiones & dāna,& cōtumelias sustinemus,sed cauendū est,ne mala retribuamus? Ab aduersario tētamur,sed cauendū est,ne ad delectationē,vel ad cōsensum peccati flectamur,& ne pro his præsentē remunerationē quæramus,sed futuram expectemus. Misertus autē Dominus serui illius,dimisit eū,& omne debitū dimisit illi. Nō est conuentio Christi ad Belial,dū vnum remittit,omnia remittit,& penitus à potestate diaboli animā retrahit. Vnde in Euangelio se totum hominem saluum fecisse in sabbatho asserit. Quem enim sanauit in corpore, omnino sanauit in mente. Et per Ezechielem ait: Si conuersus fuerit impius ab iniquitate sua,omnium iniquitatum eius

*De seruo multis debitis obligato.*

*De venundatione serui, vxoris, & filiorum.*

*Osee. 8. Opera bona per vanam gloriam amittuntur.*

*Qui vult quod Deus sibi compatiatur, necesse est vt proximos patienter sustineat. Seneca. De vitio impatientiæ. Eccle. 2.*

*De triplici patientia.*

*De integra & plena remissione.*

tatum eius non recordabor. Plus autem dat Dominus, quàm petatur ab eo. Seruus patiētiam petiit, & Dominus omne debitum dimisit. Vnde & Zacharias ait: Petite pluuiā à Domino in tempore serotino, & Dominus faciet niues & pluuiā imbris. Ecce petitur pluuia, & dat Deus insuper niues. Per niues gratia refrigerans cōtra vitia, vt declinemus à malo. Per pluuiam imbris gratia proficiens, vt bonum facere valeamus. Tempus autē serotinum, tēpus gratiæ appellat. Vel pluuia quæ petitur in tempore serotino, est refrigeriū post mortē. Similiter & Salomoni petenti cor docile ad regendum populum, plus dedit quā petierit. Vnde & dixit illi: Dedi tibi cor sapiens, & intelligens intantum, vt nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit: sed hęc quę nō postulasti, dedi tibi, diuitias & gloriam vt nemo fuerit tui similis in regibus cunctis retrò diebus. Similiter plus soluit, quàm promittit. Vnde in Numero ait: Ex omnibus quæ elegero, germinabit virga eius. Non solùm autem germinauit, sed floruit & frondiuit, & amygdala protulit. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocauit eum, dicens: Redde quod debes. Patet quod iam fuerat egressus à via veritatis, & post dimissionem peccati, reuersus fuerat ad vomitum. Multi autem sunt qui postquam ad peccata redeunt, & si non possunt opere, tamen reuertuntur cogitatione & praua voluntate. Sicut qui iam non potest ad mensām diaboli manducare carnium frusta, rodit ossa sub eius mēsa, peccata prēterita cum delectatione recolendo. Quantum autem inter decem milia & centum distat, tātum maiora sunt, quæ in Deū committimus, quā ea quæ homines contra nos committunt. Si igitur Dominus seruo maius debitum tā facilè dimisit, quantò magis seruus conseruo debet maiora dimittere? Qui autem violentiam proximo facit, & malum pro bono, vel etiam pro malo reddit, proximum scandalizat, & quātum in se est, suffocat auferendo illi spiritum sanctum, quem debuit remittendo illi prouocare ad bonum. Ita etiam impietate commotus proximum suffocabat. Vnde in Prouer. Salomon ait: Graue est saxum & onerosa est arena, sed ira stulti vtroq; grauior. De his autem qui repetunt à nō habentibus, ait Isaias: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Qui autem repetit non habentem, Domino facit violentiam. Vnde in Ezechiele dicitur de iustis: Virum nō contristauerit, & pignus non retinuerit. Procidens conseruus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem. Exacerbauit Dominum peccator iste, irritauit, & amaricauit. Exacerbauit leuem, irritauit patientem, amaricauit dulcem. Propterea Psalmista ait: Propter quid irritauit impius Deum? Et iterum: Expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine, id est, peccando te cibum veritatis suauem sibi amarum fecerunt. Teste autem Gregorio: Ex iudicis clementia crescit peccatoris pœna. Dominus misertus est illius, & ipse noluit misereri. Ad memoriam reducere debuerat, quod Dominus ei peccata dimiserat. Vnde Ieremias de ingratis ait: Non dixerunt vbi est Deus, qui descendere nos fecit de terra Ægypti, & traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis & imaginem mortis. Terra inhabitabilis est mundus iste, in quo nullus debet inhabitare, sed quasi peregrinus transire, quæ dicitur inuia propter difficultatem itineris. Terra etiam sitis, in qua semper maiora cupiuntur: & imago mortis, quia semper in periculo sumus, & laqueos vndique diabolus tendit. Sequitur: Vidēntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Ad maiorem enim iudicem recurrendum est, cùm minor alicui iniuriatur. Cōserui autem, id est, Angeli, quę gesta hominum Domino ferunt, vel etiā sancti homines, qui de proximorum afflictione cōtristantur, & narrant queruli Domino implorando, & supplicando pro his qui Deum offendunt. Tunc vocauit eū Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: Nónne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Ille quidem rectè sui delicti veniam postulat, qui prius hoc, quod in ipso delinquitur, relaxat. Alioquin quomodo dicet: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Teste Anastasio non orationem pro se facit, sed maledictionem super se inducit. Et Seneca: Alteri semper ignosce, tibiipsi nunquam. Instabile est regnum, quod non clementia firmat. Oportuit illum misereri conserui sui. Qui enim in peccatis fuit, compati debuit peccatoribus. Vnde in Exodo dicitur: Peregrino molestus nō eris, memento, quia peregrinus fuisti in terra Ægypti. Et per Isaiam Dominus ait: Absconde fugientes, & vagos ne prodas: habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris. Peccatores enim conuersi debent esse refugium aliorum, vt qui prius vagi fuerant, hostibus vltrò non prodantur, sed consepulti Christo, abscondantur à diabolo. Omne debitum dimisi tibi, id est, debitum legis naturæ, legis scripturæ, seu Mosaicæ, & legis Euangelicæ, seu gratiæ. Magis autem peccat Christianus, qui hanc triplicem suscepit & transgreditur, cui Deus omne debitum dimisit in baptismo, quàm Iudæus, vel paganus. Vnde Isaias: Scio quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. Præuaricans legem scripram, præuaricaberis legem Euangelicam, & transgredieris legem naturæ, quæ ab initio quasi ex ventre impressa est tibi, vel transgressorem in Adam, quasi ex ventre quantum ad originale vocaui te. Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum, quod nunquam possunt reddere in inferno. Vnde in perpetuū torquebuntur traditi tortoribus tartareis.

*Plus dat Dominus quàm ab eo petatur.*

*Ezech 18. De his quibus misertus est Deus, & ipsi misericordes non sunt.*

*Ierem. 2.*

*Qui vult vt sibi dimittatur alijs dimittat. Anastasius. Seneca.*

*Isa. 16.*

*De transgressione triplicis legis.*

*Isa. 48.*

Teste au-

*Hieronymus. Peccata redeũt per odiũ fraternum.*

Teſte autem Hieronymo: Si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, illud iterum exigitur, quod iam nobis per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. Et Ezechiel de his qui corruunt in peccatis. Non erunt in memoria iuſtitiæ eius, quas fecit. Vnde Gregorius ait: Hoc nobis maxime conſiderandum eſt, quia cũ mala committimus ſine cauſa, ad memoriam bona tranſacta reuocamus, quia in perpetratione malorũ nulla debet eſſe fiducia præteritorum bonorum. Patet igitur quod qui in vno offendit, omnium eſt reus. Vnde Abacuc: Denudaſti fundamentum eius, vſque ad collum, id eſt, ab imo cogitationis, vſque ad ſummum operationis. Et in libro Sapientiæ dicitur: Commouebit eos à fundamentis, & vſque ad ſummum deſolabuntur. Exigit igitur Dominus vniuerſum debitum vſque ad vltimum quadrantem. Mundus ſiquidem conſtat ex quatuor elementis. Qui igitur noluit eſſe ignis per charitatem, aër per ſpiritualem conuerſationem, aqua per obſeruantiam baptiſmi, vel lachrymarum effuſionẽ, quia noluit ſoluere tres quadrantes, ſoluet nouiſſimũ, quia terra fuit, & pro terrenis punietur. Similiter homo conſtat ex quatuor elementis, igne, aqua, aëre, & terra. In igne intel ligitur charitas, quæ eſt primus quadrans. In aëre gratia Dei vel vita hominis, quæ eſt ſecundus quadrans. In aqua eſt ablutio peccati, quæ eſt tertius quadrãs. In terra quæ eſt corpus, eſt quartus & vltimus quadrans. Exſoluet autem homo peccatum, quod fuit contra charitatẽ, & quod gratiam Dei inuacuum accepit & malè vixit, & quod poſt baptiſmum ſe inquinauit, & quod in corpore perpetrauit mala, & ita omne debitum ſoluet in pœna nullo quadrante prætermiſſo. Tandem terribilis ſententia ſubditur: Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris, vt igitur ſciremus dimittendum eſſe conſeruis peccantibus in nos, oſtendit Dominus per ſimilitudinẽ, quia ſi rex & Dominus dimiſit ſeruo, multò magis homo fratribus ſuis debet dimittere. Niſi enim dimiſerimus, Deus poſtquã dimiſit nobis, reuocabit in irritum ſententiam dimiſſionis. Sicut Dominus à ſeruo non dimittente omne debitum prius dimiſſum exegit. Ait autem Dominus de corde dimittendum eſſe. Quidam enim & ſi dimittant quantum ad vindictam, tamen conceptum odium ſeruant quantum ad malitiam. Oportet autem quod ita remittamus, vt nec opere exerceamus vindictã, nec corde celemus malitiam. Aliqui ſiquidem loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Ore pacem cum proximo ſuo loquuntur, & occultè ponunt ei inſidias. Si autem pater veſter cœleſtis tortoribus tradit non dimittentes iniurias, quid fiet de his, qui inferunt iniurias? Si ſterilitas in ignem mittetur, rapacitas quid meretur? Aut quid recipiet, qui alienum tulerit, ſi ſemper ardebit, qui de ſuo non dedit? Si iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam cum proximo ſuo, quid fiet ei qui fecit rapinam? Poſſunt autem prædicta allegoricè intelligi de populo Iudæorum, & de his qui de gentibus conuerſi ſunt ad Chriſtum. Seruus quidem qui decem milia talenta debebat, populus eſt Iudaicus, qui decalogo aſtrictus multarum tranſgreſionum erat reus. Cùm autem non haberet vnde redderet, id eſt, viribus ſuis hoc implere non poſſit, iuſſit Dominus, id eſt, iuſto iudicio eum permiſit venundari, id eſt, malorum ſpirituũ ſeruum fieri, & per multas captiuitates diſtrahi, & inſuper vxorem & filios, & omnia quæ habebat, Prælatos, ſcilicet, & ſubditos, cum tota ſubſtantia eorum pro magnitudine delictorum tradidit ſæpè exteris nationibus, vt quod noluerũt voto, ſoluerent tormento, cùm etiam ſponte nollẽt: malis coactus populus ille ſæpè clamauit ad Dominum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia tibi reddam implendo decalogum, & credendo in te qui es finis legis ad iuſtitiam. Miſertus Dominus ſerui illius, dimiſit eum. Sæpè eum à captiuitate liberauit, & in aduentu Chriſti ab obſeruantia legalium, & debito præceptorum eum abſoluit. Egreſſus autem ſeruus ille, in libertatẽ, ſcilicet, fidei, vel de captiuitate liberatus, inuenit vnum de conſeruis ſuis gentilem, ſcilicet, populum ad Chriſti fidem conuerſum, qui debebat centum denarios. Idipſum enim quod ad fidem conuerſus eſt populus gentium, quodammodo debebat populo Iudaico, quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Debebat autem recognoſcere ſalutem ab eo per Apoſtolos ſibi præſtitam. Populus autem Iudaicus nitebatur ſuffocare eum, attentãs legalibus obſeruantiis ipſum onerare, non ſolum perſuaſionibus, ſed & tormentis, dicens: Chriſti gratiam inſufficientẽ eſſe ad ſalutem, ſicut Paulus frequẽter à cõtribulibus ſuis ſuffocatus eſt, & afflictus. Dicebat enim populus ille carnalis. Redde quod debes, id eſt, cuſtodi obſeruantias carnales. Reſpondenti autem omnia reddam tibi, id eſt, quicquid lex præcipit ſpiritualiter obſeruabo, noluit ſpiritualia, ſed abiit, id eſt, à ſpiritualibus receſſit, gratias ſpernẽs & indignos ſua ſocietate in Chriſto iudicãs, & ideo Rex iratus, tradidit eũ tortoribus, id eſt, Romanis & tartareis miniſtris. Sicut igitur Dominus puniuit populũ illum, qui ſemper cõuerſos de gentibus perſecutus eſt, & odio habuit, ſic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis fratribus veſtris de cordibus, nõ ficta, ſcilicet, pace, ſed vera & integra dilectione. Quam nobis præſtare dignetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.

*De quadrupli quadrante.*

*Ex corde dimittere debemus.*

*Alia expoſitio allegorica de populo Iudeorum & gentibus.*

## DOMINICA VIGESIMATERTIA THEMA SVMPTVM DE INTROITV MISSAE EX IEREMIA. 29.

*Dicit Dominus: ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, inuocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem veſtram de cunctis locis.*

QVIS

QVIS dabit me ſpinã & vepre in prelio: gradiar ſuper eam, ſuccendã eam pariter? An potius tenebit fortitudine meã, faciet pace mihi, pace faciet mihi? Verba ſunt Domini per Iſa. oſtẽdẽtis, quaſi allegatione quandã inter miſericordiã & iuſtitiã eius, ſed miſericordia ſuperat & ſuperexaltat iudicium, quaſi dicat: Nunquid iniquitates veſtræ de me, qui mitis ſum, facient crudelem vt ſim ſimilis ſpinis & vepribus, & in ſeueritate gradiar ſuper vineã meã, & ſuccendã eam igne, potius autẽ tenebo fortitudine meam mittendo Angelũ pacis, vt mihi recõcilietur, & nõ in fortitudine mea cõteratur. Ego ſiquidẽ cogito cogitationes pacis, & nõ afflictionis. *Miſeris cœleſtia numina parcunt.*

*Miſericordia Domini ſuperexaltat iudicium. Iſa. 27.*

*Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ:*
*Et faciles motus mens generoſa capit.*

Teſte autẽ Greg. ſtãtibus ſi ceciderint minatur pœnã, lapſis verò, vt reſurgere appetãt, promittit veniã. Illos terret ne præſumãt in bonis, iſtos refouet ne deſperẽt in malis. Et Iſa. Expectat Dominus vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcẽs vobis. Deus enim expectat nos ad pœnitentiã, & pace recõciliationis & omnipotentiã ſuã parcendo maxime & miſerãdo manifeſtat, & exaltatur captiuis cõpatiẽdo & parcẽdo. Vnde & Chriſtus pro nobis diſciplinatus eſt, vt flagello ſuo nobis pace faceret, quẽadmodũ Iſa. ait: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus. Per eius enim diſciplinã recõciliati ſumus Deo: ſine hac diſciplina nemo eſt verè diſciplinatus. Vnde Iacobus ait: Quis ſapiẽs & diſciplinatus inter vos? Plerumq; autẽ mediãte matrimonio ſolet pax reformari. Vnde Chriſtus: vt nos patri recõciliaret, vnã de cõſanguineis noſtris, id eſt, humanitatẽ aſſumptã ſibi matrimonialiter copulauit, & ore proprio oſculatus eſt cõſanguineos vxoris ſuæ, oſculo oris ſui. Quaſi enim ore alieno oſculatus eſt, quando multifariã multisq; modis olim locutus eſt patribus in Prophetis, ſed ore proprio oſculatus eſt, quãdo locutus eſt nobis in filio ſuo, qui eſt os patris. Per oſculũ autẽ intelligitur pax recõciliationis. Oſculũ quaſi oris poculum, quod nobis Deus in Chriſto propinauit. In oſculo autẽ caro carni cõiungitur, ſpiritus ſpiritui ſociatur. Et Chriſtus nõ ſolũ naturæ noſtrę particeps factus eſt, ſed Eccleſia eius diuinitati per ſpiritũ ſanctũ eſt ſociata. Oſculatur inſuper, dũ dulcedine præſentiæ ſuæ animã tãgit, & pace amiſſam reddit. Oſculatur peccata remittẽdo, & pace beatæ vitæ tribuẽdo. Hoc eſt quod Iſa. ait: Multiplicabitur eius imperiũ, ſcilicet, in vniuerſo mundo, per prædicationẽ Apoſtolorũ, & pacis nõ erit finis. Licet enim hîc aliquãdo tribulationes ſuſtineãt iuſti, pace tamẽ pectoris nõ amittũt, nec vnquã amiſſuri ſunt pacẽ æternitatis. Dominus enim de Iebus, quę interpretatur cõculcata, fecit Hieruſalẽ, quãdo genus humanum quod à dęmonibus & vitiis fuerat conculcatum, viſitauit, vt pacẽ reconciliationis afferret. Donũ enim & pax electis Dei, id eſt, donũ pacis. Vnde in perſona Domini Iob ait: Cor viduę cõlatus ſum, quod fuit maximè in die pẽtecoſtes. Vidua ſiquidẽ fuit Eccleſia in morte Chriſti. Dominus autẽ cõſolatus eſt eã ſpiritũ ſanctũ mittendo. Vnde per Iſa. ait: Cõſolamini, cõſolamini populę meus. Verbũ conſolationis geminatur propter conſolationẽ viæ, & conſolationẽ patriæ, vel geminatur propter duplicẽ miſeriã, culpæ, ſcilicet, & pœnæ. Vnde & ſubiungit: Cõpleta eſt malitia eius, id eſt, terminata malitia culpæ & pœnæ. Suſcepit de manu Domini duplicia, quia punita eſt in corpore & anima, & idcirco dimiſſa eſt iniquitas illius. Teſte ſiquidem Salomone: Liuor vulneris abſterget mala, ecce pœna exterior: & plagæ in ſecretioribus ventris, ecce pœna interior. Cogitauit autem Dominus cogitationes pacis, & reconciliationis generis humani. Vnde ad Oſee, id eſt, ad Chriſtum pater locutus eſt, vt acciperet vxorem fornicariam, id eſt, Eccleſiam de gentibus ſibi copularet, & reconciliaretur eidem. Et dicitur quod fecit filios fornicarios, quia filios quos prius genuerat fornicaria, in filios adoptauit. Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, &c. Quod non ſolũ de pace reconciliationis, de qua prædictum eſt, intelligitur, ſed de alia pace multiplici. Eſt enim pax reconciliationis, de qua ſcriptũ eſt in Iſa. Creaui fructum labiorũ pacem. In vera enim confeſſione conſtituit Dominus pacẽ reconciliationis, ſicut ſcriptum eſt: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. Si enim in ore peccatoris ſit veritas confeſſionis, occurrit ei miſericordia Dei peccata remittentis. Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt: quia ſi ſit iuſtitia accuſans & puniens commiſſa, occurrit pax recõciliationis. In oſculo pacis eſt pax pectoris, id eſt, bonæ conſcientiæ ſerenitas, quã peccatum mortale non remordet. Eſt inſuper pax pectoris tranquillitas purgatæ mentis. Poſt multas enim tentationes & variarum cogitationum tempeſtates, Dominus imperat ventis & mari, & fit tranquillitas maxima, dum poſt turbinem & tempeſtatem ſerenitatem adducit. Loquente ſiquidem in animo ſummo abbate, id eſt, ſpiritu ſancto, ſilet omnis conuẽtus, id eſt, prauę cogitationes & motus ſenſualitatis. Vnde in Geneſi dicitur, quod Iacob moriens pedes ſuos collegit in lectulo, quia vir fortis affectus ſuos & finalia opera collocat in quiete, attendens illud Salomonis: Melior eſt buccella panis cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio, cum ſtrepitu, ſcilicet, curarum & perturbatione ſollicitudinum. Et ita ſicut de Iacob legimus in Geneſi: homo mortuus mundo, conditur aromatibus, & ſepelitur in ſpelunca duplici, quia virtutum odore refertus in expectatione geminæ ſtolæ requieſcit. Ad hanc autem pacem non venit, niſi qui cum magno ſtrepitu cum vitiis pugnauit. Vnde Pſalmus ait: Periit memoria eorum cum ſonitu. Cùm enim tentationibus reſiſtitur, ſtrepitus in nobis excitatur. Vnde Naum ait: Dominus in tempeſtate & turbine vię eius, & nebulæ puluis pedum eius. Domino enim aduẽniente in

*Iſa. 30.*
*De pace reconciliationis per diſciplinã & matrimonium. Iſa. 54.*
*De oſculo Chriſti.*
*De pace & conſolatione.*
*De multiplici pace. Iſa. 7.*
*De pace pectoris.*
*Poſt pugnam peruenitur ad tranquillitatẽ.*

niente in mente alicuius pœnitentis, insurgit tempestas tentationum, quam diabolus immittit, & turbo doloris, frangens duritiam mentis: & sicut puluis motus generat nebulam coram oculis & obscuritatem reddit: sic Dominus peccatorem commouens, facit nebulam, id est, quãdam obscuritatem reddit, & cõfusionem amaritudinis atque doloris menti inducit. Vnde Iob ait: Occupet eum caligo, & inuoluat amaritudine. Caligo, id est, mentis confusio, quod fit dum inuoluimur amaritudine peccati. Est pax cõcordiæ & vnitatis, de qua in Ecclesiastico dicitur:

*Eccle 7.*
*De pace concordiæ.*

Multi pacifici sint tibi, consiliarius sit tibi vnus de mille. Huiusmodi pacem debet homo habere ad Deum, vt in omnibus voluntati eius consentiat: ad Angelos, vt eorum consiliis acquiescat: ad proximos, vt etiam cum his qui oderunt pacem, sit pacificus, & nullum molestat vel lædat ad seipsum, vt caro spiritui in bono consentiens obediat. Est pax securitatis & gaudij,

*De pace securitatis. Seneca.*

de qua Salomon: Secura mens, quasi iuge conuiuium. Et iterum: Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Et Seneca: Si nunquam mœstus es, si nulla spes animum tuum futura expectatione sollicitat, si per dies & noctes, par & æqualis animi tenor erecti placentisq; sibi est, peruenisti ad humani boni summam. Et iterum: Talis est sapientis animus, qualis mundus super lunam: semper illuc serenum. Et rursum: Sapiens nunquam sine gaudio est. Gaudium hinc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere nisi fortis, nisi iustus, nisi temperatus. Est pax æternitatis, de qua Psal. In pace in idipsum dormiam & requiescam, quasi dicat: In pace quæ tendit in idipsum, id est, in pace incõmutabili dormiã in futuro semotus à strepitu mundi. Et per Isa. Dominus ait: Sedebit populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. In præsenti enim requies nostra modica est, & quasi macilenta, & pauper respectu futuræ pacis. Est insuper pax quædam temporis cum homo non infestatur exterius ab aliquibus aduersariis. Per hanc autẽ pacem quidam sunt dissoluti, quidã remissi, quidam deuoti. Hi sunt serui, mercenarij & filij. Semper enim seruus malè agit, nisi flagelletur: vnde seruo maliuolo tortura & cõpedes. Mercenarius remissius agit, nisi flagelletur. Filius tãtò melius agit, quantò libertati suæ relinquitur. Est autẽ triplex pax mala, cũ carne, cum mundo, cum diabolo. Pacẽ cum carne habent, qui eius desideriis non repugnant, qui post eius cõcupiscentias abeunt, & ipsius voluptatibus consentiunt. Pax autem cum mundo est malorum, in malis connexio & mutua ipsorũ defensio. Vnde Naũ ait: Sicut spinæ sese inuicẽ cõplectuntur, sic conuiuiũ illorũ pariter potantiũ. Vnde Psal. Tanquã oues in inferno positi sunt. Malè sunt istæ oues, quarũ vna ad ouile inferni aliã sequitur, & se inuicẽ in perditionẽ ducunt. Ouis siquidem quandoq; sumitur in malo, maximè quia permittit se lactari à colubro, & postmodũ depilatur, & sterilis atq; scabiosa efficitur: ita diabolus eis, qui ab ipso seducuntur, aufert lac innocentiæ, & reddit steriles à bono opere, & lana charitatis & suauitatis spoliãtur. Pacẽ cum diabolo habent, qui eius suggestionibus cõsentiunt, & voluntati eius acquiescunt. De quibus Isa. ait: Dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Cùm igitur multiplex sit pax bona, & multiplex sit pax mala, de qualibet bona pace intelligendum est, quod Dominus cogitat cogitationes pacis. Reprobi autem cogitãt cogitationes discordiæ & iniquitatis. Vnde per Isa. Dominus ait: Nõ enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ. Et Mich. ait: Væ qui cogitatis inutile. Non solum autem inutiles cogitationes malorum, sed pernicioſæ & noxiæ: quarum aliæ inflant, vt superbæ: aliæ dissipãt, vt iracundæ: aliæ distẽdunt, vt ambitioſæ: aliæ contrahunt, vt tumidæ: aliæ inquinant, vt luxurioſæ: aliæ perturbãt, vt vanæ. Vnde Seneca: Nihil stultitia pacatum habet, tam superne illi metus est quam in terra. Ad omnia pauet, impa rata est & ipsis terretur auxiliis. Sapiens autem ad omnẽ incursum munitus est & interitus, nõ si paupertas, non si luctus, nõ si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedẽ referat. De ropro bis autẽ Isa. ait: Impij quasi mare feruẽs, quod requiescere nõ potest, & redundant fluctus eius in cõculcationẽ & luctum, & nõ est pax impiis, dicit Dominus: Fluctus maris tumidi sunt salsi, inquieti, sese cõcutiunt, ascendunt & descẽdunt, ex se spumã generant. Hoc modo impij, superbi sunt, & inflati in felle peccatorũ amari, inquieti & vagi sese impugnãr, & inter se collidũtur, ascẽdunt & descendunt, quia qui se exaltat, humiliabitur: spuma secularis vanitatis inuoluuntur. In mari autem duplex est conturbatio, vna ex ipso mari, quia fluit & refluit, & ab ipso fundo commouetur. Alia quia ventis extrinsecus agitatur. Similiter in homine duplex est tribulatio: vna dũ ad peccãdum mouetur ex sensualitate. Alia, quia mouetur diaboli suggestione. propterea Sopho. ait: Væ qui habitatis funiculũ maris, gens perditorum, id est, qui elegistis mansionẽ in mari huius mundi, qui fluctibus concussi, sicut ripa maris nunquã quiescitis. De hac iterum impiorum perturbatione Isa. ait: Cor Ægypti tabescet in medio eius, & cõcurrere faciã Ægyptios aduersum Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrẽ suũ, & vir contra amicum suum, & ciuitas aduersus ciuitatẽ, & regnum aduersus regnum, & disrumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius, quia, scilicet, in contraria diuiditur voluntas secularium. Nec confidendũ est in fratribus vel amicis secularibus, sed vnusquisq; à proximo suo se custodiat, quemadmodum Ieremias ait: Noli credere amico, & noli confidere in ducẽ: ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi clausura oris tui: quia filius contumeliam faciet patri, filia consurget aduersus matrem suam, nurus contra socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Quamdiu autem in amaritudine peccatorum commoratur homo, à pace & mentis quiete priuatur. Vnde Zacharias ait: Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum

*De triplici pace mala.*
*Naum 2.*
*Isa. 28.*
*De malis cogitationibus. Isa. 55.*
*Seneca.*
*Isa. 56.*
*Sopho. 2.*
*Isa. 19.*
*Iere. 10.*

mentorum erat, nec introeunti, nec exeunti erat pax præ tribulatione. Per homines intelligun tur astutiores, per iumenta simpliciores. Iuxta illud: Homines & iumenta saluabis Domine: nec illis, nec istis quàm diu sunt in peccato, merces est de operibus suis, nec introeunti per cogitationem, nec exeunti per operationem est pax, si curis secularibus & passionibus desiderio rum infestatur peccator antequam ad Dominum cõuertatur. Vnde Ieremias: Deuorabit ignis partem Moab, & verticem filiorum tumultus. Pars Moab, id est, diaboli est peccator, qui ab igne peccati deuoratur in hoc seculo, & ab igne gehennæ deuorabitur in futuro. Per verticem autem superbia designatur. Filij tumultus sunt filij discordiæ, tã hos quàm tumultuosos ignis peccati deuorabit. De his autem tumultuosis & scismaticis dicit Isaias: Videbitis scissuras ciuitatis Dauid. Quod fit quando in Ecclesia oritur scisma, vel inter clausirales discordia. Quidam enim clausirales quasi dormiendo stertunt, & alios dormire nõ sinunt, qui scilicet in religione murmurant & alios infestant, vel se de gratia, si quam habent, iactant, vel vt magni habeantur, visiones aliis narrant, cùm nemini visionem dicere deberent, donec filius hominis resurgeret in ipsis, donec spirituales efficerentur, & laudibus suis nõ mouerentur. Et quoniã furtũ est cõtrectatio rei alienæ inuito Domino, qui renũciauit proprio sensui & propriæ volũtati, & fecit aliũ Dominũ dicendo patri spirituali: In manus tuas commẽdo spiritũ meũ. si propriũ sensum, vel propriam voluntatem resumit, furtum committit, & cum Achor regulam auream furatur, dum institutionẽ regularem præterit. De anathemate autẽ Iericho cõstat proprietarium tollere, dum super re mutabili, cui renunciauerat, non veretur excommunicationis sententiam incurrere. Sicut autem litigiosi, ita & ambitiosi pacem habere non possunt. Quidam enim ex ipsis ad dignitates contrahuntur caudis equinis, id est, temporalium abundantia & nobilitate generis, sicut scriptum est: Hi in curribus, & hi in equis. Alij caudis vulpinis, qui, scilicet, promo ueri studeant dolo simulationis & hypocrisis. Alij quasi cauda draconis impedientes malitiose, ne fiant electiones in pace, & trahunt vnam partem ad se vt fiant scismata, sicut draco tertiam partem stellarum traxit cauda sua. Similiter & inuidi semper sunt in perturbatione & nunquam in pace. Licèt autem stella differat à stella in claritate, vna tamen alij suam claritatem non inuidet. Ex quo patet quod inuidi non sunt stellæ, licèt aliquando videantur lucere, sed sunt ligna putrida, vermibus inuidiæ corrosa. Inuidus enim bona aliorum non potest videre, nec bonos in vita eorum laudare.

*De perturbatione ambitiosorum.*

*De perturbatione inuidorum.*

*Versus.*

*Pascitur iniuriis liuor, post facta quiescit.*

More Hely qui lucernam videre non poterat antequã extingueretur. Quis autẽ malorũ finis vbi vnius honor alterius pœna est: vbi aliena fœlicitas, est cruciatus alterius? Pari modo malitiosi homines & detractores, nec in ore, nec in corde pacẽ habere possunt. Ipse enim velut canes immundi vlcera, & quod scabiosum est in homine, lingunt, similes lupis qui carnes crudas comedunt. Licèt autem in die veneris, vel in quadragesima abstineant à carnibus pecorum, non tamen abstinent à carnibus hominum. Sanguinem autem bibunt, quia peccata aliorum libẽter audiunt. Inebriabo, inquit, diabolus sagittas meas, sanguine de cruore occisorum. Teste autem Augustino: Detractor & libens auditor vterque diabolum in lingua portat. Sed & suspiciosi homines, & qui irrationabiliter alios iudicant, pacem pectoris & tranquillitatem mentis non habent. Contra quos Dominus ait: Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. Inhibet iudiciũ suspiciosum, temerariũ, prẽsumptuosum, superstitiosum. Suspiciosum est, quãdo ex leui ratione quasi certũ asserit, quod certa probatione nõ cõuincit. Temerariũ est, quãdo id quod est dubiũ, in partẽ deteriorem cõuertit. Præsumptuosum est quando iudicat, quod ad suã iurisdictionẽ non accedit. Superstitiosum cũ quis alios arguit, vt de hoc quod reprehẽdit, videatur immunis. Similiter iracundi in se pacem nõ habent & alios perturbant. Vnde in Prouer. Salomon ait: Graue est saxum & onerosa arena, sed ira stulti vtroq; est grauior. Saxũ, id est, mortale peccatũ. Arena multitudo venialium. Cogitemus igitur exẽplo Domini, cogitationes pacis, & pacẽ habeamus cum proximis, duritiã cordis eorum, verbo dulci mitigando. Mollis siquidẽ responsio frangit iram. Cùm enim latrat canis, proiiciẽdus est, vt taceat, panis, & nõ lapis. Quidã autem ita peruersi sunt, quod cum eis pacẽ habere nõ valemus, & ideo dimittendi sunt, quia placari nõ possunt. Vnde Greg. Recta agere non valent, qui huius mundi amatoribus displicere timent. Sãctus Bernardus contra scismaticos & pacẽ Ecclesiæ turbantes, ait: In hoc vobis exẽplo Christus in vtero cõceptus est & gestatus, vt sicut onus illud leue fuit, similiter & suaue, & si grauidauit, non tamẽ grauauit vterũ Mariæ, ita nõ te grauem aut molestum sentiat vterus matris Ecclesiæ. Grauida siquidem est Ecclesia, non sicut Maria suo Iesu, sed sicut Rebecca, Iacob & Esau. Et quoniam patientia pacis est scientia, nisi cõtra illatas nobis iniurias patientiam habeamus, pacem habere non possumus. In duobus enim principaliter consistit vita Christiana, in reddendo, scilicet, debitum bonum, & in sustinendo indebitum malum. Qui igitur patientiã in persecutionibus exhibent, & in tribulatione pro Christo gaudent, & si exterius affligantur, interius tamen non molestantur. Vnde de afflictione interiori intelligendum est, quod Dominus ait: Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Exterius autem flagellat Dominus omnem filium quem recipit, vt purgetur & humilietur. Vnde de reprobis Psalmista ait: Cùm hominibus non flagellabuntur, & ideo tenuit eos superbia. Aliquando tamẽ Dominus in præsenti suos à flagellis liberat, ad consolationem & virtutis suæ ostensionem, sicut Susannam liberauit

*De patientia.*

*Deus exteriùs affligit suos, sed interius peccatos reddit*

*De statu futuræ beatitudinis.*

liberauit,& Danielem de lacu leonum eripuit, & socios eius in fornace illæsos seruauit. Possunt autem ad statum æternæ beatitudinis prædicta verba referri, quando Dominus omnem afflictionem à suis amouebit,& absterget omnem lachrymam ab oculis sanctorum,& tunc dicere poterunt: Concidisti saccum meum,id est,asperitatem,& pœnalitatē à me abstulisti. Vnde per Naum ait: Afflixi te,& non affligam te vltra. Et in Threnis Ieremiæ: Gaude & lætare filia Edō,quasi,scilicet,prius terrena diligens. Edō enim terrenus interpretatur. Quæ habitas in terra Hus,id est,quæ de cætero vis pœnitere,& sanis consiliis acquiescere. Hus enim consilium,vel conciliator interpretatur. Quare autem gaudere debeat,subdit: Ad te quoq; perueniet calix,id est,propinatio cœlestis nectaris,quasi dicat: Ego cogito super te cogitationes pacis,& non afflictionis. Et Malachias: Scriptus est liber monumenti corā eo,timentibus Deum & cogitantibus nomen eius,id est,liber recordationis coram Deo,& parcam illis,dicit Dominus,sicut parcit vir filio suo seruienti sibi,& videbitis quid sit inter seruientē Domino,& non seruientem. Tunc enim Dominus omnem afflictionem tollet à seruis suis, & qui ei non seruiunt,affligentur in æternum. Et per Zach. ait: Disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem,id est,secularem pompam,& dissipabitur equus belli,id est,temptatio diaboli, & loquetur pacem gentibus,pacem,scilicet,pectoris in præsenti,& pacem æternitatis in futuro. Potestas eius à mari vsque ad mare,& à flumine vsq; ad fines terræ. Potestas quam exercebit in malis puniendo eos,erit ab amaritudine culpæ,vsq; ad amaritudinem gehennæ. Et potestas quantum ad bonos erit à flumine baptismi,vel à fluminibus virtutū vsq; ad remunerationem vitæ æternæ. Ibi enim omnis terrenitas terminatur. Hoc est quod Isa. ait: Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos,& telam quam orditus est ab initio,& præcipitabit mortem in sempiternum. Auferet Dominus omnem lachrymā ab omni facie,& opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra. Duobus vinculis cōstringitur homo: vinculo mortalitatis quātum ad pœnam,& vinculo fomitis quantū ad culpam. vtriusque faciem,id est,præsentiam auferet Deus à suis in monte supernæ beatitudinis. Facies istius vinculi colligati,& nos firmiter astringentis, sunt primi motus,ex quibus apparet sensualitatis fomes esse in nobis. Tunc enim nec primis motibus infestabimur,nec aliqua afflictione molestabimur. Tela autē quam orditus est ab initio,est miseria nostra. Stamen eius quod semper stat in hoc seculo & non mouetur,nec variatur,est mortalitas humana. Subregmē verò est pœna quotidiana,quæ mouetur & variatur. De hac siquidem tela omnis homo suā habet portionem. De qua Iob ait: Dies mei velocius transierunt,quàm à texente tela succiditur, quia siue dormiat homo,siue vigilat,non quiescit,sed quotidie ad defectum tendit. Dominus autem cogitat cogitationes pacis & non afflictionis. Tandem enim præcipitabit mortem in sempiternum,quia dissolutio corporis & animæ vltra non erit,nec erit vltra mors pœnæ in electis,à quibus Dominus auferet omnem lachrymam pœnæ,& omne opprobrium culpæ. Interim autem expedit,quod eum inuocemus,& eius auxilium humiliter imploremus. Vnde & subditur: Inuocabitis me,& ego exaudiam vos. Vnde in Eccle. dicitur: Omni vita tua dilige Deum,& inuoca illum in salute tua. Non ergo desperandum est afflictis tribulationibus,nec; his qui in captiuitate detinētur peccatorum,si corde,ore,& opere velint inuocare. Teste siquidem Seneca: Nemo se mutat,qui se mutari desperat. Nō enim relinquitur locus desperationi, vbi Dominus subdit: Reducā captiuitatem vestrā de cunctis locis. De cōuersis per prædicationem Apostolorū patet,quod ex omnibus mundi partibus,ad Christi fidē sunt vocati, & à captiuitate diaboli liberati. Christus etiam ascendens in altum,captiuam duxit captiuitatē,educens vinctos in fortitudine,qui in limbo inferni detinebantur captiui. Reductæ autē sunt gentes de captiuitate peccati, passibus fidei per dilectionem operantis, quæ attenditur in veritate articulorum veritate operum,in veritate doctrinę & veritate vitæ. His passibus peruenitur ad Deum,iustitiæ,scilicet,fidei. Ecclesiæ namq; virtutes,quasi radices sunt operum. Fides autem radix est ipsarum radicum,id est,virtutum omnium,qua euulsa omnes aliæ virtutes arescunt. Adducuntur autem de locis iniquitatis ad loca pietatis,de locis tenebrarum ad loca claritatis, id est,tam peccatores,quā peccata sua propria habent loca. Vnde Iob ait: Contere impios in loco suo. Teste autem Gregorio: Impius superbus in loco suo conteritur,quia ipsa superbia qua eleuatur,opprimitur. De locis peccatorum iterum Iob ait: In desertis habitant torrentium, & in cauernis terræ,vel super glariam. Torrentes sunt prædicatores,qui prædicationis impetu subuertunt obices peccatorum. Deserta torrentiū sunt vanitates mundi, & delectationes carnis,quæ à sanctis deseruntur. Cauernæ terræ sunt cogitationes terrenæ,in quibus tanquā serpentes habitant,qui terrena amant. Glareæ sunt lapilli,quos fluminis impetus secum trahit. Hæ sunt delectationes transitoriæ,quæ indesinenter ad finem suum defectu propriæ mutabilitatis impelluntur. Super glaream igitur habitat,qui intentionem suam ponit, vbi gressum solidare nequit. Reducit igitur Dominus captiuitatem nostrā in præsenti de locis peccatorum, & tandem reducet de loco præsentis exilij,id est,huius mundi,de quo scriptum est: Et nō cognoscet amplius locum suum. Teste autem Iob: Foris non mansit peregrinus,quia qui sunt in mundo peregrini, intus erunt, id est, in domo cœlesti regnantes cum Christo sine fine. Ipso præstante,qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*Quotidie inuocandus est Deus. Eccle. 13.*

*De liberatione & captiuitate.*

*Iob. 30.*

EADEM

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA AD PHILIPP. 3.

*Fratres, imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.*

EXTENDENS cœlum sicut pelles. Sancti homines dicuntur pelles purgati à carne, & rasi à pilis superfluitatis, more pergameni. Et quoniã in libro clauso & plicato non legimus, extendit Dominus has pelles, vt quid faciendum sit in eis legatur: vnde & cœlum dicuntur, quia per eos lux aliis ministratur. Hos cœlos fecit Deus in intellectu instruens eos, quæ sit voluntas Dei, dans etiam eis scientiam conuersandi inter homines prauæ & peruersæ nationis. In his igitur legere debemus, & eorum conuersationem imitari. Vnde Isaias ait: Ædificabuntur in te deserta seculorum, id est, peccatores, qui exemplo bonorum ædificantur ad bonum. Prælati enim vita debet esse quasi regula, ad cuius rectitudinem tortuosi dirigantur, sicut scriptum est: Sine iniquitate cucurri & direxi. Vnde in libro Eccles. dicitur: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector ciuitatis, tales habitantes in ea. A conuictu enim bonorum Prælatorum mores informantur subditorum. – *Non sic inflectere mores Humanos edicta ualent ut uita regentis.*

*Sancti compãrantur cœlo et pellibus.*

*Sanctorũ conuersationẽ imitari debemus.*

Vnde Seneca: Semper habe virum honestum in mente, quo quasi præsente omnia dicas & facias. Et Iob ait: Quis mihi det vt sim iuxta dies pristinos, quando lauabam pedes meos butyro. Iuxta dies pristinos pedes nostri butyro lauantur, dum ad exemplum Patrum præcedentium infusione gratiæ & pinguedine charitatis affectus nostri quadam suauitate perfunduntur. Christus autem primus liber est, in quo legere debeamus. Et fuit liber iste quasi primum exemplar valde correctus. Alij qui ad eius exemplar scripti sunt, correcti fuerunt. Quanto autem elongantur à primo exemplari, incorrectiores sunt libri nostri. Primum igitur exemplar imitari debemus. Vnde Apostolus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Hoc sentite in vestris operibus, quod ipse in se ostendit & docuit in sermonibus suis. Et Michæas de Christo ait: Ascendet pandens iter ante eos, & transibit Rex eorum ante eos, & Dominus in capite eorum. Ipse enim Capitaneus noster fuit, quem sequi & imitari debemus, ascendendo prius in crucem, & postmodum in cœlum. Ipse enim prior ascendit, pandens iter, & viam nobis ostendens. Sicut autem in picturis & cælaturis, velut in libro legimus, ita Dominus cælaturas in se ostendit, vt in eo legeremus, & ipsum imitaremur. Vnde Zacharias: Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna. Tradendo enim Christum in morte cęlauit sculpturam, quę fuit in eius corpore. Hęc sculptura passionis Christi valde excellens est, quæ oculos intuentium delectat, dum recolimus fructum passionis ipsius. Ad eius imitationem lapides sculpti sumus, si stigmata ipsius in corpore nostro portamus. Vnde Isa. Omnes portas tuas ponã in lapides sculptos. Iniquitatẽ autem terræ illius, id est, Ecclesiæ, in die vna singulari, scilicet, & præcellenti abstulit, id est, in die passionis, quãdo peccata nostra in corpore suo super lignũ tulit. Non solũ, autẽ ipsum, sed & eius imitatores imitari debemus. Teste autẽ Ioãne in Apoc. Oculi eius tanq̃ flãma ignis: & pedes eius similes auricalco, sicut in camino ardenti: & vox illius tanq̃ vox aquarũ. Oculi eius propter cognitionem cœlestiũ sunt sancti, qui dicuntur flamma ignis, propter ardorẽ charitatis & claritatẽ contemplationis. Pedes eius qui ferunt eum per mundũ, sunt prædicatores, qui similes dicuntur auricalco in camino ardenti, propter fauorẽ & multiplicem laborẽ. Vox illius tanq̃ vox aquarum multarũ, quantum ad abundantiã orationum. Tales sunt sancti Prælati, quos debemus imitari. Vnde in hodierna Epist. Apostolus ait: Imitatores mei estote, in fide, scilicẽt, & regula viuẽdi, vt sicut ego credo, operor & doceo, ita & vos faciatis. Sancti enim velut lucerna super candelabrum, alios per exemplum illuminant. Vnde de Ioanne dicitur, quod erat lucerna ardens & lucens. Ardens in se per charitatẽ, & lucens aliis per exemplũ. Et in libro Machab. dicitur: Ornauerunt faciẽ templi coronis aureis. Ecce bona cõuersatio exterior. Et dedicauerunt altare Domino. Ecce ornatus mentis interior. Si autẽ oculus, id est, Prælatus fuerit simplex, totum corpus, id est, populus, exemplo eius fit lucidus. Econtrariò autem, cùm oculus fuerit nequam, totum corpus subditorum efficitur tenebrosum. Vnde Isa. Venerunt structores tui destruẽtes te. Facientes enim & cõsentientes, atq; imitãtes par pœna cõstringit: sicut scriptum est: Declinantes in obligationes, id est, aliorum peccatis consentientes, vel aliorum peccata imitantes, adduxit Dominus cum operantibus iniquitatem. Sequitur: Obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram: quasi dicat: Si me præsentem non habetis, obseruate, id est, diligenter inspicite & imitamini eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram, id est, imaginem vitæ nostræ, qui, scilicet, ita credunt, viuunt, & docent sicut ego. Et est sensus: Imitamini similes mei, qui vobis viam veritatis ostendunt. Vnde Isaias: Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula dẽ via populi mei: viam docendo, iter bono exemplo de semita, vt non sitis nimis austeri: offendicula: vt infirmos non scandalizetis neq; eis offendicula ponatis. Sicut autem bonos sibi similes imitãdos esse docuit,

*Liber noster Christus est, in quo legere debemus.*

*Imitatores Christi imitãri debemus. Apoc. 1.*

*De malo exemplo Prælatorũ. Isa. 42.*

*Isa. 57.*

ita vt malos vitemus, nos instruit. Vnde & subdit: Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, non idem sentientes nobiscum, quos sæpè dum præsens essem apud vos, docebã esse vitandos. A conuictu siquidem mores formãtur. Vnde in Eccles. dicitur: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui cõmunicauerit superbo, induet superbiam. Iuxta illud: Amicus stultorum efficietur similis. Infirmi enim societatem malorũ debent declinare, ne mala, quę frequenter inspiciunt, imitari velint. Vnde Seneca: Quemadmodum sine adiutorio ignis nihil calidum est, & sine aëre nihil frigidũ, ita honesta & turpia virtutis & malitiæ societas efficit. Et in libro Sapientiæ dicitur: Multigena impiorum multitudo non erit vtilis. Multitudo impiorum dicitur multigena, quia à multis & malis patribus genita, quos in vitiis imitatur. Multi ambulant, quos sæpè dicebam vobis. Voluntas est pes animæ, quo ambulamus, accedendo ad Deum, vel ab eo recedendo. Quatuor autem sunt genera voluntatis humanæ. Sicca in reprobis, qui nullo modo gratiæ rore perfunduntur. Recta in inchoantibus, qui vitæ pristinæ tortuositatem relinquunt. Vnde in Parabol. Dominus custodiet rectorum salutẽ, & proteget gradientes simpliciter. Recti sunt, quorum media non exeunt ab extremis, qui à Deo principium sumunt, & ad Deum finem tendunt, tanquam protensi ab ipso in ipsum. Deuota autem voluntas est in proficientibus, qui vsu rationis assiduè in amorem benè agendi cœlitus eriguntur. Beata autem est in consummatis, qui penè nihil aliud quàm Deum cogitant. De multitudine autẽ malè ambulantium quidã Legem cum Euãgelio obseruare volebãt, quasi vnum pedem in cœlo, alium in terra ponẽtes, quos Apostolus inimicos crucis Christi appellat. Qui enim carnales obseruantias inducunt, crucem Christi superfluam asserunt. Aduenientę quidem veritate, voluit Dominus figuras cessare. Vnde per Isaiam ait: Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua omnia: quasi dicat: Nouis superuenientibus, vetera proncietis. Et in Apocal. dicitur: Ecce noua facio omnia. Dominus enim ad tẽpus voluit, vt Iudæi carnalia animalia sacrificarẽt sibi, ne illa offerrẽt dæmoniis, & ita posuit eis frænũ tanq̃ iumẽtis, vt eos retineret. Lex enim cohibebat tantum manum. Vnde per Isa. Dominus ait: Laude mea infrænabo te, ne intereas: quasi dicat: Vt me laudes & nõ dæmonia, refrænabo te, sustinẽdo ad tempus, vt mihi sacrifices. Teste enim Apost. Data est lex donec veniret sanctũ, id est, Christus, cui promiserat Deus pater, quod per eũ benedicerẽtur omnes Gentes. Hic est lapillus sine manibus præcisus, qui in monte creuit, & totũ mundum impleuit. Teste autẽ Augustino. Valde cæcus est, qui ad tantum montẽ offendit. Veniente igitur luce, cessare debuerunt vmbra & carnalia sacrificia. Vnde Isa. Qui immolat bouẽ, quasi qui interficit virũ: & qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canẽ. Et in Cant. dicitur: Meliora sunt vbera tua vino, id est, rudimenta Euangelicæ fidei & noui testamenti, quæ per baptismum regno cœlesti sine aliqua pœna reddunt aptos, quàm scientia legalis vel obseruantia legis. Sponsus autem duo habet vbera, quæ sunt misericordia ad remittendum, & veritas ad instruendum. Cùm igitur dicat Apostolus: Litera occidit, spiritus viuificat: isti pseudo qui ad literam legem obseruandam prædicabant, more Vriæ, literas suæ mortis deferebant. Propterea Apostolus de ipsis ait: Quorum finis interitus, id est, finis eorum erit æterna pœna, quorum Deus venter est, & gloria in cõfusione eorum, qui terrena sapiunt. Ventrem autem dicit Deum eorum, quia escæ quæ ventris sunt, Deum faciunt, dum eos iustificare homines dicunt: & gloria eorum est in confusione, dum impudendorum circunciſione gloriantur, & per animalia se iustificari credunt: qui terrena sapiunt, quia legalia non spiritualiter, sed terrenè intelligunt. Erant autem alij pseudo-prædicatores, qui non manducabant vt prædicarent, sed prædicabant vt manducarent. Horum igitur Deus erat venter, quia quidquid faciebant, non propter Deum, sed propter ventrem agebant, ipsum ventrem colendo. Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur. Hi igitur Epicuri inimici sunt crucis Christi, dum voluptatibus carnis seruiunt, & cum veris Christianis cum vitiis & concupiscentiis carnem mortificare nolunt. Inimici autem crucis Christi dicuntur gulosi: Nam Christus per crucẽ destruxit peccatũ gulæ, quod prouenit ex comestione pomi, & isti per peccatum gulæ illud volunt exaltare. De quibus Ezech. ait: Cùm sanguinẽ oderis, sanguis persequitur te. Sanguinẽ Christi odit, qui renouat quod ipse sanguinis effusione deleuit. Peccatũ enim gulositatis primorũ parentũ moriendo destruxit. Sanguinẽ autẽ Christi diligit, qui persequitur quod inchoauit, mortificãdo in se carnaliter delectationis noxios appetitus. Si clerici nostri istud attenderẽt, nõ ita diligẽter vẽtri seruirẽt. Nũc autẽ dũ singulis diebꝰ canũt: Carnis terat superbiã potus, cibusq̃; parcitas: valde discordãt, quia os cordi nõ cõcordat, sed cordi displicet, quod os resonat, vt enim vulgariter loquimur, tanq̃ latrones se procurãt, dũ in eadẽ mensa carnes simul pisces, & tartas manducãt, & maximè in festis maioribꝰ magis se ingurgitãt. Quàm miseri dũ sanctos credũt honorare cõuiuiis, q Domino placuerũt ieiuniis. Propterea Seneca ait: Taurus pauciſsimorum iugerum pascuis impletur, vna silua elephantibus pluribus sufficit, homo terra pascitur & mari. Nõ fames ventris nostri nobis multũ cõstat, sed ambitio. Et iterũ: Magnæ diuitiæ sunt lege naturę cõpositæ paupertas. Lex naturę terminos cõstituit, nõ esurire neq; sitire.

Et gentilis Poëta ait: - *Prodiga rerum Luxuries nunquam paruo contenta paratu.*
*Discite quàm paruo liceat producere uitam,*
*Non auro, myrrbaq̃; bibunt, sed gurgite puro,*
*Vita redit, satis est populo, fluuiusq̃, ctresq̃.* Non

*Eccles. 12. A conuictu mores formantur. Seneca.*

*Sap. 4.*

*De quatuor generibus humanæ voluntatis. Parab. 2.*

*De inimicis crucis Christi, qui legẽ cum Euãgelio obseruabant. Isa. 43.*

*Apoc. 21.*

*De his qui prædicãt vt manducent.*

*Contra gulosos.*

Non enim est regnũ Dei esca & potus, nõ purpura & byssus. Diues Epulo his circumfultus in puncto ad inferna descendit. Filij hominum vsquequo graui corde, quia pingui carne. Quid aliud est venter nisi colatorium, seu infusoriũ latrinarũ, quod idolatoriũ nuncupatur, per quod vinum in dolium infunditur. Non boni sunt fructus mali gustus, & pessima stipẽdia gulæ. Gustauerunt primi parentes de ligno vetito, & proiecti sunt de Paradiso. Noë & Loth vinũ gustauerunt, & ipsis inebriatis, vnus pudenda detexit, alius incestũ cõmisit. Gustauit Esau de lenticula, & amisit primogenita. Gustauerunt filij Iob singulis diebus cõmessationi vacando, & oppressi sunt in conuiuio. Gustauerunt filij Israël carnes in deserto, sed dum escæ eorum erant in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos. Sedit idem populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, vitulum conflatilem adorando. Gustauerunt de sacrificiis Madianitarum, & initiati sunt Beëlphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. Sisara lac gustauit, & confixus clauo temporibus interiit. Filij Heli carnes lautè præparatas gustauerunt, & in prælio corruerunt. Gustauit Ionathas de fauo mellis, & adiudicatus est morti. Amon ab Absalone in conuiuio est occisus. Et Aman gustans de conuiuio Hester, est suspensus. Gustauit Baltassar bibens vinum in vasis templi, & visa manu scribentis in pariete, Babylonem amisit. Gustauit Holofernes vinum & inebriatus est, atque à Iudith caput eius abscissum est. Sacerdotes Belis de mensa Bel gustauerunt, & sequenti die occisi sunt. Gustauit Herodes cum optimatibus suis, & inter epulas Ioannem Baptistam præcepit decollari. Iudas buccellam gustauit, & diabolus in cor eius introiuit. Gustauit diues Epulo, & sepultus est in inferno. Ad hunc finem deueniunt hi, quorum Deus venter est, & abstinere contemnunt. Vt igitur gulæ incommoda deuitemus, assumamus ieiunium de Moysi ore, de siti verò Dauid ex cisterna Bethleem effusionem aquæ, abstinentiam de gutture Eliæ, legumina de Danielis, & sociorum eius parcitate, à Iudith sobrietatem, ab Hester indictam ieiunij afflictionem, triduanum ieiunium à Rege Niniue promulgatum, locustas & mel siluestre de edulio Ioãnis, aquam de mensa Timothei. Fuerunt autem alij pseudo-prædicatores, terrena sapientes, & semen verbi Dei ad quæstum & temporale lucrum retorquentes. De quibus in Threnis Ieremias dicit: Ponet in puluere os suum. Et Michæas ait: Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Et iterum, de his qui non quærunt nisi emolumentum temporale, Amos ait: Væ, qui opulenti estis in Sion, id est, diuites in Ecclesia. Et subditur secundum Septuaginta: Vindemiauerunt primitias Gentium, & ingressi sunt, sibi, id est, propter commodum proprium, non propter Deum ad Ecclesiastica beneficia, vel ad prædicandum ingrediuntur, & oprima de bonis subditorum, quasi vindemiando sibi tollunt. Horum igitur finis est æternus interitus, & gloria eorum in confusione, quia licèt ad tempus glorientur, tandem tamen confundentur. Quid autem prodest latroni si per prata florida ducatur ad suspendium? Et quid prodest diuiti si per temporalem florem ducatur ad gehennæ supplicium. Fuerunt & alij pseudo-prædicatores blandis sermonibus & adulationibus placere cupientes, de quibus in Parabolis Salomon ait: Si te lactauerunt peccatores, ne acquiescas eis. Hi sunt adulatores Lamiæ infernales, quæ lactando catulos mammas nudant blandiendo, apertè & fauoribus attollendo, Sirenes vsque in exitum, dulces Ægyptiæ mulieres, quarum lac Moyses abhorruit. Hi sunt mortui mortuos suos sepelientes, quibus velut capellanis vtuntur dæmones. Vnde Osee ait: Memphis sepeliet eos, id est, adulatio vocis blandæ. Memphis interpretatur ex ore. Teste autem Salomone: Qui benedicit alicui voce grandi, maledicenti similis est. Propterea Ierem. ait: Maledictus qui nuntiauit patri meo, natus est tibi puer masculus. Hanc maledictionem incurrunt, qui praua & mollia opera fortia dicunt. De quibus Isa. ait: Populus meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorũ dissipant. Quĩ enim blãdis, fictis q; sermonib⁹ loquitur cum amico suo, rete expãdit pedibus suis. Plus siquidẽ nocet lingua adulatoris quàm detractoris. Adulator enim mentes eneruat, & vestibus virtutũ spoliat. In cuius rei figura dicitur in Poëta, quod Auster cõpulit viatorem vestimẽta deponere, immitis autem Boreas idem voluit facere, sed ille magis ea stringebat. Plus enim nocet calor adulationis blanditiis dissoluens q̃ detractionis ventus vrens. Fuerunt insuper quidã pseudo-prędicatores tempore Apostoli in hypocrisi ambulantes, & sanctitatem simulantes. De quibus in Parab. dicitur: Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas. Anfractuose enim incedunt, & dolose, sepulchra exterius dealbata per apparentiam, intus autem plena ossibus mortuorum per mentis obstinatæ duritiam. Sicut autem à bonis & sanctis prædicatoribus valde confunditur diabolus, ita in hypocritis quàm plurimum delectatur. Dicitur enim ab his qui naturas animalium nouerunt, quod gallum album timet leo, & diabolus prædicatorem mundum. Inde autem incurrit leo insitmitatem à qua non sanatur, nisi carnes simię comedat. Simia est hypocrita, in cuius conuersatione valde delectatur diabolus, & magnam recipit consolationem per hypocritarum simulationem. Licèt autẽ exterius prætendant humilitatem singulares volunt videri per elationem, sicut in Eccles. dicitur: Est qui nequiter se humiliat, interiora autẽ eius plena sunt dolo. Vnde Iere. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum. Onagris cõparantur hypocritæ vani, quia per inobedientiã indomiti. In solitudine sunt, quia vt magis appareãt proprio cõsilio, & voluntati proprię innitẽtes, singulares esse appetunt, ventũ autẽ laudis attrahunt, quia verba laudis vento sa quærũt. In desiderio enim

*De malo gustu.*

*De his qui pro temporali lucro prædicãt.*

*De his qui in prædicatione auditoribus adulantur.*

*De filijs prædicatorib.*

ventum hypocrita attrahit, dum inanis gloria eum delectat & pascit. Omnibus autē prædictis pseudo-prędicatoribus verba Apostoli facilè possunt aptari. Multi (inquit) ambulāt, quos sępè dicebā vobis, nunc autē & flens dico. Flens, scilicet, tum pro illorum perditione, tum pro simpliciū subuersione: dico, scilicet, ipsos esse inimicos crucis Christi, quorū finis interitus, quorū Deus vēter est, & gloria in cōfusione ipsorū, qui terrena sapiūt. Cū autē triplex sit crux, redēptionis, scilicet, salvationis, & dānationis. Crux redēptionis omniū, quę fuit crux Christi. Crux salvationis vnius, quę fuit crux latronis, qui patienter tormēta sustinuit. Crux dānationis, quæ fuit crux alterius latronis, qui contra Deum murmurauit, & crucē in angaria sustinuit. Primæ crucis inimici sunt, qui fructū redēptionis animarū suarū malè viuēdo impediunt. Teste enim Isa. Verè lāguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Languor est morbꝰ inueteratus, & verè languor peccati inueteratus fuit, qui ab Adā vsq; ad Christum permānsit. Nostri autē fuerunt dolores, quos sustinuit, quia ad cōmodum & liberationē nostrā illos pertulit. Secundæ crucis inimici sunt, qui carnalibus cōcupiscentiis dediti, in præsenti flagellari & disciplinari nolunt. In cruce autem dānationis sunt, qui in angaria, & nō spōte flagella Dei sustinent, & de præsenti miseria ad miserias æternas transeundo pereunt. Christus vt in cœlum ascenderet, priùs in cruce ascendit. Inimici autem crucis Christi sunt, qui sine cruce pœnitentię tanquā si leuiores sint Christo se posse ascendere credunt. Si autem particeps lucri vis esse, oportet vt particeps sis expensorum ad similitudinem mercatorum, vt dicas cum Apost. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: quasi dicat: Quæ mundus amat, crux mihi sunt, honores, scilicet, diuitiæ, voluptates & vanitates. Quæ verò mundus crucem reputat, illis affixus sum, illis adhæreo. Dauid fuit amicus crucis, quādo vilis voluit reputari, dicens: Ludā & vilior fiam. Hoc idē Christus ait: Ludam, id est, ludibriis me exponā, & vilis fiam. Michol, id est, Synagoga, ipsum derisit, vnde vsq; hodie facta est sterilis. Inimici crucis erant, qui dicebant: Si Rex Israël est, descendat de cruce. Nulla est continentia, imò si Rex Israël est, sceptrum nō deferat, neq; de cruce descendat. Et nos de cruce pœnitentię non descendamus, sed semper aliquo martyrij genere nos Christo offeramus. Teste autem Greg. Salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo hostia fumus. Sunt autem septem genera martyrij, castitas in iuuentute, hilaritas in senectute, largitas in paupertate, abstinentia in vbertate, humilitas in sublimitate, patientia in aduersitate, & per obedientiā propriæ voluntati renunciare. Amicus crucis erat Ecclesiasticus, dum diceret: Quis superponit in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinā sapientiæ, vt ignorationibus eorum non parcat mihi. Ecce quantum desiderium habuit pro Christo patiendi, & vt cogitatus eius non essent sine flagellis, & non parcerent ei flagella per ignorātiam eorum, sed cognoscerent flagella, & cognoscerentur à flagēllis. Prędictis igitur falsis prædicatoribus non credamus, sed eis respōdeamus: Quod signum ostendis nobis vt credamus tibi? Nisi enim signum crucis & mortificationis in se ostendant, non est credendum eis. Vnde & Apostolus asperè increpādo subiungit: Quorum finis interitus. Hoc est quod Zachar. ait: Et erit cùm prophetauerit quispiā, dicent ei pater eius mater eius, nō viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Asperè enim increpādi sunt pseudo-prędicatores & hęretici. Vnde & Naum ait: Increpās mare, id est, malos. Durè arguens & exsiccās illud, quod fit in morte, & omnia flumina, id est, trāseuntes diuitias ducit in desertum, dum in fine suum deserunt possessorem. De hoc autem finali interitu dicit Dominus per Iere. In calore eorum ponā potus eorum, & inebriabo eos vt sopiātur, & dormiāt somnum sempiternum, & nō consurgāt. Deducā eos quasi agnum ad victimā. Sitientes enim calicem Babylonis, Dominus frequēter suis desideriis inebriari permittit, vt transeāt in affectum cordis, qui dilatati & pinguedine deliciarum incrassati reseruātur in occisionis diem, vt gladio Domini in iudicio feriātur. Hi autem sunt quorum Deus venter est. Malè ergo sonabāt prædicādo. Cithara quidem benè sonat ventre vacuo. Nō est autē sonus dulcis ex ore gulositatis, nō est laus speciosa in ore peccatoris. Priùs autē tetigit Angelus neruū fœmoris Iacob, & emercuit, & postmodum aurora illuxit, quia post resurrectionē carnalis voluptatis, & mortificationem carnis, aurora intelligentiæ prædicatoribus illucescit. Alioquin in maleuolam animā non introibit sapientia. Piscis autem qui Tobiā deuorare voluit, extractus de aqua, interiit: quia in locis per abstinentiam arentibus diabolus requiem non inuenit. Peccatum autem gulæ vsq; ad mortem hominem non deserit. Sicut enim priùs deficit naturaliter vis generatiua in homine quàm nutritiua, ita luxuria priùs quàm gula. Patet igitur ex præmissis, quod gloria eorum, qui terrena & carnalia sapiunt, est in confusione, quia ad æternam confusionem eos perducit. Vnde Ezechiēl ait: In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus. Per vmbilicum adhæret fœtus cum matre. Vnde Dominus: Veni filiam separare aduersus matrem suam, id est, fœtum carnalis affectus ab anima. Donec enim Samuēl sit ablactatus, vt solidum cibum spiritualis intelligentiæ possit capere, non debet in domo Domini ministrare. Pseudo autem dum adhuc carnalia & terrena saperent, in Ecclesia ministrare præsumebant. Virga igitur Aaron in potestate & regimine prælationis frondeat, floreat & fructificet. In frōdibus doctrina bona, in floribus bonæ opinionis redolentia, in fructu cōuersatio sancta intelligitur. Sequitur in hodierna Epist. Nostra autē cōuersatio in cœlis est. Apostolus multa coactus est de se dicere, non vt appareat magnus videri, sed vt verbū Dei maioris esset authoritatis ex ore eius. Quidā enim de Philippensib⁹ falsos prædicatores ei præponebāt. Tunc autē lucerna sub modio ponitur,

*De triplici cruce.*

*De septē generibus martyrii.*

*De asperitate increpationis.*

*De fine malorum.*

*De his quorū Deus venter est.*

*Qui terrena sapiunt, prædicare nō præsumant.*

*De cœlesti cōuersatione.*

ponitur, quando qui terrena sapit, viro spirituali præponitur. Vir siquidē spiritualis est lucerna, modius verò qui diligit temporalia. Dicit igitur Apost. Nostra cōuersatio est in cœlis, vbi, scilicet est spes nostra, licèt adhuc sumus in terra: quasi dicat: Inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sunt corda, vbi vera sunt gaudia. Propterea sancti homines stellæ dicuntur, quia fixæ sunt in firmamento, & eorum corda fixa sunt in cœlo. Vnde Iob: Cùm me laudarent astra matutina. Hi sunt viri religiosi, horis matutinis Deum laudātes. Est autē triplex cœlum. Primum cō- *De triplici cælo.* tinentia cōiugalis. Secundum cōtinentia vidualis. Tertiū cōtinentia virginalis. Virgines enim vsq; ad tertium cœlum eleuantur, sicut de Paulo legitur, quod raptus est vsq; ad tertiū cœlum. Et quia cōuersatio sanctorum Prelatorum est in cœlis, ipsi cœli appellātur, in quibus debet esse Sol sapientiæ, Luna scientiæ in administratione, & stellæ sanctorum desideriorum. Tria siquidem sunt, qui testimonium dant in cœlo, id est, in bono Prælato. Pater, id est, potentia, vt potens sit in opere & sermone, Verbum, vt sit sapiens, Spiritus sanctus, vt sit benignus. Vnde Psal. Inclinauit cœlos per compassionem, id est, homines sanctos, vt orarent pro salute generis humani, & descēdit per incarnationem. Conuersatio igitur sanctorum in cœlis est, & maximè contemplatiuorum claustralium, scilicet, & Eremitarum. Quàm miseri monachi Romi-pete, cùm deberent esse Cœli-pete. Nostra cōuersatio in cœlis est. Vnde & Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui cùm venerit, reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: quasi dicat: Hoc ab ipso expectamus, quod sicut reformauit animas, ita & reformabit corpus humilitatis, id est, deiectionis nostræ, quod per mortem humiliatur in vermes & pulūerem, ita quod erit configuratum, id est, assimulatum corpori illius in claritate, quam habuit in transfiguratione vel resurrectione. Quod vtique potest facere secundum operationem, id est, operandi potentiam, qua possit non solùm reformare, sed etiam omnia sibi subiicere, reformabit corpus hnmilitatis nostræ, non elationis & superbiæ. Audiant qui pellibus animalium & stercoribus vermium gloriantur. Itaque fratres mei, & desideratissimi, id est, quos videre multum desidero, vel qui me videre valde desideratis, qui estis gaudium meum, scilicet, de quorum fide & conuersatione gaudeo, & corona mea in futuro, id est, per quos in præsenti lætificor, & in futuro coronabor, sic state in Domino, sicut, scilicet, me & mei similes state scitis, vel sicut modò statis, & tunc mihi charissimi eritis. Euchodiā rogo, & Synthycen deprecor, idipsum sapere in Domino, quasi diceret, omnes moneo, sed specialiter mulieres istas, de quibus magis timeo, moneo sapere idipsum quod dico, & non aliud, quia illud quod dico est in Domino. Hæ pseudo-prædicatores recipiebant ex simplicitate cùm essent religiosæ. Et ô Germane, qui es compar, id est, coadiutor meus in Euangelio prædicando, etiam te rogo, adiuua illos, confortando ne deficiant, qui in Euangelio mecum laborauerunt: mecum dico, scilicet, cum Clemente, & cæteris coadiutoribus meis, quorum nomina, id est, merita, quia veritatem tenent, sunt scripta in libro vitæ, id est, in Dei prædestinatione. His enim qui in Euangelio fideliter laborant, vel sanctis prædicatoribus ministrant, retribuet Dominus mensuram bonam, id est gaudium sine dolore, & confertam, id est, plenitudinem sine vacuitate, & coagitatam, id est, firmitatem sine dissolutione. Quod enim coagitatur, solidatur: & supereffluentem, id est, dilectionem sine simulatione. Dilectio enim ab vno in alium abundanter effluet, dum vnus de alterius præmio gaudebit, tanquam de suo proprio. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen. *De quadruplici remuneratione.*

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

*Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt vt caperent Iesum in sermone.* Matth. 22.

NOLI fœnerari homini fortiori te: quod si fœneraueris, quasi perditum habe. Verba sunt Eccles. quibus instruimur, quod fortiori nobis, id est, superbo, qui veritati resistit, nec vult subiici doctrinæ nostræ, non debemus pecuniam verbi cōmodare. Qui enim ante porcos margaritas spargit, laborē suum amittit. Vnde idē Eccles. ait: Cum fatuis cōsilium non habeas, nō enim poterunt diligere nisi quæ eis placent, & idcirco ad cōsilium diuinum, id est, ad Dei verba huiusmodi cōtemptores non sunt vocādi. Teste enim Salomone: Non recipit stultus verba prudētię, nisi dixeritis ea quę versantur in corde suo. Hi igitur miseri sunt & maledicti, lōgè à beatitudine illa, de qua in Eccles. dicitur: Beatus vir qui in sapiētia morabitur, id est, in meditatione & impletione scripturarum, & qui in iustitia meditabitur, id est, in operibus iustitiæ, vt secundum regulam iustitiæ bonum operetur, & in sensu cogitabit circunspectionem Dei, id est, quod Deus omnia videt & iudicat. Cogitatus enim præscientiæ seu præsentiæ aufert somnum, sicut idem Eccleiasticus ait: Dum enim Deum vbique præsentem vel omnia scientem cogitamus, somnum desidiæ à nobis remouemus, & subdit de sapientia: Beatus vir qui respicit per fenestram illius, id est, qui mentis oculos aperit ad testimonia scripturarum, quæ sunt fenestræ illuminationis animarum, & in ianuis illius audiens, id est, Doctoribus sanctis intendens, aurem præbēs obedientiæ his qui sunt ianuæ *Eccles. 8.* *Superbis, obstinatisque nō est prædicandum.* *Eccles. 18. De sapientia diuina, & de his qui cōmorantur illa.* *Eccles. 14.*

vitæ,qui requieſcit iuxta domũ illius,id eſt, ſapientiæ,cuius domus eſt ſacra ſcriptura in parietibus illius figens palum,id eſt,ſcribendi & docendi ſtudium.Ex palis ſiquidẽ & connexione virgarum,id eſt,ſententiarũ ſepes ædificãtur.De qua Iſa.ait:Vocaberis ædificator ſepium,auertens ſemitas iniquitatis. Diuina autem ſcriptura quaſi parietes habet duo teſtamenta, in quibus palum mentis veſtræ ita figere debetis, vt ex virgis ſententiarum, ne diabolus ad animas veſtras intrare valeat,ſepem faciatis.Abeuntes Phariſæi,&c.Stultus fatua loquetur,& cor eius faciet iniquitatem,vt perficiat ſimulationem, & loquetur ad Dominum fraudulenter. Verba ſunt Iſaię cõtra fraudulentos & hypocritas & Phariſęos,qui Domino inſidiabantur.Stulti autem & excæcati erant,qui ipſum ſermonem,qui verbum eſt patris,putabant capere in ſermone.Iniquitatem habebant in corde,& loquebantur ad ipſum fraudulenter & ſimulatoriè.Teſte vtique Iſaia: Fraudulenti vaſa peſsima ſunt:ipſe enim cogitationes comminabit ad perdendos mites in ſermone mendacij, cùm loquetur pauper iudicium, id eſt, Chriſtus. Hoc apertè impletum eſt in diſcipulis Phariſæorum,qui ex vaſe peſsimo cordium ſermones ſimulationis mendaciter proferebant contra Chriſtum. Mendaces ſiquidem erant, quia corda eorum ori non concordabant. Fraudulentus autem dicitur,non ſolũm qui in dolo loquitur, ſed qui depoſitum ſuum,id eſt,animam Deo non reddit à quo accipit. Abeuntes igitur Phariſæi,id eſt, à veritate declinantes, inierunt conſilium vt caperent Ieſum in ſermone, quaſi eo ignorante extorqueretur ab eo,in quo argui poſſet, in factis eum obſeruantes, & dictis illius inſidiantes. Vnde Lucas ait: Obſeruantes miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, vt caperent eum in ſermone, & traderent Principatui. Inierunt conſilium, conſpirationem facientes contra Chriſtum. Vnde Iſaias ait: Omnia quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt. Inierunt conſilium conuenientes de vanitate in idipſum. Mali enim in malo ſibi coniunguntur, ſicut ſpinæ ſeſe complectentes.Vnde Ezechiel de dracone cubante in aquis,id eſt,de diabolo, ait: Conglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis. Vniuerſi piſces tui ſquamis ſuis adhærebunt. Sicut enim ſquamæ ſquamis adhærent, ita reprobi diabolo adhærentes, ſibi inuicem connectuntur, & efficiuntur vnum corpus diaboli. Sequitur: Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis. Diſcipulos mittunt, quaſi minus notos à quibus minus caueret,& reprehenſi minus erubeſcerẽt:cum Herodianis,id eſt,militibus clientibus Herodis,qui eodem tempore erant Hieroſolymis,vt tributa reciperent ad opus Cæſaris. Hæc autẽ erat peſsima eorum intentio,vt ſi negaret cenſum dari Cæſari, traderetur Præſidi Herodis: ſi autẽ concederet, de lege Domini argueretur. Erat enim ſeditio in populo, aliis dicentibus dari debere tributa pro ſecuritate & quiete, cùm Romani pro omnibus militarent, Phariſæis contra dicentibus, non debere populum Dei, qui decimas ſoluit, &c. quæ lex diuina præcipit humanis legibus ſubiacere. Quia igitur timebant turbas,quod per ſe non audent,Præſidis manibus attentant, & ſi fortè occideretur, à morte eius immunes viderentur, & ideo miſerunt cum Herodianis diſcipulos,dicentes: Magiſter,ſcimus quia verax es,& viam Dei in veritate doces. Magiſtrum vocant,cuius diſcipuli eſſe recuſant. Mellitis ſermonibus circundant eum,ſicut apes portantes mel in ore, & aculeum in dorſo. *Mella uerba tenent,corde uenena fouent.*

*Impia ſub dulci melle uenena latent.*
*Omne genus peſtis ſuperat mens diſſona uerbis.*
*Hi pereant qui ſe prodeſſe fatentur,& obſunt.*

Propterea Seneca ait: Blanda verba magis quàm aſpera caueto.Et in Eccleſiaſtico dicitur: In labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, vt ſubuertat te in foueam. Indulcat,id eſt,dulcia verba prætendit. Iuxta illud: Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum,& ipſi ſunt iacula. Qui venenũ porrigit,labia calicis priùs melle linit,vt quod dulce eſt,qui bibit priùs ſentiat,ne quod mortiferum eſt,pertimeſcat. Teſte autem Sophonia:Vox cantantis in feneſtra oris,ſed coruus in ſuperliminari peſsimæ intentionis. Vnde Ambroſius ait:Folia verborũ ſemper mihi ſuſpecta ſunt.Tales veſtes habent exules Paradiſi.Et in Deuter.dicitur:Non indueris veſte lana,linoq; contexta.Lana ſimplicitas,linumq; ſubtilitas.Dum enim ſub puritatis imagine calliditas deprehendi non valet,quaſi ſub lanæ groſsitie linum latet. Magiſter,ſcimus quia verax es.Benè prophetauit Iſaias de iſtis,dicens: Appropinquat populus iſte ore ſuo,& labiis ſuis me glorificat,cor autẽ eius lõgè eſt à me.In Septuaginta habetur: Populus iſte labiis me honorat. Et in perſona talium ait: Cùm feceris mirabilia, non ſuſtinebimus. Licèt enim coram ipſis Chriſtus multa miracula faceret, tamen ipſi propter inuidiam non poterant ſuſtinere.Vnde idem Iſa.ait:Concipietis ardorem,parietis ſtipulã,ſpiritus veſter vt ignis vorabit vos.Ardorem inuidiæ contra proximũ conceperunt,ſtipulam,id eſt,verba vanitatis parientes, & ideo ſpiritus eorum malus,inuidiæ malitia inflammatus vorauit eos.Diligendo autem bona in aliis,facimus noſtra. Tolle inuidiam,quod meũ eſt,tuum eſt. Inuidus cùm de alieno bono affligitur,de radio Solis obſcuratur.Peior autem eſt lingua adulatoris,quàm manus perſecutoris.Teſte autẽ Seneca:Bono nulla cuiuſquã boni inuidia eſt.Et iterũ:Scias illum multis abundare virtutibus,qui alienas virtutes amat.Phariſęi autẽ Chriſto inuidẽtes,modis quibus potẽrãt,ipſi detrahebãt.Vnde Ezech.Viri detractores fuerũt in te,ad effundendũ ſanguinẽ.Chriſto enim detrahẽtes,mortẽ eius procurabãt.Et Dominus in figura Phariſæorũ ait ad Ezech.Increduli & ſubuerſores ſunt tecũ,& cũ ſcorpionibus habitas.Scorpio facie blãditur,ſed cauda pungit.Hi

*De fraudulentis & hypocritis. Iſa 32.*

*De malorum concordia.*

*De blandis et fraudulentis verbis.*

*Eccleſ 41.*

*Sopho.11.*

*De malitia et inuidia Phariſæorum.*

git. Hi sunt qui aliud habẽt in ore, aliud in corde. Magister, scimus quia verax es. Ecce fera bestia, id est, Iudæorũ inuidia insidiatur Ioseph, vt deuoret ipsum. Propterea Ezech. ait: Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluẽs. Ventus turbinis, inuidia Iudęorũ, concitãs rabiẽ cõtra Christũ. Ab Aquilone, id est, à diabolica suggestione. De vẽto autẽ turbinis processit nubes caliginis, quia ex inuidia mẽtis passi sunt tenebras excæcationis. Ignis inuoluẽs, id est, incendiũ inuidiæ, & stimulus malitiæ, animos eorũ inflammãs ab Aquilone, id est, ab infidelitatis cõgelatione processit. Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Blanda & fraudulenta adulatione ad hoc prouocare intẽdunt, vt magis Deũ q̃ Cæsarẽ timeat, & dicat non debere tributa solui, vt audientes Herodiani eum teneãt, quasi authorẽ seditionis cõtra Romanos. Laudant eum, vt mysteriũ cordis sui laudibus suis exhilaratus, eis simpliciter aperiret. Et sicut in Parab. dicitur: Inũdiãtur sanguine, & abscondunt tendiculas cõtra insontẽ frustrà. Vnde & subditur in Parab. Frustra iacitur rete ante oculos pennatorũ, qui, scilicet, volant per affectũ, & videt per intellectum. Propterea Isa. ait: Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius, quia excelsus reputatus est, id est, ne sæuiatis in Christum, qui vobis purus homo videtur, quia spirat naribus & viuit sicut alij homines, quia excelsus reputatus est secundũ diuinitatẽ. Spiritus etiã in naribus eius ad irascendum cõtra reprobos. Similatores enim & callidi prouocãt irã ipsius. Viam Dei in veritate doces. Quidã viam Dei nõ in veritate docẽt, sed in cupiditatẽ, prædicãtes propter nummum, nõ propter Deum. Quidã in vanitate, qui inde laudari appetunt. Quidã in curiositate, qui multa & inutilia dicunt, noua & subtilia, quæ nõ multum auditoribus prosunt. Quidã in falsitate vt hæretici, qui licẽt priùs vera prædicẽt, tamẽ per falsam doctrinã multos in errorẽ inducunt. Viam veritatis in veritate doces, & nõ est tibi cura de aliquo. Non times potẽtes vt à veritate deuies, nõ es personarũ acceptor, sed indistinctè maioribus & minoribus prędicãs veritatẽ. Abominatio est Domino omnis illusor. Cùm enim tria sint quæ abominatur Deus, id est, voluptas, vanitas & simultas. Prima mala, secunda peior, tertia pessima. Prima carnaliũ, secunda superborũ, tertia hypocritarũ, quales erãt, qui prædicta verba simulatoriè dicebant. Vnde & Dominus durè respõdit eis. Cognita enim eorũ nequitia ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ab æterno cognouit secundũ quod Deus, à cõceptione, secundũ quod homo, nequitiã, id est, dolositatẽ eorũ. Vnde & Lucas ait: Considerãs dolũ eorũ. Marcus ait: Sciẽs versutiã eorũ. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eã nõ cõprehenderunt. Quãuis enim iniqui homines nõ videbãt lucẽ, id est, Christũ, peruersę tamẽ cogitationes eorũ à luce, id est, à Christo videtur. Respõdet autẽ Dominus secundum cõscientias eorũ asperè, nõ secundũ verba eorũ blãdè. In quo dedit exẽplum, q, adulatoribus nostris nõ debemus fauere. Vnde Michæas ait: Væ qui lætamini in nihili, quãdo, scilicet, dicitur vobis: Aue Rabbi. Probãdi quidẽ sunt spiritus si ex Deo sunt. Teste enim Seneca: Nullũ maius habet malum occupatus homo, & malis suis obsessus, q̃ quòd amicos sibi putat, quibus ipse nõ est. De his autẽ blãdis seductoribꝰ, qui potẽtibus adulãtur, ait Amos: Ecce fictor locustæ in principio germinãtium serotini imbris, & ecce serotinus vel tonsorẽ gregis, vel Regis secundum aliã literã. Locusta est adulator, qui frigore aduersitatis torpescit, calore autẽ prosperitatis profert caput & exilit, dũ adulãdo seducit. Fictor locustę, id est, adulationis, est diabolus omniũ malorũ factor, vel ipse adulator, q̃ est velut locusta, vt intelligatur intrãsitiuè fingẽs bonũ, vbi nõ est nisi malũ. Hæc locusta venit in principio germinantiũ serotini imbris, quia adulatio nouis Principibꝰ & Prælatis valde est familiaris. Sicut imber temporaneus in hoc loco dicitur salus siniſtrę, ita imber serotinus in hoc loco dicitur salus dexterę, à qua spoliantur qui à suis adulatoribus seducuntur. Vnde adulator dicitur tonsor Regis, id est, diaboli, qui est Rex super omnes filios superbiæ, quia mittitur ab eo ad tondendum gregẽ Dei, & vt eum spoliet vestimẽtis virtutum. Post istum tonsorẽ venit serotinus, id est, brucus, voracitas, scilicet, gulæ, sicut scriptũ est: Residuũ locustæ comedit brucus. Quid me tentatis hypocritę? Quidã ex Iudęis blãdis verbis eum seducere nitebãtur, alij apertè ipsum pśequebãtur. Vnde Isa. De Babylone erit cubile draconũ, & pascua struthionũ. Per struthionẽ hypocrisis, per draconẽ aperta malitia designatur. Et Iere. Nunquid auis discolor hęreditas mea mihi? Ecce hypocrisis, qui aliud habet in corde, aliud in ore, aliud in opere. Nunquid auis tincta per totum quantum ad apertè malos. De quibus in Iob dicitur: Extendit cõtra Deum manum suã, & cõtra omnipotentẽ roboratus est. Cucurrit aduersus Deũ erecto collo, & pingui ceruice armatus est. Teste autẽ Greg. Cõtra Deum manum tendere, est in operatione praua despecto eius iudicio perseuerare. Contra omnipotentem verò roboratur, qui prosperari in malitia sua permittitur. Erecto collo aduersus Deum currit, dum audacter perpetrat, quę displicent creatori. Tam hypocritæ quàm apertè mali durè sunt increpãdi. Vnde in Ezech. dicitur: Ecce dedi faciem tuam valentiorẽ faciebus eorum, & frontẽ tuam duriorẽ frontibus eorum, vt adamantem & silicẽ dedi faciẽ tuã valentiorẽ, vt nullo pudore superetur. Hinc discimus quia interdum gratiæ est impudentiæ resistere, & cùm lotus fuerit, frontẽ fronte cõterere. Quidam autẽ Prælati erubescunt arguere subditos, eò quòd ab eis honorẽ suscipiunt, & hoc notatur per adamantem, qui lapis est pretiosus. Alij verentur arguere subditos, quia sæpè ab illis sunt despecti, & adhuc timent ab his despici & cõculcari, quod notatur per silicẽ, qui lapis est vilis. Est ergo sensus: Dedi faciẽ tuã vt silicẽ, id est, tantã dedi tibi constantiã, vt timore despectus ab eorum correctione non fileas. Dedi faciẽ tuã vt adamantẽ, vt honoribus prouocatus, gratia vel fauore ab eorum

*De bonis dẽ-ctoribus & corruptis prædicatoribus.*

*De his quæ abominatur Deus.*

*Adulatoribus non debemus fauere, sed asperè respondere. Mich. 6.*

*De hypocritis & apertè malis. Isa. 39. Iob 15.*

ab eorũ increpatione nõ torpescas. Adamas ergo notat duritiã & fortitudinẽ cõtrà exhibitũ honorẽ: filex duritiã cõtra despectũ. Vnde Greg. Vt adamantẽ, ne, scilicet, propter exhibitũ honorem ab auditoribus refrænetur lingua propter verecundiã. Vt silicẽ, ne propter despectũ taceat, propter infirmitatem. Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Numisma à nummo dicitur, & est inscriptio & exaratio facta in nũmo seu denario, qui pro censu soluebatur, & decem vsuales nummos valebat. Vnde & denarius dicebatur. At illi obtulerunt illi denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Sapientia sapienter agit, ne suis sermonibus capiatur. Vnde nõ de ignorãtia interrogat, sed vt cõpetenter ad eorũ verba respõdeat, & ex respõsionibus eorũ ipsos capiat & cõfundat. Vnde in Parab. dicitur: Qui voluerit lapidem, reuertetur ad eum. Percussi sunt, vnde percutere voluerunt. Non enim, sicut Lucas ait, potuerunt vllũ eius verbũ reprehendere corã plebe. Vnde Aggæus: Respexisti ad amplius, & ecce factũ est minus: quia nec opera, nec verba eorũ effectũ habuerunt. Et Isa. Congregamini populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ: & confortamini & vincimini, accingite vos & vincimini. inite consiliũ & dissipabitur: loquimini verbũ, & nõ fiet: quia nobiscũ Deus. Quasi diceret: Non est sapientia, non est consilium contra Dominum. Teste enim Ierem. Calix aureus Babylonis in manu Domini, id est, prauorũ pestifera verba in potestate eius sunt ad destruendũ. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, impressionẽ suæ imaginis, nummum, tributum, pecuniam. Iure enim Gentiũ pro peccatis suis facti sunt tributarij. Vnde Apost. Cui tributum tributũ, cui vectigal vectigal. Tributũ est quod nuntio soluitur, vectigal quod ad domũ vehitur. De Christo etiã legimus, quod tributũ soluerit, didragma, scilicet, quod inuenit Petrus in ore piscis: quod tamẽ non vacat à mysterio. Christus siquidem piscis fuit latens in vndis huius seculi. In cuius ore didragma inuenitur, & ipse Christus in ore Christi reperitur in prædicatione, scilicet, & in scripturis, qui soluitur pro Petro, id est, pro Ecclesia, in remissione peccatorum, & pro se in glorificatione, quã promeruit sua passione. Reddite quæ sunt Dei, Deo, id est, vosipsos decimas, primitias, vota & alia spiritualia, quæ ad Deum pertinere noscuntur. Vnde Dominus per Prophetã: Primitias areę tuæ & torcularis tui nõ tardabis mihi offerre. Teste autem Augustũ. Si tardius dare, est peccatum, quãto magis plus est nõ dare? Per hoc autẽ manifestè videtur cõdemnare eos, qui decimas nõ reddunt. Quidam autem quæ Dei sunt, nõ Domino, sed sibi reddunt. Vnde Augustũ. Qui inuocat Deum propter nummum, Deum non inuocat, sed nummum. Cùm autẽ interim Dei iniuriã vindicare volumus, & emendã sumimus pœna temporali puniendo transgressores, cuius est iniuria, eius debet esse emenda. Vnde non in vsus prosprios, sed in vsus pauperũ est conuertenda. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quę sunt Dei, Deo. Reddamus vnicuiq; quod suum est. Cùm diabolus eiicitur, mundus subiicitur, caro affligitur, proximus diligitur, Deus in his omnibus honoratur, & ad ipsum omnia referuntur, vnicuiq; quæ sua sunt, redduntur. Reddamus Domino dilectionẽ, timorem & reuerentiã, castitatem, initium & finem. Si pater, reddamus ei dilectionẽ: si Deus, timorem & reuerentiã: si sponsus, castitatẽ: si sacerdos, primitias & decimas, id est, initiũ & finem. Reddamus proximo subsidium: solatium, in infirmitate: cõsilium, in tentatione: auxilium, in afflictione. Reddamus mundo odiũ & despectum. Odium, quia malus: despectũ, quia vilis & abiectus. Vnde Naum de Niniue, id est, de mundo ait: Omnis qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue, quis cõmouebit super te caput? Qui enim cognoscit & videt oculo spirituali vanitatẽ huius mundi, ipsum fugit & deserit, resiliendo ab eo, sicut qui in obicem grauiter impegit. Qui verò mundũ diligit, quasi fumo vanitatis obscuratur, quàm sit caducus nõ attendit. Ecõtrà qui cum Abraham interiori oculo Sodomã respicit, nõ videbit nisi fumum & fauillã de incendio. Ascendendo enim fumi & fauillæ deficiunt. Pauci autẽ sunt, qui supra vastationem Niniue caput moueant, qui, scilicet, miseriis huius mundi cõpatiantur, vel de pristina eius cõuersatione cõpungantur. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, scilicet, suæ imaginis impressionẽ. Et quæ sunt Dei, Deo, animã, scilicet, lumine vultus eius insignitã & impressam: sicut scriptũ est: Signatũ est super nos lumẽ vultus tui Domine. Ratio dicitur vultus Dei, quia per illã cognoscimus Deũ, sicut hominẽ cognoscimus per vultũ. Lumen autẽ huius vultus, est gratia reformans rationẽ. Vnde super nos dicitur, illuminare, quia ratio est superior pars animę. Lumẽ igitur vultus Dei, est gratia, reformans rationẽ in nobis. Hoc autẽ lumine signatur ratio, sicut denarius imagine Regis. Imago siquidem creationis est ratio, imago recreationis est gratia Dei, imago, scilicet, similitudinis, ad quam factus est homo, qui patri assimilatur per memoriam, filio per intelligentiam, spiritui sancto per dilectionẽ, ex memoria dum frequẽter de Deo cogitamus, cognitio & intelligentia prouenit, sicut filius ex patre procedit. Ex memoria autẽ & cognitione dilectio, sicut spiritus sanctus à patre & filio. Vnde Augustũ. Meminerim te, cognouerim te, dilexerim te. Primum delet obliuio & negligẽtia, secundum ignorantia, tertium malitia. Dum autẽ lumen vultus, id est, luminosus vultus Dei, ratio, scilicet, illuminatur per gratiam, dat Deus spirituale lætitiam. Vnde & subditur: Dedisti lætitiã in corde meo. Vnde & alibi orando Psalm. dicit: Illustra faciem tuam super seruum tuum, id est, imaginem tuam in creatione nobis impressam, illumina in nobis per gratiam, sicut imago in tabula plumbo describitur, & postmodum illuminatur. Qualiter autem quæ sunt Cæsaris, reddere Cæsari debeamus, & quæ sunt Dei, Deo, docet

*De sapientia & responsis Christi.*

*Agge 1. Isa. 8.*

*Ierem. 51.*

*Reddẽda sunt Cæsari quæ sunt Cæsaris.*

*Vnicuique quod suũ est reddere debemus.*

*De imagine & eius impressione.*

docet nos Gregorius, dicens: Alia est imago Dei, alia mundi. Si ergo Christus non habuit imaginem Cæsaris, cur censum dedit? Sed non de suo dedit, sed mūdo reddidit quod erat mundi, & tu si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ sunt mundi. Si habes diuitias, obnoxius es Cęsari. Si vis terreno regi nihil debere, omnia tua relinque, & Christū sequere. Et bene prius quæ Cæsaris sunt, decreuit reddenda. Non enim quis potest esse Dei, nisi prius mundo renuntiauerit. Reddite quæ sunt Dei, Deo. Reddamus Deo animam talem, qualem nobis accōmodauit, sanā, scilicet, non confractam, integram non mutilatam. Si quis mihi cōmodauit equum sanum, non debeo reddere equum ęgrum: si fortē, non debeo reddere debilem. Si volumus reddere animam scissa aure obedientiæ, vel scisso discretionis naso aut manu bonæ operationis recisa, non recipiet mutilatum, quod nobis accommodauit integrum. Et quoniam scriptum est: Miserationes eius super omnia opera eius. Si vis quod Deus misereatur tui, talem te reputa, qualem te fecit, non qualem te fecit diabolus, qui te deformauit. Si enim signum diuitis non habes, quod merellum nuncupatur, nō recipieris, sed dicetur tibi: Nō est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Crimen autem falsarij committit, qui superscriptionem & imaginem Christi ab anima tollit, & imprimit imaginem diaboli. Hæc enim est moneta reproba, quæ nō habet locum in foro Dei, sed in nundinis diaboli. Propterea in Apoc. dicitur: Si quis adorauerit bestiam, & acceperit characterem eius in fronte sua, vel in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne & sulphure. Bestiā, id est, diabolū adorat, qui se subiicit potestati eius, & volūtati eius se inclinat. Character diaboli, peccatū est. Character in manu, peccatū est in opere, character in frontē, peccatum in manifesto. In iudicio autē respiciet Christus numisma census, vbi inueniet imaginem Dei impressam per imitationē, reddet Deo quæ sunt Dei, quæ autem sunt Cæsaris, id est, diaboli reddet diabolo, id est, animam, in qua inueniet imaginem diaboli impressam. In denario autē reddendo septē attenduntur, materia, pondus, imago, superscriptio, pretium, mensura, & numerus. Oportet enim quod sit de bono & pretioso metallo, vt, scilicet, sit aureus, clarus per sapientiam, ignitus per charitatem, tractabilis per obedientiam, lucidus per honestam conuersationē & bonā famam, vel sit argenteus per puritatem & eloquentiā, non cupreus vel stagneus per hypocrisim & apparentiam, nō ferreus per mentis obstinationem, non plumbeus per acediam. Oportet quod iusti sit ponderis per morū grauitatem, non leuis per inconstantiam. De talibus enim Iob ait: Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. Turbo, scilicet, tentationis in præsenti, & turbo damnationis in futuro. Propterea de diabolo Iob ait: Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnē hominē trahit, & ante se innumerabiles. Glareæ Cocyti sunt, qui contra voluptates firmiter stare nolunt, sed diuersis voluptatibus inuoluti tendunt ad luctū inferni, vbi luge būt qui infirmi & dissoluti atq; effęminati fuerunt. Cocytus enim luctus mulierū seu infirmantiū interpretatur. Imago attenditur in denario, vt sicut portauimus imaginē terreni, portemus imaginem cœlestis, id est, Christi. Hæc enim signat Deus pater, sicut in Euan. Ioannis ait. Et Aggæus: Assumam te Zerobabel serue meus, & ponam te tanquam signaculum Zerobabel, id est, magister confusionis Christus, qui vt tolleret confusionem in mundum venit. Illi ergo tanquam sigillo imprimi debemus. Vnde in Canticis dicitur: Pone me vt signaculum super cor tuum, id est, imprime me memoriæ tuæ, sicut sigillum ceræ: & pone me sicut signaculum super brachium tuum, id est, exemplum imitationis super operationem tuam, vt ita opereris sicut ego. Signaculum enim Christi super brachium ponit, qui exemplum operationis ipsum sibi ad imitandum proponit. Vnde Ezechiel ait: Aspectus animalium similitudo hominis in eis. Vnde Gregorius: Quia similitudo vitæ huius hominis, qui habitu inuentus est vt homo, nunc in moribus trahitur electorum, & in resurrectione sequetur similitudo æternitatis in mēte, quando videbimus eum, sicuti est. Et quia similitudinem illius corpora nostra percipient in configuratione. Vnde Iob: Restituetur vt lutum signaculum. Restitutus est homo vt lutum per peccatum, dum in lutum & terram reuertitur: & per Christum restitutum est signaculum, id est, reformata est in nobis imago per gratiam in præsenti, & per gloriam in futuro. Nisi autem speculum animæ à sordibus, & puluere tergamus, in illa Dei imago non resultabit, nec Deum cōtemplari poterimus. Superscriptio attenditur in denario, vt nomen summi imperatoris imprimatur cordi nostro, sicut oramus, cùm dicimus: sanctificetur nomen tuum, id est, in nobis confirmetur & firmiter imprimatur, vt, scilicet, à Christo nomine & opere veri Christiani sumus. Multi autem hodie habent superscriptionem diaboli & eius characterē, ita vt nullus possit vēdere vel emere, nisi qui habuerit characterem nominis bestiæ, sicut dicitur in Apocalypsi. Iam enim pauci sunt negotiatores, qui putent se posse lucrari obolū, sine mendacio & fraude. Pretium in denario attenditur, quia decem nummos valebat, per quos decem præcepta decalogi intelliguntur. De hoc autem pretio Isaias ait: Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo, id est, auro rubro, & purgatissimo. Mensura insuper & numerus in Christi moneta attenditur. Omnia enim creauit Deus in pondere, numero, & mensura. Non est mensura bona, si sit confractus per impatientiam, vel recisus vt non habeat perseuerantiam. Non est numerus sufficiens, vbi aliquid omittitur de agendis. Si autem omnia prædicta in denario nostro, id est, in moneta animæ nostræ reperiantur, tunc in nundinis paradisi absq; vlla retractione recipietur à mercatore illo, qui nos redemit sanguine suo, cui honor & gloria in sempiterna secula. Amē.

*De anima reddēda Deo.*

*De superscriptione imaginis, & moneta bona & mala.*

*De charactere.*

*De denario reddēdo Deo.*

*Iob 21.*

*Isaiæ.*

Isaiæ 62. *Super muros tuos, Hierusalē cōstitui custodes: tota die & tota nocte nō tacebunt laudare nomē Domini.*

Abacuc 2. *De speculatione & custodia animarum.*

SVPER custodiam meam stabo, & figā gradum meum super munitionē meam: & contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeā ad arguentē me. Verba sunt Abacuc de speculatoribus Ecclesiæ, & custodibus animarū. Primò autē seipsos custodiant, qui alios custodire debent constituendo sibi speculum mentis contra casus imminentes, & vitiorum amaritudines, vt secundum Ieremiæ consilium statuant sibi speculam, & ponant sibi amaritudines. Speculum statuere, est ventura vitiorum certamina ex alta cōsideratione prænoscere. Sibi autē homo amaritudines ponit, dum mala insidiantia conspicit, & securus quiescere nō consentit. Teste autē Iob: procul odoratur bellum & exhortationem ducum, & vlulatum exercitus procul, id est, ex causis præcedentibus, quæ vitia subsequi solent, agnoscit cum magna cautela, attendens quod plerumq; ex doctrina sequitur arrogantia, ex iustitia crudelitas, ex zelo ira, & sic de aliis vitiis quæ occasionaliter ex virtutibus oriuntur. Vnde necesse est vt speculā cautelæ & discretionis ascendamus, quēadmodum Isa. ait: Super speculam Dei ego sum stans iugiter, & super custodiam meā totis noctibus. Dicit igitur Abacuc: Super custodiā meam stabo, erectus, scilicet, & non ad terrena curuatus, & figam gradum, id est, mentis affectum super munitionem meā, id est, Christum illi perseuerāter & firmiter innitendo, vel super munitionē virtutum illas cōseruando, & contemplabor quid dicatur mihi, à Domino, scilicet, præcipiente, prohibente, cōsulente, cōminante & promittente, & quid respondeā ad arguentē me, id est, diabolo accusanti, vel etiam Christo in iudicio, quando dicet: Esuriui, & nō dedistis mihi māducare. Sancti enim disponere sermones suos in iudicio diligēter procurāt. Vnde quidā vir religiosus, cū propter infirmitatē delicata cibaria, & ante horā vellet manducare, inuitabat pauperes, dicēs: Si me Dominus arguat & dicat mihi, quare delicata cibaria & ante horā comedisti? Respōdebo Domine, tu mecum manducasti. Vnde nō me debes de hoc cōdemnare. Stare igitur debet Prælatus super custodiā suā, vt custodiat muros, & munitiones animæ suæ, & postmodū cōperentius stare poterit super Ecclesiā Dei, & super muros illos, de quibus in hodierno sermone dicitur:

*De multiplici muro.* Super muros tuos cōstitui custodes. Pluraliter autem dicit muros. Multi enim sunt muri, alij boni, alij verò mali. Murus enim dicitur Christus, qui totū ædificiū Ecclesiæ ambit & munit. Vnde Isa. Ponetur in ea murus & antemurale. Murus, id est Christus vndiq; custodiēdo circūdans. Antemurale Patriarchę & Prophetę ad fidei confirmationē præmisi. De hoc muro Ezech. ait: Ecce murus forinsecus, ecce in circuitu domus vndiq;. Forinsecus secundū humanitatē, intrinsecus secundū diuinitatē. Intus autē nos nō protegeret, nisi exterius per incarnationē apparuisset. In circuitu domus esse dicitur. Iuxta illud: Et Dominus in circuitu populi sui. Qui enim sursum est firmitas angelorū ne cadāt deorsum, factus est adiutoriū hominū vt resurgāt.

*Muri munimentum fidei.* Murus dicitur munimentū fidei vel disciplinæ. Vnde Iob: Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerūt super me. Quod fit cū peruersi accepta potestate tēporali munimina fidei destruere cōnatur, vel quando malignorū spirituū aut peruersorū hominū callida persuasione munimina

*Ezech. 13.* disciplinę in corde disipātur. Et in Ezech. dicitur. Ascendā ad terrā absq; muro, veniā ad quiescentes habitantesq; securè, vectes & portæ nō sunt in eis. Sine muro, id est, sine munitione custodiæ vel disciplinæ, qui nō sunt clausi, sed hostibus expositi. Murus aliquādo in malū accipitur, pro obstaculo bene operādi vel impedimeēto fidei. Vnde Psal. ait: In Domino meo transgrediar murū, id est, bene faciēdi impedimentū. Est murus diaboli, murus, scilicet, peccati. De

*Murus obstaculum bene operandi.* *Murus peccati* quo Ezech. Absq; muro habitabitur Hierusalē, id est, Ecclesia, vel anima fidelis, absq; muro peccati, quod fit quādo muri Iericho in nobis corruunt ad tubā prædicationis. Ad faciendū murū istū in ædificio diaboli lapis durus in clibano coctus in puluerē cōteritur, vt calcis copia habeatur, & inde ex puluere cupiditatis, & aqua carnalis cōcupiscētię fit cœmentū admixto sabulo temporaliū. Lapis cor durū, clibanus diabolica suggestio. Coquitur autē cor peccatoris igne cōcupiscētiæ, & cōteritur curarū solicitudine. Super muros tuos Hierusalē cōstitui custodes. Murus est Ecclesia Dei, Vnde in Cant. Ego murus, & vbera mea turris. Super muros dicuntur esse turres, id est, Prælati, boni, & fortes, qui dicūtur vbera Ecclesiæ, quia ministrāt lac

*Murus est Ecclesia.* *De tribus lapidibus & fundamento muri.* doctrinæ. De his turrib⁹ Psal. ait: Fiat pax in virtute tua, & abundātia in turribus tuis. Vt, scilicet, qui pacē aliis nuntiāt, doctrina & operib⁹ bonis abundēt. De lapidibus aūt huius muri, id est, Ecclesiæ ait Petrus. Et vos tanquā lapides viui superędificamini. Vnde Dan. ait: Edificabitur platea & muri in angustia tēporum, quia in Christi passione ędificata est Ecclesia, & quotidie in angustia tribulationū ędificatur. Teste enim Isa. Lapides viui sternētur super terrā. Et iterū: Ecce ego sternā per ordinē lapides tuos. Hi sunt lapides quadri, sancti, scilicet, cōstantes & robusti. De quib⁹ idē Isa. Lateres ceciderūt, sed quadris ædificabimus. Hoc spiritualiter impletū est in Apostolis corruentibus Iudæis infirmis & inconstantibus. Huius autē muri fundamentum est Christus. Vnde Isa. Ecce ego mittā in fundamentis Sion, lapidem angularem probatū, pretiosum, in fundamento fundatū, lapis angularis quē reprobauerunt ædificantes, est Christus probatus in passione, pretiosus in resurrectione, fundatus in fundamentis Sion, id est, Ecclesiæ. Dicitur insuper pretiosus, quia per ipsum redemptus est mundus. Ipse etiam

est petra

est petra offensionis malis in mundo, petra scandali in iudicio, petra cõfractionis in inferno. In mundo, per culpã, in iudicio per sententiã, in inferno per miseriã æternã, quia super quẽ ceciderit, confringet eũ. Hæc petra refugiũ est erinaciis, fortitudo lepusculis, pinguedo deuotis, fundẽs riuos olei, dulcedo perfectis & contẽplatiuis. Nã de petra melle saturauit eos. De hoc lapide Zach. ait: Super lapidẽ vnũ septẽ oculi, id est, super Christũ septẽ dona spiritus sancti. Et iterũ ait: Educet lapidẽ primariũ, & exęquabit gratiã gratię eius. Lapis primarius, q omnis boni fons est & principiũ, est Christus. Ipse totius ædificij est fundamentũ. Hũc Deus pater eduxit, dum ipsum mundo manifestauit, qui per gratiã glorificationis in futuro, gratiæ iustificationis in præsenti exæquabit, quia secundũ magnitudinẽ charitatis in hoc seculo dabitur vita æterna in futuro. Erit enim mẽsis ex mense, & sabbatũ ex sabbato. In muro autẽ tẽpli Salomonis, id est, Ecclesiæ lapis, sic veniebat in ædificio, vt vestiretur cedro, & cedrus vestiretur auro purissimo. In lapide fides inuincibilis, in cedro operatio virtutis, in auro supereminentia charitatis designatur. Fundamentũ igitur est Christus, & Christi fides. Quidã autem ædificant super hoc fundamẽtum aurum, argentum & lapides pretiosos. Aurũ in amore virtutis, argentũ in cognitione veritatis, lapides pretiosos in incorruptione boni operis. Nisi enim super firmã petrã fiat ædificatio, nõ potest subsistere. Descẽdit pluuia, id est, aëreæ potestatis impugnatio, veniũt flumina, id est, fluidæ concupiscẽtiæ delectatio: & vẽti, id est, potestatũ secularium persecutio, & irruẽtes in ædificiũ subuertũt illud. Valde igitur necesse est, vt super muros Hierusalẽ custodes constituãtur sollicitè excubãtes in castris Dei, qui vigilãti animo hostiũ insidias sagaciter explorẽt, cõsilia malignantiũ anticipẽt, deprehẽdãt laqueos, aduertãt tẽdiculas, retiacula disfipẽt, machinamẽta frustrẽtur. Hi sunt fratrũ amatores & populi Israël, qui multũ orãt pro populo & ciuitate sancta Hierusalẽ, vigilãtes & orãtes, vt tuta sit ciuitas à violẽtia tyrannorũ, à fraude hæreticorũ, à tẽtatione dæmonũ. Hi sunt speculatores & exploratores illi, quibus in Numero dictũ est: Cũ veneritis ad mõtana, cõsiderate terrã qualis sit, cõsiderando, scilicet, propriã cõscientiã, fratrum indigentiã, dæmonũ astutiã, & patriæ cœlestis gloriã. Ad mõtana siquidẽ cõscendere debẽt, vt circunspicere valeãt. Speculatoris enim vita alta debet esse & circũspecta. Vnde ad Ezech. Dominus ait: Speculatorẽ dedi te domui Israël. Teste autẽ Greg. Dominus prædicatorẽ speculatorẽ vocat. Cui enim aliena vita cõmittitur, speculator dicitur, vt in mẽtis altitudine sedeat, & vocabulũ nominis ex virtute actionis trahat. Speculator in alto debet stare per vitã, vt possit prodesse per prouidẽtiã, vt subditorũ vitã trãscendat, & terrenis animũ nõ supponat. Teste autẽ Ber. Mõstruosa res est gradus summus & animus infirmus, sedes prima, & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, ingẽs nominis authoritas, sed nulla virtutis sollicitas. Propterea in Ezech. Dominus ait: Quod si speculator viderit gladiũ venientẽ, & nõ insonuerit buccina: & populus nõ se custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animã ille quidẽ in iniquitate sua captus est, sanguinẽ aũt eius de manu speculatoris requirã. Super hoc Hiero. ait: Formidandũ summopere officiũ ne accedamus indigni, ne assumpti à populo negligẽtes sumus & vẽtri & otio seruiamus, ne honorẽ accepisse & nõ onus putemus. Filius enim hominis nõ venit ministrari, sed ministrare, pedes discipulorũ lauit, ostẽdẽs à magistris omnes discipulorũ sordes debere purgari. Licèt autẽ Prælati in eminẽti specula sint pẽ dignitatẽ, debent tamẽ descendere per humilitatẽ, sicut scriptũ est: Qui descendunt mare in nauibus. Super muros tuos Hierusalẽ cõstitui custodes. In eminentia vitæ debẽt attolli custodes, id est, speculatores domus Domini. Vnde Isa. ait: Super mõtem excelsum, ascẽde tu qui Euãgelizas Sion. Vnde Greg. ait: Qui cœlesti prædicatione vritur, ima iã terrenorum operũ deserens, in rerum culmine stare videtur, tantoq; facilius subditos ad meliora pertrahit, quantò per vitæ meritũ de supernis clamat. Illa namq; vox auditorum, cor libentius penetrat, quã dicentis vita cõmendat, quia quod loquẽdo imperat, ostendendo adiuuat. Ex hoc patet, quare sacerdos secundũ legẽ iubetur habere pectusculum eleuationis, vt, scilicet, pręemineat sciẽtia, & armũ separationis, vt pręemineat vita, & linguã cũ faucibus, vt pręemineat doctrina. Vnde in Isa. subditur. Exalta in fortitudine vocẽ tuã, qui Euangelizas Sion Hierusalẽ. Per Sion & Hierusalẽ Apostolos & alios doctores intelligit, quos admonet, & quæ à Domino acceperũt, prædicẽt, & culmina virtutũ ascẽdentes verbo & exẽplo doceant. Sunt igitur in specula, vt alios videre, & ab aliis videri possint. Ascendãt super montẽ Christũ, vt nihil annuntiẽt, nisi quod ab ipso habent. Exalta, inquit, noli timere sæuitiã, scilicet, persecutorum, diaboli astutiã. Ecce merces eius cum eo, quia ipse erit præmium iustorũ, & opus illius corã illo, id est, potestas iudicij, remuneratio bonorũ, & malorũ cõdemnatio, cõtra quos inuitantur dæmones ad deuorandũ. Vnde Isa. Omnes bestiæ agri venite ad deuorandũ, speculatores eius cæci omnes. Ecce miserabile inuitatoriũ. Nescierũt vniuersi canes muti, nõ valẽtes latrare, videntes vana, dormiẽtes & amãtes somnia, canes impudẽtissimi nescierunt saturitatẽ. Bestiæ siquidẽ agri, id est, dæmones liberè venire possunt, vbi nõ est qui ipsos fugat vel exterreat. Teste enim Salomone in Prouer. Vbi nõ est gubernator, corruet populus. Et iterũ: Cũ defecerit prophetia, dissipabitur populus. Cæci autẽ speculatores dicũtur, qui mala imminẽtia nõ præuidẽt. Vnde Petrus: Cui hęc præstò nõ sunt, cæcus est & manu palpãs. Nescierũt, hîc remouet scientiã. Canes muti, hîc remouet doctrinã. Videtes vana, hîc remouet bonã vitã. Licèt autẽ cæci sint quantũ ad spiritualia, quia cũ diabolo fœdus inierũt, & dextros oculos amiserunt, in tẽporalibus tamẽ acutè vident, quia finistrũ oculũ diabolus illis reliquit. Vnde

*De ædificatione muri.*

*De firmitate Petræ.*

*De custodibus murorum.*

*De speculatore.*

*De eminentia speculatorum.*

*Ezech. 33.*

*De malis speculatoribus.*

quit. Vnde Zach. Oculus eius dexter obtenebrescet. Dormierũt autẽ cũ deberẽt vigilare supra gregẽ suum, amãtes somnia, id est, tẽporalia. De quib⁹ in Eccles. Sõnia extollunt imprudẽtes. Et in Eccles. Vbi multa somnia, plurimę sunt vanitates. Canes impudẽtes ad turpia lucra, nescierũt saturitatẽ, quia auarus nõ implebitur pecunia. Et Iere. de huiusmodi: Effusi estis sicut vituli super herbã, & mugistis vt tauri. Effundũtur mali Prælati per praui exẽpli manifestationẽ, lasciuientes vt vituli super herbã tẽporalium, & sicut tauri mugiẽtes, quia subditis se feroces exhibẽt & terribiles. Cõtra potẽtes autẽ, & tyrannos timidi sunt & pusillanimes, nõ ascẽdentes ex aduerso, nec opponẽtes se murũ pro domo Israël. Mercenarius, viso lupo, fugit. Testudo in hyeme tẽpestatis, in testa se cõtrahit, in ęstate prosperitatis cornua ostẽdit. Super muros tuos Hierusalẽ, cõstitui custodes, qui subditos suos diligẽter custodiũt. In custodiẽdis enim illis retributio multa. Ecõtra de malis custodib⁹ ait Ber. Heu, heu Domine Deus. Hi in persecutione tua primi sunt, q populũ tuũ regere & principatũ tenere & primatũ habere videtur. Arcẽ Siõ occupauerũt, munitiones apprehẽderunt, & miseta eorũ cõuersatio miserabilis plebis tuæ est subuersio. Et de eodẽ Naũ ait: Custodes tui quasi locusta, & paruuli tui quasi locustę locustarũ quę cõsident in sepib⁹ in dieb⁹ frigoris. Ortus est Sol, & auolauerũt, & nõ est cognitus locus earũ vbi fuerint. Custodes mali principes, scilicet, & Prælati, quãdo de dignitate attollũtur, locustis cõparantur. Paruuli aũt qui teneriùs solẽt amari, sunt spiritales deliciæ annexæ abundãtiæ tẽporali, q maiores delicias, id est, dignitates, sicut fœtus matres sequũtur. Cõsident autẽ in sepibus in dieb⁹ frigoris, id est, in ꝓplexitate vitiorũ, dum gelu cupiditatis anima eorũ torpescit. Ortus est Sol, & auolauerunt locustæ. Nã q, diuturna sollicitudo collegit, modica sæpè tribulatio dispergit. Locustæ auolãdo fugiunt, dũ dignitates seculares, velut vmbra pertrãseunt, & nõ est cognitus locus earũ. Iuxta illud: Homo cũ interierit, nõ sumet omnia. Et in lib. Sapien. dicitur. Trãsierunt omnia tanq vmbra. Quantum autẽ detrimentum ex malis custodibus proueniat, Dominus per Iere. ait: Ecce ego cõuocabo omnes cognationes regnorũ aquilonis, ait Dominus: & venient, & ponet vnusquisq; solium suũ in introitu portarũ Hierusalẽ, & super omnes muros eius in circuitu, & super vniuersas vrbes Iuda. Cognationes aquilonis sunt maligni spiritus. Portæ autẽ Hierusalẽ debent esse Prælati, vt alios introducãt. Muri vt alios defendãt, vrbes vt alios suscipiãt. Quod si negligãt Prælati, maligni spiritus in eis solũ ponẽt. Custodire igitur debemus animas nostras, vt digni simus custodire aliorũ animas, alioquin dicere poterimus, quod in Cant. legimus: Posuerũt me custodẽ in vineis, vineã meã, id est, animã propriã nõ custodiui. In Prouer. autẽ Salomon ait: Qui seruat ficum, comedet fructus eius. In Euang. legimus, q, per pœnitentiã seruata est ficus sterilis ne scinderetur. Nõ bene autẽ custodit suã ficũ, qui per negligentiã permittit eã corrodi à vermib⁹ malarũ cogitationũ. Vnde Amos ait: Ficeta vestra comedit eruca. Beatus autẽ homo qui semper est pauidus, & semper sollicitus ciuitatẽ suæ animæ custodire, & malorum consortiũ fugere. Vnde Ezech. Saluabitur qui fugerit ex eis, & erunt in montibus, quasi colũbæ conualliũ omnes trepidi. Licèt autẽ homo sit in mõte præminentis cõuersationis, nunq tamẽ debet esse securus, sed esse quasi columba in cõvallibus humilitatis. Columba enim in valle gemebunda, & meditatiua semper metuit, sicut scriptũ est: Meditabor vt colũba. Nõ solũ autẽ animarũ nostrarũ vel proximorũ, sed etiã Dei nostri custodes esse debemus, ne peccatis nostris ipsum amittamus. Vnde in Prouer. dicit. Qui custos est Domini sui, glorificabitur. Homo siquidẽ debet Domino suo corporis eius, & mẽbrorum custodiã. Qui ergo corpus Christi recepit, custodiat illud, & de mẽbris Christi nõ faciat mẽbra diaboli. Vnde Dauid ad Abner dixit: Filius mortis es, qui nõ custodisti Dominũ vestrũ. Super muros tuos cõstitui custodes. Nemo enim sibi debet assumere honorẽ, sed qui vocatur & cõstituitur à Deo. De ambitiosis autẽ Mich. ait: In fortitudine vestra sumitis cornua, nõ diuina vocatione, nõ in meritis scientiæ vel vitæ, sed in fortitudine amicorũ & munerũ, quę valdè sunt fortia: Nã pecuniæ obediunt omnia. Per preces autẽ violẽtas & terrores principũ quidã intruduntur, nõ introducuntur, nec à Domino cõstituuntur, sicut scriptũ est: Ipsi regnauerũt, sed nõ ex me. Quid autẽ faciendũ sit speculatoribus & custodibus, quos Dominus cõstituit, ostẽdit Isa. dicẽs: Tota die & nocte nõ tacebunt laudare nomen Dei, neq; in die prosperitatis, nec nocte aduersitatis à laude Dei, & ab instructione populi cessare debẽt. Vnde Ezech. misso ad prędicandũ dictũ est. Vt adamantẽ & silicẽ dedi te. Silex durus est & vilis, adamas durus & pretiosus. Talis debet esse bonus Prælatus, durus cõtra despectũ, cũ infertur: durus cõtra honorẽ, cũ offertur. In omnib⁹ enim laudare debemus Dominũ, & instruere proximũ. Vnde Isa. Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Et iterũ ait: Qui reminiscimini Dei ne taceatis, nec detis silentiũ ei donec stabiliat, & donec ponat Hierusalẽ laudẽ in terra. Semper enim doctrinæ insistendũ est, donec cõfirmetur Ecclesia, & quousq; post mortẽ securè laudari possit anima iusti. Quãta enim sollicitudo debeat esse in Prælato, ostendit Psal. dicẽs: Si ascẽdero in lectum strati mei, & si introiero in tabernaculum domus meæ, donec inueniã locũ Domino, in quo, scilicet, Deus habiter, & faciat mansionẽ. Festinet igitur Prælatus, discurrat, nõ det somnũ oculis suis, & dicat cũ Apost. Hæc est instantia mea quotidiana, sollicitudo omniũ Ecclesiarũ, In Gene. autẽ Iacob ait: Quidquid furto peribat, exigebas à me, die ac nocte gelu vrgebat & æstu. Quidquid enim furto inimici perit per negligentiã pastoris, exigitur à pastore. Æstu autẽ tribulationis subditorũ, & calefactionis vitiorũ in subditis, & gelu infidelitatis vel torporis

*De malis custodibus.*

*Iere. 6.*

*Prius custodiant animas suas, qui volunt custodire animas aliorũ.*

*Cõstitui debẽt custodes super Ecclesiam per electionem, nõ per ambitionem.*

*In prosperis et aduersis laudandus est Deus.*

*De sollicitudine Prælatorũ.*

vir debet

vti debet Prælatus compatiendo illis. Tota die & nocte nō tacebunt. Vnde per Isa. Dominus ait: Vox speculatorum tuorum. Leuauerunt vocē, laudabunt simul, quia oculo ad oculum videbunt. Iustum est, vt qui speculatores aliorum se exhibēt, vocē suā non deprimāt, sed eleuēt. Nā qui de mundo sunt, de mundo loquuntur. Hi autē quorum cōuersatio in cœlis est, de cœlestibus loqui debent, oculo autē cōtemplationis ad oculum gratiæ, cœlestia vident, & occulta mysteria cognoscunt. Sicut scriptum est: Beati oculi qui vidēt, quę vos videtis. Speculatores autē à specula vel speculo dicuntur. A specula per circunspectionem, & sanctæ conuersationis præeminentiā. A speculo, quia speculātur & respiciunt in speculis creaturæ, naturę, scripturæ & gloriæ. De speculo creaturæ ait Apost. Inuisibilia Dei à creatura mūdi per ea quæ facta sunt intellecta cōspiciuntur. De speculo naturæ, in quo nostrā agnoscimus fragilitatē ait Ierem. Statue tibi speculā. Alia litera: Pone tibi amaritudines. Quasi diceret: Pone ante mētis oculos materiæ tuæ vilitatē, naturæ fragilitatē, vitæ breuitatē. Vita breuis, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna interminabilis, & ita nihil exceptis amaritudinibus inuenies. De speculo autē scripturæ dicit Iacobus: Si quis auditor est verbi & nō factor, cōparabitur viro cōsideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Docet enim sacra scriptura, quid purgādum sit in facie mētis, sicut speculum docet quid purgādum sit in facie corporis. Vultus autē natiuitatis nostrę est vnde nati sumus, quales nati, ad quid nati. Vnde nati, quantum ad vilitatē materiæ: quales nati, quātum ad fragilitatē naturæ: ad quid nati, quantum ad dignitatē gloriæ. Quoniā speculum est speculatio cœlestis gloriæ. Quia sicut maculę si quæ sunt in facie, in speculo apparēt, sic cum cœlestis gloriæ puritati nos præsentamus, nostræ impuritatis tenebras cognoscimus, tunc mala quæ fecimus, grauiora fecisse sentimus. In vndis autē argēteis prospicui fontis, clarè resultat vultus aspiciētis. Vnde Abrahā postquā Dominum vidit, se cinerē & puluerē nominauit. Hi igitur speculatores tacere non debent, sed peccatores fortiter increpare. Vnde Iere. Nolite tacere super iniquitatē Babylonis, quoniā tēpus vltionis eius Domino, vicisitudinē ipse retribuet ei. Quāta abusio speculator cæcus, præco vel aduocatus mutus, pædagogus claudus, propugnator mancus. Quādo autē paruulo prouidendū est de nutrice, nōne prius quærendū est de vberibus & lacte? Qui aliter faciūt nō prouisores, sed interfectores paruulorū dicēdi sunt. Diligēter igitur intuēdum est, quales custodes cōstituantur super muros Hierusalē, cuiusmodi sunt qui ad custodiā animarū ponuntur. Nō ponatur crucibulū pro lucerna, vesica pro lāterna, nec ponatur cęcus in speculatorē, eunuchus in spōsum, claudus in itineris ducē, mutus in interpretē. Et quoniā omnes tā maiores quā minores animę suę custodes esse debēt, & speculatores cōtra dæmonum insidias & calliditates. Custodiamus diligenter muros Hierusalē, id est, animarū nostrarū munitiones & munimēta virtutum. Vigilemus studiosè super gregē cogitationū nostrarū locutionum & operum, & super gregem sensuum nostrorum: nō taceamus à diuina laude & gratiarum actione die prosperitatis, vel nocte aduersitatis, sed semper laus Dei sit in ore nostro, vt laudemus eum, qui creauit & recreauit nos, qui proprio sanguine nos redemit & iustificauit, qui seruis suis regnum æternum promisit, & gloriam æternam præparauit, Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus, laudabilis, & gloriosus in secula seculorum. Amen.

*De diuersis Speculis.*

*Speculatores debent arguere peccatores.*

*Contra istos qui malos in Ecclesia præficiunt.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM de Epistola ad Colossenses .1.

*Fratres, Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius.*

EGO quasi Libanus nō incisus vaporaui habitationē meā. Hæc verba quæ in Eccles. legimus ad beatum Paulū specialiter pertinēt. Libanus siquidē arbor est thuris. Per thus autē siue per incensum oratio designatur. Hoc autem thure Apostolus plurimum abundabat, qui sine intermissione orabat. Vnde & Libano nō inciso comparatur, quia sponte & voluntariè Domino seruiēs, nullis tribulationibus scindebatur vel frāgebatur, sed semper in Dei seruitio integer permanebat. Ipse autē piis & odoriferis orationibus habitationē suā, id est, plebē sibi commissam vaporabat, quia assiduè pro subditis orans, odore bono ipsos recreabat. Et secundum quod legimus de Aaron, thuribulum accipiens inter viuos & mortuos medius confistebat, pro his orans, vt in bono persisterent: pro illis, vt à morte peccati resurgerent. Imo ipse thuribulum illud, de quo in Apocalypsi dicitur. Accepit angelus thuribulum aureum, & implevit illud de igne altaris. Angelus siquidem magni consilij accepit eum, & de mari huius seculi extraxit in eius cōuersione. Accepit insuper eū, id est, acceptū habuit in sancta eius cōuersatione. Aureus autē fuit splendore sapientiæ & charitatis ardore, thuribulū fuit in oratione. Foramina autem thuribuli, per quę fumus ascendit, sunt varij charitatis affectus, quos habuit. Per foramina siquidem affectuū fumus ascendebat ad Deū. Impletus enim erat igne altaris, id est, charitate Christi, quæ altare dicitur, quia ad illū omnes oblationes sanctorū referuntur. Exēplo igitur Apostoli orare debēt sacerdotes pro populo Dei, & maximè pro his qui eis subiecti sunt, & à quibus Eleēmosynas recipiūt, alioquin arguētur fraudis, immo furti & rapinę in cōspectu districti iudicis, si debita suffragia his, quibus obligātur, subtrahere nō verētur. Nō solū autem

*Ecclc. 24. De oratione Pauli Apostoli.*

*De thuribulo.*

*Orare debent Prælati pro subditis.*

horas

horas canonicas persoluere tenetur, quæ pro vniuersali Ecclesia dicuntur, sed insuper ad spirituales orationes pro benefactoribus suis astringuntur, cũ cordis puritate & deuotione. Caueãt igitur ne paleã soluant pro grano, ne absorbeatur virtus orationis à mortali peccato, sicut scriptũ est: Qui cõgregauit merces, misit eas in saccũ pertusum. Peccatores enim nõ exaudit Deus, qui Deo malis operibus cõtradicunt. Scriptũ est enim: Iniquitatẽ si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et iterũ Psal. ait: Subditus esto Domino & ora eũ. In Prouer. autẽ scriptũ est: Nouit iustus animas iumentorum suorũ, viscera autẽ impiorum crudelia, qui, scilicet, de salute gregis nõ curant, nec pro ipsis orant. Vnde de talibus Ezech. ait: Aquila grandis, alarum magnarum plena plumis & varietate, lõgo membrorum ductu venit ad Libanũ, & tulit medullã cedri. Aquila grandis est Prelatus dignitate magnus magnarũ alarũ, quib⁹ volat ad prędãdum, quæ sunt quæstus & calumnia. Quod enim raptores huiusmodi per quæstum à subditis nõ impetrãt, per calumniã extorquent. Plumis autẽ & varietate sunt pleni per leuitatẽ, & inconstantiã, in promittendo faciles, in cõplendo difficiles vel mendaces. Plumaria etiã habẽt, id est, adulatores, quorum verbis & blãditiis molliter incumbũt. Pleni sunt varietate, simulatione, scilicet, & dissimulatione. Simulãt bonum quod nõ est, dissimulãt malũ quod est. Longus autẽ mẽbrorum ductus est lõgus ordo sociorum & famulorum. Milui siquidẽ prædã sequuntur, licèt autẽ paucos secum habeant cũ resident in proprio, multos tamẽ põpose secũ trahunt cùm vestiantur & comedãt de alieno. Dixit & venit locusta, & bruchus cuius nõ erat numerus, quia numerum debitũ in familia & euectionibus excedunt, & omnia more locustarũ deuorãt. Teste enim Abacuc: Omnes festinãt ad comedendũ. Hæ igitur aquilæ rapaces veniũt ad Libanum, id est, ad aliquã Ecclesiã, vel aliquod monasterium, & medullam cedri tulerunt, quia quidquid boni inueniunt, quidquid electum reperiunt, si pulchrum inueniunt palefridũ, si pulchra & pretiosa vasa, sibi tollunt. Nõ solũ autẽ medullã, sed & sanguinẽ nimis emungẽdo eliciunt, tollunt ea, vnde pauperes viuere deberent. Vita quidẽ est in sanguine, & ipsi vitã pauperum crudeliter nõ verẽtur asportare. Sicut autẽ rapere & manducare bona subditorum non cessant, ita boni Prælati pro subditis incessanter orant. Vnde in hodierna Epistola Apost. ait: Nõ cessamus pro vobis orãtes. Sunt qui ad primã repulsam petere desistunt, sunt qui ad secundã à deuotione cadunt, sunt qui ad tertiã desperantes ad peccata redeunt. Mulier Chananæa propter repulsam nõ desistit, & accipere meruit. Quid autẽ oraret ostendit Apostolus, dicẽs: Postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius. Aliter enim dignè Deo seruire nõ valemus, nisi qualiter sibi seruire valeamus, agnoscamus. Quidã autẽ literati diuinã voluntatẽ ex scripturis agnoscunt, sed ipsi nõ implẽtur, immo magis inflãtur. Inuacuũ enim gratiã Dei accipiunt, & nõ inuacuo, id est, in corde per humiliratẽ concauo. Quantò autẽ maius est donum scientiæ, tãtò transgressor maiori subiacet culpæ. Vnde dæmoniaci cũ maiori difficultate legun tur esse curati. Dæmõ vtiq; sciens interpretatur. Hi sunt qui scientiã habentes peccant, & scientiã suã ad vanitatem & curiositatẽ retorquent. Propterea in Eccles. dicitur: Ne abscondas sapientiã in decore suo, phaleris, scilicet, verborum illam ornando. Non est autem hæc scientia spiritualis, sed carnalis vel secularis, quæ inebriat nõ charitate, sed curiositate. In doctrina quidem sua mortẽ inuenit, qui in verbis vitæ, vitam non quæsiuit. Hi autem legem Dei scriptam habent in codice, sed non in corde. Est enim triplex liber. Primus scientiæ scriptus in codice, secundus experientiæ scriptus in carne, tertius conscientiæ scriptus in corde. Plenitudo autem legis non consistit in codice, sed in corde, non in lectione, sed in dilectione. Vnde Apost. Plenitudo legis est dilectio. Cur ergo scientia inflaris, & de ingenij perspicuitate gloriaris, cum in his tibi præemineat diabolus? Omnis autem scientia ad cognitionem Christi, non ad iactantiam debet referri, vnde semper debemus orare. Notum fac mihi Domine finem meum, id est, Christum. De manna siquidem scientiæ vermes scaturiunt, quando ad aliud reseruatur, quam ad sabbatum quietis æternæ. Multi autem propter curiositatem vel inanem gloriam corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, & quia à veritate declinauerunt, omnes simul inutiles facti sunt. Vnde beatus Ioannes ad Crathon philosophum ait: Sicut vana medicina est, qua morbus non abscinditur, ita vana doctrina est, qua vitia non curantur animarum. Et Ezechieli Dominus ait: Venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto. Multi autem legunt, & vacui recedunt, licèt enim mente intellectum sacri verbi recipiant, in cordis visceribus seruando non reponunt. Venter autẽ dicitur mens, quæ recipit rerũ notitias sicut venter escas. Venter igitur, id est, mens comedit legendo & discutiendo. Viscera autẽ cõplẽtur, id est, interiora cordis, scilicet, desiderium, voluntas, & intentio recta. Qui igitur scientiam scripturæ sanctæ ad Deum non referunt, sed inde laudari appetunt, vacui remanẽt & nõ implentur. Vnde in Euang. Dominus ait: Claritatem ab hominibus non accipio. Qui appetũt claritatem ab hominibus, habebunt tenebras à dæmonibus. Tria caniſtra pistoris Pharaonis, sunt ingenium, ratio, & memoria, de quibus volucres, id est, aëreę potestates reficiuntur, quãdo hæc ad vanitatem referuntur. Vnde Ezechiel ait: De auro meo & argento meo, quæ dedi tibi, feciſti tibi imagines masculinas. Hi sunt qui de virtute & scientia inflantur, & appetunt laudari, & magni atque fortes æstimari. Et per Oseam Dominus ait: Aurum & argentum multiplicaui eis, & ipsi fecerunt Baal, qui interpretatur superior, quia per hæc magnificare appetunt & semper superiores videri. Teste autem Gregorio: Qui de scientia

*Non debemus ab oratione cessare.*

*De agnitione voluntatis diuinæ.*

*De triplici libro.*

*De malis literatis. Scientia nostra referenda est ad Deum.*

*Gloria vana de scientia.*

scientia quã habet,eleuatur,de ista,qua deberet illuminari,obscuratur.Multi siquidem sapientiam perdunt,& in reprobum sensum dantur,quia de ista inaniter attolluntur. Vnde in Ezechiele dicitur: Perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum, quia eleuatum est cor tuum in decore tuo,perdidisti sapientiam tuã.Si igitur meretrix Ægyptiaca,id est,vana gloria,quæ omnibus se offert & exponit, apprehẽdat te,sicut de Ioseph legimus:noli cõsentire neq; scientiam tuam ad iactantiam & laudem humanã retorquere. Sic enim licèt ex scripturis sanctis diuinam voluntatem agnosceres,vacuus & inanis remaneres,propterea Apostolus pro Colossensibus orat:vt vacui non remaneant,sed agnitione diuinę voluntatis impleantur.Vnde sanctus Bernardus ait: Si ignores te, non potes habere humilitatem: si ignoras Deum,non potes habere charitatem. Non potes amare quem nescis,non potes habere quem non amas. Scias te ergo vt timeas,scias Deum vt ames. In cognitione autem diuinæ voluntatis magna adhibenda est diligẽtia.Multa enim credũtur Domino placere quæ displicẽt.Vnde Gregorius ait:Sępè quę bono studio gerimus,dum discernere cautè negligimus,quo iudicentur fine,nescimus, & nonnunquam hoc fit reatus criminis,quod putatur causa virtutis.Studere ergo debemus & inuenire subtiliter quomodo magis placere Domino valeamus.Sicut enim adinuentiones in malo displicent ei, ita adinuẽtiones in bono placẽt ei.Vnde Isa.Dicite iusto quoniam bene,quoniam fructum adinuentionũ suarũ comedet.Dicit ergo Apostolus:vt impleamini agnitione volũtatis eius, id est, plenè cognoscatis quid Deus velit,& quid non:& hoc per partes exequitur in omni sapiẽtia,& intellectu spirituali. Et paulò pòst subdit:Crescentes in scientia Dei.Scientia datur ad ordinationẽ virtutũ,& operũ:intellectus ad cognitionẽ cœlestiũ:sapientia vt sentiamus saporem & dulcedinem eorum.Vnde in Eccles.dicitur:Sapientia doctrinę secundum nomen eius.A sapore enim sapientia dicitur:Magnum autem est scire,quid Deus velit in omnibus operibus actiuè & contemplatiuè.Sapientia siquidẽ & intellectus ad contẽplatiuam pertinẽt,scientia verò ad actiuã.Sicut autem Cherubin pertinet ad cognitionẽ summæ veritatis,&Seraphin ad amorẽ summę bonitatis,ita ad agnitionẽ veritatis pertinet intellectus, sapiẽtia verò ad amorẽ& effectũ bonitatis.Cõbinãtur enim dona spiritus sancti secundũ quod pertinẽt ad effectũ & intellectũ,spiritus sapientię ad affectum,spiritus intellectus ad cognitionẽ & intellectũ,spiritus cõsilij ad intellectũ,spiritus verò fortitudinis ad affectũ & virtutẽ charitatis,spiritus scientiæ & pietatis primũ ad intellectũ,secundũ ad affectũ.Nõ enim sufficit cognitio sine affectione,vel affectio sine cognitione.Quãdo autẽ Deus illuminat intellectũ,& calefacit affectũ,bona est & sufficiens animę dispositio.Vnde in Prouer.dicitur:Cũ euigilauero, rursus vina reperiã.Somnus & vigilia charitatis sunt in affectu,somnus & vigilia veritatis in intellectu. Cũ euigilauero à somno charitatis,rursum vina reperiã,vina,scilicet,veritatis,quæ inebriãt intellectũ,& cõtemplationis inducunt somnũ. Scientia autem specialiter pertinet ad actiuã,per quã inter homines prauæ & peruersæ nationis irreprehẽsibiliter cõuersamur,& mores in nobis disponimus, & proximis ministramus,à nobis autẽ incipere debemus.Vnde Aug. ait:Cur lõge in cõsideratione rerũ extra nos ducimur,cũ hoc ipsum quod in nobis agitur,ignoramus.De hac sciẽtia Eccles.ait:Qui addit scientiã,addit & dolorẽ.Dũ enim nosmetipsos cognoscimus,de malis nostris fructuosè dolemus. Tria siquidẽ sunt quæ hominẽ,id est,diabolũ eiiciunt à domo peccatorũ.Fumus cõpunctionis,stillicidiũ lachrymarũ,& vxor litigiosa,dum remordet cõscientia. Quandoq; tamẽ sapiẽtia & sciẽtia pro eodẽ accipiũtur,secundũ quod ait sanctus Ber.Sapiẽtia in tribus cõsistit. Si præterita mala tanq̃ ignominiosa defleas,si præsentia bona tanquã momẽtanea contẽnas,si futura tanquã æterna ardẽter cõcupiscas.Et iterũ ait:Sapientia in tribus cõsistit.Si obediẽtia mortificat propriã voluntatẽ,cõtinentia amputat voluptatẽ,patiẽtia corporalẽ & mundialem sustinet aduersitatẽ.Nõ igitur semper infantes esse debemus,sed dicere sicut Iacob Labã:Iustũ est,vt aliquãdo prouideã domui meæ.Sũma autẽ sapiẽtia est cogitare de vita & morte.Philosophia vera est assidua mortis meditatio,id est,effectiua mortis.Meditatio enim scripturarũ separat animã à carnali affectione,& reddit mortuã mundo.Ponat igitur vir gladiũ super femur suũ,vt gladio verbi Dei motus illicitos reprimat, eat,redeat de porta ad portã,id est,cogitet de prẽmiis cœli,& pœnis inferni,per mediũ castrorũ,virtutũ,scilicet,& vitiorũ inter seinuicẽ cõflictum militarẽ habentiũ.In Gen.autẽ legimus quod profecti de oriẽte venerũt in cãpum Sennaar,& ędificauerunt turrim,& postmodũ cõfusi sunt in terras vniuersas. Sẽnaar interpretatur fœtor eorũ,vel excussio dentiũ.In dẽtibus autẽ intelligitur discretio,in turre elatio.Qui igitur vero relicto oriẽte ædificãt in loco fœtoris turrim elationis,ab eis excutiuntur dẽtes discretionis,sapiẽtiæ & intellectus,ita vt mẽte cõfusi nõ intelligãt quid appetendũ sit,vel fugiendũ,sed circũquaq; prout duxerit impetus dispergũtur.Teste autẽ Ber.Ante carnẽ disciplinæ studiis condomitã & mancipatã spiritui,ante spretã & abiectã seculi põpam,& sarcinã indignè ab impiis lectio sancta præsumit. Quomodo nẽpe incassum lux circũfundit oculos cęcos,ita animalis homo nõ percipit ea,quę sunt spiritus Dei.Propterea Psal.ait:A mãdatis tuis intellexi,id est,ab impletione mãdatorũ.Vnde in Eccle. dicitur:Cũ cõsummauerit homo,tunc incipit,id est,cũ perfecerit mãdata,tunc incipit intellige re mysteria. Rectus igitur est ordo,vt prius mãdata impleamus,deinde addiscamus,& postmodũ doceamus. Christus siquidẽ duodẽnis in tẽplo sacerdotes interrogat,vt eorũ reprimeret audaciã,qui indocti nõ ad discendũ,sed ad docendũ se ingerũt.Vt igitur thesaurũ sapiẽtię in agro

*Multi placere credunt & displicent.*

*De sapientia, scientia & intellectu.*

*De combinatione donorũ spiritus sancti.*

*De scientia.*

*De sapientia.*

*In maleuolam animam non introibit sapientia.*

sacræ scri-

*De litigiosis scientiis.*

sacræ scripturæ inueniamus, prius puri & mundi esse studeamus. In maleuolã enim animã non introibit sapientia. Multi autẽ cum filiis Israël vadunt hodie ad Philisthæos, vt exacuãt ferrum ingenij & eloquentiæ instrumẽta, ad seculares, scilicet, & litigiosas scientias, cùm tamẽ multos fabros ferrarios inuenire possent in Israël. Vnde in lib. Sapien. dicitur: pro natione animalium produxit terra muscas, & pro piscibus eructauit fluuius multitudinẽ ranarum. Terra autẽ Ecclesiæ debet producere homines, id est, literatos, & iumenta, id est, simplices, sed iã muscas producit, quib⁹ tã seculares, quã claustrales inquietudinibus curarũ vexantur, & fluuius Ægyptij, id est, abundantia tẽporalis ranas gartulitatis producit, quæ ascendunt cubiculum Pharaonis. Histriones enim & aduocati familiares sunt Episcoporũ & diuitũ, quorũ cõsilio reguntur. De sapientia igitur sacrarũ scripturarum, de intellectu spiritualium, de scientia morum intelligitur, quod ab Apostolo in hodier. Epistola dicitur: vt impleamini in omni sapientia & intellectu spirituali, licèt de sapiẽtia, id est, de filio Dei hîc intelligere valeamus. De qua in Parab. dicitur: Arripe sapientiã, & exaltabit te, & glorificaberis ab illa cùm illã fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmẽta gratiarũ, & corona inclyta proteget te. Arripere debemus sapientiã, quę est Christus, cum auiditate, festinatione & violentia, sicut Iacob luctatus est cũ Angelo. Hæc enim vere bo arripiẽdi nominantur. Arripe sapientiã tanquã auis nobilis prædã nobilissimã, & ipsa si ei adhæseris, exaltabit te ab imo vitiorũ ad sublimia virtutũ. Amplecti autẽ debemus sapientiam duobus brachiis, actionis & cõtemplationis. Corona autẽ inclyta est cœtus virtutum, quibus protegimur & ornamur. Corona etiam est ipse Christus, de quo in Isa. dicitur: Erit Dominus exercituũ corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui. De hac iterũ Sapientia dicitur in Parab. Si sapientiã inuocaueris & inclinaueris cor tuũ prudẽtiæ, si quæsieris eã quasi pecuniã, & sicut thesauros effoderis illã, tũc intelliges timorẽ Domini, & scientiã Dei inuenies. Inuocare debemus sapientiã, intus, scilicet, in corde affectu desiderij, & cor nostrũ per humilitatẽ inclinare. Aqua enim sapientiæ profluit ad humilitatis profundum. Quærẽda enim est sapientia sicut pecunia, & sicut thesaurus in agro abscõditus fodienda, quia sapiẽtia trahitur de occultis: quærẽda est fodiẽdo, vt cor euacuemus à terrenis, quia qui pungit cor, profert sensum. Fodienda est sapientia in omnibus creaturis. Vnde Augustinus Interrogaui Lunã & Stellas de Deo meo, & responderunt mihi, quia non sumus ipsæ, sed ipse fecit nos. Est autem sapientia, sicut thesaurus absconditus in agro floridæ conscientiæ. Iuxta illud: In corde meo abscõdi eloquia tua, vt nõ peccẽ tibi. Abscõdenda est in agro cordis exarato disciplina, & tribulationibus non exponenda auibus infernalibus. Abscondenda est sicut lucerna cõtra ventum tẽtationis & elationis. Per hæc timorẽ Domini intelligimus, quẽ nullus cognoscit, nisi qui accipit, nullus alius quantũ timẽdus sit, agnoscit. Vnde Psal. Quis nouit potestatem iræ tuæ? Quasi diceret: Pauci sunt qui agnoscunt. Qui autẽ sic purgatus fuerit per timorẽ, scientiã Dei inueniet, qui teste Augustino facit interius lamentationẽ, nõ exterius iactantiã, quia qui addit scientiã, addit & dolorẽ. De hac autem Dei scientia Bernar. ait: Non probat Apostolus multa scientem, si modum sciendi nesciat. Modus sciendi talis est, quo ordine, quo studio, quo fine vnumquodq; addiscatur. Quo ordine, vt id citius quod maturius est ad salutem. Quo studio, vt id quod vehementius est ad amorem. Quo fine, vt nõ ad quæstum secularem, vel ad curiositatem, vel ad gratiam, sed ad ædificationem sui & proximi. Qui autem sapientia & intellectu, & scientia Dei implentur, non otiosi debent esse, sed Deo bonis operibus deseruire. Vnde Apost. subdit: Vnde ambuletis dignè, Domino per omnia placentes, in omni opere bono fructificãtes & crescẽtes in scientia Dei. Quasi diceret: Ita impleamini, vt postea ambuletis operãdo bene, id est, agatis opera bona dignè Deo, id est, ita vt deceat Deũ, vt, scilicet, faciatis, prout diuini honoris dignitas exigit. Placẽtes Deo, & in omni opere bono fructificantes, & per hanc vitæ puritatẽ crescẽtes in sciẽtia Dei, id est, in cognitione deitatis & diuinæ voluntatis. Multi autẽ bona opera faciũt, sed in bonis operibus nõ fructificãt, quia in angaria crucẽ tollũt, vel de bonis operibus laudari appetunt, vel ad lucra terrena opus de genere bonorũ cõuertunt. De Isaac autẽ legimus in Gen. Seminauit Isaac in terra ista, scilicet in Geraris, & inuenit in ipso anno centuplũ. Isaac, id est, risus hilarẽ datorẽ designat. Gerara interpretatur aduena, vel peregrinus, quib⁹ dãda est eleẽmosyna, vt centuplũ recipiamus. Hoc enim modo in bono opere fructificamus, dũ in cordis hilaritate, & sine vanitate bonũ operamur. Vnde in Euãg. dicitur. Fiat eleẽmosyna tua in abscõdito. Merces expositę viliores reputantur, abscõditę plus amãtur. Impleri ergo debemus sapiẽtia cũ bonorũ operũ fructificatione. Mala siquidẽ sunt animalia, quę multũ deuorãt & parũ laborãt. Hi sunt qui quotidie verbũ Dei audiunt, & in diuinis scripturis sapientiã reperiunt, & tamẽ bene operãdo laborare nolunt, sed bene docẽt & malè viuunt. Quidã enim dum sedent, pulchri vidẽtur, dum stãt vel ambulãt, deformes, claudi, & gibbosi. Sedere docẽtium est, stare autẽ vel ambulare operãtium. Sequitur: In omni virtute cõfortati secundum potentiã claritatis eius, in omni patiẽtia & lõganimitate cum gaudio. Quasi diceret: Oramus vt impleamini & promoueamini, & post promotionẽ nõ relabamini. Cõformati Deo in omni virtute, in castitate, scilicet, & cęteris virtutibus, secundũ potentiã claritatis eius, id est, ab eo qui vos illuminare potuit, qui etiã est claritas patris. Vos dico manẽtes in omni patiẽtia cõtra aduersa habita, & lõganimitate diurni laboris, & hoc nõ ex necesitate vel tristitia, sed cum gaudio & spirituali lætitia. Tres virtutes ponit, sine quib⁹ nõ prodest scientiã vel intellectum, seu etiã sapiẽtiam habere

*De modo sciendi.*

*De multiplicatione bonorũ operum.*

*De fortitudine, patientia et longanimitate*

tiam habere. Sine his etiam non potest homo bonis operibus fructificare, fortitudinẽ, scilicet, patientiam & longanimitatem. Duplex autẽ fortitudo est necessaria in brachiis ad impugnandum, & in humeris ad sustinendũ, & ista propriè dicitur patientia. Fortitudo siquidẽ datur ad hostium expugnationẽ, patientia ad tolerantiã, longanimitas ad perseuerantiã, & præmij æterni expectationem. De his autem qui longanimes sunt, in spe. & expectatione dum tribulationes sustinent, dicitur in Iob: Meridianus fulgor surget tibi ad vesperam, & cùm te cõsumptum putaueris, orieris vt Lucifer. Ad vesperam enim persecutionum illuminãtur longanimes, dum vexatio dat intellectum. Cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer. Diuina enim clementia aliquando dissimulat adiuuare, & quasi durũ se simulat, qui tamen magna pietate pugnat aduersus eos, pro quibus pugnat. Licèt enim celet hoc in corde suo, dubitare tamẽ non debemus, quin diligat diligentes se, & quod immensa est multitudo dulcedinis suæ, quã abscõdit timentibus se. Fortis est enim vt mors, imò fortior morte est dilectio cum virtute dilectionis, infirmata sit fortitudo Dei vsq; ad mortẽ, cuius tamen infirmitas fortior inuenta est omni fortissimo, cuius mors probata est esse mors tua, ô mors. Sed cũ Dominus sic luctantẽ blandè consolatur, & innixus scalæ videtur, tunc dicere potest afflictus: Verè Dominus est in loco isto, & ego nescieba. Et oritur vt Lucifer, qui se consumptũ putabat. Multi autẽ incipiunt, qui nõ perseuerãt, nec meridianũ fulgorẽ expectant. Nam sicut Ioseph videns Mariã grauidã, voluit eam dimittere, ita quidã videntes onera Ecclesiarũ suarũ, volunt resignare. Et multi tribulationum onera proiiciunt in via, velut homo qui turrẽ incœpit ædificare, & nõ potuit cõsummare. Qui autẽ de torrente persecutionũ & humanę miseriæ patienter & perseueratèr biberit in via, exaltabit caput in gloria. Sicut enim orta tempestate, quæ in mari sunt, ad portum festinãt, ita Dominus quos amat, flagellat, & alicuius tribulationis tempestate percutit, vt ad portũ peruenire festinent, & ad patriã cœlestem magis aspirent. Legimus autem in Gen. quod postquã Laban tristiorẽ faciẽ solito Iacob ostendit, ad patriã redire festinauit. Laban, id est, dealbatio, est mundus iste, qui quãdiu nobis arridet, & lætã faciem ostendit, nõ ita festinamus ad patriã nostram reuerti, sicut cùm faciem tristem prætendit. Cùm autẽ à mundo despicitur homo, tunc placere studet soli Domino. Sunt vtiq; flagella Dei iratcẽtis in Purgatorio, furẽtis in inferno, diligẽtis in præsenti seculo. Ad hoc enim flagellat, vt animã velut auro purgatã in cœlestib⁹ thesauris reponat Dominus noster Iesus Christus. Qui viuit & regnat per omnia secula seculorũ, Amen.

## EADEM DOMINICA, THEMA SVMPTVM DE EVANGELIO SECVNDVM MARCVM 5.

*Loquente Iesu ad turbas: ecce Princeps vnus accessit ad eum, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est.*

AVDIVI, & conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea. Verba sunt Abacuc, ostendentis qualiter verbum Dei auribus cordis audire debeatis, vt quis fructus inde proueniat. Turbatur enim venter peccatoris, dum corde cõteritur, & dolet de peccatis suis. A voce autẽ prædicatoris metuit, & labia eius corremiscunt, dum humiliter & deuotè confessionẽ facit. Si igitur auditis aure corporis, audiatis aure cordis; quemadmodũ in Ezech. dicitur: Qui audit audiat, & qui quiescit quiescat; id est, qui audit aure, audiat corde: & qui quiescit corpore, quiescat mente, vel qui audit obediendo, audiat perseuerando, & qui quiescit in bono, quiescat, id est, nõ desistat à bono proposito. De his autẽ qui aure corporis audiunt, & non aure cordis, Ezech. ait: Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos. Et paulò pòst: Et est eis quasi carmẽ musicũ, quod suaui, dulciq; sono canitur. Sicut autẽ qui audiũt gesta antiquorũ cum musicis nostris audiẽdo, delectãtur, sed illa non imitantur. Et ideo per eundẽ Ezech. Dominus cõminatur eis, dicẽs: Mittã in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad internecionẽ. Scitis quod castrũ licèt muris & armis ieiuniorũ & aliorum bonorũ operum sit munitum, tamen si fames immittitur, deficientibus victualibus verbi Dei, facilè capitur. Ex fame autẽ & defectu verbi Dei, immittuntur bestię pessimæ, dum traditur homo in reprobum sensum, & passiones ignominiæ, in cruciatum remordentis conscientiæ, & in alia peccata, quę lacerant miseram animam, sicut iræ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, detractiones, & similia. De quibus ait Psalm. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Orate igitur Dominum, vt verbum eius ita cordis auribus hodie audiatis, quod venter vester ad pœnitentiam conturbetur, & à voce eius labia vestra contremiscant, vt cum timore & humilitate peccata in confessione aperiatis, & in his omnibus labiis oris & cordis Deum laudetis. Loquente Iesu ad turbas, &c. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super mortuos istos, vt reuiuiscant. Verba sunt Ezechielis, quibus ostenditur qualiter anima peccato mortua, & gladio diaboli interfecta, reuiuiscit. Ab Oriente enim gratiæ illuscentis, & Meridie feruẽtis charitatis, ab Aquilone mali desiderij refrigescẽtis, & ab Occasu vitiorũ suscitatur anima per spiritũ sanctũ. Et quoniã nõ est volẽtis, neq; currentis, sed Dei miserẽtis, cũ omni humilitate inuocare debemus Dominũ exẽplo huius Principis, qui humiliter adorauit, & ad pedes Christi procidẽs, pro filia sua, Domino supplicauit, vt dicamus cũ Propheta: Humiliatus sum vsquequaq; Domine, viuifica me. Marcus aũt & Luc. dicũt

Principem istum vocari Iairum, & erat Archisynagogus, & filiam non mortuam, sed morti proximam. Dicit igitur filiam suam defunctam, id est, morti vicinam, sicut mos est eorum qui angustiantur, & cùm de aliquo desperant: dicunt mortuus est, quasi non possit euadere. Marcus dicit: Quoniã filia mea in extremis est. Potuit ergo pater vtrunq; dicere, & vtrunq; petere, vt vel morientem saluaret, vel mortuam suscitaret. Vnde ait: Filia mea modò defuncta est: Ac si diceret: Cùm exirem de domo nondum mortua erat, sed modò mortua est, quia reliqui eam morientem, & morti vicinam. Matthæus dicit, quòd adorauit, Marcus & Lucas, quòd procidit ad pedes eius. Princeps Synagogæ erat, sed de dignitate non superbiebat. Qui enim de dignitate superbit, quasi de montis supercilio Christum præcipitare vult cum Iudæis, sed sicut in Euãgelio dicitur, à talibus Dominus elabitur. Hunc autẽ qui se humiliauit Domino, exaudiuit. Vnde in hodierno Euang. dicitur: Surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Ex quo nobis exemplum reliquit, infirmos visitandi. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Non te pigeat visitare infirmos, ex his enim in dilectione confirmaberis, quod de spirituali visitatione põtest intelligi. Non te pigeat visitare infirmos, ecce oleũ infirmorum: ex his in dilectione confirmaberis, ecce Chrisma confirmationis. Per puellam enim, quæ mortua erat in conclaui, signatur anima intus in corde mortua per malam voluntatem. Laua à malicia cor tuum Hierusalem, vt salua fias. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Tripliciter siquidem moritur anima per peccatum. Est triplex mors, delectationis in mente seu malæ voluntatis, mors operis in porta, vel locutionis, mors desperationis in sepulchro. Vnde Ieremias in Threnis: Inundauerunt aquæ super caput vestrum, ecce mors delectationis. Lapsa est in lacum vita mea, ecce secunda mors malæ operationis, dum corruit homo, & quasi in laqueum & foueã incidit malè operando. Posuerunt lapidem super me, ecce tertia mors. Vnde Psalmista ait: Non me demergat tempestas aquæ per delectationem, neque absorbeat me profundum per malam operationem, neque vrgeat super me puteus os suum per desperationem, hoc est peccatum in spiritum sanctũ, à quo non suscitatur homo, quia nõ remittitur ei in hoc seculo neq; in alio. Legimus autem quod tres viros interfecit Salomon. Primum pro cogitatione, secundum pro locutione, tertium pro operatione. Adoniam interfecit, quia regnare voluit, ecce mortuus in conclaui. Semei interfecit, quia ipsum maledixit, ecce mortuus in porta. Ioab peremit, quia Amasam & Abner interfecit, & plus aliis peccauit, ecce mortuus in sepulchro. Est insuper mors animæ ex peccato consuetudinis. Ab hac autem morte aliquando suscitatur homo, sed cum magna difficultate. Vnde de Lazaro legimus, quod erat inligatis manus, & pedes ligatus, & sudario inuolutus, & lapide coopertus. Instítis ligatur peccator in amore temporaliũ, sudario inuoluitur in amore carnalium amicorum, lapide operitur in obstinatione mentis obduratæ. Hæc sunt tria impedimenta suscitandi & resurgendi à morte animæ, maximè cùm homo iam fœtet ex praua consuetudine. Vnde in Euangelio: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Dum mortuus sepelitur, primò vna pala terræ proiicitur, deinde alia, & ita fit donec aggere magno penitus obruatur, sic procedit tentatio cui non resistitur. Anima autem quæ moritur in conclaui per malam voluntatem, antequam exeat per malam operationem facilius suscitatur, nec oportet quod publicè pœniteat, sed in secreto curetur. Vnde in suscitatione puellæ in domo turbam & tibicines Dominus eiecit? Quæ ibi erant ad literam, vt alios ad plangendũ incitarent. Vnde Lucas ait: Non permisit secum quenquam nisi Petrum, & Ioannem, & Iacobum, & patrem & matrem puellæ, quod tamen sine ratione & mysterio nõ est factum. Petrus siquidem agnoscens, Ioannes gratia Dei, Iacobus luctator interpretatur. Ad hoc autẽ quod suscitetur homo, necesse est vt peccatũ suum agnoscat, & gratiã Dei recipiat, & cum vitiis luctetur, ita quod iterum ad peccatum non redeat. Mater autem puellæ suscitatæ, id est, Ecclesia, & pater spiritualis, testes esse debent corã Deo suscitationis & reconciliationis. Quando autem peccat quis in publico, publicè debet pœnitere. Vnde Dominus filium viduæ in porta ciuitatis corã omnibus suscitauit. Grauius autem peccant, qui publicè alios exemplo malo corrumpunt, quàm qui in cõclaui delinquunt. Vnde diabolus ait: Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Gladius diaboli est peccatum, qui tunc euaginatur, quando peccatum opere corã multis perpetratur. Similiter mulier fatua gladius est diaboli, qui tunc in vagina est, dum mulier in domo sua recluditur: tunc autem euaginatur cùm exit ad choreas, dum ambulat per vicos & plateas, & tunc hoc gladio diabolus interficit incautos. Teste autem Gregorio: Melius est arare aut fodere, quàm diebus festis choreas ducere. Augustinus ait: Quantò melius fœminæ eorum lanam facerent, quàm die isto in neomeniis saltarent. Licèt autem mortua esset puella quãdo Dominus ad domum venit, ipse tamen ait: Non est mortua puella, sed dormit. Quod referendum est ad facilitatem suscitandi, Christo enim dormiebat, quæ ab ipso velut dormiens facilè suscitari poterat. Est enim somnus mortuorum, de quo scriptum est: Lazarus amicus noster dormit. Est somnus peccatorum, de quo Apostolus: Qui dormiunt, nocte dormiunt. Est somnus quem immittit infirmitatis defectus. De quo scriptũ est: Dormite iam & requiescite. Est somnus quem immittit charitatis affectus, de quo in Cant. Ego dormio, & cor meũ vigilat. Est somnus, quẽ immittit cõtemplationis excessus. Iuxta illud: Pueri mei mecũ sunt in cubili meo, id est, opera in secreto. De hac morte in Gen. dicitur, quod venit Iacob verno tempore ad terram, quæ ducit Ephrathã, in qua cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit.

*De firmorum visitatione.*

*De triplici morte peccati.*

*De impedimentis sustinẽdi mortuũ.*

*Mortuus in conclaui facilius suscitatur.*

*Peccantes in publico publicè debent satisfacere.*

*De morte contemplationis & quatuor temporibus.*

cœpit. Vocauit autem nomen filij sui Ben-oni, pater autem vocauit eum Ben-iamin. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephrathã. Per quatuor tẽpora perueniendũ est ad Ephrathã, id est, ad fructum supernę beatitudinis, & ad vitam æternam. Ephratha enim fructificans vel fructifera interpretatur. Primũ tempus Hyems, in quo semina iaciuntur. Hæc est actiua, quæ licèt spergat semina bonorum operum, torquetur tamen pluuiis & incõmodis curarum. Martha enim sollicita est, & turbatur erga plurima. In Vere autem pullulant arbores, & apparent flores. Hæc est contemplatiua, in qua velut flores quædam suauitatis futuri gaudij prælibantur. In Æstate verò fructus colliguntur. Hæc est vita æterna, in qua fructus bonorum operum percipiuntur. Autumnus autem, qui tempus est plenitudinis, erit in generali resurrectione, in plena, scilicet, retributione. In Verno tempore contemplatiui vîrent foliis orationum & floribus delectabilium operum. In hoc siquidem tempore venit Rachel, id est, contemplatiua ad Ephrathã, quia ad fructũ æternę vitæ peruenitur per contemplatiuã. Cum difficultate tamẽ parit Rachel, & moritur sibi & mundo, viuendo Deo. Ben-oni enim filius doloris, Ben-iamin filius dexteræ interpretatur, quia per dolores & angustias carnis peruenitur ad dexterã æternæ beatitudinis. Dum autẽ Iesus esset in via, & nondum puellam suscitasset: ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim annis, accessit retrò & tetigit fimbriã vestimẽti eius. Mulier Emoroissa est anima mollis & effœminata sanguine peccatorum & fluxu carnalium voluptatũ plena, & fluxis cogitationibus dedita. Vnde Osee ait: Applicuerunt quasi clybanum cor suum cùm insidiaretur eis, tota nocte dormiuit coquens eos. Quando enim diabolus cor apertum inuenit, peccatum per suggestionem quasi panem ad coquendum immittit. Coquens verò diabolus dormire dicitur, quia peccator non continuè ab ipso affligitur, sed voluptatibus vacare permittitur. Quod autẽ fuit quasi consperso seu pasta cruda in suggestione, coquitur & efficitur panis diaboli in consensu & operatione. Et tunc peccator & diabolus simul in eadem mensa pane, id est, peccato mortifero reficiuntur. Mulier igitur fluxum sanguinis patiens, est anima peccatis abundans. Quodlibet enim peccatum sanguis dicitur. Vnde Osee: Sanguis sanguinem tetigit, id est, culpa culpam cumulauit: sicut in Iob dicitur: Concidit me vulnere super vulnus, id est, peccato super peccatum. Sanguis etiam quandoque pro malitia sumitur. Vnde Ezechiel: Sanguis eius in medio eius. Super limpidissimam petram fudit illum, non super terram, vt posset operiri puluere. terra & puluis peccator. Iustus autem dicitur petra limpidissima. Sanguis igitur super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione iustæ animæ grassatur. Sanguis insuper dicitur carnalis intellectus. Vnde in Parabolis: Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Quasi diceret: Qui sacri eloquij tenui intellectu tanquam lacte nutriri quærit, vbertate pinguedinis internæ reficitur. Qui autem verba sacri eloquij plus iusto discutit, plerunque in carnalem intellectum cadit. Sanguis autem quandoque in bono sumitur pro Christi, scilicet, passione, secundum quod dicitur anima est in sanguine: quoniam spiritualiter viuificamur Christi passione. Et Ezechiël: Cùm sanguinem oderis, sanguis persequetur te. A quibus enim Christi passio odio habetur, sanguine peccatorum maculantur. Econtrà de his qui Christi passionem diligunt, dicitur in Iob: Pulli aquilæ lambunt sanguinem. Ipsa quidem aquila, id est, vir contemplatiuus diuinitatis contemplatione pascitur. Sed quia minores subiecti maioribus arcana diuinitatis percipere non possent, crucifixi cruore satiantur, id est, passionis infirma diligunt & venerantur. Propterea in persona Dei Iob ait: Terra ne operias sanguinem meum, nec inueniat in te locum latendi clamor meus. Sanguis Christi terra operitur, dum per terrena desideria de memoria hominis expellitur. Clamor autem Christi in cruce neminem debet latere. Si enim Lazarus quatriduanus Christo clamante, Lazare, veni foras, exiit de sepulchro, plus quàm quatriduanus est, qui ad clamorem Christi clamantis in cruce non vult de fœtore vitiorum surgere, nec de sepulchris concupiscentiæ exire. Quatriduanus est peccatorum delectatione, consensu, opere, & consuetudine. Plusquam quatriduanus, qui præsumit de venia, vel desperat de misericordia. Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, accessit retrò, sequens, scilicet, Dominum imitando. Iuxta illud: Si quis mihi ministrat, me sequatur: sicut scriptum est: Post Dominum Deum tuum ambulabis. Et tetigit fimbriam vestimenti eius. Fimbriam vestimenti Domini tangit, qui incarnationis mysteria amando credit, donec ad maiora capienda perueniat. Per fimbriam autem quæ pendet à vestimento, & vestem ornat, intelligitur fides incarnationis. Vestis enim Christi, est ipsius humanitas, à qua pendet fides incarnationis, quæ Christi humanitatem exornat & veneratur. Per fidem etiam Christi vestimenta, id est, Ecclesiæ sacramenta tangere debemus, vt sanemur. Tactu insuper vestium, id est, participatione sacramentorum, sanitatem recuperamus. Quælibet igitur anima peccato infirma, ad Christum accedat cum humilitate, & timore tangat fimbriam vestimenti, manum porrigendo pauperi. Vestimenta enim Christi sunt Christiani, qui Christum fide circundant, & bonis operibus ornant. Fimbria est pars vltima vestimenti, hi sunt Christi pauperes in hoc seculo abiecti. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. Credidit, dixit, tetigitque. His tribus, fide, verbo, & opere, omnis salus acquiritur. Lucas autem ait, quòd mulier tremens venit, & procidit ad pedes eius. Si mulier tremens fimbriam vestimenti

*De muliere Emoroissa.*

*De multiplici sanguine.*

*De fimbria vestimenti.*

*De indignè accedentibus ad Christum.*

tetigit, quid erit de illis, qui ad sacramẽta accedunt audaciter, & tractant irreuerẽter? Noctè tangunt filiã Veneris, & manè tractant filiũ Virginis. Quàm miseri qui reliquias luto immergunt. Manus enim Sacerdotum inunctę & sanctificatę, quid aliud sunt quàm reliquię. Manus autem immundæ, non benè possunt sordes tergere. Vnde Ecclesiasticus: Ab immundo quid mundabitur? Oza autem, vt asserunt Hebræi, mortuus est ideo ad tactum arcæ, quia vxorem cognouerat nocte præcedente. Quid fiet de rei veritate, si sic iudicatum est in re figurante? Si ita iudicatum est pro vxore propria, quę pœna reseruatur pro aliena? Non dedignabatur Dominus infirmos tangere, vel tangi ab infirmis & peccatoribus. Propterea de his, qui infirmos & peccatores spernunt, dicit Isaias: Qui dicunt recede à me, ne appropinques mihi, quoniam immundus es. Marcus ait, quod fuerat multa perpessa à pluribus Medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat. Lucas ait, quod in Medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo curari poterat. Falsi autem Medici erant Philosophi.

*De falsis Medicis.*

Quantò magis enim audiendis ipsis naturalis industriæ eorum vires expendebant discipuli, tantò minus fœcibus vanæ doctrinæ imbuti, sanare poterant. Falsi Medici sunt spiritus maligni, qui velut hominibus consulendo se pro Deo colendos ingerebant. Mali Medici sunt quidam Legistæ & falsi Aduocati, qui velut porci probantur in linguis, quia non loquuntur nisi de paleis. De quibus Osee ait: Da eis Domine. Quid dabis eis? Vuluam sine liberis & vbera arentia. Ipsi enim steriles permanent, & filios spirituales Deo non generant. Multi autem Legistæ & Aduocati hodie facto, & si non verbo respondent Theologo. Tu discipulus eius sis, nos discipuli sumus Gratiani vel Vlpiani. Melius esset vt cum Petro dicerent: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Mali Medici sunt falsi Physici, qui multa promittunt, & pauca soluunt, vnde sapientes non multum ipsis credunt. Multa fidem promissa leuant. Dant verba, & facta non sequuntur. Vnde Ambrosius: Suspecta sunt nobis folia sine fructu, quia tali veste induti fuerunt exules Paradisi. Falsi Medici sunt vani Logici, & Sophistici dolosi. De quibus Isaias: Populum imprudentem non videbis in Ecclesia, scilicet, Dei, populum alti sermonis, ita vt non possis intelligere dissertitudinem linguæ eius, in quo nulla est sapientia. Et ideo contra curiositatem & inutilem doctrinam idem Isaias ait: Ego Deus tuus, docens te vtilia. Et Bernardus ait: Si vis peruenire, oportet te transilire, ne vanitas temporalis teneat affectum in voluptuosis, & inuestigatio teneat intellectum in curiosis. Falsi Medici sunt Astronomici, de quibus Ieremias ait: Iuxta vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes: quia leges populorum vanæ sunt. Et in Ecclesiastico: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit Deus tibi, cogita illa semper, & in pluribus eius operibus ne fueris curiosus. Et Sophonias ait: Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ. Quod factum est in conuersione Dionysij, & aliorum Philosophorum. Falci Medici sunt vani, curiosi, & ambitiosi Theologi. De quibus Psalmista ait: Domine, pone eos vt rotam: qui semper totantur in circulo vanitatis, nunquam perueniunt ad centrum veritatis. Non enim quiescere possumus nisi in fine, id est, in illo qui finis noster est, quiescamus: sicut scriptum est: Qui posuit fines tuos pacem. Omnis enim scientia debet referri ad cognitionem Christi, vnde semper debemus orare: Notum fac mihi Domine, finem meũ, id est, Christum. Hi igitur falsi Theologi diuitiis abundant, & paupertatem prædicant, quod verbis docent, operibus nõ adimplent. In glossa autem super Ionam dicitur: Difficilè est potentes, & maximè eloquentes in mundo ad Christi humilitatem conuerti. Propterea Psal. ait: Neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. In magnis ambulant, qui cogitant qualiter possint facere, vel talia dicere vnde homines admirentur. Lucas sic ait: Et ait Iesus: Quis me tetigit? Dixit Petrus, & qui cum ipso erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt: & tu dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis: Nam & ego cognoui virtutem de me exisse. Quærit quis tetigit, nõ quòd ignorer, sed vt salus quam mulieri dederat, declarata, agnita virtute fidei illius multi proficiant, exemploque illius conuertantur, adorent, tangant & sanentur. Ad literam autem multi comprimebant Iesum. Non enim habebat ianitores vel ministros, qui comprimentes verberarent vel amouerent. Prælati autem nostri temporis satellites habent, & prauos collaterales, vnde non est facilis accessus ad eos. Teste autem Bernardo: Non est benè sanus qui dolet latera, hoc est pessimum vitium in Prælatis. Spiritualiter autem hæresibus & prauis moribus comprimitur Dominus. Mulier autem, id est, Ecclesia, fide tangit. De comprimentibus Iesum scriptum est: Synagoga populorum circundabit te. Et iterum: Circundederunt me sicut apes. Ab illo autem solo tangitur, in quo fluxus peccatorum restringitur. Turba comprimit, & vna sanata est, quia multi vocati, pauci verò electi. Vnde Salomon: Si multis annis vixerit homo, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, arguentur vanitatis præterita. Meminisse debet dierum, scilicet, qui sunt multorum, quia multitudo erit damnatorum, sicut scriptum est: Conquassabit capita in terra multorum. Vnde per Ieremiam Dominus ait: Assumam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione. Quasi diceret: Assumam vos de ciuitate mundi in ciuitate fidei, & de cognatione carnis, duos, id est, de dilectione Dei & proximi. Per hoc autem quod dicit, vnum & duos, notat paucitatem electorum. Et per Amos ait: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur

*Mali Legistæ.*

*Mali Physici.*

*Mali Logici.*

*Mali Astronomici.*

*Mali Theologi.*

*De cõprimentibus Iesum.*

*Multi comprimunt & vna tangit.*

eruentur filij Israël. Per duo crura ex ore leonis euersa, intelligitur duplex continentia, mentis, scilicet, & corporis, per extremum auriculæ obedientia finalis. Quasi diceret: Sicut de ore leonis modica pars eruitur, & maxima consumitur, sic maior pars peribit, & consumetur à leone tartareo, & pauci eruentur à pastore Christo. Hoc autem significatum est in arca Noë & diluuio, in quo pauci liberati sunt, & multi perierunt. Vnde Isaias: In igne Dominus iudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem: & multiplicabuntur interfecti à Domino. Iuxta illud Psalmistæ: Domine, à paucis diuide eos, id est, multitudinem eorum à paucitate ouium. Mali enim & reprobi multiplicati sunt super numerum saluandorum. Quod autem Dominus ait: Cognoui virtutem à me exisse, intelligendum est de spiritu sancto, qui ab ipso procedit, in quo cõfutantur Græci, qui spiritum sanctum à filio procedere vel exire non concedunt. Sequitur: At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, quia fides tua te saluã fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Confide filia, id est, amplius crede, spera, & in bono perseuera. De Christo debemus confidere, si ad ipsum volumus redire, alioquin non est confidentia, sed præsumptio temeraria. Qui enim præsumunt de Dei misericordia, quasi arundinem in manu eius ponunt, cùm tamen cõtra tales in manu eius sit rhomphæa bis acuta. Vnde in Deut. scriptum est: Si acuero vt fulgur gladium meum. Propterea in Eccles. dicitur: Lacta filium tuum, & pauere te faciet. Non enim opera nostra lacte vanę spei debemus lactare. Qui autem fidem habet operantem per dilectionem, sperare debet pariter & timere, quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Vnde Psalm. ait: Ab altitudine diei timebo, ego verò in te sperabo. Timebo enim in prosperitate, vt me timor comprimat ne euanescam: in te verò sperabo, ne corruam. Fides tua te saluam fecit. Fides siquidem medicinalis est contra infirmitates. Hęc est iaspis quę cuncta phantasmata tollit, & fluxũ sanguinis restringit. Vnde in Apoc. Ioannes ait, quod erat structura muri Hierusalem ex lapide pretioso. Fides enim ciuitatem Ecclesiæ cingit, & ab hostibus defendit. Fides enim est via sine qua omnis cursus est inutilis. Fides est columna, qua educimur de Ægypto, quæ ex parte filiorum Israël erat lucida, & ex parte Ægyptiorum tenebrosa. Fides est nidus in quo turtur, id est, vir castus operum suorum pullos reponit. Vbiq; autem in Euãgelio à facillitate credendi cõmendantur, sicut Nathanaël, Centurio, Chananæa & Emoroissa, & alij quàm plures. Ioannes ita tamẽ dicit: Probate spiritus vtrum ex Deo sint. Et in Eccles. dicitur: Qui credit citò, leuis est corde, & minorabitur, sensu, scilicet, & virtute, id est, minoratus sensu reputabitur. Sed in Euangelio pronitas ad bonum commendatur, hîc autem leuitas animi reprobatur. Vnde de charitate dicit Apost. Omnia credit, omnia sperat. Hîc igitur perfectio volũtatis, quę semper prona est ad omne bonum, designatur, illic autem leuitas & inconstantia animi describitur. Sicut autem magnete & adamante ferrũ attrahitur, sic Christus quos exterius vocauit, interius per fidem attraxit. Vnde in Iob dicitur: Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet: spiritum, scilicet, pro internis cogitationibus, flatũ qui per corpus trahitur pro exterioribus actionibus. Prædicta autem verba hodierni Euangelij sic allegoricè exponuntur de Ecclesia & Synagoga. Iairus siquidẽ Princeps Synagogæ, qui illuminãs vel illuminatus interpretatur, Moysen figurat, qui verbo vitæ populum illuminauit, & ipse à spiritu sancto est illuminatus, qui adorans procidit ad pedes Iesu, quia Legislator cum popu[illegible] suo Christum in carne venturum longè sibi credebat esse præferendum. Filia autem Iairi est Synagoga, pro qua mortua suscitanda, Moyses & alij Patres rogãt Dominum venire in mundũ: quia qui Deo viuunt, alios viuere cupiunt. Dominus autem incarnatus sequitur preces eorum, & dum Synagogam properat suscitare, Emoroissa, id est, Gentilitas sanitatem ei prępuit, sicut scriptũ est: Æthiopia præueniet manus eius Deo, id est, Ecclesia Gentium, quæ pòst veniens, priùs sanatur. Secundum plenitudinem dico, non secundum paucitatem, quia pauci de Iudæis priùs credendo sunt saluati. Retrò autem accessit Emoroissa, quia post eius ascẽsionem & post primitiuam Ecclesiam credidit. Vnde fimbriã, non vestem tetigit, quia non vidit in carne Dominum, sed suscepit per Apostolos incarnationis verbum. Puella autem duodecim annorũ erat, & mulier fluxũ sanguinis passa est duodecim annis, & ita quãdo nata fuit illa, ista infirmari cœpit. Vna enim, eademq; celeritate Synagoga & Patriarchæ nasci, & Gentes per idolatriam cœperunt inquinari. Duodecimo autem anno, tempore pubertatis appropinquante, quando spiritualem sobolem Deo generare debuit, mortua est Synagoga, & saluata est mulier, id est, Gentilitas, ex illa hora, Apostolis transeuntibus ad Gentes. Postmodum verò in fine mundi, suscitabitur filia Archisynagogi, id est, Synagoga. Cùm enim ficulnea maledicta, quæ in foliis legis aruit, & fructu caret, sed tamen in trunco reseruatur, iam produxerit ex se fructum, quando, scilicet, reliquiæ saluæ fient, scitote quod propè est, & quasi in ianuis finis mundi. Vnde per Malachiam Dominus ait: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, vt, scilicet, intelligant quæ patres prædixerunt, & cor filiorum ad patres, vt, scilicet, exempla patrum imitentur, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate. Ab hac excommunicatione nunquam absoluentur. Ab ipsa nos custodire dignetur, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

*De confidentia in Christo & præsumentibus.*

*Per fidem salua.*

*Allegorica prædictorũ expositio.*

## DOMINICA VIGESIMAQVINTA, THEMA SVMPTVM DE ROMANO NOCTVRNO ET EX THRENIS. 1.

*Aspice Domine, quia facta est desolata ciuitas plena diuitiis: sedet in tristitia domina Gentium, non est qui consoletur eam, nisi tu Deus.*

*De desolatione Ecclesiæ.*

VOMODO facta est meretrix ciuitas fidelis, iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Verba sunt Isa. lugentis spiritualē desolationē Ecclesię, quantū ad multitudinē reproborum & paucitatē bonorum. Ipsa siquidē fuit à principio ciuitas fidelis, Christo fideliter adhęrēs, nunc autē quasi meretrix cum multis dęmonibus fornicationē exercēs. Iustitia siquidē priùs habitauit in ea, quādo spiritualibus diuitiis plena fuit, nunc autē homicidæ. Ecce magna desolatio, dū per mala opera occiduntur omnia bona precedētia, sed insuper homicidę animarū, id est, dęmones habitāt in animabus peccatorū, quemadmodū Isa. ait: Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiē. Ibi habuit foueā hericius & nutriuit catulos. Lamiæ quasi laniæ à laniādo dicuntur dęmones, qui variis vitiis animas miseras dilacerāt. Lamia siquidē pedes habet equinos, cętera fœminea. Pedibus equinis incedit, dum peccatorē conculcat & deiicit, quæ etiā fœminæ assimulātur, dum per mollitiē voluptatis blandiuntur: sicut in Threnis dicitur: Lamiæ nudauerunt māmas, & lactauerunt catulos suos. Hericius etiā dicitur spiritus malignus peccatorū spinis inuolutus, pungēs in pręsenti per culpā, & in futuro per pœnā, seipsum inuoluens more hericij, & caput ac pedes, id est, initium & finē hominibus deceptis abscōdens. Hanc ergo desolationē ciuitatis Ecclesiæ seu animæ à Deo derelictæ, lugent omnes sancti. Vnde alibi Isa. Desolata est domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustione ignis, & omnia desiderabilia nostra versi sunt in ruinas. In exustionē ignis ciuitas Ecclesiæ efficitur, dum peccatorū igne cōsumitur, sicut scriptum est: Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Incensa amore malè inflammante, suffossa timore malè humiliante. Hoc est quod Psal. ait: Incēderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Qui autem igne vitiorum tabernaculum Dei incendunt, & immunditia libidinis polluunt, hi cessare faciunt dies festos Dei à terra, & virtutum festiuitatem in risu diaboli conuertunt. Vnde per Ezech. ait: Sanctuaria mea spreuistis, & sabbata mea polluistis. Desiderabilia autem, id est, bona spiritualia in ruinam vertuntur, dum decore virtutum & bonis operibus anima spoliatur. Sicut in Threnis Ierem. ait: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Sancti igitur attendentes filiorum paucitatem, generis nobilitatē, parturientis matris laborem, amittentis angustiā, clamāt ad Dominum, dicentes: Aspice Domine, quia facta est, &c. Est consolatio bona, & est cōsolatio mala. Similiter est desolatio bona, & est desolatio mala. Consolatio bona de qua Isa. Ad vbera portabimini, & super genua blādietur vobis. Ad vbera, ecce cōsolatio doctrinę & instructionis: super genua, ecce cōsolatio subsidij & sustētationis, & ideo geminatur cōsolatio, vbi ab Isa. dicitur: Consolamini, cōsolamini populę meus. Est cōsolatio mala, de qua in Euang. Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationē vestrā. Et in Psal. Renuit cōsolari anima mea, cōsolatione, scilicet, temporaliū. Desolatio bona est, de qua scriptū est: Sagittæ potētis acutæ cū carbonibus desolatoriis. Verba enim sacrę scripturę auditores incēdunt, & desolationē temporaliū inducūt. Et per Isa. Dominus ait: Qui dico de profundo desolare, & flumina tua arefaciā. Profundo, id est, mundo. Flumina autē sunt voluptates, quę fluunt in amaritudine pœnæ. Vnde in Ezech. dicitur: Tunc purissimas reddā aquas eorū, & flumina eorū quasi oleū adducā cùm dedero terrā Ægypti desolatā. Aquas scripturatū purissimas reddit, quādo homo in illis fragilitatē suā agnoscit. Flumina autē S. Scripturę in oleū cōsolationis & illuminationis Dominus adducit, dū nos ex scripturis cōsolatur, & aperit nobis sensum, vt scripturæ intelligātur, & tunc terrā Ægypti, quę priùs erat in tenebris, reddit desolatā, dū in rebus trāsitoriis nō quęrit consolationē. Est desolatio mala, de qua in Machab. dicitur: Sanctificatio desolata est sicut solitudo, dies festi cōuersi sunt in luctū, Sabbata eius in opprobriū, honor eius in nihilū, secundū gloriā eius multiplicata est ignominia eius. Hoc factū est ab Anthioco Rege pessimo, id est, diabolo, qui mentē, quę domus & sanctificatio Dei erat, destruit per peccatū, & desolata efficitur dum à Domino deseritur, & ita festiuitates animæ in luctum rediguntur, dum in praua opera cōmutantur, & Sabbata in opprobrium. Iuxta illud: Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius. Et secundū gloriā, quam ex Sabbatis assequi deberemus, & aliis bonis, ignominia pœnę æternę multiplicatur. Magna igitur est desolatio, dū Synagoga diaboli plures habet filios, q̄ Ecclesia Dei more elephantissæ quæ vnicū parit filium, porca autē diaboli multos parit. Attendunt sancti generis nobilitatē. Vnde Isa. Attendite ad petrā vnde excisi estis, id est, ad Christū. Attendunt parturiētis matris laborē, quæ cōceptu est grauida, in partu laboriosa, in educatione sollicita. Mulier enim amicta Sole clamat & cruciatur vt pariat, sicut in Apoc. dicitur: Attendūt amittentis angustiā. Rachel enim plorās filios, noluit cōsolari, quia non sunt, id est, à vero esse per peccatū separati sunt. Desolata est igitur ciuitas quondā plena diuitiis spiritualibus quas amisit. Cœpisse quidē multorum est, peruenisse autē ad culmen perfectionis paucorū. Non inchoasse tantū, sed perfecisse virtus est. Nō quærūtur in Christianis initia, sed finis, nō inchoātibus prędmia promittuntur, sed perseuerātibus dantur. Incassum quippe bonū agitur, si ante vitæ terminum deseratur.

*Isa. 24. De lamia & hericio.*

*Isa. 64.*

*De bona & mala consolatione, & similiter de desolatione.*

*Isa. 44.*

*Ezech. 32.*

*De multiplici attentione sanctorum.*

Aspice

Aſpice Domine, quia facta eſt deſolata ciuitas. Aſpicit oculo dextro, quo reſpexit Petrum, vt fieret amarè. Hic eſt aſpectus miſericordiæ, quem poſtulat Pſal. vbi ait: Aſpice in me & miſerere mei. Aſpicit oculo ſiniſtro, id eſt, oculo vindictæ, de quo ſcriptum eſt in Exodo: Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, interfecit exercitum eorum. Aſpicere etiã Dominus dicitur, dum deſolationẽ noſtrã facit nos agnoſcere & intueri. Vnde per Naũ ait: Reuelabo pudẽda tua in facie tua. Hæc eſt magna miſericordia, quando Dominus facit hominem recognoſcere peccata ſua. In lxx. ſic habetur: Poſteriora tua diſcooperiã ſuper faciem tuam, id eſt, præcepta mea, quæ cõtemnebas, & poſt tergũ proiiciebas, faciã vt illa cognoſcas & non ſpernas. Eſt autẽ multiplex ciuitas, bona & mala. Eſt ciuitas ſuperior, inferior, interior, & exterior. Ciuitas ſuperior eſt Paradiſus ſeu ſuperna patria. Inferior militãs Eccleſia. Interior ipſa anima. Exterior mundus iſte, qui dicitur ciuitas munita, ſicut ſcriptum eſt: Quis deducet me in ciuitatẽ munitã. Exterior etiã dicitur quælibet materialis ciuitas. In ciuitate ſuperna nulla eſt deſolatio, ſed magis cõſolatio. Vnde Iſa. In Hieruſalẽ cõſolabimini. Et iterum: Ecce ego creo Hieruſalẽ exultationẽ, & populum eius gaudium, & exultabo in Hieruſalẽ, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea vox fletus vltrà, & vox clamoris nõ erit ibi amplius. Et Ezech. Et erit nomẽ ciuitatis ex illa die Dominus ibidẽ. Nunquã enim ab ipſa verus cõſolator recedit. Vnde Iſa. Non adiiciet vltrà vt pertranſeat per te incircunciſus & immundus. Nullam enim poteſtatẽ habet in ciuitate iſta inimicus, vel in anima motus malus. Hoc eſt quod Ioël ait: Erit Hieruſalẽ ſancta, & alieni nõ tranſibunt per illã. Teſte enim Ioanne in Apoc. Foris erunt canes. Hanc igitur ciuitatẽ ſemper debemus reſpicere, & in corde habere, ſicut ſcriptum eſt: Si oblitus fuero tui Hieruſalẽ, obliuioni detur dextera mea. Vnde Iſa. Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis veſtræ, in qua, ſcilicet, vera & perennis eſt ſolemnitas. Oculi tui videbunt Hieruſalẽ ciuitatẽ opulentam. Hęc eſt enim ciuitas plena diuitiis & deliciis. De qua Apoſt. ait: Ciuitatem habentẽ fundamenta expecto, cuius cõditor & artifex eſt Deus. Vnde in Apoc. dicitur: Oſtendit mihi Dominus fontem aquæ viuę ſplendidum tanquã cryſtallum. Flumen aquæ eſt abundãtia felicitatis æternæ, ſed quia nõ effluit, ſed affluit iſta felicitas, nec pertranſit, ſubiungit ſplendidum tanquã cryſtallum. Aqua in cryſtallum duratur & ſplẽdorem retinet, quia felicitas iſta in æternum ſolidabitur, & ſplendorẽ indeficientẽ retinebit. Sequitur in Iſa. Tabernaculum quod nequaquã tranſferri poteſt, ſicut tabernaculum Iudæorum tranſlatum eſt, nec auferentur claui eius in ſempiternum, id eſt, Doctores, quibus fixa tenetur Eccleſia vel fortitudo, & patientia ſanctorum, quę frequenter aufertur in Eccleſia militante, & omnes funiculi eius non rumpentur, id eſt, præcepta quibus extenſa dilatatur Eccleſia, vel vincula charitatis, quæ in ſuperna ciuitate rumpi non poterunt, vel corrumpi. Ciuitas inferior eſt Eccleſia militans, quæ in primitiuis ſanctis plena diuitiis ſpiritualibus magnam habuit cõſolationem à principio. Cùm autem eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus ſponſę dedit odorẽ ſuum. Accubitum intrauit, quando ad cœlos aſcendit. Nardus autẽ herba parua eſt & calida, per quam humilitas cum charitate deſignatur. Nardus ſponſæ odorem ſuauitatis & cõſolationis dedit, dum Chriſti fidem in vniuerſo mundo cœtus Apoſtolorum prædicauit, quemadmodum per Zachariam prædixerat: Adhuc habitabunt ſenes & anus in plateis Hieruſalem, & vir baculus in manu eius præ multitudine dierum, & plateæ ciuitatis complebuntur infantibus & puellis ludentibus. In plateis ſiquidem Hieruſalem, id eſt, in latitudine charitatis habitant ſenes, id eſt, maturi & graues. Baculus autem correptionis debet eſſe in manu talis ſenis, qui multos habet dies virtutum, vel baculus virum ſuſtentans, eſt diſcretio virilia opera regens. Plateæ autem ciuitatis Eccleſiæ implentur infantibus illis, de quibus dicitur: Quaſi modò geniti infantes, & puellis ludentibus, quæ ſunt animæ incorruptæ à peccato ſteriles, cum gaudio mentis benè operantes. Nunc autem refrigeſcente multorum charitate, magnam incurrit deſolationem. Principium ſiquidem Eccleſiæ fuit in rubore & ardore auri, nunc autem mutatus eſt color optimus, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Diabolus enim lucernam Prælatorum extinguit, vt tenebræ operiant terram, & caligo populos. De hac deſolatione quarto Regum dicitur: Omnem agrum optimum mittentes ſinguli lapides, repleuerunt: & vniuerſos fontes aquarũ obthurauerũt, & omnia ligna fructifera ſuccíderunt. Per agrum lapidibus repletum laici, quorũ via cõplanata eſt lapidibus peccatorum. Per fontes Pręlati Eccleſiæ, qui ſubditos irrigare debent, quos diabolus amore terrenotũ obthuratuit. Per ligna fructifera, religioſi plantati in domo Domini, quos diabolus hodie ſuccidit. Nam ſecundum quod Iſa. ait: Contriti ſunt cõtritione perualida, & non inuenitur de fragmẽtis eius teſta, in qua portetur igniculus de incẽdio, aut hauriatur parũ aquæ de fouea, id eſt, aliquid modicũ de fornace charitatis. Vel aqua deuotionis de fouea lateris Domini in cruce foſsi. Vnde per Iere. Dominus cõqueritur, dicẽs: Facti ſunt mihi vt Sodoma, & omnes habitatores eius vt Gomorra, id eſt, muti à laude Dei, & vitiis ſuis Dominũ exaſperãtes. Sodoma enim vnita, Gomorra exaſperãs interpretatur. In tanta autẽ deſolatione nõ eſt de diuino adiutorio deſperandum, ſed clamare debemus ad Dominũ: Aſpice Domine, quia facta eſt deſolata ciuitas. Dominus enim malos diu ſuſtinet & expectat ad pœnitentiã, ſed timẽdum eſt ne dicat eis: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Vnde in perſona Domini Iſa. ait: Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: vt faceret iuſtitiam, & ecce clamor. Teſte autem Gregorio: Peccatum cum voce, culpa eſt cum actione: peccatũ cum clamore, culpa eſt cum libertate & cõſuetudine.

*De aſpectu Domini.*

*De multiplici ciuitate.*

*De ciuitate ſuperna. Iſa. 65.*

*Iſa. 51.*

*Iſa. 33.*

*De ciuitate inferiori & eius deſolatione.*

*4 Reg. 3.*

*Iſa. 30.*

*Ierem. 23.*

*Dominus dilatat peccatores, vt cõuertantur.*

Dominus igitur diu sustinet, vt saltē ei retribuas reliquias senectutis, q dare noluisti panē integrum iuuētutis. Propterea per Isa. ait: Qui portamini à meo vtero, id est, in vtero patiētię meæ vsq; ad senectā ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo. quod nō facit mater de filio. Nō enim in senectute, sed in pueritia tantū portat eū. Expectat igitur Dominus propter paucos saluandos. Vnde per Isa. ait: Quomodo si inueniatur granū in botro, & dicatur ne dissipes illud, quoniā benedictio est, sic faciā propter seruos meos, vt nō disperdā totū. Per granū paucitas fideliū, per botrū Christus intelligitur. Ipse quidē botrus est in vecte, de quo in Cant. Botrus Cypri dilectus meus mihi. Granū in botro, fidelis in Christo. Iuxta illud: Manete in me, & ego in vobis. Per granū paucitas electorū, respectu multitudinis damnatorū. De quib⁹ Psal. Conquassabit capita in terra multorū. Sustinet autē Dominus malos propter bonos. De quibus malis Apost. ait ad Hebr. Rursus filiū Dei in semetipsis crucifigētes, & ostētui habētes. Teste aūt Chryso. in se crucifigunt filiū Dei, & ostentui habēt, qui gratiā eius vilipendētes, in peccatis iacēt. Ipse autē est sicut malus inter ligna siluarū, liliū inter spinas, fauus inter aculeos apum. Ligna siluarum infructuosi homines, ad nihil apti nisi igni. Christus malo cōparatur, quia in se tria habet, vmbrā refrigerantē, fructū reficientē, odorē delectantē. Christus autē genus humanū obumbrauit, dum brachia sua in ramis crucis expādit. In se verò credētes, corpore suo reficit, & replet odore suauitatis. Ciuitas interior est anima, quę valde desolatur, dum per peccatū à Deo relinquitur, & à diabolo possidetur: sicut scriptū est: Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ. Quod fit dū anima quę prius erat tentoriū Dei, efficitur tentorium diabolo, dum tetri Æthiopes, id est, dęmones in ea habitāt, & ita quę prius erat ciuitas Regis magni, aliquādo spelunca latronū, quādoq; domus negotiationis, quandoq; prostibulū meretricis efficitur. Spelunca fit latronū, quādo per inuidiā vel detractionē nititur fratrē suū spoliare, & famā bonā illi auferre. Fit autē domus negotiationis, quādo pro his, quæ agit, forum frequētat humani fauoris. Prostibulum meretricis efficitur, quādo in thalamo cordis lupanar libidinosę delectationis erigitur, & tunc extra ciuitatē Dominus crucifigitur, dum per mala opera ab anima eiicitur. Dum autē extra castra cordis nostri eiicitur, velut leprosus à nobis reputatur. Vnde Isa. Nos reputauimus eum quasi leprosum. Leprosus siquidē extra castra eiiciebatur. De his autē qui eum eiiciunt, ait Apost. Ante quorū oculos Christus prędscriptus est. Eiecto autē Christo, fit anima, quę fuit domus orationis, spelunca latronū, id est, dæmonū. Vnde Iere. Nunq̄ spelunca latronū facta est domus ista, in qua inuocatū est nomē meū. Hæc est ciuitas de qua per Prophetā Dominus ait: Ciuitatē nō ingredior. Et Psal. Quoniā vidi iniquitatē & contradictionē in ciuitate. Die ac nocte circundabit eā iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & nō defecit de plateis eius vsura & dolus. Iniquitas cōtra proximū, cōtradictio cōtra Prælatū. Labor in sollicitudine temporaliū, iniustitia in operib⁹, vsura in repetitione vltionis, dolus in seductionib⁹. Propterea Psal. ait: Inimici defecerunt framęæ in finē, & ciuitates eorū destruxisti. Framęę siquidē inimici, id est, rebelliones diaboli, in fine penitus destruētur, & eius ciuitates, in quibus, scilicet, regnat diabolus, vbi dolosa & fraudulēta consilia, quasi curiæ locū obtinēt. Satellites autē & ministri semper ad malū sunt parati, id est, officia membrorū, oculi, scilicet, ad curiositatē, aures ad audiendū sanguinē, manus ad rapinā, & sic de aliis. Hæc enim tyrānico principatui, id est, peruersis cōsiliis militāt. Plebs autē ciuitatis, inordinatæ affectiones & turbuléti motus animi, quotidianas seditiones in homine agitātes. De hac autē ciuitate desolationis Amos ait: Amputabuntur cornua altaris, & cadent in terrā. Dum enim virtutes principales amputātur, ciuitas animæ ad terrena dilabitur. Vnde in Apoc. dicitur, quod vidit Ioānes stellā de cœlo cadentē, id est, Luciferū, & data est illi clauis putei abyssi, id est, cordis peccatoris. Quàm miser, qui talē habet clauigerū, qui bonas cogitationes intrare nō sinit, & malas introducit. Ecce quantū desolata est ciuitas animæ plena diuitiis trāsitoriis, quas diligit. Dominus enim huiusmodi diuites dimittit inanes, & absq; spirituali cōsolatione, sicut scriptū est: Væ vobis diuitib⁹, qui habetis hīc consolationē vestrā. Diuites siquidē eguerunt & esurierunt. Vnde Dominus per Iere. ait: Dabo Hierusalē in aceruos arenæ, & in cubilia draconū. Qui enim diuitias multiplicāt, arenā sibi coaceruāt, & draconi, id est, diabolo locū in se prępārāt. Hęc ciuitas sterilitatis ab omni bono priuatur, de qua Abdias ait: Si fures introiissent ad te, nónne furati essent sufficientiā sibi? Si vindemiatores introissent ad te, nunquid saltē racemos reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt Esau, inuestigauerunt abscōdita eius. Quasi diceret: Nihil in anima relinquunt dæmones, cùm aliquid relinquant alij spoliatores. Huiusmodi autem desolatio miserę ciuitatis maximè in morte apparebit. In illa enim die peribunt omnes cogitationes malorum. Nō est qui cōsoletur miserum ex omnibus charis eius, id est, amicis secularibus vel affectibus priùs blandientibus. Omnes amici eius spreuerunt eum: nō est qui cōsoletur eum, vero cōsolatore amisso, Vnde Iob: Nō cognoscet eum amplius locus eius, quia mundus hominem defunctū obliuioni tradit. Est enim memoria eius sicut hospitis vnius diei prętereuntis, quem hospes suus pro posse suo emungit, & facilè obliuiscitur nouis superuenientib⁹. Sed insuper huiusmodi anima à diabolo cōtemnitur & deridetur. Vnde Iere. ait: Cùm vestieris te coccino, & ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustrà cōponeris, cōtempserunt te amatores tui. Coccino, id est, ardentibus carnis desideriis. Iuxta illud Isa. Si fuerint peccata tua vt coccinū, quasi lana alba erunt. Monile autem aureum sapientiā mundi appellat. Stibio autem quo pinguntur oculi, ad superbiā spectat, quę maximè in oculis regnat. De his autē nō multum curant

Isa. 46.
Isa. 65.
Hebr. 7.
Christus malo comparatur.
De ciuitate interiori, quæ est anima & eius desolatione.
Isa. 4.
Ierem. 8.
De ciuitate diaboli.
Ierem. 9.
De desolatione quæ fit in morte.

currant dęmones, ſed cõtemnunt. Ipſi enim more latronum pulchriores animas nituntur corrumpere. Vnde in libro Sap. Nullum ſit pratum per quod nõ trãſeat luxuria noſtra, id eſt, conſcientia floribus virtutum exornata. Nemo ſit excors luxurię noſtrę, vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ. Relinquunt enim dæmones ſigna & veſtigia in homine, ſicut Princeps capto caſtro, ſigna relinquit, & vexilla ponit. Pro his igitur miſeriis Eccleſia luget & clamat: Aſpice Domine. Quaſi diceret: Ipſi nõ aſpiciunt nec attendunt deſolationẽ ſuã, quemadmodum in Parab. Salomõ ait: Verberauerunt me, & nõ ſenſi: traxerunt me, & non dolui. Tales ſunt phrenetici, qui ſuã nõ ſentiunt infirmitatẽ. Multi trahuntur à diabolo per ſpinas, & lutum, & ſterquilinia peccatorum, & nõ dolent, nec de Medico curãt. Ciuitas exterior eſt mundus iſte, cuius deſolatio à primis parentib⁹ cœpit, ſed in fine manifeſtè apparebit. In iudicio enim Dominus mundi huius ciuibus dabit libellum repudij, in quo omnes eorũ fœditates ſcribentur, & tunc repudiabuntur, & in ignem æternum mittentur. Licèt autem plenus diuitiis temporalib⁹ videatur, tunc prorſus ſpoliabitur. quãdo ſimul duo pergunt, & canis eos ſequitur, cuius ſit canis plerunq; ignoratur. Quãdo autẽ ſeparãtur, canis dominum ſuum ſequitur, & cuius ſit agnoſcitur, & ita in fine terra ad terrã reuertitur. Homo autem cùm interierit, nõ ſumet omnia, neq; deſcendet cum eo gloria domus eius. Et quoniã mundus iſte in exterioribus cõſolationem quærit, interiorem cõſolationem amiſit. Qui autem de abundãtia temporalium extollitur, tale eſt acſi vulneratus quis ſe iactet, quod in domo ſua multa habeat emplaſtra, cùm hoc illi bonũ eſſet quod vulnera non haberet, & emplaſtris non egeret. Non igitur veram habet mundus iſte conſolationem. Ex malis ſiquidem operibus & cõſcientia remordente torquentur ſeculares homines & mundi amatores. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: Ex iniquis omnes filij qui naſcuntur, teſtes erunt nequitiæ aduerſus parentes in generatione ſua. Babylon igitur, id eſt, mundus iſte ciuitas eſt deſolationis & confuſionis. Nam ſicut in Babylone confuſio facta eſt ex linguarum diuerſitate, ſic in cordibus ſecularium ex deſideriorum multiplicitate. Linguæ enim cordium, ſunt deſideria animorum. Ecce quantã habet materiã lamentãdi domina Gentium, id eſt, Eccleſia, quæ luget filiorum ſuorum deſolationẽ, & totum mundum in maligno poſitum. Vnde & ſubditur: Sedet in triſtitia domina Gentium. Eccleſia enim cõtriſtatur & luget caſum & peccata lapſorum. Vnde Iſa. Inebriabo te lachryma mea Eſebon & Eleale, id eſt, abundãter flebo ſuper peccatis cogitationis & ſuperbię. Eſebon enim cogitatio, Eleale aſcenſio interpretatur. Sancti ſiquidẽ videntes Eccleſiã Dei ad tantã deueniſſe miſeriã, valde cõpatiuntur & dolent. Vnde in Threnis: Mouerunt capita ſua ſuper filiã Ieruſalẽ, dicentes: Hęccine eſt vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ. Perfecti decoris fuit Eccleſia in primitiuis ſanctis, & gaudiũ Chriſtianorũ in vniuerſo mundo. Et in Threnis Iere. ait: Effunde ſicut aquã cor tuum, nõ ſicut oleum vel mel, vel vinum, vel lac, ſed ſicut aquã, quæ quãdo effunditur, nullum veſtigium remanet in ſubſtãtia vel odore, nec in ſapore vel colore. Dicat igitur vere pœnitens: Peccaui ſuper numerum arenæ maris. In arena enim notatur peccatorum infirmitas, & vitæ ſterilitas. Cain autem, id eſt, poſſeſſio, occidit Abel, id eſt, luctum. Vnde Iſa. ait: Expediti Moab vlulabunt. Anima eius vlulabit ſibi. Expediti ſunt, qui à diuitiis & curis huius ſeculi liberi ſunt. Hi ſunt qui peccata ſua & aliorum lugent. Ad duritiã autem mali doloris, qui fit pro temporalibus, ait: Anima eius vlulabit ſibi, id eſt, ad cõmodum ſuum. Sedet in triſtitia domina Gentium. Luget ſiquidẽ Eccleſia, vt prouocet filios ſuos ad lamẽtum, ne dicatur eis: Lamentauimus vobis, & nõ plorastis. Vnde Ierem. Deducãt oculi veſtri lachrymas, & palpebrę veſtrę defluãt aquis, quia vox lamentationis audita eſt de Sion, id eſt, Eccleſia. Vnde idem Ierem. ait in perſona Eccleſiæ: Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei dirupti ſunt. Filij mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt. Non eſt qui extendat vltra tentorium meum, & erigat pelles meas. Funiculi charitatis rupti ſunt in filiis iniquitatis. Ex defectu autem Prælatorum iam non extenditur, nec dilatatur Eccleſiæ tentorium, nec pelles per ſanctæ vitæ conuerſationem eriguntur, vt tegant & protegant tabernaculum. Similiter & Ioël deſolationem Eccleſiæ lugens, ait: Demolita ſunt horrea, diſſipatæ ſunt apothecæ. In horreis frumenta, in apotheca aromata reponuntur. Plangit igitur eos quorum conſcientiæ ſunt & bonorum operum frumento & virtutum aromatibus vacuatæ. Et iterum Ioël: Periit ſacrificium, id eſt, libatio de domo Domini. Sacrificium, ſcilicet, de ſolidis, id eſt, bona operatio exterius. Libatio de liquidis, id eſt, deuotio, & lachrymæ de anima, quæ priùs domus Domini fuit. Luxerunt Sacerdotes. Iuxta illud: Omne cor mœrens. Et in Threnis: Lachrymæ eius in maxillis eius, id eſt, in Prælatis, quia depopulata eſt regio, id eſt, ſubditi per peccata. Et ſubdit aliam cauſam: Luxit humus, id eſt, amatores terræ amiſſo ſpirituali gaudio. Et iterum ſubdit aliam cauſam luctus Sacerdotum: Quoniam vaſtatum eſt triticum, id eſt, ſacra ſcriptura in eis, qui malè viuendo eam corrumpunt, vel malè intelligendo. Confuſum eſt vinum. De quo Iſaias ait: Mixtum eſt vinum tuum aqua. Quod fit quando doctrina pungitiua & diſtricta per mollitiem adulationis, & fluxæ doctrinæ eneruatur. Oleum elanguit, id eſt, ſacra ſcriptura, quæ reficit & illuminat, tepuit. Confuſi ſunt agricolæ, id eſt, prædicatores, qui debent terram excolere, dum aliud dicunt, & aliud faciunt. Vlulauerunt vinitores ſuper frumento & hordeo, id eſt, Prælati, præ dolore & compaſsione, quia, ſcilicet, frumentum, id eſt, prædicatio propoſita clericis, & hordeum, id eſt, prædicatio propoſita rudibus laicis, quantum in ipſis eſt, perierunt.

*De ciuitate exteriori & eius deſolatione.*

*De triſtitia Eccleſiæ.*

*De deſolatione Eccleſiæ.*

Vnde & subdit: Quia periit messis agri, id est, bona opera à subditis. Cõfusa est vinea. Vinum, scilicet, cõpunctionis, vel scripturarum in cordibus peccatorum: & ficus elãguit, id est, dulcedo spiritualis. Malum-granatũ, & palma, & malũ, & omnia ligna agri aruerunt. Malum-granatum est fraterna cõcordia: palma, id est, desiderium ad superna: & malum siue malus, id est, odor bonæ cõuersationis: & omnia ligna agri, id est, omnia, scilicet, quę faciunt ad meritum in mẽte humana, arruerunt. Meritò ergo sedet in tristitia domina Gentium, quia desolata est ciuitas Ecclesiæ. Facti sunt hostes eius in capite, id est, dæmones, hæretici, Iudæi, Pagani, & tyrãni facti sunt superiores. Hoc est quod Iere. ait: Facta est vidua domina Gentium, Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Ecclesia enim culpis exigẽtibus, viduata est spõsi prouincia, Dei & Angelorũ auxilio desolata. Vidua, quia pro turpitudine & fœditate à spõso relicta, & virtutum ornamẽtis exuta. Et quę priùs erat Princeps prouinciarum, id est, quinq; sensuum, facta est sub tributo dæmonum & vitiorum. Sedet igitur in tristitia, quę priùs erat domina Gentium, quæ, scilicet, dominabatur vitiis & motibus prauis. Hoc est quod idẽ Isa. ait: Sede, tace, & intra in tenebras filia Chaldęorum, quia nõ vocaberis vltrà domina regnorũ. Sede, quia erecta fuisti per superbiã, humiliare per pœnitentiã. Tace, quæ priùs grandiloqua fuisti per arrogantiã. Intra in tenebras, quæ priùs apparere voluisti per vanitatẽ. Dominus enim induit cœlos tenebris, & saccum ponit indumẽtum eorum, quãdo eos, qui ad ipsum cõuertuntur, vilitatẽ & abiectionẽ habitus pœnitentialis subire facit, vt se viles & omnibus inferiores reputent, & vltrà dominari non appetãt.

*A solo Deo expectãda est consolatio. Versus.*

Sequitur: Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus. *Ad medicam dubius confugit æger opem.* Ipse enim est qui dat sicerã mœrẽtibus, & vinũ his qui amaro sunt animo. Ipse petra, quę fundit oleum nobis cõsolationis, sicut in Iob dicitur. Et Psal. ait: Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meum cõfortabit eum. Manus pater, brachium filius, digiti spiritus sanctus. Manus trahit nos ad brachium, sicut scriptum est: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum. Spiritus sanctus pollex dicitur, quãdo affectum vngit. Index, cùm illuminat intellectũ. Medius, dum vnit per charitatẽ, sicut ait Apost. Solliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Medicus, dũ sanat per spẽ. Vnde Apost. Spe salui facti sumus. Ipsa enim est galea salutis. Auricularis, dum instruit per fidẽ. Fides est ex auditu. Sic igitur S. Trinitas ciuitatẽ in qua habitat, cõsolatur, nec est alius qui spiritualẽ cõferat consolationẽ. Non est qui cõsoletur eã ex omnib⁹ charis eius. Vnde Isa. Facti sunt in rapinã, & nõ est qui eruat. In direptionẽ, & nõ est qui dicat, redde. Et iterum ait: Nõ est qui sustinet eã ex omnibus filiis, quos genuit: nõ est qui apprehẽdat de manu eius ex omnib⁹ filiis, quos enutriuit. Sustentari debent ſtãtes, ne corruãt, apprehẽdi debent manus lassorum, vt cõsurgant. Prævalẽt igitur aquę diluuij, quia nõ sunt ripæ quæ vndas retineãt. Vnde per Ezech. Dominus ait: Quæsiui de eis virum qui se interponeret, & staret oppositus contra me, ne dissiparem eam, & nõ inueni, quasi diceret, nõ inueni qui iræ meę resisteret. Cùm igitur humanum deest auxilium, recurrendum est ad diuinum adiutorium inter consolationẽ spei, ne desperemus, & desolationẽ timoris, ne pręsumamus. Attendat igitur homo vbi fuerit, vbi non sit, vbi erit, vbi fuerit in originali, scilicet, & actuali peccato, vbi sit in vanitatibus seculi & periculo, vbi erit in tremendo, scilicet, iudicio, vbi non sit in æterna, scilicet, beatitudine, sed in exilio cum Daniẽle dicat: Inclina Deus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram. Et tandem Dominus respondebit, sicut in Isa. dicitur: Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur vltrà desolata. Ipse enim rogabit patrem, & alium Paracletum dabit nobis, auferens omnem lachrymam ab oculis sanctorum, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM DE EPISTOLA EX IEREMIA 23.

*Ecce, dies veniunt, dicit Dominus. & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra.*

*De desiderio sanctorũ expectantium Christi aduentum.*

QVIS mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & osculer te, & iam nemo me despiciat. Verba sunt sponsi in Canticis, desiderãtis Christi aduẽtum in carne. Prẽsens siquidẽ Dominica, nõ habet propriũ officium, nec propriam Epistolã, nec propriũ Euãgelium. Vnde Epistolã hodiernã mutuat à vicinis suis, id est, à diebus Aduentus, qui hanc Dominicã sequuntur, & est quasi præambula ac præparatio ad Aduentum Domini, sicut in alia facultate antepręd icamenta dicuntur, quæ prædicamenta prẽcedunt, & ad subsequẽtia instruunt. Quis mihi det, ait Ecclesia, te fratrẽ meum, id est, eiusdẽ naturæ mecum per incarnationẽ, assumentẽ omnia quæ sunt humanæ naturæ, absq; peccato, sugentẽ vbera matris meæ, id est Synagogæ, in Maria, quę de Synagoga descendit. Dicitur autẽ Synagoga mater Ecclesię, quia Apostoli & S. Patriarchę, & Prophetę Ecclesiã de Gentib⁹ per Christũ genuerũt. Semel enim Dominus intrabat in templũ & in Synagogas, vt interrogaret & respõderet de lege, & ita sugebãt vbera Synagogę. Vt inueniã te foris, id est, videã te in carne cũ hominib⁹ conuersantem, vt, scilicet, agnoscã te, qui priùs latebas in sinu patris foris in humana natura incarnatum, vt scindatur templi velum, & appareant sancta sanctorum. Aspiret dies & inclinentur vmbræ, & deosculer te, cordis, scilicet, affectu, & spiritualiter, delecter in te, atque reconciliationis

pacem

pacem in tuo aduentu reperiam. Deoſculer te, tot præbens oſcula, quot teſtimonia perhibens veritati. Alibi autē ſponſa ait: Oſculetur me oſculo oris ſui, id eſt, ore proprio me erudiat, & carnē meam ſibi vniat. In oſculo ſiquidem duo labia vniuntur, ita per incarnationē diuina natura humanæ cōiungitur. Verbū ſiquidē eſt oſculās, caro oſculatū, Deus homo oſculū. In oſculo labia ſe cōſociāt, interiores anhelitus cōſpirant, corpora ſibi appropinquāt. In Chriſto enim fuit cōiunctio duarum naturarū, fuit inſuper ipſius ad nos vnio ſpirituū, & vnanimitas voluntatum, ſicut ſcriptū eſt: Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cū eo. Corpora appropinquant. Si enim cōpatimur & cōregnabimus. Ipſe enim reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Et iā nemo me deſpiceat, ſed cōſiderantes opera tua glorificēt Deū. Nemo me deſpiceat, poſtq̄ gloria & honore coronaueris me. Teſte Bernar. Iā me deſpicere nō poterit os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. De hac Chriſti incarnatione, & mundi viſitatione atq; Eccleſiæ cōſolatione omnes Prophetæ ſancti prænuntiauerunt. Vnde Iſa. in perſona filij, vel ſpiritus ſanctus ait: Adhibui mihi teſtes fideles, qui, ſcilicet, Chriſti aduentū in carne prædixerunt, & accesſi ad prophetiſſam, id eſt, ad Mariā, & cōcepit & peperit filiū. Deus enim factus eſt filius hominis, vt homo fieret filius Dei. Magnus Dominus & laudabilis nimis, factus eſt homo paruulus & amabilis nimis. In Cant. autem dicitur: Crura illius columnæ marmoreæ, fundata ſuper baſes aureas. Crura, id eſt, itinera æternitatis eius, recta & firma tanquam columnæ marmoreæ, quæ fundatę ſunt ſuper baſes aureas, id eſt, prænuntiatæ per Prophetas, ſapientia fulgentes, & charitate feruentes. Vnde & ſpōſa ait. Tulerunt palliū meum cuſtodes murorum, id eſt, ſancti Patriarchæ & Prophetæ de Chriſto prophetātes: abſtulerunt à me velamen ignorantiæ, inter quos in hodierna Epiſtola Ierem. ait: Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germē iuſtum. Ecce dicit, vt propinquū oſtēderet eius aduentum. Vnde Iſa. Prope eſt vt veniat tēpus eius, & dies eius nō elongabuntur. Et iterum: Voca nomen eius Accelera-ſpolia-detrahere, Feſtina-prædari. Quaſi diceret: Accelerabit, vt detrahat ſpolia diabolo, & captiuā reducat captiuitatem, & citò deprædabitur infernus. Et rurſus Iſa. ait: Citò veniet gradiens ad aperiendū, & nō interficiet vſq; ad internecionē, nec deficiet panis eius. Venit Dominus in carne ad redimendum, in corde ad ſanandum, in maieſtate ad ſaluandum venturus. Venit gradiens ſecundum quod homo, ſed ſtans ſecundum quod Deus.

*De præſtitutione aduētus in carne. Iſaiæ 8.*

*De accelerāte Aduentus. Iſaiæ 8.*

*Iſaiæ 51.*

*Ad quid venerit Dominus.*

*Stabilesq; manens, dat cuncta mouerī.* Venit ad aperiendum ſcripturas, ſcilicet, & paradiſi portas: nō interficit vſq; ad internecionē. Punit enim ſuos in præſenti, nō ad mortē, ſed ad correptionē, nec deficiet panis eius ſacramētalis vel ſacræ ſcripturæ, quia verbū Dei manet inæternū. Ecce dies veniunt, dies, ſcilicet, aduētus Domini, qui in proxima Dominica incipiet, in quibus dies Domini recitatur, de quo ſubdit: Suſcitabo Dauid germē iuſtū, id eſt, Chriſtū. De quo Apoſt. Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundū carnē. De quo Iſa. In die illa erit germen Domini in magnificēria & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſaluati fuerint ex Iſraël. In magnificēria, quo ad incarnationē & paſſionē, per quā magnificè de diabolo triumphauit. Et gloria, quo ad reſurrectionē. Et fructus terræ ſublimis, quò ad aſcenſionē, & exultatio his qui ſaluati fuerint de Iſraël, quantū ad ſpiritus ſancti miſſionē. Riſum enim fecit nobis Deus, & deſideriū omniū ſanctorum in Chriſto adimpleuit. Iuxta illud: O Rex gentiū & deſideratus lapisq; angularis. Rex per ſapientiā, qua mūdus gubernatur, deſideratus per beneuolentiā, qua homo reparatur, lapis per potentiā, qua infirmitas noſtra roboratur. Germē autem dicitur Chriſtus, quia principiū eſt cuiuſlibet fructus. Dicitur etiā virgultū & radix. Vnde Iſa. Aſcendet virgultum corā eo, & ſicut radix de terra ſitiēti. Loquitur de Chriſto tanq̄ de Nazareno. Nazareth enim ſecundum vnā interpretationē interpretatur virgultū. Chriſtus enim more virgulti cōtemptibilis fuit in hyeme, ſed placuit floribus in æſtate. In hyeme mortis, in æſtate reſurrectionis. Virgultum abſq; humana cultura aſcendit, & Chriſtus abſq; humano opere carnem aſſumpſit. Vnde in Gen. Nō erat homo qui operaretur terrā, quia ſine humano opere ortus eſt Chriſtus de terra nō exarata, id eſt, de beata virgine. De qua ſcriptū eſt: Viſitaſti terram, id eſt, beatam Virginē angelica ſalutatione, & inebriaſti eā in ſpiritus ſancti obumbratione, multiplicaſti locupletare eā in cōceptione. Chriſtus etiā dicitur radix, quia pars illa deformior eſt & deſpectior, & totā arborē ſuſtētat: ita Chriſtus reputatus eſt leproſus, & adeo percuſſus, & tamē pulchram arborē, id eſt, Eccleſiam ſuſtentat. Omnis autē virtus & pulchritudo arboris eſt ab iſta. Terra autē ſitiens fuit B. Virgo fontē vitæ ſitiens Ieſum Chriſtū. Sicca etiam fuit ab humore carnalis delectationis. Vnde Oſee ait: Adducet Dominus ventum vrentem de deſerto & exſiccabit venas eius, id eſt, peccati, quia in beata Virgine extinctus fuit fomes ſenſualitatis. Ventus autē dicitur Chriſtus, qui ſe omnibus offert, & exponit præſtans cōtra vitia refrigerium. Vrit autē & inflammat contra torporē vitiorum. Vento nihil debilius, cui reſiſtit modica virgula, nihil fortius, qui frangit arbores proceras. Et Chriſtus debilis in humanitate, fortiſſimus fuit in diuinitate, qui & humilibus parcit & ſuperbos frāgit. Hunc ventū adduxit Dominus de deſerto beatæ virginis, quę nullo vomere exculta fuit, quia incorrupta & integra permanſit. Non ſolùm autē germen & virgultum, & radix dicitur Chriſtus, ſed inſuper virga, flos & fructus. Vnde Iſa. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. In virga potentia, in flore pulchritudo Chriſti deſignatur. Vnde ipſe ait: Ego flos campi, qui, ſcilicet, omnib⁹ exponitur. Ipſe flos ſpecioſus in cōciliis, odotiferus in promiſſis, ſaporē habens in præ-

*Chriſtus dicitur germen.*

*De gaudio aduentus Chriſti*

*Chriſtus dicitur virgultū.*

*Beata virgo dicitur terra & Chriſtus vento compararatur.*

*Chriſtus dicitur virga, flos, & fructus.*

miis. De hoc flore facere debemus sertum, quia ipse est corona sanctorum suorum. Vnde Isa. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residui populi sui. In virga igitur potentiâ Christi, in flore fragrantiâ, in fructu saporis dulcedinẽ intellige, in frõdibus protectionis vmbraculũ, qua fugiẽtes ad se paruulos sub vmbra alarũ suarum protegit, tã ab æstu carnaliũ desideriorum, quâ à facie impiorum, qui eos afflixerunt. Nihilominus tamẽ est B. Virgo Maria recta per vitæ sanctitatẽ, flexibilis per misericordiâ, gracilis per paupertatẽ voluntariâ, erecta sursum per desideriũ & contẽplationẽ. Hac virga petra percussa deserti, id est, Christus, orationibus eius tactus aquâ misericordiæ, & gratiæ nobis effudit. In nobis enim de radice cordis cõtriti egrediatur virga cõfessionis, & flos bonæ volũtatis de radice eius ascẽdat, vt tandẽ sequatur fructus satisfactionis. Christus præterea dicitur fructus, sicut scriptũ est: Terra dedit fructũ suũ. Dedit, nõ reddidit, quia semẽ aliunde non recepit. Sicut enim Adâ de terra virgine nondũ exarata formatus est, ita Christus de virgine à nullo cognita natus est. Radius de stella, flos de virga, veritas de terra, ros de vellere, pluuia de nube, spõsus de thalamo est filius Dei de virginis vtero. Vt radius intrat innoxius fenestrâ vitreâ, sic filius Dei immo subtilius aliâ virgineâ. Suscitabo Dauid germẽ iustũ. Si enim fueris Dauid manu fortis bene operãdo, aspectu desiderabilis bono exẽplo, tibi suscitatus est Christus, tibi natus, tibi datus. Dicitur aũt suscitatus, quia apparuit, qui prius nobis erat abscõditus. Sicut scriptũ est: Exurge Domine in præcepto quod mandasti, id est, in præcepto humilitatis. Apparere humilis in carne & synagoga populorum, id est, multitudo hominũ circũdabit te, credẽdo in te, & propter hãc conuertendâ, vt mittas spiritũ sanctũ in altũ regredere, id est, ascẽde in cœlũ. Germẽ autẽ iustũ dicitur Christus iustificãs in præsenti gratiâ cõferendo, & vnicuiq; q, suum est, reddẽs in futuro iudicio. Reddet enim suis hæreditatẽ incorruptibilẽ, incontaminatã, & immarcesibilẽ, conseruatã in cælis. Incorruptibilẽ propter firmitatẽ, incontaminatã propter claritatẽ, immarcesibilẽ propter impassibilitatẽ, conseruatã in cœlis propter immortalitatẽ seu æternitatẽ. Nõ solũ autẽ iustus, sed misericors. Iustus qui rebelles puniat: misericors qui supplicãtibus indulgeat, benignus qui diligẽtibus se, rettribuat. Calix siquidẽ in manu Domini vini meri plenus mixto. Vinum merũ quod pungitiuum est, seueritatẽ diuinæ iustitiæ designat, quæ tamen miscetur, & per misericordiam temperatur. Inclinat Dominus hunc calicẽ propinãs filiis potum ex vino tẽperato. Fęces autẽ bibunt reprobi, & peccatores terræ. Fæces, scilicet, damnationis æternæ. De quibus dicitur: Fęx eius non est exinanita, quia pœna erit interminabilis & æterna. Propterea in Isa. ait: Dimitte agnum Domine dominatorem terræ. Agnus quia mãsuetus, dominator terræ, terribilis & rectus. Qualis est agnus iste, quem lupi infernales metuunt. Emitte agnum ne desperemus, dominatorem ne præsumamus, vt, scilicet, speremus & timeamus. Hæ siquidẽ sunt duæ deargentatæ columbæ pennæ', spes, & timor. Spes sursum leuat, timor ad inferiora humilitatis inclinat. Suscitabo Dauid germen iustum. De quo Isaias: Quis suscitabit ab oriente iustum, & vocabit eum vt sequeretur se? Pater siquidem in Iudæa, quæ est in Orientali plaga Christum incarnari, mori & suscitari voluit, & vocauit eum, vbi ait: Exurge gloria mea. Christus etiam secundum carnem suscitatus fuit de beata Virgine, quæ oriens dicitur, ex qua nobis ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster. Præuenire autem oportet solem ad benedictionẽ, vt ad ipsum accedamus per Mariam, & ad orientem lucis, id est, ad beatam virginem adorare. De hoc iterum germine iusto dicit Isaias: Prope est iustus meus, egressus est saluator meus. Prope est per naturæ humanæ conformitatem, egressus de sinu patris per incarnationem. A summo enim cœlo egressio eius. Sequitur: Et regnabit Rex, & sapiẽs erit. Hoc est quod Isaias ait: Ecce in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt. Principes, scilicet, populorum, quos constituit Dominus super omnem terram, vt in iudicio discretionis regerent Ecclesiam. Teste enim Isa. Impleuit Sion, id est, Ecclesiã iudicio & iustitia. Et subdit: Et erit fides in tẽporibus suis, id est, fidelis populus ô Christe. Et iterũ Isa. ait: Dominus iudex noster, legifer noster, Dominus Rex noster ipse veniet & saluabit nos. Sic notatur triplex Christi aduentus Dominus, iudex noster, ecce aduẽtus in fulgure, quãdo, scilicet, veniet ad iudicandũ. Dominus legifer noster, ecce aduẽtus in rore. In primo siquidem aduentu legem Euangelij nobis dedit. De qua scriptum est: In dextera eius ignea lex. Et enim benedictionem dabit legislator. Dominus Rex noster, id est, ecce aduentus eius in nube, dum venit in corda fidelium regens & dirigens eos, & tribuens gratiæ refrigerium. Regnabit Rex, quemadmodum Isa. ait: Finitus est puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcabit terrã, & pręparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicãs & quærens iudicium, & velociter reddẽs quod iustũ est. Ecce quã potẽs & iustus est Rex, qui tyrannos regnũ suum vastãtes eiecit, & destruxit. Potentiâ autẽ diaboli cõparat pulueri, quia sterilis & leuis est, & nullius momẽti respectu potentię Christi. Cõsummatus est miser, qui, scilicet, miser in se & alios miseros faciebat. Defecit qui cõculcabat terrã, id est, mundũ vniuersum, quia fortior superuenit, qui illũ alligauit, præparatũ autẽ in misericordia soliũ eius, id est, regnũ sempiternũ, quia regnat in sanctis suis nõ meritis nostris, sed misericordia Dei. Super illud aũt sedebit in tabernaculo Dauid, id est, in Ecclesia, dũ in sanctis suis requiescit iudicãs & quęrẽs iudiciũ, post misericordiâ enim quâ exhibuit in primo aduẽtu, iudicabit in secũdo aduẽtu, & quęret discernere agnos ab hędis. Nũc aũt differt & expectat peccatores ad pœnitentiâ, sed tũc velociter reddet, q, iustũ est vnicuiq; scilicet, secun-

*Beata virgo dicitur virga.*

*Christus dicitur germen iustum.*

*De iustitia & misericordia in Christo.*

*De cognitione Christi et eius regimine atque sapientia.*

*Isaiæ 33.*

*De triplici aduentu Christi*

*Isaiæ 18.*

cet ſecundum opera ſua. Quotidie autē deſtructo diabolo in nobis, præparat Dominus ſoliū in anima, eiectis per miſericordiā vitiis, & efficitur anima tabernaculū veri Dauid, & præmiū ęternum reddit ſuis, iudicans & diſcernens cauſam eorū à cauſa reproborum. Sapiens erit: Apprehendent enim ſeptē mulieres virum vnū, id eſt, ſeptem dona ſpiritus ſancti, Chriſtum, quæ mulieres dicuntur propter fœcunditatē & leuitatē, quia per ſpiritum ſanctū, ſpirituales filij Dei generātur. Apprehendēt, quia firmiter & inſeperabiliter ei adhærebunt. Fuit igitur Rex iſte ſapiens, intelligens, cōſiliarius, fortis, eruditus, pius & timoratus. Rex ſapiens fuit, & ab ipſa cōceptione omnia nouit. Vnde licèt in ventre matris ſuæ puer eſſet, vocatur tamē vir à Ieremia, vbi ait: Nouū faciet Deus ſuper terrā. Mulier circundabit virum. Sola Maria circundedit virū, quia totum Chriſti corpus ex ipſa eſt aſſumptū, & nihil extra ſumptū. Alij autē homines ex ſemine extra ſumpto, ex ſemine, ſcilicet, virili procreātur. Vnde in Eccl. dicitur: Nō eſt vir illius, id eſt, Eccleſiæ ſecundū filios hominū, nō enim cōceptus eſt more aliorū. Dictū eſt enim Abrahæ, quarta generatione reuertentur huc. Et nos de Ægypto tenebrarum, quarta generatione exiuimus. Prima generatio Adæ ſine mare & fœmina. Secunda Æuę de viro ſine fœmina. Tertia quæ eſt noſtra de viro & fœmina. Quarta autē, per quam ſumus liberati de fœmina ſine viro. Rex ſapiens fuit, vnde per ſapientiā diabolum deſtruxit, & genus humanū liberauit. Deo ſiquidē hominem ſine peccato debebamus, quem ei in Adā abſtulimus. Rei ſumus, dum eo relicto, diabolo adhæſimus. Viā perdidimus, quando à mādatis eius receſſimus. Ipſe enim veniēs ſoluit debitum ſine peccato, carnem aſſumendo, & naſcendo expiauit reatum moriendo. Iter autem reparauit ad regnum reſurgendo, & ad cœlum aſcendendo. Vt autē ſapienter diabolum deciperet, cōtraxit ſe, & factus eſt verbum abbreuiatū in virginis vtero. Infirmata eſt potētia, maieſtas exinanita, balbutiens ſapiētia, quæ diabolum alligauit, vt luderet de eo, ſicut puer de paſſere. Vnde Iob ſecundū aliā tranſlationē loquēs, de Behemoth ait: Nunquid alligabis eum, ſicut paſſerē infantulus? Sapiēs erit: Vocatū eſt enim nomē eius Emanuēl, id eſt, nobiſcū Deus, noſtræ, ſcilicet, naturæ, vt ſciret per ſapientiā, quā habuit ex diuinitate reprobare malū & eligere bonū. Butyrū inſuper & mel comedit, quę ſunt cibi hominū: vt ſciat, id eſt, licet tanq̄ Deus ſciat reprobare malum, & eligere bonū, quod habuit ex virtute diuinitatis cū adhuc eſſet paruulus, & nō ex virtute humanitatis. Butyrum autē cibus paruulorum eſt, mel adultorum. Similiter enim puer fuit ſecundū ętatē, & vir ſecundū ſapientiā. Butyrum etiā comedit, quod de pabulo inferiori & cōmuni procreatur, id eſt, opera actiuè, & mel quod de floribus cū quodā delectu colligitur, opera contēplatiuè. Butyrū & mel comedet, id eſt, ſibi incorporabit, ſed acerum nequaquā, quod cū guſtaſſet noluit bibere. Illos autē ſibi incorporat, qui ſunt butyrū per ſuauitatē cōuerſationis, & mel per dulcedinē dilectionis, vt ſciat, id eſt, ſcire nos faciat, ſe velle reprobare malos & eligere bonos. Butyrum ſine caſeo Rex ſapiens comedit, quia carnē ſine peccato aſſumpſit, ſicut Iſa. ait: Aſcendet Dominus ſuper nubē leuem, aſſumendo, ſcilicet, carnē ab omni peccato immunē. Nubē dicit, quia de eius incarnatione venit ad nos pluuia gratię, tonitruum cōminationum, & choruſcationes miraculorum, & obumbrationis refrigeriū, & ipſo ingreſſo Aegyptū, id eſt, mundū, corruerūt idola peccatorum ab aris cordiū. Sequitur: Et faciet iudicium & iuſtitiā in terra. Iudicium diſcutiens & diſcernens merita ſingulorum. Iuſtitiā reddens bonis & malis ſecundum opera eorum. Iuſtitia, quia executio eſt iudicij. Ipſe autē in iudicium venit in mundum, vt cauſam electorum diſcerneret à cauſa impiorū, ſicut ſcriptum eſt: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meā. Fecit inſuper de diabolo iudicium, nā & ipſe iam iudicatus eſt. Fecit iuſtitiā de tyrāno illo, qui regnū ipſius vaſtabat, & homines ſpoliabat. Vnde Iſa. Indutus eſt veſtimentis vltionis, id eſt, carne & anima, vt vlciſceretur de diabolo, & opertus eſt pallio Zeli. Zelus enim quē ad nos habuit, ipſum in mundū adduxit. Opertus autē dicitur, quia latēter & quaſi occultus venit, vt deciperet deceptorē. Vnde Iſa. Rorate cœli deſuper. Sicut enim ros occultus eſt, & incognitus deſcendit, ita Chriſtus occultè venit. Ipſe autē pro nobis eſt cōtra diabolū, tanq̄ legatus mundū viſitare voluit. Vnde Iere. Auditū audiui à Domino: legatus ad gētes miſſus eſt. Et Abdias ait: Auditū audiuimus à Domino, legatū ad gētes miſit, id eſt, Chriſtum paternæ voluntatis nuntium & miniſtrum. Propterea Ezech. Egrediebātur foris aquæ viuæ de domo Domini vſq; ad mare mortuum. Hic eſt ſaluator, qui de ſinu patris egrediens carne aſſumpta, mare mortuum & amarū, id eſt, mundum dulcorauit. Vnde Iob: Quis mihi det, vt ſim iuxta mēſes priſtinos quādo lauabā pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. In butyro pinguedo eſt à carne, & ſignificat illā dulcē affectionē, quā habebant olim ſancti de incarnatione Chriſti. In oleo notatur manſuetudinis ſuauitas, & conſcientiæ ſerenitas atq; cōſolatio ſanctorum cum Chriſti aduentu. Vnde Ioēl ait: Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt ſpecioſa deſerti, lignum dedit fructum ſuū, ficus & vinea dederunt odorē ſuum. Deſertū ſiquidē gētilitatis prius incultū factum eſt ſpecioſum. Gētes autē more animaliū beſtialiter prius viuebāt, poſtmodum virtutes & bona opera protulerunt. Lignum autē crucis fructum vitæ attulit, ficus ſpiritus ſancti chariſmata gratiarum, vinea Eccleſiæ virtutem dedit ſacramētorum. Et iterū Ioēl ait: Filiæ Sion exultate in Domino Deo noſtro, & lætamini, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, qui, ſcilicet, fecit iudicium & iuſtitiā, & deſcendere faciet ad vos imbrē matutinum & ſerotinum, ſicut in principio, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Imber matutinus & ſerotinus

*De quadruplici generatione.*

*De ſapientia Chriſti.*

*De nube.*

*De iudicio & iuſtitia.*

*Iſaiæ 44.*

*De rore & Chriſti legatione.*

*Ieremiæ 49.*

*Ezech. 22.*

*Iob. 29.*

*Ioēl 2.*

rotinus vetus & nouũ teſtamẽtum, vel fides & perfectio bonorũ operũ. Area mens charitate dilatata. Frumẽtum ſacra ſcriptura. Torcularia mẽtes affectę pœnitẽtia. Vinũ cõpunctio, oleum mẽtis hilaritas & diuina cõſolatio. Hæc omnia in primo aduentu Dominus fidelibus tribuit. Infideles autẽ vacuos & inanes reliquit, & ita iudicium & iuſtitiã in terra fecit. In ſecundo autẽ aduẽtu iudicium faciet, areã ſuã ventilãdo, & agnos ab hœdis ſeparãdo. Iuſtitiã faciet iuſtis, pręmium: iniuſtis, pœnã æternam reddendo. Vnde Iſaias: Ecce nomẽ Domini venit de longin quo ardẽs furor eius & grauis ad portandũ, labia eius plena indignatione, & lingua eius quaſi ignis vorans. Nomen Domini per quod pater mundo innotuit, id eſt, Chriſtus venit de longinquo, ad terras, ſcilicet, de cælo, de ſinu patris in vterum virginis: de maieſtate diuinitatis ad infirmitatem carnis. Ardens furor eius, ſcilicet, iuſtitiæ, quod ſpiritualiter pertinet ad ſecũdum aduentum. Grauis ad portandum pondere pœnæ æternę. Vnde Iob: Pondus eius ferre non potui. Labia eius plena indignatione quando dicturus eſt: Eſuriui, & nõ dediſtis mihi manducare. Lingua eius ignis deuorãs, quãdo dicet: Ite maledicti in ignẽ æternum. Sequitur: In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit cõfidenter. Iuda, id eſt, Apoſtoli & primitiua Eccleſia, & omnes verè cõfitentes. Vnde Ioël: Per omnes riuos Iudæ exibunt aquæ, id eſt, fluenta gratiarum. Iſraël autem, id eſt, populus vidẽs Deum hîc per fidẽ, & in cœleſtibus per ſpeciem. Iuxta illud: Donec pertranſeat populus tuus Domine, de fide, ſcilicet, ad manifeſtam viſionem. Habitabit cõfidenter in protectione Domini ſub vmbra alarum Domini. Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum Dominus iuſtus noſter, Dominus potenter regẽs. Iuſtus præmia ſeruientibus retribuens: noſter, naturã noſtram aſſumens. Vnde Iſa. Videbunt gentes iuſtum tuum & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomẽ nouum, quod os Domini nominauit, ſcilicet, vt à Chriſto dicantur Chriſtiani. Videbunt gentes oculo fidei & cognitionis iuſtum tuũ. Vnde Zach. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, & applicabuntur gẽtes multę ad Dominũ in die illa, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te. Sequitur: Et nõ dicẽt. Vltra viuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de Ægypto, ſed viuit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemẽ domus Iſraël de terra aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eiecerã eos. Quaſi diceret: Nõ tãtum laudabunt, & gratias agent de Iudæorum liberatione, ſed inſuper de ſaluatione gentium: quas ab omnibus finibus terræ per Apoſtolos vocauit. Vnde & ſemen Domus Iſraël vocantur, qui ab Apoſtolis, & à primitiua Eccleſia ſpiritualiter generati ſunt, & regenerati in Chriſto. In terra autẽ aquilonis habitabant, qui frigore infidelitatis & acediæ torpebant. In feruore meridiano velut æthiopes morabãtur, qui ardore vitiorum vrebantur. Vnde & Regina Auſtri, quæ venit audire ſapientiã Salomonis, dicitur gẽtilitas ardore peccatorum exuſta, & denigrata ab Oriente, id eſt, à mundanę proſperitatis ſplẽdore vocati ſunt, qui tranſitoria diligebant, & de æternis & veris bonis non curabant. Vnde & in morte Chriſti Sol obſcuratus eſt, vt ſplendorẽ mundanę vanitatis Dominus nobis redderet obſcurum. In Occidente autem morabãtur, quibus Sol iuſtitiæ occiderat, qui ad mortis ęternæ occaſum appropinquabant, & ad noctem tenebrarum infernalium properabant. Hi igitur omnes à Domino ſunt vocati, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & meridie. In ſecundo autem aduentu ab omni parte mundi cõgregabuntur ad Dominum, & reſurgẽt ſemper cum Chriſto victuri. Dormiamus igitur inter medios cleros, & requieſcamus in Domino inter duos eius aduẽtus. Cleros enim ſors interpretatur. In primo ſiquidem aduentu ſortiti ſumus beneficium noſtrę redẽptionis. In ſecundo autẽ aduẽtu ſortituri ſumus præmium noſtræ retributionis. Simus Dauid manu fortes & aſpectu deſiderabiles ac ſtrennuè pœnitentes, vt ſuſcitet nobis Deus germẽ iuſtum ſanctæ cõuerſationis, & bonæ operationis. Simus reges ſapientes terram corporis noſtri, & ſenſus noſtros bene & prudenter regentes: faciamus iudicium & iuſtitiã in terra carnis noſtræ, mortificãtes mẽbra noſtra cũ diſcretione. Simus Iuda vt per verã cõfeſſionẽ peccatorũ ſaluemur, & Iſraël Deũ contẽplãdo, vt ſub eius protectione cõfidenter habitemus, vt mereamur à Deo vocari Domini motibus carnis dominãdo, iuſti quod ſuũ eſt vnicuiq; reddẽdo: noſtri, vt anima imperet corpori, & animas noſtras in Domino poſſideamus, ſicut ſcriptum eſt: In patiẽtia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et ita de terra aquilonis, id eſt, de poteſtate diaboli & de cunctis terris ad quas eiecti eramus, & à Deo ſeparati, & multiplicitate vitiorum diuiſi reducet nos Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amẽ.

*In ſecundo aduentu faciet iudicium & iuſtitiam.*

*Ioël 3.*

## EADEM DOMINICA THEMA SVMPTVM
### de Euangelio ſecundum Ioannem .6.

*Cùm ſublevaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?*

*Verbo Dei liqueſcit anima.*

ANIMA mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. Anima ſiquidẽ quæ flãte aquilone in peccatis induruit ad verbũ Dei, flãte auſtro ſpiritus ſancti emollitur & liqueſcit. Vnde & in Cant. paulò pòſt ſubditur: Inuenerunt me cuſtodes ciuitatis, doctores, ſcilicet, prælatiq; inuenerũt ſordidam & abominationibus repletam, percuſſerunt me gladio verbi Dei, & vulnerauerunt me compunctione, ſcilicet, & amore. Tulerunt pallium meum, id eſt, velamen ignorantiæ

ignorantiæ, & multitudinẽ peccatorum. Loquente igitur dilecto per miniſtros ſuos, libentet audire debetis. Vnde Auguſt. ait: Qui vult audiri à Deo, prius audiat Deum. Et iterũ ait: Interrogo vos fratres & ſorores, quid vobis plus eſſe videtur verbũ Dei an corpus Chriſti? Si vultis bene reſpondere, hoc vtiq; dicere debetis, quod nõ ſit minus verbum Dei, quã corpus Chriſti. Et ideo quãta ſollicitudine obſeruamus, quãdo à nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de manib⁹ noſtris in terrã cadat, tãta ſollicitudine obſeruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud cogitamus aut loquimur, de puro corde depereat. Quia nõ minus reus erit, qui verbum Dei negligẽter audietit, quã iſte qui corpus Chriſti in terrã cadere ſua negligẽtia permiſerit. Hæc ſunt verba Auguſtini valdè terribilia cõtemptoribus verbi Dei. Quid igitur de illis qui ſapientes ſunt in oculis ſuis? In oculis, ſcilicet, ſuperbi cordis, qui deſpecta Dei ſapiẽtia, penes ſe extolluntur de ſua, quæ ſtultitia eſt apud Deũ. Hi ſapiẽtes in ſeculo, qui videt in tenebris, & lucẽ Dei cõtemnunt intueri, nec volũt cũ mitib⁹ & humilibus humiliari, cũ tamẽ ſcriptũ ſit in Iſa. Leo quaſi bos paleas comedet. Quod fit quãdo potentes, ſicut puſilli humiliter audiunt verbum Dei, dũ palea, id eſt, hiſtoria, & ſenſu literali delectãtur, quãdiu ad medullam vel ad triticũ ſpiritualis intelligentiæ nõ poſſunt attingere. De cõtemptoribus autẽ idẽ Iſa. ait: Aruit herba, defecit germẽ, viror omnis interiit. Deficiẽte enim & areſcẽte herba prædicationis in cordib⁹ eorum, germẽ boni operis deficit, & nitor gratiæ ac virtutũ Dei. Et ideo fratres liqueſcere deberis hodie & emolliri ad pẽnitẽtiã verbi dei virtute non inclinare corda veſtra per malitiã. Cùm ſubleuaſſet oculos, &c. Sicut paſtor, gregẽ ſuũ paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Verba ſunt Iſa. de hodierna refectione. Dominus enim gregẽ ſuũ paſcit, agnos, ſcilicet, & nõ lupos. Ipſe enim paſtor bonus, qui, teſte Iſa. dat ſemẽ ſereti, & panẽ comedẽti. Ipſe excipiẽdo fatigatos, docẽdo inſcios, ſanãdo ægrotos, recreãdo ieiunos, quantũ deuotione credentiũ delectentur, inſinuat. Paſcit igitur gregem ſuũ qui eũ ſecutus in deſerto fuerat, paſcit laſſos pauperes & famelicos. Tales enim vult Dominus paſci. Vnde per Iſa. ait: Hæc requies mea, reficite laſſum. Paſcit pauperes & famelicos: Eſuriẽtes imoleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Vecordẽ ſiquidẽ ſe aſſerit, qui ſitientib⁹ hortis aquã in fluuium mittit. In brachio ſuo cõgregabit agnos. In brachio, ſcilicet, operationis, & fortitudinis ſuæ manſuetos, & humiles in vnitate fidei cõgregauit, quos in ſinu quietis & protectionis ſuæ, atq; in ſecreto cõtemplationis ad ſuperna leuauit. Fętas autẽ oues portat, doctores, ſcilicet, & filios Deo parientes. De quibus in Iob ait: Nunquid ceruas parturientes obſeruaſti? Ipſe igitur paſtor eſt bonus, qui paſtu naturæ, paſtu ſcripturæ, paſtu gratiæ, paſtu gloriæ gregẽ ſuum reficit. Paſtu naturæ ſeu corporali in hodier. Euangelio ad literã legitur refeciſſe eos, qui eum ſecuti fuerant in deſerto: Hoc autẽ Euangelium in media quadrageſima ſolet legi, ſed quia ſicut in præcedenti ſermone dictum eſt, hæc vltima hebdomada nõ habet proprium ſeruitium, hodie repetitur ſecundum vſum gallicanũ & cõſuetudinem Ciſterciẽtium, & eſt quaſi præambula aduentus Domini. Nam ipſo ad ueniente, & in deſerto mundi ſeu Iudeæ prædicante, multitudinẽ credẽtium primò reficit in via, & poſtmodũ ſatiabit in patria. Per hoc aũt quod ait ad Philippũ: Vnde ememus panes vt manducẽt hi, docet magiſtros Eccleſiæ, conſilia ſua debere minorib⁹ cõmunicare, & cũ ipſis cõferre. Aliqua enim reuelãtur minoribus quæ nõ maioribus. Poſtq; aũt Dominus deſertũ mũdi petiit, multi fideliũ cateruę derelictis mœnib⁹ priſcæ cõuerſationis ipſum ſecutæ ſunt, ſicut ſcriptũ eſt: Et ſuper omnẽ terrã gloria eius. Marcus ait: Deſertus eſt locus, & iã hora præteriit, dimitte illos, vt in proximas villas & vicos eunt es emant cibos. Erat ſiquidẽ iam hora veſpertina. Luca teſtante, qui ait: Dies autẽ cœperat declinare. Fine enim ſeculorũ appropinquãte à diutina ſpiritualis inediæ tabe liberati ſumus. Panes autẽ quos inuenit Dominus, accepit, nõ alios procurauit, vt ſignificet quod veniens in carne, nõ alia quã prædicta erãt, prædicauit, & opere cõpleuit. Ex panũ verò multiplicatione oſtẽdit, quã ſint myſteriis grauida ſcripta legis & Prophetarũ. Plura autẽ fuerunt fragmenta quàm panes, quia plures expoſitiones quã textus. Fragmẽta autẽ ſignãt diuina cõſilia, & ſubtilitates ſcripturarũ, quę vulgus nõ capit, ſed maiores & perfecti, q per cophinos deſignãtur, propter iuncorũ viriditatẽ & palmæ cõparationem, quæ victoriã deſignat, multasq; habet proprietates ad ſanctos pertinentes. Ex iuncis autẽ & foliis palmarum cophinos faciebant. Per fragmenta etiã intelligere poſſumus boni exẽpli reliquias, quod nobis relinquitur poſt ſanctorum mortẽ. Ipſi enim ſaturati ſunt filiis, id eſt, bonis operibus repleti. Et quia memoria eorũ in benedictione eſt, diuiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis, qui eos humiliter imitantur. Hæc ſunt enim fragmẽta nunquã peritura. Memoria ſiquidẽ eorũ nõ derelinquetur. Vnde Seneca: ait: Marcellinus admonuit quemadmodũ cœna peracta reliquię circunſtãtibus diuiduntur, ſic peracta vita aliquid porrigẽdis qui totius vitę miniſtri fuiſſent. Piſciculi autẽ cũ panibus apponũtur, cũ exẽpla ſanctorum præceptis dominicis, id eſt, doctrina prædicationis ſociãtur. Fuerunt ſiquidem quinq; panes hordeacei, per quos quinq; libri Moyſi intelliguntur, in quibus more hordei amota palea ad medullã ſpiritualis intelligentiæ cũ difficultate peruenitur. Piſciculis autem, id eſt, exemplis patrũ legis auſteritas temperatur, inter quos piſcem aſſum, id eſt, Chriſtum paſſum ad fauces cordis cũ melle dulcedinis apponere debemus, vel per duos piſces Pſalmi, & Prophetæ intelliguntur. Duo inſuper piſces intellectus ſunt & memoria, vt quod legis, intelligas, & quod intelligis, memoriæ theſauro recondas. Manducauerunt & ſaturati ſunt. Multi comedunt qui non ſaturan-

*Contra contemptores verbi Dei.*

*De paſtu et refectione diuina. Iſa. 40.*

*De paſtore & paſtu multiplici.*

*De fragmẽtis.*

*De piſciculis et panibus.*

non saturantur, sicut filius prodigus, qui siliquis porcorum non poterat saturari. Sicut autem
*De panibus pœnitentium.* per quinq; panes hordeaceos mēsa scripturarum, quinq; librorū Moysi designatur, ita in mēsa pœnitentiū. Primus panis hordeaceus timor iudicij, secūdus horror cōmissi, tertius dolor cordis contriti, quartus pudor cōfitentis, quintus labor satisfacientis. Austeri sunt panes isti & asperi, nisi piscibus diuinæ gratiæ & deuotionis, qui sub aquis spiritus sancti nutriuntur, eorum austeritas tēperetur. Sed & piscis fidei, quę nascitur in aquis baptismi, & piscis spei, quę in aquis tribulationum salsis & amaris nutritur, & piscis charitatis, quæ in aquis dulcibus & fluentis gratiarum cōmoratur, prædictos panes esibiles reddunt & suaues. Sederunt autē super terram.
*De sedentibus super terram.* Prius enim oportet terrena cōculcari ab his qui doctrina sacra cupiūt saturari. Vnde in Parab. de sapientia: Si quæ fieris eā, quasi pecuniā, & sicut thesauros effoderis eā. Cū thesaurus in terra foditur, terra eiicitur, quia nisi mentē à terrenis euacues, thesaurum sapiētiæ nō inuenies. Erat autē multū fœnū in loco. Sedere super fœnū debēt, qui Christi panibus refici desiderāt. Cōculcare fœnū carnis debemus, & carnales reprimere voluptates. Teste enim Isa. Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quasi flos agri. Fœnū nascēdo habet virorē, crescendo decorē, deinde florē, tandē ardore solis desiccatū redigitur in puluerē: sic homo per ætatū successiones, amittit decorē, & cadit in mortē. Cōculcandum est fœnū dū viret, & homo prosperitatis flore virēs, lasciuiā iuuētutis & carnis voluptatē cōculcet. Gloria autē carnis quasi flos agri dicitur, & nō flos horti. Flos agri enim vndiq; procellis & vētis exponitur, & homo multimodæ miserię subiicitur. Exsiccatū est fœnū, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo, id est, sentētia mortis, vel sentētia iudiciaria, qua feriendi sunt reprobi, vitā præsentē excussit. Debemus etiā conculcare fœnū substātiæ mūdialis, de quo scriptū est: Produces fœnū iumētis, quo terra fructificat cultoribus suis. Et iterū: Qui producit in mōtibus fœnū, & herbā seruituti hominū. Quod fit cū huius mūdi sublimes ad fidē vocati sanctis prædicatoribus in huius vitæ via aliměta ministrāt. Nō solū autē fœnū floridū carnis, vel fœnū substātię tēporalis transitoriū, sed fœnū sordidū, id est, vita impij conculcāda est, & contēnenda est. De quo in Iob dicitur: fœnum vt bos comedet. Behemoth enim, id est, diabolus vita impiorū delectatur. Est autē quartū fœnum, id est, opus sanctitatis, fœnū, scilicet, solidū, de quo scriptum est: Producat terra fœnū viride. Et in Psal. Florebūt de ciuitate sicut fœnū terræ. Voluerūt autē Christū facere regē suū. Tales enim sunt clausirales quidā, qui clausirū intrāt & Christum Regē facere volunt, ne corporis necessaria desint eis. Huiusmodi enim nō seruiūt Christo Domino, sed vētri suo. Vnde Dominus ait: qui eū sequuntur, nō quia signa viderēt, sed quia de panib⁹ eius comederūt, & saturati sunt. Et Iere. ait: Dabo Hierusalē in aceruos arenarū, & cubilia draconum & pascua struthionum: quod fit cū religiosi studēt ad tēporalia cumulāda. Fiūt autē cubilia draconū per ventū malitię, & struthionū, quia hypocritæ. Vt autē de pastore & pastu plenius prosequamur, sciendū est quod pa
*De pastore & pastu.* stor ille, de quo scriptū est: Posuisti in cōspectu meo mēsam aduersus eos qui tribulāt me, multiplicem mēsam ponit & multiplicem pastum nobis apponit. Est enim mensa materialis & pastus corporalis: est mensa scripturæ, pastus doctrinæ & eruditionis, est mensa gratiæ & pastus virtutum ac bonæ operationis: est mensa Eucharistiæ, & pastus dominici corporis & sanguinis: est mensa contemplationis, & pastus æternæ delectationis: est mensa gloriæ, & pastus æternæ societatis. Quā miseri & vecordes, qui propter mensam diaboli, relinquunt mēsas Do
*De mensa diaboli.* mini. Vnde Osee: Ablactauit eam, quę erat absq; misericordia, remouendo, scilicet, eam à sacramentis Ecclesiæ, & mensa cœlesti quia indigna, & se transtulerat ad mensam diaboli. In hac autem mensa quidā arenā masticant, id est, auari, qui tēporalibus & trāsitoriis, quæ sterilia sunt, delectantur. Quidā iuxta fornacem sedentes, masticāt scintillas ardentes, hi sunt iracundi: alij manus, alij membra sui corporis fugunt, hi sunt voluptuosi, qui mēbris carnalibus delectātur: alij ventum hiatu attrahunt & masticāt, hi sunt superbi & vani. De quibus Ierem. ait: Onagri steterunt in rupibus, & traxerunt vētum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia nō erat herba. Onagri in rupibus, clausirales in dutitia & austeritate cōuersationis, qui corde & desiderio attrahunt ventum temporalē per auaritiā, vel ventum vanæ gloriæ per elationem, sicut dracones, id est, aperti mali & seculares. Defecerunt autē in ipsis oculi cōtemplationis deficiente herba pabuli diuini & sanctæ meditationis. De potu autē huius mēsæ Ierem. ait: Dabo eis potū
*Potus mensæ diaboli.* aquā fellis: quia fel draconū vinum eorū per amaritudinē vitiorū & malę cōscientiæ, & venenum aspidū per malitiā mētis venenosæ. De his autē Psal. ait: Potabunt omnes bestiæ agri. Homines enim bestiales, dū more bestiæ viuunt, aquā quę primò occurrit, licèt sit lutosa, bibūt. Nō enim tētationibus vel obscęnis voluptatib⁹, vel oblatis quibuscunq; munerib⁹ resistūt. Hi, teste Iob, bibūt iniquitatē suā sicut aquā. Et secundū aliā translationē Isa. ait: Caupones tui miscent aquā vino, quod fit dū verba correptionis corrūpuntur mollicie adulationis. Similiter & hęretici vinū mandatorū Dei aqua peruersę doctrinę corrūpunt. In hac igitur pessima mēsa tot sunt fercula, quot sunt vitia. Principale autē ferculū est ipse diabolus, sicut in mensa cōmunionis est ferculum ipse Christus. Propterea ait Psal. de diabolo: Dedisti eum escam populis Æthiopum, id est, nigris peccatoribus, qui in se recipiunt diabolum, & in eius malitia delectantur: in hac autem mensa non satiantur, sed semper esuriunt. Vnde in lib. Regum legimus, quod facta est fames in Samaria annis tribus, & mensibus sex. Tres anni quorū vnus est memoria, quę famē, id est, defectū habet, dum Deū nō recolit. Alius ratio dū bonū à malo nō discernit. Tertius est

voluntas

voluntas dum Deũ & proximum nõ diligit. Fames autẽ ſex menſium, eſt ſex operum miſericordiæ defectus. In fame autẽ Samariæ legimus quod vna mulierũ filiũ coxit, quod quotidie impletur in nobis, dũ mala opera coquimus in igne cupiditatis. Alia autẽ mulier ſapienter egit, dum filium non occidit, ſed abſcondit. Opera enim noſtra non ſunt per iactantiam oſtendẽda. Inebriãtur enim conuiuæ diaboli ebrietate illa, de qua ſcriptum eſt: Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius. Inebriat autẽ peccatores diabolus gloria huius mundi, quæ eſt calix aureus Babylonis, habens in ſe tria pocula. Primum carnalis concupiſcentiæ, quod naſcitur de vite diſſolutionis. Secundum eſt cõcupiſcentiæ oculorum, quod exprimitur de racemo curioſitatis. Tertium ſuperbiæ vitæ, quod prouenit ex racemo ſecularis ambitionis. Eſt autem menſa materialis & paſtus corporalis, quam nobis ponit Dominus ad ſuſtẽtationem, non ad ſuperfluitatem. In cibo enim materiali conſiderandum eſt quid, quantũ, & quomodo comedas, id eſt, cibi ſpecies, menſura, & hora, ne illicitum, aut extra horam, aut vltra menſurã aliquid ſumas. Illicitum enim comedit Adam in Paradiſo, & expellitur. Extra horam Ionathas, & à patre maledicitur: Populus Iſraël ad ſepulchra concupiſcentię extra menſurã comedit & occiditur. Sic tranſgreſſio meruit expulſionem, negligentia maledictionẽ, ſaturitas mortẽ. Conſiderandũ eſt inſuper cum quibus comedas magis quàm quid comedas. Vnde in Eccleſ. Viri iuſti ſint tibi conuiuæ, & omnis narratio tua in pręceptis altiſſimi: nõ enim garrulitati vel verbis otioſis, ſed lectioni ſcripturarum dum comedimus, intendere debemus. Similiter & pauperes Chriſti debent eſſe conuiuæ noſtri, vt vocemus claudos & debiles, egenos & pauperes, & nõ diuites, & ita de mẽſa corporalis alimoniæ faciemus menſam miſericordiæ. Cũ timore enim magno & cautela ſumenda ſunt cibaria tanquã medicamenta. Sicut enim equus Abbatis, dum duplex prębenda ei confertur & otioſus eſt, laſciuit, & recta via ire rennuit, ſed incedit ex tranſuerſo, ita miſera caro, ſicut ſcriptum eſt: Impinguatus eſt dilectus, & recalcitrauit. Menſa autem ſcripturæ eſt, de qua Ezech. ait: Similam & mel, & oleum comediſti, id eſt, doctrinã puram, & dulcẽ, & ſuperexcellentẽ. Et in Paralip. dicitur de Ezechia: Ædificauit apothecas frumẽti vini & olei, & præſepia iumentorum in Hieruſalẽ. Ezechias interpretatur auxiliũ Domini, hic eſt Chriſtus, qui ædificauit cellaria ſcripturæ, quia ſicut panis confortat, ſicut vinum lætificat, ſicut oleum exhilarat, & præſepia iumentorum, id eſt, doctrinã ſimplicium. Vnde Iſa. Paſcentur agni iuxta ordinẽ ſuum. Quod fit, cùm humiles & ſimplices, quod capere poſſunt in paſcuis ſcripturarum, ad ordinẽ bene viuendi cõuertunt. Et ſubiungit: Deſerta in vbertatẽ cõuerſa aduenæ comedent, id eſt, gentiles. Quod fit, quando quædã loca ſcripturarum, quæ ad literã videntur inculta in vbertatẽ, & refectionẽ cõuertuntur ſpiritualiter intellecta. Et Ioël ait: Cõgregate paruulos, & ſugentes vbera, vt, ſcilicet, huius menſæ conuiuæ paruuli ſint humilitate, & ſuauiter attrahant dulcedinem duorum teſtamentorum ad interioris hominis nutrimentum. In hac igitur menſa bibamus aquã de puteo viuentis & videntis. Qui enim bene viuit, ſubtilius videt. Qui verò, vt ait Greg. Lippiẽtibus oculis claritatem ſolis intuetur, plerumq; de luce exęcatur. Proterea in Euan. dicitur: Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Ingreditur homo intelligendo ſcripturas, egreditur homo operando ſecundum illas. In his duobus inueniuntur paſcua vitę & refectionis internę. Multi autẽ ſunt hodie, qui dulcia proferunt in prędicatione, ſed poſtmodum vana vel falſa in cõmuni ſermone, quia vita non reſpondet doctrinæ. Cõtra quos Iacobus ait: Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcẽ & amarã aquã? In menſa autem ſcripturæ vinum multiplex nobis apponitur. Primum pungitiuum in reprehenſionibus. Secũdum lene & delectabile in promiſſionibus. Tertium auſterum in cõminationibus. Quartum eſt vinum inſtructionis in diuinis præceptis & ſanctorum exẽplis. Quintum vinum compunctionis in indignatione. Vnde in Apoc. Et calicem vini date ei indignationis iræ Dei. Tandem autem ſancti perueniẽt ad ſextum vinũ fruitionis in iocunditate. De quo ſcriptum eſt: Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt. Vinum autẽ huius menſæ tria facit principaliter, ſubtilem, audacem, & hilarẽ. Subtilẽ cõtra dæmonũ machinamenta. Audacẽ cõtra tentationum ſpicula, hilarem ſuſcipiendo flagella cum gaudio. Menſa autem gratiæ, & menſa virtutum & operationis ſanctæ. Vnde in Euangelio Dominus ait: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me. In hac autem menſa apponitur butyrum cum melle. Vnde Iſa. Et erit in die illa, nutriet homo vaccã boum, & duas oues, & prę vbertate lactis comedet butyrum. Butyrum enim & mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ. Vacca quæ fortem fœtum producit, fortitudo mentis fructifera: vnã, non duas debet homo nutrire, quia debet roborare animã & macerare carnẽ. Virtus enim animę in infirmitate carnis perficitur. Debet inſuper duas oues nutrire, id eſt, ſimplicitatem interiorẽ & exteriorem. Sic enim comedet butyrum ſuauitatis, & internæ pinguedinis, & mel, id eſt, dulcedinẽ dilectionis, ſicut ſcriptũ eſt: De petra melle ſaturauit eos, id eſt, ſpirituali dulcedine de petra Chriſto. In hac autẽ menſa potamur vino albo caſtitatis, vino ſubrufo charitatis, vino rubeo effuſione ſanguinis pro Chriſto. Potamur inſuper vino ſanctarum affectionum. Cauendum eſt autem ſpiritualibus, ne vinum hoc ita deſiderent, quod de pane, id eſt, virtutum & operationum ſoliditate non curent multũ dum delicias ſuas magis affectant. Quidã autem multum de grano ſibi habere videntur, ſed veniente vino tentationis, non niſi paleas inueniunt & exſufflantur. In hac autẽ menſa gratiæ cibus pœnitentium eſt panis ſubcineritius, & vas aquæ, laborioſa, ſcilicet, opera, cum lachrymis pœnitentiæ.

*Inebriat diabolus peccatores.*

*De menſa materiali & paſtu eius.*

*De menſa & paſtu ſcripturæ.*

*De multiplici vino.*

*De menſa gratiæ.*

*De multiplici vino & cibis tate.*

*Cibus panitentium.*

Hacſuit

Hæc fuit refectio Eliæ,dū fugeret à facie Iezabel,postquā sub Iunipero dormiuit. Iezabel fluxus sanguinis interpretatur. A facie eius Elias,id est,vir pœnitens fugit, & dum torpet in voluptatibus sub iunipero dormit. Iob radix iuniperi cibus eorum,quæ radix est leuis in se,sed multos ex se aculeos producit. Elias ab Angelo,vt comedat excitatur,id est,vt vitæ suæ infirmitatē attendat,& sic de torpore voluptatum consurgēs, venit ad montē Dei Oreb,id est,ad celsitudinem sanctę cōuersationis,vel mensæ cœlestis. Oreb enim mensa interpretatur. In hac autē mensa reficitur nobiscum sponsus,qui inter lilia pascitur,id est, animarum castitate delectatur,donec aspiret dies,& inclinentur vmbræ:quod erit quando vita æterna apparebit,& vita præsens finietur. In hac mensa comedunt amici,& inebriantur charissimi. Eiusmodi ebrietas tria facit,membra,scilicet,ad peccandum stupida,& vomitū cōfessionis,atq; obliuionē curæ secularis. Aquę autē quæ in hac mensa bibuntur,de fontibus saluatoris hauriuntur. De fonte,scilicet,baptismi,qui lauat immūdum. Hic est fons Edorum. De fonte misericordiæ,qui rigat aridum. Hic est fons hortorum. De fonte spiritualium gratiarū. Hic est fons omnium bonorum. Quinta mensa est sacrę cōmunionis & Eucharistię,in qua Dauid noster puero relicto à Domino suo,dat vuam passam,id est,passionis suæ refectionē. In hac autem mensa facit Dominus memoriā mirabilium suorum, quæ fecit filiis Israël,dum eis manna cōtulit,& ipse escā sui corporis nobis tribuit. Vnde in Exodo legitur,quod apparuit ros in solitudine minutus albus,quasi pilo tonsus in similitudinē pruinæ super terrā. Gustus eius, quasi similæ cum melle. Ros,id est,Dei filius apparuit in solitudine,id est,in mūdo vel in Maria virgine minutus in cōceptione,& in natiuitate albus in innocentia & sancta conuersatione,quasi pilo tōsus in passione. In similitudine pruinę super terrā in Apostolorum prædicatione,per quā fœcundata est omnis terra. Gustus eius quasi similæ humanitatis cum melle diuinitatis in æterna beatitudine. In hac autē mensa apponitur nobis panis,qui de cælo descendit,& dat vitam mundo,deficientem reparat,sanum roborat,esuriētem satiat. Reparat ad gratiā,roborat ad pugnā,satiat ad refectionem. Hic est panis in clybano,in sartagine, in craticula. Panis subcinericius & similagineus. In clybano, id est, in virginis vtero. In sartagine frixus zelo & charitatis ardore. In craticula,quia assatus est in cruce. Subcinericius in sepultura. Similagineus in resurrectione. Hic est panis hordeaceus,quia castra Madianitarum,id est,dæmonum subuertit. Sicut legimus in historia de Gedeone. Vnde in Parabolis de B. Virgine dicitur: Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum. Confracta fuit nauis Euæ,& nullam prēter istā cui se crederet,inuenit. De aceruo autē tritici vallato liliis sumptus est hic panis,id est,de intemerato vtero virginis. Mulier quam dedit nobis Dominus,dedit nobis de ligno vitæ,& comedimus,& viuificati sumus. Econtra mulier, quam dedit nobis Adam,dedit nobis de ligno,& manducauimus in Adā, & mortificati sumus. Qualiter autē ad hanc mensam accedendum sit, ostendit Isa.dicens: Pone mensam,& contemplare in specula comedentes & bibentes. Surgite principes,accipite clypeum. Ponimus mensam accedendo ad sacram communionem,contemplamur in specula præuidendo diabolicas tentationes & imminentia peccata. Comedimus & bibimus Christi corpus,& eius sanguinem in hac præcellenti mensa,hoc cibo confortati surgamus ad bene operandum,ne simus serui,sed principes prauis motibus imperātes. Arripiamus clypeum contra diabolicas tentationes. Puri autem & mundi ad tam sanctam mensam accedere debemus,vt prius lagena aquæ lauemur,& postmodum in cœnaculo deuotionis,& præeminentis conuersationis reficiamur,vt dicamus cum Iob: Antequā comedā,suspiro. Vnde Isa. Lauamini,mūdi estote. Lauamini aqua lachrymarū,& cordis cōtritione,mundi estote permanētes in innocētia vitæ. Ecce sanus factus es,iā noli peccare. Si igitur sedes ad mēsam diuitis,accedēdo ad sacramentū altaris,statue cultrū gutturi tuo,secundū consiliū Salomonis, omne vitiū gulæ postmodū à te resecando: & scito quod talia oportet te præparare,id est,corpus & animā Deo offerre,sicut ipse apposuit tibi ferculum,id est,seipsum. Constituamus igitur diē solemnem in condensis,id est,in multiplicatione virtutum,& frequentatione bonorum operum,quod valdè est necessariū,quādo acceditur ad cornu altaris,id est,ad eminentiā sanctæ cōmunionis. Habemus autē altare,de quo nō habēt potestatē edere,qui tabernaculo corporis deseruiunt. Nec enim possumus participare mensæ Christi,& mensæ dæmonū. Et quoniā tria sunt sacrificiorū genera,vnum contriti cordis,aliud mortificationis carnis,tertium sacrificium altaris: præcedere debet sacrificium contritionis in corde,sacrificium afflictionis in carne,vt ad tertium sacrificium altaris dignè valeamus accedere. Sexta mensa est contemplationis,in qua reficitur anima spiritualibus deliciis,cogitando,meditando,orando,legendo,& superna gaudia prælibando. Tria siquidem in supernis cōtemplamur. Supernę ciuitatis opulentiā,in qua non esurient,neque sitiēt amplius. Ciuium eius lætitiam,quoniam Deum facie ad faciē videbimus. Tunc testante Isa. lætitia sempiterna erit eis. Regis æterni gloriā,qui in sanctis suis glorioſus est,& in maiestate sua mirabilis. Regis siquidē gloria ex maiestate. Ciuitatis autē decor ex claritate. Ciuium amor ex charitate. Cùm igitur sopitis sensibus corporeis intellectus supra se rapitur,& spiritus hominis vnus spiritus efficitur,tunc internæ iocunditatis gustu & dulcedine delectatur. In cogitatione autem mens hominis notitione rei transitoriæ tangitur, cum ipsa res sua imagine subito animo repræsentatur. Meditatio verò est sagax retractatio cogitationis,aliud obscurum & inuolutum explicare nitens. Speculatio autē dicitur perspicax & liber animi intuitus in

*De mensa sacræ communionis.*

*De manna.*

*Qualiter ad mensam Eucharistiæ debemus accedere.*

*De mensa contemplationis.*

*De cogitatione, meditatione, speculatione, & contemplatione.*

BIBLIOTHECA SEMINARII
Nr. S-654
IN BIALYSTOK